


DE PROBATIS SANCTORVM HISTORIIS, PARTIM EX TOMIS ALOYSII LIPOMANI, DOCTISSIMI EPISCOPI, PARTIM ETIAM EX EGREGIIS MANVSCRIPTIS CODICIBVS, QVARVM

permultæ antehàc nunquàm in lucem prodiêre, optima fide collectis per F. LAVRENTIVM SVRIVM Carthusianum domûs Coloniensis, & nunc recèns recognitis atque aliquot Vitarum accessione auctis per F. IACOBVM MOSANDRVM eiusdem Carthusiæ monachum,

TOMVS SEXTVS,

COMPLECTENS SANCTOS MENSIVM

NOVEMBRIS ET DECEMBRIS.







COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Geruinum Calenium & hæredes Quentelios, Anno M.D.LXXXI.

Cum priuilegio PII V. Pontificis Maximi, & CAESAREAE Maiestatis in decennium.

PIVS PAPA V.

DILECTO FILIO F. LAVRENTIO CARTHVSIANO.

DILECTE fili, salutem & Apostolicam benedictionẽ. Librum, sanctorum Patrum vitas continentem, à te nupèr editum, atq; àd nos missum, libentissimè accepimus: qui quidẽ eo etiam gratior nobis fuit, quòd opus in se cõtinet à nobis semper desideratum, & ad refellẽda hæreticorum in easdem sanctorum Patrum historias maledictá, aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuũ, teque, quòd coram Domino vacuus apparére nolueris, sed in eius Domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quicquid potueris, vltrò obtuleris, debitis in Domino laudibus commendamus: cuius tamen laudabilis laboris tui gloriam inprimìs ei tribuendam esse memento, à quo accepisti & velle & perficere: quod & à nobis, & ab omnibus pijs & Catholicæ religionis studiosis meritò laudaretur. Hortamur autem te, vt huiusmodi opere prosequendo, & de Ecclesia Dei benè mereri, & tibi apud omnipotentem Deum merita augere nè desistas, securus, te à Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 2. Iunij, M.D.LXX. Pontificatûs nostri Anno Quinto.

T. Aldobrandinus.

PIVS

PIVS PAPA V. DILECTO FILIO GERVINO CALENIO TYPOGRAPHO COLONIENSI.



DILECTE Fili Salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm tu, sicut accepimus, nonnullos de probatis Sanctorum historijs à dilecto filio Laurentio Surio optima fide collectis, necnon alios Tomos seu libros dilecti filij Petri Canisij presbyteri seu religiosi Societatis IESV, de doctrina siue Institutione Christiana inscriptos, vnà cum certis Annotationibus, nōdùm impressos, tua impensa imprimi facere desideres: Nos tibi, quem in excudendis huiusmodi Tomis seu libris graues impensas subire necessè est, nè ex beneficio omnibus Christi fidelibus collato detrimētum aliquod sentias, opportunè prouidere, ac te in tuo laudabili & Reipub. Christianæ perutili proposito confouere volentes, & à quibusuis Excommunicationis, suspensionis & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris & pœnis à iure vel ab homine quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectū præsentium dūtaxàt consequendum, harū serie absoluentes, & absolutū fore censentes: Motu proprio nō ad tuam vel alicuius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia & mera deliberatione nostris tibi Tomos seu libros præfatos per te vel alium seu alios imprimendi, & impressos vendendi licentiam & facultatem plenam & liberam Apostolica authoritate per præsentes concedimus: Necnon omnibus & singulis impressoribus, librarijs, & mercatoribus tam in Italia quàm extra Italiā constitutis, in virtute sanctæ obedientiæ & sub Excōmunicationis sententiæ, necnon in terris sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè vel immediatè subiectis, sub amissionis Tomorū seu librorū huiusmodi, ac mille ducatorū auri de Camera, pro vna Cameræ Apostolicæ, & altera medietatibus tibi, tuisq; hæredibus & successoribus irremissibiliter loco damnorū applicandorum pœnis, per alios absq; tuî & hæredum vel successorum tuorū expresso mandato aut licentia habita excudentes, seu imprimentes, aut vendentes, totiès quotiès id fecerint, eo ipso incurrendis, nè eosdem Tomos seu libros infra decennium proximè futurum ab illorum impressione computandum, in quibusuis literarum characteribus, aut parua, mediocri, seu magna, vel alia quacunq; forma alicubì imprimere, neq; per alios impressos vendere absq; expressa tuî vel hæredum & successorum præfatorū licentia vel consensu audeant vel præsumant, & ità per quoscunq; iudices & commissarios quauis authoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, interpretandi facultate & authoritate, iudicari & diffiniri debere: Ac quicquid secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus: Mandantes nihilominùs Motu simili sub interdicti Ecclesiastici & ingressus ecclesiarum Venerabilibus Fratribus nostris Coloniens. & quorūuis aliorum ciuitatum & locorum Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis filijs illorum vicarijs seu officialibus, legatis, vel Vicelegatis, ac sub primò dictis pœnis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs quibusuis Iudicibus quibuscūque authoritate & officio fungentibus, quatenùs quotiès pro parte tua, & successorū tuorum, vel alicuius eorum huiusmodi fuerint requisiti in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate nostra inhibitionem præfatam inuiolabiliter obseruari: ac te, tuosque hæredes & successores præfatos huiusmodi, illorumque singulos concessione pacificè frui & gaudere: Ac


 impres-

impressores, librarios, mercatores, fautores, scientes & non reuelantes, quos inhibitioni præfatæ contrauenisse eis constiterit, excõmunicationis & alias sententias, censuras & pœnas huiusmodi incurrisse declarent, ac pro talibus publicè nunciari mandent, & faciant contradictores quoslibet & rebelles per easdem censuras & pœnas, appellatione postposita, compescendo: inuocato etiam ad hoc, si opùs fuerit, auxilio brachij secularis: Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, Priuilegijs quoquè, Indultis, & literis Apostolicis super imprimendorum Tomorum facultate quibusuis personis cuiuscunque dignitatis & præeminentiæ existentibus etiam motu & scientia similibus, ac sub quibusuis tenoribus & formis, necnon clausulis & decretis concessis: Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua: non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expreßio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, àc si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expreßis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dũtaxàt specialiter & expreßè derogamus: Aut si impressoribus, librarijs, & mercatoribus præfatis vel quibusuis alijs, communiter vel diuisim ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non poßint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbũ de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem & eadem authoritate decernimus præsentium literarum transcripta in ipsis Tomis impressa in iudicio & extra sufficere, & plenam fidem facere, regula contraria non obstante. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIII. Septembris, M. D. LXIX. Pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

REVE-

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. ERNESTO, COMITI PALATINO, VTRIVSQVE BAVARIAE DVCI, FRISINGENSIS ET HILDESHEMENSIS ECCLESIARVM Administratori, Domino & patrono suo colendissimo.

ANDEM, Deo benè propitio, absolutus est sextus sacrarum Historiarum Tomus, isque cupit sub tuo nomine exire in manus hominum, Reuerendissime & Illustrissime Princeps Erneste. Tāta enim est hodiè in Ecclesia Dei celebritas nominis tui, tam apud omnes peruulgata virtus & integritas tua, vt si sit tuo iudicio approbatus, nihil dubitet se doctis & bonis viris omnibus probatum iri. Multas habet sanctissimorum hominū Vitas, in quibus etsì multa passim occurrunt, quæ admirari potiùs cogamur, quàm possimus imitari: sunt tamen non pauca, immò plurima, quæ nisi pro modulo nostro imitanda suscipere velimus, digni profectò non sumus, qui Christiani vocemur. Voluit autem omnipotens Deus extare illorum historias, vt homines desides & suæ salutis incuriosi, excusso torpore & ignauia, illorum optimis exemplis inflammati, redeant in memoriam sponsionis factæ in baptismo, dentque operam, vt, quod illic polliciti sunt, gnauiter & accuratè exequantur. Abrenunciauimus enim, cùm baptizati sumus, satanę & omnibus operibus & pompis eius. Sed id proh dolor vix quisquam alicuius pensi habet, suntque perpauci, qui vel cogitare velint, quid Deo his verbis promiserint. Accedunt nouatores, augent hominum suo vitio in malum procliuium, incuriam & contemptū, prædicant sola fide nos iustificari, & id genus pleraq; alia, non sine multorum certa pernicie: cùm tamen videamus, aliud nos, cùm primùm Christo nomen dedimus, esse pollicitos, & sanctorum omnium exempla planè diuersum hortari. Videbant illi latissimè patére sponsionem hanc paucis verbis compręhensam, satanęq; & operibus atque pompis eius renunciare illum non posse, qui non bellum pertinax & inexpiabile indicat vitijs & peccatis vniuersis, virtutibusq; obtinendis magnam curam perpetuosq; conatus adhibeat. Hinc illa corporum multiplex & propè incredibilis afflictio & castigatio, hinc admirabilis mundi & eorū omnium, quæ homines mundo dediti admirantur, contemptus: hinc amor solitudinis, atque extra hominum frequētiam secessus, ob vitandas peccādi occasiones, vitaq; durissima, perpetuum orandi, legendi, psallendi, meditandi, contemplandi studium, cui perpetuæ ferè adiunctæ erant lachrymæ, multaq; id genus alia, quæ ab Apostolo videmus etiam in priscis illis patribus egregiè cōmendari, cùm ait: Circumiērunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, (Heb. 11.) afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus & spelūcis, & in cauernis terræ. Atq; hoc est perfectè abrenunciare satanæ & operibus atq; pompis eius. Miramur hoc in sanctis hominibus, sed vtinàm libéret etiam saltem vtcunquè imitari. Quicunq; in Christo bapti- (Galat.) zati sumus, vt Apostolus ait, Christum induimus, consepultiq; cum illo sumus per baptismum in mortem: vt quomodò Christus surrexit à mortuis (Rom. 6.) per gloriam patris, ità & nos in nouitate vitę ambulemus. Quid est autem in nouitate vitæ ambulare, nisi in Christi vestigijs insistere? Id nos facturos, in

baptismo recepimus omnes: sed hęc pacta conuenta sępè abeunt in obliuionem, & cùm turpe sit, fidem, quam dederis homini mortali, fallere, nô pudet nos perfidię notam incurrere apud Deum. Oportebat sanè nunquàm huius sponsionis obliuisci. Eramus per peccatum redacti in seruitutē satanę: Christus nostri misertus, ab ea seruitute nos liberauit morte sua: sed vt vult planè,
Lucæ 1. vt de manu inimicorum nostrorū liberati, abrenunciemus satanæ & operibus atq; pompis eius, & seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitę nostræ. Liberati ergò à seruitute, reuocamur ad seruitutē: deserimus satanam, & ad Christū accedimus: sed seruire satanę, hoc demùm re vera seruire est: Christo autem seruire, regnare est. Nō enim propriè seruit Christo,
2.Cor 3. nisì qui eius spiritu regitur. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas, & in eo
Rom.8. spiritu clamant sancti, Abba pater, magna fidutia Deum patrem appellantes, ita vt iam, etiamsi seruire videantur, tamen filij Dei sint. Sed non essent profectò tales filij benignissima adoptione Dei, nisì conformes esse studerent vnico filius eius Domino nostro Iesu Christo. Id verò non fit, nisì primùm abijciantur opera satanæ & pompæ eius, id est, peccata omnia, & quicquid pugnat cum iustitia & sanctitate, in qua Christus nos vult seruire sibi, nè per peccatum recidamus in satanæ potestatē. Nimirùm isthuc seriò cogitandum esset Christianis omnibus, qui in hoc mundo, nō vt in patria, sed vt in exilio degere debent, atq; in eo versari semper, vt se seruent immunes à peccato, & ad diuinam sese conforment voluntatē: ità demùm venturi ad illam cęlestem patriam, in qua nobis parata sunt bona illa immēsa, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Verùm hìc cogimur
Eccles.1. exclamare cum scriptura diuina, Stultorum infinitus est numerus. An non meritò stulti appellandi, qui futurorum immemores, totos se dedunt hisce rebus fluxis, miseris & momētaneis? quibus terribiliter minatur illa Prophe-
Psal.9. tæ vox, Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum. Quàm dolenda planè hominū cæcitas, in tanta Christianorū multitudine vix paucissimos inueniri, qui sint moribus & vita, quod nomine profitentur? Scio plerosq; omnes obijcere suam infirmitatē, permultos etiam tantam sibijpsis fingere Dei misericordiā, tanquàm ille non valdè offendatur flagitijs nostris. Sed prętextum infirmitatis disijcit innumera sanctorum hominum multitudo: diuinę clementię temerariam fidutiam facilè reprimit illa meritò pertimescenda seueritudo, qua punit Deus peccata igne inextinguibili. Habemus nobis proposita innumerabilium vtriusq; sexūs, omnis ætatis & ordinis sanctorū exempla: non possumus prætexere virium imbecillitatē, alioquì audituri, potuisse illos, cùm essent mortales & similes nobis. Sed feruor ille fidei & charitatis deest nobis, quē in illis videmus: quo si nos quoq; præditi essemus, possemus quod illi potuêre. Nec tamē hoc ità accipi velim, quasì debeamus aliquid supra vires attētare. Vt contemnamus satanam, & abijciamus opera & pompas eius, non est vltra vires nostras: sed vt tanta nos cōficiamus inedia, tanta vigilandi instantia, & vitæ propè incredibili asperitate corpus conteramus, id nemo sapiens facilè cuiuis consuluerit. In eiusmodi enim quisq; debet vires metiri suas, nec tā considerare, quid alij fecerint, quàm quid ferre ipse possit. At tamen plurimùm confert, diligenter lectitare Sanctorū res gestas, etiamsi omnes imitari nequeamus. Valdè enim permouent animum, quæ ab illis discimus præclarè gesta, & fit non
raro,

rarò, vt accensi illorũ exemplis, plus possimus, quàm vel sperare ausi essemus. Scimus quid Augustinus se sensisse scribat, cùm audiuisset coram se cõmemorari vitam beati Antonij. Habẽt historiæ Sanctorum stimulos quosdam suos, quibus etiã planè torpentes possint vrgere, vt conentur aliquid. Et hoc illustrissimum laudatissimumq; parentem tuum, ornatissime Princeps, permouisse videtur, vt maximis impendijs Germanicè versas Sanctorũ Historias, à me hactenùs editas, in insigni papyro egregijs typis curet imprimendas: satis hoc ipso testatum efficiens, quàm cupiat Germanos nostros, pseudoprophetarum blandiloquentia miserè euersos & eneruatos, reuocari in viam, à qua multùm aberrârunt, decepti maleblandis impostorum sermonibus, sterilem & mortuam fidem imperitæ concioni perniciosissimè inculcantibus, cùm videamus Christi Saluatoris, qui est caput electorũ omnium, & Sanctorum eius vitam, omni genere virtutum conspicuam, hortari, immò & propemodùm cõpellere nos ad consectanda bona opera, quibus in cælis merces sempiterna reposita est, dicente Apostolo, vnumquenq; recepturum illic mercedem secundùm suum laborem. Videt enim Princeps sapiẽtissimus, & memoria sempiterna dignissimus, posse homines, si diligenter velint Sanctorum lectitare historias, eò facilè adduci, vt intelligant longè alia via eundum esse in cælum, quàm quæ ab istis nouatoribus proponitur. Cùm enim illi sic vixerint, vt Christus ipse non modò verbis, sed etiam factis docuit, dubitare nemo potest, si quis aliud velit iter ostendere, illũ non alio, quàm impostoris, loco habendum. Neq; verò Christus tã multa & facere & pati voluit ea sola causa, vt nos patri cõciliaret, sed vt etiã viuendi formam nobis traderet, quam nos pro viribus imitari conemur. Christus passus est pro nobis, ait Apostolorũ princeps, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. & paulò pòst: Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. Sed quarè tandem? Vt nos iam securi dormianus in vtranuis aurem? Minimè: sed vt peccatis mortui, inquit, iustitiæ viuamus. Quod summo studio & incredibili mentis ardore videmus fecisse Sanctos, quorũ historias serenissimus Princeps parens tuus tam libenter legere solet, tamq; auidè ab alijs quoquè lectitari cupit. Nec dubito, quin idem studiũ & zelus planè insitus sit animo tuo, Illustrissime Princeps, cuius laudatissimos mores Colonia perspexit, seq; perspexisse gratulatur, cùm esses apud nos ante paucos hos annos, quãdò etiã pro singulari humanitate sua, Celsitudo tua me priuatìm voluit inuisere, nec mediocrẽ apud me beneuolẽtiæ suæ significationẽ relinquere: ità vt ego tum hanc, tũ alias ob causas non temerè constituerim sextum hunc Tomum illi dedicare, planè mihi persuadens non posse ei ingratum esse munusculum, quod Illustrissimo parenti eius constat esse gratissimum. Nec mihi opùs est, multùm hîc immorari decantandis virtutibus tuis, quibus in hac florenti ętate ità ornatus & instructus es, Princeps clarissime, vt boni omnes de T. C. non nisì summa & egregia quæque sibi polliceantur. CHRISTVS IESVS sua potenti virtute seruet C. T. afflictis Germaniæ nostrę rebus, vti benè speramus, magnam breuì opem allaturam, & toti orbi Christiano eximio futuram ornamento. Ex Carthusia Coloniensi III. Nonas Martij, Anno M. D. LXXV.

1. Cor. 3.

1. Pet. 2.

T. C. obseruantissimus

F. Laurentius Surius Carthusianus,

F. LAVR. SVRIVS LECTORI S.

VIsum est mihi, postquàm ad duodecimi mensis finem peruentum est, paucis cõmemorare eos, quorum opera in his sex Tomis adiutus sum, vt nôueris non parũ illis te debere, Candide Lector, si quem fructum his legendis assecutus sis. Non tamen annotabo omnes, sed præcipuos, & qui animo occurrerint: cæteri dabunt veniã, si quid putent à me prætermissum contra decorum. Neque enim angustia temporis sinebat iã omnia exactè persequi. Primo loco plurimùm debẽt Christiani omnes ornatissimo viro D. Geruino Calenio, qui vt primus mihi suasor & incẽtor fuit ad hos labores suscipiendos, ità magnis sumptibus non destitit cõquirere codices manuscriptos, aut pro aliũdè missis numerare pecuniã illis, qui eos attulerũt: tum quoquè eo studio & elegantia curauit sex Tomos hos excudendos typis suis, vt vel hoc solo nomine dignus sit, quem ament pij omnes, & sacrarum historiarum studiosi. Deindè magnæ habẽdæ sunt gratiæ reuerẽdissimo doctissimoq́ piæ memoriæ Episcopo Aloysio Lipomano, ex cuius Tomis octo, totũ ferè Metaphrastẽ in meos Tomos transtuli, qui tres illius Tomos occupat: tum quoq nõnulla alia. Non aũt debet Lector arbitrari, Aloysio tribuẽda esse, quæ ille ex libris anteà editis descripsit. Ea enim nõ magis illius sunt, quàm mea, vel cuiuslibet alterius, qui ea indè describere velit. Metaphrastẽ propriè illi debemus. Longè aũt plura ex MS. codicibus & aliundè ego habeo, quàm ex Aloysio: quod idcircò indicatũ volui, quòd audiam quosdã in Italia molestè ferre, quòd meis Tomis non præfixerim Aloysij nomen: quod sanè fecissem, si ex illo omnia mutuatus essem. Cùm verò vel tertiã partem ab illo me accepisse affirmare non ausim, nemo iure id carpere potest: quãquàm hac in parte plus à me præstitũ est, quàm ratio postularet. In frõte enim cuiuslibet Tomi testatus sum, me partim habere historias illas ex ipso Aloysio, quod suffecisset alicubi in Epistola liminari induxâsse: sed volo etiã in meis Tomis extare memoriã optime de Ecclesia Dei meriti Episcopi. Fateor tamen imprudẽter à me omissa esse nomina interpretũ, qui hortãte Aloysio Metaphrastẽ nobis latinũ fecêre: sed qui Tomos Aloysij habent, facilè norunt maximam eius partem transtulisse Gentianũ Heruetum doctissimũ virum, reliqua partim Guilelmũ Sirletum, tunc Protonotarium Apostolicũ, modò Cardinalem lectissimũ, non minùs vitæ integritate quàm eruditione spectatum: partim Franciscũ Zinum Veronensem, pietate & doctrina præstantem. Tertio loco mihi non immeritò annotandus venit reuerendus & præclarè eruditus sacræ Theologiæ Doctor D. Iohannes Molanus Louaniensis, qui certè permultũ mihi contulit tum annotationibus suis in Vsuardi Martyrologiũ, tum priuatis quibusdam scriptis suis: tũ etiam conquirendis libris manuscriptis. Per illũ enim habui septem codices manuscriptos ex monasterio Rubeævallensi, quod non ità procul abest Bruxellis: qui mihi in quibusdam vsui fuêre. His subiungendus est admodùm reuerendus & insignis vir D. Iacobus Pamelius, S. Theologiæ L. & Canonicus Brugensis, cuius opera non pauci ad me venêre MS. codices, qui mihi sanè egregias suppeditauêre historias, quibus lector careret, si illis destitutus essem. Habui etiam aliquot antiquos MS. libros à Reuerendo inprimis & spectatissimo Abbate monasterij Bruwylerensis, qui eos vltrò mihi obtulit, studio Ecclesiæ iuuandæ, & sacrarum historiarum editionem promouẽdi. Ab alijs quoquè diuersis egregijs viris & collegijs atque monasterijs habui codices non contemnendos: sed neque iam succurrunt memoriæ omnes, neque temporis angustia patitur singulatìm recensere omnes. Non possum tamen, nec debeo committere, quòd is mihi hæc scribenti opportunè occurrit, quin mentionem faciam doctissimi & integerrimi viri S. Theologiæ Licentiati D. Melchioris Hittorpij, qui præter alios labores, quos his edendis Tomis impertijt, aliquot Aloysij Tomos, quos ipse suo ære cõparauerat, non inuitus nobis tradidit discindendos, vt, si qua in illis essent, quæ nobis forent vsui, ea Typographo excudenda præberemus.

Postremò admonitum velim Lectorem, Tomo primo primæ editionis 11. Februarij posuisse me historiam SS. Saturnini, Datiui, Felicis, Apuleij &c. quæ quidem in Acta publica videtur bona fide relata: sed qui eam indè descripsit, quædam posteà attexit, quibus se de factione Donatiana valdè suspectũ reddit. Acerbè enim perstringit Episcopos Mensuriũ & Cæcilianũ: quod primò quidem non animaduerti: sed admonitus à doctis viris, cùm accuratiùs iã excusam longè antè historiã relegissem, dolui illũ næuũ irrepsisse me imprudẽte in sacras historias. Itaque tolli & expungi debẽt, quæ pagina 954. habentur ab eo loco, Verùm quoniã nos, vt suprà diximus, schismatis tẽpus admonuit &c. vsq; ad eius historiæ finẽ. Nam tãetsi nulla illic dogmata hæretica contineantur, tamẽ nolim extare quicquam suspectũ in sacris Historijs mea opera euulgatis. Vereor enim multos ibi ab Authore inter martyres numerari, qui Donati schismate deprauati fuêre: quanquã id certò affirmare nolim. Sed nè cui scriptũ dubium offendiculo sit, satius omninò est, totam illam Authoris suspecti Appendicẽ aboleri: quod quidẽ in Germanica versione interpres, me admonente, præstitit, nisi quòd paucissimos, eosq́ extremos versus suæ versione adiunxit, quos planè velim ex cũctis exẽplaribus erasos: quòd illic nominatim perstringãtur Mẽsurius & Cæcilianus Episcopi Carthaginenses. Simul aũt oratum velim Lectorẽ, vt, si nõ omni ex parte toto hoc opere ipsi satisfactũ sit, (multa enim erũt proculdubio, quæ alij breuiùs, alij fusiùs scripta velint) æquo animo id ferat. Habẽt docti viri occasionẽ multã ex me, vt possint absolutiora exactioraq́ nobis quãdoq; exhibere, quæ in meo opere desiderari videantur.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, DN. GASPARO GRÖPPERO, ECCLESIAE COLLEGIATAE APVD BONNENSES PRAEPOSITO ET ARCHIEPISCOPATVS COLOniensis Archidiacono, sacri insupèr Palatij Apostolici Causarum Auditori, Domino suo obseruandissimo.

TVVS ille affectus quem olìm erga dilectum nostrum fratrem piæ memorię D. Laurentium Surium gessisti, R.D. Præposite, & ampla in eum collata beneficia indè mihi originem accepisse videntur, quòd eius labores probares, & inprimìs vitis illis Sanctorum capereris, quas ille literis proditas ad posteritatem transmisit: non solùm quòd illarum frequens lectio eos qui sanctæ solitudini & quieti cum Maria optimam partem eligentes se tradidere mirificè recreet, delectet ac pascat, sed quòd hisce etiam calamitosis tumultuosisque temporibus Reipub. Christianæ non modicam vtilitatem adferat, eamque in fide Catholica retineat, cõfirmetque. Hoc vero tam sacro studio non facilè Tua Reuerentia delectaretur, nisi & eius corporis membrũ esset, cuius & illi membra existunt, qui mundo huic nequam nuncium remittentes elegerunt, in solitudinibus, in montibus, speluncis ac terræ cauernis, soli Deo vacare: & eius insupèr spiritu viueret, cuius gratia & operatione, omnes fideles in Ecclesia Dei, suaui animorum concordia & consensione inter se, in vnius eiusdemq; fidei confessionem conspirârunt, vt idem sapiãt, idemque loquãtur omnes, nec sint inter eos schismata. Quid enim homini Christiano iucundius, quàm vt sit de corpore Christi? qui fide non ficta, multifarijs virtutibus, vitæ sanctitate, quotidianis abstinentijs, vigilijs, precandi & contemplandi indefessa assiduitate, corporis frequenti castigatione, multisque id genus alijs virtutum exercitijs, Sanctorum eius insequatur vestigia & commembrum fiat? Quid econtrà tristius, quàm per reprobam fidem, mortuaq; opera reuerti ac commutari in naturalem oleastrũ, atque ex Euangelici agricolæ excidi oliua? quandoquidẽ sine Deo viuere, mors potiùs dicenda est quàm vita, & summa miseria. Atque hanc quidem obcęcata indurataque mente, animales nostri pseudoeuãgelistæ alteri præferẽtes, carnis libertatem amplectuntur, ieiunia & corporis castigationes, tanquàm pestem quandam & hypocrisim fugiunt, & cùm nullus sit in eis spiritus, nullus Christi amor: peritura bona sempiternis, & carnis delicias spiritualibus gaudijs anteponunt, ad eas (vt in Sapientiæ volumine legitur) inuicèm se inuitantes: Venite & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquàm in iuuentute celeriter, vino precioso & vnguentis nos impleamus, & non prętereat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequàm marcescant: nullum pratum sit, quod non prætereat luxuria nostra: nemo vestrûm exors sit luxuriæ nostræ: vbiquè relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & sors nostra. Sanctis prętereà Dei ferale bellum indicũt, eorum mirabilem abstinentiam & spiritualem vitam non solùm execrantes, verumetiam eò impietatis ac dementię veniẽtes, vt eorum sacras reliquias sordibus & contumelijs afficiant, altaria Deo ad Sanctorum honorem erecta deijciant ac solo prosternant, Sap. 2.

nant,

nant, venerabiles imagines confringãt & ignibus crement, eò quòd via eorum bona, prauę suæ atque peruersę contraria fuerit: Deum in Sanctis eius
Gen.4. (more Cain qui fratrem suum iustum ob suam sanctitatem interfecit) persequentes. Cùm igitur teterrimis suis facinoribus ac doctrinis mendacibus dementent ac fascinent rudem plebeculam, nunquìd nõ Dei & Sanctorum eius honorem impiè ab illis pollùtum & contaminatum, omni conatu vindicare studebimus? virtutes illorum literis exaratas in lucem proferemus? vitæ sanctimoniam proponemus, atque ad imitandum eam, populum exhortabimur? Cæterùm licèt inter se opinionibus dissentiant, atque ex vna hęresi in aliam prolabantur, ità vt quidam illorum Deum negent & Sanctos eius, neque vitam vllam post hanc superesse, alij verò Christum in Cruce, omnium hominum peccata ità expiâsse, vt nullũ eis ad mortem (infidelitatis excepto) imputetur flagitium, credant, & sic de cæteris: in hoc tamen, velut agmine facto, concurrunt & conspirant, vt Ecclesiam Dei persequantur ac Rom. fidem anathematizent, venerabilium imaginum vsum, ac purgatorij locum stentorea voce abiurent. Quorum ora obstruere, pro ingenij mei modulo, ac tam impij dogmatis propellendi materiam lectori subministrare volens, S. Iohannis Damasceni Orationem de fidelibus defunctis, ac suppetijs eis ferẽdis, huic Tomo inserui, & insignis illius pietate viri Stephani Iunioris martyris passionem, qui pro venerabilium imaginum Sanctorum Dei defensione à Constantino Copronymo occisus, posteà innumerabilibus miraculis claruit: Itemque S. Martini Papæ, qui ab Ariano Imperatore exilio relegatus, quanta vitæ sanctitate & signorum operatione orthodoxam Ecclesiæ suæ fidem confirmârit, eius pandit historia. Inserui prætereà non paucas alias Sanctorum Vitas, quarum lectio non paruam (vt spero) & voluptatem & vtilitatem pijs auribus allatura est. Quicquid à me porrò ad recognoscendum hunc Tomum & augendum operæ & studij impensum est, sub clarissimo tuo nomine R. Pater & Domine apparere volui, quem quiete & sancta solitudine delectari cognouimus, & Carthusiensis instituti monachos singulari fauore prosequi experti sumus. Quod nostrum officium tibi idcircò debitum, vt pro innata familię vestrę humanitate amplecti & nos nostrosque labores contra maleuolos obtrectatores, tua authoritate, qua summa præditus es, tuendos suscipere velis, etiam atque etiam rogamus. Dominus IESVS Christus R. Dominationem tuam Ecclesiæ suæ diù conseruet incolumem. Ex Carthusia Coloniensi VIII. Calend. Feb. Anno M.D.LXXXI.

R. T. Dominationis

clientulus

F. Iacobus Mosander

Carthusianus.

INDEX

INDEX GENERALIS VITARVM, IN TOMO HOC SEXTO COMPRAEHENSARVM.

NOVEMBER.

Vita

DECEMBER.

PIO

PIO ET CANDIDO LECTORI S.



Vòd plùs moueant, fortiusque ad Christianam pietatem extimulent exempla quàm verba, pleniusque sit opere docere, vt inquit Magnus ille Leo Pontifex, quàm verbo, testantur tam multi sancti & eruditissimi Patres, qui Sanctorũ vtriusque sexûs hominum Vitas describendas sibi sumpserunt, & cum ineffabili fructu ad posteritatis notitiam transmiserunt. Nouimus ex D. Augustini Confessionibus, quantùm illi adhuc vacillanti contulerit audita vita beatissimi Antonij Eremitæ: nec dubium, quin innumeris alijs idem euenerit. Lib.8.cap.6. *Nostri instituti primus author & patriarcha Dominicus, Patrum exemplis summoperè delectatus, ad supremam vitæ spiritalis & religiosæ perfectionem peruenit. D. Thomas Aquinas, sui patris Dominici vestigijs insistens, eiusmodi lectione haud vulgariter afficiebatur: nec id sanè absque ingenti fructu. Quòd si verò his solidiora petimus, non desunt nobis ne ipsius quidem scripturæ diuinæ testimonia. Iesus Syrach à cap. 44. vsque ad quinquagesimumprimum in suo Ecclesiastico quid aliud, quàm Sanctorum, qui in hac vita Deo placuerunt, exempla commemorat, eaque nobis ob oculos spectanda & imitanda proponit? Matathias ille legis eximius zelator cùm ab hac vita esset abiturus, filios suos nulla re alia magis, quàm recitandis Patrum gestis, ad agendum fortiter pro Deo eiusque sanctissimis legibus exhortatur & confirmat.* 1.Mach.2. *Sed & in nouo Testamento D. Paulus prolixus est in præcedentium sanctorum Patrum celebranda fide. Possent huius generis permulta alia adduci: sed res per se adeò illustris & perspicua est, vt superuacaneũ videri possit, illi docendæ rationes & argumenta adhibere.* Heb.11. *Itaque nõ possum non approbare, atque etiam cõmendare tam pium studiũ R. Patris D. Laurentij Surij Carthusiani, qui non paruo labore has Sanctorum Vitas ex diuersis authoribus & egregijs manuscriptis exemplaribus collegit, & tanquàm rarum quendam thesaurum Catholicæ Ecclesiæ hominibus contulit: quàm spectabilis viri D. Geruini Licentiati vtriusque Iuris, diligentiam & sedulitatem, tum in ponenda sua in MS. exemplaribus conquirendis opera, tum in excudendo opere tam pio & Ecclesiæ salutari. Tu itaque his fruere, Lector amice, nihil ambigens, quin eorum lectio non solùm detrimentum nullum aut perniciem, sed ingentes potiùs & vberrimos tibi sit fructus allatura. Vale.*

F. Theodoricus Buscoducensis, fratrum Dominicanorum intra Coloniam Prior & Apostolicus Inquisitor.

INDEX COPIOSVS IN SEXTVM HVNC, DE SANCTORVM VITIS, REBVS GESTIS AC MARTYRIIS TOMVM, QVI RECèns ex diuersis authoribus ac Bibliothecis collectus, duos menses Nouembrem ac Decembrem complectitur.

Restituantur suis locis in sequenti hoc Tomo sexto, numeri sequentes hi: 31.216.344.596.635.708.1100.

anasta-

vt S.

diuites

na Do-

excel.

c

fride-

irridens

presby-



IN IMAGINEM REVERENDI PATRIS LAVRENTII SVRII CARTHVSIANI, OPTIME DE CHRISTIANA REP. MERITI.

Effigiem SVRII dum cernis, candide Lector,
Quin capiat tanti fructus amorq; viri?
Qui lucrum duxit, mundo latu ſſe superbo:
Delicias, casta mente vacaſſe Deo.
Ecce recedentis sequitur nunc gloria tutam
Virtutem, nullis ſat celebranda typis.
Clara LVBECA necigenuit, ſed carior illi,
Qua patet ad vitam, ſedula cura fuit.
Huius ob eximium quo conflagrabat amorem,
Saluifico triuit commoda vana iugo.
At licet obſcuro, ſed ſacro tecta receſſu,
Non potuit ſoli lux micuiſſe ſibi.
Nanque domi fratres virtutum lampade luſtrans,
Edocuit ſummo reddere vota patri,
Quando erat in SVRIO ſacri ſpectaſſe laboris
Exemplar, placidam mente referre facem.
Omnibus vt, Pauli iuxta decreta, ſalutis
Anſa foret, cunctos, omnia factus, obit.
Nec generoſa domi Virtus ſe paſſa recludi,
Protulit oppleto munera larga ſinu.
Quot docet atque monet Stygiam vitare paludem?
Quótve pio mollit pectora dura foco?
Quot dedit afflictis rebus patriæq; ruinæ
Fulcra? quot hæreſiûn monſtra nefanda domat?
Dum ſermone colens Latio monimenta piorum,
Eximias ſanè ſuppeditauit opes.
Sanctorum præclara quid eſt certamina magnis
Sex celebrata Tomis quòd dedit vna manus?
Septimus adiungi dum cœptus, turba beata
Cælicolûm ſtudijs præmia digna parans,
Sat Superis factum, dixit, donetur Olympo,
Emeritū noſtris inſere CHRISTE choris.
Nec mora, præſiliēs SVRIO mors prompta ſedenti,
Intrepidum ad Superos cuſpide pandit iter:
Liber abi, dicens, celebratis iungere Diuis,
Et cape nunc meritis ſerta dicata tuis.

IN IMAGINEM ET LIBROS SVRII.

EST aliquid SVRII ſpectare in imagine vultus,
Quos ſpatio exiguo ſcalpta tabella refert.
At SVRII Libros, magna quos texuit arte,
Qui legit, ingenium cum pietate videt.

OBIIT ANNO DOMINI M. D. LXXVIII. DIE XXIII. MAII.

NOVEM-

NOVEMBER.

ORATIO D. EPHRAEM DIACONI ECCLESIAE EDISSENÆ, DE SANCTISSIMÆ DEI MATRIS LAVDIBVS:

Quam nos idcircò primo loco mensis huius posuimus cum ijs, quæ eodem authore mox sequuntur, quòd in honorem matris DEI *& omnium sanctorum Martyrum, hodierna solennitas ante mille ferè annos celebrata est.*



NTEMERATA prorsusque pura, Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Domina mea gloriosissima, eadémque optima, sublimior cælicolis, purior Solis radijs & splendoribus, honoratior Cherubin, & polyommatis (id est, multoculis) spiritibus, sanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes Patrum, gloria Prophetarũ, Apostolorum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia, & lumen studiosorum Abraham, Isaac & Iacob, decus Aaron, Mosis splendor, & Gedeon vellus, Hierarcharum cœtûs, & omnium sanctorum ac virginum corona, ob fulgorem inaccessa. Acerra aurea, lucerna micantissima, vrna cæli manna gestans, tabula scriptã legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuinissima, omnium princeps, circunspecta & lucifera Virgo, consolatio sanctissima, & omnium dux, sacratissima puella.

1. Nouẽbris. Vide quid tribuerint sanctiss. Patres B. Mariæ Virgini.

O rube incombuste, & patens prædium, & viridans Aaron illius virga. Virga profectò extitisti, & flos filius tuus. E radice Dauid & Salomonis germinauit Christus noster creator, Deus & Dominus omnipotens, altissimus & solus. Tu, quo ad corpus, Deum & Verbum genuisti: virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partũ. Claues non excussit Deus creator tuus in tuo virginali vtero, absque semine carnem indutus, te, ô celeberrima, talem præseruans, qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati sumus Christo Deo meo, filio tuo. Tu peccantium & auxilio destitutorum adiutrix. Tu portus procella vexatorum, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum susceptio, tu captiuorum redẽptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus. Tu solitariorum stabilimentum, & spes mundanorum. Tu virginum decus, corona & gaudium. Tu mundi lætitia, ó domina princeps, Regina præstantissima, & perquambenedicta, puella veneranda, dominorum domina purissima. Sub alis tuis custodi me, & protege. Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quamplurimis creatorem Deum meum & iudicem offendi, nè aduersùs me glorietur satanas exitiosissimus, nè in me exurgat execrandus inimicus meus, nè seruum tuum à tuî spe destitui cognoscam, nè calumnietur me detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia, ô Virgo syncera. Ex vlnis equidem maternis tibi, domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum: nè maleuolus satanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima mater, imploro, & aduoluor tibi, domina mea, suppliciter clamans, nè dulcis filius tuus, & vitæ omnium dator, ob multa, quæ patraui, scelera tollat me de medio, & miseram animam, ceu leo, diripiat, vel velut sterilem ficum infelicem me excidat. Sed obsecro, vt Christum meum adeam, & subeam aulas illas beatorum, vbì non sunt lachrymæ, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustiæ: sed lætitia inexhausta, voluptas iustorum, deliciæ & exul-

Iesus Christus ex sanguinib' Mariæ Virginis genitus.

S. Maria omnium salus, post & per Deũ scilicet.

Innocat sanctã Dei genitricem.

 tatio,

tatio, gloria & splendor. Imple os meum gratia dulcedinis tuæ. Illumina mentem, ô gratia plena. Moue linguã meam & labia ad laudes tibi alacri & læto animo canendas, & præcipuè melos illud Angelicum celebratissimum, quod Gabriel in Nazareth seruili habitu ad te Virginem & matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit, salutationem maximè congruam, & dignissimam, mundi salutem, cunctarumque animarum tutelam.

Angelicæ salutationis melos.

Nota hæc Epitheta matris Dei.

Dignare, Virgo, te tuum seruum laudare, & dicere: Aue Dei splendidissimum & luculentissimum vas: aue Domina Maria gratia plena: aue in mulieribus Virgo beatissima: aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodijt: aue illustrissima lux, mater & Virgo: aue, quæ mirificè Regem omnium peperisti: aue, per quam nobis Sol præclarissimus illuxit: aue Domina cunctis sublimior: aue canticum Cherubin, & hymnus Angelorum: aue pax, gaudium & salus mundi: aue generis humani lætitia: aue patrum præconium, & prophetarũ decus: aue martyrum pulchritudo, & corona sanctorum: aue piorum gloria, & in solitudine degentium hymnus: aue præclarissimum hierarcharum cælestium ornamentum: aue hymnigraphorum omnium oratio: aue præstantissimum orbis terræ miraculum: aue terrigenarum omnium delectatio: aue paradise deliciarum & immortalitatis: aue lignum vitæ, gaudium & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi salus: aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix: aue nostra periclitantium auxiliatrix: aue progenitoris illius Adam resurrectio: aue iucunda libertas: aue omnium parens: aue flos gratiæ & consolationis: aue refugium peccatorum & hospitium: aue propitiatorium laborantium: aue refugium in Hierosolymis: aue throne mei creatoris gloriosissime: aue æui splendor illustrissime & micantissime: aue spes omnium proborum, aduersis casibus afflictorum: aue cõuersorum refugium: aue virorum iuxtà mulierumque Regina & tutela: aue mundi mediatrix gloriosissima: aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix: aue Domina, sceptrum fidelibus tuis impetrans: aue gloria & lætitia omnium sacerdotum: aue Virgo solatium solitariorum: aue porta cælorum, ascẽsus omnium: aue reseramentum portarum paradisi: aue, quæ mœrores sedâsti, adornatrix omniũ: aue eadem, quæ lenijsti oppressorum molestiam: aue clauis cælorũ, & regni Christi: aue portus optime huius vitæ nautarum: aue animæ meæ spes bona & fida: aue Christianorum omnium firma salus: aue lumen præfulgens, quo mundus illustratur: aue mater Christi filij Dei viui: aue nostra genitorum protectio luculenta & gloria: aue, quæ nullo spatio compræhensum in sinu compræhendisti: aue, quæ Christum vitæ datorem educâsti, Christum pientissimum omnium creatorem, Deum, dulcem Iesum meum, altorem mundi, hominum amantissimum, omnipotentem, patrem meum, cui competit gloria, honor & potestas in secula, laus & magnificentia, cum æterno Patre & Spiritu sancto nunc & semper, & in secula seculorum.

Hæc Epitheta Mariæ Virgini secũdariò attribuuntur propter filium quem genuit.

Precibus Dei genitricis semper Virginis, & exercitûs cælestium, ac cœtûs Angelorum, Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, sanctorũ studiosorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus, miserere tuæ creaturæ, Deus mi clementissime. A dextris in hora iudicij colloca humiles seruos tuos. Nè, ô Domine vitæ author, ad opera, quæ nos mortales legem præuaricati commisimus, adspexeris: quin potiùs adspice ad mitissimam humanitatem & misericordiam tuam. Amen.

Vide quomodò sancti intercedunt pro nobis.

EIVSDEM DIVI EPHRÆM ORATIO AD SANCTISSIMAM DEI GENITRICEM.

Precatio insignis ad matrẽ Virginem.



Mmaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei sponsa, Domina nostra, quæ Deum Verbum hominibus mirifica tua conceptione conciliâsti, & rebellem humani generis naturam cælestibus consociâsti, vnica spes desperatorum, oppressorum subsidium, & ad te currentium auxilium præsentissimum, omniũ deniquè Christianorum profugium, me scelestum peccatorem, & fœdis meis cogitationibus, verbis, factis factum vilissimum, atque adeò voluptatum mollitiem animo seruili & abiecto amplexatum, nè auerseris, quæso: quin potiùs sicut humanissimi Dei mater es, ità me peccatorem humaniter suscipe, & meam sordidissimam, indignisque labijs expressam orationem admitte, necnon tuum quidem filium, meum autem herum & Deum, materna autem liberalitate volens

exora,

exora, vt mihi quoquè mitissima illa suæ pietatis viscera reseret, & posthabitis innumerabilibus peccatis meis, ad pœnitentiam me conuertat, probeque sua complere mandata concedat. Adsis mihi semper, Virgo misericors, clemens & benigna, in præsenti quidem vita feruens protectrix & auxiliatrix, hostiles impetus repellens, & me deducens ad salutem, ac in supremo vitæ momento miseram meam animam conseruans, & tenebrosos malorum dæmonum adspectus ab ea procùl abigens: in terribili autem die iudicij ab æterna damnatione me liberans, postremò inaccessæ tui filij & Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quam per intercessionem, fauoremque tuum, Domina mea sanctissima, Dei mater, te etiā atque etiam oro, assequi valeā, gratia, miseratione & humanitate vnigeniti tui filij Domini & Dei ac Saluatoris nostri Iesu Christi, cui cōuenit omnis gloria, honor & veneratio cum æterno eius Patre, & sanctissimo optimoque vitæ authore Spiritu, nūc & semper, & in secula seculorū, Amen.

SERMO EIVSDEM DIVI EPHRÆM, DE LAVDIBVS SANCTORVM MARTYRVM,
Ambrosio Camaldulensi interprete.



INSIPIENS, imperitus, rudis pictor & horridus, pulcherrimam spectatoribus proponere imaginem cupit, eamque lucentem ac splendidam cunctis ostendere, id est, sanctorum martyrum pugnā. Sed cùm dignis ea imagine coloribus careat, nec adsit manus, quæ in ea effigie lineamenta perfecta insignire valeat, quo pacto præsumet iners atque rudis excedentem virium suarū modum, imaginem, vel ornare coloribus, vel spectantibus ad intuendum proponere? Quoniam igitur suam non ignorat inertiam, neque suæ humilitatis oblitus est huiusmodi opifex, in oratione prosternitur, deprecans Dominum omnium Regem Christum, vt qui martyribus suis inter certamina donauit vires, atque inter pressuras tolerantiam contulit, vt varias astuti inimici artes, & callidum ingenium vinceret, coronamque immortalem & immarcescibilem raperēt, ipse Deus bonus, pius, sanctus, rudi artifici & imperito sapientiam, intelligentiam ac virtutem præstet, quibus imaginem pulcherrimam atque dignissimam possit erigere, sanctorumque martyrum gloriosa certamina, spectanda omnibus posthàc generationibus atque admiranda proponere: vt posteri addiscant præclaram patientiam, eximiamque constantiam sanctorum bellatorum. Fuerunt enim profectò nobilissimi & constantissimi propositi, nimiumque laudabiles. Nam cùm persecutionis sæuissimæ feruor, Christiani gregis strages plurimas daret, omnesque timidi ac fide imbecilles certare renuerent, Christumque Dei filium confiteri pœnarum metu detrectarent, fortissimi isti milites Christi instaurârunt aciem, & conserto bello summis viribus fuderunt hostem, victoriaque potiti sunt. Accincti enim lumbos suos fide integra atque perfecta, interriti Christum Dominum, ingentique constantia confitebantur. Qui verò formidine ac pauore superati, terga hosti dedêrunt, cælesti regno seipsos abdicârunt. Miseri profectò atque miserabiles, quos tepor atque socordia, tanta gloria fecit indignos.

1. Nouēbris. | Christus martyrum fortitudo & tolerantia. | Sanctorum martyrum victoria.

Stabant igitur certaminis tempore fortissimi bellatores Dei, tormenta omnia summa animi alacritate tolerantes pro nomine vnigeniti filij Dei, ac Saluatoris nostri Christi. Quàm verò strenui, quantaque laude fortitudinis prædíti fuêre, qui subiecta oculis horrenda supplicia contra se parata, non modò nihil timuerunt, verùm maiori quoquè constantia pugnantes, cuncta tolerando superârunt? Cernebant ardentem rogum, ignitas sartagines, ollasque feruentes, quæ feruore nimio guttas picis & adipis longiùs iaculabantur. Adspiciebant itèm ferratas & aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate versari. Intuebantur ferreos vngues, laminasque candentes, fustes, vectes, aculeos, terebra, cōpedes atque catenas, omnemque prorsùs artem, quam inimicus veritatis aduersùs confessores Domini Saluatoris inuénit. Omnia enim pœnarum genera in conspectum martyribus hostis callidus dedit, vt in formidinem verteret sanctos, & adspectu ipso ac terrore pœnarum, lingua non ampliùs confiteri Dominum Iesum, metu impedita, præsumeret.

Quid autem fidelissimi promptissimique bellatores Christi, inter huiusmodi ante oculos exposita horrenda, inauditaque supplicia? Promptiores effecti, maiore fiducia atque constantia indubitanter & intrepidè ante tribunalia iudicum ac Præfectorum, Christum Dominum confitebantur. Non stridens flamma, non ignitæ sartagines, non ollæ feruentes, non rotarum horrendæ vertigines, non ardentes laminæ, non vnguium dentes, non cætera id genus tormenta, non compedes, non catenarũ pondus immensum, non tyrannorum minæ, non principum fremitus, non ars tota diaboli, ministrorumque eius exterruit fortissimos milites Christi, non impulit abnegare pietatem, non à charitate Dei & Saluatoris abduxit: sed præcincti fide, concul-càrunt machinas omnes inimici, neque illos omninò formido tentauit. Vidisti seruorum fidelium robur? Vidisti gloriam pugilum Christi atque constantiam? Vidisti alacritatem ingentem, cæleste regnum tota fide quærentium, Christumque Regem suum omni affectu ambientium? Vidisti fidem perfectam veraciter perfectorum? Vidisti charitatem flagrãtem in beatissimis pectoribus martyrum, pro qua terrena cuncta spreuerunt, vt Deum suum tenerent, quem dilexerunt? Vidisti affectum Christi, quomodò à terra sublimat exaltari cupientes? Vidisti exultantem paradisum amplecti ac fouere suî quosdam auidos milites Christi, in æterna luce ac pace gaudentes?

Pœnis propositis martyres fiunt alacriores.

Accede, mî frater charissime, pertracta, considera martyrum gloriosos triumphos. Adspice oculis cordis cælestium pugilum eximiam fidem, inuiolabilemque pietatis affectum. Non valuit vis immensa pœnarum iustorum animos flectere: tam intrepidæ charitatis ardorem nec mors ipsa quiuit extinguere. Cæsi, magno cum gaudio flagrorum ictus, vt summas delicias, suscipiebant: serenaque ac ridenti facie gratias Deo referebant, quia meruerant pro ipsius nomine pati. Quibus ego vos laudibus prædicem, ô perfecti milites Christi? Aut quomodò appellem vos, inclyti atque beatissimi viri? Quis vestræ fidei laudes explicare sufficiat? Obstupuit nempe oratorum facundia, Philosophorumque sapientia, dum cernerẽt mirabilia in Christi famulis fieri. Iudicibus ac Tyrannis verba defecerunt, sanctorum martyrum constantiam & alacritatem, immensamque athletarum Christi tolerantiam adspicientibus. Nam dum lictorum manus eorum membra torquerent, visceraque nudarẽt, non mœrentes adspexêre, non tristes, nec solùm inter cruciatus gemitum non edentes, verùm lætiore facie gaudia interna testantes. Quippè illis ea erant tormenta pro requie, & carnifices obsequi potiùs, quàm sæuire, videbantur.

Verbera martyrum deliciæ illis sunt. Act. 5.

En quid efficit charitas.

Nos autem, fratres, quam, obsecro, apud Deum in die iudicij excusationem habituri sumus, qui sine persecutionis atrocitate, & cruciatibus varijs, charitatem Dei, vitamque nostram ità negligimus, ac tanto * corporis somno demersi sumus? Martyres eccè vexati, afflicti, tentati, exquisitisque tormentis cruciati, Deum ex toto corde, totaque mente dilexerunt. Nullis tentationibus, nullis, grauissimis licèt, acerrimisque, supplicijs flecti potuit tanta constantia. Nullis persequentium terroribus diuinæ charitatis ardor in sacris pectoribus quiuit obrũdi. Nos verò in requie atque delicijs, benignissimum Deum ac Dominum nostrũ diligere volumus. Quid igitur acturi, quid dicturi sumus in die illa terribili, cùm beatissimi martyres, prope solium gloriæ magna cum gloria & confidentia adstantes, ostendent cicatrices vulnerum, atrociumque pœnarum in suis corporibus lucẽtes, fulgoremque Solis sua claritate vincentes? Nos quid 'tiam ibì fratres, ostensuri sumus? Quas virtutes præferemus? Num charitatem Dei? Num inuiolabilem fidem? Num terrenorum omnium nuditatem? An fortè tranquillitatem? An quietem? Num eleemosynas? Num miserationis affectum? An mansuetudinem? An orationes mundas? An compunctionem salutarẽ? An vigilias? An lachrymas? Beatus sanè felixque est, quem illic ista comitantur. Nam erit profectò tunc martyrum socius, neque à cælesti & pleno luminis thalamo abijcietur, sed eandem habebit confidentiam coram Christo Domino & Angelis eius his operibus fretus, gloriamque nihilo martyribus inferiorem.

For.* torporis

Qui sint in caelo martyribus associandi.

Precamur, beatissimi martyres, pro Domino Saluatore, proque illius charitate spontè & impigrè tormenta subijstis, atque ideò familiariùs Domino coniuncti estis, vt pro nobis miseris, & peccatoribus, & negligentiæ squalore sordentibus, Dominũ interpellare dignemini, vt superueniat in nos gratia Christi, quæ corda nostra radio sanctæ charitatis illustret, vt ipsum toto corde diligere possimus. Vos nempe verè beati atque gloriosi estis, quos Angeli & homines pari cõsensu beatos prædicant. Nam

Inuocat sanctos martyres.

pressuræ

pressuræ tempore, cùm pœnarum dolor augeretur, vos ante mentis oculos paradisum habebatis, vobiscum ista reputantes: Multiplicentur hîc supplicia corporis, vt illic in paradiso voluptatis propagetur & requies. Cumque in altum se attolleret fluctuum montes, & moles vndarum per supplicia passionũ, beatitudo vobis à Deo repromissa iugiter versabatur ante oculos, perfectè credentibus non posse mentiri Deum, qui ista promiserat. Quoniam igitur futura illa & sempiterna bona iugiter intuebamini, certi vos eis sine fine fruituros, idcircò, beatissimi, flecti mollirique non potuit vestra constantia. Læta & exultans futurorum expectatio, fortes vos ac robustissimos fecit. Itaque horis singulis noua vobis admoueri acriora supplicia cupiebatis, neque satiari pœnis poteratis. Vidit vos truculentus arbiter securos, fidentes, intrepidos in agone persistere, nullamque pœnarum acerbitatem, nullos verberum ictus, nullas carnificum manus omninò formidare, fractasque suæ nequitiæ vires obstupuit ac doluit. Vbi verò cruciatus omnes, ó fortissimi athletæ Dei, immensa virtute vicistis, arbitrabatur insanus Iudex, per ferri metum robur vestræ constantiæ in formidinem posse conuertere, negaturosque Christum putauit, quem toto animi affectu concupistis, quique in cordibus vestris, vt in purissimo gratissimoque domicilio inhabitabat. Ignorabat amens, fore, vt ipsius gladius, qui immensos sanguinis riuos, strictus in sanctorum iugulum, fuderat, sibi inprimis pararet necem, vt ipsis pij cruoris vndis suffocaretur infelix. Aiebat autem militibus suis, victus atque confusus: Timeo ac trepido vehementer hunc sanguinem, qui de cæsorum pro Iesu Nazareni nomine ceruicibus manat. Se inuicèm hortantur ad mortem, pro ipsius confessione subeundam. Terret me tanti ipsorum cruoris effusio, neque ad momẽtum, ante tantum discipulorum Christi consensum, tantamque concordiam fidei consistere possum. Pœnitet iam me facti mei, mâllemque aduersùs eos non concitâsse principum animos. Eccè enim illorum sanguis me vndiquè exagitat. En sanguinis odor meas exoluit vires, ac nequeo penitùs illuc intendere aciem, vbì discipulorum Iesu ossa inhumata iacent.

Sancti martyres vt se cõfirmârint in pœnis.

Hæc sunt, ó formosi milites Christi, insignia vestræ victoriæ. Ista, ô athletæ probatissimi, perfectique diuini prælij bellatores, vestræ fidei ac fortitudinis præmia. Istæ vestræ victoriæ, hæc gloriatio vestra. Mors vestra perennem vobis peperit vitã. Conspexêre sapientes stragem vestram, ac in stuporem conuersa est illorum sapientia, attonitique ad alterutrum dicebant: Verè magnus est Christianorum Deus, in quem illius discipuli ita crediderunt, vt ab eius fide nullis supplicijs amoueri possint. Sæpè autem & tortores ipsi, beatorum tanta permoti constantia, Christum venerabiliter adorauerunt, factique sunt in timore Dei ac fide perfecti, tolerantia maximè martyrum & exhortationibus, quibus se mutuò in ipso ardore certaminis ad passiones tolerandas animabant, prouocati. Vidistis, fratres, diuini consensûs eminentiam? Vidistis, dilectissimi, charitatem Dei, membra sua inter labores passionesque roborantem? Nam sancti illi se inuicèm in ipso certaminis feruore ad perferendos pro fide Christi cruciatus hortabantur, pusillanimesque consolabantur, vt ipsi quoquè illorum serui vnà cum dominis in sancto certamine martyrij corona donarẽtur. Nos contrà mali atque peruersi, inuicèm inuidemus, inuicèm comedimus, inuicèm mordemus ob immanitatẽ nequitiæ nostræ. Agè igitur sanctorum martyrum esto discipulus. Si te illis in disciplinam tradas, erunt tibi præceptores optimi, discesque ab illis nulla ratione passionibus cedere: disces ab eis perfectam fidem, charitatem Dei, ingentemque miserationis affectum, ac futurorum desiderium. Hi enim ardentem rogum virtute Dei & fide perfecta vicerunt. Vince igitur & tu semper ardentes noxiæ concupiscentiæ flammas. Varios illi cruciatus tolerando superârunt, spe, quæ est in Christo, subnixi. Tu quoquè turpes omnes passiones, pudicitia & cogitatione pietatis admota, superare contende. Vicerunt illi tyrannos per modestiam & longanimitatẽ. Vince tu quoquè iracundiæ tyrannidem, eisdem armis instructus. Illi apertè martyrse fuêre: tu in occulto martyr esto perfectus. Illi palàm consummauêre certamen: perfice & tu in occulto certamẽ, vt in die retributionis cum ipsis coroneris, atq; in cælesti regno illorũ gloriæ socius inueniaris, atque vnà sempiterno gaudio fruaris.

Insignia victoriarum martyrum Christi.

Charitas & mutua consensio martyrum.

Nota hæretice.

Nunc igitur ó beatissimi viri, ô gloriosissimi martyres Dei, me miserum vestris iuuate precibus, vt in illa hora misericordiam consequar, quandò manifesta erunt occulta hominum. Vt pincerna inutilis ac rudis vobis effectus sum, ó sanctissimi martyres. De vino vestri certaminis inclyti, filijs ac fratribus fidei vestræ poculum tradidi.

Eccè quomodò sancti pro nobis orant.

De præclara mensa vestræ victoriæ, omnigenis instructa epulis, patres ac fratres, propinquosque vestros, quotidiè mensam vestram adeuntes, toto animi affectu recreare contendi. Nam eccè psallunt, Deumque cum exultatione glorificant, qui virtutis vestræ sacratissima capita cælestibus coronis honorauit, summoque cum gaudio circunstant certaminis vestri reliquias, benedici cupientes, ac secum referre sancta animæ corporisque remedia. Omnes ergò benedicite, vt boni discipuli benignissimi Domini & Saluatoris nostri. Ego itèm imbecillis, accepto vestris meritis ac precibus robore, cecini tota deuotione animi ante sanctas reliquias vestras hymnum vestræ laudis & gloriæ. Pro me igitur misero ante thronum maiestatis assistite, vt vestris precibus saluari merear, ac vobiscum æterna beatitudine perfrui, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui est cum Patre & Spiritu sancto honor & gloria in secula seculorum, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

1. Nouēbris.

Festiuitas omnium Sanctorum celebris.



HODIE dies serenior arrisit nobis, & Sol solito lucidior terris illuxit. Non enim vnus, sed vniuersi sancti sanctificant eam, & splendoribus irradiant luminosis. Spectabilis illa cælorum solennitas, quæ non annuis, sed continuis gaudijs inclarescit: vbi lumen videtur in lumine, & ipsius Trinitatis substātia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur. Ibì cognoscitur Gignentis, Genitique, & Procedētis ratio sempiterna, quæ hîc credi potest, compræhendi nō potest. Illic Regina virginum virginibus innumeris comitata, mansiones perambulat Angelorum, & vtrisque naturis gloriam eius admirātibus dicit: Quid me admiramini? Diuinum est mysterium hoc, quod cernitis: diuinum profectò, non humanum, nec humanis vnquàm rationibus compræhensum. Ibì numerosus Angelorum exercitus sacratis diuisionibus insplendescit, & volitatorio delectatus obsequio, non velat, sed reuelat Domini maiestatem. Illic Patriarcharum electio primitiua, reuerenda societas Prophetarum, gloriosus Apostolorum chorus, purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida Confessorum, candida Virginum turma, Monachorum numerus infinitus. Sedet in medio Dominus virtutum, & de refusio-
Psal.35. ne gloriæ suæ inebriat intuentes. Inebriabuntur nanque, ait Propheta, ab vbertate domûs tuæ. Ibì pax secura, requies voluptuosa, vita perpetua, sapientia mentis, agi-
Psal.83. Psal.86. litas corporis, cordis illuminatio. Beati qui habitant in domo tua, Domine. Sicut læ-
Psal. 41. & 42. tantium omniū habitatio est in te, ciuitas Dei: & in plateis tuis vox exultationis dulcioribus modulis intonatur. Quarè tristis es, anima mea? & quarè conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Confitebor illi, ibì: nam hîc stadium, illic præmium: hîc pugna, ibì corona. Vanum est ante lucem surgere. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procùl abstrahendus, & vtriusque substantiæ materia repurganda, si ad proprios ortus volumus euolare. Amanda est interim tenuitas paupertatis, sermo suspendendus amarior, elatio fugienda, sustinendi labores, cum vitijs congrediendum, eliminandæ diuitiæ seculares.

Psal.24. Hoc est, quod ille pauper & vnicus, in hodierna sancti Euangelij lectione paupe-
Matth. 5. ribus, quos de mūdi paupertate vocauerat, ait: Beati pauperes spiritu. Hæ sunt octo, immò septem beatitudines, quia octaua eadē, quæ & prima. Felicissimi gradus, quibus itur ad Dominū, quos omnes in persona sua priùs ascendit, qui ascēdit in montem, & aperuit os suum, vt docerēt discipulos suos. Deniquè quis pauperior illo, qui
Matth.11. non habuit, vbi caput suum reclinaret? Quis illo mitior, qui mitis est & humilis corde? Qui videns ciuitatem, fleuit super illam, fleuit Lazarum, iustitiam docuit, iustiti-
Iohan.8. am fecit, in cuius ore non est inuentus dolus? Quis illo misericordior, qui mulierem
Luc.7. adulteram liberauit? Peccatricem sanauit septē dæmonibus cumulatam? Quis mundior illo, qui peccatum non fecit? Pacificare venit & quæ in cælis, & quæ in terris: pacem reliquit discipulis suis, persecutionem pro iustitia passus est, flagellatus in car-
1. Iohan.2. ne, suspensus in Cruce, morte turpatus. Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Canta ergò canticum graduum, & gradatim ascende,

de, nec præpropero saltu aliquem prætermittas: quia qui offenderit in vno, factus est omnium reus. Iacob.2.

Sis ergò pauper spiritu, nec putes hunc primum gradū leuiter attingendum, cùm multę solicitudinis sit, mundum & mundana relinquere, & à consuetudinario cursu cor, corpus & studium reuocare. Qui enim pauper est spiritu, vilitate gaudet, humilitatē amplectitur, desideria terrena conculcat. Sed quia illa paupertas execrabilis est, quę regio spiritu intumescēs, discordias seminat, inseruit litibus, detractorijs sermonibus iucundatur: euolandū est ad secundi gradûs sublimitatem, vt sis mitis. Mitis est, qui nulli reddit malū pro malo. Læsus veniam petit, & benefacit lædentibus. Nec plenam iactet victoriam, quisquis huc fortasśis asscendit, cùm sit omni lachrymarū fonte plangendum, quòd tandiù luto & lateri sub Pharaonis seruierimus potestate: & ideò Beati qui lugent. Luctus autē sanctorū non est de diminutione rerum, de corporum infirmitate, de ferocitate sublimioris potestatis: lugent enim peccata vel propria, vel aliena, ruinam mundi, detrimentū fidei, contemptum iustitię, abundantiam iniquitatis, dilationē Regni. Nec hîc consummationis terminus imponendus, cùm perfecta iustitia sit diligere proximū, sicut seipsum, & eius excessus libera discretione, & discreta redarguere libertate. Qui enim pro persona, quam gerit, non resistit peccātibus, de suo se nouerit silentio esse damnādum. Esurit ergò & sitit iustitiam, qui vitia destruit, construit virtutes, sobrius sibi, iustus proximo, pius Deo. Cuius animam vrit zelus domûs Dei: qui cantat cum iusto: Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Sed quia secundùm vocem Oratoris, plerunquè summum ius, summa malitia est, & inconsiderata iustitia pręcipitium parturit, ideò sequitur: Beati misericordes. Misericordia est speciosum humanę naturę ornamentum, cuius expers malè degenerat, & hominem diffitetur. Est autē vera misericordia, cùm superexaltatur misericordia iudicio, cùm vel largitate substantię, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, proximi corpus & animam refouemus. Cùm autē iam à claritate in claritatē sic cœperimus ambulare, à claritate cordis nostri ad clarificandum cor proximi, mūdandi sumus ab omni inquinamēto carnis & spiritûs, ab omni huius mundi adspersione purè presseque tergendi, sicut subiungitur: Beati mundo corde. Quis gloriabitur castum se habere cor? Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Quis cognoscet illud? Difficile est illud mundare, cùm in suis abditis delitescens, irruentium recipiat agmina cogitationum, plurimùm etiam renitentibus nobis, sed nequaquàm obniti valentibus. Ille igitur mundum cor habet, qui vtriusque hominis motibus mitigatis, passiones non modò reprimit, sed ignorat, naturali cursu bonorum operum communitus, crucifixus mundo, & cui crucifixus est mundus. Pauci autem, quibus se infuderit tantæ gratiæ plenitudo. Quicunque autem illi sunt, iam sunt prope palmam supernæ vocationis, si pace, qua refecti sunt, pacificare studeant dissidentes, & dicere cum Propheta: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Idcircò subinfertur: Beati pacifici: non solùm pacati, sed pacifici, facientes pacem, concordiæ semina seminantes. Sed quia sæpiùs vel adulatione potentium, vel amore temporalium, iustitiam aut dimittimus, aut non defendimus dimissam, ad metam cursûs porrigenda est dextera, vt pro iustitia non solùm nostra, sed & alterius, persecutionem patiamur, & resistamus vsque ad sanguinem, vel vsque ad mortem. Et hoc est, quod subsequitur: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Post hæc autem quid? Hîc adhæremus Domino, & vnus cum eo spiritus efficimur. Hîc disrumpitur nubes, & transit oratio. Hîc reuelata facie gloriam Domini speculamur. Hîc dulcedo spiritûs, cordis suauitas, iubilatio mentis. Beatus populus, qui scit iubilationem.

[Margin notes: Pauper spiritu quis sit. — Mitis quis. — Luctus sanctorum. — Perfecta iustitia quæ sit. — Psal.118. — Vera misericordia. — Prou.20. Iere.17. — Mundicordes qui. Gal.2. — Psal.119. — Item pacifici. — Veri martyres qui. — Psal.88.]

Videamus, si fortè aliqua sermonis consequentia beatitudines istas septē donis sancti spiritûs possimus assignare. Paupertatē spiritûs generat timor Dei, qui pungit animam, & sanguinem elicit, & cogit nos quærere medicinam. A timore tuo, Domine, concepimus, & parturiuimus, spiritum salutis fecimus super terram, hoc est, spiritum paupertatis: dicit Esaias Propheta, immò per Esaiam Dominus. Hic facit nos mundana vel relinquere, vel non concupiscere, clauus clauum expellens, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritûs. Pietas autem mites facit, dum nos dulciori spiritu superfusos, ad mansuetudinis thalamum introducit. Qui enim efferati sunt superbia, sublimes in oculis suis, ardentes inuidia, inuicèm mordentes, & inuicèm consumpti, quomodò mitigatoria possunt indui pietate? Porrò scientia luctum

[Margin notes: Timor Domini. — Esa.26. — Pietas. — Scientia.]

parit. Scimus enim, quia singularis scientia est, recogitare annos nostros in amaritudine animæ nostræ, & multiplicibus lachrymarum riuulis propria deflere delicta. De fortitudine verò nascitur fames & sitis iustitiæ, cùm virium sit non paucarum, pro libertate iustitiæ mori, nedùm loqui, & vbì Deus in causa est, nec allici blanditijs, nec terrore moueri. Consilium autem misericordiam parit, cùm summa totius consilij sit, consulere omnibus, & infirmitates tam animarum, quàm corporum, benigna manu misericordiæ subleuare. Munditia cordis ab intellectûs puritate descendit, qui cordis receptacula purgat, & latebrosos eius affectus acutissima circunspectionis falce succidit. Porrò pacificus ab ipsius Sapientię nascitur summitate, conformis illi Sapientiæ, quæ precio sanguinis sui & terram pacificauit, & cælum.

Fortitudo. Consilium. Intellectus. Sapientia.

Septem petitiones orationis Dominicę.

Fortasśis etiam, si diligentiùs perscrutemur, septem petitionibus, quæ in oratione Dominica continentur, eas iterùm concatenare poterimus. Illi etenim de timore Domini paupertatem spiritûs amplectuntur, qui volunt vt sanctificetur in eis nomen Domini, & dicunt cum Psalmista: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum. Qui verò sunt mites, nisì quos pietas imbuit, qui cum patientia & mansuetudine frequenter postulant, vt adueniat regnum Dei, cupientes dissolui, & esse cum Christo? Quorum vniuersitati sanctus eructuat, dicens: Expecta Dominum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: terra enim viuentium promittitur possidenda. Qui autem lugent, nisì quos instruit scientia salutaris, qui piarum vndis lachrymarum voluntatem Dei volunt fieri sicut in cælo, ità in terra: sicut in Angelis, ità in hominibus? Porrò fames & sitis iustitiæ, de mentis fortitudine generatur, quæ quotidianum panem ab ipsis Dei manibus quærit, panem illum videlicet, qui cor hominis confirmat. Qui etiam misericordes sunt, nisì qui pro facultate consulunt omnibus, & audaci conscientia pactum faciunt cum Deo, dicentes: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Mundum autem cor non nisì lucidissimus percipit intellectus, qui non inducitur in tentationem, rogans à patre luminum, non vt tentetur, sed vt non inducatur, excutiens latrocinantium turmas negociorum. Pacificatio verò à sapientia ipsa descendit, vbì liberamur à malo, & ab omnium iniquitatum mundamur influxu. Hæc sunt septem beatitudines, septem dona, septem petitiones, septem candelabra, septem lucernę, septem infusoria, septem spicę, & si qua sunt alia, quæ in arce septenarij numeri, scripturarum consecrauit authoritas.

Psal. 85. Psal. 36. Psal. 103.

Adolescentulus ego ausus sum totam lectionis huius seriem explanare, illorum rogatus, immò compulsus precibus & præcepto, quibus nec velle, nec posse fuerat obuiare. Sed vt præsenti solennitati aliquantulùm insistamus, fauorabili & mellita dulcedine redundans tanta festiuitas est, in qua laudem dicunt Deo omnes sancti eius, & totus orbis clara voce resultat. Isti sunt aduocati, quos apud Iudicem habemus. Pro quo isti intercesserint, sententiam non timet capitalem. Confugiamus ergò ad probata suffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum: quia maior est illorum pietas, quàm impietas nostra. Consiliarij sunt Regis nostri, & ipsius iræ sæpè resistunt, nec nos deserunt in tempore malo. Sciunt enim, vbì nos reliquerint, quantis hostium insidijs pateamus. Suspiremus igitur ad illorum memoriam, vt protegant nos sub vmbra alarum suarum, donèc transeat iniquitas, & perducant nos ad sponsum Ecclesiæ, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

Sancti aduocati nostri apud Christum Iudicem & consiliarij.

HISTO-

HISTORIA S. BENIGNI PRESBYTERI ET MARTYRIS, EX QVODAM SANE ANTIQVO MS. CO-

dice, per F. Laurentium Surium, mutata nonnihil, vbi expedire visum est, stylo descripta. Consentiunt vetustissima Martyrologia, nisi quòd à Terentio Comite eum omnia pertulisse aiunt.



EODEM tempore * Aurelius Imperator ad castrum, quod Diuionem vocant, aduénit, vt videret muros nouos, quos illic construxerant. Cumque fuisset ingressus, ait: Benè muros hos constructos video. Aedificate nunc templum Ioui, Mercurio & Saturno, nec patiamini vllum, qui se Christianæ legis affirmat, in locis istis residere, nè eorum vana religione populus noster euertatur. Audiens hæc Terentius Comes loci illius, ait: An Christianus quispiam hîc sit, inuictissime Imperator, nos non nouimus. Vidi autem quendam hominem peregrinum capite tonso, cuius habitus differt ab habitu nostro, vitaque eius nostræ dissimilis est, deorumque cæremonias refutat: populum nostrum abluit aqua, & balsamo linit: signa multa in populo facit, nouum Deum patriæ nostræ annunciat, & post mortem aliam vitam illi Deo credentibus promittit. His auditis, Aurelius, Quantùm audio, inquit, hic, quem dicis, Christianus est. Inquirite eum, & alligatum in conspectum meum perducite. si enim hunc dimiserimus, magnum malum regioni nostræ accedet, & deorum nostrorum despectio existet. Non enim placet dijs nostris ista conuersatio, nec miscetur lex Christianorum legibus deorum nostrorum: sed vbi dijs nostris ostensum fuerit signum illius Crucifixi, ilicò tabescunt & fremunt dentibus, nec signum illud intueri sustinent.

1. Nouēbris Codex habet, * Aurelianus, sed mendosè, vt facilè in talibus accidit.

Eccè antiquitatem sacræ vnctionis in baptismo.

Eccè quàm olim etiam ethnici nouerūt, Crucis signum formidare dæmones.

His ab Aurelio dictis, Terentius Comes inquiri iussit sanctum Benignum: cumque repertum in villa, cui nomen est * Spaniaco, vbi verbum Dei gentilibus prædicabat, vinctum ac cæsum in conspectu Aurelij exhiberi præcepit. Eo viso, Aurelius ait: Crucicola, si quidem Christianæ legis te profiteris esse doctorem, me persecutorem habebis. Quòd si ad interrogationes meas non lacinioso sermone, nec verborum argumentis, sed antiquæ legis & sacrificijs deorum offerre nolueris, diuersis te pœnis interimi iubebo, & non eripiet te de manibus meis Christi tui auxilium. Sanctus Benignus respondit: Sacratissima vox Christi est, vbi ait: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Aurelius ait: Ex qua regione es, & quod est tibi nomen? Sanctus Benignus respondit: Ab Oriente venimus ego & fratres mei, quos tu iam occidisti, à sancto Polycarpo missi, vt verbum Dei & nomen Christi incorruptum gentilibus prædicemus: vt lux, quæ illuminat omnem hominem, id est, Christus de cælo missus, omnibus innotescat. Aurelius ait: Si sermonibus meis obtemperaueris, magnum te sacerdotem deorum meorum constituam, & muneratum ex ærario publico, primum te in meo palatio esse iubebo. Sanctus Benignus respondit: Aurum & argentum tuum tecum consletur in perditionem, lupe rapax: primatum aut sacerdotium à te promissum non accipio, quia interitus æternus est, & damnatio plenissima. Me verò non abduces à Christo, cui ego seruio, qui est verbum patris, & vita, & lux inenarrabilis, margarita splendens: qui est à patre missus cælitùs, credentibus annunciatus: qui in se credentibus vitam tribuit æternam. Ipse est, qui venturus est iudicare viuos & mortuos: tuamque deteget insaniam, qua in Christi seruos debacharis, & tum, velis nolis, eum, quem negas, esse scies Deum tuum & omnium gentium.

Locus obscurus & mendosus.

Matth.10.

Iohan.1.

S. Benignus contemnit tyrāni promissa.

Hæc vt audiuit Aurelius, neruis durissimis eum cædi præcepit, dicens: Nisi hodiè sacrificauerit, diuersis eum pœnis affligite. Cumque Terentio Comiti traditus fuisset, ad trochleas extensus est, & cùm cæderetur, ait: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, quòd propter nomen tuum hæc pati merui. Præsta Rex gloriæ, vt sustineam omnem pœnam, quam iniquissimus Cæsar me pati vult. Cùm ergò cæsus esset, & carceri mancipatus, Angelus eum confortans adeò pristinæ reddidit sanitati, acsì prorsùs nihil læsus fuisset. Altera die Aurelius suis eum iussit conspectibus præsentari,

Cæditur neruis.

sentari, & ait: Benigne, sacrificas dijs, an non? Sanctus Benignus respondit: Non sacrifico. Agnosce miser, quòd dij tui nihil sunt: qui signum authoris nostri Iesu Christi si viderint, statim tabescent. sunt enim idola surda & muta: neque vident, neque audiunt, neque ambulant, neque gressus habent. similes autem illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Tibi verò quomodò subuenient, qui sibi subuenire non possunt? Tunc iratus Cæsar, ad fanum eum quoddam adduci præcepit, & inuito carnes immolatitias in os ingeri, persuasum habẽs, si eas carnes comederet, deincèps eum talia minimè locuturum, sed deos illum suo seruitio adhibituros. Cum autem id fieret, ille signo crucis contra illas carnes edito, cordeque sursùm suspenso, & oculis in cælum sublatis: Domine Iesu Christe, ait, mundi instaurator, destructor dæmonum, lux æterna, adspice in hac hora, vt confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & gloriantur in simulacris suis, & sciant, quia tu es Deus æternus. Cùm hæc dixisset, & Crucis expressisset signum, mox idola omnia lignea & lapidea, & vasa, in quibus sacrificia offerebantur, instàr fumi euanuerũt. Tum verò sanctus Benignus gaudio magno affectus, ait: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quòd me sacrificijs mutis contaminari non sinis. ad Aurelium autem dixit: Agnosce miser, quò redactæ sint effigies deorum tuorum, vt ad signum salutis euanuerint. Cognosce infelix creatorem cæli & terræ. Aurelius ait: Et tu cognosce Benigne, vt dij nostri tuam cupiant facere voluntatem. Si tu illis velis præbere assensum, magnum te apud nos videbis. Sanctus Benignus respondit: Stultum habes cor, nec oculis vides, quanta sit virtus Christi, quæ deos tuos sic comminuit. Iam dixi tibi, diabole, auctor criminum, me non seruire dijs tuis, nec dæmonum simulacra adorare.

Psal. 113. & 135. *Nota vim signi Crucis.*

His verbis commotus iniquissimus Imperator, in carcerem eum includi præcepit, & grande saxum idemque perforatum adduci, atque illi pedes eius plumbo liquefacto inseri, & in digitos manuum eius calentes subulas in longum defigi, atque per sex dies nullum ei nec cibum nec potum prẹberi: porrò etiam includi cum eo duodecim canes sæuissimos, fame & siti affectos, vt ab illis discerperetur: carcerem quoquè custodiri à militibus. Itaque subulas acutissimas in manus eius infixerunt, & in lapide plumbo liquefacto, vel remisso pedes eius incluserunt, canesque ferocissimos cum illo in carcere incluserunt. Cùm autem ad carcerem duceretur, ait: Audite me Comites & tribuni: credite in Iesum Christum redemptorem nostrum, quia ipse spes & salus est in se credentium, vt deleantur peccata vestra. Ipse est lux mundi huius, cuius odòre mortui reuiuiscunt, cuius tactu confortantur infirmi, cuius gloria implet cælos, misericordia replet terram. Ingressus verò in carcerem, per sex dies illic mansit, orationi vacans: Angeloque eum conseruante, canes mansuefacti sunt, ità vt nec pilum capitis eius, nec fimbriam vestimenti attingerent. Idemque Angelus Domini ei alimentum, id est, panem cælestem præbuit, & discutiens subulas de manibus, & plumbum à pedibus eius, Accipe, inquit, Christo dilectissime. Ille verọ accipiens panem, gratias egit, & manducauit. Sexto die Aurelius ait ad suos: Aperite carcerem, & videte num sit à canibus dilaceratus, néc ne. Aperta itaque custodia, inuenerunt eum ità illæsum, & tam integrum, vt ne vna quidem plaga in eius corpore apparéret. Quod cùm Aurelio renunciâssent, ille ait: Vecte ferreo collum eius in ipso carcere contundite, & lancea militis vitam ei crudeliter extorquete, nè vel nobis, vel dijs nostris pergat irrogare iniuriam. Id cùm factum esset, columba niuea ex carcere à Christianis euolare visa est vsque ad nubes, satis indicans, preciosam martyris animam ad cælos proficisci. Tantæ autem suauitatis odor eorum compleuit nares, vt in Paradiso sibi versari viderentur. Postquàm autem Aurelius indè recessit, Leonilla beatissima matrona nutu Dei eò veniens, sanctum corpus aromatibus condiuit, & non longè ab ipso carcere condidit in sepulcro: vbi multis se virtutibus & miraculis manifestè declarauit. Acta sunt hæc circa sanctum Dei Benignum presbyterum Calendis Nouembris, regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Truditur in carcerem. *Vide dira supplicia.* *Angelus eũ tuetur, & cibum ei præbet.* *Migrat ad Dominum.* *Miracula, ad sepulcrũ eius.*

DE

DE HOC EODEM MARTYRE HABENTVR QVEDAM IN PASSIONE TERGEMINORVM MARtyrum, *quæ est Tomo 1. die 17. Ianuarij. Extant etiam nonnulla apud S. Gregorium Turonensem, in laudem Martyrum, Cap. 51. quæ hic subijcere visum est.*

BENIGNVS autẽ Dominici nominis testis, apud Diuionense castrum martyrio consummatus est. Et quia in magno sarcophago post martyrium conditus fuit, putabãt nostri temporis homines, & præsertim beatus Gregorius Episcopus, ibi aliquem positum fuisse gentilem. Nam rustici vota inibi dissoluebant, & quæ petebant, velociter impetrabant. Ad hoc ergò beati sepulcrũ quidam, dum exindè multa beneficia perciperet, cereum detulit: quo accenso, domum redijt. Puerulus enim paruulus hæc obseruãs, illo abeunte, descendit ad tumulum, vt ardentem cereũ extingueret & auferret. Quo descendente, ecce serpens miræ magnitudinis de alia parte veniens, cereum circuncingit. Puer autem timens, sursùm redijt: & bis aut tertiò cereum auferre tentans, obsistente angue non potuit. Talia & his similia beato pontifici nunciata, nullo modo credebat, sed magis, ne ibidem adorarent, fortiter testabatur. Tandem aliquãdo Dei martyr beato se confessori reuelat, & dicit: Quid agis, quòd non solùm tu despicis, verumetiã honorantes me spernis? Ne facias, quæso, sed tegmen super me velociùs præpara. Itèm miracula ad sepulcrũ eius. Sancti honorandi & inuocandi.

De qua ille visione concussus, beatũ sepulcrum adit, ibiq; diutissimè pro ignorantia cum fletu veniam deprecatur. Et quia crypta illa, quç ab antiquis inibi transuoluta fuerat, diruta erat, rursum eam beatus pontifex reædificauit, eleganti transuoluens opere: sed sanctum sepulcrum, nescio qua causa faciente, foris euenit. Quod ille intùs transferre cupiens, conuocauit ad hoc obsequium Abbates atque alios religiosos viros. in quo conuentu grande miraculum beatus martyr & populis, & suo præstitit confessori. Erat quippè validum, vt suprà diximus, illud sarcophagum, vt tale in isto tempore nec tria paria boum trahere possint. Cumque diutissimè morarentur, nec inuenirent qualiter ipsum intùs inferrent, sanctus Gregorius illuminatis cereis, cum grandi psallentio appræhensum à capite martyris sarcophagum, & duo presbyteri ad pedes mouentes, illud in cryptam habilissimè detulerunt, & vbi ipsis fuit placitum, composuerunt: quod non minimum populis spectaculum fuit. Post paucos autem annos ab euntibus in Italiam, passionis eius historiam allatam beatus confessor accepit. Sed & deinceps sanctus martyr multis se virtutibus manifestauit in populis. Nec moratus, super cryptam illam basilicam magnam iussit ædificari. Sarcophagũ neutro genere. Nota de cereis ardentibus.

In proximo autem est & alia basilica, in qua Paschasia quædam religiosa veneratur. Nam visum est eo tempore structoribus, quandam anum egressam fuisse ab ipsa basilica, nigra veste, cygneo capite, vultuque decoro, quæ sic affata est structores: Eiã dilectissimi, perficite opus bonum: eleuentur machinæ, quibus erigitur hæc structura, & meritò acceleratur, quæ talẽ habet executorem. Nam si permitteretur, vt vestrorum oculorum acies contemplaretur, nempe videretis vobis operantibus sanctum præire Benignum. Hæc effata, basilicam, de qua egressa fuerat, ingrediens, nulli vltrà comparuit. Autumabãt enim eius temporis homines, beatam ibi apparuisse Paschasiam. Super lapidem verò illum, in quo cum plumbo remisso pedes eius confixi fuerunt, factis loculis vinum aut siceram multi infundunt: vndè si aut oculi lippitudine grauati, aut quælibet vulnera fuerint peruncta, protinùs fugata infirmitate sanantur. Quod ego euidenter expertus sum. Nam cùm mihi nimia lippitudine oculi grauarentur, ex hoc sacro vnguine tactus, dolore protinùs carui. S. Paschasia apparet quibusdam. Nota lector virtutem sacri loci & vnctionis.

Cum autem ad Aruennam regionẽ lues illa inguinaria adueniret, quæ sancti Galli Episcopi oratione depulsa est, & in subita contemplatione parietes domorum atque ecclesiarum signarentur atq; caraxarentur, matri meæ apparuit in visu noctis, quasi vinũ, quod in apothecis nostris habebatur, sanguis esset effectus. Cui lamentanti ac dicenti: Væ mihi, quia & signata est plagæ domus mea: ait ei vir quidã: Nôsti, inquit, quòd postridiè, quod erit in Calendis Nouembris, passio Benigni martyris celebrabitur? Nôui, ait. Vade, inquit, & vigila totam noctem in honore †, ac reuoca Missas, & liberaberis à plaga. Expergefacta autem à somno, impleuit quç sibi fuerant imperata: signatisque vicinorum domibus, domus nostra inuiolata permansit. † eius, deesse videtur.

MAR-

MATYRIVM S. CAESARII DIACONI, EX VETVSTIS SANE LIBRIS MS. PER F. LAVR. SVRIVM *presſiùs deſcripta. Suffragantur antiquiſs. Martyrologia.*

Nouẽbris 1.



TEMPORE illo, quo Claudius necauit gladio matrem ſuam, furore arreptus, toto orbe Romano edicta propoſuit, vt quicunque deos colere nollent, aut acerrimis ſubderentur pœnis & ſupplicijs, aut ſolita offerrent ſacrificia. Erat tum Taracinis, quæ eſt Campaniæ ciuitas, Firminus pontifex. Is ſatanico impulſus ſpiritu, hortabatur ignaros & veri Dei notitia deſtitutos, vt pro ſalute reipublicæ nomen ſibi immortale compararent crudelitate & audacia. Proponebat autem eis delicias & ornamenta, vt ijs ineſcati, cum equis phaleratis & armis militaribus è monte ſe in mare præcipitarent, tanquàm hoc crudelitatis genere patriam expiaturi. Et id quidem faciebat ille quotannis Calendis Ianuarijs pro ſalute reipublicæ & principum, & in laudem eorum, qui Taracinis morabantur. Erat autem in vrbe illa iuuenis formoſus, Lucianus nomine, qui delicijs & laſciuijs diffluens, ad Calendas Ianuarias huic præcipitio deſtinabatur.

Firminus dæmonum pōtifex qd perſuaſerit quibuſdam.

Eum iuuenem conſpicatus Cæſarius Diaconus, qui tum ex Africa reuertebatur, ſciſcitatus eſt ex ciuibus, quid ſibi vellet ille ornatus. Reſponderunt illi: Sic ille ornatus eſt in ſuum exitium. Et Cæſarius: Per Deum, inquit, omnipotentem vos adiuro, vt huius rei mihi rationem explicetis. Reſponderunt ciues: Ad ſex vel octo menſes nutritur hìc quiſpiam pro illius voluntate. Ijs exactis menſibus, armatus & ornatus aſcendit in montem, & pro ſalute reipublicæ, & principum ciuiumque ſalute, atque vt immortale ſibi paret nomen, cum equo ſe agit è monte præcipitem. Eius verò cadauer honorificè admodùm colligitur, & ad templum Apollinis perductum concrematur, cinisque eius in templo pro ciuium & reipublicæ ſalute reconditur. Hæc vt audiuit Cæſarius Diaconus: O vos infelices, inquit, & miſeros, qui hominum innoxiorum animas offertis dęmonibus, neque hìc, neque in futuro ſeculo vera vita potituri. Deindè latuit ea in vrbe vſque ad Calendas Ianuarias apud quendam Chriſtianum Dei ſeruum, in precibus & vigilijs cum illo ſeruiens Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Vide morẽ planè barbarum.

Vbì ventum eſt ad Calendas illas, ciues ad templum Apollinis conuenêre, Lucianumque iuuenem ſpecioſiſſimum adduxerunt, vt offerret ſacrificium. Obtulit ergò porcam pro ſalute ciuitatis & ciuium. Id cernens Cæſarius Diaconus, exclamauit: Viri ſapientes, cur tanto vos ſcelere obſtringitis? Itáne æquum vobis videtur, hominem innoxium pro vita veſtra in mortem præcipitare? Oblato ſacrificio, iuuenis Lucianus conſcendit equum, & furoris quodam œſtro percitus, vbì in montem peruénit, indè ſe præcipitem dedit, & mortuus eſt. Rursùs ergò exclamans Cæſarius Diaconus: Væ reipublicæ, inquit, & principibus eius, qui lætantur alienis cruciatibus, & ſanguine fundendo paſcuntur. Quid ità perditis animas impoſturis & perſuaſionibus malorum dęmonum? Hęc dicentem illum Firminus pōtifex iuſſit ſummo ſtudio compræhendi, & in cuſtodiam publicam abduci. Porrò corpus Luciani collegit, & pro more in templum Apollinis importatum combuſſit, templumque ſacrificijs ornauit. Indè poſt dies octo Luxurius, vir primarius eius ciuitatis, & Firminus pontifex Cęſarium Diaconum è cuſtodia in forum adduxerunt: rogáruntque Leontium conſularem, qui per id tempus in Fundana ciuitate erat, vt Taracinas veniret. Ei venienti, triduana inedia maceratum Cæſarium in ipſo foro tradiderunt. Is verò per præconem ſciſcitatus eſt ex Cæſario, quis vocaretur. Reſpondit ille: Cæſarius peccator vocor, Diaconus immeritus. Leontius conſularis dixit: Seruus es, an ingenuus? Cæſarius reſpondit: Seruus ſum Domini mei Ieſu Chriſti. Leontius conſularis dixit: Audiſti, quid iuſſerint Imperatores? Cæſarius Diaconus reſpondit: Iuſſa illorum ego neſcio. Leontius conſularis ait: Vt ſacrificium offeras dijs immortalibus. Cæſarius dixit? Planè iuſſerunt illi, vt infelices. Leontius conſularis ait: Quid ità? an quia pro ſalute reipublicæ? Cæſarius reſpondit: Illa ſalus, non niſì exitium eſt. Leontius conſularis dixit: Et tamen omnibus ſalutifera eſt. Cæſarius ait: Et quænam illa ſalus eſt,

Lucianus quidam pro ſalute vt putabat patriæ è monte ſe præcipitat.

S. Cæſarius in cuſtodiã ducitur.

est, qua sic intereunt homines, vt vitæ compotes esse non queant?

Leontius Consularis dixit: Fac, quod dico, & sacrifica dijs, alioquì mox daturus pœnas. Cæsarius Diaconus respondit: Pœnæ tuæ nihil me mouent: sed vos illa ęterna supplicia mouebunt, quæ sine fine persentietis. Leontius Consularis dixit: Eamus vsque ad Apollinis sacratissimum templum. Ductus est autem Cæsarius vinctus, & quidem nudus ante carpentum Leontij: cumque templo appropinquaret, in medio militum dixit: Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui es in æternum: tibi omnia cognita sunt: noli me derelinquere, sed respice in seruum tuum sperantem in te. Hoc cùm dixisset, subitò corruit templum, & pontificem Firminum oppressit. Tum verò accurrens Luxurius primus ciuitatis, Audione, inquit, Consularis perfidum hunc Cæsarium magica carmina promentem? Leontius Consularis respondit: Et nos id scimus: versusque ad Cæsarium Diaconum: Hodiè, inquit, in te exardescet ira mea. Cæsarius Diaconus ait: Ego verò neque te, neque principem tuum timeo. Vt enim dixisti, ira tua hodiè exardescet, & cràs euanescet: cumque mortui fueritis, nihil vlteriùs eritis. Exclamans autem Luxurius, dixit: Audis hunc in principum iniuriam verba iactantem, & adhuc cessas eum tollere è medio? Leontius Consularis respondit: Et quanam pœna mulctandus est? Luxurius ait: Conuocetur vniuersa ciuitas ad templum, vbì suam magiam exercuit. Id cùm factum esset, eiecto Firmini pontificis cadauere, ità ad populum locutus est Luxurius: Videtis perfidum hominem, qui nec deos timet, nec principem: qui pontificem extinxit, & incantationibus suis antiquitatis euertit templum?

Cæsarius nudus & vinctus ad templũ trahitur.

Ad preces eius templũ corruit, & Firminum opprimit.

Exclamans autem Cæsarius Diaconus, ait: Aequum'ne est, fratres, hominem potiùs timere, quàm rerum omnium præpotentem Deum, humanoque sanguine vestram expiari vrbem? Admoneo igitur vos, vt agatis pœnitentiam ob effusum innocentum sanguinem, credatisque in Christum filium Dei, cumque timeatis. Exclamauit omnis populus: Bonus homo iusta loquitur. Tum verò Luxurius eum è populo eductum, rursùs in carcerem coniecit, vbì fuit annum integrum & mensem vnum. Deindè iussit Luxurius eum è carcere produci, missaque ad Leontium legatione, perquisiuit ex eo, quo pacto eum necandum censeret. Prodijt autem è custodia beatus Cæsarius, macie cõfectus & nudus, sed capillis suis tectus. Angelus enim Domini nocte ac die custodiebat eum. Adductusque in medium forum, ait ad milites, qui eum catenis vinctum tenebant: Quæso, parumpèr me relaxate, vt gratias agam Domino meo Iesu Christo, qui me dignatus est adiungere seruis suis. moxque humì se abijciens, adorauit Dominum, ità dicens: Domine Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, ostende nobis misericordiam tuam. Eadem hora corusca lux emicuit, protexitque illum. Id cernens Leontius Consularis, magna voce dixit: Verè Dominus Deus est, quem prædicat Cæsarius Diaconus. mittensque se ad pedes beati Cæsarij, expoliauit se chlamyde sua, & induit ea beatum Cæsarium, rogauitque eum coram omni populo, vt se baptizaret. Dixit autem ei beatus Cæsarius: Tu crede, & mox lumen splendidũ videbis. acceptaque aqua, baptizauit eum in nomine patris & filij & spiritussancti: aduenien sque Iulianus presbyter, porrexit ei corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi. Cumque sacramenta percepisset, beatus Iulianus orauit super caput eius: finitaque oratione, Leontius reddidit spiritum.

Rursùs in carcerem conijcitur.

Leontius Consularis conuertitur ad Christũ.

Eodem die Luxurius tenuit Iulianum presbyterum, tulitque sententiam in eum & Cæsarium Diaconum, vt ambo in saccum inclusi, in mare pręcipitarentur. Porrò Leontij corpus collegerunt vxor & filij eius, sepelièruntque prope ciuitatem in agro Verano tertio Calendas Nouembris. Post triduum cùm nocte ducerentur Iulianus presbyter & Cæsarius Diaconus, vt præcipites acti in mare, submergerentur, beatus Cæsarius dixit ad Luxurium: Me quidem aqua, quæ me regenerauit, tanquàm filium suum ex se renatum suscipiet, vt me nunc martyrem efficiat cum patre meo Iuliano, qui me anteà fecit Christianum: Te verò, Luxuri, hodiè comedet coluber, vt cognoscat omnis hæc regio, quòd vindicet Dominus sanguinem seruorum suorum, & virginum, quas tu ignibus concremâsti. Deindè missi in saccum Iulianus presbyter & Cęsarius Diaconus, in mare præcipitati sunt: sed eodem die in litus eorum corpora eiecta sunt, vbì iacebat Luxurius totus inflatus & tumidus, quippè à serpente percussus. Ierat enim ille eques ad villam suam, ibì pransurus: & quia festinabat, solus præcessit: cumque quandam præteriret arborem, ob maleficia eius serpens quidam lapsus est per caput eius inter collum & tunicam, atque indè ad ventrem eius, lateraque

Iulianus & Cæsarius damnantur à Luxorio proconsule.

Inclusi in sacco, mittuntur in mare.

Luxurius à morsibus serpentis laceratur.

morsibus lacerans, vsque ad cor illius penetrauit. Totus igitur intumescens, iacebat humi: sed tamen priusquàm animam efflaret, vidit oculis suis psallentes Angelos, & admodùm honorificè corpora sanctorum Iuliani & Cæsarij ex vndis exportantes: quæ quidam seruus Dei, qui cum illis habitauerat, collegit, noctuque sepeliuit apud Taracinas Calendis Nouembris. Eusebius is dicebatur.

Post dies autem quinque idem Eusebius inuentus est eo loco, quo condiderat beatos martyres, ieiunans, & orans Dominum, & psallens. Id cùm non pauci viderent Taracinenses ciues, quòd non longè ab vrbe esset locus, accedebant ad beatum Eusebium, & conuersi, à beato Felice presbytero baptizabantur. Id vbi comperit Leontius Leontij Consularis filius, furibundus ob mortem patris, misit milites, qui tenerent Felicem presbyterum & Eusebium monachum, eosque in forum in populi conspectum perducerent. Atque ibi ille residens cum primoribus ciuium, ait ad eos: Edicite nobis, serui'ne an ingenui sitis. Felix presbyter respondit: Serui sumus Domini nostri Iesu Christi. Leontius dixit: Dicite qui vocemini. Responderunt sancti: Felix & Eusebius appellamur. Leontius ait: Quid ità contra salutem reipublicæ & principum, prædicatis insaniam? Felix presbyter respondit: Nos insaniam non prædicamus, sed sanam & veram doctrinam, vt timeatur Deus & cognoscatur: quem si vos cognoueritis, licebit vobis vitam obtinere æternam. Leontius dixit ad populum: Ecquid vobis videtur? Alij clamabant, bonam eam esse doctrinam, alij id negabant, dicentes ea populum seduci. Sic ergò illis altercantibus, Leontius eos iussit duci in custodiam. Nocte autem misit ad illos, qui eos compellerent sacrificare. Sed illi irridentes & contemnentes dæmonum sacrificia, clamabant: Gloria in excelsis Deo. Eadem ergò nocte Leontius eos capite damnauit, iussitque corpora in flumen iactari. Ea verò per flumen perlata sunt in mare: claraque iam luce, eiecit illa mare in litus iuxta pineta. Ecce autem quidam presbyter Capuanus, Quartus nomine, cùm exiret ad agrum suum, inuenit trunca sanctorum corpora, collegitque ea & posuit in vehiculum, duxitque in domum suam, capita eorum curiosè perquirens. Quæ quidem postera luce inuenit incorrupta, iunxitque ea corporibus sanctis, & sepeliuit iuxta corpus beati Cæsarij Diaconi & martyris. Vbi orationibus eorum beneficia præstantur vsque in præsentem diem, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Felix & Eusebius trucidantur.

VITA S. MARCELLI PARISIENSIS EPISCOPI, AVTHORE FORTVNATO EPISCOPO.

Præfatio Authoris ad S. Germanum Episcopum Parisiensem.



Domino sancto, & meritis obtinentibus Apostolico viro, in Christi charitate fundato, meo lumini præponẽdo, domino & dulci patri Germano papę Fortunatus. Facũdissima illustrium oratorum ingenia, sermonum flore variante distincta, & eloquij vernantibus pampinis obumbrata, solent sibi viles causas sterilemq; materiam quærere, vt magna dicẽdo de minimis, videantur ostendere sui fluminis vbertatem: quia habentes intra se fontes eloquentię, de ipso sicco themate didicerunt vndas haurire. Vndè quicquid iniungitur illis, carmine irriguo copiosiùs explicatur. Verùm econtrà quicunque angustæ intelligentię ariditate torrentur, nec habent affluentiam inundantis eloquij, per quam vel aliquos reficere, vel suæ siccitatis possint inopiam temperare: tales non solùm aliqua non per se dicere appetunt, verumetiam si quid eis iniunctum fuerit, perhorrescunt: quoniam quantùm doctis proloqui, tantùm indoctis vtile sit tacere. Nam illi de paruis magna disserere, isti de magnis nesciunt vel pauca proferre. Et ideò quod ab alijs quæritur, ab alijs formidatur. Sic belligerator in armis damni esse deputat, si non possit integer inuenire quod vincat. Sed sicut fortis requirit, vndè ducat spolia: sic debilis metuit, nè ducatur in prædam: & quod acer inuenire desiderat, iners vel audire formidat.

Cuius exempli gratia cùm ipse sterilis scientiæ conuenienter accuser, nec sit in me aliquid, quod venusti sermonis ornamenta commendent, quid tibi visum fuerit, pater beatissime atque amantissime, constanter admiror, vt de sanctissimi viri Marcelli antistitis vita, nullo fine claudẽda, & de illa cælesti lampade meæ aliquid dignum committeres scintillæ: cùm ego pauper ingenio, & ille diues sit merito: ego

humilis

humilis sermone,& ille sit egregius mercede: præsertìm cùm vobis multorum prudentium famosæ abundantiæ sufficiat eloquentia, Gallico Gallicana,& quadratis iuncturis verba trutinata procedant. Qui si velint, sermone possint depingere, quicquid animus figurauerit: apud quos ipsum loqui dictare sit,& quæ vix corde concipitur,mox in pagina res formetur. Cur itaque,vt dictum est,inter Gallicanos cothurnos itá lippata vilitas plano pede ire præsumat, ad quorum comparationem velut inter rosas & lilia nostræ linguæ vilis saliunca respirat? Accedit etiam ad difficultatem ingenij impediti res altera,quòd de actibus beati Marcelli plurima sunt inuisenda, temporum vetustate subrepta,nec facilè memoria recolit,quod annositas numerosa fraudauit: quoniam quicquid in libris non figitur,vento obliuionis aufertur. Pauca quidem de eius gestis felicibus sunt ad nostra tempora relatione viuente perducta,nè in totum quod sui amatores in posterum quærerent,periret: Quia etsì sancta membra iamdudùm sepulcro sunt condita,non tamen miracula sunt sepulta: quæ tanto clariora sunt,quanto plùs memoria viuere meruère non scripta: quoniam licèt non tenerentur in pagina,fixa sunt in cordis membrana.

Vndè inter hæc difficilia dubito quò conuertar, vtrùm vel digitos præparē ad scribendū,cùm dictare lingua formidet. Sed differre non licet,quod pater iniungit,cùm secum magìs ipse pugnet, qui tibi repugnat: præsertìm qui vt obedire me doceas,& quod sustinere non valeo, libenter imponis. Maior enim deuotio in re difficili comprobatur. Deniquè ibì plenus est affectus, vbì etsì virtus non tolerat, tamen animus non recusat: & ego magìs hîc venerer,quod charitas non leuiter exigit,sed audacter extorquet. Deniquè ex hac parte mihijpsi conueniat perficere,quia qui minora vituperat, ducere ad maiora festinat. Quibus suggestis,voluèram hoc opus aliorū lingua nitescere potiùs,quàm nostra sordere. Sed quod primi differūt,vel vltimi prosequantur: quod cùm displicere videatur eloquio,placere videtur ex voto.

VITA.



EATISSIMVS igitur Marcellus antistes, natus Parisij, sed ciuis paradisi: in terris humilis, erectus in cęlis: mediocris parētibus,sed meritis celsus. Cui hoc fuit nobilitatis insigne lumen,Christo sine culpa seruire: Non de generis intumescens superbia, sed habēs de moribus ornamenta: nec sumens de parentali laude iactantiam, sed gratiam possidens in virtutis exemplum: Intra se suos thesauros retinens,Deū mundo corde complectens. Sed cum Christo pauper iste regnauit, qui in humilitatis conuersatione, in charitatis vbertate, in castitatis lumine, in ieiuniorum pinguedine itá se totum cælesti tradidit disciplinæ, vt ab ipsa infantia maturus accederet, & positus in corpore, quasì nihil de carne portaret. Hic itaque nobilissima institutione succinctus.& venerandis operibus penè priùs sacerdos,quàm clericus, iamdudùm dignus, qui susciperet dignitatem, anteà paratus ad id, quod erat sine mora futurus: calcata pompa mundi vel criminibus, cùm diuinis armis initiatus accingeretur,ad spem felicem, palmam de hoste publico relaturus,in militia Christi exercitando Lector effectus est, ac seipsum templo Christi primitùs offerens,velut Abel sacrificium, hostia victæ carnis & puræ mentis, exceptus est.

Nouēbris. sed 3. die celebratur ei⁹ memoria Parisijs.

Patria S. Marcelli.

Virtutes eius.

S. Marcell⁹ fit Lector.

Qui clarior mercede,quàm nomine,& merito maior,quàm gradu,sine offendiculo suum gerēs officium,cœpit in milite crescere,quod accepit à Rege. Cuius occultæ diutiùs,velut vitis palmites,cœperunt fructificare virtutes: nec pertulit in eo sua dona abscondi,qui quod de sursùm venerat,adeò humiliter eum videbat amplecti. Deniq; cùm adhuc clericali tyrocinio celaretur, miraculis proditur, & signis cælestibus illustratur. Quadam vice accessit ad officinam fabrilem: qui despectus ab artifice, cogitur,vt extractā ferri de ardenti camino massam candentem manu sua attolleret, & quanti esset ponderis enarraret. Tunc vir beatissimus,non ignarus totū de Christo præsumere, & quantæ virtutis causa sit in rebus non turpibus obedire, mox supposita manu ferrum altiùs eleuauit,dicens: De calore calet,sed nouem pondera habet. Quod posteà tantum ad stateram inuentum est, quantum eius vox librata prædixerat. Sic in vna specie duplex miraculum propagauit, nè eum foci calor exureret,

Vide præclarum miraculum.

nec ferri pondera fefellissent. Nam defæcatis vitijs in se libidinis vaporem non habuit, qui tam liberè ignis incendia sine vstione euasit. Nam vt elementi ignem vinceret, antè flammas carnis extinxit: & vt in ipsa pensa non falleret, probauit ferrum pondere.

Deindè in religionis ordine subdiaconus effectus est. Itaque cùm subdiaconali ministerio fungeretur, in die Epiphaniorum hauriens aquam de fluuio Sequanæ, dum beato Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini sapor inuentus est. Quo viso obstupescens pontifex, iussit ex ipso vrceo in calicem sacrum fundi: vndè vniuersus populus, Missa celebrata, ad communionem accepit, & ipsum vas cùm ad plebis multitudinem suffecisset, acsi non tactum & integrum, sic plenum permansit. Cuius vini mystico beneficio posteà multi infirmi sanati sunt. Ecce virum sanctissimum, qui vndam sumens à flumine, vina effudit in calicem. Sed vndè tam noua miracula, * vndè portaret aquam, quodammodò quasi vuas exprimeret, nasceretur illi palmes in palma? Verè beatum Marcellum, summa veneratione colendum, in cuius manibus vno eodemque momento floruit vindemia, & torculata sunt vina. Videmus non vno in loco beneficia diuina concludi, dum quod præcessit Dominus in Galilæa, ille successit in Gallia. Ibi ad nuptialem mensam Christus aquas vertit in vina: hîc, quæ ad mensam Christi sufficerent, noua vina sumpsit altare. Illud præcessit tempore, hoc honore. Nam tunc quod dederunt sex hydriæ, hîc vnum & modicum vas expleuit. Sed tunc effecit, vt se Dominus proderet: nunc, vt famulum non celaret.

Aliud insigne miraculum.

for.* vt dum

Iohan.2.

Veniamus ad illud miraculum, secundum ordine, non honore. Itaque cùm vir sanctissimus quadã vice ex sui officij seruitute, aquam manibus venerabili Episcopo porrexisset, mox indè balsama cœperunt fragrare: & dum vnda curreret, visa sunt chrismata respirare, vt penè pontifex crederet suas manus magis vngere, quàm lauare, & alteras aquas quæreret, vt priores vndas ablueret. Quo viso, sacerdos venerabiliter obstupescens, Deo gratias de comperto munere retulit, & beato Marcello reuerentiam in religione seruauit, dum eum non talem, qui seruiret, sed potiùs cui seruiretur, agnouit. Vndè quis tantum subdiaconum admiraretur condignè, in cuius dextera ex aqua fiebant vina & balsama, & vndarum pallor aut in ruborem conuersus est, aut odorem? Iam tunc illis præfigurabatur indicijs futurus pontifex, qui dignus esset chrisma tractare. Sed cùm adhuc subdiaconus hausisset chrisma de flumine, meritò dignus erat, vt factus sacerdos, hoc sacrificaret in fonte.

Aqua mutatur in balsami liquorẽ.

Illud quoquè mysterium reticeri non debet, quod proficit auditori: quia de paucis, quæ memoria recoluntur, quicquid dictum non fuerit, aut inuideri creditur, aut contemni. Igitur quidam clericus, Mintucius nomine, annorum circiter decem, propter suauissimę vocis tintinnabulum, & dulcedinis organum de fauce prolatum, quia contingebat animos populi delectari, cùm repercussa in auribus, solita & auribus blandiri: iussus est ab Archidiacono teneritate melliflua decantare. Quo facto, præcepit ipsum puerum Episcopus flagellari ob hoc, quia alterum iusserat ipse cantare. Itaque dum clericus cæditur, Episcopus lingua damnatur. Mox enim vt clamor vapulantis in aurem sonuit, vox eius ab ore discessit: & nouo prædone sonum captiuauit pontificis vox infantis. Sed si causa facti requiritur, cur contigerit, inuenitur. Deniquè qui puerum cantare prohibuit, pertulit vocis dispendia, quia vocibus inuidebat. Cui ergò non nocet inuidia, si Episcopo non pepercit vindicta? Vndè quòd quis in altero videre non cupit, non habebit: immò hoc sibi perdit, quod alios habere non optat. Omnis enim qui alteri lapsum parat, iam cecidit, & antequàm inducat in laqueum, tenetur ipse captiuante peccato ligatus. Tum magis si proficere volumus, aliorum profectus, nostros esse credamus. Itaque idem sacerdos per triduum, etsi ambulabat per compita, tamen iacebat lingua sepulta. Non enim sonus poterat repercussa palati camera resultare, nec intra sepem dentium vox lingua rotante disponi: sed totum quod perdiderat, ore muto prodebat. Tunc beatus Marcellus his verbis appellat pontificem: Licèt intelligam, pastor bone, tibi talem casum de culpa venire, tamen quicquid vis, in nomine Domini sermone prorumpe. His dictis, adhuc beati Marcelli sermo voluebatur in ore, & iam quod imperauerat, obediebat. Deindè antequàm iste explicaret, ille respondit, dicens: Vos mihi fecistis, quorum iussio fuit, vt alter cantaret, quàm ego præceperam. Et dum ista loquitur, amissæ vocis gratia reformatur. O meritum subdiaconi, qui vocem restituit sacerdoti, & versa vice, quod accipe-

Episcopus fit mutus vt emendetur.

MS. codex sic habet: Vndè quis in altero videre nõ cupit, non habebit, immò hoc sibi, quòd alios habere non optat.

S. Marcell⁹ muto Episcopo reddit loquelã.

accipere debuit, hoc indulsit: Qui debiles fauces armauit eloquio, & in ore alterius fudit verba per verbum. Quid diutiùs protrahiam? Semper tacuisset Episcopus, si nunquàm requisisset Marcellus. Verè dignus beati Marcelli sermo, vt gregem Domini regeret, qui dedit pastori salutem.

Operæprecium credimus etiam in paginis hæc texere, quæ multis sunt infixa sub corde. Quia etsi de re terribili in relatione metus est, in ædificatione fit fructus. Porrò autem cùm beatus Marcellus, quod semper possedit moribus, esset pontifex ordinatus, quam dignitatem sibi reputabat magis oneris, quàm honoris: tunc quidam de populo dum vellet ad communionem accedere, manibus retrò ligatis non poterat ad altare pertingere: sed cùm omnes transirent, quasi meta cœpit stare: vt videretur non ad communicandum, sed ad numerandum populum aduenisse. Quem conspiciens pontifex, interrogauit quid fecerit. Respondit se peccâsse. Cuius confessionem agnoscens, dixit ei: Veni, accede, & vltrà non pecces. Qua iussione absolutus, ad communionem accessit, duplici beneficio muneratus, de præterita culpa veniam consecutus, de futura vita correctus. Quāta huic erat in sanctæ Trinitatis æqualitate fiducia, cuius mens sic libera, per singula verba proferebat miracula? Sed licèt satis fuerit, religati catenas sermone dissoluere, tamē plùs est laudabile, quòd in Christi amore visus est peccata donare.

Creatus episcopus, oneratū potiùs, quàm honoratū se sensit.

Exequamur & illud triumphale mysterium, quod cùm sit vltimum ordine, anteponitur in virtute. Matrona quædam, prosapia quidē nobilis, opinione vilis, malo maculans crimine, quod fulgebat ex genere: postquàm dies fugitiuę vitę rapta luce conclusit, ad tumulū pompa comitante, sed non profutura, processit. Quo condita, horresco referēs hoc contigisse post funera, quia duplex nascitur lamentatio de defuncta. Ergò ad consumendum eius cadauer cœpit serpens immanissimus frequentare, & vt dicam clariùs, mulieri, cuius membra bestia deuorabat, ipse draco factus est sepultura. Sic infelices exequias serpentinus baiulus impendebat, vt post mortem quiescere cadaueri non liceret: & cui vitæ finis in vno loco iacere concesserat, semper mutabatur in pœna. O casum execrabilem, & valdè timendum. Mulier, quę coniugij integritatem non seruauit in mūdo, integra non meruit iacere in sepulcro. Nam serpens, qui viuentem in crimine traxerat, adhuc in cadauer desæuiebat. Tunc ex eius familia, qui in ciuitate manebant, audientes strepitum, & pariter concurrentes, viderunt ingentem belluam de tumulosis anfractibus exeuntem, & vasta mole cadauer flagellante labentem. Quo nimis perterriti homines, de suis sedibus migrauerunt. Hoc cognito, beatus Marcellus intelligens de hoste triumphū acquirere, collecta plebe, de ciuitate progreditur, & relictis ciuibus, in prospectu populi solus, Christo duce, ad locum pugnaturus accessit: & cùm coluber de sylua rediret ad tumulū, obuiantes se inuicèm, dantē orationem beato Marcello, ille capite supplici cœpit veniam blandiente cauda precari. Tunc beatus Marcellus caput eius baculo ter percutiens, misso in ceruicem serpentis orario, triumphum suum ante ciuium oculos extrahebat. Sic in spirituali theatro spectante, solus cum dracone pugnauit. Hinc confortatus populus, cucurrit ad Episcopum, cupiens hostem suum videre captiuum. Tunc præcedente pontifice, bestiam ferè tribus millibus omnes prosecuti sunt, reddentes gratias Domino, & soluentes exequias inimico. Deindè increpans eū beatus Marcellus, dixit: Ab hac die aut deserta tene, aut in mare te demerge. Mox dimissa bellua, nulla eius vlteriùs indicia sunt inuenta. Eccè propugnaculū patriæ in vno consistere sacerdote: qui fragili baculo fortiùs hostem edomuit, quàm si balistæ transfissent. nam sagittatus repercutere poterat, nisi vinceret res diuina. O virum sanctissimū, in cuius leui baculo virtutis est pondus ostensum: cuius molles digiti fuerunt catena serpentis. Sic inimicum publicum vicerunt arma priuata: plaudit in vnius pręda generalis victoria. Si sanctorum virorū ex factis merita conferantur, miretur Marcellum Gallia, dum Roma Sylueftrum: nisi hoc distat in opere, quòd draconem sigillauit ille, iste iactauit. Sed quis eius valeat miracula per singula sermone compręhendere, vel voce proferre, quanta ille fecerit & celauerit, cùm ea scripta sunt, quæ de ipso, teste populo, claruerunt? His nanq; operibus sanctissimus Marcellus semper intentus, conuersatione clarus, consummatione præcipuus, beatitudine gloriosus, remuneratione ditatus, cum Domino perpetuò regnaturus, vincens mundi contagium, mundus migrauit ad Christum die Calendarum Nouembrium, regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui est honor & gloria & virtus & potestas per cuncta seculorum secula, Amen.

Horrenda Dei vindicta in adulteram.

Immanem serpentē S. Marcellus profligat.

Felicissimus eius obitus.

HISTORIA BREVIS S. MARIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS, QVAM VINCENTIVS IN SPEculo Historiali annotauit ex gestis eius Lib. 11. Cap. 86. & 87. Adstipulantur antiquissima Martyrologia.

Nouẽbris 1.



BEATA Maria, ancilla quidem Tertulli principalis erat, sed nobilitatem domini, mentis benignitate vincebat, & Christo se probabat ingenuam. Natalem autem filij celebrante Tertullo, cùm impuris vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat ieiunijs, & sociam suam, nè proderetur dominæ, occulta simulatione fallebat. Diù tamen, insidiante conserua, latére non potuit. Prodita igitur, mox vocatur à domina, diciturque ei: Quæ est causa ieiunij? An occasio tristitiæ est, quòd iratum tibi nupèr dominum perhorrescis? Respondit Maria: Nunquid nouum aliquid nunc vsurpo? Semper mihi sunt hæc obseruata ieiunia. Christiana sum, Christiano nascor ex genere: hæc [illegible] est mihi iste cultus Christi. Tunc imperante domina, vt cibi aliquid hauriret, [illegible] noluit. Et domina indignata, ei verbera grauia & pœnam etiam mortis, si repugnaret, intentauit.

Vide quàm olim familiare fuerit Christianis ieiunium.

Sed dum altercatio ista verborum esset cogentis dominæ & repugnantis ancillæ, pedem aforis referens Tertullus ingreditur: qui ab vxore rebus omnibus inquisitis, inauditam statim flagellari præcepit ancillam, & afflictam diutino verbere, detrudi in carcerem, administrato modico & vili cibo, quo non satiaretur fames, sed deficientis quotidiè animæ pars extrema seruaretur. Sed deuota mens pro Christo frangi hoc dolore non potuit: quinetiam quotidianis orationibus incumbebat, vt facultas esset maior tolerandi. Emensis verò nouendecim diebus, Præsidi nunciatur, Tertullum principalem illius ciuitatis, occultare in domo sua Christianæ religionis ancillam, quod Imperatorum præcepta prohibebant. Stetit itaque adducta tandèm, & quanuìs contra iudicem oculos tenderet, animum tamen habebat ad Christum. Clamor autem vndiquè populi frementis attollitur, dicentis: Viua diro cremetur incendio. Illa verò intrepida, quippè quæ Dei sui nósset auxilium, cælum intuens, clamauit ad Dominum: Ait verò Præses: Sacrifica, si effugere tormenta festinas. Respondit Maria: Supplicia quæ minaris, nec longi temporis, nec grauis doloris sunt. Quæso ergò, nè differas quæ moliris. Christum habeo: ideò nihil timeo.

Maria flagellatur, & in carcerem traditur.

Constantia eius.

Tunc iussu Præsidis applicata tormentis, miseratione populi tantam adepta est, vt lachrymæ quoquè à circunstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia virgini postulatur: sed crudelitas iudicis accelerare torméta mandauit. Et eccè secunda vox populi, iudicium Præsidis castigantis, emergit. Vociferatio nanque vna penè erat totius coronę, iniustè lacerari virginem crudelitate iudicis, non culpa peccantis: agi contra leges omnia, nec æquitatis iura seruari. Stupens verò Præses, & sono tanti clamoris adactus, (quippè qui præter humanam vocem, ipsa etiam putâsset tecta corruere) mox Mariam relaxari præcepit. Tunc seruari eam sub custodia libera Pręses iubet: Maria virgo signo Domini se muniuit, & leuatis ad cælum oculis, post relictum tribunal orauit ad Dominum, viditque aciem Angelorum, & multitudinem sanctorum, atque filium Dei sedentem ad dexteram patris. Hinc tanta subitò gratulatione perfusa est, vt iam se paradisum ingressam putaret.

Vngulis laceratur, vt habét Martyrologia.

Hi verò, qui eam fugientem persequebantur, subitò stupuêre virtute. Sed vbì illa se circundatam à persequentibus vidit, lachrymans clamauit ad Dominum: Nè permittas, inquit, Domine tradi ancillam tuam, & lacerari manibus impiorum: sed ostende misericordiam tuam: citò exaudi ancillam tuam, exaudi Domine Rex cælestis. Et dum ità orauit, petra, quæ ante oculos eius iacebat, Domino iubente patefacta, rimam perfugij, qua virgo susciperetur, ostendit, & adinstàr dulcissimę nutricis, vel charæ matris, motu quodam anxiam amplexans, se præbuit: moxque suscepta virgine, latera antè aperta conclusit. Hoc cùm carnifices peruiderent, omnia loca petræ illius perscrutati sunt, sicubì erepta subitò præda ex oculis latitaret. Ibi adhærentes exuuiarum reliquias, & affixa saxo vestium frusta depræhendunt, atque incredibili

Diuinitùs eripitur è manibus persequentium.

credibili stupore confusi, Præsidi gesta commemorant. Ille verò partim ira, partim admiratione commotus, iussit Philocomo principali * Veronensium ciuitatis, vt ad prædictum locum festinus accedat, & ad eruendum lapidem innumerā secum multitudinem ducat. Statim igitur præconis voce populus cōgregatur. Qui vbi primùm ad prædictum locum cum eo, cui summa huius operis fuerat assignata, peruénit, mox iniicere manum lapidi tentauerunt, sed statim ab Oriente fulgor nimij splendoris exortus est. Nec mora, tonitruum & fragor quidam, vt putarentur cuncta corruere. Statim terra concussa est, & nutantia omnium corruêre vestigia. Eccè autē duo equites, magno fulgore radiantes, à cælesti sede venientes, terras volatu nimio petunt: quorū sellæ, frena & omnis ornatus adinstàr lampadarū cælesti igne rutilabant. *Nettomensium

Hoc cùm omnis illa, quæ cōuenerat, multitudo cōspiceret, ità timore causa præsentis virtutis expauit, vt fugiente sensu pariter atque anima, in æternam mortem oculi clauderentur. Cæteri verò, qui euaserant, ad profana templi simulacra fugientes, cùm ad scelesta ingrederentur altaria, in ipsa perfugij sui sede ceciderunt: Nec corus ad ipsam templi ianuam spiritum fudit. Vbi verò templum omne repletum est, missus è cælo ignis, & populum exussit, & templum. Multipharìæ itaque mortis, tam à percussis, quàm incensis, numerus fuit duo millia septingenti. Pauci verò, qui euaserant, ciuitatem petentes, magnis per omne iter vocibus conclamabant: Magnus Deus Mariæ: magnus Deus Christianorum. Et crediderunt, perterriti eo timore, tria ferè millia animarum. Passa est sancta virgo sub Adriano Imperatore. Vltio cælestis. Tria hominum millia conuertuntur viso prodigio.

VITA S. VIGORIS EPISCOPI BAIOCENSIS, A F. LAVRENTIO SVRIO NONNIHIL CONTRACTA

stylo mutato. Habetur in antiquis MS. codicibus absque nomine Authoris, sed videtur fide digna.



BEATVS Vigor in Atrebatensi territorio parentes habuit, generis nobilitate & fide conspicuos. Cùmq; adhuc matris gestaretur vtero, audiuit illa ab Angelo in somnis habere ipsam in vtero filium, quem Dominus sua gratia illustraturus esset. Regnante Childeberto Francorum Rege, educatus est intra monasterium beatissimi patris Vedasti, quod est in Atrebatensi territorio, vbi inter monachos in monastica religione degens, tāta obedientia & humilitate præditus fuit, vt in ipsa pueritia & adolescentia alijs omnibus gratiosior videretur. At parentes eius rebus locupletes, non tam monachū, quàm opum suarum hæredem, eum post se relinquere cupiebant. Ille verò non immemor sententiæ Saluatoris, centuplum & vitam æternam promittentis ei, qui reliquerit patrem & matrem & agros propter nomen ipsius, maiori flagrabat rerum cælestium, quàm terrenarum facultatum, desiderio. Nouēbris 1. S. Vigor degit in monasterio. Matth. 19.

Itaque nuditatis & paupertatis studio, quicquid habere poterat, in pauperes clàm erogabat. Diuino autem instinctu permotus, cum beatissimo patriarcha Abrahamo constituit exire è terra & cognatione sua: sed cùm nesciret, quonàm iter intenderet, tandèm ad Occidentem cœpit proficisci assumpto itineris socio puero Theodemiro. Interìm audit Angelum in somnis sibi dicentem: Perge ire, quò cœpisti. locus enim tibi à Deo paratus est, & multum populum ad veram traduces fidem. Ità ergò diuino fretus auxilio, peruénit in Baiocensem regionem ad vicum quendam, qui Redeuerus dicitur, atque illic commoratus est. Erant verò loci eius homines bruti, diuini cultûs ignari, sacrilegæ superstitioni addicti, multis implicati erroribus, colentes dæmonum simulacra, & Deum verum prorsùs ignorantes. Cœpit ergò vir Dei eis prædicare verbum Dei, extructoque oratorio, in vigilijs & precibus pernoctare, & assiduè deprecari Dominum, vt ad cognoscendam veritatem corda paganorum sui spiritûs gratia illustraret. Tantam autem ei gratiam cōtulit Deus, vt penè omnes ad Christum conuerteret prædicatione sua & multis sanctitatis exemplis. Gen. 12. Iustus à Domino dirigitur in vias rectas. Conuertit multos ad Christum.

Volens ergò Christus militem illum suum in ea regione innotescere, hac ratione id effecit: Vir quidam, quem ipse conuerterat, filium habuit impensè charum, qui febre correptus, excessit è viuis. Eius corpusculum mater, acerbissimè dolens,

collocauit in lectulo: veniensque ad virũ Dei, cum ingenti eiulatu dixit: Sancte Vigor, si verè seruus Dei es, & si vera sunt, quæ in nomine Iesu Christi annuncias, veni, excita filium meum vita functum, & credemus missum te à Domino in regionem hanc ad illuminandos nos. At vir sanctus humi se prosternens, orabat Dominũ cum lachrymis, vt puero vitam restitueret in illius populi salutem. Expleta oratione, ait ad mulierẽ: Quid mihi molestiam exhibes? Dixi tibi: si credideris toto corde in Deum verum, quicquid petieris, ab illo te impetraturam. Credidit mulier, & abijt: & ecce vbi accessit ad fores domûs suæ, videt filium suum prosilientem, laudantemque Deum & dicentem: Laudo & magnifico Christum filium Dei, qui mihi per preces serui sui Vigoris, vitam & salutem reddidit. Multo ille tempore posteà superuixit incolumis. Propter hoc autem miraculũ fama beati viri longè lateque increbuit, & ad eum confluxêre cæci, claudi, alijsque morbis afflicti, qui eius precibus curati sunt.

Excitat puerũ defunctum.

Curat multos ægros.

Per id tempus Volusianus quidam, homo opulentus, prædijs & familia locuples, in eadem regione degens, venit ad virum Dei, aitque illi: Scio miraculis potentem te esse, quæ per te Dominus efficit. Oro igitur, vt venias ad possessionem meam. Est enim illic in sylua serpens immanis, qui flatu suo & homines & pecora multa adurit, vt nemo ausit in eius loci circuitu quicquam attingere. Tu nos precibus tuis ab illo libera. Respondit vir Dei: Non possum ego quicquam per me efficere, nisi Christus filius Dei, qui dedit discipulis suis potestatem calcandi super serpẽtes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici, constantiam mihi præstet ad conterendam callidissimi serpentis nequitiam. Abi nunc igitur, & die tertio huc reuertere, & si Deo visum erit, ibo tecum. Suo ergò more vir Dei in preces incumbens, & biduana inedia se afficiens, multasque fundens lachrymas, implorabat Dei misericordiam. Indè tertio die accedens ad locum, reperit viam, qua serpens ibat ad fontem, & rursùs redibat ad specum suam. Eam autem viam antiquæ maceriæ & quædam ingens arbor obtegebant. Propiùs igitur ad specum se adiungens, exclamat vir Dei: Serpens antique & satan, præcipio tibi in nomine Iesu Christi fili Dei viui, qui seruis suis dedit virtutem ambulandi super aspidem & basiliscum, & conculcandi leonem & draconem, vt exeas ab hac specu. Mox prodit ille, stridens dentibus, & erecto capite flammas vomens, tãquàm iam deuoraturus hominem Dei. Fertur longus fuisse ad pedes quadraginta, adspectu terribilis. Postquàm autem vidit Christi seruum, mox contracto ore & abiecta ceruice, venit ad eum. At vir sanctus sublata manu Crucis signũ exprimens, orarium suum inijcit in collum eius, eumque ligatum tradit discipulo suo ceu ouem mansuetam, dicens ei: Duc eum ad litus maris, nec vltrà liceat ei in hoc loco commorari. Cernens hæc populus, qui ad hoc spectaculũ conuenerat, in Dei laudes prorupit: Reuerà, inquiens, Deus est in seruo suo, per quem tale edidit miraculum sub oculis nostris. Porrò Volusianus abijciens se ad pedes beati viri, Dominum confitebatur mirabilem in sanctis suis: donauitque sancto Vigori locum, qui Cerisiacus dicitur, qui in circuitu fermè quinque & viginti viculos habuit.

Luc. 10.

Psal. 90.

Immanem serpentem profligat.

Psal. 67.

Alius etiam serpens exijt è loco, quem Cellam nominant: sed illum quoquè vir beatus profligauit. Sed & apud Cameronem trans fretum alius miræ magnitudinis egressus, audiuit à viro Dei: Præcipio tibi, draco, nè humum deincèps attingas, neq; vlli homini nocere ausus sis, atque ità mox ille præceps in mare ruit. Has ob causas, ea quæ diximus, prædia vir Dei dono accepit. Fama autem virtutum eius in dies augescente, cùm è vita abijsset Baiocensis ciuitatis Episcopus, Clerus omnis & populus sanctum Vigorem sibi petijt Episcopum. Dei ergò nutu & multorum Pontificũ fauore Episcopus ordinatus est. Eam verò dignitatem, virtutum studijs bonorũque omnium exercitatione ornauit. Nam deinceps operam dedit, vt magìs magisque purum Domino exhiberet famulatum, die noctuque ieiunijs, vigilijs, orationibus, diuinis lectionibus & concionibus vacans. Ea tempestate, cùm ad concionandum iret, venit in montem, qui tum quidem Phœnus appellabatur, nunc autem Chrisinatus dicitur, milliario vno ab vrbe. In eo mõte erat saxea effigies mulieris, quam loci eius incolæ tanquàm sacrum quiddam colebant. Cumque vir Dei suo more verbum Dei illis prædicaret, omnes rustici illi indignabundi cum multa iniuria eum eiecerunt, dicentes: Nos patrum nostrorum morem retinebimus, & neque à cultura deorum nostrorum vnquàm recedemus, neque tuis dictis obtemperabimus. Quamobrèm commotus vir Dei, recessit indè. Posteà verò ad Regem Childebertum se conferẽs, narrauit ei quemadmodùm regio Baiocensis ad fidem traducta sit, demptis eius montis

Itèm duos alios serpẽtes.

Creatur Baiocẽsis Episcopus.

Spiritualia exercitia eius.

montis incolis, qui etiamnùm profana superstitione diabolicis erroribus implicati tenerentur. Rex autem admirans sanctitatem & famam beati viri, ait ad eum: Nouit sanctitas tua montem illum esse regiæ ditionis, & priscis temporibus fiscum regalem fuisse. Ego verò illum cum omnibus, quæ ad eum spectant, tibi trado perpetuò possidendum, vt omnem illic idololatriam destruas, & in Christi nomine ecclesiam ædifices. Itaque Episcopus locum illum repurgauit, Baiocensesque omnes strenuam illi in construenda ecclesia operam nauârũt: locique habitatores, pij & religiosi effecti sunt, & mons Chrismati nomen accepit: decretumque est, vt ab illo die Episcopus Baiocensis in solennitate Paschali tres ibì infantes baptizet, atque ità cum reliquijs, cum presbyteris & diaconis, sacris vestibus indutis, cum choro psallentium domum reuertatur. Adueniebant etiam ad virum Dei multi vicini Episcopi, & prædia atque possessiones ei largiebantur. Complures etiam Clerici eo in loco diuinæ se seruituri subdebant. Conuertit quosdã idololatras, ecclesiam illis extruens.

Porrò Bertulphus Comes regionis illius, auaritiæ facibus incensus, agrum quendam beati viri inuadere conatus, cum armatis hominibus eũ occupauit. At vir Dei multa iam ætate fessus, & penè lumine destitutus, per nuncium rogauit eum, vt exiret ab hæreditate, à Domino Iesu Christo ipsi per hominum religiosorum manus attributa: addiditque, nisi id faceret, se rogaturum Dominum, vt suam hæreditatem tueatur. Sed vir ille superbia tumidus, nuncium sancti Episcopi cum iniuria abiecit, etiam minas intentans, nî ocyùs abscederet: perrexitque agrum magna contentione colere. Vbì id renunciatum est viro Dei, conscenso vehiculo suo, venit ad montem: ingressusque in templum, orauit Dominum, vt defenderet hæreditatem suam. Necdùm verò preces finierat, cùm eccè repentè ab equo corruit, & fractis ceruicibus expirauit, æternas apud inferos daturus pœnas. Qui autem cum eo venerant, ea re conspecta, celerrimè domum abière: nec quisquam deincèps ausus est viri Dei possessionem sibi vendicare. Multa alia per eum Dominus operatus est, quæ, nè fastidioso lectori molestiam afferamus, omittimus. E plurimis autem hæc pauca annotauimus, vt prudens Lector ex ijs plura possit colligere. Obijt vir beatus, senex & plenus dierum Calendis Nouembris, perfectus timore & fide Domini nostri Iesu Christi: permultosque discipulos in fide sanctæ Trinitatis educatos, post se reliquit. Conditus autem est in monte Chrismato, vbì ipse monasterium sibi condiderat: vbì per eius merita plurimæ diuinitùs curationes & beneficia vsque in hodiernum præstantur diem: largiente Domino nostro Iesu, qui cum Deo patre & spiritusancto viuit & regnat per cuncta secula seculorum, Amen. Ecce tibi horrendum Dei iudiciũ in Comitẽ, bona ecclesiastica sibi vẽdicantẽ. Obit vir sanctus.

DIVI IOHANNIS DAMASCENI, QVOD II QVI CVM FIDE EX HAC VITA EXCESSERVNT, VIVOrum *Mißis ac beneficijs iuuentur, Oratio, Iacobo Billio interprete. Nos eam in 14. capitula distinximus.*



SVAVIBVS & exquisitis cibis propositis, sæpenumerò non ij tantùm qui fame laborant, ad edendum attrahuntur, sed nonnunquàm etiam ij, quos iam satietas cepit, extimulantur: quemadmodùm etiam poculis ingenti suauitate atque fragrantia præditis non illi duntaxàt qui siti afficiuntur, sed illi quoquè qui sitim expleuerunt, ad bibendum illici solent. Atque itèm qui opum cupiditate flagrant, cùm amplissimas diuitias adepti sunt, amor tamen eos huc adigit, vt occasiones vndecunquè captẽt, quibus quotidiè facultates suas augeant. Ad eundem igitur modum, ó præstãtissima & selecta Ecclesiæ Dei membra, sacerdotes & patres, fratres, matres ac filij charissimi, nec diuinorum oraculorum fames, nec sacrarum disciplinarum sitis, nec rursùs diuinæ scientiæ penuria, vt ad eas quas nunc proponimus sermonis epulas accumbatis efficit, verùm cupiditas verè diuinó beneficio insita, quæ de virtute in virtutem, & de gratia in gratiam, & de memoria in commemorationem nos prouehit. Plerũquè etenim vsu venit, vt quod homines adulta ætate fugit, hoc puer inueniat: & quod eruditos præterijt, indoctis in 1. Nouẽbris Cap. 1. Psal. 83.

in mentem veniat: & quod magistros fefellit, discipulis occurrat. Quanquàm ne hac quidem oratione mihi ad vos vti licet. Quin potiùs, vt qui racemulum aliquem post vindemiam relictum, aut spicam post demessas segetes ob ingentem frugum copiam neglectam, aut denique poma aliquot, post collectos arborum fructus obliuione transmissa congesserunt: ità nos, Christo Deo vero adiuuante, ac sermonem per opera confirmante, eos qui voluerint, epulis accipiemus.

Mat. vlt. Cap. 2. Ergò serpens ille atque execrandus hostis, qui circa præclaras ac Deo gratas actiones omnes & cogitationes serpit ac iugulatur, quique fraterna charitate perstringitur, & fide disrumpitur, & mutua commiseratione concutitur, ille inquam consceleratus ac nefarius nouum quoddam & absurdum, sacrisque sanctionibus omninò contrarium dogma quibusdam in animum iniecit, nempe pia omnia opera, quæ mortem sequuntur, nullam omninò defunctis vtilitatem afferre. Conclusit enim, inquit Scriptura, Deus aduersùs eos. Et, Reportabit vnusquisque per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum, siue malum. Et, In inferno quis confitebitur tibi? Et rursus, Quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Ac denique, Quod quisque seminauerit, hoc & metet. At, ô sapientes viri (sic enim eos alloquamur) peruestigate, quæso, atque istud discite, magnum quidem Dei omnium Domini metum esse, verùm multò maiorem bonitatem: & horrendas quidem ac pertimescendas ipsius minas esse, cæterùm ipsius benignitatem nulla coniectura percipi posse: ac denique in ipsius sententijs ac supplicijs quanquàm terroris multum insit, rursus tamen miserationum ipsius pelagus omnem orationis facultatem superare. Animaduertite enim, quid Scritura sacra de Iuda Machabæo memoriæ prodiderit, nimirùm cum in Sion Regis magni ciuitate, cùm populum, cui præerat, ab exteris hostibus cæsum & obtruncatum vidisset, sinusque eorū excutiens, condita in ipsis Idola comperisset, statim expiandi huiusce sceleris causa Domino, ad misericordiam prompto atque propenso, pro vnoquoque eorum munera obtulisse: in eaque re summæ pietatis & charitatis munere perfunctum fuisse. Vndè etiam factum est, vt diuina Scriptura, quemadmodùm omnibus alijs nominibus, ità hoc quoque nomine summis cum laudibus euexerit, ac mirificè commendârit.

Iob 16. 2. Cor. 5. Psal. 6. Psal. 61. Gal. 6.

Dei misericordia iustitiam superat. 2. Mach. 12.

Cap. 3. In Missa mortuorum memoriam agere, traditio Apostolica.

Porrò autem Verbi discipuli atque conspectores, à quibus orbis vniuersus captus est, illi inquam Saluatoris discipuli ac diuini Apostoli, vt in tremēdis ac puris vitamq; afferentibus mysterijs, eorum, qui cum fide diem vitæ extremū clausissent, memoria fieret, instituerunt. Quod etiam firmè atque constanter, ac sine vlla controuersia Catholica & Apostolica Ecclesia, ab extremis finibus ad extremos vsque fines, ab eo tempore ad hunc vsque diem semper retinuit, ac tantispèr dum mundus hic erit, retinebit. Nec verò inconsideratè ac temerè & sine ratione hoc ab illis est institutum.

Christiana religio nihil habet, qđ vtile nō sit.

Neque enim quicquam, quod vtilitate careat, Christianorum religio, quæ ab omni errore aliena est, suscepit, fixumque semper ac stabile retinuit: sed frugifera omnia, Deoque grata atque accepta, maioremque in modū vtilia, atque ità cōparata, vt maxima ex ijs salus oriatur. Quocircà eruditissimus ille, atque in explicandis rebus diuinis exercitatissimus Dionysius (libet enim, quò planiùs fiat id, quod probandū institui, diuina ac veneranda ipsius verba vsurpare) in mystica sua de ijs qui mortē obiêrunt contemplatione, disertè hoc asserit, sanctorum preces in hac quoque vita, nedùm post mortē, in ijs qui sanctis precibus digni sunt, hoc est pijs ac fide præditis, efficaces esse: (Non est autem dubium, quin hoc loco per voculam hanc, Nedùm, nihil aliud intelligendum sit, quàm, quanto magis.) Non enim diuinus pontifex, ac diuinæ iustificationis interpres, ea vnquàm in animum induceret postulare, quæ Deo quamgratissima non essent, quæque ipse se daturū minimè recepisset. Ob idque prophanis, hoc est, ijs qui baptizati non sunt, cùm è vita decesserint, ista haudquaquàm precatur, atque optat. Et rursùs: Diuinus itaque pontifex, quæ Deo grata sunt, postulat, quæque ille prorsùs daturus est. Ac rursùs: Hoc igitur supplex à diuina bonitate petit pontifex, vt errata per humanam imbecillitatem admissa, ei qui è viuis excessit, remittat, eumque in viuentium regione collocet, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco vndè profugit dolor & tristitia & gemitus: dissimulante nimirùm pro sua bonitate diuina clementia maculas eas, quas is, qui vita abijt, ex humana fragilitate contraxit. Quandoquidem nemo, vt sacris oraculis proditum est, mundus est à sorde. Vidésne aduersarie, quemadmodùm preces eas vtiles esse affirmet, quæ pro ijs adhibentur, qui spe diuina freti vitam cum morte cōmutârunt? Post hunc autem

Hierarch. Ecclesiast. cap. 7.

Pro infidelibus defunctis non est orandum.

Iob 25.

rursùs

rursùs Gregorius ille, qui à Theologia cognomentum traxit, in ea Oratione quam in Cæsarij fratris funere habuit, de matre sua ad hunc modum loquitur. Auditum est, inquit, præconiũ dignum quod ad omnium aures perueniat. Ac matris mœror per egregiam ac sanctam pollicitationem, qua se filio, quicquid opum ipse habebat, ipsius nomine in parentale munus oblaturam recepit, exhauritur. Et alijs quibusdam interiectis: Atque hæc sunt, quæ à nobis proficiscuntur. Ac quædam iam persoluimus, quædam rursùs persoluemus, anniuersarios nimirùm honores ac commemorationes offerentes.

Cernisne vt præclara & pia ea munera esse afferat, quæ eorum, qui vita functi sunt, nomine Deo offeruntur: anniuersariasque commemorationes ab eo lubenter admitti? Deincèps ille verè aurea loquens, atque ab auro cognomentum nactus Iohannes, ille inquam amoris erga pauperes ac pœnitentiæ dux & magister, in luculentissima sua enarratione in Epistolas ad Philippenses & Galatas his verbis vtitur: Nam cùm Gentiles simul cum ijs, qui mortem obiêrunt, bona sua comburant, quantò tandèm æquius est te, qui fide præditus es, operam dare, vt eius, qui fide præditus erat, bona eum prosequantur? non vt ea in cinerem, velut illa, dilabantur: sed, vt maiorem ipsi gloriam concilies, ac, si peccator erat is, qui fatis concessit, eius peccata deleas: si autem probus ac iustus, ea illi in mercedis ac remunerationis cumulum cedant. Et rursùs altera in Oratione: Excogitemus quemadmodùm de ijs, qui obiêrũt, benè mereamur. Auxilium, quod nobis in promptu est, ipsis offeramus, hoc est eleemosynas, & oblationes. Id enim vberem fructum atque ingentem vtilitatẽ ipsis accersit. Non enim hæc frustrà ac temerè instituta, Ecclesiæque Dei à sapientissimis ipsius discipulis tradita sunt, nimirùm vt sacerdos, pro ijs qui in fide obdormiêrunt, in tremendis mysterijs vota faciat. Probè siquidem nôrant hinc ingentem quæstum & vtilitatem ad eos redire. His etiam adstipulatur doctissimus Gregorius Nyssenus ad hunc modum loquens: Nihil inconsultè atque incassùm à Christi præconibus & discipulis proditum est, & in omnibus Dei Ecclesijs obtinuit: verùm id vtile ac Deo gratum est, nempe vt in diuino ac splendidissimo sacro, eorum, qui è vita in recta fide discesserunt, memoriam agamus. Hæc enim, Tu reddes vnicuique iuxta opera sua, &, Quæ quisque seminauerit, ea & metet, & quæ his similia sunt, proculdubiò de Creatoris aduentu, & horrenda illius temporis sententia, atque huiusce mundi consummatione dicta sunt. Tum enim ferendi auxilij neutiquàm tempus erit: verùm omnis deprecatio frustrà adhibebitur. Solutis enim nundinis, negociari iam atque quæstum facere non licet. Vbi enim tum pauperes existent? vbi psalmorũ cantiones? vbi beneficia & probæ actiones? Ac proindè ante horam illam id curemus, vt alij alijs opitulemur, ac benigno & hominum atque animarum amanti Deo ea, quæ ex fraternæ charitatis officio sunt, offeramus. Perlubẽter enim id accipit, ijsque, qui improuisò, atquè, vt ità dicam, imparati ex hac vita discesserunt, eas, quas propinqui ac familiares ipsi offerunt, prætermissi officij vices adscribit, perindeque reputat, àc si ipsimet his operibus functi fuissent. Sic enim facilis ille ac clemens Dominus à se postulari vult, eaque tribuere, quæ ab ijs, quos creauit, ad salutem petuntur. Ac tum demùm ad eorum preces omninò inflectitur, cùm quis non modò pro animæ suæ salute contendit, sed proximi quoquè causa operis aliquid nauat, (hac enim ratione Dei similitudinem in se expressam refert) aliorumque dona, vt sua beneficia, petit, ac perfectæ charitatis metam attingit, beatitudinemque, dum de proximi anima benè meretur, quammaximè percipit.

Quidnam autem est, quamobrèm graue ac molestum hoc quibusdam videatur? An non ea, quæ martyrio prima perfuncta est, Falconillæ vita functæ salutem attulit? At dices fortassè, hanc meritò, quia princeps martyr erat, hoc consecutam esse, æquumque fuisse preces ipsius exaudiri. Rectè, inquam, ais, eam primam martyrem fuisse. Velim autem hoc rursùs consideres, cuiusnam causa postulabat. Nempe pro Gentili, & Idolorum cultrice, prophanaque prorsùs opifice, atque à Christo auersa. Hîc autem fidelis pro fideli ad eundem Dominum preces fundit. Fac igitur alterum cum altero compares, vt res ipsa exæquetur. Confer te rursùs ab his ad alia eiusdem generis & facultatis, nimirùm ad Lausiacam illam Palladij historiam, in qua miracula à magno ac mirifico viro Macario edita verissimè perscripta sunt. Is etenim de ijs qui fatis cõcesserant, siccum quoddã craniũ sciscitatus, omnia perdidicit. Cumque ex eo quæsiuisset, Nunquámne igitur solatij aliquid inuenitis? (Vsi-

Marginal notes: Cap. 4. — Anniuersariæ exequiæ & alia pia exercitia pro defunctis Deo grata. — Hom. 3. ad Philippens. — Eleemosynæ & oblationes pro defunctis faciendæ. — Loca Scripturæ explanata Psal. 61. Gal. 6. — Missæ & cæteræ virtutes defunctos iuuant. — Cap. 5. — Falconilla precibus vitæ restituitur.

(Vsitatum enim ac familiare sancto viro erat, pro ijs, qui è vita migrauerant, vota facere, auebatque scire, an fructuosæ illæ atque vtiles essent) hoc Dominus, cuius mirus erga animas amor est, seruo suo indicare exploratumque reddere volens, veritatis sermonem sicco illi cranio inspirauit. Quo tempore, inquit, mortuorum causa preces offers, tum sanè nonnullius solatij sensu afficimur. Rursùs, alij cuipiam è diuinis Patribus, cuius discipulus quidam negligenter vitam instituebat, tandemque in ea incuria extremum vitæ spiritum ediderat, ille singulari misericordia atque erga animas beneuolentia præditus Dominus, senis lachrymis precibusque cōmotus, cum instàr diuitis illius, de quo in Lazari historia mentio fit, ad collum vsque deflagrantem ei ostendit. Ac deindè, cùm senex permultis sese laboribus afflixisset, Deumque cum lachrymis obsecrâsset, ad zonam vsque rursùs demonstrauit. Posteaque item, cùm vir sanctus labores laboribus adiunxisset, liberum prorsùs eum, atque ab ignis ardore vindicatum per visum seni ostendit. Et quisnam tot de his rebus testimonia, in Sanctorum vitis ac diuinis reuelationibus sita, ordine recensere possit, quibus id perspicuè ostenditur, defunctis, etiam post mortem preces eas ac Missas & eleemosynas, quæ pro illis fiunt, magnoperè prodesse? Neque enim quicquam eorum, quæ Deo mutuò dantur, omninò interit: verùm cum maximo fœnore ab eo rependitur. Nam quod ad illud Prophetæ attinet, In inferno quis confitebitur tibi? superiùs iam à nobis dictum est, minas quidem illius omnium rerum inspectoris graues atque horrendas esse: verùm eas ab ipsius humanitate, quam nulla oratio assequi potest, superari. Siquidem postquàm hæc Propheta locutus est, fuit profectò quibusdam in inferno confessionis locus, ijs videlicet, qui in salutari Domini descēsu fidem amplexi sunt. Neque enim ille vitæ author omnibus sine exceptione salutem attulit: sed ijs demùm, qui illic quoquè, vtì dictum est, ipsius fidem amplexi sunt.

Luc. 16.

vidésne defunctos orationibus viuorum adiuuari?

Psal. 6.

Dei misericordia ipsius seueritatem vincit.

Cap. 5.

Ac nonnulli quidem per eos qui antè crediderunt, Patres & Prophetas, & Iudices, & Reges, ac principes intelligunt, aliosque nonnullos Hebraici populi, qui facilè recenseri possunt, omnibusque noti ac perspicui sunt. Nos verò aduersùs eos, qui ità sentiūt, ad hunc modū disseremus. Nec beneficij loco ducendū, nec nouum ac mirum hoc censendū est, ijs nimirùm, qui crediderint, salutem à Christo allatā esse: quippè cùm solus ipse iudex æquitate pręstet, nec periturus sit, quisquis ipsius verbis fidem adhibuerit. Quocircà eos omnes salutem consequi, atq; ad Dei ac Domini descēsum inferni vinculis solui, necesse erat. Id quod etiā ipsius prouidentia contigit. At verò cuncti illi, mea quidem sententia, sola ipsius benignitate ac misericordia salutem acceperunt, qui etiamsì alioquì vitæ puritate excelluissent, atque optimis quibusque actionibus perfuncti fuissent, tenuiterque ac tēperanter & castè vixissent, tamen purā ac diuinā fidem haudquaquàm perceperant, vt, qui nulla omninò disciplina aut cuiusquam magisterio eruditi excultique fuissent. Hos quippè ille omnium moderator ac Dominus retibus diuinis inclusos sublimè traxit, eisque cùm diuinorum radiorum splendorem iniecisset, ac veritatis lumen ostendisset, ità eorum animos inflexit, vt in eum crederēt. Neque enim ille naturâ misericors, tot labores frustrà atque incassùm ab ipsis susceptos fuisse sustinebat. Perdifficilem enim & ærumnosam, ac, suprà quàm dici queat, angustā vitam duxerant. Nam & animi perturbationibus imperauerāt, & voluptates respuerant, & paupertatem ac continentiam ad extremum vsque coluerant, & vigilijs se confecerant, atque, vt paucis complectar, omnia virtutis munera, haud piè illi quidem, sed tamen expleuerant, summæque prouidētiæ, vt quidem ipsis videbatur, præstantissimè, tametsì nos sine erroris labe, cultum & venerationem adhibuerāt. Quin fuerunt etiam nonnulli, qui diuinam omnipotentis Trinitatis fidem, exiliter illi quidem ac perobscurè, sed tamen perceperunt. Alij autem Verbi incarnationem, venerandosque ipsius cruciatus, reditumque ad vitam prædicârunt. Alij ortum ex virgine, atque adeò nomen ipsius enunciârunt. Maria enim, inquit, nomen puellæ. Alij rursùs eximia illa omnia, naturæque vim excedentia, à Christo edita miracula vaticinati sunt, hoc est mortuorum excitationem, cæcorum, mutorum, leprosorum, surdorum, febricitantium, hydropicorum, ac manûs siccitate laborantium, paralyticorum, atque eorum, qui dæmonum intemperijs vexabantur, curationem, obambulationem itèm in mari, & panum ac piscium benedictionem, rursusque aquæ in vinum commutationem, hæmorrhoissæ deniquè ac curuæ prorsùs mulierculæ sanationem, vnà cum quamplurimis alijs rebus prædicentes. Hos, inquam, diuina Verbi potentia perire, optimarumque actionum fructu carere, minimè

Quinam sola Dei benignitate salutem acceperint.

S. Trinitas à quibusdā philosophis vtcunquè cognita.

Itèm Christi mors, vita, & miracula.

minimè sustinuit. Temporis enim pars, ipsi, vt diximus, commodata, in obscuritatem haudquaquàm abit: verùm omnibus ijs, qui vitæ curriculum honestè confecerint, seruata, cumulatiore posteà mensura refertur. Contrà, qui turpiter & sceleratè vixerunt, nihilque omninò, quod cum virtute coniunctum esset, egerunt, nec semen vllum aut fructum habuerunt: verùm & vita, & sermone, & fide prorsùs aberrârunt, nec, pluuia diuina cælitùs in eos fusa, vllum germen ediderunt, (neque enim, vt iam à me dictum est, sementem vllam fecerunt) nec, vt prorsùs steriles, illucente gloriæ Sole maturuerunt, his profectò nullo modo Christus profuit, nec lapsos, vt opinor, secum excitauit, vt qui salute penitùs indigni essent. Quin ne in ipsum quidē eos credidisse existimo. Primus etenim ille ex superbia in tenebras lapsus draco, quem à prima ætate coluerunt, mentes eorum ac spirituales cordis oculos cæcauit, vt videntes non viderent, quemadmodùm scriptum est, & intelligentes omninò non intelligerent. Reliqui autem omnes, qui semen susceperunt, illapsa pluuia germen protulerunt, atque exorto Sole maturitatem contraxerunt. En quò nos oratio prouexerit, vt rem penè opertam & occultam iuuante Deo explicaremus, atque id non velut sententiam quandam pronunciantes, (neq; enim id patitur nostra indignitas) sed rationibus atque coniecturis, vt charitas postulat, vtentes. Hi sunt videlicet, vt quidem mea fert opinio, quibus Christus in inferno salutem attulit. *Obstinatis peccatoribus Christi mors non prodest.* *Esa. 6.*

Sic igitur à nobis iuuante Christo demonstratum est, in inferno quoquè confessionem extitisse. Nec verò hæc eò cōmemoranda duximus, vt prophetiam euertamus, (procùl hoc Deus auertat) sed vt planum faciamus, illum bonitate omni præstantiorem Dominum ab humanitate sua clementiaque vinci: quemadmodùm in Niniue, Subuertetur: & tamen subuersa ac deleta non est, verùm iudicij seueritatem benignitas superauit. Et in Ezechia, Dispone domui tuæ, morieris enim & non viues: nec tamen morte abreptus est. Et in Achab, Inducam, inquit, mala: nec tamen induxit, verùm his verbis vsus est, Vide quo pacto compunctus est Achab. quamobrèm in diebus eius mala non inducam. Hîc quoquè rursùs benignitas latam sententiam vicit, quemadmodùm & in plerisque alijs iudicijs, semperque vsque ad extremum referendæ mercedis tempus superabit. Nam tum nundinæ soluentur, nec ferendi auxilij tempus erit: sed vnusquisque sarcinam suam gestandam habebit. Nunc verò & opis ferendæ tempus est, & tempus negociandi, & tempus contrahendi, & tempus laboris & ærumnæ. Ac beatus quidem ille, qui spe minimè titubârit atque elanguerit. Beatior autem, qui & sua & proximi causa laborârit. Nam hoc etiam misericordem Dominum impensiùs oblectat & exhilarat, cùm quisque ad proximum iuuandum celebri cursu contendit. Hoc, inquam, misericos ille vult, gratumque habet, vt nos omnes, tum in vita, tum post cōfectum vitæ curriculum, mutuò alij ab alijs iuuemur. Neque enim alioquì ansam hanc nobis porrexisset, vt eorum qui è vita migrâssent, in incruento sacrificio meminissemus, neque vt tertio & nono, & quadragesimo die, ac deniquè anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus, (quæ quidem citra vllam controuersiam Catholica & Apostolica Ecclesia, diuinitusque collectus ipsius populus, constanter ac sine vlla ambiguitate retinet) nisi hoc in ipsius oculis rectum esset. Non enim dubium est, quin, si ridiculum id esset, fructusque atque vtilitatis expers, cùm multi diuino numine afflati sancti viri, Patriarchæ, Patres, ac magistri extiterunt, hoc cuipiam eorum in animum iniecisset, vt errorem comprimeret. Atquì nemo ipsorum ritum hunc sibi vnquàm conuellendū & euertendum putauit: immò verò confirmauit: indiesque res hæc augetur, ac nouas subindè accessiones facit. Quòd si alios insupèr Historicos commemorare opùs est, prodeat in medium Gregorius Dialogus antiquioris Romæ Episcopus, vir, vt omnes nórunt, tum vitæ sanctitate, tum eruditione clarus ac celebris, quem, cùm sacris operaretur, cælestem ac diuinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse narrant. Hic cùm per locum lapidibus stratum aliquandò iter faceret, dedita opera constitit, intentissimasque pro peccatorum Traiani remissionē preces ad animarum amantem & misericordem Dominum fudit, statimque vocem huiusmodi diuinitùs emissam audiuit, Preces tuas exaudiui, ac Traiano ignosco. Tu verò posthàc caueto, nè mihi pro impijs supplex sis. Quodque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur. En hoc præstantius eo est, quod de Falconilla refertur. Illa enim præter idolorum cultum nihil aliud sceleris perpetrârat: hic contrà plurimos martyres crudelissima morte affecerat. Mirabilis es, Domine, & mirabilia opera tua: ac *Cap. 7.* *Ionæ 3.* *4 Reg. 20.* *Esa. 38.* *3. Reg. 21.* *Charitas in proximum quàm sit Deo grata.* *De precib. pro mortuis, nota.* *De hoc exemplo lege Vit. S. Gregorij Tomo 2. Martij 12.* *Psal. 138.*

tuam omni sermonis facultate præstantiorem misericordiam laudibus vehimus: quoniam nunquàm non ad benignitatem atq; clementiam pronus es, tuisque seruis, tum colendæ mutuæ inter se charitatis, tum firmæ ergà te fidei ac spei, occasionem præbes, nec frustrà ac temerè per seruos tuos id nos edocuisti, vt mutuò alij pro alijs beneficia præstemus, expiationesquè & holocausta, hymnosque itèm & psalmorum cantus atque orationes obeamus. Tu enim ab errore omni abes, distasq; plurimùm, atque ad largiendum promptus ac procliuis es, ijsque qui in gloriam tuam quiduis offerunt, vicem infinitis partibus maiorem rependis: nec quicquam omninò ex ijs, quæ nominis tui causa fiunt, fruge sua & vtilitate caret.

Cap. 8. Pulchra similitudo. Quocircà nè quis hoc existimet, Fratres ac Patres, ea quæ Deo cum fide offeruntur, non cum magno fœnore referri. Quemadmodùm enim qui vnguentũ, aut aliud oleum sanctum ægroto admouere cupit, primùm vngitur ipse, atque ità ægrotum deindè vngit: sic quisquis pro salute proximi laborat, primùm sibijpsi, ac deindè proximo, vtilitatẽ affert. Neque enim iniustus est Deus, vt boni operis obliuiscatur, quemadmodùm Apostolus loquitur. Quin magnus quoquè Athanasius in elegantissima illa Oratione, quam de ijs, qui è vita discesserunt, edidit, his verbis vtitur: Etiamsi in aëre collocatus sit ille, qui cum pietate diem vitæ extremum egit, tamen implorata Christi Dei ope oleum ac ceram ad ipsius sepulcrum accendere nè recuses. Grata enim & accepta hæc Deo sunt, ingensque ab eo præmium referunt. Oleum enim ac cera, holocausti instàr sunt: incruentum autem sacrificium, Deum placat. Beneficentia denique ergà pauperes, bonæ omnis remunerationis incrementum est. Quamobrèm ei, qui pro defuncto oblationem facit, idem sit propositum, quod illi, qui paruulum filium, ac prorsùs infirmum & imbecillem habet: ac deindè eo morbo laborante cereos & suffitum cum oleo coniunctum ad diuinum templum affert, eaque filij nomine adolet atq; absumit. Non enim hęc puer ipse tenet, atque offert, quemadmodùm nec renunciationes atque coniunctiones ipse obit, cùm diuinitus regeneratur. Consimilem in modum existimet eum, qui extremo vitæ die in Domino perfunctus sit, cereos & oleum, eaque omnia quæ pro ipsius redemptione offeruntur, & manibus tenere, & offerre. Hac enim ratione per Dei gratiam ab eo scopo, quem cum fide intuetur, haudquaquàm aberrabit. Nam & diuinarum rerum præcones Apostoli, & sacri magistri, & Spiritu sancto inspirati Patres, ac numine diuino, quantum fas est, correpti, potentiæque ipsius, quæ hominem extra se rapit, vtcunque participes effecti, diuino ore, vtì Deo gratum erat, ista omnia, hoc est Missas & preces, ac psalmorum cantus, anniuersariasque eorum, qui morte prærepti sunt, cõmemorationes instituerunt, atque sanxerunt. Quę quidem ad hunc vsque diem benigni Dei gratia, ab Ortu Solis vsque ad Occasum & Septentrionem ac Meridiem, in Domini Dei, qui regium in Reges imperium obtinet, laudem atque gloriam augentur, ac nouis subindè accessionibus amplificantur.

S. Athanasij de mortuis sententia.

Dionysius lib. de diuinis nominibus. cap. 4.

Cap. 9. Aduersariorũ obiectio diluitur. At, inquit aduersarius, si res ità se habet, omnes salutem consequentur, nec quisquam erit, qui ab ea aberret. Rectè sanè: atque vtinàm ità cõtingat. Hoc enim ipsum & sitit, & vult, & quærit, & expetit, atque in hoc gaudet & oblectatur, ille bonitate omni sublimior Dominus, vt nè quis diuinis ipsius beneficijs excidat. Quid enim? An præmia & coronas Angelis parauit? An ea de causa in terram venit, & ex virgine sine vlla corruptionis labe carnem suscepit, atque homo extitit, cruciatusque & mortem subijt, vt cælestibus Mentibus salutem afferret? An Angelis dicturus est, Venite benedicti Patris mei: percipite regnum quod vobis paratum est? Hoc certè, ô aduersarie, dicere non potes. Verùm quemadmodùm hominis causa passus est, sic & omnia ipsius causa parauit. Ecquis enim est, qui cùm epulas instruxerit, atque amicos inuitârit, non omnes ipsos venire, ac bonis suis satiari velit? Quorsùm enim conuiuium instruxit, nisi vt amicos suos exciperet? Quòd si hoc tantæ apud nos curæ est, quid de munifico illo ac solo naturâ quamoptimo Deo dicemus, qui cùm largitur ac tribuit, maiore gaudio perfunditur, quàm is qui accipit, ac salutem maximam sibi comparat? Hoc itaque tecum reputa, quisquis es, qui de ijs, quæ à nobis dicta sunt, ancipitis animi es, quòd quisquis ille sit mortalium, qui exiguum quidem virtutis fermentum collegit, cæterum non hoc consecutus est, vt panem ex eo cõficeret, verùm istud quidem in animo habuit, sed vel ob socordiam & incuriam, vel ob animi imbecillitatem, aut de die in diem dilationem, id nequiuerit, morteque præuentus, ac præter spem dissectus fuerit, hunc æquus ille Iudex ac Dominus haudquaquàm obliuiscetur:

Matth. 25.

Deus nunquã obliuiscitur suorum.

uiſcetur: verùm ipſi, poſtquàm è vita diſceſſerit, propinquos ac neceſſarios excitabit, eorumque mentes reget, & corda trahet, & animos ad opem & auxilium ipſi ferendum inflectet. Atque ità, Domino diuinitùs ipſorum corda tangente atque impellente, ſumma cum feſtinatione in hoc incumbent, vt prætermiſſas ab eo, qui è viuis exceſſit, officij vices expleant. At quiſquis rursùs improbam ac flagitioſam vitam, atque vndiquè ſpinis obſitam, impurisque materijs confertam duxerit, neque vnquàm in inſtituenda vitæ ratione conſcientiam in conſilium adhibuerit, verùm ſine vllo metu ac delectu in voluptatum cœno ſeſe volutârit, omnibus carnis cupiditatibus obſequens, de anima autem ne tantillùm quidem laborans, affectumque omninò carnalem habens, hic ſi ità hinc abreptus è vita migrauerit, neminem prorsùs habebit, qui manum ipſi porrigat: verùm ea conditione erit, vt ne ab vxore quidem, aut liberis, aut fratribus, aut cognatis, aut amicis, quoquo modo iuuari queat: vtpotè quem ne Deus quidem vllo loco ac numero habeat. Mihi enimuerò (ijsque quibus ego charus ſum) illud quidem, ſi fieri poteſt, contingat, vt mihijpſi ſubſidium feram, nec vllam officij partem inchoatam relinquam. Reproborũ verò nunq̃ recordatur.

Quòd ſi me fata antè interceperint, vtinàm ſaltem ille ampliſſima miſericordia præditus Dominus mihi propinquos & amicos inflectat, animasque ac corda eorum calore afficiat, vt per opera proba & Deo grata perquàm lubenter ac promptè mihi ſuppetias ferant, & ſi quid, pro humana imbecillitate, officij prætermiſerim, illud meo nomine poſt mortem meam expleant. Vtinàm inquam, Domine, qui miraculorum es Deus, ijsque qui penuria conflictantur, liberalem manum porrigis, nihil in aduentu tuo, quod vel mihi deſit, vel cuiquam eorum, qui fiduciam ſuam in te ſitam habent, reperiri queat. Sic quippè is etiam, cuius antè mentionem fecimus, diuinus præco Chryſoſtomus clara voce docet ac vociferatur. Atque vt præclariſſima ac prorsùs aurea ipſius verba rursùs vſurpem, Si, inquit, cùm adhuc ſuperſtes eſſes, non eò progreſſus es, vt animam tuam omni ex parte probè compoſitam haberes, ſaltem illud in vitæ calce tuis manda, atque impera, vt poſt obitum tuum facultates tuas ad te tranſmittant, ac per opera bona, hoc eſt eleemoſynas & oblationes, tibi ſubſidium ferant. Nam hinc quoquè fiet, vt cum Redemptore in gratiam redeas. Hæc enim ipſi grata ſunt, & accommodata. Ac rursùs idem alio loco: In tuis, inquit, codicillis vnà cum liberis & cognatis cohæredem quoquè Dominum ſcribe. Charta tua Iudicis nomen complectatur, nec pauperum memoriæ ſit expers. Atque ego horum fideiuſſorem me profiteor. Nec verò his verbis anſam atque occaſionem cuiquam damus, vt, dum viuit, ab eleemoſynis faciendis abſtineat, easque poſt mortem ſeruet. Abſurdum enim omninò ac profanum id eſſet, atque à diuina lege alienum. Quin potiùs id quidem pulcherrimum, Deoque gratiſſimum ac prorsùs acceptiſſimum eſt, vt quilibet homo pius, Chriſtique amore præditus, per omnia probarum actionum genera ſeſe purget, atque ab omni ſpurcitie cohibeat, clariſſimisque Dei præceptis arctiſſimè hæreat, vt cùm ad vitæ finem peruenerit, fidenti atque intrepido animo ad Dominum dicat, Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, sicque adurgentibus Angelis lætus obuiàm prodeat. Cap. 10. S. Iohannis Chryſoſtomi de eleemoſynis pro defunctis faciendis ſententia. Itém de oblationibus Miſſæ. Pſal. 107.

Verùm paucis iſtud ac rarò contingit, quemadmodùm ex his Domini verbis patet, Pauci ſunt qui ſaluantur. Quanquàm non ſimpliciter & abſolutè iſtud à ſumma ſapientia dictum eſt, verùm perindè àc ſi quis per admirationem dicat, Quàm pauci ſunt qui ſaluantur! Hoc igitur cùm nobis ſit exploratum, perquàm difficile eſſe, vt quiſpiam in prima claſſe reperiatur, ſecundam proindè, de Apoſtolorum ac Patrum ſententia, neceſſariò ſubiungimus, nimirùm vt per Dei benignitatem ijs, qui in fata conceſſerint, vtilitas afferatur, & charitas creſcat, & reſurrectionis ſpes confirmetur, & oratio fidesque in Deum robur concipiat, & crebriùs, acrioribusque animis ad diuina templa concurſus fiat, & benè de pauperibus merendi ſtudium amplificetur, latiusque ſeſe porrigat. En quot nominibus res hæc vtilis ac fructuoſa ſit, quotque rationibus nitatur ea vtilitas, quæ defunctis affertur. Siquidem ea omnia, quæ recenſuimus, ex ea occaſionem trahunt. Alioquì ſi cauſam ſuſtuleris, nihil eſt quamobrèm non ea quoquè, quæ ipſam ſequuntur, ſimul tollas. Etenim quę tandèm neceſſitas homines animi imbecillitate præditos adducet, vt excitentur, atque iſtud munus expleant, niſì compertiſſimum habeant fore, vt de propinquis Cap. 11. Matth. 7. Saluandorũ claſſes duæ.

atque amicis suis benè mereantur? Quin pauperum quoquè portiones in testamentis adscribi desinent, simulque etiam & Missæ pro mortuis, & hymnorum ac psalmorum cantus finem habituri sunt, & quadragesima cum tertijs ac nonis, & anniuersariæ commemorationes & ceremoniæ, quæ quidem à magistris haud frustrà inuentæ ac moribus receptæ sunt. Absit autem vt quicquam horum vllo modo vel sentiamus, vel suscipiamus. Quòd si quis pro peregrinis ac pauperibus, quique aliorum subsidiaria opera carent, nec quicquam in Missas piasque erogationes relinquere possunt, ad hunc modum loquitur, Quid tandem iste ait? An quia ipsi opibus destituuntur, exterasque regiones incolunt, nulloque loco ac numero censentur, nec habent qui laboris socios sese illis adiungant, propterea salutem non assequentur? Iniquitas ergò in Deum cadet, siquidem habenti daturus est, non autem habenti nihil tribuet? Apagesis istud, quisquis ex ipso es. Iustus enim est Deus ac Dominus, immò, vt veriùs loquar, iustitia ipsa, & sapientia, & bonitas, & potentia vera, ac per se consistens. Quocircà pro sua iustitia, pauperi, ac rerum omnium inopia laboranti, copias amplissimas rependet: pro sua sapientia id aget, vt ea quæ ipsi desunt, permutatione suppleantur: pro sua potentia id quod robustum est franget, & quod infirmum est corroborabit: pro sua bonitate id quod manibus suis effinxit, conseruabit: nisi quis perspicuè deploratæ improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit, in eaque causa sit, vt sinistra ipsius lanx deorsùm præ grauitate maiorem in modum propendeat.

Pauperibus & peregrinis quibus modis De⁹ subueniat.

Cap. 12. Hominum actiones velut in trutina expenduntur.

Narrant enim viri quidam diuinitùs illustrati, hominum actiones in extremo vitæ spiritu, non secùs atque in trutina perpendi. Ac siquidem dextra lanx supra alteram efferatur, non esse dubitandum, quin quisquis ille sit, inter dextros Angelos animam exhalet. Si autem paria vtriusque lancis momenta sint, Dei clementiam proculdubiò victoriam obtinere. Quin, vt à sanctissimis viris proditum est, etiamsi trutina nonnihil ad læuam vergat, tum tamen Dei quoque misericordia supplet id quod desideratur. Habes iam tres diuinas Domini sententias, quarum prima iusta est, altera benigna atque humanitatis plena, tertia bonitatem omnem excedit. Sequitur quarta, quæ quidem tum denique locum habet, cùm improbæ & flagitiosæ actiones nimiùm præponderant. Eheu, Fratres: nam hæc quoquè iustissima est, vt quæ damnatis non nisi iusta pronunciet. At illud quidam commemorabunt, quod ab illo orbis vniuersi lumine beato Basilio dictum est, Nolite errare, Deus non irridetur. Cadauer ad altare non adhibetur. Viuum enim, inquit ille, sacrificium tuum offer. Regis purpuratos ex mensæ tuæ reliquijs epulo accipere non potes. Etenim qui ex eo, quod redundat, offert, vt huius munus grato animo accipiatur, fieri omninò nequit. Tu verò ea, quæ post exactum totius vitæ curriculum tibi superfuerunt, ei, qui te beneficijs affecit, offerre non dubitas? Ad hoc nos ità respondemus: Præclarè magnus Basilius & loquitur & docet. Verùm ad quos orationem habeat, animaduertas velim. Nimirùm ad auaros, ad raptores, ad homines ab omni humanitatis fœdere ac misericordia alienos: quemadmodùm ipse testatur, cùm ait, Ad cor saxeum loquor. Et rursùs, Quandiù in vita versatus es, voluptatibus ac delicijs indulgens, ac luxu diffluens, pauperes ne contueri quidem sustinebas. Nunc autem cùm è vita excessisti, quæ tandèm merces operi tuo debetur? Ac rursùs, Vicini domus luminibus meis officit. Et, Auarus nec tempus veretur, nec limites vllos agnoscit: sed ignis instàr cuncta inuadit ac populatur, &, rapidi fluminis in morem, impetu suo, quicquid occurrit, secum trahit. Et alia his similia, quæ quidem ij omnes, qui in sanctissimum huiusce viri librum sedulò ac diligenter incubuerunt, aduersùs eos conferri non ignorant, qui pauperibus non modò nihil dederunt, sed ea etiam quæ habebant, eripuerunt. Neque mihi quisquam hìc dicat, Potéstne reperiri quispiam homo eiusmodi, qui cùm opibus circunfluant, pauperum tamen calamitate minimè commoueatur? Ità certè inueniri potest, quemadmodùm etiam, cùm multis alijs temporibus, tum clarissimi quoquè ac sanctissimi illius Iohannis Eleemosynarij tempestate inuentus est Petrus, quondàm publicanus, qui ex summa inhumanitate ac morum truculentia ad summam ac numeris omnibus absolutam erga pauperes misericordiam sanctitatemque sese conuertit. Cùm enim aliquandò, vt in beatissimæ ipsius vitæ libello proditum habetur, extra se raptus fuisset, suaque opera

Hom. ad diuites auaros.

Merces auari infernus.

Istius Iohannis Vita habetur Tõ. 1. die 23. Ianuarij.

opera ad lancem expendi videret, siligineum vnum panem, quem etiam ipsum ira percitus in pauperis cuiusdam faciem saxi loco coniecerat, in dextra trutinæ lance conspexisse dicitur. Atque hac visione commotus, ad ingentem pietatis magnitudinem beatus hic vir euasisse fertur.

Cap. 13. Itaque facilè ac sine vlla dubitatione constat, ad quosnam magnus Basilius eam orationem condiderit. Nam eo tempore fames ingens atque atrox exorta erat: ac diuites quidem tenacitate atque auaritia victi opes suas comprimebant: pauperes contrà egestate ac fame confecti peribant. Quamobrèm diuinus hic pastor aculeatis, simulque & inflectendi facultate præditis, & ad perstringendos animos accommodatissimis suis sermonibus diuitum horrea patefecit. (Benignitas eius in pauperes.) Nisi enim hoc orationis genus adhibuisset, nec pauperes fame leuati, nec rursùs diuites ad misericordiam inflexi fuissent. Atque hæc quidem ille. Nos verò pro virili nostra prouideamus, nè in horrendo illo & extimescendo die, hoc est in secundo Iudicis aduentu, à propinquis necessarijsque nostris eo nomine accusemur, quòd eorum saluti consulere neglexerimus, ijque præsertim, quibus id ab illis mandatum fuit, velutque fidei nostræ commissum. Neque enim hoc quisquam existimet, nos in formidabili illo cœtu ignotos inter nos fore. Nam profectò proximum quisque suum agnoscet, non quidem ex corporis figura, verùm perspicaci animæ oculo. (Proximum quisque suū in resurrectione mortuorum agnoscet.) Vndè hoc demonstremus, poscis? Audi Christum Dominum in pauperis Lazari parabola id apertè docentem. Sublatis, inquit, oculis diues pauperem Lazarum in Patriarchæ Abrahæ sinu sedentem, itemque Abrahamum agnouit. (Luc. 16.) Nec est quòd quisquam hoc contendat, quia parabola res ea sit, idcircò quod probandum susceperam, haud satis probatum atque confirmatum fuisse. Quandoquidem diuinæ Saluatoris nostri narrationes, tam certarum ac stabilium rerum sunt, quàm earum quæ contingere possunt, aut etiam quæ certissimis argumentis nituntur. (Christi parabolæ non sunt contemnendæ.) Quin, vt est apud Iohannem Chrysostomum, non eos duntaxàt, quos hìc nouimus, sed eos quoquè, quos nunquàm vidimus, agnoscemus. Nam nec Abrahamum, nec Isaac, nec Patriarchas, nec Prophetas, nec Apostolos, nec Martyres vnquàm vidisti: & tamen, cùm eos in amplissimo illo & horrendo cœtu conspexeris, protinùs agnosces, ac dices: En Abraham, & Isaac, & Iacob, & cæteri Patriarchæ. En Petrus & Paulus, & omnes Apostoli. En Dauid Dei parens, & Prophetarum examen. En præcursor Iohannes, & Stephanus princeps martyr, & sanctorum agmen. Ac rursùs ille diuinarum rerum peritissimus Basilius ad auaros sermonem habens: Non tibi, inquit, Christi tribunal ante oculos pones? cùm videlicet ij, quos iniuria affeceris, vndiquè te cingent, & clamoribus insequentur? Nam quocunquè tandèm oculos conuerteris, perspicua scelerum tuorum simulacra conspicies: hinc pupillos, illinc viduas, aliundè pauperes quos pugnis contudisti, famulos quos flagris laceràsti, vicinos quorum animos offendisti, & quæ deinceps sequuntur.

Cap. 14. Beatus itèm Effrem, exactissima secundi Christi aduentûs cognitione imbutus, ad hunc modum loquitur: Tunc, inquit, liberi parentes condemnabunt, vt qui probis actionibus minimè animum adiecerint: atque in illa hora familiares ac necessarios suos miseri cernent. Cumque nonnullos ex ipsis in dextra parte collocari viderint, seiuncti ab ipsis, extremumque vale ipsis dicentes, in fletum erumpent. (Fletus damnatorum horribilis.) Ac rursùs ille Theologi cognomentum consecutus: Tunc, inquit, Cæsarium, clarum, illustrem, & gaudio exultantem perspiciam: qualis mihi etiam in somnis visus es, fratrum charissime. (Oratio funebri in Cæsarium.) Ille insupèr, & vita, & doctrina clarus, Ecclesiæque Dei columen, Athanasius, de ijs qui in Domino mortem obièrunt, ad hunc modum verba facit: Illud quoquè Deus ijs, quorum certa salus est, concessit, vt vsque ad communem resurrectionem animis vnà versentur & oblectentur, diuina beneficia, quæ ipsis tribuenda sunt, expectantes. Peccatores contrà hac quoquè consolatione orbati sunt. Non enim eam vim habent, qua sese mutuò internoscant. (Impij in iudicio sese minimè agnoscent.) At verò in amplissimo illo ac generali theatro, quemadmodùm actiones omnium detectæ, ità omnium quoquè facies omnibus notæ atque conspicuæ erunt, quoadusquè omnes extremùm à se inuicem seiungantur, atque, quem sibi quisque locum parauit, in eum mittatur.

Ac iusti quidem, & cum Deo, & secum vnà erunt: peccatores autem in exteris ac miseris locis, etsi alij cum alijs, sic tamen vt mutuò sese minimè agnoscant. Nam huiusmodi quoquè, vti antè dictum est, solatio carebunt. Quonam enim alioqui pudore suffundentur ij, qui tum in pudore atque infamia versabuntur, si non omnibus conspicui sint? Etenim tum deniquè ingens & grauis pudor oboritur, cùm quispiam simul & agnoscit, & agnoscitur. Quisquis enim erubescit, eos demùm, quibus notus est, erubescit. Quandoquidem is, qui ignotus inter ignotos versatur, in nulla propemodùm infamia versatur, cùm erubescit. Quòd itaque omnes nosmet mutuò agnituri simus, extra dubitationem omnem & controuersiam est. Ac tum omnes, qui turpiter & fœdè vixerunt, ante omnium oculos coarguentur. Ac proindè, ó miseros omnes meî similes! Et, vt beati Effrem verbis vtar, Væ ijs, qui in sinistro ordine censebuntur. Contrà, beati, ac summè
Matth.25. beati, quos Dominus à dextris collocabit, quique benedictam illam vocem audient: quam vtinàm diuino beneficio nobis omnibus, qui orthodoxam fidem seruauimus, audire contingat, ac bonis illis omnibus impleri, quorum pulchritu-
1.Cor.2. dinem, nec mortalium oculus vidit, nec aures prorsùs audièrunt, nec mens omninò cogitatione complexa est. Amen. Ità contingat, Domine, vitæ dator, intercedente purissima matre tua, materiaque carentibus ac venerandis Angelis tuis, atque omnibus simul sanctis tuis, qui tibi ab orbe condito grati fuerunt.

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS *EVSTACHII AC THEOPISTES, ET DVOrum filiorum Agapij & Theopisti: Authore Simeone Metaphraste. Habetur in tomis Aloysij.

*Eustathij

2. Nouembris, iuxta Latina martyrologia. Cap. 1.



TRAIANO tenente sceptra Imperij Romanorum, cùm rabies cultûs simulacrorum totum orbem terræ peruasisset, magnus ille Eustathius erat Dux exercitûs, & vocabatur tunc Placidas. Hoc autem imperium non aurum ei comparauerat, nec inconsideratum donârat beneficium eorum, qui illa solent conferre: sed aduersùs hostes suscepta certamina, & multæ partæ victoriæ, id ei mercedem dederant & præmium. Is genere quidem erat clarissimus, diuitijs autem abundantissimus, virtute verò & honestis moribus maximè insignis. Non solùm enim erat eximius fortitudine in hostes, sed multò magis erat strenuus in vincendis animi perturbationibus. Neque enim sustinebat, dum vinceret externos hostes, à suis ipse vinci animi motibus. Propterea & curam vitæ gerebat moderatæ, & accuratè studebat iustitiæ: & erat ei larga manus, & benefica in egenos: quæ non solùm didicerat torquere hastam, sed etiam multò magis pauperes alere munificè: & latēdo hominum oculos, benefacere pluris faciebat, quàm apertè hostes fundere ac profligare. Nam etsi adhuc erroris tenebris tenebatur, & cultûs idolorum insania, bonis tamen operibus gloriabatur: atque
Psal.51. olea quidem fructifera, vt diuinus Dauid dicit, cognoscebatur. Nè autem staret
Act.10. in domo Domini, solùm à fide prohibebatur, vt qui nouus quidam Cornelius videretur illo tempore. Erat autem ei vitæ socia, quæ studebat ei similiter esse socia virtutis. Porrò autem illis paulò antè nati erant duo filij, quos ità educabat, vt ex fructu esset arbor manifesta: & non magis ex corporeis lineamentis quàm ex animæ nobilitate appareret similitudo. Tanta autem emanauerat in hostes fama vir-

Virtutes Eustachij adhuc gẽtilis.

Itèm eius vxoris & filiorum.

tutis Eustathij, vt vel solo nomine ipsis esset terribilis: quem cùm audiuissent adesse, satis habebant, si fuga sibi consulerent. Quandò vero ei à bello in hostes gerendo dabatur requies, oblectabatur venatione, quæ est belli meditatio.

Porrò autem cùm ei aliquandò egresso ad venandum renunciâsset explorator, ceruorum armentum non procùl pasci, Dux quidem, vt mos est, disponebat eos, qui secum venabantur, & ordinabat venationem. Interìm autem dum occupati essent, qui cum eo erant, in dumis apparens quidam ceruus ingentis magnitudinis, & cursu alios anteuertens, illius ad se conuertit oculos: & tanquam insignis quidam hostis, prouocabat illum vt secum confligeret. Atque eorum quidem, qui cum eo venabantur, alios, sicut ordinauerat, ità armentum ceruorum persequi siuit: ipse autem cum paucis, laxatis frenis vehementer magnum illum persequebatur. Deindè, alijs iam defessis, solus ipse post eum currebat, cum nec equus esset defessus, nec retardatus esset eius impetus, donèc ceruus, cùm eum vidisset solum relictum ab alijs, in verticem montis, & præruptam petram, quod quidem cerui naturam superat, insiliens, & pedes repressit à cursu, & venatorem à persecutione. Hoc autem erat, non venatorem esse prædæ propinquum: sed ipsum cerni captum ab eo, quem persequebatur. Nam cùm Dux consideraret, quanam posset via petram conscendere, & à tanta præda non excidere, capitur ipse potiùs à diuina & magna sapientia. Nam supra caput Cerui, qui apparuit, & ex vtroque eius cornu, salutaris Crucis erat signata figura, colore admodùm splendido & luminoso: in ipsa autem ille, qui carne fuit pro nobis passus, tanquàm in tabula formatus erat in aëre. Ex illo autem spectaculo vox quædam audiebatur, dicens: Placida, quid me persequeris? (Ità enim adhuc vocabatur Eustathius) Ego sum Christus Iesus, qui tuis delectatus virtutibus, non pulchrum esse iudicaui tantas virtutum copias tegi sub profundis tenebris cultùs simulacrorum, & eas perire temerè. Nihil enim aliud fecit me in terram venire in hac, quam vides, forma, cùm sim Deus, & cælos habitem, & ab intelligentibus adorer virtutibus, quàm amor in homines, & velle eos omnes seruare.

Cap. 2. Oblectatur Eustachius frequenti venatione.

Videt in Cornibus cerui Crucifixi effigiē.

Placidas autem hac tam noua forma & voce obstupefactus, statìm ex equo décidit, partìm quidem non ferens ad talia accedere spectacula & auditiones: partìm autem etiam ex ijs, quæ euenerant, honorans eum, qui respondebat. Postquàm vero à magno stupore ad se redijt, & iam apud se fuit: Quis es, Domine? rogauit cum magno animi metu. Et rursùs audit vocem resonantem à sacra illa imagine: Ego sum Iesus Christus, qui vt vniuersum ex nihilo consisteret effeci, & hominem proprijs effinxi manibus, & non hactenùs benignitatem ostendi & clementiam, sed etiam à peccato rursùs contritum erexi. Et deincèps omnia enumerat, carnis susceptionem, crucem, mortem, sepulturam: ex quibus libertas nostro generi accessit, in seruitutem redacto nostro aduersario, & assensus in cælum, & bonorum, quæ dici non possunt, participatio. Quæ cùm audijsset Eustathius, qui ipse quoque, sicut Paulus, erat diuinis initiatus mysterijs, credit ijs, quæ audiuit & vidit: & ex operibus ostendit, cælestem illum Agricolam gaudio affecit, qui non in petras aliquas, nec spinas, sed in bonam terram semina deiecerat. Ei enim in tempus quoque, quod est consecutum, reddidit fructus fide dignos. Rursùs igitur vocem audit admirabilem ei iubentem, vt proficisceretur in ciuitatem, accederetque ad sacerdotem Christianorum, & ab eo citò purificaretur viuifico baptismate cum vxore, & liberis: deindè huc rursùm reuerteretur. Tibi enim, inquit, rursùs apparebo, & ostendam futura, & reddam manifesta salutis mysteria. Et hæc quidem Deus.

Cap. 3. Christus à sacra illa imagine illi loquitur. Act. 9.

Dux autem exercitùs Placidas, cùm domum venisset, singulatìm omnia narrat vxori, tam quæ viderat, quàm quæ auribus acceperat. Nondùm loqui desierat, & statìm vxor, (nam ipsa quoquè aliqua ex parte gustârat hæc bona arcana) O Domine mi, inquit, vidisti Crucifixum, quem genus Christianorum honorat rectè faciens? Deindè ea quoquè adiecit, quæ sibi euenerant. Ei enim diuina visa in somnis apparentia, rerum magnarum faustum attulêre nuncium, dicendo: Tu, & maritus tuus, & filij cràs ad me venietis: & accuratè scietis me esse Iesum Christum, qui possum dare salutem ijs, qui me diligunt. Si tibi ergò optimum videtur,

Cap. 4. Visio vxoris eius.

domum reddit vacuam famulis: deindè autem serpens, aggreditur omnes equos, & mulos, & boues, & exedit omnes eorum greges, adeò vt breui omnis eius brutorum animantium possessio funditùs interierit. Hoc autem præclarum par decertatorum intelligit quidem hoc esse principium & prooemium tentationum: ferebat verò forti animo, párens sapienti Iacobo, qui in sua epistola iubet nos omne existimare gaudium, quandò in varias inciderimùs tentationes. Causa autem: quòd probatio, inquit, fidei operari nouit tolerantiam. Ferebant ergò forti & generoso animo ea, quæ inferebantur. Hoc autem solùm petebant, nè eos desereret gratia tolerantiæ benignè adspiciens. Iacob. 1.

Sic autem repentè priuati omnibus, quorum erant domini, hominibus scilicet, & iumentis, cùm in media patria naufragium graue sustinuissent, & perindè ac somnium adspicerent ea, quæ accidebant, neque possent quidem sibi credere, se esse illos, qui erant paulò antè splendidi, & qui suspiciebantur ab omnibus: amicorum oculos pudore afficientes, & minimè ferentes, spectaculum miserabile, & lachrymarum occasionem se esse propositos vicinis, notis & vniuersæ ciuitati, statuerunt exulare, & peregrè in alienam proficisci regionem, voluntarium exilium pro charissima patria potiùs eligentes, quàm habere tam multos testes calamitatis: & malentes potiùs seruire mercede, & viuere miserè in aliena regione, quàm in medio illorum habitare, qui & eorum priorem nouerant felicitatem, & casum, qui tunc eis acciderat. Hominibus enim honesto loco natis, afflictione quauis & calamitate, laboribusque & perpessionibus, & quauis re molesta grauius est dedecus. Cùm sic ergò statuissent, & sic esse faciendum animis suis persuasissent, pauca accepta supellectile, & quantam ferre poterant cum onere filiorum, sub noctem & tenebras ineunt viam, quæ ducit in Aegyptum. Cæterùm quidam ex ijs, qui prope eos habitabant, & quibus studio erat malefacere, cùm sensissent domum vacuam habitatoribus, & in eam repentè irrupissent, omnia quæ in ea supererant, vestesque preciosas, cùm nullus esset, qui prohiberet maleficia, ambabus hauriebant manibus, nihilo visi dæmone mitiores, qui inferebat eis tentationem. Cap. 7. Reb' omnibus priuatur. Proficiscitur clàm in Aegyptum.

Illo autem tempore in ciuitate erat festum publicum. Festum autem erat triumphus de victoria cōtra Persas. Oportebat verò Ducem quoquè adesse exercitûs, festi futurum magnam partem. Cùm autem esset quidem ciuitatis valdè lætus habitus, & esset totum theatrum lætitia erectum, non adesset autem Dux exercitûs, & nusquàm esset, qui festo præerat, omnes inuasit stupor commixtus tristitia: & nec ipse quidem Imperator fuit expers illius affectionis. Cùm autem ad eorum venisset notitiam, quæ passus fuerat Eustathius, & quantis illius domus percussa fuisset calamitatibus: & quòd dolore victus, & non ferens dedecus, peregrè esset profectus, à notorum oculis se procùl remouens, incessit omnes maxima tristitia, & in apertam animi ægritudinem mutata est lætitia: omnesque magistratus, & ipse Imperator erat tristis, vt qui tanti viri iacturam ferre non possent æquo animo. Atque omnes quidem ferè latebat modus mutationis, & translatio religionis. Inclytus autem Eustathius simul cum vxore, & liberis pergens, sicut diximus, in Aegyptum, appellit in quoddam litus, & quendam portum. Quo in loco cùm scapham inuenissent enauigantem, ei seipsos tradunt. Et mare quidem erat trāquillum, & secundus ventus agebat nauem: mare autem calamitatum, eis rursùs efferabatur. Cap. 8. Dolet Imperator cū suis, aduersas vices S. Eustachij.

Nauis enim dominus, cùm esset genere quidem barbarus, moribus autem impudicus & intemperans: qui cùm pugnare quidem aduersùs mare, & resistere violentiæ ventorum (nescio tamen an rectè) sciret, aduersùs vitiorum autem ingruentes flatus, & insolentes carnis appetitiones, se valdè mollē præbebat & procliuem. Hic ergò cùm in Theopisten coniecisset oculos, & eam vidisset esse pulchram, & lasciuis oculis eam esset intuitus, specie captus fuit mulieris, & in illius vultum defixos tenebat oculos. Cùm iam autem desijsset nauigatio, tunc Barbarus, manu iniecta in mulierem, dicebat se non esse eam dimissurum, sed eam velle pro mercede nauigationis. Cùm autem promitterent se omnia esse soluturos, ex quibus sit multiplicata merces ei pendenda, ille ne omninò quidem audire sustinuit: sed eos toruo adspectu & cædem spirante adspiciens, illam quidem rursùs traxit validiùs, à qua ipse magìs vicissim miserè trahebatur. Eustathio autem, nisi taceat, & satis habeat, si cum solis seruetur filijs, at hoc tibi, ensem intentans, dicebat: Hic tibi, vel inuito imponet silentium. Cap. 9.

Atque

Vxor illi vi aufertur. Atque metu quidem statim magnus diriguerat Eustathius: & erant quidem ei manus vinctæ, & lingua, partim quidem minis barbari, quæ promptam habebant cædem, & vt quidlibet aliud facilem: partim autem, & multò magis propter inopinatam calamitatem.

Cap. 10. Porrò autem, licèt inuitus, vir diuinus, acceptis filijs, ibat per eam viam, quæ ducit in Aegyptum, sæpè retrò conuertens oculos, & vxorem, quousquè licebat, permittens eos intueri. Cùm nesciret autem quid ageret, nec esset qui opem ferret, erat animi dubius, & dissecabatur doloribus. Neque enim licebat lachrymari, cùm immodica affectio, tanquàm flamma, naturalem depasceret humiditatem. Sedenim hanc, sicut omnes scitis, calamitatem, quæ est grauissima viro coniuncto coniugi, & quæ super alia omnia intensum affert dolorem, abscondit id quod est dicendum. Quomodo enim Deus, vt qui sit bonus, nũquàm cessat benefacere: ità etiam malum contrà, malefaciendi nunquàm capit satietas. Hic enim vir præclarus, tanquàm suî dimidia parte cæsus, & qui propter vxoris calamitatem nullum haberet solatiũ præter lamentationes, abibat solos ferens filios, qui ipsi quoquè parentem reuocabant in memoriam. Et grauibus quidem doloribus animi sauciatus, ferens tamen, & Deo agens gratias pro sapientibus iudicijs, & recta eius dispensatione, peruenit ad quendam fluuium, qui propter vehemẽtes fluctuum impetus, & aquæ multitudinem, non poterat facilè transmitti. Cùm non posset ergò cum filijs transire Eustathius, vnum primum humeris impositum traiecit. Cùm autem, eo humì deposito, reuerteretur, alterum accepturus: videt filium, ad quem properabat, direptum sæui leonis vnguibus. Medium cor meum tetigit dolor, & vestrũ etiam, vt arbitror, quibuscunque res gesta venit in mentẽ. Quòd si sic afficiuntur ij, qui audiunt, quomodò putatis patrem fuisse affectum? Sed sic quoq; euasit ille superior calamitatibus. Nam & si pater erat, studebat etiam esse filius, Patri párens cælesti.

Agit gratias Deo in summa calamitate.

Filium tollit leo.

Cap. 11. Sed est adhuc attendendum: habet enim aliud quoq; argumentũ calamitas. Postquàm enim sustinuit graue hoc spectaculum intueri oculis, corde grauiter sauciatus, & dubitans quid ageret, cùm de eo desperâsset, ad alium est conuersus: & ad eum, quem dimiserat, deincèps reuertebatur, solam spem, solam generis successionem. Sed quidnam accidit? Mea vincitur lingua, vel ad solam enunciationem: neque scio quomodò narrabo, quod euénit. Cùm nondùm fluuij ripæ appropinquâsset, nõdùm prioris filij luxisset calamitatem, adhuc ignem doloris spirans, adhuc incẽnsus visceribus, & in alterum intendens oculos. videt illum quoquè (ô acerbum spectaculum, ô miseros oculos) ore lupi portari, & a bestia edẽdum abduci. Quomodo vidit? Quomodò tulit? Quomodò sustinuit spectaculum? Quomodò non ipsam quoquè amisit animam? Num clarum est, quòd Dei manu ipsum sustinente, qui scit dolore affectos consolari, & facit, sicut dicit Paulus, cum tentatione prouentum etiam, vt possint ferre? Ad se ergò paulatìm reuersus, & solam spem diuinam appræhendens, rursùs viam est ingressus, opibus spoliatus, exul à patria, priuatus vxore & filijs, homo re vera mare malorum & calamitatum.

Alterum filium lupus absportat.

1. Cor. 10.

Cap. 12. Verumenimuerò vide rursùs prouidentiæ, quæ dici non potest, in eum beneuolentiam: & quemadmodùm consueuit id, quod est eius acerbum & molestum, in fine efficei plenum gratijs, felicibus ac bonis euentibus, summisque gaudijs. Ex bestijs enim, quæ filios abstulerant, leo quidem, simulatquè puerum rapuit, fluuium superiùs transmittens ibat in solitudinem. Sed qui balenæ vinxit ventrem, adeò vt Prophetæ, qui erat intùs, nullum afferret damnum, is ne nunc quidem puerum omninò neglexit. Effecit enim, vt pastores in leonem incurrerent: illæsumque, & ab omni malo purum puerum os eius redderet. Lupus autem, qui ipse quoquè incidit in aratores, ex ore suo, tanquàm ex thalamo aliquo, intactum, & morsu inoffensum eis reddit infantem. Propinquas igitur isti habentes inter se habitationes, pastores, inquam, & qui terram colebant, acceptos infantes apud se alebant, reuerentes, si nihil aliud, bestiarum humanitatem, nè viderentur bestiæ in homines hominibus benigniores. Ignorabant autem omninò & ipsi, & infantes eam, quæ erat inter illos inuicem, cognationem.

Ionæ 2.

Vterque filius conseruatus.

Cap. 13. Deindè post has multas plagas & victorias, animo robustus & magnus Eustathius, alimento etiam indigens, & ad suas manus adspiciẽs, & ex eis solis sibi victum parans, erat mercenarius, labore nutrimẽtum sibi quærens: vel potiùs ad supernam manum beni-

S. Eustathius victitat labore suo.

benignissimam largissimamque intuens, quæ quidem aperta scit omne animal im- Psal. 144.
plere benedictione, ab ipsa petebat, vt vitæ suæ prospiceret. Sic ergò faciens, orabat sine intermissione in cõtrito corde, & spiritu humiliatis: Nè me derelinquas, dicens, vsq; ad finem, ô benigne & clemens: sed ori meo & cordi imposita custodia tuæ visitationis, præsta mihi, vt per tolerantiam & gratiarum actionem, quod vitæ est reliquum, transigam: & sic inueniam quietem à multis afflictionibus: Quoniam es benedictus in secula. Deindè rursùs ea, quæ sunt modesta, attingens, & sibi velutì colligens occasionem lamentationum: & carnem quidem volens comprimere, modestum autem sibi reddere spiritum, simul quidem Deo agebat gratias, & de se canebat talia: Hei mihi, dicens, qui aliquandò in mundo germinabam, ac florebam sicut arbor: nunc autem affectus sum sicut terebinthus, quæ amisit folia, & sicut hortus, qui non habet aquam. Quæ quidem apud Iudæos aliquandò habuerunt locũ minarum. Hæc quoque rursùs dicebat, quæ Iob socius certaminis: Quis mihi tribuat, vt sim iux- Iob 29.
ta menses pristinos, secundùm dies, quibus Deus me custodiebat? quandò lucebat lucerna eius super caput meum: quandò ipse faciebat visitationẽ domûs meæ, quandò viæ quidem meæ manabant caseo, montes autem mei manabant lacte. Nunc autem vel maximè solus sum relictus, desertus ab opibus, desertus à famulis, desertus à Plures susti-
cõiuge: cui nec (hei mihi) permissum est habere charissimos filios, neq; vllum alium, net tentati-
qui me consoletur & recreet. Deindè rursùs etiam in cælos intuens: Memini tui, di- ones q̃ olim
cebat, Iesu Christe, qui dixisti fore, vt Iob similes sustinerem tentationes. Nunc autem Iob.
video mea esse plura, quàm quæ fuerunt illius. Nam illi quidẽ & vxor aderat, & conspectus amicorum, & solum patriæ, iucũdum spectaculum: ego autem priuatus sum his omnibus, pauper, orbus filijs, sine vrbe, sine domo, sine amicis, ipsa vitæ socia vi priuatus: in ijs quidem, quæ molestiam & dolorem afferunt, ei similis: in ijs autẽ, quæ possunt consolari, nihil ei similis. Hæc dicebat, & quæ sunt his similia, gemitibus & solis lachrymis magnum cordis pondus sustinens, adeò vt in eo impletum sit, ei fuis- Psal. 41.
se panem lachrymas noctũ & interdiũ.

Cùm autem quendam pagum, cui nomen est Badisus, ille multorum viæ laborum Cap. 14.
sibi statuisset terminum, in ipso Dux exercitûs (pròh dolor) terram colebat alienam, & ventri mensam parabat pauperem. Prope pagum autem (ô admirabilem tuam, Saluator, prouidentiam) eius quoq; degebant filij, nihil de ea, quæ erat inter se inuicem, cognatione, ne tantillùm quidem scientes, vt diximus, neque illi, neque ipsi rursùs, qui aluerunt. In eo autem Dux exercitûs egit annos quindecim: aliquandò qui- Ecce vir tã-
dem ipse terram operans, aliquandò autem custos fructuum pagi effectus, & pro tus, ad quã-
hac custodia suam locans operam. Ille verò Barbarus, qui per multam reuerà petu- tã seruitutẽ
lantiam & intemperantiam Eustathij acceperat vxorem (nam huc quoque peruénit redactus.
iucundissimum prouidentię consilium) exultabat quidem, & lætabatur hanc habens in manibus: ex ea autem nullum alium percepit fructum, quàm vt videretur malus. Ducebatur enim à superna manu, quomodò placebat mulieri. Et quomodò cùm Pharaonem Deus olim magnis compressisset examinationibus, marito diuinè con- Gen. 12.
seruauit Saram, nulla affectam contumelia: ità etiam Theopisten, cùm morte mul- Pius vxor
ctâsset Barbarum, à nefario concubitu intactam conseruauit marito. Cùm ille ergò seruatur in-
sceleratus è viuis, vt par erat, excessisset, Theopistæ in ea regione manendi magna da- tacta.
batur potestas. Sed ne hoc quidem adhuc erat manifestum Eustathio, vt vel ex hoc paruam aliquam caperet consolationem.

Sed vide quidnam sit deincèps consecutum. Interìm etiam dum hæc fiebant, gens Cap. 15.
illa barbara, apud quam degebat Theopiste, fractis, quæ cum Romanis inierant, fœderibus, fecit incursionem in agros Romanorum, & maxima præda abducta, integri & salui in suam redierunt regionem. Hoc valdè angit eum, cui credita fuerant sceptra Imperij Romanorum. Vndè cùm animo agitaret, Romanis illatam vlcisci iniuriam, consequenter ei etiam venit in mentem eius, qui hoc bellum rectè poterat suscipere. Is erat Eustathius. Protinùs autem nihil cunctatus, ad eum quærendum mittit Tra- Traianus
ianus. Is enim erat, vt est iam dictum, qui tunc administrabat Imperium Romano- cum vbiquè
rũm. Fuit ergò quæsitus per omnem regionem, & ciuitatem: & inuenturis non parua iubet inquiri.
fuit merces proposita. Cùm multi autem alij propterea dispersi essent in multas partes orbis terrarum, duo quidam viri (Hi vocabantur Acacius & Antiochus, qui exercitum ducenti Eustathio ministrabant, & militari fungebantur munere, & in eo cognoscendo alios superabant) magno confecto itinere, non sine Dei numine ad hunc

hunc vicum omninò perueniunt, in quo agros colens Eustathius, suis alebatur manibus. Cùm autem ad eum propiùs accessissent, nihil certi poterant ex specie agnoscere. Erat enim vultus mutatus, eorum, quæ molesta fuerant, multitudine: & ex magna illa afflictione, obscura, & non aperta formæ seruabat vestigia: & alioquì eius habitus planè vulgaris & plebeius, vilisque & omninò abiectus, efficiebat, vt ij procùl abessent ab illius viri cognitione, qui inter multos erat insignis, & paucos habebat sibi similes.

Cap. 16. Agnoscit se quærentes vir sanctus, sed nō agnoscitur à suis.

Ille autem eos ignoratus agnouit, & hoc cor eius valdè commouit, cùm notos esset contemplatus: idq; ei priora reuocauit rursùs in memoriam: & iam maturata renouabatur & recrudescebat affectio. Cæterùm ad se rediens vir pręclarus, fortiter ferebat, & tacebat, vt non solùm hostes, sed etiam seipsum cerneretur vincere posse. Nondùm qui missi fuerant vocem eius audierāt, sed solùm eos, in quos inciderant, interrogabant, an eorum aliquis vnquàm talem vidisset quempiam, ostendentes Eustathij magnam inquisitionem. Ille autem etiamsi sic magnum sentiret animi motum, nihil aliud faciebat, quàm Deum rogabat, solam & certam cōsolationem: Siste, dicens, ô clemens, siste eius, qui nos odit, inexplebiles aduersùs nos insidias, qui solus naturæ nôsti imbecillitatem: præbe tolerantiam, adijce, benigne, consolationem, &, si non ad iram prouoco rogans, si non boni viscera afficio molestia, quòd videar meiipsius maiorem curam gerere, quàm tu, Rex, quomodò ostendisti mihi notum eorum vultum, qui aliquandò famulo tuo familiariter seruiebant: ità tibi placeat à me quoq; videri eam, quām mihi dedisti adiutricem, quę etiam omninò tua prouidentia ab initio fuit mihi coniuncta, si nondùm eam interfecit barbara illa anima, quæ ex æquo vincebatur ab ira & voluptate. Miseros enim meos infantes, cùm sciam, quemadmodùm rapti & exesi fuerint à bestijs, nescio quomodò non mea ludificer petitione: sed ipsis hoc solùm rogo, Domine, vt in communi vniuersa generis nostri resurrectione, illorum fiam spectator, & perpetuò simul cum eis exultem. Sic compleuit preces, & vocem audijt cælitùs, dicentem: Esto bono animo. nam & vita tua priorem accipiet gloriam, & accipies vxorem, & ea quæ sunt tibi charissima.

Diuinitùs lapsa vox, eum consolatur.

Cap. 17.

Hæc postquàm audiuit Eustathius, mixtus erat gaudio & timore, partìm quidē habens bonorum promissionem, partìm autem expectationem tētationum. Ipse enim adhuc timebat, & maligni suspectas habebat insidias. Qui autem ad illum quærendum venerant milites, excusso puluere, quem è via collegerant, & alioquì ornati paulò honestiùs accedunt ad Eustathium, de eo nondùm quicquam valentes cognoscere. Cùm hoc autem solùm commune & solitum dixissent, Salue amice, & ab eo similem accepissent allocutionem, illumipsum id rogabant, quod per totam viam petebant ab omnibus in quos incidissent: & diligenter sciscitabantur, si quem fortè vidisset Placidam errātem, qui erat cum vxore & liberis. Sic enim ab eis existimabatur ad hoc vsque tempus se habere Eustathius. Ille autem eius memoria & charissimorum incensus, & hac tanquàm stimulo sauciatus oratione, animo quidem afficiebatur, & iam ad manifestas deducebatur lachrymas & lamētationes: Vicit tamē affectionem, tanquàm aliquod frenum, ei inijciens rationem, & animi firmitatem ac constantiam, & rogauit quanam de causa vir ille tantoperè ab eis quæreretur, & cur id sit eis tantæ curæ. Illi autem dixerūt eum esse sibi valdè familiarem: cùm autem multum temporis præterfluxerit, ex quo eum non viderint, incensum esse cor eorum vehementi illius desiderio. Ille autem tacuit quidem in præsentia, nec se eis aperuit: ad hospitium autem inuitauit & cœnam, eos, vt qui grauati labore essent, volens reficere.

Cap. 18. Accipit hospitio missos à Traiano.

Cùm eos ergò deduxisset ad ędes, in quibus ipse hospitio accipiebatur, dixit earum domino: Mihi sunt hi viri cogniti, & in me in transitu incīderunt. Oportet ergò præbere, quæ sufficiant ad eos excipiēdos: & mea, inquit, seruitus, & hæ manus exoluent mercedē. Atq; ille quidem eos sic curabat, & eis ministrabat: ipsius autem intùs grauiter discerpebatur animus: & acerbè viscera intùs conuertebantur, & cogebatur lachrymari. Quid enim aliud, nisi quercus esset aut lapis, homo passus talia, & cuius in mentem veniebat prior felicitas? Vndè etiam studens latére, quādò vidisset victos oculos, & ex suis genis cadentes lachrymas, exiens protinùs, tanquàm quidam vsus eum vocaret, scitè abstergebat oculos. Deindè rursùs ingrediens, lætitia viros impertiebat. Et hoc sæpè faciens, & patiens, latuit propter insignem animi magnitudinem. Postquàm autem illi magis fixis adspexerunt oculis, & in eum obtutum iniecerunt curiosiùs, & videntes vultum plenum multa modestia, & certum nuncium interioris orna-

Eccè huius sancti viri singularem modestiam.

ornatûs & virtutum animæ, cœperûnt ipsum, tanquàm canes venatorij, sensìm naribus indagare: & iam apud se submurmurabant, quòd esset valdè similis ei, qui quærebatur. Alter autem eorum: Similitudo quidem, inquit, bonum affert nuncium, neq; quicquam nostrum fefellerit desiderium. Verumenimuerò mihi quoddam certum cognitum est signum, quod efficiet, vt nobis minimè dubium sit illud, quod quęritur. Scio enim plagam manu hostili collo eius fuisse impositam, non in superficie vt laceraret, sed concauam, & in profundum demissam. Eius si nos viderimus cicatricem, tenetur præda implicata retibus: & deincèps curæ sit adhibere manus, vt, si quid agat, nos nequaquàm effugiat. Sic dixerunt, & cùm propiùs accessissent, & in colli superficiem oculos defixissent, viderunt ilicò insigne cicatricis, eum, quàm lingua, proclamans & prædicans apertiùs. Agnoscitur ab illis incredibili gaudio affectis.

Cùm se ergò non possent ampliùs continere propter summam voluptatē, è mensa exiliêrunt, & quasi à se discedentes, & Bacchico quodam furore moti, nesciebant quid agerent, partìm quidem exultantes, partìm autem lachrymantes, partìm verò vehementioribus osculis significantes sui animi lętitiam: Quid autem non facientes? pedes præhensantes, manus tangentes, collo circunfusi, perindè acsi timerent, nè somnium essent, quæ videbantur. Vir longè fortissimus, benefactor & dominus noster, dicebant, quid factum est? Quid accidit? Quænam est hæc eorum, quæ apparent, mutatio? Vbì autem vxor? Vbì filij? Num sumus mentis compotes? num falsi sumus, & quem desideramus, te nondùm inuénimus? Ille autem vir verè præclarus ac generosus, qui alioquì quidem habebat oculos suffusos lachrymis: cùm eos audiuisset rogantes de vxore & filijs, acerbè fleuit, & valdè eiulauit, & cōtinuas, imbris instàr, fundens lachrymas, faciem humectabat & tunicam. Cùm autem vix tandem desijsset lamentari, motu cordis voce adhuc ei interrupta: Filij quidem, inquit, ô amici, & vxor iam sunt mortui, (suam enim coniugem iam habebat in numero eorum, qui periërant) me autem ità affectum, vt videtis, reliquerunt lamentationum huic vitæ argumentum. Hæc eo dicente, communis mouebatur luctus, & turmatìm confluebant omnes pagi habitatores ad nouam spectandam tragœdiam. Cap. 19.

Cùm autem vix tandèm à luctu cessâssent ipsi satellites, & multitudinis, quæ conuenerat, magnum sedâssent tumultum, continuò summā viri dignitatem, & res præclarè gestas, nobilitatemque, & alium eius splendorem manifestum reddiderunt ijs, qui aderant: eosque in magnam admirationem & stuporem adduxerunt. Reuerà enim nouum erat, siquidem Dux exercitûs, erat mercenarius: & qui multorum priùs erat dominus, virum priuatum & opificem appellabat dominum: & qui priùs innumerabilibus alimentum suppeditauerat, manus intuebatur alienas, & mercede sibi victum quærebat. Hæc audientes, in magnam adducti erant dubitationem: suam repræhendebant ignorantiam, admirabantur fortitudinem eius & constantiam. Heu, dicebant, quomodò latuit? Quomodò nos celauit? Quis, si sciuisset, non fuisset misertus? Quis non motus esset eius misericordia ex ijs, qui conuenissent? Hęc cùm dicerent pagi incolæ, & quæ præcesserant, sibi reuocarēt in memoriam, milites Eustathio seorsùm abducto, ei significabant mentem Imperatoris, & quanam de causa ad eum venissent: & quòd opùs habet eius præsentia ipse, & magistratus, & vniuersa ciuitas: & quòd non essent reuersuri, nisi eo accepto. Hæc seriò dicebant: & cùm statìm exuissent pannos, quibus erat indutus, induunt eum vestibus, quas afferebant ab Imperatore. Diù enim antè virum complectebatur, in illum suam ostendens beneuolentiam. Deindè eo accepto, reuersi sunt. At Eustathius iudicabat hæc nō sine diuina euenisse sententia, vt qui à Deo nupèr audiuisset, se rursùs priorem accepturum gloriam, & alia, quæ amicissimè & iucundissimè erat pollicitus. Cap. 20. Induitur vestib' ab Imperatore miss. iis.

Cùm autem iter conficerent, eis narrabat singula, quemadmodùm vidisset Dominum, & vt esset baptizatus, & mutato nomine vocatus esset Eustathius: & vt semel dicam, ferè omnia, quæ ei euenerant & domì, & in itinere. Atque diebus quidem triginta fuit ab eis iter cōfectum. Deindè cùm venissent in regiam, & Imperatori de eo annunciâssent, gaudio, quantum non lingua dixerit, & ipsum, & ciues, & totum implêrunt exercitum. Lætitiæ autem hoc fuit signum, quòd non id tulit Imperator, tanquàm aliquid consuetum: sed præ magno gaudio ne se quidem potuit continere: Neque ad dignitatem, & Imperatoriam adspexit maiestatem: sed neglectis omnibus, quæ erāt in manibus, (tunc enim fortè agebatur de negocijs publicis) surrexit è sede, & ei factus obuiàm ingredienti regiam, eum excipit quàm dici potest syncerissimè, Cap. 21. Imperator eum excipit summo cū gaudio.

arctè amplectẽs, benignè appellans, lachrymis & osculis magnam lætitiam aperiens, & internam animi exultationem. Deindè etiam de ijs, quæ euenerant, interrogabat singula. Ipse autem à principio ad finem omnia est persecutus, quæ ingruerat pestem, interitum seruorum, boum, mulorum, equorum, & aliorum animalium: deindè facultatum domesticarum, & omnium opum direptionem, & quòd sibi necessè fuerit, non ferenti, quem ex notis suscipiebat, pudorem, se remouere, & procùl abscedens, viuere cum ignotis hominibus: post hæc autem vt vidisset suam vxorem barbaris manibus trahi, tanquàm captiuam, ab impudico pudicissimam: & quemadmodùm suos filios dentes ferarum discerpsissent, & hoc coacti fuissent videre patris oculi: & quòd ex illo tempore mercede suam locans operam, in aliena terra Dux exercitûs suis aleretur manibus. Atq; tristibus quidem his narrationibus, omnibus, qui, dum referrentur, aderant, præ misericordia lachrymæ stillabant ex oculis. Sed illius inuentio rursùs consolabatur animi molestiam. Post hæc Imperator ei communicat, quæ ad bellum pertinebant, Ducisq; exercitûs ei rursùs tradit Zonam & dignitatem. Ille autem cùm numeros inspexisset militares, & intellexisset eos non sufficere ad propositum certamen, de nouo colligendo cogitabat exercitu. Statìm ergò per omne oppidum, & pagum, qui sceptris parebat Romanis, quicunque præstabant viribus & ætate, in huius exercitûs numerum referebantur.

Indicat Imperatori sua infortunia.

Restituit ei pristinã dignitatem.

Cap. 22. *Rom. 4.* Sed quid rursùs? Qui sapienter omnia versat & gubernat Deus, qui, quæ non sunt, vocat ad hoc vt sint, & congregat quæ sunt dispersa, Eustathij filiorum inuentionem prouidet admirabiliter, & prêter opinionem. Accidit, vt is pagus, in quo ij degebant, duos recenter lectos emitteret milites, qui robore corporis & operibus manuũ, longo interuallo superabant eos, qui erant cum ipsis. Deindè cùm hic nouus exercitus in ordines & manipulos discretus esset à Duce exercitûs, electi sunt illi in satellites. Quorum generositatem & virtutem cùm ex multis lineamentis corporis didicisset Eustathius, & ad diligendos adolescentes esset nescio quomodò inclinatus, (Simile enim, vt aiũt, simili delectatur) iussit eos & mensa impertiri, & alia familiaritate. Cùm sic rem bellicam ordinâsset Eustathius, suscipit expeditionem aduersùs inimicos, & valido commisso prælio, à forti Eustathio vi vertuntur barbari, qui magnam eorum edit stragem. Non eò vsq; autem sistit vltionem in eos, qui priores iniuriam fecerant: sed etiam cùm præter spem fluuium traiecisset Hydaspem, & ex eorum agris magnam egisset prædam, & plurimos cepisset captiuos, tũc barbarorum fregit & compressit spiritus, & effecit, vt, nè ipsi malè paterentur, satìs haberent, non autem vt malè facerent.

S. Eustathi' debellat hostes.

Cap. 23. Cùm sic fecisset vir egregius, & Romanorum Imperium liberâsset à malis, in reditu castrametatur in quodam vico, qui ad hoc erat valdè appositus. Vbi cùm vellet exercitûs recreare magnum itineris laborem, & grauem militiæ perpessionem, tribus diebus in eo est versatus: hortis enim, qui circunfluis irrigabantur aquis, fructibusque abundabant omnis generis, amœnus erat vicus, quorum vnius quidem custodiam vxor Eustathij habebat mercede sibi commissam, Ducis autem exercitûs satellites, quos ipsos quoq; esse eius filios ostensura accedit oratio, (Properat enim hoc Dei admirabile aperire consilium) prope hortum, cuius erat custos vxor Eustathij, fixerunt tentorium. A quibus rursùs ne ille ipse quidem procùl aberat Dux exercitûs. Vt solet autem ab armis cessatio sæpè ad narrationes inducere milites, & alioquì cùm admodùm noua esset narratio, & aures posset illicere, congredientes ambo circa meridiem, quæ in infantia sibi acciderant, inter se inuicèm referebant. Dicebat itaq; maior alteri: Mihi quidem pater erat Dux exercitûs: mater autem venusta, & quæ pulchritudine nulli alij cedebat mulieri. Erat autem mihi quoquè alius frater minor ætate, decora specie, flaua coma. Cùm ambos autem accepissent parentes, quanam verò de causa dicebat se nescire, è domo exiérunt. Cùm longum autem iter cõfecissemus, nauem quandã ingressi nauigabamus. Cùm verò essemus è naue descensuri, ego quidem cum fratre, & pater egredimur: matrem autem nostram abduxit nauis, neq; possum huius causam scire. Verumenimuerò vidi patrem proficiscentem valdè lachrymabundum, postquàm descendit è naue. Me autem & fratrem ducens, cùm deindè non multum viæ confecisset, offendit fluuiũ, qui nec ab vllo alio facilè transmitti poterat, tantum abest, vt à puero. Propterea cùm meum fratrẽ sustulisset humeris, transmisit fluentum, me in secunda accepturus traiectione. Cùm autem ille in aduersa ripa iam esset saluus, reuerteretur verò pater, vt me acciperet, postquàm fuit in medio fluuio,

Filij ei' inter se conferũt, quę sibi acciderunt.

fluuio, vidit spectaculum, ne aliorum quidem oculis, nedùm patris, tolerãdum. Tanquàm enim vno signo dato irruentes bestiæ, me quidem hinc, illinc autem fratrem meum corripuerunt, vidente quidem patre, nulli autem liberorum valente ferre auxilium. Et fratri quidem meo quidnam fecerit lupus, (talis enim erat bestia, quę illum rapuit) ignoro. Leo autem qui me accepit, cùm essem procùl ab oculis patris, traiecit fluuium, me sustinens dentibus. Deindè dimisit, cùm accurrissent pastores, corpore illæsum penitùs. Et sic eorum manibus creditus sum nutriendus.

Hæc audiens minor frater, & in vnoquoq; eorum, quæ dicebantur, signa accipiens Cap. 24.
& indicia, & in memoriam reuocãs, incalescebat: & cor ei vibrabatur, & palpitabat. Postquàm autem totum actum audiuit, tunc non ampliùs dubijs, sed iam certis indicijs fratre agnito, non potuit quiescere, nec sedere, neq; se continere: sed repentè in- Agnoscunt
silijt, & iucundè, & amanter eum est amplexus gaudens, lachrymans, nunc quidem se inter se.
admiratione, nunc verò repletus lætitia: & sic in diuersas, & omne genus mutatus species: Frater es, dicebat, frater meus, frater amicissime, frater iucundissime, frater, quem præter omnem spem video inter viuos, quomodò etiã me habes insperatum: quos bestię quidem admirabiliter rapuerunt, & præter opinionem: conseruârunt autem admirabiliùs: & homines ignoti, misericordia commoti, educârunt. Hæc, dicebat is fratri, & multa itidèm eorum, quæ mihi dixisti, non ex ijs, quæ tunc vidi ob imperfectam ætatem, teneo mandata memoriæ: sed ex ijs potiùs, quæ audiui ab illis, qui me aluerunt. Et sic quidem fratribus mutua suî inuicèm agnitio & inuentio, fuit admirabiliter diuino dispensata consilio. Sed quomodò agnouerunt matrem, & ab ipsa sunt agniti?

Scitis omninò, neque vllo modo obliti estis, quòd prope eam diximus ipsos fixisse Cap. 25.
tentoria. Sic enim prouiderat multiplex & varia Dei sapientia. Vt quæ ergò esset proximè, rectè audiuit ea, quæ dicebantur, cùm ignota adesset apud ignotos, & in principio quidem nihil posset ampliùs conijcere, præter hoc solùm, quòd ex eorum iuuentute & specie recordaretur filiorum. Ipsis autem iam in narrando progredientibus, cor illius acres subierunt cogitationes: feriebatur mentis agitationibus, scindebatur suspicionibus, curiosè vultum intuebatur filiorum, & signa, quibus illorum forma cognosci poterat, diligenter repetebat. Nam eos quidem fuisse raptos à feris, ignorabat, cùm ipsa priùs fuisset capta, & tamen ex multis apertè didicit se eorum esse ma- Agnoscuntur
trem. Nam & ei vultus signa quidem præbebant non incerta, & hoc maximè, quòd tur etiam à
esset eis pater Dux exercitûs: quòd verò, eis à patria in alienam proficiscentibus regi- matre.
onem, cùm alij omnes descendissent, mater minimè descendit, sed eam solam abduxit nauis, hoc certam ei faciebat fidem. Quæ quidem illa omnia in corde colligens, & eos esse suos filios non ambigens, vsa est quidem gemitibus inenarrabilibus, Deo autem agebat gratias. Et adducta ad lamentationes, contendebat in præsentia, nè eam cognoscerent filij, hoc agens sapienter, & suprà quàm præstare possit fœmina. Vndè etiam citò currẽs in domunculam, in qua manebat, quoniam dolor eam non sinebat tacere, (Natura enimità comparatum est, vt in rebus eiusmodi non magìs lętemur ijs, quę inuenerimus, quàm doleamus propter ea, quę desunt) grauiter flens, & lamentabiliter: Hi sunt, inquit, filij è meo vtero nati: Pater autem vbi est? Num ei aliquod malum accidit inopinatum? Num sæua irruens fera eum deuorauit? An solem ipse quoq; mœstis adspicit oculis, pressus calamitatibus? Quomodò autem misera agnoscar à meis filijs? Vereor enim, nè eis euadam suspecta, quòd non ex ijs, quæ passa sum, sed ex ijs, quæ audiui, velim haberi eorũ mater. Sic illa, per se versans, quod reliquum erat diei, & totam noctem, cruciabatur animo.

Statuit itaq; cùm dies esset, stare coram Duce exercitûs, & petere, vt cum eo liceat Cap. 26.
redire in patriam. Propterea cùm accessisset: Domine mi, inquit, ego sum è regione Romanorum, quæ longo tempore hîc egi, propterea quòd defuerit, qui mihi opem ferret ad reditum. Rogo ergò manum tuã, vt per te desiderata à me videatur patria: & non despiciar, in tantam redacta inopiam. Hoc enim cõsiderauit, seu spectetur maritus, seu filij, id sibi futurum conducibile. Nam reuertens quidem cum reuertẽtibus, & vtpotè satellites exercitûs Ducem secuturos sequens, poterit eos videre, & simul versans & colloquens, sic paulatìm eis suî afferre cognitionem: & efficere, vt habeatur eorum mater citra vllam dubitationem. Maritus autem similiter, Ducis exercitûs potentia efficiet, vt sciri possit, vbinàm sit terrarum. Eam ergò, quæ sic considerauerat, & ad Ducem exercitûs talem attulerat supplicationem, ille omninò benignè tra-

S. Eustachius agnoscitur ab uxore sua.

ctans, aures præbuit faciles, & annuit, vt ad suam patriam reuerteretur. Admirans autem mulier hanc Ducis exercitûs benignitatem & humanitatem, cum curiosioribus intuebatur & considerabat oculis. Ecce autem quidam splendor incidens per viri mores, vultusque figuram & lineamenta, eam ità illuminauit, vt eum agnosceret. Vbi autem primùm eum esse Eustathium Theopistes maritum, pro certo & comperto habuit, neq; eam vlla mouebat dubitatio, stetit ore aperto, & mente attonita, labrisque immobilibus, & rei admirabilitate in magnam adducta hæsitationem, pudoreq; simul distracta & cupiditate, (multum enim videbat interesse inter humilitatē suam, & viri gloriā) nesciebat quonam modo auderet videri eius vxor: & alioqui cùm ignoraret, quomodò nunc esset in eam affectus maritus, eò quòd multum intercessisset temporis, eius adhuc magìs retardabatur impetus.

Cap. 27.

Verumenimuerò res est fortis & audax desideriū: neq; fuerit aliquid tam durum ac resistens, quod non illi fiat facile & planum. Ei ipsa quoq; cedens, cùm aptum tempus obseruâsset, stetit coram marito: & ex imo miserabiliter ingemiscens, & lachrymas, quæ vim maximam habent ad persuadendum, vberes profundens ex oculis: O vir præclare, dixit: ô qui multos subijsti labores & certamina: ô qui ex Placida vocatus es Eustathius, ô qui Crucis diuina apparitione, quæ tibi in ceruo est conspecta, initiatus es mysterio pietatis, & antè didicisti ea, quæ erant futura: qui ex beato euasisti abiectus, & ingloriosus, & afflictus in calamitatibus: qui olìm vxorem in naui reliquisti, quæ quidem sum ego misera, quam ille barbarus per vim abstulit prætextu mercedis in mari nauigationis, quandò te quidem lachrymantem emisit ē mari, me autem in naui retinuit, non honestas animo versans cogitationes: sed diuina iustitia eū mox est persecuta, intactam & inuiolatam tibi conseruans cōiugem. Nam multa quidem grauia & aspera interìm pertuli: inuiolatum autem & impollutum tibi seruaui cubile. Hoc dico, Deo teste, & illius oculis, qui omnia intuentur. Si ergò ipse es, cuius hæc sunt signa, quibus agnoscaris, agnosce tu quoquè tuam vxorem: nisì me sic affectam asperneris, & indignam ducas tuo splendore: & stemus hîc communiter, & agamus gratias magnæ Christi prouidentiæ, quæ res nostras sic deduxit.

Cap. 28.

Hæc cum calidis lachrymis laboriosa dicente Theopiste, Dux exercitûs non iudicans hæc sufficere ad fidem faciendam rei periculosæ, & quæ magna indiget cautione, formam adhuc, tanquàm certissimum signum, diligenter inquirebat. Postquàm autem eam quoquè vidit conuenire, ortus est vtrinquè clamor cum magno fluxu lachrymarum, largos imbres fundens. Postquàm autem in amplexus & oscula irruerunt, dixit veneranda Theopiste coniugi: Filij autem vbì sunt, ò charissime? & quomodò non sunt nunc apud te? Ille verò, qui nondùm puras compresserat lachrymas, animi dolore totus repentè commotus, & illas profudit tanquàm fontes: &, O mulierum omnium fidelissima Theopiste, dixit, deuorati sunt à bestijs nostri filij: & hoc (pròh dolor) meis vidi oculis. Illa autem ex eo nihil cōmota, (planè enim sciebat eos esse superstites) statuit interìm philosophari, & non apertè enunciare, cùm omninò esset vxor Eustathij. Sed quid est, inquit, quod Deus non possit facere, qui nos quoquè præter spem omnem sic fecit conuenire? Deindè singulatim retulit omnia, quę filios inter se audiuisset narrantes: & quemadmodùm se planè inuicèm agnouissent, & illa ipsos, etsi se charissimis nondùm sustinuisset aperire: Cùm tuî, aiebat, ò marite, cura me non relaxaret, neq; sineret gustum integrum percipere voluptatis, quam accipiebam ex filijs. Ille autem admiratus est arcanam Dei sapientiam: & admiratione propemodùm obstupuit, quemadmodùm eum latuissent filij, dilectiq; & effecti ei essent familiares, non lege aliqua cognationis, sed virtute sola, propter quam electi sunt ab eo sui satellites: & quemadmodùm lugens eos, quos apud se habebat, bestiarum ventres appetijsset maledictis. Eis ergò accersitis, rogauit quinā essent, & vndè, & quinam essent eorum parentes. Illi autem dixerunt, se natos quidem esse ex claris parentibus, sed qui quantùm ab initio fuêre gloriosi, tantùm posteà fuerunt infelices.

Et ipse quoque agnoscit vxorē.

Eccè arcanā Dei sapientiam, omnia disponentis suauiter.

Cap. 29.

Postquàm autem iussit singulatìm aperire quæ euenerant, illi dixerunt se cum parentibus fuisse exules à patria, deindè eam, quæ in naue facta fuerat, matris retentionem: quæ in fluuio euenerant: & quemadmodùm eos feræ rapuerant. Ad quem locum cùm peruenissent, non expectauit pater, vt narrarent reliqua, sed protinus insiluit, & circunfusus eos est amplexus, qui videbātur quidem satellites, erant autem latenter filij desiderati: Filij mei, dicens, filij dulcissimi, filij charissimi, qui prius quàm solem benè videretis, tenebris tentationum fuistis circundati, & priusquàm agnosceretis

Agnoscit & filios suos.

retis parentes, nouam didicistis orbitatem. Hæc, & his similia, cōmixtis lætitia lachrymis, proferente patre, & parentes filios, & filij parentes amplectebantur: duplexque festum egit populus, & de victoria parta aduersùs hostes, & de Ducis exercitûs familiæ ad vitam, vt ità dicam, reuocatione. Sic non in finem fuit pauper mandatus obliuioni, neque patientia pauperum perijt omninò. Sic qui occidit, & facit viuere: qui ferit, & rursùs medetur, & statuit in auram procellam: cùm sic eos igne candefecisset, vt candefit argentum, eduxit in refrigerium: adeò vt Eustathio conueniret dicere: Venite, audite, & narrabo vobis omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Quoniam ad ipsum accelerauerunt pedes bonum afferentis nuncium. Dicat enim Naum quoque ea, quæ tempori conueniunt: Et ascendit qui spirat in faciem eius, & eripit eum ex afflictione. Sed de his quidem satis. Psal. 9. Deut. 32. Psal. 106. Psal. 65. Ibidem. Naum 1. iuxta 70.

Post hæc autem iussis sequi captiuis, & aliorum spoliorum multitudine, ad vrbem regiam victor profectus est Romam. Cùm nondùm autem peruenisset, Traianus quidem è viuis excesserat: Adrianus verò post illum suscipit Imperium, vir religione quidem gentilissimus, mente autem barbarus, & qui maximo impetu ferebatur in pios. Postquàm ergò reuersus fuit Dux exercitûs, eum quidem donis est prosecutus, & alia benignitate, exultās trophæis, quæ ille erexerat aduersùs hostes: & vxoris, & filiorum eius inuentione ipse quoq; lætandum sibi ducens. Postquàm autem amens abijt in templum idolorum, ijs, qui erant amētiores, sacrificaturus pro victoria, verè pius Dux exercitûs non ignorans quisnam re vera esset author victoriæ, & ei spiritale offerens sacrificium, non solùm non est ingressus simul cum Imperatore, sed ne sustinuit quidem eum vsq; ad portas deducere, malam viam statìm ab ipsis declinans carceribus. Cùm autem causa esset ab Imperatore omninò quæsita, cur non accederet dijs patrijs pro victoria sacrificaturus, & filiorū salute & vxoris, ille cùm liberè loqueretur, neq; timidus esset ad confitendum, audacter statìm dicit: Quoniam cùm sim Christianus, ô Imperator, Christo datori victoriæ, & filiorum, qui mihi perierant, & vxoris, ago gratias. Alium autem præter eum, & maximè hæc inanima & surda, neque agnouerim, neque coluerim. Absit, vt sim adeò emotæ mentis. Cap. 30. Adrianus succedit Traiano. Nō vult vir sanctus idolis offerre sacrificia.

Ira propter hæc repletus Imperator, ei quidem primùm aufert munus ducendi exercitûs, & Zonam. Deindè cum ipsis filijs & coniuge eum sisti iubet pro tyrannico tribunali. Et primùm quidem verborum illecebris conabatur eis persuadere, vt dediscerent pietatem. Postquàm autem vidit eos vinci non posse ab vllis blanditijs, & eorum, quæ vidētur, bonorum promissione, accessit deindè ad minas. Postquàm autem eos illis quoquè vidit superiores, induxit etiam ipsam experiētiam, ignorans stolidus, hæc duo esse maximè contraria, vim & persuasionem. Quamobrèm si hoc studebat, vt ipsi Christianam abiurarent religionem, persuadere, non autem vim afferre oportebat: nisì fortè sufficiat solis labris, etiamsì quis cor non habeat consentiens. Deducit ergò athletas in stadium, & sæuos in eos immittit leones, qui erat animo immanis & insipiens. Qui etiam magno impetu feruntur in sanctos, vt qui fame essent irritati. Hoc enim de industria factum fuerat à parricidis, vt cum naturali feritate fame quoquè concurrente, citiùs consumerentur ab eis Christi martyres. Id verò maiori fuit admirationi, cùm euaserint martyres feris superiores. Solet enim magna Dei sapientia insignem malitiam deducere ad reddendam virtutem insigniter admirabilem. Cap. 31. S. Eustachius cū vxore & filijs sistitur coram tribunali.

Postquàm ergò bestiæ fuêre prope sanctos, non erant ampliùs bestię, sed testes pietatis omni exceptione maiores, illā non verbis, sed rebus ipsis confitentes. Ipsæ enim statìm eos, qui adorant, imitantes, & sanctis capita inclinantes, & velutì apertè præ se ferentes se petere veniam, quòd non ex se, sed ab alijs inuitæ ductę essent: deindè cùm etiam corpora eorum linxissent cum magna reuerentia, rursùs quietæ rediêrunt, Tyrannum summæ accusantes amentiæ, & omnibus euidenter ostendentes, quòd hæc animantia rationis expertia suos agnoscunt dominos, cùm id, quod est particeps rationis, vt par est, ab illis obseruetur. Sed sic quidem bestiæ, perindè àc compotes rationis, se apertè præbuerunt. Vide autem contrà rursùs eos, qui sunt præditi ratione, quomodò apertè ostenderunt ferarum crudelitatem, & vacuitatem rationis. Cùm enim oporteret amentem illum Imperatorem hoc admirari, quod erat supra naturam, & contra opinionem, & hac re vti duce ad pietatem, ille non solùm non est admiratus, neque, si nihil aliud, reueritus ferarum ad rationem aptitudinem, sed eo ipso fuit magìs accensus ad iram: perindè atquè si feris indignaretur, quòd non sanctos, vt Cap. 32. Leones nihil eos lædunt.

 vole-

Excogitat nouū genus supplicij Imperator.

volebat, superâssent. Vndè etiam processit ad aliud genus tormenti. Bouem æneum machinatur supplicium martyribus. Quem cùm postridiè vehementer accendisset, signo dato frequentissimum populum congregat in theatro. Quoniam autem in his prolixa vtens oratione, visus est apertè nugari, & verba in aërem fundere inaniter, adhuc magìs accenditur ad iram: & iussit ijs, qui aderant, dicto citiùs sanctos inijcere in machinam æneam. Ducebantur itaq; martyres tristem vultum minimè præ se ferentes, neque vllum mœstitiæ vestigium facie omninò ostendentes.

Cap. 33. Cōijciūtur in bouē æneum inflammatum.

Postquàm autem propè fuerunt, manus & oculos simul in cælum tollentes: Domine Deus virtutum, dixerunt, exaudi nos rogantes, & cōcede nobis, ô Rex, propterea quòd nos candefecisti, & probâsti igne pro te susceptorum certaminum, vt simus participes hæreditatis sanctorum tuorum à seculo. Reduxisti nos Domine, vt es pollicitus, ad priorem huius vitæ splendorem & gloriam: reduc nunc quoquè ab ijs, quæ fluunt, ad ea, in quæ nullus cadit interitus. Eccè enim nos tibi offerentes, igne efficimur holocaustum. Sic & pater, & filij & mater tibi offerimur. Sit sacrificium nostrum acceptum coram te: & hic quoq; pudore afficiatur per tuam potentiam communis hostis nostri generis. Per nos quoq; humiles glorificetur, Domine, summis laudibus celebrandum nomen tuum. Nè nostrum despicias sacrificium: sed appareat coram te sicut dona Abelis, sicut Abrahæ sacrificiū, sicut sanguis primi martyris, sicut omnium sanctorum cædes, & holocausta, & mors per martyrium. Præbe autem ijs quoquè, qui nostrî commemorationem per sanctum nomen tuum peragunt, animæ salutem, & liberationem ab omni re, quę affert molestiam. Hęc per vnam linguam gloriosi martyris Eustathij, qui simul decertabat, sanctorum chorus precatus audiuit vocem, quæ de cælo extitit, simul quidem eis confirmantem finem petitionum, & eos renunciantem hæredes regni cælorum.

Pia eorum oratio ad Dominum.

Audiūt vocem lapsam cælitùs.

Cap. 34. Vide miraculum.

Postquàm ergò hanc vocem audiuerunt martyres, in bouem candentem omnes simul alacri animo insiliêrunt. Ille autem, cùm ei appropinquâssent corpora sanctorum, non erat ampliùs instrumentum ignis, nec supplicij, sed æs eos refrigerans, & recreans à multis sudoribus. Et sic Deum glorificantes, & ad ipsum quærentes resolutionem, martyricas animas, & quæ multa subierant certamina, deponunt in eius manibus, vicesimo mensis septembris. Cæterùm qui erat insignis scelere Adrianus, cùm tres iam dies præterijssent, accedit ad hunc bouem æneum: & iubet eum aperiri: erat enim eius in tergo ostium. Cùm ergò fuisset apertum, ipse, & ij qui simul aderant, vident corpora martyrum, quæ nullum quidem ignis ostendebant vestigium, candore autem magìs, quàm priùs, resplendebant. Quocircà cùm existimati essent viuere, iussit eos educi. Quod cùm factum esset, inuasit omnes stupor & admiratio, quòd eos ne minimùm quidem attigisset, nec læsisset ignis, vt hinc iudicare quispiam posset causam mortis. Hoc ergò magno stupefacti miraculo, veluti vno ore clamârunt: Magnus est Deus Christianorum. Is est vnus verus Deus: Deus fortis omnipotens, Iesus Christus, qui ex igne conseruat illæsa sanctorum suorum corpora, vt nec pilum quidem eorum possit ignis tangere. Cuius diuinæ potentiæ apertum est testimonium leones quoquè, qui præcesserunt, à malis illæsos eius conseruātes famulos. Sed hæc quidem, & similia canebat populus, Deum laudans. Tyrannus verò populi clamorem simul reueritus, & exterritus, recessit pudore affectus, & sub eo etiā occultè communis hostis & inimicus. Qui aūt ex Christianis erant valdè pij & honesti, cùm gloriosorum Christi martyrum corpora sustulissent, psalmisque & hymnis fideliter ea essent prosecuti, honorificè & reuerenter in loco sacro deponunt. Deindè cultûs simulacrorum desinente furore, oratoriam quoquè domum ædificant gloriosis victoribus, glorificantes patrem, filium, & spiritum sanctum, diuinitatem vnam & regnum: Cui conuenit omnis gloria, honor & potentia, maiestas & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Populus laudat Christū.

S. Martyres honorificè sepeliuntur.

CERTA-

CERTAMEN SANCTORVM ET GLORIOSORVM MARTYRVM, ACINDYNI, PEGASII, *Anempodisti, Aphthonij & Elpidephori: Authore Simeone Metaphraste. Habetur in tomis Aloysij.*



ETIAMSI Persæ primi Christum natum ex Virgine adorârunt, & donis eum honorârũt, ij tamen posteà Christi seruos propter ipsum inhumanè puniêrunt. Hoc autem cùm ex multis alijs est euidens, tum ex argumento, quod nunc est propositum. Nam cùm superbus ille Sapores sceptra teneret Persica, & declinâsset ad tyrannidem, & ad Christianos, qui erant in eius potestate, persequendos fuisset incitatus, magna quædam caligo Christi fuit offusa Ecclesiæ, & ea repleta fuit tumultu & confusione. Nullus autem ex Persis erat negligens in acriter defendenda sua religione. Quamobrèm eos, qui Christum colebant, quotidiè criminantes, manui regiæ tradiderunt. Inter quas beatum quoquè Acindynum, Pegasium & Anempodistum, qui latebant in quadam domuncula, Regi indicauerunt, vt qui & Christianorum tenerent opinionem, & multos ex ijs, qui ad ipsos ventitabant, Christi dogma docerent, & persuaderent, vt regia despicerent decreta. Ille autem valdè iratus, iussit statìm sanctos comprehendi, & coram se sisti. Nouẽbris 2. Cap. 1. Sapores rex Persarum persequitur Christianos

Cùm verò adfuissent, iram statìm illinens ficta moderatione: Filioli, inquit, (quos paulò pòst erat excarnificaturus) dicite mihi, quænam est vobis patria, vndè genus ducitis, quodnam est vobis studium? Sancti autem responderunt: Et patria, & genus, & studium est fides in Trinitatem, quæ est vnus Deus, à quo ad omnes, qui sunt, essentia: & ad eos qui viuunt, vita, tanquàm à fonte aliquo perenni, deriuatur. Hæc cùm audiuisset Tyrannus, Vt videtur, inquit, mea lenitas & quòd non sim procliuis ad supplicia, vos reddidit contumaces & audaces ad respondendum. Dixit verò statìm Acindynus: Quænam responsio facta fuit secùs, quàm oportet: aut quid tibi videmur non respondere vt cónuenit? Quoniam, inquit, alia respondistis, quàm de quibus fuistis interrogati. sed nisì accedentes citò sacrificaueritis, pœnitentia ducti frustrà flebitis. Sanctus Anempodistus libero verborum fluctu dixit Tyranno: Oportebat quidem, ô Rex, nos de hoc verbo ne minimum quidem respondere, sed ferre silentio tuam in nos contumeliam: sed quoniam feruor fidei in Christum, non sinit nos tacere, audi nos hæc tibi dicentes: Cur de patria, genere & studio curiosè inquiris? Hęc enim omnia, vt priùs diximus, est nobis Trinitas omnium architectatrix. Deos autem, quibus nos iubes sacrificare, nec nouimus, nec sunt omninò. Oportet enim amare veritatem: dæmones verò scimus esse deceptores, & animis afferre interitum. Qui cùm à Deo creati essent, & ab eo qui fecerat defecissent, igni æterno sunt damnati. Tyrannus autem his ad iram accensus, eis mortem minatur acerbissimam. Cui sancti, perindè acsi bona esset pollicitus, non autem tormenta minatus, responderunt: Vix tandèm agnouisti id, quod est nobis vtile & salutare. Cap. 2. Blanditur sanctis martyribus. Mox intentat minas. Dæmones animarum interęptores.

Tunc ergò iubet eos à quatuor viris extensos per totum córpus virgis cædi. Illi autem cùm totam mentem ad Deum sustulissent, ità affecti erant, cùm virgis cæderentur, perindè acsì patientibus alijs, ipsi adessent spectatores. Proptercà plagas quidem negligebant: conueniens autem canticum ad Deum psallebant, dicentes: Vidisti Domine, nè sileas, & nè discedas à nobis. Deindè qui eos torquebãt lictores, defessos iam, quòd diutiùs producerentur tormenta, alij recentes excipiunt. Cùm autẽ hanc, quæ erat supra hominem, vidisset Tyrannus martyrum tolerantiam, & eos tanquàm inane quidpiam ferre plagas citra dolorem, in maximam adductus admirationem & correptus vertigine, statìm cadit supinus, adeò vt, qui aderant, putarẽt eum esse mortuum. Deindè cùm ad se redijsset, licèt non ad id, quod oportebat, & veritatem, cùm ex athletarum, quæ superabat hominem, tolerantia oporteret eum deduci ad pietatem, apparuit ille magis ab ira superatus: & iubet martyres funibus extendi in aëre, & ignem subter eis accendi: vt duplici tormento eorum animæ celeriùs erumperent. Illi autem quouis ferro & quouis adamante fortiores, tanquàm ad tormentum Cap. 3. Sancti martyres virgis cæduntur. Psal. 34. Sapores corruit. Igni adurẽtur martyres.

recentius etiam recentiorem ostentantes tolerantiam, & non in viuente corpore & dolorem sentiente, sed in quodam inanimo supplicium sustinentes, ipsum quidem negligebant: ad preces verò linguam & mentem conuertebant, dicentes: Qui es illuminatio nostra, Christe Deus noster, qui propter nos passus es iniurias, & in ligno fuisti extensus, & precatus es pro ijs, qui te interimebant, patientiæ & tolerantiæ decreta nobis proponens, adspice ad humilitatem nostram & afflictionem, & libera nos à machinationibus scelerati animi huius tyranni. Sciant omnes nos te habere Deum in cælis, qui potest omnia, & qui est sine principio, tuum patrem, & adorandum tuum & sanctissimum spiritum in secula, Amen.

Esa.53. Luc.23.

Cap.4. Christus eis appàret. Dan.3.

Cùm sic essent precati, in nostra forma appárens Dominus, soluit quidem vincula: ignem autem irrorat, quomodò pueris olim in Assyria: & sic sancti illæsi & salui producti sunt in conspectum Regis. Ille autem cùm esset valdè crassus & insipiens, neque admirabili spectaculo obstupefactus, neque martyrum inuicta motus patientia: Quid, inquit, vobis videtur, eos appellans nominatim, num hæc vobis parua persuaserunt tormenta, vt à pernicioso quidem vestro errore discedatis, nostris autem edictis cedatis? an adhuc vultis permanere in errore, vestris freti præstigijs? Respondit beatus Acindynus: Præstigias quidē neque scimus, neq; vnquàm didicimus, neque vnquàm talibus vsi sumus imposturis. Sed quoniam Dei vires * inseparabiles, & quæ sunt supra naturam signa diuina, putas esse præstigias, visioneque & non re vera hæc fieri suspicaris, eris deincèps mutus & lingua impeditus, vt ex teipso testimonium feras Dei virtutis. Si potes ergò dicere, dic, qubusnam dijs nos iubes sacrificare? Non erat autem vox, neque auditio, sed erat mutus, non secùs atquè dij eius, solo nutu indicans animi voluntatem. Cuius amentiam Christi serui arguentes & irridentes, dicebant: Recedimus, tu autem nihil nobis omninò dicis.

for. * insuperabiles

Sapores fit mutus.

Cap. 5. Cùm autem finxissent sancti se recedere, erat Rex mutus similiter, crebrò defigēs oculos in eos, qui circunsistebant, & nutu iubens, vt sancti comprehenderentur. Deindè cùm ministri quod volebat, non possent intelligere, præ ira & dubitatione effectus semijnsanus, rupit chlamydem, & id quod fibulatorium dicitur, humì disiecit, & sic eos, qui aderant, vocabat ad misericordiam. Christi autē milites & ipsos & Tyrannum miserati propter amentiam, O hominum cæcitatem, dixerunt, quòd sua sponte claudentes oculos, intueri nolunt lucem veritatis. Sed aperi Domine oculos cordis eorum, vt illuminentur luce Dei cognitionis, & tua considerent miracula, & adorandum & sanctum tuum nomen significent. Cùm hæc autem essent precati, eis appáret exercitus angelorum, quorum splendorē ferre non valentes, qui oculis animæ caligabant, humì ceciderunt. Sancti verò cùm Dei consuetum sensissent auxilium, ei obtulerunt gratiarumactionem, dicentes: Deus noster, refugium & virtus, adiutor in afflictionibus, quæ inuenerunt nos valdè: sed surge, & nobis fer adhuc auxilium, & libera ab ijs, quæ nos circundant vexationibus propter nomen tuum.

Angeli appárent martyribus.

Psal.45.

Cap. 6. Filius autem interitùs ne tunc quidem intelligens, nec se effectus melior, sed quasì à se discessisset, gemitus & suspiria emittebat, & faciem pulsabat, & similis erat ei, qui est animo perplexo, & nescit quid agat. Quem cùm benigni Christi benignus discipulus sic affectum adspexisset Acindynus, dolore oppressus, effusis propter eius cordis cæcitatem lachrymis, conuersus: Quoniam, inquit, neque Dei disciplina, ô homo, fecit te eius virtutem intelligere, sed tua sponte sic manes improbus, gaudens tenebris impietatis, & amplectēs ignorantiam: sit tibi potestas loquendi citra impedimentum, & nihil sit, quod tuæ linguæ obsistat. Illi autem protinùs quidem soluuntur frena linguæ: oculi verò animæ minimè soluuntur à nube, quæ eos obstruebat: sed perindè acsì nihil noui accidisset, neque quicquam esset passus, pergebat ea, quæ priùs, exequi: & in eos, qui circunsistebant, præ animi dubitatione iram volens immittere, vt cuius animus esset plenus dedecore: Acindynus quidem, inquit, & eius socij, & Pegasius & Anempodistus eum, quem par est, finem iam accipient: Porrò autem vos quoquè, ô pessimi omniumministri, nequaquàm sinam: & sumā pœnas, quas vestra meretur inobedientia. Iubet ergò grabatos afferri ferreos, & ignis multum substerni, qui adspergatur adipe & pice & rèsina, & sanctos recumbere super hos candentes grabatos. Illi autem perindè acsì in quodā roscido & florido prato essent recubaturi, constanti vultu magnoque & excelso animo insilièrunt in grabatos. Deindè cùm se multis horis extendissent, canebant Psalmum tempori conuenientem, dicentes: Igne probâsti nos, sicut probatur argentum. Posuisti afflictiones super dorsa

Sapores per martyrum preces recipit loquēdi facultatem.

Vide supplicium.

Psal.65.

dorsa nostra. & : Da, vt magno & forti animo feramus eos qui adsunt, cruciatus. Da etiam circunsistentibus, vt agnoscant nomen sanctum tuum, quibus & tuam virtutem, & tua nota fecisti miracula.

Cùm ij hæc dixissent, audita est vox è cælis, dicens : Quoniam factis vestram fidem confirmâstis, vestræ petitiones deducentur ad effectum. Hanc ergò diuinam vocem effectus statim est consecutus. Nam quicunque ex circunsistentibus digni sunt habiti, qui eam audirent, exclamauerunt : Vnus solus est verus Deus, quem colunt martyres, vnus fortis, vnus inuictus, & præter ipsum non est Deus. Vos ergò estis beati, qui aduentûs eius in terram fuistis testes, & propter eius desiderium animas ad mortem tradidistis, mortem, quæ vitam æternam conciliat. Cæterùm vt nobis quoquè manum præbeat, & nos extrahat ex profundo interitûs, eum rogate. Martyres autem cùm eorum precum duxissent rationem, & oculos in cælum sustulissent, Altissime Deus, dixerunt, adspice ad seruos tuos, qui nomen tuum inuocant in veritate, & voluntariam irrigationem attribue nouæ tuæ hæreditati, ijs, inquam, qui nunc crediderunt in nomen tuum, vt sit eis medicina ros, qui à te proficiscitur, id quod peccati est, morbosum, expurgans : & sciant omnes te solum esse Deum, & omnia, ô Rex, tuæ obedire potentiæ. Simul autem cum fine orationis & repentè emicant fulgura, & erumpũt fulmina, & vehemens cadit pluuia, adeò vt metu correpti aduersarij, huc & illuc dispergerentur, ijs solis, qui Christo crediderant, relictis solis cùm sanctis martyribus, ad quos sancti : Nè timeatis, dixeruns, qui vos Christo dedicâstis: nam hæc propter vos extiterunt.

Cap. 7.

Multi credũt in Christum.

Cùm ergò vna voce Deo emitterent glorificationem, accessit multitudo angelorum, candidis eos induens vestibus, quæ fortè ostendebant purgatam esse animam fide & aqua. Rex autem, cuius cohiberi non poterat insania, vt par erat, dixit sanctis: Quòd vestræ iuuentuti parcerem & speciei, id vos fecit meam contemnere potentiam : sed re ipsa omninò scietis, vos ea facere, quæ sunt inutilia & vobis non expediunt. Sed quoniam non inest nobis minor patientia, quàm potentia, adhuc vestram tolerantes stultitiam, consulimus vt parcatis, & hunc dulcem solem lucrifaciatis, & non mortem præmaturam & acerbam attrahatis : sed accedentes, dominis dijs sacrificetis. Sanctus autem dixit Acindynus : Nos vnum nouimus Deum, qui est in cælis, & ei soli seruimus, qui potest corpus & animam damnare igne æterno. Ad hæc Rex : Ego quoquè, inquit, volo vos vnum solum Deum adorare. Et quomodò, dixerunt martyres, nos iubes ei sacrificare? Me, inquit, sequentes facite, quomodò me videritis facientem. Sed tu quidem, dixerunt martyres, facies sicut scis : nos autem rursùs consequenter faciemus, vt didicimus.

Cap. 8.

Angeli nouellos induunt Christianos albis vestibus

Matth. 10.

His lætatus Rex, Et cur hoc, inquit, non diù antè fecistis : sed me coëgistis ad hoc, quod est præter naturam, vt in vos inueherer, qui estis mihi charissimi? quod vtinàm non fecissem. Vos tamen tanquàm patri filij ignoscite, qui vos castigando conuertere coactus sum etiam præter sententiam. His dictis, currum conscendit : & accersiuit sanctos, vt cum ipso considérent. Illi autem, Absit, dixerunt, ô Rex, vt nos eò procedamus dementiæ, vt tecum audeamus considere, & tuam potentiam tanta afficere contumelia. Sed qua à vobis, inquit, afficior contumelia, ea est mihi optabilior & pluris facienda, quàm honor aliorum. Cùm autem fuissent in templo, vno ex sanctis manu appræhenso, simul cum eo est ingressus. Eius verò animo magna diffuso lætitia, Magna est Iouis inuicti potentia clara voce exclamauit. Deindè ad sanctos cõuersus, Quid, inquit, vobis videtur, an vt ipsi primi inchoëmus sacrificium: an nos id vobis concedamus facere? Quomodò vestra voluerit potentia, Sancti responderunt. Rex autem permittit sanctis primùm precari. Cùm ipsi ergò genua inclinâssent, & preces Deo offerrent, totum templum fuit terræmotu concussum, & quæ in eo erat statua, cadens fuit confracta. Rex itaque territus, è templo exilijt. Deindè cùm surrexissent sancti ab oratione, & vestigia lachrymarum adhuc apparerent in eorum vultibus : Hæc sunt vestra Deo inuisa promissa? dixit Rex, hac'ne spe vos adduxi in templum deorum? Sancti autem, Nos, dixerunt, in nullo mendacio depræhendisti, ô Rex, sed quod polliciti fuimus, hoc fecimus. Ille verò, Si ad talem deduci finem vestra, vt vos dicitis, promissa putâssemus, nec omninò quidem attendissemus ea, quæ à vobis dicebantur. Restat ergo, vt vos pro meritis factorum remuneremur.

Cap. 9.

Stultus Rex putat sanctos velle dæmonibus sacrificare.

Statua Iouis ad orationes sanctorum corruit.

Dixit, & statim iussit tres afferri lebetes, & in eos inijci plumbum, & maximum ignem

Cap. 10.

ignem in eis accendi: ex vtraque autem parte lebetum ſtylos infigi, qui duo capita & ea diuiſa habebant supernè, per quæ dimiſſis catenis, & lumbis ſanctorum compræhenſis, eos in lebetes demittere, & rursùs ſurſùm trahere. Hoc ergò horribile ſupplicium ſubeuntes, canticum canebat vnuſquiſqui ſanctus, & ſuo nomini & pœnæ conueniens. Nam beatus quidem Pegaſius: Quoniam apud te eſt fons vitæ, dicebat: In lumine tuo videbimus lumen. Inſignis autem Anempodiſtus: Pedes mei ſteterunt rectitudine, & lucerna pedibus meis lex tua, & lumen ſemitis meis. Diuinùs verò Acindynus, Comprætenderũt nos dolores mortis, Pericula inferni inuenerunt nos: ſed etiamsì per ignem tranſiuimus, ipſe Domine educes nos in refrigerium. Qui erat autem anima occæcatus Imperator, cùm vidit ſanctos à plumbo nihil pati, propiùs ad illos accedens: Nóui, inquit, veſtras præſtigias, & cùm catenas ſuis tetigiſſet manibus, demiſit ſanctos in lebetes vſque ad collum. Quorum ſubmerſione plumbum effuſum ſupra lebetes, eos propè reliquit vacuos. Statìm ergò dixeruut ſancti Tyranno: Tu quidem cùm tua manu velles nobis mortem afferre, à ſcopo excidiſti, Deo nos omninò conſeruante: labor autem tuus in caput tuum conuertetur, & colliges fructus dignos tuis operibus. His autem hæc dicentibus, ceciderunt quidem & diſſolutæ ſunt catenæ.

Immani ſupplicio affecti martyres, Deũ laudant. Pſal. 35. 18 17 65

Cap. 11. Vnus ex miniſtris Regis conuertitur.

Vnus autem ex miniſtris, admirabili obſtupefactus ſpectaculo, exclamauit: Magnus eſt Deus Chriſtianorum: & tyranno dixit, O crudeliſſime, quouſquè tuis iuſſis nos vexas, iubens nos aggredi ea, quæ ſunt inutilia? Nos enim, qui tibi cedimus, videmus pati potiùs, quàm Chriſti martyres. Tyrannus autem conturbatus repentina eius mutatione, iram quidem apud ſe celat, ſed manſuetudinem ſimulans apud Aphthonium, (hoc enim erat nomen ei, qui crediderat) Iube eos, inquit, citò egredi ex lebetibus. Illi verò ſalui, non ſecùs atquè aurum ex fornace, repentè emergentes, acceſſerunt ad Imperatorem. Egregius autem Aphthonius, recenter compactam fidem veluti confirmans: Notum tibi ſit, inquit, ô Rex, quòd Deum adoro, quem colunt Chriſtiani, & ei ſoli ſeruio, & me his ſanctis adiungo. Ille autem magna eius audacia & fidutia obſtupefactus, bonis verbis & honorum promiſſis eum conabatur potiùs inducere, dicens: Ego tibi cauſa fui huius mutationis, qui te tamdiù reliqui in ea, in qua fuiſti collocatus, militia, & non ſum te maioribus dignatus honoribus: ſed ſi quid hucuſquè defecimus, id iam implere ſtudebimus. Nihil ergò veritus, dic liberè, quaſnam cupias dignitates. tuam enim petitionem nequaquàm omninò renuemus. A Chriſto autem recèns electus miles, Deſidero, inquit, ô Rex, eam accipere militiam, quam ipſe non potes præbere: ſed ſolus Rex immortalis, qui ſcit etiã dona largiri immortalia. Cùm ergò eius firmam & ſtabilem didiciſſet ſententiam, eum ſtatìm condemnat, vt ei caput feriatur gladio, pro ſupplicio ea largitus, quæ erant ei maximè optanda. Qui cùm lubenter eam accepiſſet ſententiam, Ago tibi gratias, inquit, Domine, quòd me ſeruas, qui ſum indignus, propter magnam tuam & ineffabilem miſericordiam. Proptereà anima mea te laudabit, & nomen ſanctum tuum glorificabit, nunc & in ſecula, Amen.

Ingens miraculum.

S. Aphthonius capite iubetur.

Cap. 12. Cõmendat ſe ſanctorũ martyrum precibus.

Deindè ad ſanctos conuerſus: Ego quidem, inquit, ô domini mei dilecti, ingredior vitam mihi propoſitam. Rogo autem veſtram benignam & miſericordem animam, nè recordemini eorum, quæ iuſſus in vos feci: potiùs verò pro me rogetis cõmunem Dominum, vt ſit mihi clemens & propitius, & nè me ſeparet à veſtra portione. Cui ſancti martyres: Bono animo, dixerunt, ô frater, beatam vitam ingredere. Beatus enim es propter tuum deceſſum, quòd primus noſtrûm ſiſteris coram optata Trinitate, & tui laboris accipies remunerationes, æternam lucem conſequens & gloriam ſempiternam. Quocircà tu potiùs memento tuorum ſociorum, & precare, vt cùm quod ſupereſt certaminis perfecerimus, abſque vllo impedimento eadem, quæ tu, præmia & eandem adipiſcamur hæreditatem. Hæc cùm ſancti dixiſſent, eis diuinus circunfuſus Aphthonius, cùm & in eorum colla deſiderij effudiſſet lachrymas, & iucundè illorũ membra eſſet amplexus, ducebatur ad mortem. Deindè cùm ad locum perueniſſet definitum, beatum caput ei amputatur, & apud Deum beatam deponit animam. Qui autem fortè aderant Chriſtiani, cùm veluti ad quendam theſaurum accurriſſent, & mundis ſindonibus precioſas eius reliquias inuoluiſſent, in loculo depoſuerunt, conſummationem ſociorum eius adhuc expectantes, vt maiores diuitias ſic ſibi reconderent.

Caput eius amputatur. Eius ſacræ reliquiæ colliguntur.

Cap. 13. Poſt hæc ſanctis dicit Rex: Nè exiſtimetis, inquit, me vobis æquè leuem ac facilem mor-

mortem allaturum, atquè malè perdendo Aphthonio. Nam paulatìm acerbissimis tormentis carnes vestras consumens, miserabilem vobis mortem afferam. Hæc cùm dixisset, bubulos iubet afferri culeos, & sanctos in eos iniji martyres: Deindè in aquā immitti. Hoc autē cùm factum esset maxima celeritate, eis beatus appáret Aphthonius simul cum tribus, indutis candidis vestibus, quorum diuina virtute disrumpuntur culei, & terræ illæsi redduntur ab eis martyres. Cùm sic ergò conspecti fuissent à tyranno, arbitrans ille non fuisse factum, quod ipse iusserat, statìm surrexit ad supplicium sumendum de lictoribus, & statìm iussit eorum manus amputari gladio. erant autem quatuor numero. Deindè eos sic pro sanctis immitti in profundū maris. Quod quidem cùm fieret, & mari traderentur, exclamabant: Domine, excipe nostros spiritus, & cum sanctis tuis martyribus nos, etsì simus indigni, connumera. Deo autem inuisus & planè dæmon Saporius, cùm statìm beatos viros, Acindynum, inquam, & Pegasium, & Anempodistum iussisset includi in carcere, ipse seipsum grauissimè cruciabat, anxius propter res præsentes, & magnis animi fluctibus agitatus, & nec cibum quidem omninò sumere sustinens. Appáret martyribus. Sumit tyrānus suppliciū de lictoribus.

Ijs ergò, qui primas partes apud eum obtinebant, conuocatis: Cur me solum, inquit, reliquistis in his, quæ sunt proposita, laborare: ipsi autem ociosum delegistis silentium, nec verbo, nec facto vllam opem mihi ferentes? Sed si aliquid quidem noui & insoliti velim afferre, vos statìm habeo resistentes & reluctantes. Nunc autem cùm nihil noui introducatur, sed patrium nostrum dogma despiciatur, & nè cadat, veniat in periculum, & nulli vestrûm veniat in mentem, ne vultu quidem dolorem præ se ferre, de summa rei planè venio in dubium, & mœrore enecor. Ad hæc Elpidephorus, qui tunc erat primus senatûs, & fidei Christi ardens amator, & ad summā quidam Nicodemus, & Christi occultus discipulus: Et quam tibi, inquit, ô Rex, hac in re opem ferre possumus? Neque enim potentia tua nobis indiget, quæ rerum experientia omnibus antecellit, & habes potestatem voluntati consequentem. Copia autem instrumentorum, quæ sunt cōparata ad torquendum, eorum quæ sunt facienda, apertè suggerit tibi deliberationem. Rursùs dicit Tyrannus: Quid verò? Egó ne solus possum latrare aduersùs hos impios? Sanctus verò respondit: Si hoc tibi videtur operosum ac difficile, sine, inquit, eos sua abire voluntate. Immanissimus verò Sapores: Sed quantùm, inquit, das ex tuis verbis conijciendum, videris illis potiùs, quàm nobis, adhærere. Nam mihi verba communiter ad omnes facienti, ipse solus das responsa: & suggeris, vt impios relinquam impunitos. Cap. 14. Elpidephorus insignis vir.

His sic à Saporio dictis cum suspicione, beatus Elpidephorus, Quoniam sum, inquit, princeps senatûs, hi mihi meritò concedunt primum dicēdi locum. Sed ij quoquè dicant, quod videtur vnicuique, quoniam vis, ô Rex, omninò verum audire. Quidam autem vnus ex senatoribus, habens animā diuina gratia illuminatam: Quid reuerà mirum est, inquit, ô Rex, si Elpidephoro, qui est princeps senatûs, & nihil insipiens respondet aut indecorum, nos dicere concedimus? Rex autem cùm id, quod erat, re vera deprehendisset: Video, inquit, vestram mentem non rectè affectam in nostram potentiam. Quidam verò, nomine Philologus, ætate iunior, ingenio acutissimo, zelo ardentissimus: O Rex, inquit, mala, quæ tuum animum de nobis inuasit coniectura, non nobis in bonum exitum desinet. Es enim plenus suspicione, vt qui cogites omnibus tua condemnatione afferre exitium. Tyrannus autem ira repletus propter repentinam Philologi loquendi libertatem: Quis, inquit, te delegit, vt dares tam duram & asperam sententiam? Ad hæc vir ille egregius, non iram tyranni reueritus, nec de eius potestate solicitus: Quid verò, quandò verum dixerit quispiam, ô Rex, té ne oportebit ilicò irasci? Deindè etiam intuens ad omnes, qui aderant, senatores: Per salutem, inquit, vestrûm omnium, tali viro nihil oportet respondere. Quomodò enim veram accipiet orationem, quæ furore repleta est, anima? Propter hæc Tyrannus ira repletus, ira, inquam, ad similitudinem serpentis, vt dicit diuinus Dauid, milites iubet stare pro foribus, vt eos, qui ei repugnabant, & primum omniū Elpidephorum, ense conficeret. Quidam autem Callistratus, cùm esset Regi amicissimus, cum collo amplexus, orabat vt iram reprimeret. Omnes verò simul liberè loquentes: Miserrime Regum, dicebant, pulchrè scies nos non eadem quæ tu, sentire, neque similiter tueri impietatem. Et hæc cùm dixissent, exierūt eo sic relicto. Sed ille, cùm esset nox, & ad summā filius tenebrarum, habuit noctem, opem ferentem rebus pessimis, & cùm primùm illuxisset, sedens pro tribunali, iubet tres Cap. 15. Philologi dicendi libertas. Psal. 57. Ecce tibi ingentem tyrannum.

fossas

Martyres in fossas mittuntur. fossas effodi, & in eas immitti bestias & serpentes, & sanctum Acindynum cum suis in eas inijci.

Cap. 16. Psal. 62. Postquàm ergò sanctos eò immisissent, Deus Deus noster, ad te de luce vigilamus, psallebant martyres. Sitiuit te anima nostra, sitiuit Deum viuum & fortem. Sed tu fac nobiscum conuenienter tuæ mansuetudini, & educ nos de lacu miseriæ. Quoniam benigna est misericordia tua, & bonitas quæ non potest exprimi. Interìm autem dum precarentur, splendidi accesserunt angeli, velutì quibusdam virgis ferreis bestias abigentes, & vnumquenque è sanctis manu accipientes, eos illæsos è fossis eduxerunt. Sed Rex cùm oporteret rursùs Christi intelligere potentiam, & cessare aliquandò aggredi, quæ non possunt effici, ille iussit sanctos rursùs suspensos cædi. Cùm autem vidisset eorum carnes multis horis conscindi, fortique & generoso animo resistere certaminibus, iubet eos è lignis deponi, & eis capita amputari. Ipse enim magis erat defessus intentans supplicia, quàm martyres sustinentes ea, quæ intentabantur: & summa fortitudine vicerunt illi infinitam crudelitatem. Cùm iam autem ad mortem abducerentur, qui ab eis illuminati fuerant ad pietatem, simul cum senatu, Dimittitis nos, dicebant, ô doctores pietatis, super cathedram pestilentiæ, in medio ecclesiæ malignantium, cùm ad mensuram ætatis in Christo nondùm peruenerimus. Beati autem illi eis responderunt: Qui docet hominem scientiam Christus Deus noster, qui est illuminatio animarum nostrarum, ipse vos illuminabit & reddet intelligentes, firmosque faciet & stabiles fundamento suæ fidei.

Angeli eos inde educũt. Cæduntur crudelissimè. Condẽnantur capitali supplicio. Psal 93.

Cap. 17. Relata sunt hæc Regi: & quòd magna multitudo sequeretur sanctos, eorum cædes prohibens. Ille autem statìm emittit cateruam militum in eos, qui sequebantur sanctos, cui iussum fuerat vt eos expelleret: sed egregij illi viri, qui ad finem vsque statuerãt resistere peccato, hoc nihilfaciẽtes, maluerunt potiùs mori cum sanctis. Quorum constantiam cùm tyrannus rursùs intellexisset, iussit omnes simul cum sanctis interfici, suæ occidendi homines cupiditatis prætextum accipiens, eorum amorem pietatis. Cùm autem ei suggessissent quidam, quorum erat magnus zelus in simulacra, quòd fuisset senatus causa horũ malorum, iubet beatum adduci Elpidephorum, vt qui apud eum ferret primos honores. Ille autem conuersus ad inuictos martyres, qui nondùm erant consummati, Rogate, dixit, pro me patres in spiritu, duces meæ in Christum fidei, vt ego quoquè à vestro cœtu non excidam. Cui sancti: Esto bono animo, dixerunt, ô frater, esto bono animo, & nè sis animo anxius. Nos enim præcedes, primus sistendus coram cælesti Domino. Cùm eos ergò esset amplexus, ducebatur ad tyrannum: eum autem tres quoquè alij consequebantur, qui erant eiusdem animi & instituti.

Milites cõuertuntur ad fidem Christi.

Cap. 18. Tyrannus autem, Quid vobis, inquit, accidit, ô stulti, vt deorum quidem patriam dimitteretis religionem, adhæreretis verò his impostoribus? Sed nisi citò resipiscentes, ad priora redieritis, vos excipiet acerbus vitæ finis. Cui Elpidephorus interrito & constanti animo: Notum tibi sit, inquit, ô Rex, quòd deos, qui non sunt, non colimus, & tuo dogmati repugnamus. Fac ergò id, quod tibi videtur. Quoniam hoc vobis placet, inquit Tyrannus, sequendo hos impios eiusdem quoquè esse finis socios, neque nos vos vestro frustrabimur desiderio: sed vestra capita iubeo gladio amputari. Cùm autem sancti hanc audiuissent sententiam, lætique & exultantes ducerentur ad mortem, eos quoquè consequentibus militibus, qui erant numero circiter trecenti, qui cum diuino, inquam, Acindyno & eius socijs mori maluerunt, & sic venire ad Christum, cuius misericordia est supra vitas, mortem gladio accipiunt, magnam animi alacritatem eis afferente Acindyno, & excitante, animosque addente ad martyrium.

S. Elpidephori constantia. Psal. 62. Senatores 4. cum 300. militib⁹ occiduntur.

Cap. 18. Iam autem interfectis militibus & senatoribus, quamprimùm accersit tyrannus beatum Acindynum, Pegasiumque & Anempodistum: Deindè vulpina pelle indutus, clementiamque & mansuetudinẽ simulans peruersissimè: Quænam est, dicebat, talis vestra constantia, vt vitæ præsentis sitis prodigi, & eam morte commutetis? Testis sit mihi sol, qui est iucundus omnibus, quòd propter vestram mortem mihi scinduntur viscera & anima. Misereor enim vestræ ætatis & iuuentutis, & corporis quoquè pulchritudinis, cuius vel misereretur bestia, & ei parceret. Credite ergò mihi, qui vestrî magnã curam gero, & consulo quę sunt vtilia. Videtis enim, quomodò nulli pepercerim senatori, nec militi. Vestrî autem paternè curam gero, & vos amplector, vt qui vestram didicerim virtutem & fortitudinem ex cõstantia in tormentis. Si enim mihi

Tyrannus blanditur.

mihi parueritis, vos primis dignabor honoribus, & concedam dona digna vestra virtute. Sancti autem, Nec tibi, dixerunt, nec nobis frustrà labores exhibe. Sed nec tu nobis parcas, nec te nostrî vlla moueat misericordia. mentem enim nostram nunquàm flectes, aut bonorum promissis, aut minis malorum intentatis, aut metu mortis, quæ est tibi terribilis. Quomodò enim mortem timuerint, quos hoc magis afficit molestia, quòd semel & non milliès possint mori pro Christo? Fac ergò citò id, quòd à te iam est iudicatum. Nos enim expectat chorus sanctorum: vt etiam magis tibi agamus gratias propter celerem consummationem. Martyres eum contemnunt.

Ille autem deposita persona, & ficta ablata mansuetudine: Nō per deos, inquit, non assequemini id, quod desideratis. Iubet ergò eos, cùm fuerint ferro vincti, in tutissima seruari custodia. Ipse autem cùm tota nocte considerâsset, quanam morte eos afficeret, manè iubet in fornacem ignis ardentem diuinos iácere martyres, vt omninò consumptis sanctis corū corporibus, ne cinis quidē relinqueretur Christianis desiderij sui solatium. Qui cùm mox educti fuissent è custodia, eis magna voce acclamauit tyrannus: Eccè præmia vestræ inobedientiæ, ostēdens manu fornacem: quam nullus alius, sed vos vobisipsis accēdistis. Acindynus ergò beatus Christi martyr cùm intellexisset, quàm esset malitiosus & versipellis tyrānus: Fortè, inquit, prophericè tibi nomen imposuit mater. id enim patrem dæmonum significat. Tu autem non pater dæmonum, sed es apertè filius eius, qui fuit homicida ab initio: quoniam eius opera imitaris, vt qui hominum sanguine, sicut ipse, delecteris. Ille verò, cùm verbi acerbitas eius animum momordisset, matre sua accersita: Quid mihi, inquit, ô mater, nomen sibi vult? Illa autem: Scio, inquit, hoc esse tibi paternum. Quidnam verò possit significare, nescio. Sapores autem, Sed isti, inquit, cacodæmones dicunt hoc significare patrem dæmonum. Quòd si habeant veritatem in hoc sibi suffragantem, non illos, sed te priùs tradam morti acerbæ. Illa verò subridens: Omninò, inquit, nisi hoc apertè nôssent, non ità auderent loqui multis præsentibus. Hinc factū est, vt ira, quæ cohiberi non poterat, inuaderet hunc execrandum: statimque cùm simul cum Deo communē abnegâsset naturā, & nec ipsum omnibus charum nomen matris esset reueritus, quod vel ipsis feris & animalibus rationis expertibus affert reuerentiā, ei manus inijcit, manùs ô (diuina iustitia) homo in matrem, & matrē iam vetulam, & filius matri impingit alapam, egregiam ei reddens mercedem nutritionis, aut potiùs lubenter dixeris, qui maiorem iure erat redditurus, quòd illa tale malū in lucem ediderit. Illa autem prócidens ad pedes sanctorum, Seruate meam senectutem, dixit cum multis lachrymis. Ipsum enim, vt video, satanam, illum ipsum ego genui. Cap. 20. Traduntur in custodiā. Interpretatio nominis tyranni. Iohan. 8. Sapores matri impingit alapam.

Ille autem illam nihilipendens & repellens, intuens ad martyres: Vestra, inquit, in malis perseuerantia, efficit, vt vobis fornax accendatur ampliùs. Illi verò, Tua mater, aiunt, curæ tibi sit in præsentia. Quid enim animi habeamus, iam satis es expertus. Tyrannus autem, Quid ea, inquit, sit mihi curæ? Si tibi, inquiunt, remittetur scelus, qui iniustas manus in ipsam matrem intulisti. Sed si pro filio, inquit, mater precata fuerit, dij mei ignoscent. Illa autem oculos statìm in altum tollens, Christe vnigenite, inquit, Dei fili, filio meo nè remittas, neque in hoc seculo, neque in futuro. Ille autem rursùs iniquus, Longa, inquit, vt videtur, & multorum annorum senectus tuam mutauit & corrupit mentem: & ideò tam facilè indúceris, vt nobis malè precerís. Ad hæc anus illa sapiens: Sed si ego, inquit, qui te genui, sum inops mentis, tu qui ab ea es genitus, quomodò saluam mentem habere existimaberis? Non ergò, inquit Tyrannus, ab eo, quod decet aberraui: qui tibi, quæ es eiusmodi, talem intuli tibi alapam, impingens cōtumeliam. Illa autem, Tibi, inquit, testificor, quòd Dei, qui omnia adspicit, oculum & iustum illius iudicium non effugies. Cap. 21. Mater secundùm iustitiam Dei orat, à spiritu sancto, vt creditur, ità edocta.

Cùm ea sic respondisset, mutus euasit sceleratus. vix tandèm autem dixit ijs, qui aderant: Hinc tollantur impij, & in ardentem fornacem inijciantur: quoniam contendunt non parére nostris iussis. Hanc verò, quæ abiurauit se meam esse matrem, & violauit ius naturæ, relinquite eam sua voluntate ambulare. Illa autē beata: Deū, inquit, iuro, me esse morituram cum hac trinitate martyrum, & neque morte, neque vlla re alia me vnquàm ab his esse seiungendam. Tyrannus verò, bonæ terræ malum germen præter expectationem: Hæc res, inquit, non est mihi magnæ curæ: fac, vt tu volueris. Cùm ergò martyres fornaci appropinquâssent, tollentes in cælum oculos, dixerunt: Domine Iesu Christe, vera lux, quæ ante secula è paterna effulsit gloria, agimus tibi gratias, quòd nos corroborâsti, vt ferremus pro te certamen: & non per- Cap. 22. Mater Saporis iurat se velle mori cum sanctis.

misisti, vt compræhenderemur à laqueo venantium: sed tanquàm passerem animam nostrã ex eo liberâsti. Et nunc confirma nostros animos, vt possimus aduersùs hunc ignem nos fortiter gerere. Nobis quoquè adsis in tempore excessûs ex hoc abiecto corpore, & defende nostras animas. Te enim freti & tua virtute, hanc flammam ascendimus.

Cap. 23. Cùm itaque fuissent milites prope os fornacis, & intolerabilem eius ardorem nõ possent sustinere, sancti qui eos viderant territos: Quid statis, dicebant, quod iussi estis, non facientes? Si hic, qui est conseruus & est ad tempus ignis, vobis visus est tam terribilis: ignis ille gehennæ, qui nunquàm desinit, & nunquàm extinguitur, quemadmodùm à vobis tolerabitur? Et quomodò, dixerũt illi, potuerimus effugere, quod vos dicitis, supplicium? Nisì abnegato cultu idolorum, dixerunt sancti, Christo vero Deo verè credideritis, non poteritis illa effugere supplicia. Ad hæc milites: Quandò, dixerunt, Regis iussui seruiẽtes, vobis inferebamus supplicia, contremiscebamus & timore afficiebamur, vt qui expectaremus nos aliquid graue esse passuros. Nunc autem vestram consecuti doctrinam & admonitionem, sùmus tranquillis animis, aliquam spem salutis, vt par est, expectantes: sed vos cùm in nos feceritis, quæ oportet & vult vestra fides, ad Regem æternum adducite. hũc enim, in quem cadit interitus, iam sumus abominati. Propter hæc martyres repleti lætitia, Dominũ, dixerunt, vna voce laudemus, quoniam bonus: & suauis euadat ei nostra laudatio, qui ædificat animas eorum, qui ad ipsum fide accedunt, & gaudio propter eorum salutem implet cælestia. Excipe Domine eos, quos hora vndecima conuocâsti ad vineam tui martyrij: & da eis mercedem dignam tua bonitate, eos referens in numerum priorum tuorum decertatorum.

Alij milites credunt in Christum.

Cap. 24. Milites ergò velutì quibusdam armis inexpugnabilibus, Christi muniti signaculo, simul cum sanctis Acindyno, Pegasio & Anempodisto fornacem ingressi sunt, cùm essent numero viginti & octo, ne ipsa quidem tyranni matre relicta, sed cum eis simul ingressa. Chorus autem Angelorum circa fornacem sanctos videbatur excipiens, & cum eis hymnum canens. Martyres autem cùm sacras animas apud Deũ per ignem deposuissent secundo die Nouembris, locum repleuerunt odore ineffabili: adeò vt qui illic aderant Christiani, quæ dici non potest, voluptatem senserint, & eum laudârint, qui re ipsa implet quæ dicit diuinus Dauid, & in sanctis suis se ostendit mirabilem. Quorum sacræ & preciosæ reliquiæ depositæ sunt in loco, qui dicitur Irenessus, ex quibus manat maxima gratia ad eos, qui accedunt: Ad gloriam Domini nostri Iesu Christi: Quem decet maiestas & laudatio cum eius principio carente patre, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

28. milites cũ regis matre & martyribus in fornace ardẽti reddũt animas.

Psal. 67.

VITA S. HVBERTI EPISCOPI LEODIENSIS, AVTHORE QVODAM EIVS DISCIPVLO VEL *familiari, vt ipsa historia satis indicat. Extat in antiquis M.S. codicibus.*

3. Nouẽbris. Cap. 1.



OST gloriosum beatissimi ac præcellentissimi antistitis Lamberti à rebus humanis excessum, qui Pontificalem apicem apud vrbem Tungrensem quadraginta annis strenuè ferẽs, vitæ quidem exempla posteris dereliquit: mortis autem acerbæ viriliter ferendo discrimina, & summi pastoris vestigijs inhæsit, & quantum amoris circa Dominicas oues haberet, aperuit: vtpotè quibus & viuens vitæ contulit pascua, & pro quibus non metuit mortis subire dispendia: Hubertus venerandus præsul eius sedi subrogatur Episcopus, cui non erat virtute secundus. Nanque pastor ille pius, qui deuicto mortis tyranno, oues suas consolari dignatus est, dicendo: Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi: eidem gregi talem ac tantum prætulit pastorem, per cuius opera, vera esse sua verba ostenderet, virtusque in eo pollens, Christum in se & loqui, & operari clamaret. Egitque, vt assolet, diuina prouisio, vt quia optimi pastoris destituebantur solatio, non rictibus luporum territæ, per diuersa dispergerentur, dentibusque lacerarentur: sed succederet pastor, qui humilis gregis curam gerens,

S. Hubertus S. Lamberti successor.

Matth. 28.

rens, fessas subleuaret, fractas alligaret, emaceratas sanaret, luporumque rabiem ab eorum insectatione procùl proturbaret: nec iam Ecclesia Dei fieret lustrum ferale, sed expiatum à sorde nocentium, & serenatum ab angore luporum, redderetur Domino templum herile.

Iuuabatur nanque prædictus Domini famulus non modò Christi exemplis, sed & prædecessoris sui nuperrimis institutis: quia & humanam mentem non tam instruũt prisca, quantùm præsentia: nec eò infirmi conualescunt exemplo multò sibi superiorum, quò ad æmulationem prouocantur ex visione coæqualium. Vndè actum est, vt idem vir venerandus & lectione scripturarum, quæ sibi agenda forent, addisceret, opusque lectionis, paterna æmulando opera, perageret, * operibusque pastoralis nõ segnis executor existeret, atque ideò officij episcopalis non incongruus minister fieret. Igitur vt vox veridica, veritatis ore prolata, compleretur, dicentis: Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum: consensu vnanimi fidelium, talis ac tantus vir cathedra, vt dictum est, præsulatûs Dominici gregis donatur: vt qui eatenùs sibi tãtùm profuerat, & sub schemate priuatorum degens delituerat, candelabro Dei quasi quidam clarissimus lychnus imponeretur, quatenùs eius exemplo cunctis in domo Dei positis, luminis claritas præberetur.

Cap.2.

Exẽpla præsentia quantùm plũt.

for. * operis

Matth.18.

Sciens nanque memoratus & sæpè memorandus vir, aliam legem esse subditorũ, aliamque prælatorum: scilicet vt subditus quisque curet, nè pereat, ne ve suo exemplo alios perdat: prælatus autem non solùm intendat suæ, sed & iudex prouisorque cogatur vitæ fieri alienæ: non ei sufficiebant ea, quæ sibi olìm sectanda proposuerat: sed in arctiora tendens, magnoperè studebat antiquorũ patrum sectari vestigia. Vndè non * quælibet sibi in æmulatione proposuit, aut virtutum ignobilitate degenerem, aut inscientia vecordem, aut mollitia segnem: sed illos potissimùm, qui voce Domini audita, dicentis: Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me: studuerũt nihil mundiale appetere, sed explosis terrenis cupiditatibus, si quid rei familiaris superfuit, curauerũt sub vno congerere, & singulis pro necessitate subministrare. Vndè factũ est, vt initium eius præsulatûs talibus tantisque dedicaretur auspicijs, in quibus non initium bonæ intentionis, sed perfectio fulgeret operis. Distractis igitur, si qua ei superfuêre in re priuata, studebat ea non sub cauo terræ cespite abscondere, aut ærugini consumenda tradere, furibusque diripienda derelinquere: sed amicos euangelicos de his conquirere, qui se in æterna tabernacula valerent recipere.

Cap.3.

Alia prælatis, alia subditis curanda.

for. * quemlibet

Matth.19.

Episcopatũ à quãta perfectione auspicatus sit S. Hubertus

Luc.16.

Erat nanque largus erga indigentiam inopum, refocillator pauperũ, & secundùm scripturam pater orphanorum, & pro viro matribus eorum. Oppressis adminiculabatur, inopum miserebatur, suaque pro Domino derelinquentibus pio affectu patrocinabatur. Tribulationem patientibus strenuus consolator aderat, & carcere præclusis, necnon diualium pœna subactis, eius visitatio atque subministratio non deerat: sed & quocunquè pedem ferre libuisset, in manu illius eleemosyna desudabat, quousquè pauper occurreret, cui eam tanquàm Christo committeret. Et quia moris est proficiẽtium, pręterita boni operis exercitia à mentis acie subducere, quô acutiùs ad ea, quæ sunt arctiora, mentem valeant defricatam ignire, atque iamiamque fessam, appetitu noui operis recreare: viro beato non satis erat, talibus ac tantis virtutum insignibus cluere, sed reminiscens perfectionis decessoris sui, ardebat cupiditate martyrij, minùs se deputans habere perfectionis, qui nondùm pro Domino tradidisset morti etiam officia corporis. Doloris nanque illius interni amaritudinisque animi, quo flagrabat amore martyrij, testes erant lachrymæ, quæ solent prodere intima conscientiæ, quas in recordationem beati Lamberti solitus erat dolor elicere, genarumque orbes assidua humectatione alluere. Vndè inter pias exuberationes fletuum alta suspiria pulmonum, crebrò talia conquestus est: O me infelicem, terque miserandum, cuius se peccata in tantam sustulêre congeriem, vt nõ idoneus dignusque possim reperiri consortio tanti viri, martyrij triumphum subeuntis, palmamque victoriæ inuadentis. Sic sic nimirùm imperfectionis sese arguebat, vt quo magis perfectus, eo sibimet videretur exiguus: minusque oculum mentis tendebat in his, quæ in se iam & victore Christo subegerat, & satore bona nutriuerat: sed ad ea capessenda irreuerberato tendebat obtutu, quæ nondùm, ob conseruationem humilitatis, Christi ei discreta largitas attribuerat, attendens illud, quod a sancta Scriptura præcipitur: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.

Cap.4.

Eccli.4.

Vacat misericordiæ operibus.

Flagrat martyrij desiderio.

Eccli.3.

His igitur & talibus exercitijs in gymnasio sanctæ Ecclesiæ per annos duodecim exercitatus, his palestricis certaminibus contra carnis hostes, aërisque principes est præliatus.

Cap. 5. Crebræ ei offeruntur visiones de transferendis S. Lamberti reliquijs. Anno autem ordinationis eius duodecimo crebras sibi prodidit oblatas sub noctis quiete visiones, quibus se commonitum fatebatur, vti à Traiectensi oppido ossa sancti leuaret Lamberti, & in loco, quo celebratam eius passionē nôsset, iterùm humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæstimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam meditullio positus, cùm neque visioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret, quod sibi occultum erat, iudicauit à Domino quærēdum. Nam indicto cunctis tam monasterialibus, quàm & ciuitatis clericis, necnon & laicis ieiunio, quę sibi diuina volūtas de his agere prçciperet, magnoperè requirere studuit. Tādemque edoctus, ancipiti submota sentētia, tertiodecimo anno sui præsulatûs cœtu clericorum sibi adiuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Episcopis & sacerdotibus, tumulum venerandi viri adijt: ibidemq; spirituales obseruantes excubias, diuinitatemque pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, vt qui antistiti suo facienda mandauerat, quô perficerentur, cœptis annueret, secundosque prouentus attribuendo, suam voluntatem vt taliter fierent, cunctis palàm ostenderet. Quorum pijs votis omnipotentiæ Diuinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione vrnam, qua sanctissimus cinis conditus seruabatur, adeuntes, absque aliqua difficultate busta beati viri ex loculo protulêre: & cum magno gaudio, qua venerant, pedem referentes, in loco, quo passus est, terræ mandauêre. Quantis autem, qualibus've miraculis suum velle Dominus in tali facto per omne iter reuersionis eorum commendârit, schedula gestorum eiusdem sancti pontificis annotata continet.

Busta, pro ossibus.

S. Lamberti sacra ossa transfert.

Cap. 6. Fabrica autem eiusdem basilicæ, qua beati viri conditæ sunt reliquiæ, qualiter ab eodem sancto viro Huberto ordinata sit, quia oculis vidētium se offert, de ea aliquid dicere supersedi. His peractis, vir Domini Hubertus, vt Scriptura clamat, de virtute in virtutem proficiscens, ardebat videre Deum deorū in Sion. Et sciens dictum ab Apostolo, Ea, quæ retrò sunt, oblitus, in ea verò, quæ antè sunt, extendens me, persequor ad brauium supernæ vocationis: magìs magisque ieiunio & vigiliæ, castitatique animi & corporis operam dabat: & subditorum curam gerens, tanquàm fidelissimus dispensator verbi triticum conseruis suis toto nisu subministrabat: nec tamen Dominici immemor exempli, de quo legitur: Cœpit Iesus facere & docere: ea quæ discipulis obseruanda voce prædicabat, qua diligentia operanda essent, suis actibus prætendebat. Instabatque, iuxta Apostoli mandatū, prædicans opportunè, importunè: tantaque cum gratia verbi, & dulcedine sermonis virtus spiritussancti donauerat, vt non modò è vicinis, verùm etiā è longinquis, & à se valdè semotis locis, ad eum populi concurrerent, ac de potestate faucibusque diaboli se erui, atque in regnū Christi, gremiumque sanctæ Ecclesiæ per baptismi gratiam transferri, gauderent: idolorumque cultum, necnon profanum eorum obseruationis ritum, cum authoribus eorum respuerent: atque olim sibi veneranda templa, terræ coæquarēt, puluaremq; eorum veluti immunditiam detestantes, perdiuersa dispergerent. Omnem nanque Arduennam, hisce cultibus hactenùs mancipatam, in breui sacrilega seruitute liberam, famulitio Domini subiugauit. Si qui autem, facessente generali idolorum cultu, superessent, qui more sacrilego aut pulueris eorum reuerentiam haberent, vel cætera huiusmodi obseruari debere vsu nefando putarent, hos ad se deductos, triennij pœnitētia plectebat: sicque præliator Domini strenuè aduersarias insequēdo ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longè lateque ampliauit, ità vt Taxandria & Brachbante, eorum detegendo insidias, eos penitùs annullaret, effigiesque eorum populi, Christi gratia illuminati, confringerent, & penitùs abdicarent. Ab ijs autem, à quibus deorum, immò dæmoniorum, templa subuertebantur, Christo Domino pręclara in honore sanctorum martyrum templa, per S. Hubertum construebantur & honorabantur. Sicque vir Domini circunquaquè Christi prædicando mysteria, populos ab atra cæcitate leuatos, lumine scientiæ reddidit conspicuos: vt de eis veracissimè dici posset: Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis: regnoque Francorum à Deo donatus lucerna luminis, ei superadderet ornamenta salutis.

Psal. 83. Philip. 3. Luc 12. Act. 1. 2. Tim. 4.

Multos ad Christum traducit.

Itéque totam Arduennam.

Brachbāte, pro Brabātia.

Esa. 9.

Cap. 7. Intereà dum sacratissimus Domini famulus curam gregis gerens, parochiamque

suam circumiens, ouili sibi commisso inuigilaret, nè qua luporum versutia aditum in eo inueniret, & in villam, cui Viuoch vocabulum est, deuenisset, & secunda Dominica temporis Quadragesimalis adesset, mulieris cuiusdam pulsatus est necessitate, vt & cum quãta reuerentia dies resurrectionis Dominicæ coli debeat, Dominus ostenderet, & cuius sanctitatis idem præsul esset, declararet. Nam cùm iam dicta mulier, posthabita Dominici diei reuerentia, panifico, quanquàm iussa, deseruiret ministerio, manus illæ, quæ sacram solennitatem insolenter temerare tentauerant, subitò obriguère: arescentibusque à sanguinis humectatione venis, ac neruis siccitate contractis, adeò stupidæ sunt redditæ, vt vngues eius palmis ambabus viderentur infixi. Quæ tanta necessitate adstricta, vnum sibi solummodò restare remedium credidit, vt virum Dei adiens, cuiusmodi vrgeretur necessitate, exponeret: atque eas, quas sibi temeritas abstulerat, per eius orationem sibi reddi manus flagitaret. Neque spes eam fefellit. Nam exeunti viro Dei ab ecclesia, obuia mulier ad pedes proruit: quæ eam necessitas vrgeret, exposuit: subsidiumque, quò ab eo possit erui, postulauit. Cui vir Dei: Vade, inquit, & deinceps tali præsumptione abstineto, & emendationem tuam sanitas consequetur. Cuius promissionem non Dominus in longum distulit, sed statim opere compleuit. Nam manus illius, dudùm pallido perfusæ colore, in genuinum sunt reuocatæ repentè, siccitasque peregrina sospitati cessit: & recepta sanitate pristina, creatori omnium benedixit, atque Dei famulo pro se oranti, gratias reddidit. Punitur mulier, laborãs die Dominico. Eam sanat B. Hubertus.

Huic mirando operi successit aliud, veterrimis Eliæ atque Elisei miraculis conferendum. Nam cùm operi cuidam in vico Gabelio instaret, atque siccitate sua fluuius Mosa cursum nauibus denegaret, vtpotè tempore autumni instante, quo maximè solent fluuiales aquæ detrimenta sentire, difficultate sibi operis cœpti nunciata, primùm paululùm mœroris concepit: sed deincèps in omnipotentia diuina confisus, discipulis ait: Nóstis'ne quisnam ille fuerit, qui tribus semis annis clausos cælos verbo aperuit, aridumque aërem pluuia humectauit, ac terram, diù negata prole fœcundauit? Tunc vnus discipulorum se benè nósse respondit, Eliamque id fecisse confessus est. At vir Dei: Equidem ipsum & nos Deum colimus, ipsiusque virtus, quæ in veteribus potenter emicuit, nequaquàm nostro tempore vetustate aut impotẽtia emarcuit. Ideoque nos ieiunio atque orationibus eius omnipotentiam pulsemus, & eius misericordiæ, quæ sibi fuerint visa, de his agenda relinquamus. Igitur mox vt poplitibus curuatis orationem fudit, cæli serenitas tetra caligine obducitur, coactoque in nubes aëre, sensìm pluuia cœpit demitti. Pòst verò paulatim & per incrementa gliscendo, in tantam nimborum excreuit magnitudinem, quoadusquè fluuius, qui dudùm etiam bidentibus transmeabilis erat, ripas aluei sui ad summum vsque compleret, voluntatique serui Dei adeò famulatum præberet, vt opus, quod cœperat, absq; vllius rei difficultate lætus perficeret. Cap. 8. 3. Reg. 17. Illustre miraculũ, subitò impetrata pluuia.

Alio itidèm tempore cùm ieiunium triduanum, quod more sanctæ Ecclesiæ vniuersaliter celebratur, & Græco vocabulo Litaniæ, Latinè verò Rogationes nominatur, instaret, gloriosus Domini pontifex iuxta consuetudinem suæ Ecclesiæ per oppida & castella cœpit discurrere, semenque verbi Dei in agro cordis audientium seminare: Veniensque Traiectum, iuxta consuetudinem, cum clericis populique agmine, & victoriosissimis Saluatoris insignibus, Crucis videlicet vexillis, necnon & sanctorum pijs reliquijs ab oppido egreditur, peragraturus cum precibus agros, vt Deum tanto precaretur ambitiosiùs, quanto id faceret humiliùs. Cùm igitur solitò verbum Domini seminator egregius in agro cordis humani iáceret, intonando salubriter: Si me, inquit, superni iudicis præconem attenta cordis aure audieritis, & ea, quæ vobis, authore Deo, supernaque gratia administrante, dixero, sanctorum operum executione compleueritis, nulli dubium, quin æternæ patriæ hæreditatem sorte felicissima mecum adepturi sitis: repentè inuidus ille verbi Dei inimicus, qui illud aut funditùs volucrum more rapere, aut certè ei zizania solet interserere, quantùm sibi ea, quæ à seruo Dei gerebantur, displicerent, coactus est, inuidia cogente, monstrare. Nam subitò vas olim sibi appetibile, mulierem scilicet, per præuaricationẽ primã amicissimam, ingressus, magnis inconditisque vocibus cœpit perstrepere, & silentiũ, quo verbum Dei audiebatur, sui importunitate clamoris perturbare. Hac itaque vociferatione tetrica, vir Dei, audita & cognita, ad se quidem accurrenti primò signũ Crucis obiecit: deindè alapam eidem impressit, atque silentium imposuit. Statimq; Cap. 9. Ieiuniũ triduanum diebus Rogationum. Nota hunc antiquum morem. Matth 13. Dæmon ei sacram prædicationem perturbat.

S. Hubertus dæmoniacā sanat. mulier in terram corruit, ità vt crederetur exanimis. Sed cùm diutiùs iaceret, ab ore eius quædam sanies diù profluxit, atque post hæc dæmone caruit.

Cap. 10. Indè autem Dei famulo discedente, & in villam, cui Hannala nomen est, adueniente, cùm iam solis iubar terras desereret, atque suî recessu vmbris tellurem obduceret, artus diutino labore defessos voluit releuare lectulo superpositos: cùm eccè quidam eius puerorum, foris venientes, nũciant cæli faciem à solito mutatam, ignearumque acierum rubore perfusam. Quod ille audiens, intima domûs liquit, aciesque illas diù considerauit: & alta suspiria trahens, dixit: En signis euidentibus ruinam mundi iamiamque imminere elementa testantur: diemque extremi examinis ea etiam, quæ voce carent, proloquuntur. O beatum illum, quem tantum examen non reperit imparatum, & qui, conscientia se defendente, securus opperietur illum vltimum maximumque conuentum. His dictis, alij adsunt nuncij, qui dicerent domum illius incendio conflagrare. Quo audito, vir Domini concitè illuc pergit, obicemque se igni intrepidus opposuit, ità dicendo: Si diuinæ voluntatis est, vt hoc cremandus occumbam incendio, in potestate eius, cui nemo mortalium resistere potest, fore non ambigo. Eleuatisque manibus, signum Crucis iniecit, Deumque sibi adiutorem futurum inuocauit, canendo: Deus in adiutorium meum intende, &c. Signo Crucis & precibus ingens incendium extinguit. Mirumque in modum ignis ille permaximus, qui aduenienti sacerdoti aditum ostij flammas vomendo negauerat, repentè eius suffragãtibus meritis vires perdidit: subitoque in soporem conuersus, nil detrimenti aut læsionis eidem dereliquit. Tunc vir Dei addidit: Cernitis, inquit, quòd inuidus ille totius bonitatis, qui hodiè auditorio nostro perturbationem excitauit, nunc nos nec paulispèr quieti indulgere sinit. His dictis, officium completorij cecinimus, cubitumque secessimus. Hinc habes Authoris ætatem.

Cap. 11. Post hæc cùm opus Apostolis familiare, id est, capturam piscium, in prædio quodam * Nuuella cognominato, construeret, & ipse cum cæteris eidem operi instaret, fudesque cum multa vi, vtpotè silicum densitate & duritia obstante, infigerentur, vir Domini ad momentum super vnam earum manu superposita sustẽtari voluit. Vnus autem famulorum, toto nisu ictum eidem stipiti iam librauerat: cuius impetum sustinere non valens, manui illius illisit, digitosque cõfregit. Talique læsura suscepta, domum sub celeritate redijt: in crastinum verò, ei operi curam nobis impendere atque instare præcepit. Cuius dicto parentes, conscensa naui, adnauigauimus, easdem fixuri sudes. Sed paululùm à terra secretis, mox violentia venti nimborumque procella obuiàm sese tulit, vadoque nauim sui impetûs violentia contorsit, intimoque gurgiti demersit: omnesque, qui in eadem aduecti fueramus naui, ilicò profunditas miserabiliter obsorbuit pelagi. Sed pius sacerdos, nostri periculum naufragij audiẽs, ægrè tulit, suspirijs ingemuit, lachrymis oculos oraque rigauit, Deũque his vocibus exorauit: Tu Domine Iesu Christe, cui calcanti mare sicca dorsa præbuit, æstumque suum tuo verbo coërcuit: nimbus etiam fremens, tumorem deposuit, atque spiritûs violentia, tui imperio oris cessit: quæso, succurrere famulis tuis naufragia patientibus, saluenturque tua potentia, quos iamiamque obsorbuere procellosa discrimina. Mihi quoquè, qui hæc scripsi, in eodem naufragio tale quid accidit: Cùm eiusdem periculi particeps, sub aquarum mole pressus huc illucque violentia voluerer, pars tunicæ meæ palo cuidam inhæsit, libertatemque exeundi bis terque conanti denegauit. Subitoque ad memetipsum conuersus, dixi: Succurrat mihi, quæso, per intercessionem patris mei virtus tua, cuius manus formauit mare & aridam. Hisque dictis, ab impactione illa sum solutus, & cum omnibus condiscipulis meis à profunditate pelagi liberatus, atque luci redditus. Sacerdos Domini intereà grauiter accepti vulneris doloribus cruciabatur, ità vt nec somni quiddam, dolore instante, percipere permitteretur, tribusque mensibus è digitis eius tabo fluente, acerrimo cruciatu vexaretur: nec tamen dolor, quanquàm acerrimus, eius impediebat intentionem, sed magis magisque in laudibus Domini atque psalmorum occupatione sese detinebat, illum pœnitentiæ psalmũ crebris iterationibus lachrymosisque rugitibus humiliter canendo: Miserere mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Vna autem noctium, dum tribulationis magnitudine pressus, in soporem membra dedisset: quidam cælicus nuncius adstitisse visus est, & talia protulisse: In tribulatione inuocâsti me, & liberaui, & exaudiui te. Et simul hæc dicendo, ostendit illi prægrandem aulam, nouitate atque pulchritudine præstantẽ & ait: Multis equidẽ mansionibus pollet domus patris mei, è quibus omnibus ista delecta est tuæ habitationi, vt

[Marginal notes: * Niuella. Pelagi, pro fluminis. Matth. 14. Matth. 8. Rursùs Author prodit ætatem, qua hæc scripsit. Nota miraculum. Habes hic argumentũ eximiæ virtutis. Psal. 50. Visio sancti viri. Iohan. 14.]

vt cedat tibi perpetua hæreditate. Excessum verò eius, in hęc verba prędixit: Post anni vertentis circulū, soluam tribulationis tuæ vinculum, & eripiam te, & magnificabis me. Hoc vir Dei oraculo percepto, alta mentis indagatione considerabat visionis magnitudinem, vimque dictorum. Sed & tempus & horam solicitè corde notabat, quo sibi hæc delata susceperat. Visionem autem eandem quibusdam discipulorum suorum tunc temporis enarrare curauit. Suî autem non immemor, quo propinquiorem suî cognouit resolutionem, eo seruituti diuinæ reddidit promptiorem. Instabatque in orationibus attentiùs, in vigilijs enixiùs, in eleemosynis profusiùs per spatium prænunciati sibi anni totius. Tempus sui exitus ei reuelatur.

Igitur cùm sciret imminere tempus, quo anima eius ergastulo corporis absoluenda foret, discurrens per memoriam sanctorum, & loca orationum, per eorum intercessionē Domino commendabat suam resolutionem. Nam veniens ante sepulcrum beati Lamberti in basilicam, quam ipse condiderat, & pia ossa inibi terræ mandauerat, orationi diutissimè incubuit, solitoque fonte lachrymarum genas rigauit, oculis lachrymis perfusis, aramque deosculans, fratribus circunstantibus semet humiliter commendauit. Progrediensque indè, basilicam, quam ipse sub honore beati Petri principis Apostolorum Domino dicauerat, oraturus adijt. Indè etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem basilica Domino consecrauerat, diutiùs curuatis genibus orationem profudit: Moxque ab oratione surgens, dixit: In memoria æterna erit iustus &c. Conuersusque ad parietem, & protensis per eum brachijs, locum sepulcri sui permensus, ait: Hic defossa humo locus meæ sepulturæ paretur. Nam istud corpus miserrimum istic collocari disposui, precorque vt meæ migrationi vestris precibus adminiculemini. Instat enim tempus, quo hæc torpentia membra spiritus relinquat, iudicique suo præsentandus occurrat. Non multùm igitur temporis interfluxit, iuxta quod vir Dei super sepulturæ suæ celebratione ore præsago actitandum fore disposuerat, nos fidelissimi ac deuotissimi eius famuli flebiliter executi sumus: quoniam triginta dierum spatio euoluto, spiritu eius in astra feliciter ab Angelis euecto, sacrum corpus eius ad eundem tumulandum aduximus locum. Per idem verò tempus, licèt vocationis suæ haud nescius, rogatu tamen quorundam illustrium virorum Brachbantum perrexit, basilicam nouo opere constructam Domino dedicaturus. Cumq; quò rogabatur, vtpotè nomen laudemque Domini propagaturus, lætabundus aduenisset, & domum illam sicutì petebatur, sanctificaturus esset, discipulorum quidam officio præpositus, eius voluntatem atque possibilitatem requirere studuit, dicēdo: Vis'ne pater, longè protrahi officij moras, an'ne succingi? At ille, cuius cor perfectionem semper desideraret: Nil, inquit, remaneat imperfectionis: quin prout vales, & morosè, & cum integritate cuncta compleantur. Cœpto ergò officio insistens, adiunctis presbyteris & diaconibus, necnon omni Ecclesiæ gradu, cum magno illud honore & reuerētia, sicutì & reuerà idem officium postulabat, ad finem vsque perduxit, domumque illam tam in hostiarum oblatione, quàm & sacerdotali benedictione, necnon incēsi super aram thurificatione acceptabilem Domino prorsùs reddidit. Sciens autem illud potissimùm charum esse Domino templum, quod non latomorum diligentia compactum, nec cęmentariorum arte litum, sed virtutum exercitijs est conspicuum, de quo ipse dixit: Qui diligit me, diligetur à patre meo: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. & de quo per Prophetam dicitur: Inhabitabo in eis. & inambulabo: & de quo Apostolus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. & iterùm: Corpora vestra templum sunt spiritussancti: & multa his similia admonendo, sermonemque exhortationis ab hora tertia vsque in horam sextam protrahendo, satagebat verbo suæ prædicationis parare in cordibus credentium Domino templum decoris, dicens cum Iohanne: Parate viam Domino, rectas facite semitas eius. Itemque: Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Admonebat etiam vnumquenque attendere vicinitatem mortis, & mortalium cursum labilem, & consilium salubre suggerebat, dicendo: Quisquis vestrûm, ó charissimi filij, criminis cuiuscunque se sentit perpetratione maculatum, atque fouea maioris peccati absorptum, citò salubre medicamentū suo superponat vulneri, dum iudex manum misericordiæ porrigit pœnitenti. En patet, dum aduiuitur, ianua misericordiæ, quæ post mortē obstruetur, sola patente, quæ contemptores pręceptorūq; Dominicorū desertores puniēdos suscipiat, porta gehēnę. Alta quisq; cōsideratione, quid fuerit, quid sit, quid've

Cap. 12. En quibus studijs vir tantus ad mortem se præparat.

Psal. 111.

Eligit sibi locum sepulturæ.

Dedicat ecclesiam admodum reuerenter.

Iohan. 14.

Leui. 26. 1. Cor. 3. 6.

Esa. 40. Luc. 3. Matt. 3.

Saluberrimę eius admonitiões.

post modicum futurus sit, perpendat, & in quo se à præceptis Domini exorbitâsse perspexerit, digna pœnitentię opera faciendo, diuinitatem sibi conciliet. Nam & mihi non mediocris insistit angor, reminiscenti, ministerij mihi iniuncti quanta debeat esse perfectio: & econtrà, quàm sit contemptibilis vitæ meæ inofficiosa correctio. Eccè iudicis mei iamiamque considero à nuptijs reditum, cùm tamen mihi desint lampades, repletæ bonorum operum perfectione, charitatisque luce irradiatæ, quibus eius terribili atque splendifluo dignè valeam occurrere aduentui. En rationem positurus de talentis, redit: mihique timeo dici, quod seruus negligens audiuit: Redde rationem villicationis tuæ. Itemque: Serue male & piger, oportuit te pecuniam meam committere nummularijs, vel ad mensam, & ego veniens recepissem vtiquè, quod meum est, cum vsuris. Gregis mei te posui pastorem, exercitusque Ecclesiastici ducem: Lactis eorum vbertate famem, lanarumque tegmine frigoris propellere consuêuisti algorem. Præsentes ergò necesse est eorum saluationem, quorum te præposui præsulem.

Salubriter sibi timet vir sanctus. Matt. 25. Luc. 16. Matt. 25.

Cap. 13. Perpendite, quæso, quod mihi responsum, quæ've restet excusatio coram iudice tanto, cuius aduentum comitabuntur angelorum archangelorumque agmina, sanctorum spirituum præclaræ phalanges. In cuius aduentu cælum vt liber plicabitur: terra ignis ardore concremabitur, iniustisque pereuntibus, iustorum chorus misericorditer ac sublimiter se à Domino coronatum gratulabitur. Nempe si qui ex vobis fuerint inuenti digni cœtui illi cælesti connumerari, hos iudici meo præsentaturus, dicam: En Domine, isti sunt, qui me in vi verbi personante, in procinctu fidei contra aduersarias virtutes tui nominis amore se armauerunt, atque triumphantes tibi victoriosissimo Domino, per quē vincere quiuêre, coronas suæ reportāt victoriæ. Tunc quiqui illi fuerint, læti suos offerent Christo venienti manipulos, mecumque illa gratulatoria honorabuntur sententia, qua dicitur: Eugè serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Et item: Venite benedicti patris mei, percipite regnū, quod vobis paratū est ab origine mundi. In quod regnum ille vos inducat, qui pro vobis sanguinem suum fudit, & vt vos ad cęlum leuaret, terrena petiuit. Cuius vos hodiè misericordiæ commēdo, vt quia hactenùs illo opem ferente, vos, prout potui, rexi, ab eo deincèps regamini, & feliciter coronandi, in paradisi amœnitates inducamini. His & talibus adhortationibus, cælestis curiæ acerrimus atque facundus orator, concionis suæ populos adhortatus est, intentosque ad audienda cælica iura reddidit, atque benedictionibus confirmauit: explicitoque officio, ad prandendum, se cum socijs suis & discipulis vertit.

Apoc. 6. Matt. 25. Ibidèm.

Cap. 16. Ingressus conuiuij domum, oratione super mensam fusa, epulas benedixit, eulogiasque omnibus dedit. Ipse autem ad prandendum, quasi pransurus, discubuit: sed cibo carnali non indulsit. Cùm verò pranderetur, oculis creberrimè ad astra subrectis, superorum inferorumque creatorem tam animi intentione, quàm verborum prosecutione, assiduè benedicere studuit. Intereà die ad vesperam vergente, occasuque Phœbeæ lampadis tenebras vocante, vir Domini à mensa surrexit, iterque carpere delegit. Cùm eccè vnus anachoritarum, duodecim iam habens in eodem habitu annos, suggerendum ei arbitratus est, vt paululùm adhuc mero indulgeret. Sed ipse his illius precibus renitens, respondit: In regno Dei te videre merear. Scito verò certissimè, nequaquàm hodiè me ampliùs hîc potui indulturū. His dictis, nauim ascendit, ab eodemq; loco secundo milliario secedit. Exeunte autē illo de naui, protinùs omne corpus eius frigore corripitur, & sitis ardore validè aduritur, & quieturo lectulus, loco delecto, aptatur. Sed dum altus sopor fessos illius irrigat artus, inter eius pueros repentè inexorabilis se discordia ingerit, ità vt ensibus distractis, alterutram quisque mortem peteret: & qui citiùs posset, comparis sui animam ereptam superis, dimittere gauderet inferis. Sed hisce perturbationibus, viro Domini sopore soluto, protinùs facessit omne litigium. Indeque equo conscenso, & vsus clientum sustentatione, tandèm domui propriæ inducitur, noctis transacta non minima parte. Quò perueniens, consuetis orationum ferculis, lachrymarumque poculis reficitur, sanctique altaris cornua deosculatur, & nimia pressus grauedine, lectulo superimponitur. Sicque à prima feria vsque ad sextam eius febre augmenta capiente, expers somni, solummodò semet solabatur decantatione psalterij. Sed cùm infusus corpori dolor nullo fine coërceretur, sacerdos Domini, secundùm Apostolum, quo ampliùs infirmabatur, eo fortior reddebatur: & quo citiùs se videbat lucem mor-

Habes exēplum ante cibum orādi, escasque benedicēdi. Sanctus Episcopus febre corripitur. 2. Cor. 12.

mortalium relicturum, eo indefessiùs à Domino poscebat auxilium, vt scilicet citiùs ærumnis præsentis vitæ exemptus, interesse mereretur angelicis ciuibus.

Quadam autem nocte, cùm eum flagellorum ardor ampliùs adureret, subitò inimica humano generi fraus diaboli affuit, minasque & figuras sibi competentes prætendit, & pueris illius dormientibus, vocibus belluinis frequēter increpuit. Sed athleta Domini huic non parmam teretem obiecit, nec contum vibrauit, spiculúmve contorsit: sed psalmi vnius decantatione versutiam eius perculit. Cantabat enim: Qui habitat in adiutorio altissimi, &c. Tunc puerorum quendam aduocans, noctis horam requisiuit, & quia media nox esset, audiuit, atque adiecit: O vtinam tanta mora noctis iam subduceretur, & lux diurna nostris ablata conspectibus, reueheretur. His etiam adiecit: Nè dubitemus hac in domo satanæ adesse præsentiam, qui humani exitûs auidus, diuini operis semper se insidiatorem ac persecutorem assiduis probat incursibus. Cui puer: O, inquit, pastorum optime, quorsùm ista prosequeris, cùm certum sit, eum tuæ virtuti obuiare non posse, nosque omnes tuì præsentia ab eius incursibus ereptos & saluatos, eorum tartareis vocibus eiulantes, coram te adductos, tuamque præsentiam ferre non valentes, pro tuis sanctis meritis ex diù obsessis corporibus abstractos, & caligini æternæ damnatos. Et licèt sua subtilissima ac sagacissima calliditate vsus, aliquid tuæ Deo amabili innocentiæ impugnationis ingerere conatus fuerit, tamen fidente in illum, qui dixit: Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: nihil prorsùs sui iuris inuenit. Cui venerandus pontifex: Hæc, inquit, optimè locutus es: quoniam quæ corde dubitâsti, sermonis officio prosecutus es. Cæterùm iam nunc vade, aqua, quæ sacerdotali consecratione sale admixto benedicta, & ad effugandam inimici nequitiam orationis virtute impręgnata est liquorque olìm itidèm Apostolica authoritate benedictus, huc deferatur: quorum aspergine atque litura mox ità effugabuntur hinc inimici virulenta phantasmata, vt ampliùs non sua audeat inferre machinamenta. Quo facto, ipse consueto orationum operi constanter insistebat, sacrumque officium, septeno numero dicatum, antequàm lux diurna fieret, Domino persoluebat.

Cap. 15. — *Psal. 90.* — *Semper maligni dæmones hominibus insidiãtur.* — *Iohan. 14.* — *Vide quid virtutis tribuat aquæ benedictæ.* — *Nota de VII. horis Canonicis.*

Iamque se aurora diei sexta feria, paululùm decrescentibus furuæ noctis tenebris, roseo repræsentabat splendore, cùm nos torū ipsius circùm ambientes, vnaque nobiscū egregius filius eius Florbertus, præstolabamur gloriosam ipsius migrationem. Conuersus autem sacer pontifex, circunstantibus ità proloqui cœpit: Mi prædilecti atque amantissimi filij, apud Christum iam nunc pro meis interuenite fragilitatibus. Iam enim terminus irreuocabilis vitæ meæ adest, quo iubeor luteum hoc habitaculum linquere, & rationem ante iudicem actuum meorum positurus apparére. Et quia tanto imparem me examini, obsistente meorum mole peccaminum, persentio, vt potè cui exeunti vitiorum acies phalangesque tristes occurrent: precor, precum vestrarum clypeos opponite, & vt piam Christi maiestatem propitiam habere merear, deposcite. Hæc beato viro, iuxta quod scriptum est, Iustus in principio sermonis accusator est suì, proloquente, persentiēs pallidæ mortis proximam iam esse præsentiam, manibus ad cælum eleuatis, & veste rugata oculis à lachrymarum fonte siccatis, dixit: Oppandite ori velamen, quia depositum animæ, quod nunc vsque fragili vase retentum est, oportet tandèm resolui, atque ab eo liberum egredi. Canebatque symboli verba, quo continentur fidei sacramenta, dicendo: Credo in Deum patrem omnipotentem &c. Itemque orationis Dominicæ verba serendo, Pater noster, qui es in cælis. Inter quæ verba spiritū efflauit, angelicisque admixtus cœtibus, & euectus manibus, cælum penetrauit, sanctorum iungendus agminibus. Eius autem migratio intulit superno conuentui gaudium: eis autem, qui eius consortio catenùs fruiti fuerant, grauem & penè interminabilem luctum. Eratque videre pauperum fletibus ora rigata, & pastoris se conquerentiū destitutos opima pręsentia: monachorū quoque greges, ieiunijs pallida ora gerētes, incultoq; habitu despectū mundū protestantes, ad viri Dei inferiarū exequias deducēdas concurrere, quamq; piè & sanctè pontificis sui vita decurrerit, sedulū officium eorū altaq; deuotio testabatur. Sanè eo spiritum reddente, euangelium Christi perlegitur: & eo perlecto, quæ mortuis, piæ officia sepulturæ præstantur. Etenim corpus eius ablutum lymphis, atque circundatum peplis, loculo superponunt, atq; elatum è loco eius obitûs, qui vocatur Fura, Leodium trāsfertur. Quę loca à se differūt millibus triginta. Sanè per omne corpus reuersionis, pię oues funebria exuuiasq; sui audiētes deferri pastoris, ex omnibus villis & locis cōfluentes,

Cap. 16. — *Florbertus ille post patrem eligitur Episcopus.* — *Prou. 18.* — *Feliciter è corpore ad cælos proficiscitur.*

fluentes, vltimum vale dicturi, adueniunt. Omnis ætas, vterque sexus, curuus arator, pannosusque bubulcus dolorem lachrymis confessi, accedentes atque eminùs salutantes, pugnis etiam pectora verberantes, proclamabant: Heu heu, quid nobis iamnunc restat salutis? En destituimur periclitantes benignissimo periculorum nostrorum propulsatore, qui doloribus nostris consolator aderat, inopiæque miserator, orphanorum altor, defensor viduarum, doctrinæque cælestis eximius doctor. Huius præsentia fugabatur diaboli sæuitia, seculi calcabatur pompa, & in vno isto omnia nobis erant doctrinæ atque operis sancta emolumenta. Hisce vocibus planctibusque similes iungebantur querimoniæ, quousquè suprascripto emenso spatio, in locum destinatum sancti ossa aduexêre præsulis.

Omnibus mire dolet obitus eius.

Cap. 17. Vide antiquã Christianorum deuotionem.

Cùm autem prope eundem locum aduentarent, plebis multitudo gradusque omnis Ecclesiasticus, cum reuerendo habitu obuiàm sanctis processêre exequijs, ferentes Crucis vexilla, sanctorumque patrocinia, necnon candelabra lumine radiantia, sed & aromata in thymiamaterijs redolentia, psallentes, quæ moris est talibus officijs decantari, carmina. Dum autem feretro viri Dei se iunxerunt, dolor intolerabilis canticum cunctis interdixit, & luctum indixit, ità vt à fletu nemo posset temperare: sed conquerebantur de sui pastoris, dolore magistro dictante, intempestiua subtractione. O bone, inquiunt, pastor, nunc te consolatorem miseriæ agnoscimus nostræ: dum in viri Dei perfectionem animique robur euaseras, etiam tuî fraudamur præsentia. Te doctore, insipiẽtiæ locus non erat: te medicante, morbo cuiquã nostri sedibus animi adspirare fas non erat. En quid nobis restat, nisì lachrymæ nostræ solũmodò testes degenerositatis animi, qua præualente, caruimus tanto pastore miserrimi? En tibi pro meritis iam redduntur cælici honores: nos autem grex tuus orbati patre, prostituimur cunctis diripientibus velut inutiles oues. Sed petimus, vt tua intercessio pia nos iuuet Christo adhærens, quæ nos cunctis bonis imbuit, terra consistens. His & similibus dolori satisfacientes, sanctissima membra in B. Petri basilicam intulêre, quã ipse beatus vir sua construxit munificentia: ibique facibus accensis, peruigilem noctem ducentes, Dauidicisque canticis operam dantes, vsquequò sol iubare suo poli terræque faciem perfunderet, perseuerauêre psallentes. Post hæc autem induunt eum, prout erat solitus indui, diuino altari assistens, subucula scilicet, atque linea planeta. Tanta autem vultui eius inerat pulchritudinis gratia, vt potior videretur atque venustior mortuus, quàm olìm fuerat viuus. Quæ cùm fierent, discipulique eius vultum sibi dudùm optabilem atque amantissimum oculis perlustrarent, internum amorem animi non ferentes, lachrymis restabantur, amicumque dolori luctũ assumentes, hæc permixta singultibus verba reddebant: O columna & tutamen, decusque Ecclesiæ, sed & animarum nostrarum custos egregie, tuam exoptatam atque subtractam sitimus præsentiam: & quia in præsenti nostris profectibus inimicam tuî sustinemus absentiam, neque datur nobis suauissimam ac mellifluam tuam audire eloquentiam, questus nostros lachrymis restat solari vberrimis, atque pietatem tuam submissis obsecrare precibus, vt qui hactenùs te, prauitatis nostræ exigẽte miseria, contempsimus docentem, te apud Christum intercedente, mereamur videre faciem nostri iudicis propitiam atque misericordem. Omnes etiam adstantes, genibus curuatis, ceruicibusque submissis, plantis eius grata oscula libant, & quia doctrinæ eius segnes executores fuerint, proclamant, ob idque sibi indulgentiam dari suppliciter postulant. Deindè officia, prout res postulat, super eum peragunt, cantionemque aptam depromunt, odoramentisque & lampadibus cum omni honestate, vt res funebria postulat, præeuntibus, loculo quo ipse prædixerat, humandus inducitur. Vt autem diuinitas cunctis palàm ostenderet, semper apud se viuere, quem ab oculis hominum occulerat, terra sub arido cæspite lucum sepulcri eius tali dignatã est miraculo venustare. Virga nanque super sepulcrum eius incisa est: quia ità res exigebat, contractior tamen, quàm vtilitas poposcerat: sed posteà inuenta est duorum palmorum lõgitudine supercreuisse. Quã nos ob ampliandã Christi gloriam & sancti viri perpetuam memoriã, ab eodem loco leuatã, parieti inseruimus conseruandam.

Codex MS. sic habet: nec & solatrices miseriæ agnoscimus nostri.

Decor vultûs iam defuncti.

Luctus discipulorum eius.

En rursùs antiquũ sepeliendi ritum.

Insigne miraculum.

Cap. 18. Miracula ad sepulcrũ eius.

Post hæc autem cœperunt sancti viri reliquię virtutibus florere, locusque eius sepulturæ crebris miraculis enitére. Nam crebertimè quidã inter diurnũ nocturnũque officiũ inibì peragentes, crebrò se confessi sunt voces exaudîsse de tumulo. Quas, vti humanæ imbecillitati moris est, audientes, timore nimio perterriti, fugæ sese credidêre, timorisque magnitudinem mutatione loci declinauêre. Quod nos audientes, innu-

innumeras Christo Domino persoluimus grates, qui tali modo voluit commendare preciosam mortem præsulis sui, videntes quòd eum alta beatitudine donauerat, quem tanta prærogatiua signorum commendabat.

Cap. 19. Matth. 10.

Anno autem decimosexto felicissimi eius excessûs, vt vox Saluatoris vera probaretur, dicentis, Nihil opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur: pastor pastorum vicarium suum, quanti apud se esset meriti, voluit ostendere, quatenùs lux virtutum eius coram hominibus fulgeret, & populi perfruentes suauitate signorum, glorificarent Deum, patratorem tantorū operum: & quia membrum parsque magna erit ciuitatis supernæ, noluit eum Dominus delitescere, sed cunctis eius ciuibus in exemplū proferre. Nam Carlomanno Rege, tertio iam anno regni Francorum sceptra regente, æditui basilicæ, qua sancti viri membra tegebantur, detexêre sibi mandatum fuisse cælitùs, vti corporis beati viri busta indè leuarentur: nec soli illi talia sibi referebant mandata diuinitùs, sed & aliæ complures personæ spectabiles, & nobilitate humì præstantes. Quique ad alterutrū ea, quæ viritim viderant, conferentes, quæsitū ne opùs esset dicebant, quod sibi in talibus consilium, quid've foret agendum. Et diù quaquauersùm sententiam potuêre, trutinantes, ad id tandèm consilij ventum est, vt diuinitas super his consuleretur, & super hac re eius voluntas atque sententia præstolaretur. Igitur ad amica sibi subsidia se vertentes, orationi atque ieiunio sese triduano mancipauêre, vtque voluntatem super hoc negocio Domini nôsse possent, ab eo totis nisibus poposcêre. Ac tertio tandèm ieiunij die instante, duos libros super altare deposuêre: quorum vnus sacratissimi Euangelij retinebat textum, alter verò benedictiones atque consecrationes, quibus Missarum peragunt sacramentum, scilicet vt ꝓ diuinis libris addiscerent, quæ sibi de his agenda forent. Reseratum euangelium, hanc primū legenti sententiam obtulit: Nè timeas Maria: inuenisti gratiam apud Dominum. Liber etiam sacramentorum in suî apertione hoc primùm videnti obiecit: Dirige viam famuli tui. Quibus peractis, noctem superuenientem vigiliarum celebratione, hymnorumque decantatione reddunt festiuam. Adueniente autem die, sacerdotes quique, sibi iunctis aliorum Ecclesiasticorum graduum turmis, itemque populi ac procerum palatij agminibus, primo manè Dominica illucescente, basilicā beati Petri adeunt, vbì sanctissimi viri membra silicea cōtinebat vrna, ferētes in manibus vexilla Crucis & candelabra, sed & diuersa odoramentorum genera. Quò peruenientes, operculum à sarcophago sustulêre: attamen grauitate pauorem cum reuerentia indicente, non audebant pleniùs locum sepulturæ eius oculis visitare. Putabant nanque, more mortaliū, illud sacratissimum corpus à soliditatis compage seiunctum, & pulueri redditum. Nè tamen, quia tātum opus cœperant, si relinquerent, imperfectionis argui possent, grauitate magistra, leniter quoque accesserunt, & introspicientes, gloriosum eius corpus nulla detrimenta passum, illęsum à dissolutione atque putredine repererunt, & pro tabo atque putredine, quæ mos est mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud senserunt odorifico odore feruere. Caput autem illius perlustrantes oculis, vident vultum eius (quod dictu quoquè mirabile est) sudore perfusum, & velut noctis opacæ roscidulis perfusum guttulis. Coronam verò capillorūm alienam prorsùs ab omni læsione, cæsariemque auctam & prolixitate & pulchritudine. Neque enim candore senili albebat, sed colore & visione suî, iuuenis caput repromittebat. Quod videntes omnes, qui aderant, gaudio inæstimabili corde concepto etiam vocibus conclamabant: O mundi fabricæ inæstimabilis conditor, ó fili Dei, generis humani in initio mundi, patris socia virtute factor, eiusdemq; in fine redemptor, quisnam tibi similis in misericordia, qui non solùm animas seruorum tuorū in paradisi sedibus collocans, æternam eis felicitatem attribuis, sed etiam corpora eorū, naturæ quodammodò vim afferens, illibata custodis? Eccè enim ad augmentandam tui nominis magnificentiam, non modò corporis integritas, vultusque venustas, sed & indumentorum eius conseruata est pulchritudo, & quodammodò antiqua nouitas.

Per busta sacra eius ossa intelliguntur.

Frequens apud veteres, ieiunijs & precibus inquirere Dei voluntatem.

Luc. 1.

Ecclesiasticorum graduū, i. est, ordinum.

Post multos annos S. Huberti corpus integrum cernitur.

Vide tertiam.

Indumenta eius apparent incorrupta.

Cap. 20.

Eodem verò die huius rei fama circunquaquè decucurrit, & per cunctorum ora volitans, ad palatium vsque peruenit. Venit enim & illuc nuncius, referens beati viri corpus in conditorio, quo olìm exanime est conditum, nunc oculis visentium se offerri, ab omni prorsùs corruptela alienum, vestesq; illius tanquàm miraculi participes, nequaquàm reperiri aliqua deformitate degeneres. Quod postquàm, fama vulgante, per cunctorum aures disseminatū est, certatìm tam proximi, quam & longinqui quique viri studuerunt illuc aduentare, & miraculum, quod Christus in serui

sui corpore monstrauerat, intueri. Vt autem in tanto miraculo Domini potentia potissimùm magnificaretur, & virtus nota redderetur, pars permaxima princeps clarissimus atque orthodoxus extitit Carlomannus. Qui talibus auditis, regali solio exiliuit vnà cum vxore & primoribus palatij sui, & ad viri Dei corpus peruidendum accessit. Et admirans potentiam Domini, virtutem eius magnificauit, misericordiam collaudauit, & quia in diebus suis talia ostendere dignatus sit, gloriosum nomen eius benedixit: nimioque gaudio permotus, inter pias laudes & gratiarum actiones gaudio eliciente lachrymas fudit. Sed & aduenientium itidèm quisque fecit: gaudebantque osculari manus & pedes beatissimi viri, quem Dominus honorare dignatus est tanti prerogatiua miraculi. Rex intereà memorabilis Carlomannus vnà cum optimatibus suis proceribusque sui palatij, sanctissimi viri membra, suauissimis & (vt ità dixerim) inenarrabilibus odoribus redolētia, sustulit ex vase sepulcri, & loculo imposuit, & cum magna lætitia atque honore, necnon hymnorū decantatione, sed & candelabrorum lumine, aromatumque suauissimo odore detulit ante sacrum altare, ibidemque maxima munera deuouit atque attribuit, vasa scilicet argentea, & pallia peregrino opere elaborata, necnon fundos fundorumque redditus, itemque seruos prędiorumque dederat incolas. Quæ singula testamento mandauit, & ecclesiæ, in quam sanctum corput intulit, in perpetuam hæreditatem delegauit, sanctique viri ossa nobiliter ibi collocauit. Per cuius intercessionem, piamque interuentionem tuam, Domine, supplices exposcimus pietatem, vt qui nostris grauamur excessibus, tua gratissima opitulatione à reproborum numero secerni, iustissimaque damnatione liberari, atque in electorum consortio mereamur connumerari: cui est honor & imperium, potestas summa, pietas immensa, bonitas inexhausta: quem decet laus & gloria per cuncta seculorum secula, Amen.

Nota priscorū principum & Christianorum religionem.

En quę munera offert princeps Carlomannus S. Huberto.

Cap. 21. Hæc de vita & mirabilibus beati Huberti antistitis almi, & de his, quæ circa corpus eius ob ipsius reuerentiam & Domini immensam gloriam prędicandam, priscis temporibus celebrata sunt, quanquàm infacundo, fideli tamen, stylo exarata, ad nos scripta commeârunt. Abhinc autem quomodò qualitérve, monente, immò compellente Christi honore & amore, crescente etiam atque flagrante erga diuinum cultum pijssimamque sanctorum Dei venerationem fidelium deuotione, sub pijssimo Deique amantissimo Ludouico Imperatore, in transferendo memorati & sæpè memorandi sanctissimi viri corpore sit actum, breuiter fideliterque constat esse subnexum. Anno siquidem octingentesimo vndecimo felicissimæ incarnationis Domini nostri Iesu Christi, exempto rebus humanis famosissimo Imperatore Carolo, victoriosissimo pijssimo Augusto, qui regni Francorum spatia longè lateque dilatauit, & Christi gloriam in suis finibus ampliauit, insupèr & multarum gentium cæcitatem quanta potuit virtute perculit, ereptasque profundis tenebris, lucis claritate conspicuas reddidit: Ludouicus gloriosus filius eius, sceptra imperialia sibi debita atque ab eo tradita, post eum feliciter suscepit. Decebat quippè Christum, talem ac tantum imperio suo præficere principem, in quo non modò auiti specimen eluceret imperij, sed & qui mentis nobilitate insignis, prudentia singularis, moribusque innocuus, cunctis sibi subiectis fieret tot virtutum excellentia imitabilis.

Carol' Magnus regnū Francorum plurimùm auxit.

Cap. 22. Hic ergò imperij sui primordia talibus tantisque dedicare instituit auspicijs, vt incorrecta corrigerentur, bona collapsa erigerentur, & quisque ordo in regno sibi tradito non passim leuitate iactatus à propria regula exorbitaret: sed laicus ordo iustitiæ deseruiret, atque armis pacem sanctæ Ecclesiæ defenderet: monasticus ordo quietem diligeret, orationi vacaret, & qui se à seculi fastibus secreuisset, eisdem iterùm nec voluntate, nec necessitate semet subderet: Episcopalis autem ordo, vt his omnibus superintenderet: scilicet, vt si qui ab his aut voluntate, aut necessitate deuiarent, eorum solerti iudicio prudentique consilio ad lineam rectitudinis correcti redirent. In quibus, vt reuerà decet, cùm multi imitatione dignissima talibus eius monitis præberent obtemperantiam, pars horum non minima extitit Vualcandus venerandus Episcopus. Is enim partìm diuinitatis instinctu, & mercedis intuitu: partìm verò huius sacratissimi principis talibus monitionibus incitatus, studebat magnoperè plebem sibi à Domino traditam, bonorum operum exercitijs nobilitare, & de bonis ad meliora semper euehere, ac si quid in episcopio suo resedisset emendatione dignum, totis nisibus in meliorem statum recuperare. Vndè inter cętera, quę emendationem postulabant, obtulit se eius munificentiæ cella quædam, antiquo nomine vocata

Prima initia imperij Ludouici Pij valdè præclara.

Vualcandi Episcopi Leodiensis encomion.

* Andagium quæ olim quidem inhabitatoribus penè fuerat annullata. Hæc ergò se materiam quandam obtulit eius munificentiæ, in qua liberalitatis suæ laxatis habenis, quàm vacuus tenacitate esset, non inanibus verbis, sed executione operis ostēdit. Nanque hanc penè à fundamentis restauratam, in melioremque statum denuò renouatam, posthabita auaritia, nobiliter eius statum composuit, ędificijs honestis nobilitauit, & exemptis prędijs, quę olim religio sanctorū virorum largitate possedit, alia de episcopio suo superaddidit, incolasque loci illius, monachos esse voluit. Qui nè nullius rei inopes, indigentiæ manus darēt, atque à proposito sancto deficerēt, vt dictum est, præuidit & nobiliter ordinauit. Egit nanque, vt quæ vitæ forent necessaria, nulla deessent: procurauitque vt quia vsibus eorum necessaria subministrabat, ipsi quoquè quæ diuinæ forent grata voluntati, peragerent, & quantum sibi posse diuinitas conferret, nequaquàm ab ea declinarent. Adductis nanque regularis vitæ optimis pręceptoribus, monasticæ ordinem vitæ eos edocuit, & bonorum operum exercitijs operam dare, tam voce propria, quàm & lectione diuina, suasit. Vndè factum est, vt eius studium non inani labore cassaretur: sed super optimam terram iactato verbi semine, citiùs centuplicato verbi fœnore fructus multiplicaretur.

*Andainū Andaginum monasteriū Vualcandus Episcopus construit.

Cœperunt igitur vndiquaquè in eundem locum religiositatis cultores confluere, & maximè nobiles viri ex monasterio sancti Lamberti, qui Apostolicæ vitæ desiderio accensi erant, illuc conuolare, viriliter eius ordinis vitam morum actuumque probitate tenere. Qui postquàm detrita sanctæ conuersationis via, quę olim sibi fuerant aspera, Christo ductore cœperūt fieri leuia, augmenta suæ perfectionis & deuotionis requirentes, adiērunt prę̄fatū venerabilē antistitem Vualcandū, vti beatissimi Huberti præsulis ossa eis à loco sepulturę permitteret transferre, & in cellā suæ habitationis ob suî consolationē, & confessoris Domini ampliorem honorem, transportare. Qui vocis eorum petitionem, vt pius pater, clementer audiuit, indignumque locū, in quo sancta membra iacebant, tanto confessore iudicauit. Sed piam petitionē eorum impleri posse atque debere, non abnuit: attamen nè incautè ac passim, leuitatis errore dictante, id fecisse videretur, fermè tribus annis eorum petitionem distulit. Sed cùm ab ipsis venerandis viris magnoperè, vt id eis concederet, exigeretur, prudenti consilio cuncta peragens, * Adebaldum venerabilem virum metropolitem suum super hac re consuluit. Qui & ipse in tanta re consilium suum, vt decebat summæ humilitatis virum, reputans minimum, ratum duxit, vt vnà Christianissimum atque orthodoxum principem Ludouicum Imperatorem adirent, & quæ eos pulsaret fratrum petitio, pariter edissererent. Qui & ipse gloriosus atque inuictus Augustus, considerans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine suî transcendentem, ad concilium venerabile Episcoporum, quod tunc temporis apud Aquas congregatū erat, statuit conferendū, & quid eis esset gerendum, à sententia sancti conuentûs magnoperè flagitandum. Idem autem venerabilis, ac prorsùs Deo amabilis conuentus, consideratis vndiq; partibus, scilicet qui & quarè peterēt, sed & reuerentia Domini confessoris, sanxerunt tot religiosorum virorum voto, sancti viri ossa * omitti, & in monasterio supradicto, vbi religiosiùs honorarentur, collocari. Quorum sententiæ sæpedictus pontifex obedientiam præbuit, consilio assensit, & petentibus iamdictis viris venerandis, sanctissimi viri Huberti corpus attribuit. Nam anno ordinationis ipsius decimosexto, qui est incarnationis Dominicæ octingentesimus vicesimusquintus, XI. Calendas Octobris, ad beatissimi confessoris ventum est vrnam, atque à sacerdotibus cum maxima reuerentia à loco sepulturæ eius effossa, indè cum religiosi populi gradusque Ecclesiastici frequentia, in beati Lamberti ecclesiam, sancti ossa sunt viri trāsuecta. Vbi triduò orationibus & vigilijs prosecuta, vndecimo Calendas Octobris ad memoratum monasterium cum loculo suo sunt perlata, ibidemque Christo annuente, vt tanto confessori competebat, mirificè condita.

Cap. 23. Monasticā vitam, dicit Apostolicā: quia imitatur eam vitam, quam Hierosolymæ inchoārunt Apostoli.

*Hadabaldum *Hildebaldum *Hildiboldum

Ecce quàm olim reuerenter habitæ sunt Sanctorum reliquiæ etiam ab Imperatoribus, &c.

Concilium Aquisgranense. for. *dimitti

Sed quoniam insignia Christi miracula, quibus multifariè sanctos suos glorificat, nullo modo sunt occulenda, sed magis magisque, quantùm mortalibus fari datur, ob eius gloriam & laudem propagādam fideliter præconanda: valdè indecens indignumque iudicauimus, vt eius magnificentiā, quę nostro seculo circa memorati sancti viri cadauer mirabiliter effulsit, silentio tegamus. Verùm, sicut dicti venerabilis antistitis Vualcandi, & quorundam aliorum religiosorum virorum veraci relatu didicimus, prorsùs ab illa corruptione, quæ ob pręuaricatonem primi parentis iustissimè humanæ naturæ pœnaliter inflicta est, eiusdem beatissimi viri totius corporis com-

Cap. 24.

Rursùs post annos multos incorruptum S. Huberti corpus inuenitur.

F pago

pago ità aliena immunisque est reperta, quemadmodùm tempore Carlomanni Regis legitur inuenta fuisse, & terræ mandata. Quod quantùm sub ipsius principis tempore, erga præfati sancti viri corpus, per tot elapsa tempora incorruptè seruatum virtus diuina claruerit, seriem huius libelli paulò superiùs repetendo perspicaciter legat, ibique quanto honore, quantáve illæsione & incorruptione protectio diuina illud donauerit, rationabiliter compræhensum fideliterque annotatum, perfacilè colligere quibit. Cùm igitur nil detrimenti, nilque corruptionis in corporis eiusdem sancti viri prima translatione, quæ facta est sub memorato principe, compertum fuisse didicerit, nullo modo, quòd in hac secunda, quæ facta est à Vualcando præsule sub pijssimo Deoque amabili Ludouico Cæsare, sæpedicti sancti viri corpus solidum illæsumque, eadem Christi gratia protegente, inuenire quiuerit, dubitabit. Ac per hoc totius ambiguitatis nubilo exutus, veritatisque perspicuæ luce perfusus, nil nisi quod miretur, & vndè diuinæ potentiæ multiplices grates dignè persoluat inueniens, Deum proculdubiò mirabilem gloriosumque, sicut in cæteris sanctis suis, ità quoquè in huius fidelissimi serui sui corpore, tot tantorumque donorum prærogatiuis, legi naturæ vim inferentibus, honorato & glorificato, toto annisu prædicandum cernuis vocibus exclamabit. Interfluxit autem spatium temporis à prima vsque ad secundam translationem, annorum circiter septuagintaquinque, regnante Domino nostro Iesu Christo, & pollicente suis se vsque ad consummationem seculi affuturum fidelibus, eorumque agonibus misericorditer opitulante, triumphosque feliciter atque ineffabiliter remunerante: Qui viuit cum patre in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Psal. 67.

Matt. 28.

Cap. 25. Christus S. Huberto apparet inter cornua cerui.

Hactenùs ex MS. vetusto codice. Sunt autem, qui scribant beatum Hubertum filium fuisse Bertrandi ducis Aquitaniæ, & ei adhuc pagano venationi operam danti, inter cerui cornua Christum apparuisse, & vt ad Lambertum Episcopum iret, admonuisse. Ab eo verò humaniter acceptum, in fide instructum, atque vndis salutaribus expiatum esse. Indè Romam profectum ad visitanda Apostolorum limina. Interim verò peremptum sanctum Lambertum, atque in eius locum beatum Hubertum subrogatum.

VITA S. VVENEFRIDÆ VIRGINIS ET MARTYRIS, PER F. LAVR. SVRIVM COMPRAEHENSIùs conscripta.

De huius sanctæ virginis vita scripsit Ropertus Abbas Salopien. & nisi fallor, is est author eius vitæ, quam nos hic mutato stylo aliquanto breuiorem edimus. Claruit autem Ropertus Abbas anno 1140. ad cuius monasterium, huius virginis ossa translata sunt anno 1138.

Nouēbris 3

Beunous vir sanctiss.



EVNOVS vir sanctissimus, multis clarus virtutibus, in Occidentali maioris Britanniæ regione enituit. Is contempto paterno solio, pauper aufugit, factusque monachus, breui in perfectum euasit virum. Cumque diuersis in locis monasteria condidisset, fratresque in ijs Christo seruituros congregâsset, diuinitùs admonitus, aliò profectus est, à Domino ipsi destinatam quæsiturus habitationem. Tandèm ad prædium Teuithi hominis potentissimi peruênit, orauitque illum, vt portionem quandam possessionum suarum Deo & ipsi largiretur, in qua ecclesiam extruere, atque in ea Deo seruire, & pro eius salute quotidiè Dominum deprecari posset. Ille verò non difficulter annuit, immò etiam vnicæ filiæ suæ Vuenefridæ mores conformandos illi commendauit. Eam vir sanctus quandò ad populum concionabatur, ad pedes suos sedere iussit, & sermones suos diligenter auscultare. Vndè factum est, vt in dies seipsa melior effecta, auctaque sapientia, ab omni viri toro prorsùs abstinere constitueret. Sed cùm id parentibus indicare reformidaret; ad virum Dei accessit, ait sibi deliberatum esse virginem se Christo conseruare incontaminatam: orauit, vt à parentibus id ipse sibi impetraret. Assensit vir sanctus, dicit se accuratè ea de re cum parentibus acturum.

S. Vuenefrida ab eo instituitur.

Vuenefrida statuit virgo permanere.

Venit ergò ad parentes puellæ, iijque cognito virginis proposito, fundunt lachrymas, laudant Deum, & libentibus animis assentiuntur. At illa sedens identidèm ad pedes viri Dei, ardenti desiderio hauriebat, quæ ille dicebat de gloria sponsi cælestis, nec quicquã in suum pectus admittebat terrenum, crebrò noctibus in ecclesia vigilabat. Solebat nonnunquàm etiam importunè petere à sancto viro, vt sermonem texeret de vita & moribus sponsi immortalis, audiensque de illius excellentia, decore & maiestate, contemptum omnis terrenæ iucunditatis concipiebat, & spiritalis lætitiæ indeficientem materiam suo in pectore colligebat. Etsi autem ætate adhuc esset tenera, moribus tamen & animo cana erat, prauas cupiditates omnes planè contemnens.

Parentes libēter assentiunt.

Cùm autem quodam Dominico die parentes eius iuissent ad ecclesiam, & illa necessariò domi sola remansisset, Cadocus Alani Regis filius iuuenis, in eius ædes aduenit, eamque ad focum solam sedentem inuenit. Illa cernens Regis filium, surgit ocyus, submissè rogat, ecquidnam sibi velit. Tum ille: Scis, inquit, me esse Regis filium, multis opibus & honoribus conspicuum, & qui te quoquè magnis possim augere diuitijs, si meæ velis parére voluntati. Sentiens virgo pudica de concubitu illum verba facere, paululùm demisso vultu & rubore suffusa, primò quidem præ se fert, grauiter se dolere, quòd tam parùm cultam ipsam inuenisset, aitque ad eum: Cùm tu regio sis ortus stemmate, & Deo volente, regni gubernacula suscepturus, non dubito me diuitem & beatã posse fieri, si tuo coniugio assentiar. Sed quæso te, parumpèr sustine aduentum parentis mei. Interim ego ingrediar in cubiculum, moxque ad te reuertar. Dixit hoc, vt posset ab illo se subducere, quem videbat libidinis flamma incensum, præ amore propè amentem fieri. Permisit autem iuuenis, vt in cubiculum se reciperet, putans illam benè comptam ilicò redituram. At illa per aliud cubiculi ostium exiens, præpeti cursu ad ecclesiam properabat. Quod vbi sensit iuuenis, magno furoris œstro percitus, districto ense eam celeriter insequitur, toruisque eam luminibus intuens: Olìm, inquit, te amaui, mihique te coniungere volui: & tu nunc ad te veniẽtem fugis & habes contemptui? Notum ergò sit tibi, nisi mihi spontè tuî modò copiam feceris, confestìm me ablaturum caput tuum. Respondet illa constanti & infracto animo: Ego verò Regi æterno, qui iudicaturus est viuos & mortuos, matrimonio iuncta sum, nec vllum alium admittere possum: & nè diù suspensum te teneam, nóueris, dum spiritus hos reget artus, neminem me admissurã præter illum. Fac ergò quicquid erit libitum, & quanta maxima potes, in me feritate incurre. Me enim neque terrores tui, neque blanditiæ, nec promissa, nec munera ab illius amore suauissimo poterũt separare, cuius castis amplexibus adstricta sum. Cernens incestus iuuenis se contemni à virgine, libidinis impotentia victus, caput ei præcidit. Simul autem atquè corpus virginis humi collapsum est, fons illic mirè perspicuus & ingens erumpit, qui hodieque manare non desinit, multis morbidis per merita sanctæ virginis salutem adferens. Caput autem, quòd in monte præcisum esset, facilè à monte deuoluebatur in ipsam vsque ecclesiam, magnoque terrori fuit cunctis illud adspectantibus. Cùmque omnes dicerent tam immane scelus vlciscendum esse, eiusque authorem detestarentur, parentes virginis internum animi dolorẽ luctu & eiulatu testabantur.

Cadoc' Regis filius eã ad concubitum prouocat.

Minatur ei mortem.

Illa contemnit.

Ab illo interficitur.

Fons in loco martyrij erũpit, adferens corporibus salutem.

Interim homicida cruentus tergebat gladium suum ad herbas, & quia filius Regis erat, aiebat se nihil in eo perpetrando facinore Deum timuisse. At vir Dei Beunous, eius superbiam & animi obstinationem non ferens, cùm in manibus haberet caput virginis, accessit ad eum, & ait illi: O te scelestum, qui regiæ dignitatis puellam crudeliter iugulâsti, cur te non pœnitet tãtum admisisse flagitium, quo ipsam quoquè ecclesiam cõtaminâsti, & Deum prouocâsti? Quandò ergò nec ecclesiæ pepercisti, nec diei Dominico reuerentiam præstitisti, oro Deum meum, vt reddat tibi in præsentia, quod mereris. His dictis, iuuenis repentè corruit & expirauit, corpusque eius colliquescens disparuit, multis asserentibus, illud in tartarum cum anima descẽdisse. Porrò vir Dei caput virginis crebrò deosculans, à lachrymis abstinere non potuit. Deindè corpori illud apponens, & suo pallio tegens, ad altare accessit Missam celebraturus. Ea finita, redit ad corpus virginis, luculentum sermonem habet ad populum, dicit inter cætera, sanctam virginem votum Deo nuncupâsse, sed illud morte impediente reddere non potuisse: itaque orandum esse Deum, vt eam vitæ restituat. Cumque diù oratum esset, vir beatus surgit à terrà, manibus in cælum sublatis, Domine

Diuina vltione repẽtè perit Cadocus.

Iesu Christe, inquit, pro cuius amore hæc virgo terrena respuit, cælestia concupiuit: exaudi nos pijs animis te inuocantes, vt quamuis non ignoremus eam pro tuo nomine passam, in cælis degere, nec nostro egere contubernio, animam tamen eius iubeas redire in corpus, vt magnificet nomen tuum, & post longa vitæ spatia, multiplicato bonæ conuersationis feruore, ad te redeat sponsum suum vnicè charum. Vbi ab omnibus dictum est, Amen, puella, quasi à somno surgens, puluerem & sudorem à facie detergit, omnesque illic adstantes gaudio & admiratione afficit. Mansit autem in collo eius quoàd vixit, tanquàm candidi fili species, locum sectionis obtegens: aiuntque viri regionis illius indè eam Vuenefridam dictam, cùm anteà, vt ipsi affirmant, Breuna appellaretur. Vuen enim Britannica lingua, idem est, quod Latinè candidum. Porrò euphoniæ causa, prioris vocabuli duabus literis mutatis, dictam Vuenefredam.

Beunous ad vitā reuocat S. Vuenefridam.

Locus autem ille, vbi sanguis eius fusus est, non longè abest à monasterio Basinguuercko in Nouuallia, & anteà quidem dictus est Siccauallis: post eius verò obitum vsque in præsens, Fons Vuenefridæ appellatur. Lapides quoque tam in fontis scaturigine, quàm in riuo illius, seu vtriusq; margine, eius adspersi cruore, & sanguinis eius tanquàm congelati manifesta vestigia retinent, & neque temporis diuturnitate, neque aquæ præterfluentis alluuione ea abolentur. Muscus autem lapidibus illis inhærens, thus redolet. Homines regionis illius, qui Deum necdùm cognouerant, virginem rediuiuam, fontem aquas manantem, & petras sanguine adspersas videntes, ad pedes beati Beunoi se abiecerunt, & ab eo baptizati sunt. Tandèm autem sancta virgo ab eodem viro Dei sacrum velamen accepit. Ille autem, solo scipione assumpto, omnem domûs suæ supellectilem & quicquid fideles ei donauerant, sanctæ illi virgini & eius sociabus reliquit, atque aliò commigrauit. Porrò beata Vuenefrida nobilium filias congregans, docebat eas amare castitatem, cunctisque mundi spretis illecebris, leui iugo Christi colla supponere, & regulari consectanda disciplina, illius se seruitio mancipare.

Multi ea excitata credūt in Christum.

S. Vuenefrida multas nobiles filias Christo despondet.

Defuncto autem beato Beunoo, sancta virgo, Deo ipsam admonente, ad sanctum virum Deiferum accessit. Erat enim is magnus coram Domino, ferturque fontem è terra excitâsse, multos depellentem morbos. Cumque ad eum iret Vuenefrida, nocte oranti cælitùs hæc vox facta est: Dic charissimæ filiæ meæ Vuenefridæ, vt ad Saturnum (hoc enim viro nomen erat) sese cōferat, ab eoque discat, quo in loco omne reliquum vitæ tempus exigere debeat. Vbi sancta virgo ad Saturnum venit, ille ait ad eam: Est locus, quem Vuitheriacum vocāt, ab omni populo admodùm reuerenter habitus. Eum te iubet Deus adire, in eo donèc vixeris, commorari, tuisque exemplis alijs prælucere. Est illic Abbas Elerius, multis ornatus virtutibus, quem perpetui gemitus & assiduæ preces adeò ab omnibus mundi huius curis abalienârunt, vt nihil iam terrenum sapiat, nihil rerum labentium expetat, totus cælestibus intentus. Fecit virgo sancta, vt erat iussa: Venienti autem Abbas Elerius, per spiritum sanctum eius cognoscens aduentum, obuiàm proficiscitur, eamque honorificè excipiens, in virginum monasterium introducit, earumque curam ei demandat. Ibi sanè quisquis ad illam æger accessit, incolumis ab ea recessit: mœrentes omnes, animi lætitiam reportârunt. Tandèm nocte quadam oranti Iesus Christus apparuit, indicauitque propediem ipsam è corpore decessuram. Itaque quarto Nonas Nouēbris, plena virtutibus & operibus bonis, spiritum Deo reddidit, sepultaque est iuxta sanctum Chebeum & Senanum. Multa verò per illam præpotens Deus effecit miracula, inter alia fabri cuiusdam filiam, ab ipso ortu cæcam, illuminans.

Abbatis Elerij laus.

S. Vuenefrida virginibus præficitur.

Feliciter migrat ad Dominum.

Miracula.

Si pueri tenelli, aliquo corporis incommodo affecti & morbo correpti, in ipsius fontis scaturiginem mittantur, à matribus incolumes reportantur. Alia miracula præterimus. Post annos multos, putà à Christo nato anno millesimo centesimo tricesimooctauo, beatæ huius virginis ossa Solopiam in monachorum monasterium admodùm honorificè translata sunt.

MARTYRIUM SS. Acepsimæ Episcopi, Iosephi presbyteri, & Aithalæ diaconi, quorum festiuitas in tertium diem Nouembris incidit, habetur Tomo secundo, 22. Aprilis.

HISTO-

HISTORIA BREVIS SANCTORVM MARTYRVM AGRICOLAE ET VITALIS, EX ADHORTATIONE *B. Ambrosij Episcopi ad Virgines.*



VI ad conuiuium magnum inuitãtur, apophoreta secum referre consueuerunt. Ego ad Bononiense inuitatus conuiuium, vbì sancti martyris celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reseruaui. Apophoreta autem solent habere triumphos principum: & hæc apophoreta triũphalia sunt. Christi enim nostri principis triumphi, sunt martyrum palmæ. Nec verò huc dirigebam iter: sed quia petitus à vobis sum, debui mecum deferre, quæ alijs parabantur, nè minor ad vos venirem: vt quod in me minùs est, quàm præsumebatur, in martyre plùs inueniretur. Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis seruus fuit antè, nunc consors & collega martyrij. Præcessit seruus, vt præuideret locum: secutus est dominus, securus quòd fide seruuli iam inueniret paratum. Non aliena laudamus. Passio enim serui, domini disciplina est. Hic instituit, ille impleuit. Nihil illi decerpitur. Quomodò enim minui potest, quod Christus donauit? Egregiè & ille, qui homini seruiuit, seruiendo didicit, quomodò Christo placeret. Hic tamen geminam laudem acquisiuit, in illo magisterij, in se martyrij. Certauerunt tamen inter se inuicèm beneficijs, postquàm æquales esse meruerunt. Hic illum ad martyrium præmisit, ille istum accersiuit.

Nouẽbris 4.
Christi triumphi, martyrum palmæ.

Nullum ergò ad commendationem hominis conditio affert impedimentum: nec dignitas prosapiæ meritum, sed fides, affert. Siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus: & vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. Nec seruitus derogat, nec libertas adiuuat. Vide, ad eam rem quàm nihil in conditione momenti sit. Seruus, inquit, vocatus es? non sit tibi curæ. Qui enim vocatus est in Domino seruus, libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Vide, inquam, vim Apostoli. Plus putatur dedisse ei, qui seruus, quàm ei, qui liber vocatus est. Ex seruo enim libertus Christi fit, ex libero seruus. Sed nulli plus dedit, verùm vtrique æqualem mensuram diuisit. Apud Christum enim seruitus & libertas æqua lance penduntur, nec vllo discerniculo bonæ seruitutis & libertatis merita diuiduntur: quia nulla maior est dignitas, quàm seruire Christo. Deniquè Paulus seruus Christi Iesu. Hæc enim seruitus gloriosa est, in qua gloriatur & Apostolus. An non summa gloria est, quandò tali precio æstimati sumus, vt sanguine Domini redimeremur? sed pergamus ad cætera.

Ephes. 6.
1. Cor. 7.
Christo seruire, summa dignitas.
Rom. 1.

Cumquè sanctus Vitalis cogeretur à persequentibus, vt Christum negaret, & ille ampliùs profiteretur Dominum Iesum Christum, omnia tormentorũ genera in eum exercentes, vt non esset in corpore eius sine vulnere locus, orationem fudit ad Dominum, dicens: Domine Iesu Christe, saluator meus & Deus meus, iube suscipi spiritum meum: quia iam desidero, vt accipiam coronam, quam Angelus tuus sanctus mihi ostendit. Et completa oratione, emisit spiritum.

S. Vitalis omne genus tormẽtorum experitur.

Sanctus verò Agricola mitior habebatur moribus, vt ab ipsis etiam inimicis diligeretur. Ideoque differebant eius passionem. Sed hæc persecutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior, quæ inuidebat martyrium. Deniquè vbì non acquieuit sanctus Agricola, crucifixus est: vt aduertamus illas blanditias eorum, non sedulitatis fuisse, sed fraudis. Supplicio serui, dominum terrere voluërunt. Vertit hoc Christus in gratiam, vt martyrio serui, dominus inuitaretur. Vtrique nomen aptum martyrio, vt designati ad martyrium ipsis vocabulis viderentur. Ille, Vitalis dictus est, quasì qui contemptu istius vitæ, veram illam vitam æternam sibi haberet acquirere: iste, Agricola, qui bonos fructus spiritalis gratiæ seminaret, & sacri sanguinis effusione, meritorum suorum omnium virtutumque rigaret plantaria. Sepulti autem erant in Iudæorum solo inter ipsorum sepulcra. Ambiêrunt Iudæi cum seruulis sepulturæ habere consortium, quorum Dominum negauerunt. Sic & aliquandò Baalam dixit: Moriatur anima mea pro animis iustorum: & tamen non communicauit eorum operibus, cùm viueret, quorum in animis cupiebat mori. Et isti, quos viuentes persecuti sunt, mortuos honorabant.

S. Agricola crucifigitur.
Num. 23.

Illic igitur martyris exuuias requirebamus, tanquàm inter spinas rosam legentes. Circunfundebamur Iudæis, cùm sacræ reliquiæ euherentur: aderat populus Ecclesiæ cum plausu & lætitia. Dicebant Iudęi: Flores visi sunt in terra, cùm viderent martyres. Dicebant Christiani: Tempus incisionis adest. Iam qui metit, mercedem accipit. Alij seminauerunt, & nos metimus martyrum fructus. Iterùm audientes Iudæi voces plaudentis Ecclesiæ, dicebant inter se: Vox turturis audita est in terra nostra. Vndè benè lectum est: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: Dies diei, Christianus Christiano: nox nocti, Iudæus Iudæo. Indicabant ergò Iudæi quòd haberent scientiam martyrum, sed non scientiam verbi: id est, non secundùm illam solius boni, & solius veri scientiam. Ignorantes enim Dei iustitiam, & volentes se iustificare, iustitiam Dei non receperunt. Detuli ergò vobis munera, quæ meis legi manibus, id est, crucis trophæa, cuius gratiam in operibus agnoscitis. Certè & ipsi dęmones confitentur. Condant alij aurum atque argentum, ac de latentibus èruant venis, legant preciosa monilium serta. Temporalis ille thesaurus est, & sæpè habentibus perniciosus. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, vt plura fuerint vulnera, quàm membra. Clamare martyrem diceres ad populum Iudæorum, cùm clauos eius colligeremus: Mitte manus tuas in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Collegimus sanguinem triumphalem, & crucis lignum. Hæc sanctæ viduæ negare non potuimus postulanti. Munera itaque salutis accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua sancta est Iuliana, quæ hoc Domino templum parauit atque obtulit, quod hodiè dedicamus: digna tali oblatione, quæ in sobole sua templa iam Domino pudicitiæ atque integritatis sacrauit.

Cant. 2. Iohan. 4. Psal. 18. Rom. 10. Ecce vir tātus etiā clauos martyris colligit. Iohan. 20. Itèm crucis eius lignū.

DE IISDEM SANCTIS MARTYRIBVS, EX GREGORIO TVRONEN. DE GLORIA *Martyrum, Cap.* 44.



AGRICOLA & Vitalis, apud Bononiam Italiæ vrbem pro Christi nomine crucifixi sunt: quorum sepulcra, vt per relationem fidelium cognouimus, quia nondùm ad nos historia passionis aduénit, super terram sunt collocata. Quę cùm à multis, vt fit, vel tangerentur manu, vel ore oscularentur, admonitus est æditus templi, vt immundi ab ijs arcerentur. Quidam audax atque facinorosus opertorium vnius tumuli remouet, vt scilicet aliquid de sacris auferret cineribus: missoque introrsùm capite, oppressus ab eo, vix ab alijs liberatus, confusus abscessit: nec accipere meruit, quod temerario ausu præsumpsit: sed cum maiori deincèps reuerentia sanctorum adiuit sepulcra.

Pœna temerarij.

Alius quoquè tributa publica deferens, sacculum pecuniæ dum iter ageret, negligenter amisit. Appropinquans autē ciuitati, recognoscit se amisisse publicum, quod ferebat. Tunc prostratus coram sepulcris beatorum, cum lachrymis deprecatur, vt perditum, eorum virtute reciperet, nè ipse, cōiunxque ac liberi, ob id captiuitati subigerentur. Egressus autem foràs in atrium, virum qui hanc pecuniam in via iacentem repererat, nactus est: scrutatusque diligenter, illius horę tempore hic sacculum inuenisse se dixit, quo iste martyrum auxilium flagitauit.

Nota miraculum.

Horum reliquias Namatius Aruernorum Episcopus deuotè expetijt, vt scilicet eas in ecclesia, quā ipse construxerat, collocaret: direxitquè vnum illuc presbyterum, qui abiens, cum Dei gratia, quę petierat, detulit: regressusq; cum socijs, in quinto ab Aruerna vrbe milliario reuertentes, metatum accipiunt, & ad Episcopum missos dirigunt, vt eis, quid agant, iubeat ordinare. Manè autem facto, sacerdos, admonitis ciuibus, cum Crucibus & cereis ad occursum sanctarum reliquiarū deuotissimus properat. Cumq; ei pręsbyter offerret, vt beatas reliquias adspiceret, si luberet: & ille, Mihi, inquit, magìs est hæc credere, quàm videre. sic enim in scripturis legimus sanctis, quia ipse Dominus eos beatos iudicat, qui eum cùm non viderint, crediderint. Hac itaque sacerdotis fide pollente, Dominus sanctos suos glorificat in virtute. Nam venientibus illis, subitò contenebratum est cælum, & eccè imber vmbrosus atque teterrimus super eos descendit: & tanta pluuia ibidèm est diffusa, vt flumina per vias illas currere cernerentur. Veruntamen circa sancta pignora per vnum valdè iugerum neque vna gutta visa est cecidisse. Et abeuntibus illis, pluuia eos à longè quasi præbens

Obserua veterum erga sanctorum reliquias studium, venerationem, & cæremonias. Iohan. 20. Mira res.

præbens obsequium, sequebatur populum fouens, gestatores autem pignorum non attingens. Hæc videns pontifex, magnificauit Dominum, qui fidei suæ sic fauens, talia ad sanctorum gloriam operari dignatus est. Congregatis verò ciuibus, cum magno gaudio atque deuotione sanctam ecclesiam, his illustratã pignoribus, dedicauit.

VITA, RES GESTÆ, ET CERTAMINA SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNICII ABBATIS, AVTHORE *Simeone Metaphraste. Habetur in Tomis Aloysij.*



IAM, quæ ducit ad virtutem, sciunt omnes esse asperam, arduam & difficilem, idque apertè ipsa discunt experientia. Et ideò multis quoquè indigent, quæ ad ipsam excitent, partìm quidem exhortationibus, partìm autem vitæ quoque historia eorum, qui in illa priùs sunt ingressi: quod etiam magìs ad eam attrahit sine molestia, & efficit vt non despondeant animum propter difficultatem itineris. Ei enim qui viam est ingressurus asperam & difficilem, suadens & adhortans quispiam minùs persuaserit, ostendens autem multos eam iam confecisse, & ad optatum tandèm finem peruenisse, sic magìs persuaserit, vt prompto & alacri animo iter aggrediatur. Talem esse existimo magni quoquè patris Iohannicij vitam, & longè iucundissimam, & longè vtilissimam, & quæ ipsa quoquè potest vel valdè socordem excitare ad studium virtutis. Dicantur ergò res illius, quoàd eius fieri poterit, & vobis pijs ac religiosis in medium proferantur, vndè scilicet cœperit, & ad quem finem tandèm peruenerit. Sic autem habet: Nouẽbris 4 Cap. 1. Via virtutis ardua.

Quartodecimo anno tyrannidis Leonis filij Constantini, qui etiam generis seriem traxit ex Isauria, admirabilis Iohãnicius procedit ex maternis thalamis. Cui patria quidem fuit prouincia Bithynorum: vicus autem, qui vocatur Marycati, situs ad Borealem partem Apolloniadis: Parentes, qui factis ipsis veram reddebant appellationem, Myritzicius & Anastaso. Erant enim tanquàm pulchram rosam iustum Iohannicium edituri pietati, qui à vita ad vitam, vt dicit Apostolus, euocabat multos vnguento pietatis, & à lapsu peccati faciebat surgere, & viam ostendebat salutarem, vt iam ostendet oratio. Statìm ergò ab ineunte ætate, cum sensilibus cibis aleretur & educaretur vt puer, non disciplinarum orbem & mundanam elegit sapientiam: sed eam, quæ ad eum adducit, & ei reddit familiarem, quæ est initium sapientiæ, nempe Dei timorem, & eius mandatorum insistere vestigijs. Proficiebat ergò in dies in virtute & diuina disciplina, & pulchro augebatur incremento. Quid autem Dominus, qui est velox ad bonorum remunerationem? Nondùm magnus Iohannicius è prima ætate excesserat, & munus obiens, quod ei fuerat mandatum à parẽtibus, in consueta pascua porcos immittens, ille quidem eos signabat figura Crucis, & ipse consuetas preces Deo reddebat: Illi autem permanebant indiuulsi, nullo nec hominũ, nec bestiarum damno omninò affecti, donèc vesperè reuersus sanctus, eos domum rursùs ageret. Cap. 2. S. Iohannicij patria. Parentes. 2. Cor. 2. Psal. 110. Prou. 1. & 9. Nota hic vim & efficaciã signi S. Crucis.

Cùm autem ille quidem iam excessisset ex Ephebis, tunc cùm esset & corpore agilis, & adspectu præ se ferret speciem hominis non ignaui, haberetur verò accuratus militum delectus iussu eius, qui tunc rerum potiebatur: tũc hic quoquè vir admirandus, relatus fuit in numerum excubitorũ. Erat autẽ exercitui quidem iucundus propter moderationem: inimicis verò terribilis propter fortitudinem, vt qui eos sæpè vel solo adspectu in fugam verteret. Cùm se ergò sic gereret, & tanti fieret ab exercitu, apud Deum adhuc pluris fiebat, quatenùs eius præcepta ad vnguem obseruabat. Hoc ergò videns malignus, & cùm aliam virtutem, tum eius cum Deo familiaritatem & coniunctionem ei inuideret, in eum latenter cõparabat insidias. Quamobrèm cùm aliquandò hominibus communem offudisset caliginem, vt non diuinis imaginibus eum, quem par erat, honorem tribuerent, peruenit etiam vsque ad Iohanniciũ: capitque & expugnat hunc virum præclarũ inter exercitatores, & inducit eum ad perniciosam sectã Iconomachorũ. Ab illo autẽ tempore diuinis imaginibus non modò quem par erat, multi honorem non tribuebant: sed nec earũ quidẽ auditionem auribus omninò admittebãt. Totis verò quinquagintaseptem annis, figura Cap. 3. In militia viuit religiosè. Labitur in hæresin Iconomachorũ. Hæresis Iconomachorum.

rum durat annos 57. à Christo susceptæ humanitatis, crimini dabatur & cõtemptui habebatur ab ijs, qui pugnabant aduersùs imagines. Cum quibus fuit abductus & captus hic quoquè vir admirandus, & pauci fuerunt, qui maligni laqueum effugerint. Atque hæc quidem sic se habebant: & Christi figura nostræ similis, proh dolor, despiciebatur, & nihil omninò putabatur.

Cap. 4. Irene Imperatrix restituit ecclesijs vsum imaginum. Postquàm autem huius sceleris operatores cum impietate miserabiliter periêrunt, & Romanorum imperium transijt ad coniugem eius Irenem, quæ res Christianorum tuebatur & habebat in honore, etiamsì propter metum mariti, nõ poterat eo superstite liberè eloqui veram religionem. Cùm ea verò in imperio fuisset constituta, tũc ipse quoquè Christus, qui propter nos carnem induit, rursùs honorabatur figuris, & exoptatæ sanctorum imagines, in ecclesijs, in foro, in populo cernebantur. Sed ne sic quidem multi huius Iconomachorum hæresis acerbitatẽ eluerunt ex animis, sed cùm temporis diuturnitate ad mali habitum peruenissent, ægrè ferebant se ab eo liberari. Quorum vnus erat hic quoquè præclarus Iohannicius: qui non erat promptus nec velox ad mutationem, neque omni vento conuertebatur aut circunferebatur, sed morum ostendens grauitatem, etsì in re non laudabili, permanebat in ijs, quæ sibi rectè opinari videbatur, & diuinis imaginibus nullùm cultum tribuebat. Deindè quid fit? Eum venatur egregius agricola, qui nouit terram animi vniuscuiusque, & is accipit semina fidei orthodoxæ. Quomodò autem?

Cap. 5. Mittitur ab Imperatore ad Occidentem cum toto exercitu. Illinc autem reuertens, transijt per quandam partẽ Olympi, & nutu diuino iter fecit prope quendam ex monachis, qui in eo monte exercebantur. Deindè ille appárens ex sylua, O fili, inquit, Iohannici, si magnum tibi est, inquit, Christianum esse & nominari, cur Christi Iohannicius resipiscit ab errore Iconomachorum. imaginem despiciens, efficis vt labor virtutis à te frustrà suscipiatur? Hæc audiuit vir diuinus, & miratus est, quòd ei euidentissimè dixisset de omnibus. Humì itaque cadens, petijt veniam, quòd ille ignorans fuisset ingratus in Dominum, & affirmauit se deincèps Christi imaginem & omnium, qui ei placuerunt, honoraturum cum omni proposito. Ab illo ergò tempore, beatus ille satellitis officio fungens in vestibulo regiæ, recubabat in nudo solo, eratque orationi intẽtus in ieiunio. Nam etsì conuiuia Humi cubat, orat, ieiunat. inibat cum alijs, cibum tamen non sumebat vsque ad satietatem, sed eatenùs, vt illis quidem non videretur ieiunare: corpus autem ei consisteret, & ad pernoctem illam inseruiret stationem.

Cap. 6. Cùm ille ergò totos sex annos his vacaret, egreditur gens Bulgarorũ, Thraciam depopulans. Aduersùs eos autem ducit exercitum, qui tunc erat Imperator Romanorum, magna & valida manu coacta, in quorum numero erat hic quoquè pietate Bulgari cædũt exercitum Romanorum. planè iuuenis. Magnum itaque prælium fuit inter eos commissum, & ex exercitu Romanorum cadit magnus numerus. Quid ergò ille inter viros fortes magnus, & inter exercitatores pietatis maior Iohannicius? Erat tanquàm alius Dauid, alienigenas Iohannicij strenuitas. quidem perrumpens cum multis millibus: plurimos autem liberans ex ijs, qui erant eiusdem generis, adeò vt quidam ex illustribus Romanis machina quidẽ ex loris contexta ceperetur à Bulgaris, is verò ea gladio dissecta, à manu hostili hominem liberauerit. Hæc cùm tunc ipse adspexisset Imperator, & eius esset virtutem admiratus, cupiebat scire patriam, & quod esset ei nomen. Ille autem præter hæc docuit etiam ordinem militiæ. Imperator verò omnia statìm, nè memoria exciderẽt, scribæ iubet mandare scriptis, & magnificentia remunerationum, confirmauit defessam manum huius egregij militis. Hinc magìs incitatus, vnum quendam ex inimicis, qui steterat in via angusta, & multos occidebat ex Romanis, vir ille strenuus, facto in eum impetu, illum priuauit capite, qui multis alijs capita abstulerat. Sic aduersùs hostes qui videntur, præclara facinora, erant signum trophæorum, quæ erat erecturus contra inimicos, qui non appárent.

Cap. 7. Vide autem, quomodò hinc fuit deductus ad suscipiẽdum contra illos certamen: & iam ad luctandum est aggressus, & grauis armaturæ mentem, abstinentia à cibis & oratione pulchrè armauit. Nam cùm à pugna aduersùs eos, qui cernuntur, hostes se sensìm & paulatìm dimouisset, & se deincèps collegisset, versabat animo ea, quæ Dei virtute aduersùs hostes fortiter gesserat, & se posteriori tempore dicebat acerbum illud damnum accepisse, quo Christi sui imago in honore ab eo nõ habebatur, & telis pœnitentiæ sauciabatur eius animus, & in hunc modum secum loquebatur: Oportuit me tali Domino seruire, & nõ solùm aduersùs hos, qui cernũtur, inimicos:

sed

sed etiam armari in eos, qui non cadunt sub adspectum. Quod quidem ergò habeo maximè in votis, nempe dari mihi tempus, in quo possim carnem subijcere spiritui, & soli Deo animum adhibere. Hinc se dedit totum solitæ orationi, & cùm vidisset montem, qui supereminet à dextera Bithyniæ, qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam & amantem solitudinis.

Concipit animo vitæ quietis institutum.

Cap. 8.

Cùm venisset ergò in vrbem regiam, & valere iussisset ea, quæ sunt in ipsa, oratoria & emigrationis postremam reddidisset adorationem, despicit quidem referri in numerum procerum Imperatoris: despicit autem maxima adipisci, & pluris fieri, quàm vulgus. Despicit paternam affectionem, postponit viscera matris, & cùm parùm congressus esset cum parentibus, profectus est ad iucundam quietem & silentiū, cùm solos vigintiquatuor annos se pulchrè gessisset in hac inferiori & mundana militia. In transitu verò cùm accessisset ad Agaurorum monasterium, accipitur ab ijs, qui illic erant, monachis: & monasterij Præfecto Patri Gregorio aperit suum animū, quòd scilicet amet vitam quietam, & quòd velit solus sub Deo viuere, omnē humanam vitans consolationem. Ille autem laudat quidem propositum: sed hæc dicebat conuenire ijs, qui versati sunt in diuturniori exercitatione, & ad eius habitum quodammodò peruenerunt. Ego verò tibi consuluerim, non eam primò vitam eligere, quæ est remota ab omni hominum societate: sed cum viris pijs & monachis te prius coniungere, & discere tempus & ordinem orationis. Deindè obedientiam doceri & modestiam: & sic ad vitam accedere anachoreticā, nè si ad eam irruperis priusquàm didiceris, cùm te oporteret ferire, feriaris: & cùm superare, supereris miserabiliter.

Anachoresis & solitudo quibus expetenda.

Cap. 9.

Hæc cùm ille monita audiuisset, illinc quidem recessit: cùm venisset autem vespera, hospitio excipitur à quodam viro pio & religioso, vt qui pulchrè cognosceret huiusmodi habitacula, & caueret, nè vnquàm diuersaretur in ædibus alicuius, qui esset diuersæ à recta sententia. Cui cùm animum aperuisset, quoniam erat adhuc omninò ignarus literarum, abducitur ab eo in quoddam propinquum monasteriū, quod vocabatur Vrotelas: & cùm in eo didicisset solam elementorum institutionem, cùm intellexisset hoc monasterium esse tumultu plenum, ascendit ad aliud monasterium, quod dicitur Antidij: & cùm illius Præfecto suum declarâsset propositū, docetur ab eo, cuiusmodi sit palæstra in diuinis certaminibus, deprimere scilicet cogitationes, & omnem altitudinem, quæ extollitur aduersùs Dei cognitionem. Cùm duos autem annos in eo perseuerâsset, & Dei patris Dauid hymnorum triginta psalmos didicisset, & ostēdisset satis valídas esse eorum ansas aduersùs omnē insultum aduersarij, paulopòst incessit eum desiderium transeundi ad montem, qui supereminebat. Totos ergò septem dies vacans orationi, petebat vt sibi appareret certus dux viæ, quam desiderabat. Septimò autem die, audit hic nouus noster Moses vocem desupèr iubentem, vt parùm accedat ad montem, & assequatur id quod desiderat.

Discit prima elemēta Iohānicius.

Audit vocē diuinitùs lapsam.

Cap. 10.

Cùm ergò ille hanc audiuisset, accessit ad montem, & quemnam locū inueniret aptum ad suam habitationem, vndiquè circunspiciebat. Ascendens ergò in mōtem, incidit in duos monachos, quibus tunicæ quidem erant confectæ ex pilis, victus autem erat ex herbis, quæ illic nascebantur, & tantus, vt solùm possent viuere, & vt tanquàm angeli in terra viuerent cum corpore. Eis ergò communicauit ea, quæ animo versabat & meditabatur. Illi autem postquàm preces solitas Deo pro eo obtulissent, sigillatìm narrârunt de omnibus, quæ interrogabat, adijcientes quòd post quinquagesimum annū exercitationis, & circa ipsum finem vitæ, ei inferetur tentatio: esse autem inuidos & malignos eos, qui eam sunt illaturi. Sed illis quidē labor in caput eorum conuertetur: Tu autem, dicebant, nihil graue patieris. quod etiam posteà deductum est ad effectum, quomodò etiam suo tempore declarabit oratio. Sed cùm hæc prædixissent, & tunicam (eam lebetonarium vocat lingua illius regionis: est autem ex pilis contexta) ei tradidissent, recesserunt. hoc aduersùs omnes insidias & insultus fuit ei arma inexpugnabilia & fortissima, vt ille narrauit posteà. Deindè cùm illinc emigrâsset in montem, qui vocatur *Cichalix, degebat sub dio & absque vllo tabernaculo.

Duo monachi egregij.

Prædicunt Iohannicio futuras tentationes ei.

Iohānicius viuit sub dio.

Cap. 11.

Cùm Gregorius autem, de quo priùs diximus, sancto rude excitâsset habitaculū, vt esset ei paruum tegumentum ab imbribus & niuibus, se in eo inclusit. Sed quoniam multi illuc accedebant, eum conuenire cupientes, & illi gratum & familiare silentium interrumpentes, illinc discedens in quendam vicum Hellesponti, in quodam montē nemoroso & adito difficili se collocat: in quo cùm foramen quoddam angu-

stum

Degit in specu. stum & profundũ sub terra fodisset, in eo manebat, nusquàm progrediens, nõ habẽs
cornuum cibi suppeditatorem, sicut Elias: sed cuidã caprarũ pastori hoc committẽs,
3. Reg. 17. vt ille vicissim ab eo maiora acciperet. A quo quidem pastore ipse singulis mensibus
Mira eius abstinentia. panem & aquam tanquàm quoddam planè nouum accipiebat epulum. Tres totos
annos silentio in eo transigens, precationis quidem curam gerebat & hymnorũ ad
Deũ noctù & interdiù. Erat autẽ hoc eius opus, deliciæque & consolatio. Hæc verba in ore habebat veluti quoddam condimentum, quæ assiduè ab ipso canebantur: Spes mea Deus, refugium meum Christus, protectio mea spiritus sanctus. Quocircà licet videre multos hoc pulchrum dictum ab illo acceptum, in ore ferre perpetuò.

Cap. 12. Cùm sic ergò se haberet, & extolleretur talibus cordis ascensionibus, voluisset autem aliquandò venire in quandam domum oratoriam ex ijs, quæ illic erant, in qua multi erant congregati ex prædijs, quæ erant circuncircà, accidit vt conueniret etiam quidam ex eius commilitonibus, qui cùm hunc magnum vidisset inter exercitatores, & ipsum non ampliùs esse existimâsset, statìm est recordatus veteris illius sui familiaris & amici Iohannicij, illius vultûs effigiem & staturę magnitudinem reputans, etiàsi

Agnoscitur à quodã sibi familiari. longa illa inedia, & voluntaria in lacu inclusio, multa destruxisset ex ijs, quibus poterat cognosci. Stabat ergò, illum perfectiùs memoria repetens: is autem ei magis magisque ille esse videbatur. Postquàm verò in eum oculis curiosiùs coniectis, re vera cognouit hunc illum esse amicorum & familiarium amicissimum Iohannicium, eius statìm collum circundans ardenter complectebatur: apertè ostendebat, se pendére ab illius anima, ei lachrymæ distillabant præ gaudio, & in memoriã reuocabat

Fugit ad alias latebras, nolẽs agnosci. veterem consuetudinem. Deindè ille quidem excurrit, reliquis socijs rem volens significare: Iohannicius autem volens magìs latére, peruasit in montes Conturiæ, in quibus degebant feræ, seorsùm cum Deo congrediens.

Cap. 13. Cùm tunc autem fortè fortuna venisset in ædem oratoriam, incidit in virũ quendam & mulierem, qui conuenerant vt festum patrium peragerent. Qui cùm sanctũ vidissent, in primo occursu, illo insolito & terribili eius spectaculo obstupefacti, ne potuerunt quidem interrogare quisnam esset, nec omninò cum eo conferre sermonem. Erat enim vir satìs quidem iustæ magnitudinis: pannis autem obsitus, & nudis

Nota sancti viri cultum externum. incedens pedibus, & totus capillatus, & coma mirandum in modum pronussa. Illi ergò cùm sanctum sic vidissent affectum, affecti sunt timore. Ille autem placida & miti voce iussit eos esse bono animo, & ab illo timore recreauit. Deindè eos rogauit, quænam esset via, quæ rectà ferret. Illi verò dixerunt antè fluuium fluere, qui nõ erat transitu facilis, & tunc maximè, cùm tam multi imbres ad eum affluxissent. Tunc

Transit flumen, nihil madefactus. enim acciderat, vt vehementer plueret, & ideò restagnaret fluuius. Ille autem cùm circa mediã noctẽ surrexisset, (O pedes speciosos, ó ingressum illũ admirabilẽ) aquã ascendit, nec fuit madefactus, & transmittit in continentem, quæ erat ex aduerso.

Cap. 14. Nota res miras. Illinc autem venit in templũ magistro Christo dilecti discipuli, quod erat Ephesi: ei autem statìm sua sponte apertæ sunt portæ illius templi. Ille verò ingressus, cùm Domino suas preces reddidisset, rursùs egreditur: & cùm esset egressus, protinùs clauduntur portæ, & rursùs conuertitur in Conturiam, & conuenit quasdam monachas, matrẽ, inquam, cum filia. Quarum filia quidem iam erat defessa libidine: mater autem studebat admonitionibus motus eius carnis comprimere. Cùm in eas incidisset sanctus, & propter puellæ vitium esset animo perturbatus, puella ad se vocata,

Liberat monacham à carnis tentationibus, & eas in se recipit. iubet eam manum suam collo illius imponere. Quod quidem cùm factum fuisset vt iusserat, rogauit vt puella quidem liberaretur à malo, quod eam vexabat: in se autem graue illud malum recideret. Atque illa quidem liberata à bello carnis, ordini monacharum se, vt priùs, restituit: In sanctum autem graue illud bellum excitabatur. Cùm autem intelligeret turpes cogitationes eum ad facta non honesta impellere,

Nouum genus domandę libidinis inuenit draconem quendam ex serpentibus in quadam, quæ illic erat, spelũca, & seipsum statìm præbet ab eo exedendum, vel per vim cogens inuitum eius corpus tangere. Malebat enim mori, quàm animi sui nobilitatẽ voluntari carnis esse mancipatam. Atque ille quidẽ se præbuit draconi: malæ autẽ cogitationes, quæ sunt semina draconis, qui cadit in intelligentiã, protinùs recesserunt: & si qua voluntas carnis ei exhibebat molestiã, ea quodammodò tota flaccescebat & morte afficiebatur. Simul autẽ morte quoquè affectũ fuit statìm ipsum animal: & exhinc aduersùs omne genus feras, tam quæ sub adspectũ cadũt, quàm quæ nõ cadũt, data est potestas decertatori.

Cap. 15. Aliquandò enim ille quidem Dauidis psalmos dicebat memoriter: mouebatur

autem

autem quidam aceruus lapidum, & sancti ad se attrahebat oculos. Cùm ergò quendam maximum serpentem punicei coloris ex eo vidisset apparentē, & quam in manu habebat, virga eum percussisset, eum nihil spirantem reddidit, & morte affecit. Deindè rursùs quoquè tempore hyberno ille quidem subterraneam quandā & obscuram subit speluncam: In ea autem habitabat draco, vt qui spelunca vteretur pro cauerna. Lucebant verò draconis oculi, & videbatur beatus pater ignē intueri. Neque enim priusquàm esset expertus, putâsset vnquàm draconem inesse in spelunca. Cùm ergò visum sibi esset ignem in spelunca accendere, ligna collegit, & draconis oculis imposuit, ea volens accendere propter tempus hybernum. Cùm is autem excussisset ea, quæ fuerant imposita, intelligens pater esse bestiam, non fuit ignauo neç abiecto animo, nec vllo timore est affectus, sed paululùm declinans ad dexteram speluncæ, nullum malum passus, versabatur simul cum * dæmone.

Interficit maximum serpentem.

fort. * dracone.

Agebatur verò iam duodecimus annus, ex quo morabatur in solitudine homo Dei: venit autem ad eum à superis prædictio, vt illinc quidem migraret, habitaret autem in monasterio, quod vocatur Eriste, & habitum indueret monasticum. Nam cùm tanta esset virtute, nondùm vestem induerat monasticam: sed adhuc magnorū monastici habitûs certaminum erant ea, quæ dicta sunt, præexercitationes. Venit itaque æstate ad prædictum monasterium, & Stephano Præfecto monachorum, qui in eo erant, aperit reuelationem. Ille autem postridiè nihil cunctatus, solitas fundit preces, & sacras dicit orationes, & cum veste induit monastica. Tali ergò habitu monastico indutus, qui erat monachus vel ante habitum, aut etiam supra monachos, & à certaminibus se parabat ad certamina, & à laboribus procedebat ad labores, se includit in loco, qui vocatur Critama, & se ligat catena, quæ erat longa sex vlnas.

Cap. 16.

Induit habitum monasticum cum solitis precibus.

Iam autem erat tertius annus, ex quo in eo degebat, & cùm ei visum esset ire ad Chelidonem, vt conueniret virum quendam virtute insignem, (erat autem is magnus Georgius) venisset autem ad fluuium Goram, incidit in draconem, qui cohibebat aquæ fluentum, & transitum ei irrumpebat. Et cum quidem precatione & ligno Crucis mortuum statim tradit aquis. Tres autem annos cum magno versatus Georgio, cùm ab eo totum didicisset Psalterium, abit rursùs ad pastorem Antidij, cum Pachomio discipulo. Et cùm illinc rursùs venisset in monasterium Agaurorū, ascendit cum alijs monachis in montem propè situm, vt essent spectatores domûs, quæ in eo ædificabatur. Construebatur enim in eo monte quoddam habitaculum ijs, qui erant in monasterio, quod & volentibus maiorem conciliabat quietem & silentium, & perfectiorem cum Deo coniunctionem. Cùm ergò venissent in montem, hircus insignis magnitudine, alicundè è grege apparuit. Itaque qui cum hoc beato patre erant monachi, cùm vidissent hircum, & eos inuasissent humanæ quædam cogitationes, animo versabant, quonā modo eum caperent, & vt illius pellem in vtrem transmutarent, maximi faciebant. Cùm in eo ergò inhabitante spiritu cognouisset pater ea, quæ erant in mente monachorū, vnum ex ijs, cui nomen erat Sabas, ad se vocans, iubet hircum ad se adducere. Illo verò interrogante, si in fugam fuerit conuersus, quomodò eum comprehenderet: Vade solùm, ó frater, inquit ille magnus: ille autem lubens veniet, & te sequetur. Cōuersus verò ad alios monachos, rogauit an hirci pellis esset apta ad vtrem componendum. Illi autem, Maximè, inquiunt: & antequàm hoc diceres, nos id cogitabamus. Interim autē ductus fuit hircus à monacho Saba, & pater vel in verbis ostendens benignitatem, transmittit rursùs pecudem ad sua pascua, non solùm hinc commiserationem, sed etiam amputationem docens suarum voluntatum.

Cap. 17.

Signo Crucis & precibus interficit dracone.

Nouit cogitationes suorum fratrum.

In hoc autem monte versans, ijs etiam, qui genere attinebant ad Imperatorem, (Nicephorus verò tunc Romanum administrabat imperium) prædicit eius mortem paulopòst esse venturam. Nono ergò anno eius imperij erumpentes Hunni, Thraciā populabantur. Satis autem magno coacto exercitu, Imperator quidem eos priùs vicit. Post hæc verò, coactis copijs, Hunni vexauêre Romanos. Quo tēpore ipse quoquè Imperator sauciatus, cum imperio ipsam quoquè finit vitam: sceptrorum autem & imperij hæredem filium relinquit Stauracium. Cùm esset ergò Stauracius in imperio constitutus, ij, quibus de morte Imperatoris Nicephori ab admirabili Iohannicio priùs fuerat significatum, paulopòst quàm Imperator decesserat, recordati eorum, quæ prædicta fuerant, accesserunt rursus ad hunc magnū patrem, & rogârunt de filio eius Stauracio, an sit longo tempore victurus in imperio. Ille autem prædixit tur-

Cap. 18.

Nicephorus Imperator ab Hunnis occiditur.

rursùs quoquè celerem mutationem, & vt aiunt, rem esse in acie nouaculæ. Breue tempus intercessit, & imperio translato ad Michaëlem generum, euenerunt ea, quæ prædicta fuerant. Hic autem Michaël antequàm perueniret ad imperiū, dignitatem habebat procuratoris palatij. Nō multo itaque pòst tempore Hunni rursùs in Thraciam faciebant incursiones. Itaque Imperator erat valdè solicitus, quonam modo & eos graui inuaderet exercitu, & quemadmodùm eos malè haberet. Interim autē ille quidem Leonem Armenium præfecit orienti: Leo verò, qui iamdiù maximo amore tenebatur imperij, hoc solū animo versabat, quomodò eo potiretur: & quicquid non ad id tendebat, id paruum existimabat & non magni momenti.

Michaël obtinet imperium.

Cap.19. Cùm ergò rursùs bellum exortum esset aduersùs Hunnos, & nec primò quidem cum eis conflixisset Armenius, sua sponte tergis datis, Romanos affecit dedecore: vt simul quidē & Michaëli maculam inureret, & eum graui afficeret animi ægritudine. Cùm ergo Leo hoc consilium cepisset, & id fecisset, fraudeque & simulatione conciliâsset animos militum, persuasit vt eum solum spectarent, & in eo solo spem salutis collocarent, vt qui imprudentiùs & inconsideratiùs in his rebus se gererent, & bonis, quæ habebant in manibus, stultè præferrent ea, quæ expectabantur. Leo ergò cùm induisset personam beneuolentiæ in Imperatorem, simulabat se eum maximi facere & colere. Post illam autem cladem ab ipso de industria & voluntariè conceptam, cùm reuersùs esset Michaël Byzantium, illo tempore proferens, quod iamdiù parturierat, & qui intùs erat, Leonem aperiens, ijs relictis, qui Romanorū agros populabantur, quàm maxima potuit celeritate armatur aduersùs suos, & ab ijs, qui aderant, renunciatur Imperator, & ad omnium clarissimam peruenit ciuitatem. Michaël verò vel inuitus ei cedit imperio, cùm iureiurando ab eo accepto sibi priùs cauisset, & fide dignis, vt putabat, promissis se munijsset, quòd ei cum vxore & liberis permitteret agere vitam priuatam.

Leo Armenius fraude occupat imperium.

Cap.20. Ille autem cùm primùm ascendit ad imperium, velutì omnium oblitus, & nihil curans eorum, quæ Deo teste iurauerat, primùm quidem Michaëlem & eius coniugem condemnat exilio: paulopòst verò, habitu monachorum vel inuitos induit. Nō eousquè autem constitit: sed etiam paucis pòst diebus eos à se inuicèm separauit, nec eos simul habitare siuit in regione, sed illum quidem in vnum locum, hanc verò in alium relegauit. Vide autem, quò procedat improbitas potestatem consecuta. statìm enim qui & nomine & moribus erat bellua, in ipsum, proh dolor, Christum & eius imaginem rabie exagitatur, multis afficit supplicijs veræ pietatis adoratores, ab ijs, quæ habebant, alienans & exterminans, quòd non Christi & eius sanctorum imaginem cum ipso conculcare in animum induxissent. Quamobrèm Nicephorum quoquè sanctissimum Patriarcham, si non à sacerdotali deponeret rectione, graue esse putabat, & sua amentia indignum & importunitate. Propterea ergò tum à sede dimouet, qui verè erat dignus qui regeret, quoniam nec luci quidem conueniebant tenebræ. Theodoto autē ex Natolia, cui erat cognomen Melissenus, vt qui esset eiusdem sentētiæ & moribus similis, introducto, replet Ecclesiā magna abominatione.

Perfidia ei' in Michaëlem &c.

Persequtur crudeliter eos, qui nolūt esse Iconomachi.

Theodotus Melissenus Iconomachus, fit ab eo Episcopus Cōstantinop.

Cap.21. Illo autem tempore cùm per montes Prusensium magnus hic pater se exerceret, Gurias quidam, qui ipse quoquè erat vnus ex ijs, qui vitam susceperant anachoreticam, & videbatur præstare alijs in monachorum certaminibus, & summus exercitator & amator virtutis ab omnibus existimabatur & nominabatur, & cùm quis dixisset Guriam, adijciebat etiam exercitatorem, vtpotè quòd hinc magìs agnosceretur, quàm ex nomine proprio. Is cùm videret se longè abesse à vera virtute Iohannicij, & venerandam illam exercitatoris appellationem ad eum transire, ei dissecabatur & laniabatur animus inuidia. Dum autem inuidiam parturiret, cædem peperit. Quomodò autem, declarabit oratio. Ea enim versans in animo, & quærēs ad effectum deducere id, quod meditabatur, cum sancto de industria studet vitam agere, cùm magnus Iohannicius propter maximam animi simplicitatem, Guriam supinis, vt dicitur, manibus accepisset & foueret. Ille autem in principio quidem magnam simulat pietatem, & erat virtutis histrio præstantissimus. Cùm non aliò autem spectaret, quàm vt latenter inuidię gratificaretur, sub specie propinandi, sancto venenum porrigit, cùm ipse priùs bibisset longè acerbius inuidiæ & malitiæ. Insidiosum autem sic epotū poculum, sanctum multis affecit doloribus: sed qui per eum colebatur Dominus, non passus est eum diù vexari, nè nimis gloriaretur vitium aduersùs virtutem. Sed in somnis misso præclaro inter martyres Eustathio, ei donat priorem habitum & sanitatem.

En qd parturit inuidia.

tem. Ille autem in honorem eius, quod tunc factum fuerat admirabiliter & præter opinionem, ædem oratoriam extruxit & monasterium : quod quidem extat vsque in hodiernum diem Neque enim ad liberationem solùm à doloribus fuit ille dulcis somnus, & lætus ille aduentus martyris, sed ad maiorum miraculorum simul & rerum principium & fundamentum. Extruit vir sanctus ecclesiam S. Eustathio martyri.

Aliquandò enim in quadam nocte ille quidem volebat necessariò dare corpus quieti, vt se recrearet, promptiorique & alacriori animo rursùs labores aggrederetur. In quodam autem loco, qui illic vergebat ad Orientem, non in somnis, sed re vera videt aquam emitti copiosam & perspicuam, & multas cæcas pecudes illic stare, & ex ea bibere. Et ille quidem desiderauit scire, quidnam sibi vellet visio. hoc verò solùm resciuit ab ijs, qui in ea regione habitabant, quòd in eo loco priùs ædificatum fuerat templum Dei genitricis. Cùm itaque venisset ad locum, qui sibi apparuerat, aquæ quidem fontem non inuenit : cùm eum autem vidisset benè esse situm & pulchrum, & alioqui aptum ad Domini domum ædificãdum, in eo pulchrum templum excitat. & cõstruit monasterium, cùm non pauci illic se totondissent, & ad certamen spiritale se prompto & alacri animo præparâssent, & ab illo erudirentur ad virtutem. Sanctum ergò non fefellit visio. Non enim ostendit id, quod factũ fuerat, sed id quod erat futurum. Nam quòd in loco quidem, qui apparuerat, fuerit habitaculum matris Domini nostri, testabantur multi, qui ipsis hoc viderant oculis. Oues autem & aqua scaturiens, illæ quidem significabant sanctos, qui templo assidebant : hæc autem suauissimum illud fluentum eius doctrinæ. Quòd eæ verò essent orbatæ oculis, id ostendebat animæ eorum cæcitatem. Cap. 22. Visio S. Iohannicij. Construit templum & monasteriũ

Interìm autem dum Dei excitabatur habitaculum, erupit quidem pluuia : serpentes autem emissi è terra, morsibus prohibebant eos, qui in illo laborabant. Sed ille quidem statìm manus tollit ad cælum, Deum rogans : nubium autem crassitudo mutata est in summam serenitatem, & qui operi erant intenti, manebant illæsi à nocumento morsuum. Quo quidem tempore, sancto quoquè pro viribus opem ferente ijs, qui ædificabant, & ad tollendum lapidem manum porrigente, vipera emersit è lapide, & manum appręhendens, ab ea diù pependit, & immisit ei totam veneni acerbitatem. Sed nobis apparuit alter Paulus, etiamsì non primus chori Apostolorum, sed eorundem, quibus ille, donorum potestate præditus. Nam ille quidem manum concutit : acerba verò illa vipera humì cadit, & erat ei manus illæsa, adeò vt non appareret, an fuisset omninò percussus. Sed non eousquè constitit vehemens eius contentio & studium, in ædificandis ædibus oratorijs, sed etiam opem tulit ijs, qui ædificabant, & post ædificationem conseruabat omninò suis precibus illæsas ædes quas ædificauerat. habens perpetuò oculos ad Dominum, qui est eorum, qui ipsum timent, vires & firmamentum, euellens quidem è laqueo pedes eorum, non tradens autem in manus eorum qui affligunt, neque dedecore afficiens eos, qui sustinebant : quomodò licet videre in eo, quod est nobis propositum ad narrandum. Ipsum enim eduxit in tantam latitudinem ab afflictione, & ità leuauit grauitate corporis, vt quodam tempore suæ orationis, in sancto templo mentem suam omninò intendens ad subliniorem contemplationem, sublimis cerneretur & elatus, & ne terram quidem omninò tangens, tanquàm qui ad supernam vocaretur conuersationem, quam ille desiderabat. Cap. 23. Pręclara miracula edit. Act. 28. Psal. 24. Inter orandum eo pus eius ... attollitur.

Quidam enim Eustratius nomine, qui eandem vitam quam beatus exercebat, magno in eum erat zelo affectus, & incitabatur ad eius imitationem: & maximi faciebat videre ea quæ fiebant à sancto. Eum ergò aliquandò secutus cùm esset, preces consuetas Domino redditurus, cùm se, vt potuit, abscondisset, nè ab illo videretur, & ibì permansisset toto tempore precationis, stupuit quidem, quòd adeò ardẽter & vehementer esset intẽtus orationi : stupuit autem etiam, quòd res diuina in eum ostenderetur : & quòd non solùm spiritu, sed etiam corpore sublimis ab eo cerneretur, & assurgens à rebus terrestribus. Hoc ergò cùm cognouisset ille beatus, tantum abfuit, vt eum propterea laudauerit, vt eum etiam curiosum aliquid fecisse sit suspicatus, & grauiter increpauerit, dicens: Non habitabit iuxta te malignus. Ità studebat seorsùm inuocare Dominum. Quænam autem fuerint deincèps præclarè ab eo gesta, ad eã iam transit oratio. Cap. 24. Eustratius studet eius imitari vitã. Psal. 5.

· Mulier quędam cùm eam in orbem multi circundedissent & inuasissent dęmones, & eam ad turpia irritarent desideria, cùm nesciret quanã ratione vitaret periculum; Cap. 25.

confugit ad Iohannicium, qui erat promptus ac paratus ad eam defendendam: & ei enunciat dæmonum insidias, & eo vtitur adiutore contra aduersarios. Ille autem precatus est Dominum, nè mulier ampliùs vexaretur à dæmonibus: bellum verò in se conuerteretur, & illa liberaretur ab animi perturbatione. Confidebat enim se posse eorum sustinere impetum, cùm haberet manus doctas ad bellum, & ad arcum æneum composita brachia. Ille ergò statìm quidem precibus tanquàm telis dæmones confixit, cùm nec primum quidem eius impetum sustinuissent. Mulier autem fuit liberata ab animi perturbatione, & domum reuersa, Deo vniuersorum, & eius seruo Iohannicio, acceptam afscribebat salutem.

Magna vis precum eius contra dæmones.

Cap. 26. Quid ergò, qui omnia audent, improbi & malitiosi dæmones? Non satìs duxerunt se fuisse semèl affectos ignominia, nec eis suffecit semèl fuisse victos: sed missis insidijs, quæ structæ fuerant in fœminam, sanctum aggrediuntur, & quæ aduersùs illam fabricantur, ea per turpes cogitationes ei contrà inferre conabantur. Quibus cùm is ab initio dominari, non seruire, didicisset, vt qui esset vndiquè munitus armatura iuuenilium certaminum, eos rursùs vincit, & eorum machinas ad nihilum redigit. Non hìc autem solùm, neque propter ea, quæ priùs diximus, decertat aduersùs malignum genus dæmonum: sed etiam puerum, qui aliquandò ab ijs intempesta nocte in montibus nemorosis & inuijs deducebatur & trahebatur, & iamiam erat ab eis è præcipitio deturbandus, appárens Sanctus (erat enim, si vel solùm eis apparuisset, terribilis) liberauit ab insidijs, & deduxit in viam rectam.

Nota rem miram.

Cap. 27. Cùm ergò sic perageret exercitationem, & inimicos, qui intelligentia appræhenduntur, facilimè prosterneret, erat in ore omnium, alio quidem narrante eius, quæ in exercitatione versabatur, vitam laboriosam: alio autem simplicitatem, & in sermonibus soliditatem, & magnam vtilitatem: in exercitatione verò grauitatem & constantiam: alijs autem enunciantibus eam, quam in dæmones habebat potestatem. Ille enim & verbis multa efficiebat, & valebat precibus. Cùm ergò hæc se sic haberent, & tam multa de eo dicerentur, multos habebat illuc accedentes & interrumpentes exercitationem. Deus enim eum posuerat ad acquisitionē salutis, vt magnus dicit Apostolus, vt qui in ipso viueret, vigilaret & dormiret. Quamobrèm aliquandò quidem liberabat accolas à nocumento serpentum & ferarum, eas interimens & de medio tollens, partìm quidem virga sua, partìm autem signo Crucis: aliquandò verò à dæmonum insidijs & tyrannide liberabat eos, qui in eos incidebant, vt qui à Deo accepisset concurrentem cum voluntate potentiam. Cùm ergò didicisset, quòd quę est in solitudinibus molestia, parùm aut nihil differt ab vrbium tumultibus, diligēter, conuenienter Domino, bonum persequens, rursùs migrat in montem Thricalicis, ardentiùs & fortiùs adhuc seipsum recreans, & ipse seipso quodammodò effectus magìs strenuus ad certamina spiritalia.

1. Thess. 5.

Signo Crucis interficit serpentes & feras.

Cap. 28. Nemo autē hæc audiens de magno inter exercitatores, inaniter cogitet, quòd non est verisimile eum vbiquè adeò refulsisse, qui animo præceperat in sanctas imagines impietatem, & eas aliquo tempore noluerat honorare. Si quis hoc admiratus fuerit tanquàm incredibile & contra opinionem, is quoquè prodigiosa existimauerit, quæ facta sunt à piscatoribus orbis terræ, & præ cæteris à Paulo, qui priùs fuit persecutor Ecclesiæ. Ad gratiam autem videbitur etiam dictum esse à Domino illud, Qui credit in me, opera quæ ego facio, ille quoquè faciet. Vbi autem pones illud quoquè: Si habetis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Transi, & transibit: Si hæc ergò sunt euidens & certa veritas: ea etiam, quæ sunt omninò facta ab hoc viro admirabili, sunt aliena à mendacio. Sed enim redeamus, vndè digressi sumus. Cùm fuisset in hoc monte Trichalicis, non extendit tabernaculum, non fixit tugurium, sed sub dio & sine domo vitam agere constituit, vt qui magnifico tecto vteretur cælo. Sed ne sic quidem viuens latuit, sed Eustratius quidam ex monasterio Agaurorum, eius amore captus, cùm non posset manere in regione, (eum enim cogebat amor ille diuinus, & quòd valdè eum inflammaret studium sanctarum imaginum) cùm ad eum accessisset, & nihil ampliùs expectâsset, quàm consuetam precationem, statìm est sciscitatus, an diù duraturum esset imperium Leonis. Ille autem videns eum magna animi affectione commotum, quòd pro diuinis imaginibus maximum caperet dolorem, (in eas enim erat impius hic Leo, vt si quis alius) & ideò properâsse ad interrogationem, non substitit, neque responsionem est meditatus, sed vt qui spiritùs profunda scrutaretur, & haud ità diù abhinc futuram præsignificauit eius euersionem, & prædixit futura. Nam

Act. 9.
Iohan. 14.
Matth. 17.

Viuit sub dio.

Nam non multò pòst eo de medio sublato, Michaël arripuit imperium: qui non auxit quidem persecutionem aduersùs Christianos: siuit autem Ecclesiam esse sub hæreticis, vt qui neque Iconomachorum hæresi omninò accesserit, sed in eius zelum effectus sit mollior, vt etiam multis videretur benignus: neque vllum Orthodoxum dogma prior inceperit, adeò vt contingeret neque ipsum à vitio abstinere, neque salutem defendere: sed malitiosè potiùs hæresim quidem siuit crescere, fidem autem Orthodoxam minui & diffluere. Et hoc quidem ità se habebat. Leo Armenus tollitur è medio. Michael Balbus imperat.

Postquàm autem Leo fuit interfectus, venit rursùs cum quodam alio Eustratius, diuino huic viro renuncians euentum eorum, quæ ipse prædixerat. Contritum est autem ab eis aliquantum temporis in sermone Quidam verò Elias nomine, qui exercebatur non procùl à sancto, ipsum magnum Iohannicium excepit conuiuio, & eos qui venerant simul cum Eustratio. Diuinus autem Iohannicius huius vitæ accusans vanitatem, & verbis ostendens, quàm esset instabilis & infida, communiter iubebat, vt se procùl remouerent ab vrbibus & vicis. Eliæ autem dicebat hoc magis conuenire, quàm alijs. Is verò, De hoc, inquit, ô pater Iohannici, esto bono animo. vt maiorem autem huius rei fidem faceret, dicebat, quòd in totis annis præcedentibus fuisset solitarius, & se remouisset ab hominum congressione. Vnus itaque & alter dies præterierat, ex quo hæc dicta fuerant. Ille verò monachus Elias ad eum accedens, postulabat eius preces, vt propter morbum, qui eum inuaserat, iret ad quoddam prædium, quod emittebat aquas calidas. Cùm autem ille quidem nollet, hic verò instaret: & postremò ad imbecillitatem fratris se demittens sanctus eum emisisset, vix potuit ad aquas calidas accedere. Cùm eum autem liquisset animus, & ab ijs qui illic erant sublatus, in quadam cella, quæ erat ad montem, fuisset locatus, circa mediam noctem excessit ex hac vita, prioribus bonis suæ exercitationis hanc solam habens gratiam, quòd in hac extrema cogitatione ductus esset pœnitentia, quòd omninò cessisset curationi corporis. Sed nobis reuertendum est ad magnum Iohannicium Cap. 29. Docet vir sanctus procùl morandum esse à vicis & vrbibus. Elias monachus excedit e vita.

Hic vir diuinus solebat obire cum virga, etsì sermone potiùs, quàm virga, opùs haberet aduersùs suum gregem. Cùm is ergò aliquandò transiret per loca quedã transitu difficilia accidisset autem, vt ea illi e manu excideret, angebatur animo, quòd virga perijsset, nec eius inueniendæ vllam inueniebat rationem. Deindè cùm in ea quærenda despondisset animum, flexis genibus consuetas preces reddebat Domino. Illa autem rursùs venit per aërem, & in sancti manum fuit imposita: & ille quidẽ statìm per quoddam arbustum antrum subijt, vt qui sibi quoddam gratum arripuisset habitaculum. Id autẽ erat breue admodùm, & habitabatur à dæmonibus: qui postquàm viderunt sanctum virtute quadam, quæ sub adspectũ non cadebat, roboratum, &, vt dicit Paulus, in die malo thorace iustitiæ & fidei clypeo gloriantem, fuerunt ira omninò accensi, & ab ipso aliquid passi, ei quoquè par pari referunt. Cùm verò obscuris omnibus insultibus fuissent propulsati, eo valdè munito precibus, tandèm missis aduersùs animam machinationibus, apertè aggrediebantur, irridebant, vociferabantur, pulsabant, fugiebant, expectantes fore, vt ei afferrent terrorem: fugiebant, in faciem inuadebant, mouere videbantur speluncam. Cùm autem ille nihil ostendisset, quod esset pusilli & abiecti animi: illi verò moto omni rudente suæ calliditatis & malitiæ, postremò omnem spem abiecissent aduersùs tanti viri virtutem & cõstantiam, miserabiliter victi & in fugã conuersi: Quid nobis & tibi? Venisti ad nos torquendos ante tempus? ij quoquè ad ipsum clamabant, quomodò etiam meo Iesu ij, qui aduentum illius non sustinebant. Cùm autem speluncam vel inuiti reliquissent, non poterant inuenire aliam quam habitarent. Vbiquè enim adesse sanctum visione apprehendebant, persequentem & fugantem, & eos increpantem, tanquàm feras aliquas arundinis. Sic sine iniquitate currens dirigebatur, & excitatus ad occurrendum inimicis, inueniebat Deum præuenientem, ipsum quidem circundantem misericordia, malos autem malè perdẽtem. Et à quanta quidem turba & molestia, dæmonum fuga liberauerit eos, qui erant in monte, in quo habitare, vt dicit Psalmographus ipsi Deo complacuit, illis scribendum & beneficium literis mandandum relinquamus. Nos autem conuertamur ad ea, quæ deinceps sequuntur. Cap. 30. Nota rem miram. Ephes 6. Vide dæmonum ineptam pertinaciam. Matth. 8. Vir fugat eos vir sanctus de suis locis. Psal 67.

Cuidam Senatori ægrotabat vna ex suis filiabus, membraque erant ei soluta. cùm esset pia, & Christianam seruaret religionem Qui autem sancti sororem duxerat vxorem, aduersùs Christi imagines grauiter furebat, & in eas inuehebatur Accedens autem beatus, illam quidem precibus & signo Crucis à graui morbo liberauit: hunc Cap. 31. Precibus & signo Crucis sanat paralyticam.

verò, cùm admonens non posset persuadere, vt à graui illa abstineret insania, tradidit disciplinæ, & viscerum despecta cognatione, & sui sanguinis oblitus propter veram religionem, precibus eum orbat oculis. Ità zelus pietatis & veri Dei cultûs, gloriatur etiam contra ipsam naturam: & verum in Deum desiderium, est validius necessitate cognationis. Nam illam quidem, etiamsi genere ad eum non attineret, quoniam tamen Christianam obseruabat religionem, à morbo liberauit: hunc autem, etsi sororem duxisset in matrimonium, quoniam cum diuinis pugnabat imaginibus, visu priuauit, & æquum censuit, vt oculi qui erant manifesti, castigarentur pro ijs, qui non cernebantur oculis. His par est illud addere.

Nota miraculũ in contemptorem sacrarũ imaginum.

Cap. 32. Huic magno patri erat studio, si quos ad se audiebat ascendere, è monte descendere, & eis obuiàm procedere. Cur hoc faciens? Magnam in ascensu resecans vexationem eorum, qui ad ipsum ascendebant. Est enim asper & accliuis ad montem ascensus, & non facile nec expeditum iter præbens ascendentibus. Aliquandò itaque is, cui obtigerat Chalcedonis pontificatus, &, cui Nicææ, Petrus & Theodorus, Præfectus insignis gregis * studij, cum Ioseph & Clemente ad ipsum ascendebant. Hoc autem cùm cognouisset sanctus, volens eorum magnã leuare viæ molestiam, ad eos descendit è monte. Cùm verò hominis Dei essent partes, & facere & dicere ea, quæ essent Deo grata, in sermone, quem ad ipsos habuit, censebat humilitatem esse præferendam omnibus virtutibus. Postquàm autem ad cibum sumendum iam accessissent: Nè conturberis, inquit, frater Ioseph, sed sis paratus ad exitum. Hoc quidẽ tunc sic dictum, quidnam sibi vellet, dubitabatur ab ijs, qui audiuerant. Cùm autem post decem & octo dies Ioseph è vita excessisset, rectè intellexerunt quid sibi vellet, quod magnus dixerat. Diuinus ergò hic pater sic se habebat, & tantam gerebat curam fratrum vtilitatis, vt omnia ei parua viderentur & nullius precij, nisi etiã suam animam poneret pro fratribus: in hoc quoquè meum imitans Dominum, qui, cùm esset Pastor, & non mercenarius, animam ponebat pro ouibus.

for. vterq;

Prædicit cuidam obitum eius.

Iohan. 10.

Cap. 33. Iam agebatur quidem quintus annus imperij Michaëlis: quartusdecimus autem, ex quo Bulgari fecerant expeditionẽ & decesserat Nicephorus: à quo tempore multi Romanorũ, cum patria libertate amissa, detinebantur captiui manibus Bulgarorum. Venit itaque in mentem illi benignę & clementi animæ, si quo modo eos posset educere à laboriosa illa & afflicta vita. Interrogans autem, accepit carcerẽ illum, in quem illi erant coniecti, esse obscurum & tenebricosum, adeò vt eis vsuueniret ægrè ferre, quòd non cum patria vitam quoquè amisissent: quod quidem eum magis angebat. Huic ergò proposito omnibus postpositis, relinquit quidem illam gratam & solitam viuendi rationem: & via, quæ intercedit, confecta, non curauit custodes, qui eos circunsidebant: sed non visus ad eos accedẽs, statìm pro omnibus copijs vsus est figura Crucis: & ea perfractis vinculis & claustris portarum, tanquàm ab inferis & vmbra mortis, quomodò meus Iesus, reuocat eos, qui illic sedebant: & potat non aquis, sed sermonibus salutaribus viuificæ doctrinæ, admonens, nè essent sicut patres eorum, generatio peruersa & exasperans: sed deincèps spem in Deo ponerent, & non obliuiscerentur eius remunerationum: prætereà autem filijs quoquè nota facerent illius mirabilia. Deindè cùm in luce, sicut Moses, tota nocte eos traduxisset, vsq; ad nostros fines eos transmisit & conseruauit. Cùm autem vim afferrent & vrgerent ij, qui seruati fuerant, & quis es, ô homo Dei, sæpè rogarent, non celauit quidem nomen: dixit autem, se hanc gratiam soli Deo ascribere.

Charitas ei' in proximũ quanta.

Nota hic rẽ sanè admiratione dignissimam.

Exod. 13. 14. Psal. 77.

Cap. 34. Cum hoc nescio an sit conferendum id, quod vsuuénit ijs, qui fugiebant ex Aegypto. Nam illorum quidem inimicos aqua obruit: hi autem cõsecuti quod optabant consequi, nulli fuerunt causa calamitatis, sed & hi domum redeunt, & sanctum rursùs excepit grata illa quies & silentium in monte Thricalicis. Illo autem tempore Inger ille, non secùs àc vernis floribus, florebat laboribus exercitationis. Hinc factum est, vt crearetur Antistes Nicenæ ecclesiæ. Cæterùm is non habebat fructum rectæ fidei. Huius decessum cùm præsciuisset Pater, quodam monacho ex Eliæ altaribus (is erat Basilius) ad ipsum emisso, mendacio & vmbra dimissa, iussit eum tandèm adhęrere veritati, etiamsi stultissimus ille Inger, in improba Iconomachorum hęresi commori statuerit miserabiliter.

Inger Nicææ Episcopus Iconomachus.

Cap. 35. Sed cùm ad hunc locum peruenit oratio, illud mihi venit in mentem. Nauigauit aliquandò sanctus, adoràturus S. Theophanis tabernaculum, quod est in Sigriana. Illinc reuertens, & lacum præternauigans, qui est ad borealem partem Apolloniadis, appulit

appulit Thaso. Qui in illa autem vitam susceperant monasticam, & omnes accolæ grauiter vexabantur à serpentum, qui in ea erant, multitudine. Ijs enim repleta erat insula, non paruum afferens damnum habitatoribus. Cùm ergò sanctus in ea esset, veniunt ad eum omnes, qui habitabant insulam, & supplices ei procidunt, postulantque & rogant, vt eis opem ferat, vt eos, quoàd eius fieri poterit, liberet à nocumento serpentum. Et ille quidem miseretur eorum calamitatis, & velutì quædam tela, quæ torquentur in serpentes, emittit preces: illi autem protinùs proserpunt è suis cauernis, & relicta insula, se in maris profundum proijciunt. Atque noster quidem Iesus in aquis contriuit capita draconum: Illius autem discipulus, & quoàd eis fieri poterat imitator, per illas ipsas eos suffocauit. Precibus liberat insulã à serpentib⁹ Psal.73.

Ab hoc tempore profectus est ad alium locum quietis ac silentij: simul autẽ cum eo profectus quoquè est Daniel, qui præerat monachis, qui erant in Thaso. Ei verò erat frater monachus, cui erat nomen Euthymius, cui etiam dicitur pater prædixisse non multò pòst futurum decessum, sic dicens: Frater Euthymi, sis paratus. mox enim ad supernam proficisceris peregrinationem. Et sic quidẽ dixit Euthymio. Ipse autem cùm voluisset ingredi antrum quoddam breuissimum, & quod vix sufficiebat ad habitandum, incidit in dæmonem, qui erat prioribus longè sceleratior. Ab illo enim spelunca appellabatur Toparcha. Qui cùm non ferret habitare cum Iohannicio, niger & terribilis accessit ad Danielem, vt eum quidem terreret: ille autem accepto quoquè Iohannicio recederet. Sed ij, vt qui sibi confiderent, erant interriti, & illius fugam potiùs expectabant. Cùm ergò vidisset malignus eos adeò fortes & cõstantes, Danielis quidem pedibus circunuolutus, admirabilis autem Iohannicij lateri plaga imposita, ei quidem tantum dolorem attulit, vt esset mutus totos septem dies: ille verò statim euanuit. Sed sanctum quidem rursùs accipit mons Thricalicis. Cap.36. Dæmõ magnũ illi dolorẽ affert.

Si quid autem, postquàm illinc abierat, molesti aliquid acciderat ijs, qui erant in monte, id rursùs totum de medio ablatum est eius aduentu. Et nunc quidem eruca, quæ nocumentũ afferebat oleribus, precibus & signo Crucis fugabatur à circuitu: nunc autem ijs, qui illuc accedebant, mors præsignificabatur. Et illi quidẽ rebus suis prouidebant, & se parabant ad excessum: malignus autem & hostis humani generis, lupus erat, vt dicitur, frustrà hians. Ità etiam cuidam viro Isacio, qui fœminæ inseruiebat monachæ, quoniam prædictum fuerat à sancto, fore vt mox ad eum veniret vitæ finis, & ideò oporteret eum se parare ad decessum: ille autem negligenter viueret & remissè: deindè etiam rursùs ad ipsum Dei hominem ascendisset: Cur, inquit, adhuc mundanis occupatus solicitudinibus, nullam futuri curam geris? Sed ille quidem partìm à domina coactus: partìm autem etiam sua sponte inductus, (in possessionum enim cura gerenda, erat valdè vtilis) ad nihil est excitatus eorum, quæ oportebat, neque sibi vltimum parauit viaticum. Non multò pòst autem morbus & necessitas, quæ eum inuasit, fecit vt & monasticum indueret habitum, & ei, pròh dolor, mortem attulit euestigiò. Sed quòd attinet quidẽ ad Isacium, necessitati, non volũtati, quispiam id acceptum tulerit: huic autẽ magno patri verè paternam adscripserit affectionem, quòd ei mortem prædixerit, etiamsi ille nihil mutatus, in priori socordia sit mortuus. Cap.37. Precibus & signo Crucis erucam fugat. Cuidã mortẽ prædicit, isque nõ se corrigens, subitò moritur.

Sedenim hinc quoquè nota fiunt omninò ea, quæ iustus faciebat vel per trãsitum. Isacij domina, cùm esset & monacha, sicut à me dictum est, & vetula, & præfecta monasterij Clubiorum, ad ipsum aliquandò ascendit simul cum filia precationis gratia & benedictionis. Ille autem accepto baculo, quem mater manu tenebat, tradidit in manum filiæ. Conturbata ergò mater puellæ, dixit: Mihi, pater, magis conueniebat baculus, qui corpus meum fulcit ac sustinet magna ex parte propter senectutem. Ille autem nihil ipsi omninò respõdens, reipsa significauit futurum. Paulò pòst enim illa quidem è vita excessit: hæc verò prouecta fuit ad præfecturam monasterij. Abhinc autem hic admirabilis Iohannicius migrauit ad montem asperum & arduum, qui appellabatur mons Corui, vtpotè quòd sancto prædictum fuisset ab ijs, qui in solitudine ei occurrerant, Monachis, & dederant lebitonarium, eum aliquandò venturum ad eum montem. Sed quænam sunt, quæ ab ipso, vel ab eo potiùs, qui in ipso habitabat spiritu, in eo monte facta sunt admirabiliter? Cap.38. Nõ verbis, sed facto indicat quod futurũ erat.

Pascebant quidam in ipso oues, & cùm quasdam ex eis amisissent, ad eas quærendas montem obibant in omnem partem. Eos sanctus neque vnquàm auditione acceperat, neque visu cognoscebat. Cùm ergò in eos incidisset, & nomine vnumquenque vocabat, & viam, quam ipse ignorabat, (neque enim omnia omninò scire sancto con- Cap.39.

cedit spiritus sanctus) iubebat docere. Et illi quidem viam ostenderunt: ille autem refert gratiam, nempe pecudũ inuentionem, & iubet eos ire in solitudinem, & oues illic esse inuenturos. Cùm in eam ergò venissent, sicut ille iusserat, offendunt oues errantes, præter omnem eorum expectationem, idque cùm sæpè in eis quærendis laborâssent, etiamsi tunc non potuerant in eas incidere. Quocircà id acceptum ferebant illius viri viæ ignorationi, quòd digni essent habiti, qui eum conuenirent, & cum eo colloquerentur. Neque enim, qui in eum incidebant, ipsum videbant, nisi ille voluisset, & vt sequenti Eustratio esset exemplar humilitatis, si non videretur ab ijs, qui incidebant, ad ipsum conuersus, dicebat: Precibus tuis, ó frater Eustrati, ne ab ijs quidem sum conspectus.

A nemine est visus nisi volens.

Cap. 40. Cellam sibi cõstruit angustissimã, maioresq; labores suscipit.

Cùm autem ascendisset in montes Antidij monasterij, qui quotidiè in rebus diuinis extollebatur, & cellam ædificâsset angustissimam & breuissimam, prioribus maiores suscipiebat labores virtutis, & dignus habebatur maiori contemplatione. Corporis quidem certè afflictionem existimabat esse alimentum animę. Hinc factum est, vt multis rarò fuerit manifestus, quomodò etiam habuit multos eius vitæ amatores. Satis enim erat, si vel solùm videretur, ad acre quidem desiderium eorum, qui videbant, animis instillandum, & immittendum zelum æmulationis, & ad virtutem excitandum eum, qui esset vel hebetissimus. Porrò autem cùm vnius ex ijs, qui tunc erant magistri, coniunx (erat verò is, vt opinor, Stephanus) ancillarum improbitate, & curiosis ac maleficis artibus esset emoræ mentis, seipsam tradit medicis. Multæ quidem manus medicorum, medicamenta innumerabilia, plura artis adiumenta. Postquàm autem cognouit se inutiliter laborare, statuit quidem alijs vale dicere: ad magnum verò confugit Iohannicium. Ille autem precatione quidem dat mulieri sanitatem: hanc autem ab ea petit mercedem, vt ea in Dei portas ingrederetur in confessione & hymnis, & ijs qui offenderant, peccatum remitteret.

Sanat insaniam. Psal. 99.

Cap. 41. Viro sancto obitum eius significat.

Hic omni ex parte bonus, vt ad alium transeam, cuidam nomine Stephano, viro quidem exercenti virtutem & iusto in omnibus vijs suis, qui, quæ erant in anima, ei multò antè dedicârat, cùm post longum tempus venisset ad eum visitandum: Esto, inquit, ô frater, paratus ad exitum. Is autem cùm cõiecisset, quidnam sibi vellet quod dictum fuerat, quoniam quòd ad eum quidem attinebat, iam erat paratus, vt qui super fundamẽtum virtutis, quod præcesserat, diligentiùs superædificauerat, paulopòst prompto & alacri animo hinc excessit, post excessum innumerabilibus resplendens miraculis. Ità etiam Thomæ, qui eum sequebatur, & eius labores ad virtutem, & humilitate superabat alios, significauit, quòd ex improuiso esset in morbum casurus, & quòd morbum mors quoquè esset cõsecutura. Hac ergò prædictione is simul & animo magìs fuit excitatus ad exercitationem, & subit finem vitæ. Ità etiam cum eum, qui præerat monasterio Agaurorum, cognouisset se adiũxisse hæreticis, (iam autem à præfectura excesserat Eustratius, vt qui viam declinaret impiorum) cùm post vnam & alteram admonitionem vidisset eum non desistere ab hæresi, Quoniam, inquit, te sæpè ad fidem orthodoxã deducẽs, ô Antoni, (ità enim vocabatur) inuéni te reuocatu difficilem, hoc tibi dico postremum: Si non ampliùs peccare perrexeris, sequens eos, qui sunt diuersæ opinionis: sed eam etiam, quæ à Domino tibi afferenda est, disciplinam grato animo sustinuẽris, non minima merces tibi reponetur. Hæc dixit iustus: & statìm altera pars corporis Antonio flaccescens, fuit quasi morte affecta. Quadraginta itaq; totos dies cùm magno animo eam tulisset disciplinam, & nec minimum quidem verbum cõtemptûs ex ore emisisset, & nec hæreticis deincèps esset assensus, è vita excessit, maligni effugiens artes & machinationes, & parua castigatione aduersùs eum referens victoriam, & victor fuit renunciatus, & corona redimitus. Sic ille Dei extendit benignitatem & clementiam: tam certò spopondit veniam ijs, quibus erat quidam paruus fomes pœnitentiæ: eo autem, quòd venientem corporis mortem præsignificabat, apertè efficiebat, nè homines morte animæ morerentur.

Item alteri.

Nota vt quẽdam ab hæresi Iconomachorũ reuocet.

Cap. 42. Consuli impetrat, nè facilè irascatur.

Sed ad alia me vocat oratio, & ad ea accedo. Constantinus quidam creatus Consul, solebat quidem venire ad hunc virum admirabilem. Is autem illi rursùs hoc vicissìm reddebat, quòd eius orationibus conseruabatur ab ira alienus, neque propter aliquid, quod accidebat, facilè mouebatur aut excandescebat. Is erat aliquandò ascensurus ad magnum Iohannicium. Cùm autem accidisset, vt ministro acriter irasceretur, eum ira abripit, & manu repentè famulũ percutit. Deindè cùm ad se redijsset Constantinus, valdè cruciabatur animo, quòd ab ira fuisset superatus, & ad magnũ hunc

hunc patrem accedens, rem ei renunciat. Ille verò seriam & conuenientem ei infert increpationem. Consul verò tanquàm filius, qui à patre mandatum acceperat, ab illo tempore si quandò sensisset se longiùs efferri, quàm conueniebat, apud se dicebat: Cessa ab ira, & vince animum. Statimq; verbum res ipsa sequebatur. Nam & sensim ab ira desijt, & rursùs ad se redijt. Atq; quod à sancto quidem factum est in Constantinum, fuit huiusmodi. Quod autem in filium eius, iam dicam. Ascendit is quoq; aliquandò ad hūc Dei seruum, cùm pater id ei iussisset. Lingua autem ei lababat, & balbutiebat. Cùm ergò eum sancto sermones contulisset, intelligens ille, quòd in dicendo titubaret, iussit ei linguam porrigere. Hoc autem factum fuit, sicut iussit. Ille verò implorato auxilio eius, qui potest facere, vt apertè & distinctè loquatur, simul quidē effecit, vt adolescenti esset linguæ instrumentū promptum & expeditū: & effecit eius animā ad Dei exequenda præcepta viuidiorē, & ei immisit bonorum æmulationem. Adolescēti balbo obtinet distinctè loquēdi facultatē.

Sed eum quidem, quòd talibus esset dignus, talibus est remuneratus: in aliorū autem cùm venisset conspectum, ab eis tamen non cernebatur. Aedificabatur enim in monte Baptistæ & præcursori quoddam templum, cuius vitam hic æmulabatur. Forma autem ædificij à magno Iohannicio fuerat descripta ijs, qui ædificabant. Cùm ergò sancto visum esset aliquandò venire ad contemplandum ædificium, vt videret an opus procederet, vt constituerat: cùm ad eum locum venisset, accedunt etiā ad eum quidam alij, vt virum admirabilem simul & viderent, & aliquo eius sermone fruerentur. Cùm ergò illuc venisset Iohannicius, qui iuuenili erat exercitatione, & illi etiam venissent, ille quidem stabat iuxta ipsos, considerans quomodò procederet ædificiū: Illi verò videntes eum, tamen non videbant. Deindè ille quidem cùm vidisset ædificium, rursùs conuersus est ad speluncam. Illi autem in loco assidebant, expectantes quandò esset venturus. Quidam ergò ex ijs, qui erant cum ipso, monachis (is autē erat Iohannes) cùm rem cognouisset, existimat hoc eis visum esse molestum, & sancto dicit: Non oportet eos, qui propter te tantum iter confecerunt, reuerti tua non conspecta virtute. Scis rem esse molestam, & quæ cor ipsum tangit medium. Sanctus verò laudauit quidem illorum institutum, & pro eis est precatus: conuersus autem ad monachum: Quomodò à nobis, inquit, fieri possit, quod Deo non videtur? Nam ego quidem stabam sine vllo tegumento in medio oculorum illorum: Illi autem, si Deo id ità visum esset, me omninò vidissent, etiamsì me abscondissem. Postquàm hæc à sancto audiuit monachus, eis significat. Illi verò reuertuntur, nihil ægrè ferentes. Et hoc quidem est eiusmodi. Sed illud quidem quomodò non est narrandum? Cap. 43. Stat in medio hominū inuisibilis.

Theodorus quidam, qui modò vitam susceperat monasticam, cupiebat de rebus sancti discere ab ijs, qui ad ipsum ventitabant, & quænam esset eius vitæ ratio, & cuiusnammodi adspiceretur: & quidnam faceret aut diceret: vt si nihil aliud, at de Iohannicij quidem certè rebus posset narrare, & hinc memoriam suis relinqueret posteris, cùm ij, qui hæc ab illo audiuerant, suis rursùs narrarent posteris, quòd hæc & hæc ab hoc aut illo audiuissent. Cùm autem narraret aliquibus, quæcunque audiuerat, illi autem dicerent hæc non esse admittenda citra examinationem: Sed horum, dicebant, effectorem, si velis, videbimus. Ille autem statìm fit eis dux itineris, & rursùs ascendunt ad sanctum, & eum alloquuntur. Cùm verò sermo ab eis produceretur, vrsa, quæ alicundè è sylua eis apparuit, conturbat eorum animos. Ille autem iubet eis ipsi panem porrigere, & hortatur, vt ab illo magno timore recreentur, recordantes eius, qui dedit potestatem cōculcandi leonem & draconem, qui quidem sunt vrso longè terribiliores: & illorum quidem animos liberat à metu, vrsam autem iubet reuerti ad sua latibula. Hoc quidem sic factum fuerat, & finito sermone, illi recesserunt, nihil aliud habentes in ore, nisì magnum Iohannicium. Hinc factum est, vt essent acres ad virtutem, & ad similem zelum incitarentur, & dicerent monacho Theodoro: Non ex tuis verbis credimus, sed ex ijs, quæ ipsi audiuimus & vidimus, vt dicit Euangelista. Hæc'ne sufficiunt, an ex rebus sancti vultis alias adijciamus? Sed quomodò, si hæc silentio dederimus, non pulcherrimarum rerum detrimento pios affecerimus? Cap. 44. Psal. 90. Vrsa obedit viro Dei. Iohan. 4.

Cùm vellet aliquandò pauperibus oleum suppeditare ad cibum: (multi enim pauperes sæpè illuc accedebant, quibus etiam præbebat quidquid habebat) Cùm ergò vellet aliquandò eis dare oleum, (hoc enim tunc habebat) iubet monacho, qui ei inseruiebat, afferre duo vasa, vnum plenum, & alterum inane. Ille autem alioquì quidem Cap. 45. Benignitas eius in pauperes.

 dem

dem existimabat superuacaneum afferre vas inane. Quid enim, apud se dicebat, opùs est inani, vbi est plenum? tamen cùm non posset transgredi patris mandatum, hæc duo ad ipsum attulit, nempe plenum & inane. Cùm autem fortè fortuna contigisset, vt vas plenum esset perforatum, oleum verò effunderetur, erat perplexo animo monachus. Cùm autem id ei venisset in mentem, transmutat oleum ex pleno in inane: & sic indigentibus datum est ad misericordiam. Tunc cognouit monachus prophetice dictum fuisse à patre, vt simul cum vase pleno afferret alterum inane. Hinc erat ei vultus confusus, quòd sciret se aliquantulùm dubitâsse de mandato patris. Ne illud quidem æquum est prætermittere.

Spiritu prophetico scit euentura.

Cap. 46. Magnus hic Pater cùm toto vitæ tempore se præclarè & admirabiliter exercuisset, non solùm post vitam, sed etiam cùm esset in corpore, fecit multa admirabilia, & quæ erant præter opinionem. Non enim dæmones solùm eum formidabant, eius non ferentes præsentiam: sed morbi quoquè, qui mortem minabantur, eius precibus & signo Crucis soluebantur. Eius quidem certè familiaris & amicus Eustratius graui morbo affligebatur, sanguinem vomens ex intestinis. Ille verò, cùm id ei priùs significâsset Eustratius, veniens sistitit quidem sanguinem, ipsum autem iussit esse bono animo. Eustratius ergò cùm viri aduentu à morbo conualuisset, transit ad Leucadum habitaculum, quod solent vocare Metochium, se volens defessum afflictumque recreare, & aliquod adipisci solatium. Res autem ei contrà cessit, & incidit in calamitatem longè priori grauiorem. Vehemens enim eum adorta febris, acriter laniabat, & vocem ei adimebat: donèc recordatus præclari inter eos, qui se exercebant, Iohannicij, ei tanquàm præsenti supplex prócidit, & rogauit, vt à morbo præsenti liberaretur. Interìm autem ad dormiendũ conuersus, cùm visus esset videre magnum Iohannicium adstantem, colloquentem, confirmantem, morbum superauit: & salutem illi acceptam tulit, quem habuit eum lætificantem à iuuentute, & tunc liberauit à calamitate.

Precibus & signo Crucis pellit morbos exitiales.

Absens curat febricitantem.

Cap. 47. Me iam pridèm volentẽ oratione prætercurrere, non sinunt quæ sequuntur. Nam sceptra quidem Romanorum tenebat Theophilus. Ille autem congerendo auro totus inhiabat, & ab eo superabatur, & alioqui non ferens esse Christianus, & se impiè gerens in diuinas imagines: & quomodò potestate, ità etiam Iconomachorum dogmate alios superans, talem laqueum abscondit omnibus Christianis. Scribis & exactoribus omnem simul vicum occupat, volens facere duo, quæ sunt pessima: nempe & auaro suo gratificari animo tributorum exactionibus, & sibi fieri manifestũ vnumquenque, qui doctrinam sequebatur Orthodoxam, vt & eos vi caperet, & efficeret, vt vel inuiti adiungerentur hæresi Iconomachorum. Cùm ergò hic vir diuinus incidisset in quendam exactorem: Quid hæc sibi volunt, inquit, ô frater? Rex te iam accersit factorum tuorum redditurum rationem, & ne sic quidem intelligis? Iam enim imminet & vrget, vt vides, iustitia, & nisi improbam hanc mentem mutaueris, peribis quidem miserabiliter, miserrimè autem puniéris. Atque ille quidem dicebat eum, qui est in cælis: exactor autem putabat suum Regem eum accersere. Lætus itaq; iam erat & bona spe præditus, vt qui sciret, quòd propter tributa diligẽter exacta, esset apud Imperatorem magna consecuturus. Eius autem spem irrisit futurum, & ea, quę à Sancto dicta fuerant, finis est consecutus: & statìm nouacula iræ Dei inebriata, excindit exactorem, vt immortales illæ post mortem pœnæ de eo sumantur.

Theophilus Imperator auar' & Iconoclasta.

Insidiatur Catholicis.

Subita mors Iconomachi exactoris.

Cap. 48. Reuoluens itaque aliquis ea, quæ à Sancto prædicta fuerunt, & quammaximè perscrutans, ea nunquàm inuenerit excidisse à veritate. Nam cùm aliquandò duo simul venissent in domunculam, in qua ille erat, vt magnum conuenirent Iohannicium, (Petrus & Plato erant eorum nomina) postquàm ille eos satis instruxit ad virtutem, alter rogauit Sanctum, vt ad ipsum veniret singulis annis: & eius adspectum dignus esset qui consequeretur, & illo, qui fluit instàr mellis, frueretur sermone. Ille autem, Decætero, inquit, etiamsì velles, non me videbis ampliùs. Is ergò apud se dubitabat, quidnam obstaret, quo minùs ad sanctum ascenderet: & considerans, nihil inueniebat, quod ad illum aduentu reputaretur præstantius. Non multò pòst autem quidam ad eum ascenderunt. Volens ergò ipse quoquè cum eis ascendere, quoniã ille quidem pedibus, illi autem equis iter ingrediebantur, defessus domum rediijt. Hinc factum est, vt grauiter animo angeretur, quòd ei accidisset, vt frustraretur proposito. Cùm itaque non multò pòst ad se rediisset, rursùs conatus est ad eum ascendere, & rursùs fuit prohibitus ab ascensu. Deindè cùm sæpè, aliàs alia incidente difficultate, se re-

Prędicit cuidam monacho sibi futura.

se repulsum esse cognouisset, & recordatus esset eorum, quæ à sancto ei dicta fuerant, mansit apud se, rem adscribens Iohānicio, diuina quadam prouidentia, ad vtilitatem omnia dispensante.

Aliquandò rursùs qui omni ex parte bonus erat Iohannicius, cùm esset in ocio, & se totum dedisset orationi, dixit se videre quendam Petrum, qui tollebatur in cælos, & circundatum gloria quadam & luce ineffabili. Illi autem Petro fuerat commissa præfectura cuiusdam monasterij. Illo verò tempore, quo vir admirabilis dignatus fuit hac contemplatione, contigit vt is à corpore disiunctus, spiritu ad cælos ascenderet, & ex hac vita migraret. Nihilominùs autem admiranda quoquè est eius loquendi libertas apud Imperatores. Neque enim solùm lætabatur probris pro Christo affectus, aut patiens persecutionem: sed cupiebat etiam pati maiora, rectè sciens, quòd per ea, maiora consequeretur. Hinc discipulorum Christi loquendi libertatem, & pro Magistro acceptas plagas ducebat esse beatas, perfectum gaudium illud nominans, cuius ij fuerunt participes. Cap. 49. Videt vir sanctus animā cuiusdā ferri in cælos. Insignis eius patientia. Act. 5.

Duos itaque viros illustres, & quos sciebat esse prædit os maiore dicendi facultate, quàm alios, cùm ad ipsum misisset Imperator, rogauit an oporteret Christi honorare figuram. Cùm is autem ad hoc diuinè, & non cum mundana respondisset persuasione & sapientia, tantum abfuit, vt qui missi fuerant ab Imperatore, aliquid adducerent contra ea, quæ ab ipso dicta fuerant, vt relictis ijs, quæ priùs tenebant, rectè & vt eis exposuerat, pietatem & veram didicerint religionem. Cùm ad sanctum autē rursùm venisset Eustratius, præfectus monasterij Agaurorum, quoniam res Dei & ecclesiarum erant tunc mundanis perturbatæ fluctibus: Quousquè, dixit, res Ecclesiarum non reddentur Ecclesijs? Quousq; augebuntur res persecutorum, & immanes eas lacerabunt bestiæ? Ille verò, Parùm, inquit, sustine ô frater, & intelliges Dei potentiam. erit enim quidam Methodius, qui tenebit eius clauum, & eam diuino spiritu gubernabit: qui tollet quidem diuisionem & dissectionem diuinitatis: decretis autē fidem constituet Orthodoxam, & ad summam pacem & concordiam rediget seditionem: & eos, qui restiterunt, dextra altissimi subiunget. Cap. 50. Duos illustres viros liberat ab hæresi.

Breue tempus intercessit, & Theophilus quidem ex hac vita excedit: Michaël verò & Theodora imperium suscipiunt: Methodius autem vir reuerà sacrosanctus, & homo Dei, in sacris collocatur sedibus, & vt semèl dicam, cùm omnia ab eo fuissent traducta ad fidem orthodoxam, & sopitus esset omnis fluctus & sedata tempestas, & res essent quietæ, quædam alia seditio excitatur à pijs, & res Ecclesiæ rursùs erant diuisæ, & redactæ erant in duas opiniones. Nam alij quidem volebant habere in ministerio eos, qui dignitatem sacerdotij acceperant ab Iconomachis, vtpotè quòd hoc nihil pietati officeret: Illi autem profanis sancta tradere manibus, putabant omninò esse impium, & minimè Deo gratum, nec admittendum. Et qui Deo quidem verè viuebat Methodius, ægrè ferebat, angebatur, corde lacerabatur, putabat magnum Paulum resonare in auribus propemodùm hæc loquentem: Vtinàm sim à Christo anathema pro fratribus meis secundùm carnem, si modò steteritis nobiscum, & communiter Trinitatem glorificauerimus. Et ille quidem sic se habebat. Illi autem parati erant om nia pati potiùs, quàm dimittere ea, quæ visa fuerant, adeò vt hinc in partes rursùs scinderetur cœtus Ecclesiæ: & alij quidem se cum his, alij verò cum illis se coniungerent. Dei itaque amicus Iohannicius, incidens in res adeò turbatas, partìm quidem per se, partìm verò per literas, velutì fistula reuocabat diuulsam partem gregis, & ei qui est solus Deus, qui est solus bonus pastor, & non mercenarius, conciliabat. Maximè autem Archiepiscopi Methodij iam labantem recreabat animum, multa quidem etiam alia scribens: ante omnia autem ijs, qui homousion absurdè & alieno modo scindunt, nouasque & absurdas opinantur diuisiones, eis ne aurem quidem omninò adhibere suadebat: non sal, non tectum cum his habere commune: non eos alloqui: sed quam maximè declinare eorum congressionem. Admonebat enim ne posse quidem eum sanctè reputari sacrificium, qui eum, qui sacrificatur, contemnit & vilipendit. Scribebat autem Methodio, vt illos potiùs haberet circa diuinum sacrificium, quos nôsset cum eo sentire in dogmate Orthodoxiæ. In fine verò epistolæ, valere eum circa sanam rationē optauit magnus Iohannicius. Cap. 51. Michaël succedit Theophilo Imperatori cum matre Theodora. Rom. 9. Multos Deo verbo & scriptis conciliat iconomachos. Vitandi penitùs hæretici.

Cùm hæ venissent literæ, diuinus quidem Methodius memoriæ mandauit ea, quæ scripta fuerant: improbi autem homines eam rem irridebant, & habebāt ludibrio, & Cap. 52.

malè

S. Iohãnicius cõuertit hæreticos. malè ab ipsis bonus audiebat Iohannicius. Ille verò cùm cognouisset, quòd ipsi eum calumniarentur, ità stans, vt omnes eum possent exaudire, de Deo & rebus diuinis disserens, ità eos vi cepit, & in suam redegit potestatem, vt non solùm abstinuerint à sua in eum insania: sed etiam eorum mentes ad id, quod est melius, conuerterit: & ijs dimissis, quæ priùs eis visa fuerant, orthodoxæ fidei dogma didicerint, vt ipse exponebat. Sic frequentissimus ille populus victus fuit ab vnius huius virtute, & totæ ciuitates dependebant ab vna illius sententia, ijs, quæ longo tempore meditata fuerant, breuì depositis. Ei quidem sic curæ fuit communis vtilitas, & sic fratres est complexus.

Cap. 53. Cùm autem oratoriarum ædium, quas ædificauerat, fieret dedicatio, multa ab illo eo tempore facta sunt miracula, etiamsi non adesset. Phalanx enim dæmonum repentè apparens super tumulum veluti corporata, eos qui illic aderant redegit ad dubitationem. Cùm ergò spiritu, qui in eo habitabat, rem cognouisset magnus Iohannicius, & vtilissimo vsus esset medicamento precationis, eorum quidem metum abstulit: dæmonum autem multitudinem vertit in fugam, & fecit eos liquescere tanquàm ceram à facie ignis. Quicunque verò aliquibus grauibus afflicti morbis, ad veneranda illa templa confugerunt, eos ijs, quæ ipsos vexabant, liberatos, fecit domum abire sanos. Quid ergò non est hîc viri illius admirandum? An quòd eum etiam non præsentem fugerent dæmones? An quòd eos, qui à malo aliquo premebantur, liberauit à dolore? Nam vel solam eius precationem aduersas timuisse phalanges, est indicium fiduciæ ad Deum: à malis autem liberare eos, qui illuc accedebant, est & feruoris, & commiserationis. Sed hoc quidem est eiusmodi: illud autem quisnam silentio præteriërit?

Precibus profligat dæmones.

Cap. 54. Ad eum aliquandò ascenderunt ij, quibus fuerat cõmissa præfectura templorum, quæ ipse extruxerat. Cùm autem sanctum conuenissent, & eum fixis oculis adspexisset quidam ex eis, ei venit in mentem cogitare: Si hic diuinus pater Iohannicius summæ subijt labores exercitationis, & se multorum dierum afflixit ieiunijs: cur non carnis vicit multitudinem, sed est adhuc similis ijs, qui sunt bonæ habitudinis corporis; & seipsos in tibijs pinguefaciunt? Cùm autem is hæc mente versaret, dixit hic vir admirabilis: O Macar, (erat enim ei hoc nomẽ) cur cogitationes ascẽdunt in cor tuum? Non sunt mihi tibiæ plenæ carnibus, sed vides quemadmodùm tumescant, cùm sint inanes & flatuosæ, quod quidem solet facere malus cibus stomacho susceptus. Illum autem statìm subijt pœnitentia, & multùm repræhendit vanam suæ mentis cogitationem, & petijt veniam eius, quod ei in mentem venerat.

Diuinitùs cognoscit cuiusdã cogitationes.

Cap. 56. Sub id autem tempus Ismaëlitæ prælio confligunt cum Romanis, & multi quidem Romani interficiuntur: multi verò bello capti, abducuntur captiui. Horum vnus, qui erat adolescens, erat magni Iohãnicij cognatus. Itaq; qui genere ad eum attinebant, sancti inuocabant auxilium, vt adolescentem liberaret à captiuitate. Is autem etiam priusquàm vocaretur, citò venit, & cùm circa mediam noctem fuisset in carcere, & apparuisset vni ex ijs, qui cum illo detinebantur: Surge, inquit, & alterum excita, & is eum, qui est post illum. Hoc autem facto, vt iusserat, eis quidem protinùs sunt soluta vincula cum catenis, vt nec omninò quidem viderentur fuisse vincti: portæ verò sua sponte sunt apertæ, & sunt egressi ij, ad quos priùs ne licuit quidem ingredi. Cùm autem iam in suam redijssent regionem, in via incidunt in quosdam canes, feroces quidem & immites ijs, qui præteribant, vel ipso autem adspectu terribiles. Et illi quidem nesciebant, quid agerent: magnus autem tunc quoquè accedens Iohannicius, densa caligine offusa canum oculis, illæsos & nullo malo affectos eos transmittit, & suis eos restituit. Illi verò toto tempore vitæ suæ in ore habebant gratiarum actionem, nec vllum tempus eis obliuionem induxit beneficij.

Ismaëlitæ superãt Romanos.

Miro modo liberat captiuos.

Cap. 57. Cùm autem oporteret etiam aduersùs extrinsecùs illatas à maligno tentationes, illius egregij viri in multis ostendi fortitudinem, ità dispensante prouidentia, & tradente iustos in manus eorum, qui ipsos affligunt, non vt eos tentet, sed vt reddat illustriores, Epiphanium quendam monachum malignus subiens, qui & virtute videbatur insignis, & in illo mõte se exercebat, mouet aduersùs sanctũ. Cur hoc machinans? Ambos volẽs auellere à laboribus virtutis, vt illi ne daretur quidem ocium, propterea quòd ei pararentur insidiæ. Sed Epiphanij quidem animæ immittit inuidiã, Iohannicio aũt ne potuit quidem omninò interrumpere intensam exercitationem. Et ille quidem comatum & frondosum illum montem exussit, vt simul cum sylua flamma

Æmulatur virum Dei Epiphanius pseudomonachus.

sanctum

ſanctum quoq; depaſceret: Ille autem cùm ſpiritûs, quæ in eo erat, gratia id præſciuiſſet, tranſijt ad alium, & malus fuit depræhenſus Epiphanius, & ſeipſo deterior. Quid ergò admirabilis ad hoc Iohannicius? Non fuit excitatus ad vindictam, non ei maledixit, qui parabat inſidias: ſed vt mitis eius, qui eſt mitis, diſcipulus, & amicè eum adijt, & humiliter eſt allocutus, & rogauit vt diceret cauſam, cur ei vellet eſſe inimicus. Ille autem plauſtris probrorum, vt dicitur, & contumeliarum eum eſt inſectatus, & tandèm egregius ille Epiphanius virga, quam habebat in manu, quæ in extremo ferrum habebat acutum, in medio ventre percutit ſanctum, etiamsì illæſus permanſerit vir miſericors, & ad reconciliationem hortatus ſit Epiphanium. Sed ille, pernicioſo illo animo nihil mutato, permanſit in eadem maleuolētia. Hoc autem ſancto prædictum fuerat ab illis monachis, qui ei ab initio dederant illam tunicā pilis contextam. Tentatio enim, dixerunt illi, ad te veniet in fine, ſed ipſa quoquè erit irrita. Egregia ei' patiētia erga æmulū.

Cùm autem ſanctus iam ad profundam proceſſiſſet ſenectutem, & illis admirabilibus laboribus exercitationis euaſiſſet infirmus, in monaſterio Antidij extructa cellula, illic ſe includit. Si quādò autem eum vocaret tempus, vt illinc egrederetur, tranſibat per viam publicam, ne ab illis quidem viſus magnā ex parte, à quibus ne volebat quidem omninò adſpici. Quinto verò anno imperij Michaëlis, qui, Eccleſiam regebat Methodius, cùm magni Iohannicij ad Dominū exceſſum præſciuiſſet iam appropinquare, ad eum venit, & vltimas preces ab eo petijt. Ille autem cùm maximi feciſſet conuenire Methodium, & in longum tempus cum eo produxiſſet ſermonem: & deindè ſacro cœtui & recèns electo gregi ea, quæ ad pietatem opùs erant, ſuaſiſſet, dicens, vt immobiliter & ſtabiliter permanerent in fide orthodoxa, neque euerterentur à profanis vocibus hæreticorum, & inter ſe conſeruarent concordiam, neque blaſphemam & maledicam linguam mouerent in pontificem: ſubiunxit, quòd nec multum tempus poſt ſuum deceſſum viueret Methodius. qua quidem in re non fuit falſus. Tertio enim die, poſtquàm hæc dixiſſet, (Erat verò * tertius Nouembris) D. Iohannicius ſpiritu quidem migrat ad eum, quem diligit, deductus à choris Angelorum: corpus autem deponitur in loculo. Methodius autem, qui clariſſimè refulſit inter Patriarchas, ipſe quoquè octauo menſe poſt illius deceſſum, exceſſit ex hac vita quartodecimo Iunij. Cap. 68. Inuiſit ſanctū Iohānicium Methodi' Epiſcopus. for. * quart' Obitus S. Iohannicij.

Quænam autem ſunt ea, quæ facta ſunt in morte & poſt mortem admirabilis huius Iohannicij? Diſſolutorum membrorum confirmationes, homines liberati à malignis ſpiritibus, ſi ſolùm ad capſam illius acceſſiſſent. Quidni enim erat Iohannicius ijs rebus vel poſt mortem glorificandus, cuius deceſſum columna ignis ſignificauit ijs, qui erant in monte Olympo? quem præceſſerunt Angeli, paradiſi portas ei aperientes, & tranſmittentes ad eam, quæ eſt illic, beatitudinem, purè appariturum ante faciem Domini, & ſimul verſaturum cum Angelicis Ordinibus? à quibus beata Trinitas laudatur & glorificatur nunc, & in nunquàm deſitura ſecula ſeculorum, Amen. Cap. 59. Pręclara miracula poſt obitū eius.

VITA SANCTI AMANTII EPISCOPI RVTENENSIS, CVIVS AVTHOREM NECDVM REPERI. *Videtur mihi eſſe Fortunatus, idq́; planè ſentio. Stylus enim à Fortunati dictione non abhorret. Extat in MS. codicibus.*



BEATISSIMVS Amantius Rutenæ vrbis quondàm fuit ciuis ortu, vita paſtor, nunc felici patronus eſt exceſſu. Qui in primæuo ætatis flore, abruptis ſeculi laqueis, militiam Chriſti perſeuerantiæ definitione ſuſcepit, & vitia, quibus pulſatur humana fragilitas, patientiæ virtute calcauit. Qui beato feruens propoſito, & felicium meritorum ſplendore conſpicuus, ſacerdotij culmen & ſublimis cathedræ ſedem emeruit, geſſitque mentem faſtigio honoris ſui parem. Nunc breui ſtylo pauca virtutum eius perſtringamus inſignia, præſtante Domino, oratione beati antiſtitis, dicendi vires, qui diuitias bonitatis ſuæ ſine vllo defectu ſcit effundere, & neſcit, cùm effuderit, vacuari. 4. Nouēbris Amātius fit Epiſcopus.

Igitur

Igitur cùm in prædictæ vrbis foro consedisset Præses, altiori sede ceteris sublimior, & quendam nefarij facinoris reum vltimo crucis supplicio, & extrema pœna patibuli damnâsset, properat beatus antistes ad forum, petit à Præside vitam iam metu præmortui: non impetrat: iterat preces, orationem apud surdum Presidem perdit. Itaq; antistes ad cellam repedat, terræ prosternitur, fundit preces, suspiria geminat, tundit crebro verbere sanctum pectus: petit à Domino, quod à Præside obtinere nequiuerat. Digna ilicò Præses immitis pœna percellitur. Nam cathedræ, cui altiùs insederat, miris repetè modis affigitur, deserit ossa vitalis calor, & soluta neruis rigētibus membra, officium quo animæ famulabantur, amittunt. Ad cellulam beatissimi viri cōcurritur: ab oratione consurgit, ad forum progreditur. Sensit aduentum viri Dei Præses, magna iam suî parte præmortuus. Amissi itaq; redduntur sensus, & famulantia vsibus suis. ad vigorem pristinum redeunt membra. Redditur ergò Presidi salus, vita damnato: & quicquid vel admittendo ille, vel hic non dimittendo contraxerat, pia Domini miseratione diluitur. Deniquè condonata est reo vita cum crimine, Preses meruit veniam cum salute.

Præses nolens audire eū rogantē pro damnato, diuinit' punitur.

Non longo pòst tempore sequitur longè clarior virtus, & tanto par merito. Erat nanq; haud longè ab vrbe altiori base eminens simulacrum, quo in loco mira gentilium multitudo confluxerat. Itaq; dum dæmonibus pecudum, vel suis potiùs mortibus litant, dumq; cuncti referti epulis, vino pleni, cantu perstrepunt, beatissimus sacerdos aduenit: vidensq; exultare infelicem plebem omni luctu grauiori lætitia, trahens imo pectore longa suspiria, à sacrilegij impio scelere pio hortamine reuocare pertētat. Sed inuisa semper ignauiæ remedia sunt, quæ perire arbitrio suo, quàm alieno seruari consilio, mâuult. In modum vtilium, incommodum voluptatis examinat, blandaq; noxia pro rectis ac necessarijs habet. Totis ergò furoris stimulis in iniuriam sancti viri seditiosum vulgus exarsit, cùm pia ille aduersùs sæuientes arma corripiens, cellulam repetit, terræ prosternitur, fundit vberes pro hostibus fletus, ingeminat pro inimicis alta suspiria, petit vt sine nece sua, vel certè propria, sæuientium furor * desisteret. Nam ille quô coronaretur, optabat: pro his, nè punirentur impij, pia apud misericordem Regem vota fundebat. Post longa itaq; suspiria sanctum eleuans caput, si nubes aliqua ab Oriente consurgeret, qui propè assistebat, inspicere puerum rogat. Nullam ille videri respondit. Rursùs beatus pontifex terræ prostratus, ingemuit: erectumq; item à terra caput, eadem quæ priùs famulum sciscitabatur. Videri, vt priùs, famulus negat. Cumq; tertiò sancta terræ membra prosterneret, ait, cui id operis iniunctum fuerat, nubem ab Oriente pertenuem exiguamque videri: scilicet credidit, quod futurum præuiderat. Ab humo homo Dei consurgit, & cælum, vndè nunquàm mente defuerat, intuetur. Tegitur repentè nubibus dies, mox diabolo exitium ferens terribili sonitu fulmen increpuit, pariterq; infelix simulacrum ferit, diuidit, dispergitque: fertur per aëra lapideum sacrilegorum numen. Quod ità diuersam in partem vltricis procellæ turbo deiecit, vt partem nunc eius Lauerna teneat riuus, partem Auarionis habeat ripa fluminis, in testimonium virtutis perpetuò seruatura: partem ab vrbe procùl patens retineat campus, opus tanti miraculi visibus ingerens, admirationem præbens, memoriam repræsentans.

Sentētia memorabilis.

* decederet

Fulmine dissipatur dæmonis simulacrum.

Aliquantulùm post hæc temporis fluxerat, cùm ecce præcepit duobus Ecclesiȩ famulis, vt in flumine, quod iuxta vrbem præterfluit, paucos pro aduenientibus pisces caperent. Haud mora, præceptis obediunt, pisces capiunt, lina legunt, ad vrbem remeant: quos milites, qui in presidio erant ciuitatis, redeuntes offendunt. Ij hostili ritu septi, potiuntur piscibus: eosq; malè mulctatos flagris, relinquūt exanimes. Ad sacerdotem famuli redeunt, & quæ ijs simul ablata illataq; fuerant, testis luctus edocuit. Beatus tamen pontifex amissis non doluit ex contemptu, afflictis congemuit ex affectu. Illinc constantiam rigor tenuit, hinc pias lachrymas fudit. Felix, cùm vicit contemptu: felicior, cùm victus affectu est. Domum intereà milites repetunt, nituntur prædam edomare flammis. Subiecto etenim igne exundāt latices, nouo repentè miraculo perdit vim flamma dissiliens, & æstuans incassùm furibunda. Miroq; repentè modo durantur magìs flammis pisces, lege mutata naturæ, & intractabiles durique sensus tanti nouitate miraculi molliuntur. Intereà peruasores milites ad sacerdotem concurrunt, direpta referunt, genibus adhærēt, veniā facinoris petunt. Ignoscit mens pietate promptissima, donat eis crimen cum piscibus. Mox quæ direpta focis, intemerata durauerant, reddita flāmis edomantur. Preclaris gloriosisq; signis plùs stupenda succedunt.

Insigni miraculo castigatur militū præsidiariorum improbitas.

Erat

Erat in foro altiori base eminens simulacrũ, quod vir beatissimus zelo diuini amoris accensus deiecit atq; confregit. In vltionẽ igitur numinis sui, sacrilegæ plebis multitudo consurgit, ac lymphatico furore succensa, Christi bellatori minatur exitium. Sed vir beatissimus mortem non timuit vitæ amore. Neq; enim fas erat, fortissimum bellatorem præsentem timere mortem, quia iam æterna præsentium rerũ contemptu meruerat. Itaq; plebs misso in Rutenem nuncio, cuidam refert, qui erat eo tempore natalium splendore, honore, titulis, opibus, authoritate cæteris longè præstantior. Contrahit hic seruorum auxilia, sede inuectus curruli, vrbem protinùs petit. Et iam emensus iter diei fremens, dira & extrema minitans, vrbi aderat. In medio tamen portæ pridiè beatus pontifex orationem terræ prostratus fuderat. Quo in loco miro stupore hæsêre bijuges, & vt insensibilia riguêre signa. Nil agunt stimuli, nil verbera sæua proficiunt. Tum vir ille insignis, miraculi nouitate perculsus, ad beatissimum virum vnum ex necessarijs mittens, rogat vt pia dignanter oratione absolueret, quem meritis quasi vinculis nexuisset. Haud mora, sacerdos aduenit, carpento deuoluitur persecutor, adhæret sancti genibus, rigat pedes lachrymis, peccatum fatetur, petit remedium. Vix verba compresserat, & animalia, quæ vt duræ cautes riguerant, cælitùs recepta mobilitate, præceptis obediunt.

Confringit simulacrũ S. Amantius. *Nota miraculum.*

Criminosus quidam hortulum sancti viri exiguum quidem spatijs, lætis tamẽ conspicit nitescere oleribus. Ampliabat siquidem loci angustias amœna iucunditas. Statim ergò atroci mente furti facinus concipit. Itaq; redditur terris occasus diei noctis silentio. Vix corda mortalium alta quies dulci sopore laxauerat, cùm ille cõmodum furandi tempus amplectẽs, prosilit audacia plenus & scelere, leuiq; impulsu quæ obstabant cedentibus, adit hortulum, olera diripit, abire festinat, sed diuinitùs retinetur. Nullus etenim remeanti patet exitus, & ità reus tenui sepe quasi murò vallatus tenetur. Exigua nanque obstacula, velut omni constructa munimine, crescere fugienti videntur in molem. Noctis ergò totius spatiũ iter hortuli fuit. Intereà roseæ lucis splendor mundi faciem irradiat, qua rebus reddita, terris lux redit. Igitur beatus senex in cellam, vbì preces insomnis in æstibus noctis dulci meditatione & sancto labore trãsegerat, vnum è fratribus vocat, mittensq; in hortulum, mandat vt quem illic errore lassatum suo, & velut quibusdam arctatum vinculis, ità innexum crimine reperisset, attraheret. Haud mora, it, reperit, attrahit. Adest ilicò criminosus, furtum in medio proijcit, pedes cõplectitur sacerdotis. Ità vir pietate plenus indulget crimen, donatque furtum, monens sæpè, vt vsibus necessaria suis potiùs petat quàm rapiat, & necessaria sibi tribuentis munere, non rapinæ scelere, conferantur. Sic ergò indulgentiam à sancto viro promeruit, & discessit.

Fur non potest ex hortulo sancti viri recedere cũ furto.

Quid memorem in eodem hortulo à simili scelesto quodam mella ab aluearibus nocturno dempta furto, delataq; domum, in picis prorsùs mutata naturam, stupuisse reum admiratione virtutis, cùm criminis deesset causa, sed conscientia criminis torqueret authorem, cùm furto damnum superesset, in qua mœstus atroci maneret in scelere? Tandèm verò criminosum, alto mentis stupore discusso, ad antistitem properâsse, retulisse furtum, sanctique vestigijs prostratum, veniam facinoris postulâsse, perfacilè supplicanti indulsisse antistitem, naturamq; mellis non minori redijsse miraculo, quàm mutâsse: ità reum pro supplicio veniam, munus domum retulisse pro crimine?

Vide rẽ admiratione dignam. *In vna re geminum miraculum.*

Dum his virtutum fulget miraculis, beatum gloriosę consummationis tempus aduenit. Sed cùm fracta iam æuo membra deficerent, afflictum emortuumque corpus onus abstinentiæ roborabat, & quod natura negauerat, meritum conferebat. Fuitq; tantus fidei in eo feruor, vt insatiabili ardore quo plus corpori districtionis intulisset, inferre plus cuperet, & ità erant augmenta meritorum eius incitamẽta profectuum. Amor quippè Dei reficere animum potest, satiare desiderium non potest: sed magìs magisq; cùm hauritur, inflammat. Iucunditate enim suî excitat appetitum, sed non facit de satietate fastidium. Igitur beatissimus Amãtius hac meritorum luce fulgens, terrena terris membra commendat, cælestis spiritus celsa conscendit. Illic nunc interest choris Angelorum, hîc fulget claritate meritorum. Illic interpellat pro famulis voce supplici, hîc tuetur famulos virtute sublimi. Illic petit, hîc præstat. Illic vota fundit, hîc votis respondet. Illic nunc circunseptus æterna micat luce, vel meritorum splendore clara, vel illatæ crucis tormentis roseo quasì fulgore purpurea. Nam ipse in semet & persecutor extinguendo vitia extitit, & martyr crucifigendo corpus emicuit.

Admirabilis senis feruor. *Felicissimus obitus.*

Nouũ gen' martyrij. Psal. 115. cuit: adeptusque est nouum, non mortis, sed carnis mortificatione, martyrium. Et cùm sit in conspectu Domini preciosa mors martyris, dum beatissimus Amantius in seipso hostem & persequitur, & prosternit, fuit in conspectu Domini mors preciosa viuentis.

Quædam de hoc beato Antistite Amantio Lector offendet infrà 13. Nouembris in Vita S. Quintiani primò Rutenensis, indè Aruernorum Episcopi: qui sancto Amantio successit.

DE SANCTO LVSORE PVERO, ET CONFESSORE, EX GREGORIO TVRONENSI: DE GLOria Confessorum, *Cap. 92.*

Nouẽbris 4.



N Dolensi Biturigi termini vico beatus Lusor Leucadi, quondàm senatoris filius requiescit, qui fertur in albis migrâsse à seculo: in crypta verò positus super pauimentum, sepulcrum habens ex marmore Pario mirabiliter exculptum. Factum est autem, vt quadam vice sanctus Germanus Parisiacæ vrbis Episcopus, ad hunc tumulum vigilias celebraret, haud procùl formulam habens, in qua genua, cùm necessitas cogeret, deflectebat. Factum est autem in vna vigiliarum nocte, dum Psalmos lectionis Dauidicæ decantarẽt, stationis labore lassi clerici, quasi pro aliquo releuamine se super sepulcrum sancti defixis vlnarũ compagibus sustentarent. Contremuit ilicò beati tumulus confessoris, & sibi iniuriam irrogari præsenti vibratione fatetur.

Vtinã hæc attenderẽt, qui sanctorũ sepulcra & sacras reliquias irreuerenter tractant.

At Germanus pontifex terrore perterritus, amoueri desupèr præcepit somnolentos, dicens: Absistite ô segnes procùl à tumulo, nè sancto Dei molestia inferatur. Quibus amotis, tremorem illum deincèps non senserunt.

Sed nec illud placuit prẹteriri, quòd cuidam pauperi idem Lusor beatus per visum apparuit, præcepitq; cellulam emundari, in qua, vt fertur, infantiæ vagitus exegerat. Sed cùm pauper ille bis commonitus agere iussa differret, apparuit ei tertiò, dicens: Si feceris quæ præcipio, vnum trientem pro obedientiæ famulatu recipies. Ille verò consurgens, cellula scopis mundata, abluta & aqua herbisq; respersa, stabat attonitus, pollicitam promissionem operiens, donèc nutu Dei aduertit trientem in pauimento lucere: quem colligens, lætus abscessit.

DE SS. FELICE presbytero & Eusebio monacho, Lector videat 1. Nouembris S. Cæsarij historiam.

VITA S. EMERICI, B. STEPHANI HVNGARORVM REGIS FILII, EX QVODAM MS. CODICE *per F. Laur. Surium, mutato stylo, descripta.*

Videat Lector Antonij Bonfinij rerum Hungaricarum Decad. 2. Lib. 2. vbi eadem ferè habentur.

Nouẽbris 4. S. Emerici parentes.



EATVS Emericus parentes nobilissimos habuit, Stephanum Hungarorum Regem & Apostolum, & Gyselam siue Gyslam, sororem S. Henrici Imperatoris: qui paribus studijs in præstantissimo quoq; virtutum genere certabant. Emericus in tam ardẽti charitate Christi natus, quid aliud, quàm suauissimum Deo holocaustum, esse poterat? Ab ineunte pueritia, quò sanctitatis euasurus esset, facilè declarauit, quippè qui cùm esset somni parcissimus, alijs dormientibus, à secunda ferè vigilia noctis ad lucem vsque, psalmos Dauidicos lectitabat, lucernis coram ipso ardentibus, vt regium decebat prolem. Ad finem autem cuiusq; psalmi,

Nota sancti pueri preces & vigilias.

psalmi,corde contrito & compunctо,à Deo veniam petebat. Quod cùm sanctus parens eius sæpiùs clàm per rimam parietis esset contemplatus,apud se tacitum habuit, nec vlli suorum voluit indicare,magna interim de filio spe concepta.

Cùm autem aliquãdò sanctus Rex monasterium beati Martini,quod ipse in monte Pannoniæ ingenti sumptu fundârat, & egregia monachorum sodalitate impleuerat,orãdi causa vellet inuisere,Emericum filium suum, eius itineris comitem sibi adhibuit,non ignorans,quãta Dei gratia puer ille polleret. Vbi autem ad monasterium propiùs accessit, monachi honoris causa instituta processione illi obuiàm venêre, vt ea,qua par erat,reuerentia eum exciperent.Sed Rex sciens filij præclara merita, eum iussit antecedere, fratresq; illos salutare, tum vt ea ratione illos honestaret, tum vt filio honor, ipsi paratus, impenderetur. Venit ergò Emericus ad fratres, accipitur ab illis honorificentissimè,osculatur singulos,non tamen eodem omnes modo,sed prô ratione meritorum, quæ reuelante spiritu Dei cognouerat, alijs duo, alijs tria,plerisque quatuor vel quinque,vni Mauro septem oscula dedit.Quod cùm cerneret pater eius, etsi filium nihil ea in re temerè fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non admirari.Itaq; peracto sacrificio, familiariter & accuratè ex eo percontatur,cur non ijsdem omnes patres osculis impertijsset.Respondet ille se pro ratione temporis,quo singuli c ontinenter vixissent, alijs plura, alijs pauciora oscula distribuisse. Eum autem,quem septiès osculatus esset,virginem permansisse ait: atq; ex eo septenario numero virginitatis præstãtiam intelligi debere, quæ virtutes alias antecellat,& ad cordium vsq; intimos recessus, qui soli Deo patescant,penetret, & reconditas hominum mentes intueatur.

Diuina reuelatione monachorum merita dicit.

Bonfini° nõ de vno, sed de pluribus hoc eũ dixisse scribit.

Profectus indè Rex, cùm huius rei certiorem omninò notitiã habere percuperet, & filij sui virtutem magìs exploratam, paucis pòst diebus cum duobus duntaxàt comitibus redit ad illud cœnobium,fratrum vigilias & preces clàm explorat.Absolutis nocturnis precibus,quas Matutinas vocant, cùm alij ad suos se lectos reciperent, soli illi,quibus multa Emericus oscula libauerat,in templo permansêre,&in angulos sese abdentes, Domino preces obtulerunt, & reliquum noctis tempus in Dei laudibus consumpsêre. Eos igitur singulatim accedens sanctus Rex, comiter salutat: eumque illi,rupto silentio,reuerenter resalutant, regiæ maiestati deferentes. Tandèm vbì ad Maurum venit,cui septem oscula fixerat beatus Emericus,nec blandissima salutatione,nec seuera comminatione ab eo respõsum extorquere potuit. In sequenti die ad publicum fratrum conuentum Rex accedit, Mauriq; humilitatem & sanctitatem explorare cupiens, coram omnibus multa ei obijcit, quæ hominem religiosum facere minimè conueniret. Maurus sibi satìs benè cõscius,nihil penitùs ad ea respondet, sed ad Deum,quem sciret mentium certissimum inspectorem,confugit, in eoq; spem suam collocat.Ità ergò intelligens Rex vera esse,quæ filius eius dixerat, omnibus explicat,quo animo illuc aduenerit, Maurumq; laudibus in cęlũ vehit,nec diù pòst Quinqueecclesiensem Episcopum instituendum curat.

Maur° monachus sanctus.

Maurus iste Quinqueecclesiẽsis creatur Episcopus.

Emericus autem ætate procedente,simul etiam virtutum capiebat & meritorum incrementa. Nocte quadam cùm Vesprinij esset, vno ad se famulo accersito, orationis causa vetustissimam beati Georgij martyris ecclesiã petijt, ibiq; ante aram in preces incumbens, apud se disquirere cœpit, quodnam posset Deo gratissimum munus offerre.Eccè autem immenso lumine tota repentè completur ecclesia,voxq; cælitùs auditur eiusmodi: Præclara res est virginitas.Itaq; mentis & corporis virgineam integritatem à te exigo.Hanc offeras Deo,& in ea constanti animi proposito perseueres. Ille verò non suis præfidens viribus, sed ad Dei gratiam confugiens: Domine Deus, inquit,qui inspicis omnia,qui humanam imbecillitatem adiuuas, qui aufers spiritum principum,& terribilis es apud Reges terræ, perfice in me gratissimam volũtatem tuam,& noxias perniciosasq; concupiscentias rore misericordiæ tuæ prorsùs extingue. Confirma fragilitatẽ seruuli tui, & vt in tuo seruitio perpetìm perduret, ab omnibus carnis illecebris & spurca libidine pro tua benignitate eum tuere: præstaque, nè vnquàm è tua gratia èxcidat.Porrò diuina consolatione confirmatus,rem hanc apud se tacitam habuit,& famulo quoq; eius conscio,nè cuiquam eam indicaret,dum adhuc in humanis ipse esset,interdixit. Ità factum est, vt multa eius virtutum insignia, hominum notitiam,ipso celante,effugerint,nec antè,quàm decessisset è vita,alijs patefacta sint.Nimirùm hac ratione sapienter declinauit virtutum pestem,inanem gloriam.

Virginitatẽ cęlesti respõso iubetur seruare S. Emericus.

Psal.75.

Pater autem illius regno consulere volens,virginem & forma corporis,& morum

 inte-

Cũ ſpōſa viuit caſtiſſimé.

integritate ſpectatiſſimam, ſtirpe regia ortam, ei deſpondit. Id etsi ille principio multùm recuſaret, tandèm tamen, paternis precibus victus, aſſenſit quidẽ, ſed ita tamen, vt non ſolùm ipſe virgo permanſerit, ſed etiam ſponſam integram conſeruârit. Iam enim virginitatis amore & propoſito, voluptati omni renunciârat. Præclarum hoc erat in regio adoleſcente, qui poſſet omnibus huius mundi bonis circunſluere, non modò ſe à vitę huius voluptatibus ſeruare immunem, ſed etiã ſponſam tam illuſtrem ad earum contemptum, atque etiam ad virtutum ſtudium & vitæ conſectandam ſanctitatem, adducere. Malebat enim pius adoleſcens virtutum illam, quàm liberorum, fœcunditate pollere. Nec latuit ſanctum eius parentem Stephanum Regem, quemadmodùm corpus ſuum maceraret ieiunijs, nè forſitan laſciuiret, ſponſamq; nõ alio, quàm ſororis loco haberet. Sed & ſponſa ipſa, cùm ille iam in ipſo iuuentutis flore vita functus eſſet, quàm caſtè vixiſſet, teſtata eſt, & famulus ille, quem ſuprà diximus, res eius ſecretas euulgauit.

Abit è vita.

Non enim diù ſuperuixit, ſed quòd cælo vita eius dignior eſſet, quàm terra, Dominus eum citò tulit è medio, & tranſtulit in regnum ſuum. Quidam Archiepiſcopus in publicis ſupplicationibus affirmauit, ſe eius animam vidiſſe in cęlos euntẽ. Pater eius admodùm doluit regno tantam ſpem ereptam: conſolabatur autem ſeipſum, quòd filium non dubitaret in cælis feliciſſimè viuentem, egregium & ſibi & ſuis patronum exhibiturum. Die triceſimo ab obitu eius tot & tantis miraculis Deus illuſtrauit ſanctum ſuum, vt cunctis in vrbe regia, quam Albam regalem vocant, vbì ſacrum corpus eius tumulatum eſt, non mœroris ille, ſed gaudij dies videretur.

Miracula poſt obitũ eius.

Eccè quomodò ꝑ criminis immanitate agenda ſit pœnitentia.

Porrò autem Ladiſlao religioſo Rege poſteà regnante, Conradus quidam natione Germanus, homo flagitioſiſſimus, tandèm magno Dei munere compunctus, cùm ſe ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adijt, Põtifici peccata ſua cum ingenti cordis contritione cõfeſſus eſt, animæ ſalutarem ab eo petijt medicinam. Pontifex ad immanitatem criminum eius obſtupeſcens, hac eum mulctauit pœna, vt loricam ferream ad nudum corpus quinis catenis ferreis adſtringeret, & chartam, in qua eius peccata enormia ſcripta erant, Põtificis annulo obſignatam, ad loca, in quibus ſancti quieſcerent, ſecum circunferret, donèc diuinitùs catenæ diſſoluerentur, & ſcriptura chartę penitùs obliteraretur. Fecit homo, vt erat iuſſus, (nihil enim arduum videtur ex animo ſua peccata lugenti, & cum Deo in gratiam redire cupienti) inuiſit loca ſacra, etiam Hieroſolymam & Saluatoris ſepulcrum non prætermiſit. Tandèm venit in Pannoniam, vbì beati Regis Stephani tum celebre nomen erat: orat ad ſepulcrum eius, nec indè recedere conſtituit, donèc ruptis vinculis & charta abolita, ſe ſentiat Domini miſericordiam impetrâſſe. Poſtquàm autem multùm delaſſato inter orandum ſomnus obrepſit, (à prima enim hora vſq; ad nonam in preces incubuerat) ſanctus Rex ei appárens, Surge, inquit, amice, & Emerici filij mei monumẽtum, quod iuxtà eſt, adito. Ille, quòd carnis ſeruãda integritate præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. Ex eorum enim numero eſt, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, ſequunturque Agnum, quocunq; ièrit, & ante thronum Dei cantant canticum nouum. Euigilat homo, ilicò ad beati Emerici ſe ſacellum confert, fundit ibì preces, atque opinione celeriùs diſſiliunt ferrei nexus: charta reſignata, nullum habet literæ ſcriptæ veſtigium. Ad ſonitum cadentium catenarum accurrunt æditui & complures alij, quibus ille omnia ordine exponit. Mirantur omnes, laudant Deum & beatum Emericum, referunt cuncta ad Ladiſlaum Regem. Is conuocato cõcilio, de beato Emerico ſanctorum catalogo adſcribendo, cum Epiſcopis & regni proceribus confert. Iam enim etiam ex remotiſſimis regionibus eò aduentabant homines, pro grauiſſimis rebus vota nuncupantes. Indictum eſt autem triduanum ieiunium, & Nonis Nouembris honorificè eleuatum eſt beati Emerici corpus, multaque diuinitùs miracula eodem eleuationis die atque deincèps edita ſunt: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpirituſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Apoc. 14.

Inſigne miracu[l]ũ ad B. Emerici tumulum.

Eleuatur ſacrũ corpus eius.

VITA

VITA ET MARTYRIVM SANCTORVM GALACTIONIS ET EPISTEMES, AVTHORE SIMEONE Metaphraste. *Habetur in tomis Aloysij.*

Nouẽbris 5. Cap. 1.

Patria & parentes S. Galactionis.

Mater eius sterilis.



PHOENICIAE, quæ est ad montem Libanum, multæ quidem sunt aliæ quoq; ciuitates, tam ad austrum, quàm ad septẽtrionem: eius autem est ea quoquè, quæ est aliarum omnium præstantissima, & ad partes sita boreales, Emesa: quę quidẽ tulit & aluit virum nomine Clitophontem, genere insignem, diuitijs nulli ciuium inferiorem: intelligentia alijs longè acutiorem. Ei cõiuncta erat vxor nomine Leucippe, alioqui quidem bonis moribus, & tali marito conueniens, & nę pulcherrimis quidem cedens forma corporis: vno autem hoc solo erat infelix, quòd esset sterilis. Qua de causa cùm multis probris à marito appeteretur, magna opprimebatur animi ægritudine, & curis vexabatur, & nihil non moliebatur, cupiens solui ab his vinculis.

Cap. 2.

Apud Emesam magna persecutio Christianorum.

Honofrius egregi⁹ monachus.

Cùm ambo ergò hoc sibi probro ducerent & dedecori, quòd non essent parẽtes filiorum, neque vllum essent habituri hæredem suarum facultatum, per quem genus rursus eis conseruaretur, quoniam acciderat vt illo tempore valdè inualesceret cultus simulacrorum, & cuidam Secundo ciuitatis Emesę rectio committeretur, gentili quidem religione, animo autem planè barbaro, cui nihil aliud erat curæ, nisi omnes euertere Christianos, & pietatem pro viribus excindere radicitùs: quoniam, inquam, res piorum in tanto versabantur periculo, vnusquisque fuga sibi salutem comparabat. Vnus verò, nomine Honofrius, habitu monachus, moribus bonus & religiosus, omninò quidem recedere, & in tali tempore ac tempestate relinquere periclitantes animas imbecilliorum, statuit non esse viri pij, & eius qui se asscripsit choro eorum, qui sunt eiusmodi. Verumenimuerò cùm liberè eloqui pietatem, & in pericula seipsum conijcere, iudicâsset non esse alienum à reprætensione, neque consentaneum legibus veræ religionis, tenebat medium: & alba veste contegens monasticam, erat animo verè monachus, & ea exercebat, quæ ei vitæ conueniebant, & ità callidè eludebat impietatem. Itaque propter pietatem paupertatem simulans, erat mendicus voluntarius, & domos obiens ob vsum rerum necessariarum, ipse dabat potiùs panem, qui potest confirmare animos, eos in quos inciderat, instruens sermonibus pietatis, & adhortans fugere pro viribus ab ijs, qui se procùl à vita remouent, & separant à creatore.

Cap. 3.

Mendicat specie Honofrius, vt lucretur animas hominum.

Reprehẽdit Leucippen, quòd deos inuocauit.

Cùm ergò aliquandò accessisset ad ædes Clitophontis, petebat alimentum, manus extendens, & voces emittens, quæ possent inducere animum ad misericordiam. Accidit autem, vt tunc esset Leucippe conturbata, & plena tristitia, vtpotè quòd maritus ei exprobrâsset sterilitatem. Cùm ergò Honofrio, qui videbatur molestus, iussisset occludi fores: ille autem, vt qui nihilo magis sciret, quid vellet, & quòd accessisset potiùs daturus, quàm accepturus, proptereà instabat petens, donèc propter hanc laudabilem impudentiam fuit accersitus, & benignè acceptus. Motis ergò verbis & sermone producto, de se quidem narrauit Leucippe, quòd manca esset ei matrix, & quòd nullus deus esset inuentus vsq; in hodiernum diem, qui eam posset relaxare ab ijs vinculis, & liberare à dedecore filiorum egestatis. Sed meritò, inquit Honofrius, non es consecuta, quod petebas, quæ tales voluisti adiutores habere sterilitatis. Nam qui ipsi exercuerunt opera plena probro & dedecore, quomodò possent ipsi alios à dedecore liberare? Sed si nunc audiens, & verum Deum velis agnoscere, qui cuncta potest, videbis ad te solam redeuntem vtilitatem. Quinetiam tuum genus poteris afficere beneficio, tanquàm quandam hæreditatem ad eos transmittens veram religionem. Leucippe his adhibebat animum, & se tanquàm bonam terram præbebat verborum illius seminibus.

Cap. 4.

Catechesin ei proponit.

Hic autem vir diuinus primùm quidem excelsę Trinitatis diuinam introduxit ei cognitionem: Deindè eam est adhortatus ad studium virtutum. Deindè eam docuit sanctificationem, quæ efficitur ex salutari baptismate: per quod erit expurgatio priorum inquinamentorum. Ostendit autem habitum quoquè monasticum; quo erat

quidem indutus, ſed eum tegebat, declinans inſultum malignorum venatorum, & quòd acceſſiſſet propter eius ſalutem, ſimulans petere eleemoſynam. Illa verò ad hæc reſpondit: Timeo, inquit, nè inciderim in duo contraria. Vnum quidem, quòd ijs, qui hanc habent fidem, & appellantur Chriſtiani, magnæ quidem intēduntur minæ ab eo, qui nunc rerum potitur: grauiora autem ſunt, quæ eas conſequuntur, ſupplicia. Alterum verò, quòd ſi ego tranſeam ad pietatem, & recedam à decretis Maiorum, ſi qui mecum cohabitat, non ſubierit eandem mutationem, ſed deincèps ſequatur eam, quam nunc tenet religionem, quomodò in vno & eodem conſenſerimus, qui debemus eſſe vnum, cùm ſimus maxima parte diuiſi? Hanc mihi ſolue dubitationem, & me liberabis ab aliarum rerum ſolicitudine.

Cap. 5. Leucippe credit in Chriſtum. Ille autem cùm & multa alia dixiſſet, & adieciſſet: Tuus quoquè maritus mox conuertetur ad eandem religionem: ei adeò paruit, vt ancillis quoquè ſtatìm iuſſerit, vt facerent quod ipſe diceret. Cùm vnum ergò ex dolijs, quæ alicubi illic erant in horto, ità iubente Honofrio, illæ aqua implêſſent, catechiſmo priùs inſtituta Leucippe, alijs quoquè ab eo factis, quæ fiunt de more Chriſtianis, diuinum baptiſmum

Baptizatur. conſequitur. Paulopòſt autem illinc quidem receſſit Honofrius, ei diligenter præcipiens, vt fidem ſeruaret & Chriſti præcepta. Leucippe autem fingens ſe ægrotare, erat ſeparata, fugiens mariti conſuetudinem. Neque enim volebat, cùm iam eſſet purificata ſpiritu, & diuinum accepiſſet lauacrum, id polluere inceſtis mariti con-

Scit ſe concepiſſe fœtum. greſſionibus. Cùm autem dies aliquot præterijſſent, agnouit ſe in vtero concepiſſe, quod etiam paulopòſt euadit manifeſtum Clitophonti. Ille autem ignorans veritatem: Nunc mihi, inquit, videris ô vxor, placuiſſe dijs immortalibus: & proptereà digna es iudicata, cuius curam gererent. Illa verò cùm ſe parùm retinuiſſet, Nè mihi, inquit, deos nomines, ô marite, nolo enim: ſed Deum vnum, qui eſt vniuerſi Dominus & effector, qui tuî & noſtrî curam gerit, qui non ſolùm poteſt ſoluere ſterilitatem, ſed etiam facile eſt illi facere quæcunque vult. Ille autem, Et quis eſt hic, inquit, aliorum fortiſſimus, & qui nos tam benignè intuetur? Leucippe autem: Mihi, in-

Chriſtus crucifixus ei apparuit. quit, is in ſomnis apparuit, ô ſuauiſſime, formam quidem habens humanam, manus autem extenſas in Cruce, qui etiam mihi vteri ſtatim ſoluit vincula, & ad hanc conceptionem excitauit admirabiliter. Cur ergò non nos quoquè eum potiùs attendemus & colemus, & omnia noſtra ab eius benignitate pendére oportere ſtatuemus?

Cap. 6. Dixit autem Clitophon, cùm parùm ſiluiſſet, vt daret menti tempus deliberandi: Scio, inquit, quem dicis: nempe is eſt, qui colitur à Galilæis: & reuerà habet magnas vires & inexpugnabiles. Sed quis feret eius, qui rerum potitur, ſæuitiam? Leucippe autem lubenter quod dictum fuerat arripiens, Interìm quidem, inquit, ô caput mihi venerãdum, occultus erit noſter in eum cultus. Sic enim effugerimus impiorum malitiam. Licebit verò aliquandò, eius virtute nobis opem ferente, etiam in die honeſtè

Maritũ ſuũ ad fidẽ traducit. ambulare, & lucis opera facere manifeſtè. Hæc dicens, poſtquàm habuit maritum, ad omnia parentem, (oportebat enim & Chriſti apparere benignitatem, & quod ei de marito prædixerat Honofrius, minimè excidere) deincèps nihil ampliùs reticendo, ſed liberè & apertè omnia de monacho expoſuit: quòd is ſcilicet eam baptizauerit, & quòd hoc eſt, quod eius matricis ſoluit nodos difficiles. Deindè etiam adiecit, nihil eſſe impedimento, quo minùs ipſe quoquè diuinum baptiſmum conſequatur. Etenim mihi inter cætera hoc quoquè prædixit vir ille diuinus, fore vt te quoquè, ô chariſſime, mox haberem meæ fidei ſocium. Hæc & illa dixit, & quæ dicta ſunt, paulopòſt deducta ſunt ad effectum, & ipſe quoquè diuinum baptiſmum eſt conſecutus, & didicit arcana pietatis, cùm diuinus & admirabilis Honofrius ad hæc rursùs inſeruijſſet.

Cap. 7. Cùm autem iam veniſſet tempus pariendi Leucippes, & filium peperiſſet maſculum, accerſitus rursùs Honofrius, conſueta vtilitas, bonum à Deo miſſum, & quod genitum fuerat, rursùs per ipſum fuit regeneratum beato baptiſmate, & ab ipſo ac-

Parit Galactionem. cepit appellationem, & fuit nominatus Galaction: fuitq́; appellatio, certa futurorum prædictio. Is enim editus fuit mundus ex mundis, & ex generoſis germen verè generoſum. Procedente autem tempore, paulatìm Galaction additamento ætatis adiecit

Galactionis præclarum ingenium. etiam intelligentiam, atque adeò habebat ingenium ſupra ætatem. Traditus verò ludis literarijs, & in perfectioribus exercitus diſciplinis, præclara ſua indole vel ipſos magiſtros relinquebat à tergo. Cùm ageret autem viceſimum & quartum annum,

annum, curæ erat patri, ei conuenientem vitæ coniungere sociam, cùm mater Leucippe iam è vita excessisset.

Erat autem tunc quædam virgo, pulchritudine & morum honestate antecellens omnibus. Ei erat nomen Episteme, quæ nobilitatis & gloriæ famam habebat primam inter mulieres. Eam despōdit Galaction, nunc quidem ad speciem matrimonij, posteà autem ad vnionem animæ. Cùm verò vitæ cum ea societatem ægrè ferret Galaction, & apertè ostenderet se eius congressus & complexus non admittere, propter religionis dissimilitudinem, & quòd ea non esset particeps diuini baptismatis, à necessarijs sæpè exigebantur rationes, qui eam rem ægrè ferebant, & grauiter expendebant. Cùm autem solus aliquandò apud solam fuisset Epistemen, ab ea rogatus, quænam esset causa odij, dixit Galaction se non posse aliter ferre vitę cum ea societatem, nisi eam viderit secum conuenire in religione. Dicebat enim apertè, esse impium, mundum coniungi cum immundo. Si ergò, ô vxor, est tibi grata nostra tecum vitæ societas, crede mihi optima consulenti. Et quoniam in præsentia est inopia sacerdotum, qui constituti sunt ad hoc, vt ad baptismum inseruiant: fieri autē non potest, vt aliter sit quispiam & nominetur mundus, nos hoc donum, prout tempus concedit, ipsi vtcunquè peragemus. Cap. 8. Epistemen virginē sibi despondet. Baptismus à quibus conferendus.

Cùm autem vidisset eam ad hoc morem gerentem, iubet vnum ex tubis horti impleri aqua: & ità omnibus inscientibus baptizat Epistemen. Ipsa autem, cùm post baptisma octo dies præterijssent, nouam quandam & insolitam videt in somnis visionem. Videbatur enim versari in quibusdam ædibus regijs, pulchritudine quæ verbis explicari non potest, insignibus: in quibus tres vtrinquè chori stabant circa parietes. Quorum vnus quidem habebat viros visu honestos, & veste nigra indutos. Secundus autem mulieres, quæ se habebant similiter. Tertius verò erat virginum, in quibus iucunda quædam florebat alacritas, & liberalis gratia in vultu arridebat. Mulieres autem illæ nigra veste indutæ, videbantur etiam habere quasdā pennas, & ignem emittere, à quo quicquid incidebat, videbatur comburi. Cùm autem id, quod visum fuerat, audiuisset Galaction, dicebat id hanc habere potestatem. Dixit enim hos tres choros esse eorum, qui se à mundo separant, & ab ijs quæ sunt mundi, & seruāt virginitatem, & elegerunt vitam agere Christo conuenientem. Eorum autem, qui erant nigra veste induti, ipsos dixit esse similes Angelis: illorum enim pennæ & ignis, simul celeritatem & vires exprimunt inexpugnabiles. Cap. 9. Visio Epistemes. Visionis expositio.

Episteme autem his auditis, statim ostendit generosum animum, & rerum honestarum amorem: & capta desiderio magnitudinis eorum, quę visa fuerāt: Num verò, inquit, ô marite, si à nobis inuicèm discesserimus, & ad Deum accesserimus, poterimus eam quoquè, quæ est inter nos, conseruare affectionem? Da mihi huius rei firmam & certā cautionem: nec ego vnquàm recusabo, quo minùs sim tibi socia huius propositi. Cùm autē sibi inuicèm sanctè dedissent fidem, nunquàm esse à se inuicèm animis disiungendos, Galaction cùm Deum precibus de more esset allocutus, suggessit Epistemæ ea, quæ erant futura ei conducibilia, dicens: Tu quidem abi, & indigentibus, quas habes facultates, distribue liberaliter, credens te non eas consumere, sed thesaurum potiùs in locum tutum reponere. Ego autem huius rei me tibi proponam exemplar, & primus rerum mearum faciam distributionem, non auara & parca manu, sed munificè & abundè eas exhauriens. Venies autem tertio die, & prout vtrisque visum fuerit, dispensabimus. Cap. 10. Galactiō & Episteme omnia sua dant pauperibus.

Cùm ergò ea, quæ habebant, distribuissent, & inter se conuenissent, Eutolmio omnium, quos habebant, famulorum beneuolētissimo sequi iusso, egressi sunt vitam suscepturi solitariam. Cùm autem confecissent iter decem dierum, veniunt ad montem, qui ab incolis quidem appellabatur Publius: est autem prope montem Sina. Quo in loco cùm in decē monachos incidissent, qui vitam exercebant monasticam, eis narrârunt suum scopum & institutum, & rogârunt, vt adscriberentur in eorum numerum: quod quidem fit non multis pòst diebus. Et Galaction quidem refertur in ordinem horum virorum: Episteme autem mittitur ab ipso ad quoddam procùl remotum monasterium, in quo quatuor exercebantur virgines. Cap. 11. Cōplectuntur vitā monasticam.

Cùm hanc ergò vitæ agendæ rationē elegisset Galaction, quam non viam quidem inijt, quæ posset docere moderationem? Quem autem sensum non erudit, limites & modos imponens omnibus, & cogens eos parére rationi? Ità autem ei curæ fuerunt ieiunia, vt duos annos semel in hebdomada pane solo vesceretur, eoque modico, & Cap. 12. Ecce sancti exercitia, de

ieiunia, Vigiliæ, Orationes, Pudicitia. quantum satis esset ad viuendum. Cum inedia verò se etiam exercebat in vigilijs, & in perpetuo studio orationis. Pudicitię autem tantam curam gessit, vt nec venire quidem in conspectum mulieris vnquàm induxerit in animum, ex quo fuit ad vitam adscriptus monasticam. Huius autem rei est apertū indicium, quòd cùm duo monachi matrem haberent, quæ non solùm curam gerebat virtutis, sed iam erat prouectæ ætatis, & consenuerat in vita monastica, & rogarent vt eam videret, & maternarum esset precum particeps, non sustinuit.

Cap. 13. Sæuit in Christianos Imperatoris persecutio. Cùm sic ergò se haberet, & ad omnem virtutem recta via incederet, non visum est hoc maligno tolerandum: sed eum subiens, qui tunc administrabat imperium, eum irritauit aduersùs omnes Christianos, & effecit, vt aduersùs eos apertam moueret persecutionem. Eos enim inuasit, partìm quidem per se, partìm autem per similiter affectos vicarios grauissimè puniens. Ad eum autem accedentes, qui tempori seruiebāt, dixerunt eos, qui montem Sinam habitabant, deos quidem habere contemptui: vnum autem solum Deum colere, eumque Crucifixum, & ei omnem offerre adorationem. Statìm ergò ille, tanquàm stimulo, percussus oratione, iussit cohorti militum ire ad montem, & vinctos ad se ducere eos, qui ipsum inhabitant, Christianos. Quo autem tempore, qui missi fuerant, in locum venerant, & viros diuinos erant compræ-

Visio Epistemes iam monachæ. hensuri, Episteme in dicto monasterio se exercens vt monacha, circa mediā noctem videt somnium. Videbatur enim simul cum Galactione venire in quoddā palatium: fuisse autem eorum capita coronis à Rege redimita. Manè verò œconomo monaste-

Exponit eā œconomus monasterij. rij ea, quæ viderat, communicans, apertè didicit quorsùm tenderet somnium. Is enim dixit palatium quidem esse regnum cælorum: Regem autem ipsum esse, qui verè & solus & naturaliter regnat: coronas autem hoc significare, eos mox esse processuros ad certamina, & aduersarijs futuros planè superiores.

Cap. 14. Galaction abducitur captiuus. Cùm ergò milites, vt iussi fuerant, accessissent, & alij omnes se in fugam cōiecissent, inueniunt duos solos monachos, quorū vnus erat Galaction. Cùm ergò ille quoquè ab eis ductus esset, & hoc resciuisset Episteme, & sedisset in loco sublimi mōtis, ex quo ipsa videns non poterat videri, illa cernebat oculis, quę non potuisset quidem auribus accipere, vinctū abduci Galactionem, & qui esse grauia passurus pro certo putabatur. Se ergò humì prosternens, vehementer rogabat ancillam, vt fineret eam properare ad Galactionem, & si liceret, eadem subire vincula. Si autē vitam quoquè illum oporteret relinquere, ipsam quoquè eandem mortem esse subituram. Inter vtrunq; enim iampridèm conuenisse, nè vnquàm disiungerentur ab eadem mente & affectione. Graue ergò & indignum esse dicebat, si tempore vocante ea videretur esse oblita pactorum conuentorum. Ministra autem verbis quidem primùm conabatur eam abducere ab incepto: Cùm autem non persuaderet, finit eam facere quod vellet.

Cap. 15. Vide mirū feruorē sanctæ Epistemes. Illa ergò cùm eas, quæ cum ipsa erant, postremò esset allocuta, institit vestigijs Galactionis. Cùm autem propè esset, Domine mi, clamabat, & dux meæ salutis, nè me quę tua sum recuses: nec obliuiscaris eorum, quæ inter nos conuenerunt. Quæ cùm audiuissent acres ministri impietatis, è media via sunt reuersi, & compræhensam ijsdem circundant vinculis, cùm nihil aliud dixissent, sed valdè lætati essent ad ipsam interrogationem. Galaction verò ne sic quidem affectus, à diuinis abstinebat admonitionibus: sed & ingrediens, & circundatus vinculis, ea dabat quæ par erat, monita: Nè te, dicens, ô vxor, fraude circunueniant inimici, aut grauia ad terrorem intentantes, aut ijs quæ sunt mundi incitantes ad impietatem. Interìm autem dum hæc dicerentur, venit quidam festinanter, & vultu magnum tumultum significans; in crastinum diem esse reseruatam sanctorum examinationem, cùm ità sit visum Præsidi. Manè ergò Iudex iubet eos adduci in locum, in quem mos est adduci reos iudicandos.

Cap. 16. Galactiō & Episteme sistuntur corā Præside. Cùm ij autem magno studio producti essent, Præses statìm non de fortuna, non de ea quæ ipsos tulit patria, non de aliquo alio ex ijs, quæ consueuerunt: neque accessit ad verba, quę possunt persuadere: sed toruè & minaciter intuens Galactionem: Quis hic est tristis & cogitabundus, (nimia ira dixit incitatus) & cuinam alij diuinū cultum tribuens, deos negligit? Galaction autem nihil formidans, neque de solita quicquam mutans constantia: Vita quidem, inquit, sum monachus: à Christo autem habeo, quòd vocor Christianus: cui etiam, vt qui rectè sentiam, tribuo cultum. Cùm verò sanctus cum multis probris insectaretur, & deos eius ludificaretur, & æquè amentes vocaret eos, qui colunt hæc inanima, ponè vinctum manibus iussit execrandus eum verbe-

verberari immisericorditer. Cùm is autem flagris cæderetur, adspiciens Episteme, & mirandum in modum ægrè ferens: O, inquit, insatiabilem animum ad puniendum: cur tales plagas intentâstis membris tam iuuenilibus, & consumptis multis laboribus exercitationis? Quomodò autem manus ministrorū tot illatis plagis non obtorpuit? His Præses ad iram magìs accensus: Hanc impudentem & temerariam, inquit, fœminam ad lineam vsque tunicam nudate vestibus, & flagris valdè cædite, vt cautè discat loqui, & non se tam arroganter gerat aduersùs superiores. Galaction flagris cæditur. Item Episteme.

Hoc autem cùm factum esset magna celeritate, & in longum iam esset productum supplicium, aduersùs omnia quidem, quæ inferebantur molesta & aspera, martyr mirandum in modum decertabat: minimè verò intermittebat vociferari aduersùs iudicem, & ei exprobrare rei turpitudinem, quòd naturam, quam oporteret quidem manere non venientem in conspectum hominum, non solummodò sustinuit aperire, sed multis etiam videntibus iussit cruciare. Propterea te, inquit, manent illic supplicia. Cæterùm hîc quoquè non diù abhinc, vos iustum Dei puniet supplicium. Dixit, & euestigiò secuta est iustitia, & visu orbati conspecti sunt, qui erant circa Præsidem. Hoc autem sanctæ quidem gloriam, ijs verò qui puniebant, conciliauit salutem. Oculorum enim cæcitas depulit animæ nubem, & eos illuminauit luce Dei cognitionis. Propterea confessi sunt se Christo credere, & rursùs cum luce animæ acceperunt etiam lucem oculorum corporis, viri non duo aut tres, sed quinquaginta tres numero. Cap. 17. Orbātur visu, qui sunt cum Præside, homines 53.

Sed licèt hæc facta fuerint, Præses adhuc mente cæcutiens, vtpotè quòd vitium esset ei altè impressum, iubet in extremo acui arundines, & infigi sanctorum vnguibus. Quod cùm celerrimè factum esset, sancti in doloribus maiorem ostendebant fortitudinem, ei propter quem hæc sustinebant, magnas agentes gratias, & falsos deos afficientes contumelijs. Iudex autem rursùs iubet eos priuari manibus simul & pedibus, & prætereà lingua, propriam quodammodò voluptatem capiēs sanguinivora anima in hominum, qui sunt eiusdem generis, supplicijs. Cùm autem hæc citò facta essent, martyribus nihilo seciùs eodem modo se habentibus, qui erat quidem sæuus in iudicando, crudelissimus autem in puniendo, fert vltimam in martyres sententiam, iubens eos mortem subire gladio. Atque ij quidē hinc excesserunt, sacris eorum capitibus amputatis quinto Nouembris: preciosa autem eorum corpora cùm in quodam vase precioso imposuisset is, quem diximus, Eutolmius, qui sequi iussus fuerat à martyre, effecit vt etiam ab alijs haberentur in honore: ad gloriam patris, filij & spiritussancti, vnius Dei in Trinitate: Quem decet omnis honor, maiestas & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Cap. 18. Martyres dirè cruciantur. Truncātur eis manus, pedes, lingua. Capite plectuntur.

VITA S. MALACHIÆ EPISCOPI HYBERNIAE, EDITA A BEATISSIMO BERNARDO *Abbate Clarauallensi. Nos numerum capitum margini adiecimus.*

PRAEFATIO AVTHORIS.



Semper quidem operæprecium fuit illustres sanctorum describere vitas, vt sint in speculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodò apud nos etiam post mortem viuunt, multosque ex his, qui viuentes mortui sunt, ad veram prouocant & reuocant vitam. Verùm nunc maximè id requirit raritas sanctitatis, & nostra planè ætas inops virorum. Quam sanè inopiam super nos adeò inualuisse sentimus, vt non sit dubium illa sententia nos feriri: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et vt suspicor ego, aut præstò, aut propè est, de quo scriptum est: Faciem eius præcedet egestas. Nî fallor, Antichristus est iste, quē fames & sterilitas totius boni, & præit, & comitatur. Siue igitur nuncia iam præsentis, siue iamiamque adfuturi prænuncia, egestas in euidenti est. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum huius seculi multitudinem: in ipsas Ecclesiæ columnas, volo, oculos leues. Quem mihi ostendas vel de illorū numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magìs de sublimi fumantem, quàm flammantem? Et si lumen, quod in te est, inquit, tene- Historiæ Sanctorum quid conferant. Matth. 24. Iob 41. Matth. 6.

tenebræ sunt, quantæ sunt tenebræ? Nisi tu illos fortè (quod non credo) lucere dixeris, qui quæstum æstimant pietatē, qui in hæreditate Domini, non quæ Domini, sed
Phil. 2. magis quæ sua sunt, quæritant. Quid dico quæ sua sunt? Perfectus sit & sanctus etiam sua quærens, suaque retinens, si ab alienis cor manusq; contineat. Meminerit tamen, qui sibi vsque huc fortè peruenisse videtur, eundem exigi sanctitatis gradum & ab
Luc. 3. ethnico. An non milites suis iubentur cōtenti fore stipendijs, vt salui fiant? Magnum verò Ecclesiæ doctori, si sit sicut vnus militum: aut certè (quod ad illorum improperium
Esa. 24. propheta loquitur) si vt populus, ità & sacerdos fuerit? O deformitatem. Itáne summus merito reputandus erit, qui à summo corruens gradu, hærebit vix infimo, nè abysso absorbeatur? Quàm rarus tamen isteipse in clero? Quem itèm das mihi contentum necessarijs, contemptorem superfluorum? Lex est tamen præfixa ab
1. Tim. 6. Apostolis Apostolorum successoribus: Victum & vestitum habentes, inquiunt, his contenti simus. Vbì forma hæc? In libris cernimus eam, sed non in viris. Habes ve-
Psal 36. rò de iusto: Quia lex Dei eius in corde ipsius, & non in codice. Nec perfectionis is gradus. Perfectus carere & necessarijs paratus est. At gratìs istud. Vtinàm superfluis ponatur modus: Vtinàm non cupiamus in infinitum. Sed quid? Fortè reperias, qui hoc possit. Id quidem difficile. Sed vide quid egimus. Quæramus virum optimum, multorum liberatorem, & eccè laboramus in inueniendo, qui seipsum saluum facere possit. Optimus hodiè est, qui non est nimìs malus. Vndè quoniam à terra defecit sanctus, videor mihi non superuacuè ex his, qui empti sunt de terra, reuocare ad medium Malachiam Episcopum, virum verè sanctum, & nostrorum quidem tem-
Iohan. 5. S. Malachias Episcopus lucerna lucens. porum singularis sapientiæ & virtutis. Iste erat lucerna ardens & lucens, nec extincta est tamen, sed submota. Quis mihi iure succenseat, si readmouero eam? Immò verò non est, quòd mihi ingrati esse mei seculi homines debeant, & omnis deincèps generatio ventura, si quem conditio tulit, reuocem stylo: si mundo restituam, quo dignus non erat mundus: si seruem memoriæ hominum hominem, cuius memoria in benedictione sit omnibus, qui legere dignabuntur: si me excitante amicum dor-
Matth. vlt. mientem, vox turturis audita fuerit in terra nostra, dicens: Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Deindè sepultus apud nos est, nobis specialiter hoc opus incumbit. Quid quòd me inter speciales amicos sanctus
S. Bernard' S. Malachię charissimus. ille habebat, & eo loci, vt nulli in hac parte gloriæ secundum fuisse me credam? Nec mercede vacat mihi tantæ familiaritas sanctitatis. Primitias iam accepi. In extremis
Eccli. 18. positus erat, immò in principijs, iuxta illud: Cùm consummatus fuerit homo, tunc incipit. Accucurri ego, vt benedictio morituri super me veniret. At ille cùm iam membra alia mouere non posset, fortis ad dandam benedictionem, eleuatis sanctis manibus super caput meum, benedixit mihi, & benedictionem hæreditate possideo: & quomodò ego illum silere queam? Postremò tu id mihi Abba Congane iniungis, reuerendus frater, & dulcis amicus meus, ac tecū pariter (vt ex Hybernia scribis) vestra illa omnis Ecclesia sanctorum. Libens obedio: præsertìm quòd non eloquium exigitis, sed narrationem. Dabo verò operam, vt ea sit pura & luculenta, deuotos
Historiæ huius fides. informans, fastidiosos non onerans. Sanè narrationis veritas secura apud me est, intimata à vobis, haud alia proculdubiò protestantibus, quàm quæ certissimè comperta sunt vobis.

VITA.

Nouēbris 5. Cap. 1. Patria S. Malachiæ.



ALACHIAS noster, ortus Hybernia de populo barbaro, ibì educatus, ibì literas edoctus est. Cæterùm de natali barbarie traxit nihil, non magìs, quàm de sale materno pisces maris. Quàm verò suaue, quòd inculta nobis barbaries tam vrbanū protulit ciuem sanctorum, & domesticum Dei? Qui producit mel de petra, oleumque de
Deut. 32. Parentes. saxo durissimo, ipse fecit hoc. Parentes tamen illi fuêre genere & potentia magni, iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. At mater mēte, quàm sanguine, generosior, satagebat in ipso initio viarum suarum, notas paruulo facere vias vitæ: hanc pluris illi existimans ventosa scientia literaturæ secularis. Ad vtranq; tamen huic non defuit ingenium pro ætate: In scho-
Discit literas. lis literas, domì timorem Domini docebatur, & quotidianis profectibus respōdebat

ambobus satis, magistro & matri. Nempe à principio spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer docilis, & amabilis valdè, mirè admodùm omnibus per omnia gratiosus. Bibebat aūt pro lacte de pectore materno aquas sapientiæ salutaris, & fiebat in dies seipso prudentior. Prudentior, dicam, an sanctior? vtrunque si dixero, non me pœnitebit. Veritatem enim dicam. Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciuiæ puerilis. Cumque ex hoc cunctis esset reuerentiæ ac stupori, non tamen indè, vt assolet, insolentior inueniebatur, sed magis quietus & subditus in omni mansuetudine. Non impatiens magisterij, non fugitans disciplinæ, non lectionis fastidiens, non ludorum deniquè appetēs: quod vel maximè illa ætas dulce ac familiare habere solet. Et proficiebat supra omnes coætaneos suos in ea quidem literatura, quæ illi competebat ætati. Nam in disciplina morum, profectuque virtutum, etiam super omnes docentes se in breui enituit, non tam matre tamen, quàm vnctione magistra. Hac solicitante, haud segniter & in diuinis exercebatur, petere secretum, anticipare vigilias, meditari in lege, refici parciùs, orare frequentiùs. Et quia ecclesiam frequentare nec vacabat propter studium, & pro verecundia non libebat, leuare puras manus in omni loco, vbi tamen secretè id posset. Iam tunc siquidem cautus fuit declinare virus virtutum, inanē gloriam. Est vicus prope ciuitatem, in qua discebat puer, quò magister eius frequenter pergere solitus erat, ipso solo comite. Illò euntibus ambobus pariter, ipse (vt posteà referebat) retrahebat pedē, sistebat gradum, & stans à tergo magistri, illo quidem non comperiente, expansis ad cælum manibus, raptim quodammodò, ac velutì iaculatam emittebat orationem: & sic dissimulans, magistrum denuò sequebatur. Istiusmodi pio furto puer sæpiùs illudebat comitem & magistrum. Non est dicere omnia, quæ eius principia colore bonæ indolis decorauêre: ad maiora, atque vtiliora currendum. Vnum tamen refero adhuc, quòd hoc, meo quidem iudicio, non modò bonæ, sed & magnæ in puero dederit insigne spei. Excitus aliquandò opinione cuiusdam magistri, (erat enim famosus in disciplinis, quas dicunt liberales) adiuit illum discendi cupiditate. Quippè extrema iam pueritiæ captans, ad eas literas anhelabat. Intrans verò domum, vidit virum ludentem subula, crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem. Et solo visu offensus puer serius, quòd leuitatem redoleret, resiliuit ab eo, ac deincèps illum nec videre curauit. Ità cùm esset studiosissimus literarum, præ honesto tamen spreuit eas virtutis amator. Tali quodam præludio puer præparabatur ad eum, qui se manebat in fortiori ætate, conflictum: iamque ipse aduersarium prouocabat. Et Malachiæ quidem pueritia sic erat. Porrò adolescentiam simili transiuit simplicitate, & puritate: nisi quòd crescente ætate, crescebat simul illi sapientia & gratia apud Deum & homines.

Sancta eius pueritia.

Vana gloria, virtutū virus.

Est puer factus impatiens omnis leuitatis.

Hinc iam, id est, ab ineunte adolescētia eius, cœpit manifestiùs apparére, quid esset in homine, & gratia Dei in illo vacua non videri. Videns enim industrius adolescens, quòd in maligno mundus positus sit, & cogitans qualem spiritum accepisset, dicebat intra se: Non est spiritus huius mundi iste. Quid isti, & illi? Non est societas alteri ad alterum, non plùs quàm luci ad tenebras. Meus ex Deo est, & scio quæ in illo donata sunt mihi. Indè mihi interìm adhuc innocentia vitæ, indè continentiæ decus, indè iustitię fames, indè quoquè illa eo securior, quo secretior, gloria mea est testimonium conscientiæ meæ. Nil horū mihi tutū sub principe mundi. Deindè habeo thesaurum hunc in fictili vase. Verendum nè impingat, & frangatur, & effundatur oleum lætitiæ, quod porto. Et quidem non impingere inter saxa & scopulos distortæ & anfractuosę viæ & vitæ huius, difficilimum. Itàne in momento perdam simul omnes, quibus ab initio præuentus sum, benedictiones dulcedinis? Resigno illi potiùs, à quo sunt, & me pariter. Et ego enim ipsius. Perdo ipsam ad tempus animam meam, nè perdam in æternum. Et quod sum, & quæ habeo omnia, vbì mihi æquè salua, vtì in manu authoris? Quis ità ad seruandum solicitus, ad retinendum potens, ad restituendum fidelis? Seruabit tutò, restituet opportunè. Sine retractatione me do ad seruiēdum illi de donis suis. Non potest mihi perire ex omnibus, quæ in opus pietatis expendero. Fortè & sperare plus aliquid licet. Solet reddere cum vsura, quæ dat gratis. Ità est. Etiam cumulabit, & multiplicabit in anima mea virtutem. Hæc cogitauit, & fecit, sciens absque facto vanas esse cogitationes hominum.

Cap. 2.

1. Iohan. 5.

2. Cor. 1.

Periculosissimum iter vitæ huius inter homines.

Erat homo in ciuitate Ardinacha, (ipsa est, in qua alitus est Malachias) & homo ille sanctus, & austerę admodùm vitæ, inexorabilis castigator corporis sui, cellam habens

Cap. 3.

iuxta

S. Malachias adiungit se ad quendam virum sanctiss. iuxta ecclesiam. In ea manebat, ieiunijs & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Ad hunc se contulit Malachias, formam vitæ accepturus ab eo, qui viuum se tali damnauerat sepultura. Et vide humilitatem. A primæua ætate in sancta arte magistrũ (quod dubium non est) habuerat Deum: & eccè factus est denuò discipulus hominis, homo mitis & humilis corde. Si nesciebamus, hoc vel solo nobis ipse probauit. Legant hoc, qui docere, quæ nõ didicêre, conantur, discipulos sibi coaceruãtes, qui nunquàm discipuli extitère, cæci duces cæcorum. Malachias doctus à Deo, doctorem nihilominùs quæsiuit hominem, & quidem cautè & sapienter. Quid simile, quæso, afferre quibat, in quo æquè daret caperetque experimentũ profectûs sui? Si Malachiæ exẽplum eis pro minimo est, Pauli opus attendant. Nónne Euangelium suum, quod non ab Gal. 1. & 2. homine acceperat, sed à Christo, cum hominibus tamen censuit conferendum, nè fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset? Vbi ille securus non est, nec ego. Si quis hoc scit, viderit, nè non tam securitas sit, quàm temeritas. Sed hæc alterius temporis. Nunc verò sonuit in ciuitate, quod factum est, & commota est vniuersa ad inopinatam nouitatem. Stupebant autem omnes, & virtutem mirabantur, eoque ampliùs, quo minùs vsitatam in gente fera. Videres tunc reuelari ex multorum cordibus co- Vitam viuit durissimam. gitationes. Plerique humano affectu pensantes factum, plangere & dolere, quòd dilectus omnibus, delicatusque adolescens, duris se adeò laboribus mancipâsset. Alij suspicati leuitatem propter ætatem, diffidere de perseuerantia, timere de casu. Nonnulli temeritatem causantes, indignari & fremere in eum, quòd supra ętatem & vires inconsultè rem arduam fuisset aggressus. Verùm ille sine consilio egit nihil. Nam ha- Thren. 3. buit consilium à propheta, qui ait: Bonum est homini, si portauerit iugum ab ado- Ibidem. lescentia. Et addit: Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se. Sedebat sibi iuuenculus secus pedes Imarij, (hoc enim nomen viro) & aut discebat obedientiam, aut se didicisse docebat. Sedebat vt quietus, vt mansuetus, vt humilis. Sedebat, & ta- Esa. 32. cebat, sciens secundùm prophetam, cultum iustitiæ esse silentium: sedebat vt perseuerans, tacebat vt verecundus, nisi quòd suo illo silentio in Dei auribus loquebatur Psal. 118. cum sancto Dauid: Adolescentulus sum ego, & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus. Et sedebat interìm solitarius, quia & sine socio, & sine exemplo. Quis enim ante Malachiam districtissimum viri propositum vel cogitaret attentare? Nempe mirabile omnibus habebatur, non imitabile. Malachias imitabile persuasit, sedendo duntaxàt, & tacendo. Intra paucos dies habuit imitatores non paucos, prouocatos exemplo sui. Ità qui primò solitarius sedit, & vnicus patris sui, fit iam vnus ex multis, fit ex vnigenito primogenitus in multis fratribus. Et vt prior in conuersione, ità in cõuersatione sublimior: & qui ante omnes venit, omnium iudicio supra omnes Ordinatur Diaconus. emicuit in virtute. Et dignus visus est Episcopo pariter & magistro, qui ad Diaconij gradum promoueretur. Et coëgerunt eum.

Cap. 4. Hinc iàm Leuita Domini publicè se ad omne opus pietatis accinxit: plùs verò ad eas res, in quibus aliqua iniuria videretur. Deniquè cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quòd hoc sibi non minùs humilitatem saperet, quàm humanitatem. Nec defuit nouo nostro Tobiæ rediuiua à muliere tentatio, immò à serpente per mulierem. Germana eius indignitatem (vt sibi videbatur) officij exhorrens: Studiũ erga sepeliendos mortuos. Quid facis (inquit) ô insane? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et hoc illi quotidiè exprobrans ingerebat. Sed respondebatur mulieri stultæ iuxta stultitiam suam: Misera, tu eloquij casti vocem tenes, sed virtutem ignoras. Ità ministerium, ad quod coactus accesserat, deuotus tenuit, indefessus exercuit. Vndè & censuerunt etiam sa- Initiatur sacerdotio. cerdotale officium imponendum illi. Et factum est ità. Erat autem, cùm sacerdos ordinatus est, annos natus quasì vigintiquinque. In qua eius vtraque ordinatione, si quid præter canonum formam processisse videtur, vt verè videtur, (siquidem infra vicesimumquintum annum Leuiticum ministerium, infra tricesimum adeptus est sacerdotij dignitatem) donandum sanè tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego verò istud nec in sancto redarguendum, nec vsurpandum consulo ei, qui sanctus Episcopus mandat ei vices suas. non fuerit. Nec contentus Episcopus, etiam vices suas commisit ei, seminare semen sanctum in gente non sancta: & dare rudi populo & sine lege viuenti, legem vitæ & disciplinæ. Suscepit ille mandatum in omni alacritate, sicut erat spiritu feruens: nec talentis incubans, sed inhians lucris. Et eccè linguæ sarculo cœpit euellere, destruere, dissipare, de die in diem factitans praua in directa, & aspera in vias planas. Exultabat vt gigas ad discurrendum vbiquè. Diceres ignem vrentem in consumendo criminum vepres.

vepres. Diceres securim, vel asciam in deijciẽdo plantationes malas, extirpare barbaricos ritus, plantare Ecclesiasticos. Veternosas omnes (neque enim paucæ inueniebantur) abolebat superstitiones, seu qualisbet, vbicunquè depræhendisset, malignitatès, immissas per angelos malos. Deniquè quicquid incompositum, quicquid indecorum, quicquid distortum obuium habuisset, non parcebat oculus eius: sed velut grando grossos è ficubus, & sicut puluerem ventus à facie terræ: sic coram facie sua eiusmodi nitebatur totum pro viribus exturbare, ac delere de populo suo. Et pro his omnibus tradebat iura cælestia optimus legislator. Leges dabat plenas iustitiæ, plenas modestiæ & honesti: sed & Apostolicas sanctiones, ac decreta sanctorũ patrum, præcipueque consuetudines sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in cunctis ecclesijs statuebat. Hinc est, quòd hodiè in illis ad horas canonicas cantatur & psallitur, iuxta morem vniuersæ terræ. Nam minimè id antè fiebat, ne in ciuitate quidem. Ipse verò in adolescentia cantum didicerat: & in suo cœnobio mox cantari fecit: cùm necdùm in ciuitate, seu in Episcopatu vniuerso cantare scirent, vel vellent. Deindè vsum saluberrimum confessionis, sacramentum confirmationis, contractum coniugiorum, quæ omnia aut ignorabant, aut negligebant, Malachias de nouo instituit. Et de his ista pro exemplo sufficiant. Nam & per totum historiæ textum, breuitatis studio plurima præterimus.

Vide quàm strenue se gesserit in hoc officio.

Nota quãti fecerit Romanæ Ecclesiæ consuetudines.

Cùm esset illi studium & zelus maximus circa cultũ diuinorum, & venerationem sacramentorum: nè fortè de his aliquid constitueret, vel doceret secùs, quàm ritus haberet vniuersalis Ecclesiæ, subijt animum adire Episcopum Malchum, qui se pleniùs de omnibus informaret. Hic erat senex plenus dierum & virtutum: & sapientia Dei erat in illo. Natione quibem Hybernus, sed in Anglia conuersatus fuerat in habitu & proposito monachali in Vintoniensi monasterio. De quo assumptus est in Episcopum in Lesmor ciuitatem Mumoniæ: & ipsa nobilior inter cæteras regni illius. Ibì tanta ei desupèr collata est gratia, vt non modò vita & doctrina, sed & signis clareret. Quorum duo pono exempli causa: vt omnibus innotescat, qualem in scientia sanctorum Malachias habuerit præceptorem. Puerum mente captum ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione sanauit. Hoc itá notum certumque fuit, vt illum mox constituerit ostiarium domûs suæ: vixeritq; idem puer incolumis in eo officio vsque ad virilem ætatem Surdo auditũ restituit: in quo idem mirabile quiddam confessus est: quòd cum sanctus vtrique auriculæ hinc indè digitos immisisset, duos quasi porcellos ex ipsis exire senserit. Pro his, atque huiusmodi fama crebrescente, nomen grande adeptus est: itá vt ad eum Scoti, Hybernique confluerent, & tanquàm vnus omnium pater ab omnibus coleretur. Ad hunc ergò Malachias, accepta benedictione patris Imarij, & ab Episcopo missus, cùm prosperè peruenisset, benigne à sene susceptus est. Qui annos aliquot cum eo mansit, vt per hanc temporis moram hauriret pleniùs de pectore veterano, sciens scriptum, Quia in antiquis est sapientia. Sed nec hoc quoquè ad causam defuisse reor: quòd magnus ille prouisor vniuersorum, voluit seruum suum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus, qui erat omnibus profuturus. Nec enim poterat non esse gratus, quibus notus fuisset. Deniquè vnum interìm accidit, per quod ex aliqua parte, quod notum Deo erat in illo, manifestum fecit hominibus. Inter Regem Mumoniæ (quæ est Hyberniæ pars Australis) & germanum eius orta simultate, & fratre facto superiori, Rex pulsus regno, confugit ad Episcopum Malchum. Non tamen, vt ope illius regnum recuperaret: sed magis princeps deuotus dedit locum iræ, & necessitatem in virtutem conuertit, priuatam eligens ducere vitam. Cumque Episcopus Regem suscipere debito honore pararet, abnuit ille, se mâlle inquiens tanquàm vnum ex illis esse pauperibus fratribus, qui illi adhærerent: regium fastum deponere, & cõmuni paupertate fore contentum, expectare potiùs Domini voluntatem, quàm per vim recipere regnum: nec velle pro suo honore terreno sanguinem humanũ effundere, qui contra se clamet ad Deum de terra. Quo audito, exultat Episcopus: & admiratus deuotionem, satisfacit voto. Quid plura? Traditur Regi paupercula domus ad habitandum, & Malachias in magistrum, ad victum panis cum sale & aqua. Porrò ad delicias sufficiebat Regi, Malachiæ præsentia, vita atque doctrina: itá vt diceret ei: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Ad hæc per singulas noctes lachrymis suis stratũ suum rigabat: sed & quotidiano aquæ frigidæ balneo malè calentem extinguebat in carne libidinem. Et orans Rex, cum Rege dicebat: Vide

Cap. 5.

Videàm hęc attenderent nouatores nostri.

Malchi Episcopi duo miracula.

S. Malachias adhæret Malcho Episcopo.

Iob 12.

Rex Mumoniæ pellitur à fratre suo.

Exemplum Pij Regis.

Nota victũ regis huius.

Psal 118.

Psal.6.

Psal.14.

humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Et non amouit Deus orationem eius, & misericordiã suam ab eo. Et exaudita est oratio eius: etsi secùs, quàm intenderet ipse. Nam is quidem sollicitus erat pro anima sua: sed vindex innocentiæ Deus, hominibus ostendere volens, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico, parabat interim facere iudicium iniuriam patienti, quod ille penitùs non sperabat. Et suscitauit Deus spiritum vicini Regis: (neque enim vnũ est Hybernia regnum, sed diuisa in plura) Hic itaque videns quæ facta sunt, repletus est zelo: & hinc quidem indignans prædonum libertati, & insolentiæ superborum, indè verò miserans regni desolationem, & Regis deiectionem, descendit ad cellulã pauperis: suadet reditum, sed non persuadet. Instat tamen, spondet opem, de effectu non diffidere monet, Deum affuturum promittit, cui non poterunt resistere omnes aduersarij eius. Proponit etiam oppressionem pauperum, patriæ vastationem, & non proficit. Cæterùm accedente mandato Episcopi, & Malachiæ consilio, de quibus ille pendebat totus, vix tandem acquiescit. Sequitur Rex Regem, & iuxta verbum Regis, sicut fuerat volũtas in cælo, tota facilitate pulsis prædonibus, reducitur homo in sua cum exultatione suorum, regnoque restituitur suo. Dilexit extunc Rex ille, & semper reueritus est Malachiam: eoque propensiùs, quo pleniùs in sancto viro digna veneratione & amore compererat. Cuius enim tantã meruit in sua aduersitate familiaritatem, sanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in sua prosperitate perpetuis illum amicitijs, deuotisque colebat obsequijs: & libẽter audiebat eum, & audito eo, multa faciebat. Et de his satis. Veruntamen non fortuitu factum reor, quòd ità iam tunc magnificauit eum Dominus in conspectu Regum: sed quia vas electionis sibi erat ille, portaturus nomen suum coram Regibus & principibus.

Psal. 36.

Rex pius in regnum restituitur.

Cap. 6.

Mortua est interim soror eius illa, quam præfati sumus. Nec prætereunde visiones, quas vidit de ea. Huius siquidem sanctus carnalem exhorruerat vitam, & tanto zelo, vt se deuouerit non visurum eam in carne viuentem. At illa carne soluta, solutum est votum: & cœpit videre in spiritu, quã in corpore noluit. Quadam nocte audiuit per somnium vocem sibi dicentis, sororem eius stare foràs in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil gustâsse. Qui euigilans, citò intellexit, cuius escæ inedia marceret. Et diligenter discusso numero dierum, quem audiẽrat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cęlo viuum nõ obtulisset. Tum ille, qui sororis non animã oderat, sed peccatum, beneficentiam, quam intermiserat, rursùm adoritur. Neque id frustrà. Non multò pòst visa est illi peruenisse ad limen ecclesiæ, necdùm tamen posse intrare: apparére etiam in veste pulla. Cumque ille perseueraret, curans nè qua die solita stipe frustraretur: secundò vidit eam in veste subcandida, admissam quidẽ intra ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertiò tandèm visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida. Vides lector, quãtum valeat deprecatio iusti assidua? Verè regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud. Nónne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodãmodò effractoris exhibuisse cælestibus portis, quandò peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur? Hanc vim, Iesu bone, tu qui pateris, facis, validus & pius ad saluandum, faciens misericordiam, & potentiam in brachio tuo & in sacramento tuo seruans sanctis, qui in terra sunt, vsque in cõsummationem seculi. Hoc planè sacramentum potens peccata consumere, debellare obuias potestates, inferre cælis reuertentes de terra.

Soror defuncta apparet S. Malachiæ.

Obserua qd cõferãt defunctis Missæ & preces.

Matth. 11.

Nota Eucharistiæ vim.

Cap. 7.

Et Dominus quidem in regione Lesmorensi sic pręparabat dilectũ suum Malachiam ad gloriã nominis sui. Verùm qui miserant eum, minimè iam ferentes absentiam eius, missis epistolis reuocãt illum. Quo reddito suis, & quidem instructiore de omnibus, quæ oportebat: en opus à Deo paratum, & seruatum Malachiæ. Vir diues & potens, qui locũ Benchor, & possessiones eius tenebat, inspiratus à Deo, cõfestim in manu eius sua omnia dedit, & se quoquè. Et is auũculus eius. Sed Malachię spiritûs, quàm carnis, propinquitas pluris fuit. Ipsum quoquè locum Benchor, de quo cognominabatur, tradidit ei princeps, vt ædificaret ibi monasteriũ, vel potiùs reædificaret. Nempe nobilissimũ extiterat antè sub primo patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus verò sanctus fœcundusque sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ità vt vnus ex filijs sanctæ illius cõgregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcircò dixerim, vt ex hoc vno conijciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ità Hyberniam, Scotiamque repleuerunt genimina eius, vt ea potissimùm tempora

Benchor insigne monasterium instauratur.

Luanus monachus 100. monasteria condit.

tempora Dauidici illi versiculi præcinisse videãtur: Visitâsti terram,& inebriâsti eam, multiplicâsti locupletare eam. Flumen Dei repletum est aquis, parâsti cibũ illorum, quoniam ità est præparatio eius. Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: in stillicidijs eius lætabitur germinans. Et in hunc modum cæteri, qui sequuntur. Nec modò in præfatas, sed in exteras etiã regiones, quasì inundatione facta, illa se sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxouiense construxit monasterium, factus ibì in gẽtem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, vt succedentibus sibi vicissim choris, continuarẽtur solennia diuinorum, ità vt ne momentum quidem diei aut noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta sint Benchorensis monasterij gloria. Hoc olìm destructum à piratis, ob insigne dignitatis antiquæ Malachias, velutì quandam replantaturus paradisum, amplexus est, & quia multa corpora sanctorum dormirent ibì. Nam vt taceam illa, quæ in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul vna die à piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo cõtentus loco sancto, totas possessiones & terras alteri cessit. Siquidem à tempore, quo destructũ est monasterium, non defuit, qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam & constituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, seruantes nomine, & si non re, quòd olìm extiterat. Cumque suaderent multi non alienare possessiones, sed totum simul retinere sibi, non acquieuit paupertatis amator, sed fecit eligi iuxta morem, qui eas teneret, loco (vt prædiximus) retento sibi, & suis. Et fortassis consultiùs, vt pòst apparuit, integrum retinuisset, si non magìs suæ prospexisset humilitati, quàm paci. Itaque ex mandato patris Imarij assumptis secum decem circiter fratribus, veniens ad locum, cœpit ædificare. Vbì quadã die cùm in securi ipse secaret, casu ex operarijs vnus, illo vibrãte in aëra securim, locum incautè occupauit, quò ictus destinabatur: & cecidit super spinam dorsi eius, tanto vtiquè impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille: accurrẽre omnes, putantes aut percussum, aut mortuum. Et tunica quidẽ scissa à summo vsque deorsùm, homo verò illæsus inuentus est, tam modicè & summatim perstricta cute, vt vix in superficie vestigiũ appareret. Stabat homo incolumis, quem securis prostrauerat, intuentibus & stupentibus, qui circunstabant. Vndè & facti alacriores, promptiores exindè ad opus inuẽti sunt. Et hoc initium signorum Malachiæ. Porrò oratorium intra paucos dies cõsummatum est, de lignis quidem læuigatis, sed aptè firmiterque contextum, opus Scoticum, pulchrum satìs. Et exindè seruitur Deo in eo, sicut in diebus antiquis, simili quidẽ deuotione, etsì non pari numero. Præfuit Malachias loco illi tempore aliquanto, patre Imario ità constituente: ipse rector, ipse regula fratrum. Legebant in vita eius, quomodò conuersarẽtur, & ipse ante illos præibat in iustitia & sanctitate coram Deo: nisì quòd prçter instituta cõmunia, multa singulariter faciebat, in quibus potiùs prçibat omnes, & aliorũ nemo illũ poterat ad tam ardua sequi. Eo temporis, & eo loci quidam infirmabatur. Cui assistens diabolus, & apertè loquens, suggerebat, nè vnquàm crederet monitis Malachiæ: sed si intraret ad se, cultello eum peteret, & occideret. Quo cognito, qui illi ministrabant, ipso infirmo prodente, verbum proferunt ad Malachiam, præmunientes. At ille solita arma orationis arripiens, impauidus hostem aggressus, & infirmitatem fugat, & dçmonem. Erat autem nomen viro Malchus. Frater est iste secundùm carnem Christiani nostri Mellifontis Abbatis. Ambo enim superstites adhuc sunt, sibi in spiritu modò germaniores. Nam ille, vt literatus est, continuò non ingratus, loco eodem cõuersus ad Dominum, habitum simul animumque mutauit. Et cognouẽre fratres malignum inuidere bonis eorum, & ædificati sunt, facti de reliquo cautiores.

Psal. 64.

S. Colũban' & eius monasterium Luxouiẽse.

900 monachi vno die occisi à piratis.

Restaurat Malachias Benchorẽse monasteriũ.

Magnũ miraculum.

Malachias præest monasterio Benchorensi.

Vide malignitatem satanæ.

Clericum nomine Michaëlem, dysenteria laborantem, & desperatè, mittens ei aliquid de mensa sua, eodem loco sanauit. Secundò eundem ipsum grauissima infirmitate correptum, & corpore pariter curauit, & mente. Ilicò enim adhæsit Deo, & Malachiæ seruo eius, timens nè deterius aliquid sibi contingeret, si denuò ingratus tanto inueniretur & beneficio, & miraculo. Et nunc, vt audiuimus, præest cuidam monasterio sito in partibus Scotiæ: & hoc nouissimum omnium, quæ ille fundauit. Pro huiusmodi augescebat in dies & opinio, & congregatio Malachiæ, & grande ei nomen intùs & forìs, non tamen re grandius. Nempe ibì demorabatur etiam factus Episcopus, quòd locus esset vicinus ciuitati.

Cap. 8.

S. Malachias curat dysenteriam.

Vacabat tunc temporis Episcopalis sedes, & iamdiù vacârat, Malachia nolente assentire. Siquidem ipsum elegerant. Persistentibus tamen illis, tandèm aliquandò

Cap. 9.

Creatur episcopus Connerethensis. cessit, accedente ad vim faciendam mandato magistri sui, necnon & Metropolitani. Tricesimo fermè ætatis suæ anno, Malachias consecratus Episcopus introducitur Connereth: hoc enim nomen ciuitatis. Cùm autem cœpisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines se, sed ad bestias, destinatum. Nusquàm adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie. Nusquàm repererat sic proteruos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbaros, ceruicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam. Christiani nomine, re pagani Non decimas, non primitias dare, non legitima inire coniugia, non facere confessiones, pœnitētias nec qui peteret, nec qui daret, penitùs inueniri. Ministri altaris pauci admodùm erāt. Sedenim quid opùs plurium, vbì ipsa paucitas inter laicos propemodùm ociosa vacaret? Non erat, quod de suis fructificarent officijs in populo nequam. Nec enim in ecclesijs aut prædicātis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter, aut periculosè certandum. Sed qui se pastorem, & non mercenarium agnoscebat, elegit stare, quàm fugere: paratus & animam suam dare pro ouibus, si oportuerit. Et quanquàm omnes lupi, & oues nullæ, stetit in medio luporū Verū se declarat pastorem inter subditos pessimos. pastor intrepidus, omnimodìs argumentosus, quomodò faceret oues de lupis. Monere communiter: secretò arguere: flere per singulos: nunc asperè, nunc leniter conuenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profecisset, cor contritum & humiliatum offerebat pro eis. Quotiès noctes totas peruigiles duxit, extendens manus in oratione? Et cùm venire ad ecclesiam nollent, per vicos & plateas occurrebat inuitis: & circumiens ciuitatem, perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed & foris rura & oppida nihilominùs sæpiùs percurrebat, cum sancto illo comitatu discipulorum suorum, qui nunquàm deerant lateri eius. Ibat, & erogabat vel ingratis cælestis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, & in hoc virum se Apostolicum probans. Iesu bone, quanta passus est pro nomine tuo bellator tuus à filijs sceleratis? quanta sustinuit ab hisipsis, quibus, & pro quibus loquebatur bona tibi? Quis dignè exprimat, in quantis vexatus, quibus affectus sit contumelijs, quibus iniurijs lacessitus, quotiès lassatus inedia, quotiès afflictus in frigore & nuditate? Attamen cum his, qui oderūt pacem, erat pacificus, instans nihilominùs (Psal. 119.) opportunè, importunè. Blasphematus, obsecrabat: iniuriatus, opponebat scutum patientiæ, & vincebat in bono malum. Quidni vicisset? Perseuerauit pulsans, & secundùm promissionem, tandem aliquādò pulsanti apertum est. Quomodò poterat non (Luc. 11.) sequi, quod veritas prænunciauerat secuturum? Dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum est veritatem. Cessit duritia, quieuit barbaries: & domus exasperans paulatim leniri cœpit. paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam. Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanę introducuntur. Recipiuntur vbique Ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ reijciuntur. Reædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis: sacramentorū ritè solennia celebrantur. Confessiones fiunt, ad ecclesiam conueniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum. Postremò sic mutata in melius omnia, vt hodiè illi genti conueniat, quod Dominus per Prophetam dicit: Qui antè non populus meus, nunc populus meus. (Romanas leges & Ecclesiasticas consuetudines apud illos introducit. Oseæ 2.)

(Cap. 10. Iere. 1.) Contigit post annos aliquot destrui ciuitatē à Rege Aquilonaris partis Hyberniæ: quia ab Aquilone pāditur omne malum. Et fortè malū illud benè vtentibus bonum fuit. Quis scit enim, si tali flagello Deus delere voluit mala antiqua populi sui? Istiusmodi Malachias necessitate compulsus, & ipse exijt cum turba discipulorum suorum. Nec ociosus exitus eius. Hac occasione monasterium Ibracense constructū est, eunte illò Malachia cum suis numero centum viginti fratribus. Ibì occurrit ei Cormacus Rex. Ipse est, qui olìm regno pulsus, sub cura Malachiæ de misericordia Dei consolationem accepit. Et locus ille situs in regno eius. Gauisus est Rex viso Malachia, se & omnia sua exponens ei, & his, qui cum eo erant: vtpotè non ingratus, nec immemor beneficij. Adducta incōtinenti animalia multa ad vsus fratrum: multa insupèr in auro & argento ad sumptus ædificiorū pro regia liberalitate collata. Ipse quoquè erat intrans & exiens cum eis sedulus & officiosus, habitu quidem Rex, sed animo discipulus Malachię. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiam. Et in breui factus est magnus rebus, possessionibus & personis. Vbi velut de nouo inchoans, legem & disciplinam, quam alijs imponebat, magis ipse portabat Episcopus & magister. Ipse in ordine vicis suæ, coquinę ministerio inseruiebat: ipse fratribus, cùm recumberent, ministrabat. Inter succedētes inuicèm fratres ad cantandū, legendum've in ecclesia, (Vide Regis optimi insignem pietatem. Humilitas S. Malachię)

non

non se præteriri patiebatur, strenuè implens & ipse officium loco suo, tanquàm vnus ex illis. Sanctę paupertatis non modò participem, sed & principem se exhibebat, ipsius præcipuè super omnes abundantiùs æmulator existens.

Dum hæc ità aguntur, contigit infirmari Archiepiscopum Celsum: Et ipse est, qui Malachiam in Diaconem, Presbyterum, Episcopumque ordinauit. Et cognoscens quia moreretur, fecit quasi testamentum: quatenùs Malachias deberet succedere sibi, quòd nullus alius videretur dignior, qui episcoparetur in sede prima. Hoc præsentibus indixit, hoc mandauit absentibus, hoc specialiter ambobus Mumoniæ Regibus, & maioribus terræ sancti Patricij authoritate præcepit. Cuius reuerentia & honore, tanquàm Apostoli illius gentis, qui totam patriam conuertisset ad fidem, sedes illa, in qua & viuens præfuit, & mortuus requiescit, in tanta ab initio cuncti veneratione habetur: vt non modò Episcopi, & sacerdotes, & qui de clero sunt, sed etiam Regum ac principum vniuersitas subiecta sit Metropolitano in omni obedientia, & vnus ipse omnibus præsit. Verùm mos pessimus inoleuerat quorundam diabolica ambitione potentum, sedem sanctam obtentũ iri hæreditaria successione. Nec enim patiebantur episcopari, nisi qui essent de tribu & familia sua. Nec parùm processerat execranda successio, decursis iam in hac malitia quasi generationibus quindecim. Et eousquè firmauerat sibi ius prauum, immò omni morte puniendam iniuriam, generatio mala & adultera, vt etsi interdùm defecissent clerici de sanguine illo, sed Episcopi nunquàm. Denique iam octo extiterant ante Celsum viri vxorati, & absque ordinibus, literati tamen. Indè tota illa per vniuersam Hyberniam, de qua superiùs diximus, dissolutio Ecclesiasticæ disciplinæ, censuræ eneruatio, religionis euacuatio. Indè illa vbiquè pro mansuetudine Christiana, sæua subintroducta barbaries, immò paganismus quidam inductus sub nomine Christiano. Nam quod inauditum est ab ipso Christianitatis initio, sine ordine, sine ratione mutabantur & multiplicabantur Episcopi pro libitu Metropolitani, ità vt vnus Episcopatus vno non esset contentus, sed singulæ penè Ecclesiæ singulos haberẽt Episcopos. Nec mirum. Nam quomodò tam morbidi capitis membra valerent? Pro his Celsus, atque huiusmodi malis populi sui vehementer dolens, (erat enim vir bonus & timoratus) curauit omnimodò habere sibi successorem Malachiam: quòd per ipsum confideret posse explantari malè radicatam successionem: qui charus esset omnibus, & quem omnes æmularentur, & Dominus erat cum eo. Nec frustratus est à spe sua. Nam illo mortuo, substitutus est Malachias, non tamen mox, neque id facilè. Ecce enim de semine nequam, qui occupet locum, Mauricius nomine. Is per quinquennium, fretus potentia seculari, incubauit Ecclesiæ, non Episcopus, sed Tyrannus. Nam vota piorum magis in Malachiam conuenerant. Deniquè suadebant eum subire onus iuxta constitutionem Celsi: sed ille, qui omne sublime haud secùs quàm suum præcipitium declinabat, bonam sibi videbatur nactus occasionẽ excusandi, quòd per id temporis introitus eius pacificus esse non posset. Instabant tam sancto operi, & solicitabant omnes: duo potissimùm Episcopi Malchus & Gillebertus. Quorum prior, ipse est senior Lesmorẽsis, de quo suprà mentio facta est: alter, quem aiunt prima functum legatione Apostolicæ Sedis per vniuersam Hyberniam. Qui triennio iam decurso in hac præsumptione Mauricij, & Malachiæ dissimulatione, non ferentes vltrà Ecclesiæ adulterium, dedecus Christi, conuocatis Episcopis & principibus terræ, vno spiritu adeunt Malachiam, parati vim facere. At ille renuere primùm: prætendere siquidem difficultatem rei, nobilis illius prosapię multitudinem, fortitudinem, ambitionem: multum esse ad se pauperculum opponere, sed tot, tantis, talibus, taliter radicatis: qui iam annos fermè ducentos, quasi hæreditate possedissent sanctuarium Dei, & nunc quoquè id præoccupâssent: non posse illos extirpari, nec cum mortibus hominũ quidem: sua non interesse, fundi humanum sanguinem occasione suî: postremò iunctum se sponsę alteri, quam dimittere non liceret. Verùm illis econtrariò instantibus, & clamantibus, quia à Domino sermo egressus est: sed & tota authoritate iubentibus subire onus, atque intentantibus anathema: Ad mortem, inquit, ducitis me: sed obedio spe martyrij, hac tamen conditione, vt si iuxta fidem vestram res in melius cedat, & vendicet sibi Deus suam hæreditatem à diripentibus eam, tunc demùm omnibus consummatis, & Ecclesia pacem habente, liceat redire ad priorem sponsam meam, & amicam, de qua rapior, paupertatem: & pro me illic alium substituere, qui tũc fortè repertus idoneus fuerit. Nota lector virtutem viri, & animi puritatem, nec honorem scilicet affectantis, nec formi-

Cap. 11. Celsus Archiepiscop. rogat sibi substitui S. Malachiam in Episcopatu.

Nota de authoritate Archiepisco pi Hybernię

Obserua causam multorũ malorum in Hybernia.

S. Malachias Archiepiscopi sedem recusat.

Cogitur à principibus & Episcopis prouinciæ acceptare eã.

Vide insignem beati viri virtutẽ & animi puritatem.

formidantis mortem pro Christi nomine. Quid hoc animo purius, quid've fortius, vt se exponens periculo & labori, alteri fructum cedat, ipsam in loco principatûs securitatem & pacem? Facit hoc, cùm liberum sibi ex pacto retinet reditum ad paupertatem, pace & libertate Ecclesiæ restituta. Spondentibus illis, demum acquieuit voluntati eorum, vel potiùs Dei: à quo sibi iam olim præostensum recordabatur, quod de se modò dolebat fieri. Nempe iam ægrotante Celso, apparuit Malachiæ, & quidē longè posito & nescienti, mulier proceræ staturæ, & reuerendi vultûs. Percontanti quænā esset, responsum est esse vxorem Celsi. Quæ tradens ei virgā pastoralem, quam manu tenebat, disparuit. Paucis decursis diebus, Celsus moriēs misit baculum suū Malachiæ, tanquàm sibi successuro: quē vt vidit, agnouit ipsum esse, quē viderat.

Visio Malachiæ.

Cap. 12. Huius præcipuè recordatio visionis terruit Malachiam: nè, si quod diù satis dissimulârat, vltrà renueret, diuinæ iam videretur resistere voluntati. Veruntamen ciuitatem non intrauit, quandiù ille incubator vixit: nè hac occasione contingeret mori quenquam ex his, quibus vitam magis ministraturus veniebat. Ità per biennium (nam id temporis superuixit ille) agens extra vrbem, strenuè in vniuersa prouincia opus Episcopale exercuit. Illo igitur celeri morte facto de medio, rursùm Nigellus quidā, immò verò nigerrimus, sedem præripuit. Et in hoc animæ suæ Mauricius adhuc viuens prouiderat, vt hunc haberet hæredem: in quo qui damnandus exibat, operibus adijcere damnationis persisteret. Erat enim & ipse ex damnata progenie cognatus Mauricij. Cæterùm Rex, & Episcopi, & fideles terræ nihilominùs conuenerunt, vt introducerent Malachiam. Et eccè consilium malignantium ex aduerso. Quidam de filijs Belial promptus ad malitiam, potens in iniquitate, sciens locum, vbi pariter conuenire decreuissent, multis aggregatis sibi, latenter vicinū occupat collem eminentem è regione: vndè illis tractantibus alia, repentino impetu super incautos irruerēt, & interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum Episcopo trucidare, vt non esset, qui vindicaret sanguinem iustum. Res innotuit Malachiæ, & intrans Ecclesiam (erat enim propè) eleuatis manibus orauit ad Dominum. Et eccè nubes & caligo, sed & tenebrosa aqua in nubibus aëris diem verterunt in noctem. Fulgura quoquè & tonitrua, & horribiles spiritus procellarum, diem vltimum minitantur, vicinamque elementa intentant omnia mortem. Et vt scias lector, quòd oratio Malachię concusserit elementa, solos intercepit tempestas, qui quęrebant animam eius: solos turbo tenebrosus inuoluit, qui parauerant opera tenebrarum. Deniquè ipse, qui princeps extiterat tanti mali, fulmine percussus interijt cum tribus alijs: & fuère consortes mortis, qui fuerant participes sceleris. Quorum sequenti die inuenta sunt corpora semiusta, & putrida, hærentia ramis arborum, vbi quenque spiritus eleuans allisisset. Alij quoquè tres semiuiui inuenti sunt. Cæteri omnes circunquaquè dispersi. Illos autem, qui cum Malachia erant, quanuis proximos loco, tempestas omninò non tetigit, nec quicquā molestiæ intulit. In facto isto recēs capimus experimentum veritatis verbi illius: Quia oratio iusti penetrat cælos. Sed & nouum antiqui exēplum miraculi: quo olim tota Aegypto versante in tenebris, solus Israel in lumine mansit, dicēte scriptura: Vbicunq; Israël erat, lux erat. Huc mihi accurrit & factū sancti Eliæ, nūc quidē ab extremis terræ nubes & pluuias educentis, nūc verò super blasphemos inuocātis ignē de cęlo. Et modò de simili clarificatus est Deus in seruo suo Malachia.

Nigellus quidam Archiepiscopatū iure hęreditario sibi vendicat.

Ad preces S. Malachię vide quid cōsecutum sit.

Exod. 10. 3. Reg. 18. 4. Reg. 1.

Cap. 13. Malachias fit totius Hyberniæ metropolitanus. Anno ætatis suæ tricesimooctauo pauper Malachias, pulso incubatore, intrauit Ardinacha pontifex & metropolitanus totius Hyberniæ. Rege verò cæterisque, qui introduxerant eum, ad propria remeantibus, ipse remanet in manu Dei: & remanent illi foris pugnæ, intùs timores. Nam ecce viperea soboles frendens & vociferans se exhæredari, tota se intùs & foris suscitat aduersùs Dominum & aduersùs Christum eius. Porrò Nigellus videns sibi imminere fugam, tulit secum insignia quædam sedis illius, textum scilicet Euangeliorum, qui fuit beati Patritij, baculumq; auro tectum, & gemmis preciosissimis adornatum, quem nominant baculum Iesu: eo quod ipse Dominus (vt fert opinio) eum suis manibus tenuerit, atque formauerit. Et hæc summæ dignitatis & venerationis in gente illa. Nempe notissima sunt, celeberrimaque in populis, atque in ea reuerentia apud omnes, vt qui illa habere visus fuerit, ipsum habeat Episcopum populus stultus & insipiens. Ibat homo gyrouagus, & alter satanas circuibat terram, & perambulabat eam, insignia sacra circunferens. Quæ vbiquè ostentans, vbiquè eorum gratia receptabatur, concilians sibi per hæc animos omnium, & à Malachia, quosque potuisset, auertens. Hæc ille. Erat autem princeps quidam de

potcu-

potentioribus iniquæ progeniei, quem Rex priusquàm ciuitatem exiret, iurare coëgerat pacem tenere Episcopo, acceptis ab eo insupèr obsidibus multis. Is post Regis exitum, nihilominùs ciuitatem ingressus, consilium habuit cum propinquis & amicis, quomodò sanctum dolo tenerent, & occiderent: Timebant vero plebem. Et coniurantes in necem Malachiæ, constituêre locum & diem: & traditor dedit eis signum. Ipso die cùm vespertina iam solennia in Ecclesia celebraret antistes cum vniuerso clero, & multitudine populi, mittit ad ipsum nequam ille in verbis pacificis in dolo, rogans quatenùs ad se dignetur descendere, vt faciat pacem. Respondentibus qui assistebant, ipsum potiùs ad Episcopum debere venire, Ecclesiam esse competentiorem locum firmandæ pacis: siquidem præsenserant dolum. Subiungunt qui missi erant, hoc tutum non esse Principi, timere eum capiti suo, nec se credere turbis, quæ se ante hos dies causa Episcopi propemodùm interemissent. Côtendentibus in hunc modum, illis quidem, vt iret: istis verò, nè iret: Episcopus cupidus pacis, & mortis non timidus: Sinite, inquit, fratres, sinite me imitari magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor. Fortè flecto humilitate tyrãnum, & si non, vinco tamen exhibens oui pastor, sacerdos laico, quod mihi ille debuerat: Vos quoquè, quòd in me est, non parùm ædifico exemplo tali. Quid enim si contingat occídi? Non recuso mori, vt vos vitæ ex me teneatis exemplum. Oportet Episcopum (vt ait Episcoporum Princeps) non dominari in clero, sed formam fieri gregis. Haud aliam sanè formam, quàm ab illo accepimus, qui humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem. Quis mihi det hanc relinquere filijs signatam sanguine meo? Experiemini certè, an sacerdos vester dignè satìs à Christo didicerit, mortem non timere pro Christo. Et surgens, cœpit ire flentibus cunctis & supplicantibus, nè tantùm cuperet pro Christo mori, vt tantum Christi gregem desolatum relinqueret. Verùm ille totam spem suam pónens in Domino, tota alacritate perrexit, tribus tantùm comitatus discipulis, paratis mori cum eo. Qui vt calcato limine domûs repentè se medio intulit armatorum, scuto fidei ipse munitus, concidêre facies omnium, quia pauor irruit super eos, itá vt dicere posset Episcopus: Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt. Hoc verbum verum est. Videres hostiam stantem, carnifices ferro armatis manibus vndiquè circunstantes: & qui immolaret, non erat. Putares stupere lacertos: sic non fuit, qui extenderet manum. Nam & is quoquè, qui caput malitiæ videbatur, assurgit ei potiùs, quàm insurgit. Vbì, quæso, signum, ó homo, quod dederas in mortem pontificis? Hoc magìs honoris signum, quàm mortis indicium. Deferre est hoc, non mortem inferre. Res mira: pacem offerunt, qui necem parauerant. Non est, quòd abnuat, qui & vitæ periculo quæsierat eam. Itaque facta est pax, & tam firma, vt ab illa die hostem sacerdos non modò pacatum habuerit, sed subditum, sed deuotum. Quo audito, fideles quique gauisi sunt, quòd non modò saluatus sit sanguis innoxius in die illa, sed & nocentium multorum animæ, Malachię meritis euaserint ad salutem. Et appræhendit omnes circunquaquè timor, audientes quomodò duos inimicorum eius, qui viderentur ferociores & fortiores in generatione sua, sic subita virtute prostrauit Deus: istum loquor, qui in manibus est: & eum, de quo superiùs dixi. Alterũ enim terribiliter mulctatũ in corpore, alterũ misericorditer mutatũ in corde, ambos mirabiliter cõpræhendit in consilijs, quæ cogitabant.

Quidam ei necem moliuntur.

Eximia virtus eius.

1. Pet. 5.

Petrus Episcoporum Princeps: ità & Romanus Pôtifex Petri successor.

Psal. 26.

Insigne miraculum.

His itá peractis, cœpit iam in ciuitate Episcopus tota libertate disponere & ordinare de omnibus pertinentibus ad ministerium suum, non tamen sine continuo discrimine vitæ suæ. Nam etsì iam nemo, qui palàm noceret, ab insidiantibus tamen nec locus satìs tutus Episcopo erat, nec tempus feriatũ. Et deputati sunt ei viri armati ad custodiam die & nocte: sed ille magìs in Domino confidebat. Fuit verò consilium, præfatũ schismaticum insequi, eó quod seduceret multos ex insignibus, quæ ferebat, suadens omnibus Episcopũ esse debere, & sic solicitans plebes aduersùs Malachiam, atq; Ecclesię vnitatem. Et fecit sic, & sine difficultate itá in breui vniuersas sepiuit vias eius per gratiam sibi à Domino datam, & quam habebat ad omnes, vt malignus ille coactus sit dare manus, reddere insignia, & quiescere de reliquo in omni subiectione. Itá Malachias, licèt per multa pericula & labores, prosperabatur in dies, & confortabatur magìs ac magìs, abundans in spe & virtute spiritûs sancti.

Cap. 14.

Nunq̃ tutus ab insidijs S. Malachias.

Nec modò malefactores, sed & detractores Malachiæ corripuit Deus. Quidam verbi gratia, gratiam habens principum & potentum, etiam ipsius Regis, quòd esset adulator, & garrulus, & potens in lingua, fauebat per omnia aduersarijs Malachiæ, &

Cap. 15.

procaciter tuebatur partem eorum: Sancto verò & præsenti resistebat in facie, & detrahebat absenti, irreuerenter occurrens ei in omni loco, maximeq; vbi celebrioribus illum sciret interesse conuentibus. Sed citò digna linguæ procacis mercede donatus est. Intumuit & computruit lingua maledica, vermibus ex ea scatētibus, & diffluentibus toto ore blasphemo. Quos per septem fermè dies incessanter vomēs, tandèm cum illis miseram expuit animam.

Vltio cælestis in sancti viri obtrectatorem.

Cap. 16. Loquente coràm aliquandò Malachia, & populum exhortante, mulier quædā infelix ausa est interrumpere sermonem clamoribus improbis, nō deferens sacerdoti, & spiritui, qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & spiritum habens in naribus, blasphemias contumeliasq; euomebat in sanctum, dicens hypocritam & inuasorem alienæ hæreditatis, sed & caluitiei illius improperans. At ille nihil respondit ei, sicut erat verecundus & mitis: sed Dominus respondit pro eo. Versa illa in insaniā est, Domino iudicante: & crebris vocibus clamitans se suffocari à Malachia, morte demùm horrenda luit peccatum blasphemiæ. Sic misera assumēs aduersùs Malachiam improperium Elisei, verè illum sibi alterum experta est Eliseum.

Itèm in fœminam maledicam.

4. Reg. 2.

Cap. 17. Porrò quia causa pestilētię cuiusdam ortę in ciuitate, multitudinem cleri & populi solenniter cum memoria sanctorum tunc foràs eduxerat, ne hoc quidem prętereundum, quòd orāte Malachia, pestilentia ilicò conquieuit. Ex hoc iam, qui mutiret aduersùs eum, non fuit, dicētibus, qui de semine Chanaan sunt, Fugiamus Malachiam, qùia Dominus pugnat pro eo. At serò istud, quia zelus Domini vbiq; occurrens eis, persecutus est eos vsq; ad internecionē. Quomodò intra paucos dies perijt memoria eorum cum sonitu? Quomodò facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, periērunt propter iniquitatem suam? Grande hodieq; miraculum facit tam velox generationis illius deletio, his præsertìm, qui eorum nouerant superbiam atq; potentiam. Multa quidem & alia signa fuêre, quibus Deus glorificauit nomen suum, & seruum suum inter sudores & pericula confortauit. Quis dignè commemoret? Non tamen omnia præterimus, etsì non sufficimus ad omnia. Propter seriem autem narrationis, nè impediatur, aliqua, quæ dicturi sumus, reseruamus in finem.

Oratiōe depellit pestilentiā Malachias Episcopus.

Cap. 18. Igitur Malachias intra triennium reddita retributione superbis, & libertate Ecclesiæ restituta, pulsa barbarie, & reformatis vbiq; moribus Christianæ religionis, videns omnia in pace esse, cœpit cogitare de sua pace. Et memor propositi sui, constituit pro se Gelasium virum bonum, & dignum tali honore, conuenientibus clero & populo, quin potiùs sustinēribus propter pactum. Nam aliâs durum visum omninò. Quo consecrato, Regibusq; ac principibus attentiùs commendato, ipse clarus miraculis & triumphis, ad suam parochiam redit: non tamen Connereth: & audi causam dignam relatu. Diœcesis illa duas fertur habuisse antiquitùs Episcopales sedes, & duos extitisse Episcopatus. Id visum melius Malachiæ. Itaq; quos ambitio conflauit in vnum, Malachias reuocauit in duos, partem alteri Episcopo cedens, partem retinens sibi. Et propterea non venit Connereth, quòd in ea iam Episcopum ordinâsset, sed Dunum se contulit, disterminans parochias, sicut in diebus antiquis. O purum cor. O oculum columbinum. Locum tradidit nouo Episcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur: locum, in quo sederat ipse. Vbì sunt, qui de terminis litigant, pro vno viculo perpetes adinuicèm inimicitias exercentes? Nescio si quod genus hominum magìs, quàm istos, antiquum vaticinium tangat: Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminos suos. Sed hoc aliâs.

Habes exēplū eximiæ pfectionis, dū pace obtēta, alterū sibi substituit Episcopum.

Itèm aliud.

Amos 1.

Cap. 19. Malachias factus Dunensis Episcopus, confestìm more suo curauit asciscere ad solatium sibi de filijs suis conuentum regularium clericorum. Et eccè rursùs accingitur quasì nouus Christi tyro ad spiritale certamen: rursùs induitur arma potētia Deo, sanctæ paupertatis humilitatem, rigorem disciplinę cœnobialis, ocium contemplandi, orandi assiduitatem. Quæ tamen omnia voto magìs valuit diù tenere, quàm actu. Etenim vniuersi confluebant ad eum: nec modò mediocres, sed & nobiles & potentes, illius se sapientiæ & sanctitati instruendos, corrigendos ac regendos committere festinabant. Et ipse interdùm ibat, & exibat seminare semen suum, disponēs & decernens tota authoritate de rebus Ecclesiasticis, tāquàm ex Apostolis vnus. Et nemo illi dicebat: In qua potestate hæc facis? videntibus cunctis signa & prodigia, quæ faciebat: & quia vbì spiritus Domini, ibì libertas. Visum tamen sibi, non tutè satìs actitari ista absque sedis Apostolicæ authoritate, & Romam proficisci deliberat: maximeque quòd metropolicæ sedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallij vsus, quod est pleni-

Dunēsi Ecclesiæ pest.

2. Cor. 3. En tantus vir agnoscit Rom. Pontificis authorita-

plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis eius, si Ecclesia, pro qua tantum laborârat, quem hactenùs non habuerat, suo acquireret studio & labore. Erat & altera metropolica sedes, quam de nouo constituerat Celsus: primæ tamen sedi, & illius Archiepiscopo subdita, tanquàm primati. Et huic quoq; optabat nihilominùs pallium Malachias, confirmariq; authoritate sedis Apostolicæ prærogatiuam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat. Innotescente proposito, displicuit fratribus, necnon & magnatibus, & populo terræ. Omnes enim intolerabilem sibi iudicabant tam diutinam omnium pij parentis absentiam, & quòd metuerent de morte ipsius. Contigit intereà mori germanum eius, Christianum nomine, virum bonum, plenum gratiæ & virtutis. Episcopus erat, illi quidem secũdus in celebri opinione, sed vitæ sanctimonia & iustitiæ zelo fortè non impar. Huius decessus magis terruit vniuersos, & discessum Malachiæ reddidit molestiorem. Dicebant autem nullo modo assentiendum vnici peregrinationi patroni, vt non desoletur omnis terra, si duabus tantis columnis sub vno momẽto temporis destituatur. Ergò omnes pariter contradicunt. Et vim faciebant, cùm ille diuinam vltionem minatus est. Non tamẽ destitêre illi, nisi missa sorte, priùs Dei voluntas super hoc interrogaretur. Prohibente illo, nihilominùs mittunt: sed illa pro Malachiæ parte tèr respondisse inuenta est. Nec enim vna contenti vice fuêre, cupidi retinendi eum. Demùm cedentes, dimittunt illum, non tamen sine ploratu & vlulatu multo. Sed nè quid imperfectum relinqueret, tractare cœpit, quomodò defuncti fratris semen suscitaret. Et accersitis ad se tribus discipulis suis, anxius æstuabat quisnam dignior ad hoc opus, siue vtilior videretur. Et diligenter intuitus singulos, Tu, inquit, ó Edane, (sic enim vocabatur vnus) suscipe onus. Illo cunctante, & flente: Nè timeas, ait: Tu enim mihi à Domino designatus es: quia annulũ aureum, quo desponsandus es, iamnunc præuidi in digito tuo. Acquieuit ille, & Malachias eo consecrato, proficiscitur. Cumq; egressus de Scotia, peruenisset Eboracum, sacerdos quidam Sycarus nomine, intuitus eum agnouit. Nec enim faciem eius viderat antè: sed cùm haberet spiritum prophetiæ, reuelatum fuerat ei iampridèm de illo. Et nunc incunctanter circunstantibus digito eum demonstrans: Hic est, inquit, de quo dixeram: quia de Hybernia sanctus veniet Pontifex, qui scit cogitationes hominum. Sic non potuit latére lucerna sub modio, prodente eam per os Sycari spiritusancto, qui illam accẽderat. Nam & multa secreta de esse suo suorumque, dicta sunt ei à Sycaro, quæ ità esse, vel fuisse, omnia recognouit. Sed & socijs Malachiæ percontantibus de suo reditu, respondit Sycarus incunctanter, (quod pòst rei probauit euentus) paucos videlicet admodùm de numero illo cum Episcopo redituros. Illi audito hoc, suspicati sunt mortem: sed Deus aliter adimpleuit. Nempe rediens ab Vrbe, quibusdã apud nos, quibusdam & in alijs locis ad discendam conuersationis formã relictis, iuxta verbum Sycari, cum paucis admodùm repatriauit. Hæc de Sycaro.

fe. & visum pallij.

Christianus S. Malachiæ frater obit.

Edanus loco fratris demortui, ordinatur Episcopus.

S. Malachias Romam proficiscitur.

Sycarus presbyter propheta.

Cap. 20.

In ipsa vrbe Eboracensi, accessit ad eum vir nobilis secundùm seculum, Vualleluus nomine, tunc Prior in Kyrkeham regularium fratrum: nunc verò monachus, & monachorũ pater in Mailros monasterio ordinis nostri: qui deuotus Malachiæ se orationibus sanctis humiliter commendauit. Is aduertens multos habere Episcopum socios, & equos paucos, (nam præter ministros, & clericos alios, quinque cum eo erant presbyteri, & equi non nisi tres) obtulit ei suum, quo ipse vehebatur, hoc solùm dolere se inquiens, quòd esset runcinus durè portans. Et addit: Libentiùs dedissem, si melior fuisset: sed si dignamini, ducite qualemcunque vobiscum. Et ego (ait Episcopus) eo libentiùs accipio, quo prædicas viliorem: quia non potest mihi vile esse, quicquid tam preciosa voluntas obtulerit. Et conuersus ad suos: Hunc, inquit, sternite mihi, quia commodus satis, & sufficiens erit in longum. Quo facto, ascendit: & primò quidem durum, vt erat, sentiens, postmodùm mira mutatione valdè commodum sibi & suauiter ambulantem inuenit. Et nè caderet super terram de sermone, quem dixerat, vsq; ad nonum annum, quo mortuus est ipse, non defecit ei, factus optimus & preciosissimus palefridus. Quodq; euidentius miraculum cernentibus fecit, de subnigro cœpit albescere, & non multò pòst vix inueniebatur albior illo. Mihi quoquè in hac via datum est videre virum: & in eius visu & verbo refectus sum, & delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Et ego vicissim, peccator licet, inuéni gratiam in oculis eius extunc, & deinceps vsque ad obitum ipsius, sicut in procemio præfatus sum. Ipse etiam dignatus diuertere ad Claramuallem, visis fratribus, compunctus est: & illi non mediocriter ædificati in præsentia & sermone eius. Et acceptans

Equus ex incõmodo fit cõmodissimus S. Malachiæ.

Nota miraculum.

Venit in Claramuallem.

Sanat puerum moribundum.

ceptans locum,& nos,atq; intimis visceribus colligens, valedixit nobis, & abijt. Qui transalpinans, cùm venisset Iporiam ciuitatem Italiæ, hospitis sui paruulum filium, qui malè habens moriturus erat,continuò sanauit.

Cap. 21.

Erat tunc temporis in sede Apostolica felicis memoriæ Innocentius secundus Papa:qui eum benignè suscepit,humanè satis illi super lõga peregrinatione compassus. Et primò quidem Malachias,quod altiùs infixerat animo, cum multis lachrymis implorabat,licere sibi viuere,& mori in Claraualle,permissu & benedictiõe summi Pontificis. Et petijt hoc,non oblitus ad quod venerat, sed affectus,quò venerat, desiderio Claræuallis. Non autem obtinuit,quòd vir Apostolicus lucris potiùs vberioribus occupandum decerneret. Nec tamen omninò frustratus est à desiderio cordis sui, cui mori ibì, etsì non viuere, donatum est. Mensem integrum fecit in Vrbe, loca sancta perambulans,& frequentans causa orationis. Cumq; per id temporis sæpè ac diligenter ab eo,& ab his,qui cum eo erant,summus Pontifex inquisisset, esse patriæ, mores gentis,statum Ecclesiarum,& quanta in terra Deus per eum operatus fuisset : paranti iam repatriare commisit vices suas,per vniuersam Hyberniam legatum illum constituens. Significatum siquidem erat ei ab Episcopo Gilleberto, qui, vt suprà memorauimus, tunc legatus extiterat, quòd iam non posset præ senio & debilitate corporis villicare. Post hæc petit Malachias confirmari nouæ metropolis constitutionem, & vtriusq; sedis pallia sibi dari. Et confirmationis quidem priuilegium mox accepit: De pallijs autem (ait summus Pontifex) oportet solenniùs agi. Conuocatis Episcopis,& Clericis,& maioribus terræ,celebrabis generale conciliũ:& sic conniuentia & communi voto vniuersorum per honestas personas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deindè tollens mithram de capite suo,imposuit capiti eius: sed & stolam cum manipulo dedit illi, quibus vti inter offerendum solebat. Et salutatum in osculo pacis dimisit eum, Apostolica fultũ benedictione & authoritate. Qui reuertens per Claramuallem,suam secundam nobis largitus est benedictionẽ. Et alta suspiria trahens,quòd non liceret sibi pro suo desiderio remanere: Hos,inquit,interìm pro me, oro,vt retineatis,qui à vobis discant, quod nos postmodùm doceant. Et infert: Erunt nobis in semen,& in semine isto benedicentur gentes,& illę gentes,quę à diebus antiquis monachi quidem nomen audièrunt,monachum non viderunt. Et dimissis quatuor à latere suo,abijt. Qui probati,& digni inuenti,monachi facti sunt. Post aliquod tempus, cùm iam sanctus esset in terra sua,misit alios,& de illis factum est similiter. Quibus per aliquantum tempus instructis, & eruditis corde in sapientia, dato eis in patrem sancto fratre Christiano,qui erat vnus ex ipsis,emisimus eos,adiungẽtes de nostris,quanti sufficerent ad numerũ Abbatiæ. Quæ concepit,& peperit filias quinque: & sic multiplicato semine, augescit indiès numerus monachorum, iuxta desiderium & vaticinium Malachiæ. Nunc iam repetamus ordinem narrationis.

Romę sacra loca inuisit.

Sũmi Põtificis erga eũ humanitas.

Reuertitur in monasterium Clareuallen.

Sex Abbatię Ordi. Cister tien. instituuntur in Hybernia.

Cap. 22.

Malachias profectus à nobis, prosperè peruenit in Scotiam. Et inuenit Dauid Regem, qui adhuc hodiè superest, in quodam castello suo : cuius filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingressus, honorificè à Rege susceptus, & humiliter exoratus, vt sanaret filiuum suum : aqua, cui benedixit, adspersit iuuenem, & intuens in eum, ait: Confide fili,non moriéris hac vice. Dixit hoc: & die sequenti,secundùm dictum prophetæ,secuta est sanitas,sanitatem lætitia patris, clamor & strepitus totius exultantis familiæ. Exijt sermo ad omnes : nec enim quod in domo regia, & Regis acciderat filio,latére potuit. Et eccè vbiquè resultans gratiarum actio, & vox laudis, tum pro salute domini,tum pro miraculi nouitate. Henricus est iste : nam viuit adhuc vnicus patris sui,miles fortis & prudens,patrizans (vt aiunt) in sectando iustitiam & amorem viri. Et amauit vterque Malachiam, quandiù vixit, tanquàm qui illum à morte reuocâsset. Rogabant eum manere per aliquot dies : sed ille declinans gloriam, moram non sustinuit : & manè carpebat iter. Transeunti igitur per villam, nomine Crugeldum, occurrit puella muta. Orante illo,solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Dehinc villam ingrediens, quam nominant Ecclesiam sancti Michaëlis, oblatam sibi mulierem phreneticam, & vinctam funibus, coram omni populo curat : & dimissa incolumi, proficiscitur. Perueniens verò ad portum Lapasperi, transitum ibì per aliquot dies præstolabatur: sed mora minimè transijt ociosa. Construitur interìm de virgis in sepem textis oratorium, ipso iubente, ipso operante pariter. Consummatum circundedit vallo : atque interiacens spatium in cœmeterium benedixit. Sanè merita benedicentis, miracula satìs declarant : quæ vsque hodiè ibì actitari feruntur.

Aqua benedicta sanat filium regis Scotiæ.

Sanat mutam.

Itèm phreneticam.

Nota miracula in cœmeterio benedicto.

feruntur. Indè est, quòd de finitimis locis infirmos & malè habētes, illò portare consueuerunt: & sanantur multi. Mulier totis dissolutis mēbris, plaustro vecta illuc, pedibus suis remeauit domum, vna duntaxàt nocte non frustrà in loco sancto prestolata misericordiam Domini. Alia quædam ibidèm pernoctabat in oratione: quam fortè reperiens solam homo barbarus, accensus libidine, & suî minimè compos, irruit rabiosus in eam. Conuersa illa, & tremefacta suspiciens, aduertit hominem plenum diabolico spiritu, Heus tu, inquit, miser, quid agis? Considera vbì es: reuerere hæc sancta: defer Deo, defer seruo eius Malachiæ: parce & tibijpsi. Non destitit ille, furijs agitatus iniquis. Et eccè (quod horribile dictu est) venenatum & tumidum animal, quod bufonem vocant, visum est reptans exire deinter femora mulieris. Quid plura? Terrefactus resilijt homo, & datis saltibus, festinus oratorio exilijt. Ille confusus, abscessit: & illa, intacta remansit, magno quidem & Dei miraculo, & merito Malachiæ. Et pulchrè operi fœdo & abominando, fœdū interuenit & abominabile monstrum. Non prorsùs aliter decuit bestialem extingui libidinem, quàm per frigidissimum vermem: nec aliter temerarium frenari ausum, frustrari conatum, quàm per vilem, inutilemque bestiolam. Et hæc loco isto sufficiant, pauca de pluribus. Nunc iam reliqua prosequamur.

Disce hinc deferēdum locis sacratis.

Ascendit Malachias nauem, & prosperè nauigans, applicuit monasterio suo Benchorensi, vt primi filij primam reciperent gratiam. Quid animi putas gessisse illos, sano de via tam longa recepto patre, & illo patre? Nec mirum, si se tota in gaudium effuderunt viscera eorum in reditu eius, quandò & exteris circunquaquè gentibus incredibilem mox lætitiam velox rumor inuexit. Deniquè de ciuitatibus, & castellis, & vicis occurrunt ei: & quocunquè diuertat, suscipitur exultatione vniuersæ terræ. Veruntamen non sapit honor: opus exercetur legationis. Multis in locis celebrantur conuentus multi, nè qua regio, seu portio regionis, legationis fructu & vtilitate fraudetur. Seminatur super omnes aquas: non est qui se abscondat ab opera solicitudinis eius. Non sexus, non ætas, non conditio, non professio reputatur. Vbiquè semen spargitur salutare: vbiquè intonat tuba cælestis. Vbiquè discurrit, vbiquè irrumpit, euaginato gladio linguę ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Terror eius super facientes mala. Clamat iniquis, Nolite iniquè agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu. Religio vbiquè plantatur, propagatur, fouetur. Oculi eius super eos, & cura eius ad necessitates eorum. In concilijs, quæ passìm celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuisse constiterit, abolitas verò negligentia sacerdotum. Nec modò vetera instaurantur, cuduntur & noua. Et quæcunque promulgauerit, tanquàm cælitùs edita acceptantur, tenentur, scripto mandantur ad memoriam posterorum. Quidni cælitùs missa crederentur, quæ tot cælestia confirmant miracula? Et vt fidem dictis faciam, perstringam nonnulla paucis. Quis enim cuncta enumeret? Quanquàm libentiùs, fateor, imitandis immorer, quàm admirandis.

Cap. 23.

Præclarè exercet munus Legati.

Psal. 149.

Psal. 74.

Religio Christiana vbique per eum plantatur & reformatur.

Et meo quidem iudicio primum & maximum miraculum, quod fecit, ipse erat. Vt enim taceam interiorem hominem eius, cuius pulchritudinem, fortitudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius & vita: ipsum exteriorem ità vno semper modo, ipsoq; modestissimo & decentissimo gessit, vt nil prorsùs appareret in eo, quod posset offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus est vir. At verò in Malachia quis vnquàm, etiamsì curiosiùs obseruârit, depræhendit ociosum non dico verbum, sed nutum? Quis manum, pedem've mouentē frustrà? Immò quid non ædificans in eius incessu, adspectu, habitu, vultu? Deniquè vultûs hilaritatem nec fuscauit mœror, nec leuigauit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia serius, sed non austerus. Remissus interdùm, dissolutus nunquàm. Negligens nihil, etsì pro tempore multa dissimulans. Quietus sæpè, sed minimè aliquandò ociosus. A die primo conuersionis suæ vsque ad extremum vitæ, sine proprio vixit. Non seruos, non ancillas, non villas, non viculos, non deniquè quicquam redituum ecclesiasticorum secularium've, vel in ipso habuit Episcopatu. Mensæ Episcopali nihil prorsùs constitutum, vel assignatum, vndè Episcopus viueret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem penè incessanter circumiens parochias omnes, Euangelio seruiens, & de Euangelio viuens, sicut constituit ei Dominus, Dignus est, inquiens, operarius mercede sua. Nisì quòd frequentiùs ipsum Euangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque ferebat,

Cap. 24.

Nota de optimis moribus eius.

Iacob. 3.

Insignis ei⁹ paupertas voluntaria.

Luc. 10.

vndè

vndè se & alios, qui secum laborabant in opere ministerij, sustentaret. Porrò si interdùm quiescere oporteret, in sanctis hoc faciebat locis: quæ ipse per Hyberniam sparserat vniuersam. Apud quos verò moram facere libuisset, illorum se cõformauit moribus & obseruantijs, communi contentus vita & mensa. Non fuit in victu, non fuit in vestitu, in quo potuisset Malachias dignosci inter cæteros fratres. Intantùm cùm maior esset, humiliauit se in omnibus. Deniquè cùm exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes & ipse ibat, Episcopus & Legatus. Forma Apostolica hæc: & indè magìs mira in Malachia, quo rara nimìs in alijs. Verus profectò Apostolorum hæres est iste, qui talia agit. Sed aduertere est, quomodò diuidat hæreditatem cum fratribus suis, æquè nepotibus Apostolorum. Illi dominantur in clero: iste dum esset liber ex omnibus, omnium se seruum fecit. Illi aut non euangelizantes manducant, aut euangelizant vt manducent: Malachias imitans Paulum, manducat, vt euangelizet. Illi fastum & quæstum æstimant pietatem: Malachias hæreditate vendicat sibi opus & onus. Illi felices se credunt, si dilatauerint terminos suos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregant in horrea, & dolia replẽt, vndè onerent mensas: Malachias colligit in deserta & solitudines, vndè impleat cælos. Illi cùm accipiant decimas, & primitias, & oblationes, insupèr & de Cæsaris beneficio telonia, & tributa, & alios reditus infinitos: soliciti sunt nihilominùs, quid manducent, & quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis, nec solicitudinis vllus est finis: Malachias cupiens nihil, non nouit tamen cogitare de crastino. Illi à pauperibus exigunt, quod dent diuitibus: iste solicitat diuites pro pauperibus sustentandis. Illi marsupia vacuant subditorum: iste pro peccatis eorum altaria cumulat votis, hostijsque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres ac mœnia ad cælos leuant: Malachias non habens vbì caput reclinet, opus facit Euangelistæ. Illi equos ascendunt cum turba hominum gratìs manducantium panem, & non suum: Malachias septus sanctorum fratrum collegio, pedes circuмit, portans panes Angelorum, quibus satiet animas esurientes. Illi plebes ne agnoscunt quidem, iste erudit. Illi potentes & tyrannos honorãt, iste punit. O virum Apostolicum, quem tot & talia nobilitant signa Apostolatûs sui. Quid ergò mirum, si mira est operatus sic mirabilis ipse? Immò verò non ipse, sed Deus in ipso. Alioquìn tu es Deus, inquit, qui facis mirabilia.

Eximia humilitas. *Viuit secundùm formã Apostolorũ.* *1. Cor. 9.* *Opus facit Euãgelistæ.* *Psal. 76.*

Erat mulier in ciuitate Culratim, dæmonium habens. Vocatus est Malachias: orat pro addicta: vrget inuasorem: exit. Sed nondùm exaturata nequitia eius, miseram inuadit mulierculam, quæ fortè propè assisteret. Et Malachias: Non ad hoc, inquit, tibi illam tuli, vt hanc peruaderes: exi & ab ea. Páret: sed repetit priorem. Qua denuò pulsus, recurrit in alterã. Ità per aliquod spatium alternatìm vexabat illas, hinc indè refugiens. Tunc sanctus indignans sibi illudi à dæmone, colligensq; spiritum, infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in aduersarium, ab vtraque fugauit: & quidem non minùs vexatum his, quas vexauerat ipse. Cæterùm quòd moram fecit sancto, non putes, lector, fuisse virtutis eius, sed dispensationis diuinæ, vt videlicet ex hoc manifestior fieret, & maligni præsentia, & victoria Malachiæ. Deniquè audi quid alibì fecerit, non autem per præsentiam suam. Et vtiquè potuit præsens, quod absens valuit.

Cap. 25. *Vide nequissimũ dæmonem.* *Expellit eũ ab obsessis.*

In regione Aquilonaris partis Hyberniæ iacebat infirmus in domo: nec dubium, quin dæmonum maleficio. Nam quadam nocte audiuit eos loquentes, dicẽtes alter ad alterum: Vide, nè miser iste hypocritę illius stratum, straménve contingat, & sic effugiat manus nostras. Cognouit homo, quòd Malachiam loquerẽtur, quẽ non multò antè in eadem domo meminerat pernoctâsse, & adhuc stramen in loco. Sumpta[illegible] fidutia, & quo potuit conatu, cœpit repere debilis corpore, sed fide fortis. Et eccè in aëre clamor & vociferatio: Prohibe eum, prohibe: retine eũ, retine: Amittimus prædam. Verùm is, quem portabat fides & desiderium euadendi, quanto plùs clamabãt illi, tanto magìs genibus manibusque nitens, ad remedium festinabat. Et perueniens ascendit lectulum, volutatur in stramine, audit vlulatum plangentium: Heu, heu, ipsi nos prodidimus: decepti sumus: euasit. Et dicto citiùs recessit ab eo dæmonũ terror & horror, quem patiebatur, & omnis pariter ægritudo. In Lesmor ciuitate homo à dæmonio vexatus, per Malachiã liberatus est. Itèm transeunti aliquandò Plaginiam, oblatus illi infans habens dęmonium, sanus relatus est. In regione eádem ligatam funibus phreneticam solui iussit, & in aqua, quam benedixit, lauari. Lota est, & sanata est.

Cap. 26. *Miracula eius.* *Nota mirabilẽ graciã Dei in sanctis eius.*

est. Alteram quoq; in Saballo regione Vlydiæ, membra propria dētibus laniantem, orando & tangendo curauit. Amentem hominem multa prædicētem futura, amici Sanat furiosum vatē. & propinqui adducunt ad Dei hominem vinctum funibus fortiter, quòd fortem ad nocendum rabies ipsa fecisset, & terribilem valdè. Orat Malachias, & incontinentì æger sanatur & soluitur. Factum est hoc loco quodam, cuius nomen tacemus, quòd nimis barbarum sonet, sicut & alia multa. Alio tempore in prefata ciuitate Lesmor puellam mutam parentes eius in media platea offerunt transeunti, cum multa supplicatione rogantes, vt ei subuenire dignetur. Stat Malachias, & facta oratione, tan- Muta loquitur. gens digito linguam eius, sputum misit in os eius, & loquentem dimisit.

Exiens de quadam ecclesia, obuium habuit hominem cum vxore sua, quæ non Cap. 27. poterat loqui. Rogatus, vt eius misereatur, stat in porta populo circunstante: & data benedictione super eam, iubet Dominicam dicere orationem. Dixit illa: & populus benedixit Dominum. In ciuitate cui nomen Oenthreb, decumbens lectulo quidam diues, iam dies duodecim priuatus linguæ officio, ad visionem visitantis se sancti, lo- Mut' moribūdus loquitur, confitetur, sumit Eucharistiam. quelam recuperat, Eucharistiam sumit: & ità munitus, extremum in bona confessione efflauit spiritum. O oliua fructifera in domo Dei, ô oleum iucunditatis, vngens & lucens. Et splendore miraculi illustrauit sanos, & suauitate beneficij vnxit infirmum, cui mox morituro salutarem confitendi & communicandi obtinuit facultatem. Intrauit ad eum quidam de nobilibus, habens ei aliquid dicere. Qui inter loquendum fide plenus, tres iuncos piè furatus de lectulo, in quo ille sedebat, tulit secum: & mul- Nota. ta Deus de furto pietatis est operatus, fide illius, & præsulis sanctitate. Fortè venerat in ciuitatem, nomine Duenuania. Et cùm sederet ad mensam, ingressus vir nobilis de ciuitate ipsa, humiliter supplicat pro vxore prægnante, quæ iam solenne præterijsset tempus pariendi, ità vt mirarentur omnes: & nemo, qui aliud quàm vitæ periculum, crederet imminere. Rogat & cum eo Neemias Episcopus illius ciuitatis, qui iuxta eum sedebat: rogant & cæteri, quotquot aderant simul discūbentes. Tum ille: Compatior ei, inquit, quòd bona mulier sit, & pudica. Et porrigens viro poculum, cui benedixerat: Vade, inquit, da illi bibere: sciens eam sumpto benedictionis potu, & sine Nota vim benedicti poculi. mora, & sine periculo parituram. Factū est quod præcepit, & nocte ipsa subsecutum est, quod promisit. Sedebat in campo cum Comite Vlydiç aliqua tractans: & multitudo copiosa circa eos. Venit mulier grauida, & verè grauida: Indicat se cōtra omnes naturæ leges retinere partum iam quindecim mensibus & diebus viginti. Compassus Malachias super nouo & inaudito incommodo, orat, & mulier parit. Et qui aderant, lætati sunt, & mirati sunt. Omnes enim viderunt, in qua facilitate & velocitate loco eodem enixa sit: & triste negati partûs periculum, miraculo commutatum iucundiori.

Accidit ibidem quiddam pari quidem miraculo, sed sorte dispari. Vidit hominem, Cap. 28. qui publicè tenere diceretur concubinam fratris: & hic erat miles minister Comitis. Et publicè conueniens incestuosum, alterum ei Iohannem exhibuit: Non licet tibi, Marc. 6. inquiens, concubinam habere fratris tui. At ille alterum ipsi nihilominùs Herodem redhibens, non modò non audiuit eum, sed & superbè respondit, & coram omnibus iurabat nunquàm se dimissurum. Tum commotus Malachias, sicut erat pro iustitia vehementer zelans: Et Deus, inquit, te ab illa separet vel inuitum. Paruipendens ille, ex instanti abijt indignabundus. Offendensque mulierem non longè à turba constituta in loco, vi oppressit eam, sicut erat satanæ totus, cui pauloantè traditus fuerat. Nec latuit flagitium. Ancilla, quæ dominam comitabatur, recurrens domum, (nempe haud procùl aberat loco) nunciat anhela, quid mali acciderit. Ad quam vocem germani illius, qui domi erant, zelantes sororis stuprum, tota illò fe- Terribile Dei iudiciū in contemptorem S. Malachiæ. stinantia peruolant, pudicitiæ hostem ipso in loco & opere sceleris depræhensum multis confossum vulneribus interimunt. Necdùm conuentus solutus erat, cùm eccè armiger illius, quod euenerat, nunciauit. Et mirati sunt vniuersi, quòd sententia Malachiæ tam celerem habuisset effectum. Timuerunt quique flagitiosi, audito hoc verbo: (nam multi erant in terra) & territi, purgati sunt, lauantes manus suas in sanguine peccatoris.

Diarmitium Comitem multo iam tempore decumbentem lecto, duriter quidem Cap. 29. increpans, quòd malus homo esset, immoderatiùs seruiens ventri & gulæ, benedicta Repentina Comitis curatio. adspersum aqua, surgere fecit sine mora, & ità valentem, vt equum ascenderet ilicò; & vtiquè præter spem suam ipsius & suorū. In vrbe Caselensi venit homo ante eum

cum filio paralytico, rogans illum sanari. Qui orans breuiter: Vade, inquit, filius tuus sanabitur. It, & crastinò redit cum filio, sed minimè sanato. Tum surgens Malachias, & stans super eum diutiùs orauit, & sanatus est. Et conuersus ad patrem: Offer, inquit, illum Deo. Annuit homo, sed non tenuit: & post aliquot annos ille iam iuuenis recidit in idipsum, sine dubio propter inobediētiam patris, & pacti transgressionem. Alius quidam veniens de longinquo, cùm esset Malachias in finibus Mumoniæ, attulit ad eum filium, pedum penitùs officio destitutum. Percontatus quonam modo illi accidisset: Vt suspicor, inquit, dæmonum malignitate. Et addit: Ludenti in prato ipsi (nî fallor) immisêre soporem: euigilansque puerulus, sic se inuehit. Hæc dicens, cum lachrymis precem fundit, efflagitat opem. Misertus eius orauit Malachias, iubens ægrum interim dormire ibidem super solium. Dormiuit, & surrexit sanus. Hunc ipse, quia delongè venerat, aliquādiù in comitatu suo retinuit: & erat ambulans cum eo. In monasterio Benchorensi pauper quidam fratrum eleemosynis sustentabatur. Et erat quotidianam accipiens stipem, aliquid officij factitans in pistrino. Is claudus ab annis duodecim, humì manibus repens, post se trahebat pedes emortuos. Quem die quadam ante cellam suam Malachias mœstum & mœrētem inueniens, causam percontatur. Et ille: Vides, inquit, quàm ex longo misellus affligor, & manus Domini super me: & eccè ad cumulum ærumnæ, homines, qui misereri debuerant, irrident me potiùs, miseriç exprobrantes. Quem vbi audiuit, pietate motus, suspexit in cęlum, manus pariter leuans. Facta autem breui oratione, ipse intrauit cellam, & ille surrexit. Et stans super pedes suos, mirabatur, si verè esset quod erat, penè somnium suspicatus. Cœpit tamen se pedetentim mouere: neq; enim posse ire satis credebat. Tandèm quasi è graui somno euigilans, cognoscit misericordiam Domini super se: firmiter graditur, & in pistrinum reuertitur, exiliens & exultans, & laudans Deum. Viso eo, qui antè viderant & cognouerant, repleti sunt stupore & ecstasi, phantasma putantes. Virum itèm hydropicum orando sanauit, qui ilicò permansit in monasterio, pastor ouium factus.

Pœna non seruantis promissa. *Claudus sanatur.* *Itèm alter.* *Itē hydropicus.*

Cap. 30. Ciuitas Hyberniæ, nomine Corcagia, vacabat Episcopo. Tractatū est de electione: dissensêre partes, quibusque, vt assolet, præsulem volentibus constituere suum, non Dei. Venit illuc Malachias, audita dissensione. Conuocato clero & populo, etiā corda & vota discordantium vnire curauit. Et persuasis illis totum negocium sibi debere credi, cui potissimùm solicitudo incūberet illius, sicut & aliarum per Hyberniam Ecclesiarum, incontinentì nominat eis non quempiam de nobilibus terræ, sed magìs quendam hominem pauperem, quem sciret sanctum & doctum: & hic erat alienigena. Quæritur ille: nūciatur decumbere lecto, & ità debilis, vt nullo pacto exeat, nisi in manibus portatus ministrantium. Et Malachias: Surget, inquit, in nomine Domini: ego præcipio, obedientia saluum faciet eum. Quid faceret ille? Parére volebat, sed imparatum se sentiebat: quòd etsi posset ire, Episcopari reformidabat. Ità cum voluntate obediendi, pugnante gemino hoste, pondere languoris, & metu oneris, vicit illa tamen, data sibi in adiutorium spe salutis. Itaq; conatur, mouet sese, tentat vires, inuenit se solito fortiorem. Crescit pariter fides cum viribus, & rursùm facta fortior fides dat vicissìm viribus incrementum. Iam surgere per se valet, iam meliusculè gradi: iam nec sentire in ambulādo lassitudinem, demùm expeditus & alacer peruenire ad Malachiam sine hominis adiutorio. Qui assumens eum, misit in cathedram, clero & populo collaudante. Hoc ità in pace factum est, quia nec illi ausi sunt Malachię voluntati in aliquo obuiare, videntes signū, quod fecerat: nec ille parére dubitauit, tam euidenti argumento factus securior de Domini voluntate.

Eccè quāta viro Dei cura sit de Ecclesijs sibi commissis. *Sanat morbidū, & constituit Episcopum.*

Cap. 31. Mulier quædam fluxum sanguinis patiebatur: & hæc nobilis charissima Malachię, plùs tamen ob morum, quàm generis, nobilitatem. Quæ ex toto deficiens, (nimirùm cum sanguine exhaustis viribus) iam posita in extremis, misit ad Dei hominem, vt, quod supererat, animæ subueniret, qui se iam non esset visurus in corpore. Audiens Malachias, molestè tulit, quòd mulier virtutis foret, & vita eius fructuosa opere & exemplo. Et videns se non posse satis accurrere tempestiuè, accito Malcho, quòd iuuenis esset, & expeditus: (ipse est, cuius suprà meminimus, frater Christiani Abbatis) Accelera, inquit, fer illi tria poma hæc, super quæ nomen Domini inuocaui. Confido in ipso, quòd, vbi ex eis gustauerit, non gustabit mortem, priusquàm nos videat, etsi tardiusculè secuturos. Festinat Malchus secundùm mandatum, & veniens, intrat ad
4. Reg. 4. morituram, alterum se exhibens puerum Elisei, nisi quòd huius efficacior opera fuit.

iubet missam sibi à Malachia benedictionem accipere, & gustare, si quo modo valuerit. At illa exhilarata, audito nomine Malachiæ, vt obedire possit, nutu signat, paulispèr se erigi velle: nam verbo non poterat. Erigitur, gustat: gustato confortata est: loquitur, & gratias agit. Et immisit Dominus soporē in eam, & suauissime requieuit in eo, cuius vsu diù caruerat, sicut & esu. Stetit interìm sanguis, & post modicū expergefacta, sanam se reperit, nisì quòd longa inedia, & sanguinis minutione adhuc debilis erat. Si quo minùs, die sequenti desideratus Malachię aduentus adspectusq; perfecit.

Nota tēmirā in pomis benedictis à Malachia.

Habitabat vir nobilis in vicinia Benchorensis monasterij. Cuius vxor cùm infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias vt descenderet, priusquàm moreretur, infirmam vncturus oleo: descendit, & intrauit ad eam. Quo viso, exultat illa, spe animata salutis. Et cùm pararet vngere eam, visum est omnibus differendum potiùs vsque manè. Erat enim vespera. Acquieuit Malachias, & data benedictione super ægram, exiuit cum his, qui secum erant. At verò post modicum subitò clamor factus est, planctus & strepitus multus per totam domum: siquidem insonuit, quòd mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, & secuti sunt eum discipuli eius. Et accedens ad lectum, vt certò comperit expirâsse, cōsternatus est animo, sibi imputans, quòd fraudata gratia sacramenti obièrit. Et eleuatis in cælum manibus: Obsecro Domine, inquit, insipienter egi. Ego, ego peccaui, qui distuli: non ista, quæ voluit. Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturum consolationem, nullam daturum requiem spiritui suo, nisì, quam tulerat, liceret restituere gratiam. Et stans super eā, tota nocte laborabat in gemitu suo: & pro oleo sancto largo imbre lachrymarum perfundens mortuam, vicem illi vnctionis, quam poterat, exhibebat. Ipse quidem sic: Ad suos autem: Vigilate, inquit, & orate. Itaque in psalmis illi, ille in lachrymis, noctem duxêre peruigilem. Et manè facto, exaudiuit Dominus sanctum suum, quia spiritus Domini erat postulans pro eo, qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperuit oculos, quæ fuerat mortua: &, vt solent, qui de graui somno euigilant, fricans sibi manibus frontem & tempora, super lectum se erigit, & agnito Malachia, inclinans deuotè salutat eum. Et verso luctu in gaudium, stupor appræhendit omnes, & qui viderunt, & qui audiêrunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et vnxit eam nihilominùs, sciens in hoc sacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei saluet infirmum. Post hæc abijt ille, & illa conualuit, & viuens incolumis tempore aliquanto, vt gloria Domini manifestaretur in ea, peracta pœnitentia, quam sibi Malachias iniunxerat, in bona confessione iterùm obdormiuit, & migrauit ad Dominum.

Cap. 32.

Nota quantùm doleat tātus vir, quòd sine extrema vnctiōe obierit fœmina.

Rom. 8.

Mortua reuiuiscit.

Iacob. 5.

Extrema vnctio, sacramentū est.

Fuit itèm mulier, cui spiritus iracundiæ & furoris intātùm dominaretur, vt non solùm vicini & cognati fugerent consortium eius, sed filij quoq; ipsi vix sustinerent habitare cum ea. Clamor, & rancor, & tempestas valida, vbicunquè fuisset. Audax, & ardens, & præceps, metuenda lingua & manu, importabilis omnibus, & inuisa. Dolentes filij tum pro illa, tum pro seipsis, trahunt illam ad præsentiā Malachiæ, lachrymabilem cum fletu querimoniam deponentes. Vir autem sanctus & periculum matris, & incommodum miserans filiorum, seorsùm aduocat illam: Fueritne confessa aliquando peccata sua, solicitè percontatur. Respondit, Nequaquàm. Confitere, inquit. Paret. Et ille iniungens pœnitentiam confitenti, oransque super eam, vt Dominus omnipotēs det ei spiritum mansuetudinis, in nomine Domini Iesu, nè vltrà irascatur, iubet. Sequitur tanta mansuetudo, vt pateat omnibus non esse aliud, quàm admirabilem mutationem dexteræ excelsi. Fertur adhuc hodiè viuere, & tantę esse patientię & lenitatis, vt quæ omnes exasperare solebat, nullis modò exasperari damnis, contumelijs, afflictionibus queat. Si licet me, iuxta Apostolum, abundare in sensu meo, accipiat quisq; vt volet: ego istud superiori suscitatę miraculo mortuę censeo pręferendum, quòd exterior quidem ibì, hîc verò interior reuixerit homo. Et nunc curramus ad reliqua.

Cap. 33.

Nota de cōfessione & satisfactione.

Pręstantissimum miraculum.

Rom. 14.

Vir secundùm seculum honorabilis, secundùm Deum timoratus, veniens ad Malachiam, questus est super sterilitate animæ suæ, supplicās vt sibi obtineret ab omnipotente Deo gratiam lachrymarum. Et subridens Malachias, quòd gratum haberet in homine seculari desiderium spiritale, suam maxillam maxillæ illius quasi blandiendo coniūngēs: Fiat, inquit, tibi, sicut petîsti. Tantos exindè, & penè cōtinuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius, vt illud Scripturæ ei posse aptari videretur: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.

Cap. 34.

Verè mirabilis Deus in sanctis suis.

Cantic. 4.

Cap. 35. Est insula maris in Hybernia, ab olim fœcunda piscium: & mare ibi piscosum valdè. Peccatis (vt creditur) habitantium adempta copia solita: quæ multos habebat filios, infirmata est, & à tanta funditùs suî commoditate emarcuit. Dolentibus accolis, & iacturam grauem populis ægrè ferentibus, reuelatum est cuidam mulieri, precibus Malachiæ posse afferri remedium. Idque innotuit omnibus, ipsa prodente. Nutu Dei contigit adesse Malachiam. Dum enim circumiret, & repleret Euangelio regionem, diuertit illuc, vt & ipsis eandem gratiam impartiret. At Barbari, quibus erat maior cura de piscibus, omni instantia flagitant, vt potiùs respicere dignetur super sterilitatem insulæ suæ. Qui cùm responderet se minimè ad hoc venisse: hominum magis, quàm piscium desiderare capturam: videns tamen fidem eorum, flexis in litore genibus, orauit ad Dominum, vt, licèt indignis, indultum olim beneficium tāta fide repetentibus non negaret. Ascendit oratio, ascendit & piscium multitudo, & forrè vberior, quàm in diebus antiquis, & ipsa populo terræ perseuerans vsq; in hodiernum diem. Quid mirum, si oratio iusti, quæ penetrat cælos, penetrauit abyssos, & de profundo maris tantas piscium copias euocauit?

Nota vim preci eius.

Cap. 36. Venerunt aliquandò tres Episcopi in villam Fochart, quem dicunt locum natiuitatis Brigidæ virginis, & quartus erat Malachias. Ad quem presbyter, qui hospitio susceperat eos: Quid faciam, inquit, quòd pisces non habeo? Quo respondente, vt quæreret à piscatoribus: Biennium est, ait, quòd non inueniuntur pisces in flumine, vndè & piscatores prorsùs diffisi, etiam arti suæ renunciauerunt. Et ille: Præcipe, inquit, laxari retia in nomine Domini. Factum est, & capti sunt salmones duodecim. Secundò miserunt, & captis totidem, inopinatum inferunt mensis & ferculum, & miraculum. Et vt clarè liqueat, Malachiæ meritis hoc datum fuisse, alijs quoq; duobus sequentibus annis eadem nihilominùs sterilitas perdurauit.

Capiuntur præter spē pisces iubēte Malachia.

Cap. 37. Fuit quidam clericus in Lesmor. probabilis, vt fertur, vitæ, sed fidei non ità. Is sciolus in oculis suis, præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodò sacramentum, & non rem sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non corporis veritatem. Super quo à Malachia secretò, & sępè conuentus, sed incassùm, vocatus ad medium est: Seorsùm tamen à laicis, vt, si fieri posset, sanaretur, & non confunderetur. Itaque in conuentu clericorū data facultas homini est pro sua sententia respondendi. Cumq; totis ingenij viribus, quo non mediocriter callebat, asserere & defendere conaretur errorem, Malachia contrà disputante & conuincente, iudicio omnium superatus, de conuentu confusus quidem exijt, sed non correctus. Dicebat autem se non ratione victum, sed Episcopi pressum authoritate: Et tu (inquit) ó Malachia sine causa me hodiè confudisti, aduersùs profectò veritatem locutus, & contra tuam ipsius conscientiam. Mœstus Malachias pro homine sic indurato, sed magìs fidei dolens iniuriam, timens periculum, Ecclesiam conuocat, errantem publicè arguit, publicè monet, vt resipiscat. Suadētibus hoc ipsum Episcopis, & vniuerso clero, cùm non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum protestantes. Nec sic euigilans: Omnes, inquit, fauetis homini potiùs, quàm veritati. Ego personam non accipio, vt deseram veritatem. Ad hoc verbum substomachās sanctus: Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat vel ex necessitate. Quo respondente, Amen, soluitur cōuentus. Tali ille iniustus cauterio, fugam meditatur, infamis atq; inhonorus fore non sustinens. Et continuò sua tollens exibat, cùm eccè subita correptus infirmitate, sistit gradum, viribusq; deficiens, eodem loco iactat se super solum anhelus & fessus. Forte incidens in id loci vagabundus insanus, offendit hominem: quidnam ibi agat, percontatur. Respondet, graui se infirmitate teneri, & neq; procedere, neq; redire valentem. Et ille: Infirmitas ista haud alia, inquit, quàm ipsa mors est. Hoc autē non dixit à semetipso: sed pulchrè Dominus per insanum corripuit eum, qui sanis acquiescere noluit consilijs sensatorum. Et addit: Reuertere domum: ego te iuuabo. Deniq; ipso duce, reuertitur in ciuitatem: redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eâdem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas: abijcitur error, confessus reatum, absoluitur, petit viaticum, datur recōciliatio, & vno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ità mirantibus cunctis, sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & scripturæ pariter dicentis, quia vexatio dat intellectum auditui.

Vtinā hæc aduertant hæretici Sacramētarij.

S. Malachias docet verum corpus Christi esse in Eucharistia.

O miseros, quos hoc non terret exemplū, & inuitat ad pœnitentiā.

Esa. 28.

Cap. 38. Inter populos quarundam regionum orta aliquādò grauis discordia est. Interpellatur Malachias de componenda pace inter eos. Et cùm esset aliâs impeditus, iniungit negociū hoc vni Episcoporum. Illo excusante, & negante, & dicente, Malachiam,

non se, quæsitum: se contemptum iri, frustrà fatigari nolle: Vade, inquit, & Dominus erit tecum. Et ille: Acquiesco, sed si me nõ audierint, scito me ad tuam paternitatem appellaturum. Subridens Malachias: Fiat, inquit. Tunc Episcopus conuocatis partibus, dictat formam pacis: acquiescunt, reconciliantur adinuicèm: fide hincindè data, stabilitur pax: & sic dimisit eos. At pars vna videns hostes factos securos, imparatos esse: quippè qui pace facta mali nihili suspicarētur: loquebatur mutuò, & dicebat homo ad proximum suum: Quid volumus facere? Victoria præ manibus est, & vltio de inimicis. Et cœpêre insequi illos. Innotuit Episcopo, quod fiebat: & accurrēs conuenit ducem eorum super iniquitate & dolo: sed spretus ab illo est. Inuocauit nomen Malachiæ aduersùs eum, & nihilipendit. Irridensque Episcopum: Putásne, inquit, propter te amittere debeamus malefactores nostros, quos Deus tradidit in manus nostras? Et recordatus verbi sui Episcopus, quod habuerat cum Malachia, flens & eiulans versò vultu ad monasterium eius: Vbì es, ait, homo Dei? vbì es? Nónne hoc est, Pater mî, quod tibi dicebam? Heu, heu veni, vt facerem bonum, & non malum: & eccè per me omnes, illi in corpore, isti in anima, pereunt. Multa in hunc modum loquebatur lamentans & plangens, & quasì præsentem solicitans & compellans Malachiam aduersùs malignantes. Interìm verò impij, cum quibus fecerant pacem, insequi non desistebant ad perdendum eos. Et eccè spiritus mendax in ore quorundam virorum, qui eos deciperet. Et occurrerunt illis in via viri nunciantes, factam irruptionem in terras ipsorum ab aduersarijs: in ore gladij consumi omnia, & diripi bona eorum: vxores quoquè ac liberos tolli & abduci. His auditis, reuersi sunt festinanter. Sequebantur vltimi primos, quò irent, aut quid acciderit, nescientes. Nec enim omnes audierant viros loquentes. Cumque venissent, & inuenissent nihil horum, quæ nunciata erant, confusi sunt, deprehensi in malitia sua. Et cognouerunt spiritui erroris se traditos propter nuncium Malachiæ, quem deceperunt, & nomen eius, quod spreuerunt. Porrò Episcopus audiens frustratos proditores in iniquitate sua, quam cogitauerant, cum gaudio remeauit ad Malachiam, referens omnia per ordinem, quæ acciderant sibi.

Miro modo impediuntur scelesti homines à cæde destinata.

Sciens Malachias eiusmodi occasione pacem esse turbatã, nactus opportunũ tempus, pacem per semet inter ipsos denuò reformare curauit, & firmare reformatam, datis & receptis altrinsecùs fide & iuramento. Verùm illi, quibus antè pax fracta fuit, iniuriæ memores, neglecto pacto & præcepto Malachiæ, tractauerũt de vice reddenda. Et congregati omnes in vnum, ibant vt imparatos præoccuparent, redderentque in caput eorum malum, quod sibi facere cogitâssent. Et magno flumine, quod intererat, facilimè transuadato, fluuiolo, quem non procùl ab illo offendêre, retenti sunt. Neq; enim iam fluuiolus, sed planè fluuius ingens apparuit, vbiq; suî transire volentibus transitum negans. Mirari omnes tãtum nunc esse, tantillum antehàc fuisse scientes, & loqui inter se: Vndè inundatio hæc? Aër serenus est, imbres non sunt, nec proximè fuisse meminimus. Et si multùm pluisset, quis nostrûm vnquàm hactenùs meminit in quantacunq; illuuie itá intumuisse, vt operiret terram, sata & prata peruaderet? Digitus Dei est iste: & Dominus sepit vias nostras propter sanctum suum Malachiam, cuius sumus præuaricati pactum, transgressi mandatum. Itá & hi infecto negocio, ad sua æquè confusi repedauerunt. Diuulgatum est verbum per vniuersam regionem, & benedicebant Deum, qui compræhendit sapientes in astutia sua, & confringens cornua peccatorum, sublimauit cornu Christi sui.

Cap. 39.

Magno miraculo alij à simili facinore retardantur.

Exod. 8.

Iob 5.

Aliquis de nobilibus infensus Regi, recõciliatus est per manũ Malachię. Nec enim Regi satìs fidebat ille, vt pacem cum eo faceret, nisì mediante Malachia, aut quẽ Rex æquè reuereretur. Nec immeritò, vt pòst apparuit. Nam factum securum, & minimè iam cauentem sibi, captum trusit in vincula, odio antiquo captus plùs ipse. Requiritur homo à suis de manu mediatoris. Nec enim aliud amici expectare, quàm mortem. Quid faceret Malachias? Non est quod possit, nisì vt recurrat ad suum illud solitum vnicumq; refugium. Congregato exercitu forti nimìs, turba magna discipulorum suorum, adit hominem, requirit vinctum, negatur. Et Malachias: Iniquè, inquit, agis contra Dominum, & contra me, & contra teipsùm, pactum præuaricans: si dissimulas tu, sed non ego. Credidit se homo fidei meæ: si contingat mori, ego prodidi eum: ego reus sanguinis eius. Quid tibi visum est me proditorem, te præuaricatorem constituere? Nóueris me donèc liberetur, nihil gustaturum, sed neque istos. Sic locutus, intrat ecclesiam: Deum omnipotentem suis, suorumque anxijs gemitibus interpellat,

Cap. 40.

Vir sanctus obiurgat regem pacti violatoré.

pellat, vt iniustè addictum, dignetur eripere de manu præuaricatoris & iniqui. Et ea die cum nocte sequenti, in ieiunio & oratione perstiterũt. Perlatum ad Regem, quid fieret: & magis indè induratum est cor eius, vndè emolliri debuerat. Init fugam, veritus homo carnalis, nè si propè remaneret, orationis non posset sustinere virtutem: Quasi verò vel absconditum non inueniat, vel non perueniat ad remotum. Tu metas ponis miser orationibus sanctorum? Num est oratio iacta sagitta, vt fugias à facie arcûs? Quò ibis à spiritu Dei, qui eam portat? & quò à facie eius fugies? Deniquè fugientem insequitur, inuenit latitantem. Erisq; cæcus, & non videns, vt meliùs videas, & intelligas, quoniam durum est tibi contra stimulũ calcitrare. Deniq; senti vel nunc, quia sagittæ potentis acutæ peruenerunt ad te: quæ etsi resilierunt à corde, quia saxeum est, sed non ab oculis. Vtinàm per fenestram saltem oculorum perueniant vsque ad cor, & vexatio det intellectũ cæcitati. Cernere erat Saulum denuò ad manus trahi, & duci ad Ananiam, ad ouem scilicet lupum, vt refunderet prædam. Refudit, & recepit visum: quòd Malachias vsq; adeò ouis esset, vt sit misertus & lupo. Diligenter ex his aduerte, lector, cum quibus habitatio Malachię, quales principes, & quales populi. Quomodò non & is frater fuit draconum, & socius struthionum? Et ideò dedit ei Dominus virtutem calcandi super serpentes & scorpiones, alligare Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Deindè audi, quid sequatur.

Scultus Rex credit se fuga latere posse Dominum.

Act. 9.

Rex orbatur lumine, redditque captiuum.

Iob 30.

Psal. 149.

Cap. 41.

Is, cui Benchorensis monasterij cesserat possessiones, ingratus beneficio, extunc & deincèps insolentissimè semper se habuit aduersùs eum & suos, in omnibus infestus eis, vbiquè insidians, detrahensq; actibus eius. At non impunè hoc. Erat illi vnicus filius, qui imitator patris, audens aliquid & ipse in Malachiam, eodem anno mortuus est. Mortuus autem sic: Visum est Malachiæ debere construi in Benchor oratorium lapideum, instàr eorum, quæ in alijs regionibus extructa conspexerat. Et cùm cœpisset iacere fundamenta, indigenæ quidem mirati sunt, quòd in terra illa necdùm eiusmodì ædificia inuenirentur. Verùm ille nequam (sicut erat præsumptuosus & insolens) non modò miratus est, sed indignatus. Ex qua indignatione concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et factus susurro in populis, nunc secretò detrahere, nunc blasphemare palàm: notare leuitatem, nouitatem horrere, sumptus exaggerare. Istiusmodi venenatis sermonibus solicitans & inducens multos ad prohibendum: Sequimini me, inquit, & quod non nisi per nos fieri debet, contra nos fieri nõ sinamus. Itaque cum pluribus, quibus suadere valuit, descendit ad locum, repertum conuenit hominem Dei, primus ipse dux verbi, qui erat principium mali: O bone vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus nouitatem? Scoti sumus, non Galli. Quænam leuitas hæc? Quid opùs erat opere tam superfluo, tam superbo? Vndè tibi pauperi & inopi sumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit? Quid istud præsumptionis, inchoare quod nõ queas, non dico, perficere, sed nec videre perfectũ? Quanquàm amentis magis est, quàm prudentis, conari quod modum excedit, vincit vires, superat facultates. Cessa, cessa, desine à vesania hac. Alioquìn nos non sinimus, non sustinemus. Hoc dixit, prodens quid vellet, non quid posset, cõsiderans. Nam de quibus præsumebat, & secum adduxerat, viso viro, mutati sunt, & iam non ibant cum eo. Ad quem vir sanctus, tota libertate vtens: Miser, inquit, opus, quod inchoatum vides, & inuides, sine dubio perficietur: perfectum videbunt multi. Tu verò quia non vis, non videbis: & quod non vis, morieris: attendito tibi, nè in peccato tuo moriaris. Ità est: ille mortuus est, & opus completum est: sed ille non vidit, qui, vt præfati sumus, anno eodẽ mortuus est. Interìm pater audito mox, quid de filio vir sanctus prædixisset, sciens verbũ eius viuum & efficax esse: Interfecit, inquit, filium meum. Et instigãte diabolo, tanto furore exarsit in illum, vt coram duce & maioribus, inuidiæ, falsitatis & mendacij arguere non vereretur hominem, qui veracissimus esset, veritatis & discipulus, & amator: & conuiciũ intulit, simiam appellans. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os suũ, dum consisteret peccator aduersùs eum. Sed non Dominus oblitus sermonis sui, quem dixerat: Mihi vindictam, & ego retribuam. Eádem die domum reuersus homo, luit linguæ effrenis temeritatem, ipso vltore, quo instigatore laxârat. Arreptum in ignem proijcit dæmon: sed mox manibus assistentium extractus est, adustus tamen corporis parte, & mente captus. Et dum insaniret, vocatus Malachias venit: reperitque maledicum spumantia ora torquentem, horrendis vocibus & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatum, vix posse teneri a pluribus: & orans pro inimico vir totius

Vltio Dei in Malachiæ obtrectatores.

Prædicit obtrectatori quod morietur.

Vir sanctus ad conuiciũ nil respondet.

Deut. 32.

Diabolus ei maledicentẽ inuadit.

perfe-

perfectionis, exauditus est, sed ex parte. Nam ilicò quidem sancto orante, ille aperuit oculos, & sensum recepit. Relictus est autem ei spiritus Domini malus, qui eum colaphizet, vt discat non blasphemare. Credimus eum viuere vsque adhuc, & vsque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccauit in sanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum esse. Porrò prædictæ possessiones, cum iam pro sui imbecillitate & inutilitate eas tenere non valuit, in pace ad locum, cuius extiterant, redierũt. Nec renuit Malachias post multam demùm vexationem, pacis obtentum.

Sed iam ad opus ędificij, quod Malachias aggressus est, sermo recurrat. Et quidem non erat Malachiæ, non dico vndè perficeret, sed vndè faceret quicquam. Erat autem cor eius fiduciam habens in Domino. Dominus verò prouidit, vt, etsi non speranti in pecuniæ thesauris, pecunia non deesset. Quis enim alius fecit, vt thesaurus eo loci reponeretur, repositus non reperiretur, vsque ad tempus & opus Malachiæ? Inuenit Dei famulus in Dei marsupio, quod defuit suo. Meritò quidem. Quid enim iustius, quàm vt cui pro Deo non erat proprium, cum Deo inirec consortium, & marsupium vnum esset amborum? Fideli deniquè homini totus mundus diuitiarum est. Et quid est ille, nisi quoddam marsupium Dei? Deniquè ait: Meus est orbis terræ, & plenitudo eius. Indè est, quòd Malachias repertos argenteos multos non reposuit, sed exposuit. Nam totum munus Dei, in Dei opus iubet expendi. Non suas, non suorum cõsiderat necessitates: sed iactat cogitatum suum in Domino: ad quem vtiquè recurrendum non dubitat, quotiès necessitas postulârit. Nec dubium Dei opus esse, quod Deo reuelante Malachias præuidit. Contulerat primùm cum fratribus de opere illo: & multi præ inopia minùs libenter assentiebant. Indè anxius dubiusque quid ageret, cœpit inter orandum vehementer inquirere, quæ nam foret voluntas Dei. Et die quadam de via regrediens, cùm iam loco appropiaret, prospexit eminùs: & eccè oratorium apparuit magnum lapideum, & pulchrum valdè. Et intuens diligenter situm, formam & compositionem, cum fiducia arripit opus, priùs quidem indicata visione senioribus fratribus, paucis tamen. Sanè totum, quod attentè notauit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obseruauit, vt peracto opere, factum viso simillimum appareret, àc si & sibi cum Moyse dictum audierit: Vide, vt omnia facias secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in mõte. Eodem visionis genere id quoquè, quod in Saballino situm est, antequàm fieret, præostensum est illi, non modò oratorium, sed & monasterium totum.

Cap. 42. Extruit egregium oratoriũ siue monasteriũ S. Malachias. Psal 49. S. Malachias inuenit multam pecuniam. Visio eius. Exod 25.

Transeunte illo per quandam ciuitatem, & multitudine magna concurrente ad eum, casu vidit iuuenem inter alios videndi se curiosum. Ascenderat lapidem, & stans super summos articulos extento collo, oculis & animo intendens in eum, quendam ille de nouo Zachæum exhibebat. Nec latuit Malachiam, sancto quidem spiritu reuelante, verè illum venisse in spiritu & virtute Zachęi. Dissimulauit tunc tamen, tacitusque pertransijt. Cæterùm in hospitio nocte ipsa narrauit fratribus, quomodò illum vidisset, & quid præuidisset de illo. Die autem tertia, en ille cum viro quodam nobili, domino suo: Qui aperiens votum, & desiderium iuuenis, rogabat, vt à se commendatum recipere dignaretur, & habere decætero inter suos. Et Malachias agnoscens eum, Non est opùs, inquit, vt, quem iam Deus commendauit, homo commendet. Appræhensumque manu sua tradidit Abbati Congano nostro, & ille fratribus. Ipse verò iuuenis adhuc (nî fallor) viuens, primus conuersus laicus Suriensis monasterij, testimonium habet ab omnibus, quòd sanctè conuersetur inter fratres secundùm ordinẽ Cistertiensem. Et cognouerunt discipuli, etiam in hoc Malachiam prophetiæ spiritum habuisse. Non solùm autem, sed & in eo, quod subiuncturi sumus. Cùm sacramẽta offerret, & appropiâsset ei Diaconus, facturus aliquid pro officio suo, intuitus eum sacerdos, ingemuit, quòd sensisset penès illum latére, quod non conueniret. Peracto sacrificio, secretò percontatus de conscientia sua, confessus est, & non negauit illusum sibi per somniũ nocte ipsa. Cui iniungens pœnitentiam: Non debueras, inquit, hodiè ministrâsse, sed verecundè te subtrahere sacris, & deferre tantis, tamque diuinis mysterijs, vt hac humilitate purgatus, digniùs exindè ministrares. Itẽ alia vice sacrificante illo, & orante hora sacrificij, ea quidem sanctitate & puritate cordis, qua solitus erat, adstante diacono, visa est columba intrare per fenestram in claritate magna. Ea sacerdos perfunditur totus: ea subobscurior basilica tota refulget. Columba verò aliquandiù circunuolitans, tandèm residet super Crucem ante faciem sacerdotis. Obstupuit diaconus, & pauẽs tum pro luminis, tum pro volucris nouitate,

Cap. 43. Luc. 19. Claret Prophetiæ spiritu. Vide rẽ admirandam sub Missæ sacrificio.

 quòd

quòd illa sit rara auis in terra, cecidit super faciem suam, & vix palpitans, sese erigere ausus est, vel quandò officij sui necessitas postulauit. Post Missam seorsùm conuentus à Malachia, sub periculo vitæ iubetur nullatenùs secretum prodere, quod vidisset, quoàd viueret ipse. Aliquandò cùm in Ardinacha esset cum quodam coepiscopo suo, de nocte surgens, cœpit memorias sanctorum, quæ in cœmeterio sancti Patricij multæ sunt, orando lustrare. Et eccè vnum de altaribus subitò ardere conspiciunt. Ambo enim viderunt visionem hanc magnam: ambo mirati sunt. Et Malachias intelligens signum esse magni meriti illius, vel illorum, quorum sub altari illo corpora requiescerent, currens, & se medijs immergens flammis, expansis brachijs sacram amplexatus est aram. Quid ibi fecerit, quidve senserit, nemo qui sciat: sed quod ampliùs solito, cælesti igne succensus, ex illo igne exierit, fratrum, qui cum eo tunc erant, reor neminem esse, qui nesciat.

Cap. 44. Psal. 73. Hæc dicta sunt, pauca quidem de pluribus, sed multa pro tempore. Non enim signorum tēpora hæc, secundùm illud: Signa non vidimus, iam nō est propheta. Vndè satis appáret, Malachias meus quantus in meritis fuit, qui tam multus in signis extitit, & in raritate tanta. Quo enim antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit? Si benè aduertimus pauca ipsa, quæ dicta sunt, non prophetia defuit illi, non reuelatio, non vltio impiorum, non gratia sanitatum, non mutatio mentium, non deniquè mortuorum suscitatio. Per omnia benedictus Deus, qui sic amauit & ornauit eum: qui & magnificauit eum in conspectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Amor probatur in meritis, ornatus in signis, magnificatio in vltione inimicorum, glorificatio in præmiorum retributione. Habes diligēs lector in Malachia quid mireris, habes & quid imiteris. Nunc iam quid tibi ex his sperandum sit, studiosus attende. Nam finis horum, preciosa mors est.

Malachiæ nullū genus veterū miraculorum defuit.

Cap. 45. Percontatus aliquandò, quonam in loco, si optio detur, extremum mâlit agere diem, (de hoc siquidem fratres querebant inter se, quem sibi quisq; deligeret) cūctatur, & non respondet. Instantibus illis: Si hinc migro, inquit, nusquàm libentiùs, quàm vndè vnà cum nostro Apostolo resurgere possim. (Dicebat autē sanctum Patricium.) Si peregrinari oporteret, & ità permittit Deus, Claramuallem delegi. Requisitus itèm de tempore, diem respondit solennem omnium defunctorum. Si simplex votum putatur, impletum est. Si prophetia, ne iota præterijt. Sicut audiuimus, sic vidimus de loco pariter, & de die. Dicamus breuiter, quo ordine istud, quáve occasione prouenerit. Aegrè satis ferebat, Hyberniam vsque adhuc pallio caruisse, vtpotè æmulator sacramentorum: quorum ne vno quolibet gentem suam vellet omninò fraudari. Et recordatus sibi à Papa Innocentio fuisse promissum, indè magis tristari, quòd dum adhuc ille superfuit, non fuit missum pro eo. Et nactus occasionem, quòd Papa Eugenius summam regiminis teneret, & eo temporis vsque in Franciam appropiâsse nunciaretur, opportunitatem requirendi se inuenisse gauisus est. Præsumebat autem de illo, vtiquè viro tali, & de tali assumpto professione. Magis verò, quòd suæ Claræuallis specialis filius extitisset, nec timeret apud illum se vllam sustinere difficultatem. Itaque conuocantur Episcopi, concilium cogitur: tractata triduò, quæ tempori imminerent: die quarto aperitur consilium de pallio requirendo. Placet, sed si per alium requiratur. Tamen quia breuior via, & ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit, qui eius obuiare præsumeret consilio & voluntati. Et Malachias, soluto concilio, arripit iter. Prosequuntur eum, qui conuenerant fratres, vsque ad litus, non multi tamen, ipso nimirùm prohibente. Ad quem vnus illorum, Catholicus nomine, flebili voce & fletu: Heu tu abis, inquit, & in quanta penè quotidiana vexatione me deseris, non ignoras, nec fers opem misertus meî. Si ego dignus qui patior, fratres quid peccauerunt, qui vix diem, noctémve vllam à tam laboriosa cura & custodia meî feriatam habere sinuntur? His verbis & lachrymis filij (flebat enim) paterna viscera concussa sunt, & amplexatus est eum blandiendo, impressoq; pectori eius signo Crucis: Certus esto, inquit, te eiusmodi nil passurum, donèc redeam. Erat autem epilepticus, & cadebat frequenter, ità vt interdùm non semèl, sed sæpiùs pateretur in die. Hoc iam per sex annos morbo horrido laborabat, sed ad verbum Malachiæ, perfectè conualuit. Ab illa hora nil tale perpessus est, nil tale (vt confidimus) deincèps perpessurus, quia Malachias deincèps rediturus non est.

S. Patricius Hyberniæ Apostolus. Dies solennis omniū defunctorū. En quanti facit palliū vir sanctissimus. Curat epilepticū facilimè.

Cap. 46. In ipso ascensu nauis accedunt duo ex his, qui illi familiariùs adhærebant, auden-

audentes, & petentes aliquid ab eo. Quibus ille: Quid vultis? Non dicimus, inquiunt, nisi spondeas te daturum. Spondet. Et illi: Volumus nobis certò promitti à tua dignatione, te in Hyberniam incolumem reuersurum. Instare & cæteri omnes. Tum ille parumpèr deliberans, pœnitere primò, quòd se alligâsset, quà exiret, non inueniens. Angustiæ vndiquè, dum nil occurreret ab alterutro rurum periculo, voti videlicet, aut promissi. Visum est tandèm id potiùs eligendum, quod inpræsentiarum plùs vrgeret, reliquum supernæ committendum dispositioni. Annuit tristis quidem: sed magìs illos noluit contristare: & respondens eis, vt volunt, ascendit nauem. Et cùm iam ferè medium iter æquoreum peregissent, subitò contrarius ventus nauē repellit, & reducit in terram Hyberniæ. Descendens de naui, in ipso portu in quadam sua ecclesia pernoctauit. Et lætus, gratias egit diuinæ consilio prouidentiæ: quo factum est, vt iam fecerit satìs pro sua promissione. Manè verò intrans nauem, ipsa die prospero cursu transfretauit, & venit in Scotiam. Die tertia peruenit ad locum, qui Viride stagnum dicitur: quem fecerat præparari, vt ibì statueret Abbatiam. Et relicto illic de filijs suis fratribus nostris, monachorum conuentu & Abbate, (nam secum ad hoc ipsum eos adduxerat) valedicens eis, profectus est. Et cùm transiret, occurrit ei Rex Dauid, à quo receptus cum gaudio, & retentus per aliquot dies, multaque operatus placita Deo, inchoatum repetit iter. Et pertransiens Scotiam, in ipso introitu Angliç diuertit ad ecclesiam Gisisburnensem, vbì habitant viri religiosi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro sua religiositate & honestate. Ibi adducta est ad eum mulier patiēs morbum, quem cancrū vulgò appellant, ipso horrendum visu, & sanauit eam. Nam vbì aqua, cui benedixit, adspersa sunt vlcerum loca, dolorem non sensit. Die verò sequenti vix vlcera apparebant. Abiens indè, ad mare venit: sed negatur transitus. Causa (nî fallor) fuit, orta simultas quædam inter summum Pontificem & Regem Angliæ, quòd Rex nescio quid mali suspicaretur de bono illo homine, si transiret. Nam neque alios Episcopos transire sinebat. Quod quidem impedimentum, etsì fuit contrarium Malachiæ voluntati, sed non voto. Dolebat differri à desiderio suo, nesciens magìs per hoc impletum iri. Nam si incontinentì transisset, oportebat transire etiam Claramuallem, vt summum Pontificem sequeretur. Iam enim abierat, & erat Romæ, aut prope Romam. Nunc verò intercedente dilatione factum est, vt tardiùs transfretans, ad locum & horam sanctissimi sui obitûs opportunè occurreret.

Vide quantā agat Deus curā sanctorum suorum

Mulier aqua bene dicta sanata.

Qui à nobis susceptus est, tanquàm verus ab Occidente veniens, visitans nos oriens ex alto. O quantùm nostræ Claræualli irradians sol ille claritatis adauxit: Quàm iucundus ad eius introitum dies festus illuxit nobis. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultatum & lætatū in ea. Quàm celer & saliens, tremulus ac debilis mox ipse occurri. Quàm lætus in oscula rui: Quàm lætis brachijs missam mihi cælitùs amplexatus sum gratiam. Quàm alacri vultu & animo, mî pater, introduxi te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Quàm festiuos deindè tecum duxi dies, sed paucos. Quid verò ille vicissim nobis? Nempe hilarem, nempe affabilem peregrinus noster omnibus se præbebat, omnibus incredibiliter gratum. Quàm bonū, & quàm iucundum agebat hospitem apud eos, quos nimirùm videre venerat à finibus terræ, non auditurus Salomonem, sed exhibiturus. Deniquè audiuimus sapientiam eius, tenuimus præsentiam eius, & tenemus. Iam quatuor aut quinque dies huius nostræ solennitatis defluxerant, cùm eccè die solenni beati Lucæ Euangelistæ, Missa in conuentu sua illa sancta deuotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit, & nos cum illo omnes. Extrema gaudij nostri mœror occupat, moderatior tamen, quòd leuior interìm febris esse videretur. Videres discurrere fratres, dandi auidos, vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? cui non dulcius ministrare illi? Vtrunque suaue, vtrunque salutare. Et humanitatis erat præbere obsequium, & profectûs cuique sui, cùm gratiam reportaret. Assistere omnes, omnes soliciti erant circa frequens ministerium: medicamenta perquirere, adhibere fomenta, vrgere sæpiùs ad gustandum. Ad quos ille: Sine causa, inquit, hæc: sed charitate vestrî facio, quicquid iniungitis. Sciebat enim imminere tempus suæ migrationis. Cumque fratres, qui cum eo venerant, fidentiùs instarent, dicentes, non oportere diffidere de vita: nec enim signa mortis in eo aliqua apparerent: Oportet, inquit, hoc anno Malachiam exire de corpore. Et infert: Eccè appropinquat dies, quem, vt optimè nôstis, optaui semper ipsum fore diem resolutionis meæ. Scio cui credidi, & certus sum: non fraudabor

Cap. 47. S. Malachias venit Claramuallem.

Cant 3.

Dies solennis S. Lucæ.

Prædicit mortis suæ imminere diem.

reliquo

reliquo desiderij mei, qui partem iam teneo. Qui me sua misericordia perduxit ad locum, quem petij: terminum, quem æquè volui, non negabit. Quòd ad hoc corpusculum attinet, hîc requies mea: quòd ad animam, Dominus prouidebit, qui saluos facit sperantes in se. Nec parùm spei repositum mihi in die illa, qua mortuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Nec longè aberat dies ipsa, cùm talia loqueretur. Interèa iubet se sacro oleo vngi. Exeunte conuentu fratrum, vt solenniter fieret, non sustinuit vt ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Iacebat siquidem in solario, domo superiori. Vngitur, & sumpto viatico, fratrum se orationibus, & fratres cōmendans Deo, ad lectum reuertitur. Alto de solio descendebat pedibus suis, & rursùm nihilominùs suis pedibus ascendebat: & dicebat mortem esse in ianuis. Quis hunc hominē crederet moriturum? Solus ipse, & Deus id scire poterat. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum & gracile, non curui humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultûs eius, quæ non euacuatur, ne morte quidem. Talis quoàd vixit, talis & mortuus apparebat viuenti similior.

Psal. 16. Nota quid sent ac tantus vir de suffragiis defunctorū, & extrema vnctione.

Cap. 48. Cucurrimus vsque huc, sed modò hæremus, quia Malachias cursum consummauit. Stat ille, & nos pariter stamus cum eo. Alioquìn quis libēter currat ad mortem? Presertìm tuam, Pater sancte, quis referre possit? quis velit audire? Attamen dileximus nos in vita, in morte non separabimur. Fratres, non relinquamus in morte, quem in vita prosequuti sumus. Ab vlteriori Scotia vsque huc cucurrit ille ad mortem: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Oportet, oportet dicere, quā cernere necessè fuit. Adest omnium sanctorum clara vbiquè celebritas: sed iuxta veterem sententiam, Musica in luctu importuna narratio est. Adsumus, canimus vel inuiti. Flendo cantamus, & cantando flemus. Malachias etsì non cantat, non plorat tamen. Quid enim ploret, qui appropinquat ad gaudium? Nobis, qui relinquimur, relinquitur luctus: solus Malachias festum facit. Quod enim non potest corpore, facit mente, sicut scriptum est: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Deficiente illi corporis instrumento, silente organo oris, officio vocis cessante, reliquum est, vt mentis iubilo solennizet. Quidni solennizet sanctus, qui sanctorum ducitur ad solennitatē? Exhibet illis, quod mox sibi debebitur. Adhuc modicum, & ipse vnus ex ipsis est. Sub noctis crepusculo, cùm iam vtcunquè diei à nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquauerat non crepusculo, sed auroræ. An non illi aurora, cui nox præcessit, dies autem appropinquauit? Itaque febre inualescente, cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere sudor, vt quodammodò transiens per ignem & aquam, educeretur in refrigerium. Iam desperatur de vita eius: iam quisque suum iudicium reprehendit: iam nulli dubium, Malachiæ sententiam præualere. Vocamur: adsumus. Et ille oculos leuans in circunstantes: Desiderio desideraui, inquit, hoc pascha manducare apud vos. Gratias ago supernæ pietati: Non sum fraudatus à desiderio meo. Vides hominem securum in morte, & necdùm mortuum, iam certum de vita? Nec mirum. Videns adesse noctem, quam expectauerat, & in ipsa diescere sibi, quasì de nocte triumphans, videtur insultare tenebris, & quodammodò loqui: Iam non dicam, Forsitan tenebrę conculcabunt me: quia hæc nox illuminatio mea in delicijs meis. Et blandè nos consolans: Habete, inquit, curam meî: Ego vestrî, si licuerit, non obliuiscar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia possibilia credenti. Amaui Deum: amaui vos: & charitas nunquàm excidit. Et suspiciens in cælum: Deus, inquit, serua eos in nomine tuo: Non solùm autem eos, sed & omnes, qui per verbum ac ministerium meum tuo se mancipauêre seruitio. Deindè imponens manus singulis, & benedicens omnibus, pausatum ire iubet, quia nondùm venerat hora eius. Imus, redimus circa medium noctis: nam ea hora lux lucere in tenebris nunciatur. Impletur domus: adest congregatio tota: Abbates quoquè multi, qui conuenerant. Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem. Annō ætatis suæ quinquagesimo quarto, loco & tempore, quo prælegit, & prædixit Malachias Episcopus, & Legatus sanctæ Apostolicæ sedis, velut è manibus nostris assumptus ab Angelis, feliciter obdormiuit in Domino. Et verè obdormiuit. Vultus placidus, placidi exitûs indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum: nemo tamen, qui quandò exiuit, aduertere potuisset. Mortuus viuere, & viuens mortuus putabatur: adeò nil intercidit, quod alterutrū disterminaret.

Omniū sanctorum celebritas. Eccl. 22. Psal. 75. Malachias securus in morte, necdùm mortuus. Psal. 138. Marc. 9. 1. Cor. 13. Felicissimè vir sanctissim' obdormit in Domino.

Eadem

Eadem viuacitas vultûs, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente. Diceres mortem nil horum tulisse, magìs auxisse plurimùm Non est mutatus, sed ipse mutauit omnes. Mirum in modum luctus & gemitus omnium subitò conquiescit: mutatur in gaudium mœror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in cælum voces, infertur oratorio Abbatum humeris. Vicit fides: triumphat affectus: res in suum déuenit statum: cuncta geruntur ex ordine: cuncta ex ratione procedunt.

Et reuerà quid rationis habet immoderatiùs plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors eius, quasi non sit magìs somnus, quàm mors: quasi non sit mortis portus, & porta vitæ? Malachias amicus noster dormit, & ego lugeam? Luctus iste vsu se, non ratione, tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, & talē somnum, in quo hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris: quid horum videtur fletum indicere? Egóne fleam illum, qui fletum euasit? Ille tripudiat, ille triumphat: ille introductus est in gaudium Domini sui, & ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi inuideo. Interìm parantur exequiæ: offertur pro eo sacrificium: consummantur ex more omnia cum summa deuotione. Stabat eminùs puer, cui emortuum pendebat à latere brachium, magìs illi impedimento, quàm vsui. Quo comperto, innui, vt accederet. Et appræhensam aridam manum, applicui ad manum Episcopi: & viuificauit eam. Nempe viuebat in mortuo gratia sanitatum: & manus eius fuit mortuæ manui, quod mortuo homini Eliseus. Puer ille de longè venerat, & manum, quam pendentem attulerat, sanam in patriam reportauit. Iam omnibus ritè peractis, in ipso oratorio sanctæ Dei genitricis Mariæ, in quo sibi benè complacuit, Malachias traditur sepulturæ, anno ab incarnatione Domini millesimo, centesimo, quadragesimooctauo, quarto Nonas Nouembris. Tuum est, Iesu bone, depositum, quod nobis creditum est: tuus thesaurus, qui recōditur penès nos. Seruamus illum resignandum in tempore, quo reposcendum censueris, tantùm vt absque contubernalibus suis non egrediatur: sed quem habuimus hospitem, habeamus ducem, tecum & cum ipso pariter regnaturi in secula seculorum, Amen.

Cap. 49. Psal. 126. En offertur pro eo sacrificium. Miraculum defuncti. 4. Reg. 13.

DE EODEM S. MALACHIA, SERMO B. BERNARDI ABBATIS.



Liquet, dilectissimi, quòd dum corpore retinemur, peregrinamur à Domino: ac per hoc luctum magìs, quàm gaudium, miserandum nobis indicit exilium, & consciētia delictorum. Quia tamen Apostolico ore gaudere cum gaudentibus admonemur, in omnem nos suscitari lætitiam, tempus & causa requirit. Nam si verè, quod Propheta sensit, exultent iusti in cōspectu Dei: exultat sine dubio Malachias, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus. In sanctitate & iustitia coram ipso ministrauit: placuit ministerium, placuit & minister. Quid nî placuerit? Posuit sine sumptu Euangelium, repleuit Euangelio patriam, suorum maximè feralem edomuit barbariem Hybernorum, leui iugo Christi in gladio spiritûs exteras subdidit nationes, vsque ad extrema terræ restituens hęreditatē suam illi. O ministerium fructuosum. ô ministrum fidelem. Nunquìd non per ipsum filio est paterna adimpleta promissio? Nunquìd non hunc olìm intuebatur pater, cùm ad filium loqueretur, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Quàm libens Saluator recipiebat, quod emerat, & emerat precio sanguinis sui, ignominia Crucis, horrore passionis? Quàm libens de manibus Malachiæ, pro eo quod gratis ministraret? Ergò in ministro quidem gratum erat munus gratuitum, in ministerio autem placita conuersio peccatorum. Grata, inquam, & placita in ministro simplicitas oculi, in ministerio autem salus populi.

1. Cor. 5. Rom. 12. Psal. 67. Psal. 2.

Quanquàm etsì ministerij quidē minor efficientia sequeretur, nihilominùs tamen ad Malachiam & ad opera eius ille meritò respexisset, cui amica puritas, cui familiaris simplicitas: cuius iustitiæ est de intentione pensare opus, & de oculi qualitate totius æstimare corporis statum. Nunc verò magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates & studia Malachiæ, magna & multa & bona valdè, etsì pro bona castę intentionis origine meliora. Quod opus pietatis prætcrijt Malachiā? Pauper sibi, sed diues pauperibus erat. Pater orphanorū, maritus viduarum, patronus extitit oppressorum. Hilaris dator, petitor rarus, acceptor verecundus. Pacis reformandę inter discordātes fuit

Deus opera de intentione pensat.

fuit illi cura maxima, & efficacia multa. Quis æquè pius ad compatiendum, ad subueniendum promptus, ad corripiendum liber? Nam & zelans erat, nec deerat scientia, zeli ipsius moderatrix. Et quidem infirmus infirmis, sed nihilominùs potentibus potens, superbis resistebat, tyrannos verberabat, Regum magister ac principum. Ipse est, qui Regi orando visum & malignãti tulit, & humiliato restituit. Ipse est, qui pacis, quam fecerat, violatores spiritui erroris traditos, frustratus est in malo, quod facere cogitabant: ac denuò coëgit ad pacem, confusos quidem & stupefactos in eo, quod sibi contigerat. Ipse enim est, cui aduersùs alios pacti æquè præuaricatores riuus officiosissimè adfuit, miro modo obiectu suî euacuans molimina impiorum. Imbres non erant, non illuuies aquarum, non concursus nubium, non liquefactio niuium, cùm subitò factus est in fluuium magnum, qui riuulus erat, & riuus ibat, & intumescebat inundans, & negans omninò transitum volentibus malignari.

Sciẽtia, zeli moderatrix.

Riuulus excrelcit subitò in fluuiũ.

Quanta audiuimus & cognouimus ea de zelo viri, & vltione inimicorum, cùm tamen esset suauis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus necessitatem patientibus. Qui quasi vnus omnium parens, viuebat omnibus: quasi gallina pullos suos, sic fouebat omnes, & in velamento alarum suarum protegebat. Non sexus, non ætas, & non conditio discernebatur, aut persona: deerat nemini, expanso omnibus gremio pietatis. De quacunque tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat, nisi quòd in sua patiens, in aliena compatiens erat, plerunquè & impatiens. Nonnunquàm siquidem repletus zelo, pro alijs in alios mouebatur, vt eripiens inopes, & reprimens fortes, consuleret proindè omnibus in salutem. Itaque irascebatur, sed nè irascendo peccaret, iuxta illud de Psalmo: Irascimini, & nolite peccare: non ira illi, sed ipse animo dominabatur. Erat suîmet potis. Sanè victor suî, ira superari non poterat. Ira eius, in manu eius. Vocata veniebat, exiens, non erumpens: nutu, non impetu, ferebatur. Non vrebatur illa, sed vtebatur. Magna illi tam in hoc, quàm in cunctis vtriusque hominis sui motibus regendis vel cohibendis, censuræ diligẽtia, & circunspectio multa. Non ità omnibus intendebat, vt se solum exponeret, solum curæ exciperet generali. Erat & suî solicitus. Seipsum custodiebat. Ità deniquè totus suus, & totus omnium erat, vt nec charitas à custodia suî, nec proprietas ab vtilitate cõmuni eum impedire vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem medijs immersum turbis, & implicitum curis, diceres patriæ natum, non sibi. Si videres hominẽ solum, & secum habitantem, putares soli viuere Deo & sibi.

Gallinæ euangelicæ comparatur Malachias Episcopus.

Psal. 4.

Ira vt vsus sit S. Malachias.

Et sibi, & alijs intẽtus est totus.

Sine turbatione versabatur in turbis: sine ocio tempus, quod ocio dederat, transigebat. Quomodò ociosus, quandò exercebatur in iustificationibus Domini? Nam etsi habebat tempus liberum à necessitatibus plebium, non tamen à sanctis meditationibus feriatum, non orandi studio, non ipso ocio contemplandi. Sermo illi in tempore ocij aut serius, aut nullus. Adspectus eius aut officiosus, aut demissus, & cohibitus intra se. Nempe (quod non mediocri laudi inter sapientes ducitur) oculus eius in capite eius, nusquàm auolans, nisi cùm virtuti paruisset. Risus aut indicans charitatis, aut prouocans: rarus tamen & ipse. Equidem interdùm eductus, excussus nunquàm: qui ità nunciaret cordis lætitiam, vt ori gratiam non minueret, sed augeret. Tam modestus, vt leuitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, vt hilarem vultum ab omni tristitiæ næuo vel nubilo vendicare sufficeret. O munus perfectum, ô holocaustum pingue, ô obsequium gratum mente & manu. Quàm bonus odor Deo in orationibus ociosi, quàm bonus hominibus in sudoribus occupati.

Magna perfectio.

Eccli. 2.

Risus eius.

Pro huiusmodi ergò dilectus à Deo & hominibus, non immeritò hodiè Malachias in consortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem antè Angelus erat non minùs puritate, quàm nomine: sed nũc feliciùs gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quandò pari cum Angelis gloria & felicitate lætatur. Congratulemur itaque fratres, congratulemur, vt dignum est, patri nostro: quia & pium est, defunctum plangere Malachiam: & pium magis, Malachiæ congaudere viuenti. Nunquid non viuit? Et beatè. Nimirùm visus est oculis insipientium mori: ille autem est in pace. Deniquè iam conciuis sanctorum & domesticus Dei, psallit pariter & agit gratias, dicens: Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Transiuit planè viriliter, & feliciter pertransiuit. Verus Hebræus pascha celebrauit in spiritu, & nobis transiens loquebatur: Desiderio desideraui hoc pascha mãducare apud vos. Transiuit per ignem & aquam, quem nec tristia frãgere, nec

Sancti immediatè post mortẽ in consortiũ Angelorum recipiũtur.

Sap. 3.

Psal. 65.

nec detinere mollia potuerunt. Lætemur, quòd Angelus noster asscendit ad ciues suos, pro filijs captiuitatis legatione fungens, corda nobis concilians beatorum, vota illis intimans miserorum. Lætemur, inquam, & exultemus, quia celestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura nostrî, qui suis nos protegat meritis, quos informauit exemplis, miraculis confirmauit. Vide quid Sācti inuæ-lis prædlent nobis.

Sanctus pontifex, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas cælis frequenter inuexerat, hodiè per semetipsum introiuit ad altare Dei, ipse hostia & sacerdos. Migrante sacerdote, sacrificij ritus in melius mutatus est, fons lachrymarum siccatus est, holocaustum omne conditur in lætitia & exultatione. Benedictus Dominus Deus Malachiæ, qui tanti pontificis ministerio visitauit plebem suam, & nunc assumpto eo in sanctam ciuitatem, tantæ recordatione suauitatis nostram non desinit consolari captiuitatem. Exultet in Domino spiritus Malachiæ, quòd leuatus pondere corporeæ molis, nulla iam fæculenta vel terrena materia prægrauatur, quò minùs tota alacritate ac viuacitate corpoream omnem & incorpoream transiens creaturam, pergat totus in Deum, & adhærens illi, vnus sit cum eo spiritus inæternùm. 1. Cor. 6.

Domum istam decet sanctitudo, in quâ tantæ frequentatur memoria sanctitatis. Sancte Malachia, serua eam in sanctitate & iustitia, misertus nostrî, qui inter tot & tantas miserias memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructamus. Magna est super te diuinæ dispensatio pietatis, qui te paruum fecit in oculis tuis, magnum in suis, qui magna fecit per te, saluans patriam tuam: magna fecit tibi, introducens te in gloriam suam. Festiuitas tua, quæ meritò tuis virtutibus votiua impenditur, tuis nobis efficiatur meritis & precibus salutaris. Gloria sanctitatis tuæ, quę à nobis frequentatur, continuatur ab Angelis, sic erit nobis dignè iucunda, si fuerit & fructuosa. Liceat nobis aliquas, te migrante, retinere reliquias de fructibus spiritûs, quibus onustus asscendis, qui in tuo hodiè tam delicioso conuiuio congregamur. Obserua, vt virtūtus meruerer S. Malachiam. S. Malachię festiuitas.

Esto nobis, quæsumus, Malachia sancte, alter Moyses, vel alter Elias, impartiens & tu de spiritu tuo nobis: ipsorum siquidem in spiritu & virtute venisti. Vita tua, lex vitæ & disciplinæ: mors tua, mortis portus, & porta vitæ: memoria tua, dulcedo suauitatis & gratiæ: præsentia tua, corona gloriæ in manu Domini Dei tui. O oliua fructifera in domo Dei, ô oleum lætitiæ vngens & lucens, fouens beneficijs, coruscans miraculis: fac nos eius, qua frueris, lucis suauitatisque participes. O odoriferum lilium, in eternum ante Dominum germinans & florens, & spargens vbiquè viuificum suauitatis odorem: cuius apud nos memoria in benedictione est, apud superos præsentia in honore: da canentibus te tantæ plenitudinis participio non fraudari. O luminare magnum, & lux in tenebris lucens, signorum radijs & meritorum illuminans carcerem, lætificans ciuitatem: fuga de cordibus nostris, virtutum splendoribus tenebras vitiorum. O stella matutina, eo cæteris clarior, quo Deo vicinior, similior soli, dignare præire nobis, vt & nos in lumine ambulemus, quasi filij lucis, & non filij tenebrarum. O aurora descens super terram, sed superiores cæli plagas lux meridiana perlustrans: recipe nos in consortio luminis, quo illuminatus & latè foris luces, & intùs suauiter ardes: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen. Num. 11. 4. Reg. 2. S. Malachiæ encomion.

VITA SANCTI LEONARDI CONFESSORIS, PER F. LAVR. SVRIVM EX MS. *codicibus presßiùs descripta.*



BATVS Leonardus sub Athanasio Imperatore in Gallijs natus est. Parentes claros habuit, & magnæ apud Clodoueum Regem dignitatis & authoritatis. Clodoueus is primò paganus fuit, sed ad beati Remigij Episcopi prædicationem, Christiana religione initiatus est: & vt graues affirmant testes, Leonardum puerum è sacro baptismatis fonte suscepit, quòd parentes eius inprimis charos haberet. Postquàm autē Leonardus puer adolescentiæ robur adeptus est, noluit Regi terreno militare, vt fecerant maiores eius: sed spiritu diuino promptus, ad beatissimum Remigium Episcopum imitandum se contulit. Cuius salu- Nouēbris 6. Cap. 1. Clodoueus Rex credit in Christū.

tares admonitiones non surda accipiebat aure, sed vt futurus verbi Dei seminator, in pectoris sui armario recondebat. Indè est, quòd quemadmodùm beatus Remigius olìm à Franciæ Regibus impetrârat, vt quotiès Rhemorum vrbem aut ingrederentur, aut præterirent, captiui omnes è vinculis & carceribus dimitterentur: quod quidem hodieque obseruatur: ità boni magistri bonus discipulus Leonardus à Rege obnixè petijt, vt in vincula coniectis, si ipse eos inuiseret, libera potestas fieret abscedendi. Cumque id à Rege obtinuisset, vbicunquè comperit vinctos in carcere detineri, summoperè eos indè extrahere conabatur. Sciebat enim illud dictum à Saluatore: In carcere eram, & venistis ad me. &, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

B. Remigius qui petierit a Franciæ regibus.
Itemque S. Leonardus.
Matth. 25.

Cap. 2.

Crescebat interim tota Gallia fama virtutis eius, quòd multi incommodâ affecti valetudine, ad eum confluerent, & sani reuerterentur, corporea & spiritali ab eo alimonia recreati. Erat vir Dei alacer in exhortando, suauis atque humilis in sermone; in actione simplex & pudicus, in promissis verax, in eleemosynis largus & munificus: in reddenda ratione modestus, atque adeò tenuis & submissus, vt non familia nobili, sed abiectissima ortus videri posset. Eius fama permotus Franciæ Rex, honestos ad eum legatos misit, qui eum accerserent, aitque venienti ad se: Obsecro te, vir Dei Leonarde, vt non recedas à palatio meo, donèc sis pontificia, vt dignus es, functione ornatus. Erat enim iam in clerum asscitus, moribus humilis & mansuetus. Respondit vir beatus: Si more maiorum meorum Regibus Franciæ militare voluissem, non dubito, domine mî Rex, quin in palatio tuo non mediocri fuerim loco potiturus. Sed quia potiùs elegi abiectus seruire Deo meo, quàm in loco sublimi seruire Regi terreno, eas, quas mihi promittis, dignitates & infulas largire illis, qui eas appetunt: mihi satìs est, si liceat in solitudine laudare Deum & Dominum meum. Nec tamen hoc ità accipi velim, serenissime Rex, quasì execrandum sit Episcopi munus illis, qui illi obeundo sunt idonei: sed quòd mihi magìs libeat abiectum esse in domo Dei mei, quàm habitare in aulis Regum & principum mundi huius.

S. Leonardi virtutes.
Respuit oblatum Episcopatum.
Psal. 83.

Cap. 3.

Ità ergò posthabito dignitatis terrenæ fastigio, quod Rex offerebat, tanquàm fidelis agricola verbum Dei seminans, Aureliam peruenit, inuentoque haud procùl extra vrbem venerabili viro Maximino monacho, aliquandiù apud illum moratus est. Diuina autem reuelatione admonitus, indè recedens, in Aquitaniam profectus est. Cumque sancto Liphardo fratri suo, qui fidus ei comes fuerat, eam reuelationem indicâsset, orans vt secum iret, beatus Liphardus respondit: Equidem mî frater, nisi tibi molestum est, hîc apud Ligerim mihi commodum construam domicilium: tu verò pergas ire, quò te vocat Dominus Iesus: isque tibi vbiquè propitius sit. Ità cùm se inuicèm osculati essent, à se separati sunt: & Liphardus quidem Madunum petijt, vbi etiamnùm requiescit: Leonardus verò abijt in Aquitaniam. Cumque per Biturigum regionem iret, haudquaquàm mortis metu se celauit: sed sicut vir strenuus, armis fidei munitus, Christum prædicabat. Ijs enim in locis tum recens admodùm erat Christiana religio, necdùm abolito prorsùs ethnicismo. Itaq; vir Dei, quantùm poterat, verbis & factis Christũ annũciabat, pellebat dæmones, surdos, claudos, cæcos, & morbidos omnes ad ipsum venientes, curabat. Interim suum prosequens iter, galea salutis & scuto fidei instructus, tandèm in syluam peruenit, quam Pauum vocant. Ea feris abundans, Reges Galliæ & Aquitaniæ principes inuitabat ad venationes. Ferunt etiam singulis annis Galliarum Regem eò venisse animi gratia, plerunquè etiam Regina comitante. Aberat is locus à Lemouicum vrbe decem ferè milliaribus. Cùm autem beatus Leonardus per eam transiret syluam, Rex eò venerat cum Regina, quæ ex partu in magnum vitæ discrimen adducta, Regem non mediocri animi dolore affecit. Adhibebatur varia medicorũ opera, sed nihil promouebatur. Plorabat omnis aula & familia Regis, quòd Regina tam miserè abiret è vita. Vt autem lamentantium voces sensit beatus Leonardus, ab itinere nonnihil deflectens, eò se contulit, multa animi commiseratione permotus, scire volens, quid sibi vellent lugubres illæ voces atque clamores.

Diuinitùs monetur proficisci in Aquitaniã.
Huius Liphardi Vitam quære Tom. 3. Iunij 3.
Miraculis coruscat.
Ephes. 6.
Manet in solitudine quã Pauum vocant.

Cap. 4.

Quem simul atquè conspicati sunt aulici, Regi indicârunt de eo, quòd quidam vir Dei adesset, qui Angelicum præ se vultum ferre videretur. Mox ad eum aduolans Rex, & secum introducens in aulam, ità eum compellat: Dic nobis, venerãde pater, cuias sis, vndè véneris, & num sis medendi arte instructus. Vir sanctus respondit: Patria mihi Francia est: vt autem huc accederem, lamentabiles voces me impulerunt; neque verò eam calleo medicinam, quæ ab herbis petit remedia: sed inuocato Christi nomi-

nomine soleo varios curare morbos. Ijs auditis, lætatur Rex, sciscitaturque ex viro Dei, quo vocetur nomine. Respondente illo se Leonardum dici, seruumque esse omnipotentis Dei & beati Remigij auditorem: Rex audiens tam boni magistri eum esse discipulum, nihil ambigit sanctum & bonum virum esse, ad eiusque se genua submittens, præ ingenti animi dolore orat, vt opituletur Reginæ, ex partûs difficultate morienti. Affer mihi, inquit, vir sanctissime, geminam consolationem Reginæ restitutæ, & prolis feliciter editæ. Tum vir sanctus solita humanitate cõmotus, lachrymas fundit, Regemq; eleuans, cum illo & paucis satellitibus eius intrat in cubiculum, vbi Regina decumbebat, oculisque in cælum sublatis, Dominum pro illa deprecatur. Deindè exeunte illo cum Rege, confestim Regina peperit, & omni dolore absoluta est. Itaq; Rex cum omnibus suis tollit ad sidera manus, laudat omnipotentẽ Deum, quòd per seruum suum Leonardum tam insigne ediderit miraculum: iubet proferri aureos scyphos & pateras argenteas, permultaque alia, & gratitudinis ergô donari beato Leonardo. Sed ille homo Dei, cui mundus erat crucifixus cum omnibus pompis suis, regia munera non accipit, sed accito ad se Regi dicit voce mitissima: Donum Dei, mî Rex, pecunia non comparatur, sed precio fidei fidelibus administratur. Ea igitur, quæ mihi largiri volebas, da pauperibus, viduis, pupillis, & rerum inopia laborantibus, vt possis post obitum æterna felicitate perfrui. Ego nullo horum indigeo: sed in desertis locis, cõtemptis mundi diuitijs, soli Christo seruire cupio. Atque ea causa fugio hominum turbas, vt Christo nocte & die seruiens, possim ad opes pertingere nunquàm perituras. Reginã ex partûs difficultate morientẽ sanat. Magna Regis munera non vult recipere.

Respondit autem illi Rex: Sanctissimæ voluntati tuæ equidem abundè possum satisfacere, & eccè totum hoc nemus tibi tradam possidendum. Egò verò, inquit beatus Leonardus, non totum, sed eius tantùm partem quandam à te accipiam, serenissime Rex, quandò adeò promptum te experior. Itaque quãtum nocte potero asello meo vectus circumire, tantum dari mihi peto. Annuit Rex libentissimè, iussitq; omne illud spatium lapideis terminis definiri. Mansit autem vir Dei in illo loco, condiditque ibi oratorium in honorem beatissimæ matris Dei, in cuius sinistro latere altare alterum cõstruxit in beati Remigij memoriam. Vixit verò parcissimè, corpus ieiunijs, vigilijs & precibus macerans. Adiunxit quoquè sibi duos monachos, vita & moribus religiosos, vt in ea ecclesia perpetùm diuina mysteria celebrarent, quandò ipse sanctorum limina orandi causa visitaret. Solebat enim pro more sæpissimè adire basilicam beati Martialis Episcopi Lemouicensis: atque ea causa nolebat oratorium suum esse sine ministro, dum ipse abesset. Difficulter autem illic à monachis aqua obtineri potuit, quòd ferè vno milliari apportanda esset. Rogârunt igitur beatũ Leonardum, vt iuxta ecclesiam aquam ipsis impetraret. Iussit ergò humum instàr putei fodi, stansque supra effossam humum, orauit Dominum, & mox perennes eruperunt aquæ, quæ vsque in hunc diem loci eius habitatoribus potum præbent. Porrò locum ipsum beatus Leonardus Nobiliacum dici voluit, quòd à nobilissimo Rege eum dono accepisset. Cap. 5. Accipit partem nemoris à Rege. Extruit ecclesiam. Precib⁹ impetrat aquã perennem.

Etsi autem latére percuperet vir sanctus, & hominum frequentiam fugeret, quandò tamen ciuitas abscondi non potest supra montem posita, infinita ad eum malè valentium turba confluxit, curabaturque ab eo. Fama sanctitatis eius Aquitaniam omnem & Britanniam minorem impleuerat, atque vsque in Germaniam sese effuderat: atque adeò Deus ornauit & illustrauit illum, vt si quis in carcerem coniectus, eius nomen inuocaret, ruptis catenis, nullo impediente, liber absederet. Indè accidit, vt multi etiam ex lõginquis regionibus à vinculis & carceribus per eum liberati, ad eum venirent, & compedes atque catenas secum afferrent, ad eius sese pedes humiliter abijcientes. E quibus etiam non pauci apud eum manebant, se illi seruos offerentes: sed vir Dei illis potiùs seruire studebat, partem eis syluæ distribuens, vt consuescerent agriculturæ operam dare, & indè sibi parare victum, non inhiare prædis, nè rursùs in vincula conijcerentur & obscuros carceres. Simul autem salutari eos Euangelij prædicatione instituebat, prætereaque omnes ad se venientes varijs affectos morbis, sanabat sanctis precibus, & optimis sermonibus continẽter pascebat, nudos vestiebat, esurientes alebat, cunctisque necessaria pro viribus suppeditabat. Itaque amabant eum haud secùs, atquè solent filij parentes suos. Cap. 6. Matth. 5. Magna eius vis in liberãdis vinctis. Vacat misericordiæ operibus, & multa edit miracula.

Cùm autem hæc eius præclara facinora in Francia diuulgarêtur, multi ex cognatis eius, plerique etiã familiares eius, distractis rebus & possessionibus suis, cum vxoribus Cap. 7.

Consanguinei eius cũ sequuntur relictis bonis suis. & liberis ad eum se contulerunt. Quos vt ille vidit, non mediocriter admirans, ait ad eos: Ego vos fugi, & eccè vos me sequimini, quandoquè etiam ad paradisum me secuturi. At illi prosternentes se, Domine pater, inquiunt, tui sumus, & à te, si placet, nunquàm recedemus. Vias tuas ostende nobis, & semitas tuas edoce nos. Respondit vir sanctus: Ego vos, dilectissimi, Prophetæ verbis appello: vos autem reponite ea in cordibus vestris. Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Timete ergò Dominum, quoniam non est inopia timentibus eum. Diuites eguërunt & esuriërunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Itaque filij audite me: timorem Domini docebo vos. Ea causa tulit vos Deus è populorum tumultu & strepitu, vt in hac solitudine mecum commorantes, rectè hîc viuatis in iustitia & sanctitate, memores illius propheticæ sententiæ: Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. itemque illius: Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm plena domus cum iurgio. Post id genus salutares adhortationes septem eis nemoris sui partes assignauit. tot enim erant familiæ: iussitque eos labore manuum suarum victitare, quemadmodùm Apostolus se fecisse dicit, vt haberent vndè possent indigentibus elargiri. Præter hos autem alij multi & ex propinquis & longinquis regionibus ad eum aduentabant, cupientes ad mortem vsque cum illo permanere. At ille amplectens omnes, fouebat eos vt solet gallina pullos suos. Robur erat validis, atque infirmis medicina, in templo Dei tanquàm stella matutina refulgens. Vixit diebus vitæ suæ in timore Domini, ornatusque virtutum gemmis, seruiuit creatori suo sine querela. Denique cùm iam bonum certamen certâsset, fidemque seruâsset, quandò visum est altissimo, vt è præsenti seculo emigraret, octauo Idus Nouembris sanctissima anima eius ab Angelis recepta est in cælum: corpus autem sanctissimum à fidelibus humatum est in ecclesia, quam ipse construxerat in honorem beatissimæ semperq; Virginis Mariæ & beati Remigij Rhemorum Episcopi. In ea autem ecclesia multa diuinitùs miracula fiunt, cæci vident, leprosi mundantur, paralytici curantur, varijque hominum languores, eius precibus depelluntur, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Psal. 36. Psal. 33. Psal. 36. Prou. 17. Act. 20. 1. Cor. 4. 2. Thess. 3. Feliciter ad Dominũ proficiscitur. Miracula ad sepulcrũ eius.

Cap. 8. Post eius autem decessum pagus ille Nobiliacus propter miracula, quæ illic fiebãt, in dies aduentantibus hominibus augmẽtabatur, crescebatque habitatorum numerus, Clero populoque incrementa capiente. Euolutis itaque paucis diebus, diuina reuelatione admoniti sunt Clerici ecclesiæ eius, vt aliud ædificarent templum, & in illud corpus sancti viri honorificentissimè transferrent. Illi visionem referunt ad populum, triduanumque omnibus ieiunium indicunt. Cumque in ieiunio, precibus & vigilijs pariter perdurarent, Dominumque rogarent, vt locum ipsis ostenderet, ad quem vellet confessorem suum transferri, signo admirabili declaratus est ecclesiæ construendæ locus. Tertia enim nocte in tota ferè prouincia illa nix altissima décidit: porrò locus ille, in quo vir sanctus quiescere voluit, prorsùs intactus à niue permansit. Eo conspecto miraculo, cum magnis vocibus gratias agunt Deo, qui per sanctum confessorem suum exhilarârit fluctuantẽ populum suum: moxque arreptis ligonibus & sarculis, ecclesiæ fundamenta fodiunt, eamque magna operis instantia breuì exædificant: deindè adunatis fidelium turmis, in eam corpus sacrum beati viri cum hymnis & canticis inferunt. Quæ autem miracula in hac trãslatione perpetrata sint, paucis explicari non potest. Sed & quotidiana ad eius sepulcrum fiunt miracula, quę perspicuè testantur, qua in gratia sit apud Christum. Permulta illic suspensa cernuntur ferrea vincula, multorum etiam enses & lanceæ, quos à bellorum rabie liberauit. Quòd si quis velit catenas eò allatas, itemque compedes, ocreas & manicas ferreas omnes certo numero comprædhendere, & in scripta redigere, fortasis res incredibiles narrare videbitur. Qui autem eò adueniunt, non possunt ambigere, quin vera dicamus: ijque ex tanta suspensi ferri copia magìs animis confirmantur & hilarescunt. Porrò autem si quis & antiqua & quotidiana eius miracula annotare instituat, priùs se tempore, quàm rerum copia, destitutum experietur. Sed quandò omnia referre non sinit multitudo, nihil autem ex ijs commemorare stultissimum est, pauca è plurimis breuiter dicemus, quæ ad lectoris demulcendum animum, tanquàm flores ex amplis pratis decerpsimus.

Insigne miraculum. Transfertur iussu diuino sacrum corpus eius. Infinita ei' miracula.

Cap. 9. Lemouicensium Vicecomes quidam, ob deterrendos homines à maleficijs, immanissimam iusserat parari catenam, eamque ad cippum alligari, qui erat in media turri, haud procùl ab ecclesia beati Martialis extructa. Prominebat autem è turri

catena, & qui ea ad collum vinciebantur, sub dio stabant: & æstate quidem expositi erant solis ardoribus, hyeme autem niuibus & frigori: & vtroque tempore pluuijs, ventis & imbribus, alijsque cæli iniurijs, ità vt non vnam, sed mille mortes perferre viderentur. Eam catenam, Mauram appellabant. Vicini omnes valdè sibi ab illa metuebant, quòd plerunquè etiam innocētes ea punirentur, si Vicecomitem, vt assolet, terrena fortasìs cupiditas occupâsset. Ità accidit, quendam beato Leonardo deuotum hominem, absque culpa ea colligari: qui cùm ferro adeò esset ad collum attritus, vt supremum spiritum vix trahere videretur, recordatus beati Leonardi, suspirabundus intra se dixit: (nec enim catena pressus vocem edere potuit) Sancte Leonarde, qui etiam extraneis te inuocantibus subuenis, cur me seruum tuum hac catena strangulari permittis? Succurre (obsecro) mihi, antequàm me vitalis destituat spiritus. Confestìm in veste candidissima adest sanctus Leonardus, aitque ad hominem: Non morieris, sed viues, & narrabis opera Domini. Surge incolumis, & hanc Mauram perfer ad ecclesiam meam. Nemo enim deincèps ea vincietur, sed quòd te ex ea exemerim, suspensa apud sepulcrum meum palàm testabitur. Tu verò sequere me præeuntem, nec dubites absportare catenam. nullum enim eius pondus senties. Obtemperat homo, sequitur ducem suum, & celeriter ad fores ecclesiæ beati viri perductus, solus manet, beato viro ab eius oculis euanescente. Mox intrat in templum, spectante Clero & populo, ad sanctum altare deponit catenam, narrat omnibus, quid ipsi præstiterit sanctus Leonardus. Cuncti laudant Deum: fama rei gestę procùl diffunditur, accurrunt Lemouicenses ciues & vicini omnes, offerunt munera Deo & S. Leonardo, depromunt laudes deuotione præcipua.

Homo innoxius dito supplicio afficitur.

Eum S. Leonardus liberat.

Cùm eius regionis nobiles inter se cōtenderent, quidam è pago Nobiliaco, beato Leonardo deuotus, à quodam nequissimo tyranno captus est. Is veritus, vt posteà ipse narrauit, nè sanctus Leonardus homini opitularetur, ità apud se cogitabat: Si hunc hominem ferro constrinxero, prorsùs metuo nè amittam illum. Vt enim apud ignem cera, sic ad beati Leonardi nutum colliquescit ferrum. Si cippo pedes eius inclusero, aut in custodiā eum detrusero, nihilo certior ero. eadem enim illic quoquè Leonardi vis est. Planè anxius sum, quid agam hoc homine, à quo ego mille solidos, si redimi velit, extorquere constitui. Sed scio tamen, quid faciam. Iubebo foueam profundissimam in intima turri mea fieri, in eamque illum compedibus manicisque ferreis colligatum demergam. necdùm enim sanctus Leonardus sub terram se demisit: & quanuìs fortasìs catenas ferreas dissoluet, hominem tamen è specu subterraneo educere nequibit. Porrò etiam ad os foueæ arcam ligneam admouebo, & in ea milites iubebo excubare noctes atque dies, qui eum custodiant. Fecit ergò hæc omnia sæuus homo: sed tamen efficere non potuit, vt licèt in tenebris & magnis catenarum angustijs esset, spem & fidutiam vinctus abijceret, seque à beato Leonardo ereptum iri dubitaret, quem etiam custodibus audientibus crebrò inuocabat, simul orans Dominum, vt per dilectum confessorem suum Leonardum se liberaret. Eccè autem quadā nocte præ lassitudine illo obdormiente, sanctus Leonardus cum multa luce adest, euertit arcam, in qua milites inerant, eosque sub eam ceu mortuos deprimit: indè descendit in foueam, alta voce appellat hominem, Dormis'ne, inquiens, an vigilas? En adsum Leonardus, quem expetijsti. Expergefactus homo, visa luce immensa, ait ad eum: Domine, adiuua me. Confestìm diruptis catenis, & instàr luti dissipatis, proprijs vlnis è turri cum exportat: ambulansq; cum eo, familiaria miscet colloquia, vt inter se amici solent, tandemque Nobiliacum perducit, vbì extra periculum fuit. Sole orto, exponit vicinis, quæ passus sit à tyranno, quid beneficij à sancto Leonardo acceperit. Mirantur omnes, & incredibili gaudio & lætitia afficiuntur.

Cap. 10.

Singularis virtus S. Leonardi in captiuis liberandis.

Eccè quàm stultum sit, cum sanctis velle decertare.

Extrahit vinctum è profunda fouea.

Peregrinus quidam in longinqua regione audiens, quæ beati Leonardi intercessione miracula fierent, constituit eius adire sepulcrum. Fecit, venit eò, orauit, & reuersus est. Dum est in itinere, capitur apud Aruernos, & in arctam custodiam ducitur. Ait ergò ad illos: Quæ hæc vestra immanitas est, vt in hominem, à quo nihil vnquàm læsi estis, quem neque nouistis, neque vidistis antehàc, tam inhumanos vos declaretis? A sancto Leonardo reuertor: pro eius amore vt abire me sinatis, oro. At illi non modò preces eius contemnunt, sed etiam mortis minas intentant. Fame, inquiunt, te excruciatum interficiemus, donèc è patria non paruam pecunię vim, qua redimaris, petas. Respondet ille: Noueritis me beato Leonardo esse commendatum. Nocte eadem castelli eius principi appáret sanctus Leonardus, expostulat cum eo, cur ausus sit

Cap. 11.

Aliū inhumaniter captum, mitè eripit.

sit capere peregrinum suum, à quo nihil mali illatum esset. Vide, inquit, vt manè absolutum à vinculis, à te dimittas. Ille refert hæc suis militibus, nec tamen soluit captiuum. Altera nocte redit sanctus Leonardus, sed rursùs nihil impetrat. Tertia nocte reuersus, aufert hominem è custodia, longeque extra oppidum educit. Illo ablato, media castelli pars repentino casu multos crudeles viros opprimit & extinguit: castelli dominus, fractis cruribus, cum ignominia superstes manet.

Pœna inobedientiæ.

Cap. 12.

Apud Nannetes, quod est minoris Brittanniæ oppidum, eques quidam carcere tenebatur, catena ferrea vinctus collum, brachia & pedes. Orauit ille sanctum Leonardum, vt tantæ miseriæ subueniret. Sanctus Leonardus, qui nunquàm solitus esset cunctanter adesse ipsum implorantibus, quodam die visibilis apparuit in media domo, vbi captiuus ille detinebatur. Familia omnis, oculis in eum coniectis, expectauit quidnã facturus esset. Permulti enim illic erant, & adeò certò illis constabat, sanctum Leonardum eum esse acsi aliundè id eis indicatum esset. Ille ergò captiuum manu appræhendit, cunctisque valdè admirantibus, catenam ab eo tollit, rursùsque in eius imponit vlnas, iubet vt ad suam ecclesiam eam absportet, eumque per medium illorum educit. Nemo quicquam ausus erat dicere: sed omnes taciti, laudabant præclara Dei opera, quæ efficiebat per beatum Leonardum confessorem suum.

Alium quoquè admirabiliter è captiuitate educit.

Cap. 13.

Cùm adhuc in viuis esset Vuilhelmus magnus Aquitaniæ Dux, dubitatum est à multis, num beatissimi Iohannis Baptistæ caput apud + Augericum haberetur. Iussit ergò princeps Vuilhelmus magnam Episcoporum conuocari synodum, vt eorum consensu tantus thesaurus inquireretur, & sacratis illorum manibus hæsitãti populo visendus exhiberetur. Quæsitum & inuentum est caput sacratissimum, altarique impositum, cunctis illud ità, vt par erat, venerantibus. Multæ tum ea causa illuc allatæ erant Sanctorum reliquiæ, multaque edita sunt miracula per merita illorum: in ijsque sanctus Leonardus, bonus imprimis malè habentiũ medicus, non pauca virtutum singula declarauit. Paupercula quædam mulier filium cæcum eò adduxerat, orauitque sanctos, quorum reliquiæ illic erant, vt ei redderent visum: sed exaudita non est. Cùm autem obuiàm venisset capsæ, in qua ad synodum adducebãtur beati Leonardi reliquiæ, apud se dixit: O beate Leonarde, omnes ad te venientes sanas: ego verò paupercula neque à te, neque ab alijs sanctis filij sospitatem potui impetrare. Simul autem feretro supposuit filium suum, eum mox videntem, ad se recepit. Alia fœmina illic aderat, septem nequam spiritibus occupata. Eam quoquè beatus Leonardus curauit. Sanauit etiam claudum quendam.

Baptistæ domini caput nunc Ambiani seruatur.

Cæcus lumẽ recipit. Dæmoniaca curatur, itemque claudus.

Cap. 14.

Ad Rhodanum flumen castellum est, in quo captiuus quidam asseruabatur. Is sine intermissione inuocãs beatum Leonardum, ab eo ereptus est. Sed cùm esset eo loco admodùm profundus fluuius, & homo illi se committere formidaret, beatus Leonardus illum incunctanter per eum transire iussit. Iuit ergò siccis vestibus ad vlteriorem vsque ripam. Alteri cuidam in subterraneam specum coniecto columbæ specie apparuit, eumque indè eduxit. Cum autem atra nox homini viam, qua iret, prorsus absconderet, columba ob oculos eius volitans, eum antecessit, atque ad locum optatum perduxit.

Duo captiui euadunt.

Cap. 15.

Latrones quidam rusticum ceperunt, eumque ad quercum suspenderunt, corpore miserè pendente, pedibus arbore compressis, sinistraque manu ad aliam arborem ferreo vinculo alligata: ità vt nihil misero relictũ esset liberum, præter solam dextram manum, cui innitebatur. In tantis igitur angustijs appellat cum lachrymis beatum Leonardum. Et eccè circunfundi sibi cernit lucem clarissimam, & ex ipsa luce audit vocem blandissimam: Quid ità clamas? Respondet ille: Deum inuoco, sanctosque eius Martialem & Leonardum appello. Tum vox illa: Extrahe, inquit, pedes & manus, & abi liber & incolumis. Illo dicente, se non posse pedibus & manibus impeditis, rursùs iubetur absque vllo metu facere quod monitus erat. Fecit ergò sic, & compedibus in terram decidentibus, abscessit.

Itèm alius à latronib' vinctus.

VITA

VITA SANCTI VVINOCI ABBATIS, GRAVITER ET DOCTE SATIS CONSCRIPTA: SED NOMEN *Authoris vel ab ipso suppressum, vel à librario neglectum & omissum, MS. codex non habet.*

PROLOGVS AVTHORIS.



CVm titulos olim maiorum copia honestauerit dicēdi. & fortia facta veterum in posteros non parùm gloriosè trāsmiserit: eo etiam exemplo pleriq; quos nostra ætas habet affectati, sanctorum facta virorum vel dicendo vel scribendo cælo nisi sunt æquare. Sic Seuerus Martinum, Fortunatus Hilarium, sic alij alios conscripsêre, eosq; in ornamentum Ecclesiæ dedêre. Cumq; in dicendo nihil minus à magnis oratoribus effecerint, nullo modo tamen (vt sine detrimento maiestatis eorum dixerim) virtutes sanctorum scriptis æquare valuerunt. *Vita sanctorum, Ecclesiæ ornamentum.* Et nè derogationis in tam præclaros Ecclesiæ Dei oratores arguar: idem ipsi vnà mecum sentiunt: minus esse meritis sanctorum, omne quicquid dixerint. Nec mirum: Ad quorum enim nutum creatura, creatore disponente, naturam interdùm ignorauit, & elementa iussa sunt pati, in eorum laudibus oratorum linguam succubuisse parum est. Hæc idcircò diximus, vt tantò scribenti mihi ignoscatur, quantò à magnis oratoribus minus habet ingenium, & coram quibus, vt ità dicam, nostra sordescit oratio. Sed nè me scribentem temeritatis accuset quicunque ille est, causas scribendi præcognoscat: & tum demùm vel accuset, vel ignoscat. Nam à fratribus cœnobij sancti Vuinoci, quorum charitate non parùm iocundè refrigeratus sum, non sine confusione fateor meî, suggestum accepi, vt vitam & actus memorabilis, quem præfatus sum, patris nouo stylo ex veteri sumpto cuderem, Ciceronis linguam in ore rustico quærentibus. *Cœnobium S. Vuinoci in castro Bergensi.* Quid enim? Satìs mihi timebam patribus non parére, vicemq; eis quibus multa debui, non reddere. Et quid agerem, qui multa debui exactus quod non habui? Hinc charitatem, hinc imperium illorum considerans, inter vtrunque positus: charitati vicem, imperio obedientiam debui. Cumq; diuersus has in partes ægrè spiritum traherem, & conatus sum posse, quæ non habui posse: venit in mentem os prophetæ calculo de igne altaris sublato emundatum, & quod mirabilius est os asinæ in verba distinctum. *Esa. 6. Num. 22.* Proindè sanctus hic, quem laudare compellor, facilè habet in apertione oris mei gloriosus fieri, qui cùm voluit, mutorū linguas absoluere, promptum habuit. Et quamuis parùm gloriosum sit diuina humanis laudari: habet tamen deuotio sancta laudis suæ præmium, negligentia periculum. deuotionis enim est, piè laudare: negligentiæ, non laudare. Et licèt non sit speciosa laus in ore peccatoris: de negligētia tamen iudicabitur, si non conatur vtcunquè mereri vt laudet. *Eccl. 15.* Precibus ergò patrū confisus, aggrediar opus quod iniungunt, obediēdi scilicet deuotione, non scribendi præsumptione. Cumq; extremam manum operi dedero, pensumq; operis patribus reconsignauero: si quid manus nostra errauit, iubenti magìs, quàm obedienti lector imputare habebit: quia facilè potiorem me in hoc opere scriptorem admittere potuerunt. Quia ergò non piguit magna iubere, nec me pudebit magnis parére, quanquàm futuro operi longè viribus impar sim.

VITA.

De beati viri natiuitate, & pro Christo peregrinatione. Cap. 1.



BEATVS Vuinocus in Britanniæ finibus ex nobilium virorum prosapia nascendi exordia sumpsit, sed nobilitatis titulum probitatis indole ornauit. *Nous Britò.* Qui cùm à prima ætate nouus virtutibus quasi semper inciperet, inter ipsa tamen primordia consummator apparuit: & in mundo positus, extra mundum fuit, & sub habitu seculi gessit militem Christi. *Magna perfectio S. Vuinoci.* Inter hæc stupebat in sinu suo Britannia ciuem suum peregrinari, & intra fines proprios nouis quotidiè actibus exulare & morari. At qui mente iam à patria exulârat, vt etiam corpore esset exul, non ęgrè operam dabat. Itaque vt alter Abraham, exire de terra & de cogna- *Gen. 12.*

tione sua, meditatione versabat assidua. Porrò succedentibus ad integrum votis, consilium inuenit res diù mente concepta & agitata. Habuit proindè in consortium suscipiendæ peregrinationis coniuratos in Christi sacramēta tyrones, Quadanocum videlicet, Ingenocum, atque Madocum, genere quidem spectabiles, & vita probabiles. Hi vnà cum beato Vuinoco rerum suarum onere expediri, patrio solo parentumque opibus exuti, ad currendam viam mandatorum Dei passibus fidei ducebantur, illud Apostolicum operum suorū vocibus clamantes: Non habemus hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Cum tribus socijs peregrinationē suscipit.

Heb. 13.

Quomodò hi quatuor sancti viri beato Bertino Abbati se subdiderint. Cap. 2.

IGitur post longa viarum spatia regioni tandè appulêre Morinorum, vbì fama vulgante sanctorum hominum tunc florere religionem compererant. Per id tempus in ea Morinorum seu Taruanensium regione beatus Bertinus in ornamento Ecclesiæ Dei erat lapis preciosus, in Sithiu monasterio merito & officio Abba. Hic sanctitatis suæ aromata longè lateq; spirauerat, & in militiam Christi suo exemplo permultos inuitârat atque pertraxerat: cuius laudabilia gesta nôsse qui velit, ex libello, quo eius actus plenissimè continentur, perspicuè discere poterit. Tanti ergò patris regimini viri illi, quos diximus, deuoto se obsequio subdiderunt, & egregium omninò duxêre, ad doctrinam sancti animo peruigili pendére. Eorum verò laudabili deuotioni gratulans beatus Bertinus, sub norma pij patris Benedicti docuit eos ferre suaue iugum Christi: monasticisq; parére sanctionibus, & verbis & factis instituit. Cumque eos inter ipsa conuersionis primordia culmen perfectionis iam attigisse miraretur, locum eis, in quo singulariùs Domino vacarent, attribuit, vtq; cellam illic sacris occupationibus congruentem extruerent, imperauit. Párent imperio, construendo incumbunt ædificio. Locus ille in Morinorum territorio situs, vsq; in præsentem diem mons sancti Vuinoci vocatur: vbì illi viri Dei aliquandiù degentes, & se mundo, & sibi mundum crucifixerunt.

Veniunt ad S. Bertinū.

Vita ei⁹ habetur To. 5. Septem. 5.

S. Vuinoc⁹ fit monach⁹

De illustri viro Heremaro, largiente suum prædium sancto Vuinoco, ac de monasterij constructione in prædij possessione. Cap. 3.

HAbebat tum sanè mater Ecclesia egregium membrum suum, virum illustrem Hermarum, tam opibus quàm moribus præclarum. Hic pro adipiscenda in terra viuentium portione, Deo sanctoq; Vuinoco quoddam sui iuris obtulit prædium, quod Voromholt ab incolis vocitatum, vsitatissimum ad nos vsque seruat vocabulum. Adiacet ea possessio cuidam fluuiolo in Taruanensium & Flandrorum cōfinio, habetque pingue satis solum & fertile frugum. Eò autem Abbas Bertinus destinatis Dei famulis, operam dat construendis seruorum Dei habitaculis, in quibus & Christus in pauperibus chariùs exciperetur, & monasticus ordo secretiùs atque deuotiùs excoleretur. Viri ergò Dei, in militiam Christi succincti lumbos mentis, imperio se iubentis accommodant, iniunctumq; opus maturare contendunt. Feruet opus, surgūt ædificia, instruuntur xenodochia: ità vt breuì absoluta & exædificata illa domus Dei, facilè posset ab incolis honorem promereri. Sancti autem viri illi in labore manuum suarum adeò erant diuina gratia instructi, vt non sua, sed quæ essent Iesu Christi, quærentes, aliorum salutem suæ anteferre, & aliorum leuandis incommodis sarciendisque detrimentis sua lucra facere viderentur. Nihil enim in omni vita iucundius habuêre, quàm hospitum pauperum & peregrinorum commodis prospicere: eratque eis cor vnum & anima vna, & quod dici solet, erat alius alij dimidium animæ. His ergò instrumentis in semetipsis templum spiritussancti construentes, vsq; ad finem vitæ à rigore propositi nihil remiserunt.

Monasteriū in Voromholt construitur.

Quomodò sanctus Bertinus post obitum trium prænominatorum virorum beatum Vuinocum gregi præfecerit monachorum. Cap. 4.

POrrò post decessum trium sanctorum virorum, beatus Vuinocus superstes fuit: qui regularibus disciplinis apprimè imbutus, profecerat sanè in omnibus fidei doctrinis, proferēs de thesauro cordis noua & vetera. Cumq; sæpè memorati tres viri extremum clausissent diem, perpetuam translati in requiem, sanctus Bertinus virum Dei gregi monachorum voluit præesse, quippè qui iam humiliter subesse didicerat. Erat ille quidem antedictis tribus viris ætate minor, sed non inferior sanctitate. Adeò enim in præcedentium sanctorum vestigijs institit, vt in nulla cum virtute poste-

S. Vuinocus pficitur monasterio.

posteriorem Ecclesia miraretur. Non enim, vt dici solet, posterior currebat rota, sed præeuntes quosque in bonis actibus maturè attingebat, illud Apostolicum & animo voluens, & opere complens: Quæ quidem retrò sunt, obliuiscens, ad ea, quæ priora sunt, me extendens, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis. An mihi eius iam prædicanda est humilitas & patientia? De quibus sanè quicquid dixero, minus inuenietur, quàm pro meritis tanti viri. Didicit ille mitis esse & humilis ab eo, qui dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. & itèm: Qui maior est vestrûm, erit minister vester. & : Qui se humiliauerit, exaltabitur. Egregium duxit subiectus sibi fratribus ministrare: quia nouit Christum non venisse ministrari, sed ministrare.

Philip. 3. Matth. 11. 20. 23. 20.

De mola ad orationem viri Dei diuinitùs rotata. Cap. 5.

HOspitalitas in eo prompta fuit, quia charitas non ficta: adeò vt illum diem egregiè lætum duceret, cùm hospitem, immò in hospite Christum, suscipere meruisset. Quicquid operis aliorum manus vel arduum & graue refugiebat, impigrè ille & incunctanter arripiebat. In tantarum autem argumentum virtutum accessit ei à Domino gratia signorum, & qui paruulus in oculis suis fuit, gloriosus factus est per eum, qui dicit: Super quem alium requiescam, nisi super humilem, & trementem sermones meos? Et iam vltimo senio confectus, non fatiscentem causabatur ætatem: sed in emeritis artubus adhuc Christi militiam gessit, in eaque, licèt corpore fessus, fortiùs pedem fixit, & virtute, qua potuit, ad erogandam familiæ Christi tritici mensuram fidelis dispensator incubuit. Sæpiùs autem illud Apostolicum animo reuoluens, Qui non laborat, non manducet: itemque illud Psalmographi: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & benè tibi erit: eisdem præceptis non solùm affectu, sed etiam effectu paruit, atque labore manuū tam suis, quàm aliorum, necessitatibus prospexit. Aptauit enim sibi molam quandam, (nimirùm opus, in quo solet iniuriæ locus esse) quam subindè manibus versando, subindè quoquè orando, suis pauperumque vtilitatibus inseruire coëgit: & mirum in modum, cùm vicissim operi succederet oratio, orationem diuina secuta est benedictio, qua illum celebrem reddidit. Deus enim parcere volens labori fessi senis sui, molam, quod dictu quoquè mirum est, sua spontè fecit circumagi, consulens famuli sui & defessæ ætati, & necessitati. O verè mirabilem Deum in sanctis suis, qui in creaturarum ministerio sic ministris suis ministrat, vt etiam naturæ legem excedere compellat.

Esa. 66. 2. Thess. 3. Psal. 127. Pręclaro miraculo eum De' illustrat

De curioso fratre cælitùs cæcato, sed per orationem sancti viri illuminato. Cap. 6.

ID verò ille animaduertens, iam securus de labore suo, quippè qui Deum adiutorem experiretur, frustrà se labori manum admouere existimabat, cùm Deus illi suam admoueret: qui dat escam esurientibus, & implet omne amimal benedictione. Itaque oculis & manibus semper in cælum intentus, pro collatis sibi à Deo beneficijs, cordis offert sacrificia. Interìm fratres, qui labore manuum eius iucundè reficiebantur, & alimentorum copiam, & in sene operis efficaciam mirabantur. Nec erat incerta suspicio, senem diuinitùs adiuuari, cui & ætas prolixior, & ad occasum procliuior esset. Illis ergò admirantibus hinc copiam panis, indè imbecilla membra senis, vnus eorum curiositatem temeritate armauit, omnemque rei ordinem oculata fide explorare tentauit. Accedens ergò ad domum illam, vbì vir Dei & labori manuum, & orationi incumbebat, oculis ad foramen curiosè admotis, vidit molam, orante viro Dei, diuinitùs moueri, atque farinæ copiam euomere. Sed ad eius intuitum solito cursu refrenato, mola immobilis mansit, moxque hominis temeritatem vltio diuina secuta est, quæ illum & humì prostrauit, & iusta cæcitate damnauit. Pœnam hanc immodicus quisque & temerarius maiestatis scrutator pertimescat, & à noxia curiositate resipiscat. Plùs enim velle sapere, quàm oportet sapere, quid est aliud, quàm desipere?Ità enim quidam exciderunt à veritate, iustam in seipsis suæ temeritatis mercedem recipientes. Sed ad rem: Ille ergò frater tam visu, quàm gressu orbatus, aliorum manibus reductus est: & qui in non sua plùs, quàm debuit, extitit curiosus, in suis minùs, quàm oportuit, officiosus effectus est. Minùs, inquam, officiosus, quia oculorum & virium officio destitutus. Altero autem die, quid viderit, quid've perpessus sit, ijs, qui aderant, indicauit: & ad virum Dei perductus, pedibus eius aduoluitur, se temerarium, se reum non sine

Psal. 145. & 144. Fratris cuiusdā temeritas castigatur diuinitùs.

ſine lachrymis fatetur. Nec res potuit reuocari in dubium, quam & cæcitas & pauor hominis demonſtrarent. At ſeruus Dei condolet reo, fontemque illi miſericordiæ aperit: condonat iniuriam, conſignat eius oculos: dehinc orationis antidotũ parat, S. Vuinocus cæcũ ſanat. viſum cæcato reparat: & quàm facile ei fuit remittere iniuriam, tam non difficile eſt cæco viſum inſtaurare. Itaque mœror reſtituti fratris mutatur in gaudium, confuſio in iubilum: tamque iucundum erat errati meruiſſe veniam, quàm cæcitatis pœnam euaſiſſe.

De multimoda viri Dei deuotione, eiusq; in Chriſto dormitione. Cap. 7.

Iohan. 1. Virtutes S. Vuinoci. SEd ad alias viri Dei virtutes veniamus. Erat ille planè, vt de quodam in Euangelio Dominus dicit, verè Iſraëlita, & doli expers. Iam mente Deum cernebat, à quo ſe dolebat in corpore peregrinari. Fidelis in domo Dei œconomus, plùs amari ſtudebat, quàm timeri: & miniſtrare potiùs, quàm aliorum miniſterijs foueri: nec occaſione regiæ nobilitatis, qua præclarè pollebat, cuiquam ſeruilis conditionis ad conuerſionem venienti ſe anteponebat. Animo & vultu hilaris, fide robuſtus, ſpe lõganimis, charitate diffuſus: à dextris & à ſiniſtris, armis iuſtitiæ munitus, nec proſperis efferebatur, nec aduerſis deijciebatur. In conſilio prouidus, in interceſſione ſtrenuus, ſapientiæ ſale conditus, lorica virtutum contra ſpiritales nequitias inſtructus. His & id genus alijs virtutibus armatus, Dominica bella peregit, & vt vir fortis, principẽ huius Pſal. 141. mundi ſubegit. Cupiens verò diſſolui, & eſſe cum Chriſto: Educ, inquit, Domine, de carcere animam meam ad cõfitendum nomini tuo. Eius autem deſiderijs Dominus annuens, petitioni eius non defuit. Mittit Angelos, qui eum ad ſe euocẽt, donatiuum 1. Cor. 2. largitur emerito militi ſuo, quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non aſcendit. Obijt octauo Idus Nouembris, atque in prædio, quod iam ſuprà diximus Voromholt appellari, humatus eſt: regnante in perpetuum Domino noſtro Ieſu Chriſto: Cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Sequuntur miracula. Et primò de oratorio ſancti concremato, ſed ſepulcro eius ab incendio diuinitùs præſeruato. Cap. 8.

NOn multum temporis poſt exceſſum ſancti viri effluxit, & res ſeculis inuſitata contigit. Quadam die cùm Sol à meridiano feruore teperet, fratrumque caterua præfato in loco ſomno paululùm indulgeret, ignis ex vicina domuncula flãmam euomuit, quæ proxima quæque ædificia exurendo abſorbuit. Nam & in eccleſia membrorum viri ſancti ſeruatrice, totis regnauit habenis, nec furoris ſui refrenauit impetum, donèc ad beati viri veniret tumulum. Vbi ex virtute Dei meritiſque ſancti naturam ſuam ignis ignorauit, eodemque in loco non ſine miraculo intuentium lon-Dan. 3. gè refugit. Sicque exemplo trium puerorum rem contigit eueniſſe: ſicut enim tunc in illis, ità & nunc ad ſepulcrum ſancti viri flamma vires perdidit. Exhinc omnibus igni abſumptis cùm fomes ignis defecit, flamma in ſe victa reſedit. Tunc qui aderant rei nouitate perterriti, ad tumbam viri Dei concurrebant, vndè nihil aliud quàm pe-Ignis non audet appropinquare ſepulcro ſancti Vuinoci. nè aduſtam credebant. Sed res in admirationẽ verſa eſt intuentium: quia ſepulcrum ſancti vnà cum adiacentibus ſibi ornamentis inter medios ignes videbant intactum. Quod vt viderũnt, pro cæteris damnis conſolationem receperunt: quia in membris ſancti incendia nihil valuère, quæ in adiacentibus materijs nihil reliquerunt.

Quòd inter manus baiulorum immobile manſerit corpus ſacroſanctum. Cap. 9.

PLacuit fidelibus, corpus ſancti patris de proprio ſepulcro leuare, & remotiùs ex iam vſto oratorio transferre, donèc damna quæ ignis intulerat repararent, atque priſtino itèm loco illud reſtaurarent. Sed tam piæ intentionis affectum, diuina pro-Non vult aliò transferri vir ſanctus. hibuit virtus tranſire in effectum. Nam leuato ſacrorum loculo membrorum, erat cernere immobilem fieri inter manus baiulorum. Sed dum quid facto opùs eſſet anxiè quærerẽt, tandem intellexère diuini non eſſe iudicij ſacroſanctum corpus longiùs transferri. Et conſilio accepto, operæprecium cenſebant precibus à Deo obtinere, quod humanis viribus non valuère. Nam dum in horto, qui fortè eccleſiæ adhærebat, proponerent illud transferre, ad mouendum celerem mox effectum inuenère: leuantesque, præſcripto in horto poſuère. In quo loco in argumentum adhuc ſanctitatis eius ſigna non defuère, quæ odore ſuo populos longè lateque contraxère.

De quodam meritis ſancti reparato. Cap. 10.

Quia

QVia cœpi, loquar magnalia Dei. Quidā officio pedum mulctatus, capitis manuumq; tremore insupèr damnatus, ad sepulcrum sancti, aliorum manibus venit. Et mediantibus Dominicæ resurrectionis nocturnis vigilijs, precibus indulgens & lachrymis, pro recuperatione suî meritum expectabat sancti. Nec elusa est spes cōfracti. Nam inter recitandum post nocturnas vigilias Euāgelium, cæleste eidem adest remedium. Immenso quippè lumine circundatus, quasi gēmas, igneas sagittas vtrinq; singulis in auribus sensit vibrari. Erat cernere vtraq; ex aure sanguinis copiam fluxisse, officiumq; membrorum hominem recepisse. Sicq; fidem hominis medela sancti non fefellit, quæ inopinata salute venit, impletumque est illud prophetæ: Tunc saliet sicut ceruus claudus. Mox pro collato sibi diuinitùs rēmedio, immēso exultauit gaudio, & pro recuperatione suî gloriam prędicat sancti. Rei ordinē his qui aderant pandit, noctemq; diemq; in laudes Dei expēdit. Perpēdite quæso in hoc miraculo, quàm celebris sit hic sanctus in populo, quàm potēs miraculorū, quàm efficax curationum. Quanti putas gloriosior est in cælis, qui sic gloriosus est in terris? Certè pudorem nostrum nullo modo excusamus, si talem habentes medicum ægrotamus.

Quidā debilis & cōtractus curatur

Esa. 35.

De viro virtute sancti nullum post ruinam incommodum perpesso. Cap. 11.

VIrtus virtutem comitatur, & adhuc in sancto suo Deus glorificatur. Neq; silētio est prætereundū, quicquid in sancto Dei est iocundum, quanquàm ætas veterū plura nobis inuideat, & pauca de plurimis futuræ ætati perspicua faciat. Gerardus quidam comitatū gerens, Deo sanctoq; Vuinoco adeò erat deuotus, vt impensas magna ex parte de collaboratu proprio, pro restaurando sancti viri administraret oratorio. Sed hāc boni viri industriam humani generis inimicus vidit, & amica sibi zelotypia inuidit, fraudisq; suæ commentis cœptum opus parat impedire, quod inuidus non potuit non inuidere. Nam cuidam, qui consummando operi deseruiebat, præcipitiū ex alto dedit, quem vitā finîsse ipsa ruina suspicabile fecit. Sed virtus sancti fraudem elusit inimici. Nam post horā ità meritis sancti incolumis surrexit, vt non solùm nulla præcipitij damna sentiret, sed promptiùs, quàm solebat, ad cœptum opus rediret. Sicque ex hoc miraculo stupor simul & gaudium accreuit in populo.

Cadens à summitate templi non læditur.

De præfati illustris viri Gerardi donatione, calicisq; vitrei conquassati redintegratione. Cap. 12.

POstquàm fama tanti miraculi ad præfatum illustrem Gerardum peruenit, magis magisq; ipsum in amorem sancti accendit, adeò vt illum pro ea, quam habebat deuotione, patrimonij sui donaret largitione. Cum omni nanq; integritate Spirliacā ei villam dedit, sumptuum etiam copiam adiecit pro construendo eodem in loco in honorem sancti viri oratorio. Cui operi honestiùs maturando fratres de cœnobio sancti viri euocantur, atq; industria eorum ad plenū omnia formabantur. Vita enim eorum, doctrina & virtutibus egregia erat: ideoq; ad sententiam eorum facilè omne opus processerat. Quo in loco quadam die Dominica contigit ad cōficiendum corpus & sanguinem Dominicum, calicem deesse: cumq; non parua solicitudine super hoc moererentur, ne fortè hac sacrosancta die sacramentis Dominicis frustrarentur, casu vitreum vas erat appositum, sed confractum. Quod quidam fratrum cùm leuiter aqua purgaret, inter lauandum paulatìm resolidatur, sicq; mirum in modum diuino ministerio aptatur: adeò vt etiam vsq; ad nostra tempora in similes vsus haberetur.

Illustris vir Gerard' reparat S. Vuinoci oratorium.

Vas confractum integratur.

De reliquijs sancti per incuriam perditis, gratia eius mirabiliter inuentis. Cap. 13.

DIes Rogātionum aduenerat, populus cum precibus, reliquijs, & cambuca sancti longiùs processerat, sed tardiùs solitò monasterium repedauerat. Sed cùm circa reliquias sancti negligentiùs quàm oportuit ageretur, negligentia meritò dānum meretur. Nam à fronte cambucæ particula auri cum reliquijs cecidit, atq; inueniendi se vestigia nulla reliquit, tantiq; perditio thesauri vsq; manè latuit. Manè aūt facto capicerius Ecclesiæ damnū rei publicè primùm expertus, incredibili timore diriguit, remq; fratribus retulit, si fortè huiusmodi damno conscientia alicuius subuenire posset. Sed cùm in hac re nihil in eorū conscientia perspicuum foret: tum etiā earundem reliquiarum baiulus nil sciscitantibus satisfacere posset, via qua venerant ad requirendum repedatur, sed quærentium labor frustratur. Res mira, tantæ desolationi diuina pietas subuenit, atque gloriam sancti in gloria sua palàm fecit. Nam manum casu ad capitiū ducens capicerius, desiderio inueniēdi quod quærebatur est satisfactus, quia

Dies Rogationum.

Inueniũtur diuina gratia aliquot reliquiæ sancti per incuriã priùs deperditæ.

quia in eodem capitio, quas quæsiuerat, reliquias est nactus. Sicq; præter spem inuenit, qui super inuentione earum ex integro diffidebat. Asseuerabat etiam coràm, extra consciẽtiam suam rem euenisse, quia sibi cõscius non fuerat, vel se, vel quenquã mortalium rem super qua quæstio erat in capitium suum deposuisse, eandem quoquè vestem nocte se exuisse, & manè rursùm induisse. Vndè non incerta erat suspicio, rem ob meritum sancti diuino geri imperio. Fratres verò super vitio incuriæ pœnitudine ducti, & in reliquũ cautiores facti, Deum in sancto laudibus extulerunt, quem sic gloriosum & in ipso & in omnibus sanctis intellexerunt.

De vitrea ampulla ad tumulum sancti post ruinam illæsa. Cap. 14.

Vincit materies stylũ & tempus, atq; impar est sermo miraculis. Nam antè diem clauso componet vesper olympo, quàm poterunt sancti virtus & facta referri: tempori tamen & ingenio, dicẽdi æquabitur ratio. Ad memoriam sancti, oleum cum lumine perpetuabat, quod ampulla vitrea in vmbone pendens seruabat: quam Quadragesimæ diebus hora diei sexta contigit ruinam dedisse, & in aures circunstantium sonum adeò iniecisse, vt in æstimatione esset omnium, muri corruisse arcum. A fratribus tum in orationem prostratis concurritur, vestigium ruinæ quæritur: erat enim æstimare rem non sine damno euenisse. Sed secùs àc putabatur res euenit. Nam ne ruinæ vestigia quisquam inuenit, quia virtus Dei in sancto suo id insigne facti dedit, ampullam vitream post ruinam tam sine suî contritione, quàm sine olei effusione. Ignorauit quippè vas olei inter ruinas læsionem: quia seruauerat illud sanctus hic in honorem. Libet hîc hoc facto intueri, in dilecto suo virtutem Dei. Quoniàm sanctus iste quoàd vixit in vase habuit oleum, hoc est in conscientia opus bonum, vas materiale cum oleo æquè materiali testimonio erat: vas, inquam, post ruinam non confractum cum oleo sine damno suî mirabiliter seruato. Sic sic quotidiè inter ruinam iustus quisque seruatur. Iustus enim septiès cadit & resurgit, at cùm ceciderit non collidetur. Quia Dominus supponit manum suam.

Si luminatium vsus ad sepulcra sanctorum Deo esset ingratus, non vtiquè tantum miraculum fieret.

Prou. 24. Psal. 36.

De piratarum in fines Flandriæ irruptione, sacriq; corporis translatione. Cap. 15.

Carolus cognomine Caluus Francorũm in sceptris imperium agebat. Balduinus eiusdem gener monarchia Flandrorum gloriosè pollebat, vir cuius ingenio & militia nihil in viris clarissimis pretiosius vnquàm habuit Flandria, cui ex occasione fortissimi animi cognomẽ accessit Ferreus. milite enim multo & militia de hostibus triumphare non parùm erat strenuus. His diebus mucro diuinæ animaduersionis de vagina sua eductus, circa marina maximè loca vlciscendi frena laxauit. merito enim sui erroris populus terræ id promeruit. Nam regia Danorum satellitem funestum de sinu suo euomuit, qui quæq; circuncircà gladio igneq; absorbuit, maximeq; in Flandrorum atq; Menpiscorum confinio incredibili desæuit exterminio. Vndè contigit sacrosanctum corpus beati viri de loco propriæ quietis Vuoromholt efferri, & ad Sithiu in ecclesiam beati Audomari transferri. Quo in loco, non infimo Audomaricolis honori fuit, donèc pestis præfata Dei miseratione sopita quieuit.

Balduinus Flãdriæ Comes, cur dictus sit Ferreus.

Flandria à Danorũ milite deuastatur.

Corpus S. Vuinoci Audomaropolim transfertur.

De castri Bergas constructione, sacriq; corporis illò translatione. Cap. 16.

Svccessu intereà temporum surrexit in Flandria optimũ inter millia caput Balduinus cognomine Caluus, famam cum rebus peperit cui plurima virtus Hic à progenitoribus Flandriæ monarchiam sortitus, tum facilè habebat obuium sibi suisque consultum ire, tum & ingenio & armis diuina humanaque iura ex æquo librare. Qui suspicione eruptionis aduersæ partis (quæ iam post longum furorem vix quieuerat) ductus, fines Flandriæ facilè vsque ad id temporis accessibiles & peruios hosti, castris munierat, omnique in reliquum impugnationi clauserat. Tunc etiam locum Bergas dictum præsidio placuit munire, quòd munitioni omni circunquaq; esset patriæ, vbì etiam ecclesiam construi fecit, quam titulo confessorum Christi Martini atq; Vuinoci insignitam perfecit. Animo insuper quiddam honestè vtile, & vtiliter honestum concepit, quod tam honestè quàm vtiliter opere perfecit, sacrosanctum videlicèt corpus beati Vuinoci illò transferre, vt Flandria vlteriùs secura laborum, tanto gauderet protectore. Tenebat ea tempestate sceptra Francorũ Rex Carolus, quem dolo captiuauerat Heribertus. Quem præfectus Flandrorum monarches adiens (habuit enim apud ipsum plurimum posse) consilium animi sui Regis roborauit cõsilio, & magnificauit priuilegio. Nam mox vt animum Regis super præfati loci mentione conuenit, proprij sese voti compotem inuenit: quia super eodem loco priuilegium

Balduinus Caluus Flandriæ Comes multis castris Flãdriam munit.

regale facilè obtinuit, affectusq; sui effectum authoritate regia promeruit. Tum demùm Sithiu perrexerat ire quò iam vt diximus, timor hostilis sacrosancti Vuinoci membra coëgit transferri: Et licèt arte qua poterant obnitentibus Audomaricolis, sacrosanctum corpus abstulit, & ad locum Bergas, quò destinauerat, transtulit, quem iam regali & priuilegio & munificentia, vt diximus, adeò ditauerat, vt eum Flandria honestam sui partem hodiè habeat. Acta est hæc translatio à Balduino cognomine Caluo, Anno humanati Verbi nongentesimo, Caroli Regis, ab Heriberto Virmandorum posteà capti, anno octauo, indictione tertia.

Sithiu monasterium apud Audomaropolitanos.

Transfertur rursum corpus eius Bergas.

Hunc Carolum Simplicẽ Galli scriptores vocant.

De corpore sacrosancto Vuoromholt deportato, & cæco illuminato. Cap. 17.

FIdelibus sanè Deo sanctoq; Vuinoco deuotis conuenit, sacrosanctũ corpus sancti ad pristinæ quietis locum Vuoromholt quotannìs deportari, cùm natale præcursoris Christi annuus indicit cursus celebrari, quanquàm nostra ætas ad deportandum illud morem gerat, cùm aduentum spiritûs sancti Ecclesia solenniter celebrat. Deportandi illo, quò diximus, sacri corporis dies illuxit, plebs non modica, inuitante merito sancti, vndecunq; confluxit, visura gloriam Dei in gloria sancti sui. Nam in magno grege cõfluentis eò populi, quidam Adalbertus cum vterino fratre suo Tanchrado pars erat populi: cum fratre, inquam, à primis cunabulis cæco: cæcitas enim penè æquæua sedecim iam annos in homine æquauerat. Hic fide in spem recuperandæ per sanctum sanitatis erectus, excubias noctis ante loculum sacri corporis longis vigilijs trahebat, & indefessè vigil lumen, quod non habebat, quærebat. Et eccè resoluentibus ora in laudes nocturnas fratribus, dormitãs dormierat, vigilijs enim in longum continuatis lassescerat: moxq; in articulo quo oratio Dominica euangelij pronunciationem præcesserat, senẽ canis iocundè respersum, splẽdidè circumamictum, baculo nitentem viderat, hisq; verbis inclamantem audierat: Quid sopore & desidia sopite deprimeris? Minimo insupèr digito palpebras semiuigilantis adiecit ferire, vtq; somno expergisceretur imperare. Hanc visionem inconditus mox expergefacti clamor sequitur, anhelantibus dehinc verbis sese percussum conqueritur. A circunstantibus accurritur, causa clamoris inconditi inquiritur: sed non egent doceri, quibus res ipsa pro se loquitur. Nam erat cernere rem spectaculo nouã & laude dignam, oculos paulò antè cæci sanguine taboque madere, cæcum se videntes videre. Animi populorũ stupore concutiuntur, gaudio eriguntur, & in laudem Dei præter iubilum nihil erat audiri. Altera dies illuxit, populus reditum vnà cum sacris artubus maturauit: adolescens pridiè illuminatus, loculo sancti Crucem præferebat, & pro reparatione luminis non parùm Deo sanctoque exultare habebat.

Quotannis fit processio cũ sacro corpore in Vuoromholt.

S. Vuinocus dormienti cæco apparet.

Cæcus meritis sancti visu videt.

De cæca illuminata. Cap. 18.

ALiud, non dissimile huic miraculo, non dissimiliter cernentibùs fuit spectaculo. Quædam mulier emporio Furnẽsi oriũda, rebus paupercula, vtroq; oculorum lumine orbata erat: cui cum cæcitas triennio consenuisset, eamq; medicorum manus eisdem ipsis rebus, quæ inopi fuerant, exhausisset, sed nihil remedij attulisset, animo induxit sanctorum loca peragrare, longeq; à melioribus medicis salutem expectare. Et peragratis quaquauersùm sanctorum cubilibus, tandem visere locum venit, quo pausam membrorum sanctus Vuinocus elegit. Quæ luminare paruum, quo potuit sumptũ elaboratum, tulit, comitãte secum duce viæ ad altare sancti venit, corpus humì, cælo animum dedit, & ab hoc efficacissimo animarum corporumque medico remedium quærit. Vix humì prostrata, orationem Dominicam perorauit, & eccè vota sua præueniri diuina pietate sensit: humo resilijt, oculos aperuit, quos trima cæcitas lumini clausit. Vespertina synaxis tunc à fratribus agebatur, res palàm populo gesta non parùm stupori habebatur. Mulier verò salutis suæ authori grates non modicas dedit, & quæ duce venit, ducẽ rediens nõ quærit, altero duce veniens, se duce rediens.

Cæca videt.

De reo captiuato, meritis sancti liberato. Cap. 19.

QVendã ex familia Vuoromholtensi, quę sancto viro attinebat, reipublicę præfectus captiuatum loris adstrinxerat. Vbì cùm omnem salutis spem exhaustam haberet, hoc vnicum remedij credebat, in inuocatione huius sancti dies noctesque perpetuare, & ab eo ereptionẽ sui expectare. Eccè prima vigilia noctis cernit adesse senem magno fulgore nitentem. Hic nitet, ille stupet, prorsùs vterq; silet. Cumq; aliquandiù in hoc lux, in illo stupor, in vtroq; esset silentium, cum sene lux abijt, captiuo ereptio venit, nam vinculis manuum pedumq; expeditus, libertate eundi quo voluit

Captiuus quidã meritis sancti a vinculis absoluitur.

Captiuus quidā meritis sancti à vinculis absoluitur.

est positus: claustris apertis egreditur, viam quæ Vuoromholt ducit ingreditur. Nec mora, nec requies, ad præfatū locum festinatò peruenit, ereptori suo gratias dedit, ereptionis suæ ordinem cunctis palàm fecit. Testabatur etiam profugo prosperos ad votum successus arrisisse, nec feram nec hominem, quod facilè nocturnis profugis timori esse solet, obuium habuisse.

Itèm de quodam captiuo virtute sancti erepto. Cap. 20.

ALiud alio tempore nec dissimile miraculum hoc authore gestum, ex scriptis futura ætas habeat manifestum. Adalardus quidam erat, non infimum ex familia præfati confessoris caput, villam vocabulo Suinesela mansionem habebat, famulos ipse famulus plures possidebat. Quorum pleriq; fugam noctù capere, Boloniam parant tendere. Erat tunc temporis eisdem Boloniæ partibus quidam Mirolfus prauipotēs, rebus pauper, alieni appetens. Qui præfatos fugitiuos facit sibi captiuos, auaritia & ipse captus, seruans eos cismarinis vendēdos negociatoribus. Adalardus quem præscripsimus suos è vestigio insequitur fugitiuos, eos apud Mirolfum reperit captiuos, virum conuenit, suos publicis legibus repetit. At ille insanire, Adalardum ęquè concaptiuare, vinculis pedicisque damnare, postremò omnia quę reorum sunt in ipsum intentare. Sed magis ille reus, quàm qui sine crimine læsus. Nocens ille vincula, innocens iste preces ingeminat, preces inquam, quibus beati Vuinoci nomen interdiù noctuque frequentârat. Neque fieri potuit in inuocatione nominis sui, pietatem sancti deesse, qui multotiès antequàm inuocetur solet adesse. Nox media aduenerat, homines sopor altus habebat, catenatus etiam ille somnum ceperat, sed in somno salutem sibi iamiamque aduentare senserat. Viderat enim senem canitie iocunda caput respersum, virgam manu pręferētem, quem vidisse salus & gaudium videntis fuit. Nam somno excitatus, vincula colli ferrea cum manicis & compedibus æquè ferreis tum gremio cecidisse, tum claustra custodiæ suæ videt patuisse. Sicque liber vinculorū, securus suî, dum desinit esse captiuus, incipit esse fugitiuus, reliquum noctis indulgens fugæ, & per palustria viæ cōsulens vitæ. Nam palustria loca octo ferè miliarijs continua ingressus, felices adeò abeundi habuit successus, vt aqua quæ paludibus deesse non solet, plantis paludem ingredientis deesset. Sicque exemplo Israëlitici populi res gesta est: sicut enim illi fugienti maria, sic isti æquè fugienti cessêre palustria. Perpende prudens lector in vno eodemque homine duplex miraculum: Hinc vincula sine manibus dissoluta à manibus pedibusque captiui: hinc loca palustria solidata sub pedibus fugitiui. Euadens itaque homo captiuitatis suę periculum, post multa deuia sancti intrat oratorium. Hoc authore, se ereptum clamat, Deo grates, populo spectaculum ingeminat.

Eccè quomodò sanctos non lateat quādò inuocātur.

Vinctus à catenis & cōpedibus absoluitur.

Siccis plantis idem obambulat loca lustria.

De muliere à natiuitate cæca coram lipsana sancti illuminata. Cap. 21.

SAnctum hunc in artubus suis defunctis viuere, plura adhuc documēta sunt, quanquàm compendij gratia ad finem festinet oratio. Annuus indixit recursus sacrosanctum corpus sancti Vuoromholt deportari, cùm aduentus spiritûs sancti solēniter solet celebrari. Accurrit populus, properat sine nomine vulgus. Habebat enim summè festinum patrocinia sancti ire comitatum. Mulier cæca à natiuitate populo se immiscuerat: tandemque ad locum destinatū populo euecta magìs quàm adducta peruenerat, & indice strepitu populi, prope lipsana accessit sancti. Cuius gemina cæcitas tunc præsentibus tam spectaculum quàm compassionem suscitauit. Et pro recuperatione ipsius, hinc preces, hinc vota fundūt, tum recursum suî annuum, tum dona etiam annua spondent. Indè preces iterant, voces & vota frequentant, adeò vt voces fratrum in synaxi psallētium vincerent. Sed & cæca mulier lachrymis indulget & precibus, precum suarum mox lætificanda effectibus. Quid plura? Sanguinem orbes oculorum euomuêre, nec minùs quàm pressi copiam lactis. Cerneres cęcam cæcitate vsque ad id informem, perspicuam videndi accepisse formam, & in miraculo visibili erat mirari medicum inuisibilem. Sed primùm nouitate rei mulier concussa humi æquatur, dehinc tam cōfortata quàm illuminata in pedes constitit, perpetuos quoàd viueret famulatus sancto vouit, quosque vouit adeò exhibuit, vt in obsequio sancti viri, contritione carnis & spiritûs senesceret, & ad exitum vitæ, cursum ab hac intentione non reflecteret. Hęc de viro sancto dicta sufficiant, quanquàm signorum ipsius materies omnem stylum exuperet, miraculisq; eius omnis sermo inferior sit. Nec credi non debet in artubus suis defunctis ipsum adhuc viuere, cui olim in terris viuenti Christus fuit viuere. Pro nobis oret hic sanctus, sub quo Flandria floret: Scribentem simul respiciat atque legentem, Amen.

Sancti in mēbris suis defunctis quomodò viuant.

Mulier cæca videt.

Vouet sancto perpetuum famulatum.

MAR-

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS HIERONIS, ET SANCTORVM EIVS

sociorum, qui Melitinæ decertârunt, Authore Simeone Metaphraste. Habetur in tomis Aloysij Lipomani.



PRAECLARO Hieroni patria quidem erat, secunda Cappadocum prouincia: vrbs autem, Tyana: mater Stratonice, pia fœmina & timens Dominum. Cùm autem Diocletianus & Maximianus Romanorũ administrarent Imperium, viri in cultu dæmonum superstitiosissimi, & in simulacra zelũ habentes maximum: esset verò eis nũciatum, quòd omnis Armeniorum regio & Cappadocum, facit præter improbũ eorum decretum, & resistit eorum iussis: postquàm satìs longo tempore cõsultârunt, electis duobus viris, qui & ingenio plurimùm valebant, & lingua erant diserta & volubili, & artificij multum habebant & astutiæ, eos mittunt ad vtranque gentem. Quorum alterum quidem iusserunt præesse Armeniæ, is erat Agricolaus: alterum autem procurare regionem Cappadocum, ei erat nomen Lysias. Quibus quidem non solùm fuerat imperatum, vt eos, qui non parebant edicto Imperatoris, & nolebant adorare simulacra, punirent: sed etiam in numeros militum adscriberent eos, qui erant idonei. Nouẽbris 7. Cap. 1. Patria & mater S. Hieronis. Impiũ Imperatorum edictum.

Cùm venisset ergò Lysias in Cappadociam, & eos quæreret, qui erant robore insignes, indicatur Hieron, vir manu fortis, animo generosus, præstantissimus omnium, qui erant suo tempore: & statìm mittit eum ducturos milites. Cùm autem venissent ad eius ædes, & quem quærebant, non inuenissent, (colebat enim suum prædiolum) resciuissent verò, vbinàm esset, illuc veniunt. Ille autem cùm vidisset frequentem multitudinem in eum inuadere, & alioquì suspectum habuisset, quod fiebat, & nollet vir ille pius militare cũ impijs & sceleratis hominibus, ità vt erat in rustico habitu, eiecto manubrio securis, quam manu tenebat, eo vltus est eos qui inuadebant: & vehemẽti in eos facto impetu, non cessauit percutere, donèc omnes eos fudisset, fugam valdè laudantes, vt quæ eis demùm posset dare salutem. Deindè secundò inuadunt, simul quidem & quam amiserant victoriam recuperaturi, & rem probro ducentes, si cùm sint tam multi, renuncientur fuisse ab vno superati: quinetiam ipsum quoquè timentes Præsidem, si is manus eorum omninò effugisset: & multis alijs vocatis ad ferendum auxilium, sanctum simul inuadunt. Is autem antequàm illi venissent, propè sitam speluncam cum decem & octo viris, qui cum eo erant, subiens, statìm, vt vulgò dicitur, erat aquila in nubibus, eos, qui ipsum inuadebant, re infecta relinquens. Statìm itaque isti cùm antrum circundedissent, satìs multos quidem statuunt ad ostium, nè aufugeret: alios autem mittunt ad Præsidem ciuitatis, petentes alios, qui darent eis auxilium. Ille autem mittit quidem non paruam manum. Mittit Quiriacum quoquè fratrem diuini Hieronis. Cap. 2. Non vult militare cũ impijs. Circunuallatur ab hostibus.

Cùm autem illi simul adessent, nemo erat, qui antrum auderet omninò ingredi, vt qui Hieronis manus pertimescerent. Quiriacus autem cùm videret eos in magnam adductos dubitationem, consuluit vt parùm recederent, non vi, sed persuasione eum potiùs capturum pollicitus. Quod cùm factum esset, persuadet fratri, vt exeat è spelunca. Quem cùm assumpsisset, venit ad suam matrem. Illa autem cùm rem audiuisset, & quòd statìm coram Præside condemnandus sistendus erat eius filius, ei circunfusa, valdè lachrymabatur, eum solàm vitæ vocans consolationem, & baculum senectutis, & recreationem acerbæ viduitatis, & quòd sola & absque vllo solatio mox relinquetur, orbata oculis, grauata senectute, oppressa viduitate. Ille verò cum ea, cum qua par est, reuerentia eam amplexus, vbi iussisset valere eos, qui congregati fuerant, cum cognato Victore & duobus fratribus Antonio & Matroniano, magno & intenso studio iter ingressus est Melitinen, vrgentibus militibus, qui missi fuerant ad ducendum. Cap. 3. Venit Melitinen.

In quodam autem loco, cùm aduentâsset vespera, diuersati, expectabant auroram. In ipsa verò nocte quidam, candidis vestibus indutus, ei appáret, miti & benigna voce dicens: Eccè, ô Hieron, tibi salutem annuncio. Via autem, quam ingrederis, est recta Cap. 4. Visio offertur ei, illum admodùm

confirmans & mutans. ante te. Non pro Rege verò terreno & gloria, quæ facilimè soluitur, decertabis: sed pro cælesti Rege certamen perages,& mox ad ipsum venies glorificandus. Hæc cùm dixisset is, qui conspectus fuerat, & ineffabilem quandam lætitiam eius animo indidisset, statim recessit. Ille autem surgens lætus, amicis & cognatis, qui cum eo aderant: Nóui, inquit, Dei in me dispensatio nis mysterium,& decæterò prompto & alacri animo viam propositam ingredior. Vnus thesaurus, vna possessio, vnæ diuitiæ, quæ sunt in cælis repositæ. Quæ autem sunt præsentia, nihil iuuant eos qui possident. Matth.16. Quid enim profuerit homini, si totum mundum lucrifecerit, & suæ animæ passus fuerit detrimentum? Nihil est mihi anima preciosius, nihil melius. Sufficit id, quod præterijt meæ vitæ tempus, quod vixi in vanitate. Vado decæterò ad Deum. Vna solùm me cruciat solicitudo, nempe solitudo matris. Illa est enim vidua, & defecta ijs, qui eam sint defensuri: & prætereà orbata luce, & quæ iam venit ad extremam ætatem, & me priuatur, qui eram baculus eius senectutis. Sed quoniam propter Psal.67. Christum propero ad mortem, ea ipsi omninò erit curæ, patri orphanorum & iudici viduarum.

Cap. 5. Cum 31. socijs ducitur in carcerē. Cùm sic dixisset præclarus ille Hieron, & propter parentis recordationem esset illachrymatus, confecit reliquum itineris. Deindè cùm venisset Melitinem, includitur in custodia cum alijs, qui erant numero triginta & vnus. Quibus dixit Sanctus: Audite meum consilium amici & fratres. Dicam, quæ sunt vobis futura conducibilia, non in præsentia, sed in futurum. Quocircà ea sunt omninò curæ futura ijs, qui timēt Dominum. Annunciatum est edictum, quòd cràs Præses impius est ijs, qui dij non sunt, oblaturus sacrificium. Si me ergò auditis, despiciamus hoc edictum,& nec simu- Confortat suos socios S. Hieron. lacra velimus adorare, neque eis omninò offeramus sacrificium. Sacrificemus autem potiùs sacrificium laudis vero Deo nostro, & ei offeramus preces nostras: vt attendens precationem animarum nostrarum, det vt forti & excelso animo feramus tormenta, quæ sunt nobis inferenda,& finem beatum assequamur. Hæc cùm dixisset Sanctus: Verba tua, dixerunt ij, qui simul aderant, tanquàm fauus mellis extiterunt dulcia nostro gutturi. Consuluisti enim nobis ea, quę sunt verè vtilia atque salutaria. Cùm ad Tyrannum autem relata fuisset sanctorum constantia, & quòd imperatorium quidem edictum execrantur, Christianorum verò fidem vehementer amplectuntur. Hæc ægrè ferens, & ira commotus, cùm in alto sedisset tribunali, & sanctos curâsset sistendos: Quis, inquit, dæmonum in infinitam vos actos amentiam, induxit, vt aduersùs tantam insurgeretis potentiam, & effecit vt imperatoria decreta de- Constans martyrum responsum. spiceretis, & magnos deos non adoraretis? Emotæ mentis essemus, dixerunt martyres, & planè dæmonum ludibrium, si Dei cultum tribueremus lignis & lapidibus, quæ sunt opera manûs humanæ. Nunc autem sapienti vtentes ratiocinatione, adoramus Deum vniuersorum, qui cælum & terram verbo suo & spiritu oris sui produxit ex nihilo.

Cap. 6. Accusatur Hierō apud Ducem. Cùm autem quidam ex ijs, qui assistebant Præsidi, ostendens Hieronem, Hic est, dixisset, qui restitit ijs, qui à te missi sunt, & fecit ea quæ audiuisti: Dux ad ipsum conuersus: Vndè tu es, inquit? Cùm autem is dixisset, se esse ortum ex secunda Cappadocum prouincia: & dixisset patriam, dicens se esse Tyaneum: Dux rursùs, Tu es, inquit, qui iussis repugnas imperatorijs, & manuum exultas viribus, vt qui malè affeceris à nobis missos milites? Egregius verò Hieron nihil omninò reueritus, (Sciebat Psal.138. enim ipse quoquè dicere cum Dauide: Odio habentes te, Domine, odio habui, & propter inimicos tuos tabescebam) se eum esse confessus est. Præses autem non tanquàm fortitudinem laudans, quod factum fuerat, sed magis vituperans tanquàm temeritatē & inobedientiam, in eo quod fuerat constitutum, censuit eum puniendum. Nam quoniam, inquit, stultitia te ad tantam impulit temeritatem, vt imperatoriam despiciens potestatem, & nostri iussûs nullam ducas rationem, & ministros nostros clauîs contundas, manum quæ seruijt menti ineruditæ, ab ipso cubito iubeo ampu- Sæuitur in martyres. tari. Dicto ergò citiùs factum est, quod iubebatur: alios autem sanctos iubet, vinctos boum neruis, cædi immisericorditer: quod quidem martyribus magìs conciliabat lætitiam, quàm dolorem. Multas enim horas fortiter tolerantes, Deo agebant gratias, qui pro sancto nomine dignos censuerit, qui talia subirent supplicia. Quid deincèps est consecutum? Carcer excipit flagella. Verumenimuerò scio, quòd id, quod Vnus in pœnis deficit. est dicēdum, quomodò tunc factum sanctis, ità nunc auditum afferet dolorem vobis auditoribus. Vnus enim ex socijs certaminis, Victor nomine, quem Sancti cognatum

prius

priùs diximus,& ijs,quæ iam præcesserant, plagis emollitus, & inferendarum terrore perturbatus ac concussus,clàm accersito Commentariensi,vt eius misereretur,rogabat valdè humiliter & immisericorditer, & eximeret nomen suum ex actis, & ipsum dimitteret è custodia, accepta pro eo mercede prædiolo,quod erat Coramis.Ille autem lubenter auditis eius precibus, (erat enim ei vicinum id, quod promittebatur) dimittit Victorem è carcere. qui cùm noctù effugisset,inuenit salutem plenam extremo interitu, vt qui miser simul damnum acceperit & agri & animæ: illo quidem tradito ei,qui visus est seruare: hac autem tradita dæmoni. Die autem iam illucescente, cùm rem cognouisset Hieron, intolerabili dolore est affectus, & acerbis deflebat lachrymis cognati interitum,dicēs: Hei mihi,ô Victor,quid à te factum est? Quàm grauis tua fuit negociatio? Quomodò emisti animæ interitum? Quid teipsum tradidisti inimicis? Cur gloriæ coronis prætulisti fugæ dedecus? Cur breui vita vitam æternam commutâsti? Cur breuem recreationem præposuisti lætitiæ,quæ non potest terminari? Quantam autem tibi molestiam attulissent mala, quæ afferuntur ab hominibus, si conferantur cum adeò acerbis doloribus, quos es habiturus in manus Dei incidens, & æterno igni gehennæ traditus? *Ei' defectione luget S. Hieron.*

Sic ille deflens,cùm satis fuisset lamentatus, vocatis suis cognatis Antonio & Matroniano: Adeste, inquit, vltimam meam audite voluntatem: vt reuertentes, eam perducatis ad effectum. Volo sorori quidem meæ Theotimiæ dari possessionem, quam habeo in Pedisia: vt ex ea sibi parans ea, quæ sunt ad victum necessaria, ipsa mei martyrij peragat memoriam. Alia autem omnia, quæ mihi supersunt, dimitto matri propter ipsam viduitatem,quæ cura eget & auxilio: & prætereà ad senectutem & cæcitatem. Manum autem meam abscissam ei tradentes, dicite, vt scribat ad magnificentissimum Rusticium, qui Ancyræ administrat rem publicam, vt præbeat domum in Badesana, vt manus mea illic deponatur. Cùm Sanctus sic fuisset testatus, quatuor pòst diebus Præses sedens pro tribunali,accersit eum cum alijs sanctis. Postquàm autem multis machinis eorum fortitudinem conatus prosternere,partìm quidem blanditijs, partìm verò minis eos tentâsset, postremò autem virgis quoquè fortiter cecidisset, & eos vidisset penitùs immobiles nulli rei cedere, iubet eis amputari capità. *Cap. 7. S. Hieron cōdit testamentum.* *Martyres cæduntur virgis.*

Cùm autem educerentur sancti extra ciuitatem, psallebant in via: Beati immaculati in via,qui ambulant in via Domini. Deindè cùm venissent ad locum definitum,& genua inclinâssent,&,Benignè suscipe, ó Christe, animas nostras, dixissent,eis amputata sunt beata capita. Cùm Christiani autem noctù eorum corpora sustulissent, sepeliunt honorificè. Antonius verò & Matronianus ad Præsidem accedentes, auri permultum dabant,vt acciperent caput sancti Hieronis. Ille autem,Nisi mihi,inquit, tantum auri dederitis, vt ex æquilibrio capiti respondeat, id vos non accipietis: magni æstimans vir execrandus, sed non recta ratione, caput martyris reuerà longè preciosissimum. Illi autem cùm id tanti non possent emere, erant animo perplexi. Sed hoc quidem,vt homines: Deus autem hîc quoquè inuenit exitum. Vir enim quidam Senatorius, fidelis & amans martyrum, cui nomen erat Chrysaphius, cùm aurum pro capite expendisset, id accipit à Præside: & cùm templum extruxisset pulcherrimum, vbì Sancti finem vitæ acceperant, illic hoc sacrum caput honorificè deponit & magnificè. *Cap. 8. Psal. 118. Cæduntur capite.* *En quāti fecit antiquitas sacras reliquias.*

Auarus autem Præses, vt qui propter Sancti caput tantum lucrifecisset, quærebat manum, ex ea quoq; lucrum captans. Sed cùm eius voluntatem sensissent boni Antonius & Matronianus,cùm intempesta nocte eam sustulissent,fugiunt: & cùm in suam venissent ciuitatem, tradunt matri manum charissimi filij, singulatìm omnia de sancto ei narrantes. Illa autem cùm martyricam illam manum in manibus accepisset,& lachrymas doloris, gaudio contemperâsset, eam crebrò subijciebat oculis, deosculabatur,& tanquàm totum habens eum, quem desiderabat, circunfundebatur, amplectebatur, nesciebat quid faceret, partìm quidem se gaudio, partìm autem tristitiæ dispertiens,dicendo: O qualia pro qualibus accepi,ô charissime, vt quæ te quidem emisi viuum & saluum: nunc autem pro toto & viuo solam manum accepi, partem quādam,proh dolor,& breues reliquiás: vt magìs defleam & habeam stimulum mœroris,vt quæ per eam deducar ad memoriam. Atquì in dolore quidem te peperi infelix,labore autem te alui,sperans te futurum baculum senectutis,ducem imbecillitatis, consolationem animi ægritudinis. Sedenim quid mihi accidit, quæ deducta *Cap. 9.* *Eccè maternū affectu erga filium.*

 sum

ſum ad lachrymas, cùm me oporteat lætari & exultare, quòd fuerim mater martyris, quòd Deo obtulerim donum mei vteri, quòd cùm te, ô chariſſime, aluerim & erudierim, & ad pietatem exercuerim, non te viderim conſummatum morte communi & inutili? Vtilitatem enim magnam habet mors martyris, qua tu es conſummatus. Sed me, cùm deceſſeris, nè omninò relinquas: ſed tuis interceſſionibus apud eum, pro quo effudiſti ſanguinem, me ab hac laborioſa & calamitoſa vita citò liberatam apud te ſtatuas, hac in re mihi reddens mercedem nutritionis. Hæc cùm dixiſſet, depoſuit manum in eo loco, in quo iuſſerat martyr: & quæcunq; mandata fuerant, deduxit ad effectum, glorificans Chriſtum verum Deum noſtrum: Quem decet omnis gloria, maieſtas & laus cum principio carente eius patre & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Sācti apud Deū pro nobis interce-dunt.

VITA ET MARTYRIVM ſancti Herculani Epiſcopi Perusini, cuius feſtiuitas ſeptima Septembris celebratur, habetur Tomo 2. prima Martij: Itaque Lectorem eò remittimus.

VITA DIVI AMARANTI MARTYRIS, PER DIVVM GREGORIVM ARCHIEPISCOPVM TVRONEN. *ſcripta libro de gloria Martyrum, Cap. 67.*

7. Nouēbris Sanctorum animæ poſt agones viuunt in gloria.



AMARANTVS martyr apud Albigenſem vrbē, exacto agonis fidelis curſu, ſepultus viuit in gloria, cuius (vt hiſtoria paſſionis declarat) ſepulcrū diù vepribus ſepibusq; contectum latuit, ſed Domino iubēte, Chriſtianis populis reuelatum eſt: & crypta, in qua quieſcebat, patefacta reſplenduit. Sed cùm hoſtilitate impellente, locus ab habitatoribus fuiſſet eneruatus, à longinquo venientes incolæ, honorem beato martyri, quaſi cuſtodi proprio nitebantur impendere. Igitur cùm cereos frequēter deuotio Chriſtiana deferret, quadam die contigit, vt quidam præ longinquitate itineris incrementū ignis, quo accenderetur cereus, non haberet: arreptamq; ſilicem ferro verberat, quaſi ignem eliciturus. Quod cùm ageret, & crebris ictibus lapidem quatiens, nihil foci poſſet excutere, cęleſti lampade cereus, qui iam beato ſepulcro affixus erat, illuminatur. Sicq; factum eſt, vt quæ humanæ non expleuerant induſtriæ, peragerentur diuini numinis maieſtate. Ceſſante humano ſtudio, cæleſtia officia adminiſtrantur, luminiſque noui fulgore cereus clarificatur accenſus. Quod cùm populis manifeſtū fuiſſet, incrementum foci vlteriùs, ad accendendum lumen nullus exhibere præſumpſit. Poſtquàm verò locus ille inhabitari ab hominibus cœpit, atq; ibi domus in quibus ignis accenderetur adeſſent, hoc miraculum non eſt vltrà præſtitum plebi, cùm alijs miraculis frequentiùs illuſtretur.

Cereus ad ſepulcrum martyris diuinitùs accēditur: vnde liquet cereorū vſum Deo gratū.

Multa ad ſepulcrū ei' fiunt miracula.

VITA SANCTI VVILIBRORDI TRAIECTENSIS EPISCOPI, AVTHORE ALBINO FLACCO *Alcuino, Caroli Magni præceptore.*

PROLOGVS AVTHORIS.



DOmino eximio, venerabili atq; laudabili Beornrado Archiepiſcopo, humilis Leuita Alcuinus ſalutem. Delatis ad nos veſtræ excellentiæ literis, in quibus veſtrum agnoſcens in Domino ſtudium, & diuturnam in lege eius meditationem, magno me gaudio affectum eſſe fateor. Sed tamen longè imparem me petitionis veſtræ conſideraui, vtpotè nullo prærogatiuæ munere eloquentiæ ſuffultus ad implendū, quod iuſſiſtis: ac niſi me charitas vrgeret, quæ nulla

nulla negare solet, non auderem vltra meæ paupertatis vires negocium attingere. Tamen vestris orationibus diuina donante gratia, & sanctissimo patre Vuillibrordo intercedente, cuius me vitam, mores & miracula scribere sic studiosè rogas, tuis parui, pater sancte, præceptis, & duos digessi libellos: vnum prosaico sermone gradientem, qui publicè fratribus in ecclesia, si dignum tuæ videatur sapientiæ, legi potuisset: alterum Pierio pede currentem, qui in secreto cubili inter scholasticos tuos tantummodò ruminari debuisset. Vterque tamen propter occupationes diurnas furtinis noctium lucubratiunculis dictatus est, & eo magis vestræ indigent defensionis, quo minùs ab authore proprio expoliti sunt. Meum fuit, præcipientis non spernere authoritatem: tuum est, obedientis defendere imperitiam. Vnam quoquè priori libello superaddidi Homiliam, quę vtinàm digna esset tuo venerando ore populo prædicari. Itèm secundo adieci sermoni elegiacum carmen de viro venerabili Vuilgiso, patre scilicet sanctissimi pontificis Vuillibrordi, cuius corpus requiescit in cellula quadam maritima, cui ego, indignus licèt, legitima, Deo donante, successione deseruio. Sed & omnia, quæ vel prosa gradiente, vel versu currente dictaui, tuæ sanctitatis spectant iudicium, vtrùm digna memoriæ, an pumice radenda * feroci: nec nisi tuo roborata examine, procedent in publicum.

Alcuinus scripsit prosa & carmine vitam S. Vuillibrordi.

* ferroque

VITA.



FVIT in Britannia insula, prouincia Nordanhumbrana, quidam paterfamiliâs genere Saxo, & nomine Vuilgis, religiosam in Christo cum coniuge & omni domo sua, sicut pòst signis patefactum est, agens vitam. Nam relicto habitu seculari, monachicam conuersationem elegit, ac non multò pòst crescente in eo feruore vitæ spiritualis, arctiori animi studio solitaria seipsum mancipauit districtione in promontorijs, quę mari Oceano & Humbri flumine cinguntur. Ibì etiam multo tempore in quodam paruo oratorio, sancti Andreæ Apostoli Christi nomine dicato, in ieiunijs & orationibus atque vigilijs Deo seruiens, etiam miraculorum signis claruit, & nomen eius celebre factum est. Nec confluentes cessabat ad se turbas suauissima verbi Dei admonitione cohortari. Sed & illius gentis Regi & optimatibus honorabilis effectus est: intantùm, vt ei aliquas terrarum possessiunculas, illis promõtorijs adiacentes ad ædificandam Deo ecclesiam, dono perpetuo contulerint. In qua pius pater modicam quidem, sed honestam, Deo seruientium adunauit congregationem. In qua & post multiplices sancti laboris agones, à Deo coronatus corpore requiescit, & posteri eius vsque hodiè ex sanctitatis eius traditione possident. Quorum ego meritis & ordine extremus, eandem cellulam per successiones legitimas suscepi gubernandam, qui hanc historiam sanctissimi patris & summi sacerdotis Vuillibrordi, te iubẽte, beatissime pontifex Beornrade, conscripsi: Qui tanto patri & summi sacerdotij dignitate, & generis posteritate, & sanctorum locorum obseruatione, quæ ab eo in Dei honorem constructa esse noscuntur, secundùm datam tibi à Deo gratiam, hæres dignissimus extitisti.

Nouẽbris 7. Cap. 1. S. Vuillibrordi pater, vir sanctus.

Beornradus S. Vuillibrordi successor.

Et vt eiusdem sancti patris Vuilibrordi altiùs natiuitatis originem, & mox in vtero matris diuinę electionis repetam præsagia, reuertar vndè egressus sum. Nam sicut sanctissimus præcursor Domini nostri Iesu Christi beatus Ioannes Baptista, ex vtero matris Deo sanctificatus, religiosis parentibus, vt Euangelica narrat historia, Christum ceu solem præcedens lucifer, multis in salutem profuturus, natus est: ità & sanctus Vuillibrordus in plurimorum genitus salutem, religiosis parentibus natus esse dinoscitur. Nam vir venerabilis Vuilgis, de quo nobis pauloantè sermo fuit, ad hoc tãtùm, Deo prædestinante, matrimonio iunctus est, vt talis ad profectum multorum populorum ex eo ederetur proles. Igitur vxor eius, mater scilicet beati Vuillibrordi patris, intempesta noctis quiete cæleste in somnis vidit orama. Visum est ei, quasi nouam in cælo videret lunam, crescente illa vsque dum plena videbatur esse. Quam diligentiùs intuens, repentino cursu lapsa ruit in os eius. Qua deuorata, eius intima splendore perfusa sunt. Euigilans verò, timore perterrita, cuidam religioso presbytero retulit somnium, illoque interrogante, si ea nocte, qua ei visio facta est, suo more solito

Cap. 2.

Luc. 1.

Visio matris S. Vuilbrordi. ὅραμα, visum.

Visionis interpretatio.

iungeretur viro, acceptaque ab ea eius rei confessione, ità respondit: Luna, quam, ex modica vidisti in magnam creuisse, filius est, quem in ea nocte concepisti: qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, & quocunquè perrexerit, comitante superni luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendet globum: coruscanteque rumoris eius candore, & morum pulchritudine, multorum in se alliciet adspectum. Huius ergò somnij interpretationem, rerum veritas subsecuta est.

Cap. 3. Literis & moribus imbuendus traditur puer Vuillibrordus.

Factum est post circulum dierum, & mulier peperit filium, sacroq; fonte baptismatis regenerato, imposuit ei mater nomē Vuilbrord. Et statim ablactatum infantulum tradidit eum pater Ripensis ecclesiæ fratribus, religiosis studijs & sacris literis erudiendum, vt fragilior ætas validioribus inualesceret disciplinis, vbì nihil videret nisì honesta, nihil audiret nisì sancta. Quem diuina mox gratia ab ineunte pueritia & sensu proficere, & moribus pollere, quantùm ad tales congruit annos, concessit: ità vt nostris temporibus nouum Samuel nasci putares, de quo dictum est: Puer autē Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus. Ibique in prædicto monasterio multis profuturus puer, clericatûs accepit tonsuram, & pia professione monachum se fecit esse, & inter cæteros eiusdem sanctissimi monasterij adolescētes enutritus est, sed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio secundus, nulli lectionis studio inferior: sed sic quotidiè bonæ indolis puer proficiebat, vt teneros pueritiæ annos, morum grauitate transcenderet: factusque est grandæuus sensu, qui corpusculo modicus fuit & fragilis.

1. Reg 2. Fit monachus.

Cap. 4.

Igitur in sacris eruditionibus, & in omni sobrietate, morumque honestate, beatissimo vsque ad vicesimum ætatis suæ annum adolescente proficiente, arctioris vitæ ardore succensus, & peregrinationis amore instigatus, & quia in Hybernia scholasticam eruditionem viguisse audiuit, etiam quorundam sanctorum virorum, fama narrante, conuersatione incitatus, & pręcipuè beatissimi patris & Episcopi Egberti, qui cognomento sanctus vocabatur, necnon & Vuicberti venerabilis viri & sacerdotis Dei, quorum vterque ob cælestis patriæ amorem, domo, patria, cognationeque relicta, Hyberniam secessit, ibique dulcissimos supernæ contemplationis fructus seculo nudus, Deo plenus, solitaria quotidiè hauriebat conuersatione. Horum beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniuentia sui Abbatis & fratrum, in Hyberniam veloci cursu contendit, prædictorum patrum se familiaritati coniungens, quatenùs ceu prudentissima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, & in sui pectoris alueario dulcissimos virtutum fauos construeret. Ibique duodecim annis inter eximios simul piæ religionis & sacræ lectionis magistros, futurus multorum populorum prædicator, erudiebatur, donèc occurreret in virum perfectum, & in ætatem plenitudinis Christi.

Proficiscitur in Hyberniam.

Cap. 5.

Tricesimo itaque & tertio ætatis suæ anno, maior egregio viro fidei flāma crescebat in pectore, ità vt parùm ei videretur sibi soli tantummodò in religionis sanctitate sudâsse, si non & alijs quoquè in prædicationis veritate prodesset. Audiuit in borealibus mundi partibus messem quidem multā esse, sed operarios paucos. Sed vt somnij, Deo dispēsante, impleretur veritas, quod mater ólìm de eo se vidisse testatur, suę conscius voluntatis, licèt adhuc diuinę dispensationis ignarus, illas in partes nauigare cogitauit, & clarissima Euangelicæ prædicationis luce, torpentes longa infidelitate populos, si Dei esset voluntas, illustrare. Assumptisque secū duodecim fratribus, eo fidei feruore armatis, quo & ipse, nauim conscendit: quorum aliqui posteà, ob prædicationis Euangelicæ instātiam, martyrio coronati sunt: aliqui verò Episcopatûs ordinem accipientes, post sanctæ prædicationis labores, in pace quieuerunt.

Feruet desiderio paganos conuertendi.

Cap. 6. Cum 12. sociis venit Traiectum.

Igitur vir Dei cum socijs, sicut prædiximus, nauigauit, donèc prospero cursu ad ostia Rheni fluminis vela deposuit, ibique optata telluris statione refocillati sunt, & mox ad castellum Traiectum, quod in ipsa fluminis ripa situm est, peruenerunt, in quo etiam post aliquod tempus, Deo donante, & verbo fidei crescente, idem sanctus Vuillibrordus sedem Episcopatûs sui habuit. Sed quia eadem gens Frisonum, in quo idem ædificatum est castellum, cum Rege suo Radbodo paganis adhuc ritibus sorduit, visum est viro Dei Franciam contendere, ac Ducem illorum adire Pipinum, virum strenuum, triumphis clarum, & moribus probum. Qui eum cum omni honore suscipiens, sed nolens tanto doctore se vel suam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni sui prçuidit, quô potuisset idolatriæ spinas extirpare, & purissima verbi Dei semina per munda noualia abundātiùs spargere: vt impleret propheticum

A Pipino principe honorificè excipitur.

præ-

præceptum: Nouate vobis noualia, & nolite serere super spinas. Cumque studiosissimè vir Dei per loca singula discurrendo, optatum euangelizandi opus exercuisset, & semina vitæ, supernæ gratiæ rore irrigante, longè lateque in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulâssent, congaudens prædictus Francorum Dux eius sanctissimæ deuotioni, & verbi Dei clarissimæ multiplicationi, maioris profectûs occasione, prudenti cogitabat consilio eum Romam mittere, vt à Domino Apostolico Sergio viro sanctissimo tunc temporis, in summi sacerdotij honorem ordinaretur: quatenùs Apostolica benedictione & iussione suscepta, maiori ab eo missus fiducia roboratus, in opus Euangelij reuerteretur, iuxta Apostolicum illud: Quomodò prædicabunt, nisì mittantur? Quod cùm viro Dei persuadere tentaret, renuit primùm, nec se tantæ authoritatis honore dignum esse referebat: Enumeratisque Apostolicæ sanctionis præceptis, longè se inferiorem huic virtutum catalogo asserebat, quem egregiùs mundi prædicator, filium suum Timotheum erudiens, oportere Episcopum habere censuit. Dux verò contrà religiosè suasit, quod vir Dei verecundè negauit.

Oseæ 10.

Rom. 10.

1. Tim. 3.

Tandèm omnium vnanimitate victus, & (quod maius est) Dei dispensatione coactus, consensit, magìs volens plurimorum humiliter obedire consilio, quàm suam pertinaciter defendere voluntatem. Et sic cum honorifica legatione, & muneribus, authoritati Apostolicæ condignis, Romam directus est. Sed die quarta, priusquàm illò veniret, beatissimus Apostolicus, Angelica in somnis responsione admonitus est, vt illum cum summo honore susciperet, & quòd multarum animarum esset illuminator futurus, à Deoque electus, & ad hoc venisset, vt summi ab eo sacerdotij honorem susciperet, nihilque ei negandum esse, quicquid petîsset. Qua factus Apostolicus admonitione certus, cum magno gaudio, & summo eum suscepit honore: & vt in eo fidei agnouit feruorem, religionis deuotionem, sapientiæ plenitudinem, die competenti populo adueniente, aduocatis venerabilibus ad societatem ministerij sacerdotibus, publicè in ecclesia beatissimi Petri principis Apostolorum cum magna dignitate more Apostolico eum ordinauit Archiepiscopum, ac ordinato nomen imposuit Clemens, vestimentisque suis sacerdotalibus induit eum, & sancto quasì superhumerali Aaron, pallio dignitatis & indumenti confirmauit gloria: & quicquid voluit vel petiuit, aut in patrocinijs sanctorum, aut in rebus Ecclesiasticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi, firmatumque benedictione, donis ditatum, cum salutaribus præceptis iterùm eum in opus Euangelij remisit.

Cap. 7.

Visio summi Pontificis.

S. Vuillibrordus venit Romam ad Pontificem.

Ordinatur ab eo Archiepiscopus.

Accepta ergò Apostolicæ authoritatis benedictione, cum maiori fiducia deuotus verbi Dei prædicator, ad præfatum Francorum Ducem regressus est. Qui eum cum summa honoris magnificentia receptum, cum suæ potestatis iussione in opus Euangelij direxit, maximè tamen in borealibus regni sui partibus, quò eatenùs ob raritatem doctorum, vel duritiam habitatorum, fidei flamma minùs relucebat. Eo vir Dei instantiùs illis in regionibus semina vitæ sparserat, quo plùs necessarium antiquam ignorantiæ famem depellere perspexerat. Qualem, diuina gratia adiuuante, illis incolis fructum fecisset, testes sunt vsque hodiè populi per ciuitates, vicos & castella, quos ad veritatis agnitionem, & ad vnius omnipotētis Dei cultum pia admonitione perduxerat. Testes quoquè ecclesiæ, quas per loca singula construxerat: testes & Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunauit in locis.

Cap. 8.

Fructus prædicationum eius.

Tentauit quoquè idem vir Dei vltra Francorum regni fines cælestis doctrinæ flumina deriuare. Nam tunc temporis Regem Frisonum Radbodum cum gente sua paganum non timuit adire, & quocunquè perrexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Frisonum Rex licèt virum Dei humilitatis gratia benignè susciperet, nullis tamen vitæ fomentis saxeum eius cor emolliri potuit. Cùm ergò apud eum vir Dei fructificare se non posse sentiret, ad ferocissimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibì tum, vt fertur, regnabat Ongendus, homo omni fera crudelior, & omni lapide durior: qui tamen, iubente Deo, veritatis præconem honorificè tractabat. Quem dum obduratum moribus, & idololatriæ deditum, & nullam melioris vitæ spem habentem offendit, acceptis tunc triginta eiusdem patriæ pueris, ad electos à Deo populos regni Francorum reuerti festinauit. Sed in eo ipso itinere catechizatos eosdem pueros vitæ fonte abluit, nè aliquod propter pericula longissimi nauigij, vel ex insidijs ferocissimorum terræ illius habitatorum, damnum pateretur in illis, volens antiqui hostis præuenire astutias, & Domini sacramentis

Cap. 9.

Prædicat Christum in Frisia.

Itèm in Dania.

mentis animas munire acquisitas.

Cap. 10.

Et dum pius verbi Dei prædicator iter agebat, peruenit in confinio Frisonum & Danorum ad quandam insulam, quæ à quodam deo suo Fosite, ab accolis terræ Fositesland dicebatur: quia in ea eiusdem dei fana fuêre constructa. Qui locus à Paganis in tanta veneratione habebatur, vt nihil in ea vel animalium ibi pascentium, vel aliarum quarumlibet rerum, quisquam gentilium tangere auderet, nec etiam à fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire, nisi tacens, præsumeret. Quò cùm vir Dei tempestate iactatus est, mansit ibidèm aliquot dies, quousquè sepositis tempestatibus, opportunum nauigandi tempus adueniret. Sed paruipendens stultam loci illius religionem, vel ferocissimum Regis animum, qui violatores sacrorum illius atrocissima morte damnare solebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione sanctæ Trinitatis baptizauit: sed & animalia, in ea terra pascentia, in cibaria suis mactare præcepit. Quod Pagani intuētes, arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cùm nihil mali cernebant pati, furore perciti, Regi tum Radbodo, quod viderant factum, retulerunt. Qui nimio furore succensus, in sacerdotem Dei viui, suorum iniurias deorum vlcisci cogitabat: & per dies semper tribus vicibus suo more mittebat sortes, & nunquàm damnatorum sors, Deo vero defendente suos, super seruum Dei, vel aliquem ex suis, cadere potuit: nec nisi vnus tantùm ex socijs sorte monstratus, & martyrio coronatus est. Vocabatur verò vir sanctus ad Regem, & multùm ab eo est increpatus, quarè sua sacra violâsset, & iniuriam deo suo fecisset. Cui prȩco veritatis constanti animo respondit: Non est deus, quem colis, sed diabolus, qui te pessimo errore deceptum habet, ó Rex, vt animam tuam æternis tradat flammis. Non est enim Deus, nisi vnus, qui creauit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt: quem qui vera fide colit, vitam habebit sempiternam: cuius ego seruus hodiè tibi testificor, vt ab antiqui erroris vanitate, quam coluerunt patres tui, tandèm aliquandò resipiscas, & credens in vnum Deum omnipotentem Dominum nostrum Iesum Christum, & vitȩ fonte baptizatus, abluas omnia peccata tua, & proiecta omni iniquitate & iniustitia, deincèps nouus homo viuas in omni sobrietate, iustitia & sanctitate. Hoc faciens, cum Deo & sanctis eius gloriā possidebis sempiternam. Si verò me contemnis, viam salutis tibi ostendentem, scito certissimè, quòd æterna supplicia & infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, sustinebis. Ad hæc Rex miratus, respondit: Video te minas nostras non metuisse, & verba tua esse, sicut & opera. Etsi autem nollet veritatis prædicatori credere, tamen ad Pipinum Ducem Francorum eum cum honore remisit.

Barbaræ gētis superstitionē mira fiducia contemnit.

Radbodus vnū è socijs eius necat.

Illi cōstanter Christū annunciat Vuillebrordus.

Redit ad Pipinum ducē.

Cap. 11.

Qui in eius lætatus aduentu, rogauit eum destinato verbi Dei operi insistere, eradicatisque idolatriæ spinis, verbum Dei instanter per loca singula serere. Quod etiam pius prædicator haud segniter implere satagebat, circumiens omnes illius terræ regiones, per vrbes, vicos, castella, vbi priùs euangelizauerat, exhortans omnes, quatenùs bono animi proposito in veræ fidei permanerent firmitate. Et dum per singulos dies numerus crescebat fidelium, & maior credentium turba ad verbi Dei agnitionem confluebat, cœperunt plurimi, fidei feruore incitati, patrimonia sua viro Dei offerre. Quibus ille acceptis, mox ecclesias in eis ædificare iussit. Statuitque per eas singulos presbyteros, & verbi Dei sibi cooperatores, quatenùs nouus Dei populus haberet, quò se diebus festis congregaret, vel salutares audiret admonitiones, vel à quibus sacri baptismatis munera acciperet, & Christianæ religionis regulas ediscerct. Et ità vir Dei magìs ac magìs de die in diem, diuina donante gratia, proficiebat.

Multi credūt in Christum, extruunturq; tēpla eorum impensis.

Cap. 12.

Contigit autem, Pipinum Ducem Francorum diem obire, & filium eius Carolum regno patris potiri. Qui multas gentes sceptris adiecit Francorum: inter quas etiam cum triumphi gloria Frisiam, deuicto Radbodo, paterno superaddidit imperio: in qua tunc gente sanctus Vuillibrordus positus est prædicator, sedique Episcopali in Traiecto castello delegatus est. Qui maiori Euangelizandi occasione accepta, nupèr gladio acquisitam gentem sacro baptismate abluere conatus est. Nec quicquam in ea vetusti erroris, nec tenebras ignorantiæ latére sinebat: sed totam Euangelica luce sine dilatione perfundebat, ità vt in eo populo subitò propheticum illud impleretur testimonium: Et erit: in loco, vbi dicetur eis, Non populus vos: dicetur eis, Filij Dei viuentis. Plurima quoquè diuina virtus fecit per seruum suum miracula: licèt omni miraculorum operationi & signorum ostensioni ministerium Euangelicæ præ-

Carolus Martellus multas domat gentes.

S. Vuillibrordus fit Episcopus Traiectensis.

Osee 1.

prædicationis præferendum sit, tamen quæ gesta narrantur, ad gloriam donantis Dei non tacenda esse censeo, sed magìs stylo alliganda, nè pereant posteris seculis, quæ priscis temporibus acta esse noscuntur.

Quodam igitur tempore, dum venerabilis vir iter euangelizandi more solito age- Cap. 13. ret, venit ad quandam villam, Vualachrum nomine, in qua antiqui erroris idolum remansit. Quod cùm vir Dei zelo feruens confringeret, præsente eiusdem idoli custode, nimio furore succensus ille, quasì dei sui iniuriam vindicaret, in impetu animi in- Gladio exersus nihil læditur. sanientis, gladio caput sacerdotis Christi percussit: sed Deo defendēte seruum suum, nullam ex ictu ferientis læsuram sustinuit. Socij verò illius hoc videntes, pessimam, præsumptionem impij hominis vindicare concurrerunt. Sed à viro Dei pio animo de manibus illorum liberatus est reus, ac dimissus: qui tamen eodem die dæmoniaco Vltio diuina in percussorem eius. spiritu arreptus est, & die tertia infeliciter miseram vitam finiuit. Et quia vir Dei, iuxta preceptum Domini, suas iniurias vlcisci noluit, citiùs à Domino vindicatum est, iuxta Matth. 5. illud: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Deut. 32.

Alio quoquè tempore iter beato viro faciente ad quandam suæ ditionis cellulam, Cap. 14. quæ ex nomine præterfluentis aquæ Suestra dicitur, propter compendium propioris viæ per segetes cuiusdam diuitis angustam subintrauit semitam. Quod earundem segetum custos cernens, nimio inflatus furore, virum Dei blasphemare cœpit. Quem conuicia viro Dei inferentem cùm socij, qui cum eo erant, vindicare vellent, miti animo Dei famulus eos compescuit, nolens aliquem sua causa perire, qui salutem Patientia eius. sitiebat omnium. Sed cùm insanientis animum nullo modo lenire posset, dans locum iræ eius, via qua venit, reuersus est. Sed die postera idem infelix, qui famulo Dei Repentina mors ei cōuicia facienti. conuicia dicere non abhorruit, multis cernentibus, in eodem loco repentina morte perijt.

Cùm vir Deo plenus propter euangelicæ prædicationis instantiam loca circum- Cap. 15. iret maritima, aquæ dulcis penuriam patiebatur. Quod dum cernebat commilitones propter ardorem sitis, grauiter sustinere: vocato vno ex illis, præcepit ei intra tentorium suum fossam aperire paruam. Vbi secretò fixis genibus orabat Deum, vt Exod. 17. qui populo suo aquam in deserto produxit de petra, seruis suis eádem misericordia Num. 20. de arenosa terra aquam produceret. Qui mox exauditus est. nam subitò fons dulcis- Miraculum simi saporis fossam implebat. Quod sui cernentes, gratias agebāt omnipotenti Deo, qui sanctum suum magnificauit, & exaudire dignatus est. Bibebantque vsque ad satietatem, secumque ad prædestinati itineris necessitatem, quantum sufficere videbatur, portare curabant.

Iterùm sanctus Dei sacerdos in quodam loco iter agens, vidit mendicantes inopes Cap. 16. duodecim, pariter postulantes sibi aliquid à prætereuntibus solatij. Quos, vt erat mitissimus, benigno adspexit animo, vnique ex suis mādauit specialem suum flasconem sumere, ac pauperibus miscere Christi. Ex quo omnes illi duodecim vsque ad satie- Præclarum miraculum. tatem bibebant: & mirum in modum, illis abeuntibus, ex optimo vino flasco, de quo tanti biberant homines, inuentus est plenus, vt antè. Hoc comperto, benedicebant omnes Dominum Deum nostrum, dicentes: Verè impletum est in nobis, quod in Euangelio dicitur: Date, & dabitur vobis. Luc. 6.

Venit quoquè vir sanctus ad suum visitandi gratia monasterium, & post orationes Cap. 17. ad Deum & salutationes fratrum, & admonitiones pacificas, circumiens singula fratrum habitacula, si quid in illis emendandum fuisset, pius pastor explorare voluit. Intrauit quoquè in cellarium, in quo modicū vini reperit in vase, in quod suum benedictionis gratia cum oratione immisit baculum, & exiuit. Sed eádem nocte in eoipso Itèm aliud. vasculo vinum crescere cœpit, & supereffundi vasis margine. Hoc cellarius cernens, insperata abundantia obstupefactus, nec celare audebat, quod diuina misericordia per serui sui benedictionem geri cognoscebat. Crastino manè cucurrit, & ante pedes sancti patris se prosternens, confitebatur quid vidisset. Qui more solito Deo gratias agens, memorque Dominicæ iussionis, discipulis suis præcipientis, nè cui transfigura- Matth. 17. tionis gloriam ante diem resurrectionis suæ dicerent, præcepit eidem cellario, nè cui miraculum, quod viderat, ante diem obitûs sui ediceret. Sed & aliud huic simile per eius benedictionem Deus Christus operatus est miraculum.

Perueniens seruus Dei cum socijs suis ad domum cuiusdam amici sui, & paulispèr Cap. 18. cupiens in domo dilecti longi laborē itineris refectione alleuare, patremfamiliâs nihil vini habere comperit. Quatuor ergò modicos flascones, quos tantùm in itineris

solatium

solatium secum eius socij ferebant, iussit afferri: eosque in eius nomine benedixit, qui in conuiuio nuptiali aquas conuertit in vinum. Et mirum in modum post benedictionem, quasi quadraginta viri ex illis lagunculis vsque ad satietatem bibebant, & cum magna gratiarum actione lætis sibi inuicèm animis dicebant: Verè Dominus Iesus impleuit, quod in Euangelio promisit, dicens: Qui credit in me, opera quę ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

Iohan.2. Aliud illustre miraculum. Iohan.14.

Cap. 19. Perrexit idem sanctus prædicator quodam tempore more solito, ob euangelizandi gratiam, cum festinatione in Frisiam, & propter laborem viæ, in pratis cuiusdam diuitis paululùm lassos refocillare equos volebat. Quos diues ille in pratis suis pasci cernens, superbiæ spiritu equos cædere cœpit, & è pascuis abigere. Quem vir Dei placidissimis verbis alloquitur, dicens: Desine nobis iniuriam facere. Non enim propter læsionem tuî, sed propter necessitatem nostrî, ad horam in his pascuis quiescere voluimus. Instat nobis opus Dei peragendum, cuius tu quoquè mercedem habere poteris, si nos quantùm ad te pertinet, adiuueris animo, memor illius Domini nostri Iesu Christi dulcissimæ promissionis: Qui vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Sed magìs mẽte pacifica nobiscum quasi amicus teipsum reficiens, aliquantulùm bibe, nobisque cœpto itinere pergentibus, tu à Deo benedictus, reuertere in domum tuam. Ille autem in malitia pertinax, nolẽs pacificis viri Dei verbis acquiescere, sed conuicia ingeminans, opprobria iaculans: Tu me, inquit, hortaris bibere, & pacem tecum inire: scitò certissimè, quòd tecum bibere pro nihilo habeo. Rapiensq; ex eius ore verbũ hoc vir Dei: Si non velis, ait, mecũ bibere, non bibe. Et statìm paratis socijs, perrexit viam suã. Ille quoq; cõtumax, domum suam festinabat adire, sed totus subitò siti ardebat. Cupiensque ardentem stomachum vino refrigerare, os, quod viro Dei conuicia ingessit, vini potionem recipere non valebat: & qui pacem cum seruo Dei voluntariè noluit, pœnam in seipso necessariè sustinuit. Vocati sunt medici, qui sitim sedarent, aut facultatem ægroto bibendi præstarent. Anhelabant viscera, sed non fuit, qui guttam vini feruescenti pulmoni infundere valuisset. Tandèm aliquandò pœnitentia ductus ille, in seipsum reuersus est, & agnoscebat sanctum Vuillibrordum esse, quem offenderat, illiusque, anhelante spiritu, optabat reditum. Qui sequenti anno eàdem reuersus est via, præcognitoq; aduentu eius, obuius ei homo ægrotus venire festinabat, culpam confitens suam, & quam patiebatur pœnam aperiens, pro amore Christi se solui deprecabatur. Quem vir Dei misericordia motus absoluit, deditque illi cum benedictione de suo bibere calice. Qui mox absolutus bibebat, & sanus in suam reuersus est domum.

Matth.10. Diuinitùs punitur homo contumeliosus in virum Dei. Eum vir sanctus liberat.

Cap. 20. Est in Treuerensi ciuitate monasterium puellarum, quod temporibus beati Vuillibrordi Episcopi pestis acerrima inuasit. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur: quædam verò longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo. Cæteræ verò nimio terrore turbatæ, quasi præsentem mortem metuebant. Et quia propè est prædictæ ciuitati sancti viri monasterium, quod appellatur Esternaco, in quo vsque hodiè sanctus ille requiescit corpore, & eius posteri ex legitima traditione patris, & pijssimorum pietate Regum tenere noscuntur: ideò antedicti fœminæ monasterij, audientes sanctum virum illuc venire, statìm miserunt legationes, postulantes eum non tardare venire. Qui beati Petri principis Apostolorum mitissimo doctus exemplo, de Ioppe ob viduarum Christi petitionem venientis Lyddam, vt sanctam suscitaret Tabitham, festinus venit, audito desiderio ancillarum Christi, ad illas. Et veniens, mox in eodem monasterio Missa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua & domos illarum adspergi iussit, & ægrotantibus potandam transmisit. Quæ citò, diuina donante misericordia, conualuêre, nec vllæ in eo monasterio prædicta peste exindè moriebantur.

Act.9. Nota hic effectum Missæ & aquæ benedictæ.

Cap. 21. Contigit cuidam patrifamiliâs & domui suæ dira dæmoniacæ illusionis tentatio, ità vt apertè malignus in eius domo spiritus, ex horrore & maleficijs habitare agnosceretur. Nam subitò cibos, vel vestimenta, vel alia domui necessaria, rapere solebat, & in ignem mittere. Quinetiam paruulum, inter amplexus parẽtum pausantem, illis dormientibus, tulit, & in ignem proiecit. Sed vagitu infantis parentes excitati, vix paruulum de incendio eruerunt. Et multa atrocia eadem familia à nefando spiritu perpessa est, nec à quolibet presbyterorum expelli potuit, donèc vir sanctus Vuillibrordus, à patrefamiliâs postulatus, aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domûs illius supellectilem foràs efferre, & aqua illa adspergi, præuidens in

spiritu

ſpiritu domum flammis conſumendam eſſe. Quibus ità geſtis, vacuam domum à loco lectuli ignis inuaſit, totamque conſumpſit. Altera verò in eo loco cum ſanctificatione aquæ benedictæ ædificata, nihil exindè priſtinæ tẽtationis paſſi ſunt in ea: ſed cum omni tranquillitate & quiete degentes, & Domino gratias agentes erant, qui illos per ſeruum ſuum redimere dignatus eſt. Et hic obſerua vim aquæ ſacratæ.

Idem quoquè vir Deo amabilis, quædam prophetico prædixerat ſpiritu, quæ pòſt rerum euentus vera probauit. Baptizauit enim Pipinum, filium Francorum fortiſſimi Ducis Caroli, patrem huius nobiliſſimi Caroli, qui modò cum triumphis maximis & omni dignitate glorioſiſſimè Francorum regit imperium. De quo Pipino patre eius idem ſanctus vir præſaga voce coram diſcipulis ſuis prædixit hoc vaticinium: Scitote, inquiens, quòd iſte infans ſublimis erit valdè & glorioſus, & omnium præcedentium Francorum Ducibus maior. Huius itaque vaticinij veritas noſtris probata eſt temporibus, nec opùs eſt teſtimonijs aſſequi, quod totius regni agnoſcit authoritas. Scit nanque omnis populus, quibus nobiliſſimus victor celebratur triumphis, vel quantùm terminos noſtri dilatauit imperij, vel quàm deuotè Chriſtianam in regno ſuo præparauit religionem, vel quid pro defenſione ſanctæ Eccleſiæ Dei apud extraneas exercuit gentes: quæ omnia meliùs oculis probari, quàm verbis explicari queunt. Cap. 12. Prophetia S. Vuillibrordi. Iſte Pipinus ex Duce fit Franc. Rex.

Fuit verò iſte vir ſanctus, omni dignitate præclarus, ſtatura decens, vultu honorabilis, facie venuſtus, corde lætus, conſilio ſapiens, ore iucundus, moribus compoſitus, & in omni opere Dei ſtrenuus. Cuius autem patientiæ eſſet, ex antedictis eius geſtis oſtenditur. Quantam verò habuerit induſtriam in Euangelio Chriſti prędicando, vel qualiter illum in opere prædicandi diuina adiuuerit gratia, non neceſsè eſt noſtro proſequi ſtylo, quod totius populi teſtimonio comprobatur. Porrò eius ſecreta conuerſatio in vigilijs & orationibus, in ieiunijs & pſalmodijs, ex vitæ ſanctitate & ſignorum oſtenſione intelligi datur. Charitatem ſcilicet aſſiduus labor oſtendit, quem quotidiè pro Chriſti nomine ſuſtinuit. Deniquè vir ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ in diuino proficiens opere, Deo amabilis, & omni populo gratus, temporibus Caroli antiqui, fortiſſimi Francorum Ducis, ſenex & plenus in omni perfectione dierum, appoſitus eſt ad patres ſuos, multiplicem laboris ſui fructum accepturus à Deo, ſeculum hoc relinquẽs, vt cælum poſſideret, Chriſtum ſine fine in æterna gloria viſurus: in cuius dilectione quàm diù nobiſcum vixerat, laborare non ceſſabat. Die ſeptima menſis Nouembris, id eſt, ſeptimo Idus ex hac peregrinatione ad perpetuam migrauit patriam, & ſepultus eſt in monaſterio Epternaco, quod ipſe Deo, vt præfati ſumus, conſtruxerat. Ibì vſque hodiè, diuina operante miſericordia, ſigna & ſanitates ad ſancti Dei ſacerdotis reliquias fieri non ceſſant. Ex quibus aliqua huic noſtræ de eo hiſtoriæ ſubijcienda eſſe æſtimauimus, in gloriam & laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui hæc per ſerui ſui patrocinia ſæpiùs operari dignatus eſt. Conditum eſt venerabile corpus in ſarcophago marmoreo, qui primùm toti Dei famuli corpori, quaſì dimidio pedis breuior inuentus eſt, fratribus ob hoc valdè contriſtatis, & ſæpiùs tractantibus, vbì aptum ſancto corpori inuenirent locellum. Sed miro modo, diuina donante pietate, inuentus eſt ſubitò ſarcophagus tanto viri Dei corpori longior, quanto breuior antè apparuit. Et in eo viri Dei corpus cum hymnis, pſalmodijs & omni honore condentes, ſepeliẽrunt illud in eccleſia præfati monaſterij, quod ille ſummus Dei ſacerdos in honore ſanctæ Trinitatis ædificauit & dedicauit. Sed & miri odoris fragrantia omnium perfuderat nares, vt perſpicuè intelligeretur, ad exequias viri ſancti angelicum veniſſe miniſterium. Cap. 13. Dotes & virtutes eius. Carolum Martellum dicit. S. Vuillibrordi obitus. Miracula ad eius reliquias. Illuſtre miraculum.

Sed & cuidam religioſo ſancti viri diſcipulo longiùs poſito, in oratione vigilanti, obitus illius reuelatus eſt. Nam vidiſſe ſe teſtabatur animã ſanctiſſimi patris ſui cum magna luminis claritate, cum conſona canentium laude, ab angelicis exercitibus ad cælorum regna portari. Multi quoquè fratrum teſtati ſunt, crebrò ſe ſuper lectulum, in quo beatã animam ſuo creatori reddidit, mirabile vidiſſe lumen, ſuauiſſimamque odoris dulciſſimi ſenſiſſe fragrantiã: vt omninò his ſignis crederetur, cæleſtes locum frequentaſſe ciues, in quo ſancta anima migrauit ad Dominum. Per vnctionem quoquè olei, quod ſupra corpus ſancti lucere ſolebat, multi infirmi, Deo donante, & fide illorum cooperante, curati ſunt. Pœnitentes quoquè, ſæpiùs ad eandem venientes eccleſiam, circulis ferreis more ſolito circundati, ruptis circulis ſubitò vincula ſua reſoluta ſenſerunt. Cuius rei, adhuc in eccleſia circuli pendentes, teſtes ſunt. Cap. 14. Viſio diſcipuli eius.

Cap. 25. Quædam verò mulier paralytica, septem annis magnis cruciata doloribus, intantùm grassante eadem quotidiana infirmitate afflicta est, vt omni membrorum officio destituta, alieno vteretur ministerio, & in solo tantummodò pectusculo vix anhelans spiritus, suspiria fessa retraheret. Hæc à propinquis ad ecclesiam, vbi sanctus Dei requiescit, ferebatur, prope locellum reliquiarum eius posita. Quæ in eodem loco fusis lachrymis, deprecata est per intercessionem sancti sui famuli, diuinam ei misereri clementiam: atque à Domino Deo exaudita, moxque ab omni infirmitate liberata, sospes cum gaudio gratias agens Deo, proprijs pedibus, quæ priùs ab alienis portabatur, cucurrit ad domum.

Paralyticæ restituitur salus.

Cap. 26. Itèm adolescens quidam infirmus, ad corpus beati pōtificis manibus deductus est amicorum. Qui totis intremuit membris. Nec enim caput per se leuare potuit, sed quasi collo fixum non esset, huc atque illuc cadens voluebatur. Nam aliquotiès ità exanimis factus est, vt omninò mortuus videretur. Quem, vt prædiximus, prope corpus sui sancti viri posuerunt. Sed misericordia Dei donante, omnibus qui aderant, cernentibus, ità subitò sanus effectus est, vt nihil in eo pristinæ infirmitatis, vel doloris antiqui vltrà remanserit.

Itē quidam morbidus.

Cap. 27. Quidam etiam officio diaconus, & non merito, in ecclesia sancti viri crucem auream, quam vir sanctus secum in itinere portare solebat, cum alijs donarijs ecclesiæ, infelicissimo non horruit subtrahere furto. Turbati sunt hac re fratres, vtpotè factorem impij sceleris ignorantes. Tunc precibus quidem sancti Dei confidentes, illud tam nefarium scelus occultari non posse, fraterna tamen pietate hominem ad pœnitentiam reuocare nisi sunt, non perdere cupientes. Ille verò, qui hoc crimen commisit, obdurato corde salutem suam contempsit, sicut impius, dicente Salomone, cùm in profundum malorum venerit, contemnit. Cogitauit infelix latére, sed non potuit, illum, qui seruorum suorum iniurias sæpiùs vindicare non tardat. Nam miser ille, qui hoc perpetrare crimen non abhorruit, misera subitò morte arreptus interijt. In ipso vitæ exitu aliquibus fratrum reatûs sui crimen ostendit, & vbi ostendisset, quod furto rapuit, indicauit. Videtis, fratres, quàm terribili damnatus iudicio est, qui sancti Dei ecclesiam furto violare non timuit. Idcircò obsecro, vt castam in hac habeatis conuersationem, quatenùs diuina clementia per sancti Clementis viri Apostolici preces in omni petitione honesta vos exaudire dignetur, sicut antè diximus illam exaudire preces infirmantum in eádem ecclesia, eosque cum diù desiderata sanitate domum redire. Nec scilicet dubitandum est, quòd velutì visibiliter corporeas illorum dignatus est Christus sanare infirmitates, ità & occultas animarum nostrarum ægrotationes, intercedente pro nobis sancto suo, qui hîc corporaliter requiescit, & quem spiritaliter præsentem esse credimus, quotidiè sanare non cessat, si firma fide & confessione vera cum lachrymis effundimus in loco isto ante conspectum pietatis illius corda nostra, qui pro sua diuina clemētia paratus est ad ignoscendum, si nos tardi non fuerimus ad deprecandum: Cui laus sit & gloria in sempiterna secula.

Prou. 18.

Horrenda vltio in sacrilegum.

S. Vuillibrordus aliàs Clemens dictus est.

Cap. 28. Restat nunc de beato Vuilgiso, qui fuit huius sancti viri, vt antè diximus, pater: vt à quo huius historiæ primum capitulum incipit, de eo nouissimum finiatur. Redijt igitur anniuersarius eiusdem beatī Vuilgisi sanctæ migrationis dies, in qua pius Abba Albertus, successor venerandi Archiepiscopi, post sacratissima Missarum solennia, & honorem Deo debitum, cum fratribus epulari & gaudere aggressus est. Sed in eo monasterio nil plus vini inuentum est, quàm duo tantummodò flascones, quorum vnus prandij hora exhaustus est, alter in horam cœnæ reseruatus. Igitur post vespertinam melodiam, pro reuerentia eius diei, fratres ad refectorium reuersi sunt, & post sacras lectiones præfatus Abbas fratres allocutus est, dicens: Decet nos, ó venerandi patres, cum gaudio spiritali venerabilium patrum nostrorum festiuos dies celebrare, & aliquanto laxiùs solito rigore, nostris indulgere corporibus, non luxuriæ, sed charitatis, causa. Nequaquàm verò vos celâssem, si aliquid plus habuissem in hoc monasterio, quàm hunc solum flasconem, qui nobis hora prandij restabat. Potens est tamen Deus per preces sanctorum suorum hunc eundem nobis abundare facere, illos honorificare, & nos lætificare, & ostendere nobis, licèt indignis, suæ pietatis miracula, qui per benedictionem quondàm sancti Vuillibrordi patris nostri, ex quatuor flasconibus quadraginta viros satiare dignatus est. Tantùm cum gratiarum actione in spe bibamus, quod habemus. Primò & secundò de eodem flascone omnes bibe-

Anniuersarius dies S. Vuilgisi patris S. Vuillibrordi.

Miraculo augetur vinum inter bibendum.

runt

runt fratres, & inuentus est à ministro ità plenus, vt antè. Hoc audito, Abbas cum fratribus Deo agere gratias satagebat: biberuntque laudantes diuinam clementiam illa nocte cum sobrietate & lętitia, quantùm voluerunt. O felicem patrem, qui talem generauit filium, qui tali hærede à Deo dignus habitus est. In quo benedictio illa impletur, quæ in Deuteronomio legitur: Benedictus tu, & benedictus fructus ventris tui, Amen.

Deut. 28.

VITA S. FLORENTII EPISCOPI ARGENTINENSIS, EX QVODAM MS. CODICE PER *F. Laur. Surium, mutato stylo descripta. Consentiunt etiam aliæ historiæ.*



CVM Dagobertus Rex ad regni Francorum gubernacula sederet, sanctus Florentius cum beato Arbogasto, Theodato & Hildulpho, è Scotia venit in Alsatiam. Vbì cùm sanctus Arbogastus Argentinensi Ecclesiæ datus esset antistes, beatus Florentius in sylua, quam Hasle vocant, vbi Bruscha fluuius è monte Vosago emanat, manibus suis cœpit terrā colere, vt victui necessaria pararet. Cumque illic domicilium condidisset, ceruæ & aliæ feræ è nemore eò aduentantes, omnem eius laborem deuastabant. Non aderant beato viro instrumenta venatoria, quibus eas caperet: sed non deerat magna in Deum fiducia, qua fretus, in Domini nomine iussit eas omnes venire ad fores cellulę suæ, & illic gradum figere. Per id tempus Dagobertus Rex manens in palatio suo Kyrcheimensi, famulos suos misit, vt venationi operam darent. Abeunt illi cum canibus, perlustrant montes & syluas omnes, nec vllam feram conspiciunt. Tandèm ad beati viri domunculam perueniunt, frequentes illic præ foribus eius consistere feras conspiciunt, nihil se loco mouentes, perindè acsì vincula quædam eis iniecta sint. Rei indignitate, vt ipsis videbatur, permoti, cùm virum Dei non cognoscerent, tunicam eius vi auferunt, & recedunt. Ille sequitur abeuntes, apportat securim siue bipennim, vt eam quoquè tollant.

Nouẽbris 7.
S. Arbogastus fit Episcopus Argentinæ.
S. Florenti⁹ cogit feras obedire sibi

Illis ergò recedentibus, vbì ad paludem quandam ventum est, equi eorum progredi noluerunt. Vrgent illi quidẽ fortiter, adigunt calcaria, sed nihil efficiunt. Animaduertunt id se pati ob illatam sancto viro iniuriam: redeunt igitur, redduntque quæ abstulerant. Redditur equis gradiendi facultas: veniunt ad Dagobertum Regem: quid acciderit, enunciant. Ille confestìm mittit equum suum optimè instratum: orat virum Dei, vt illo subuectus, ad ipsum se conferat. Vir beatus equùm non admittit, sed suò asello contentus, ad Regis palatium proficiscitur. Vbì ad portæ limen accessit, filia Regis ab ipso ortu luminibus orbata, itemque muta, repentè & videt, & loquitur: appellatque beati Florentij nomen, cùm tamen id omnibus esset incompertum. Ascendente porrò illo in palatium, & ad Regem ingredi volente, res accidit admiratione digna. Cùm enim non haberet ministrum, cuius opera vteretur in seruando interìm pallio suo, ad solis radium, per fenestram sese infundentem, suspendit pallium: inhæsitq; id illi haud secùs, atquè perticæ cuidam, donèc vir sanctus cum Rege collocutus esset. Quæ res tantæ admirationi fuit & Regi ipsi, & familiæ eius, vt magnam syluæ eius partem Rex ei largitus sit, vbì cellam construeret, villasque adiacentes & multa prædia addiderit, quæ vsque in præsens monasterium Hasle sibi vendicat.

Vide contemptũ rerum etiam necessariarum.
Hanc alij Rathildam vocant.
Insigne miraculum.

Porrò autem ex hac vita abeunte beato Arbogasto, sanctus Florentius ei subrogatus est in cathedra Argentinensi, vitamq; in suo populo viuens sanctissimam, gregem sibi creditum vt bonus pastor accuratè custodiuit. In ecclesia quoquè sua, siue monasterio Hasle, religiosos homines, qui Deo illic seruirent, collegit: tandemque bonorum operum cursu confecto, cum Christo æternùm regnaturus, in pace quieuit. Fuit autem vir sanctus etiam generis nobilitate clarus, sed virtutũ ornamentis longè illustrior. Nam in ipso quoquè vernantis adolescentiæ flore, quod etiam apud maturos perrarum est, carnis proculcauit illecebras, patriam parentesque pro Christi

S. Florenti⁹ succedit S. Arbogasto.
Feliciter decedit.

amore deseruit, voluntariamque complexus paupertatem, longinquam in exteras regiones peregrinationem suscepit: Christique bonus odor effectus, Ecclesiam Dei & dictis & factis longè lateque suauiter affecit, & tanquàm fidelis & prudens Domini seruus, æternæ vitæ alimonia refecit. Post multos autem exantlatos labores, septimo Idus Nouembris migrauit ad Dominum, conditusque in ecclesia, quam viuens gubernârat, præsentia corporis sui eam condecorauit. Posteà verò Ratho Argentinensis Episcopus, diuina reuelatione admonitus, sanctissimi viri corpus in locum illum nemoris, quem primò sibi ille delegerat, transferendum curauit, ipseque sibi illic sepulturam elegit. Posteà multis miraculis Dominus virtutum fidelem seruum suum Florentium illustrauit: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Corpus eius transfertur.

VITA SANCTÆ MEMORIÆ ENGELBERTI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, QVI PROPTER

iustitiam crudeliter cæsus est, necdùm tamen in Sanctos, quòd sciam, relatus. Author est Cæsarius monachus Vallis S. Petri siue Heisterbacensis.

PRAEFATIO AVTHORIS AD HENRICVM Coloniensem Archiepiscopum, Engelberti successorem.

REuerendo domino suo Henrico, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo, frater Cæsarius, numero, non merito, monachus in Valle S. Petri, cum deuotis orationibus paratàm ad obsequia voluntatem. Excellentiæ vestræ præcepto obediens, vitam, actus, passionem & miracula beatæ memoriæ domini Engelberti prædecessoris vestri, non quomodò debui, sed quomodò potui, scripto commendaui: hoc optans, hoc orans, vt Deo eiusque martyri esse possint accepta, vobis & Ecclesiæ vestræ grata, posterisque necessaria. Considerans materiæ dignitatem, non sine timore ad iniuncta obediui, cùm propter scientiæ insufficientiam, tum propter linguas detrahentium. Sciens enim scriptum, quasi peccatū ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: mâlui minùs dignè scribendo confusionem sustinere, quàm non obedire. Quòd si alij viri literati, quorum in diœcesi vestra copia esse dinoscitur, post me scripserint excellentiùs, non illis inuideo, immò gloriæ martyris congaudeo. Non enim meæ professionis est, etiamsi scientia adesset, in historia simplici verborum phaleras quærere, & floribus rhetoricis sententias purpurare: quod non monachorum, sed philosophorum est, qui magis ad ostentationem scientiæ, quàm ad ædificationem morum loquuntur, secundùm quod quidam ait:

1.Reg.15.

Purpureus, latè qui splendeat, vnus & alter
Assuitur pannus.

Vndè oratoriæ iucunditatis dulcedinem, & persuasibilis eloquij venustatem minùs vtilem contemnens, beati martyris actus & mortem stylo simplici prosecutus sum, in textis defloratione magis diuinæ scripturæ testimonijs, quàm dictis vtens philosophicis. Vestrum est, cui Dominus scientiam contulit, apponere limam correctionis, ità vt vestro iudicio superflua resecentur, neglecta suppleantur, mutanda mutentur. Quapropter supplico beatitudini vestræ, vt quæ vestra iussione, non mea præsumptione, per ministerium meum ad laudem martyris conscripta sunt, nisi iure reprobari debeant, quod absit, benedictione vestra roborentur, authoritate perpetuentur.

VITÆ

VITÆ LIBER PRIMVS.

Quòd beati Engelberti vocabulum, futuræ passionis eius præsagium fuerit: & de eius æterna electione. Cap. 1.



D honorem Dei patris, & filij eius Iesu Christi, Domini ac Saluatoris nostri, & sanctæ matris Ecclesiæ: actus, passionem & virtutes preciosi martyris & Archipræsulis nostri Engelberti descripturus, gratiā inuoco spiritussancti: vt qui iam positus super candelabrum, fulgore miraculorum lucet in domo Dei, & in ecclesia specialiùs beati Petri Apostoli, styli mei ministerio vtcunquè valeat illustrari, & ad posterorum notitiā vtiliter declarari. Videtur mihi inprimìs Antistitis nostri vocabulum, quoddam futuræ beatitudinis eius fuisse præsagium. Ex Teutonico enim Latinoque compositum, Angelicam sonat libertatem, significans, Engelbertum de iugo peccatorum per mortis necessitatē ad Angelicam migraturum libertatem. Si Deus à nobis mirabilis prædicatur in sanctis suis antiquis, multo magìs mirabilem se ostendit in nouo martyre, & tali martyre diebus his nouissimis, eô quòd miraculorum tempora modò non sint, vt quidam ait: Rara auis in terris, sanctitas huius tēporis. Et ideò miracula crebra, quę de patre nostro videmus & audimus, & per ipsius merita fieri credimus, tanto nobis debent esse gratiora, quanto propter tempus rariora. Sanctitatem, quæ vitæ defuit, mors preciosa suppleuit: & si minùs perfectus in conuersatione, sanctus tamen effectus est in passione. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. placita enim erat Deo anima illius. Nam placens Deo æterna prædestinatione, factus est dilectus in passione. Quis enim sanctitati eius contradicat, quem cordium cognitor, & meritorum ponderator Dominus, signis tam varijs mirificat? Non qui seipsum commendat, vt ait Apostolus, ille probatus est: sed quem Deus commendat, ille probatus est.

[Margin: Nouēbris 7. — Etymologia nominis Engelberti. — Psal. 67. — Sap. 4. — 2. Cor. 10.]

De nobilitate eius, & quòd à puero stipendijs Ecclesiasticis honoratus sit. Cap. 2.

VIdetur sancto Engelberto congruere, quod per Salomonem dicitur: Læua eius, id est, Christi, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Ad læuam sponsi pertinent bona corporalia & terrena: ad dexterā verò, bona spiritualia atque cælestia. Bona corporalia sunt, generis & morum nobilitas, valetudo corporis & pulchritudo. Bona dexteræ, virtutes sunt, quibus in præsenti anima illuminatur: & vita æterna, quæ virtutibus promeretur. Vtraque bona, dexteræ scilicet & sinistræ, Salomon alibì exponit, cùm dicit: Longitudo dierū in dextera eius: diuitię autem & gloria, in sinistra illius. Sanctus autē Engelbertus quandiù vixit, gloria & diuitiæ in domo eius fuerunt: cuius iustitia, quàm per passionem meruit, permanet in seculum seculi. Quàm copiosè in præsenti bonis sinistræ sustentatus sit, & in illis quieuerit, paucis explicabo. Quæ enim in tempore geruntur, cum tempore voluuntur: & nisì scripto perpetuentur, citiùs ab hominum memoria delentur. Erat autem vir nobilis valdè, & spectabilis genere, filius Engelberti Comitis de Monte. Cuius patrui fuêre Fridericus & Bruno Archipræsules Colonienses: Adolphus verò, qui Brunoni in Episcopatu successit, patrui eius filius fuit. Mater eius, filia erat Comitis Geldrensis, viri diuitis atque potentis. Theodoricus Episcopus Monasteriensis, & Engelbertus Osnaburgensis electus, nepotes patrui eius extitêre. Eccè de tam nobili ac insigni prosapia martyr noster carnis duxit originem. Nec degenerauit moribus: quia ab ineunte ętate puer prudens erat & amabilis, secundùm nominis sui participium, gerens vultum Angelicum: tractabilis, liberalis, humilis satìs, & gratiosus valdè. Annos pueriles transcendens, & in adolescentem proficiens, ità se omnibus conformare studuit, vt clericis se clericum, & militibus se militem exhiberet. Erat etiam in eâdem ætate tantæ pulchritudinis, vt in omni clero, nec in laicis quidem, vir illo pulchrior inueniri non posset. Adspectu decorus, statura procerus, viribus robustus: ità vt speciali quodam priuilegio mater natura tantæ speciei congaudere, & in illo quasì in speculo resultare videretur. Huiusmodi diuitijs naturæ, accesserunt diuitiæ, vt ità dixerim, fortunæ. Nam cùm adhuc puerulus studeret in scholis, sic stipēdijs Ecclesia-

[Margin: Cant. 2. & 8. — Prou. 3. — Genus eius. — Pater. — Mater. — Egregia corporis forma]

Abundat opibus. sticis oneratus est, & honoratus ecclesijs, videlicet Præbendis & Præposituris, vt magìs dignitates & diuitiæ eum venerari, quàm ipse illas, viderentur. Non opera iustitiæ hæc, neque salutis diuitiæ, sed retia dęmoniorum, instrumenta & laquei peccatorum, quos ipse euadere non potuit. Nam mundanæ gloriæ deditus, totus illis multipliciter Rom. 8. est irretitus: sed electis, teste beato Paulo Apostolo, omnia cooperantur in bonum. Hæc idcircò commemoro, vt cognoscat lector, de quali viro martyrem sibi elegit Dominus, de vase iræ faciens vas gloriæ. De scholis emancipatus, in Præpositum maiorem est electus. Electus est deindè in Episcopum Monasteriēsem: sed eundem Episcopatum suscipere non acquieuit, adolescentiæ suæ fortè pertimescens. Recusat Episcopatū Monasteriensem.

De discordia Episcopatûs temporibus Philippi, Othonis, Friderici Regum. Cap. 3.

CIrca idem tempus dominus Adolphus Coloniensis Archiepiscopus, à prauis consiliarijs seductus, insupèr multa pecunia corruptus, ab Othone filio Henrici Ducis Saxoniæ, quem ipse ex consensu domini Innocentij Papæ, Romanorum Regem creauerat, & Aquisgrani coronauerat, rupto iureiurando recessit, & aduersarium eius Philippum Ducem Sueuiæ, filium Friderici Imperatoris eligens, in sede regia consecrauit. Propter quod in ciuitate propria, Colonia scilicet, ex mandato iam dicti Innocētij, à iudicibus ad hoc delegatis citatus, excommunicatus & depositus est. Excommunicati sunt cum eo vniuersi penè nobiles terrę, eò quòd ei adhærerent, & Philippi partes fouerent. Quanta eodem tempore in Episcopatu Coloniensi perpetrata sint incendia, prouinciæ vastatæ, ecclesiarum bona direpta, nunc Othone, nunc Philippo præualente, paucis non potest explicari. Adolpho successit Bruno, Præpositus Bonnensis, qui à Philippo Rege, qui cum exercitu Episcopatum Coloniensem intrauerat, in castro Vuassinberg magis dolo, quàm vi captus, vinctus est & eductus. Philippo autem occiso, & Othone in regno confirmato, ad sedem suam redijt: & non multò pòst in fata cedens, Theodorico sanctorum Apostolorum Præposito sedem reliquit. Hic præsente Rege Othone in Archiepiscopum est electus, & pallij dignitate eius gratia celeriùs donatus. Rege verò ab Innocentio in Imperatorem consecrato, propter retractionem terræ * Mechtildis, quam Papæ contulerat, tam graues inter eos oriuntur inimicitiæ, vt Othonem, quem vsque ad hoc tempus paterno affectu fouerat, excommunicaret, eique Fridericum Henrici Imperatoris filium & Regem Siciliç, aduersarium suscitaret. Ad cuius promotionem Sifrido Moguntinensi Archiepiscopo plenariam potestatem legationis contulit: qui Theodoricum Archiepiscopum, eò quòd fautor Othonis esset, indignè satis deponens, Adolphum restituit. Neuter tamen illorum Episcopatum recuperare valuit, licèt in Curia Romana ab vtroque satìs pro illo laboratum sit: sed vtrique trecentæ marcæ ex redditibus Episcopalibus sunt assignatæ. Ecclesiæ verò Coloniensi libera electio remissa est. Hæc inserta sunt, ô lector, vt posteris innotescat, in quali statu Ecclesiam, per longa & varia schismata laceratā & depauperatam martyr noster factus Episcopus inuenerit, & in quali illam dimiserit.

Adolphus Coloniens. Episcopus deponitur.

Bruno illi succedit.

Brunoni Theodoricus.

* Mechildis * Mathildis

Ecclesia Coloniēs. mirè laceratur.

Vt Episcopus factus Engelbertus, prouinciæ tyrannos compresserit prudentia magis, quàm armis. Cap. 4.

POst depositionem Othonis Friderico adhærens, ac per hoc fauorem domini Innocentij Papæ conquirens, communi cōsensu in Archiepiscopum electus est. In ipsa die electionis ob præcedentem infirmitatem tam debilis fuerat, vt vix stare aut incedere posset: eratque signum, quòd flebile principium melior fortuna sequeretur. Nam circa principium electionis eius, totius pacis inimicus diabolus, qui feruescere facit quasì ollam profundum maris, suscitauit ei aduersarios acerrimos, scilicet Theodoricum Comitem de Cleuo, & Vualramū Ducem de Lymburg & Comitem in Lutzelburg, eorumq; cognatos & auxiliarios, vt futurus Machabæus in eis experiretur. Quos ità humiliauit & repressit, vt illorū exemplo cæteri Comites ac nobiles terræ territi, contra ipsum mutire non auderent, verētes sibi euenire posse, quod quidā ait: Tum tua res agitur, paries cùm proximus ardet. Aedificauerat enim Vualramus castrum & villam forensem in Ducatu Coloniensi, quam dominus Archielectus destruxit & exussit. Ob quam causam tam graues ortæ sunt inter eos inimicitiæ, vt dominus Archielectus, & frater eius Comes Adolphus, diuortium fieri vellent inter Henricum filium Ducis Vualramī, & filiam eiusdē Adolphi, consanguinitatem prætendentes, nè Comitia ad Henricum vxoris gratia deuolui posset. Non

Engelbert° creatur Episcopus Coloniensis.

Iob 41.

Comitia, pro Comitatus.

fuit adeò potens, qui in Ducatu eius vel Episcopatu, inimici sui terram vastare auderet per incendium. Sic Comitum siue aliorum nobilium vel potentum insolentias repressit, vt penè nullius castrũ destrueret, vel terram vastaret: magis prudentia, quàm bellorum copia, sibi subiugans omnia, ità vt de eo dictum videatur, Aduersarios vt edomârit.

Quique dolet, quotiès cogitur esse ferox.

In ciuitatibus suis principalibus, Colonia scilicet & Susatia, maiorem exercuit potestatem zelo iustitiæ, quàm aliquis Episcoporum ante eum. Ad curias Friderici Imperatoris, tunc Regis, cum tanta gloria & expensis asscendit, vt cæteris principibus superior gloria & honore haberetur. Quantùm eidem Friderico adstiterit, quantùm eius partes contra Othonẽ promouerit, vsque hodiè experitur. Et cùm maximas haberet expẽsas, tum propter curias regales, tum propter supradictos nobiles, quorum timore corpori suo custodiam adhibebat satìs sumptuosam, ab Honorio Papa, qui Innocentio successit, antequàm pallium ei dare vellet, soluere cogebatur, quæ eius antecessores Adolphus, Bruno & Theodoricus, dissensionis tempore consumpserant in curia, cum sorte vsuras grauissimas, quorum summa trànscendisse dicitur sedecim millia marcarum.

Vt regni tutor factus, firmam pacem effecerit, & Coloniensem ditârit Ecclesiã. Cap. 5.

FRiderico Rege ab Honorio in Imperatorem coronato, cùm intrâsset regnum Siciliæ, audita Archiepiscopi sibi in Alemãnia benè noti probitate, per literas Imperiales regni negocia citra Alpes illi commisit, Henrici filij sui cum constituens tutorem, & totius regni Romani per Alemanniam prouisorem. Qui regni negocia non absq; timore suscipiens, Reipublicæ tam vtilem & tam fidelem se exhibere studuit, vt de contingentibus vel modicum, vel nihil negligeret, & inuidus, vbì detractionis dentem figeret, in eius verbis vel actibus non inueniret. Congregatis principibus, Henricũ puerũ Aquisgrani in Regem cõsecrauit: quem nutriebat vt filium, & honorauit vt dominũ. Cum quo & sine quo diuersas regni partes perlustrans, tantam fecit pacem, vt Augusti tempora crederes. Videntes huiusmodi virtutis opera prædones & dissensionis amatores, gloriæ pontificis, sicut de Ionatha legitur, inuidentes tabescebant: boni verò, & maximè negociatores, ipsum laudantes & benedicentes Deum, pro concessa potestate glorificabant. Die quodam mercator quendam Archiepiscopum Imperij, ipso audiente, pro fide publica per quædam loca diœcesis eius interpellabat. Quam cùm ille dare renueret, nobilium siue militum illic habitantium malitiam prætendens, gloriosus Archiepiscopus & Dux Engelbertus, non Episcopo insultando, sed petenti compatiendo, ait: Dic mihi bone vir, audésne te committere conductui meo? Respondente illo constanter, Etiam domine: subiunxit Machabæus noster: Sume istam chirothecam, & si necesse habueris, pro signo ostẽdas: & si aliquid tibi vi sublatum fuerit, ego tibi omne damnum restituam. Et fecit sic, gratia signi, immò timore Episcopi, sua securus deducens. Sicut scriptum est de Iuda, Similis factus est leoni in operibus suis, & protegebat castra Israël, id est, bona Ecclesiæ sibi commissæ gladio suo. Natura leonis esse dicitur, vt prostratis parcat, & erectos inuadat. Nouerat leo noster, Machabæus noster, tum ex nobilitate naturæ, tum ex zelo iustitiæ parcere subiectis, & debellare superbos. Erat enim defensor afflictorum, & malleus tyrannorum, magnanimus & humilis, gloriosus & affabilis, rigidus & lenis, multa pro tempore dissimulans, & cùm minùs speraretur, ad vindictam se accingens. Acceperat autem cum Episcopatu gladium spiritualem, & cum Ducatu gladium materialem. Vtroq; gladio rebelles coërcuit, quosdam excommunicando, quosdam per militiam debellãdo. Sic Machabæus priùs proprio in deiectione inimicorum, deindè Apollonij gladio legitur pugnâsse. Et quid eius laudi immorer, cum gloria, diuitijs & potentia, sicut de Salomone legitur, omnes supergressus sit pontifices, qui ante eum fuerunt in Colonia: excepto Brunone primo, cuius gratia Ducatus Episcopatui per Othonem primum Imperatorem, cuius frater erat, additus est? In rebus exterioribus & fama sub nullo pontifice vsque ad diem hanc, tantùm Ecclesia Coloniensis profecit, quantùm sub Engelberto. Prædia plurima simul & Feuda, Ecclesiæ diù subtracta, & à multis eius antecessoribus siue per torporem, siue per inualetudinem neglecta, ipse per iudicium & sententiã recuperauit. Puto tamen, quòd iudicio vel sententia modicùm profecisset, si animi virtus & militiæ robur illi defuisset. Præter redditus Episcopales, post mortem fratris tenebat terram patris, de qua habebat ministeriales multos & redditus magnos. Ob quã causam

Imperij negocia ei demandâtur.

1. Mach. 10.

1. Mach. 3.

Præclaræ eius virtutes.

Ibidem.

3. Reg. 3.

Auget opes Ecclesiæ Coloniensis.

Ducis Vualrami, cuius filius Henricus filiam Adolphi Comitis duxerat vxorem, contra se non modicam excitauerat inuidiam: sopita tamen omnia fuerant tali pacto interueniẽte, vt dominus Episcopus, quoàd viueret, teneret terram: ille verò ab eo singulis annis in pecunijs reciperet pensionem. Præterea feudis multis ac prædijs diuersis Ecclesiam Coloniensem ditauit & sublimauit, terminos eius ciuitatibus, castris & possessionibus ampliauit. Quædam ex his de nouo ædificauit, quædam renouauit, nõnulla pecunia comparauit. In quibusdam ciuitatibus & turribus suis, turrita satisq; pulchra construxit palatia. Henricus Dux Lotharingiæ & princeps Imperij, probitate præsulis attractus & illectus, & quia prudens esset in consilio, & validus in auxilio, quædam sua prædia, quæ hîc nominare necesse non est, de manibus præsulis Engelberti iure feudali suscepit, tanto pontifici eiusq; Ecclesiæ volens arctiùs adstringi, & bonis proprijs ab eo gaudens beneficiari.

Hẽricus Lotharingiæ Dux, quãti eũ fecerit.

Vt Rex Hierosolymitanus Iohannes venerit Coloniam, vtque Reges terræ Engelberti amicitiam expetierint. Cap. 6.

Itéque Rex Hierusalẽ.

IOhannes Rex Hierosolymitanus propter eum, & cum eo Coloniam diuertit: vbi tam magnificè susceptus est, vt tam eius, quàm ciuitatis gloriam admirari non sufficeret. Quod dictum est de Salomone, qui regnauit in Hierusalem, quòd Reges terræ desiderauerunt videre faciem eius, & audire sapientiam eius, & obtulerunt ei munera: etiam de ipso exponi potest. Cognita eius sapientia atque potentia, & quòd potentior esset † imperio, Reges terræ, Franciæ scilicet & Angliæ, Daciæ, Boëmiæ & Hungariæ, miserunt ei munera in auro & argento, gemmisque preciosis, eius adspectu & colloquio vel pro amicitia comparanda, vel pro diuersis causis & necessitatibus vti desiderantes. Hæc, quę à me in eius laude scripta sunt, qui legerit, & illius gesta vidit, dicere poterit, quod regina Saba Salomoni dixit: Probaui, inquit, quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Maior est sapientia tua & opera, quàm rumor, quem audiui. Fama nominis eius & operum iam vsque ad exteras nationes peruenerat, & timebant eum Saraceni. Cui nomen Salomonis re vera congruebat, eò quòd esset multùm pacificus, pacem diligens, & pacem faciens. Gratia pacis reformandæ neque expensis, neq; corpori pepercit. Vndè si beati pacifici, immò quia beati, & ipse beatus est. Qui cùm aliquandò argueretur à religiosis, quarè exactiones faceret in populum sibi subiectum, humiliter se excusauit, culpam recognouit, dicens sine pecunijs pacem se non posse facere in terris. Tempore quodam de tali materia conferens cum magistro Iohanne Abbate sancti Trudonis, aiebat: Magister, nôstis quid facere cogitauerim? Respondente illo, Non domine: subiunxit: Super omnes redditus meos duodecim sculteros ordinare disposui, vt illis cæteri administratores rationem reddant, & ex illis duodecim singulis mensibus singuli mihi meisque administrent, & ità non erit necesse, vt aliena rapiam, siue per exactiones aliquem grauem.

2. Paral. 9.

† videtur deesse, in Alijq; multi Reges.

3. Reg. 10.

Matth. 5.

Nõ vult grauare suos exactionib⁹

Vt septem donis Spiritussancti ornatus fuerit. Cap. 7.

DItauerat illum gratia diuina, secundùm vsum exteriorem, spiritu sapientiæ & intellectùs, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, nec deerat ei spiritus timoris Domini. Secundùm vsum exteriorẽ dixi, eò quòd spiritualiter sine charitate haberi nequeant. Statum eius interiorem Deus nouit. Sed & quidam ex eius Capellanis, qui conscientiam eius nouerat, de ipso cum Abbate nostro cõferens, sic ait: Licèt dominus meus secularis habeatur, non tamen intùs talis est, qualis foris apparet. Sciatis eum multas occultas consolationes habere à Deo. Erat enim sapiens ad omnia, & intelligens. Sapienter ad omnia respondit, & quid quisque dicere vellet, facilè intellexit. Cùm venissent Coloniam fratres de nouo Ordine Prædicatorum, necnon & fratres, qui dicuntur Minores, & graues quidam eis essent ex Clero, eisq; coram Archiepiscopo Engelberto diuersa obijcerent, illos accusando, respondit: Quandiù res in bono statu est, stare sinite. Cumque instarent tam primores, quàm plebani, & dicerent, Timemus nè isti sint illi, de quibus spiritussanctus per os beatæ Hildegardis prophetauit, per quos Clerus affligetur, & ciuitas periclitabitur, verbum notabile respondit: Si diuinitùs prophetatum est, necesse est vt impleatur. quo verbo compescuit omnes. Spiritu consilij sic abundabat, vt in consilijs dandis esset prouidus, & in responsionibus tam promptus, vt consiliarij eius sua paruipendentes consilia, mutuò dicerent: Dominus

Testimoniũ Confessarij eius de illo.

Dominicani & Franciscani initio quid passi sint à Clero.

Prudẽs eius responsum.

nus noster consilium suum in crumena sua portat. Spiritu fortitudinis ità pollebat, vt neque minis frangi, neque blanditijs facilè flecti posset, os habens agninum, & cor leoninū. Hinc est, quòd cùm dominus Conradus Episcopus Portuensis, & tunc temporis in Alemannia legatus, diceret prædicto Abbati Iohanni: Vndè est, quòd dominus Coloniensis ità timetur? respondit ille: Ex quadam gratia speciali Dei est. Spiritus scientiæ illi non deerat: quia tanto rationis vigebat acumine, vt prudenter inauditas & difficiles solueret quęstiones: quod, multò literatiores eo, facere non poterant. Cui etiam spiritus pietatis tantus inerat, vt, si in turbis positus, consideraret ex remoto pauperem sibi loqui volentem, nutu, siue per nuncium, illum vocaret, & querimonijs eius cum multa patientia perauditis, efficaciter expediret. Hoc sępiùs illi contigisse certum est. Quàm pleno sinu necessitatibus afflictorum sit compassus, subiecta declarant exempla.

Præclarum Dei donū.

Rara virt°.

De commiseratione eius erga pauperes & afflictos, & vt tempore famis prouinciæ subuenerit. Cap. 8.

SEdente eo Coloniæ in palatio Episcopali in iudicio, vidua quædam causam habens, propiùs accessit, petens sibi dari aduocatum, qui eius querimonias proponeret. Cui beatus Episcopus compassus, aduocatorum auaritiam nō ignorans, viduæ respōdit: Bona domina, liceat tibi pro te loqui: tu meliùs nósti, quæ necessitas te vrgeat, quàm alij. Dicentibus scabinis, Domine, hoc est contra ius ciuitatis: non aduertit verba illorum: hoc tamen adijciens, Nos benè intelligimus verba eius. Alio tempore, descendente eo de palatio, occurrit quidam, in partibus superioribus nescio à quo se spoliatum conquerens. Qui statim in gradibus gradum figens, ità vt erat vestibus ad iter accommodis indutus, & calcaribus instructus, substitit, & cum multa patientia hominem audire cœpit.* Marestallo dicente: Domine, ascendire equum, quia via longa est, & tempus breue: acsi non audiret, hominem monuit, vt causam suam peroraret. Cumq; iteratò clamaret Marestallus, conuersus ad illum Episcopus, ait: Modò negocium produxisti. Cumque plenè intellexisset, vbi vel à quo spoliatus esset homo, accito notario, literas in eodem loco & scribi & obsignari iussit, easque viro tradens, Vade, ait, & ostende ei, qui tibi tua abstulit, has literas: & si tibi non fuerint restituta, rursùs ad me venias, & ego tibi tantūdem reddam. sicq; equum ascendit, & abijt. Ostendit & aliud signum magnæ pietatis. Anno pręterito, cùm annona venderetur sex solidis, & eo ampliùs, &, quod magis terruit homines, nec haberi quidem posset pro pecunia, naues cum annona comparans, authoritate sua è prouincia Moguntina eas iussit adduci, & per cœnobia, quæ magis indigebant, distribui. Eodem tempore Coloniæ & per totum Episcopatum suum, ad totius prouinciæ subsidium, cereuisiam coqui inhibuit, mâlens maximis redditibus, quos recipiebat ab illis qui cereuisiam coquebant, carere, quàm quæstûs sui causa populos fame perire. Spiritu timoris Domini alienus non erat: quia nullus nostri temporis pontificum summo Pontifici plùs illo timoris & reuerentiæ exhibebat. Vndè cùm dominus Honorius Papa mortem eius deplāgeret, dixisse fertur hoc verbum: Omnes de Alemannia, timore eius me timebant. Nam propter obedientiam, quam Papæ & Regi exhibuit, occisus est.

Nota tanti principis singularem humanitatem.

*Marescalco

Vt prosit multis, sua lucra negligit.

Vt religiosos siue monachos semper honorârit. Cap. 9.

REligiosos, immò in religiosis Christum, ità honorare studuit, vt personis priuatis assurgeret, & tam humiliter cum eis loqueretur, acsi illis subditus esset. Sacerdotes seculares & pauperes valdè, personis illustribus, secularibus tamen, neglectis, de sua scutella comedere, & de suo scypho bibere sæpissimè coëgit. Vestimenta sua aliquandò satis preciosa, quibus ad breue tempus vsus fuerat non histrionibus, sed sacerdotibus: non scurris, sed Clericis dare consueuerat. Et quia timor sine dilectione minùs placet, beatam Virginem Mariam, quæ mater est pulchræ dilectionis, id est, Christi, qui fons est & author totius amoris, intantùm dilexit, vt per annos aliquot, omnes quartas ferias in eius honore ieiunaret, & duabus vicibus, postquàm factus est Episcopus, limina eius in Rupe amatoris visitaret. Decorem domûs Dei cum sancto Dauid sic dilexit, sic desiderauit, vt ecclesiam sancti Petri, quæ mater est omnium ecclesiarum prouinciæ Coloniensis, renouare fratres hortaretur, promittens se quingentas marcas statìm ad inchoationem oblaturum, ac deindè annis singulis marcas totidem, donèc fabrica consummaretur.

Mira eius modestia & humilitas.

Impensè amat matrē Christi.

Psal. 25.

maretur. Fecerat autem ante mortem suam vestimenta pontificalia ex purpura & lino subtilissimo, fimbrijs & laminis aureis, itemque margaritis & gemmis tanti decoris, vt cordis eius deuotio in illis tanquam in speculo reluceret. Semel tantùm ijs vestimentis vsus est, idque in velatione sanctimonialium: quod officium sine lachrymis exercere non potuit. Calicem verò aureum ex gemmis preciosis, à diuersis Regibus illi missis, valoris, vt aiunt, plùs quàm quingentarum marcarum, ad honorem domûs Dei fieri curauit, quem deuotus super altare beati Petri Apostolorum principis obtulisset, si non priùs de passionis calice bibisset.

Calix ingẽtis precij, vndè liquet gratum esse Deo, quicquid ad eius honorẽ expenditur.

Hæc de vita & actibus beati viri dicta sufficiant, ex multis pauca. Non enim tam multa, quàm vera probitatis eius acta scribere proposui, nè mihi ab ijs, qui virum nouerant, de mẽdacio possit insultari, eò quòd nondùm expletus sit annus, ex quo passus est: & nè congestorum copia legentibus generet fastidium. Nunc autem quàm feliciter, etsì difficulter, de læua temporalium per ascensum purpureum, id est, martyrij meritum ascenderit ad amplexus veri Salomonis, id est, ad quietem diuinæ contemplationis, stylus manifestet: quia, vt ait quidam ex eius concanonicis, sacerdos deuotus ac literatus, aliam viam, per quam in statu tali positus ianuã regni cælestis, quæ angusta est, intrare potuisset, non considero.

LIBER SECVNDVS.

Vt propter defensionem Ecclesiæ Essendiensis Comes Fridericus in eius necem clàm conspirârit. Cap. I.



VAS electionis beatus Paulus Apostolus, electorum gloriã, & diuinam circa illos intelligens dispẽsationem, ait: Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: quos autem iustificauit, hos & magnificauit. Quatuor hîc enumerat, prædestinationem, vocationem, iustificationẽ, magnificationem. Primum æternum est, & est causa trium subsequentiũ. Quos Deus ab æterno prædestinat, hos in tempore vocat, iustificat & magnificat. Beatum pontificem Engelbertũ, ab æterno prædestinatum, prædestinantis gratia ad martyrij locum tempore & occasione, quibus voluit, vocauit: vocatum, contritione, confessione & proprij sanguinis effusione iustificauit: iustificatum, signis & virtutibus post mortẽ magnificauit, & quotidiè magnificare non cessat. De magnificatione eius cælesti, dicere non sufficimus: quia qualis vel quanta sit, nescimus. Causa verò martyrij eius, per quam, illam promeruit, talis erat: Fridericus Comes de Isenburg, aduocatus fuit Ecclesiæ Essendiensis. Est enim Abbatia regalis, & ab Imperatore tenetur. Iste Fridericus, fratre seniore in fata cedente sine filio, vt fratris esset hæres, recedens à Clericatu, factus est miles: & tanto fortassis ad malignandum promptior, quanto à gratia remotior. Vndè Dauid in Psalmo: Qui elongant se, inquit, à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Non potest esse sine periculo & gratiæ detrimento, quandò Clerici, qui secundùm nomen suum de sorte sunt Dei, ordine mutato, militiæ se mancipant seculari. Tales, sicut exemplũ habemus in multis, cùm ad malum, vt dici solet, deterius tendunt, etiam malis peiores, & crudelibus crudeliores fiunt. Hinc Ieremiæ dicitur à Domino: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Ficus malas, malas valdè. Ficus malæ, sunt maligni religiosi, vtputà monachi vel clerici. Ficus malę valdè, cùm ex illis fiunt laici. Fuerat enim Fridericus maioris ecclesiæ Coloniensis canonicus. In Comitem ex Clerico mutatus, fit Ecclesiæ Essendiensis Aduocatus nomine, re ipsa inimicus. Non enim defendere, sed magìs deprædari didicit. Cùm pater eius Arnoldus Comes de Altena, vir admodùm prudens & modestus satis in genere suo, ratione aduocationis satìs indebitè iam dictam vexâsset Ecclesiam, iste nouissimus Fridericus exossauit eam. Aduocatos siue sculteros Ecclesię contra voluntatem Abbatissæ & sororum, amouit: pro libitu nouos instituit: homines ad monasterium quocunque iure attinentes, tantis vexationibus angarians, tantisque exactionibus excorians, vt nobilis illa Ecclesia subsistere, vel diutiùs eiusdem incubatoris insolentias sustinere non posset. Non legerat, vel potiùs non attenderat scriptum, si legerat, miserrimus ille: Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? Abbatissa sæpiùs cum sororibus Coloniam veniens, cùm coram primoribus suas miserias, & Friderici

Rom. 8.

Prædestinatio. Vocatio. Iustificatio Magnificatio.

Causa cædis Engelberti.

Psal. 72.

Nota.

Ierem. 24.

Abbatia Essendiensis miserè vexatur.

Esa. 33.

rici violentias priùs domino Theodorico, ac deindè eius successori Engelberto Archiepiscopo exponerent, modicùm profecerũt, quòd amore cognationis multa circa illum dissimularent. Post annos aliquot sororum querimonijs dominus Papa Honorius, necnon Imperator Fridericus defatigati, compatientes sæpè dictæ Ecclesiæ, vrgentes literas Episcopo direxerunt. Qui cùm Ecclesiæ Imperialis iniurias diutiùs dissimulare nec auderet, nec vellet, Comitem seriò monuit, sed nihil profecit. Intantùm autem ei pepercit, vt de proprijs redditibus annis singulis certam pensionem ei offerret, modò aduocatione legitimè vti vellet: sed ille minimè acceptauit, quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia. Intelligẽs autem idemipse Fridericus præsulis voluntatem, quòd eum exhæredare vellet, cognatis conqueritur & amicis. Et eccè flante Behemoth, cuius halitus prunas ardere facit, sic succensus est ad Episcopum interficiendum, vt verbis fumantibus carbones, id est, satellites suos, homines in malitia exercitatos, & ad omne facinus pronos, ad paricidium inflammaret. Fridericus, dictio Teutonica est, & significat pacis diuitem. At misero isti non nisi per antiphrasim, id est, à contrario congruebat. Nam pacis inops erat, pacis inimicos sibi socians. Mox cultelli, lanceæ, enses præparantur, à misero miseri falsis promissis animantur. Ego sum, inquit, Comes, castra fortia habens & terram. Duo ex fratribus meis Episcopi sunt. Dux Vualramus, & terræ nostræ potentissimus, affinis meus est, cuius filius Comitatum Montensem habiturus est. Consobrinus sum Theodorici Comitis Cliuensis, cuius fratruelis est nobilis vir de Hennisberg. Godefridum Comitem de Arnsberg, Othonem Comitem de Tekelenburg, Herimannum potentem de Lippia, & alios complures iniurijs affecit, læsit & offendit, nec est qui sanguinem eius vindicet. Omnes vos ditabo, protegam & sublimabo. Simile quiddam clandestino huic paricidio, antequàm occideretur beatus Episcopus, frater Friderici Engelbertus cuidam honesto militi, sicut nupèr ab eius ore audiui, proposuit, ità dicens: Tales & tales sunt cognati mei, tales & tales sunt affines mei, prædictos nobiles nominans, & quis mihi fratribusq; meis nocere posset? Respondente milite, Nullus sanè possit, maximè quandiù vobiscum est dominus & cognatus vester Archiepiscopus: ille subiunxit: Ponamus non superesse Archiepiscopum, ecquis nobis vim vel contumeliam inferre posset? Miles quidem respondit, sicut & priùs responderat, sed satìs displicuit ei hic sermo, cùm posteà comperîsset, quarè prolatus esset ab eo. Atque indè conijci potest, hoc sacrilegium non tum primùm, cùm Episcopus occisus est, fuisse conceptum, sed diù pertractatum. Feruntur huic conspirationi cõsensisse nonnulli potentes, quos fama quidem non tacet, sed propter tempus nominare non licet: sed veniet narrandi opportunitas, dicente Saluatore: Nihil est opertum, quod non reueletur: & occultum, quod non sciatur.

Iussu Papæ & Imperatoris Engelbertus Episcop' comitem exhæredat.

Sap. 1.

Iob 41.

Inflãmantur multi in necem Engelberti.

Militem vocat virũ nobilem.

Matth. 10.

Vt Susati tractatum sit de pace inter Episcopum & Fridericum Comitem conciliandâ. Cap. 2.

POst festum omnium Sanctorum Deo dilectus pontifex propter bonum pacis Susatum venit. Venit & Fridericus cum fratribus suis Episcopis, alijsq; cognatis suis atque consiliarijs. Vbì cùm triduò pro compositione pacis laboratum esset, nulla via, quæ Friderico placeret, inueniri potuit. Indurauerat enim diabolus cor eius quasì lapidem, & strinxerat id quasì malleatoris incudẽ. Eius consiliarijs tunc temporis congruebat, quod de diabolo, cuius membra per conspirationem effecti sunt, paulò superiùs ad Iob dictum est à Domino: Corpus illius quasì scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquàm separabuntur. Ità erant, quicquid ore dicerent, conspiratores illi in concepta malitia pertinaces & indurati, ità cohærentes & confœderati, vt nullum pacis consilium corde possent admittere.

Fridericus Comes respuit pacis cõditiones.

Iob 41.

Ibidem.

Vt quibusdam religiosis mors eius reuelata sit, & quidam etiam eum præmonuerint. Cap. 3.

PLacuit circa idem tempus spirituisancto, martyris sui finem quibusdam viris religiosis, idque diuersis in locis, reuelare. Monachus quidam congregationis nostræ, iuuenis probatæ vitæ, Abbati nostro secretiùs dicebat: Domine, si qua habes tractanda cum Archiepiscopo, nè differas: quia breuì morietur. Post dies paucos infirmarius noster, Vuinandus nomine, pro negocio quodam ad

Religiosis quibusdã viris martyrium eius reuelatur.

illum

illum, Susatum directus est. Qui cùm in Veteri monte, domo Ordinis nostri pernoctaret, & manè vellet recedere, Supprior subsecutus, ait ad eum: Est apud nos côuersus quidam, spiritum habẽs propheticum, sicutì sæpè experti sumus. Is tribulationem ingentem breuì domino nostro Archiepiscopo euenturam prophetat. Quapropter rogo vos, vt moneatis eum vt cautus sit, seque custodiat. Cui ille respondit: Satiùs est me id tacere. nam pro friuolo habiturus est. Veniẽs indè ad Episcopum, benignè susceptus est & expeditus, nec quicquam tamen illi hac de re indicare ausus fuit. Die sequenti dominus Episcopus literas indices mortis suæ accepit. Quas cùm legisset, in ignem mittens, pedibus conculcauit, nè discordiæ seminarium fierent inter ipsum & cognatum suum Comitem Fridericum. Recitauit tamen eas Episcopo Mindensi, qui præsens erat. Cui cùm diceret ille, Caue tibi domine propter Deum, non solùm tua causa, sed etiam pro vtilitate Ecclesiæ nostræ, & totius terræ salute: respondit ille, Angustiæ mihi sunt vndiquè, & quid mihi faciendum, Dominus nouit, prorsùs ignoro. Væ mihi, si tacuero: si autem eis proposuero, dicent, immò amicis & cognatis de me conquerentur, quòd paricidij crimen eis impingam. Non solùm de Friderico, sed etiam de Godefrido & Vuilhelmo fratribus eius suspicio fuit. & adiecit: Ego ab hac hora corpus & animam meam diuinæ committo prouidentiæ.

Vide animũ candidum, & pacis studiosum.

Vt Episcopo Mindensi peccata sua confessus sit, & Episcopis Monasteriensi & Osnaburgensi fratribus Friderici aperuerit, quæ ad ipsum delata erant. Cap. 4.

Cũ multis lachrymis confitetur Engelbert' peccata sua.

Assumensq; Episcopum illum in sacellum suum, solus soli cœpit confiteri omnia peccata sua ab ineunte ætate, cum tanto imbre lachrymarũ, vt totum pectus eius infunderent, & cordis maculas crebris stillicidijs, vt speramus, diluerent. Cumque diceret ei dominus Mindensis, Timeo adhuc latére in conscientia vestra, quod mihi dictum non sit: respondit beatus ille: Dominus scit me exindustriâ nihil subticuisse. Posteà tamen pleniùs cogitans de peccatis suis, summo manè in priorem locum ducens confessorem suum confessor Domini, in spiritu humilitatis & in animo contrito, quod memoriæ occurrerat, rursùs cum tantis lachrymis confessus est, vt in tali persona talem gratiam lachrymarum Episcopus Mindensis mirari non sufficeret, & ille meritò cum Propheta dicere posset: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodiui legem tuam. Teste eodem Episcopo, cuius relatione hæc comperta sunt, sic se contritione cordis coram Domino mactauit, sic se oris confessione mundauit, tam solicitè vtraq; iustificatione se præparans, acsi ipsa die moriturus esset. Posteà conscientia serenata, confidenter ait: Modò voluntas Dei de me fiat. Eccè sic verus & summus sacerdos homo Christus Iesus, qui se in ara Crucis offerre dignatus est hostiam propiciationis pro peccatis nostris, sacerdotem pœnitentem profluuio lachrymarum suarum abluere & emundare voluit, vt Deo patri per martyrium offerendus in holocaustum, esset hostia pura, hostia sancta, hostia placens & immaculata. Sacerdotes veteris testamenti, hostias offerẽdas priùs lauabant.

Psal. 118.

Leuit. 1.

Interìm pulsabatur ad ostium sacelli, sed non permisit aperiri dominus Archiepiscopus, eò quòd haberet oculos ex fletu adhuc tumidos & humidos. Cumq; pulsando perseuerarent, dicerentq; Monasteriensem & Osnaburgensem Episcopos ad ostium stare, postquàm oculos extersit & faciem siccauit, permisit eos intromitti: quibus & ait: Vos domini ambo cognati mei estis: ego, sicut optimè nôstis, in nullo vos læsi, sed quãtùm potui, semper promoui. Et eccè à diuersis, tam literis quàm verbis, indicatur mihi, Comitem Fridericum fratrem vestrum, quem ex animo dilexi, & cui non nocui, malum mihi machinari, meq; velle occidere. At illi simulantes, quod in pectore non habebant, pauidi responderunt: Absit hoc, domine, absit: nihil necessè est vos hoc reformidare, quia nunquàm ascendit in cor eius. Omnes per vos ditati, honorati & sublimati sumus. & hoc quidem verissimum erat. Nam Theodoricum, electus in Archiepiscopum, statìm promouit in summi templi Præpositum, ac deindè in Monasteriensem Episcopum: Engelbertum verò in Præpositum S. Georgij, & posteà in Episcopum Osnaburgensem: & Philippum fratrem illorum, in summa Coloniensi ecclesia Canonicum, & thesaurarium fecit. Atque eo tempore, quo occisus est, operam dabat, vt Bruno frater eorum Præpositus fieret summæ ædis Traiectensis. Quæ idcircò commemorare volui, vt lector cognoscat, qualem ei vicem rependerint. Reuerà retribuerunt ei mala pro bonis: & cùm loqueretur illis & pro illis bonum, impugnabant eum gratis.

Episcopis fratrib' Friderici indicat, quid ad ipsum perlatum sit de cæde sua.

Rependunt ei mala pro bonis dissimulatores impij.

Vt

Vt Susato proficiscens, in itinere viduæ ius amissum restituerit. Cap. 5.

COmes Fridericus vt cōceptam malitiam meliùs dissimulare posset, pro bono pacis ipsi à domino Episcopo oblata verbotenùs acceptauit, cum eo à Susato exiens, eumque tam familiariter deducens, vt ei Episcopus diceret: Cognate, cum multa iucunditate simul ascendemus ad solennem Regis & principum conuētum, qui Nurenbergæ celebrabitur. Sciens autem Fridericus, quòd postera die dedicaturus esset ecclesiam in Suuelme, oblata hac occasione exemplo Iudæ petijt licentiam ab Episcopo discedendi, sicq; ad satellites suos redijt, eisq; diuersis in locis insidias tendere iussit, quidq; facerent instruxit, & omni quo potuit studio ad facinus animauit. Erat tum sexta feria post festum omnium Sanctorum, & Domini electus eodem die Sanctis omnibus per meritum passionis sociādus, ad dedicationis locum ieiunus venire constituit. Eodem autem die occurrit ei vidua quædam, super duabus causis sub diuini nominis obtestatione iudicium illius flagitans. Cuius vociferatione sacerdos Dei cōmotus, nè in hoc inferior videretur iudice illo iniquitatis, de quo Dominus dicit in Euangelio, quòd nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur: mox de equo descendit, & sede composita loco Ducis ad iudicandū sedens, super feudo, de quo vidua conquerebatur, sentētiam quæsiuit & accepit. Audiens verò pro se & contra viduam sententiam esse latam, ex multa cordis commiseratione protulit verbum memoria dignum: En domina, inquit, feudū hoc, de quo conquereris, tibi per sententiam ablatum, mihiq; adiudicatum est. Sed ego propter Deum, dolens miseriam tuam, id tibi relinquo. Porrò alterius negocij tui ad me nō pertinet querimonia. Simile quiddam legimus in Romana historia de pio principe Traiano: qui cùm esset in expeditione positus, & militia vallatus, vidua illi vetustissima in foro occurrit, & iniuriam suam illi cōquesta est. Cumq; ille diceret se ius ei dicturum cùm rediret, & illa responderet incertum esse reditum eius: mox dominus orbis substitit, viduam audiuit & vindicauit, omnia illi restituens. Amplius aliquid operatus est princeps noster. Traianus per iudicium viduę fecit iustitiam: Engelbertus omne iudicium conuertit in misericordiam. Et quia sine fide impossibile est placere Deo, si Imperator illam humanitatem exercuit zelo iustitiæ, non appetitu secularis gloriæ, poterat ei esse ad mitigationē pœnæ, quod sacerdoti Domini, eô quòd esset vir catholicus, contritus & confessus, meritorium fuisse creditur vitæ æternæ. Opus Imperatoris, cùm extra charitatem factum sit, mortuum remansit. Opus verò episcopi, quod ex charitate factum speramus, ad martyrij gloriam valdè eum habilem reddidit.

Simulat pacem Fridericus.

Luc. 18.

Singulari humanitate satisfacit viduæ ius petenti.

Traianus Imperator.

Hebr. 11.

Vt Comes Fridericus crebrò ad eum ventitans, res eius explorârit. Cap. 6.

CVm autem Episcopus properaret ad locum destinatum, Comes Fridericus circa meridiem venit ad eum, certior fieri cupiens quò tenderet, & qui vel quot cum eo essent. Episcopus illum salutat, vtq; apud se pernoctaret, plurimùm inuitat: sed ille nō acquiescit, aliquid semper, vt priùs, causæ prætexēs. O cor agninum, ô oculum columbinum. Cor sine felle, oculus sine suspicione. Inuitat amicus hostem, domesticus latronem, hostia carnificem. Comite recedente, & pontifice procedente, tēpus adest vespertinum. Vesperis verò dictis, rursùs adest Comes. Eum cernēs eminùs Conradus Comes Tremoniæ, ait ad Episcopum: Domine, creber Comitis huius accessus & recessus mihi multùm est suspectus. En nunc tertiò venit, & non, sicut antè, in palefrido, sed in dextrario. Consulo vobis, vt & vos dextrarium vestrum ascendatis. Cui ille respondit: Hoc nimìs esset notabile. Non enim timeo: quia non nocui illi. Cumq; appropinquaret, viderunt vultûs eius colorem penitùs immutatum. Heu quàm difficile est, vt quidam ait, crimē non prodere vultu. Cœpit autem eum alloqui Episcopus, & dicere: Sciebam cognate, quòd tandèm manceres mecum. sed ille nihil respondit, conscius ipse sibi: pergebantq; simul. Ea causâ quidam tam ex Clericis, quàm ex militibus suspicione territi, ab illorum se comitatu subduxerunt. Magna verò pars Episcopalis familiæ cum cocis iamdudùm ad hospitium præparandum præcesserat, & pauci cum pontifice remanserant. Sole properante ad occasum, hostia cum immolante properat ad arā, vt fieret Domino sacrificiū vespertinum, quod dignius erat in lege. Passus est Christus sexta feria, hora sexta, scilicet in meridie, vt declararet se mediatorem esse Dei & hominum: Engelbertum verò pati voluit eâdem feria, sed in fine diei: vt ostenderet eum per bonum finem, non per pręcedentem vitam, coronatum. Per caudam hostiæ, bonus finis designatus est in lege.

Fridericus Comes eius iter explorat.

Nō cauet sibi ab insidijs Friderici.

Leuit. 3.

Hostiam sine cauda offerre non licuit: neque Deo vita bona sine bono fine placebit. Sciens scriptum beatus ille, Qualem te inuenero, talem te iudico: maximè à religiosis expetere solebat, quatenùs ei finem bonum suis orationibus apud Deum obtinerent: quod & factum est eo, quo iam dicemus, ordine.

De cæde eius, & vt corpus exanime in Suuelme delatum sit. Cap. 7.

Sceleris immanitate terretur Fridericus, sed à suis animatur.

Circa crepusculum ventum est ad locum insidiarum, & eccè Comes enormitatem concepti facinoris considerans & abhorrens, dicere cœpit ad suos: Væ mihi misero. Quid est, quod facere volui, vt dominum & cognatum meum occiderem? Sed mox illi, quos ipse iam antè flatu Behemoth succenderat, eum rursùs inflammantes, adeò ad facinus instigauerunt, vt instàr colubri venenum, quod ad breue tempus euomuerat, ardentiùs resorberet & resumeret: statimq; cum Heriberto de nece Episcopi tractans, voluntatẽ suam ei exposuit. Ille confestim, vt edoctus fuerat à fratre suo dapifero, assumpto secum Heriberto de Suueren, dominum Archiepiscopum præcesserunt: & cùm in ascensu montis esset, Comes ait: Domine, hæc est via nostra. Cui Episcopus respondit: Dominus nos custodiat. Non enim sine suspicione fuit. Tunc parùm expectãs Comes, alios famulos post eum misit, præcipiens eis, vt Heriberto assisterent in eo, quod ille moliturus esset. Cumque iam concauam viam, quæ in summitate duabus hincinde semitis cingebatur, dominus Episcopus ingrederetur, præmissi serui Comitis cum tanto strepitu aditum præoccupârunt, vt etiam ipse pontifex, sicut hodiè testis est Cellarius de Hemmerode, turbatus miraretur. Alij à dextris, alij à sinistris gradiebantur: quidam verò retrò cum Comite insidias obseruantes, sequebantur. Tunc Heribertus signum eis dans, qui in latebris erant, tam horrificum edidit sibilum, vt non modò homines proditionis ignari, sed etiam equi, quibus insidebant, stuperent. Mox ij, qui præcesserant, extractis gladijs reuersi sunt. Id vbi conspexit miles quidam, qui inter illos & Episcopum erat, territus clamauit: Domine, ascendite citò dextrariũ vestrum, quia mors in ianuis est. Ducebatur enim dextrarius à tergo eius à nobili adolescẽte de Hemitsbach. Videntes autem famuli Comitis, quòd dextrarium ascendisset, obiecerunt se ei, & vnus ex illis vulnerauit eum grauiter in crure, nullo eum defendẽte, excepto milite Cunrado de Tremonia, qui districto ense Heriberto Rinekore se obiecit, quem tamen is Heribertus anteuertens, dirè in fronte percussit: & cùm se ab illo Cunradus auerteret, alio ictu inter scapulas eum vulnerauit. Atq; hic est ille Heribertus, qui pauloantè dominum Episcopum præmonuerat, vt si secùs, quàm ipse sperabat, res eueniret, excusare se posset. Vt autem viderunt hæc illi, qui erant cum Episcopo, omnes relicto eo fugerunt: & impletum est in illis, quod per prophetam de capite nostro scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergẽtur oues. Quid post hæc de illo gestum sit, tum propter suorum fugam, tum propter imminentem noctem plenè sciri non potuit. Sed eccè nutu Dei actum est, vt Comes Fridericus ab Vrbe rediens, Coloniam captiuus adduceretur, ex quo martyrij eius ordo modusq; cognitus est. Is enim facinus suũ palàm confessus, paricidij reos nominatìm expressit, etiã fratres suos de reatu accusans. Captus est cum eo, & milite quodã, Tobias notarius eius: qui in vinculis positus, ad preces quorundam Canonicorum, qui me ad scribendum ampliùs solicitârunt, vt veriùs scribi posset, quemadmodùm & à quibus occisus esset Episcopus, spe consequendæ veniæ manifestauit, Deum testẽ adhibens, se vera dixisse, prout ipsius Comitis in agone, & aliorum nefandorum Romæ confessio patefecit. Vt ergò Tobias ille scripsit, cùm dominus Episcopus in via cõcaua positus adhuc esset, satellites præire iussi, tanta vi arrepto freno dextrarium eius verterunt, vt frenum ei è manibus extraherent: cumq; ex vtraq; parte aliò diuertere non posset, quòd via arcta & concaua esset, per mediam illam fugere cœpit. Illis autem cum insequẽtibus, Ioachim dextrarium eius in femore vulnerauit: & cùm ex neutra parte in via eũ antecedere possent Heribertus extra viam cum equo exiliens, in * acutissima semita, sicut ipse confessus est, eum preueniens, per capitiũ arripuit, & eum ex latere ad se inclinans, secum in terram traxit. Sed mox violenter surgẽte beato Episcopo, quia fortior illo erat, cùm extra viam in rubo Comes audîsset, propiùs accedens, clamâsse dicitur: Appræhendite & tenete eum, quia fortior nobis efficitur vir. Cumq; verba supplicationis ederet Episcopus & diceret, Sancte Petre, quid mihi imputant homines isti? frendens Fridericus ait: Cædite latronem, cędite, qui & nobiles exhęredat, & nemini parcit. Tunc Guelbertus videns Heribertum chlamydi eius inhærentem, ocyùs descendit, & furibunde accurrens,

Miserè circumuenitur beatus Episcopus.

Primus vulnus in crure accipit.

A suis deseritur. Zach. 13.

Tobias notarius totũ martyrij ordinem pandit.

fort. * arctissima

Horrẽdum in modum trucidatur.

tens, primum vulnus capiti eius inflixit, secundo ictu vibrans ferrum, manum eius, vt puto, amputauit, corpusq; eius gladio transfixit. Tobiæ sunt hæc. Eâdem hora Iordanus, qui ab eo proscriptus fuerat, superueniens, maximum vulnus capiti eius imposuit, quemadmodùm in Isenburg iactitauit, semèl atq; iterùm dicente Episcopo: Eheu, eheu. Tum seorsùm eum inclinantes, Heribertus primò cultello eum perfodit, Comite, vt aiunt, eiulante & clamante: Heu me miserum: nimium est. Cùm autem Giselbertus caput ei præcidere vellet, à Godefrido, quem Comes ad prohibendum miserat, per capillos abstractus est. A quercu aût, vbì primò cædi cœperat, vsq; ad locum, vbì detractus est & extractus, vbì hodiè super martyrium eius sacellum fabricatum est, vix decem passus distant. Vbì super eum velut canes rabidi ac famelici, filij perditionis congregati, cultellis acutissimis ad hoc præparatis sic totum corpus eius perfoderunt, vt à vertice vsq; ad plantam nulla pars corporis à vulnere vacua remaneret, ità vt dicere posset cum Propheta in persona Christi, cuius membrum effectus est pro iustitia moriendo: Circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me, &c. Porrò vnus ex eis, instàr eius qui latus Domini lancea aperuit, fertur eum sub pede incidisse, exploraturus an extinctus esset. Deindè ad equos suos singuli reuertentes, ad Comitem conuenerunt, corpore Episcopi in terra relicto. O cęcam temeritatem ô furorem mille mortibus plectendum, ô rabiem non hominum, sed belluarum, quæ non est verita tam audacter, tam crudeliter, tam viliter & indignè occidere Christum Domini, sacerdotem Domini, pontificem magnum, & non qualemcunq; pontificem, sed pontificum patrem ac principem: & quod magìs terrere debuerat, Ducem fortissimum, & Romani regni tutorem. Patrato tanto paricidio, homines malo dæmone pleni cum suo Comite, immò totius malitiæ fomite recedentes, Domini sacerdotem, acsì vnctus non esset oleo, reliquerunt in sterquilinio. Miles autem quidam Leonies nomine, qui illi adhæserat, cùm primùm detentus & vulneratus fuit, Henricum Cellarium de Hemenrode, qui paulùm præcesserat, subsecutus, ait ad eum: Heu domine Cellarie, quid faciemus? Dominus noster Archiepiscopus grauiter vulneratus est, & à Comite Friderico captiuus abductus est. Cui ille, suprà quàm credi potest turbatus, respondit: Pium est, vt reuertamur & videamus, quid circa illum agatur, vel quorsùm abducatur. Cumq; simul reuersi essent ad locum cædis, audiunt clamores carnificum illorum in nemore errantium. Erat enim nox. & cùm vndiq; circunspicerent, offenderunt corpus martyris extinctum, confossum, ipsoque adspectu nimìs horrendū. Valdè igitur consternati, suadente Cellario, nè à feris corpus exanime, si illic nocte remaneret, indignè attrectaretur, abeūt ad proximas ædes, atq; indè bigam stercorariam, quia illa die fimus euectus fuerat, adducūt: & eccè corpus clarissimi principis, quod ex parte vestitum reliquerāt, penè totum reperiunt nudum. Nam præter femoralia & subuculam, quę collo eius adherebat, nihil ei reliquerant: diploidem verò & pileum eius iuxta corpus inuenerunt. Quæ omnia ità erant sanguine infecta & dilacerata, vt tanquàm nulli vsui accommoda spoliatores illi neglexerint. Per quę tamē hodiè multi sanitatis beneficia consequuntur. Cellarius verò & miles atque eleemosynarius corpus tollentes, & linteamini inuoluentes, vehiculo imposuerunt. Cumq; Suuelme illud perduxissent, & in ecclesia ponere decreuissent, non permisit sacerdos, contaminationem basilicæ prætexens, cùm potiùs sanguine martyris dedicaretur. Sed propter hoc & alia quædam, quibus martyris gratia se indignum reddidit, vsq; hodiè satis grauiter in suo corpore diuinitùs flagellatur. At tamen positus est in eadē domo, in qua pernoctare & comedere proposuerat sacerdos Dei viuus, duæq; candelæ dedicationi præparatæ illic collocatę sunt, vna ad caput, altera ad pedes. Cùm autē inter se vigilias noctis partiti essent, & Cellarius vsq; ad mediam noctem corpori assideret, precesq; horarias beatę Dei genitricis & virginis Mariæ lectitaret, sicut hodieq; testis est, nunquàm aliquid horroris ex cōtactu illius, vt de cadaueribus occisorum fieri assolet, passus est. Haud dubium, quin ex præsentia sanctorum Angelorum gratia hæc extiterit, qui apud corpus martyris cælestes excubias celebrabant. Fuerat autem is Henricus Cellarius ante conuersionem miles, & tantò fortasse ad huiusmodi opus expeditior & audacior, quanto assuetior.

Innumeris vulneribus conficitur.

Psal. 21.

Iohan. 19.

Relinqutur corpus tāti viri ab impijs occisoribus insepultum.

Diploidem Author vocat Wambasium. Est verò proxima subuculæ.

Sacerdotis cuiusdā temeritas punitur à Deo.

Vt corpus eius ad cœnobium Montense delatum sit. Cap. 8.

MAnè martyris corpus currui impositum est: cumq; illud deducerent, plures ex familia Episcopi, qui timore mortis dispersi fuerant, deducentibus adiuncti sunt. Venietibus autem ad nouum castrum, quod beatus Episcopus

suis expensis ædificauerat, cùm intrare vellent, vt illic corpus lauarent & componerent, negatus est introitus, timore, vt æstimo, Henrici nunc Comitis de Monte. Sed Randulphus Prior Montensis cœnobij, ante castrum illis occurrit, eoq; duce ad monasterium festinatum est. Cumq; appropinquarent monasterio, fratres cum Cruce & thuris suffitu eis obuiàm processerũt. Corpore sacro in feretrum de curru deposito, quidam è senioribus Henricus nomine, nunc eiusdem monasterij Prior, linteamen de capite martyris remouit, vultum eius cruentum & confractum fratribus ostendens. Quo viso, lachrymati sunt valdè, tã dilecti patris morte, & tali morte, plurimùm consternati. Specialiter enim ille dilexerat Montense cœnobium, vtpote ab eius proauis fundatum. Henricus verò cùm ob cruris infirmitatem vno pede nutaret, cogitãs beatum virum à nocentibus innocenter occisum, brachium eius nudum nuda manu tetigit, & plena fide eandem benedictionem ad crus nudum transmittens, gradũ pedis vacillantis roborauit. Nam sicut ab eius ore nupèr audiui, ipsa hora cœpit leniùs habere, & gradatim proficere. Deindè cum vocibus lachrymosis corpus in oratorium illatum est, & eádem nocte quibusdam fratribus mirificæ visiones de gloria martyris in somnis oblatæ sunt. Posteà magno studio corpus eius in cœnobio lotũ & euisceratum est, myrrhaq; & sale conditum, & vestibus sacerdotalibus decenter indutum. Numerata tum sunt in martyris corpore quadragintaseptem vulnera, exceptis paruis punctionibus: nec hoc sine sacramẽto. Nam quadragenarius numerus est pœnitentiæ: septenarius verò, spiritualis gratię. Accepit igitur Christi martyr quadragintaseptem vulnera, vt ijs significaretur per cordis pœnitudinem & oris confessionem accepisse eum septiformem gratiam spiritussancti, cuius dono perductus est ad martyrij gloriam. Nulli dubium est, quin vera contritio & vera confessio deleat peccata quoàd culpam, & satisfactio exterior pœnam, ità tamen, si contritio sit sufficiẽs. Quæ verò satisfactio dignior & efficacior martyrio? Nulla prorsùs. Duo sunt, per quæ plena fit remissio, mediante contritione in adultis, baptismus aquæ & baptismus sanguinis. Vtroq; satisfecit Deo beatus Engelbertus. Quicquid enim macularũ post primũ contraxit, secundo, vt speramus, totum diluit. In omnibus siquidem membris, in quibus peccauerat, punitus est: In capite quidem multipliciter, sicut appáret in eius pileo, scilicet in vertice, in frõte, in occipite, in temporibus, labijs & dentibus, idq; tam grauiter, vt riuuli sanguinis inundantes & decurrentes, fossas oculorum, aurium, narium & oris implerent. In gutture etiam punitus est, itemq; collo, humeris, dorso, pectore, corde, ventre, coxis, cruribus & pedibus: vt cognoscas lector, quali baptismo Christus in martyre suo diluere dignatus sit, quicquid culpæ contraxerat.

Honorificè à fratribus Mõtẽsis cœnobij, corp' martyris excipitur.

Innocẽter, pro, immerito.

Miraculũ.

Visiões de gloria eius.

Nota, corp' eius quadragintaseptẽ vulneribus confossum.

Martyriũ, baptismus sanguinis dicitur.

Vt corpus eius Coloniam perlatum, totius vrbis mœrore exceptum sit: & de destructione castri Valantiæ. Cap. 9

FEria secunda pontificis corpus Coloniam perducitur, & ad gradus ecclesiæ sanctæ Dei genitricis, cum mœrore totius ciuitatis excipitur. Quantus tum illic fuerit gemitus, dolor, planctus Clericorum, clamor & vlulatus eorum, qui erant in ministerijs, plebis diuersi sexũs & ætatis quanta vociferatio, pastoris sui mortem deplorantium, probitatis eius insignia commemorantium, & Friderico mille mortes imprecantium: nullius vox dicere, nullius stylus conscribere sufficit. Præferebatur feretro interula, martyris sanguine purpurata, quæ ad commiserationem mouit vniuersos. Nec mirum, si Colonia tanto pastore viduata planxit. Erat enim ille maxima columna templi, honor Cleri, inter proceres regni famosissimus, patriæ pater, & vt breuiter dicam, speciale decus sui temporis. Tam autem fidelis fuerat Ecclesiæ sibi commissæ, vt quodam tempore vni è ministris suis dixerit: Non tu tam solicitus es, vt liberis tuis, quos vnicè diligis, amplam relinquas hæreditatem, quàm ego solicitus sum, vt beatum Petrum & Ecclesiam eius hæreditate ditem. Reipublicæ quoque tam fuit vtilis, vt neq; corpori, neque expensis parceret, modò prodesset multis. Deportatur indè corpus martyris per curiã Episcopalem cum lachrymis multis, cum Crucibus & thuribulis in domum beati Petri, ibiq; deponitur, multaque ei beneficia per multos dies tam in Missis, quàm in Psalmis, more Christiano impenduntur. Diù enim in illa ecclesia mãsit corpus inhumatum, quòd per futurum antistitem primores & qui ministerijs fungebantur, illud conuentui principum præsentare, & de percussoribus eius cõqueri statuissent, sicut & factum est. Ea enim causa sacrum corpus coquentes carnes ab ossibus separauerunt. Sicut autem testãtur, qui aderant, ita martyris caluaria gladijs cædentium confracta & comminuta fuerat, vt de

Summo omniũ dolore corpus Coloniam infertur.

Quantùm amãrit Ecclesiã suam.

Defertur corpus eius in ecclesiã S. Petri Apostoli.

de caldario corpore extracto, particulatim vix posset coniungi. Cùm tristis rumor occisi pontificis Ecclesiam perturbâsset, Dux Vualramus dolorem super dolorem eius addens, tertia die à cæde eius, antè quàm corpus eius venisset Coloniā, congregato milite copioso & multis rusticis, castrum Valantiam, quod beatus vir ad munimentum terrę non longè à castro Rodensi, maximo sumptu ędificauerat, absens obsedit, & post paucos dies cum magno suorum tripudio deiecit. Nam propter Episcopi repentinum interitum, & Vualrami improuisum aduentum, qui in castro erant, propter penuriā annonæ, armorum & propugnatorū hostibus se dediderunt. Vualramus vt à facto excusare se posset, sicut & fecit, præsens adesse noluit: sed fratrem suum Gerardum cum filio Vualramo ad castrum destruendum misit. Aiebat enim in suam ignominiam illud extructum. Gerardus verò, qui in castro diruendo multùm feruebat, eodem die, quo solenne tricenarium eius, qui castrum extruxerat, agebatur Coloniæ, vita priuatus, in Vuassenberg sepultus est. Eum post quinque menses frater eius Dux Vualramus secutus, eandem viam vniuersæ carnis ingressus est. Post cuius mortem duo filij eius Vualramus iunior & Comes Henricus, graui admodùm infirmitate correpti, satis vexati sunt, nec adhuc plenè conualuerunt. Causam verò tum mortis illorum, tum horum malæ valetudinis Deus nouit.

Castrū Valātia à Duce Vualramo diruitur.

Vltio diuina.

Vt sub sacrificio Episcopus apparuerit cuidam. *Cap.* 10.

SExta illa feria, qua castrum fuit euersum, septenarium martyris agebatur. Cuius rei gratia sacerdos quidam, Ludouicus nomine, regularis canonicus S. Gabrielis in Rode, eiusdem vocabuli castrum vicinū pro anima martyris Missam celebraturus ascendit. Cumq; dictis secretis, post Sanctus Canonem inchoaret, eccè sanctum Episcopum pontificalibus indutum, vultu hilari sacro altari adstare videt: & cùm Crucis signa exprimeret super panem & calicem, beatus pōtifex per totum Canonem sacerdoti se conformans, eodem modo & ijsdem vicibus sancta consignauit, dexteram eleuans. Cùm autem ventum esset ad eum locum, vbi defuncti nominantur, & eum sacerdos nominâsset, expleto sacramento, ait illi Episcopus: Frater, non est necessè, vt inter mortuos me nomines. Sum enim cum Deo, & in choro martyrum gaudio fruor ineffabili, & adiecit: Nóueris pro certo, quòd omnes illi, qui me occiderunt, vel quorum cōsilio occisus sum, malè peribunt, idq; citiùs, quàm credi possit. His dictis, disparuit: Ludouicus verò Missa completa, omnibus quæ viderat, indicauit, testem Deum adhibens ità se habere.

Appâret Episcopus sacrificāti.

Prædicit illi celerē vindictā in percussores suos.

De electione Henrici successoris eius, & quàm ille feruens fuerit ad vlciscendam necem eius. *Cap.* 11.

SEquenti die, id est, sabbato, castro Valantiæ destructo, turris à Clero Coloniæ erecta est contra faciem Damasci. Cùm autem status regionis ex morte pontificis valdè turbatus esset, timerentque primores & Clerus, nè fortè ciues cum Vualramo propter priuilegia, quæ dominus Engelbertus communis vtilitatis causa confecerat, aliquid contra Ecclesiæ libertatem molirentur, sicut eis posteà durè satis impositum est, diem, qui est decimusseptimus Calendas Decembris, qui nonus erat à cæde pontificis, electioni præfixerunt. Quo die, mediante & cooperāte domino Theodorico Treuirensi Archiepiscopo, Henricus Bonnensis Prępositus in pastorem & Archipræsulem consensu vnanimi electus est. Quo iuxta morem in Episcopi sede residente, clamores ministrorum, id est, eorum, qui ministerijs fungebantur, de nece domini sui conquerētium, renouati sunt, & ab eis interula martyris in sinum eius deposita est. Ille verò, vt aiunt, mox iurauit se sanguinem eius quoàd viueret, vindicaturum. Quàm studiosus autem & feruens hactenùs & fuerit & sit in ea vindicta persequenda, ità vt neque corpori, neque pecunijs parcat, sequentia declarabunt. Eo quidem die, quo sacerdotio initiatus est, ad gloriam martyris dilatandam, coram altari beati Petri exiguitati meæ humiliter satìs iniungere dignatus est, vt quæ ab eo insigniter gesta sunt, & miracula quæ per eum Dominus operatur, ad posterorum notitiam scripto transmitterem. Cumque me excusarem, & dicerem, mihi id non licere, Priori meo, qui præsens erat, præcepit, vt me cogeret obedire: quod & fecit. Itaque cùm multos in sua diœcesi habeat viros sapientes & eloquentes, vtpotè theologos, rhetores & philosophos, qui beati antecessoris eius vitam, martyrium & miracula eleganti stylo scribere, & floribus rhetoricis ornare possent, si materia laude digna, sermone inculto à me tractata fuerit & explicata, non mihi, quem cogit

Henricus creatur Colon. Archiepiscopus.

Persequitur Engelberti percussores.

obedientia, sed illi potiùs, qui iniunxit, imputandum est.

Vt ortæ sint inimicitiæ inter Henricum electum, & Vualramum Ducem &c. Cap. 12.

Infensus est Vualramo Duci.

CVm in ea lectione præsentes adessent dux Vualramus, & filius eius Henricus, intantùm commotus est Archiepiscopus electus, vt feuda, quæ Vualramus à beato Petro habebat, & quæ filius eius habiturus erat, porrigere recusaret, idque ob supradicti castri destructionem. Ciuibus etiam negauit gratiam suam ob priuilegiorum cõcremationem, & societatem cum Vualramo initam, atque etiam ob alia quædam, de quibus omnibus non est huius temporis texere historiam.

Vt Fridericus Comes in curia Regis proscriptus sit. Cap. 13.

In Comitijs ostenditur cæsus martyr.

ASscendens indè Francofurtum ad colloquium Regis electus Episcopus, corpus martyris duobus Abbatibus Ordinis Cistertiensis deferẽdum commisit, putà Godefrido Abbati Montensi, & Henrico Abbati Vallis S. Petri. Cumque præsentatum esset corpus Henrico Regi atque principibus, & cum eo mortis eius insignia, interula, diplois & pileus: ijs, qui corpus præcedebant districtis gladijs, vt habent legum iura, contra Fridericum latronem vociferantibus, turbatus est Rex, & omnes qui cum illo erant: maximè autem Rex puer, qui perindè vt lugere solet filius patrem, & puer tutorem suum, extinctum planxit Episcopum: Proscriptionem verò Friderici in celebri cõuentu Norenbergensi factam renouauit, omnibus ei abiudicatis tam allodijs, quàm feudis. Feuda libera adiudicata sunt dominis suis: allodia proximis, ministeriales siue ministri & homines à iuramẽto ei præstito absoluti. Vxor eius vidua, liberi eius orphani sunt iudicati. Electi quoq; Archiepiscopi nomine illic denunciatum est, quicunq; Fridericum captiuũ ei exhiberet, illum mille marcas Colonienses ab eo recepturũ. Infeudatus indè à Rege electus Archiepiscopus, cum corpore martyris Moguntiam descendit, vbi dominus Cunradus Portuensis Episcopus, & legatus in Aduentu Domini Concilium celebrauit. Ibi enim eius præcepto congregati erant diuersarum vrbium Episcopi, & Abbates multi. Is ob necem præsulis multùm consternatus, in sermone suo multis eum in eodem Concilio præconijs extulit, martyrem prædicans, & cæteris Episcopis, qui bonis Ecclesiarum suarum cognatos & nepotulos suos infeudant, vel dum ea illi diripiunt, dissimulant, exemplum eum statuens. In eodem Concilio ab illo totius Germaniç legato Cunrado, Fridericus Comes etiam spiritali gladio punitus est. Cùm enim eum excommunicaret cum vniuersis Ecclesiarũ prælatis illic congregatis, præcepit per omnes prouincias legationis suæ, id est, Moguntinensem, Coloniensem, Treuirensem, Bremensem, & Magdeburgensem, in omnibus ecclesijs per omnes Dominicas cum extinctione candelarum eum excommunicari: nec eum solum, sed etiam omnes eius adiutores, à quibus, vel quorum consilio occisus est præsul: itemq; omnes, qui reos necis eius fouerent, vel eis communicarent. Exhibitæ quoquè in eodem Concilio sunt Cunrado Legato literæ Theodorici Monasteriensis Episcopi, & Engelberti electi Osnaburgensis, germanorum fratrum Friderici: quorum prior de sacrilegio se excusauit, paratum se dicens canonicè se purgare: alter Episcopum ordinari se petijt. Respondit Legatus, se proniorem ad parcendum, quàm ad puniendum, modò se excusare possint: diemque eis præfixit, quo se purgarent in Concilio Leodiensi. Quò cùm venissent, nobilibus conductum eis ex mandato Cardinalis Legati præstantibus, nec se canonicè cum septem Episcopis purgare possent, primoribus Coloniensibus, multisque alijs eos accusantibus, Legatus ex consensu Episcoporum plurimorum, qui præsentes erant, ad dominum Papam illos transmisit: cui etiam inter cætera hæc scripsit: Examini vestro dirigimus hos duos Episcopos, grauiter de domini Engelberti nece infamatos.

Fridericus proscribitur.

Concilium Mogũtinũ.

Fridericus à Legato & synodo excommunicatur.

Concilium Leodiense.

Vt punitus sit Arnoldus miles, cùm martyri malediceret.

Cap. 14.

VT autem ad superiora redeamus, corpus martyris à duobus supradictis Abbatibus per Rheni alueum Coloniam reducitur. Cumque venissent contra Vuesseling pagum, duobus milliaribus à Colonia distantem, miles quidam Arnoldus nomine, è litore prospiciens, vbi didicit pontificis Engelberti ossa reuehi, in contumeliam martyris erupit, ità dicens: Multi aiunt, dominum hunc, qui cõplures lęsit, damnis affecit & exhęredauit, sanctum esse & miracula facere. Hoc si verum

si verum est, quod tamen ego non credo, hæc mihi Deus faciat & addat, vt antequàm moriar, insanus efficiar. Mulctauerat illum beatus Episcopus quadraginta marcis ob culpam filij eius, qui fœminam vi oppresserat. Qua tamē in re multùm ei pepercerat, vt facinus morte plectēdum, tam modicæ pecuniæ damno mulctaret. Vt verò ostenderet Deus, quàm periculosum sit homini ponere in cælum os suum, eodem die maledico vertiginem capitis immisit: & cùm paulò pòst aliena loqueretur, vxorem cum cæteris cædere cœpit, itemque sacerdotem qui ad confessionem eius audiendam vocatus erat. Quid plura? Tenetur, vincitur, custoditur tanquàm furiosus, & sequenti die post multa blasphemiæ verba sine viatico & confessione animam insanus expirat. Induerat enim maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius. Itaque nemo debet sibi malum imprecari: quia licèt benignus sit spiritus sapientiæ, non tamen semper liberabit maledictum à labijs suis. Hæc mihi retulit miles quidam, qui has Arnoldi blasphemias audiuit, nec tamen compescere potuit blasphemantem: & vix est quisquam in vicinia, quem tantū lateat miraculum. Audiant recentem militis huius pœnam, atque vtinàm non etiam ęternam damnationem, qui quacunque ex causa martyri detrahentes, & gloriæ eius inuidentes, dicere solent: Nequaquàm credere possumus, virum superbum, auarum, & prorsùs mundo deditum, miracula posse edere. Considerant illi, quid aliquandò fortaisè fuerit: sed quid per martyrium factus sit, non attendunt. Credant saltem saluatum, quem dæmones martyrem confitentur.

Homo maledicus, malè de martyre loquens, diuinitùs punitur.

Psal. 108.

Sap. 1.

Quid de eo dixerit Magdeburgi dæmoniacus quidam. Cap. 15.

EST in ciuitate Magdeburgēsi quidam obsessus à dæmone pessimo, qui nullius timet exorcismos, nec vult respondere, nisì vni sacerdoti, qui specialē gratiam contra illum accepit à Domino: cui etiam sæpè noua & occulta dicere consueuit. Postridiè eius diei, quo occisus est Episcopus, præcepit illi sacerdos, vt aliquid noui ipsi diceret. Illo diutiùs reluctante, & presbytero instante, miro modo cœpit dæmon ridere, cachinnari, manus complodere. Cumque sacerdos diceret, Quid habes, & quæ causa est tanti tripudij tui? respondet ille: Eià, eià: serò ille Engelbertus, qui Coloniæ Episcopus erat, occisus est. Stupente sacerdote ac dicente, Mentiris: ille respondit, Citò percipies. Et sacerdos: Fuisti in morte eius? Fui, inquit ille: immò non sunt tot graminis herbulæ, quot ibì congregati fuimus. Cumque sacerdos diceret, Quid factum est de anima eius? lugubri voce respondit: Quandò oculi eius sanguine obducti & oppressi fuēre, anima nobis erepta est, & quò peruenerit, ignoro. Post triduum audientes de morte pontificis, satìs admirati sunt, quibus priùs verba dæmonis innotuerant. Ciuitas enim Magdeburgensis à loco cædis penè quatuor abest mansionibus. Etsì autem diabolus mendax est ab initio, & pater eius, constat tamen ex Euangeliorum testimonio, eum aliquandò vera dicere contra suam voluntatem, maximè cùm exorcizatur, vtì hoc speramus, quod subiungimus.

Serò, id est, hesterno vespere.

Iohan. 8.

Quid dæmon ex alio quodam obsesso de eo dixerit: & vt diuersæ sint martyrij species. Cap. 16.

IN diœcesi Treuirensi est cœnobium sanctimonialium Ordinis Cistertiensis, quod, Ad sanctum Thomam, vocatur. Illic ante hos duos menses energumenus quidam in oratorio eiusdem martyris, de statu quarundam animarum tam secularium, quàm religiosorum interrogatus, tam rationabiliter de omnibus respondit, vt qui illic aderant, vera eum dicere non ambigerēt. Cumque domina Elisabeth, eiusdem domûs Abbatissa, eum interrogaret, num interfuisset cædi Episcopi Engelberti, & ille respondere nollet, adiuratus validissimis exorcismis vt diceret veritatem, sic ait: Quæris, an fuerim in morte eius. Vtiquè fui: immò meo consilio interfectus est. Ego Fridericum & satellites eius incitaui, ego ad facinus illos animaui: ego, vt re ipsa malitiam conceptam implerent, effeci. Dicente Abbatissa, Vbì est anima eius? respondit: Eheu, eheu subtracta est mihi & socijs meis, qui illic conueneramus. Ità se ante mortem præparauerat, ità se lauerat, (cōtritionem & confessionem significans) vt nostri iuris nihil esset in illo, & adiecit: Nôstis, cur tot ille miracula faciat? Respondentibus illis: Nos id ignoramus, sed volumus, immò præcipimus tibi in nomine Christi, vt nobis id indices: subiūxit, Quandò volutabatur in suo sanguine, & iam moriturus erat, percussoribus suis medullitùs ignouit, ità dicens: Pater, ignosce illis. Propter hunc sermonem tam potēs effectus est apud altissimum, vt non negetur ei, quicquid

Dæmon adiuratus quid de Engelberto dixerit.

Nota cur tanti ponderis sint, preces eius apud Deū.

quid ab illo petierit. Idque pro comperto habeatis, nunquàm vllum Coloniæ sedisse Episcopum in pontificis cathedra, qui tantum possit apud Deum, tantique apud illum meriti sit, vt Engelbertus. Sed hîc fortassis obijciat quisquam Maternum & Seuerinum, aliosque sanctissimos Ecclesiæ Coloniensis Episcopos, quorum vita fuit irrepræhensibilis, & sanctitas in Christo probata. Sed respondetur, hunc fuisse martyrem, illos non fuisse. Consummatus in breui per martyrium Engelbertus, expleuit tempora multa. Totius tabernaculi pulchritudinem, per cuius cortinas & columnas Ecclesiæ ordines præfigurati sunt, pelles tegebant arietum rubricatæ. Arietes, qui duces gregum sunt, significant Ecclesiæ prælatos, qui verbo & exemplo, siue vtriusque Testamenti cognitione, quasi duobus cornibus gregem sibi commissum custodire tenentur. Quorum pelles rubricantur, cùm pro subditorum salute, vel zelo iustitiæ mortem oppetētes, vti beatus Engelbertus, lauāt stolas suas in sanguine agni. Ipse quidem Engelbertus, reuerà fortis aries fuit, quippè qui duobus cornibus suis, id est, gemina potestate, spirituali & seculari hostes Ecclesiæ Coloniensis ventilauit. Quòd si obijciatur de sanctis Euergislo & Agilolpho Episcopis Coloniensibus, etiam illos passos esse: responderi potest, non tanti meriti fuisse causam martyrij eorum, sicut Engelberti. Alter enim illorum noctù à latronibus clàm occisus est: alter verò palàm à raptoribus, qui diœcesis eius terminos peruaserant. Illos martyres fecit pietas & innocentia vitæ: hunc verò virtus obedientię & zelus iustitiæ. Sicut diuersæ sunt species martyrij, ità & causæ diuersæ. Agnus occisus est ab origine mūdi, ait scripturæ authoritas. Agnus Christus est, qui in quibusdam suis membris occisus est propter innocentiam, vt in Abel: in alijs propter iustitiam, vt in prophetis: in alijs propter zelum legis, vt in Machabæis: in alijs propter constantiam fidei, vt in Apostolis. Recentiori tempore in sancto Thoma Cantuariensi Episcopo, occisus est propter libertatē Ecclesiæ conseruandam. Eadem causa mortis extitit in præsule nostro Engelberto. Occubuit ille pro libertate ecclesię Cantuariēsis, iste verò pro defensione ecclesię Essendiensis. Liberauit ille ecclesiam Anglicanam sanguine suo de graui iugo Regis Henrici: liberauit iste æquè morte sua Ecclesiam suæ defensioni commissam, ab intolerabili exactione Comitis Friderici. Et licèt beatus Thomas ante passionem multa pertulerit incommoda, damna, exilia, quæ non pertulit Engelbertus: in ipsa tamē passione plus doloris, angoris & ignominię certum est Engelbertum tolerâsse. Ille enim, vt legimus, in capite vno ictu cæsus, à sacrilegis relictus est in templo: iste vulneribus permultis toto corpore confossus, nudus relictus est in sterquilinio. Sanctus Thomas occisus est ab eis, qui apertè eum oderāt: sanctus verò Engelbertus, quod maiorem afferre solet dolorem, & augere inuidiam, à cognatis & amicis, à quibus nihil metuebat, quosque ipse sublimârat. Philosophi cuiusdam sententia est, duplicari dolorem, cùm ab eo, à quo bonum merueris, venit: itemque tanto iniuriam magìs affligere, quanto propinquior est, qui fecit. Indè etiā est, quod Dauid propheta dicit in Psalmo: Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiquè, & cætera, quæ sequuntur. Reportatum deniquè corpus sacrum gloriosi martyris Engelberti, Angelica libertate donati, Coloniæ in ecclesia beati Petri in sepulcro decētissimè præparato iuxta mausoleum nobilissimi pręsulis & Archiducis Philippi, quod est in dextera ecclesiæ parte, contra portam Australem, sexto Calendas Martij dominus Conradus Portuensis Episcopus & sedis Apostolicæ Legatus, coram innumerabili multitudine diuersæ dignitatis, ordinis, sexûs, & ætatis sepeliuit. Quanta illic quotidiè miracula fiant, in libro virtutum eius partim declarabitur. Passus est autem beatus martyr anno gratiæ millesimo ducentesimo vicesimoquinto, mensis Nouembris die septimo, anno pontificatûs sui decimo, sub Honorio Papa III. imperante Friderico II. monarchiam cæli & terræ obtinente Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

Exod.26. Apo.7.&22. Apoc 13. Gen 4. 2 Mach.7. Occisus est Engelbert⁹ pro defensione ecclesię Essendiens. Dolor acerrimus quis sit. Psal.54. Tempus cędis eius.

De celeri vindicta percussorum eius, & morte misera Friderici Comitis.

Cap. 17.

SVperest nunc, vt dicamus, quanta & celeritate & seueritate omnipotens Deus famuli sui sanguinem, tum per seipsum, tum per humanum ministerium vindicauerit. Quantùm enim displicuerit sacrilegorum facinus, licèt martyris passio placuerit, pœna subsequens manifestat. Vox animarum pro Christo interfectorum, eiusmodi est in Apocalypsi: Vsquequò, Domine, sanctus & verus, non

Apoc.6.

non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Non diù expectauit Dominus, non annum, non mensem: sed statim martyris sui Engelberti sanguinem ad se de terra clamantem, vindicare cœpit. Vindicauit autẽ gladio materiali, vindicauit gladio spirituali, idque, sicut martyr octauo die ab obitu suo, Ludouico Rodensi prædixerat, tam celeriter & tam acriter, vt à nobis credi non posset. Nóueris, inquit, pro certo, eos omnes, qui me occiderunt, vel quorum consilio occisus sum, malè perituros, & hoc citiùs, quàm credi possit. Quarto enim die vnus satellitum funestorum ab Henrico Comite Tuitij captus, in insula Rheni ante ciuitatis mœnia, rotæ supplicio affectus est sine vlla misericordia. Nõ multò pòst alius quidam capitur, & vinctus Coloniam mittitur: vbì pedibus ad equos ligatus, cùm per plateas ciuitatis horrendum in modum tractus esset, membris omnibus securi confractis, in rota extra muros positus est. Aiunt duos alios alibì consimiles dedisse pœnas. Cæteri verò tam nobiles, quàm serui eorum, timore mortis natale solum cum possessionibus suis relinquentes, cum duce suo satana vsque hodiè circumeunt terram, & perambulant eam. Ipse aũt totius mali caput Fridericus, cum duobus fratribus suis Vuilhelmo & Godefrido, vt supradictum est, excommunicatus, ac deindè proscriptus, proiectus à facie Domini, sicut Cain, qui fratrem suum occiderat, vagus & profugus factus est super terrã, nusquàm acceptus, nusquàm tutus, ità vt dicere possit cum Cain: Omnis qui inuenerit me, occidet me. Interim castrum eius Isenburg, quod inexpugnabile videbatur, in vltionem põtificis obsidetur, deditur, & solotenùs destruitur. Cumque obsessi multi essent, & vitæ necessarijs abũdarent, tantus eos timor inuasit, vt castrum diù tenere non auderent. Indè autem vxor Friderici cum liberis educta est, vt ei meritò congrueret, quod de Iuda traditore scriptum est: Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, eijciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Non sit illi adiutor, nec sit qui misereatur pupillis eius. Ex omnibus enim bonis suis Fridericus cũ vxore, liberis & fratribus eliminatus est. Theodoricus verò Episcopus Monasteriensis cum fratre Engelberto, in Osnaburgensem Episcopum electo, in Concilio Leodiensi suspensi, Romam profecti sunt. Profectus est etiam cum eis Fridericus eàdem spe, qua & illi. Cumque aliquandiù in curia mansissent Episcopi, nec proficerent, eò quòd se sufficiẽter purgare non possent, procuratoribus Ecclesiæ Coloniensis reclamantibus, & literis principum eos accusantibus, ambo depositi sunt, & nõ multò pòst tum ex dolore, tum (quod credibilius est) ex diuina vltione mortuus est Theodoricus, & in solo peregrino sepultus. Mortui sunt ibidèm alij ex paricidis tres. Mortua est etiam vxor Friderici morte subitanea: cumque viscera eius eiecta essent, adeò cor eius ex dolore, vt aiunt, emarcuerat, vt vix fabæ quantitatẽ excederet. Mortuus fuit ante eam pater eius Dux Vualramus cum fratre Gerardo, viri potentes. Ità miser Fridericus spe vbiquè destitutus, cùm Romæ non impetraret misericordiã, quæ illi placeret, vel indignus misericordia, vel quod probabilius est, ad maiorem indigrioremque pœnam diuinitùs reseruatus, digressus ab Vrbe, dissimulata persona, quantùm quidem potuit, cum duobus Leodium venit. Vbì à quodam, qui eum Romæ viderat, cognitus, & quòd ipse Comes Fridericus esset, proditus, à Balduino milite Leodiensi fraudulẽter satis captus est, & domino Henrico Coloniensi Archiepiscopo plusquàm duobus millibus marcarum venditus, ac Deo dispẽsante, eodem penè die, anno euoluto, quo beatus martyr Engelbertus multorũ mœrore ciuitati est mortuus illatus, multorũ desiderio per portam oppositã captiuus est introductus, atque indè quarto die, quo fuerat superiori anno primum Episcopi septenariũ celebratum, turpissimè in rotam cum tormentis impositus est. Videtur ei congruere, quod à Domino per Ezechielẽ ad Regem Aegypti dictũ est: Expandam super te rete meum, & extraham te in sagena mea, & proijciam te in terram. Super faciem agri abijciam te, & habitare super te faciã omnia volatilia agri, & implebo colles sanie tua, & irrigabo terram fœtore sanguinis tui. Vniuersa hęc impleta sunt & cõplentur in Friderico. Captus est, venditus, extractus & vinctus, in terrã proiectus & securi confractus, sicq; super rotam positus, esca factus est volatilibus agri, colles, quibus impositus est, implens sanie sua, & terrã subtùs irrigans fœtore sanguinis sui. Per triduum illud, quo vinctus tenebatur in palatio, extra muros ciuitatis in mõticulo, qui est iuxta portã sancti Seuerini, columna ex lapidibus alta satis erecta est, & in illã rota plaustri plumbo vestita, vt durare posset, translata: atque in eam rotam funibus pertractus est, priùs tamẽ in terra bra-

Supplicium vnius è percussoribus eius.

Itèm alteri horrendum.

Gen. 4.

Ibidèm.

Psal. 108.

Duo Episcopi ob cędem ei' depositur.

Vxor Friderici subitanea morte corripitur.

Dira mors Comitis Friderici.

Ezech. 32.

brachijs & cruribus eius securi confractis. Erat tum anniuersarius dies, quo martyr sacerdoti Rodensi prædixerat, omnes percussores suos mala morte perituros. Quod accipiendum est vel de corporis, vel animæ, vel vtriusque morte. Etsi autem mala & turpi atque ignominiosa morte in corpore Fridericus perijt, speramus tamen eam pœnam animæ eius fuisse medicinam, quandoquidem benè contritus, & diligenter atque frequenter tam priuatim quàm publicè confessus, se reum clamauit, & pœnas illatas patienter tulit, membra singula carnifici confringenda vltrò offerens: & cùm in dorso eius fabricaret carnifex ille immisericors, & sedecim ictus cum securi ei inferret, nullam edidit vocem, ità vt omnes mirarentur. Indè vsque ad matutinas preces in corpore durans, fertur tantùm oràsse, & circunstantes, vt pro ipso orarent, deprecatus esse. Fortaßis ex merito martyris Engelberti, qui moriens orauit pro inimicis, gratia hæc illi præstita est. Cùm autem ea omnia, quæ iam diximus, intra primum ferè annum acciderint, haud dubium, quin de alijs sacrilegis his similia vel etiam maiora audituri simus: sed de his satis. Nunc porrò de miraculis & beneficijs, quæ ob eius merita declaranda præstantur infirmis, quædam dicenda sunt ad honorem Domini nostri Iesu Christi: Cui cum patre & spiritusancto honor & imperium in secula seculorum, Amen.

Pœnitentia eius, & pœnarum tolerantia.

LIBER TERTIVS, QVI EST DE MIRACVLIS BEATI VIRI: QVEM PRAETER PROLOGVM, OB

vitandam prolixitatem mutato stylo F. Laur. Surius in compendium redegit: sed ità tamen, vt nihil historiæ desit. In superioribus duobus libris hincindè idem ipse stylum nonnihil correxit, sed modicè, vbi res poscere videbatur.

PROLOGVS AVTHORIS.



1. Reg. 3.

Oculi Heli caligauerunt, & non poterat videre lucernam Dei, antequàm extingueretur. Lucernam Dei esse eum, cui diuinitùs datum est, Ecclesiam verbo, scripto vel exemplo illuminare, Saluator, qui lux lucis & fons luminis est, in Euangelio ostendit, cùm ait: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Quia beatus pontifex Engelbertus, cuius actus & passionem in duobus libellis pro modulo ingenij mei dudùm explicaui, minùs in vsu habuit gratiam prædicādi, siue sacras scripturas exponendi, vel spiritualiter conuersandi: propter diuinam electionem, qua ab æterno prædestinatus est, ignorantes, postquàm per mortem carnis extinctus est, per lucem miraculorum declarata sunt opera eius meritoria, quæ sibi conquisierat operibus Deo notis, maximè, vt supradictum est, contritione, confessione & pro iustitia sanguinis sui effusione. Cùm enim heu tristis rumor occisionis eius insonuisset, multi, qui actus eius seculares nouerant, de salute eius desperantes, aiebant: Heu modò perdidit corpus & animam. Audierant enim, quòd à cognato suo Friderico Comite occisus esset, eò quòd eū exhæredare vellet. Vndè necesse erat, vt signa eum sequerentur. Signa enim non sunt de substantia sanctitatis, sed quædam indicia sanctitatis. Nec fuisset necesse, dominum Episcopum Engelbertum miraculis clarere post mortem, si vitæ perfectioris fuisset ante mortem. Beatus Euergislus & sanctus Agilolphus Colonienses Episcopi, ambo à nocentibus innocenter occisi, martyrio coronati sunt, qui tamen post mortem paucis admodùm signis claruerunt: quia non erat necesse, vt post mortem commendarent miracula, quos ante mortem commendârat vita sanctißima. Voluit Dominus in martyre suo demonstrare, quantùm ei placeat pro iustitia stare, & vt occisoribus suis terrorem incuteret per miracula. Martyrij eius meritum duo commendant, videlicet vindicta de inimicis eius, & gratia sanitatum, quam quotidiè exhibet de infirmis. De his miraculis ad iussionem successoris eius domini Henrici Archipræsulis, aliqua scribere propono, & ea tantùm, quæ mihi à personis veridicis sunt relata, siue à venerabili viro Gosuuino, ecclesiæ beati Petri Canonico, ab ore eorum, quos martyr sanauit, excepta. Prætereà miracula magna & crebra fiunt in loco, qui vocatur Giuelberg, vbi occisus est: vt ibi spiritu, hic corpore præsens esse non dubitetur.

Matth. 5.

Cur ei' mortem secuta sint multa miracula.

SS. Euergislus & Agilolphus episcopi Colonień. cur nō multis claruerint miraculis.

Mira-

Miracula: quæ libenter huc adscripsimus, nè quis possit de martyris sanctitate dubitare.

Miles quidam Hermãnus nomine, in pago Glibach duobus & eo ampliùs annis adeò fuit vexatus paralysi, vt non nisi supinus in lecto dormire, neq; aliter quàm aliena opera vestire se posset. Aliquandò ergò admonitus à fratre suo, vt sancti martyris Engelberti meritis salutem donari sibi peteret, ille respondit: Equidem deportandum me curaui Nouesium ad sanctum Quirinum, Ruræmundam ad Dominam nostram, & ad multorum aliorum sanctorum limina, nec exauditus sum, fortaßis indignus exaudiri. Vrgente fratre, vt votum nuncuparet martyri, petijt se in aream efferri. Ibì iacens in terra, plena fide cum lachrymis votum suscepit, si meritis martyris sanaretur, nudis pedibus, sine lineis vestibus sepulcrum eius se aditurum. Postridiè eodem loco similiter orauit. Putant enim simplices laici efficacius esse votum, si fiat sub dio, quàm sub tecto. Tertio die cupiens idem facere, votum, cùm abessent ministri, anxiè circunspiciens, vidit scipionem apud lectum, & quod nunquàm anteà fecerat, induit se vestibus suis, scipionique incumbens, venit ad aream, & iam tertiò humì prostratus, repetit votum. Indè surgens, sentit remissiùs in corpore: scipionem è manu cadentem, à terra eleuat: redit lætus in ædes, atque indè ad templum properat. Vxor & liberi videntes eum, nullo sustentante, ambulantem, replentur stupore & ecstasi, præ gaudio lachrymantur: accurrunt, vt euntem fulciant. ille respuit, dicens, à domino suo Episcopo Engelberto se curatum. Venit ad ecclesiam: coram altari prostratus, gratias agit Deo & sancto martyri Engelberto. Post preces, ob declarandum miraculum, circumit templum, atque indè domum redit. Vicini gratulabũdi accurrunt, & martyrem prædicant. Ille quinto die Coloniam venit, nudis pedibus adit martyris sepulcrum, agit gratias, custodi ecclesiæ omnia ordine exponit.

Paralyticus votu facit, & sanatur. Mos simplicium faciendi votum sub dio.

In cœnobio Heisterbacensi puer annorum quatuordecim, in domo hospitali fuit adeò contractus, vt ne ventrem quidem exonerare posset, nisi alienis pedibus deportatus. Eius pater, qui erat ex Conuersis illius monasterij, vbì audiuit de miraculis Episcopi, ait ad eum: Fili, cùm solus fueris, fac votum sancto Engelberto. Obtemperat ille, repit manibus & pedibus, donèc esset sub dio, ibique vouet martyri cereum suæ staturæ, itemque imaginem ceream. Eadem hora, vt in orantis fide appareret martyris meritum, puer cœpit esse meliusculus, redit ad lectulum commodiùs, quàm indè exierat: ait patri, si adessent duo scipiones, videri sibi se posse ingredi, iam beati Engelberti meritis adiutum. Parantur scipiones, puer graditur, mirãtur omnes. Iam antè ductus fuerat à patre suo Nouesium ad sanctum Quirinum, sed ille hanc curationem in nouum martyrem reiecit. Posteà venit puer Coloniam, inuisit sepulcrum martyris, obtulit quæ vouerat, post preces totus incolumis, scipionibus illic relictis, postridiè ad nos reuersus est pedibus suis. Audiant hæc martyris obtrectatores, qui aiunt: Si videremus ciues nostros, quos nouimus diù malè habuisse, ab illo curari, crederemus ei. Sed illi vel non sunt digni curari ob fidei inopiam, vel eis non expedit vt curentur: aut certè qui sic dicunt, digni non sunt videre miracula martyris. Nec ipse Dei filius omnes Iudeæ morbidos curare voluit: immò scriptum est de de illo, quòd quibusdam locis non fecerit virtutes multas propter incredulitatem illorum. Porrò in edendis miraculis, & fides petentium, & sanctorum merita requiruntur: quanquam non rarò Deus etiam ingratis & indignis sua præstat beneficia.

Puer cõtractus, nuncupato voto fit sanus.

Matth. 13.

Mulier quædam prope Coloniam, periculosè laborans ex gutture, venit ad martyris memoriam cum amicis: petijt subuculam eius in aquam intingi, sperans, si indè biberet, se mox sanatum iri. Bibit difficulter admodùm, redit domum, post horas quatuor ad sepulcrum reuertitur, gratias agit Christo & sancto Engelberto. Tantam ei molestiam morbus ille attulerat, vt quinque diebus nec loqui, nec gustare quicquam potuerit.

Nota miraculum.

Miles quidam ceream imaginem obtulit ad martyris sepulcrum cum his verbis: Tam tu sis benedictus, sancte Episcope Engelberte, quàm ego verè tertiana febre liberatus sum à Domino.

Eodem tempore Iohãnes Abbas S. Trudonis, quartana diù & grauiter cõflictatus, audit miracula Engelberti, laudat Deum mirabilẽ in gloria eius: moxque in mentem ei venit, fuisse hominem pacificum & misericordem: porrò beatos esse pacificos & mi-

Matth. 5.

Abbas à quartana liberatur.

& misericordes. Inuocat ergò Deum, orat vt per eius merita sibi opituletur: & confestim se lætatur in seipso experiri, quanti sit apud Deum meriti beatus Engelbertus, sanum se sentiens.

Contractus reualescit.

Mulier diù paralytica, eius nomen appellans, curata est. Ciuis Confluentinus puerum scholasticum habuit adeò contractum, vt dimidio anno pedem in terram deponere non posset. Iussit ergò eum duci Coloniam, & plena fide martyris sepulcro imponi. Fit ità: & eccè mox laxantur nerui, puer à monumento se submittit in pedes, atque ad hospitium suum gratulabundus abscedit.

Aurifaber quidam Sibergensis adeò noluit fidem adhibere miraculis martyris, vt quotiès eius audiret prędicari sanctitatem, vel irrideret, vel contradiceret. Et quinam, inquit, vel dici, vel esse potest sanctus, cuius iussu multæ inflammatæ ædes, multi spoliati sunt, & quem multorum malorum constat fuisse authorem? Sed Deus martyris iniurias diutiùs ferre non sustinens, blasphemum hominem subitò tanta vi morbi oppressit, vt se quamprimùm crederet è vita abiturū. In se igitur reuersus, veretur ea causa se percussum, quòd martyri detraxisset. Iubet ergò Coloniam se adduci, venit aliorum manibus ad sepulcrum martyris, fatetur illi culpam suam, inter cætera crebrò hæc repetit: Domine, per merita tua & sanctùm martyrium tuum, adiuua me miserum. Interìm dicit ad circunstantes: Ecquis me aqua benedicta adspersit? Respondent omnes: Nemo nostrûm te adspersit. Ille repetit: Immò verò adspersit me aliquis. Rursùm illis negantibus: Sinite me, inquit, abire. Dei enim benignitate & meritis Engelberti martyris eccè sanus sum. Surgit eàdem hora, cunctis mirantibus: quiescit paulispèr in ædibus templo vicinis: indè domum proficiscitur, & sensìm plenè restituitur.

Punitur cōtumeliosus martyris obtrectator.

Rursùs sanitati restituitur.

Contractus curatur.

Cubicularius Comitissæ Geldrensis, non nisì scipionibus fultus ingredi potuit. Audiens Coloniæ multa edi miracula, eò se confert, & aliquot continuis diebus martyris Engelberti sepulcrum inuisens, atque eius precibus sanari se petens, octauo die curatur, relictisque illic scipionibus, lætus domum redit.

Geldriæ Comitissa tanta pariendi difficultate quandoquè laborauit, vt vita eius propemodùm desperaretur. Accitus confessarius eius Abbas Campensis, à Duce Brabantiæ Henrico, qui erat Comitissæ pater, atque à marito eius Gerardo Comite, introductus est ad eam, præ doloris acerbitate miserè eiulantem. Illa, viso Abbate, perindè acsì moritura sit, commendat se eius precibus, orans vt fratres omnes iubeat pro se orare. Lachrymantur omnes, qui aderant. Interìm Comes sic ait ad eam: Nôsti charissima, quantùm nos amârit cognatus & dominus meus Episcopus Engelbertus. Inuoca ergò illum in hac summa calamitate: spero non minùs illum tibi, quàm cæteris, subuenturum. Deindè Abbas cum Duce & Comite egreditur: porrò Comitissa orat martyrem, vt sibi opituletur. Orat Christum, vt propter sanguinem quem pro iustitia fudit Engelbertus, à tantis doloribus se liberet. Vix in castrum illi redierant, cùm eccè puella cursitat post eos, lætissimumque nuncium Comiti afferens: Domine, inquit, domina mea peperit tibi elegantissimum filium. Tum verò omnes laudant & prædicant Deum in martyre suo Engelberto. At Comitissa non immemor beneficij, mox vt reualuit, Coloniam venit, sepulcrum martyris visitauit, argenteamque imaginem ad illud obtulit.

Illustre miraculum in Comitissa Geldriæ.

Puella quædam Coloniensis, sexto mense ætatis suæ cœpit malè habere in oculo: deindè lumine prorsùs orbata est. Cumque sextum ageret ætatis annum, mater eius causa tribus sextis ferijs ieiunauit in pane & aqua, & Missam defunctorum in honorem beati Engelberti celebrandam curauit: atque ità puella mox per martyris meritum, visum recepit.

Cæca puella videt.

Nobilis à morbo caduco liberatur.

Henricus de Calenmunt, vir nobilis, cùm diù vexatus esset morbo comitiali, die quodam in sacello stans, & de miraculis beati Engelberti cogitās, humì se prostrauit, crebroque rogauit sanctum martyrem, vt à Domino sanitatem sibi impetraret. Indè surgens, sensit insolitam quandam corporis alleuationem, ità vt deincèps vsque in præsens, nihil ab illo morbo molestiæ acceperit.

Paralytici curatio.

Homo paralyticus cùm ad sepulcrum eius duabus ferè horis orâsset, & martyrem attentissimè deprecatus esset, relictis illic scipionibus, quibus aduenerat, suis pedibus lætus abscessit.

Sacerdos quidam quindecim dies cæcus, vouit se visitaturum martyris Engelberti sepulcrum, & in altari, quod est ad caput eius, Missam defunctorum celebraturum. Mox

Mox à voto nuncupato redijt lumen, & ille fecit, quod promiserat.

Mulier in castro Nideckensi, viginti annis nihil viderat. Vbi didicit Engelbertum coruscare miraculis: Ego, inquit, ibo ad noui martyris monumentum, vt beneficia, quæ confert alijs, etiam mihi impendat. Venit ergò Coloniam, orat ad sepulcrum Episcopi, apertisque oculis videt lumen cæli, quæ tot annis perpetuas senserat tenebras. Cæca recipit visum.

Abbas Burnenbacensis vnum ex iunioribus monachis suis misit ad monasterium veteris Montis. Is cùm veniam incidi sibi curâsset, putaretque non satìs detractum sanguinis, atque ea causa etiam alterius brachij venam aperuisset, cum sanguine lumen amisit. Id vbi cognouit Abbas Burnēbacensis, nè esset illi cœnobio oneri, redire eum iussit ad se. In illo itinere Coloniam veniens, orauit ad Engelberti martyris tumulum, duosque cereos oculos obtulit, votumque fecit, si visus ei rediret, patrem ipsius duos argenteos oculos in eius honorē missurum. Abit cæcus à sepulcro, venit ad locum quendam, qui erat monasterij veteris Montis, accipitur illic humaniter, & cùm causam cæcitatis suæ indicâsset, Conuersus quidam hortatur eum, vt sanctum Engelbertum Episcopum inuocet, respondet ille se id fecisse: addit Conuersus, vt benè confidat martyrem sibi non defuturum: moxque indè recedit Conuersus, & post horam eò reuertitur. Eum verò monachus iam videns, salutat. Et Conuersus ad eum: Vndè scis, inquit, me hîc esse, cùm nihil videas? Ille respondet: Gratia Deo & beato Engelberto: perspicuè enim intueor & te, & quicquid est in his ędibus. Cæcus monachus videt.

Eodem tempore monachus quidam Eberbacensis ad partes inferiores missus, in itinere antequàm veniret Coloniam, membris omnibus adeò paralysi cœpit diuexari, vt difficulter ad veteris Montis monasterium posset perduci. Ibì in valetudinario manenti occurrerunt miracula noui martyris Engelberti. Vouet igitur se, si morbus abscedat, Missam defunctorum dicturum. Mox sentit remissiùs, & totus reualescit. Paralyticus curatur.

Monachus iuuenis, dum vena illi inciditur, ità in brachio intumuit, vt morbus fistulæ timeretur. Dolore vrgēte, promittit se beato Engelberto Psalterium lecturum. Ilicò sentit se habere meliùs, dicitque cunctis, à sancto Engelberto se curatum. Alius à periculo liberatur.

Alius iuuenis monachus, tribus mensibus paralysi in brachijs dirè vexatus, vbì ex alio iuuene iam dicto percepit, quàm facilè curatus esset à nostri temporis martyre, vouit se illi quotidianas oblaturum preces, moxque sanatus est. Sed deindè preces illas negligens, pristino dolore cruciatur. Resipiscit verò, omissa repetit, & redit incolumitas. Itèm alius. Castigatur voti violator.

Matrona Coloniensis, diues sanè, dolore dentium grauissimè cruciabatur. Dentem vnum, qui erat totius mali origo, curat extrahendum: sed radice relicta, atrociori dolore afficitur, ità vt furere videretur. Adit martyris Engelberti monumētum, offert illic mandibulam ceream, domumque abiens, in ipso itinere se sentit incolumem. Quisnam ergò pontificis nostri sanctitatem in dubium reuocet, quem tot commendant præclara miracula? Immanis dolor dentiū sopitur.

In pago quodam diœcesis Coloniensis puella erat sex annorum, ab ipso ortu muta. Ea cum oblationibus primùm ducta est ad sepulcrum martyris: sed cùm non curaretur, perducta est ad eum locum, vbì occisus est. Vbì cœpit rectè & expeditè loqui, quæ nunquàm anteà locuta fuerat, cunctis non immeritò admirantibus. Muta loquitur.

Est pagus Vuestphalię Vlichdorp, in quo erat quidā ex multo iam tempore surdus. Pro eo vxor quotidiè orabat martyrē Engelbertum, addito etiam voto, si sanaretur, aditurum eum locum cædis eius nudis pedibus & sine lineis vestibus, ibique oblationes suas daturum. Eo voto suscepto, ait surdus? Audio pulsari ad Missas. Stupet vxor, dicitque ad eum: Audis etiam me loquentem. Audio, inquit, immò verò nunquàm mihi antehàc meliùs audisse videor. Itaque gratias agens Deo & martyri Engelberto, abijt in Giuelberg, vbì cæsus est martyr, & vota persoluit. Vide voti efficaciā in surdi curatione.

Vt verò Dominus martyris gloriā declararet, etiam per nocturnas visiones quosdam admonuit eius suffragia implorare. In pago Iserenlonensi fuit quidam, semiquinque annis ex paralysi & linguæ & manuum officio destitutus. Is sub meridiem quandoquè obdormiens, audiuit vocem dicentem sibi: Dic auunculo tuo, vt ducat te in Giuelberg, vbì occisus est Episcopus Engelbertus, & curaberis. Mox illę euigilat, incipit loqui, & gratias agit Deo. Stabat auunculus eius in media domo, audiensque loquentem illum, alta voce dicebat: Quis loquitur in cubiculo? Respondet ille: Ego loquor. Accurrit auunculus, obstupescit, aitque ad eum: Qui fit, vt tandiù Mutus loquitur.

mutus, tam absolutè loquaris? Ille refert quam vocem audierit. Nondùm autem commodè ingredi potuit, quòd coxa diuturni morbi vi exesa esset. Itaque in vehiculo ductus est in Giuelberg, in dies meliùs habere cœpit, ità vt exiguo scipione fultus, iret quocunquè libitum esset, per merita martyris se sanatum vbiquè prædicans.

Hermannus de Lechnich Episcopi Engelberti ianitor fuit, quo munere hodieque apud successorem Henricum fungitur. Is ante Augustum mensem acerrima correptus febre, ità & corpore & mente defecit, vt vxore eius in eádem domo obeunte, amicisque eam plangentibus & ad sepulcrum efferentibus, ille prorsùs non adverteret, quid ageretur. Cumque tam miserè ad dies quindecim decubuisset, clara luce ostio aperto videt eminùs beatum illum martyrem tanquàm ad se venientem cum multis alijs religiosis viris, qui omnes erant albis induti, & ad collum habebant oraria siue stolas, vt solent sacerdotes. Ipse autem beatus pontifex mulæ albæ insidebat: iam enim lauerat iumentum carnis suæ in sanguine Agni. Hermannus ea visione exhilaratus, ad fœminas, quæ illic sedebant, alta voce dicit: Exite ocyùs bonæ dominæ: Engelbertus Episcopus venit ad me. Fratrem quoquè suum, qui ad limen ostij erat, fortiter inclamans: Surge, inquit, frater, cede locum domino meo, vt possit ingredi ad me. Sed illis non se mouentibus, quòd putarēt vi morbi eum delirare, iterùm clamitat: cunctique, dempta puella paruula, foràs exeunt. Ante hos autem clamores miles quidam iam vita functus, vir bonus & modestus, candidatos illos antecesserat, dixeratque Hermanno, vt se pararet: Episcopum Engelbertum velle ipsum inuisere. Cùm ergò omnes egressi essent, beatus Engelbertus, quē tum obijsse nesciebat æger ille, cum quodam monacho ignoto ad lectum eius accessit, aitque ad eum: Vt habes Hermanne? Respondit ille: Malè, mi domine: vel solum apostema lateris mei nimiùm me cruciat. Tum Episcopus ad monachum se vertens, Adeò, inquit, confectus est hic vir, vt meritò potuerit animam expirare. Deindè manu tangit apostema, moxque incipit sudare homo: & Episcopus, cùm ei benedixisset, euanuit. Confestim adiutum se sentiens Hermannus, iam regressis intrò illis, qui exierant, rem omnem exposuit. laudatur ab omnibus Deus, & sanctus martyr eius Engelbertus.

Visio cuiusdam.

Mira curatio febricitantis.

Nobilis quidam valdè laborabat è pede. Monitus ab Abbate nostro, vt sancto Engelberto cereum pedem voueret, fecit sic, & curatus est: sed tumor & dolor omnis ab illo pede migrauit in alterum. Dicente autem Abbate, sanctum Episcopum duos velle cereos habere pedes, ille alterum quoquè pedem vouit, & repentè dolor omnis euanuit.

Nota antiquum vsum in oblationibus faciendis.

Eodem tempore quidam è familia Ducis Limburgensis, pollicem contritum habuit. Venit ergò Coloniam, & cùm manū ceream ad sepulcrum martyris obtulisset, curatus est.

Alius in eiusdem Ducis castro natus, miserè contractus fuit. Ei ironicè dicere solebant nobiles principis illius: Abi, abi Coloniam ad sanctum Engelbertum, vt sanet te. Ità illi insultabant martyri propter veteres simultates, quæ Duci eorum cum Engelberto intercesserant. Tandèm homo abijt Coloniam, & tribus continuis diebus orans apud sepulcrum martyris, exauditus est. Cumque domum reuertisset, & eum nobiles illi, atque alij eius regionis homines sanum viderēt, quem biennio fœdè contractum nouerant, pudefacti dicebant: Iam reuerà cernimus Archiepiscopum Engelbertum sanctum esse.

Contracto redditur incolumitas.

Quidam decem annis absque scipionibus ambulare non poterat. Venit ad tumulum martyris, & scipionibus illic relictis, domum sanus reuersus est.

Itèm alteri.

Mulier quædam Colonię in platea salaria habitans, nouem annis dolore capitis & gutturis laborauit. Nocte quadam, doloris immanitate vrgente, beatum martyrem implorat, & ante solis ortum tumor & dolor omnis abscedit. Manè igitur adit sepulcrum eius, hilariter suas oblationes exhibet, agit gratias, & læta redit ad suos.

Dolor capitis & gutturis profligatur.

Mindensis Episcopus veniens in Giuelberg, orandi causa ingressus est in sacellum, quod illic in loco cædis eius fabricatum est. Oblatus est autem ei illic puer, qui contractus fuerat, & ibidèm sanatus. Eum intuens Episcopus: Vnus, inquit, ex famulis meis tam dirè cœpit morbo laborare in hoc itinere, vt ab equo in terrā deponi eum oportuerit. Cumque tractaremus, quid faciendū illi esset, tandèm recordati Archiepiscopi Engelberti, rogauimus vt suis meritis misero opitularetur. Simulatquè nos preces absoluimus, ille surrexit sanus, & conscenso equo, martyri gratias egit.

Pueri contracti curatio.

Itèm ægri.

Conuersus quidam Campensis monasterij, olim nobilis fuerat, & vitæ sic satis honestæ,

nestæ. Huic oranti adeò importunè se ingerebant cogitationes diuitiarũ & honorum mundi huius, vt instar muscarum morientium, suauitatem vnguenti, id est, orationis deuotionem, perderent. Crebrò ille corpus suum cædebat virgis, & multorum sanctorum suffragia implorabat, vt liberaretur: sed non impetrauit. Tandèm memor Archiepiscopi Engelberti pro iustitia cæsi, flexis genibus illum inuocauit, & eádem hora adeò liberatus est, vt deincèps nihil eiusmodi sentiret. Eccles. 10. Tentatiões perniciosæ abiguntur.

Mulier quædam filium habens paralyticum, martyri vouit se cum filio, si eum sanaret, venturam ad eius monumentum, & munera oblaturam. Votum mox consecuta est salus ægroti: & martyri iucundis animis persolutum est, quod fuerat promissum. Paralyticus sanatur.

Alia mulier, natione Geldrẽsis, Colonię in parœcia S. Seuerini degebat vidua cum matre sua & filio adhuc puero, qui miserè caduco morbo affligebatur. Quod cùm mater ferret molestissimè, dixit quandoquè matri suæ: Audio Episcopum Engelbertum multis clarere miraculis: quid si ducamus filium ad sepulcrum eius? Respondit illa: Cras eum ducemus ad aram sancti Cornelij, quę est in ecclesia sancti Seuerini. Is enim solet huic mederi morbo. Manè igitur veniunt ad altare, offerunt munera, & orant pro puero intentissimè. Ea die visus est planè liberatus à morbo puer. Itaque auia eius, tanquàm improperãs martyri Engelberto: En, inquit, antiqui sancti nórunt beneficia præstare indigẽtibus. Postridiè rursùs inuadit morbus puerum, solito etiam infestior. Id mater tremebunda cõspiciens, puerum cum cereo adducit ad tumulum martyris Engelberti, eumque plena fide illi imponit, oratq; cum gemitu & lachrymis pro illo. Sanatur puer, nec vnquàm in morbum illum recidit. Temeritas fœminæ castigatur. Miraculũ.

Surdus quidam peregrè Coloniam venit, martyris sepulcrum adijt: & cùm obtulisset preces, ilicò restitutus est. Surdus audit.

Mulier quędam Coloniensis nouem annis vno orbata oculo, & alterius brachij officio destituta, apud beati martyris sepulcrum sic orauit: Domine, si anima tua est apud Deum, vti creditur, intercede pro me apud illum, vt per me declarentur merita tua. Mox vt illa cessauit orare, oculo lumen, brachio pristinæ vires redduntur. Atque hoc quidem primum fertur fuisse miraculum ab eo Coloniæ editum: sed tum annotatum non fuit, sicut & alia multa, quæ propterea hodiè ignorantur. Cæcæ ocul° & brachium curantur.

Fœmina quædam miserandum in modum contracta annis quatuor & mensibus sex, Coloniam adducta, & apud martyris tumulum deposita, cùm ad duas horas precata esset martyrem, paulatìm se subrexit, & interìm neruos laxari sensit. Tandèm nullius freta adminiculo, pedibus suis redijt in pagum suum, vbiquè martyrem laude & prædicatione efferens. Contracta restituitur.

Pellio quidam est Coloniæ notissimus. Eum magno alterius brachij dolore excruciatum hortabatur vxor, vt adiret Episcopi Engelberti monumentum, & pro sanitate eum deprecaretur. Ille indignabundus respondit: Id ego non faciam. Cùm enim in viuis esset, præter ius à me quatuor marcas accepit. Et vxor: Non ità, inquit, loquaris: sed eas ad sepulcrum eius, & dicas te nũquàm repetiturum illam pecuniam, siue iure, siue iniuria data sit. Initio enim pontificatûs eius acerba inter scabinos & tribus ciuitatis erta orat dissensio: quam cùm componere non posset ob tribuum pertinaciam, quatuor millia marcarum ab eis exegit, è quibus hic pellio quatuor marcas dependerat. Acquiescit vxoris consilio, abit ad monumentũ, dicit animo simplici: Domine, siue rectè, siue præter fas à me acceperis quatuor marcas illas, ego te liberũ pronuncio apud Deum. Oro igitur, vt precibus tuis sanes brachium meum. Dixit, & ilicò sanatus est: ostenditque brachium Decano summæ ædis, merita martyris prædicans. Nota miraculum.

Idem Decanus abijt ad castrum Radenrodense, inuisere volens cognatam suam. Cumquè inter se conferrent de miraculis Episcopi Engelberti, Decanus matronæ illi dedit dimidiam zonam eiusdem Episcopi, quam argento ornandam curauerat. Erat tum in castro illo puer tertiana laborans, quem matrona cingens zona illa, Domine Archiepiscope, inquit, quàm verè est anima tua apud Deum, tam certò curetur hic puer per merita tua. Confestìm abijt febris, nec ausa fuit redire ad puerum. Miraculum zonæ eius.

Matrona quędam duplici conflictata quartana, per merita sancti martyris reualuit. Aegra conualescit.

Hermannus aduocatus Coloniensis, adeò cruciabatur dolore lateris, vt familia omnis ilicò moriturum existimaret. Intolerabili igitur cruciatu affectus, ità exclamauit: O Domine Archiepiscope, ego te præ omnibus dilexi, & tu quoquè me non mediocriter amâsti: oro vt me hoc morbo liberes. Sed cùm non statim adesset remediũ, doloris immanitate stimulatus, substomachans ait: En omnes, etiam qui te non no-

 uerunt,

uerunt, tu adiuuas: me qui tibi inseruiui, teque semper amaui, negligis. Cumque hæc & id genus alia diceret, filij & famuli eius vouerũt se cum illo ituros in Giuelberg, vbi beatus Episcopus cæsus est, si illum sanaret. Vouent illi, & ille obdormit: rursusque expergiscens: Nihil, inquit, mali sentio. Gratias ago Deo, & Episcopo Engelberto.

Mira vis voti nũcupati.

Fœmina quædam è Flandria attulit filiũ suum infantem. Cumque eum in balneo posuisset, & necessitate vrgente ab eo recessisset, illius oblita est. Post horam verò reuertens, cernit infantem aquis præfocatum. Itaque incredibili correpta dolore, simul etiam recordata martyris, qui tum passim ferebatur multis coruscare miraculis, toto corde cum lachrymis & suspirijs orauit eum, vt excitaret filium ipsius. Redit anima in viscera infantis, mater ineffabili afficitur gaudio, venit cum infante Coloniã, & apud sepulcrum martyris gratias agit immensas. Quis te pro his non magnificet Domine Deus? Eccè per martyrem tuum Engelbertum cæci vident, claudi ambulant, paralytici curantur, surdi audiunt, tertianę & quartanę febres profligantur, epileptici & alijs diuersis implicati morbis, sanantur, etiam mortui reuiuiscunt. Si non esset hic homo cum Deo, immò potens apud Deum, non pesset facere quicquam.

Infantem mortuum excitat.

Referam nunc quoddam nõ exiguum sanctitatis eius documentum. Godefridus Comes de Arnsberg, venit quandoquè ad monasterium Montense, & cùm mentio incideret, quemadmodùm illic tractatum esset corpus beati martyris Engelberti, sciscitabatur ille, vbi viscera eius humata essent. Dicentibus monachis, in cœmeterij fossa quadam vulgari condita esse: Non decet, inquit, tanti principis, immò & martyris miraculis coruscantis, viscera tam negligenter haberi. Obtemperant verò illi fratres, amouentque à sepulcro humum: & eccè viscera martyris adeò cernunt recẽtia, acsi illa hora è corpore extracta essent. Nihil in eis corruptionis, nihil fœtoris sentiri potuit, cùm tamen iam quatuordecim hebdomadas tumulata fuissent. Admirantur fratres haud vulgariter, agnoscunt Dei virtutem & martyris merita: collecta viscera in scrinio reponunt, & ante altare honorificè condunt.

Viscera martyris incorrupta post multas hebdomadas.

Sacerdos quidam doctus & pius, calculi dolores ferens intolerabiles, votum fecit, si beatus Engelbertus ipsum intra biduũ curaret, se cum muneribus eius sepulcrum visitaturum. Curatus est ante biduum spe sua celeriùs, & promissi munus accuratè confecit.

Eccè voti efficaciam.

Henricus Abbas Hemmenrodensis ex Iohanne Burggrauio ab Hamerstein didicit, quod dicturus sum: Quidam ex familia eius, omnibus in castro illo notissimus, diù oppressus paralysi, vt audiuit miracula martyris Engelberti, toto corde illum inuocans, votum suscepit. Ductus est Coloniam paralyticus, & indè ad castrum incolumis reuersus est.

Paralyticus fit sanus.

In Saxonia monasterium est ordinis Cistertiensis, quod Cellam vocant. Eius quidam frater adeò doluit dentes, vt somnum capere non posset. Nocte quadam supra vires cruciari se sentiens, has preces fudit: Domine Episcope Engelberte, si verum est animam tuam degere apud Dominum, adiuua me. Dixit sic, & obdormiuit. Posteà euigilans, doloris omnis expers deinceps fuit.

Quidã dentium dolore liberatus.

In Vuestphaliæ pago Hagensi puella quædam pedibus ingredi non potuit præ paralysi. Diù sic vexata, tãdem perduci se petijt ad locum, vbi beatus martyr occisus est. Vidit id vir quidam, & salutem eius desperans, ait: Si hæc curata fuerit eo loco, quò proficiscitur, ego hoc saxum (digito illud demonstrans) eò deportabo. Venit puella ad locum optatum, & sanata est. Vbi id comperit vir ille, nocte tulit saxum, nè ab alijs irrideretur, & ad locum deportauit, qui indè sesquimilliari aberat.

Paralytica sanatur.

Alia puella alterius loci annos aliquot vtroq; oculo orbata fuit. Audiuit in somnis, si lapidem quendã suis humeris ferret ad locũ passionis beati martyris, qui cederet in structuram ecclesiæ ibi tum inchoatæ, confestim ipsi lumen restitutum iri. Indicat hoc parentibus: illi & sumptu & laboris itinere, tum quoquè visionis incertitudine absterriti, eam non audiunt. Tandèm ad locum deducta, cùm lapidem illic deposuisset, mox ab eius oculis albugo prodijt. Indè domum sana reuertens, parentibus lætitiam, vicinis admirationem affert.

Cæca illuminatur.

Monachus quidam grauiter laborans, beatum Episcopum sic appellauit: Memineris, domine, me ab illo tempore, quo cæsus es, semper in Canone Missæ tuum nomen expressisse. Itaque pro salute corporis mei te orare æquum est. Eádem nocte illi dormienti apparuit, iussitque sanum & incolumem esse. Expergefactus ilicò, è lecto sanus exit.

Aeger curatur.

Ansel-

Anselmus pastor Coloniæ ad sanctam Brigidam, vir doctus & bonus, adeò scabiosas habuit manus, vt lepram prę se ferre viderentur, nec ille præ verecundia cum quoquam cibum capere vellet. Admonuit eum sacerdos quidam, vt inuiseret sepulcrum martyris Engelberti. Venit ad sepulcrum, imponit illi manus, votum facit martyri, & eadem hora, ipso admirante, tanquàm squamæ quædam ceciderūt de manibus eius. Sed cùm meliùs habere cœpisset, non stetit promissis. Redit scabies, & præuaricator voti redit ad cor: iterat votum, & ocyùs curatur. Nota miraculū, & pœnam votum negligentis.

Abbate Eberbacensi nupèr ad martyris sepulcrum orante, quidā ciuis ait ad eum: Meritò ad monumētum martyris nostri oras domine Abba. Reuerà enim in magno ille apud Dominum precio est, cuius ego in me virtutem mirabiliter sum expertus. Adeò enim hydropisi intumueram, vt medici spem omnem vitę meæ abijcerent. Ego igitur multùm eiulans quadam nocte, cùm diù stetissem ante lectum meum, toto pectore martyrem hunc inuocare cœpi. Deindè fessus, in lecto paulispèr obdormiui. Pòst expergefactus, dolorem & tumorem omnem sentio euanuisse. Obstupesco tam inexpectato miraculo: exploro, num humor noxius, dirupta pelle, in lectum dimanârit. Sed nec humorem vllum in lecto, nec in corpore rupturam reperio. Itaque gratias ago Deo, qui tam præclarè ornat & illustrat electos suos. Hydropici mira curatio.

Venio nūc ad miracula, quæ in Giuelberg, vbì trucidatus est martyr, facta sunt, quæ ad me scripto cōpræhensa miserunt sacerdotes eius loci, qui ea partìm viderunt, partìm auditione acceperunt ab illis, in quibus patrata sunt.

Cùm præpotens Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, diuersis miraculis Engelberti martyris sui merita declarare cœpisset, faber quidā, vir bonus, cum filio suo quatuordecim annos nato, intempesta nocte præterijt locū illum, in quo beatus ille necatus fuit. Et eccè videt vterque cereum insignē in ipso martyrij loco, vbì nunc altare extructum est, flammis radiantibus ad mensurā cubiti vnius à terra eleuatum, qui & tenebras circunquaquè illustraret, & tamen neque imbre, neque ventorum flatu extingui posset. Mirantur igitur, & cùm non ignorarēt, quid visio illa sibi vellet, precandi causa ad locum accedunt: & cereum quidem conspiciunt, sed nulla ratione possunt attingere. Mox properant in pagum Suuelme, & visionem indicant Bartholdo sacerdoti. Psal. 67. Visio mirabilis.

Ea visio postquàm diuulgata est, quidam carpentarius non longè à Giuelberg habitans, cùm toto anno crus eius planè exaruisset, eò accessit, terramque martyris cruore infusam, cruri alligauit, & post triduum integrè curatus est. Crus emortuum reuiuiscit.

Mulier quædam cum filia, quæ semper clauda & muta fuerat, ad sacrum martyrij locum venit, & aliquot diebus cum lachrymis pro illa martyris opem implorauit. Et eccè muta loquitur, petit ouum à matre, illudque procùl ab ea allatum, propiùs ad eam accedens, hilariter accipit ex manu illius. Clauda & muta curatur.

Parochus quidam manum dextram plusquàm dimidium annum adeò habuit ex morbo quodam malè olentem, vt tota hyeme ab offerendo Missæ sacrificio abstineret. Cùm autem in mentem ei venisset, beatum virum pro iustitia immeritò occisum, plena fide manum loco cædis admouit, & paulò pòst sanam retraxit. Cuiusdam manus dextera restauratur.

Sacerdos quidam cęcus, procùl è Saxonia venit ad hunc locum: & cùm humì prostratus, piè admodùm Deum & martyrem eius deprecatus esset, lumē amissum recuperauit. Non multò pòst pro gratiarum actione limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli, itemque Iacobi adijt, Engelberti martyris gloriam vbiquè prædicans. Cæco redit lumen.

Per id tempus etiam mulier paupercula, quinque annos cæca, eodem loco orans cum lachrymis & humì prostrata, lumen gratulabunda recepit. Itèm cæcæ.

Anno Christi millesimo ducentesimo vicesimoquinto, qui fuit pontificatûs Engelberti annus decimus, vitæ verò quadragesimus, & cædis primus, apud pagū Suuelme fuit quidam paralysi admodùm afflictus. Is post multas calamitates perductus est ad locum hunc, in quo sæuitū est in martyrem, atque in ipsa parasceue nocte intempesta orans, vidit beatum præsulem tanquàm viuum pontificalibus indutum, instàr solis fulgentem, cum duobus viris clarissimis, qui & ipsi magno vestium ornatu conspicui erant, ad eundem aduentare locum, eosque pariter illum circumire, indicare spatia, in quibus construēdum sit monasterium, deindè simul disparére. Eius visionis tantus fuit effectus, vt paralyticus se sentiret beati Engelberti meritis curatum. Visionis mirus effectus.

In eodem loco, vbì martyr passus est, Crux lignea erecta fuit. Venit autem eò veteranus quidam, & miraculis martyris obtrectans, intra se ait: Quid est, quod video & audio? Homo iste tyrannus fuit, oppressor pupillorū & viduarum, superbus & auarus.

Vindicta cælestis in martyris calumniatorem.

Adeoque gloriæ eius inuidit, vt nec Crucem illam æquis posset oculis intueri. Sed iustus Dominus repentè igne cælesti guttur & humeros liuidi hominis inflammauit. Mox ergò ducitur in ædes filiæ amicæ suæ, ibique per ordinem omnibus confitetur, quid de martyre cogitauerit. Consulunt amici, vt indutus cilicio, nudis pedibus (Erat autem tum hyemis ingens frigus) ad locum sacrum redeat, precibus & lachrymis martyrem sibi conciliet. Facit sic, & post triduum integrè sanatur.

Pœna indignè Eucharistiã percipientis.

Fœmina quædam in Paschate cum cæteris sacrosanctam Eucharistiam percipiens, terribili Dei iudicio cœpit spumare, agitare linguam, nec tamen quicquam posse eloqui. Ante communionem sanissima fuerat: indignè accedens ad sacramẽtum, subitò intantùm debilitata est, vt nullum membrum mouere posset. Ab ineunte enim ætate admodùm dissolutè vixerat, & multis onusta peccatis, tam salutarem medicinam prorsùs imparata sumpsit. Itaque sacra corporis Christi communio non remedium ei attulit, sed tormẽtum. Periculosum est ægro obstipato, vti medicina fortiter aluum ciente, nisi priùs sumat quippiam, quo peccans materia digeratur. Ità ergò peccator obstinatus & induratus, nè medicinam corporis Christi ad iudicium accipiat, peccatorum virus & noxios humores contritione & cõfessione priùs digerere debet. Porrò increscente in fœmina, de qua agimus, cælesti animaduersione, in somnis visio ei oblata est, qua didicit se breui curatum iri, si velit locum, vbi cæsus est Engelbertus Episcopus, adire. Difficulter igitur & cum magno labore venit ad locum, moxque restituta, surrexit è lecto, & cibum potumq; sumpsit, Deoque gratias agens, promisit se annuum censum martyri illo in loco persoluturam.

Sanatur post pœnitentiam.

Puerulus quidam colli tumore ingenti & periculoso laborans, non linguam mouere, non cibum capere, nihil neque videre, neque audire potuit. Ea re miserè afflicti parẽtes eius, cum multis lachrymis rogârunt, vt mitrà beati martyris caput pueri tangeretur. O miram Dei gratiam. Mox vt mitra imposita est capiti infantis, tumores detergent, noxij humores euanescunt, & priusquàm paternæ domûs attingat limina, infans totus reualescit. Eam mitram in capite habuit Episcopus, cùm trucidaretur. Itaque sacro eius tincta cruore, malè habentibus affert medicinam.

Vide mirũ effectũ mitræ Episcopi

Mulier quædam paupercula morbo vrgente, è Turingia venit in Giuelberg non sine multa difficultate. Laborabat illa angina, toto anno lusca fuit, sinistra manus exaruerat, pedem podagra infestabat. Tot oppressa malis, prosternit se in loco, vbi occubuit martyr, orat cum lachrymis: non tamẽ impetrat sanitatem, sed spe impetrandi non destituitur. Redit post menses duos, & perfectè curatur. Gratitudinis ergò promittit annuum censum martyri Engelberto.

Morbida curatur.

Quo tempore euersum est castrum Comitis Friderici, qui fuit author cædis Episcopi, cuiusdam etiã mechanici domus, quæ iuxtà erat, destructa est, & facultates omnes ei ereptæ. Quæ res adeò ei doluit, vt plorando oculos amiserit. Sexto cęcitatis mense votum nuncupat beato Engelberto, duosque oculos cereos secum ferens ad locum martyrij, vnius oculi sui lumen recipit.

Cęcus videt

Pauperculus quidam in Vuestphalia septem annis non vno cõflictatus est morbo. Alterum eius latus emortuum erat, manus aruërat, lateris costæ confractę erant, crus adeò intumuit, vt crassitudine ventrem æquaret. Duobus fultus scipionibus venit ad locum, vbì impij trucidârunt Episcopum Engelbertum: preces supplices obtulit, & celeriter impetrauit quod voluit.

Multis affect' morbis, fit sanus.

Crebrescebant eo in loco miracula, & permulti quotidiè accedebant & recedebant, alij salutem expetituri, alij se eam adeptos gratulantes. Inter alios venit surdus quidam, qui decem annis nihil audiërat: sed videns hominum tum aduentantium, tum abeuntium frequẽtiam, animaduertit curationes fieri. Veniens ergò ad locum, vbì martyr occubuit, sanitatem adeptus est. Qui propiùs illi adstabant, audiêrunt rumpi pelliculas aurium, quibus meatus obstructi erant. Indè verò tantus consecutus est dolor, vt caput vtraque manu comprimendo, eum nonnihil lenire cogeretur. Auditu recuperato, martyris gloriam vbiquè diuulgauit.

Surdus audit.

Auceps quidam in brachijs & manibus spasmo laborans, multa loca inuisit, remedia multa adhibuit, sed nihil profecit. Venit tandèm in Giuelberg, & optata illic sanitate potitus est. Vt autem se martyri gratum declararet, annuum cẽsum se illi loco daturum recepit.

Spasticus sanatur.

Fœmina quædam Andernacensis, toto corpore inflata, decem & octo hebdomadibus immanes dolores pertulit. Vbì audiuit miracula Engelberti, huiusmodi votum susce-

Inflata malis humoribus curatur

ſuſcepit: Domine Deus, inquit, ſi per merita martyris tui curata fuero, nudis pedibus ibo in Giuelberg, vbi cæſus eſt. Indè intra triduum ſana effecta, fecit vt erat pollicita.

Nobilis quidam Andernacenſis, diues & potens, multis annis totus ex paralyſi decubuit. Erat morbus ille adeò vehemens, vt cibum erectus capere non poſſet, ſed pectori impoſitum iacens magna vi tādem deglutiret. In ſomnis autem admonitus eſt, quodam in loco tèr oſculari humum, & tres offerre preces in honorem beati Engelberti martyris: ità enim fore, vt ilicò ſanaretur. Ille viſionem indicat vxori & liberis, quam illi vt phantaſticam irrident. Valdè igitur afflictus, cum lachrymis orat ſe ad locum deſignatum deportari. Párent tandèm deprecanti, & cùm ad locum perductus eſſet, tèr ſe proſternit, & orat, totusque fit ſanus & incolumis. Deindè nudis pedibus cum vxore & prolibus ſe contulit Giuelberg, obtulit preces & munera, & annuum quoquè cenſum ſe daturum pollicitus eſt. Paralyticus reualeſcit.

Theodoricus vir nobilis, à teneris annis ſurdus, ad locum, vbì martyr paſſus eſt, ſpe ſalutis obtinendæ venit. Octo diebus illic in labore & precibus perdurans, integerrimè ſanatus eſt: atque eum locum deincèps ſummo ſtudio & deuotione atq; annuis muneribus proſecutus eſt. Surdus curatur.

Quidam decem annis crura contracta & eneruata habuit. Is tandèm duobus innitens ſcipionibus, ad hunc locum contendit. In itinere preces ab imo pectore fudit multis permixtas lachrymis, & in ipſo paſſionis loco cum tanta ſe deuotione proſtrauit, vt etiam citiùs, quàm ipſe aduerteret, ſanitas ei reſtituta ſit. Hoc miraculum quicunque viderunt, in martyris erupêre laudes, altaque voce eum concelebrârunt. Contractus reſtituitur.

Virgo quædam adeò fuit in facie à vermibus exeſa, vt ipſi quoq; parentes eam contemnerent & abominarentur. Sed id Deus non ſuſtinens, patrem eius egregiè flagellauit. Agnoſcens ille ſe ob filiæ contemptum diuinitùs puniri, confeſſus eſt ſacerdoti, & cum filia vouit ſe ad locum, vbì peremptus eſt beatus Engelbertus, profecturum. In ipſo autem itinere ambo ſanati ſunt. Venerant cum illis viri ampliùs ducenti, qui omnes eius miraculi teſtes fuêre. Duo ſanantur.

Quædam fœmina diuturno dentium cruciata dolore, fabrum acciuit, qui ei dentem extraheret. Venit faber, ſed dum forcipe admota, nimiùm trahit, & dētem frangit, & mandibulam è ſuo loco euellit. Tum verò miſera illa nec cibum capere potuit, ità vt vita ipſa faſtidio ei eſſet. Tandèm inuocat beatum martyrem Engelbertum, & eius meritis maxilla redit in locum ſuum, & dolor omnis faceſſit. Illa nudis pedibus abit in Giuelberg, reddit vota, & annuam oblationem promittit. Dolor dētiũ abigitur.

Henricus quidam nimio vino óbrutus, cum alijs corrixari cœpit, & probra iactare. A verbis ad enſes ventũ eſt. Interìm ille apud talum in neruo dirè vulneratur, cruréque ex eo vulnere cōtracto, ambulandi facultate deſtituitur. Quæ res ad eam inopiam illum adduxit, vt ſcipionibus innixus, ſtipem quotidiè oſtiatim emendicare compulſus ſit. Vt verò comperit multos quotidiè curari à beato Engelberto, ad locum cædis eius profectus eſt: nec tamen tunc curatus eſt: ſed cùm ſpem non abijceret, & tertiò non ſine multa difficultate eò acceſſiſſet, poſt preces ſupplices Deo & beato Engelberto oblatas, integrè curatus eſt. Contractus fit ſanus.

Nec ſolùm ijs locis, quibus necatus & ſepultus eſt martyr noſter, ſignis & miraculis clareſcere voluit, ſed quanti apud Deum ſit meriti, etiam in remotis locis, non rarò oſtēdit. In vrbe quadam faber vxorem habuit toto corpore adeò inflatam, vt hydropiſi laborare putaretur. Seſquiannum illo incommodo ità malè affecta fuit, vt omnis edendi atque bibendi appetitus planè proſtratus in ea eſſet. Nocte quadam audiuit vocem in ſomnis: Si locum, vbì fuſus eſt ſanguis beati martyris Engelberti, viſitaueris, eius meritis mox curaberis. Indicat marito quid audíerit. Ille ſummo manè cum ea iter ingreditur: quod cum necdùm medium confeciſſent, mulier planè incolumem ſe ſenſit. Id vbì maritus comperit, non ingratus tanto beneficio, pergit cum illa, venienteſque in Giuelberg, martyris gloriam prædicant, & miraculum diuulgant, hilariterque annuum cenſum promittunt. Mulier morbida ſanatur.

Virgo quædam octo annis morbi cuiuſdam infeſtatione adeò debilitata fuit & excruciata, vt abſque alienis manibus nec edere, nec bibere, nec loco mouere ſe poſſet. Adducta igitur ad locum, vbì beatus Epiſcopus ſanguinē fudit, mox vt illum attigit, ſanata eſt. Itèm virgo quædam.

Hoc anno, qui eſt à Chriſto nato milleſimus ducēteſimus triceſimuſſeptimus, puer quidam annos plùs minùs ſedecim natus, ſed mēte captus, à matre ductus eſt in beati

Puer mente captus curatur.

Engelberti ecclesiam, quæ est in Giuelberg. Stanti autem illi in eo templo, quidam sic ait: Abi ad altare,& sublatis manibus ora beatum pontificem,qui illic sanguinem suum fudit,vt te sanet.Fecit ille,vt iussus erat,& curatus est.

Visio Ioseph sancti monachi.

Ioseph monachus Steinfeldēsis admodùm religiosus & pius, hebdomada vna ante cædem Episcopi Engelberti, quadam nocte intempesta sub dio stabat, in siderum pulchritudine Deum creatorem contemplans. Cumq; in lunam tum pleno lumine incedentem oculos intēderet,vidit aliam oriri lunam in plaga Aquilonari, cuius tanta erat lucis præstantia, vt alterius lunæ lumen propemodùm obscuraret. Stabat ea re attonitus: & eccè videt cælum à dextris patefieri, & inter eam patulā cæli partem & lunam recèns ortam,quæ iam cœpit eò contendere,vbì apertum fuit cælum, conspicit effigiem gladij,breuis quidem,sed lati,quales sunt Bauarorum.Deindè videt lunam, quæ ab Aquilone ad Orientem ascendebat, postquàm gladium attigit, simul cum illo ingredi in cælum,qua parte patescebat. Hanc quidē visionem etsì ille nō intellexit,non tamen dubitauit magnum aliquid portendere.Itaque ad lectulum anxius redijt: vbì cùm paululùm dormitare inciperet, turbam quandam prætereuntem sibi visus est audire, crebroque alios alijs dicentes: Eheu, eheu, Episcopus Engelbertus occisus est.Indè verò satis ille coniecit, quid visio portenderet, sed non fuit ausus illi fidem commendare. dicebat enim apud se: Quî fieri potest, vt vir tam insignis & potens,tanto semper stipatus comitatu, occidatur? Quòd si verò etiam id accidat, quis credat virum totum mundo deditum, cui ad voluntatem fluunt omnia, quique tot affluit delicijs, ità continuò coronari? Sed non potuit, quod ostensum erat,non fieri.Itaque breuì pòst cecidit vir tantus,suorum gladijs trucidatus,pro quo,nè caderet,suas illi potiùs ceruices debuerant obijcere.Ea igitur visionis parte cōpleta,nondùm sibi persuadere potuit vir sanctus,vt erat semper sibijpsi suspectus, martyrem esse tam citò in cælis gloria & honore coronatum.Facta est itaque vox ad eum: Pro eo, quòd visioni verissimæ fidei oculos aduertere noluisti, dolebunt tibi oculi corporis tui: nec cessabit dolor, donèc oculos cereos offeras ad sepulcrum martyris, & ex restituta salute eam,de qua nunc dubitas, certissimè comperias veritatem. Vocē hanc secutus est oculorum dolor: sed simulatquè obtulit, quæ iussus erat, ad martyris monumentum, repentè dolor omnis euanuit: præstante Deo ac Domino nostro, cui honor, gloria & imperium, sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Punitur à Deo,dū de sanctitate martyris dubitat.

Sanatur.

MARTYRIVM SS. CLAVDII, NICOSTRATI, SYMPHORIANI, CASTORII ET SIMPLICII: ITEMQVE *sanctorum quatuor Coronatorum,ex Martyrologio Adonis Episcopi Treuirensis:qui historiam,quæ in MS.codicibus habetur,plerisq; locis admodùm obscura & mendis scatens, in compendium redegit.*

Nouēbris 8.



OMAE natale sanctorum martyrum Claudij, Nicostrati,Symphoriani,Castorij & Simplicij, imperantibus Diocletiano & Maximiano. Hi cùm essent artifices insignissimi, & marmorum cæsores probatissimi, Imperatori Diocletiano valdè facti sunt accepti. Cùm itaque tempore quodam essent quadraturis marmorum intenti, & artem suam signo Crucis munirent, & ad voluntatem ipsorum artificium fieret, horum vnus Simplicius, qui adhuc pagano errore tenebatur, dixit ad quatuor reliquos: Adiuro vos per deum Solem, vt quis iste Deus sit, dicatis mihi, in cuius nomine vos tàm benè operamini. Cui Symphorianus: Si potes credere, dicemus tibi, & mox artem consequēris: sed & vitam æternam habebis. Quem cùm in fide solidatum beato Cyrillo Episcopo consignâssent, isdem Episcopus baptizauit eum, & Christo Domino credere informauit.

Artē suam signo Crucis muniunt.

Non multo pòst accusati à Philosophis, quòd Christiani essent,& quòd deum Aesculapiū fingere,sicut præceperat Imperator,ex marmore Porphyretico & * Proconisso noluissent, Diocletianus iussit cuidam tribuno, nomine Lampadio, sub moderatione

for.* Proconnesio

ratione verborũ eos audire. Quibus iisdem Lampadius dixit: Adorate deum Solem, ut destruatis consilium Philosophorum. Qui respondentes, dixerunt: Nos nunquàm adoramus facturam manuum nostrarum: sed adoramus Deum cæli & terræ, qui imperat inæternùm, Iesum Christum filium Dei. Nolunt falsos colere deos.

Reclusi sunt igitur in custodia publica. Indè cùm mutari à fide Christi non possent, iubente Lampadio expoliantur, & scorpionibus grauissimè cæduntur. Mox Lampadius à dæmonio correptus, expirauit. Hoc factum cùm audîsset Diocletianus, nimio furore repletus, iussit cuidam Nicetio togato, ut in loculis plumbeis uiui includerentur, ac sic in fluuium præcipitarẽtur. Post dies autem quadragintaduos venit quidam Nicodemus Christianus, & leuauit cum ipsis loculis corpora martyrum, & in domo sua honorificè posuit. Passi verò sunt sexto Idus Nouembris. Cæduntur scorpionibus. In flumẽ demerguntur.

Itèm Romæ natale sanctorum quatuor Coronatorũ, id est, Seueri, Seueriani, Carpophori & Victorini. Hi cùm impellerentur ad sacrificandum, reluctantes nec omninò consensum impijs præbentes, perstiterunt in fide. Nunciatum est autem Diocletiano Imperatori. Qui ilicò iussit, ut ante simulacrum Aesculapij ictibus plũbatarum cæsi deficerent. Quorum corpora iussit in platea canibus iactari: & iacuerunt ibì diebus quinque. Tunc pij Christiani venerũt, & collecta corpora sepeliêrunt in via Lauicana, milliario ab Vrbe tertio, in arenario iuxta corpora sanctorum martyrum, Claudij, Nicostrati, Symphoriani, Castorij & Simplicij. Passi sunt autẽ sexto Idus Nouembris, post duos tamen annos passionis horum quinque martyrum. Cùm autem nomina eorum minimè reperirentur, statuit beatus Melciades Episcopus, ut anniuersaria quatuor Coronatorum dies, sub nominibus sanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam sancto viro etiam nomina eorum reuelata sunt. Festiuitas verò, ut fuerat statuta, celebris in aliorum martyrum festiuitate permansit, ac locus quatuor Coronatorum nomine insignis. 4. martyres occiduntur. 4 coronatiⅰ à Melciade Episcopo nominátur.

VITA ET EXERCITATIO SANCTÆ MATRONAE, AVTHORE SIMEONE METAphraste. *Habetur in tomis Aloysij.*



EOS, qui sunt in vita temperantes, & studiosi virtutis, pro viribus laudare, simul est sanctum, & longè vtilissimum. Nam & ipsi sunt laude digni, & quæ de eis habetur oratio, incitat & inflammat alios ad amorem aggrediendi talia. Cùm autem & id, quod laudatur, fuerit mulier, id scilicet, quod est humanæ naturæ maximè imbecillum, & ad asperos suscipiendos labores mollissimum, quemadmodùm non est laus conducibilis viris simul & fœminis, quæ potest vtrosque excitare ad ea, quæ sunt pulchra & honesta? Fœminas quidem, vt, cùm sint eiusdem generis, eosdem quoquè labores suscipiãt & easdem remunerationes.: Viros autem, nè, cùm sint viri, cernantur cedere mulieribus, & ad labores suscipiendos eis esse ignauiores. Ex ijs ergò, quæ vitam laudabiliter egérunt & ex virtute, fuit etiam Matrona: quæ cum viris quidem virtute contendit: præclaris verò & admirandis factis eos superauit, vt in processu ostendent ea, quæ dicentur. Nouẽbris 8. Cap. 1.

Est quædam regio subiecta imperio Romanorum, sita in confinio Cilicum & Isaurorum, nomine Pamphylia: quæ propterea, quòd sit populo frequens, & habeat habitatores ex omnibus ciuitatibus, sic fuit appellata. Vna autem ex ijs, quæ sunt in ea, ciuitatibus vocatur Perge, in qua fuit educata hæc beata Matrona: quæ à parentibus adepta liberalem disciplinam & educationem, cùm iam esset nubilis, (erat enim insigni pulchritudine) iungitur matrimonio marito non vulgari, non plebeio, nomine Domitiano: fitque mater vnius filiæ, cui statìm ex futuris tribuit appellationem, vt quæ eam nominârit Theodoten: Deo autem eam dederit ex ipsis fascijs. Atque vt post nuptias quidem & cohabitationem, moderationem exerceret, & à fastu ac superbia alienationem, & ornaretur non ornatu, qui cõsistit in ficta & fucata pulchritudine: sed in interno animæ homine, adhibebat studium, & vt in temperantia vitam degeret & honestate. Cap. 2. Pamphylia vndè sic dicta. Matrona nubit viro. Parit filiam nomine Theodotã.

Lauda-

Cap.3. Laudabile quidem,& alioqui gratum est hæc persequi. Superuacaneum autem visum omninò fuerit, si præteritis maioribus & perfectioribus, voluerimus occupatos tenere auditores in horum recordatione. Quod autem ipsa alijs prætulit, hoc etiam conuenit præponere in narratione. Statuebat enim id, quod dicit Apostolus, à se summè esse seruandũ. Ille enim dicit, oportere eos, qui habent vxores, affici perindè, ac si non habeant. Quamobrèm cùm sua sponte excessisset ab ea, quę illam tulit patria, diuina, inquam, prouidentia, quam eius consilium habuit adiuuantem, in eam, quæ primam sedem obtinet inter ciuitates, nempe Byzantium, cum marito proficiscitur: quem habebat quidem simul peregrinantem, & ne minimum quidem recedentem, non tamen eorum conscium, quæ animo agitabat: neque scientem aliquid, quod ea mente versabat. Deindè vrbem ingressa regiam, toto die assidebat in templis sanctorum, nec diù nec noctù ab eis recedens, ieiunijsque & precum curam gerens, & facultates impertiens egentibus, & Deum assiduè rogans, vt sopiretur in ea innatum bellum carnis. erat enim tunc ætate iuuenis, vt quæ nõ esset nata plùs quàm vigintiquinque annos.

1.Cor.7.

Cõstãtinopoli semper est in templis, &c.

Cap.4. Rogabat ergò, sicut diximus, vt liberaretur à carnis molestijs: vt, cùm posset viuere sine marito, liberè vacaret spiritalibus & diuinioribus. Quæ autẽ eam ad ea, quæ sunt honesta, incitabat, erat quædam Eugenia, quæ conuenienter nomini erat moribus ingenuis, & vna, quæ totam vitam consumebat in nocturnis stationibus & orationibus. Cum qua ipsa quoquè bona decertabat contentione exercitationis, ea, quibus exercentur monachi, diligenter exercens. Hæc verò, quæ quotidiè fiebant, ægrè ferebat Domitianus, & absurdę quædam & turpes cogitationes ei veniebant in mentem, dicendo: Non rectè habet continuus hic progressus, sed fit animo, qui ad malas tendit cupiditates. & exhinc omnẽ adhibebat custodiam, ne eam quidem sinens prodire extra domunculam: & ambobus erat constitutum certamen: illi quidem, nè dimitteret eam facere ea quæ cõsueuerat: huic autem, nè abesset à sacris cœtibus. Sed cùm is valdè repugnaret, ea multis vrgens precibus, vix tandèm persuadet, vt sibi liceat facere quod vellet.

Domitian' vir eius sinistrè fert ei' absentiam.

Cap.5. Magno itaq; studio venit in templum sacrorum Apostolorum. In quo cùm fuisset, eos precans intẽsiùs, petebat vt sibi nihil esset impedimẽto, quo minùs fugeret mundum: sed eam quoq; Christo offerrent cum eo cœtu, qui iam ab eis priùs ei fuit oblatus. Cùm ea sic esset precata, & iam aduentâsset vespera, & qui templum custodiebãt, iuberent omnes egredi, ipsa cùm in quodam porticu ex ijs, qui illic erant, Sosannæ cuiusdam, ei iam olim familiaris, inuenisset habitaculum, quæ ab ineunte ætate virginitatem conseruare constituerat, & ex Deo vitam agere, cum ea totam noctem peragit. Die verò iam apparente, Matrona ventitat ad magistrã Eugeniam, de rebus propositis cum ea communicatura. Cùm autem multa vltrò citroque dicta essent, magistra dicebat hoc ante alia esse considerandum, quomodò se habitura esset filia Theodote. Matrona autem, quæ nullum alium scopum sibi proponebat præter Deum, & omnem aliam negligebat solicitudinem: Me, inquit, accipiat solitaria vita & monastica: Theodoten autem Sosannæ & Deo trado: & de ea iam omni cura liberor. Verba res ipsa quoquè mox est consecuta.

Summopere cupit vni seruire Deo, & mundum fugere.

Cap.6. Rursùs autem quomodò oporteat silentiò viuere, & Deo placere quærens Matrona, per euidentem in somnis visionem docetur à Domino. Fuit autem hæc visio admirabilis. Videbatur enim vir quidam eam persequi: ipsa autem fugiẽs, seruata esse à quibusdam monachis: quod quidem ei significabat, quòd in monasterio oporteret eam suscipere vitam virorum monachorum. Sic enim fore, vt & marito & alijs sit ignota. Cùm se ergò ad cutem vsque totondisset, & Eunuchi habitum induisset, rursùs venit cum Eugenia in dictum templum diuinorũ Apostolorum: & volens obscurorum scire significationem ex diuinioribus, sacrum aperit Euangelium, & protinùs incidit in tale dictum: Quicunque vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hinc eorum, quæ Deo placent, indubitatam habentes cognitionem, cùm sua ei dedicâssent, & sperâssent se eum habituras adiutorem eorum, quæ fiebant, à se inuicèm separantur. Matrona autem, cùm, vt dictum est, se esse Eunuchum simulâsset, & Babylam seipsam nominâsset, ad sancti Bassiani accedit monasteriũ: & accepta à monachis, protinùs ad certamina se parauit spiritalia, nõ pallore vultûs, nec tristitia faciei, sed germanè potiùs & verè virtutem exercens, & omnibus modis studens latére: vt propemodùm prouecta fuerit ad summum vitæ, quæ ex

Visio eius.

Luc.9.

Eunuchũ se simulat, & degit inter monachos sanctissimè.

ex Deo agitur: & haberetur ab omnibus in admiratione, quomodò vir, qui erat imbecillus, vtporè Eunuchus, tã fortiter se gerit aduersùs labores, & omnes monachos contendit superare: magno & excelso animo iram cohibẽs, & gloriam tanquàm vanam despiciens, omnem obedientiam ex summa complectens modestia.

Et certè non poterant inuidere. Zelus enim, qui est ex virtute, liber est ab omni inuidia. eum autem potiùs colebant tanquàm magistrum, priùs etiam incitati ad imitationem: propemodùm verò etiam cognitum fuisset, quod celabatur, & manifestum fuisset eam esse mulierem, nisi exortam suspicionem spiritali amouisset sapientia. Nam cùm aliquo tempore ità contigisset, vt in quodam horto laboraret cum monachis, operique instaret promptiùs & alacriùs, monachus cui obtigerat, vt cum ea laboraret, nomine Barnabas, in eam iniectis oculis paulò curiosiùs, vt qui paulò antè ad vitam monasticam accessisset ex scena, etiamsi posteà profecerit in virtute, & ei commissa fuerit præfectura monachorum, rogauit quî factum sit, vt sint ei ambæ perforatæ auriculæ. Beata autem illa breuem simul & consideratam dedit responsionem: Accidit tibi quidem, ô frater, humanum quidpiam, alienum verò à nostra professione: cùm terram oporteat arare, non vultum humanum curiosè intueri. Sed quanuis res ità se habeat, quæstionis disce solutionem. Nam quæ me olim tenuit & educauit, in me summa beneuolentia, munificè in meas aures aurea iniecit ornamenta. Sic beata illa monachum sapienti inuentione remouit à suspicione: eam autem subijt magna turba cogitationum, & venerunt ei in mentẽ admonitiones Eugeniæ, dicentis: Res est admodùm difficilis, mulierem versari simul cum viris, & tentare, vt ipsa vir videatur sicut illi. Neque enim fieri potest, vt perpetuò lateat simulatio: attentiori tamen cogitatione sola solum Deum alloquens: Tuo nutu, dicebat, ô Domine, vitam suscepi monasticam, & eum, qui iussit sequi, nunquàm retrò conuersa sum secuta. Quamobrèm nè efficias, vt ego vnquàm mea spe fallar, nec ab hoc bono vnquàm proposito excidam. sed tu meam defendens imbecillitatem, annue vt meo scopo finis accidat similis. Hæc dicens, videbatur etiam videre pura anima meliorem exitum.

Cap. 7.

Mirè celat sexum, cùm ferè esset agnitus.

Omnẽ spẽ suã conijcit in Deum.

Cùm ea ergò sic haberet, & vitam amplecteretur spiritalem, longo tempore ignoratæ sunt res eius à Bassiano, etiamsì non esset expers doni perspiciendi: eum tamen latuit Dei sapientia, & magìs arcanis quibusdam iudicijs, quomodò etiam Eliseum aliquandò Sunamitis. Serò autem & longo pòst tempore ea ipsi extitit manifesta. Sic autem fit: Visus est in somnis videre magnus Bassianus virum amictu quidem honestum, vultu autem decorum, & qui videbatur esse cuiusdam naturæ diuinioris, & ei dicere: Babylas eunuchus, qui est vnus ex monachis, qui sunt in tuo grege, apertè quidem est fœmina: simulat autem se esse eunuchum, vt lateat. Sicut ipse autem, Acacius quoquè quidam, vir insignis fuit pietate, qui fuit etiã pro tertia parte pastor monasterij diuini Abramij, eandem vidit visionem. Manè ergò cùm Bassianus accersiuisset vnum ex monachis, Ioannem quendam, qui post ipsum erat secundus in monasterio, narrauit ei quod viderat in somnis. Interìm verò dum hæc differebat, venit quidam missus ab Acacio, narrans Bassiano quam ipse viderat visionem. Tunc ergò magnus Bassianus, volens de hac re maiorem sibi fidem fieri, in manus sumpto sacro Euangelio & explicato, in illa verba incidit, quæ dicebant regnum cælorum esse simile fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donèc totum esset fermentatum.

Cap. 8.

4. Reg. 4.

Visio Bassiani Abbatis

Luc. 13.

Cùm itaque intellexisset eam, quæ in profundo significabatur, intelligentiam, post hæc apud se cogitabat, quomodò dextrè aggrederetur id, quod erat propositum, & hoc multis non fieret manifestum. Accersit ergò beatam illam, & eam toruè adspiciens: Quid fuit causæ, inquit, ô mulier, quòd tam audax cœptum in nos sis aggressa: & quæ nobis non conueniebat, tentationem & probrum intuleris, tantum tempus studens latére? Illa autem id quod dictum fuerat, intelligens, & formidans austeritatem, & quæ in eius vultu apparuerat, acerbitatis nube obstupefacta, & maximè ijs, quæ dicta erant, testimonium ferentem habens conscientiam, se quidem statim humì prosternit: Sancti verò pedes prehensans, verba quæ multum quidem habebant humilitatis, vix autem proferebantur, emittit, dicens: Non tentationem, ô domine, volens afferre, me retuli in numerum tui gregis: sed tentationem potiùs fugiens ab aduersarijs, & laqueos qui sunt in mundo, declinans. Cui rursùs respondit Bassianus: Quomodò autem cùm sis mulier, ad diuina sacramenta accessisti nudo capite,

Cap. 9.

Deprehẽsa à sancto Bassiano, q̃ esset fœmina, sui facti reddit rationẽ.

Sapientissimum eius responsum. capite,& in pacis salutatione os tuum securè exhibuisti fratribus? Illa verò, Quòd ad diuina quidem dona attinet, inquit, simulans imbecillitatem, non omninò auferens tegmen, quod erat in capite, ità ad sacramentorum accedebam communionem: charitatis autem apud fratres signum nunquàm recusabam. Neque enim hominum vultibus, sed hominibus angelicam imitantibus impatibilitatem, meipsam offerre existimabam.

Cap. 10. Sapientem autem responsionem admiratus Bassianus: Et cur non,inquit, in alterum,ô mulier,te contulisti monasterium,& in quod licet ingredi mulieribus? Illa autem cùm se parùm sustinuisset,& timorem excussisset, vt quæ accepisset occasionem vtendi pluribus verbis ad defensionem, quomodò res eius se haberent, singulatìm exposuit: quòd marito quidem fuisset legitimo coniuncta matrimonio,& vocata esset mater vnius filiæ: totas autem noctes versaretur in sanctorum cœtibus, & quòd ab eo, qui cum ea cohabitabat, aliquandò quidem minante, aliquandò autem plagas quoquè intentante, retardata fuisset ab eo desiderio & proposito, & quòd quæsiuisset aliquam rationem,qua posset latére maritum,& se ex sua gerere sententia. Post hæc persequebatur, quomodò filiam tradidisset Sosannæ: & tandèm intulit eam, quæ in somnis apparuit, visionem, quòd fugiens maritum, videbatur fuisse seruata manibus monachorum. Quod quidem intelligens, seipsam mutauit in hunc habitum, ipso quoquè mutato nomine. Hæc cùm audijsset Bassianus, & acre eius ingenium valdè esset admiratus,& considerâsset propositum eius esse admittendum, rogauit,an de cæterò esset ei vita eligenda monastica. Cùm ea autem dixisset, Maximè: propterea enim se à mundo,& ijs,quæ sunt mundi,recessisse: Decæterò confide,ô filia,dixit Bassianus: & cùm ea dedisset monita,quæ sciebat ei esse profutura: Decæterò,inquit,ô filia, oportet te vittam tuo capiti imponere propter legem naturæ, & sic supernam expectare vocationem: nec se ea dixit neglecturum,quę ad opem ei ferendam pertinent.

Aperit Abbati suã visionem.

Abbas iubet capiti eius imponi vittam.

Cap. 11. Filia S. Matronæ excedit è vita. Cùm ipsa sic tunc illinc recessisset,Dominus, qui omnia dispẽsat ad id quod est vtile,filiam Matronę fecit è vita excedere,& ad se assumpsit,nè aduersùs ipsam esset maligno occasio,& nè eam,quam iam cognitum esset esse mulierem, prætextu curæ gerendæ de filia,à diuiniore deduceret solicitudine, & in eius animo mundanas insereret cogitationes. Quamobrèm non dolorem, sed voluptatem ex ea re accepit: quod factum erat,non esse statuens filiæ amissionẽ,sed à curis de ea susceptis liberationem, & earum depositionem. Ipsa ergò latebat apud Sosannam, aut Deus potiùs eam seruabat per Sosannam. Fama autem, ea quæ ab ipsa facta erant, vbiq; annunciabat,& hic actus ad aures omnium permanabat. Quo factum est, vt maritus eius Domitianus paulatìm venans veritatem, vt qui non cessâsset vxorem suam inuestigare, postquàm reliqua obijt monasteria, ad illud quoq; venit, in quo beata fuit versata, quasdã non expressas & indecoras voces præ ira emittens, importunè fores pulsans & insultans, dicendo: Quænam est ea vis, quam mihi attulistis? Quænam est hæc magna iniuria? Pulchra certè, ô monachi, pulchra sunt admodùm, quæ à vobis facta sunt. Cur eos, qui sunt pulchrè coniuncti, vos malè vultis diuidere? Date mihi meam vitæ sociam. Date eam,quæ est mihi coniuncta legibus.

Marit' eius importunè eam repetit.

Cap. 12. Hæc & ijs plura,desiderio victus & animi ægritudine, voce interrupta à dolore, exclamauit. Audiuit autem ab ipsis: Nos vxorem quidem tuam non accepimus, (neq; enim fas est fœminę permittere ingressum in monasterium) Eunuchum autem quendam monachum, nomine Babylam, scimus aliquo tempore nobiscum vitam egisse: Deindè repentè mutatum statuisse proficisci Hierosolyma. Eum ergò cùm haberet hanc causam peregrè proficiscendi, multis antè diebus à nobis discessisse cognouimus. Vbinàm autem nunc degat, illi soli omninò est cognitum, cuius oculis nihil est quod non possit adspici. Quòd autem hæc vera sint, testabitur vniuersus populus ciuitatis. Hæc cùm audiuisset Domitianus,& frustratus esset cœpto suæ inquisitionis,& omni pulchra priuatus occasione,se vertebat in omnem speciem,quòd res ei nõ cessisset,se excrucians,propter zelum irascens,propter eius amorem incitatus cupiditate. Atque ille quidem sic recessit, distractus his animi perturbationibus.

S. Matrona mutato nomine Babylam se vocitauit.

Cap. 13. Bassianum autem inuasit agmen curarum, nè Matronæ anima,quæ eius fidei commissa fuerat, verè subijsset interitum: & cùm eos accersijsset, qui ordine quodam erant primi monachorum: Est,inquit,nobis ampliùs considerandum de ea,quę à nobis discessit,sorore. Nam etsi sexu erat diuersa: quoniam tamen in nostrum adscripta

erat

erat circulum, oportet existimare membri ablationem, eius quæ facta est à nobis, disiunctionem. De ijs ergò quæ ad ipsam pertinent, constituamus, vt ad bonum finem perueniat, nè malignus, & qui quotidiè nobis insidiatur, eius superet constantiã, apto ad insidias instrumento vtens marito. Atq; sic quidem dicebat Bassianus, in communi posita deliberatione. Marcellus autem quidam, tunc Diaconus, hanc dixit sententiam: In Emesa ciuitate (ille enim ex ea erat ortus) dicens esse monasteriũ mulierum, in quo etiam suam sororem esse vnam ex ijs, quæ exercentur. Si ergò tibi placet, ad id mittatur. Sic enim licebit curam de ea deponere. Cùm assensus autem esset Bassianus ei, quod dictum fuerat, & id permisisset, minister statìm nactus nauem, quæ illinc soluebat, sancta in ea imposita, est reuersus. Abbas curã habet salutis eius.

Illa autem cùm alacri animo accepisset id, quod factum fuerat, tanquàm id non accidisset absque Dei numine, & pauca quædam accepisset pro alimentis, secundo & leni vento peracta nauigatione, venit in monasterium, quod erat Emesæ. Benignè ergò accepta, tanto studio se exercebat in laboribus virtutis, vt monachis videretur exemplar non facile, decertantibus aduersùs paria eius certamina. Quocircà placuit omnibus post decessum eius, quæ illis præerat, ei committere omnem monasterij præfecturam. Quo magìs ergò latére studebat Matrona, eo magìs Deo erat curæ eam reddere manifestam, & illius lucem ponere super candelabrum, & euidentem eius reddere virtutem. Illo autem tempore agricola quidam prædium operans, multis diebus vidit flammam è terra emitti. Erat verò emissio continua, & nunquàm desinens. Hic ergò, vt qui esset agricola, nihil valens conijcere altiùs, Episcopum ciuitatis accedens, id annunciat. Ille autem ex eo, quod apparebat, intelligens magnum quid significari, cum suo clero veniens ad locum, vt par erat, facta oratione, iussit terram fodere. Quod cùm factum esset, inuenta est vrna, non aurum celans, aut aliquid aliud eiusmodi, quod possit demulcere animum ornamentorum cupidum: sed rem quandam preciosam & maximi faciendam, nempe maximè venerandum caput Iohannis Baptistæ. Cap. 14. S. Matrona Emesæ se conijcit in virginũ cœnobium. Ei cœnobio præficitur. S. Iohannis baptistæ caput inuenitur.

Cùm hæc fama in omnẽ partem peruasisset, nullus domì remanebat: sed cum vniuersa multitudine confluebant omnes ad spectaculum: à quibus hoc venerandum caput cum omni laude & glorificatione in templum introducitur. Cùm autem Matrona cum omnibus monachis interfuisset spectaculo eius, quod apparuerat, accessit & hausit ex vnguento capitis, quod erat propositum. Eius communicatio facta est, ea etiam inuita, ijs qui aderãt. Quomodò autem & cur hoc ea inuita factum sit, id quod dicendum est, vult vos attendere & discere. In media enim intercepta multitudine, cùm ei non concederetur exitus, vtpotè quòd vt acciperent, omnes se intruderent: ex eo, quod acceperat, vnguento coacta est alijs impertiri. Dum autẽ ea distribueret, quidam ab ortu cæcus, omnes prætercurrens, (erant enim tunc quidam sacerdotes, qui diuini vnguenti faciebant distributionem) venit ad ipsam, valdè instans precibus. Illa verò cùm precioso vnguento oculos inunxisset, eum fecit lucem protinùs intueri, qui anteà nunquàm viderat. Hoc eam magnam prædicauit & præclaram, & effecit vt esset apud omnes insignis, adeò, vt omnes dicerent eam esse, quæ latére tandiù est meditata, & cum viris fecit ea, quæ faciunt monachi. Cap. 15. Cæcus illuminatur.

Præclara hæc fama rursùs vocauit Domitianũ, & veluti manu tangens, fecit eum venire ad monasterium. Cùm autem audiuisset esse viris prohibitum ingressum, celãs id quod volebat, simulauit pietatem: & rogat per quasdam fœminas, vt orationis gratia & adorationis videret Matronam. Illa autem cùm diligentiori interrogatione & signis, quæ erant in vultu, ex ijs quæ audiebat, eius esse maritum pulchrè agnouisset, quid machinatur? Petit spatium septem dierum, & post illos se per ocium in conspectum eius esse venturam. Hoc cùm Domitianus audijsset à mulieribus, ipse quidem à spe pendens, sedebat, in animo versans diem præfinitum, & expectans videre, & iam eam habere in manibus visione apprehendens: Matrona autem rursùs studens latére, proficiscitur Hierosolyma, nihil aliud induta, quàm pannum ex pilis contextum, & modicum panis fragmentum secum ferens. Cap. 16. Rursùs fugit maritũ suum.

Cùm septem autem dies intercessissent, vt constitutum quidem fuerat, venerunt mulieres: audiuerunt autem à monachis, quæ ipsę quoquè erant graui oppressæ ægritudine, quòd ex quo eam conuenerant, ab eis non esset ampliùs visa: neque se scire, vbinàm esset. Illę verò citò abeuntes, postquàm hęc didicissent, dixerunt Domitiano. Is autem vehementiori cordis dolore sauciatus, non cessat curiosè perscrutari, donec Cap. 17.

Eam vir suus insequitur. nec venisset Hierosolyma. Et cùm rursùs in alias incidisset mulieres, eis describens formam eius, quæ quærebatur, mouebat omnem lapidem, volens scire vbinàm ea versaretur. Illæ autem dicebant quidem se vidisse tali facie mulierem: non posse verò apertè scire, vbinàm esset. Vbì enim serò venerit ad diuersorium, in aliquo quidem templo ex ijs quę illic sunt, diuersatur: festinat autem rursùs aliò transire. Nos tamen, inquiunt, tibi inseruiemus ad eam inueniendam. Singulatìm enim diuisæ, festinans quæ eam primam viderit, celerrimè accedens tibi significabit. Atque illæ quidem faciebant, sicut dixerant.

Cap. 18. Mirè euadit viri sui notitiam. Matrona autem cùm ità accidisset, obuiàm facta accedenti Domitiano, cùm eum agnouisset, fixis humì oculis, & manum terræ admouens, vt tolleret lapidem, eum ex aduerso prętereuntem latuit sapienter. Porrò autem cùm illis occurrisset, intelligens quanam de causa totam illam tam diligenter obirent regionem inuestigantes, & se ex forma eis euasisse manifestam, & fore vt mox compræhenderetur, eas quoq; amouit sapienti excogitatione, petens sibi tres solos dies concedi, eunti in montem Sinam: & post eos se venturam quamprimùm, & maritum conuenturam. Domitianus verò cùm hoc resciuisset, existimans rursùs excusationem esse talem responsionem, maxima celeritate eam persequebatur. Matrona autem cùm hoc rursùs didicisset, & quòd adest, qui persequitur, & iam sit capienda, magno metu correpta, in quoddã idolorum delubrum, quod est Beryti, ingressa, illic est diuersata, meliùs rata in dæmones incidere aut feras, quàm capi manibus Domitiani. Nam illæ quidẽ si acceperint, corpus omninò solùm lædent: Maritus autem si appræhenderit, erit & dæmonibus & feris perniciosior, vt qui possit cum corpore etiam animam lædere, eam rursùs trahens ad mundum, & tanquàm suam vxorem vendicans.

Latet in quodam delubro.

Cap. 19. Cùm in eo ergò esset, & operã daret hymnis ad Deum & precibus, audiuit dæmones contrà psallentes, & voces ei similes emittentes: & hoc factum est multis diebus. Ei itaque terrorem afferebat id, quod fiebat. Deindè cùm se Crucis figura munijsset, egressa est aduersùs terribiles. Sed cùm nullum posset videre, diuinam rogabat gratiam, vt manifestum fieret id, de quo dubitabat. Statìm ergo vidit manifestos eos, qui priùs non cernebantur, & voces emittentes obscuras, & ignem inferentes: qui rursùs cùm ab ea increparentur, excedebant, & tanquàm fumus deficiebant. Nõnunquàm autem cùm generosam fœminã † inuasisset, illa parùm progressa e delubro, cùm ad herbam se conuertisset, roscidas & virides herbas ad modicam consolationem ori admouit. Qui autem admirabiliter manna aliquandò pluit Dominus, & populum pauit ad satietatem, qui erat malignus & ingratus, sua sponte enatum potum & mensam ei simul ostendit. Nam cùm in loco ardente, & soli valdè exposito, inuenisset locum pauco humore grauidum, & eum acutis effodisset lapidibus, quantum satìs erat ad concauis manibus hauriendum, nocte iam aduẽtante, ipsa quidem ascendit, consuetas preces Domino redditura: Postridiè verò cùm redijsset, inuenit cisternã aqua plenam & mensam herbarum esculentarum: quæ nequaquàm quidem paruifiebat ab ea, quæ accipiebatur conuiuio: sed multo magìs eam lætificabat, quàm lautæ & opiparæ cœnæ paratæ diuitibus.

Crucis figura se munit contra dæmones.

† deest, fames, vel sitis.

Exod. 16.

Diuinitùs ei præbetur cibus & potus.

Cap. 20. Cùm ea ergò sic se haberet, & Deum assiduè oraret, hoc graue & non ferendum malignus iudicabat. Quamobrèm suscepta forma speciosæ fœminæ, ad eam accedens: Cur, inquit, domina mea delegisti hoc obscurum & alienum habitaculum? Nam & longa solitudo, & penuria rerum necessariarum magna est: & alioquì es ætate adhuc iuuenis, & insigni pulchritudine: & tibi valdè timeo, nè amabilis hic vultus sit occasio cupiditatis libidinosis oculis: & propter loci solitudinem, & quòd non adsit, qui sit opem tibi laturus, tuo corpori inferas contumeliam. Sed si mihi paruẽris, te deducam ad ipsam ciuitatem, vbì etiam domum inuenies ex tua sententia: & vt tibi placet, habitabis absque vllo tumultu: neque tibi deerunt, quæ sunt necessaria. Illa autem cùm depræhendisset hoc esse insidiosum consilium aduersarij, hęc verba reputauit tanquàm nugas, & superauit laqueum. Sed rursùs malignum illud dæmonium non cessat omni arte eam inuadere. Itaq; cùm circulatricis vetulæ formam suscepisset, & ignem qui videbatur emitti ex oculis, insanè simul & audacter se abijciebat ad eius pedes, terrens & loquẽs absurda & turpia. Cùm ergò beata eius nullam duceret rationem, neque se ad eam verteret, tanquàm sæuiens & insultans: Etsì, inquit, generosam fœminam non potui vincere, cùm esset iuuenis: sed in senectute inferam tibi, quæ sunt omnium difficilima. In præsentia autẽ aduersùs te excitabo eos, qui

Tentatur à dæmone.

Dæmõ procaciter ei minatur.

qui ſunt Beryti, vt quæ vilipendas delubrum eorum idolorum, & quantùm in te eſt, efficis, vt habeatur deſpectui. Has improbas maligni inſidias exceperũt reuelationes & viſiones diuiniores, quomodò ſolet Deus conſolari in afflictionibus, & per benigniora ſoluere, quæ ſunt triſtia. Secũdùm multitudinem enim, inquit diuinus Dauid, dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Res autem ità ſe habuit: Deus eam conſolatur. Pſal. 93.

Cùm ipſa veſperè, vt ſolebat, preces funderet, tres viri apertè accedentes, viſi ſunt pſallere: & horas aliquot peracta eſt ab eis genuum flexio ponè Matronam. Illa autem conuertente faciem, vt videret quinam eſſent, cùm leniter & placidè tèr dixiſſent, Ora pro nobis, protinùs abiêrunt. Cùm ergò eam virtus magìs ac magìs redderet manifeſtam, fama in omnem partem peruadebat, quòd Matronam malitiæ ſpiritus fugerent, & ſint idolorum delubra vacua dæmonibus. Quamobrèm multi ad eam veniebant, vel eam ſolùm conuenire plurimi facientes. Hinc factum eſt, vt mulier quoquè quædam, nomine Sophrone, temperanter & conuenienter eius nomini vitam agens, ſed quæ erat gentilium dedita falſæ religioni, & cum ea aliæ quoquè, quæ eandem tenebant opinionem, cùm renunciâſſent parentibus & amicis, & omnibus huius mundi, ſeipſas Matronæ tradiderunt, & patentes aures ei præbebãt, quæ etiam breui ſunt baptiſmum conſecutæ ſalutarem: inter quas virgo quoquè quædam gentilis, quæ erat ſacerdos idolorum, cùm de ſancta audiuiſſet, & deos ſuos condemnâſſet, & diuino zelo eſſet repleta, ea quidem, quæ à gentibus offerebantur dæmonibus, & conſũmenda erant in nefaria ſacrificia, præbebat pauperibus. Ipſa autem cùm diſceſſiſſet ab omnibus ad Matronam ardenti ſtudio accedit, & ſe facit vnam ex ijs, quæ illam ſequi ſtatuerant. Cap. 21. Multæ ſe in eius tradunt diſciplinã. Quædã puella ſacerdos, adhæret illi.

Cùm autem adeſſet dies, quo oportebat peragi ſacrificia: & qui ad eam genere attinebant, cum populo eſſent congregati, ipſam non inuenientes, neſciebant quonam modo, quæ de more fiebant, peragerent, cùm non adeſſet ſacerdos. Cùm verò quod factũm fuerat, non poſſent intelligere, vix tandèm autem id reſciuiſſent parentes, in idolorum delubrum, vbi erat Sancta, veniunt quamprimùm: & cùm eam vidiſſent iacentem ad ſanctæ pedes, in hęc verba proruperunt: Cur, dicentes, ô adoleſcentula, dijs maximis deſpectui habitis, imperfecta quidem reliquiſti ſacrificia: populum autem in nos iritâſti non ferentem eam, quæ fit in deos, contumeliam? ipſa verò pro optima & quæ beata cenſetur vita, hanc elegiſti infamem, & quæ planè habetur contemptui? Dimiſſa ergò ea, quæ te repentè oppreſſit, amentia, eſto aliquandò ſapiẽns, & hoc lugubri depoſito habitu, læta ad nos lætos egredere: nè ſit tibi ſepulcrum interitùs, locus eius quæ videtur ſalutis. Nam ſi tu non facias quod iubetur, craſtino die ab igne conſumetur præſens habitaculum. Hæc cùm dixiſſent, ab ipſa quidem nihil audiebant. Cap. 22. Quæritur ea de à ſuis parentibus.

Matrona autem eis dixit amicè & pacificè: Hanc ſinite, inquit, hæc eſt Dei ancilla, quæ priùs erat ancilla veſtrorum deorum. Nihil eſt decæterò ei vobiſcum commune. Hæc cùm audijſſent, illi quidem ſunt reuerſi, templi conflagrationem & alia minantes grauiſſima. Puella autem iacens ad pedes beatæ Matronæ, Chriſtum valdè rogabat, vt obſignaretur ſignaculo, & quamprimùm diuinum baptiſmum cõſequeretur. Cùm Matrona ergò reliquas iuſſiſſet expectare, ipſa proceſſit ad aridam colligẽdam materiam: & cùm multum collegiſſet & redijſſet, Quædam ex vobis, inquit, euntes quamcelerrimè, renunciate ijs, qui pauloantè venerunt, dicentes: Ignis eſt vobis paratus, & ſatis materiæ. Quanam autem de cauſa tardat veſter aduentus, vt finem accipiant minæ, quæ ſunt à vobis intentatæ? Hæc cùm illi audiuiſſent, & ſapientem inuentionem, & generoſos ſpiritus eſſent admirati, neſciebant quidnam contrà reſponderent: & nec auſi ſunt poſteà illuc reuerti. Tunc ijs, quæ redièrant, beata rursùs aliud iuſſit: nempe vt Epiſcopum conuenirent, & ſecum ducerent vnum ex ſacerdotibus & Diaconum. Quod quidem cùm factum eſſet magna celeritate, ijs qui iam venerant ſacerdotibus, tradidit eam quæ nupèr acceſſerat, ſacerdotem: & iuſſit eam catechiſmo initiare & baptiſmo, & rursùs ad ſe adducere. Cap. 23. Magno animo cõtẽnit minas hominũ impiorũ Matrona.

Poſt baptiſmum itaq; adducta Euche, (ſic enim fuerat nominata) edocebatur in omni diſciplina ſpiritali, & in rebus diuinis exercebatur ſimul cum reliquis, quæ erant octo numero. Erat autem ſancta adeò iucũda in ſermone, & bonum odorem ſpirans in Deum, vt multi ſæpè ex ijs, qui eam conuenerant, poſtquàm ceſsâſſet loqui, volentes domum reuerti, ęgrè ab ea diſcederent: vt qui veluti quibuſdam vinculis eſſent ab Cap. 24. Multi eius ſanctitate permoti, impensè eã diligunt.

ea cõstricti sui in eam amoris: aut qui cùm in siti pulchra aqua se exatiauerint, & propterea grauiter ferant ab ea recessum. Porrò autem ipsam rursus inuasit desiderium conueniendi Bassianum. Cùm autem is esset rursùs in regina vrbium Constantinopoli, in ipsa verò adesset etiam Domitianus eius maritus, repellebat desiderium eius mariti metus, nè fortè in manus eius incideret, si venisset in vrbem. Quamobrèm cùm distractus ei esset animus his duabus cogitationibus, nempe patris spiritalis desiderio, & metu mariti, in animo habebat ire potiùs Alexandriam, aut, cuius spe fuerat frustrata, Antiochiam. Hac de causa intentiùs vacabat orationibus, & à Domino expectabat significationem eius, quod erat ei futurum conducibile.

Cap. 25. Visio ei offertur. Cùm in somnum ergò esset resoluta, videbatur adspicere tres viros: quorũ vnusquisq; vehementer contendebat, quisnam ex his tribus esset præferendus, vt eam duceret vxorem. Cùm ea autem aures auerteret, & putaret rem esse valdè absurdam, (terrebat enim somnium, vt quod esset contrarium ijs, quas interdiù susceperat, cogitationibus) Quinam autẽ vos estis, videbatur eis sancta dicere, & quæ sunt vestra nomina? Illi verò dixerunt, vnum quidem nominari Alexandrum, alterum autem Antiochum, tertium verò Constantinum. Sorte autem conabantur dirimere controuersiam: ea verò cecidit in eum, qui erat ætate iuuenis, nomine Constantinus. E somno ergò excitata, quidnam sibi vellet visionis reuelatio, intelligens, statuit quidem relinquere viam, quæ Alexãdriam ducit, aut Antiochiam: Tota autem in hoc erat, vt proficisceretur Constantinopolim. hoc enim dicebat placere Deo, qui euidenter ostendit significationem eorum, quæ erant obscura.

Cap. 26. Cùm suis itaq; sororibus somnium communicâsset, videbat eas suæ voluntati resistere: non quòd iudicarent id, quod visum fuerat, aliud significare: sed quòd eam valdè amplecterentur, & non sustinerent eam ab ipsis discedere. vt quæ non secus ac recèns plãtatæ plantæ, ab illius verbis irrigarentur: & venirent in periculum, nè eius priuatione flaccescerent. tamen quoniam, dixerunt, diuina quædam prouidentia opem tulit tuo cõsilio, nequaquàm possumus tuum interrumpere propositum. Sed secundo loco, inquiunt, sit tibi curæ, quibusnam sis nos relictura post tuum hunc recessum.

Committit suas spiritu ales filias duabus Diaconissis. Illa autem de eis protinùs Episcopum facit certiorẽ, & petit, vt ad ipsam mittat duas Diaconissas, quibus tempus virtutem confirmauit. Quæ cùm accessissent, beatissima Matrona suas, velutì quoddam depositum, credidit earum fidei, & suasit plurimi facere animas earum fidei creditas: nè, quas fecit Deus mundum relinquere, rursùs sinerent accedere ad mundi vanitatem, & pacta conuenta negligere.

Cap. 27. Proficiscitur Cõstantinopolim. Hæc cùm dixisset, & vltimum eis dedisset amplexum, & vnam ex eis solam secum accepisset Sophronen, nauem conscendit: & secundo vento vecta, peruenit Cõstantinopolim. Deindè cùm venisset ad templum prope mare situm, quod à nomine pacis Dei, dictum est Templum Irenes, Diaconum accersit Marcellum, quænam esset, ei aperiens. Is autem erat, quem superiùs diximus consuluisse Bassiano, vt ea mitteretur ad monasterium, quod est Emesæ. Lubenter ergò ab eo accepta, rogauit vt diceret, quænam esset causa longæ huius peregrinationis. Illa autem: Nihil, inquit, aliud (quid enim posset efficere, vt tantum laborem despiceret) nisi maximum quoddam desiderium eos conueniendi, & maximè, inquit, diuinum Bassianum. Propter quod iam & senectutem, & mulierum imbecillitatem, & quietam vitæ agendæ rationem, & alia omnia despiciens, soli viæ, quæ ad vos ducit, ineundæ intenta fui. Deinde breuiter persequitur Domitiani Hierosolyma, & in Sinam montem persecutionem, & suam in idolorum delubro conuersationem, & quòd multitudo innumerabilis per eam accessit ad pietatem. Persequitur autem, non vt quæ se ostentaret, sed vt quæ teneretur veri dicendi desiderio. Est enim ostentatio aliena à modestia, & ab ea, quæ nihil

Vult latére, sed non valet. æquè studuit, atquè latére. Alioquì autem accusari, quòd ordines deseruisset, quæ semèl adscripta fuerat in vitam monasticam, iudicabat esse inutile, & quod posset occasionem præbere offensionis.

Cap. 28. Marcellus autem singula statìm aperit diuino Bassiano. Ille verò auditione affectus tristitia, iussit eum quamprimùm abire, & quietum aliquod & à tumultu alienum, non procùl à monasterio præstituere ei habitaculum, vt esset ei facile, si vellet, ad eam accedere. Ille autem citò effectum reddidit id quod imperabatur: & cùm aptam domum ei parâsset, sanctam in ea collocat. Quem in locum cùm magnus venisset Bassianus, eamq; esset allocutus, & dixisset quæ oportebat, quinetiam ab ea didicisset de ijs, quæ ei obtigerant, & eam impertijsset ijs, quibus indigebat, eam rogauit,

uit, an sibi opùs esset aliquo alio. Cùm ea autem dixisset alias sorores esse Beryti, & eas velle ad ipsam venire, & vnà degere, hoc Episcopo Beryti statìm literis significat, & quas nominatìm quęrebat Matrona, iussit ad eam quamprimùm mittere. Eæ ergò emissæ, & cohabitantes cum Matrona, ei summam exhibebant obedientiam, illa seipsam præbente perfectissimũ exemplar ad virtutem: quę etiam multo magìs, quàm multa ora, eam prædicabat, & omnibus reddebat manifestã. Nam cum alijs Verina quoque Imperatrix, vxor magni Leonis, ad ipsam ventitabat, nec tam illam, quàm seipsam in hoc statuebat honorare. Quæ cùm moderatè & frugaliter ab ea esset accepta, & vt oportebat ipsam accipere, illa, quę erat remota à negociorũ solicitudine, & dedita philosophiæ, recessit, admirans eius virtutem, & quòd nihil peteret ab ea, quæ multa dare posset & vellet.

Constantinopoli præest aliquot religiosis fœminis.

Verina Imperatrix eã charam habet.

Euphemia autem coniunx Anthimi, qui fuerat Præfectus vrbis Romæ, cùm fuisset sanctæ familiaris, & cuiusmodi esset ipsa didicisset experientia: eam autem, quæ patricio Sporacio cõiuncta erat matrimonio, in grauem morbum vidisset incidisse, & qui artem vincebat medicinam, & nullam vitæ spem ostenderet: cùm eam, inquam, vidisset sic affectam: Si me audias, inquit, iubens valere medicos, in præsentia trade te communi bono, quod venit in ciuitatem: sanctam, inquam, Matronam, quæ multos non solùm à morbis corporis, sed etiam animæ liberauit, ab impietate traducens ad verum Dei cultũ: & ipsam haud ità multò pòst admiraberis, & alios multos ad ipsam transmittes. Hęc cùm dixisset, quænam esset, & qualem vitam transegisset, ei narrauit ab initio vsque ad finem. Die ergò sequenti ambæ ad eam veniunt, & cùn in longum productus esset earum sermo, cum ea, quę morbo laborabat, manum dexterã Sanctę appræhendisset, ad eam, quæ erat affecta, partem attulit: affectionem autem statìm sensit leuiorem. Matrona verò rogauit causam, cur eam tetigisset. Cùm autẽ verum dixisset ea, quę laborabat: Dominus, inquit, te liberabit ab eo malo, quod te detinet. nos enim hoc non possumus efficere.

Cap. 29.

Et corporis & animi morbis medetur.

Quæ itaque laborabat, ab illo tempore remissè accedentem cogitans mali grauitatem, in animo habebat manere apud sanctam, expectans perfectam liberationem ab eo, quod ipsi afferebat molestiam. Propterea iubebat etiam manere animantia, quæ ei ad vsum seruiebant. Cùm autem ei nunciatum esset, non esse aliud, quod eam acciperet, habitaculum: (vnum enim esse, idque habitari mercede) cum beata conferens sermones: Facultates, inquit, satìs magnas suppeditauit mihi splendor generis, multasque ædes extructas ad pulchritudinem atque magnitudinem. Earum, inquit, quascunque volueris, quæ vno ambitu compræhenduntur, parata sum ego tibi largiri, animarum, quæ sunt seruandæ, futuras habitacula, & principaliter ad meam ipsius vtilitatem. Illa autem cùm spiritu cognouisset, quàm multis animabus ex hoc aperienda esset porta salutis, assensa est se esse accepturam: & cùm Diaconum accersiuisset Marcellum, & ei rem exposuisset, mittit ad contemplandum ea, quæ promissa fuerant. Qui postquàm est contemplatus, reuersus dixit esse quidem pulchrum loci situm, vt qui à dextera quidem mare, alia autem ex parte propinquum habeat Bassiani monasterium: non parua autem & leui, sed magna opùs habere diligentia.

Cap. 30.

Euphemia adiungit se S. Matronę.

Nondùm hæc renunciabantur, & promissio consecuta est effectum: & cùm donum fuisset literis insinuatum, statìm ei quoquè perfectum sanitatis donum à Deo fuit donatum. Posteà autem & ędes extruxit magnificentiùs, vt quæ eas, quibus opùs erat, impensas ad corrigendum & exornandum munifica manu ei exhibuerit. Hinc fit, vt eas vsque in hodiernum diem vocent omnes Seuerianas. Hinc cùm sancta migrâsset è priori habitatione, nihil omninò migrauit à scopo, qui est in Deum, & ab operibus: nisi quis hoc vocârit migrationem, à minoribus ad maiora trãsitum. Quo factum est, vt suum quoquè gregem fecerit valdè augeri, & ab inimicis cõseruârit illęsum, operibus habens adiutorem eum, qui est causa bonorum. Fit etiam tale quid aliud præter cætera, quod eam fecit maiorem.

Cap. 31.

Euphemia opulẽta matronam multa ei largitur.

Celebrabatur quidem publicum & venerandũ festum Laurentij martyris. In eius autem templum confluxerat maxima multitudo populi, & diem in eo transigebat. Ibi duæ erant quidem sorores natura, sed moribus minimè, vt quæ valdè inter se discreparent: genere autem erant claræ & insignes. Eæ ergò peracto festo illinc reuertentes, cùm fuissent in loco, in quo erat sanctæ monasterium, numerosus quidam sonus hymnorum diuinorum accessit ad aures earum. Quibus delectatæ, cùm resciuissent quænam ea esset, quæ præest monasterio, ad eam ingressæ sunt. Cùm eam verò con-

Cap. 32.

Venerandũ festum S. Laurentij martyris.

contenissent, & partim quidem ex verbis, partim autem ex modestia & morum honestate magnam accepissent vtilitatem, vna ex ijs spiritali eius amore capta: Tu quidem, inquit, abi, dixit alteri: ego autem manebo apud eam: me enim cepit obliuio & mariti, & domûs, & cognatorum. &, vt dicam cum diuino Dauide: Elégi abiecta esse in domo Dei mei potiùs, quàm in mundo frui rebus iucundis. Cùm autē sorori hæc dixisset Athanasia, (hoc enim erat ei nomen) ea non est illi assensa: sed apertè contradixit, dixitque rem esse leuitatis & inconsiderati feruoris, qui facilè tendit ad pœnitentiam. Hæc autem dicebat animo potiùs mundi cupido, quàm graui & constanti. Sancta verò eius quidem laudabat ex Deo scopum: sed nec ipsa repentinam probabat mutationem: sed suadebat, vt priùs rediret ad maritum, & eam rem communicaret marito: dicebatque oportere eam, quoàd eius fieri potest, curam gerere vitæ perfectioris, & Deum perpetuò rogare, vt scopum eius dirigat. Tuncque, aiebat, venies ad me: ex animi autem tui sententia succedat id, cuius teneris desiderio. Etsi enim diuinum desiderium subijt tuum animum, nec te tenere intermittit: me tamen multa impediunt, nè confidam: nempe tua ætas tenera, & quòd in suscipiendis laboribus non sis exercitata, & quòd sit natura magis ingeneratū, vt tibi seruiatur potiùs, quàm vt seruias: & quod est omnium maximum, mariti prohibitio.

Psal.83.

Rogandus Deus vt scopus noster ab eo dirigatur.

Cap.33. His dictis, silebat Athanasia, animo quidem cruciata, vt quæ repelleretur: nollet autem contradicere, & suam confirmare voluntatem. Propterea recessit, hunc scopum & propositum acerrimè persequens: & vt sancta ei suaserat, vitæ temperantis & frugalis curam gerens, & veluti præcedentē disciplinam, ad vitam & exercitationem id faciens monasticam. Porrò autē cùm venisset in quendam ex suis agris, & seiuncta fuisset à coniuge, studebat ipsa se gerere ad sanctæ imitationem, eodem tempore cibum sumens, parceque & tenuiter, sicut illa, comedens, & preces fundens ante cibum & post cibum, & alia omnia pro viribus imitans, quæ faciebat beata. Cùm ea autem in hoc esset, & quæreret honestam à marito seiunctionem, tale quid accidit, valdè honestam præbens liberationem. Nam cùm ea, vt priùs diximus, abesset, maritus, qui erat sumptuosus & moribus intemperans, magnos faciebat sumptus. Cùm itaque redactus esset ad inopiam, persuadet puero, vt clàm surripiat aliquam ex arcis dominæ, & ad eum afferat. Quod quidem cùm factum esset, non latuit ancillam, quæ seruabat res dominæ. A qua cùm illa rursùs id didicisset, decætero tanquam honesta arrepta occasione, nulla non ratione Athanasia moliebatur separationem. Tandem autem cùm marito persuasisset, & magnam partem facultatum, quæ ad ipsam pertinebant, secum tulisset, Matronæ fidei suam credit animam: accedensque, & ei suas offerens diuitias: Hæc, inquit, mihi accipe, & repone in thesauris Christi, qui non possunt surripi: & nè despicias animam, quæ à sancta tua dependet anima, & omnia sua tibi dedicat.

Athanasia fœmina nobilis ad eius se imitationem componit.

Omnes suas facultates ei tradit.

Cap.34. Matrona autem administrationem quidem, vt molestam & negociosam reijciens, supplicis verò propositum admittens, dubitabat quidnam esset sibi faciendum. Et Bassiano quidem rem communicat; & audita eius sententia, accipit quæ oblata fuerant: & ex pecunijs quidem quasdam consumit in monasterij faciendis operibus: vt quæ monasterium quidem muro circundederit, trium autem tabulatorum habitaculum extruxerit. Primum quidem & terræ propinquum, quod est ad sepulcra defunctum. Secundum autem & medium, quod est aptum ad hyemandum, & habet templum, quod est eo tempore aptum, ad quod conueniatur. Tertium verò & postremum, quod ipsum quoque templo ornatur pulcherrimo, & est pulchrè accōmodatum ad ver illic agendum. Quæ quidem permanent vsque in hodiernum diem, prædicantia sumptuosam & magnificam ædificationem. In his quidem, sicut dictum est, cōsumptæ sunt nonnullæ pecuniæ Athanasiæ: reliquas autem distribuit monasterijs, quæ erant Hierosolymis, & alijs, quæ rerum necessariarum laborabant inopia, bono Marcello ad hæc piè inseruiēte. Et sic quidem Athanasia, amissis, quæ fluunt, diuitijs, acquisiuit diuitias, in quas non cadit interitus.

Etiam olim fuere sumptuosa & magnifica tēpla & monasteria.

Cap.35. Cùm quindecim autem annos fuisset superstes in hac viuendi ratione, à vita præsenti liberata, felix iter ad Deum inijt. Sic grex Matronæ fuit amplificatus, multis quotidiè accedentibus, & volentibus pasci ab hac magistra. Cùm autē instaret tempus eius dissolutionis planè ostendebat sancta, se neque propter parata opera perturbari ad separationem. Paratus enim fui, inquit diuinus Dauid, & non sum conturbatus: neque rursùs festinabat seiungi: illud quidem, vt dictum est, propterea quòd con-

Psal.118.

consideret: hoc autem rursùs propter amorem sui gregis. Quocircà erat ei magìs necessarium in carne permanere, sicut dicit diuinus Paulus: & cùm maiores subijsset labores, illinc quoquè plures fructus accipere. Quamobrē in fine se maioribus exercebat laboribus, sicut boni cursores: & pluribus vacabat precibus & intentioribus. Philip.1.

Cùm Deus autem vellet ne hac quidem consolatione priuare Matronam, vt antequàm hinc excederet, nósset futurum illic suum statum, eam arripit somnus maior solito: in quo videbatur obire locum, pulchris admodùm arboribus consitum, & qui aquis irrigabatur suauissimis, & prædium iucunditate maxima circundantibus: in quo adstantes quædam fœminæ graues & honestæ, & vultu præ se ferentes aperta virtutis indicia, domum quandam interiorem ei manu videbantur ostendere, insigni pulchritudine, & qualem nec humana potest manus efficere, neque lingua narrare. Vocabant autem Matronam, vt illuc ingrederetur, dicentes: Hæc est tua, & tibi præcipuè definita. E somno verò excitata, intellexit quorsùm somnium tenderet, quod ei fidem faciebat eorum, quæ erant secutura, postquàm ex hac vita excessisset. Cùm totum ergò vitæ tempus ei perductum esset ad centesimum annum: & solos quidem vigintiquinque annos in vita transegisset mundana, reliquos autem in spiritali, hinc migrauit ad Christum, quem desiderabat, relictis actionibus, quæ ab omnibus quidem habentur in insigni admiratione: paucos verò possunt inducere ad eas imitandas: Christum, ad quem accessit, perpetuo supplex rogans, vt det pacem ecclesijs, & toti populo suo salutem, qui eum vnum glorificat Trinitatis, in quam non cadit diuisio: Quam decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Cap.36. Visio S. Matronæ. Nota grandem eius ætatem. Migrat è corpore.

VITA S. VVILLEHADI, PRIMI EPISCOPI BREMENSIS, PER F. LAVR. SVRIVM EX MS. CODICE, *mutato ferè stylo descripta. Est historia fide digna, tametsi Authoris nomen Codex non habet, sed ab alio abbreuiata videtur.*



VVillehadus vir venerabilis, ex Britannia maiori originem duxit. Porrò spiritalibus instructus disciplinis, sacerdotio initiatus est. Vbi verò comperit Frisones, hactenùs gentilismi erroribus implicatos, Christianæ fidei expetere mysteria, magno zelo incitatus, accuratè cœpit perquirere, qua posset ratione ad eam gentem peruenire. Atque eo, salutis animorum zelo, agente spiritu Dei, in dies augescente, accessit ad Regem Anglorum Alachintum, eique aperuit, quo zelo esset incensus, petiuitque eius permissu sibi licere prædicandi verbi vitæ causa ad Frisones proficisci. Rex, comperta eius sanctissima voluntate, conuocato ad se Episcoporum seruorumq; Dei non paruo cœtu, de cōmuni omnium sententia & consensu, iussit eum adire gentem illam, eique fidenter annunciare verbum Dei. Nouemb.8. Feruet zelo conuertēdi Frisones.

At vir Dei gratulabundus accessit ad mare, eoque transmisso, venit in Frisię locum quendam, quem * Dockinge vocant, vbì iam antè beatus Bonifacius fuit martyrio coronatus. Cuius concionibus multi illic fidem edocti, & Christiana religione initiati fuère. Vndè factum est, vt honorificè illic Vuillehadus exciperetur. Multo verò tempore ibì habitans, docuit ea quæ sunt Dei, ità vt etiā permulti nobiles, suos filios ei traderent instituendos, & multi ab errore in viam reuocarentur, & magna infidelium turba eius prædicatione instructa, vndis salutaribus expiaretur. *Dockum Magnū fructum facit in Frisia.

Indè autem proficiscens vir Dei, traiecto flumine Lauinca, venit ad locum, quem Huchmarke appellant: cumque eius habitatores ab idolorum cultura ad verum Deum colendum reuocaret, illi furore perciti, exclamârunt, virum tam prophanum prorsùs è medio tolli oportere. Nec deerant tamē moderatiores quidam & sanioris consilij, qui more gentis sorte experiendum dicerent, num morte afficiendus esset. Sed agente diuina prouidentia, sors eum non attigit. Itaque liberam ei fecêre abeundi potestatem. Illis ergò relictis, venit in Drentiam, vbì multi eius prædicatione conuersi, crediderunt in Christum, & baptizati sunt. Porrò discipuli eius, diuino eos impellente amore, idolorum fana demoliri conabantur: sed id barbari molestissimè ferentes, eos trucidare voluêrunt. Cæsus tum fustibus est beatus Vuillehadus, & Pagani volunt eum occidere. Cæditur fustibus.

multæ ei plagæ impositæ sunt. Quidam verò ex illis, districto gladio in eum irruit, & caput ei amputare voluit: sed vir sanctus thecam, in qua sanctorum reliquiæ inerant, ad collum suspẽsam habebat. Itaque ictus ille in eius caput vibratus, partem quidem ligaminis thecę discidit, sed eum prorsùs nihil læsit. Eo miraculo pagani territi, illum cum discipulis illæsum, à se dimiserunt.

Nota de reliquijs sanctorum.

Porrò inuictissimus Francorum Rex Carolus, audita eius fama, eum egregiè animauit ad propagandam Christi religionem, veritus nè fractus iniurijs, à prædicando verbo Dei cessaret. Tum verò in Vuigmodiam se conferens, ecclesias illic condidit, & populum salutari prædicatione alacriter erudiuit. Deniquè anno Christi septingentesimo octogesimoprimo, omnes Frisones circuncircà degentes, Christianam fidem se complecti velle promiserunt. Sed anno tertio Vuedekindus Saxonum dux, congregato exercitu, aduersùs Carolum Regem rebellauit, Christianosq; persequi, & è suis finibus profligare cœpit. Id vbì comperit vir Dei Vuillehadus, abijt in Vtriustri: sed ibì quoque imminentem persecutionem, Christi benignitate euasit. Indè verò Romam proficiscens, cùm sanctissimi Pontificis Adriani cõsolatione animatus esset, in Franciam lætus redijt. In illo itinere scutella eius lignea confracta, creditur meritis eius redintegrata.

Vuedekindus Saxo persequitur Christianos.

S. Vuillehadus venit Romam.

Porrò autem Carolo Francorum Rege iubente, in Vuigmodiam reuersus, Christi fidem publicè & strenuè prædicauit, destructaque templa instaurauit: conatusque eos Domino adiuuante & prosperante, eodem anno Frisones fidem Christi, à qua defecerãt, rursùs complexi sunt: atque etiam Vuedekindus ipse, totius mali author, Regi Carolo se submittens, baptismi gratiam percepit. Carolus autem Rex cùm esset Vuormatiæ, seruum Dei Vuillehadum Episcopum consecrari voluit, idque factum est tertio Idus Iulij. Eius autem parœciæ subiecit Vuigmodiam, Haras, Vtriustri, Astergam, Vuangam & Noerden. Et illic quidem primus Episcopus fuit beatus Vuillehadus: in ipsa autem functione Episcopi admodùm piè & religiosè se gessit, virtutumque studia multis modis auxit. Cùm autem corporis incommoda valetudine admodùm confectus esset, Hadrianus Pontifex iussit, vt piscibus vesceretur, quibus ob studium abstinentiæ vti non solebat. Nullus propè dies abijt, quo non sacra Missarum solennia cum magna cordis cõtritione celebraret, insupèr nonnunquàm duo vel tria Psalteria lectitans. Ità vir beatus doctrinam suam egregiè ornabat, exemplo suo confirmans, quod ore prædicabat.

Vuedekindus baptizatur.

S. Vuillehadus fit primus Episcopus Bremẽsis.

Bremæ ædificauit templum elegãtissimum, dedicauitque illud Calendis Nouembris Dominico die in honorem Domini nostri Iesu Christi, & beati Petri Apostoli. Atque ea in vrbe Episcopi sedem constituit.

Dedicatio Ecclesiæ Bremensis.

Tandèm cùm vniuersam parœciam suam studio piæ intẽtionis crebrò perlustrâsset, in locum, qui * Bleckensee dicitur, peruenit: vbì tam acri correptus est febre, vt discipuli qui cum eo erant, vitam eius desperarent. Vnus autem ex eis familiariter ei adhærens, dolorem, quem ex eius obitu impendente conceperat, lachrymis & querimonijs testatus est: Noli, inquiens, pater sancte plebem, quam pascẽdam suscepisti, quæque cultui diuino sese accommodare videtur, deserere, nè tenellus grex, te decedente, luporum morsibus exponatur. Ei verò beatus vir sic respondit: Noli, fili mi, à Domini mei conspectu diutiùs me auocare. Oues ab illo mihi commendatas, ei tuendas committo. Non deerit vobis benignitas eius, cuius misericordia plena est terra. Atque ità pia animi deuotione vir Domini cælo semper intentus, sexto Idus Nouembris, cùm iam virtutibus perfectus esset, in Christi pace obdormiuit. Ad eius exequias plebs deuota vndiquè accurrens, patrem & doctorem optimum cum hymnis & laudibus ad Bremensem ecclesiam, quam ipse condiderat, deportârunt, in eaque sacrum corpus eius tumulârunt.

Psal. 32.

Feliciter abit ad Dominum.

Fuit in Episcopatu Bremensi annos duos, menses tres, dies vigintisex.

EX

EX LIB. II. CAPITE XIIII. ET XV. SAXONIAE ALBERTI KRANTZII QVAEDAM HIS SVBiungimus, *quæ non parùm faciunt ad beati Vuillehadi historiam confirmandam & illustrandam.*



CVM iam antè diuisis locis per Saxoniam Rex (Carolus Magnus) aliquot constituisset Episcopatus, in Osnaburga, in Salingstede, inque Padeburna: anno tandèm DCCLXXXVIII. Bremensem erexit Ecclesiam, vt esset suffraganea Coloniensi. In quam ordinatur Episcopus Vuillehadus, natione Anglus: qui multis iam annis in maritimis eius regionis Christi Euangelium disseminauit. In persecutione, quàm excitauit Vuedekindus, vix ipse elabitur, cùm discipuli eius diuersis locis occumberent pro Christo. Vndè Dei confessor maius sitiens lucrum animarum, Euangelicum compleuit præceptum, de ciuitate fugiens in ciuitatem: dispersisque ad prædicandum socijs, ipse Romam cum Ludgero adijt: vbì sanctissimi Papæ Hadriani consolatione releuati, Ludgerus ad professionem ordinis sancti Benedicti in montem Cassinum, Vuillehadus in Galliam ad sepulcrum sancti repedauit Vuillibrordi. Itaque biennio vterque conclusi, contemplationi institerũt & orationi, magni Saxoniæ futuri Apostoli: orántes interìm pro persecutoribus & gente Saxonum, nè iactum in eos fidei semen inimicus homo zizanijs opprimeret. Quo tempore Vuedekindus author, vt diximus, rebellionis, ad fidem, vt est dictum, venit, baptizatus cum alijs Saxonum magnatibus. Et tum demùm subacta Saxonia, in prouinciam est redacta: quæ diuersis temporibus in octo Episcopatus diuisa, Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis est subiecta. Operæprecium iudicaui inserere priuilegium Caroli, quod tum contulit Ecclesiæ Bremensi: vndè discant posteri, quid permouerit optimum Regem, Episcopis, non Ducibus suis, terram supponere: cernantque de temporum ratione complurima, quæ alibì non legantur. Exemplar ergò eius priuilegij, Bremensi Ecclesiæ à Carolo donati.

Episcopat⁹ Salingstede translatus est Halberstadium.

Matth 10.

De Ludgero hæc paulò aliter habet eius historia To 2. Martij 26.

Saxonia in prouinciam redacta.

IN NOMINE DOMINI & Saluatoris nostri Iesu Christi, Carolus diuina ordinante clementia Rex: Si Domino Deo exercituum succurrente, in bellis victoria potiti sumus, in illo, & non in nobis, gloriamur: & in hoc seculo pacẽ & prosperitatẽ, & in perpetuo futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Christifideles, quòd Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiã semper indomabiles, ipsique Deo & nobis tam diù rebelles, quousq; illius, non nostra, virtute ipsos & bellis vicimus, & ad baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristinę libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios & subiugales deuotè addiximus: videlicet, vt qui nostræ potestatis iugum hactenùs ferre detrectârunt, victi iam, Deo gratias, & armis & fide, Domino ac Saluatori nostro Iesu Christo, ac sacerdotibus eius, omnium suorũ iumentorum & fructuum, totiusque culturę decimas ac nutrituræ, diuites ac pauperes legaliter cõstricti persoluãt. Proindè omnem terram eorum antiquo Romanorum more in prouincias redigentes, & inter Episcopos certo limite disterminantes, septentrionalem illius partem, quæ & piscium vbertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima, pio Christo & Apostolorum suorum principi Petro, pro gratiarum actione deuotè obtulimus: sibique in Vuigmodia, in loco Bremen vocato, super flumen Vueseram Ecclesiam & Episcopalem constituimus cathedram. Huic parochiæ pagis septuaginta mansos cum suis colonis offerentes, totius huius parochiæ incolas, decimas suas Ecclesiæ, suoq; prouisori fideliter persoluere, hoc nostræ maiestatis præcepto iubemus, donamus, & confirmamus. Ad hoc etiam summi pontificis & vniuersalis Papæ Hadriani præcepto, necnon & Moguntinensis Episcopi * Lullonis, omniumque, qui affuêre, pontificũ consilio eandem Bremensem Ecclesiam, cum omnibus suis appendicijs, Vuillehado probabilis vitæ viro, coram Deo & sanctis eius commisimus: quem etiam primum eiusdem Ecclesię tertio Idus Iulij consecrari fecimus Episcopum: vt populis diuini semina verbi, secundùm datam sibi sapiẽtiam fideliter dispensando, & nouellã hanc Ecclesiam canonico ordine & monasteriali competentia instruendo, interìm plantet & riget, quousquè precibus sanctorum suorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus.

Cap. 15. Priuilegium Ecclesiæ Bremensis.

Saxonia vt Episcopis sit subiecta.

Vueserã, id est, Visurgim.

* al. Lulli

Vuillehad⁹ fit primus Episcopus Bremensis.

Innotuit etiam idem venerabilis vir serenitati nostræ, eam, quam diximus, parochiam

chiam, propter barbarorum infestātium pericula, seu varios euentus, qui in ea solent contingere, ad sustentacula siue stipendia Dei seruorum inibi militantium minimè sufficere posse. Quamobrèm, quia omnipotens Deus in gente Frisonum, sicut Saxonum, ostium suum aperuit, partem prænominatę regionis Frisiæ, quæ contigua huic regioni esse dinoscitur, eidem Bremensi Ecclesiæ, suoque prouisori Vuillehado Episcopo, eiusque successoribus perpetuò delegauimus retinendam. Et quia casus præcedentes, nos cautos faciunt in futurum, nè quis, quod non optamus, aliquam sibi in eádem diœcesi vsurpet potestatem, certo eam limite facimus terminari: eique hos terminos, mare Oceanum, Albim fluuiū, Liam, Stenbach, Hasalam, Vuimmarcham, Sneielbach, Ostam, Mulinbach, Motam paludem, quæ dicitur Sigefridelmoer, Quistinam, Chisemmoer, Ascbrock, Vuilsebrock, Biuernā, Vrernam, iterumque Ostam. Ab Osta verò vsque dum peruenitur ad paludem, quæ dicitur Kaldēbach: deindè ipsam plaudem vsque ad * Vuemmam fluuium: à Vuemma verò Bitinam Farstinam, vsque ad Vueseram fluuium: deindè ab orientali parte eiusdē fluminis viam publicam, quæ dicitur Hessenuueg, Sturmegor & Lorgoe disterminantem Sechbalam, Alapam, Caldehorra, iterumque Vueseram. Ex occidentali autem parte viam publicam, quæ dicitur Folckuueg, quem incolæ loci Vuildloch nominant: Finolam, Vualdelmoer, Berckpol, Eddenri apud plaudem, Emilgoer & Oestergoer disterminantem: Brudlocho, Biberlach, iterumque mare: firmos & intransibiles iussimus, & circunscribi: &, vt huius donationis ac circunscriptionis authoritas nostris futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari iussimus. Signum domini Caroli Regis inuictissimi: Hildebaldus Archiepiscopus Coloniēsis, & sacri palatij capellanus, recognoui. Data II. Idus Iulij, anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXVIII. Indictione XII. regni domini Caroli XXI. Actum palatio Nemetensi feliciter, Amen.

Limites diœcesis Bremensis.

*Vuemmā fluuiū, à Vuemna verò Bitinam.

Hildebald' Archiepiscopus Coloniensis.

S. Vuillehadus multis annis prædicat Frisijs & Saxonibus.

Sedit igitur in Ecclesia Bremensi beatus Vuillehadus post ordinationem suam annos duos, menses tres, dies vigintisex: prædicauitque tam Frisijs quàm Saxonibus post martyrium sancti Bonifacij omnes annos trigintaquinque. Obijt autem senex & plenus dierum in Frisia, in villa * Pleccazze, nunc vocant Plexen: quæ sita est in Rustria. Corpus eius Bremam deportatum, in basilica sancti Petri, quam ipse ædificauit, sepultum est. Transitus eius celebratur festiuis gaudijs vj. Idus Nouembris. Ordinatio, 3. Idus Iulij. Hactenùs ex Crantzio.

VITA S. GODEFRIDI EPISCOPI AMBIANENSIS, AVTHORE NICOLAO MONACHO SVESSIONENSI, eius æquali:

Cuius tamen dictionem passim mutauit, & plerunquè nonnihil contraxit F. Laur. Surius, sola Epistola nuncupatoria prorsùs nihil mutata: quæ mox sequitur.



Euerendo patri Rohardo, sanctæ Suessionensis sedis ac matris Ecclesiæ Decano, Nicolaus beatorum martyrum Crispini & Crispiniani, ipsius vrbis Apostolorum & patronorum, seruus, debitæ venerationis obsequium. Sæpiùs, pater amantissime, tua sanctitas paruitatem meam cōmonefecit, vt aliqua de gestis piæ memoriæ Godefridi Ambianensis ciuitatis præsulis, in laudē omnipotentis Dei stylo cōtraderem fidelium posteritati. Quod vt ipse reor meministi, primò durè suscepi, nec mirum. Etenim à tanti viri pijs laudibus exprimendis hinc me reuocabat ætatis immaturæ debilitas: (Vt enim relatione obstetricis insertum memoriæ retinebam, non ampliùs quàm quinque lustrorum ambitum attigeram) hinc verò humilis sciētiolæ tarditas maximè retrahebat. Nam vt de reliquis taceam, nondùm complexionem syllabarum, nondum ipsius Alphabeti elementa plenè cognoueram. Cumque modernos acutiores, & vt ita dixerim, lyncum more obstantia quæque subtiliter penetrare intueor, dum vnumquenque in suo sensu abundare contemplor, dumque penè vniuersos eloquiorum flores perquirere, simul & compendio studere perpendo: nimiùm nimiumque vereor, quòd si tantilli exercitij ruditas, incultique ingenioli tarditas, Pythagoricas seu Platonicas peruenerit ad aures, fastidium magis, quàm emolumentum generans, inter argutos videat grauis

grauis anser perstrepere olores. Enimuerò moris vituperandæ fertur picturæ, vt à longè quidem perpulchra pareat: cùm verò obtutus attentiùs subtiliusque defixeris, ampliùs vilescat. Quod & ego, nè simile quid incurrerem, admodùm formidabam, sicque potiùs subsannationi cunctorum iudicio meritò paterem, quàm laudi: cùm durum nimis sit, iuxta cuiusdam dicti sententiam, cuiuspiam meritum calamo efferre, cuius imitator esse desistis. Hæc aliaque quamplurima cùm mihimetipsi obijcerem, his meam pusillitatem refoues, tarditatem desidiamque commones, non æquum fore, si verbi Dei talentum acceperim, de cælestibus reticendo, occiduam vitam, iuxta illud Crispi, vtì bruta animalia, quæ natura finxit prona & obedientia ventri, præterire silentio: quod etiam est minam reponere in sudario: sed dignum piumque, actus serui Dei ad ipsius fauorem, simulque fidelium exhortationem, prout vnctio spiritûs nos de omnibus doceret, non in immensum cognitioni mortalium commendando, exarare calamo. His alijsque tuis tam allocutionibus, quàm & allegationibus inclinans animum, quanquàm pridèm ad id peragēdum flagraret, tamen vehementer timebam ruditati hebetis intelligentiæ, nè si illud aggrederer, quasi contra torrentem conarer, sicque succumberem mole præconandæ pressus historiæ. Rursùs itaque illo tuo excellenti more his pigritantem suscitas, vt videlicet meminerim me reum detineri, si ad ornandam veri summique sacerdotis vestem nollem, cùm possem, competenter offerre. Et nè de inæqualitate virium id exequendi minimè diffiderem, nec de ingenij tarditate titubarem, sæpiùs inculcabas, vt in ipso, qui fabricatus est surdum & mutum, spem ponens, hoc opus, vniuersis imitari cupientibus vtile, mihi esset in voluntate: orationibus autem ipsius serui Dei suffragantibus, quamcitiùs feliciter futurum in perfectione. Quia verò, iuxta quod legitur, Quoque magìs tegitur, tectus magìs æstuat ignis: præcepto tuo, cui non obaudire, nefas duxi, nimiùm nimiumque moratus, tandèm ad scribendum animum appuli, egregios mores gloriosi Godefridi, dignosque relatu, ad fauorem illius, qui in sanctis suis mirabilis prædicatur, quanuis scientia imperitus, recitandos statui. Itaque venerande pater, nequaquàm in his perquiras sapientiam sermonis, sed præpollentem vitam viri, ad imitationē positam cunctis, qui sobriè & iustè versantur in domo Dei. Sed quia nôsti, quòd ad euoluendum tam immensæ profunditatis pelagus pluma imbecillis est, orationibus tuis obtine, quatenùs aura paracleti spiritûs nobis aduenire, iam iamque cursum dignetur dirigere: vt quò nos ducit oratio, illæsa rate, possimus pertingere.

[Margin: Salusti° in Iº Côiurationis Catilinæ. — Exod. 4. — Psal. 67.]

Exoro, valeas, felix cum tempore curras.
Post obitum carnis, par adisi pace fruaris.

PROLOGVS AVTHORIS AD LECTOREM.



MEmoriæ proditum est, apud veteres in more positum fuisse, præclarè ab alijs dicta & facta, literis mandare, vt posteris egregiæ virtutis essent monimēta: tum etiam illorum imagines vel nomina, siue aureis, siue æreis insculpta laminis, ad excitandam animi virtutem & fidentiam, ob oculos statuere. Quod si ob propagandam eorum famam mortalium sagacitati fieri placuit, quos non modò æquum non fuit superuacaneis efferri laudibus, sed etiam imitari velle extremæ dementiæ sit: quanto iustiùs nos militum Christi res gestas ad laudem præpotentis Dei, ad fidei confirmationem, ad excitandam auditorum ignauiam literis consignamus, quos pro sua benignitate ad illud gloriæ fastigiū Deus euexit, vt filij Dei & dicerentur, & essent: nec tantùm regni cælestis participes, sed etiam hæredes Dei, Christique cohæredes sint? Nè quis autem temerè id fieri existimet, meminerit iubere egregium citharœdum, vt fideles quique laudent Dominum in Sanctis eius: quos ab ipso mundi exordio ità in hoc mundo constituit, vt in medio nationis prauæ atque peruersæ, verbum vitæ in se continerent. De quibus etsì multa dici hoc loco possent, sed sermo cohibendus est, nè fiat lectori vel auditori onerosus. Ex eorum autem collegio libet iam in medium adducere electum Christi antistitem Godefridum, Ambianensis ciuitatis pastorem, quem Dominus Iesus ex eius latebris extractum, eo tempore, quo Philippus Henrici Francorum Regis filius in Gallijs rerum potiebatur, ceu sidus eximium, quo peccatorum tenebræ illustrarentur, in specula sanctæ matris Ecclesiæ collocauit: qui quantæ sanctitatis & innocentiæ fuerit, finis

[Margin: Iohan. 1. — Rom. 8. — Psal. 150. — Philip. 2. — Quo tēpore vixerit S. Godefridus.]

finis declarauit, in quo, vt ante nos dictum est, securè laus omnis canitur. Etsi autem de illo multa extent, plurimaque memoriæ succurrant, nos tamen ea duntaxàt annotabimus, quæ penè omnes nouerunt. At verò dum satis necdùm video, ex ijsipsis quænam potissimum eligam, hominumque animis affigam, dum fluctuat animus, prioráne, an posteriora commemoranda suscipiam, haud mediocres me angustiæ obtinent, inscitia miserè me premit, itâ vt tanto oneri impar, rerumque gestarum immensitati succumbens, cum quodam exclamare cogar, Inopem me copiâ reddit.

Multæ eius reuelatiões. Nam si referre velim, quotiès illi de statu præsentis Ecclesiæ diuinæ sint oblatæ reuelationes, quàm crebrò ille beatissimis supernorum spirituum cœtibus vltrà quàm communis naturæ àdmittit imbecillitas, admixtus, potentum huius seculi infidelitatem, & in subditos tyrannidem, itemque pellicum & matronarum infandam commixtionem, æternis ignibus puniendā prænouerit, (horum enim fœtor iam in æquissimi iudicis cōspectum pertigerat) vtque fraternæ charitatis flamma incensus, diuinæ animaduersionis gladium iam iamque imminere cunctis denuncians, innumeras pertulerit angustias & labores: tum quoq; si frigora, nuditatem, ieiunia, quibus mirè corpus suum edomuit, si castitatem, patientiam, humilitatem, cæterasque virtutes eius, quibus egregiè instructus, viam mandatorum Dei dilatato corde hilariter cucurrit, exactè explicare contendam, modum voluminis excedam, videborque dixisse incredibilia: adeò non potest horum certus numerus iniri. Quid igitur? Si non possunt dici omnia, ad excitandam tepidorum desidiam, ad inflammandos cælestium amore pigrorum animos, vel pauca è plurimis ceu desides & oscitantes non cōmemorabimus, lucernamque Christi benignitate accensam, vt mortalibus iter ostēdat, quo pergendum sit ad beatitudinem, nostro silentio interìm sub modio latére patiemur? Quid verò hac re possit fingi impudentius, aut dici miserabilius? Nam de tanto viro dicere, præclarum, honestum & pium est: de illo horis & locis omnibus meditari, vtile & salutare est: deniquè, quò iam præcessit, illum subsequi pro viribus, optatissimum esse debet.

(Corporis afflictiones) (Matth. 5.)

Adiuuante igitur nos spiritu Dei, & precibus ipsius Godefridi Episcopi suffragantibus, eius ortum, mores bonos, felicemque è corpore migrationem, non fallaciosè, sed syncerè coram Deo in Christo scribere connitemur. E quibus pauca quidem nostris oculis vidimus: reliqua verò, hominum veracium, qui illum familiariùs & videre & audire potuerunt, fideli relatione didicimus, putà Renigerij monachi S. Quintini, cuius cœnobium Peronę vrbi propinquum est, qui Renigerius à puero discipulus fuit nostri huius prædicandi Godefridi: & cùm ego ei loquerer, ætatis excesserat annum sexagesimumsextum, & in monasterio vixerat annos quinquaginta. Rohardi etiam, viri venerabilis, qui in Suessionensi Ecclesia Decani officio nunc fungitur, quemque hic Dei seruus Godefridus ab ipsis incunabulis (Nam erat eius ex sorore Hodierna nepos) apud se educauit, & ad reuerendos prouexit mores. Qui sanè memoria sempiterna dignus est, tantoque potest veriùs de beato viro testari & proloqui, quanto eius præclarè dicta & facta, omni venerationis studio complectenda, familiariùs cognita & perspecta habere potuit. His accedit Gislebertus, vir æquè per omnia fide dignissimus, qui ei indiuiduus terra marique vsque ad supremum vitæ eius diem comes adhæsit. Quòd si quis impudenter oblatrare & carpere nos velit, cur non tam visa, quàm audita referamus, accipiat ille, quod beatus Gregorius Pontifex & Doctor in Dialogo suo dicit, Lucam & Marcum Euangelium, quod scripserunt, non visu, sed auditu didicisse. Itaq; cùm Doctor gentium testis sit fidem ex auditu constare, tantorum virorum freti authoritate, ad dicenda ea, quæ de beato viro suscepimus, nos accingamus. Qua tamen in re quandò nobis vires deesse non ignoramus, habitatoris eius spiritussancti gratiam medullitùs imploremus: vt de tali tantoque patre digna animo concipere, & lectori vtilia proferre queamus, quem ille plurimis charismatibus gratuita benignitate præclarè illustrauit.

(Aetas Authoris.) (Renigerius, Rohardus, & Gislebertus S. Godefridi discipuli.) (Rom. 10.)

VITÆ

VITÆ LIBER PRIMVS.

Quibus ortus sit parentibus. Cap. 1.



IGITVR venerabilis Godefridus pago Suessionensi editus est in lucem,habuitq; parentes ingenuos, fide & actione catholicos. Pater eius Frodo, mater Elizabeth dicta est.Degebant autem illi in prædio Moulicurtensi, & cœnobio beatæ Mariæ *Nouigenti è suis redditibus, terris & vineis, non parùm multa contulêre. In eo autem cœnobio annis aliquot vixit Frodo in habitu monastico, præclaraque innocentiæ & patientiæ exempla reliquit: mater verò orbata viro, instàr turturis, casu aliquo coniugem amittentis, in viduitate & animi puritate perseuerans, vsqueadeò superuixit, vt filium suum viderit eius monasterij regimen obtinere. Nouēbris 8. Patria & parentes S. Godefridi.

De Godefrido Abbate S. Quintini. Cap. 2.

EST celebre monasterium in Veromāduorum solo, in beati Quintini martyris honorem conditum,Peronæ oppido propinquum. Ei per id tempus præerat vir pius Godefridus, & morum integritate, & generis nobilitate clarus. Fuit enim patruus Idæ,filię Alberti nobilissimi Comitis Namurcensis, quæ iuncta matrimonio egregio *consuli Bononiensis prouinciæ Eustachio, Godefridum & Balduinum ei peperit: qui posteà itineris Hierosolymitani,quod iubēte Vrbano Pontifice maximo susceptum fuit, duces & moderatores inuictissimi diuinitùs instituti,vrbem Hierosolymam, in qua totius mūdi vita à sacrosanctæ Crucis patibulo pependit,armis expugnârunt, atque in ea alius post alium imperium obtinentes, annis aliquot barbaras & à Christi religione alienas gentes egregiè debellârunt,& tandèm illic animas Christo reddiderunt,honorificè ea in ciuitate,vbì sepulcrum est Domini,tumulati. Quæ quidem idcircò mihi commemorata sunt,vt possit intelligi genus illustre tanti patris, quem constat etiam gregi suo magna cura inuigilâsse,religione celeberrimū, literarum scientia & rerum quoquè externarum & politicarum peritia,cumprimìs instructum fuisse. Hi ab alijs vocantur Duces Lotaringiæ.

Vt parentes eleemosynis & precibus obtinuerint à Deo filiū Godefridum. Cap. 3.

CVm autem ille die quodā per pagum Suessionēsem iter haberet, hospitio vti voluit eius,quem diximus, Frodonis.Qui cum vxore sua tanquàm Dei seruum honorificè eum accepit,& charitatis officijs,multaq; humanitate prosecutus est,& ad pedes eius pariter prouoluti, ab ore eius verba salutis attentis animis perceperunt. Omnis enim sermo eius, è diuinis erat scripturis depromptus,de gloria iustorum,de pœnis impiorum, de contemptu rerum visibilium & caducarum,de inuisibilium semperque manentis beatitudinis & felicitatis appetitione. Cumque ille eis loqueretur,inter alia sciscitatus est ex eis,num quenquam è liberis suis(Duos enim filios, illos habere didicerat) Domino seruiturum obtulissent.Tum verò illi alta trahentes suspiria,multoque ab oculis manante lachrymarū imbre, aiunt se id necdùm fecisse: eos,quos antè genuissent,quorum alter Fulco,alter Odo dicebatur,iam seculari militia implicatos teneri: se verò iam toto decennio nullam edidisse prolem,& iam tendere ad senectutem, nec vllam deincèps sperare sobolem: orare tamē,vt à Christo ipse eis impetrare velit filium, quem possint monasticæ professioni mancipare.Respondet ille, ad eam rem promerendam,expetenda esse iustorum suffragia & merita, piorum lachrymas, monachorum & circumquaquè degentium seruorum Christi preces. Non enim, inquit,vnum me sufficere video huic rei impetrandæ: sed quia ex propheta didicimus,fidelem Dominum in omnibus verbis suis,quid ille in Euangelio promittat, interioribus auribus fideliter accipite: Si quid, ait, petieritis patrem in nomine meo,dabit vobis. Vos ergò in nomine filij patrem rogetis, credatisq; vos accepturos,& fiet vobis. His dictis,ad sua abiturus, illis valefacit, hortaturque vt in preces & opera pietatis incumbant. At illi duas vineas, alteram apud Morellichortem, alteram apud Cupheias,cum redditibus ei dono dedêre,vt fratres, qui sub eius cura degebant, indè sustentarentur. Quæ quidem ille cum gratiarum actione susci- Abbas excipitur hospitio à parentibus S. Godefridi Episcopi. Psal. 144. Ioan. 16.

piens, vbi ad monasterium suum rediit, conuocatis fratribus, quid illo itinere euenisset, exposuit, Frodonis quoquè & coniugis eius deuotionem & pietatem, atque ab eis munus liberaliter collatum, indicauit. Fratres, iis auditis, Christo ingentes agunt gratias, offerunt sacrificia, ieiuniis & litaniis præpotentem Deum permouere conantur, vt ocyùs illorum voto satisfiat. Christus, cui humilium & mansuetorum semper placuit deprecatio, exaudit desiderium pauperum: Elizabeth cōcipit filium, suo tempore in domo Dei, quæ est Ecclesia, luminare magnū futurum. Accurrunt cognati & vicini, mira omnes lætitia & exultatione afficiuntur: & deindè edita tanta prole, non modò homines, sed etiam cęlestis patriæ ciues, gratulantur.

Iudith 9.

Editur in lucem S. Godefridus.

Vbi & à quo baptizatus sit S. Godefridus. Cap. 4.

Baptizatur.

VT autem baptismi gratiam perciperet natus puer, ad monasterium sancti martyris Quintini deportatus, atque à monasterii patre Godefrido, cuius paulò antè meminimus, amanter exceptus & baptizatus est, atq; etiam è fonte sacro eius manibus susceptus, eius nomine appellatus est. Iussit autem idem Christi seruus, nescio quid diuinæ in illo gratiæ præsentiens, accuratè eum enutriri, vt in templo Domini tanquàm alter Samuel, quandoquè iugiter seruiret, & crescente in illo gratia spiritussancti, intrans in sancta sanctorum, offerret sacrificium pro populo Dei: quod & factum est, vt suô loco dicemus.

1. Reg. 2.

Quandò monasticum sit complexus institutum. Cap. 5.

Quinquennis induit habitū monasticum.

ABlactatus indè cura parentū, cùm iam quinquennis esset, rursùs ad eūdem patrem Godefridum adductus est. Ille verò puerum exosculās, habitum religionis ei tradidit, disciplinisq; tum liberalibus, tum monasticis diligenter erudiuit. Et ille puerulus, perindè vt solet humus, nimio solis adusta feruore, infusum imbrem celeriter imbibere, & fertile solū, accepto semine, messori copiosam refundere segetem: à magistro tradita, auidè hauriebat: & reipsa quoquè & opere exequi, auidiùs & ardentiùs conabatur. Vndè factum est, vt ab illo monasterii patre impensiùs amaretur, & suis quoquè coætaneis & æqualibus nō mediocri venerationi esset. Augebatur interìm in illo gratia Dei, & coram Deo & hominibus in dies ætate & sapientia proficiebat.

Mirè proficit virtute & sapientia.

Vt à grue rostro percussus in oculo, nihil mali perpessus sit. Cap. 6.

Insigne miraculum in puero.

ACcidit autem, vt solus in monasterio pius puerulus ambularet. Eccè autē eunti obuia fit grus, quæ iam senio fessa, oblōgum rostrum tanta vi ab improuiso adegit in oculum eius, vt caput totum cōfixisse videri posset. Quæ res cùm non solùm dolorem, sed etiam mortem afferre debuerit, pius puer Christi nomen fideliter appellans, signumq; Crucis pollice identidèm vulneri imprimens, non mortem, non oculi iacturam, immò ne minimum quidem dolorem persensit. Aduolant certatìm fratres cum patre monasterii, fundunt lachrymas, suspirant grauiter, putant orbatum lumine, cerebrum, in quod grus rostrum defixerat, mox effusum iri, puerumque ilicò moriturum. Sed Deus non est passus, vt eo vulnere vel oculus eius deformaretur, quem & Abbatem & Episcopum fore sciebat. Vbì ergò vident fratres, nihil incommodi ei accidisse, sed sanum atque incolumem adstare, gemitus mutantur in gaudia, mœror & luctus omnis abscedit, Christus ab omnibus eximiè prædicatur, quòd sit fidus & verus suorum custos & conseruator. At tamen, vt extaret tantæ virtutis monimentum, in oculo, quoàd vixit, quædam hæsit cicatrix, sed prorsùs nullam ei deformitatem afferens.

Vt inter fratres monasterij vixerit. Cap. 7.

Eius virtutes.

ERat ei vultus propemodùm angelicus: nec modò æquæuos, sed etiam ætate maiores, morum honestate & maturitate anteibat. Erat in vigiliis pernox, creber in precibus, scripturæ diuinæ studiosissimus, non id spectans, quod plerique solent, vt doctus videretur: sed intimæ lucis suauitatem, & lachrymarum largos imbres indè eliciens, atque intelligentiæ pennis ad superna se erigens, quæ lectione didicerat, tanquàm mundum animal assidua commemoratione ruminabat. Cibi potusq; multa in eo cernebatur parsimonia: quippe memor erat illius Boethianæ sententiæ, naturam paucis minimisque rebus esse contentam. Itaque non modò superflua, sed etiam necessaria corpori non raró subtrahebat, adeò vt plerunquè fratribus cibum capientibus, solus in templo meditationi siue lectioni operam daret, atque vsque in noctem ieiunium protrahens, confe-

Victûs parsimonia.

ctum

ctum inedia corpusculum tum demùm non exquisitis epulis, sed pane & aqua reficeret. Os ab obtrectatione & ociosis sermonibus perpetuò refrenauit, nec ad aures eiusmodi virus admittere voluit. Non tantùm superioribus & æqualibus, sed etiam inferioribus, Christi Saluatoris vestigijs pro modulo suo insistere cupiens, obedientem & morigerum se præbuit, vt etiam extrema quæque ab illis imperata, haud secùs atquè si Christus iussisset, sine mora exequenda susciperet. Portionem vini, quæ illi apponebatur, nunquàm visus est hausisse totam, sed plerunquè mediam, sæpissimè totam egenis impertijt, idem faciẽs de piscibus & alijs rebus esculentis. Et quid me necesse est multa singulatìm perstringere? Erat omnibus ceu speculum ob oculos positus, vt facilè quiuis in eo possent animaduertere, quantùm à perfectionis culmine abessent. Egregia obedientia & humilitas.

De eius vigilijs. *Cap.* 8.

DVo illic erant constructa oratoria, alterum Thomæ Apostoli, alterum Aegidij confessoris: è quibus vnum valetudinario, aliud dormitorio propinquum erat. In ijs vir beatus sæpissimè solebat noctù vigilare. E suo enim lectulo, fratribus nescientibus, surgens, & nocturnas vigilias anteuertens, eò se conferebat, hymnis & laudibus diuinis vacans, cum multis lachrymis ad vitæ fontem & domûs Dei vbertatem suspirans, vt posset ipse quoquè dicere cum Propheta: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Ijs enim delectabatur & fruebatur, earum consolatione fretus, per desertum & arentem huius exilij solitudinem, cælestis patriæ ardens desiderio, ad brauium supernæ vocationis constanter contendebat. Prolixæ vigiliæ. Preces. Psal. 41.

Miraculum, in S. Aegidij oratorio factum. *Cap.* 9.

ET quia oratorij beati Aegidij Abbatis mentio facta est, rem memorabilem, quæ illic contigit, referemus. Ea nocte media, qua præsepij angustia Christum è matre virgine nascentem olìm excepit, monachus quidam, Richardus nomine, vir inprimìs reuerẽdus, qui vitam monasticam annis ampliùs quinquaginta egisse ferebatur, sacrificium illic offerre voluit. Cumque expansis linteis calicem & alia ad sacrificium adhiberi solita imposuisset, incautè ardentem ibì reliquit cereum, & in chorum fratrum psallentium abscessit. Vbi cùm sextam lectionem à præcentore ipsi assignatam recitaret, recordatur cerei, fitque multùm anxius, quòd non posset intermissa lectione eò properare, nec cuiquam indicare, quid ipsum malè haberet. Absoluta lectione, propè exanimis eò festinat: cumque omnia iam in cineres & fauillam redacta putaret, videt cereum cecidisse in lintea, flammarum comas latè diffundi, & tamen illæsa omnia, & quod credi vix possit, ità comparata omnia, vt ignis non in stramina aut pãnos lineos, sed in marmoris, aut ferri, vel alterius metalli massas incidisse videretur. Ea re obstupefactus, multos aduocat, qui sint tanti miraculi testes oculati: qui cùm omnia curiosè inspexissent, nec vestigium quidem adustionis vllum reperire potuerunt. In ipso autem B. Aegidij altari inferiùs sito, reliquiæ inuentæ sunt præsepij Saluatoris, vestium matris eius sanctissimæ, plurimorumq; sanctorum: nec dubium, quin illarum virtute vires ignis illius debilitatæ & eneruatæ sint. Eæ reliquiæ illo tẽpore, quo Aleidis Comitissa Peronensis castri, altare vnà cum oratorio diruit, quòd locus dormitorio extruendo destinatus, nimiùm angustus esset, inuentæ, atque in maiori æde congruo loculo repositæ sunt. Ipsa enim domus, eius industria & impẽsis, vtì hodiè cernitur, constructa, elegantique opere consummata est. Præclarum miraculum. Aleidis Comitissa Peronensis.

Aliud miraculum. *Cap.* 10.

PEr idem tempus ea nocte, qua repertæ sunt olìm reliquiæ Stephani protomartyris, permulti captiui, qui in oppido iam sæpè memorato detinebantur, cùm audirent voces monachorum in S. Quintini monasterio deuotè psallentium, eius martyris auxilium fideliter implorãtes, admirabiliter sese adiutos sensêre. Nam antè, quàm nocturnæ preces, quas Matutinas vocant, absolutæ essent, laxatis catenis, compedibus & manicis, cunctis reseratis custodijs, indè exeuntes, corã altari mirum in modũ gratulabundi sese prostrauerunt. Permulta alia illic facta miracula, referre hoc loco possemus: sed quia ab instituto alienum est, ad ea sese referat oratio, vndè ob loci huius cõmendationẽ paulispèr deflexit. Vide quid præstet inuocatio sanctorum.

Vt Godefrido cura ægrotorum mandata sit. *Cap.* 11

CErnens verò monasterij pater Godefridū caduca vili pendere, virtutumq; ardua ardenti desiderio petere, mirificè animo exultabat. Itaque vt alijs quoquè virtus eius innotesceret, fratrum malè habentium curam ei demandauit, iussitque vt ad omnia illis officiosum & obsequentem se præberet, necessaria quæque pro viribus eis suppeditaret. Ille patris accepta voluntate, comiter alacriterque eis inseruiuit, manus, pedes, aliaq; affecta corporis membra suis manibus abluit, crebrò interìm ex animi pietate multas effundens lachrymas. Cùm naturæ poscebat necessitas, suis impositos humeris, ad loca opportuna & ferebat & referebat, lectulos accuratè componebat, cæteraque humanitatis officia blanditer & peramanter exhibebat, sperans se ab illo æternæ beatitudinis præmia recepturum, qui in supremo mundi die dicturus est suis: Quandiù vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Venite, possidete paratum vobis regnum.

Aegrotis officiosè admodùm seruit Godefridus.

Matth.25.

Vt diabolus se eius oculis ingesserit. *Cap.* 12.

DIe quodam aduesperascente fratres eum vocant, & vt cibos è culina afferat, deprecantur. Respondet ille: Hesperus en quanuìs terras obduxerit vmbris, Pergo tamen, quò vestra iubet nunc ire voluntas. Sed oretis, quæso, Dominum pro me, certi, maligni dæmonis machinis interìm me oppugnatum iri. Sic dixit, & nè posset inobedientiæ & ignauiæ nota ipsi inuri, diuini zeli feruore incensus, ocyùs ad culinam abijt, allaturus ea, quæ iussus erat. Ibì tum tortuosus coluber, qui quōdàm Romanum monachum, beato Benedicto panem ministrantem, confracto tintinnabulo conatus est ab officio charitatis auertere, etiam hunc Dei seruū ab hoc obedientiæ studio eiusmodi ludibrijs retardare molitus est. Inter refectorium & culinam humilis casula intererat, per quam trāseundum ei erat. Cùm ergò ad id loci venisset Godefridus, videt vmbram teterrimam fœdissimamque magno impetu in se inferri. Erat autē dæmon in effigie cuiusdam monachi, nupèr admodùm defuncti, videbaturq; manus habere colligatas, & atro cucullo indutus: deniquè, adeò horridus, vt, si coràm cerneres, principē tenebrarum esse dubitare non posses. Etsì autem iam præuiderat ità futurum, tamen insolito occursu nonnihìl exterritus, (quippè qui ipsum totius inuidiæ magistrum, qui modò in angelum lucis se transfigurans, modò satanā, vt est, sese mortalibus ostendens, mille modis pios infestat, pręsentem intueretur) quis esset, vel ad quid venisset, scire cupiebat: cùm eccè Christo reuelante intelligit simulatā speciem defuncti fratris, moxque contra illam Crucis Christi signum vibrans, repentè eum euanescere cogit, relicto post se odore deterrimo, qui suum proderet authorem. His alijsq; dæmonum tentationibus exercitatus, tanto magìs Dei proximique amore flagrabat, quanto omnis boni æmulum aduersùm se acriùs sæuire sentiebat. In excipiendis hospitibus, pauperibus & peregrinis (Nam ei muneri atque officio præerat) hilarem se exhibebat, sciensque in illis Christum se excipere, etiam suas illis vestes largiebatur, ipse interim frigoris iniuriam æquanimiter perferens.

Obedientię virtus diabolo odiosa

Diabolus eū terrere nititur.

2.Cor.11.

Crucis signo eū debellit.

De fratre eius Odone. *Cap.* 13.

HAbebat in eodem monasterio germanum fratrem, Odonem nomine, miræ simplicitatis & innocentiæ virum. Quem à seculari militia orationibus, mellitisque sermonibus abstraxerat, & monachorum contubernio adiunxerat. De cuius vita, quādò se offert occasio, obiter pauca dicemus. Quadraginta ille & eo ampliùs annis in monasterio monachus sobriè, piè & iustè versatus est: & diuinas quidē ignorabat literas, sed præcepta Dei ab alijs edoctus, opere implere studuit. Decem & octo annis esu carnium abstinuit, donèc Abbatis imperio & fratrum sententia compulsus, communem monasterij regulam vel inuitus ea in re sequeretur. Tempore Quadragesimæ decem annis vsqueadeò silentij tenax fuit, vt nullum prorsùs, prætercquàm in confessione sacramentali, verbum fuderit. Nec solùm ijs Quadragesimæ, sed etiam alijs anni diebus, pane & aqua contentus, carnem multis afflixit modis, quotidianisque virgarum & flagellorum ictibus contriuit. Monasterij rebus, quæ ei creditæ erant, tanta fide vsus est, vt, quod possit incredibile videri, non modò extraneis, sed ne cognatis quidem, obolum vnquàm volens gratìs dederit Abbatis iniussu. Cùm iam extremus adesset vitę eius dies, coram fratribus Dominica percipiens sacramenta, manibus in prece extensis, hilari vultu animam expirauit. Potest hinc animaduerti, quàm religiosum & pium Godefridi genus fuerit.

Odonis fratris eius vita sanctissima.

Vt

Vt sit cellæ vinariæ præfectus Godefridus. Cap. 14.

PRouincia illa, in qua monasterium hoc situm est, omnibus penè frugibus abundat: vineis magna ex parte caret. Itaq; habitatores nō ferè nisi aliundè importato vino vtuntur. Abbas verò & monachi nō ignorantes Godefridi industriam, id officij ei demandârunt, vt vinum cōpararet in vsus fratrum, atq; etiam pauperum & hospitum, ad ipsos diuertētium. Id ille quidem initiò grauiter accepit, sciens ægrè posse eorum animos in virtutibus habere progressus, qui rebus mundanis distrahantur. Sed cùm vera humilitas nunquàm destituta sit comite obedientia, admodùm reuerenter & submissè eam prouinciam recepit. Statuerat enim apud se, non suo viuere arbitratu, sed alieno parére imperio. Interìm tamen suis meritis minimè præfidens, fratrum opem sedulò expetebat: & tum sanis, tum debilibus, atq; etiam pueris permulta humanitatis officia præstabat, vt Christū ardentiùs deprecarentur, quô per regiū incedens iter, onus impositum ferret humiliter, & neq; ad dexteram, neq; ad sinistram deflectendo, ad Christum pertingere mereretur. Adeò autē diuina illi adfuit gratia, vt monasterij res, ab eius antecessoribus afflictas, & ære alieno obligatas, monasterio restituerit, & fratribus illic degentibus, alijsque eò aduentantibus res necessarias abundè suppeditârit.

Inuitus quidē, sed tamē humiliter suscipit curā cellæ vinariæ.

Vt omnibus charus fuerit. Cap. 15.

EA tempestate, maligni serpentis agente inuidia, Robertus Peronensis, Odo *Namurcensis oppidi, Clarenbaldus castri Vendoilensis dominus, alijq; satanæ satellites, atrocia excitârūt bella in Veromanduorum, Suessionum & Laudunensium regione: ità vt nō modò nemo clericus aut monachus, sed nec ipsi quidem ecclesiarum rectores itineri committere se auderent. At Godefridus non solùm vulgo, sed ipsis etiam principibus impendiò charus & optimè notus, nihil reformidabat, sed hàc atq; illàc securus proficiscebatur. Quòd si vel sua, vel aliena necessitate adactus, illos adire cogeretur, quod nemo mortaliū ab eis impetrâsset, id ei perbenignè atq; etiam lætissimis animis largiebantur. Ità ille charus suo creatori, etiam à creaturis studiosè & ex animo colebatur & obseruabatur.

*Namensis

Inter pericula tutus est, & omnibus charus.

Vt ventris ingluuiem edomuerit. Cap. 16.

CVm aliquandò pagum Suessionensem, in quo natus fuerat, circumiret, ad quoddam monachorum cœnobium peruenit eo die, quo sanctorū martyrum Crispini & Crispiniani illic quiescentium, solennitas magno concurrentis plebis studio celebrabatur: quorum quidē martyrum ille perpetìm memor erat. Adiungens igitur se monachorum clericorumq; psallentium frequentiæ, animi sui synceram pietatē ac deuotionem in psalmis, hymnis & canticis spiritualibus suaue sonantis Ecclesiæ perspicuè declarauit. Erat enim nō legendi duntaxàt, sed etiam canendi apprimè peritus, tamq; suauiter Christi depromebat laudes, vt qui eum audirent, lachrymas funderent. Porrò autem paulò antē, quàm Missarum solennia celebrarētur, in refectorium ingressus, casu illic multos offendit monachos, poculis & carnibus vescendis operā dantes: qui vbi eum conspicati sunt, nonnihil verecundari cœpêre: sed quòd eis esset charissimus, deterso rubore, inuitant eum, vt cum ipsis comedat. At ille: Nolite, inquit, fratres isthuc à me petere. moxq; non sine magna admiratione subiungit: Aequúmne est, cibum ventris refectioni mentis anteferre? Nondùm completa est Missarū celebritas, & iam ventrem epulis infarcire iuuat? Oremus, psallamus, debitas Christo & sanctis eius laudes persoluamus, esurientes animas verbi Dei adipe saginemus, impleatur in bonis desiderium nostrum, primùm quæramus regnum Dei & iustitiā eius, reddamus quæ sunt Dei, Deo, posteà ad reficienda corpora accedamus. His illi non, vtì par erat, emendati, sed animis exulcerati, & atra bile pérciti: Veni, veni, inquiunt, paries dealbate, pinguissimo cibo vnge arteriam, vt clariùs vox tua percutiat ac penetret aures nostras. multaque alia in venerandum virum probra conuiciaque iactârunt. Ità solent mali etiam rectè facta bonorum sinistrè interpretari. Porrò Godefridus nihil his motus, sed cogitans illud Sapientis: Qui erudit derisorē, ipse iniuriam sibi facit: submisso capite, depressisque luminibus, ad templum mox redijt, cum timore & gaudio spiritali festum diem peragens. O virū columbina simplicitate candidum, nec serpentinæ prudentiæ expertem, qui & venenatos improborum sermones nôsset ferre moderatè, & eorum versutiam scienter deuitare. Itaque

Crispinus & Crispinian* vrbis Suessionensis. Patroni.

Obiurgat monachos dissolutos, & ab illis proscinditur cōuicijs

Matth. 6.

Matth. 22.

Prouer. 9.

Gen. 25. & 27. que vt olim Iacob dum contemnit lentis edulium, patris benedictionem accepit; ità & noster luctator his alijsque virtutum studijs hæreditatem & benedictionem patris cælestis promeruit. Huius rei in eo monasterio hodieq; fit mentio & commemoratio: in quo nunc gratia Dei, sanctorumque illic quiescentium intercessione, & fratrum labore, monastica disciplina vel maximè viget.

Vt sit sacerdotio initiatus. Cap. 17.

Postquàm autem Godefridus quintum & vicesimum ætatis excessit annum, Abbas eius sanctitate permotus, voluit eum sacerdotio initiari. At ille se ad eius pedes abijcit, flet largiter, nec vt plerique solet, verbis fictis, sed ab intimo animi affectu expressis, etiam lectoris, nedùm sacerdotis, munere se indignum proclamat. Sed tamen pergit Abbas, iubet Godefridum ad Nouiomensem adduci Ecclesiã, cui tum Episcopus Rachodus præsidebat, vir sanè doctissimus. Cui etsì Godefridus & notus admodũ, & charus esset, at nihilominùs perfecti monachi Deoq; digni vita & mores ei indicantur. Itaq; illum ad se accersitum Episcopus amplectitur & deosculatur, luculentoq; sermone è diuinis scripturis docet & ostẽdit, subditos suis præfectis per oĩa obedire debere. Deindè nulla interiecta mora, Godefridus sacerdos ordinatur, ipso præsule admodũ exultãte, quòd suo ministerio id in tanto viro esset effectũ. Ille verò quantũ augebatur gradûs dignitate, tantũ & virtute & sanctitate crescebat. Castissimę vitæ eius fama, nõ solũ in vicina, sed etiã remota loca se diffundebat. Optabãt oẽs eũ habere pastorẽ. Quis enim nõ summoperè appeteret illius erudiri magisterio, imbui institutis, felici gubernatiõe dirigi?

Ordinatur sacerdos, licèt nolens.

Vt sit Abbas institutus. Cap. 18.

Monasterium beatissimæ matris Dei, quod Nouigẽti præclarè extructum est, per id tempus ab Henrico Abbate sancti Remigij Rhemensis, administrabatur. Porrò Ingelrammus Comes castelli Cociaci, pater Thomæ inprimis strenui militis, & Helinandus præsul Laudunensis, cùm viderent, neq; spiritalibus, neque externis bonis, quantùm ipsi vellent, illud augeri, ab Henrico Abbate magnis precibus contenderunt, vt aut accuratiùs id, quàm hactenùs fecisset, instauraret, aut ab illo se prorsùs remoueret. Se enim nolle ampliùs eius ferre detrimẽta, quorum studio & beneficijs fundatum esset. Ille verò tum aduersa valetudine, tum ingrauescente ætate impediri se sentiens, quò minùs præstare posset id, quod exigebatur, liberam eis permisit pastoris eligendi facultatẽ. Mox illi communicato cum Rainaldo Rhemorum Archiepiscopo, cæterisque Episcopis consilio, Godefrido hoc onus imponendum communi sententia decernunt. Comperta enim eis erat integritas, virtus, & modestia eius. Refertur autem isthuc etiam ad Philippum Francorum Regem: isque tanti viri electione mirè gratulãs, rem iubet accelerari, missis etiam literis suis ad Godefridum Abbatem montis S. Quintini, quibus eum rogabat, vt Godefridum monachum suum eò mitteret, vbi nutu Dei Abbas esset electus. Eas literas vbi accepit senex ille venerabilis, infusus lachrymis: En, inquit, senectutis meæ baculũ, in quo mihi solebat in perturbationum & tempestatum fluctibus esse perfugium & quædam respiratio, quemq; huic loco ego deliberabam pastorem præficere, nunc mihi repentè auferre vultis? Monachi quoquè pariter lachrymari, eheu eheu crebrò dicere, vereri loci desolationem, mortem oppetere mâlle, quàm tanti fratris & sodalis amico contubernio & præsentia fraudari, quem omnes se patrem & Abbatem habituros sperâssent. Sed cùm Regis voluntati, & Episcoporum postulationi reluctari non auderẽt, Abbas Godefridus eum perduxit Laudunum clauatum, ad Helinandum Episcopum, vbi ille coram omnibus crebra trahens suspiria, opponebat ætatis & morũ immaturitatem, scientiæ inopiam, indignum se asserens, qui in templo Domini extremi æditui fungeretur ministerio, tantum abesse, vt custos vasorum fieret. Sed quantumuis ille hæc aliaque id genus allegaret, nõ solùm non est exauditus, sed quamprimùm pastorale munus tueri ac sustinere iussus est, Nouigentumq; honorificè adductus, non modò hominibus, sed vti credere par est, etiam cælitibus ea re gratulantibus.

A multis Episcopis designatur Abbas.

Valdè renitens, cogitur Abbas esse.

Vt Nouigentum venerit. Cap. 19.

Cvmque eò peruenisset, nõ nisi sex monachos & duos puerulos illic inuenit: nihil ibi vel vini, vel frumenti supererat: * cellas admodùm humiles & angustas videre licebat, (mapalia diceres) virgis vel viminibus intextas.

* ossi inulas vocat Author.

Excre-

Exereuerant dumeta, tribuli, rubeta, & alia arbusta passim: quibus succisis & extirpatis, agroque erudarato, à fundamentis extruxit loca, monachorum habitationi opportuna & accommoda. Domum quoquè ædificauit, in qua pauperes & ægri reciperentur, quibus fouendis terras & vineas delegauit. Ad eam domū solebat quotidiè se conferre, eorum, qui illic morabantur, pedes abluere, vestes eis præbere, defunctos officiosissimè sepulturæ mandare. Vide humilitatem & charitatem.

De duobus patribus, qui se regimine abdicârunt, & in eius disciplinam se tradiderunt. *Cap.* 20.

MVlti verò ad eum confluere cœperunt, quemadmodùm solent apes ad florētem thymum, vel cytisum: in quibus fuêre duo patres egregij, Lambertus cœnobij Floriniacensis, & Vualradus S. Nicolai de Ribodi monte, præfecti: qui natiuum solum & monasteriorum regimen siue gubernationem relinquentes, in eius se disciplinam tradiderunt, vel extremis eius vestigijs insistere cupientes. Inter hos medius recumbēs Godefridus, cùm illo iubente, multa essent in mensam fercula illata, vix quicquam indè degustauit, herbis virentibus vel arborum fructibus corpusculum sustentans. Quæ supererant, egenis vel malè valentibus alacriter distribuebat. Non mediocriter mirabâtur omnes, quòd vsqueadeò in se gulam edomitam haberet. Inter epulas summa eius abstinentia.

Vt ciborum delicias respuerit. *Cap.* 21.

QVod dicturi iam sumus, id à Gisleberto accepimus, quondàm beati viri coco, nunc verò eius loci monacho. Coquebat is aliquandò in olla agrestes herbas vndiquè collectas, vt in cœna eas apponeret Godefrido. Nihil autem herbis adiunctum erat, præter salem exiguum & aquam: sed vt palatum eius magìs afficeret, casu nonnihil panis candidi intriuit. A cœna ergò Godefridus cocum secretò obiurgat, quòd tam delicatum, atque etiam piperè conditum edulium, ipsi apponere ausus esset. An ignoras, inquit, superbæ vel potiùs miseræ carnis rebellionem non nisi diuersis cruciatibus posse edomari? Caue igitur, nè deincèps aliquid tale admisceas, nisì me tibi iratum habere velis. His ille virtutum exemplis filios suos ad meliora nitebatur prouocare. En vt vir sanctus delicias etiam exiguas respuit.

Quàm humanus erga subditos fuerit. *Cap.* 22.

SVb eo interim militum Christi exercitus & merito & numero augebatur, inter quos ille optimus pater, quodammodò oblitus dignitatis suæ, qua cæteros antecellebat, paruulum se exhibuit, admonuitque vt sedulò in ea essent cogitatione, vndè vel qua causa venissent, quò tenderent, & quà irent: vt nihil sibi peculij vendicarent, voluntatem propriam frangerent, puritatem cordis, oris veritatem, corporis munditiam momentis omnibus Christo exhiberent, atque vt inuicti milites, in spiritalis pugnæ procinctu stantes, fraterna acie stipati, charitatis glutino inter se coniuncti, summoperè in eam curam incumberent, nè quis in ipsos hostilibus insidijs pateret accessus. Aegrotos incredibili animi commiseratione prosequebatur, ità vt propemodùm cum illis eadem pati videretur. Eorum salutis & sanitatis instaurandæ causa nullis parcebat sumptibus, immò nec sibijpsi quidem, si posceret necessitas. Omnia omnibus factus erat, vt omnes Christo lucrifaceret. Interim tamen sicut erga bonos multa vtebatur benignitate & morum suauitate, ità improbis seuerum & rigidum se exhibebat. Nouerat enim, quid naturæ, quid've vitijs deberetur. Hos itaque acriter obiurgabat, vrgebat, spiritalis medicinæ cauterio vrebat, modis omnibus id agens, vt integrè curari possent. Optimæ monachorū institutiones. Affectus eius erga ægros. 1. Cor. 9.

Vt iusserit ephippium exuri. *Cap.* 23.

VEnit quidam ad eum obnixè rogans, vt iuberet ephippium ipsi equitaturo accommodari. Mox ille ad se vocat monasterij præpositum Theobaldū, iubet dari illi ephippiū. At ille superbia tumidus, & fellea bile cōmotus, detrectat parēre iubēti: sed id tamen dissimulans, hortatur hominem, vt expectet præ foribus, donèc reuertatur. Expectat ille, & quidem diutissimè: sed frustrà. Tandèm sentiens sibi à monacho illudi, redit ad Godefridū, indicat ei quid actum sit. Tum Godefridus coram fratribus vniuersis rogat Præpositum, num fecerit quod iussus erat. Respondit ille superbè & insolenter: Equidem non feci. Adeò enim molesta sunt, quæ tu imperas, vt vix ab vllo mortalium tolerari queant,

 nedùm

nedùm confici. Audiens hoc Godefridus, cogitabat, si eam proteruiam dissimulare velit, alios itidèm posse insolescere. Seuere igitur obiurgat fratrem inobedientem, & pro contemptu congruam illi mulctam irrogat. Mox iubet copiosum incendi ignem, ephippiumque arripiens, En, inquit ad fratres, memores simus Apostolicæ sententiæ, iubentis vt auferamus malum ex nobisipsis. Hoc ergò est malum & scandalum, quod in domo pacis & iustitiæ, in * schola obedientiæ tolerari non debet. Et his dictis, zelo domûs Dei incensus, proiecit ephippium in medias flammas, & penitùs combussit.

Seuerè castigat rebellem monachum.

1. Cor. 5.

*Paula habet Author.

Vt precibus suis sanctimoniali ablata restituerit. Cap. 24.

Matrona quędā, Viueta nomine, apud Flandros nobili prosapia orta, spretis mundi huius pōpis, & carnis illecebris, ad ecclesiā se contulit beatissimæ matris Dei, quæ apud Suessiones recèns extructa, hodieq; penè inauditis miraculis toto orbe celebris habetur. Vbi cùm simplici & syncera animi deuotione ad sanctimonlales eius loci cūprimis venerādas accessisset, sponso immortali iuncta, sacrū accepit velamen, & permultis annis in corporis & animi illic vixit castitate. Erant autem ei tres filiæ, quarū vna Ida, altera Heluidis, tertia Hauidis dicebatur. Ex ijs natu maior non nisi vndecim habuit ætatis annos: aliæ propè infantes videbantur. Eas vnà secùm Christo consecrauit. Vixit autē in sacro ordine annis triginta, precibus & lachrymis sacrisq; meditationibus perpetim intenta. Cilicio asperrimo domabat carnē, pane & aqua atque leguminibus victitabat, nihil cibi potúsve extrinsecus, nisi raro, serò prægustans, adeoq; diuersis modis corpus suū affligens, vt mirarentur omnes, quînam subsistere posset. Tandèm iter Hierosolymitanū, quod tum feruebat, ingressa, vbi venit Hierosolymam, loca, quę Saluator sua pręsentia insigniuit, nudis inuisens pedibus, tū corporis aduersa valetudine, tum itineris longitudine adeò laborabat, vt è pedibus eius sanguis manare videretur. Nec diù illic superuiuēs, post multos pro Christo susceptos exantlatosq; labores, migrauit in cælum. Totā illa se beati Godefridi moderationi submiserat, eius se precibus cōmendabat, & vestigia illius vel eminùs imitari summoperè studebat. Neque id mirū. Credo enim, si Anna illa, quam Euangeliū testatur ieiunijs & obsecrationibus seruijsse nocte ac die, nec de templo discessisse, hac tempestate vixisset, ne puncto quidē temporis à Godefridi huius optatissima præsentia separari voluisset. Eam autem, quam diximus, Viuetā venerabilis eius monasterij Abbatissa Ogina, iussit ob quędā expedienda negocia, sine vlla cunctatione in Teutonum regionem proficisci, quòd eorū idioma omnium optimè calleret. Paruit illa admodùm reuerenter, sed nō ausa dominū Godefridum insalutatū præterire, cum socijs itineris diuertit Nouigentum, vbi eum reperit: petitaq; cum multa cordis contritione eius solita benedictione, in syluam ingressa est, quæ inter Cirisiacū & S. Paulum interiacet, quæ per id tēpus ob prædas & latrocinia admodùm infamis habebatur, quòd plerique omnes, qui in eam intrâssent, aut iugularentur, aut captiui in carceres abducerētur. Vbi ergò eò peruenit ancilla Christi, incidit in latrones, qui strictis pugionibus minaciter eā circundātes, absque sacri ordinis siue professionis reuerentia, nulla sexûs fœminei habita ratione, in terram eam deijciunt: famulos, equos & alia eius omnia secum abducunt, captiuos in imum carcerem conijciunt, pedes cippo stringunt, manus & brachia durissimis loris colligant: indè tanta præda exhilarati, largiter se dant epotandis calicibus: prædæ distributionem in crastinum diē differunt. Sed cùm mero obruti essent, alius aliò dilabitur, carcer manet absque custode, captiui vruntur gelu, quod tum acerrimū erat, metus omnes occupat & suspiria, maximè quòd peiora formidarent. Porrò sanctimonialis Viueta sola relicta, lachrymabunda ad solis occasum Nouigētum redit. Eam intuitus venerabilis Godefridus soliuagam, valdè admiratur & ingemiscit, rogat quid ei acciderit. Illa ad eius se pedes prosternens, explicat quid passa sit. Consolatur vir pius lugentem, inuitatq; vt omissis lachrymis, cibo potuq; fessum corpusculū refocillet. Sed illa nihil se cibi aut potûs sumpturam affirmat, nisi ablata recuperet. Tu igitur, inquit, mi pater, Deū ora, & misericordiæ matrē, beatumq; Nicolaū, in cuius solennitate in hāc ego calamitatem incidi: planeq; confido Deum minimè defuturum precibus tuis. Negat vir Dei se dignum, per quem vllum vel minimum fiat miraculum: sed tamen nimijs eius lachrymis victus, confert se in oratorium, & ante sanctissimæ Virginis aram se prosternit. Idem facit Viueta ante altare, in quo

Viueta nobilis fœmina fit sanctimonialis, & viuit sanctissimè.

Abstinentia eius.

It Hierosolymam.

Obit.

Luc. 2.

Incidit Viueta in latrones, & eius omnia diripiūtur.

Chri-

Christi imago cernebatur. Illis ergò sic orantibus, vincti diuinitùs soluuntur, carceris ostia patescũt, cippus scinditur medius. Vnus ex eis, Gontardus nomine, cùm se sentiret planè liberum, impium credidit, non ilicò indicare socijs. Clàm ergò dicit Iohanni: Sentis'ne, quæ ego in me experior? Ille cum lachrymis, quos ingens animi lætitia expressit, respondet se à vinculis absolutum. Idem aiunt reliqui. Eccè autem illis hæc dicentibus, cippus, nulla hominis admota manu, sursùm erigitur. At illi exeunt, nullo impediente, è carcere, & per opacam syluam perque viarum anfractus & aquas, quæ hyeme intumuerant, Christo duce, Nouigentum peruenitunt. Vbi cùm starent in atrio monasterij, & ob loci inscitiam nescirent vbinàm essent, admodùm vereri cœperunt, nè in vincula retraherentur. Tum quidam ex eis trepidantes confirmans, Nè, quæso, inquit, trepidetis. Nam vt mihi videtur, in eo monasterio sumus, à quo herì discessimus. Illis ergò omnia circunspectantibus, vbì aduerterunt eum rectè sentire, ad fores ecclesiæ properant. Eorum strepitu permota Viueta, accurrit ad fores, agnoscit homines suos, nec tamen aperit præ gaudio, sed ad patrem Godefridum adhuc orantem recurrens, indicat eius exauditas preces. Surgit ille, oculis lachrymarum humore madentibus: (Nam inter orandum tanta illi aderat copia lachrymarum, vt locus, cui vultum affixerat, circunquaquè aquis infusus videretur) Viuetam hortatur nè ipsius meritis tribuat, quod eius fidei potiùs imputandũ sit: sed illa ediuersò perseuérat in sententia. Atque sub hac amica contentione veniunt ad ostium templi, illudque aperiunt pulsantibus, audiuntque ex eis & aduersa & iucunda omnia, quæ eis euenerant. Laudatur igitur ab illis Deus & sancti eius. Porrò Godefridus pater cælo albescente proficiscitur ad raptores illos, dirè increpat audax facinus, quòd fœminam Deo charam manibus scelestis ausi essent contingere, iter eius impedire, res diripere. Mirum profectò est, inquit, non vos cælesti absumptos igne, aut viuos, dehiscente terra, descendisse in tartarum, aut alio inusitato mortis genere extinctos esse. Sed jam tandèm resipiscite, & reddite quæ herì abstulistis. His illi verbis admodùm commoti, ignem spirantes, currunt ad carcerẽ, vt in captiuos furorem suum effundant. Sed cùm neminẽ illic inuenirent, mirè animis consternati, certatìm ad viri Dei genua se aduoluunt, peccatũ suum lachrymabundi confitentur & accusant, restituũt ablata omnia, dẽpto cultello vno, cuius obliti erant. Quibus acceptis, vir Dei recedit, & sanctimoniali ea reddens, admonet eam, nè in casibus aduersis animum abijciat, sed ęquo animo tũ prospera, tum aduersa ferat: sicq; eã à se dimittit.

Precibus S. Godefridi & Viuetæ captiui mirè liberãtur.

S. Godefridus dirè increpat raptores nefarios.

Ablata ofa Viuetæ restituuntur.

De siccitate, quæ eius temporibus accidit. *Cap.* 25.

EO tẽpore, quo Godefridus Abbatis munere fungebatur, in peccatores diuina iustitia magno cęli ardore animaduertit. Arescebãt præ nimio ęstu arbusta & segetes omnes, messis nulla spes in his regionibus relicta erat, flumina quoquè magna ex parte exiccabãtur: pisces vi caloris & igneę vaporationis præfocati, super vndas ferebãtur: iumẽta & pecora præ siti passìm domì & in agris exanimata, corruebant. Ipsi etiã homines ex corrupto aëre quandã mortis speciem cõtraxisse videbantur, cute turgente & liuida. Quid plura? Diceres confusa elementa penè omnia, &, si dici fas est, in quoddã chaos cuncta redacta. His igitur paternis castigationibus eruditi præuaricatores, redeũt ad cor, videntq; in se impleri illud sapiẽtis, Pugnabit pro eo orbis terrarũ contra insensatos. Iam tacti montes fumigant, iam perpendũt, quàm vilis est carnis materia, quàm breuis & fœda voluptas: itaq; ad pœnitentię lamenta confugiunt. Intereà Hugo Suessionũ Episcopus, admodùm angebatur animo, quòd gregẽ sibi cõmissum, videret tam atroci vastari exterminio, nec tamen æquissimum Dei iudiciũ culpare posset. Mittit ergò Nouigentum, accersit indè patrẽ Godefridum, sciscitatur ex eo, qua ratione sit auertenda præsens ira Dei. Illo consulente, indicitur per omnem diœcesim ieiunium, non hominibus duntaxàt, sed etiã iumentis & pecoribus, vt olìm apud Niniuitas, vt quod noxiorũ culpa cõmeruẽrat, lactentium, insontum atque etiam brutorum animantiũ abstinentia expiaretur. Indicto ieiunij die innumera vtriusq; sexús hominũ turba apud Suessiones confluxit, adducebantq; sacras reliquias in ædem Stephani protomartyris, quòd ea tãtæ multitudini capiẽdæ aptior videretur. Ibì tum Episcopus orat B. Godefridum, vt populum tanta calamitate oppressum, sermone consoletur & erigat, aitq; se non dubitare, illius & sanctorum, quorũ reliquiæ adessent, meritis Christũ placatum iri. Non recusat Godefridus, sed luculenta & mel-

Magno ęstu segetes & pisces &c. pereunt.

Sap. 5.

Hugo Episcopus Suessionensis.

Ionæ 3. Nota ieiunium.

lita

lita oratione, & quæ sale condita esset, auditorũ animos medullitùs compunxit. Cumq; sermonẽ protraheret, subitò denę nubes cęlum omne occupârũt, crepant tonitrua, micāt fulgura, ruit impetu è cęlo largissimus imber, dimanāt per plateas & agros aquarũ riuuli, populusq; festinat domũ, quòd diluuiũ impendére videretur. Quis ambigat, tam necessariũ munus clementissimũ Deum ob merita serui sui & sanctorum suffragia, quorum illic cineres populus fidelis piè venerabatur, derepentè contulisse? Et quid mirum, iustos homines impetrare à Deo quæ petunt, quandò licèt corpore degant in terris, animo tamen cum illo versantur in cęlis, & vnus cũ eo spiritus sunt, dicẽte Apostolo, Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.

Pluuia meritis sanctorum & B. Godefridi impetratur.

1.Cor.6.

Vt pauperis monasterij regimen, ditioris prætulerit. Cap. 26.

MAnasses Rhemorum Archiepiscopus, quandoquè acciuit beatũ virum ad synodum Rhemensem, & coram omni frequentia rogauit eum, vt monasterium B. Remigij gubernandũ susciperet. Erat illud prope Rhemorum vrbem, Nouigenti cœnobio diuitijs & dignitate præstātius. Sed vir prudens respondit, se neque ea esse industria & peritia, vt tanto muneri par esse queat, neque se velle semèl à Christo acceptam ecclesiolam deserere. Cumque & Archiepiscopus & alij antistites etiam atque etiam hortarentur & obsecrarent eum, vt id faceret, ille immota animi constantia Niceni Concilij Canonem sibi seruandum statuens, in medium prosilit & exclamat, se neque posse, neque velle, pauperculam sponsam præ ditiori contemnere. Mirantur omnes beatum virum diuitias paupertati, mundi gloriam humilitati posthabere.

Manasses Rhemensis Episcopus.

Can.15.& 16. Humilitas S. Godefridi.

De Vicecomitissa Adelheide. Cap. 27.

ADelheidis castri Cociaci Vicecomitissa, liberalitatis & castitatis multa præclara de se exempla præbuit, nostri Godefridi sermonibus egregiè instituta. Ea facultatibus suis magna ex parte in pauperes & pupillos & ecclesias erogatis, (Tabulam enim insignẽ, quæ est Nouigenti in altari beatissimæ matris Dei, fabricandam curauit, consimilẽ B. Eligij Nouiomensis Episcopi aræ adhibens) contemptis mundi pompis, Nouigentum venit, atque illic in multa puritate & sanctitate vitam egit, quoàd Christo charus Godefridus ibi permansit. Factum est idem & ab alijs multis hortatu illius, quibus iam credimus reddita, quæ promisit Deus diligentibus se.

Adelheidis vicecomitissa viro Dei admodùm familiaris.

Vt multa eius gesta Author prætermiserit, & vt præuiderit se Episcopũ fore. Cap. 28.

PErmulta sanè memoratu digna illic gessit vir sanctus, quæ nos, ad alia eius properantes, omittimus. Vt enim solent apes & formicæ interdùm sub fasce succumbere, ità nos mole præclaræ & admirabilis historiæ pressi, extrema quęque decerpendo veriùs, quàm exaggerando, qualicunque stylo posteris tradimus. Quandoquè illi cælestis patriæ ineffabilem suauitatem & iucunditatem animo voluenti, atque in lachrymis & precibus Deique laudibus pernoctanti, ac deindè fessum corpusculum sub diei ortum in lectulo componenti, vt ipse posteà cuidam admodùm familiari amico secretò indicauit, cùm nec planè vigilaret, nec prorsùs obdormijsset, apparuit quidam ætate & statura mediocri, barba promissa, oculis radiantibus, vultu Angelico, toga candida indutus, literas quasdam & annulum aureum manu ferens. Hæsitans autem Godefridus, quis esset, (Nouerat enim multos à versuto dæmone phantasticis illusionibus in fraudem actos) Crucis signum sibi imprimit, priorque eum sic appellat: Quis sis, vndè vel à quo, & qua causa véneris, edicito. Tum is, qui videbatur, nonnihil depressis luminibus, cum multa gratulatione, Nè pertimescas, inquit, serue Dei: non sum ego partis aduersæ. Quis sim autem, facilè aduertere potes, dum me vides Crucis mysterium non solùm non horrere, sed amplecti etiam. Venio autem è cælis, vt annunciem tibi, visum esse præpotenti Deo, constituere te Episcopum populi sui. Et Godefridus: Etsì, inquit, vera te dicere putem, tamen locum ipsum nôsse velim. At ille subridens, Noli, ait, plura ex me sciscitari. Functus sum legatione mea: quæ verò dixi, tempore suo complebuntur. Tu confortare in Domino, & in potentia virtutis eius. His dictis, repentè dispáret. Mox vir venerandus ad dexteram se vertens, videt non ità procùl aulam ornatissimam atq; amplissimam. In eam ingressus, cernit viros plurimos albis indutos: qui omnes reuerenter ei assurgunt, depressisq; oculis rogant, vt ipsis benè precetur siue benedicat. Ille tam

Visio ei offertur.

Cælitùs discit se fore Episcopum.

Alia visio.

tam luminis splendore, quàm re insperata nonnihil obstupefactus, Cruce se consignans, percontatur quinam sint, & quid sibi velint. At illi: Nè mireris, inquiunt, pater venerande. Iam enim incommutabili Dei consilio definitum est, vt propediem fias Episcopus ciuium nostrorum. Hęc atque alia illis dicentibus, vir Dei sublatis oculis videt in editiori regiæ loco quendam sublimi residentem solio, vultu ac habitu suprà quàm capi possit luculento ac splendido. Ad quem cùm accedere vereretur, ille manu innuit vt veniat. Cumque propiùs accessisset, & ad eius pedes abijcere se vellet, ille nō permisit: sed, ô serue Dei, inquit, accipe quæ dicturus sum, & tenaci memoria complectere: Ego sum cuiusdam ciuitatis Gallicanæ primus Episcopus, & Christi martyr inuictus, qui pro eius amore innumeras sum perpessus iniurias, & mortem ipsam. Hanc ego tibi committo, huic sedi tu diligenter præesse curato. Volebat verò Godefridus ex eo cognoscere nomen eius & ciuitatis, cuius meminit, sed neutrum ab eo impetrare potuit. Atque interim expergefactus, valdè admirabatur visionem. Hæc ego ab ore reuerendi patris Andreæ accepi, qui post Godefridum tertius præfuit monasterio Nouigenti, & se ex ipso Godefrido hæc audiuisse, sanctè asseuerabat. Primus Episcopus Ambianensis fuit S. Firminus martyr.

Vt sit creatus Ambianensium Episcopus. Cap. 29.

PEr id tempus *Geruinus Ambianensium Episcopus, vir non admodùm sanæ mentis, quibusdam rebus aduersis vexatus, sedem suam planè deseruit, ità vt Ecclesia illa aliquandiù pastore careret. Quod cùm periculo vacare non posset, indictum est tota diœcesi ieiunium, misericordiæ operibus & precibus atque litanijs diuina pulsata clementia. Tandèm electus est Godefridus, Nouigēti monasterij Abbas, qui iam bonus erat Christi odor in omni loco, & sanctitatis suæ fama etiā illas partes compleuerat. Missa quoque legatio est ad Philippum Regem Gallorum: qui vbì comperit Godefridum electum, ingentes Deo gratias egit. Erat enim Regi illi, pro sanctitatis suæ reuerentia charissimus & valdè familiaris: statueratque Rex, opportunitate oblata, eum ad Episcopi munus prouehere. Iussit igitur more regio, eius promotionem accelerari.

*Gerinus

Creatur Ambianensium Episcopus.

Vt in Trecensi Concilio eius electio sit approbata. Cap. 30.

EOdem tēpore Richardus Cardinalis & Apostolicæ sedis legatus, apud Trecenses celeberrimum habuit conuentum Episcoporum, Abbatum, & Galliæ procerum. Eò igitur se Ambianorum legati conferunt, proponunt se pastore orbatos, vnanimiter à Clero & populo electum asserunt Godefridum, Rege quoquè assentiente. Tum verò omnes, qui in eo cōuentu Godefridum nouerant, Christum summoperè collaudârunt: sed ille interìm fugam meditabatur. At verò interceptus, iubente Cardinali & Episcopis, in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus dignum eum fore Ecclesiæ ministrum, strenuum dispensatorem: beatum futurum populum, qui talem sit pastorem habiturus. Aiunt omnes tunc, Te Deum laudamus, cantâsse. Indè verò seruus Dei regressus est Nouigentum, expectaturus illic consecrationis suę administrum Rhemorum Archiepiscopum Manassem. Magnus autem dolor obtinuit omnes, qui hac occasione se propediem eius gratissima præsentia carituros sentiebant.

Conuentus Trecensis.

Consecratur à Rhemensi Archiepiscopo Manasse.

Vt matrona quædā precibus à Deo impetrârit, vt à Godefrido sepeliretur. Cap. 31.

IN pago Gimi, (sic enim vocāt) qui ferè duobus milliaribus à Cociaco abest, ea tempestate quędā erat matrona, Emma nomine, matertera Adonis & fratrū eius. Ea vitam viuebat castissimam, alebat pupillos & viduas, nudis præbebat vestimenta, infirmis ferebat opem, & alijs actuosæ vitæ pijs studijs insudabat. Crebrò etiā Nouigentum ventitabat ad ecclesiā beatæ Mariæ, & cereis eā illustrabat, multa ei munera è suis prouētibus impertiens. Vbì autem comperit Godefridum Episcopum electum, properè venit Nouigentū: perquirit num res ità se habeat. Impensè enim amabat sanctū virum, cuius & exemplis & verbis incensa erat ad ea, quæ diximus, studia pietatis. Postquàm certior facta est rem veram se audijsse, velut exanimis humì procūbit: orat Deum, nè sinat ab eo loco priùs exire Godefridū, quàm ipsius corpusculum mandet sepulturæ. Mira res. Illius preces ægritudo, ægritudinem sequitur mors. Decumbit mox acri febre: morbo inualescente, à Godefrido sacro oleo vngitur, sacramenta Dominica ab eius percipit manu, mirè exultat se à Domino exauditam, & illi lætabunda reddit spiritum, atque in ipso monasterio à Dei seruo Godefrido honorificè, vti par erat, tumulatur.

Emma matrona admodùm religiosa.

Vide rem miram

Vt

Vt Rhemis sit Episcopus consecratus. Cap. 32.

POstquàm Manasses Rhemorum Archiepiscopus domum rediјt, proceres Ambiani Nouigentum veniunt, Godefridū peramanter Rhemos perducunt. Magnus eò totius regionis Episcoporū fit concursus, in quibus erant etiam Lambertus Atrebatensis & Iohannes Morinensis Antistites, sapientia & eruditione insignes, religione & sanctitate celebres, sponsæ Christi bases & firmamentum, beato Godefrido præ cæteris addicti. Quanta illic animi & corporis humilitate, quanta lachrymarum vi consecratus sit vir Dei, nullis verbis explicari potest. Nouerat enim, etsi grandis sit honor, tamen etiam grāde esse eius pondus honoris. Potentes nanque, vt scriptura ait, potenter tormēta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio, nisi ministerio suo rectè perfungantur. Cumque ex more Euangelij codex eius capiti imponeretur, & explicaretur, statìm occurrit locus ille, Elizabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Non mediocri id omnibus admirationi fuit. Vt enim Iohannes Baptista, ità & Godefridus matrem habuit Elizabetham, decem annis sterilem atque senescentem. Parauit ille viam Domino, parauit & Godefridus. Laudabant itaque Deum vniuersi, qui quasi argumento quodam indicare voluisset, vitam serui sui sibi gratam, qui per ostium, & non aliundè intrans, verum & idoneum se suis ouibus dictis & factis pastorem esset exhibiturus.

Lambertus Atrebatēsis & Iohannes Morinensis Episcopi.

Sap. 6.

Luc. 1.

LIBER SECVNDVS.

De ijs, quæ gessit in Episcopatu. Cap. 1.



HActenùs, quę beatus Godefridus adhuc monachus egit, carptim annotauimus, nihil admiscentes, nisi quę fide dignorum hominū relatione cognouimus. In quibus nè qua esset falsi suspicio, simplici potiùs oratione, quàm compta & phalerata, vti voluimus. Neque enim sancti homines tam sunt angusta virtute, vt ea nostris vel mendacijs, vel fucis amplificari & ornari egeat, cuius & testis & remunerator est Christus Deus, qui eos accumbere facit in regno patris sui, gloria & honore eximiè coronatos.

Luc. 22.

Vt Ambianos venerit. Cap. 2.

POstquàm vir Dei Rhemis consecratus est, Ambianos proficiscitur: aduentanti vrbs tota obuiàm ruit, exceptura pastorem suum. Vbi ad beati Acioli martyris ædem, quæ extra vrbis muros est, accessit, à iumento desiliens, per asperrimam viam, vtrunque latus eius stipantibus Lamberto & Iohanne Episcopis, quos suprà diximus, vsque ad beati Firmini martyris ecclesiam nudis pedibus, cunctis cernentibus, ingressus est, ab imo pectore interìm suspiria trahens: vbi ad populum sibi commissum egregiam concionem habuit, cui intererāt multi literati viri, non pauci etiam, qui posteà Episcopi, Abbates, & ecclesiarum rectores effecti sunt. Ijque omnes vno ore testabantur, nunquàm se ex quoquam, tam diuina, tamque sublimia & recondita percepisse: veritateque compellente, aiebant eum reuera esse sancti spiritûs organum.

Lib. 1. ca. 32. Vide religionem sancti viri.

Vt à fastu alienus, & erga pauperes humanus fuerit. Cap. 3.

ILle verò Episcopi dignitate auctus & sublimatus, Saluatoris vestigia consectabatur, & plùs factis quàm dictis suos instituere nitebatur: ità vt etiam tacente lingua, moribus & exemplis eos erudiret, quò tēdere sine intermissione deberent. Non est exaltatum cor eius, neque elati sunt oculi eius, nec ambulauit in magnis & mirabilibus super se. Non illi studium erat cultioris habitûs & preciosarum vestium: monastico cucullo indutus fuit, qui pallio non valdè ambitioso operiebatur. Quotidiè ad mensam suam tredecim pauperes habuit, quos, ablutis sua manu pedibus eorum, cibo potuque largiter reficiebat, eisque officiosè admodùm inseruiebat. Domus eius, non Episcopi, sed Christi, aula videbatur. Orphanorum & miserorum magna illi cura erat, eripiebat inopem de manu fortiorū eius, egenum & pauperem à diripientibus eum, vt inter filios excelsi numerari posset. Ea causa dente canino à quibusdam rodebatur, quos ille obturata aure pręteribat, thesaurizans in cælo, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

Psal. 130. Habit' eius in Episcopatu. Nota humilitatem. Psal. 34. Psal. 81. Matt. 6.

Erga

Erga pauperes illi occurrentes vt se gesserit. Cap. 4.

ACcepi à quodam eius familiari, viro reuerẽdissimo, & in domo Dei super candelabrum posito, cùm ęstiuo tempore pauperes ei eunti venissent obuiàm, & multi obstructis naribus eos pręterirẽt, quòd malè olere viderentur: illum miseros amplexatum & exôsculatũ, nec solùm blandis sermonibus, sed etiam larga stipe eorũ inopiam subleuâsse. Quæ etsi multis grauia, plerisque intoleranda videâtur, at ille tamen adeò iam illis assueuerat, vt etiam delectationem ei afferrent. A puero nanque, immò ab ipso penè matris vtero, iugum Christi suaue & onus leue ferre, multisque modis carnem edomare consueuerat. Humanitas erga pauperes.

De pisce, quem leprosis dedit. Cap. 5.

VEnerunt quãdoquè ad ædes eius multi leprosi, & vbi Episcopus esset perquisiêrunt. Responsum est à ministris, eũ pro more in beati Firmini martyris æde precari. Illi eò se conferunt, & cum alijs mendicis sustinent indè proditurum. Solebat enim vir beatus, ab ecclesia hora matutina exiens, pauperibus cunctis ei occurrentibus sua manu stipem elargiri, ità vt vix quisquam ab eo vacuus recederet. Volebat implere, quod Saluator ait, Omni petenti te tribue. Egredientẽ igitur è templo circunsistunt leprosi, & eius benignitate freti, quippè ipsis familiarissimi, non tam orant, quàm propemodùm imperant, vt victum necessarium ipsis suppeditet. Erant sanè adspectu horrido, cute lurida, sanie defluente, vultu vulneribus occupato, ità vt præ horrore quidam eos intueri non possent. Eos vir pius non abominatur, sed salutat officiosissimè, summissoque capite, orat vt sibi benè precentur. Mirè interìm animo angitur, quòd nihil in manibus sit, quod eis largiatur. Tandèm accersit œconomum suum, imperat ei, vt sine dilatione ciborum copiam eis paret. Ille alijs intentus, negligit, quod iussus erat. Post horas tres aut quatuor veniũt ad fores Episcopi, & mirè crepitaculis suis perstrepunt. Mox Episcopus aduolat, audit eos nihil ab œconomo accepisse. Quid faceret vir misericors? Nihil ęris in arca remanserat: totũ in pauperes effusum erat. Ad culinam, quam neque ante illum diem vnquàm in Episcopatu suo ingressus fuerat, neque posteà ingressus est, necessitate pauperum adactus, humilitate atque charitate cum vrgente, se confert, cernit illic piscem grandẽ, qui cœnæ apparabatur: (Erat autem salmo) eum in suos conijcit humeros: (Tantæ enim molis erat piscis, vt nullius manibus ferri posset) deponit eum ad pedes leprosorum: Hoc, inquit, munusculum è manibus meis accipite, & vbi defecero, in æterna tabernacula me recipere dignemini. Tollunt illi piscẽ gratulabundi, & tanta benignitate compulsi, testantur apud omnes, neminem Godefrido Episcopo posse æquiparari. Oeconomus verò domũ rediens, vbi comperit Episcopũ tam insignem piscem, quem ipse pridiè comparâsset, leprosis dedisse, quibusdam, vt aiunt, furijs agitatus, irrumpit ad eum, multisq; proscindit conuicijs, ait non sano esse cerebro, qui sic res profundat suas: nisi manũ contrahat, breuì ad summam inopiam ipsum rediturũ. At vir Dei nihil motus, blandè eum compellans, Itáne tibi, inquit, ęquum videtur, homines eodẽ precio redemptos, Christi sanguinẽ bibentes, cælesti beatitudine donandos, fame cruciari, mihi verò extremo homuncioni ferculorum lautitias apparari? Manet ergò iustitia eius in seculum seculi, vt Propheta ait, quandoquidem omnia sua pro Christo in pauperes dispersit, vt cum illo omnia in cęlis possideret.

Luc. 6. — Exemplum raræ virtutis. — Vide Episcopi insigne opus. — Luc. 16. — Psal. III.

Vt oratorium S. Thomæ dedicârit, nullo docente. Cap. 6.

VIr piæ memoriæ Nicolaus Abbas Corbeiæ Gallicanæ, petijt ab eo, vt oratoriũ S. Thomæ, in pratis eius pagi conditũ, dedicaret. Mox annuit precibus: fit ad eum diẽ, qui erat dedicationi præstitutus, magnus hominum promiscui sexûs concursus. Aderat & Abbas Nicolaus cũ monachis suis, multiq; docti viri, artiũ liberalium disciplinis egregiè instructi. Habebat verò beatus Godefridus apud se Giselbertũ quendam, hominẽ passim malè audientem: qui cùm ritus Ecclesiasticos optimè calleret, instituebat beatũ virũ in ijs, quæ sunt officij sacerdotalis, ità vt necessitate potiùs, quàm voluntate sua, illum apud se vir sanctus retineret. Crebrò aũt illum obiurgabat propter mores infames animique leuitatem. Quod cùm ille ferret molestissimè, obtrectationibus eũ insectabatur, & omnia eius in hypocrisim interpretabatur. Postquàm autẽ vir Dei venit ad templũ dedicandũ, ratus ille opportunũ se inuenisse tẽpus, eum corã tãta populi fre-

quentia traducendi atq; pudefaciendi, subduxit sese, nec cũ docere voluit, quæ in dedicatione fieri ab Episcopo oporteret. Id vbi Dei sacerdos animaduertit, sese cõsolatur, quòd vbi humanum deest auxilium, diuinũ adesse soleat. Itaque Christo benè confidens, cœptum dedicationis officium, docente eum spiritu Dei, tam exactè peregit, vt omnes putarent ab ineunte ætate nihil eum didicisse aliud, cùm tamen nunquàm anteà fecisset, ità vt etiam ipse se facere potuisse admiraretur.

Dum humanum nõ suppetit, adest diuinum auxilium.

Quàm piè Missarum solennia celebrârit. Cap. 7.

ET quia nunc sese offert occasio, operæprecium nobis videtur commemorare, quanta animi deuotione sacrosancta Missarũ mysteria quotidiè celebrârit. Valdè enim metuimus, nè nos iurè repræhendant, qui hæc nouerũt, si quid silentio prçterire velimus, vbi tanta suppetit rerũ copia. Quandò igitur ad altare accedebat, ipso vultu Angelicã quodammodò dignitatẽ præ se ferre videbatur. Sub sacrificio non erat mente vagus, sed seipsum transscendens, oculis fidei incarnati Verbi contẽplabatur mysteria, & frequentiã spirituum beatorum: sicq; extremis pedum articulis toto corpore innixus, non genua defigens, non latera aut brachia deponẽs, adeò ex abundantia mundi cordis verba proferre videbatur, adeò pijs desiderijs totus cremabatur, adeò lachrymis irrigabatur, vt vix vocem attolleṛe, vix codicẽ aperire posset. Atque ità diuina peragebat mysteria. Eam autem animi puritatem summoperè horis omnibus conseruare ac tueri nitebatur, omni custodia, vt admonet sapiens, seruans cor suum.

Sacrificãtis pietas & deuotio.

Prou. 4.

Vt infames & vxorios Clericos à Choro excluserit, & ea causa veneno appetitus sit. Cap. 8.

SAnctitatis & pudicitiæ custos adeò præclarus & studiosus vbiquè extitit, vt infames Clericos, vel impuro matrimonio copulatos, nõ solùm à suo consortio, sed etiã à Chori ingressu constanter arceret. Eam ob rem multis cõuicijs ab illis proscindebatur, multis appetebatur insidijs: quas ille forti animo contemnebat, beatũ se fore palàm affirmans, si propter iustitiã malè accipi mereretur. Itaque coluber tortuosus, qui olìm protoplastũ in paradiso per fœminam euertit, fœminã quandam, cuiusdam Clerici concubinã, magno furore inflammatam, eò impulit, vt virũ Dei è medio tollere cogitaret. Misit igitur illi vinũ aromatiten, helleboro infectũ. Accepit id vir sanctus cum gratiarũ actione, & ob oculos statuens, diutissimè intuebatur. Sed sancti viri ignorare quid possint, qui Christum scientẽ omnia nôrunt? Eius spiritu reuelante cognouit Episcopus, virus exitiale in potu illo inesse. Adfuit tũ casu catulus, qui in aula discurrere soleret. Ei beatus vir panis fragmẽ, in illo vino intinctũ, obtulit. Accepit canis, comedit, abijt, & in Episcopi lectulo se reponẽs, in somno extinctus est. Prohibuit autem vir Dei, ne quisquam ex illa potione sumeret. Post occasum solis vnus è cubicularijs Episcopi veniț ad eius lectũ, & catulum illic cubantem cernens, auribus appræhendit, dormire eum existimans. Sed vbi mortuum comperit, currit ocyùs ad Episcopum: En, inquit, pater beatissime, catulus cui intinctum porrexisti panem, mortuus iacet in lecto tuo. Audiens id Episcopus, gratias agit Deo, aitque ad suos: An non prçdixi vobis filioli, quod iam euenisse cernitis? Nè quis autem me vel inuidia, vel inani gloria stimulatum id dixisse crederet, catulo morsellum mortiferum obtuli, vt si verbis non liberet adhibere fidem, vel factis crederetis. Deindè iubet poculum illud exitiosum in eum locum proijci, vbi à nullo mortaliũ vel videri vnquàm posset.

Impuros Clericos vt castigârit.

Gen. 3.

Venenum sibi oblatũ diuinitùs cognoscit.

Vt à monachis S. Vualerici malè acceptus sit. Cap. 9.

CVm aliquandò vir beatus diœcesim suam visitaret, ad beati Vualerici monasteriũ venit. Id vbi Abbas Lambertus & monachi perceperunt, ilicò ad cryptam properant, vbi ille residebat: rogant, qua causa eò accesserit. Respondet vir Dei: Hi presbyteri (illi enim circũstabant) longè ab Ambianorum ciuitate separati, orant me, vt calices & lintea, in quibus diuina tractatur mysteria, ipsis consecrem. Tum illi magno furore perciti, & vix manus cohibentes, Nunquàm, aiunt, vllus Ambianorum Episcopus hìc consecrationis alicuius ministeriũ executus est. Cernẽs vir beatus immodicè illos cõmoueri, blandis verbis ait ad eos, lenire eos volens: Licet Episcopis vbiuis locorũ vasa Dominici ministerij consecrare. Quod ergò omnibus passìm licet, mihi vni hoc loco non licebit? At tamen cedens ad tempus inuidiæ, abijt indè, lugens domum orationis mutatã in spe-

Visitat diœcesim suam.

Blando sermone lenit iracundiam monachorum.

speluncam latronum. Ea enim tempestate domus illa vitijs scatere videbatur, sed nunc adeò in melius mutata est, vt illis in partibus totius religionis exemplar sit.

Vt Ambianos reuersus, de monachis illis questus sit. Cap. 10.

POstquàm autem domum redijt Episcopus, conuocato Clero, exponit eis, monachos sancti Vualerici iactare immunitatem suam, & quòd non sint subiecti Ecclesiæ Ambianensi, seque cum ignominia ab illis repulsum. Id illi audientes, valdè commoti sunt, missisque literis, accersiunt Abbatem. Venit ille ad Ambianorum vrbem: sed auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora? Non pauci ab Abbate largitione corrupti, eum aduersùs Episcopum & matrem Ecclesiam acerrimè tuebantur. Id vir beatus animaduertens, ad Archiepiscopum Rhemensem Manassen causam reijciendam statuit. Itaque sic tum discessum est. Quidam pecunia corrupti, ei resistunt.

Vt monachi illi falsa confinxerint priuilegia. Cap. 11.

POrrò monachi commentitia fingunt priuilegia, eaq; cuiusdam Romani Pontificis nomine falsò inscribunt, atque deindè frequentes ad Rhemensem vrbem accedunt, vbì tum celeberrimus procerum Galliæ conuentus habebatur. Adfuit etiã venerabilis Ambianorum Episcopus Godefridus. Conuentus Rhemensis. Procedit in mediũ Abbas cum monachis suis, accusat Episcopum Godefridum, quòd magna ipsum iniuria affecerit, profert literas commentitias, nulli, præterquàm Romano Pontifici, ipsos esse subiectos. Leguntur literæ iubente Archiepiscopo, moxq; insultatur Episcopo ab illis, qui muneribus deprauati erant: Cessa, aiunt, præsul sanctissime, innoxios persequi monachos, qui olim etiam inimicos solebas diligere. Nec te eò impellat gradus sublimior, nisi fortasis etiã in te quadrat illud, Honores mutant mores. Multaque alia in eum indigna iactantibus illis, vir beatus inter eos & animo & vultu columbino stabat immotus. Cùm autem Archiepiscopus imperaret silentium, ille parùm fidens literis, quas recitârant, petit eas sibi dari inspiciendas. Accuratè igitur illas contemplans, & veste sua leuiter abstergens, fraudem depræhẽdit, exclamansque, Huc quæso, inquit, oculos omnes aduertite: en membranas & atramentum scripturamque planè recentia, nec Romano more obsignata, meritoque ea causa reijcienda. Accurrunt omnes, diligenter inspiciunt: rem esse, vt ait Godefridus, comperiunt: qui paulò antè canino ore eum lacerârant, rei euidentia conuicti, mirantur eius prudentiam, laude & prædicatione mirè eum efferunt. Monachi pudefacti, ad Romanum Pontificem prouocant, Romamque ilicò proficiscuntur. Ostendit literas commentitias sibi opponi.

Vt Romam profectus sit Episcopus. Cap. 12.

IDem facit beatus antistes, propter iustitiã aduersa omnia perferre paratus. Verebatur enim, nè ipsius desidia & ignauia ius aliquod suũ amitteret Ecclesia, cui præsidebat. Habebat in comitatu suo multos egregios & reuerẽdos viros, qui posteà Ecclesiarum antistites facti sunt. Vbi ad Alpes ventum est, iubet socios antecedere. Omninò enim inter equitandũ hęc ei prædicanda erat consuetudo, vt comites vel præcedere, vel subsequi vellet, neminem propiùs ad ipsum se adiungere, nè ociosis sermonibus daretur occasio: atq; ità ille psalmis sanctisque meditationibus vacans, à patria cælesti se exulare lugebat. Nota præclarum exemplum.

Vt vestem pauperi mulierculæ largitus sit. Cap. 13.

CVm iam magna ex parte iuga Alpiũ emensus esset, arcta & horrida, glacie ac niuibus impedita, semita ingressus, audit tenuiter gemitus hominis. Subsistit igitur, arrigit aures, circunfert oculorum obtutus, & ecce videt fœminam pauperculam, inter dẽsas niues frigore propè enectam, & iam supremum trahentem spiritum. Totus mox præ commiseratione lachrymis diffluit, & Heu, me miserum, inquit, qui cùm sim mortalium omnium vltimus, magno comitatu fruor, & interìm quod natura omnibus commune esse voluit, mihi speciatìm vendico, eoque plùs quàm opùs sit, vtor: & hæc paupercula dum veste caret, dolore conficitur, frigore consumpta perit. His dictis, suo se vestimento nudat, vt penè nudus videretur, induit ea miserrimam fœminam, atque indè sensim mẽbris recalescentibus, reducit eam in viã: porrò ipse socios insequitur, valdè interìm frigore eum infestante, adeò vt vbì illos attigit, tremebũdus adstaret coram illis, solo cilicio & cucullo indutus. Percontantibus eis, vbì esset vestis superior, Eximiæ charitatis exemplum.

modis omnibus ille celatũ cupiens quod fecerat, ait se magno onere pressum, iuga montium scandere non potuisse: vestem tuto reliquisse loco, Christi benignitate restituendã. Prudenter id quidem, & tamen citra mendacium, significare volens neminẽ diuitiarum fasce depressum, posse ascendere in montẽ Domini: qui autem misericordiæ operibus dediti sint, eos à Christo recepturos centuplum.

Quid eius aduersarij Romæ egerint. Cap. 14.

Insolentia monachorũ quorundã.

MOnachi verò Romã veniunt, munera largiuntur, redeunt ad sua læti & alacres, omnibus pro voto impetratis à Romano Põtifice. Postquàm in Ambianorum fines peruenêre, insolenter iactitãt, se ab Episcopi Godefridi ditione immunes, redire in patriam incolumes, illum in peregrino solo exulem degere, & dignitate Episcopi nudatum, quòd eos iniustè vexâsset. Populus his auditis, malè metuere cœpit, atque pudore suffundi.

Quid Godefridus Romæ fecerit. Cap. 15.

Visitat loca sancta Romæ vir Dei.

AT vir Dei Romam ingressus, limina beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli religiosè inuisit, ac deindè ad Paschalem Pontificem se confert. Mox aduolant causidici, sperãt ab illo quoquè se accepturos munera largissima. Sed Godefridus, qui non confidebat in homine, nec ponebat carnem brachium suũ, vt à Domino recederet cor eius, qua causa tam difficile & longinquum suscepisset iter, absq; vllis vel verborum fucis, vel munerum pollicitationibus simpliciter edicit. Sed contradicunt causidici, aiunt monachos ab eo iniustè vexari, dumque nulla sperant ab eo munera, causam malam eum fouere affirmant. Videns ergò vir Dei se humano patrocinio destitutum, labentia cuncta forti & excelso animo contemnens, exclamat: O pastor orthodoxæ matris Ecclesiæ, ea causa Christus te voluit suo loco illi præesse, vt lucẽ à tenebris, verum à falso discerneres: vt enim à capite mẽbra reguntur, & ad illius nutum, membrorũ vitia corriguntur: sic etiam à te Christianorum omniũ non facta duntaxàt, sed etiam malæ voluntates cõprimendæ sunt. Sed quia nũc cerno, iustũ quandoquè crimen iniqui, occulto Christi iudicio perpeti, mâlim priuatus viuere, quàm admittere, vt Ecclesia Ambianensis, me præsule, ius amittat suũ. His dictis, Pontifici valefacit, & ad Barensiũ vrbẽ, ob inuisendas beati Nicolai reliquias, ardẽti studio proficiscitur.

Eius dicendi libertas.

Vt Pontifex eius admiratus sit libertatem. Cap. 16.

POstquàm abijt, Pontifex diligenter perquisiuit, quę vitę eius sanctitas, quæque illius authoritas esset, quòd tãta dicẽdi libertate vteretur. Ità qui anteà citra Alpes celebre sanctitatis nomẽ ferè vbiquè obtinuërat, etiã Romanæ vrbi pręclarè innotuit. Nam interroganti Pontifici indicatum est, quòd ab ipsis penè incunabulis disciplinis Ecclesiasticis imbutus sit, quòd pro virtutum incremẽto ad altiora prouectus, primò Abbas, indè Episcopus creatus sit, quòd eius egregia sit religio, iureque cunctis sacerdotibus anteponẽdus videatur, quòd pauperum & viduarum magnam curam gerat, quòd Galliæ proceribus notissimus, & cunctis ferè charissimus sit, deniquè quòd omnibus diuinis charismatis abundet. Ijs auditis, Pontifex seipsum acriter repræhendit, quòd talem ac tantum virum vel ad momentum leuiter exacerbâsset, quòd non magno studio & beneuolẽtia eum excepisset, & eius votis annuisset. Imperat itaque suis, vt si quandoquè eum ad Vrbem redire contingat, mox eum ad se perducant.

Apud Rom. Pontificem mirè prædicatur S. Godefridus.

Vt orationis ergò Barium venerit Godefridus. Cap. 17.

VEnit autem beatus Episcopus ad Barensem ciuitatem, & apud beati Nicolai, miraculis celeberrimi præsulis, reliquias diutissimè cum multis lachrymis precatus est. Altera luce, annulo aureo & reliquis sacerdotalibus ornamentis indutus, sacrosancta Missarum solennia supra eius ossa, oleum stillantia, deuotissimè celebrauit.

S. Nicolai ossa oleum stillant.

Vt ei, loci Episcopus oleũ, quod à beati Nicolai ossibus manârat, dono miserit. Cap. 18.

VBi autem animaduertit eius regionis Episcopus, Godefridũ animi constantiã & fortitudine Episcopos alios anteire, incredibili admiratione affectus est. Galliarum enim atque etiam aliarum terrarum præsules, cùm eò proficiscuntur, vili habitu celant se, nè possint agnosci. At Godefridus neque longitudine itineris, neq; nationis feritate fractus mutauit habitum, nec se studuit occultare. Nanque vt leo confidens, & absque terrore permanens,

omnes

omnes amicorum loco habuit, nulli ipse nocere cupiens. Hæc ergò in eo Episcopus, quem diximus, animaduertens, ex animo amplectitur virum, eiq; amando totum se applicans, præ cunctis mortalibus colendum affirmat. Comitibus quoquè illius multa humanitatis officia alacriter præstitit, atq; ad extremum olei partem quandam, à beati Nicolai ossibus profluentis, beato viro in vase vitreo ad hospitium more Ecclesiastico solenniter transmittit. Quod quidem vir Dei cum ingenti deuotione, nec sine tremore, venerabũdus accepit, auro & gemmis quibusuis charius illud amplectens, plurisque æstimans. Appendit autem illud ad collum suum, magnum sibi aduersùs hostium insidias in eo præsidium constituens.

Animus impertetritus S. Godefridi.

Mira eius deuotio erga sacras reliquias.

Vt vas illud vitreũ in mare lapsum, illæsum sit Godefrido Episcopo redditũ. Cap. 19.

CVm sic autem vir Dei loca sacra inuiseret, asscensis equis, cum suis comitibus venit ad portum maris, in quem fama ferebat nauem appulsam, corpus beati Nicolai ferentem: qui locus adeò commodus est, vt inter naues, quæ iactis ancoris illic figuntur, tutò possit transuadari. Ibi ille ambulans, contemplabatur piscatores retia sua piscibus onusta ad litus retrahentes. Interim autem manum pectori admouens, sentit abesse vas vitreum, de quo iam diximus, summoque animi dolore afficitur. Rogant socij, quæ causa sit tam repentini mœroris. At ille prolixè illachrymans, Væ, inquit, misero mihi, quòd tanto patrocinio destitutus, cælitùs oblata benedictione diù perfrui non merui. Dum enim hîc versor, rupto funiculo, in aquas lapsum est vasculum, quo Episcopus me donauit, nec nisi singulari quodam Christi beneficio reperiri poterit. Dumque hæc dicit, vertens se ad dexteram, videt vasculũ instàr plumæ ferri super aquas, cùm tamen pondere suo quoduis metallum æquare videretur. Res erat admiratione digna, vel equorum ferreis pedibus, vel nauium quassatione, vel impulsu remorum, vel præruptis scopulis, quorum illic magna copia est, non penitùs contritum fuisse. Exultat eo conspecto vir beatus, tollit ab vndis, diligenter inspectat, nihil læsum summoperè gratulatur.

En quanti vir sanctus fecerit sacras reliquias.

Nota miraculum.

Vt Romam redierit. Cap. 20.

POrrò autem loci Episcopum eius rei certiorem reddit, atque ità rursùs Romam proficiscitur. Mox à Pontificis Paschalis familia in eius conspectum perducitur. Pontifex ei reuerenter assurgit, humanissimè eum osculatur, & secum assidere compellit. Volens autem certiùs explorare, quæ de eius prudentia iam antè ab alijs didicerat, multas tum diuinarum, tum politicarum rerum ei quæstiones proponit, atque etiam ad difficiles soluendos nodos haudquaquàm imparatum eum offendit.

Romæ humaniter excipitur.

Vt à Pontifice Paschali comiter dimissus sit. Cap. 21.

CErnens ergò Pontifex multa cum prudẽtia & pietate pollere, orat nè grauatè accipiat, quòd anteà non sic, vt fidelem dispensatorẽ par erat, ab ipso exceptus & exauditus fuerit: cogitet, animũ innumeris curis distractum, haudquaquàm ad singula posse sufficere. Beatus vir facilè ignouit. Tum Paschalis Pontifex literas ei tradit, quibus inter alia continebatur, Abbatem sancti Vualerici cum monachis suis, Ambianensi Episcopo, perindè atquè patri & pastori, in omnibus parére debere. Ille igitur Apostolica authoritate & benedictione munitus, redit ad ciuitatem suam.

Paschalis Pontifex quid ei præstiterit.

Vt socij eum coëgerint mutare nomen suum. Cap. 22.

CVm aũt in Galliã Cisalpinam venisset, comites itineris monuerunt eum, vt pro Godefrido Herueum se sineret appellari. Metuebãt enim, nè quid aduersi ipsis accideret, si ex nomine innotesceret. Principiò quidem seruus Dei id grauatè accepit, sed cùm nõ posset illorũ resistere voluntati, inuitus tulit alienum sibi nomen imponi. At tamen quocunq; diuertisset, ab omnibus facilè, quòd Episcopus esset, agnoscebatur & mirè prædicabatur. Sed quid antiquo serpente nequius, aut malignitate instructius, qui non solùm noxia, sed etiam ociosa nostra diligenter annotans, apud Deum nos perpetuò accusat?

Inuitus mutat nomen suum.

Vt fœminæ cuidam satan in monachi effigie apparuerit. Cap. 23.

ERat per id tempus in * Pontinorũ solo apud castellũ * Medardum quędam fœmina solitaria, vel inclusa, Deoq; chara. Eã miserè dissoluebat paralysis, ità vt pedibus consistere non posset: sed animus inuictus præclarè aduersùs

Victus inclusæ fœminæ.

vitia decertabat. Ferebatur eo in loco annos ampliùs quinquaginta clausa mansisse. Beatus Godefridus ei hordeaceam farinulam mittere solebat, cui illa parùm salis & herbas virentes addens, sese sustentabat. Cùm autem vir Dei absens esset, illa Dominum obnixè deprecabatur, vt saluum eum reduceret. Eius enim aduentum summoperè expetebant homines religiosi & inopes. Quadam autem die pro hac re oranti illi satan in cuiusdam religiosi viri specie apparuit, & qua causa cum tot lachrymis Dominum rogaret, inquisiuit. Respondit illa, se pro domino Godefrido Episcopo rogare. Et satan, Ambianorũ Episcopus, inquit, non Godefridus iam, sed Herueus vocatur. Reijcit illa nugantem, dicens sibi beatum virum satis superque notum esse. Pergit dæmon improbus eadem repetere: Videris, inquit, mihi lethargo correpta nescire, quid dicas. Iam dixi tibi, iterumque repeto, non esse cur pro Godefrido ores: pro Herueo orandum esse. Respondet fœmina: Ego verò, quoàd superstes ero, Iesum Christum pro Godefrido pastore meo deprecabor, vt possit nobis incolumis restitui. Et dæmon: Agnoscis ne me, inquit? Illa parumpèr reticens, vbì Christo reuelante didicit versutias impostoris: Desine, ait, inimice omnis boni, & totius nequitiæ artifex, infestare pios, quorum sententia trudendus es in tartarum. Nòui, qui sis. Itaque in Christi virtute tibi impero, vt quamprimùm hinc recedas. Mox ille instàr fumi cum eiulatu euanuit, neque Christi nomen, neque signum trophæi eius ferre sustinens.

Vide procacissimi dæmonis nequissimam malignitatem.

Vt annulum S. Honorati Ambianensis Episcopi, secùm retulerit beatus Godefridus. *Cap.* 24.

PEr Italiã autem beatus vir iter faciens, annulũ Honorati Episcopi Ambianensis & illustris confessoris, quẽ * Geruinus eius decessor vendiderat, iusto precio redemit, secumq; ad vrbem Ambianorũ adduxit. Vbì cùm esset honorificè exceptus, Abbate S. Vualerici rursùs accito, beatus Episcopus profert literas Paschalis Pontificis, dat eas Simoni Præposito palàm recitandas. Postquàm ventũ est ad eum locum, vbì Pontifex iubet Abbatem S. Vualerici cum fratribus suis per omnia obedire Ambianẽsi præsuli, tanquàm patri & pastori, Abbas & monachi exclamant, non bona fide literas recitari. Sed cùm ipsi eas inspexissent, & ità habere, vt erant lectæ, certò comperissent, cùm nec possent, nec auderent Romani Pontificis voluntati resistere, ad pedes beati Godefridi se abijciunt, veniam perperàm gestorum petunt, nec difficulter impetrant, congrua eis mulcta irrogata. Ex eo tempore Abbatia S. Vualerici paret Episcopo Ambianensi.

* Giruinus

Tandẽ monachi, qui eum vexârũt, veniam ab eo perũt.

Vt ad fœminam solitariam accesserit. *Cap.* 25.

DEindè cùm vir sanctus parœciã suã pro more visitaret, vt ouibus suis verbi Dei prẹberet alimoniã, & si qua in cultu diuino fierent negligentiùs, ea corrigeret: ad eam, quam diximus, fœminam pro Christi amore solitariè degentem, accessit. Eiusmodi enim hominibus victum & res necessarias suppeditabat. Vbì autem illa vidit Episcopũ, Túne, inquit, es Godefridus dominus meus? Quis igitur ille fuit, qui nescio quẽ Herueum mihi pro te voluit ingerere? simul explicans, quas ei molestias malus dæmon intulisset, persuadere ei volẽs, Ambianensem Episcopũ non Godefridum, sed Herueum vocari. Quæ vt audiuit Episcopus, valdè exhorruit, paululumque intra se hærens, cum ingenti animi dolore ait eam vera dicere: deindè humì se prosternens, & pectus diutissimè pugnis verberans, grauiter doluit, se vel ad horam passum aliud sibi nomen simulatè imponi.

Agit pœnitentiam ob nominis ad horam mutationem.

Vt corpus beati Firmini transtulerit. *Cap.* 26.

FIrminus martyr insignis, & Ambianorũ primus antistes, exacto felicis agonis cursu, in eàdem vrbe tumulatus, se cum Christo in cælis viuere, innumeris præstandis beneficijs egregiè declarat. Cùm autem quodã die beatus Godefridus pro more ad populum concionaretur, oculos interìm vertens ad beati huius martyris sacras reliquias, (hactenùs enim humili continebatur loculo) ità exclamauit: Cernite filioli, quãtùm debeamus sanctis martyribus, quorum nos & patrocinio à vitæ huius periculis eripi, & suffragijs cælestem beatitudinem consequi posse cõfidimus. Itaq; dum hîc sumus, crebrò eorũ memoriam vsurpemus, vt & illi apud Dominũ nostrî memores sint. Indè est, quòd maiores nostri in illorum honorẽ basilicas condiderunt, monumenta eorum, auro, argento & gemmis ornârunt, non quòd ijs illi indigeant, aut quòd hinc clariores fiant, (hæc enim illi, vt Chri-

Firminus martyr, primus Ambianorum Episcopus.

Sancti honorandi & inuocandi.

Christum pauperem imitarentur,& eius inopia ditari mererentur,ceu lutum contempsêre) sed vt his suum erga eos amorem, studium & deuotionem declararent. Et vos igitur angustiam loculi,qui B.Firmini Episcopi & martyris atq; patroni nostri ossa retinet,contemplantes, vt possit cōgruum ei præparari receptaculum, aurum promptis animis conferte. His beati viri sermonibus omnes egregiè incensi, aurum,argentum,armillas,annulos afferūt, pleriq; vasta terrarum & marium spatia emetiuntur,vt quæ ornare martyris basilicam possint, comparēt. Postquàm loculus accuratè confectus fuit,ad eum diem,quo erant transferēdæ reliquiæ, tantus eò aduenit hominum cœtus, vt tota Europa cōfluxisse videri posset. Tum Episcopus Godefridus cum alijs sacerdotibus accessit ad locum, vbì cælestis ille seruabatur thesaurus, sacrasq; reliquias cum multo tremore omnibus visendas exposuit. Eas cernens fidelis populus,cum multis lachrymis laudat Christū,quòd testis eius reliquias videre mereretur. Porrò beatus Godefridus hortatur omnes, vt sanctorum loca crebrò inuisant, illic sua vota persoluant, illorum patrocinio se suosq; commendent: indè enim innumera,inquit, fidelibus accedunt beneficia. Deindè populum dimittit. Huic autem spectaculo non interfuêre,qui Ambianensis vrbis suburbana loca habitabant, alij alijs rebus impediti. Accedunt igitur ad Godefridum Episcopum: orant, vt ipsis quoquè beati Firmini sacras reliquias ostendat. At ille valdè admirans, Vbì, inquit,nudiustertiùs fuistis,quandò mea manu eas omnibus contemplandas exhibui? Afferunt alij alia,sed cùm eum permouere non possent,cum lachrymis commemorant, quæ dona obtulerint, quos labores susceperint,vt martyris templum & loculus ornarentur: & subiungunt, Ergóne à martyris contemplatione excludemur, qui martyris causa, tanta & fecimus,& perpessi sumus? Flectitur tandèm vir pius,& in celebritate omnium Sanctorum, præmisso ieiunio,ait se illorum precibus satisfacturum.

Nota prisca deuotionē.

Attende veterū deuotionem erga Sanctorum reliquias.

De miraculo quodam. *Cap. 27.*

PEr id tempus regionē illam iugis nebula densaq; adeò obsedit,vt sol à cęlo migrâsse videri posset.Totis enim viginti & eo ampliùs diebus, nullus eius splendor apparuerat.Metuebant omnes,ea re dira ac tristia portendi. Vbì aduenit omnium Sanctorū solennitas,ad beati Firmini ædem manè aduolant:adest & Godefridus Episcopus,capsam,in quam paulò antè transtulerat beati martyris reliquias,iubet in terram deponi. vestibusq; Pōtificalibus indutus, nudis pedibus & lachrymabundus,ad eā reuerenter accedit,(in eiusmodi enim rebus admodùm religiosus & pius cernebatur)sacras reliquias in pannū purpureum effundit,stansq; loco editiori,vbì ab omnibus videri posset: En, inquit,dilectissimi, hæc sunt Firmini martyris & protectoris nostri sacra ossa. Quod cùm ille dixisset, mox basilicā omnem serenissima solis lux perfudit,cùm iam penè mensem vnū, vt diximus,radios suos omnes prorsùs retraxisset. Ad tam euidens miraculū, vnà omnes prorumpunt in laudē prępotentis Dei: porrò Episcopum Godefridum rogant,vt dexterā martyris separatim ponat,vt eam opportuno tēpore & intueri & osculari faciliùs possint.Nec id eis vir pius negare voluit.Tandèm omnes domum eunt.

Eccè insigne miraculum ad ostēsas reliquias S. Firmini.

Vt beati Saluij alorumque multorum sacras reliquias transtulerit. *Cap. 28.*

TRanstulit etiam corpus sanctissimi Saluij confessoris & Ambianorū Episcopi,in eum locum, vbì nunc eum fideles venerantur: transtulit & aliorum multorum. De quibus omnibus,& quæ tum miracula edita sint diuinitùs,vt Christus seruorum suorum merita declararet, hîc adscribere noluimus,nè lectori fastidium afferamus.

Saluius Episcopus Ambianensis.

Vt in aula Roberti Flandriæ Comitis quædam præclarè gesserit. *Cap. 29.*

LIbet autem commemorare hoc loco beati viri humilitatem,& perpetuam cum improborum amentia conflictationem. Robertus Flandriæ Comes & rebus bellicis & magnis opibus celeberrimus, Hierosolymitani itineris dux,Christi natalitium diem apud sanctum Audomarum voluit festiuum ducere. Aderant illic Duces, Comites,diuersarumque regionum proceres, & totius Flandriæ nobiles siue milites, multi etiam Galliarum Episcopi, & in ijs beatus Godefridus, quem Comes Robertus accepit officiosissimè, & cum illo separatim, vtpotè magnæ authoritatis viro, diù collocutus est, inter cætera orans eum, vt illa sacrosancta nocte more Ecclesiastico, Domino sacrificium offerret.

Robertus Flandriæ Comes.

Annuit humiliter vir Dei,& fecit sacrificiū piè ac deuotè. Sub ipso sacrificio post lectionem Euangelij,omnibus certatim ad altare munera offerentibus, vir Dei sine personarum acceptione,illorum omnium dona reiecit, qui instàr muliercularum intonsa essent coma. Ea re permoti, efferis vocibus percontātur,cuius authoritatis sit antistes,qui apud exteros tale quippiam designare nō vereatur. Vbì, quis esset,didicerunt, videres certatìm gladijs & cultris (non enim aderant ad manum forfices) eos sibi amputare pilos,infelices ac miseros putare,si propter comas, tanti viri benedictione priuarentur. Eius facti fama mox tota Gallia increbuit,Godefridum Episcopum etiam in aliena ditione in principes & magnates ausum fuisse, quod alij antistites etiam in suis sedibus aut negligant, aut non ausint etiam in extremis homuncionibus. Magna ei non solùm apud reliquam multitudinem, sed etiam apud Comitem ipsum,hinc reuerentia accessit.

Nota sancti viri zelum.

Vt à Guermundo captus sit Adam princeps Ambianensis, & vt Godefridus Episcopus eum defendere conatus sit. Cap. 30.

INdè verò omnium fauore ad vrbem suam reuertēs, secum duxit Adamū eius ciuitatis principem. Cumque iam fines suos ingressi essent, Adamus ad virum Dei, Nôsti,ait,venerande pater, quas mihi insidias comparet Guermūdus Pinquiniaci Vicedominus? Iam multis annis inter nos vario euentu bella ducimus. Quòd si ille me cōpræhenderit,certus sum, aut inauditis me supplicijs excruciatum,aut certè gladio necatum iri. Si ergò placet tibi,aliud ego capessam iter,nè militum præsidio destitutus,incidam in manus eius. At vir beatus vehemēter admirans, An non,inquit,ille æquè meus est, àc tu? An non iampridèm sanctè mihi, vtpotè domino suo,iurauit,se pacem bona fide conseruaturum, honoremq; mihi habiturum? Confido equidem in Domino,etiamsì mille armatas militum cohortes secum adducat,non ausurū illum vel duriùs te appellare. Quòd si mutato animo quippiam tibi irrogare tentauerit,testor Iesum, me te prosecuturū, quocunq; ille etiā vinctū te abduxerit. Dum sic illi inter se colloquuntur, eccè Vicedominus multo stipatus equitatu,aduenit,salutat Episcopū,& ad læuam se vertens,furibundus exclamat: Túne hîc es Adame,mihi semper infestissime? O te miserum, quis te huc appulit? Satiùs tibi foret vitam agere priuatam ac tenuē, quàm incidisse in has manus. Moxq; nulla tanti Episcopi habita ratione, Adamus ab equo deturbatur, districtis ensibus appetitur. Cernens id Episcopus,ab equo desilit,toto corpore super Adamum incumbit,porrigit iugulum,exclamat cum lachrymis: Quæ te furiæ, quæ dira Erinnys, Guermunde, huc impellunt, vt me præsente, qui sum dominus tuus,istuc ausis designare? En ceruicem meam,si ità placet,libens feriendam obijcio: tantùm nè quid moliaris aduersùs Adamum meum. Hæc vt viderunt comites Episcopi,omnes aufugerunt,quòd putarent cum Adamo illum interfectum. Porrò Adamus in equum imponitur, iniectisque catenis Pinquiniacum abducitur. Eum verò beatus Episcopus flens & eiulans,comamque vellens, solus sequitur, se eius proditorem,tantæque calamitatis authorem clamitans. Vbì Pinquiniacum ventum est,beatus vir,cæteris intromissis,cogitur stare foris. Videns ille humano se auxilio destitutum,redit solus ad ciuitatem suam: refert clero & populo, quid acciderit. mœrent omnes, tum captiuitatem domini sui,tum iniuriam præsulis sui,quam molestiùs ferebant.

Votifragus Vicedominus cū milite Adamum persequitur

Guermundus sæuit in Adamum.

Vide sancti Episcopi fidelitatem.

Vt Vicedominum excommunicârit Cap. 3.

EPiscopus verò sacras reliquias beati Firmini & aliorū sanctorum humì deponit, ecclesias regionis infidi Vicedomini claudit, illum & fautores eius omnes plectit anathemate. Indè vtrinquè existūt bella,cogitur audire pius Episcopus crebras agrorum vastationes, pagorum depopulationes atq; direptiones,templorum incēdia. Quibus ille mirum in modum affligebatur,& flens largiter,miserum se dictitabat,qui in ea tēpora incidisset. Poterat tum dicere cum Propheta : A voce gemitûs mei adhæsit os meum carni meæ. Similis factus sum pelicano solitudinis,factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Dolebat vicem miserorum, qui calamitatibus illis afficiebantur. Redibat in memoriam pristinæ quietis,qua in monasterio potitus erat, & in has turbas se coniectum mœrebat. Itaque factæ sunt ei lachrymæ panes eius die ac nocte, sitienti fontem vitæ,qui est apud te Domine Deus.

Guermundus excommunicatus addit scelera sceleribus

Psal. 101.

Psal. 35.

De duobus pijs viris, quos domi habebat. Cap. 32.

HAbebat domi apud se duos spiritu pauperes, religione & animi puritate eximios, morũ integritate conspicuos. Ex ijs alter Gaufridus, alter Orbertus dicebatur. Ijs domûs, alendorum pecorum, & agriculturæ curam demandârat. Et Gaufridus quidem, licèt ne ipsa quidem literarum elementa calleret, at tamen percepta beati Episcopi benedictione, tãta dexteritate hominibus verbi cælestis semina promebat, vt tam ipse beatus antistes, quàm multi etiã benè docti viri admirarentur, vndè illiteratus & idiota tam sublimia & recondita proferret. Diceres Amos armentarium, vellicantem sycomoros & sequẽtem gregem, repentè à Domino iussum prophetare. Ad hos ergò sæpissimè se recipiebat Episcopus, tumultus & strepitus rerum mundanarum ferre non sustinens, illorum colloquijs synceris mirificè delectatus.

Cum simplicibus sermocinatio beati viri.

Vt illos rogârit, quò Dominum pro ipso deprecarentur. Cap. 33.

QVandoquè autem veniẽs ad domicilium, in quo degebant, inuenit illos pauperum pedes abluẽtes, suas vestes illis donantes, & cibis quos paulò antè à dispensatore domûs acceperant, eos reficientes, non rarò enim sibijpsis eos subtrahebant, & miseris impertiebantur. Iucundo ergò vultu ait ad eos: O felices vos ac Deo dignos. Respondent illi: Orationibus tuis, pater beatissime, bonum & iucundum. Et Episcopus: Apertiùs, inquit, isthuc edicite. An non, aiunt illi, bonum & iucundum tibi videtur, pater, recreare pauperes, & illis, conuenienter præceptis Dominicis, res necessarias præbere? His enim studijs possumus promereri gaudia beatorum, & sempiternã Christi Regis immortalis contemplationem. Tum vir beatus eis reuerenter caput inclinans, Ità est, inquit, vt dicitis. Christum igitur, quæso, pro me deprecemini, vt cum istis merear in eius domum æternam introire.

Benignitas famulorum eius in pauperes.

Quid Gaufridus beato Episcopo consuluerit. Cap. 34.

SEdebat deindè solus in penetralibus domûs Godefridus Episcopus, multo animi angore ob ea, quæ diximus, correptus. Venit autẽ ad eum Gaufridus iste, & pro singulari familiaritate sic eum prior cõpellat: Quid est, venerande præsul, quod vsqueadeò consternatus & mœstus videris? Equidem non puto, id frustrà esse, nec commodi alicuius temporarij iactura te torqueri. Respondit vir Dei, vt potuit præ lachrymis, quæ ab oculis largiter dimanabant: Et quę mihi, obsecro, gaudẽdi materia relicta est? En vt nauclerus, amisso clauo, cogitur ventis permittere nauẽ, etiamsi in scopulos impellatur: ità animus meus virtutis inops, vndiquè immensis afflictionum fluctibus exagitatus, hac illacque distrahitur, nec vsquàm eam persentit quietis suauitatem, quam iampridem reliquit. Video euerti templa, gregem mihi commissum pessimè accipi, diœcesim meam fame, ferro, flammisq; vastari. Est tamen, fateor, in his rebus duris vnicum nobis in Christo perfugium, vti in petra herinacijs. Respondit Gaufridus: Etsi præsul optime, & diuina & humana sapiẽtia adeò instructus es, vt tantilli homuncionis consilio prorsùs non indigeas: tamen quandò Vicedominum neque regum, neque principum intercessione flectere potes, vt dimittat Adamũ, Christi Regis immortalis exemplum imitare, & humilitate illum emollire stude. His dictis, Gaufridus abscedit.

Vir sanctus mœret ob suæ diœcesis vastationem.

LIBER TERTIVS.

Author sibi petit fidem adhiberi. Cap. 1.



VEnio nunc ad commemorãdam eiusmodi rem, qualis haud scio an vnquàm antehàc audita sit, quamq; non modò nullus Episcopus, sed nec secundi ordinis quisquam sacerdos fortasis tentaturus esset. Lectorem oro, vt dictis fidem adhibeat. Vt enim iam antè testati sumus, non hîc quicquam fingimus, sed à fide dignis, qui ea viderunt & audierunt, accepta referimus. Memini, non ità pridèm quendam dixisse ad me, quid ità oblinerem chartas tot nugis & deliramentis. O hominem ineptum & planè miserum, qui nõ modò non veneratur sanctorum hominum facta præclara, verumetiam nôsse ea nõ vult. Sed

impro-

improbis hoc familiare est, vt bona, quibus ipsi carent, in alijs contemnant & lacerent. Credo equidem hominem hunc, si Ganymedis raptum & id genus impuras fabulas, quas Christiani omnes meritò semper execrari debeant, scripto comprœhenderem, egregiè me commendaturum, bonum & strenuum fidumque scriptorem appellaturum. Talibus illud Augustini inculcandum est: Exinanire, quo plenus es, vt queas impleri, quo inanis es. Sed hæc obiter contra obtrectatores dicta sint: nunc ad narrationem redeundum.

Plerique plùs delectantur impuris fabulis, quàm rebus gestis sanctorum.

Vt summæ humilitatis exemplo Vicedominũ mollire conatus sit Episcopus. Cap. 2.

POstquàm Gaufridi consilium audiuit beatus Episcopus, ea nocte multa secum in lecto pertractabat, vtrùm parendum illi esset, nécne. Hinc enim reformidabat, nè si intantùm Episcopus se coram subdito suo abijceret, homines nequam & improbi insolescerent: indè verò pietate stimulabatur, ad captiuum Adamum in libertatem vindicãdum. Tandèm Gaufridi sanctitatem & innocentiam considerans, sibique persuadens, hominem simplicem quod dixisset, non nisi à Deo habuisse, qui id ei reuelâsset: statuit sic facere, vt ab illo monitus erat. Itaq; post absolutas nocturnas preces, vocat ad se Gaufridum & Otbertum: & alteri quidem suos calceos imponit, alteri palliolum, atque ità cilicio simplicique monachi habitu siue cucullo indutus, nudis pedibus ingreditur horrendũ & peregrinum iter, quod Pinquiniacum ducit, quod ab Ambianis fertur octo milliaribus abesse. Iam tum mensis erat Ianuarius, & Sole Aquarium ingresso, vrebant montana niues camposque patentes, nec duraturæ conspecto sole pruinæ: Hirta comis tellus. Tam amœnum, inquam, iter nudis pedibus suscepit Godefridus præsul eximius, fraterna eum charitate perurgente. Vbi autem ad monasterium S. Remigij peruenit, quod in nemore situm est, à monachis propensis animis accipitur, rogãt illi admirabundi, quid sibi velit tanti viri talis habitus, quorsùm intendat iter, offerunt se socios itineris: sed vir beatus nõ sinit eos extra monasterium pedem efferre, ait solatio eos sibi fore, si pro se Dominum deprecentur. Deindè cùm illis benè precatus esset, pergit cũ duobus illis, quos diximus, psalmos interim Domino suo more suauiter depromẽs. Tandèm venit ad Vicedominum, capitio vultum tegit, nè possit agnosci. coram illo, in platea vtriusque sexûs hominum frequentia stipato, se humi prosternit, appræhendit eius pedes, infundit eos lachrymis suis. Tum ille toruo, vt erat, vultu: Quis sis, ait, & vndè véneris, edicito. Et vir beatus, rarescẽte ob frigoris asperitatẽ anhelitu, ità vt sanguinem spuere videretur, Ego sum, inquit, Godefridus Ambianorum Episcopus, tuus etiam iure qualiscunque temporalis dóminus. Vt impellente charitate Christus Crucem conscendit, vt Adamum protoplastum liberaret: ità ego huc aduéni, vt meum Adamum, quẽ vinctum detines, mihi reddas. Huius spectaculi nouitate adeò perculsi sunt, qui illic aderant, vt tanquàm fulmine icti, pariter corruerent, nec quicquam loqui possent. Postquàm autẽ laxata dolore vox inuenit iter, gemitusq; in verba soluti sunt, lachrymabundi exclamãt: Quid ità, sanctissime præsul, ad huius tyrãni pedes te prosternis? Adeóne apud te in feras belluas mutati sumus, vt tanquàm peregrinus ad nos accedere volueris? Hęc aliaq; dicentes, è solo eum subleuant. At scelestus ille Vicedominus nihil motus, sed vt aspera serpens, iacto cominùs saxo erigitur, totosq; agitata per artus, conuocat in fauces ac squamea colla venenum: sic ille humilitate & sermone beati viri ceu iaculo confixus, terribiliter exclamat: Qua fronte ausus es, monache, in meum venire conspectum? Adeóne effœminatum me putas, vt quasi paucore fractus, hũc à me Adamum dimittam? Ego illum, quem fortuna dedit, vinctum teneo, vinctumq; tenebo: Perferet æternùm meritas, miserabilè, pœnas. Vtinã verò te sic in omnibus exaudiat Deus, vt ego hunc à me abire sinam. Facesse igitur hinc ocyùs, nè cum ignominia repellaris. His verborũ iniurijs affectus Episcopus, comiter & sedatè perfert, abitq; in ædẽ S. Martini, & coram altari in mattam flexis genibus incumbens, totam illam noctem in precibus insomnem ducit.

Exemplum sanè admirandum in tanto Episcopo.

Attẽde profundissimã huius antistitis humilitatẽ & charitatem.

O hominẽ insanum, quem tanta charitas nõ mouet.

Concio beati viri ad populum. Cap. 3.

MAnè iubet populum campanæ signo conuocari. Accurrit mox hominũ infinita multitudo, non solùm ex ea vrbe, verumetiam ex finitimis agris & vicis: sperabant enim pacem Ecclesiæ redditam. Ad eos vir Dei concionatur, ex diuinis literis docet eos, damna & iacturam labentium

rerum,

rerum, placidè & moderatè ferendam: Deum homines pios multis exercere modis, corripere omnem filium, quem recipit. Ad extremùm dicit, se ea causa illuc venisse nudis pedibus, indutum cilicio & propè nudum, abiecisse se ad pedes Vicedomini, vt sua humilitate eum permoueret & flecteret ad dimittẽdum Adamum captiuum. Sed se tamẽ impetrâsse nihil: immò verò egregiè irrisum esse. Hîc cùm exclamarent quidam, vt mitiùs diceret in Vicedominum, ille magna animi fiducia concepta, in Vicedominum & omnes illi assentientes, palàm excommunicationis fulmen vibrauit. Aduertit hîc lector, vt vir Dei nec timori succubuerit, nec vlli labori pepercerit, vtque administrum satanæ propter vnius hominis salutem nũc humilitate, nunc seueritate, modò blanditer, modò asperè iustitia impellente aggressus sit, vt iustitiæ & misericordiæ speculum atque exemplar iurè dici queat. Prou. 3. Rursùs excommunicat impium tyrannus.

Vt ad Ambianensem vrbem reuersus, Christi martyrem Firminũ implorârit. Cap. 4.

TAndèm re infecta beatus Episcopus redit ad vrbem suam eodem die: accurrunt ciues, circunsistunt, stupent & lamentantur. Ille verò paucis eos consolatur: indè abit ad sacras beati Firmini reliquias, ibi se prosternens, orat martyrem, vt Vicedomini Guermundi insolentia cõprimatur. Mox domum se recipit, sed diuina animaduersio non dormitat. Vidit enim Dominus afflictionem serui sui, & statuit vlcisci. Orat diuinum auxilium Episcopus.

Vt Vicedominus captus, opem beati Godefridi implorârit. Cap. 5.

PAucis pòst diebus importunissimus ille Vicedominus, regionem latè depopulans, insidijs militum Vuilhelmi, primarij apud Pontinos viri, capitur, & ad illum mira gratulatione adducitur. Is vt vidit hominem, primò innumeris iniurijs exagitatum, mox ferro vinctum iubet duci in custodiam. Vbì cùm non parùm diù detineretur, videretque omnem sibi prodeundi, quò vellet, facultatem ereptam, mirè anxius, tandèm redit ad sanitatem. Videns autem in nullo homine mortali spem aliquam mortis euadendæ sibi relictam, nisi in vno Godefrido Episcopo, dirè cruciabatur, sciens quàm multis ijsque intolerandis eum iniurijs affecisset. Sed tamen vrgente calamitate, de illius singulari humanitate præfidens, qua sciret eum etiam inimicos ex animo complecti, per hominem fidum supplex orat beatum virum, vt immemor eorum, quæ hactenùs malo dæmone instigante in eum admisisset, ipsi opem ferre dignetur. Pollicetur, se ecclesias dirutas instauraturum, Adamum dimissurum, deincèps emendatiùs & humaniùs victurum. Hæc vbi audiuit Episcopus, lætatur se à Domino exauditum, dolet vicem miseri hominis, & bona pro malis reddere ei volẽs, quod est perfectorum, non cunctatur ire ad illum. Eo conspecto, tanquàm ab orci faucibus ereptus sit, valdè sibi gratulatur Vuermundus, & qui anteà virum Dei supplices ei preces offerentem superbus contempserat, iam ad eius sese pedes aduoluit. Sed nè longiores simus, si singula annotare velimus, extrahit pius Episcopus Guermundum è carcere, reducit non sine multo sudore Pinquiniacum, & secum abducit Adamum suum. Guermũdus captus in carcerem coniijcitur. Exemplum perfectæ charitatis. Vir Dei liberat Guermundum.

Vt cruor visus sit à beati Godefridi digitis stillare. Cap. 6.

DIcturus iam sum rem propè incredibilem, nisì & ipse vir Dei eam alijs narrâsset, & multi coràm inspexissent. Quandoquè hyberno tempore suam perlustrans diœcesim, ad pagum quẽdam exiguum venit, vbì etiam ecclesiæ dedicandæ causa hærere coactus est. Multi eò conuenêre, quibus capiendis cùm ecclesia parua non sufficeret, iubet sibi sub dio locum præparari, vndè posset concionari ad populum. In eum locum postquàm subijt, oblitus sui, manibus extensis adeò stetit immobilis, vt præ frigoris acerbitate sanguis ab eius digitis in humum distillare videretur. Erat enim tenerrimi corporis, quod facilè ab æstu, vel gelu affligeretur. Scio non deesse, quibus isthuc incredibile videatur. Sed non est mirum, quandò plerique dicta factaque etiam antiquorum patrum in dubium reuocant, quòd ea suis oculis non viderunt. Notum est illud poëtæ: Sanguis ab eius digitis fluit.

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus. Horat. de Arte.

Vt sit profectus Viennam. Cap. 7.

Paschalis Papa capitur.

EA tempestate Imperator Pontificem Paschalem, cùm eius & pedes & os deosculatus esset, dolo captum, secum abduxit. Ea causa Guido Viennensis Archiepiscopus, qui posteà fuit Calixtus Romanus Pontifex, magnum habuit Ecclesiæ procerum apud Viennam conuentum. Vocauit etiam per literas Godefridum Ambianorum præsulem, ab annis multis ei charissimum. Qui sine mora profectus Viennam, vbi eò venit, rogatus est à Guidone Archiepiscopo, vt in synodo vice eius fungeretur, erat enim ipse Guido impeditioris linguæ. Etsi autem acri tum febre laboraret Godefridus, tamen vt erat miro animi cãdore, statuit pro viribus illi parére. Cùm autem dicendum esset, & vires sibi minimè suppetere vereretur, tanta est spiritûs sancti gratia confirmatus & illustratus, vt omnes magna admiratione affecti, egregium illum dicerẽt sancti spiritûs organum, multaq; cum laude & prædicatione efferrent. Quæ in illa synodo & prouincia ab eo præclarè gesta sunt, breuitatis studio præterimus. Vienna autem discedens magno celeberrimæ synodi fauore, Cluniacum venit, & ab Abbate Pontio honorificè exceptus est, & aliquot dies ibi hærens, sacrosanctaq; Missarum solennia festiuè celebrans, atq; illi spectabili congregationi fratrum verbum Dei suo more excellenter proponens, magno suî apud eos desiderio relicto, ad vrbem suam regressus est.

Synodus Viennensis.

Oratio eius in dicta synodo.

Vt ad magnam Carthusiam se contulerit. Cap. 8.

PErpendens autem vir prudens, quàm molestum atque adeò intolerabile sit, tot secularium tumultuum perferre tempestates, vbi comperit præclaram seruorum Dei famam, qui in Carthusia non longè à Gratianopoli degebant, relictis omnibus, illo igne, quem Dominus Iesus misit in terram, suauiter ardens, eò celeriter profectus est, vt quietiùs vni Deo vacaret. Præerat tum Carthusiæ Guigo, vir egregiè doctus & vitæ integritate conspicuus, omnium ore prædicandus. Is vt vidit vultûs Angelici & simplicis naturæ virum, gratias immensas agit Christo, statimque illum sanctissimo fratrum collegio adiunxisset, nî veritus esset Romanum Pontificem, Rhemorum Archiepiscopũ, aliosque Galliarum præsules minime passuros, vt illic permaneret. Interim tamen cellulã ei attribuit. Separatim enim degunt singuli in domicilijs, quæ Cellas vocant, ad ecclesiam certis horis pariter conueniunt, indè taciti redeunt ad Cellas suas: ad nudam carnem asperis induuntur cilicijs, quarta & sexta ferijs pane & aqua victitant: diuinæ contemplationi adeò adhærent, vt iure possent dicere cum Apostolo: Nostra autem conuersatio in cælis est: illorumque precibus & sanctorum meritis mundus constare videatur. Sed de eorum excellenti, meritoque ab omnibus prædicanda conuersatione, alijs plura dicenda relinquimus, atque ad institutum redimus. Seruus Christi Godefridus hac re summoperè delectatus, quòd imperturbata animi puritate & tranquillitate frueretur, licèt etiam in illa populi frequentia & importunitate, animo ad cælestia contemplanda se erexisset: postquàm optatæ solitudinis locum diuinitùs se adeptum vidit, ieiunijs, precibus, lachrymis, sacris meditationibus, diuinis lectionibus adeò feruens incumbebat, vt quãuis à primis ætatis initijs, vt diximus, in his assiduus fuerit, iam tamen primùm Deo se seruire cœpisse mirificè gratularetur. Sordebant terrena viro, subit æthera votis, cum Propheta plorat nimis prolongari incolatum suum. Cùm autẽ quandoquè venerandus pater Guigo cellulas monachorum pia solicitudine inuiseret, etiam ad beatũ Godefridum peruenit, inuenitque eum nescio quæ diuina scripta legentem, & vberes fundentem lachrymas, seque hostiam viuam Christo Saluatori mira suauitate in cordis ara immolantem. Valdè autem eius amore incensus, & nôsse cupiens, vtrùm posset æquo animo ferre iniurias, ità ait ad eum: Solebásne, Episcope, pro sacris ordinibus aurum & argentum & id genus munuscula recipere? Multi enim per id tempus hoc vitio proh dolor infecti erant, vt vix cuiquam sine precio sacros ordines conferrent. Respondit cum multo gemitu Episcopus: Equidem, pater beatissime, non nummos expetebam ab aliquo, sed vel inuitus sæpè humani fauoris aura inani inficiebar. Id audiens Guigo, miratur eum minimè se palpare, sed humiliter accusare etiam extrema quæque.

Luc. 12.

S. Godefridus cupit in summa Carthusia monachus fieri.

Instituta Carthusianorum.

Phil. 3.

Vt in Carthusia vir sanctus vixerit.

Psal. 119.

Vt propter eum reuocandum Bellouaci sit indictum concilium. Cap. 9

Interim

INterim Conon Cardinalis, Pontificis maximi legatus, & Radulphus Rhemorum Archiepiscopus, apud Bellouacum synodum celebrant. Ad eam accedunt Ambianēsium legati, conqueruntur se destitutos optimo pastore suo. Ad quos Rhemensis Archiepiscopus: Qua fronte, inquit, hæc apud nos proponere ausi estis, qui virum pudicum, orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum, vestra improbitate à sua sede expulistis? Quem illi parem, nedùm sanctiorem, vnquàm habituri estis sacerdotem? O vos miseros, qui tanto pastore vel ad momētum caruistis. Num vos illum turpia lucra sectantem, libidini vacantem, Ecclesiastica beneficia venundantem, vnquàm depræhendistis? Illis respondentibus, Ab his illum planè immunē esse: subiecit Archiepiscopus, Ite ergò, & tam peritum ouilis Dominici custodem perquirite, & inuentum, vobiscum reducite. Testor enim Dominum Iesum, donèc vllus erit in Godefrido vitalis spiritus, nullum alium vos Episcopum habituros. Dum hæc geruntur, en adsunt nuncij, apportantes literas beati Godefridi, quibus ille significat se Episcopatu abdicâsse: hortatur, vt alium patrem sibi quærant: se nunquā rediturum affirmat: ostendit se ineptum & inidoneum, qui Episcopi munere fungatur: se verbis quidem docuisse subditos suos, sed mala vita corrupisse & perdidisse. Quæ cùm legerentur, penè omnes lachrymati sunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cùm esset meritis summus, infra omnes infimos se abijcere videretur. Sanè cùm interdùm de his quidam reuerendissimi patres, qui tum præsentes adfuêre, inter se colloquuntur, video eos lachrymas tenere non posse: adeò illorum animis affixa est Epistola illa, qua intantùm se vir tantus extenuauit.

Radulphus Rhemorum Episcopus. Synodus Bellouacēs.

Nota humilitatem sancti viri.

Vt apud Suessiones actum sit de reuocando beato Godefrido. Cap. 10.

TAndèm statuunt patres, apud Suessiones ad Domini Epiphaniam cōuenire, & quid faciendum sit, deliberare. Vbì eò ventum est, iubente Ludouico Francorum Rege, accitus ab eis est Henricus Abbas S. Quintini, in quo monasterio vir Dei Godefrid⁹ ab ipsis penè incunabulis sobriè & piè educatus, ad summum virtutū apicem pertigerat. Vocatus est etiam Hubertus magnæ authoritatis vir, & celeberrimi monasterij, qoud Cluniacum vocant, monachus. Hos duos cum suis literis mittunt ad fratres Carthusiæ: orant, immò & imperant, nè Godefridum Ambianorum præsulem, apud se diutiùs morari sinât, sed ad sedem suam ocyùs redire compellant. Addunt mandata ad ipsum Godefridum, vt celerrimè ad desolatum gregem suum se recipiat: ostendunt, non debuisse illum semel susceptam Ecclesiam tam facilè deserere: plus eum apud Dominum demereri, dum sinit per abrupta vitiorum præcipites ire oues suas, quàm possit promereri, dum priuatìm in quantunuis remota solitudine viuit etiam seuerissimè: tum quoquè docent sacros vetare Canones, nè quis Episcopo viuenti subrogetur, nisi vel infirmitate cogente id ipse petat, vel ob crimen deponendus sit. Hæc vbì Godefridus accepit, animo valdè consternatus, ad pedes monachorū se postrauit, cum multis lachrymis orans, nè sinerent ipsum à se auelli. Flent pariter etiam illi, at tamen multis eum consolantur modis: & quia Regis & Episcoporum authoritati resistere non poterant, in pace illum à se dimittunt. Obiter hìc annotare visum est, quandò in mentem venit, beati huius viri cingulum & pectinem, cùm apud Suessiones in ecclesia sanctorum Crispini & Crispiniani defunctus esset, Odonem eius loci Abbatem sibi reseruâsse. Is Odo posteà coactus suscipere regendum monasterium S. Remigij, quod apud Rhemos est, ad magnam Carthusiam certas ob causas se contulit, & illic aliquot dies apud fratres egit sanctissimè. Ad eum quandoquè veniens memoratus Guigo Carthusiæ Prior, inter alia non sine gemitu mētionem faciebat Godefridi Episcopi, & quàm religiosè inter ipsos vixisset: summoperè autem admirari se dicebat tantam animi eius compunctionem, vt penè iugiter ab eius oculis lachrymæ manarent: quod quidem cælestis gratiæ munus nemo negare ausus erit, puritate & simplicitate cordis eum impetrâsse. Respondebat ad hæc Odo, se hæc re ipsa comperisse, quippè qui summa eius familiaritate fruitus esset, & defuncti corpusculum in ecclesia sanctorum Crispini & Crispiniani, qui in eâdem ecclesia conditi sunt, suis manibus sepulturæ mandâsset, atque eius cingulum & pectinem tum pro sua erga illum deuotione, tum suì tuendi causa semper apud se ab eo tempore gestâsset. Quod vt audiuit Guigo ille venerabilis, dici non potest, quanto affectu ea osculatus sit, Christum testificans, reuerà felices eos esse, qui non modò cineribus eius, sed vel fimbrijs vestimēti eius potiri mereantur.

Reuocatur ad suam diœcesim.

Vide Concilium Aurelianense V. Can. 12.

Cogitur redire ad diœcesim.

Gratia lachrymarum insignis in beato viro.

Nota tanti viri de B. Godefrido testimonium.

tur. Talis fuit piorum de Godefrido sententia & existimatio. Equidem hæc ab ipsius venerabilis patris Odonis ore accepi: quæ etsi præproperè, non tamen, vt spero, infructuosè, hîc mihi commemorata sunt.

Vt beatus Godefridus è Carthusia Ambianos redierit. Cap. 11.

POrrò autem beatus Godefridus à Carthusia non tam spõte sua, quàm vi propemodùm adactus, exiens, crebrò ad eam reflectebat oculos, lachrymis madentes, se miserum & infelicem summo animi dolore proclamans, cui in illo Angelico contubernio non licuerit vsque ad supremũ vitę diem permanere, & soli Deo diuinæque contemplationi vacare. Fuit autem in Carthusia à ferijs beati Nicolai Episcopi, quæ aguntur octauo Idus Decembris, vsque ad Quadragesimæ initium, admodùm interim exultãs in Domino, quòd à terrenis curis absolutus, optata quiete frueretur. Multa illic reliquit virtutis & sanctitatis exempla, vt hodieq; de illo inter se crebrò cõferant. Profectus indè, venit ad Rhemorum vrbem, vbi tum Cono Cardinalis & legatus frequentissimam synodum habebat. Adduxit autem eum in synodum Radulphus Rhemorũ Archiepiscopus, ieiunijs, vigilijs, alijsque sanctis exercitijs adeò attenuatum & confectum, vt vix pedibus consistere posset. Quem vt viderunt patres, valdè admirabantur adeò illum se mundo, sibique mundũ crucifixisse, vt nec mundum ipse diligere, nec mundus illum amare posse videretur. Duriusculè eum tunc appellauit Cono legatus, quòd iniunctum munus reliquisset: deindè admonuit, vt propriæ vtilitati multorum salutem anteponens, Ambianos rediret, & suo officio fungeretur, rectiùs sibi consulturus, si non sua vnius salute contentus, plurimos Christo lucrifacere conaretur, & tandèm à Christo audire mereretur, Eugè serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Cùm non posset autem vir Dei, illius aliorumq; Episcoporum authoritati obluctari, ad suam redit Ecclesiam, ab omnibus cupidissimè excipitur: sed non diù pòst superuixit, vt dicemus suo loco, vbì priùs quædam eius memoratu digna exposuerimus, quæ iam nobis interim succurrunt.

Manent in Carthusia multa sanctitatis eius exempla.

B. Godefridus venit in Synodum Rhemensẽ.

Matth. 25.

De quodam, qui ausus fuit, illo prohibente, sacram Eucharistiã percipere. Cap. 12.

ADuentante Quadragesimæ sacrosancto ieiunio, plebs frequens aduenit in ædem beati Firmini Episcopi & martyris eo die, quo cineres ex patrum pia traditione, quæ hactenùs obseruatur, fidelium capitibus imponuntur. Adfuit etiam beatus Godefridus, more suo, nudis pedibus & cilicio indutus: inter cætera sanctæ exhortationis verba, omnibus interdixit esum carnium, donèc Dominicæ resurrectionis solennitas adesset. Sed id multi surda aure accepêre. Nam proximo die Dominico carnibus abstinere noluerunt, dicentes Episcopum de suo corde fingere dura, proferre inaudita: se assueta nec velle, nec posse relinquere: par esse, non solùm vti cibis, sed etiam abuti, & suauibus ætatem ducere oblectamentis. Non id latuit Episcopum, sed tempus expectauit, quo posset opportunè mulctam irrogare. Ipso igitur Cœnæ Dominicæ die, populo ad memorati martyris basilicã ob impetrandam peccatorum veniam confluente, eò venit sacerdotalibus vestimentis indutus: habet suo more concionem, inter alia cõmemorat Adami inobedientiam, quòd dum ab esu pomi sibi temperare non vult, vniuersum genus humanũ damnationi obnoxium reddiderit, & in multas coniecerit calamitates. Tum pergit exprobrare illis, quòd nihil eius exẽplo absterriti, noluerint obtemperare ipsi, immò Christo per ipsum prohibenti, nè carnes ederent. An ignoratis, inquit, in Euangelio dixisse Dominum de me meique similibus: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit? Annunciaui ego vobis Christi voluntatem & iustitiam: vos me finxisse friuola dicere non formidâstis. Ergò vestra hac rebellione incidistis in pœnas contemptorum, & cum Adamo rei estis inobedientiæ. Certè meritas hodiè lueris pœnas. Hæc Episcopo dicente, certatim omnes se humi prosternunt, pugnis pectora verberant, palàm fatentur culpam suam, cum multis lachrymis petunt à Deo veniam, eamque per Episcopum impetrare admodùm submissè contendunt. Ille verò ait ad eos: Dignos pœnitentiæ fructus facite, & Christum propitium vobis reddere conemini. Interìm tam impuræ transgressionis hæc mulcta esto, vt à sacrosancta Eucharistia vsque ad secundam Paschatis feriam abstineatis: vt quod improba admisit temeritas, pia quandoquè possit confessio abolere. Abeunt igitur cum multo rubore & mœrore, atque inter sequiritantur, quòd pro momentanea delectatione tam solenni die

Obserua vitæ asperitatem.

Gen. 3. Inobedientia Adæ perijt humanũ genus.

Luc. 10.

Seueriter castigat inobediẽtem populum.

com

communione priuentur. Porrò Episcopus pastorali seueritate vtens, presbyteris omnibus præcepit, nè quem ex ijs, qui carnes comedissent, ad Eucharistiam sumendam admitterent. Volebat enim hac ratione eam insolētiam reprimere & coërcere, nè similia quandoquè attentarent. Sed eccè ipso Dominicæ resurrectionis sacro die, fidelibus ad percipiendam Eucharistiam accedentibus, quidam ex mundi huius sapientibus, vel potiùs insipientibus, cùm se reum sciret eius, quam diximus, transgressionis, nec tamen abstinere vellet à sacra communione, muliebrem habitum induit, sexumque fœmineum adeò mentitur, vt non aliud, quàm fœmina videretur. Vult hominum oculos fallere, sed omnia videntis Dei oculos fallere non potest. Vt pòst alijs insultare queat, quòd Episcopo obtemperantes, in tanta hominū frequentia se passi sint tanquàm ethnicos arceri à communione: accedit ad altare, non dijudicans corpus Domini, nec metuens Apostoli sententiam, eum qui indignè illud manducet, iudicium sibi manducare. Per id tempus in ecclesia, in qua isthuc accidit, quæque in beati Remigij honorem constructa est, vir reuerendissimus Fulco sacerdotio fungebatur. Is hominem non agnoscens, admittit eum ad altare, porrigit ei Eucharistiam: sed ille, diuina eum persequente vindicta, corruit: acerrimis viscerum doloribus cruciatur, spumasque cruentas ab ore eijciens, quod indignus sumpserat, cum multo sanguine, cunctis cernentibus, euomit. Accurrunt omnes, dolent vicē eius. (necdùm enim aliud, quàm fœminam credebant) Fulco sacerdos propè exanimis aduolat, sciscitatur vndè venerit, quæ sit, qua causa tam horrendam patiatur calamitatem. Non enim frustrà id esse. Ille tandèm collectis nonnihil viribus, fœmineo abiecto habitu, declarat quis sit. nec enim dolor sinebat eum diutiùs dissimulare. Tum verò ait ad eum venerabilis presbyter Fulco: Qua tu mente aut fronte ausus es tam inauditum designare facinus, vt sexu ementito, contra egregij Præsulis Godefridi præceptum, tremendis te ingerere sacramentis non dubitares? Non tu gehennæ æternos cruciatus & flammas inextinguibiles formidare debuisti? His atque alijs à sacerdote dictis, ille miser summo pudore affectus: Heu me infelicem, ait, qui diù instàr equi & muli per illicita diffluens, quicquid animo collibitum esset, impudenter admisi. Vndè tandèm id consecutum est, quod Salomon ait: Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit. Itaque erecta ceruice, spreta antistitis salutari prohibitione, huc accessi: sed tandèm vexatione dante intellectum auditui, re ipsa iam comperi, facienda esse, quæ iubet Episcopus. Christus enim per eum locutus est. Hæc vt audiuit populus circunstans, valdè horruit infandum scelus, laudauit Christi iudicia, abdita in lucem proferentis, Godefridum Episcopum mirè extulit, exactiùs deindè iussa eius se facturum affirmauit. Hæc quidem dicta sint in terrorem illorum, qui spiritualium patrum iussa contemnere non verentur.

1.Cor.11.

Punitur diuinitùs Eucharistiam contra sancti viri prohibitionem sumens.

Prou.18.

Esa.28.

Vide, quàm sit criminosum prælatis non obedire.

Vt precibus suis monachum apostatam ad monasterium reuerti coëgerit. Cap. 13.

EXtra muros vrbis Ambianensis est monasterium sancti Dionysij. In illud tum ciues Ambianenses aurum, argentum, aliasque res suas comportârant, monachisque diligenter asseruandas commendârant. Sæuiebat enim per id tempus in vrbe seditio & bellum intestinum, & sicarij pasśim toto oppido vagabātur, magnum omnibus terrorem afferentes. Fuerat enim in vrbe turris excelsa, multis propugnaculis & mœnibus adeò munita, vt inexpugnabilis videretur. Eam Ludouicus Francorum Rex & Godefridus Episcopus, biennio ferè arctissimè obsessam, & tandèm fame ad deditionem adactam, funditùs euertēdam curârant, nè prædas agerent, aut popularentur finitimas regiones. Erat autē in illo sancti Dionysij monasterio frater quidam, qui specie pietatis deceptus, cùm videret multas illic seruari ciuiū opes, cogitabat longè præstabilius esse, eas distribuere egenis, captiuisque redimēdis extruendisque ecclesijs accomodare. Quadam igitur nocte alijs dormientibus, ille tanquàm res præclaras moliturus non dormit, sed arrepta securi dissipat seras, quibus locus, in quo thesauri illi reconditi erant, claudebantur: tollit indè plurima, & mox è monasterio se subducit. Fratres ad nocturnas preces cōgregati, vident vnum è suis abesse, & cùm inueniri non posset, adnimaduertūt effractas fores loci, in quo deposita condebātur, simulq; ablata permulta. Dolore igitur haud mediocri afficiuntur, tum quòd frater fugisset, tum quòd cœnobij facultates minores essent, quàm vt possent restituere erepta. Iam enim fama rem diuulgârat, & is, cuius erant ablatę res, eas repetebat. Itaque omni consilio destituti, ad miserorum asylum Godefridum

Turris Ambianensis vrbis euertitur.

Episcopum confugiunt, exponunt ei quid actum sit, & quibus in angustijs versentur: petunt ab eo consilium. Ille verò in promptu habebat, quid responderet. Monet eos, nè in ea re immodicè perturbentur, sed orent pro fratre, vt ex lupo possit rursùs ouis fieri. Promittit se quoquè rogaturum pro illo Dominum, præstiturumque miseris eleemosynas: ità fore asseuérans, vt citò ille resipiscat. His dictis, monachi redeunt ad monasterium, Episcopus incumbit in preces, offert sacrificium, orat pro fugitiuo fratre: deindè, vt fratres illos consoletur, ad monasterium venit. Necdùm autem medium emensus erat iter, cùm eccè occurrunt ei fratres admodùm gratulabundi, multasque ei gratias agentes, indicantesque reuersum monachum, qui aufugerat, ablataque omnia reportâsse. Ait autem Episcopus: Planè donum Dei est, qui neminem vult perire. Non est hoc meriti nostri: non nobis igitur, non nobis, sed nomini eius detur gloria. Decæterò fratres confirmate in eum charitatem, vt possit perseuerare deincèps vsque in finem.

Precib. sancti episcopi resipiscit monachus fugitiuus.

Vt sanctimonialem quandam ad monasterium reuocârit. *Cap. 14.*

Apud Durlense oppidum, quod est in Ambianensi territorio, memoria seruatur beatissimi Archangeli Michaëlis, vbì etiam monasterium virginum est. Eius mater siue Præfecta, quandoquè in vesperam cœnandi tempus differens, sanctimonialem quandam iubet sibi cœnanti adstare. Erat illa religiosa & simplex, & iam tertiò inuiserat Hierosolymam, non sine multo & magno labore & dolore. Dicebantur de ea publicè & priuatìm sanè memorabilia, sed quæ nos hîc omittimus, nè forsan infirmis incredibilia videantur. Hanc, inquam, mater illa monasterij sibi iubet instàr ancillæ ad mensam tenere cereum, reuerenter obsequi, stare depressis luminibus, nec loco se mouere, donèc ipsa surgat à mensa. Páret illa cumprimìs religiosè: sed interìm nescio qua culpa cereus ei décidit è manibus, & repentè totus ille locus tenebris horret. Tum illa matris indignationem valdè reformidans, humì se abijcit, veniamque eius culpæ petit. Iungunt suas preces etiam aliæ sorores. Sed illa vltra modum excandescens, surgit à mensa, frendet dentibus, nec aliter se gerit, quàm si exîsset è potestate, exclamat nequissimam illam feriendam anathemate, & è monasterio pellendam. Tandèm etiam eò prorumpit, vt pugnis calcibusque eam contundat, & in dies multis afficiat iniurijs, deniquè è monasterio exire compellat. Tum illa se confert ad Godefridum Episcopum Ambianensem, cum lachrymis exponit, quæ passa sit, & quam ob culpam, à matre monasterij. Audiens vir pius, magna tum commiseratione, tum admiratione afficitur. Nouerat enim simplicitatem eius. Hortatur vt æquo ferat animo, & interìm se conferat in vicinas ædes honestæ matronæ Erenburgis. Deindè scribit matri monasterij, vt quamprimùm sine vllo vehiculo ad ipsum accedat. Ijs literis valdè illa consternata, nescit quò se vertat. Non dubitat, tam seuerum mandatum haud temerè à beato Episcopo profectum. Tandèm videns se contra eius voluntatem reniti non posse, cum ingenti rubore cunctis inspectãtibus, pedibus suis Ambianos ꝓficiscitur. Vbì ad Episcopum venit, primò eius se pedibus prouoluit: deindè animo exacerbata, in eum horrenda iactat conuicia, nec ore solùm, sed totius corporis gestu suam prodit insaniam. At Episcopus nihil ea re motus, iubet eam sedatè se gerere. Ego hîc, inquit, Christi loco iudex tuus sum, & in ea, quæ perperàm gessisti, inquirere volo. Animam sororis, quam tibi commendaui, à te requiro. Illa nesciens quid responderet, ait se ignorare quid dicat: se nullam ex sororibus suis perdidisse. Tum Episcopus: Ego verò, inquit, à te repeto sororem illam, egregiæ existimationis virginem, quam non ità pridèm coëgisti tibi cœnanti ad mensam tenere cereum, & quòd è manibus is excidisset, eam post multas iniurias è monasterio exire compulisti. Fortassis illa iam in desperationis lapsa barathrum, suam in fornicibus pudicitiam prostituit, & mali dæmonis ore absorpta, in cœno vitiorum volutatur. Quis te furor impulit, malesana, vt ob tantillam rem, animam Christi sanguine redemptam, in tartarum detruderes? Ad hæc cùm illa nihil responderet, Episcopus cum multo fremitu, Surge, inquit, misera, & modis omnibus perquire sororem illam. Sed cùm illa se non moueret: Viuit Dominus, ait Episcopus: neque cibum neque potum capies, donèc ouem illam mihi restituas. Itaque adhibitis custodibus, discurrit illa per plateas ciuitatis, (audierat enim sanctimonialem eò venisse) sciscitatur num quis viderit eam, num cui, vbì latitet, compertum sit, Iam sole occumbente, cùm eam inuenire non posset, redit ad Episco-

Immodica cuiusdã Abbatissæ indignatio.

Egregiè castigat sanctus Episcopus.

Episcopum, lachrymabunda accusat peccatum suum, petit veniam, spondet se requiem non daturam sibi, donèc sororem recuperet. Episcopus videns illam labore & ieiunio admodùm defessam, accersit sanctimonialem, eamque reddit ei: dicit se quadam in eam vsum seueritate ea causa, vt posthàc cautiùs & moderatiùs se gerat. Deindè dimittit eam pacificè à se.

Discant hoc exéplo prælati mitiùs agere cum subditis.

Quàm abhorruerit à consortio flagitiosorum hominum. Cap. 15.

IN quadam solennitate, hora vespertina à Clero deductus in ecclesiam honorificè, expletoque officio, itidèm indè reductus in domum suam, iussit omnibus ex more potum offerri. Aderat cum alijs etiam quidam è Clero, facie & nomine mihi non ignotus: sed prodere nomen eius nolo, nè ea re exacerbatus, seipso deterior fiat. Erat is ex illorum grege, quos suprà diximus impuro coniugio pollutos, quibuscum multum beato Episcopo negocij fuit, vt corrigerentur. Ausus fuit ille arripere pateram, ex qua bibere Episcopus solebat, & cùm vinum in illam infudisset, irridiculè illud epotare. Aduertit hoc Episcopus, sed nè in tanta solẽnitate iniuriam suam temerè vltus videretur, continuit se. Postquam autem discesserunt omnes, accito Nicolao dispensatore suo: Quid ità, inquit, pateram meam in sterquilinium abijcere voluisti? An ignoras nihil esse luci cum tenebris commercij? Territus valdè œconomus, affirmat se pateram tuto loco condidisse. At Episcopus: Abi, inquit, & eam vende iusto precio, illudque in Christi pauperes erogato. Fecitque sic œconomus. Aduertit hinc lector, quantoperè vir beatus id exequi conatus sit, quod Apostolus docet, nec cibum sumendum esse cum fratre, qui fornicator aut auarus sit. Ità ille sese ab omni contaminatione seruabat immunem: dignus sanè quem & veneremur, & imitemur, vt nos suis meritis quandoquè eò pertrahat, vbi jam felicissimè regnat ipse cum Christo.

En vt horruerit homines impuros.

1.Cor.5.

Vt aquam bibens, vinum bibere visus sit. Cap. 16.

QVandò ei frequentes ad mensam aderant è Clero, vel viri nobiles ac militares, scypho argenteo aqua ei proponebatur. Is scyphus artificis industria ità fabrefactus & politus erat, vt conuiuæ putarent vino impletum. Erat autem etiam ligneus scyphus ei appositus, vino plenus: quem, vt ampliùs cruciaretur, diutissimè solebat intueri, sed nihil indè bibens, sua manu pauperibus eum porrigebat. Id verò ità faciebat, vt quoàd fieri posset, omnes latéret. Inter edendum autem cùm diuersa fercula in eius mensam inferrentur, ipse arborum fructibus vel herbis, idque parcè, vescebatur. Hæc enim illum tota vita sua lautitijs omnibus anteposuisse, certò constat.

Raræ abstinentiæ exemplum.

Vt nunquàm cibo vllo vel potu ad satietatem se expleuerit. Cap. 17.

EX discipulo eius Reingero monacho, viro inprimìs veraci, didici rem notatu dignam, nunquàm illum vlla vel esca vel potione ità se exatiâsse, quin semper magna se fame affectum sentiret. Tam ille abstinentiæ & sobrietatis cultor fuit egregius.

Sic edit, vt semper esuriat.

De eius vigilijs. Cap. 18.

DE multis eius vigilijs quid me dicere attinet, quandò eæ cum inedia maximam habent coniunctionem & familiaritatem? Post expletas Matutinas preces, siue nocturnas vigilias, cùm alij recederent, ille in ecclesia solus permanebat, & vestem atque calceamenta deponens, genibus flexis, quod supererat noctis, precibus transigebat. Creberrimè quoquè tum inuisere solebat loca sacra, vno tantùm puero contentus, & nudis pedibus ingrediens. Deindè conferebat se ad leprosorum domicilia, & pia solicitudine ad singulos lectos accedens, lurida & prurientia membra suis contrectabat manibus, atque exosculabatur, signumque salutare non sine illorum leuamento eis imprimebat: Audiebat etiam illorum confessiones, & Eucharistiam eis porrigebat, cæteraq; humanitatis officia submissè exhibebat. & nè à quoquam depræhendi posset, clàm domũ redibat, pannis obsitus.

Prolixæ vigiliæ.

Eccè rẽ admirandam.

De eius visione horrenda. Cap. 10.

CVm autem nocte quadam his esset studijs occupatus, & coram reliquijs beati Firmini martyris se lachrymabundus prostrauisset, pro peccatis subditorum suorum deprecaturus, graui pressus somno, vel potiùs mentis excessum

Visio terribilis. sum patiens, vidit se extra vrbem positum in via illa, quæ ducit ad beati Acioli martyris ædem: atque eccè ad Austrū cernit rhedam equosq; feruentes, & innumerabilem turbam equitum, sulphureas flammas vomētium, mireque tumultuantium: diuersorum quoquè armorum strepitum audit, scutorum, galearum, thoracum, hastarumque ignearum. Porrò omnes illos adspicit præcipites vrbis excidio imminere, quorum tantus erat fragor & strepitus, vt illo putaret orbem terrarum concuti & commoueri. Mox ergò fide certissima opponit signum Crucis tam horrēdæ visioni. Cùm autem multùm horreret vrbis euersionem, subitò quendam videt adstare sibi heroica forma virum, pontificalibus indutum, annulum aureum palmamque manibus vibrantem, coronam è rosis atque lilijs, cui Dominicæ Crucis signum præclarè insertum esset, in capite gestantem. Volenti verò ad eius pedes se sternere, & quis esset percontari, ille ait: Vide nè feceris Godefride sacerdos. Ego sum Firminus, huius vrbis primus Episcopus & martyr, qui etiam pro viribus ei excidendæ auxilium ferre paratus sum. Sciscitanti autem Godefrido, quam ob causam tanta ira Dei vrbi impendêret, dixit martyr: Peccata plebis tuæ nimiùm increuerunt. Tu igitur ea, quæ vidisti & audîsti, libera voce denuncies: argue, increpa, obsecra, insta opportunè, importunè, mecumque pariter Christi clementiam deprecare, vt auertat furorem suum à populo. His alijsque multis ab Episcopo & martyre dictis, illo abeunte in cælos, Godefridus redit ad se, & nè quis somnio illusum existimare posset, vestis eius adeò lachrymis infusa fuit, vt in humum defluerent. Indè Dominico die ad populum concionatus est, hortans ad agendam pœnitentiam, denuncians que vrbi imminentem grauissimam præpotentis Dei iram. Etsì autem multa tum dixit, quæ meritò eos mouere debuissent, at illi tamen deteriores effecti, verba eius non alio quàm deliramentorum habuêre loco, pariterque exclamârunt eum non nisì nænijs & infinitis quæstionibus occupari. Eccè autem pridiè eius diei, quo beati Apostoli Bartholomæi solennes ferias celebraturi erant, nubes densissima totam obsedit vrbem, lucem omnem in noctis tenebras commutans: moxque indè erumpens ignis, immensos frugum aceruos passìm in agris corripuit, & momento temporis absumpsit: flanteque vento vehementissimo, in oppidū inuasit, & lapideas haud secùs atquè ligneas depascens ædes, tanta vi bacchatus est, vt nemo ad sedandas & extinguendas flāmas propiùs accedere auderet. Omnia igitur terribili illo incendio depopulante, nihil relictum est, præter ædem beati Firmini martyris, & domum Godefridi Episcopi, & pauperum quorundam casas: & quod propè incredibile videri possit, diuersorum animalium pelles in flumen depressæ, contra aquarum naturā indè semiustæ extrahebantur. Visæ sunt etiam aues quædam coruis non absimiles, macie confectæ, & inprimis horridæ atque deformes, volitare per vrbem, ignem rostris suis circunferētes. Vndè etiam fama increbuit, flammis tartareis oppidum conflagrâsse. Ità ergò eius vrbis gloria in magnam versa est acerbitatem, quæque finitimorum & etiam remotorum rebus vastandis inhiârat, ceruicemque erexerat, nunc Christo vindice sedet in mœrore.

S. Firminus Episcopus & martyr ei apparet.

2. Tim. 4.

Denunciat suis imminētem Dei irā, sed illi côtemnunt

Ambianorū vrbē incendium vastat

Vt citò aduolârit ad vrbem flammis exustam. Cap. 20.

PEr id tempus Godefridus Episcopus, occupatus visitāda diœcesi sua, in Pontinorum solo morabatur. Vbì autem didicit oppidum cōflagrâsse, ocyùs aduenit: cernensq; omnia in fauillas redacta, obortis lachrymis, (neque enim eas negare potuit etiam ingratis) O filioli, inquit, oportuit quidem dictis parêre meis, & pœnitentiæ lamētis placare Dominum. At nunc iusta Dei flagella æquis ferte animis, & vel serò mores corrigite. Quod si feceritis, polliceor vobis Christum pro sua clementia cumulaturum vos beneficijs suis, & posteriores res vestras prioribus iucundiores felicioresque fore. Promittunt illi se dictis eius obtemperaturos. Itaque nondùm exacto biennio, tanta rerum necessariarum copia extitit, vt, quemadmodùm prædixerat vir Dei, calamitas omnis superioris temporis obliuioni daretur. Huius rei vsque in præsens fama celebris in ea vrbe perseuérat, matresque suis referunt liberis Godefridum Episcopum prophetico spiritu claruisse.

Consolatur populū, ea clade afflictū, prophetico spiritu.

Vt obitum suum præuiderit, & quid dederit monasterio S. Quintini. Cap. 21.

INtelligens vir Dei dissolutionē corporis sui imminere, tanto studiosiùs in opera misericordiæ imcumbebat, quanto ijs celeriùs eam se impetraturū certiùs confidebat. Inter alia igitur, quæ ecclesijs, pauperibus, viduis, orphanis elargitus est, (quæ

Largitur multa ecclesijs &c.

(quæ cùm sint innumera, ijs commemorandis lectorem tædio afficere nolumus) monasterio S. Quintini martyris, in quo monachus vixerat, calicem aureum dedit, itemque permulta alia, & altare, atque etiam quæ facerent ad luminaria templi fouenda, & vndè eo die, quo decessisset è vita, cura thesaurarij cibus & potus fratribus in refectorio, itemque pauperibus liberaliter ministraretur. Quod quidem hodieque illic fit. Fecerunt hoc etiam alij complures sancti, vt etiam commemoratio decessus eorum non vacet à misericordiæ officijs & operibus.

Vt decessum suum antè prædixerit Iohanni Episcopo. Cap. 22.

PRofectus aliquando est ad Iohannem Morinorum Episcopum, vt cum eo spiritalia misceret colloquia, & de statu præsentis Ecclesiæ conferret. Erat enim Episcopus ille magnæ authoritatis, cuius etiam suprà mentio habita est. Cumque multa coram fratribus locuti essent, Iohannes Episcopus flens largiter: O Godefride Episcope, inquit, pro peccatis meis offer Domino sacrificium, nec desis, modò id fieri possit, curando funeri meo. At contrà Godefridus Episcopus ad pedes eius se aduoluens, cum multo gemitu ait: Ego verò, pater beatissime, prior hinc migraturus sum, lætusque ante te humanæ conditionis debitum persoluam. Tu igitur mihi quæso negare noli, quod à me petijsti. Ea beati viri verba omnibus lachrymas expressêre, quòd scirent nec verbulum ab eius ore temerè proficisci. Et vt perspicuum foret non vanos fuisse hos eius sermones, quindecim annis ante Iohannem Episcopum excessit è vita. Hæc nos habemus ab ore Heriberti & Vulterij, eius ciuitatis Archidiaconorum, qui ijs interfuêre. Prophetia eius.

Vt multis afflictus malis Christum rogârit, nè in ea regione moreretur. Cap. 23.

RVrsùs autem aduersùs eum maleuolorum & inuidorum conuicia & maledicta, versutæque machinationes extitêre, ità vt tutus ei in illa regione nullus esset relictus locus. Rursùs ergò meditatur fugam, rursùs latebras inquirit: rursùs iuuat adire montes Carthusiæ. is enim locus eius animo maximè sedebat. Nam de quodam Carthusiæ fratre præclarum quiddam & memorabile referre solebat, quòd toto triennio nunquàm quacunque pressus necessitate, manu verenda attingere voluërit: adeò castitatis fuit eximius cultor. Et eò sanè quamprimùm aduolâsset Godefridus, nisi vitæ finis iam propinquâsset. Adeò enim multis erat angoribus confectus & obrutus, vt vitę quoquè tæderet: adeò supra vires affligebatur & discruciabatur, vt crebrò rogârit Dominum, nè ipsum sineret in ea regione mori. Quod etiam præstitit ei Dominus. Multis vir Dei iniurijs afficitur. Signum castitatis eximiæ.

Vt Suessiones venerit. Cap. 24.

PEtere tum volebat, nescio qua causa, Rhemorum vrbem, locuturus cum Radulpho Archiepiscopo, qui Viridis cognomen obtinuit. Præerat autem tum monasterio sanctorum Crispini & Crispiniani, quod apud Suessiones est, Odo Abbas venerabilis, totius religionis & honestatis præcipuus cultor, qui illud monasterium à fundamentis instaurauit, & disciplina monastica egregiè illustrauit. Is vbi ipsis ferijs horum martyrum audiuit Godefridum Episcopum per Suessiones habere iter, mittit seruos suos, vt obseruent aduentantem illum, cogantque ad martyrum solennitatem venire. Abeunt illi, venit Episcopus via publica sub horam tertiam, deducitur ab illis ad monasterium, ab Abbate Odone honorificè excipitur, celebritatem illam multa animi exultatione illic peragit. Sed quia iam Christus eius virtutes, quibus præclarè ornatus erat, cælesti remuneratione afficere volebat, placuit ei illo in loco vitæ eius finem imponere. Odo Abbas SS. Crispini & Crispiniani honorificè excipit eum.

Vt febre correptus, ex itinere coactus sit ad monasterium redire, ibique obiërit. Cap. 25.

PRoxima nocte cùm beata membra dedisset quieti, febricula pulsari cœpit. Manè apud beatorum martyrum Crispini & Crispiniani corpora humì prostratus, preces fudit: indè se dat itineri, & iam ad tria plùs minùs milliaria progressus, morbo inualescēte, dicit comitibus itineris, se non posse vltrà procedere: redeundum esse ad monasteriū martyrum. Lachrymantur omnes, aiunt eum Febre lethali corripitur sanctus Episcopus.

non rectè sentire: debere illic paulispèr quiescere, ciboque se reficere. At ille sentiens se viribus destitui. Nequaquàm, ait, filioli, quod vos vultis, fieri potest. Superiori enim nocte cùm me in lectulo collocâssem, videre mihi visus sum à quatuor heroibus, candidissimis stolis indutis, in lectica me in quoddam oratorium deferri, molaremque lapidem, cunctis spectantibus multumque mœrentibus, mihi imponi. Tum verò omnes summo animi dolore exclamârunt: Domini voluntas fiat. Habebat autem in comitatu suo quendam egregiæ indolis iuuenem Nicolaum, monachum Cluniacensem. Is celeriter præcessit ad patrem suum Henricum, olìm strenuum militem, tunc monachum sanctorum Crispini & Crispiniani, & villæ procuratorem fidelissimum, miræ simplicitatis & innocentiæ virum: indicat ei aduentare Godefridum Episcopum, præ debilitate iter susceptum conficere non valentem. Confestim ille accurrit, excipit eo, quo par erat, honore Episcopum, gratias immensas agens Deo, quòd talem tantumque mereretur habere hospitem. Triduò verò illic hæsit Episcopus, & in dies deteriùs habere se sensit. Id vbi cognouit Odo Abbas venerabilis, adiunctis socijs, festinus venit ad eum, crebriusque exosculatum naui reuerenter imponit, & ad monasterium aduehendum curat, non mediocriter interìm dolens. Ille verò tanto attentiùs precibus & lachrymis insistebat, quanto certiùs ad finem se tendere experiebatur. Adueniente hora, qua migraturus erat, Eucharistiam de manu Lysiardi Suessionensis Episcopi accepit, fratribusq; benedicẽs atque etiam valedicens, orat vt in domo, quam Capitularem vocant, corpus ipsius sepeliant. Deindè extensis manibus, & sublatis in cælum oculis, spiritũ reddit creatori. Facies eius niueo roseoq; colore perfusa, iucundũ cernentibus spectaculũ præbuit. Diceres suauiter dormire, non vita functum, Episcopum. Decessit sexto Idus Nouembris. Lysiardus Suessionum præsul nitebatur corpus eius in beatorum Geruasij & Protasij cathedralem ecclesiam transferre, sed non permisit Abbas Odo, neque Theulphus Prior, qui non diù pòst ei in regimine successit: sed neque monasterij fratres. Iustum etiam erat, vt locum, quem pro amore beatorum martyrum Crispini & Crispiniani pio affectu, dum vixit, semper excoluërat, etiam corporis sui præsentia ornaret. Ea de re scripsit carmina quædam Bernardus Decanus Suessionensis: scripsit & * Goslenus priùs Bituricensis Archidiaconus, & magister Parisiensis celeberrimus, nunc verò Suessionum Episcopus, pater patriæ iurè vocandus, multorum fundator cœnobiorum, hostis vitiorum, & castitatis cultor præcipuus. Eius versus sic habent:

Visio eius.

Lysiardus Suessionen. Episcopus.

Obitus S. Godefridi.

* Iesslenus Goslenus, vel Iesslenus Episcopus Suessionũ.

> Gloria pontificum, Cleri decus, ac monachorum
> Forma, gregis dux, exemplar morum Godefridus,
> Hîc iacet, astra petens octaua luce Nouembris.

Hoc epitaphium saxo monumenti eius incisum est, vbì etiam effigies eius sanè quàm elegans cernitur. Multi quoquè alij doctissimi viri præclarè de illo scripsêre.

De exequijs eius, & insigni miraculo. Cap. 26.

Postquàm tristis rumor eum è vita decessisse percrebuit, infinita hominum multitudo ad eius exequias confluxit. Ijs verò interfuêre etiam Lysiardus Suessionum, & Clarabaldus Syluanectensium, antistites, Abbas Odo, Radulphus S. Medardi pater, multiq; alij monasteriorum rectores: quos equidem sentio non absque diuino instinctu è locis tam diuersis tam celeriter eò aduenire potuisse. Populus autem visendi cupidus, scalam quandam, quæ à solo vsque ad tigna vasta quadam mole pertingere videbatur, occupauit: quæ cùm tantum pondus ferre non posset, à summo vsque deorsùm scissa est, & tum sua, tum populi ruina & clamore tantum excitauit fragorem, vt omnes putarent templũ funditùs corruisse. Mox ingenti dolore afficiuntur omnes, quòd putarẽt eos, qui de scala deciderant, viros, fœminas, pueros, mulieres vterum gestantes planè extinctos. Sed vt cunctis innotesceret, cuius meriti esset is, ad cuius exequias conuenerant, nullũ alicuius læsionis vestigium in eis repertum est. Matrona quędam, vxor Ingelramni prædiuitis ciuis Suessionẽsis, Christo valdè chara, orationibus & eleemosynis perpetìm vacans, cùm esset grauida, cerneretq; ciues lachrymãtes: Quid ità, inquit, consternati estis ô ciues? En prorsùs incolumes sumus. En virtutem martyrũ Crispini & Crispiniani, meritumque Godefridi præsulis iam experti sumus. Alius quidam, qui cæteris altiùs corruerat, planeque membris omnibus contritus putabatur, subuculam, femoralia, caligas, aliasque vestes suas omnibus discissas ostendens, nihil se mali passum re ipsa declarauit,

Clarabald⁹ Syluanectẽsis Episcopus.

Præclarum sanè miraculum.

uit, cunctis stupentibus à loco illo exiliens sanus. Huius rei tot hodieque testes extant, quot tum spectatores interfuêre. Luctus igitur repentè in gaudium mutatur, Godefridi nomen & meritum ab omnibus in cælum tollitur. Indè tumulatum est sacrum beati viri corpus, quod, teste Christo, ab ipso matris vtero ab omni pollutionis labe immune comperimus. S.Godefridus perpetuo mansit virgo.

De quodam presbytero liberato. Cap. 27.

SAcerdos quidam apud Suessiones degens, ab Episcopo Lysiardo, nescio quam ob causam adeò infestabatur, vt è tota ferè prouincia exturbaretur. In magnas igitur angustias coniectus, nec vllam euadendi viam reperiens, venit ad Robertum presbyterum, natione Nortmannum, exponit ei quid patiatur ab Episcopo, petit consilium. Abi, inquit ille, ad beatorum Crispini & Crispiniani martyrum ecclesiam, prosternere coram monumento illustris præsulis Godefridi, nec dubites te exauditum iri. Ego quoquè vnà tecum ibo. Eunt igitur, & cum multa deuotione lachrymabundi, diù in preces incumbunt. Ijs finitis recedunt, & sacerdos deincèps vixit securus. Excessit è viuis pijssimus Ambianensium pastor Godefridus, vti iam antè diximus, sexto Idus Nouembris, hora diei nona, anno sacerdotij sui vndecimo, ætatis quinquagesimo, regnante Ludouico, Philippi Francorum Regis filio, anno regni eius decimooctauo: incarnati autem Verbi millesimo centesimo decimooctauo. Porrò anno Christi millesimo centesimo tricesimooctauo, Nonis Aprilis translatum est venerabile corpus Deo digni præsulis Godefridi à *Gosleno Suessionum Episcopo, & ante summam aram sub testudine honorificè reconditum: vbi etiam Christus vota supplicum exaudit: cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. Translatio sanct: corporis eius. *Iosleno

DE SANCTO VRSINO PRIMO EPISCOPO BITVRICENSI ET CONFESSORE: *Ex Gregorio Turonensi, De Gloria Confessorum, Cap. 80.*



BITVRIGA vrbs primùm à sancto Vrsino, qui à discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus, in Gallias destinatus est, verbum salutis accepit, atque Ecclesiam Biturigensem primùm instituit, rexitque. qui migrans à seculo, in campo inter reliqua sepulcra populorum sepulturæ locatus est. Non enim adhuc populus ille intelligebat sacerdotes Domini venerari, eisque reuerentiam debitam exhibere. Vndè factum est, vt increscente terra, plantata desupèr vinea, omnem memoriam de primo vrbis sacerdote conuelleret, & vsque ad tempus illud, quo Probianus Episcopus eius vrbis est subrogatus, nullus de eo sermo haberetur. Nouēbris 9. S.Vrsinus primus Biturigū Episcopus. Probianus Episcopus Bituricēsis.

Fuit autem quidam Augustus nomine, de domo Desiderati quondàm Episcopi: cuius manus ac pedes ità contracti erant, vt non aliter nisi de geniculis atque cubitis sustentaretur, si aliquò processurus vellet incedere. Is, inspirante Deo, de eleemosynis deuotorum, apud Brias vicum in honore sancti ac beatissimi Martini antistitis, oratorium ædificauit: cuius cùm in ipsum reliquias detulisset, statìm directis membris sanus effectus est. Deindè collectis secum paucis monachis, sub regula monasterij degens, semper orationi vacabat. Vndè factum est, vt in sequenti accersitus ab Episcopo, Abbas ordinaretur in basilica sancti Symphoriani, quam memoratus pontifex fabricauerat ante conspectum muri Biturigi. Nec tamen monachos, quos priùs congregauerat, relinquens, sed instituens eis Præpositum, ipse vtrasque cellulas gubernabat. Deniquè cùm apud hanc basilicam moraretur, apparuit ei sanctus Vrsinus, per visum noctis, dicens: Defossa humo, require corpusculum meum. Ego enim sum Vrsinus, huius vrbis primus Episcopus. Qui ait: Quò ibo, aut vbì quæram sepulcrum tuum, cùm ignorem locum, vbì sis positus? At ille apprehendens eius manum, duxit ad locum, & ait: Sub harum virium radicibus corpus meum habetur. Item Desideratus. Contractus virtute reliquiarum curatur. Apparet S. Vrsinus Augusto Abbati.

Expergefactus Abbas, narrauit hæc sacerdoti suo: sed ille paruipendens quæ à presby- Sacerdoti, i.Episcopo.

presbytero dicebantur, nullum inquirendi studium posuit. Intereà beatus Germanus Parisiacæ vrbis Episcopus adfuit, susceptusque ab Episcopo, post cœnam domûs Ecclesiasticæ, cùm se sopori dedisset, apparuit vtrique per visum, Episcopo simul scilicet & Abbati: duxitque eos ad locum sepulcri, deprecans vt auferrent eum à loco illo. Expergefacti, simul ad vigilias conueniunt in ipsam sancti Symphoriani basilicam: explicitisq; officijs matutinis, refert Episcopus Abbati, quæ viderat, confessusque est & ipse vidisse similiter. Igitur insequenti nocte accedentes illuc cum vno tantùm clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum: eumque fodientes vsque in profundum, sepulcrum reperiunt. Quo detecto, amotoque opertorio, viderunt sanctum corpus tanquàm dormientis hominis nulla putredine resolutum. Quod admirantes, & iterùm componentes, indicârunt Episcopo data die, quæ viderant. Tunc illi, conuocatis Abbatibus & Clero, cum honore atque psallentio leuauerunt beatum sepulcrum: & quia vectes illi, quibus ferebatur, valdè longi erant, cùm venissent ad porticum, non poterant deflecti in ingressu eius, vt ad ostium ædis sine labore accederent. Tunc beatus Germanus eleuata voce, ait: Sancte Dei sacerdos, si voluntas tua est in hanc basilicam ingredi, sentiamus leuamen adiutorij tui. & statìm amisso pondere, ità in summa leuitate factus est sarcophagus, vt relictis vectibus, pauci manibus ferrent, quem vsque ad locum illum multi detulerant. Et sic celebratis Missis, gaudente populo, iuxta altare sepelitur, multis se deincèps virtutibus manifestans.

Illustre in primis miraculum.

Sepulcrum, pro, sarcophago.

IN SANCTVM MARTYREM THEODORVM, ORATIO D. GREGORII NYSSENI

Episcopi, Petro Francisco Zino Veronensi interprete. Nos eam in capitula distinximus.

Nouẽbris 9. Cap. 1.

Iam olim frequentes conuentus ad templa in ferijs Sanctorum.



VOS, Christi gens, grex sancte, regale sacerdotium, qui ex omnibus vrbis agrique locis confluxistis, vndenàm accepto profectionis signo tam facilè adducti estis, vt ad sacrum hunc locum frequentes conueniretis? Quis huius itineris officiosam ac promptam vobis necessitatem imposuit? præsertìm cùm hyemis tempestas sit, quo quidem tempore & bella quiescunt, & omnia milites arma deponunt, & ad fumum nautæ gubernacula reclinant, & agriculæ boues aratores in stabulo quiescentes alunt?

Cap. 2. Ex militaribus profectò recensionibus tuba cecinit sanctus martyr, multosque diuersis è patrijs ad propriam quietis sedem & domum conuocauit, non ad bellicam inuitans expeditionem, sed ad dulcissimam Christianisque maximè conuenientem pacem. Hic enim, vt credimus, & anno superiore barbarorum tempestatem sedauit, & horribile immanium Scytharum bellum compressit, grauem ipsis, qui iam iamque appropinquare videbantur, terrorem incutiens, non galea cristata, nec benè exacuto & ad solem fulgente gladio, sed malorum expultrice omnipotentique Cruce Christi, pro quo etiam ipse mortem oppetens, hanc sibi gloriam comparauit.

Vide quid possint Sancti.

Cap. 3. Quæso autem vos, qui puræ huius celebritatis ministri estis, & martyrum studiosi, vt attentos mihi præbentes animos, consideretis, quantum lucri iustus hic fecerit, quantaque præmia sit in hoc, inquam, mundo & apud nos assecutus. Eorum enim præmiorum, quæ non cernuntur, magnitudinem animo complecti nullus potest. Cumque pietatis fructum cognoueritis, illorum, qui sic honorati sunt, mentem imitemini, eaque munera concupiscatis, quæ Christus certantibus pro cuiusque dignitate distribuit. Ac, si videtur, dum à futuris illis bonis, quæ iustis hominibus, donèc humanæ vitæ iudex adueniat, spes bona conseruat, perfruendis seiuncti sumus, quàm præclarus & magnificus sit præsens sanctorum status & conditio, consideremus.

Virtutes Sãctorũ imitandæ.

Cap. 4. Animus enim ad proprias reuersus sedes, & corpore vacans, cum suî similibus viuit: Corpus autem castum & inuiolatum eius instrumentum, nullis proprijs affectionibus hospitis quondàm sui immortalitatem lædens, multo cum honore obseruantiaque

tiaque contectum præclarè iacet,& veluti thesaurus quidam admodùm preciosus,in tempus regenerationis conseruatur. Et quanuis ex eadem,ex qua cætera copora,naturæ materia constet, nulla tamen ratione cum illis est comparandum. Aliorum enim reliquiæ vulgò detestabiles sunt,nullusque volens ad eorum tumulos accedit. Quòd si dum aperiuntur,in eos casu quispiam incurrat, coniectisque oculis deformitatem intùs iacentium adspiciat, magna oppletus molestia, & humanæ conditionis miseriam deplorans,prætercurrit. At si in locum similem huic, ad quem vos hodiè conuenistis,vbi iusti memoria sanctique reliquię sint,accedat,primùm quidem operum,quæ cernit, magnificentia recreatur. Videt enim ædem, vt Dei templum, structuræ tum amplitudine, tum pulchritudine splendidè exædificatum & exornatum,vbi & faber lignum ad animalium effigiem conformauit,& lapicida marmor ad argenti læuitatem expoliuit,& pictor artis suæ flores in imaginibus exprimens, res martyris præclarè gestas,labores, cruciatus, immanes tyrannorum adspectus, impetus,ardentem illam & flammas euomentem fornacem,beatissimum athletæ finem, Christique certamini præsidentis,ac præmia dantis humanæ formam imaginis : hæc, inquam,nobis tanquàm in libro loquente artificiosè describens,martyris certamina sapienter exposuit,& instàr prati nitidum templum illustrauit. Nouit enim etiam pictura tacens in pariete loqui, & vtilitatis plurimum afferre. Quinetiam lapillorum compositor,pauimentum,quod pedibus teritur, arte atque emblemate vermiculatum historia dignum effecit.

Corpora sanctorum, thesaurus preciosus.

Obseruatē ptorum amplitudinem &c.

Vsus sacrarum imaginum antiquissimus.

Vtilitas earum.

Quamobrèm his artis operibus sensibus obnoxijs oculos oblectantes,cupiunt loculo reliquas corporis partes admouere. Etenim ipso contactu sanctimoniam credunt & charitatem excitari. Si quis autem puluerem in ipsa loculi superficie,vbi corpus martyris requiescit,inhærentem præbeat, pro ingenti munere accipiunt, & terram tanquàm rem preciosissimam reponunt. Nam si cui fortè facultas detur, vt ipsas reliquias attingat,id verò eiusmodi censetur donum, vt supremo voto nihil maius optari posse videatur. Hoc qui experti sunt, nôrunt, quique eo tenentur desiderio. Ipsum enim corpus perindè, acsi * visura florensque esset, amplectuntur & deosculantur,oculis ore,auribus,omnibus deniquè sensibus adhærent, lachrymasque pietatis & affectionis indices effundunt,martyrique vt omnibus partibus integro ac vigenti supplicant, vt pro se apud Deum legationis munere fungatur : Vtì Dei ministrum appellant,qui,quandò vult,inuocatus munera impetret. Ex his omnibus pius populus discit,quàm preciosa sit in conspectu Domini mors sanctorum eius. Etenim licet ex eadem massa conflata concretaque sint omnia hominum corpora,ea tamen, quæ simpliciter intereunt,temerè proiecta iacent : quæ verò martyrij gratiam obtinuerunt,sic amabilia iucundaque sunt,& omnium studijs certatim complectenda, vt in præsentia declarauimus. Ex his ergò, quæ videmus, ea credimus, quæ non cernuntur : & ex his, quæ experimur in hac vita, speramus ea, quæ futura promittuntur in altera. Sunt enim multi, qui in ventre,inanique gloria,& caducis atque fragilibus rebus cumulandis summum bonum collocantes,quid futurum sit,negligunt,atque huius vitæ fine putant omnia terminari.

Cap.5. Contactus reliquiarū. Nota de puluere.

De reliquijs

* viuum, legendū cēseo.

Psal.115.

Sed tu,qui sapiens es,ex paruis magna conijcito, ex adumbratis vera & solida cogitato. Quis ex ijs, qui apud homines fuerunt excellentissimi, huiusmodi monumentis celebratur? Quis eorum Imperatorum,qui munitissimas vrbes expugnârunt, qui gentes innumerabiles subegerunt, ità decantatus est,vt miles hic pauper,qui nuper erat in militiam ascitus,quem Paulus armauit,quem Angeli ad certamen vnxerunt,quem victorem Christus coronauit? Verùm quia dicendo ad martyris pugnas appropinquauimus,agè singularem de ipso sermonem instituamus. gratum est enim cuique,quòd ipsi proprium est.

Cap.6.

Gloria martyrum etiā in hac vita ḡ illustris.

Patria fuit viro generoso ea regio,quæ vergit ad orientem solem. Nobilis enim & hic,quemadmodùm Iob,inter eos,qui ad solis ortum habitant. Quarè cùm eandem haberet patriam, eosdem etiam mores imitatus est. Nunc autem patria est illi orbis terrarum. Omnis enim martyr, eius regionis,quæ sub sole habitatur, ciuis censetur. Indè ad militiam profectus,cum propria cohorte in hanc regionem se contulit. Hîc enim milites ab ipsis Imperatoribus iussi fuerant hyemare. Sed aliud, non ex barbarorū impetu,sed ex lege & decreto impio satanæ suscitatum est bellum. Omnes enim Christiani nefaria sententia condemnati, ad supplicium ducebantur. Tunc igitur, tunc hic ter beatus, pietate insignis, & fidem in Christum sic vbiquè circunferens, vt

Cap.7. S. Theodori patria. Iob 1.

Fit miles.

tantùm

tantùm non in fronte confessionem inscriptam gereret, non ampliùs tyronis, aut nupèr delecti militis robur prę se tulit, neque se rei militaris imperitum, aut pugnę ignarum exhibuit: sed generosos ac strenuos spiritus ad subeunda pericula sumens, haudquaquàm demisit animum, aut hęsitauit, aut vllam in loquendo timoris suspicionem præbuit. Nam cùm improbi illi iudices, Dux & Centurio in idem, vt olìm Herodes & Pilatus, conspirantes consedissent, † crucique affixi seruum in eiusmodi iudicium, quo Dominus quondàm eius circunuentus fuerat, arcessissent: Dic nobis, inquiunt, vndè tibi tantum audaciæ & confidentiæ ingenitum sit, vt regias leges despicias, neque mandata domini contremiscens venerêre, & eorum, qui rerum potiuntur, decreta colas & obserues? Hi nanque tunc in Maximini regia principem locum obtinebant.

Sistitur ad tribunal.

Cap. 8. *Constans martyris vox.*

Quibus ille constanti vultu menteque intrepida opportunè respondit: Ego, inquiens, deos ignoro, qui reuerà nulli sunt. Vos autem impostores dæmonas, Dei nomine cohonestantes, aberratis. Mihi quidem Deus est Christus, qui Dei filius est vnigenitus. Quamobrèm me religionem ac fidem ipsius confitentem, & vulnerator feriat, & percussor cædat, & combustor mihi flammam admoueat, & qui vocibus meis offenditur, linguam excindat. Corpus enim in singulis partibus procreatori suo patientiam & tolerantiam debet. His rationibus victi sunt Tyranni, nec primum strenui militis impetum sustinuerunt, cùm adolescentem ad subeunda tormenta promptum & alacrem cernerent, mortemque tanquàm dulce aliquod poculum haurire cupientem.

Egregia sententia.

Cap. 9.

Dum igitur parumpèr hæsitant illi, & quid facto opùs sit, inter se consultant, quidam ex ea legione, qui facundior & astutior esse putabatur, martyris responsionem eludens, Est'ne, inquit, ô Theodore, filius Deo tuo? & generat ille, quemadmodùm homines, cum perturbatione? Nullam in generando (respondit) nouit perturbationem Deus meus. Ex quo & filium ego confiteor, & generationem Deo conuenientem intelligo. Te verò, ô rationis expers, atque infans, nónne pudet? nónne rubore suffunderis, Deum etiam fœminam asserens, qui ipsam quidem vt filiorum genitricem, & instàr leporum aut suûm fœcundam dæmonem, facilè tum vterum gerentem, tum parientem colas? Sic igitur sancto duplicem in idolorum cultorem irrisionem retorquenti, Tyranni ad speciem humanitatis, Modicum, inquiunt, temporis spatium ad considerandum furenti concedatur. Fortaßè interìm deposita insania resipiscet, & ad meliorem frugem se recipiet. Insaniam enim, dementes sapientiam appellabant: stuporem autem & furorem, pietatem & religionem. Quemadmodùm fit, quandò illi, qui ebrij sunt, sobrijs exprobrant morbum suum.

Animalis homo non percipit quæ sunt Dei.

Cap. 10.

At pius vir & Christi miles, ad virile facinus conficiendum, spatium illud conuertit. ecquod autem facinus? Tempus iam est, vt cum lætitia narrationem hanc excipiatis. In metropoli Amasea fanum fuit, quod fabulosæ deorum matri decepti illi quondàm homines vanitate, quodam in loco proptèr fluminis ripam construxerunt. Hoc fanum generosus ille, dum per inducias liber ac tutus esset, opportunitatem & propitium auræ flatum obseruans, incendit atque combussit. Itaque quod omninò post deliberationem expectabant, re ipsa sceleratis responsum dedit. Quod quidem omnibus patefactum est. siquidem nec clarissimus in parte ciuitatis accensus ignis, id occultari permisit, & ipse adeò latére non studuit, vt apertè tum pręclaro facinore gloriari, tum perturbatione, qua propter templi statuæque combustionem conterriti erant impij, gaudere maiorem in modum videretur. Cùm igitur ad præfectos author incendij delatus esset, multo horribilius in eum, quàm anteà, iudicium est constitutum, vt par erat, animis eorum tanti momenti re concitatis. Quamobrèm cùm in tribunali resedissent, Theodorus præsenti animo in medio stetit, imperantisque fidutiam præ se tulit, non vt reus respondens, sed vti iudex interrogans, & celeritate confessionis interrogationem interrumpens. Quarè posteaquàm non stupidus aut attonitus apparuit, atque illi acerbitate minarum, quibus minimè pepercerant, se nihil proficere animaduerterunt, ad artes contrarias confugere, & promissis iniustis hominem iustum, rebusque inglorijs gloriosum allicere conati, Tibi, inquiunt, sacerdotij primarij dignitatem pollicemur.

S. Theodorus inflammat fanum profanum.

Blandiũtur ei iudices amplissimis promissis.

Cap. 11.

Quo quidem audito, vir beatissimus vehementi irrisione: Ego, respondit, cùm sacerdotes idolorum miseros duco, eorumque me, quòd tam stulto munere fungantur, miseret, tum sacerdotum principes multo magìs commiseror & detestor. Inter flagitio-

flagitiosos enim quo quis maior atque præstantior, eo nequior & infelicior. Sic inter iniustos, qui iniustior est: sic inter homicidas, qui crudelior: inter adulatores, qui petulantior. Idcircò posthàc à perniciosis pollicitationibus abstinete. Ignoratis enim, ô viri, vos malorum extremum mihi polliceri. Nam piè & rectè viuere profitentem, præstat abiectum esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ego vel istos Reges, quorum assiduè leges iniquas proponitis, miseror, qui maxima inter homines regij muneris dignitate non contenti, sibi sacerdotum principis dignitatem vendicârunt: ideoque lugubrem & tenebricosam purpuram induuntur, instàr infelicium principum sacerdotum, illustri regiæ dignitati tristem amictum inducentes. Quinetiam aliquandò ad nefarias aras accedentes, pro regibus fiunt coci, dum aues sacrificant, & pecudum viscera miserè perspiciunt, & sanguinis tabo tanquàm laniones quidam inquinantur.

Ea ille contemnit.

Psal. 83.

Post has iusti hominis voces, ne fictam quidē & simulatam ampliùs humanitatem præ se tulerunt, sed illum & in deos maximè impium, & in Reges contumeliosum & maledicum vocantes, primùm ligno, quo torquentur homines, suspensum ceciderunt ac lacerârunt. Ille verò carnificibus vehementer sæuientibus, forti alacrique animo perferens, versum etiam illum è psalmo decantabat: Laudabo Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ipsi carnes eius dilaniabant. At ille psallebat, vt si non ipse, sed alius eos cruciatus sustineret. Sic autem laceratum ac dilaniatum carcer excepit. Vbi rursùs circa sanctum admiranda gerebantur. Etenim per totam noctem vox multitudinis canentium exaudita est: & eiusmodi faces eluxerunt, vt ijs, qui extra carcerem erant, tota nocte splendor effulserit. Quo quidem spectaculo cantuque admirabili commotus carceris custos, in cubiculum insilijt: sed præter martyrem quiescentem, & multos vinctos, qui dormiebant, inuenit neminem.

Cap. 12. Dire cruciatur.

Psal. 33.

Ducitur in carcerem.

Cùm igitur multis tormentis adhibitis, in confessione religioneque magis ipse perstaret, sententia in eum lata est, vt igne vitam finiret. Atque ità præclarum beatumque iter ad Deum confecit: nobis autem memoriam certaminis tanquàm magistram reliquit. Qua quidem ille populos congregat, Ecclesiam instituit, dæmones fugat, conciliat angelos pacis, orat à Deo, quæ nobis vtilia sunt. Hunc enim locum, tanquàm diuersis morbis medicinas suppeditantem officinam constituit, procellis tempestatibusque periclitantium portum, egentium opulentum ærarium, dulce peregrinorum hospitium, festos dies celebrantium nunquàm desinentem congressum. Quanuis enim certum & solennem hunc diem quotannis celebremus, nunquàm tamen deficit studiosè aduenientium multitudo. Quamobrèm publica, quę ducit huc, via formicarum similitudinem conseruat, alijs redeuntibus, alijs venientibus, alijs succedentibus.

Cap. 13. Ignis supplicio vitā finit.

Nota quotannis celebratū festū S. Theodorī

Nos igitur, ô beate, anni circulo benignitate creatoris peracto, sacrū hunc martyrumque studiosum cœtum congregauimus, cōmunem adorantes Dominum, certaminumque tuorum præconium memorabile celebrantes. Tu verò, celebritatis authòr, quæcunq; te ora tenet, huc ad nos veni. Nos enim tè vocantem vicissim vocamus. Quocircà siue sublimi in æthere moraris, siue cælestem aliquam apsidē circunuertis, siue inter angelorum choros constitutus Dómino assistis, siue inter Principatus & Potestates vt seruus fidelis eum adoras, istis omnibus parumpèr intermissis, ad nos, qui te colimus & honoramus, accede. Ac licèt oculis nostris minimè perspicuus sis, sacrificia nostra tamen intuere: vt quas Deo, qui tibi pro vno supplicio, & pia vnica confessione tam multa munera largitur, gratias agimus, ipse conduplices. Meritam ex sanguine, quem effudisti, & ignis cruciatu, quem pertulisti, lætitiam percipe. Quot enim tunc supplicij tui spectatores erant, tot nunc honoris ministros habes.

Cap. 14. Inuocatur hic sanctus martyr.

Multis beneficijs indigemus. Tu legationis munere fungere apud communem Regem pro patria tua. Martyris enim patria est locus, vbì ille passus est: ciues, & fratres, & propinqui, qui reliquias eius ornant, qui tuentur, qui venerantur. Calamitates metuimus, pericula formidamus. Haud procùl absunt exitiales Scythæ, qui contra nos machinantur bellum. Vt miles propugna, vt martyr pro conseruis dicendi vtere libertate. Quanquàm tu vitam hanc transcendisti, humanas tamen molestias & necessitates non ignoras. Impetra nobis pacem, nę ipsæ celebritates intermittantur, nè rabidus & sacrilegus barbarus in templis & altaribus comessetur, nè sancta profanus conculcet. Nos quidem, quòd hactenùs sarcti tecti seruati simus, tibi acceptum referimus, sed in posterum etiam securitatem postulamus.

Cap. 15.

Nota de reliquijs martyrum venerandis &c.

Sancti non ignorāt res nostras.

V Quod

Cap.16. Quòd si maiore sit opus auxilio, fratrum tuorum martyrum chorum adhibe, & vnà cum omnibus supplica. Multorum preces iustorum, nationum & populorum crimina diluant. Petrum admone, Paulum excita, Iohannem Theologum dilectum discipulum aduoca, vt Ecclesiarum, quas constituerunt, pro quibus catenas pertulerunt, pro quibus pericula & cædes perpessi sunt, soliciti curam suscipiant. Nè cultus idolorum contra nos caput tollat, nè hæreses tanquàm spinæ vineam suppullulantes lædant, nè zizania crescentia triticum suffocent, nè qua petra veri roris pinguedinem nobis excutiat. Sed tuæ precationis ope magnus fructuum prouentus appareat, recteque instituta Christianorum vita, tanquàm in pingui atque frugifero solo, præclaram & admirabilem ad finem vsque segetem ferat, vndè nobis proueniat fructus æternæ vitæ in Christo Iesu Domino nostro, quîcum patri & spiritui sancto gloria, honor & imperium in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM EIVSDEM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS CHRISTI THEODORI TYRONIS: *Ex Simeone Metaphraste. Habetur in Tomis Aloysij.*

Nouëbris 9. iuxta Latinos.



MAXIMIANVS & Maximinus Imperatores, emiserunt decretum in vniuersam terram, quæ parebat eorum imperio, vt omnes gentes, quæ credebant pię religioni Christianorum, si execrandos cibos gustâssent, salui essent: qui autem contradicebant, traderentur iudicijs. Quo tempore militans S. Theodorus tyro in Orientis regione cum multis alijs, ductus est ad legionem, quæ vocabatur Marmaritarum, sub Præposito Brinca: quæ legio sedebat in ciuitate Ponti, nomine Amasea. Ductus verò S. Theodorus, cogebatur sacrificare simulacris. Verus autem Christi miles Theodorus, cùm esset Deo fidelis, repletus sancto Spiritu, dixit in medio legionis: Ego sum Christianus, & iussus sum non sacrificare adulterinis. habeo enim Iesum Christum Regem in cælis. Dixit Brincas Præpositus: Velis me audire Theodore, & accipe totam tuam armaturam: & cùm militaueris, veni dijs sacrificatum. Sanctus Theodorus respondens, dixit: Ego milito meo Regi Christo, & decæterò non possum alij militare. Dixit Brincas Præpositus: Et ij omnes, qui adsunt, sunt Christiani, & militant. Respondens autem sanctus, dixit: Vnusquisque scit, quomodò militet. Ego verò milito meo Domino & Regi cælesti Deo, & filio eius vnigenito.

Non vult S. Theodorus sacrificare dæmonib⁹.

Militat Regi Christo.

Posidonius Ducenarius, qui adstabat, dixit: Et filium habet Deus tuus, ô Theodore? Respondens autem S. Theodorus, dixit: Habet certè filium verbum veritatis, per quem fecit omnia. Dixit verò ei Præpositus: Possumus'ne ipsum cognoscere? Dixit S. Theodorus: Vellem, si vobis Deus talem dedisset intelligentiam, vt eum cognosceretis. Dixit Posidonius: Et si eum cognouerimus, non possumus relinquere nostrum Imperatorem, & ad illum accedere? Dixit S. Theodorus: Nihil est, quod vos impediat, quo minùs relinquatis tenebras, & quam ad breue tempus habetis fiduciam erga vestrum breui tempore duraturum & terrenum Imperatorem, & accedatis ad Deum viuum & Regem & Dominum æternum: & ei militetis, quomodò ego. Dixit Brincas Præpositus: Ei cedamus vsque ad aliquot dies, vt cùm seipsum admonuerit, accedat ad id, quod est vtile.

Cùm ergò accepisset id, quod concedebatur, orabat sine intermissione, & laudabat Dominum. Ira autem fremebant impij, & erant soliciti de quibusdam alijs ex ciuibus: quos etiam compræhenderunt, & duxerunt in carcerem. Beatus verò Theodorus eos sequens acclamabat, docens viam salutis & tolerantiæ, nè negarent Christum Regem. Cùm illi autem fuissent inclusi, ipse S. Theodorus inuento tempore opportuno, noctù combussit templum matris deorum. Visus autem fuit à quibusdam è ciuitate, & accusatus. Cronides verò quæstor propter hoc timore affectus, eum compræhendit & adduxit ad Præsidem Publium, sic eum docens: Domine mî, hic vir pestifer, recèns electus tyro, qui malè venit in nostram ciuitatem, combussit templum matris deorum, & deos affecit iniuria. Eum ergò compræhensum duxi ad tuam

Christiani quidā mittuntur in carcerem.

S. Theodorus inflammat templū matris deorum.

tuam magnitudinem, vt conuenienter diuino & imperatorio edicto dominorum orbis terræ, det pœnas eorum, quæ ausus est facere. Iudex autem accersito Præposito Brinca, dixit ei: Túne dedisti ei potestatem, vt igne consumeret templum matris nostrorum deorum? Ille verò respondit, dicens: Ego sæpè eum sum adhortatus, ei etiam dato certo tempore, vt cùm apud se considerâsset, dijs sacrificaret. Si autem hoc fecit, omninò deos contempsit & iussa Imperatoria. Cùm sis ergò Iudex, sequere edicta Imperatorum.

Præses itaque sedens in tribunali, iussit ad se adduci beatum Theodorum. Cùm esset autem adductus, dixit ei Iudex: Quamobrèm, cùm te oporteret deæ sacrificare, & ei libare, & thus offerre, ignem ei obtulisti? Dixit sanctus Theodorus: Quod feci, non nego: accendi ligna, vt lapis vreretur. est autem talis vestra dea & eius virtus, vt ignis eam tangat & eam vrat. Ego ligna accendi, vt vreret lapidem. Ira verò motus Iudex, iussit eum verberari, sic dicens: Molliora mea verba te audaciorem fecerunt & confidentiorem. Quamobrèm noli mihi respondere multa verba. Nam te manent dura & grauia tormenta ac cruciatus, vt páreas edictis Imperatoris. Dixit S. Theodorus: Neque tibi páreo, neque tormenta tua timeo, etiamsì sint valdè formidabilia. Decæterò fac, quod velis. Nam expectatio bonorum Dei me adhortatur, vt cõfidam, propter spem mihi repositam, & coronam, quæ mihi à Deo contexitur. Dixit Iudex: Dijs sacrifica Theodore, & te libera ab ijs, quæ te manent, tormentis. es enim malè & acerbè moriturus. Dixit sanctus Theodorus: Non sunt mihi tormenta, quos tu infers cruciatus. Dominus enim meus & Rex Iesus Christus, est ante faciem meam, me liberans à tuis tormentis: quem tu non vides, quoniam non intueris mentis oculis. Ira autem pércitus Iudex, & rugiens vt leo, iussit eum conijci in carcerem, & portam obsignari custodiæ, & eum sini illic fame mori.

S. Theodorus ducitur ad tribunal. *Verberatur* *Constantia eius.* *Trahitur in custodiam.*

In custodiam verò coniectus beatus Theodorus, alebatur à sancto spiritu: & in nocte illa visus est ei Dominus, & dixit ei: Confide Theodore. ego enim sum tecum. Nè ergò acceperis cibum aut potum ab his omnibus. erit enim tibi vita ab interitu aliena & æterna mecum in cælis. Hæc cùm dixisset Dominus, ab eo euanuit. Cùm recessisset autem Dominus, beatus Theodorus cœpit psallere & exultare: eum verò exaudiebat magna turba sanctorum Angelorum. Custodes autem carceris cùm audijssent suauitatem psalmodiæ, surrexerunt & cucurrerunt ad portam custodiæ. Qui cùm vidissent portam clausam & saluum signaculum, obseruabant per fenestram. Cùm autem vidissent magnam turbam candidatam & psallentem simul cum sancto Theodoro, timore affecti, renunciârunt id Præsidi Publio. Statìm verò surgens Iudex Publius, cursìm venit ad portam custodiæ: & vidit portam quidem clausam, & catenam similiter, & salua signacula: audiuit autem vocem quoquè eorum, qui intùs psallebant simul cum Theodoro: & fecit armatos milites circuncircà seruare custodiam, putans aliquos Christianos esse cum Theodoro. Ingressus autem, nullum inuenit, nisì solum seruum Christi Theodorum in ligno constrictum. Eum verò inuasit magnus timor & tremor, & omnes qui cum ipso erant. Cùm autem custodiæ fores rursùs clausissent, recesserunt, cùm iussisset Iudex ei dari vnciam panis & aquæ poculum quotidiè. Magnus verò & fidelis martyr Christi, prout scriptum est, Quòd iustus ex fide viuet: nequaquàm voluit ab illis accipere panem aut potum, dicens eis: Me alit Dominus meus & Rex Iesus Christus.

Christus ei apparet. *Habac. 2.*

Cùm fuisset autem manè, iussit Pręses eum produci ad tribunal. Qui cùm adfuisset, dicit ei: Morem mihi gere absque tormentis & supplicijs, & sacrifica magnis dijs, vt quamprimùm scribam ad dominos orbis terræ, vt tu fias pontifex deorũ, & accipias non leues quoslibet honores, & in eádem sede nobiscum maneas. Beatus autem Theodorus cùm in cælum suspexisset, & se signâsset per totum corpus, dixit Tyranno: Etiamsì carnes meas in igne liquefeceris, & multiplicibus tormentis deleueris, gladijsque & bestijs me tradideris, quandiù est flatus in meis naribus, non negabo nomen Christi mei. Tyrannus autem consilio inito cum Præposito, iussit ipsum suspendi in ligno, imperans lictoribus, vt eius latera vngulis carperẽt. Qui ipsum vsqueadeò carpserunt, vt eius nudarentur latera. Beatus verò Theodorus nihil respondit Præsidi, sed psallebat, sic dicens: Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Obstupefactus autem Tyrannus tanta tolerantia & fortitudine beati Theodori, dixit ei: Non te pudet, ô omnium hominum infelicissime, quòd spe-

Vide blanditias satanæ. *Respuit fallacia promissa martyr Christi.* *Vngulis discerpitur.* *Psal. 33.*

râs in homine, qui dicitur Christus, qui affectus fuit morte violenta, & tam inconsideratè te tradis tormentis & supplicijs? Sanctus verò Christi martyr Theodorus dixit: Hoc sit mihi dedecus & omnibus, qui inuocant nomen Domini mei Iesu Christi. Exclamante autem populo, vt ipse iam de medio tolleretur, per præconem eum interrogauit: Vis'ne sacrificare, an à me ampliùs cruciari? Respondens sanctus martyr Christi Theodorus, liberè dixit Tyranno: Impie & plene omni iniquitate & dolo, fili diaboli & verè digne operatione aduersarij, non times Deum, qui tantum tibi imperium & tantam potestatem est largitus? Per ipsum enim Reges regnant, & tyranni terram tenent dominatu. me enim cogis relinquere Deum viuum & adorare lapides inanimos. Iudex autem cum magna deliberatione dixit sancto Theodoro: Quid vis, esse nobiscum, an cum Christo tuo? Sanctus verò respondit cum magno gaudio: Cum Christo meo & fui, & sum, & ero. decæterò fac quod voles.

Prou. 8.

Videns autem Tyrannus nihil posse tormenta aduersùs eius tolerantiam, nec posse eum superare, dat in eum sententiam, sic dicens: Theodorum, qui non paruit potentiæ gloriosorum Imperatorum & deorum, credidit autem Iesu Christo, qui fuit crucifixus sub Pontio Pilato, sicut audio ex Iudæis, ipsum iubeo igni tradi. Postquàm autem solùm sententiam pronunciauit Iudex, dicto citiùs res mandata fuit executioni. Nam cùm lictores ex officinis & balneis ligna repentè collegissent, beatum quoquè Theodorum duxerunt ad locum propositum. Et cùm ipse sibi fecisset signum Crucis in fronte & toto corpore, copiosus circa illum ignis accensus est. Tunc autem adfuit Spiritus sanctus, & relaxatus fuit sanctus martyr, & sic Deum laudans & glorificans, in pace reddidit Domino sanctum suũ spiritum, & vidimus venerandam & sanctam eius animam, tanquàm fulgur assumi in cælos.

Signo Crucis totũ corpus munit, & reddit spiritum.

Quædam autem mulier, quæ meritò vocabatur Eusebia, vt quæ piè & ex virtute viueret, petijt corpus sancti & gloriosi martyris Theodori. Quod cùm vnguentis perfudisset, & sindone munda inuoluisset, deposuit in loculo in domo sua, in ciuitate Euchaitarum sub metropoli Amasenorum, quotannis peragens memoriam eius venerandi & colendi martyrij. Consummatus autem fuit sanctus martyr Christi Theodorus Februarij mensis decimoseptimo, imperante Maximiano tyranno: in nos autem regnante Domino nostro Iesu Christo: Cui gloria & potentia cum patre & sancto spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Honestissimè sepelitur

NECTARII ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI NARRATIO, PROPTER QVAM CAVsam in primo sabbato sanctorum ieiuniorum celebramus memoriam sancti martyris Theodori: & de ieiunio & eleemosyna. Habetur in Metaphraste, quinto tomo Aloysij. Nos hanc in capita distinximus.

Psal. 30. for. * quomõ for. * admirabilis
Cap. 1.



QVAM magna est multitudo benignitatis tuæ, Domine, æquum est vt nos hodiè cum magno Dauide eloquamur melodicè. * Quo enim non est maximè * admirabile? Nos, cùm non essemus, produxit. Produxit autem non similiter ijs quę priùs est fabricatus, cælo, inquam, & ijs quæ sunt in ipso, terræque & mari, & ijs, quæ sunt in eis. Eorum enim opus & machinatio, materiaq; & cõstitutio erat Verbum. Dixit enim, vel potiùs cogitauit: & cogitatio fuit omnibus natura & generatio, motioque & ordo, & quæcunque ea, quæ apparent, consequuntur: factaque sunt & manent, & erunt vsque ad secundum eius ad nos aduentum. Quinetiam ipsas quoquè supremas potestates verbo solo, vel nutu potiùs constituit. Nos autem manu sua propria, ó miraculum, cùm Deus esset ante secula, & carens principio, & quod est admirabilius, ad imaginem & similitudinem suam, cùm esset Dominus, effinxit. Deindè non hucusquè solùm constitit huius bonitas: sed etiam cum diuina ornauit insufflatione, præbens animam intelligentem & ratione præditam. Præter hæc autem paradisi quoquè ciuem effecit animam: paradisi, inquam, cuius pulchritudo neque verbis exprimi, neque mente compræhendi potest: & omnia, quæcunq; priùs

Gen. 1.
Gen. 2.
Quanta Deus homini præstiterit.

priùs creauerat & fuerat fabricatus, ei subijciens & largiens, tanquàm pater quispiam benè affectus in filium, & eum amore complectens, eum instituit hæredem & dominum, quem reliqua omnia obseruarent, & ei ministrarent.

Atque hęc quidem scio vos nôsse, qui estis studiosiores & diligentiores. Quinetiam ea, quæ restant, quæ etiam, vt qui ea sciatis, reliquimus. Eorum autē, quæ deincèps sequuntur, nè prolixiori vtar oratione, pręterm ittam plurima, quę passus est, deceptus à maligno dæmone: præceptū, inquam, & diuinitatis opinionem, & præcepti (ô meum lapsum) obseruationem & transgressionem. Deindè nudationem, occultationem, & quę sunt ea cōsecuta, ne ea ipsa dicam. Sed est hoc quidem magnū & omnium Dei in eum beneficiorū longè maximū, & eius summus, vt ità dicam, lapsus. Qui tam multa beneficia fuerat consecutus, se erexit & extulit aduersùs eum, qui ipsum fecerat. Quid ergò Deus, qui ipsum fecit? Puluerem illum, terram illā informem, quam suis formauit manibus, & tam multis ditauit beneficijs: Cur non dico id, quod est peius? Eum, qui ab ipso defecerat, & diuinum eius iussum fuerat transgressus, num despexit? num reliquit? Minimè, sed latentem quæsiuit: & cùm inuenisset, castigauit quidē, sed benignè. Quæ autem posteà sunt consecuta, quid opùs est dicere, quibus hominum feritas creatorem suū ad iram prouocauit, fratrum cædes, adulteria, insanos hominū amores, simulacrorum cultus, & quę ea consequuntur? Quid ergò? nunquid propter hæc eum repulit, aut est abominatus? Nequaquàm, sed tanquàm pater cùm multis modis benignitatis nos priùs castigâsset, deinde vidisset nos non posse declinare ab eo, quod est deterius, quid facit? Descēdit è sinu patris: papę, quāta misericordia, cùm esset Deus æternus & immortalis: & vt paucis absoluam, carnē suscepit ex casta virgine, meî qui sum seruus, formam ferens. Deindè fuit cruci affixus, sepultus, resurrexit, simul etiam surgere faciēs eum, qui ceciderat. Quid his esse potest benignius aut misericordius?

Cap. 2. | Gen. 3. | Immensus Dei amor erga nos.

Et pater quidem suum filium, quem genuit, quem ex suis produxit visceribus, si à suo cōsilio & iussu parùm deflexerit, non satis habet ei plagas imponere & flagella intentare, sed abdicat, execratur, persequitur eum, qui priùs erat ei charus, propter causam nullius momenti. Et dominus similiter, cùm suum famulum, qui vel parùm offenderat, miserum pœnis & vinculis, fameque & siti oppresserit, eum vendit, ablegans quàm longissimè. Res autem nostræ quomodò? Formati sumus, honor & gloria nobis fuit tributa: innummerabilibus bonis sumus ditati. horum autem datori quid contrà reddidimus? Contemptui habuimus, ad iram prouocauimus, contumelia & molestia affecimus: & ne nos quidē despexit, sed cùm sit Deus & Dominus, non dedignatur vocari pater ab ingratis & pastor, ponens suam animam pro ouibus. Quinetiam eos qui labuntur, erigit: & eorum, qui offendunt, miseretur, & non reddit pro meritis malorum nostrorum. Si enim iniquitates obseruaueris, Domine: Domine, quis sustinebit? Est solicitus de cuiuslibet vel minimæ ouis correctione: expectat vniuscuiusq; conuersionem. Ego enim sum, inquit Deus, qui nolo mortem peccatoris, sed vt conuersus viuat. Rursùs autem fert opem ijs, qui bello appetuntur: & adiuuat partìm quidem per se, partìm verò per sanctos suos. Qui etiam hoc miraculum, quod nunc à nobis celebratur, fecit per clarissimum suum & gloriosum martyrem Theodorum, quod est summum & inprimìs admirabile: ad quod nunc declarandum descendit oratio, propter quod prædictis quoq; magnis Dei nostri operibus, eius bonitatis magnitudo euasit manifesta omnibus: quod quidē procedens tempus volebat mandare profundo obliuionis, sed non potuit imponere finem suæ voluntati: cùm fideles & pij viri nos ad hoc incitâssent, qui etiam scriptos ferentes cōmentarios, quibus fidem faciebat tempus, & prætereà nobis affirmantes, seipsos vidisse miraculum, hortati sunt, vt quod à multis ignorabatur, magnum Dei opus manifestum redderemus omnibus. Sed iam, rogo, mihi incipienti narrare, aurẹs fideliter prębentes, excipite orationem: vt imbecillitati meæ orationis animū adhibentes, vnà cum oratione auferatis miraculum, summā Dei nostri bonitatem, lenitatem, benignitatē, mansuetudinē & clementiam, paterna eius in nos viscera: quemadmodùm non despicit, nec sinit nos etiamsì imprudentes bello impetamur, à malorū authore dæmone & eius symmystis, incidere in lapsum interitûs: maximè, si insidiæ afferant animæ aliquod periculum: sed semper nostram roborans imbecillitatem, nos semper reddit illæsos & intactos, & superiores inimici insidijs & periculis. Miraculum autem sic habet:

Cap. 3. | Ingratitudo hoīs erga Deum. | Psal. 129. | Ezech. 18.

O chare cœtus Orthodoxorum & fidelissimū auditorium, persuasum habeo vos non ignorare, quātę & quales à satana, qui nobis semper inuidet, & à pessimis eius ministris

Cap. 4. | Satanas cū suis admin.

stris semper oppugnat fidem catholicam. *Psal.123.* *Iulianus Apostata fidem persequitur.*

nistris, insidiæ & doli aduersùs venerandam & inuictam nostrã fidem, tanquàm quædam procellæ, diuersis temporibus fuerunt excitatæ, etiamsi benignus & clemens Deus, propter nostrã humilitatẽ magna & omnipotenti missa sua dextera ad nos defendendos, non dedit nos, vt Propheticè dicam, prędam dentibus eorum. Quarũ (vt eos, q olim fuerunt, & primos omittam) vna fuit insania & rabies Iuliani Apostatę aduersus diuinam & inuictam nostram fidẽ: Iuliani qui locutus est in altum Dei blasphemiam, & manũ extulit impiam aduersùs diuinam & piam nostram fidem. De eo sat scio, etsi non visu, at auditu saltẽ accepistis, ô vos qui adestis, quàm grauia & inania & palàm ex insidijs ausus sit aduersùs Christianos. Cui nullo modo quidẽ erat curę gentes vincere, & barbaros propulsare, & diripere vrbes inimicorũ: existimabat enim esse rem pusillam & inutilem: sed Christianos destruere, & eorũ delere fidẽ, & vt Deus quidem despiceretur, (ô calamitatem, ô insaniam) qui nutu omnia constituit, atque adeò eum ipsum: qui vtinàm nunquàm fuisset natus, neq; vitę superstes: simulacra autem honorarentur, & vbiquè extolleretur gloriæ eorum altitudo, magnum ducebat opus & magno studio elaborandum: idque magis curabat, quàm alia omnia.

Cap.5. Cùm ergò hæc sic haberent, & eius instituti rabies magìs cresceret, (impietas enim tanquàm flãma quædam, quę aptam comprhenderat materiam, & in cælũ sublata fuerat, vicina delere properat) similiter cùm ipsa quoquè eius animã tanquàm aptam appręhendisset, accẽditur & excitatur ad exurẽdos Christianos, eis vehemẽter minitans. Cùm aũt hæc fierẽt, maiorq; ira & insania in summum assurgeret, quid opus est dicere, qualia & quàm multa tormẽta excogitata fuerũt in Christianos ab illo impio, ventrũ sectiones, sectiones viscerum, vehementes virgis verberationes, oculorũ effossiones, dentiũ eiectiones, linguarũ & manuum amputationes, tibiarũ confractiones, ignis conflagrationes, multiplices & callido artificio excogitatæ craticulæ & lebetes, subulæ & sartagines, & quæcunq; instrumẽta mortis tunc inuaserunt Christianos. Sic ergò insaniens sceleratus, cùm nõn posset finẽ imponere impietati. Nam alij quidem flagris cæsi, efficiebantur Christi martyres per tolerantiam: alij autẽ nondùm subiecti tormentis, tanquàm ad aliquod pulchrum exemplum, ad eos intuentes, ea quę dolorem afferunt, despiciebant. Nam & vnumquenq; flagris cædere & morte afficere neque poterat, neque verò id ei expediebat. Necessè enim erat, si omnes fuissent de medio sublati, eius esse imperium vacuum ijs, quos regeret & quos administraret.

Quibus tormentis affecerit Christianos.

Cap.6. Cùm hæc ità se haberent, & Christianissima quidẽ fides non deleretur, cor autem eius intrinsecùs malitia inflammaretur, capit consilium sæuum & inhumanum: mihi verò iucundissimam referenti narrationem, aures (quæso) adhibete fideliter. Cùm enim considerans sceleratus, se huc & illuc versasset, inuẽnit, vt existimauit, occasionẽ viamque & rationem deducẽdæ ad finem impietatis, qua nec flagris cæderet aliquem aut morte afficeret, & tamen ciues omnes per desperationem adduceret ad cultum simulacrorum, etiamsi Deus effecerit, vt euanesceret impium eius consilium. Nam cùm venissent casti & diuini dies Quadragesimæ, in quibus omnis ætas apud se cogitat, quæ priùs sunt admissa peccata: in quibus & facile est cadere, cùm tunc grauiùs oppugnet inimicus, & reuocari est difficile. Cùm iam primus dies cœpisset, accersito eo, qui tunc erat Præfectus vrbis, qui eadem quæ ipse sentiebat, & erat ei in incredulitate similis, dixit: Quoniam, ô Præfecte, multis & varijs vsi machinationibus, res Christianorum minimè potuimus extinguere, (est autem hoc mihi non paruæ curæ) mihi à dijs fuit subministratum pulcherrimum consilium, & contra quod nihil dici potest. Nam quoniam Christiani hanc hebdomadam statuunt esse primam suorum ieiuniorum, & studium adhibent, vt puriùs & incorruptiùs custodiantur, quàm alij dies ieiuniorum, iubeo vt quæcunque in foro esculenta & poculenta sunt proposita, auferantur, & nihil aliud proponatur, quàm cibus & potus, quem ego tibi præbebo, mixtus sanguine sacrificiorum. Necessè est enim, cùm hoc factum fuerit, vt aut omnes ementes comedant, & nobis obediant, vt qui gustârint deorũ sacrificia: aut fame pereant, cùm agnouerint consilium quod cepimus, vt qui non habeant, quanam ratione suæ succurrant inopiæ. Hęc cùm ex impio illo ore audijsset pręfectus, fertur dixisse: Nunc planè scio, quòd cor Regis est in manu deorum: & cùm primùm dixisset, quod dixerat, est executus: & quæ in foro quidem erant proposita domì fuerunt reposita: quæ autem erant Imperatoris incestata & execranda, in foro fuerunt proposita.

Vide insignem commendationem Quadragesimæ.

Nota impij Apostatæ machinationem.

Cap.7. Quid ergò qui nos creauit, Deus? nunquid neglexit aut despexit? Nequaquàm: sed simul cum his grauissimis insidijs & improba machinatione salutem excogitauit.

Pontifici

Pontifici enim & Pastori Christianorum, qui tunc erat, hoc impiū aperuit consilium, mittens ad eum in somnis magnum martyrem Theodorum, re vera Dei donum, donatum ad salutem nostræ fidei. Dei itaque martyr accedit ad Patriarcham, re vera & non in somnis apparens: memini autem eorum, quæ dixit, ad verbum. Sic enim dixit Principi Pastorum: Surge, & congrega gregem Christi, & omnes diligenter admone, nè quicquam emāt ex cibo & potu, qui est in foro propositus. Impius enim Iulianus, omnia polluit execrando sanguine sacrificij simulacrorum. Pontifex verò sancto respondit: Quomodò, ó Domine mi, potest hoc fieri? Nam hoc quidem possunt fortassè, qui sunt diuites. Nam sibi quidem priùs habent reposita, quæ sunt necessaria. Pauperes autem ne habent quidē victum vnius diei. Quidnam ergò erit, quo possint solari inopiam rerum necessariarum? Martyr verò dixit: Prebens eis Colybem, solare necessitatem. Patriarcha autem dixit: Et quidnam hoc fuerit? nescio enim quod sit hoc vocabulum. Martyr verò (ô solidam & acrem eius defensionē) respondit: Frumentum, inquit, coque, & eis in cibum distribue. sermone enim Euchaitarum solemus hoc vocare Colybem. Cùm sic ergò feceris, conserua Christi gregem illæsum & impollutum. Et quis tu es, Domine, dixit Patriarcha martyri, qui tam benignè & misericorditer nostræ salutis curam geris? Ego sum, inquit, martyr Christi Theodorus, qui ab ipso missus sum ad vestram salutem. S. Theodorus apparet patriarchæ.

Quid hoc admirabilius vnquàm factū est à propheta Iona, qui Niniuitis annūciauit euersionē ciuitatis, & ex eo eos induxit ad pœnitentiam? Hoc quidē certè est illo magis admirabile: quandoquidē illic quidē missus est solùm ꝓpheta significaturus euersionem ciuitatis: Martyr aūt Christi Theodorus, significauit futuram animarū euersionem. Et ille quidē solùm significauit euertendam esse ciuitatē: Martyr verò & causam & medicinam, nè tam multæ euerterētur animæ, neq; simul perirent cum cultu simulacrorū, apertè nobis declarauit. Quo est ergò anima corpore præstātior, eo est hoc illo maius & admirabilius: & quo est quę animas euertit euersio, grauior euersione quę euertit ciuitatē, eo, vt ego quidem sentio, is qui ab hac eripit, eo qui illā præsignificauit, est auxilio benignior & excelsior: nisi indignū aliquid diximus, prophetæ adæquantes martyrē: sunt enim ambo vnius & eiusdē Christi Dei, & ab eo iussi sunt ambo facere, quæ fecerunt. Pergat aūt nostra oratio, sequēs ea, quæ priùs dicta sunt. Postq̃ ergò hæc sic audiuit Patriarcha, admiratione plenus & lætitia, surrexit, & Christi populū congregauit, martyrisq; Christi aduentum, & quodnam ferendū significārit auxiliū, apertè narrauit omnibus: & cùm fecisset, vt sanctus statuerat, seruauit illæsum gregē Christi. Peracta aūt hebdomada, cùm inutilem fuisse machinationem, & successu caruisse insidias accepit Iulianus, apertè quidē & summè victus, è foro quidē extulit ea, quæ erant polluta: proponi verò iussit ea, quæ cōsueuerant. Quamobrèm cùm venisset sabbatū, intellexissent autē Christiani irritam fuisse machinationē furiosi Iuliani, hymnum gratiarum actionis glorioso martyri Theodoro exhibentes, lætum & splendidū festum ei celebrârunt: frumentumq; coquentes, & pauperibus distribuentes, fecerunt eorū salutem omnibus manifestam. Singulis itaq; annis ab eo tēpore vsq; in hodiernum diem, miraculi inclyti martyris memoriā piè fidelibus peragēdam reliquêre. Hoc est, quod à nobis nunc peragitur & celebratur miraculum. Talis fuit acerrima gloriosi martyris in nos defensio, & impiarū impij Tyranni insidiarū deletio. Cap. 8. Ionæ 3. Propheria S. Martyris Theodori. Impij Apostatæ conatus diuinitùs prohibentur. Festum S. Theodori.

Sed quis reuerà pro dignitate laudârit Dei nostri bonitatem, qui ex faucibus ipsius diaboli homines, qui tūc erant, extraxit vno momēto, nempe admirabili & præclaro aduentu venerādi martyris Theodori? quinetiā nos quoq; quotidiè, qui nostra negligentia diabolo ꝓdimur, conseruat, & eripit ex illius faucibus. Hęc ergò cùm sciamus, ó dilecti, ipsi quoquè aliquid cōferamus Deo, qui donat talia. Quid autem offeramus aliud, nisi eleemosynam? Nulla enim re ex omnibus æquè, àc ea, solet Deus delectari: maximè, cùm ipsum tempus pulcherrimè nos ad hoc adhortatur. Est enim ieiunij tēpus, & sancti ieiunij, in quo est purificatio animæ & corporis ijs, qui id verè exercēt, per copiosam misericordiæ elargitionem. Quinetiā ad intemeratarū Christi perpessionum per ipsum inducti recordationē nos purgemus, non solùm à cibo & potu, sed etiā ab omni tetro inquinamento: periurio, inquā, detractione, mendacio, inimicitijs, intemperantia, & quę est omnium malorū prima & vltima, auaritia. Ab his enim alienatio, est præclara purgatio, & ieiunium verum & nulli affine reprēhēsioni. Ante hæc aūt, & cum his, & post hæc faciamus eleemosynam, quæ reuerà non ad tertiū cælum, sed ad ipsum cælorū effectorem nos deducit: eleemosynam, quæ est tanquam currus Cap. 9. Eleemosyna Deo gratissima. Eleemosynæ vis & efficacia.

igneus,& quę è terris supra cęlum extollit,quos acceperit. Cum his nostrum quidem pręclarum & Deo acceptum fiet ieiunium : tanquàm suffitus verò dirigētur preces.

Cap.10. Nec mihi dixeris quatriduana, aut sex dierum ieiunia. Nam sunt quidem hæc quoquè pulchra, & Deo accepta ieiunia,& auertūt animi perturbationes. Sed vt absque spiritu & inutile & inefficax nostrū corpus, ità etiam absque eleemosyna vanum erit nobis ieiunium. Vndè hoc autem? Ex ipsis scripturis ostendemus. Dicit enim: Eleemosyna & fides nè tibi deficiat. Et rursùs: Ante quem ambulabāt misericordia & veritas. Et alibi : Misericordiā volo,& non sacrificium. &, Qui miseretur pauperis, Deo fœneratur. Vt autem in præsentia plurima prætermittam, exemplo vel potiùs re ipsa vobis ostendā excellentem dignitatē eleemosynæ. Si enim crastino die véneris,vultu quidem pallidus & deorsùm intuens, & afferens omnia euidentia argumenta ieiunij, ad te verò accedat examen pauperum,fame & siti confectum, & frigore concretum, à te supplicibus vocibus petēs misericordiam, à te autē inane recesserit,nullam accipiens inopię suę consolationē: dic, quidnā decæterò tibi tuū reputabitur ieiunium? num solùm maceratio corporis, quæ ei,qui ipsam exercet,nullam affert vtilitatem?

(Prou.5. iuxta LXX. Psal.88. Oseæ 6. Prou.19.)

Cap.11. Sed mihi dices,quicunque sis,qui hæc dicis.Scio enim frigidas vestras dilationes & inanes pretextus.Sunt mihi multi liberi,vxoris curam gero,famulorum,famularum. Vtinàm sufficiam ad eis suppeditanda, quæ sunt necessaria : tantum abest, vt possim suppeditare hominibus pigris & ociosis : qui reuerà non volentes laborare, arte voluntariam sibi adsciscunt paupertatem. Prætereà autem vulgò quoquè tritum inducis prouerbium, primam vocans mercedem eam, quæ datur suis. Quid tu, rogo, in pęccatis prætexis excusationes? Propterea quòd te Deus fecit patrem liberorum,& te familiæ dominum constituit, debes agere gratias, & implere eius præcepta, miserendo egenorum, qui sunt eiusdem generis. Contrà autem ex beneficio sumis occasionem duritiæ & inhumanitatis: nec hoc solùm,sed eos etiam,quibus nihil vnquàm suppeditâsti,insectaris probris & maledictis. Quid facimus,ô homines? reuereamur, si nihil aliud,vel ipsam naturam. similem enim habemus naturam & animam pauperes & diuites, & ab vno opifice sumus omnes effecti : estque vna nostra dignitas adoptionis & regenerationis, etiamsi nescio quomodò instabilis huius vitæ motus, impares ad victū facultates distribuit hominibus : & quod est maximum, ab vno Iudice judicabimur,& ad idē tribunal sistemur. Hæc ergò cùm sciamus omnes,quandiù stat hic dies festus,emamus nostræ salutis viaticū per eleemosynam, & studeamus habere defensores, & non accusatores apud illud tribunal pauperes. Videamus Dominum, qui in omnes obtinet imperium,& omnes superat, quemadmodùm quotidiè à nobis ad iram ꝓuocatus & iniuria affectus,nō odit,nō auersatur:sed à nobis rogatus,statìm præbet id,quod est vtile. Et Deus quidē sic,& hæc Deus,cui supplicant ingrati famuli.

(Prætextus eorū,qui nolunt præstare eleemosynam. Refellūtur. Vna omnibus est dignitas adoptionis & regenerationis.)

Cap.12. Nos autem eum, qui est eiusdem generis, qui nos nunquàm ad iram prouocauit, immò verò qui suos vocat dominos,& quæ sunt huiusmodi, vt attrahat ad misericordiam, despicimus,& aures obstruimus,vt aspis ad incātationes. Et quomodò sunt hęc benignitatis aut misericordiæ? immò verò cōtrà sunt maximę crudelitatis. Bonus est Deus, quòd hunc aërem, quem spiramus,& fluenta aquarum,& lucem solis,ex æquo abundè suppeditauit omnibus, diuitibus & pauperibus. Nullus enim pauper liberè vllum aërem hausisset, aut hanc lucem percepisset : sed priùs, quàm exijssent ex vtero,arrepti fuissent miseri,si ad se precio emptam attraxissent respirationem, quòd in iugera & modos,quomodò terrā & mare, hæc diuites diuisissent. O duritiam, ô crudelitatem : quòd viuant pauperes,propemodùm ægrè ferimus. Nequaquàm hoc faciamus, ô amici & fratres, neque propter immisericordiam amandemus pauperem Lazarum, nè nos sicut diuitem ipse illinc ostendat : neque eius manum,quæ tota nobis modò porrecta est ad misericordiam, auersemur, nè illinc rogemus vel summum eius digitum,& eum non assequamur. Nè inuideamus saltem superuacaneorū participes accipere pauperes,nè audiamus, Recepistis bona vestra in vita vestra. Omnia peribunt,omnia prætereunt : eleemosyna autem manet in seculum. Dispersit enim, inquit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculū seculi. In hanc vitam nihil nobiscum attulimus: Deus nobis omnia est largitus. Largiamur ipsi quoquè egentibus: etiamsi sint Dei, tamen tanquàm nostra sint, ipse nobis reddit mercedem. Et si quis quidem èx nostris amicis aut proceribus iussit nos non solùm pecunias,sed etiam vitam propriam despicere propter illius amorem, quàm prompto & alacri animo aggrediamur eius iussum exequi, & re ipsa, si fieri potest, id effectum reddere, dici non potest.

(Duritia auarorum castigatur. Luc.16. Ibidèm. Psal.111. Omnia prętereūt,eleemosyna autem manet in seculum.)

potest. Ipso autem vniuersorum Deo, & non alio, apertè clamante in Euangelijs, Quod fecistis vni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis, contemnimus & despicimus. Resipiscamus: videamus quàm sit leue & facile præceptum. Ex superuacaneis & inutilibus, & hîc & illic dispersis rebus nostris, clamat, vt regnū cælorum comparemus, & nolumus. O quantùm lugebimus, quandò volentes nihil omninò poterimus. Matt.25.

Sed mihi, inquit, rerum necessariarum ne satìs quidē suppetit. Quid dicis? Ne frigidæ quidem aquæ poculum dare potes petenti? & nec sermonem quidē benignum? Et quonam modo possunt hæc esse rationi consentanea? Et pro his, (ô miraculum & clementiam) si dantur pauperibus bono & non nimìs curioso animo, pollicitus est Deus se esse nobis daturum regnum cælorum. Hæc ergò omnia scientes, ô dilecti, eum ieiunio iungamus misericordiam, qua tanquàm pennis anima nostra è terra in cælum extollitur. Et ieiunio quidem nos liberante ab animi perturbationibus, eleemosyna autem æternam vitam conciliante, nulla in re deficientes, simul cum Christo sponso ingrediamur. Hæc quidem satìs superque dicta sunt misericordibus: duris verò id totum ne syllaba quidem esse videbitur. Cap.13. Etiam pauperrimi vt possint præstare eleemosynam. Matt.10. Misericordia ieiunio iungenda. Matt.25.

Nos autem martyrem laudemus ijs, quas par est, laudibus, & miraculi semper recentem memoriam in nobis circunferentes, glorioso martyri fideliter exclamemus: O splendor martyrum, & decus sanctorum. O verè Dei donum. O custos & inuictissime defensor fidelium, nè obliuiscaris nostræ paupertatis & humilitatis: sed semper pro nobis intercedere nè te pigeat, ô vir inprimìs admirande: nec nos, qui quotidiè ab animarum nostrarum, qui cadit in intelligentiam, Iuliano, nempe qui & tunc & nunc est author mali, inimico oppugnamur, despicias ô vir maximè venerande. Te enim etiam post mortē credimus viuere, vt Dominus dixit, dicens: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Tu autem, qui non solùm credidisti, sed etiam pro ipso es mortuus, ô meritò laudande martyr, in Deo viuis vita, in quam non cadit senium, & quæ non terminatur. Vt qui ergo in Christo viuas, & stes prope eum, redde eum tuis precibus propitium tuis famulis: vt per te liberati ab ijs, quæ hîc sunt, molestijs, quæ illic sunt bona, consequamur gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Cap.14. Inuocat sanctum martyrem. Iohan.11. Sancti viuūt in Deo.

LIBELLVS ATHANASII EPISCOPI ALEXANDRINI, DE PASSIONE IMAGINIS DOMINI NOSTRI

Iesu Christi, in Beryto vrbe Syriæ crucifixæ: qui in septimā Synodo æcumenica Actione 4. vndè nos eum descripsimus, citatur, & Athanasio tribuitur: quod non parum facit ad libelli authoritatem.



LEVATE oculos intellectûs vestri, nouum hoc spectaculum contemplamini, inspicite in Dei immensum hoc miraculum, date ei gloriam, illius inexplicabilem erga homines amorem, illiusque dispensationis magnitudinem considerate, lachrymas cum lętitia fundite. Apud Deum nihil nouum. Deus enim existens, cuncta potest. Quod autem in diebus nostris & nostrî causa factum est, corda omnia quæcunque audient, in stuporem ducet. Stupuit cælum propter talia ausa. Abyssus conturbata nimìs est. Sol, luna, & reliqua sidera obtenebrata sunt ob tale facinus. Rursùs autem lætata sunt ob id, quod circa se Deus dispensauit. Cunctæ cælorum virtutes, audite, & stupescite in eo, quod factum est in diebus nostris. Intelligentes, intelligite: inclinate aures vestras, vt ex corde audiatis. Nouemb. 9. Apud Deū nihil nouū.

Berytus ciuitas est in finibus Tyri & Sidonis sita, vectigalis autē Antiochiensibus. In hac ciuitate cùm Iudæorum natio frequens esset, contigit vt prope synagogam, quam illic amplam habēt, quidam è Christianorum numero domicilium à quodam conductum habitaret. Hic ex aduerso lectuli, imaginem Iesu Christi Domini nostri fixerat. erat hæc sanè veneranda, quòd integram Christi Domini proportionē exprimeret. Contigit autem non ità diù post id temporis, Christiano mansionē aliquanto ampliorem quærere: neq; id omninò fortuitò factum est, sed ex diuina dispēsatione, Cap.1. Berytus ciuitas. Antiquissima Christi imago.

1.Tim.2. quæ omnes cupit in agnitionem veritatis venire, & saluos fieri, exhibens miracula his qui illum colunt, & piè in illum credunt: verùm in redargutionem diffidẽtium, confirmationem autem & stabilimentum credentibus. Quærebat itaque, vt dicere cœperam, Christianus ædes maiores: quas cùm in alio ciuitatis loco inuenisset, è domo, quam prope synagogam habuit, in alteram migrauit. Cumq; res suas omnes in eam transtulisset, imaginem tamen illam Domini illic fortè reliquit, obliuione quidem illud, sed tamen diuina dispensatione. Iudæus autem commoditate loci captus, ædiculam illam conduxit, nondùm animaduertens eiuscemodi imaginem illic affixam: suaque isthuc transferens, aliquandiù illic habitauit.

Christi imago in cuiusdam Iudæi domo relicta. Quodam autem die cùm hic gentilium suorum quosdam in prandium inuitâsset, contigit, vt quidam conuiuarum, sublatis oculis, imaginem Christi Domini nostri inspiceret: moxq; conuersus ad conuiuatorem, Tu, inquit, Iudæus cùm sis, qua fronte tandèm audes huiuscemodi imaginem domi tuæ habere? Non dicam, hic quot plaustra conuiciorum & maledicta in Dominum Saluatorem effuderit. Conuiuator autem seipsum purgare studens, affirmabat etiam sanctè, se huiuscemodi imaginem hactenùs non vidisse: atque ità qui inuitatus erat, tacuit. Postquàm autem fuisset egressus, ad principes sacerdotum hominem detulit, quòd imaginem Saluatoris in ædibus conseruaret, Nazaræumque non eiecisset. Illi verò audita re, interrogauerunt num id posset approbare. Clamante illo, se posse cõfirmare quæ diceret, omnes congregati & furore perciti, illo quidem die nihil egerunt: sed manè facto, congregati summi sacerdotes & seniores, cum ingenti hominum eiusdem nationis turba, assumpto simul delatore Iudæo, ad ædes illas, in quibus imago Domini nostri habebatur, ire pergunt.

Cap.2. Cùm autem ad eum locum venissent seniores & principes sacerdotum cum ipso simul delatore, irrunt in domum, & confestìm imaginem Saluatoris Domini nostri cõtemplati, furore pleni, Iudæum quidem extra synagogam eijciunt, imaginem verò detrahunt, dicentes: Quemadmodùm patres nostri illuserunt ei, ità & nos faciamus. Tunc omnes cœperunt expuere in faciem sanctæ imaginis Christi, colaphisque hinc illinc faciem cædentes, dicebant: Quæcunque designârunt patres nostri in illum, ea & nos quoquè faciamus in illius imaginem. Deindè inquiunt: Audiuimus quòd illuserunt ei patres nostri: faciamus idem hoc & nos quoquè. Mox talia conuicia euomuerunt in Iesu Christi imaginem, quæ nemo sanæ mẽtis excogitare posset. Addunt

Matt.26. Vide quos magistros sequantur Iconomachi.

Ioã.19.& 20. deindè: Audiuimus patres nostros pedes manusque illius clauis fixisse: quid obest, quo minùs & nos idem tentemus? confestim autem imaginis Domini pedes manusque clauis ferreis forauerunt.

Mar.15. Deindè insano ore clamant: Audiuimus quòd & acero & felle imbuta spongia illum potauerunt: faciamus & nos similiter. acceptaque spongia aceto plena, ad os

Matt.27. imaginis applicuerunt. Rursùs aiunt: Notum nobis est, quòd & calamo caput illius patres nostri percusserũt. Fiat idipsum etiam à nobis pariter. Sumpto igitur calamo, caput Domini cædere cœperunt. Tandèm aiunt: Clarum nobis est, quòd lancea latus illius pupugerũt. nihil à nobis omittatur. addamus & hocipsum. itaque lanceam cuidam porrigẽtes, iusserunt, vt latus imaginis Dominicæ transfigeret. Ex eo autem confestìm sanguinis & aquæ riuuli emanare cœperunt. Christe, gloria tibi. Incompræhensibilis Domine, gloria tibi. Quis tibi similis Domine? Quis alius præter te Deus, faciens horrenda signa & terribilia, & obstupescenda in cælo & in terra? O admirabilis mediator Dei & hominum, & homousion, mundi redemptor ac Saluator, totius bonitatis & pietatis fons & origo. O quãtus es Domine Iesu in humilitate, qui cùm esses Deus, morticinum nostræ carnis suscipiendo, homo fieri dignatus es pro salute generis humani, quem impij & crudeles paulò minùs ab Angelis minoratum

Vide stupẽdum miraculum, in emanatiõe sanguinis ex latere imaginis Christi.

Luc.22. cernentes, horribili morte plectere non erubuerunt. O quàm magnus es noster Saluator in patientia, qui in tempore tuæ traditionis, tuo traditori ad te venienti, osculum præbere non renuisti, & seruo Malcho Apostoli gladio abscissam auriculam redintegrâsti, quandò ad passionis victimam velut ouis mansuetus deducebaris. O quantus es in misericordia Christe, spes vnica mundi, qui cùm in Cruce teipsum hostiam Deo patri exhibuisses sanctam & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam postulâsti, dicendo ad patrem: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc quidem pro nostra salute * incuruatus, in eadem carne, quam ex Virgine sancta & immaculata assumpseras, mortem pertulisti crudelem. Et qui eras in substantia cum patre

Esa.53. Ierem.11.

Luc.23. * incarnat' legendum puto

patre sanctoque spiritu, vnus & impassibilis existens & inuisibilis, condoluisti humanam perire naturam. Et ideò in hanc lachrymarum vallem descendens, pro nostris erratibus & piaculis formam seruilem suscepisti, in qua te permisisti ab iniquis teneri, flagellari, ad vltimum verò crucifigi. Nunc autem in sancta imagine tua crucifigeris Domine iterùm, ad confusionem impiorum omnium infidelium, & ad corroborationem omnium in te credentium. Et ideò tibi omnipotenti Deo vnà cum patre spirituque sancto gloria sit per cuncta seculorum secula, decus & fortitudo, virtus atque victoria, Amen.

Audite omnes Ecclesiæ filij cætera, quæ postmodùm facta. ipsius enim mysterij fuit dispensatio. Postquàm enim, vt superiùs dictum est, latus sanctæ imaginis illius apertum est, continuò exiuit sanguinis & aqua. Dixerunt autē principes sacerdotum: Afferatur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei. Qui ilicò detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, vndè sanguis & aqua decurrebant, statuerunt. Quæ absque vlla mora subitò repleta est. Dixerunt autem adinuicèm: Quoniam susurrant Christum colentes, quòd signa & inaudita multa fecerit in mundo, quæ nemo alius agere potuit accipiamus hunc sanguinem & aquam hanc, & deferamus ad nostram synagogam, & congregemus vniuersos, qui se malè habent, & ex hoc perungamus eos: &, si vera sunt, quæ de Christo dicuntur, continuò sanabuntur: sin aliâs, ostentui habeantur à nobis cuncta, quæ à suis sequacibus asserūtur de eo. Hæc dicentes, hydriam deferunt ad synagogam, æstimantes se Christo Iesu Domino nostro æterni Regis filio maximam inferre posse iniuriam. Congregauerunt igitur quoscunque repererunt languidos, & in cōspectu Hebræorum introducti sunt in synagogam: inter quos quidam prouectæ ætatis erat homo, quem à natiuitate sua grauissima possederat corporis molestia, quæ Græca locutione παράλυσιν, Latinè verò dissolutio membrorum dicitur. Hic dum primùm ab eis fuisset perunctus, repentè de suo grabato quasi ceruus exiliens, ad laudem filij Dei incolumis redditus, ad propria remeauit. Deindè adducentes cæcos nonnullos, loca eorum luminum perungere studuerūt. Qui ipsi statim in Christi Iesu nomine discussa cæcitate, post multos annos lumen amissum recipere meruerunt. Aegrotantes autem plurimi, ad hoc spectaculum sunt adducti, manibus post terga reuinctis. Cumque & illi fuissent peruncti, mirabili virtute Dei vndiquè perfusi, sensu redintegrato pristino, ad propria dum reuertuntur sanissimi, laudes Dei omnipotentis filio Iesu Christo Domino Saluatori nostro persoluuntur ab omni populo.

Cap.3.

Sanguis ex latere imaginis Christi à Iudæis cōseruatur.

Miracula ex sanguine imaginis Christi.

Tumultus autem exortus est magnus per totam tandèm vrbem, concurrentibus omnibus propter innumerabilia, quæ fiebant, miracula. Et quicunque varijs languoribus infirmos possessos habebant apud se, illuc eos deducentes perungebant, & statim sanitatem quam desiderabant, cōsequebantur. Omne autem, ad quoscunque peruenire potuit opinio, afferentes infirmos, quos habere poterant in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, surdos, mutos, & leprosos siue aridos, deducebant eos ad synagogā Iudæorum, vbi hæc signa fiebant diuinitùs. Sed quanuis maxima esset hæc eadem synagoga, nequaquàm tamen recipere poterat superuenientium multitudinem. infinitæ enim erant populorū cateruæ, quæ illuc vndiquè confluebant propter innumerabilia miracula & prodigia, quæ pro sua nimia prolixitate, nè fastidium generent, transgrediendo prætermittuntur. Omnes autem principes sacerdotum & seniores, & omnis turba Iudæorum, paruulorum ac maiorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum, & dicebant: Gloria tibi sit æterne Deus & omnipotens pater, qui nobis indignis, quanuis serò, reuelâsti vnicum filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, quem, vt Esaiæ vaticinium cecinit, virgo concepit, & virgo peperit, ac post partum virgo permansit. Gloria tibi sit Christe fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miseris demōstrâsti. Tibi credimus, tu nobis esto propitius, & nos suscipere dignare, quia ex toto corde, & tota anima atque virtute ad te confugimus. Hęc & his similia clamantes dicebant, lachrymas autem amaras emittebant & singultus.

Iudæi permulti credūt in Christum.

Esa.7.

Postquàm autem curati sunt cuncti, qui ægritudine detinebantur, occurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum sanctæ ecclesiæ, quæ in eâdem vrbe erat, vbi & metropolitanum inuenerunt. Cuius prouoluti vestigijs, se peccâsse, se grauiter deliquisse, magnis vocibus fatebantur. Qui cùm ab ijs perquireret omnem rei gestæ veritatem, sanctam iconam Domini Saluatoris eidem demonstrantes, annunciauerunt cuncta,

Cap.4.

Confitētur metropolitano sua peccata.

cuncta, quæ in ea exercuerant: & qualiter ab ictu lanceæ, sanguis & aqua emanauit ex latere ipsius, necnon & de mirabilibus ab ea ostensis, illi retulerunt per ordinem. Ille verò interrogabat, qualiter icona ipsa ab ijs fuisset reperta, &, si ab aliquo eam excepissent. At illi retulerunt ei, quòd quidam Christicola per obliuionē in cellula synagogę proxima dimisisset eandem iconam, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia. Qui statìm iubetur inquiri, & repertus, in præsentia Domini metropolitani statui. Cumque ab eo studiosissimè fuisset interrogatus, quomodò icona apud se deuenisset, vel à quo tam mirabiliter posita esset, respōdit dicens, quòd Nicodemus, qui ad Iesum nocte venerat, proprijs manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliël autem Doctoris gentium Pauli διδάσκαλος, cùm diem sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, & Iacobus Simeoni & Zachæo, & sic per successores temporum in Hierosolyma perdurauit, vsquequò subuersio illius vrbis patrata est quadragesimo & tertio anno post ascensionem Domini & Saluatoris ad cælos. Sed biennium antè, quàm Titus & Vespasianus eandem subuerterent vrbem, admoniti sunt à spiritusancto fideles atque discipuli Christi, vt relicta vrbe, ad regnum se transferrent Agrippæ Regis: quia ipse tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egressi ab vrbe, omnia quæ ad cultum nostræ religionis vel fidei pertinere videbantur, secum auferentes, in has regiones transtulerunt se. Quo tempore etiam icona cum cæteris rebus ecclesiasticis deportata, vsq; hodiè in Syria permansit, quam ego ipse à parentibus ex hac luce migrantibus mihi traditam, iure hæreditario vsque nunc possedi. Hæc certa & manifesta ratio est de icona sancta Domini Saluatoris, qualiter de Iudæa in Syriæ partes deuenit.

Nota de imaginis antiquitate. Ioan.3. Act.22.

Auditis his sermonibus, reuerendissimus metropolitanus valdè hilaris redditus, conuersus ad populum Israëliticum, dicebat: Conuertere Israël ad Dominū patrem vniuersorum viuētium, & adora nobiscum eius filium, per quem sunt omnia creata, & spiritumsanctum, qui est viuificator cunctorū viuentium, & illuminator nostrarum animarum, festina debitum absoluere votum. Omnis autem turba stirpis Iudaicæ, clara vóce cœpit cantare & dicere: Vnus Deus pater, & ipse ingenitus: Vnus filius, & ipse vnigenitus Christus, quem patres nostri crucifixerūt, & nos ipsum agnouimus verum Dominum. Vnus spiritussanctus, & ab vtroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse saluandos. Hæc dicentes, postrati genibus ipsius, veniam postulabant de suis consequi sceleribus per baptismi remedium. Quos suscipiens beatus antistes cum suis clericis, per dies plurimos de disciplina erudiuit Christiana. Ad vltimum verò catechumenos factos, & triduano peracto ieiunio, ex aqua & spiritusancto regenerauit eos.

Iudæi baptizantur.

Cap.5. Postquàm verò baptismum consecuti sunt, rogabant enixiùs sanctum virum, vt synagogam suam ecclesiā consecraret in honore sancti Saluatoris mundi. Quorum petitionem minimè aspernatus, synagogam illorum, quę maior esse videbatur, in nomine vnigeniti filij Dei redemptoris mundi consecrauit. Extunc itaque per diuersas orbis terræ nationes & prouincias mos inoleuit, vt basilicas plurimas vel oratoria pontifices Christianæ legis, in honore sancti Saluatoris mundi condere & dedicare nōn desinant. Nam anteà antiquiores nostri vel maiores hoc peragere minimè præsumpserunt. Sed ad narrationis nostræ ordinem reflectamus articulum. Rogauerunt autem * metropolitani præfatum virum, vt cæteras synagogas eorum in honore quorundam martyrum consecrando reconciliaret. Itaque & huic petitioni libenter animum accommodauit, & quæ illi suggesserunt, Dei iuuamine fretus, cuncta expleuit deuotus. Factum est gaudium magnum in ciuitate illa, non solùm de sanitate corporum, quæ emanauerat maxima: sed & de tantis animabus, quæ ab interitu satanæ ad vitam æternam fuerunt reuocatæ.

*for. * metropolitanum præfati viri.*

Cap.6. Venerabilis verò & summus antistes die noctuq; varijs fluctuabat cogitationibus de hydria, quę Dominicū intra se retinebat cruorem, valdè hęsitās, quid de eo opportunum fuisset peragere. Tandèm autem salubri reperto consilio, omnium Ecclesiarum, quę per orbem terræ longè lateque consistebant, inæstimabile atq; profuturum prouidit consolationis remedium. Deniquè ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus portiones misit singulas de sanguine & aqua, quę de imagine Domini Saluatoris nostri decurrerunt, quas etiam per Asiam, Aphricam, Europam per suos nuncios dirigens, cuncta quæ apud vrbem iam dictam suo tempore contigerant, suis scriptis vel eloquijs manifestissimè vniuersis sanctę Ecclesię filijs viriliter declarauit. Hoc insupèr

ab his

ab his efflagitans, vt per annos singulos in mense Nouembri, qui apud Hebræos est nonus, apud nos verò mensis vndecimus, vno die ipsius mensis, id est, quinto Idus Nouembris, non minori reuerentia, quàm natalis Domini vel paschalis, ista dies præcipua obseruatione colatur.

Festũ huius miraculi indicitur in pЗpetuam rei memoriam

Cap. 7.

Hæc est vera & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Saluatoris, qui profluxit de sancta imagine ipsius, quæ crucifixa est in Syria, in Beryto ciuitate. Hic est etiam sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur. Nec esse aliter æstimandum à verè catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidiè spiritualiter efficitur. Hæc ergò sciens, amantissimi patres & fratres, accelerau declarare vobis ad ædificationẽ animarum vestrarum, ad incremẽtum vestræ fidei, vt & in hoc scire valeatis, quanta sit virtus & pietas Domini Saluatoris nostri Iesu Christi. Idcircò in fide fortes estote, & congaudete super magna & obstupenda eius miracula, quæ in nostra generatione à Deo sunt patrata. Et date illi gloriam cum lætitia gaudentes, & cum nimia compunctione eius maiestati immensas gratias agite, eò quòd fidei suæ & scientiæ dignos vos fecit esse. Ipsi Christo Iesu Saluatori, cum patre sanctoque spiritu gloria sit honorque, laus etiam perennis, qui sempiternum atque indiuisum absque initio & fine obtinet imperium.

spiritualiter, id est, inuisibiliter, & tamẽ realiter & substantialiter.

In VII. Synodo, quæ est altera Nicena, sequuntur hæc:

Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ, quæ est in Cypro, dixit: Eccè is, qui ab immortalitate appellationem sortitus est, totam hanc sacram congregationem ad compunctionem & lachrymas compulit. Non enim venerandas esse tantummodò imagines sanctorum docuit, sed & maximas quasdam medicandi rationes ab his proficisci. Tharasius sanctissimus patriarcha dixit: Sed quispiam dixerit, quamobrẽ miracula à nostris imaginibus non eduntur? Cui sanè ità cum Apostolo sit responsum: Miracula non credẽtibus data sunt, sed illis, qui in incredulitate versantur. Hi igitur, qui imaginem ità tractabant, infideles erant: qua de causa signum illis datum est à Deo per imaginem, vt ea ratione ad fidem nostram Christianam traherentur. Generatio enim improba & adultera signum quærit, & signum non dabitur illi.

Athanasiũ dicit.

1. Cor. 14.

Matth. 12.

VITA BREVIS SANCTI VICTONIS VIRDVNENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS, VT HABETUR *in antiquissimo MS. codice Ecclesiæ Traiectensis.*



TEMPORE Clodouci Regis Francorũ idem Rex cùm ciuitatem Virdunensem sibi rebellem obsidens subiugâsset, defuncto sancto Firmino eiusdem vrbis Episcopo, beatum Victonẽ fama nimiæ sanctitatis fulgentem, totius cleri & populi acclamatione Episcopũ fieri procurauit. Qui pontifex factus, & sanctissimè viuens, multis miraculis & præcipuè in leprosorum curatione refulsit. Inter cætera verò cùm quodam tempore serpens miræ magnitudinis in quodam specu quod erat in loco vbi nunc vsq; Crux magna lapidea consistit, iuxta viam publicam propè sancti monasterium latitaret, ex cuius flatu tam homines quàm animalia ibidèm transeuntes occidebantur, & incolæ illius terræ sanctum Victonem interpellâssent, vt eos ab huiusmodi interitu liberaret, sanctus post triduanum ieiunium omnibus indictum, cum vniuerso populo ad foramen speluncæ perrexit. Cuius aditum cùm fuisset ingressus nil cunctatus, stolam arripiens qua erat indutus, serpentem illum horrificum fortiter alligauit, eumque sub diuo foras extrahens, spectante populo, dicto citiùs extinxit: populum & iumenta liberans à morte pestis. Tandem post sanctæ prædicationis & pietatis exercitia, & maxima miracula, sanctus Victo, spiritibus Angelicis ei obuiàm venientibus & coronam imponentibus, quinto Idus Nouemb. migrauit ad Dominum. Ad cuius tumbam meritis eius cæci illuminati, dæmoniaci curati, claudi erecti,

9. Nouemb.

S. Victo fit Virdunensis Episcopus.

Serpentem ingẽtis magnitudinis diuina virtute occidit.

Feliciter obit.

Miracula ad sepulcrũ eius. erecti, & leprosi sunt diuina virtute mundati. Tempore etiam quodam cùm tanta siccitas & ariditas illam patriam occupâsset, vt nulla spes fruges habendi & colligendi superesset, & vniuersus populus lugens & ieiunans sæpiùs corpora sanctorũ cum pignoribus eorum circumportâssent, siccitatis remedium à Domino postulando, illa die qua corpus sancti Victonis cum deuotione portauerunt, meritis, vt creditur, ipsius sancti, eodem die dedit Dominus terræ pluuias opportunas, & terra deincèps reddidit fructum suum. Econuersò autem, cùm alia nimia tempestas opprimeret terram illam, & populus patrocinium sancti, corpus circunferendo
Miraculũ. petissent, mox largiente Domino facta est tranquillitas magna super terram.

MARTYRIVM SANCTI ARESTÆ, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE, VT HABETVR *in tomis Aloysij.*

Nouemb. 9.



IMPERATORE Diocletiano, magna quædam persecutio aduersùs Christianos commota est. Misit enim ille magistratus suos in omne sibi subiectũ Imperium, qui Christianos homines de medio tollerent. Vnus autem quidam, nomine Maximus, Imperatorem adijt, quem his verbis affatus est: Diuine Imperator, dux nostrorum deorum, & diuinorum, quæ ad illos pertinent, mysteriorum sapiẽs præceptor, peto à benignitate tua, vt iubeas me partes Ciliciæ & Cappadociæ percurrere, vt Christianos maleficos homines affligens, eosq; comprehensos multis & varijs cruciatibus subijciens, igne consumens, & in aquas præcipitans, funditùs perdere valeam. Hæc cùm Diocletianus audiuisset: Habeas, inquit, potestatem in toto Imperio meo, ad impiam Christianorum superstitionem euertendam: deos autem ipsos omnium dominos, ac totius orbis terrarum adiutores, vbiquè manifestos esse facias.

Vide gratuitã maligni hominis malitiam.

Cùm Maximus edictũ ab Imperatore accepisset, multo cum apparatu ac pompa egressus est, tanquàm leo, inuenta esca: cumque animũ immitem & misericordiæ omninò expertem haberet, properauit ad vrbem, quę dicitur Tyana. Quò cùm venisset, audiuit ab eius vrbis ciuibus, medicum quendam illic esse, Arestem nomine, qui quotidiè toti ciuitati persuadere studebat, vt Iesum Christum omnes colere vellent, & eius fidem sequi, quem & à parentibus didicisse aiebant, non esse deos alios, nisi vnum solum verum Deum ac cælestem, eiusque filium Iesum Christum. His auditis, iussit Maximus Arestem ante tribunal sisti, cui sic ait: Quæ nam est temeritas ista tua? Non enim parùm cõtra te commoti sumus. Dic igitur liberè nomen tuum, & genus. Tunc sanctus Arestes: Mea, inquit, libertas & fiducia est Iesus Christus, per quem loquendi libertatem consecutus sum: itaque nunc loquar: Christianus ego & sum, & vocor.

Arestes medicus defertur apud iudicem.

Tunc Maximus dixit: Quoniam te Christianum appellari dixisti, & Christum Deum esse confessus es, dijs sacrifica priusquàm tormenta patiaris. Ad hæc respondit vir ille sanctus: Dij, qui cælum & terram non fecerunt, dispereant. Ego enim cùm adhuc puer essem, didici sacrificium incruentum Deo viuenti offerre, quem & puro corde adoro: tuos verò adulterinos istos deos, & inanes ac vanas dæmones, quos tu dicis, non adoro. Tum Maximus: Video te, inquit, ætate florentem, prudentia & eruditione multùm valere, & medicinæ artis honestam ac decoram facultatem possidere. quamobrèm habeo rationem tuî, perindè ac si esses filius meus. Agè igitur dicas nobis, quod est nomen tuum, & qualísnam sit cultus parentum tuorum. Tum ille: Si cupis scire nomẽ meum, velim scias, apud Deum ipsum valdè honoratum illud esse. Nanque parentes mei, à quibus, quòd ad carnem pertinet, genitus fui, Arestem me nominârũt, vt scilicet placerem Deo, & hominibus per Domini mei Iesu Christi confessionem, & morborum, quibus humana corpora vexantur, curationem.

Ierem. 10.

Magna martyris libertas.

Ad hæc Maximus: Stultissime, inquit, & miserrime homo, cur loqueris sic petulanter? Cur teipsum decipis, cùm vnum Deum confitearis, & Christum, quem Iudæi, vt nefarium & maleficum hominem crucifixerunt? Respondit Arestes: Si magnam

magnam eius,qui crucifixus fuit, potentiam cognosceres, inanium idolorum errorem derelinqueres,& illum adorares,qui verè Deus est,ex Deo vero,qui corporeis oculis non cernitur,genitus: qui & ipse,vt Deus, corporeo visu non comprahenditur. Hic spontè diuinam naturam cum humana coniunxit, & à pernicioso diaboli errore nos liberauit. Ad hæc Maximus: Multis,inquit,verbis & fallacijs aures meas obtundis: quasi velim ego deos meos relinquere, & istum vestrũ Crucifixum adorare. Agè igitur & tu dijs nostris sacrifica,futurum sciens, vt, si hoc feceris,ad dexteram meam sedeas. At Arestes dixit: Ego æternum Deum,semper mihi benefacientem,& Dominum meum Iesum Christum adoro, eique seruio: dæmonum autem istorum particeps nunquàm fuero.

Deus corporeis oculis non cernitur.

Tum Maximus: Adducite illum ad templum deorum. Templum autem, quod dicebat,erat auro & argento excultum, atque idolis refertum. Ad Arestem verò conuersus: Sacrifica,inquit,dijs ipsis, Areste. Respondit ille: Erras magnoperè,cùm nescias,quid tibi expediat: isti enim dij tui ex ære, ferro, auro & argento confecti sunt ad decipiendos homines. nam neque vident, neque audiunt, cùm sint opera quædam manufacta: neque omninò sibi opem afferre possunt, nullã deniquè gratiam referre sciunt. Tum Maximus: Velim, inquit, scire, sacrificésne, an membra tua dissipari iubeam. Respondit Arestes: Putásne istis tuis verbis me perterrefactũ iri? Minimè hoc futurũ speres: sed quamprimùm fac,quicquid vis: ignoras enim, quem præsentem & mihi opitulantem habeo Dominum Iesum Christum. Tunc ait Maximus: Hominem istum virgis cædite, eumq; admonete, nè pergat ampliùs insanire. Ille autem cùm verberaretur,elatis in cælum manibus,ait: Respice,Deus meus,è cælo,& opitulare seruo tuo. Iussit verò Præses illum tandiù verberari,quoad milites ipsi vicissìm quadragenas plagas singuli infligerent, ità vt funes,lora, & nerui consumerẽtur. Mox vehementiùs eum cædi iussit, sic vt eius intestina extracta sint,& tanta viri tolerantia omnibus admirationem attulerit.

Constantia & fortitudo animi.

Virgis cæditur.

Vide crudelitatem.

Cùm igitur ità verberatus fuisset: Sacrifica dijs ipsis, inquit Præses, & dimittam te. Arestes verò nihil respondit. Itaque iratus Præses, iussit obeliscos ignitos fieri, & ad eius terga statìm adhiberi,vt ea primùm comburerentur, deindè aceto acerbissimo & multo sale conspersa tererentur. Tunc martyr ille beatissimus, erectis ad cælum oculis,ait: Deus,qui Sodomitarum vrbes igne consumpsisti, & Niniuem per pœnitentiam conuersam,tua virtute ad iustitiã traduxisti: da,quæso, mihi Domine,vt signum aliquod tuum in conspectu meo videam. Fac mecum signum in bonum,vt videant qui oderunt me,& confundantur. His dictis,sufflauit in simulacra illa,& statim comminuta sunt, atque in puluerem conuersa. Mox ait Præsidi: Et vbinàm est potentia deorum tuorum? Nunquid sibi ipsi opem ferre potuerũt? Cùm verò è templo egressus esset,statìm ædes quoquè illa euersa est.

Gen. 19. Ionæ 3.

Psal. 85.

Tunc iussit Præses in carcerem interiorem Arestem detrudi, & carceris custodi præcepit, vt neque panem, neque aquam ei daret. Sanctus verò martyr lætanti animo adijt carcerem,& elatis in cœlũ manibus,has preces emisit: Domine Iesu Christe,qui voluisti me ab ineunte ætate res iustas & honestas edoceri, quique omnem erroris cupiditatem atque illecebras à meipso repulisti, qui cælum, terram, quæque in his continentur,effecisti,qui mare ipsum certo loco constituisti, & eius bona humano vsui contulisti, qui sanctos tuos Abraham, Isaac, Iacob, ad requiem tuam perduxisti: quæso,nè me derelinquas: quoniam totum me tibi addixi,ac tradidi: fac, vt particeps fiàm eorũ qui martyrio ante me functi sunt, & hæreditatem tuam perceperunt: quoniam gloriosum est nomen tuum in secula, Amen.

Oratio eius ad Dominũ.

His precibus ad Deum missis, cùm septimum diem in carcere transegisset, octauo die Præses in tribunali sedens,iussit Arestem illuc duci, & in eum intuens: Nefarie,inquit,impie,& deorum inimice, cur ausus es frigida quædam & stulta verba loqui? An proptereà id fecisti,quia leniter tecum locutus sum? Agè igitur saltem nunc quod æquum est, facias. nisi enim mihi obtemperaueris,dijs sacrificans,acerbiores cruciatus contra te statìm excogitabimus, & pessimis modis vitam tibi auferemus, corpusque istud tuum in aquam proijci iubebimus. Ad hæc Arestes: Liceat omnia tormenta tua huc afferri: paratus enim sum ea libenter perferre,cùm Domini mei Iesu Christi sigillum in corde meo impressum habeam. Tunc furore accensus Præses, iussit clauos, palmi longitudinem singulos habentes, afferri, & clauis illis eius talos configi. Cùm igitur martyris pedes carnifices configere

Contemnit minas martyr inuictus

Nota miraculum.

voluissent, pedes illi facti sunt ità duri ac solidi, perindè àc si ferreæ crepidæ fuissent.

Itaque cùm impius Præses animaduerteret, Arestem nequaquàm posse subijci, diabolus in eius mentem coniecit, vt alia quadam machina excogitata, celeriter martyrem interficeret. Præcepit igitur cohorti, vt equum quendam maximè terribilem illuc adducerent, & Arestæ manus catenis constrictas, in illius equi femore illigarent, & animal ipsum vi multa impellerēt, vt vitæ finem quamprimùm martyr haberet. Fecerunt carnifices, quod à Præside iussi fuerant, cumque longè ab vrbe Tyana quatuor & viginti milliaribus, in equi femore ligatum pertraxerūt. Quo loco spiritum Deo reddidit.

Feliciter abit è vita.

Hoc audito, Præses iussit martyris reliquias in flumen quoddam, Phibum nomine, quod est è regione montis, statim demergi. Eo autem loco visus est homo quidam adspectu, instàr Solis, effulgens: qui cùm sancti martyris reliquias collegisset, in monte, qui est prope vrbem Tyanam, eas deposuit. Hæc autem cùm præses Maximus fecisset, sancti martyris Arestæ acta misit in vrbem Antiochiam ad Imperatorem Diocletianum. Completum fuit Arestæ martyris certamen atque martyrium die nono mensis Nouembris, in Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria est & imperium in secula, Amen.

VITA SANCTÆ ET SEMPER MEMORANDÆ THEOCTISTES LESBIAE, EX SIMEONE METAphraste, *habetur in tomis Aloysij.*

Nouēb. 10. Cap. 1.



LAVDARE quidem ea, quæ sunt bona, & quæ ad virtutem ducūt & ad pietatem, beatum est, & est bonorum virorum, & qui verè digni sunt laude. Excitant enim auditores encomia, & oratio magis facit æmulari laudes, quàm eos, qui sedent in certaminibus, athletarum æmulatio. Etenim animi solent bonis verbis augeri & componi: quomodò corpora moderatis exercitijs. Quamobrèm alios quidem facit oratio erumpere ad fortitudinem & magni animi virtutem, & veluti à Deo afflatos tractare arma manibus, & quærere aduersarios: alios autem amplecti iustitiam, & laudare æqui diuisionem, & totos ea in re versari, iniustos insectantes: alios amare temperantiam, & vincere voluptates, & magna contentione prosternere libidines. Sunt etiam, quos æmulatio facit prosilire ad philosophiā, & eam maximè persequi, quæ versatur in actione, quæ mores componit, & docet accedere ad Dei imaginem, & ei effici similes, quatenùs id humana potest natura cōsequi: despicere ea, quæ fluunt, corpori non parcere, è terra surgere, & ad cælum erigi, vbi nostra conuersatio & totius corporis caput est Christus. Pium enim esse propriè & primò, est Christum colere rectè viuendo, & absque vlla repræhensione, & sequendo dogmata beatorum Apostolorum & patrum, propter spem vitæ æternæ & regni. Sic ergò laudes bonorum & encomia fortium virorum excitant auditores ad æmulationem eorum, qui laudantur: quomodò contrà, quæ sunt mala, aures corrumpunt, veluti quædam pestis inficiens corpora. Corrumpunt enim, inquit Apostolus, bonos mores praua colloquia.

Animum & corpus quæ confirmēt.

Sermonis siue orationis magna vis.

Vera pietas

1. Cor. 15.

Cap. 2.

Sic ergò ego quoquè accessi ad vos, afferens vtilitatem, quæ est ex præsenti narratione: quæ proderit multis bonis, & digna erit, quæ mandetur memoriæ, & conscribatur. Nam & Deus glorificabitur, qui glorificat eos, qui ipsum glorificāt, quomodò sacra scribunt eloquia: & auditores beatum existimabūt eum, qui illa opera fecerit, & volent æmulari. Beatum enim pronuncia, dicit quidam vir magnus, eum, qui est dignus beatitudine, vt sis sicut ipse, proposito beatus, absque certaminibus & laboribus. Verumenimuerò eos quoquè quos laudamus, studemus æmulari. Quod enim quis laudat, id etiam scilicet desiderat? Quomodò contrà quod odit, ei derrahit & id vituperat. Cùm ergò hæc ità se habeant, & oratio ostenderit esse magnam in bonis narrationibus vtilitatem, rogo vestram charitatem, vt aures accommodantes ad præsens argumentum, & cum curis mundanis facientes indu-

1. Reg. 2.

cias

cias, purè accipiat narrationis huius magnitudinem. Sedenim nescio quomodò mei oblitus, cùm & oratione & vita procùl absim ab ijs, quæ dicũtur, & sciam conuenire hæc scribere ijs, qui & certamina & vitam habent parem ijs, qui celebrãtur, adductus sum ad hoc scribendum. Sed quoniam est etiam merces obedientiæ, resque est & salutaris & beata ducitur, meritò absoluar à crimine audaciæ, implens mandatum viri, ab ineunte ætate Deo consecrati, & qui elegit habitare solitudinẽ, conueniẽter magno Eliæ & Iohanni, qui est supra omnes, qui sunt inter natos mulierum. Est ergò incipiendum ab alto argumentum. est enim iam tempus id referre, si vos mihi attentas aures præbueritis. Meritum obedientiæ.

Cùm essem aliquandò in Paro: fui autem: nauigabam enim in Cretam, à beato & pio Imperatore missus, qui fuit reuerà felix, & felicitatem Romanorum simul cum suo sepulcro sepelijt. Mittebar autem, partìm quidem simul militãs cum clarissimo illo Hemerio, viro ducendi exercitus peritissimo, qui vniuersæ classi imperabat, & vt veriùs dicã, ipsis etiam animi perturbationibus: nè verò, si de eo, quod est laudibus dignum, de imperatoria, inquam, eius virtute leuiter & per transitum dixero, eius paruam faciens mentionem, eum afficiam dedecore, vt qui taceam præclara eius facinora, quæ non potest consequi oratio, accedo ad præsens argumentum, illius mentionem opportunè facturus. Mittebar ergò cum illo militaturus, & deducendus ad actiones artis imperatoriæ, non secùs àc pullus ad matrem, ad præclarissima eius stratagemata exiliens. is enim erat scopus & propositum beati mei Imperatoris: partìm autem legatione functurus ad Arabes, qui tunc tenebant Cretam. Cùm verò fuissemus in Iö insula, & nè vlteriùs progrederemur, ventus aduersus prohibuisset, nauigauimus ad Parum, in transitu visuri situm insulæ, & contemplaturi quod illic est templum Dominæ nostræ Dei parentis. Cùm autem delati essemus in portũ, qui spectat ad Naxum, (is verò sensìm & paulatìm fit profundus, apteque & eleganter secedit à fluctu: perindè acsì esset ad hoc constructus, & montis concauitate inclusus, vt facilè hyemarent & æstiuarent nauigia) descendimus, & cùm parùm processissemus, ad templum venimus. Cap. 3. Arabes obtinent Cretam.

Cùm autem suffijssemus, & de more precati essemus, admirãtes id circuibamus. Erat verò id spectatu dignissimum, & seruans adhuc reliquias veteris pulchritudinis. erat enim vndiquè iusta constructum symmetria: & frequentibus erat fultum columnis ex lapide basilico, & secto lapide vestiti erant eius parietes, non secùs àc columnæ. Lapidem autem adeò tenuem & subtilem effecerat artifex, vt viderẽtur parietes esse induti textis byssinis. Marmoreus verò nitor lapidum tantum ostendebat candorem & splendorem, vt vel margaritarum superaret fulgorem. Tam egregius erat lapis, vel potiùs studium artificis, qui etiam contendit naturæ tribuere pulchritudinem. Cùm autem venerandę & diuinæ mensæ, quod est suprà impositum, tegumentum intra portam vidimus, stupuimus elegantiam. Ità enim erat tornatum, vt non videretur habere naturam lapidis: neque ferro & arte & manibus esse excisum: sed simile erat cuidam succo lactis commixto, cuius suffusio fabrefacta erat ad tecti figuram. Tali ego lapide vidi aliquandò lunam currum agentem Tauris. Atque iacebat illud quidem confractum: nos autem concurrimus, & propè stetimus, execrantes & maledictis omninò insectantes eum, qui contriuerat. erat enim id donarium domo Dei planè dignum. Cap. 4. Templum matris Dei in Paro pulcherrimum. Diuinam mensam altare vocat.

Cùm nos ergò adstaremus, & admiraremur, & in eum, qui confregerat, exclamaremus, videmus repentè monachum profectum è solitudine, & progrediẽtem è nemore, & ad nos venientem, vultu pallidum, genis macilentis, nudis pedibus, totum squallidum, tunica è pilis contexta, superhumerali & capitis tegumento tunicæ similibus, zona pellicea cinctum circa lumbos, perindè àc fera hirsutum, tanquàm Angelum propitium. Neque enim erat similis viro, qui cibo vescitur: sed carnis propemodùm experti & exangui: & vt semèl dicam, virtutum, vel ipsius potiùs Dei, habitaculum. Accedens ergò nos salutauit, & nos eum vicissìm: & rogauimus vt diceret, quisnam esset, patriamque & genus, & an solus hìc viueret. Ille autem: Patriam quidem, inquit, & genus, & alia, quibus gloriantur ij, qui habitant ciuitates, nõ possum dicere. Neque enim est mihi curæ aliquid ex ijs, quæ sunt in terra: neque delector ijs, quæ fluunt. Pater verò mihi & Dominus, est Deus, cui soli vitam ago: propter quem solus per hanc errans solitudinem, plusquàm triginta annos perseuéro. Est autem mihi nomen Simeon: dignitas autem, humilis monachus, Cap. 5. Simeon eremita & monachus eximius. Perfectus mundi contemptus.

chus, sacerdos & minister & mysta viui & incruenti sacrificij. Nos autem viri virtutem reueriti, tam ex verbis, quàm ex adspectu & indumentis, prætereà verò ex exercitatione, & maximè, quòd Dei erat sacerdos, ad pedes eius procidentes, preces postulauimus & veniam, quòd eum dignouerimus. Ille autem est precatus, & porrexit verba adhortationis: & iussit, vt nosipsos attenderemus, & non essemus tristi & anxio animo. Est enim, inquit, Deus misericors & patiens: & eos, qui ad ipsum conuertuntur, vlnis excipit sicut prodigum.

Luc. 15.

Cap. 6. Cùm has & huiusmodi alias dedisset exhortationes, siluit. Ego autē cùm essem curiosior, & satis pulchrè viri mores intelligerem, rogaui magnum, & supplex ab eo petij, vt nos doceret aliquid ex ijs, quæ sunt nobis arcana. neque enim mihi videbatur esse expers diuinæ consuetudinis. Ille verò, De his quidem, inquit, satis. nondùm enim sum dignatus talibus. Huc enim véni, vt mea lugerem, non vt quæ sunt supra me, quærerem. Hæc autem dicebat, an fingens, an vera dicens, nescio. Cùm me autem dextra appræhendisset, & demulsisset tanquàm iam familiaris: etenim sic eum affecit simplicitas. Animæ enim magnorum virorum, cùm sint participes eius, quod est præstantius, ad ipsum contendunt accedere, & ipsius primi boni participatione, fiunt omni ex parte boni, synceri, simplices, separati ab ijs omnibus, quæ sunt in nobis: quomodò etiam hic magnus, cùm esset iucundus & bonus, videbatur deinceps, eò quòd esset alienus à simulatione, esse vnus ex nobis. Deindè iussit nos sedere in sedibus arte non elaboratis, sed quæ se fortè obtulerant. Erant autem lapides & columnæ ex eo quod corruerat, & herba densa & viridis, & fons, ex quo scatebat aqua dulcis ad bibēdum, & totus locus erat plenus quiete & silentio, & diuinis dignus narrationibus.

En quales sint viri heroici & perfecti.

Cap. 7. Cùm ergò sedisset super herbam, & me iuxtà sedere fecisset, videbatur lætari, quòd in nos incidisset. Fixis autem ego intuens oculis: Tempus est tibi, inquam, ô pater, narrandi, si quid hîc vidisti pulchrum & dignum quod referatur. Sed iam loqui incipe, & refer quisnam confregit mensæ diuinæ operculum, & quænam est ea fera & agrestis anima, quæ ausa est tale opus confringere. etenim cogitabam eum paulatìm inducere ad perfectiora. Ille autem cœpit dicere: Audiuisti de illo Nisiri, qui imperauit Cretæ copijs naualibus. Is cùm hîc fuisset, & admiratus esset eius elegantiam, in animo habuit id in Cretam transmittere. Postquàm autem portas est dimensus, & deindè hoc sacrum & diuinum tectum, & pulchrè visum est se habere, deiecit humì, & ad portas traxit, vt educeret. Id verò repentè factum est maius & maius: idque sæpè, donèc tandèm cessit Arabs. Cùm autem frustrà laborâsset, & scopum non potuisset attingere, (nolebat enim, vt videtur, res diuina inquinari, & execrandis seruire sacrificijs. studebat enim, vt dicitur, id deponere in synagoga donariorum Agar) furore correptus, cogitauit id confringere.

Vide miraculum.

Cap. 8. Hæc cùm audijssem, maledictis insectabar sceleratum illum & execrandum. Ille autem dicit: Nè cures, dedit is haud ità multò pòst pœnas insolentiæ, vt qui nauem fregerit in Eubœæ promontorio, quòd vocatur Xylophagus, & fuerit in eo submersus. Rogaui autem diuinum illum virum, vt cibum sumeret, & vt consolaretur nostram animi ægritudinem, susceptam proptereà, quòd non vlteriùs procederet nauigatio. Videbamur enim tempus terere, aduersis ventis nobis spirantibus. Ille verò cibum sumpsit, & nihil celans, mihi dixit: Nauigabis quidem Naxum: & cùm illic in portu nauem tenueris vno die, secundo die pòst nauigans, tertio die venies in Cretam, nihil aduersi reformidās: & tibi impositum munus obibis vt voles, & vt tibi iussit Imperator: & reuersus, pulchrè accipieris ab eo, qui te misit. Atque hæc quidem posteà facta sunt, vt ille dixit, & finem acceperunt. Cùm autem precati essemus, & hymnos in templo dixissemus, descendimus in nauem cum magno illo sene. Manè autem transmisimus in Naxum, cùm esset fretum solùm decem stadiorum. Ipse verò cùm Deo diuinum peregisset ministerium, & nos diuinis impertijsset sacramētis, nobiscum cibum sumpsit. Deindè cœpit mihi dicere:

Vltio in sacrilegum.

Prophetia Simeonis monachi.

Missā dicit.

Cap. 9. Tu quidem fortassè ad te excusandum de non suscipiendo eo, de quo sum tuam rogaturus charitatem, in medium adduces inopiam, aut seruitiorum causam, aut vxoris & liberorum & domûs curā, aut aliquas alias causas, recusans id, de quo nos te rogamus. Ego autem tibi rerum prosperitatem, fertilitatem & abundantiam rerum omnium polliceor, & fore, vt magnum tibi suppetat ocium. Te verò rogo,

vt tunc

vt tunc memor eorum, quæ tibi dixi, conscribas id, quod hîc factum est, quod dignum est quod mandetur memoriæ: vt Deus noster ab ijs, qui audiunt, in admiratione habeatur & laudetur. Mirabilis est enim, inquit ille, Deus in sanctis suis: & multi etiam effecti imitatores eorum, qui sunt laudati propter virtutem, æqualia consequantur: & ipse lucrifacies mercedem, quæ ex ijs accipitur. Cùm me sic esset adhortatus, incepit. Psal. 67.

Venatores quidam ex Eubœa huc venerũt non multis abhinc annis. habet enim insula magnam copiam ceruorum & caprearum. Eorum vnus vir pius, & qui suæ curam gerebat animæ, narrauit narrationem valdè consentaneã Dei magnificentiæ, qui suo tempore facit admirabilia, & quæ sunt præter hominum opinionem. Veni, inquit, aliquandò huc venator, & cùm ascendissem ad diuinam ædem Dei parẽtis, adoraui & precatus sum, sicut mihi semper erat mos. Cùm autem post preces circunspexissem, vidi in solo parùm aquæ in fossa, & pauca grana lupinorũ, quæ madefiebant. Locus enim hic alit lupinos, quomodò reliquæ insulæ herbas diuersas. Nam alia quidem producit magnam marathri multitudinem: alia autem solummodò rutam, & alia satureiam, & alia thymum, aut aliquid aliud. Quod verò fert inter omnia eximium insula, hoc magìs nutrit quàm alia, redditque floridius. Vidi ergò, vt dixi, lupinos, qui reddebantur teneri, & me quædam subijt cogitatio, quòd esset omninò aliquis, qui hos demisisset in lacum: & quòd, vt est verisimile, vir aliquis diuinus hanc habitet solitudinem. Hoc ergò reputans, festinabam venire ad socios, qui iam iuerant in syluam. Optabam autem magnam hanc prædã consequi. sperabam enim fore, vt magnum aliquod lucrum ab eo acciperem. Et cùm multùm quidem venati essemus, tendebamus ad nauem. Sed illi quidem iuerunt ad mare: ego verò me conuerti ad preces. Ingressus itaque hoc templum Dominæ nostræ, orabam. Video autem ad dexteram sanctæ mensæ templi veluti quoddam subtegmen, quod vento agitabatur: & rursùs visus sum videre telam araneæ. Postquàm autem progressus voluï discernere quod apparebat, audiui vocem dicẽtem: Siste gradum, neque vltrà progrediaris ô homo, neque accedas propiùs. Erubesco enim, cùm sim fœmina, à te nuda conspici. Cap. 10. Templum Dominæ nostræ, id est, sanctissimæ Virginis Mariæ.

Hæc ergò cùm audiuissem, & obstupefactus fuissem re admirabili, volebam fugere. A carne enim mea pili exilïerant, & erant spina acutiores. Nam quod inexpectatum repentè appáret, deijcit ac deprimit spiritus, etiamsi quis videatur esse audacis animi. Stabam itaque obstupefactus, & ore aperto. Postquàm autem ad me redij, animo confirmatus, rogaui quisnam esset, & quomodò hanc habitet solitudinem. rursùs vox extitit, dicens: Iace mihi, rogo, tunicam: & cùm tecta fuero, quantùm mihi iubet diuina voluntas, non dubitabo dicere. Cùm me itaque superiore amictu protinùs exuissem, eũ dimisi, & extra portam sum egressus. Illa autem eum accepit, & se induit. Paulopòst verò reuersus, video eam stantem, vbì priùs, & erat figura quidem mulier: id autem quod apparebat, erat supra hominem: pili albi, vultus niger, ostendens parùm alboris, pellis quæ membrorum continebat compagem, cùm nulla inesset caro, vmbræ similis. forma quæ solùm humanam seruabat similitudinem. Hæc ergò, inquit, cùm vidissem, timebam, contremiscebam, maledictis incessebam, & meam reprehendebam importunitatem, quòd cùm essem curiosus, meos socios reliquissem. Tremebundus tamen & pronus humì cadens, rogabam vt precaretur: & obsecrabam, vt ab ea benedicerer. Illa autem primùm quidem conuersa ad Orientem, vt quæ fortè vellet meum sedare animum, nè ea videretur esse spectrum, extẽsis manibus precabatur, parùm submurmurans. Conuersa autem ad me, dicit: Deus, ô homo, tuî misereatur. sed quanam de causa venisti ad hanc solitudinem? & quo opùs habens, venisti ad insulam, quæ minimè habitatur? sed quoniam te diuina huc deduxit voluntas, meæ, vt existimo, gratia humilitatis, de me te omnia docebo, vt voluïsti. Cùm me autem rursùs humì prostrauissem, eá sic cœpit loqui: Cap. 11. Ecce hominem, præter humanam formã nihil ferè hominis habentem.

Mihi, inquit, patria est Lesbos, Methymna ciuitas, nomẽ Theoctiste, vitæ institutum monachatus. Cùm autẽ essem adhuc infans orbata parentibus, à cognatis tradita sum in monasterium virginum, & induta sum habitu monastico. Nata verò decem & octo annos, in diebus paschalibus, excurri in vicum propinquum ciuitati, salutatura sororem. habitabat enim in vico cum coniuge. Noctù autem irruentes Arabes Cretenses, quorum Dux erat ille Nisiris, omnes abduxerunt captiuos, Cap. 12. S. Theoctiste narrat historiam suam.

Manè verò cùm pæana cecinissent, enauigârũt, & huic insulæ appulerũt. Adductis autem captiuis, cùm quærerent pecuniam & precia statuerent, ego accepta occasione contẽdens in syluam, cursu feror in intima insulæ: & decæterò non destiti fugere, donèc petris & acutis lignis pedes perforaui & cónscidi, & sanguine terrã infeci: & tandèm defecta viribus, cecidi semimortua: & totam quidem noctem, non ferens dolores vulnerum, acerbè transegi. Manè autem cùm scelestos prædones vidissem nauigantes, liberata sum ab omni dolore, & repleta sum maxima animi voluptate: & nunc iam trigintaquinque annos & paulò plùs hîc alor perpetuò lupinis & herbis, quæ nascuntur in solitudine, vel potiùs Dei verbo, recordata diuinorum eloquiorũ, quòd non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo, quod proficiscitur per os Dei. Nuda autem euasi, confractis mihi pannis, cum quibus abducta sum captiua. Induor verò & tegor manu diuina, quæ continet omnia.

Nota victũ sanctæ fœminæ. Deut. 8.

Cap. 13. Hæc cùm dixisset, & manus in cælum sustulisset, egit gratias. Cùm autem parùm intermisisset, quoniam videbat me terram tacitum intuentem, & nec audentẽ quidem eam fixis adspicere oculis, dicit rursùs incipiens: Res quidem meæ queadmodùm se habeant, narraui ô homo. Peto autem, vt vna in re mihi gratificeris propter Dominum. Quandò anno sequenti nauigaturus es in hãc insulam venandi causa, (scio enim te omninò venturũ, si Deus velit) vt in vase mundo mihi accipias vnum ex intemeratis donis corporis Domini nostri Iesu Christi. Ex quo enim hanc habitaui solitudinem, tali dono nequaquàm sum dignata. Hæc ergò cùm dixisset, & iussisset nulli quicquam de ijs dicere, cum precatione me dimisit ad socios. Ego autem me omnia impleturum pollicitus, abij lætus, quòd Deus meum implêsset desiderium, quòd me dignum censuisset, qui talem thesaurum consequerer. Quomodò ergò Sancta mihi iusserat, quandò eram cum socijs exiturus ad venandos ceruos & capreas, quas hæc insula alit multas & aliorũ maximas, & visu & narratu admirabiles. Nam ceruis quidẽ sunt colore similes, ceruis autem maiores magnitudine: est autem eis cornu longum, nempe duodecim palmorum, non vt ceruorũ, ornatum ramis & adnatis propaginibus: sed totum rectũ, & quod vnum solum habet porrectum stipitem. Cùm ergò essem, vt dictum est, nauigaturus ad venationem, accepta in pyxide parte diuinę carnis Domini, eam tuli ad beatam. Cùm venissem autem in insulam, & declinâssem in ædem Dei matris, eam non offendi. an autem adesset & lateret, quoniam mecum ascenderant quidã ex socijs: an verò abesset, nescio. hoc tantùm scio, me eam non offendisse. Atque alij quidem profecti sunt in syluam venaturi: ego autem clàm reuersus sum in templum, & protinùs sacrosancta mulier apparuit, induta tunica, quam à me priùs acceperat.

Paros insula alit capreas admirabiles.

Cap. 14. Cùm me autem in terrã proiecissem, accurrit, & cũ lachrymis dixit eminùs: Nequaquàm hoc facias, ô homo, nequaquàm facias, diuinum donum afferens: nè vras miseram, diuina dedecore afficiens. Me itaque tunica appræhensum erexit. Ego autem eduxi è sinu meo pyxidem cum carne Domini. Cùm illa autem in terrã cecidisset, diuinum donũ accepit, & lamentationibus & lachrymis terram rigans, dixit: Nunc dimittis ancillam tuã Domine: Quoniam viderũt oculi mei salutare tuum: Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quò tua me iubet potentia. Hæc ergò cùm dixisset, & manus diù in cælum extendisset, me precibus prosequens, dimisit ad socios. Cùm paucos autem dies venati essemus, & prædam satis magnam cepissemus, reuersi sumus. Et illi quidẽ profecti sunt ad nauem: ego autem cucurri, vt illius beatæ preces acciperẽ viæ comites. Cùm autem venissem in templum, & deindè circunspicerem, vt eam viderem, video eam in eo loco, in quo priùs videram, emigrâsse. Cùm ergò procidissem, & beatos eius pedes essem amplexus, & rigâssem lachrymis, stabã mutus, diù dubitans quidnã facerem. Atque videbar quidem sapienter & vtiliter facturus, si cum lachrymis Deo supplicans, & sanctæ motus reuerentia, rogarem, vt huic rei à Deo prouideretur: & quomodò is ostendisset, iussum diuinum exequerer. Quòd si hoc non essem assecutus, secunda erat, vt dicitur, ineunda nauigatio, nempe vt hanc rem socijs communicarem, & cum eis sepulturæ mandarẽ beatę reliquias, hymnis & canticis prosequens pro viribus. Sed vt videtur, non facilè contingit se sapienter gerere.

S. Theoctiste accepta Eucharistia migrat ad Dominum.

Cap. 15. Ego itaque non sum assecutus id, quod erat honestũ & decorum: sed rusticitate & ingenij leuitate (Quid enim, & venator & imperitus, noui excogitâssem?) feci rem audaciorem, fide quidem, vt mihi videbar, sed minimè Deo grata. Nam cùm

eius

eius manum amputâssem, & lineo texto inuoluissem, ascendi in nauem. Cùm profundo autem vespere è terra soluissemus, & velum expandissemus, secundis ventis spirantibus ferebamur tanquàm volantes, & sperabamus nos manè venturos in Eubœam. Cùm autem dies illuxisset, inuenti sumus rursùs stãtes in eodem portu, perindè acsi ab ancora, aut ab aliqua remora teneretur nauis. Metus ergò omnes inuasit: & se inuicèm circunspicientes, tremebundi quærebamus causam rei, sciscitantes & inquirentes, num nefarium quippiam à nobis factum sit, cur arceremur. Cùm verò alius aliud dixisset, intelligens ego audax meum facinus, inscientibus omnibus, in templum sum reuersus: & cùm posuissem manũ in corpore sanctæ, descendi in nauem. Hortatus autem socios, cœpi iter ingredi. Cùm verò multùm prouecti essemus, erat deincèps cymba volucris, velum replente vento: fuitque rectus cursus & absque vllo impedimento. & tunc ego rem narraui socijs, & quemadmodùm beatam illam inuenissem, & quemadmodùm res eius se habuissent, renunciaui, & quemadmodùm donum diuinum attulissem, & ea dormijsset, & eius manum habens, ingressus sum vesperè: & propter eam retenti sumus, & sperabamus nauigare: & nunc recto cursu ferimur, quoniam deposui reliquias. Ecce miraculum.

Hæc cùm illi audiuissent, & me multùm repræhendissent, proram protinùs obuerterunt, & magno studio in Parum sunt reuersi. Omnesque simul cursu in templum contendimus, timentes quidem & contremiscentes: fide autem freti tamen accedimus, & vidimus quidem locum, in quo erat posita, seruantẽ velutì figuram corporis: corpus autem euanuerat. Atque omnes quidẽ inuasit admiratio & stupor, & huc & illuc currebamus, considerantes, circunspicientes, nũ alicubì cecidisset, aut in vitã esset reuocata: & totam syluã & saltus obibamus, eã inuestigãtes, sicubì diuinus ille lateret thesaurus, miseri & insipientes & crassi homines, & ea persequentes, quæ reuerà non possunt comprælendi: & diuinorum ignari miraculorum, neque Elisei reueriti miraculum, qui eos, qui à Rege Syrorum missi erant ad eum comprælẽdendum, latuit, cùm esset in medio eorum, & cùm eos priuâsset videndi potestate, duxit in Samariam, & Regi tradidit. Mitto enim dicere de magno Thaumaturgo, qui eos, qui ipsum inuestigabant vt comprælenderent, in monte orans, latuit vt arbor effectus. Cum ergò, inquit, sic frustrati essemus venerandis illis beatæ reliquijs, ad nauem descendimus, & à terra soluentes, domum abijmus, Deũ laudantes & hymnis celebrantes, qui semper facit res magnas & admirabiles. Cap. 16. Sanctæ corpus nō potest inueniri. 4. Reg. 6.

Hęc, vt à me superiùs dictũ est, cùm narrâsset ille beatus homo & maximus, sacramento adegit me, nè hoc argumentum mandarem profundo obliuionis: nec aliquam afferens excusationẽ, tacerem miraculum, diuinam timens vltionem & sanctæ indignationem. Roganti autem mihi tempus & diem eius decessûs, vt scriberetur cum miraculo, & eius perageretur memoria, dixit vir ille sanctus: Multa quidem, vt vides, ô dilecte, prætermissa sunt, quæ pertinent ad narrationẽ. Oportebat enim persequi & genus, & omnem eius in insula exercitationem & afflictionem, & quemadmodùm decertauit aduersùs insultus inimicorũ. Sed quid agã, cùm is, qui in magnam illam incidit, non esset sicut magnus ille Zosimas, qui sciebat inuestigare vitam, & certamina & res gestas: sed contrà nutritus in montibus, & crassus, & qui hæc nõ audiuerat: sed hoc solùm memoria tenebat, vt dicebat, quòd esset tempus autumni, & mensis Nouembris. Sed magni faciendum fuerit, si vita beatæ scriptis mandetur, & non infodiatur in profundo obliuionis. Memoriam autem, boni omninò viri & eius æmulatores, opportunè referent in diem festi, sicut placet. Aliquam enim gloriam afferent encomia & celebrationes ijs, quibus regnum cælorum & bona æterna obtigerunt: ad quæ desiderant etiã adspicere ordines angelorum. Sin minùs, æmulationem quidẽ certè & zelum ijs, qui conueniunt, & Deo laudem ac gloriam, & beatitudinem ipsorum, de quibus fit mentio. Quibus enim vita tribuit gloriam, meritò eos etiam beat & ornat, cùm prædicatur. Cap. 17. Zosimas vitam Mariæ Aegypt. acq; ex ipsa accuratè perquisiuit. Vide historiam eius Tomo 2. 9. Aprilis.

Hæc cùm ille vir magnus nobis exposuisset, & valdè rogâsset, nos emisit. Cùm secundi autem spirâssent venti, die sequenti Diã appulimus. Hoc est insigne lucrum nostræ in Paro conuersationis. Hæ sunt merces, quæ præter spẽ obtigerunt proficiscenti in Cretam. Hæc est vita beatæ Theoctistes. Hæc est exercitatio aduersùs principatus & potestates, & principem tenebrarum huius seculi lucta & decertatio. Ego autem accessi implens obedientiã, & exoluens debitum. Ex quo quidnam efficietur? multa quidem etiam alia, sed hæc tria maxima. Ipsi quidem suppediatori- Cap. 18. Dia insula eadem, quæ Naxus.

&

& administratori Deo laus, confessio & gloria: Sanctæ autem ex oratione beatitudo, & anniuersaria cum eius commendatione memoria: & nobis qui scripsimus, munificus & magnus noster Deus Iesus Christus, pro prompto & alacri animi studio dabit remunerationem, intercessionibus sanctissimæ eius matris Dei parentis, diuinorum Angelorum, & omnium sanctorum: Quoniam ei gloria cum patre & spiritu sancto, nunc & in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI MARTYRIS * MENAE AEGYPTII, QVI MARTYRIVM subijt in Cotyeo. Habetur in Simeone Metaphraste, quinto tomo Aloysij.

* al. Menas

Nouemb. 11. Cap. 1.



IMPERANTIBVS Diocletiano & Maximiano, qui erant veri Regis hostes & inimici, ibāt literæ per vniuersum orbem terræ, quæ iubebant colere impiam eorum religionem: & quæ mortem statuebant pœnam ijs, qui non parebant eorum edictis, & à solida fide in Christum non ex animo dimouebantur. Hinc quid non graue accidebat ijs, qui diligebant Dominum? Angusti erant carceres multitudini eorum, qui quotidiè capiebantur. Vacuæ erant habitatoribus, quæ fuerant aliquandò plenæ domus: solitudines, propter multitudinem eorum, qui fugiebant, mutabantur in ciuitates. Amici veritatis, tanquàm qui pessima fecissent, dedebantur supplicijs, diripiebantur facultates, euertebantur leges naturæ, patre quidem ad mortem prodēte filium, filio autem patrem vicissim talibus prosequente officijs: & vbiquè dispersa erat nox profunda, cùm fideles quidem omni ex parte expellerentur, impietatis verò defensores tota manu confirmarentur, sanguineque & nidore sacrificiorum ipse etiam aër inficeretur. Tunc quidem, tunc Menas hic admirabilis & virtute celebris resplendebat, patriam quidem habens Aegyptum, patrem autem & maiores non stabiles in pietate: sed circa id, quod est firmum, minùs firmiter affectos. Eius verò studium erat militia sub tribuno militū, nomine Firmiliano. Ipse autem cùm esset Præfectus numeri Rutilliacorum animi præsentia, magnitudine & pulchritudine, & omnibus alijs, quibus solet exprimi species corporis & generositatis, præstabat alijs.

Sæua persecutio sub Diocletiano & Maximiano.

Menas miles egregius.

Cap. 2.

In Coryensiū autem Metropoli simulatquè accessisset ad Tribunū, & audiuisset impium* iniussum Imperatorū, abiecta zona militari, seipsum relegauit in deserta loca, volens potiùs vitam agere cum feris, quàm cum ijs, qui colunt simulacra. Vacabat autem ieiunijs & vigilijs, & diuinorum eloquiorum diligenti meditationi. Sensibus autem optimè purgatus, & anima illuminatus, & in arcanis veræ pietatis initiatus per reuelationem, existimans hoc esse illud tempus, quod iam olim meditabatur: cùm diem obseruâsset, in quo vniuersa ciuitas Coryensium publicum celebrabat diem festum tanquàm natalē, & equestris certaminis exhibebatur spectaculum, cùm totus populus ex alto adspiceret, collectus ex omni genere, Iudæorum & gentilium & similiter Christianorū: & omnes iam defixis oculis intuerentur certamen, relicta sua in montibus habitatione, descendit in ciuitatem: & cùm venisset in medium theatrum, & prætercijsset omnes, qui erant in stadio, & locum ascendisset sublimem, vndè erat videndus ab omnibus, alta voce exclamauit: Inuentus sum ab ijs, qui me non quærunt: manifestus euasi ijs, qui me non interrogant: per hæc ostendens, quòd non coactus, sed sua sponte accessit aditurus certamina.

Cōtempta militia, petit solitudinem.

Nota rem singularem. Esa. 65.

Cap. 3.

Omnes ergò conuertit Menas ad sui spectaculum: theatrum autem despiciebatur, equorum respuebatur certamen: nihil erat cuiquā præstabilius, quàm illū videre, qui tantā ostenderat audaciam. Et qui eundem quidem zelum habebant in pietatem, mirabantur martyris loquendi libertatem, & propter voluptatē summam exiliebant. Qui autem decertabāt aduersùs pietatem, ad eius cædem iudicem incitabant. Postquàm autem vox præconis indixit silentium, & sedauit populi tumultum, & sonum tibiarum, statim arreptus & ductus fuit Menas ad Pyrrhū præsidem, qui

S. Menas ducitur ad Præsidem.

qui & tunc præsidebat in excelso, & erat spectator certaminum. Is autem primùm quidem eum placidè alloquebatur, simulans mansuetudinem: voceque leni & benigna, quisnam & vndè esset, interrogauit. Postquàm verò & patriam & genus & ipsam militiam & modum exilij protinùs dixit martyr, & ante omnia dixit se esse seruum Iesu Christi, statìm iudex fictam mansuetudinem ad naturalem conuertit sæuitiam: & examinatione reseruata in diem sequentem, eum quidem vinctum tradit in custodiam. (Traditur in custodiam.) Ipse autem cùm totum diem vacâsset ei, quod peragebatur, spectaculo, sequenti die animo ęstuans, processit ad examinationem. Omnibus itaque alijs missis, accusabat præcipitem audaciam. Hoc enim eum magìs accendebat ad furorem, vt qui suî esse contemptionem arbitraretur illius loquendi libertatem. Ille autem tanquàm propterea magìs sibi placens, respondit audaciùs, dicens: Sic conuenit Deum confiteri: quoniam lux est, & tenebræ in eo non sunt. (1.Iohan.1.) Hoc enim nos docuit Paulus, dicens: Corde quidem creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. (Rom.10.)

(Cap.4.) Terruit itaque Iudicem eius loquendi libertas, & rursùs celabat irã, & rursùs simulabat mãsuetudinem, vt martyris audaciã faceret cedere blanditijs, &, Nè amittas, aiebat, ô Mena, vitam hanc dulcissimã, neque lucẽ omnibus hominibus optandam, morte immatura permutes: sed nostris páre consilijs, vt felicem quidẽ & beatam vitam agas, ab Imperatore autem honores & dona consequaris, & sis omnibus suspiciendus & felix iudicandus propter rerum successum. (Tentatur inanibus promissis.) Martyr autem ad hæc valdè & suauiter ridens, vt qui ea reputâsset esse apertas nugas, & puerorum potiùs escas, quàm sapientum virorum, hæc ex bono thesauro in eum verba exprompsit, (Irridet ea.) dicens: Nihil est, quod mea quidem sententia conferri possit cum regno cælorum. Neque enim totus mundus potest æqua lance expensus, vni animæ comparari. Sed si vis mihi gratificari, experire potiùs per supplicia. Sic enim mihi veram conciliabis beatitudinem. Postquàm autem Pyrrhus audijt hæc verba, non poterat ampliùs contineri: sed ad ei infligenda contendit supplicia, & lictores acerbiùs intuens, martyrem quidem iubet extendi à quatuor viris, boum aũt neruis cædi vehementer. (Cęditur boum neruis.) Cùm sic ergò fortiter torqueretur, & sanguis è vulneribus effluens terram rubram redderet, quidam ex ijs qui aderant, nomine quidem Pegasius, cognomine autem Princeps, benignitatem simulans: Cùm videas, inquit, ô homo, quod existit periculum ex inobedientia, priusquàm carnes tuæ penitùs flagris consumantur, ea cogitans, quæ tempori conueniunt, sacrifica. Fortassè enim propterea, quòd sint tormenta intolerabilia, Deus quoquè tuus tibi ignoscet, quòd id feceris. (O linguam satanæ.)

(Cap.5.) Cùm sic dixisset, martyr toruè in eũ intuẽs, & verbis eius magìs quàm flagris cruciatus: Discedite à me omnes, q operamini iniquitatẽ, apertè exclamauit. (Psal.6.) Ego enim Deo meo sacrificaui, & adhuc sacrificabo sacrificium laudis: qui etiam mihi dat auxiliũ, & efficit, vt hæc flagella vestra à me reputentur potiùs delicię, quàm tormẽta. (Mira martyris virtus.) Cùm de hac tolerantia sua is nihil remitteret, liberiusq; & disertiùs loqueretur, se pręses ad aliud cõuertit suppliciũ: & cùm effecisset, vt in ligno tolleretur sublimè, iussit ferreis vnguibus corpus eius laniari. Deindè tanquàm irridens Iudex, & sanctum ironicè alloquens: Sensisti, inquit, ô Mena, aliquem dolorem? an vis per aliud suppliciũ nos tibi maiorem largiri voluptatem? (Ferreis vnguibus laceratur.) Martyr autem etsì grauiter laceraretur: Quid cunctaris, inquit? Putas enim me omninò posse à te terreri per hoc breue tormentum, aut quæ est in me, immobilem labefactari turrem confessionis? Hæc cùm audijsset Præses, iussit eũ cędi vehementiùs: & imperauit, vt nullũ alium confiteretur regẽ præter eum, qui est verè Rex: Martyr autem, Quoniam non nôsti, inquit, quis est hic Rex, quem confiteor: propterea blasphemam & maledicam linguam in eum moues, & hos, in quos cadit interitus, & è terra orti sunt, ei facis similes: qui est etiam is, qui eos constituit in imperio, & est vniuersæ carnis & spiritûs Dominus. Deindè Iudex, non vt qui vellet discere, sed vt qui se simularet ignorare: Quis est is, dicebat, qui dat regibus potentiam, & est omniũ Dominus? Iesus, inquit, Dei filius semper viuus, cui subiecta sunt omnia, quæ sunt in cælo & in terra. Tyrannus autem: Hoc autem totũ, inquit, te latuit, quòd Reges propter hoc ipsum, quod tu dicis, Christi nomen indignantes, iubent vos cruciari. Martyr verò: Si indignantur, inquit, indignentur: hæc nihil ad me, qui sum Christi seruus. (Egregia vox martyris.) Hoc enim mihi magìs est in votis, hanc pulchram confessionem ferre vsque ad mortem, vt efficiar dignus coronis, quę pro ea accipiuntur. Scriptũ est enim: Quis nos separabit à charitatẽ, (Rom.8.)

ritate, quæ est in Christo Iesu? afflictio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an gladius?

Cap.6. Cùm autem martyri, qui tandiù fuerat suspensus, recordatio eius, qui fuerat in cruce sublatus, laboribus defessum & viribus defectum corpus confirmaret, Præses maiore pércitus insania, iubet excoriatas eius carnes textis ex pilis confectis valde atteri & confricari. Quod cùm fieret, Pelliceas, aiebat martyr, tunicas hodiè exuo: salutaris autem indumento induor. Deindè ardentes ignis lampades iussit Iudex inferri. Sed eę quoquè cum ęterno igne collatæ, videbantur vim vrendi habere imbecillam. Videbatur enim martyr virtute Christi, quæ intentabantur, omnia despicere. Quamobrèm audacter etiam dicebat ijs, qui ipsum puniebant: Habeo persuasum à Domino meo & Rege, non timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: illum autem potiùs timere, qui potest corpus & animã perdere in gehenna. Cùm verò vidisset Iudex maximam & planè inuictam martyris tolerantiã, & alioquì animo versaret opportunissimas eius responsiones, tormentis missis, accessit ad verba: &, Dic mihi, inquit, ô vir admirande, vndenàm est à te inuenta hæc præclara dicendi facultas, cùm sis miles, & vixdùm herì & nudiustertiùs versatus sis in literis: vacâris autem potiùs bellis & certaminibus militaribus vt plurimùm. Cùm autem dixisset martyr, Christi hæc esse verba, qui dixit: Quandò ducti fueritis ad Reges & præsides propter me, nè cogitetis quomodò aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Respondit verò Præses: Vester ergò præsciuit Christus fore, vt talia pro ipso pateremini? Martyr autem: Vt qui sit, inquit, verus Deus, est consequens, vt sciat etiã quæ sunt futura. Ipse enim est vniuersi causa & constitutio, & qui sciebat omnia, antequàm producerentur ad essentiam.

Immanis cruciatus.

Ardentes lampades ei admouentur.

Matt.10.

Ibidem.

Cap.7. Cùm autem non haberet Iudex, quidnã ad hæc conuenienter responderet: Missis, inquit, superuacaneis his probabilibus tuis orationibus, volo te vnum eligere, è duobus: nempe vt aut nobiscum simul verseris, rectè id quidem faciens: aut totum Christum confitearis. Postquàm autem cum magna libertate dixit martyr: Cum Christo meo fui & sum & ero, dixit præses se in eum adhuc futurum lenem & patientem: & iubet ei dari aliquod tempus ad considerandum. Eius enim admirans tolerantiam simul & intelligentiam, conabatur eum ad suam traducere sententiam, nè tanti viri iacturam gentes facerent. Cùm autem post hæc martyr vsus esset in eum verbis audacioribus, Deum quidem apertè Christum confitens: deos verò, quos ille colebat, dæmones profanos appellans, ira rursùs præses accensus vehementiùs, iubet murices ferreos spargi in terra, & vinctum pedibus & manibus supra eos trahi per summam crudelitatem. Ille autem tanquàm si per pratum aliquod & molles flores traheretur, illius deos & dæmones liberè incessebat maledictis. Propter quæ Iudex rursùs iussit sanctum verberari in collo & genis: Nè, inquit, sic deos despiciens, eos quoquè impudenter affeceris contumelijs. Cùm multas autem horas verberaretur martyr, adstans quidam ex cohorte Heliodorus, & velutì volens suggerere ea, quæ conferebant ad proposita: Domine præses, inquit, tuam claritatem existimo non latére, quòd horum qui dicuntur Christianorum amentia scit contemnere tormenta vel statua fortiùs, & mortem reputat tanquàm dulcem aliquam potionem. Mittens ergò de his in cassum laborare, citò velis in eum vltimam proferre sententiam.

Iudex eius tolerãtiam & sapientiã miratur.

Nouos ei adhibet cruciatus.

Cap.8. Cùm ergò defessus esset præses, & meditaretur vltimam sententiam in eum pronunciare, accedentes quidam ex ijs, qui olìm martyri familiares fuerant & amici, ipsum demulcebant, complectebantur, rogabant & supplicabant, & se existimantes suadere vtilia: Nè despexeris, dicebant, ô Mena, familiarium tuorum amicitiam, & decus militiæ, & vsum voluptatum, & vitam, quæ est omnibus natura desiderabilis: & nè ignominiam quidem gloriæ, mortem autem vitæ anteposuéris. Martyr verò tanquàm virus aspidis fugiens eorum suasiones: Cessate, inquit, Dei hostes: & vosipsos potiùs vtiliter corrigite, & à tanta desistite insania. Nam hæc quoquè momentanea & vobis chara vita mox præteribit: manet aũt vos æternus & qui nunquàm desinit cruciatus, quem cum vestro præside & eius Imperatoribus iustè adipiscemini. Cùm autem vidisset Iudex martyrem tam fortiter depugnare aduersùs omnia, quæ ab ipso fiebant & dicebantur, non ampliùs ad alias interrogationes, sed ad ipsam ferendam se parat sententiam: & cùm breuiter cum ijs, qui erant eiusdem sen-

Martyr cõtẽnit quorundam pestiferas suasiones.

sententiæ in impietate, consultâsset, capitis vltimam tulit in eum sententiam, & lictorem quidem adesse iubet cum nudo ense: significauit verò locum extra ciuitatem. Iubetur capite cædi.

Cùm autem peruentum esset ad locum, & martyri priore stadio secundum visum esset alacrius, postquàm notos parùm conuenisset, & verba sua precibus obsignâsset, apparens plenus lætitia, vt qui repositam sibi beatitudinem visione appræhenderet, vt etiam gratias agens abiret ad lætitiam mox eum excepturam: Ago tibi gratias, dicebat, Domine Deus, quòd me dignatus sis conspici socium pretiosæ tuæ mortis, & non dederis deuorandū bestijs agrestibus: sed effecisti perpetuò puram in te seruare fidem. Hæc cùm dixisset, & genu flexisset, ad plagam ei gladio inferendam perrexit. Post plagam autem sacrum corpus ignis accepit: & sic quidem fuit dissolutum id sancti, in quod cadebat interitus: anima autem ad beatam hæreditatem deducta est ab Angelis. Hinc viri pij magnam adhibent diligentiā, vt martyris reliquiæ ex igne tollerentur, & in insignibus locis reponerētur. Quas quidem cùm collegissent, & mundis sindonibus imposuissent, vnguentisque & suffitibus inunxissent, & iusta omnia eis sanctè fecissent, eas paulopòst in suam patriam retulerunt, quomodò ante consummationem iusserat martyr Christi. Oportebat enim eum quæ & genuërat & aluërat, eum quoque accipere consummatum martyrio; & non illam quidem tenere locum matris, aliam autem præter eam frui gratia reliquiarum. Hoc enim consultò factum est à Christi prouidentia: Quem decet omnis gloria, honor, potentia, maiestas & magnificentia, nunc & in secula seculorum, Amen.

Cap. 9.

Felicissimè pro Christo occumbit.

Vide studiū antiquorū erga reliquias sanctorum.

TIMOTHEI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI NARRATIO DE MAXIMIS MIRACVLIS SANcti & gloriosi martyris Menæ.

ACcidit, vt post mortem impij & Deo inuisi Diocletiani Imperatoris, Dei voluntate imperaret Constantinus, pius & Christi amās Imperator. Cordis enim eius oculos tetigit lux intelligens, & ei illuxit gratia Dei, quæ superat omnem hominis intelligentiam; potentique & inexpugnabili sua dextera deduxit eum ad viam salutis. Nam vbi est gratus animus & cor mundum, illuc etiam accedit sanctus spiritus. Erat autem vir, qui valdè timebat Deum, & omnia eius mandata exequebatur diligentissimè, omnem hominem deducens ad portum salutis. Meminerat enim eius, qui dixit: Non adorabis deum alienum, sed adorabis Deum viuū: & reddes altissimo vota tua. Iussit autem edicta quoque scribi per vniuersum orbem terræ, vt Christus, qui blasphemijs & maledictis incessebatur ab impijs & iniquis gentibus, prædicaretur in omnibus finibus, & crederent omnes in patrem & filium & spiritum sanctum. Iussit ecclesias quoque ædificari, in nomine omnium sanctorum & gloriosorum martyrum, qui propter verū Deum nostrum fuêre martyres, & confessi sunt pulchram confessionem. Similiter autem iussit etiam mundum & incruentum Christo Deo nostro quotidiè offerri sacrificium ad conuersionem & pœnitentiam omnium fidelium.

Miraculū I.

Encomium Constantini Magni.

Exod. 20. Deut. 5. Psal. 49.

Constantinus iubet ecclesias extrui in honorē martyrum.

Tunc surrexerunt quidam ex fidelibus ciuitatis Alexandrinæ, & quæsiêrunt reliquias sancti & gloriosi martyris Menæ, vt in eius nomine sanctum templum extruerent. Vniuersa autem illa prouincia congregata fuit in loco, vbi erat templū ædificandum, vt id citò perficerent. Eo autem perfecto Dei gratia & sancti intercessione, erat homo quidam ex regione Isaurorum valdè diues. Ingressus est autem Alexandriam causa negociationis: & audiuit omnia miracula & curationes, quas fecit sanctus Menas, & dixit apud se: Volo ego quoquè ire, vt orem in templo sancti martyris Menæ, & adorem preciosas & sanctas eius reliquias, & dem illic paruam benedictionem: vt Deus nobis ferat opem, & nos seruet sancti intercessionibus. Surgens itaque accepit secum crumenam, & transijt ad lacum maritimæ. Et cùm inuenisset nauigium, peruenit ad locum, qui dicitur Loxoneta: & egressus è nauigio, sibi quæsijt mansionem. erat enim vespera. Deindè cùm in loco inuenisset tabernam, dixit domino tabernæ: Amice, fac mecum misericordiam, & accipe me in tuam tabernam, quoniam aduesperascit, & timeo solus viā ingredi: neque enim hîc

Cultus reliquiarum.

Intercessio sanctorum.

habeo vllum alium. Dixit autem ei tabernarius: Ingredere frater, & mane hîc donèc illuxerit. Ingressus autem hospes, sedit in taberna. Dominus verò tabernę parauit vestes stragulas, vt ambo dormirent.

Cùm viri autem crumenam vidisset tabernarius, subijt cor eius, qui semper vitæ nostræ curis vacuæ inuidet diabolus, & fecit eum vigilare, donèc somnus inuasisset hospitem. Cùm is autem dormijsset, surgēs tabernarius, accepit gladium, & occidit hominem. Deindè accepit ità vt erat, crumenam, & dixit apud se: Quid faciam hoc corpore, nè quis sciat cædem quam feci, & me deferat ad magistratum? Sed surgam, & hoc probè curabo. Immittam enim in sportam, & iaciam in lacum. Quod cùm fecisset, suspendit eam sub tecto, vt cùm data ei esset potestas eundi ad lacum, eam illic iaceret. Cùm hæc autem fecisset, ortus erat Sol, & timuit interdiù cū in lacum iacere. Accepit verò eius quoquè caput, vt id quoquè frangeret, & immitteret in sportam. Eccè autem sanctus martyr Christi Menas, venit eques cum magna multitudine, præ seferens speciem spatharij, accedēs ad tabernam. Videns verò sanctum venientem tabernarius, timuit, quoniam saluum adhuc erat caput hominis: & festinans, accepit caput, & id suspendit in medio tabernæ, nesciens quid ageret præ metu. Cùm venisset autem sanctus Menas, aperuit ostium tabernæ, & appræhendit hominem, qui dicebatur tabernarius, & dixit ei: Dic mihi verum. Vbi est homo hospes, qui hîc mansit? Dicit sancto tabernarius: Non mansit hîc homo hospes. Dicit ei sanctus: Si non mansit hîc homo, sede hîc quietus, & ego cum inueniam. Cùm ergò statìm sportam accepisset sanctus Menas, inuenit caput hominis saluum cum reliquis membris, & dicit ei: Non dixi tibi me, propter quem huc véni, hominem ex me esse inuenturum? Tunc videns tabernarius sanctum, & cohortem quæ erat cum eo, valdè timuit. Existimabat enim Imperatorem omninò cognouisse eadem, & misisse ad eum. Quamobrèm metu perculsus, rogabat sanctum, qui videbatur spatharius, dicens: Miserere meî, domine mî, quoniā peccaui valdè, & cognosco peccatum meum esse valdè magnum. Vndè etiàm Imperator te misit ad me miserum: & considerans Dei gratiam esse tecum, confiteor me peccâsse corā Deo & coram te. Quandò vidi, domine mî, crumenā valdè magnam, impletum est cor meum infelicis furore aduersùs eū, & siui eum, donèc esset sopitus. Deindè autem surrexi, & occidi eum, vt eius possiderē pecunias. Eccè autem, domine mî, nondum accessi ad eius crumenam, neque ex ea accepi aliquid: sed eam do saluam tuę potestati, & prætereà alios tibi dono centum nummos: me solummodò libera ab hac cæde. Respondit ei sanctus Menas, & dixit: Ducere, ô homo, pœnitentia tui delicti, & ego tibi cōdonabo. Ille autem dixit: Domine spatharie, facio vt iubes: & qua hora liberatus fuero ab hoc periculo, ibo ad sanctum Menam, & pœnitentia motus, accipiam habitum. Videns autem sanctus eius pœnitentiam, dixit ei: Affer huc ad me sportam, in qua iacent membra hominis, vt perfectè euadat manifesta Dei gloria in sanctis suis. Tabernarius autem protulit sportam, & eam posuit corā sancto, & ea hora in loco suo posuit omnia membra hominis. Tunc flexis genibus sanctus Menas diù orauit clementem Deum, vt suscitaret eum, qui fuerat occisus: non propter hominē solùm, qui occiderat, sed etiam propter eos, qui tunc erant, hæreticos & gentiles, qui erant increduli in sanctum Dei martyrem.

Post longum autem tēpus dixit sanctus Menas ei, qui fuerat occisus: Tibi dico: In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui me firmauit in petra confessionis suæ, surge sanus, & egredere ex hoc loco valens & saliens, & coniuncta habens omnia mēbra tua sicut priùs, vt per te discant hæretici & impiæ gētes gloriā Dei nostri: scias autē ipse quoquè, quòd ego sum Christi seruus Menas. Protinùs aūt in illa hora surrexit homo saluus & sanus & perfectus, sicut erat priùs. Tūc homo stupore affectus, humì flexis genibus, adorauit sanctum martyrē Christi Menam, & eā quæ cum eo erat multitudinem, dicens: Ago gratias Deo & Domino omnium, qui fecit mecum misericordiam per tuum aduentum sancte Dei. Nam cùm essem somno grauatus, veniens dominus cū magnis copijs me excitauit. Et cùm ei benedixisset sanctus martyr Christi Menas, & similiter etiā occisori, statim ab eis euanuit. Tūc cum magno gaudio tabernarius acceptis centū illis nūmis, & hospes eius crumena, abierunt in templū sancti martyris Menæ, & dederūt ea, quæ sancto promiserant. Et statìm cōfessus est tabernarius corā vniuerso populo cædē, quam fecerat, hospitis, & quemadmodùm Sanctus eū suscitauit suis precibus. Cùm omnes aūt Deum glori-

ficāt

Crudele facinus.

Vide stupēdum sancti Menæ miraculum.

S. Menas in specie spatharij venit excitaturus crudeliter occisum seruum suum.

Sanctus Menas excitat mortuum.

Templum Menæ martyris antiquissimum.

ficâſſent, admiratus eſt hoſpes, audiens quòd interfectus, immò verò membratim conciſus, per preces ſancti repentè ſurrexiſſet. Eum verò rogauit tabernarius, vt eius acciperet habitū. Tonſus aūt tabernarius, illic manſit ſeptem annos, & ſic in pœnitentia obijt & confeſſione. Hoſpes autem reuerſus eſt lætus & exultans in domum ſuam, & toti Alexandriæ narrans gloriam Dei, & miracula ſancti & glorioſi martyris Menæ. Ab eo aūt die credidit magna multitudo gentiliū & hæreticorum, admirantes, ſtupentes, quòd Deus per ſancti interceſſionem curet omnem animam. Nota vim & efficacis interceſſionis ſanctorum.

Aliud miraculum, ô dilecti, volo vobis narrare, quod factum eſt à ſancto & beato martyre Mena. Alexandriæ erat quidam vir diues, nomine Eutropius. Qui dixit apud ſe: Deus impleuit me donis ſuis. Eccè vado ad artificem, & faciam duos diſcos argenteos, & ex eis dabo vnum templo ſancti Menæ, & habebo alterum in meum vſum: & in deceſſu eum quoquè dabo ſancto pro remiſſione meorū peccatorum. Accerſijt autem artificem in domum ſuam, & dixit ei: Adeſdùm magiſter, accipe hæc vaſa argentea, & ijs fractis, fac mihi duos diſcos, nihil addens, nec alium faciens alio ſuperiorem: & in vno quidem ſcribe nomen ſancti Menæ, in altero verò nomen meū, & diligentia vtere ad hæc opera. Fecit autem diſcos aurifex, & eos inſcripſit. euaſit verò ſancti diſcus, precioſior & honorificentior. Eutropius autem inuidit diſco ſancti, & dixit apud ſe: Ego vado ad ſanctum: ei autem dabo diſcū, in quo ſcriptum eſt nomen meum, & tenebo diſcum ſancti ad vſum meū, & in vltimo die vitæ meæ eum quoquè reddam. Tunc abiens ad litus, conſtituit naui ire vſque ad templum, dicens apud ſe: Porto ſancti diſcum ad meum miniſterium. Cùm eſſet autem tēpus prandij, dum ipſe nauigaret, parauit ſeruus eius menſam, vt ipſe pranderet. Accepit verò ſeruus diſcum ſancti, & domino ſuo cibū in eo appoſuit. Poſtquàm autem impletum fuit prandium, abijt ſeruus eius ad lauandum diſcum in lacu. Eccè autem extitit magna caligo, & cecidit diſcus in aquam. Timens verò ſeruus, nè eius dominus id ſciret, & eum tormentis perderet, exutus ſe proiecit poſt diſcum. Quandò autem ſciuit dominus quod factum fuerat, magno dolore eſt affectus, & ſcidit veſtimenta ſua, eiulans & dicens: Hei mihi miſero, valdè peccaui. Inuidens enim diſco ſancti, cum eo ſeruum quoquè meū perdidi. Quid faciā neſcio, non enim habeo hominē, qui mihi ſeruiat. Hei mihi, fuit hæc res mihi magno probro & dedecori. Si enim ſciuerint, quòd diſcum ſancti retinuerim, quanto me probro afficient? Vtinàm priuſquàm hoc ſignificarē, pro vno diſco dediſſem templo tres diſcos, duos argēteos, & vnū aureum: & ad me non perueniſſet hoc malū opus & dedecus hominū. Satiùs enim fuiſſet eos dediſſe, quàm ſeruus meus morte acerba mihi perijſſet. Quòd ſi dignus cenſear, qui vel eius corpus videam, vt ſepeliam, dabo duos diſcos templo ſancti martyris Menæ: & eius ſerui, quem perdidi, dabo precium, quoniam ſum tranſgreſſus, retinens ſancti diſcum in vſum meum. Miracul. II. Eutropius tentatur à ſatana. Diuina vltio fraudē eius perſequitur.

Eo autem hæc ſic deflente & dicente, nauis venit ad portū. Eutropius aūt adſpiciebat in litore, apud ſe ſperans & dicēs: Fluctus corpus eius omninò traxerunt ad litus: inuentū verò id ſepeliam. Dixerunt aūt ei nautæ nauigij: Quàm eſt hoc à ratione alienū, quòd cùm duobus diebus nauigauerimus, tu modò quæris eius corpus. Dixit Eutropius: (erat enim valdè fidelis) Spero in Deū & in ſancti Menæ interceſſiones, qui eum, qui erat mēbratìm cōciſus & mortuus, excitauit ſaluū & integrum; quòd eius corpus videbo ante mortē meam, vt id ſepeliā propter probrum hominum. Hæc cùm ipſe dixiſſet, eccè puer veniebat cum diſco ſequens nauem. Eutropius aūt cùm vidiſſet puerum procùl ſtantē, ſecum quoquè diſcum habentē, & nauem circumeuntem propter dominū ſuum, nautę viſo puero, prorā nauis admouerunt litori. Cùm hoc aūt vidiſſet ſeruus, apprehendit funē nauis, & in eam eſt ingreſſus. Quandò verò vidit ipſum dominus eius, amplexus eſt eum lętus, & dicens: Eccè bonus meus ſeruus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Lachrymantes aūt omnes propter id, quod factū fuerat, eum ſunt conſolati. Ille autem dixit: Lætabor & exultabo, quòd Deus mei hodiè eſt miſertus per interceſſiones ſancti martyris & defenſoris mei Menæ. Cui non narrabo, ô ſancte Dei, admirabilia & hæc ſigna, quæ in me oſtendiſti? Vnum autem me cruciat & vnum horreo, quòd ſi omnia mea tibi obtulero, non ſufficiunt: quoniam peccaui, & non memini eius, qui dixit: Non concupiſces res proximi tui, & maximè ſancti: Nunc autem, fili, dic mihi, quid tibi accidit in lacu, & quomodò fuiſti ex eo liberatus? Dixit puer: Domine mi, quandò acceſſi vt lauarem diſcum in lacu, orta eſt magna caligo, & cecidit à me diſcus Sanctorum interceſſio. Ingens miraculum. Sancti martyres defenſores noſtri. Exod. 20.

in lacum, & dixi apud me: Quid faciā, aut quomodò me excusabo domino meo? Timore itaque affectus, me ieci in lacum. Quandò autem ingressus sum aquam, vidi virum valdè lucidum, & alios duos stantes cum ipso, & dixit eis: Tenete eum: & ab illa hora nunquàm separati sunt à me, donèc huc véni. Statim autem cognouit Eutropius celerem fuisse adiutorem magnum Christi martyrem Menam, & Deum laudauit, qui dedit talem potestatem sanctis suis. Deindè ambo simul euntes, venerunt in templum sancti Menæ, & dedit illic duos discos, & seruū illum, vt seruiret illic sancto loco, & sic reuersus est in domum suam, laudans & benedicens Dominum Deum, & omnes sanctos eius, qui per ipsos dat salutem populo.

Nota quid Sancti præstent hominibus.

Per sanctos dat Deus salutem.

Mirac. III. Erat mulier quædam sterilis in regione Phecozeletarum. Ea erat valdè diues in auro & argento: à parentibus autem & marito eius vocabatur Sophia. Erat aūt eius quoquè maritus valdè pius & virtutis studiosus. Cùm verò audijsset mulier illa sterilis, de beato & glorioso Christi martyre Mena, & eius miraculis, dixit apud se: Ibo ego quoquè humilis & abiecta in templum sancti, & cùm illic adorauero, deflebo peccata mea: quoniam nō est mihi filius, vt sit hæres mearum facultatū. Scriptum est enim: Transibit mundus, & cupiditas eius. Tollam ergò aurum meū & omnia mea, & veniens in templum sancti Menæ, ea illic dabo pro remissione meorum peccatorum, & omninò in futuro vitam æternam possidebo. Surrexit autem mulier, & accepit omnia quæ habebat, & clàm iuit sola in templum venerandum sancti Menæ, nec fuit vllus è domo eius, qui animaduerterit, nè id renunciarent marito suo, & is eam retineret. Cùm autem ingressa esset sola in solitudinem, & peruenisset ad vnum milliare à templo sanctæ & gloriosæ primæ martyris Teclæ, ea ambulante, eccè quidam miles ex ijs, qui viam custodiebāt propter latrones, venit eques accurrens: & cùm vidisset mulierem, ingressus est diabolus in cor eius, (erat autem hora sexta diei) & quandò adspexit eam ambulantem solam, voluit ei id facere, ad quod eum incitabat œstrum libidinis.

1. Ioan. 2.

Tecla prima martyr.

Cùm itaq; tenuisset mulierē, dixit ei: Quò vadis, ô mulier? Putabat autem mulier eum voluisse rapere diuitias, quas ipsa secum ferebat ad ministeriū martyris, & dicit ei: Eccè ego vado ad templū S. Menę. Ille ei dicit: Eccè locus est desertus, & nemo est qui nos adspiciat: agè dormiamus simul. Si autem mihi non obedieris, ego te occidam hoc meo gladio: accipiam autem tuas pecunias. Illa verò respondit cum lachrymis: Nè, ô domine mî, turpē hanc rem feceris in me, quæ sum humilis & abiecta. Egressa enim sum è domo mea, vt vadā in templum Dei, & defleā peccata mea: neque vllū alium cognoui vnquàm, nisi meū maritum. Time eum qui dixit: Non concupisces res proximi tui: & memēto eius, qui dixit: Alienæ parti nè appropinquaueris. Cōdona mihi miserę, & nè cogas me hoc facere. adiuro te per Deū & sanctum eius Menā, quòd me & magno dedecore afficis, & hoc peccatū tibi non condonabitur, neq; in hac vita, neq; in futuro seculo. Miserere mearū lachrymarum, & parce meis gemitibus. Quòd si me dimittas, præbeo tibi duo numismata. Ille autem nolēs, eam valdè tenebat: & gemēs dicebat mulier: Vndiquè mihi sunt angustiæ. Deindè etiā flexis genibus, cū lachrymis clamabat & gemitibus: Eccè Domine, tu scis occulta hominū, & cognoscis non esse meam voluntatem, neque hanc iniquitatem. Clamansque magna voce, dixit: Sancte Dei Mena, fer mihi opem.

Exod. 20.

Cùm autem miserabilis ille eam iecisset humi, vt ei afferret vitiū, alligauit equi sui habenas pedi suo. Tunc sanctus Christi martyr Menas, qui eos liberat, qui ipsum inuocant in afflictione, ea ipsa hora accedit eques, & mulierem rapuit è manu militis, & eam portauit ad equum suum. Equi autem frenum tenens sanctus, magna vi eum trahebat. erat autem alligatus pes militis: & currens equus, dominum suum trahebat super terram, donèc venisset in templum sancti martyris Christi Menæ. Eum verò vidēs vniuersus populus, fuit obstupefactus. Interdiū enim magna multitudo populi congregatur in templo sancti Menæ. Ille autem miles quandò vidit gloriam sancti, accepit equum suum, & donauit templo sancti martyris Menæ: & ab illo die non peccauit miles vsque ad horam mortis suæ: sed versabatur in precibus & supplicationibus, & cum multis lachrymis rogabat sanctum, vt ei condonaret hoc peccatum.

Eccè quomodò mulier sanctum inuocat, & ille statim adest, & fert opem.

Mirac. IIII Erat Alexandriæ Hebræus quidam negociator, habitans prope quendam Christianum. Intercedebat autem magna amicitia inter Hebræum & Christianū. Quodam verò die vadens Hebræus ad negociandum, reliquit in domo Christiani crumenam

menam bullatam. Quandò autem reuersus est Hebreus à negociatione, misit dona ad Christianum, propterea quòd aurū custodijsset. Quandò autem dona ab eo accepit Christianus, eum illudens in corde suo, dixit: Reuerà & dona accipiā, & si tuas quæsiéris pecunias, nihil habebis. Porrò autem sic quoquè vxori suæ est locutus: O vxor, si videatur, negemus huic Hebreo aurum suum: & si pergat reposcere, iuremus ei: & sic recedet. Nam quod propter eum fit iusiurandum, nos non lędit, quoniam Hebræo iuramus, & non Christiano. Illa autem dixit: Domine, fac vt tibi videtur. Sequenti verò die surrexit Hebræus, & venit ad Christianum. Christianus aūt diaboli suggestione negauit, dicens: Nihil vnquàm nobis dedisti. Inter se autem diù litigarunt, adeo vt illuc tota congregaretur ciuitas. Postremò autē Hebræo venit in mentem, vt diceret Christiano: Frater, audiui à multis de sancto & glorioso martyre Mena, quòd magna eius sit gloria, & ignominia afficiat eos, qui iniustè iurant. Surge ergò, eamus illuc, & iura, quòd apud te nihil reliqui, & vade in pace. Dicit Christianus Hebræo: Sed non ingreditur Hebręus in templum Christianorum. Dixit Hebræus: Si non possum templum ingredi, stabo foris in porticu. Christianus autem despexit iusiurandum, dicens: Sanctus Menas est nostri miserturus, quoniam Hebræo iuramus, & non Christiano. Malus dolus mali Christiani.

Quodam ergò die iuerunt ambo in templum sancti Menæ ad dandum iusiurandum. Dixit autem Hebræus Christiano, antequàm ipse iuraret: Amice, time Deum, & miserere animæ tuæ. Accipe quas vis pecunias, & redde mihi reliquas: solùm nè iures. Christianus autem ne sic quidem voluit eum audire. Tunc Hebræus humì inclinatis genibus, dixit cum lachrymis: Deus qui me dignum censuisti, vt venirem & ingrederer in templum sancti & gloriosi tui martyris Menæ, sis tu arbiter inter me & hunc Christianum: & magna voce clamans, dixit: Sancte Mena, etiamsi sim indignus, qui te nominem, attamen tu quoquè hodiè signa ostende, vt semper: vt ego quoquè humilis & abiectus te glorificem. Ingressus autem Christianus in tēplum, & nullum omninò habens Dei metū in corde suo, iurauit. Spectabat autem Hebręus, & expectabat fore, vt omninò in eum fieret aliquod signum. Sed in eum vsus est sanctus lenitate & patientia. Quandò verò peractum fuit iuramentum, ambo sunt reuersi domum. Cùm autem ambo egressi essent è loco illo ad tria milliaria, conturbauit Christiani equus dominum suum, & eū iecit in terram: & cecidit annulus sigilli scrinij è sinu suo. Quæsiuit autem, & id non inuénit. Gaudebat autem Christianus se cecidisse ex equo, arbitratus hanc esse iurisiurandi remunerationem. Deindè surgens equitauit, & simul proficiscebantur. Cùm autem peruenisset ad locum, qui dicitur Loxonetas, simul ingressi sunt in forum, & emerunt cibos, & sedentes comedebāt. Pœnitentia autem ductus fuit Hebræus, & dixit: Cur credo ego in sanctum Menam, quoniam nulla vidi ex mirabilibus, quæ facit quotidiè? vtinàm non eum iuràssem: fortasse ductus fuisset pœnitentia, & potuisset mihi aliquandò dare aliquid ex meis. Clamans autem, dicebat cum lachrymis: Hei mihi, sic omnia mea deuorauit. Quid faciā nescio. Gratias autem agens, dixit: Reddam votum meum & solicitudinem meam Domino, & sancto martyri Menæ: & vt Deus iubet, sic fit. Diuinitùs punitur periurus & perfidus Christianus, sed leniter.

Cùm autem sederent ambo, eccè venit seruus Christiani, ferens crumenam cum rationibus. Quem cùm vidissent, ambo sunt admirati. Dominus autē serui, magno timore est affectus, & interrogauit seruū suum, dicens: Vndè venisti, & quid portas? Respondit seruus, & dixit: Véni ad te missus à domina mea, vt iussum tuū impleam. Dixit autem dominus eius: Quem iussum? Dixit seruus: Domine mî, hodiè vénit magnus miles, eques ad dominam meam, habens annulum sigilli scrinij tui, & dixit ei: Cape, mulier, hunc annulum sigilli: nostíne eum? Illa autem dixit: Nóui. Ille verò dixit: Maritus tuus rogans me, misit ad te, dicens: Mitte ad me crumenam Hebræi per seruum meum: quoniam valdè torqueor à sancto Mena. Et propterea, domine mî, ad te huc attuli depositum: & si non credis, eccè annulum sigilli scrinij tui. Ille enim miles eum dedit dominæ meæ. Tunc surgens Hebræus, accepit marsupium suum bullatū: & lætus magna voce clamauit, & dixit: Magnus est Deus, & sanctus eius martyr Menas. Admirabilis est fides Christianorum. Nullus in te sperans, Domine, & in virtutem & auxilium sancti tui martyris Menæ, vnquàm pudore afficitur. Eccè Domine, ego quoquè fio Christianus per intercessiones sancti martyris Menæ. λογαρίων Nota rē admiratione dignam. Iudæus insigni miraculo permotus credit in Christum.

Deindè cùm marsupium accepisset Hebræus, reuersus est cum magno gaudio in

templum sancti Menæ, & ei donauit tertiam partem marsupij, nempe mille nummos, dicens: Eccè sancte Dei, coram te dixi ei: Quotcunque vis, nummos accipe è marsupio, & da mihi reliquos: nec hoc in animum induxit, vt faceret: eos accipit sanctum templum tuum pro luminaribus. Fugiens ergò ab eo tempore vanam Iudæorum superstitionem, cùm fuisset catechesi institutus cum domo sua, baptizatus fuit in nomine patris & filij & spiritûs sancti: & cōnumerata fuit vniuersa eius domus inter omnes Christianos, cum pietate & veritate Deum laudans & sanctū eius martyrem Menam, quòd eos, qui iniustè iurant & transgrediuntur nomen Dei & sancti, pudore afficit, & vt nihili fiant, efficit. Ab hoc die, seu iustè, seu iniustè, nullus ausus est iurare in templo sancti. Christianus autem abijt gemens & tremens in domum suam, accepitque dimidium bonorum suorum, & obtulit sancto Menę: & illic motus pœnitentia, deflebat peccata sua, & non discessit à templo sancti, donèc decessit, cùm in pœnitentia ambulâsset ad Dominum, & consecutus esset veniam à sancto & glorioso martyre Christi Mena.

Periurus Christianus agit pœnitentiam.

Mirac. V.

Erat quidam vir claudus ac mancus à puero, & non poterat nec pedibus ambulare, neque laborare manibus, & neque à medico, neque ab vllo homine ei ferebatur auxiliū. Cùm autem ipse quoque audiuisset ab omnibus curationes & miracula, quæ fiebant à sancto Mena, rogauit quosdā, qui eum illuc deduxerunt. Cùm eum autē vidisset turba, est admirata. Inuenit verò illic quoquè claudus mulierē quandam claudam, quæ nunquàm est locuta. Permanebant autem ambo illic, à superis petentes curationē. Cùm is autem fuisset longo tempore in templo sancti Menæ, & nō fuisset curatus, valdè iratus fuit S. Menæ, dicens: Sancte Dei, quomodò video, omnia quæ de te audiui, sunt falsa, & non vera. Illa autem nocte Sanctus apparuit claudo, & dicit ei: O homo, cur mihi succensuisti? Quid verò tibi mali feci? Sed quoniam, vt dicis, nō possum te sanare, nisi feceris, quod dico tibi, non sanaberis in æternum. Dicit ei claudus: Quid faciam domine mi? Dicit ei sanctus: Si velis esse sanus, abi nemine sentiente, & veni ad stragulum mulieris mutæ, & dormi cum ea, & accipies curationem. Experrectus autem claudus, est admiratus, putans sanctum eum illudere aut tentare, & dixit apud se: Hei mihi misero, nescio quid agam. Véni vt quærerem sanitatem mei corporis, &, vt videtur, sanctus me impellit ad fornicationem, & maximè in templo suo. & si hoc fecero, timeo nè mihi aliquid fiat deterius. Quamobrèm iterùm indignatus claudus, rursùs dixit sancto: Sancte Dei, cùm me non possis curare, suades vt me præcipitem in fornicationem? Talisne est doctrina sanctorum? Rursùs ergò tertiò ei in somnis apparens sanctus, dixit: Fac quod tibi dixi, & tunc accipies sanitatem. Ille autem experrectus, dixit: Sancte Dei, facturus sum quod iubes, & vt iubet Deus & tuum auxilium. Deindè cùm adspexissent, vbì iacebat muta, expectauit donèc sopori se dedissent omnes turbę, quę erant in templo. & tunc surgens, & se trahens, peruénit ad stragulum mutæ, & appræhensum mulieris pallium traxit, & eam nudauit. Quandò autem nudauit eam, excitata est à metu turbata muta, & est locuta: O violentia, vir supra me ascendit. Ille autem præ metu & pudore, volens se è stragulo præcipitare & fugere, surrexit sanus in illa hora, currens instàr cursoris. Tunc admirati omnes, quòd factum fuerat, nempe quòd & muta esset sanata, & claudus surrexisset sanus, narrans eis ea, quæ in somno viderat, omnes Deum laudârunt, qui per sanctos suos præbet omnibus curationem: & sic ambo domum redierunt, Deum & sanctum Menam laudantes & glorificantes.

Eccè quàm stupendo medio, Deus per Sanctos suos ægris præbeat curationem.

Nota, Qui per sanctos suos præbet omnibus curationem.

VITA BEATISSIMI MARTINI TVRONENSIS EPISCOPI, AB EIVS DISCIPVLO *Seuero Sulpitio conscripta.*

EPISTOLA AVTHORIS AD DESIDERIVM.



SEuerus Desiderio charissimo fratri salutem. Ego quidem, frater vnanimis, libellum, quem de vita sancti Martini scripseram, scheda sua * premere, & intra domesticos parietes cohibere decreueram: quia vt sum natura infirmus, iudicia humana vitabam, nè, quod fore arbitror, sermo incultior legentibus displiceret, omniumque repræhensione dignissimus iudicarer, qui materiam, disser-

* non promere

sertis meritò scriptoribus reseruandam, impudens occupâssem. Sed petenti tibi sæpiùs, negare non potui. Quid enim esset, quod non amori tuo vel cum detrimento mei pudoris impénderem? Ea fidutia tibi libellum edidi, quâ nulli à te prodendum reor: quia id spopondisti. Sed vereor, nè tu ei ianua sis futurus, & emissus semèl, non queat reuocari. Quod si acciderit, & ab aliquibus eum legi vìderis, bona venia id à lectoribus postulabis, vt res potiùs quàm verba perpendant, & æquo animo ferant, si aures eorum vitiosus forsitan sermo perculerit: quia regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. Meminerint etiam, salutem seculo non ab oratoribus, sed à piscatoribus prædicatam: cùm vtique, si vtile fuisset, id quoquè Dominus præstare potuisset. Ego enim cùm primùm animum ad scribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latére virtutes, apud me ipse didici, vt solœcismos non erubescerem: quia nec magnam istarum vnquàm rerum scientiam contigissem, & si quid ex his studijs olim fortasse libâssem, totum id dissuetudine tanti temporis perdidissem. Sed tamen nè nos maneat tam molesta defensio, suppresso, si tibi videtur, Authoris nomine, libellus edatur. Quod vt fieri valeat, titulum frontis erade, quò muta sit pagina, & quod sufficit, loquatur materiam, non loquatur authorem.

ITEM PROLOGVS AVTHORIS.

PLerique mortalium studio gloriæ secularis inaniter dediti, exindè perennem (vt putabant) memoriam nominis sui quæsiuerūt, si vitas clarorum virorum stylo illustrâssent. Quæ res vtiquè non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptæ spei fructum afferebat: quia & suî memoriam (licèt incassùm) propagabant: & propositis magnorum virorum exemplis, non parua æmulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam, æternamque vitam hæc eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum seculo scriptorum suorum gloria profuit? aut quid posteritas emolumenti tulit legendo Hectorem pugnantem, aut Socratem philosophantem? cùm eos non solùm imitari stultitia sit, sed non acerrimè etiam impugnare, demētia. Quippè qui humanam vitam præsentibus tantùm actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas sepulcris dederint. Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt, cùm hominis officium sit, perennem potiùs vitam, quàm perennem memoriam quærere: non scribendo, aut pugnando, vel philosophando: sed piè, sanctè, religioseque viuendo. Qui quidem error humanus literis traditus, intantùm conualuit, vt multos planè æmulos vel inanis philosophiæ, vel stultæ illius virtutis inuenerit. Vndè facturus mihi operæprecium videor, si vitam sanctissimi viri, exemplo alijs mox futuram, perscripsero. Quo vtiquè ad veram sapientiam, & cælestem militiam, diuinamque virtutem legentes incitabuntur. In quo ità nostri quoquè rationem commodi ducimus, vt non inanem ab hominibus memoriam, sed æternum à Deo præmium expectemus. Quia etsi ipsi non ità viximus, vt exemplo alijs esse possimus: dedimus tamen operam, nè is lateret, qui esset imitandus. Igitur sancti Martini vitam scribere exordiar, quæ vel ante Episcopatum, vel in Episcopatu gesserit, quamuis nequaquàm ad omnia illius potuerim peruenire: adeò ea, in quibus ipse tantùm sibi conscius fuit, nesciuntur: quia laudem ab hominibus non requirens, quantùm in ipso fuit, omnes virtutes suas latére voluisset: quāquàm etiam ex ijs, quæ comperta nobis erant, plura omisimus: quia sufficere credidimus, si tantùm excellentiora notarentur. Simul & legentibus consulendum fuit, nè quod his páreret copia congesta fastidium.

Hominis officium.

Multa sancti Martini miracula scriptori incognita.

Obsecro autem eos, qui lecturi sunt, vt fidem dictis adhibeant: neque me quicquam, nisi compertum & probatum, scripsisse arbitrentur. Alioqui tacere, quàm falsa dicere, maluissem.

VITÆ HISTORIA.

Nouemb. 11
Cap. 1.
Patria S. Martini.



IGITVR Martinus Sabariæ Pānoniarum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini altus est, parentibus secundùm seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primùm, pòst tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub rege Constantio, deindè sub Iuliano Cæsare militauit: non tamen spontè, quia à primis ferè annis diuinam potiùs seruitutem sacra illustris pueri spirauit infantia. Nam cùm esset annorum decem, inuitis parentibus ad Ecclesiam cōfugit, seque catechumenum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cùm esset annorum duodecim, eremum cōcupiuit: fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animo tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesias semper intentus, meditabatur in ętate puerili, quod posteà deuotus impleuit. Sed cùm edictum esset à regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cùm esset annorum quindecim, raptus & catenatus, sacramentis militaribus est implicatus, vno tantùm seruo comite contentus, cui tamen versa vice dominus seruiebat, adeò vt plerunquè ei & calceamenta ipse detraheret, & ipse detergeret, cibum vnà caperent, hic sæpiùs ministraret. Triennium ferè ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab his vitijs, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia verò, atque humilitas, vltra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non est necessè, qua ità vsus est, vt iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ità sibi omnes commilitones suos deuinxerat, vt eum miro venerarētur affectu. Necdùm tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum: assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, egentes alere, nudos vestire, nihil sibi ex militiæ stipendijs, præter quotidianum victū, reseruare: Iam tum Euangelij non surdus auditor, de crastino non cogitabat.

Inuitus militat.

Fit catechumenus.

Cogitur militiæ operā dare.

Vide humilitatem.

Matth. 6.

Cap. 2.

Quodam itaque tempore, cùm iam nihil præter arma & simplicem militiæ vestem haberet, media hyeme, quæ solito asperior inhorruerat, adeò vt plerosque vis algoris extingueret, obuium habuit in porta Ambianensium ciuitatis pauperem nudum. Qui cùm prætereuntes, vt suî misererentur, oraret, omnesq; miserum præterirent, intellexit vir Deo plenus sibi illum, alijs misericordiam non præstantibus, reseruari. Quid tamen ageret? Nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat. Iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam diuidit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursùs induitur. Intereà de circunstantibus ridere nōnulli, quia deformis esset, & truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens sanior, altiùs gemere, qui simile nihil fecissent, cùm vtiquè plus habentes, vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cùm se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissimè Dominū, vestemque, quam dederat, iubetur agnoscere. Mox ad Angelorū circunstantium multitudinē audiuit Iesum clara voce dicentē: Martinus adhuc catechumenus hac me veste cōtexit. Verè memor Dominus dictorum suorum, qui antè pręd ixerat: Quandiù fecistis hæc vni ex minimis istis, mihi fecistis: se in paupere professus est fuisse vestitum. Et ad confirmandū tam boni operis testimoniū, in eodem se habitu, quem pauper acceperat, est dignatus ostendere. Quo viso, vir beatissimus non in gloriā est elatus humanā, sed bonitatē Dei in suo opere cognoscens, cū esset annorū duodeviginti, ad baptismū conuolauit. Nec tamen statìm militiæ renūciauit, tribuni sui precibus euictus, cui contuberniū familiare præstabat. Etenim trāsacto tribunatûs sui tempore, renunciaturū se seculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, per bienniū ferè, posteaq̃ est baptismū consecutus, solo scilicet nomine militauit.

Insignis charitas.

Videt Christum.

Matth. 25.

Baptizatur.

Cap. 3.

Intereà irruentibus intra Gallias barbaris, Iulianus Cæsar coacto in vnum exercitu, apud Vangionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus. Et (vt est consuetudinis) singuli citabantur, donèc ad Martinum ventum est. Tum verò oppor-

opportunum tempus existimans, quo peteret missionem, (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum, non militaturus, acciperet:) Hactenùs, inquit ad Cæsarem, militaui tibi: nunc patere, vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduersùs hanc vocem Tyrannus infremuit, dicens eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non religionis gratia, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immò illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignauiæ adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Iesu, signo Crucis, non clypeo, protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergò in custodiam iubetur: facturus fidem dictis, vt inermis barbaris obijceretur. Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia, seque dedentes. Vndè quis dubitet hanc verè beati viri fuisse victoriam, cui præstitũ sit, nè inermis ad prælium mitteretur? Et quãuìs pius Dominus seruare militem suum inter hostium gladios & tela potuisset: tamen nè vel aliorum morte, sancti violaretur obtutus, exemit pugnæ necessitatem. Neque enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare victoriam, quàm vt subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur. Detrectat militiam. Ecce virtutem sanctæ Crucis in quam confiderat S. Martinus.

Exindè relicta militia, sanctum Hilarium Pictauæ Episcopũ ciuitatis, cuius tunc in Dei rebus spectata & cognita fides habebatur, expetiuit, & aliquandiù apud eum commoratus est. Tentauit autem idem Hilarius, imposito diaconatûs officio, sibi eum arctiùs implicare, & ministerio vincire diuino. Sed cùm sæpissimè restitisset, indignum se esse vociferãs, intellexit vir Dei altioris ingenij, hoc eum modo posse constringi, si id ei officij imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaq; exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, nè despexisse tanquàm humiliorem videretur, non repudiauit. Nec multò pòst admonitus per soporem, vt patriã, parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa sollicitudine visitaret, ex voluntate sancti Hilarij profectus est, multisque ab eo obstrictus precibus & lachrymis, vt rediret, mœstus, vt ferunt, peregrinationẽ illam aggressus est, contestatus fratres multa se aduersa passurum: quod posteà probauit euentus. Ac primùm inter alpes deuia secutus, incidit in latrones. Cumq; vnus securim eleuatam in caput eius librâsset, ictum ferientis dextræ sustinuit alter. Vinctis tamen post tergum manibus, vni seruandus & custodiendus traditur. Qui cùm eum ad remotiora duxisset, percontari ab eo cœpit, quisnam esset. Respondit Christianum se esse. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc verò constantissimè profitebatur, nunquàm se tam fuisse securum: quia sciret misericordiã Domini maximè in tentationibus affuturam: se magis illi dolere, qui Christi misericordia, vtpotè latrocinia exercens, esset indignus. Ingressusque Euangelicam disputationem, verbum Dei latroni prædicabat. Quid longiùs morer? Latro credidit, prosecutusque Martinum viæ reddidit, orans vt pro se Dominum precaretur. Idemque posteà religiosam ducere vitam visus est, adeò vt hæc, quæ suprà retulimus, ab eo audita dicantur. Igitur Martinus indè progressus, cùm Mediolanum præterîsset, diabolus in itinere, humana specie assumpta, se ei obuiàm tulit, quò tenderet, requiens. Cumq; id à Martino responsi accepisset, se quò Dominus vocaret, intẽdere, ait ad eum: Quocunquè ièris, vel quæcunque tentaueris, diabolus tibi aduersabitur. Tũc ei prophetica voce respondit: Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo: statimque è conspectu eius inimicus euanuit. Itaque vt animo ac mente conceperat, matrem gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerante: plures tamen suo saluauit exemplo. Deindè cùm hæresis Arriana per totum orbẽ, & maximè intra Illyricum pullulâsset, cùm aduersùs perfidiam sacerdotum solus penè acerrimè repugnaret, multisq; supplicijs esset affectus, (nam & publicè virgis cæsus est) & ad extremũ de ciuitate exire cõpulsus, Italiã repetẽs, cùm intra Gallias quoq; discessu S. Hilarij, quem ad exilium hæreticorũ vis coëgerat, turbatã Ecclesiã comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit. Ibì quoque eum Auxentius, auctor & princeps Arrianorũ, grauissimè insectatus est: multisq; affectũ iniurijs, de ciuitate exturbauit. Cedendũ itaq; tẽpori arbitratus, ad insulã Gallinariã nomine secessit, comite quodã presbytero, magnarũ virtutum viro. Hîc aliquandiù radicibus vixit herbarũ. Quo tempore helleborum, venenatum, vt ferũt, gramen in cibũ sumpsit. Sed cùm vim veneni in se grassantis, vicina iam morte, sensisset, imminẽs periculũ oratione repulit, statimq; omnis dolor fugatus est. Nec multò pòst, cùm S. Hilario compe-

Cap. 4. Relicta militia, venit ad Hilariũ Episcopũ. Fit exorcista. Incidit in latrones. Nota constantiam. Latronem conuertit. Psal. 117. Multa ab Arrianis patitur. Mediolani condit monasterium. Nota victũ.

comperisset regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentauit occurrere. Profectusque est ad vrbem.

Cap. 5. Cùm iam Hilarius præterisset, ità eum est vestigijs prosecutus. Cumque ab eo gratissimè esset susceptus, haud longè sibi ab oppido monasteriū collocauit. Quo tempore quidam ei se catechumenus iunxit, cupiens viri sanctissimi institui disciplinis. Paucisq; interpositis diebus, languore correptus, vi febrium laborabat. At tum Martinus fortè discesserat: & cùm per triduum defuisset, regressus exanime corpus inuenit. Ità subita mors fuerat, vt absque baptismate humanis rebus excederet. Corpus in medio positum, tristi mœrentium fratrum frequentabatur officio: cùm Martinus flens & ciulans, accurrit. Tum verò tota spiritū sanctum mente concipiens, egredi cellulam, in qua corpus iacebat, cæteros iubet: ac foribus obseratis, super exanimata defuncti fratris membra prosternitur. Et cùm aliquandiù orationi incubuisset, sensissetque per spiritum Domini adesse virtutē, erectus paululùm, & in defuncti ora defixus, orationis suæ ac misericordię Domini intrepidus expectabat aduentum. Vixque duarum ferè horarum spatium intercesserat: vidit defunctum paulatìm membris omnibus commoueri, & laxatis in vsum videndi palpitare luminibus. Tum verò magna ad Dominum voce conuersus, gratias agens, cellulam clamore compleuerat. Quo audito, qui pro foribus adstiterant, statìm irruunt. Mirum spectaculum: quòd videbant viuere, quem mortuum reliquissent. Ità redditus vitæ, statìm baptisma cōsecutus, plures posteà vixit annos. Primusque apud nos Martini virtutum vel materia, vel testimonium fuit. Idem tamen referre erat solitus, se corpore exutum, ad tribunal iudicis ductum, deputatumque obscuris locis & vulgaribus turbis, tristem excepisse sententiam. Tunc per duos Angelos iudici fuisse suggestum, hunc esse, pro quo Martinus oraret. Ità per eosdem Angelos se iussum reduci, & Martino redditum, vitæque pristinæ restitutum. Ab hoc primo tempore beati viri nomen enituit, vt qui sanctus iam ab hominibus habebatur, potens etiam, & verè Apostolicus haberetur.

Mortuum excitat precibus suis.

Cap. 6. Nec multò pòst dum agrum Lupicini cuiusdam, honorati secundùm seculum viri præteriret, clamore & luctu turbæ plangentis excipitur. Ad quam cùm solicitus adstitisset, & quis esset hic fletus, inquireret, indicatur, vnū è familia seruulum laqueo sibi vitam extorsisse. Quo cognito, cellulam, in qua corpus iacebat, ingreditur: exclusisque omnibus turbis, superstratus corpori, aliquantispèr orauit. Mox viuiscente vultu, * inardescentibus oculis, in ora illius defunctus erigitur, lentoq; conamine enisus assurgere, appræhensa beati viri dextra, in pedes constitit, atq; ità cum eo vsque ad vestibulum domûs, turba omni inspectante, processit.

*marcescētibus

Alterū defunctū excitat.

Cap. 7. Sub idem ferè tempus ad Episcopatum Turonicæ petebatur Ecclesiæ. Sed cùm erui à monasterio suo nō facilè posset, Ruricius quidam vnus è ciuibus, vxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus, vt egrederetur, obtinuit. Ità dispositis iam in itinere ciuium turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem vsque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non solùm ex illo oppido, sed etiam ex vicinis vrbibus ad suffragia ferēda conuenerat. Vna omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum: felicem fore tali Ecclesiam sacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Episcopis, qui ad cōstituendum antistitem fuerant euocati, impiè repugnabant, dicentes scilicèt, contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominē despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ità à populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, dum vituperare cupiunt, prædicabant. Nec verò aliud his facere licuit, quàm quod populus Domino volente cogebat. Inter Episcopos tamē, qui adfuerant, præcipuè Defensor quidā nomine, dicitur restitisse. Vndè animaduersum est, grauiter illum lectione Prophetica tunc notatum. Nam cùm fortuitò lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuisset, turbatis ministris, dum expectatur, qui non aderat, vnus è circunstantibus, sumpto psalterio, quem primùm versum inuenit, arripuit. Psalmus autē hic erat: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicū, & defensorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduersa confunditur: Atq; ità habitum est, diuino nutu psalmū hunc lectum fuisse, vt testimoniū operis sui Defensor audiret, quia ex ore infantiū atq; lactentium in Martino Domini laude perfecta, & ostensus pariter, & destructus est inimicus. Iam verò sumpto Episcopatu, qualē se quan-

Creatur Turonens. Episcopus.

Psal. 8.
Esa. 43.

In Episcopatu vt se gesserit.

quantumque præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere. Idem enim constantissimè perseuerabat, qui priùs fuerat. Eadem in corde eius humilitas: eadem in vestitu eius vilitas erat. Atque ità plenus authoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem: vt non tamen propositum monachi virtutemque desereret. Aliquandiù ergò adhærenti ad ecclesiam cellula vsus est. Deindè cùm inquietudinē se frequentantium ferre nō posset, duobus ferè extra ciuitatem millibus monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus & remotus erat, vt eremi solitudinem non desideraret. Ex vno enim latere præcisa montis excelsi rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluuius reducto paululùm sinu clauserat. Vna tantùm, eádemque arcta admodùm via adiri poterat. Ipse ex lignis cōtextam cellulam habebat: multique ex fratribus in eundem modum. Plerique saxo superiecti montis cauato, receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplū beati magisti instituebantur. Nemo ibì quicquam proprium habebat, omnia in mediū conferebantur. Non emere, aut vendere (vt plerisque monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibì, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: maiores orationi vacabāt. Rarus cuiquam extra cellulam suā egressus, nisì cùm ad locum orationis conueniebant. Cibū vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisì quem infirmitas coēgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibì habitus pro crimine erat. Quod eo magìs sit mirū necessè est, quòd multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coēgerant. Pluresque ex his posteà Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem?

Monasteriū extruit.

Nota vitæ asperitatem in illo monasterio.

Sed vt reliquas virtutes eius, quas in Episcopatu egit, aggrediar: erat haud longè ab oppido proximus monasterio locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibì martyribus consecrauerat. Nam & altare ibì à superioribus Episcopis constitutum habebatur. Sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his, qui maiores natu erant, presbyteris vel clericis flagitabat nomen sibi martyris, & tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoueri, quòd nihil certi cōstans sibi Maiorum memòria tradidisset. Cùm aliquandiù ergò à loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat: nec authoritatem suam vulgo accommodās, nè superstitio conualesceret, quodam die, paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit: Deindè super sepulcrum ipsum adstās, orauit ad Dominū, vt quis esset, vel cuius meriti sepultus, ostenderet. Tum conuersus ad læuam, videt propè assistere vmbrā sordidā, & trucē. Imperat nomen meritumq; vt loqueretur. Nomen edicit, de crimine cōfitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum martyribus esse cōmune, cùm illos gloria, se pœna retineret. Mira res: vocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit: Iussitque ex eo loco altare, quod ibì fuerat, submoueri, atq; ità populum superstitionis illius absoluit errore.

Cap. 8.

Latronem pro martyre ignorantia cultum depræhendit.

Accidit autem insequenti tempore, dum iter ageret, vt gentilis cuiusdā corpus, quod ad sepulcrum cum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet. Conspicatusque eminùs venientem turbam, quidnam id esset ignarus, paululùm stetit. Nam cùm ferè quingentorum passuum interuallum esset, vt difficile fuerit dignoscere, quid videret: tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori superiecta volitarent, profanos sacrificiorū ritus agi credidit: quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra dæmonum candido tecta velamine misera per agros suos circunferre demētia. Eleuato ergò in aduersùm signo Crucis, imperat turbæ non moueri loco, onusque deponere. Hîc verò mirum in modum videres miseros primùm velut saxa riguisse: deindè cùm primò mouere se summo conamine niterentur, vltrà accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donèc victi, corporis onus deponunt attoniti, & semet inuicèm adspectantes, quidnam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed cùm beatus vir compeřisset exequiarum illam esse frequentiam, non sacrorum, eleuata rursùm manu, dat eis abeundi, & tollendi corporis potestatem. Ità eos & cùm voluit, stare compulit: & cùm libuit, abire permisit.

Cap. 9.

Error rusticorum in Gallijs.

Item dum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum, quæ fano erat proxima, esset aggressus excidere: tum verò antistes loci illius, cætera-

Cap. 10.

cæteraque gentilium turba cœpit obsistere. Et cùm iidem illi, dum templum euertitur, imperante domino, acquieuissent, succidi arborem nō patiebantur. Ille quidem eos sedulè commonere, nihil esse religionis in stipite, Dominum potiùs, cui seruiret ipse, sequerentur: arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata: Tum vnus ex illis, qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidimus hāc arborem: Tu ruentem excipe, & si tecum est tuus, vt dicis, Dominus, euades. Tum ille intrepidè confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hîc verò ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit, facilemque arboris suæ habere iacturam, si inimicum sacrorum suorum, casu illius obruissent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset accliuis, (vt non esset dubium, quam in partem succisa corrueret) eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio, lætitiaque cœperunt. Aderat eminùs turba mirantium. Iamque paulatim nutare pinus cœpit, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminùs monachi, & periculo iam propiore conterriti, spem omnem, fidemque perdiderant, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cùm iam fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, & super se ruenti, eleuata protinùs obuiam manu, salutis signum opposuit. Tum verò turbinis modo retroactam putares: ita diuersam in partem ruit, adeò vt rusticos, qui in tuto loco steterant, penè prostrauerit. Tum verò in cælum clamore sublato, gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari: satisq; constitit, eo die salutem illi venisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manûs desiderata, in Dominum Iesum Christum, relicto impietatis errore, crediderit. Et verè ante Martinum pauci admodùm, immò penè nulli, in iis regionibus Christi nomen receperāt. Quod adeò virtutibus illius, exemploque conualuit, vt iam ibì nullus locus sit, qui non aut ecclesiis frequentissimus, aut monasteriis sit repletus. Nam vbì fana destruxerat, statìm ibì aut ecclesias, aut, aut monasteria construebat.

Vult arborē dæmoni dedicatam excidere. *Vide vim signi sanctæ Crucis.* *Multi ethnici credunt.* *Nota de templis & monasteriis, quæ hodiè hæretici euertunt.*

Cap. 11. Nec minorem sub idem ferè tempus eodem in opere virtutē edidit. Nam cùm in vico quodam fano antiquissimo & celeberrimo ignem iniecisset, in proximam, immò adhærentem domum, agente vento, flammarum globi ferebantur. Quod vbi Martinus aduertit, rapido cursu tectum domûs scandit, obuiàm se venientibus flammis inferens. Tum verò mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, vt compugnantium inter se elementorum quidam conflictus videretur. Ità virtute Martini ibì tantùm ignis est operatus, vbì iussus est.

Cap. 12. In vico autem, cui Leprosum nomen est, cùm idem templum opulentissimum superstitiosæ religionis voluisset euertere, restitit ei multitudo gentilium, adeò vt non absque iniuria sit repulsus. Itaq; secessit ad proxima loca, ibique per triduum cilicio tectus & cinere, ieiunās semper atque orans, precabatur Dominum, vt quia templum illud euertere humana manu nō potuisset, virtus illud diuina dirueret. Tum subitò ei duo Angeli hastati atque scutati instàr militiæ cælestis se obtulerunt, dicentes missos se à Domino, vt rusticam multitudinem fugarent, præsidiumque Martino ferrent, nè quis, dum templū dirueretur, obsisteret. Rediret ergò, & opus cœptum deuotus impleret. Ità regressus ad vicum, spectantibus gentilium turbis, & quiescentibus, dum profanam ædem vsque ad fundamēta dirueret, aras omnes atque simulacra redegit in puluerem. Quo viso, rustici cùm se intelligerent diuino nutu obstupefactos atque perterritos, nè Episcopo repugnarent, omnes ferè in Iesum Dominum crediderunt, clamantes palàm, & cōfitentes, Deum Martini esse colendum, idola negligenda, quæ sibi adesse non possent.

Virtus cęlestis adest euertenti fanum dęmonum.

Cap. 13. Quid etiam in pago Heduorum gestum sit, referam. Vbì dum templum itidèm euerteret, furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumq; vnus audacior cæteris, stricto eum gladio peteret, reiecto pallio, nudam ceruicem percussori præbuit. Nec cunctatus est ferire gentilis: sed cùm dexteram altiùs extulisset, resupinus ruit, consternatusque diuino metu, veniam precabatur.

Diuinitùs puniuntur eum cædere volentes.

Cap. 14. Nec dissimile huic fuit illud: Cùm eum idola destruentem cultro quidam ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum, non comparuit. Plerunquè autem contradicentibus sibi rusticis, nè eorum fana destrueret; ità prædicatione sancta-

cta gentilium animos mitigabat, vt luce eis veritatis ostensa, ipsi sua templa subuerterent. Curationum verò tam potens in eo gratia erat, vt nullus ferè ad eum ægrotus accesserit, qui non continuò receperit sanitatem: quod vel ex consequenti liquebit exemplo. Mira curationum gratia.

Treueris puella quædam dira paralysis ægritudine tenebatur, ità vt iam per multum tempus nullo ad humanos vsus corporis officio fungeretur: omni ex parte præmortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris expectationē assistebant propinqui: cùm subitò nunciatur, ad ciuitatem illam venisse Martinum. Quod vbi puellæ pater comperit, cucurrit exanimis, pro filia rogaturus. Et fortè Martinus iam ecclesiam fuerat ingressus. Ibì inspectante populo, multisque alijs Episcopis præsentibus, eiulans senex genua eius amplectitur, dicens: Filia mea moritur misero genere languoris, & quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu viuit, iam carne præmortua. Rogo vt eam adeas, atque benedicas: Confido enim, quòd per te reddenda sit sanitati. Qua ille voce confusus obstupuit, & refugit, dicens hoc suæ non esse virtutis: senem errare iudicio: non esse se dignum, per quem Deus signum virtutis ostenderet. Perstare cœpit vehementiùs flens pater, & orare, vt exanimem visitaret: postremò à circunstantibus Episcopis ire compulsus, descendit ad domum puellę. Ingens turba præ foribus expectans, quidnam Dei seruus esset facturus. Ac primùm (quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma) solo prostratus orauit. Indè ægram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cùm benedixisset, in os puellæ vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tum paulatìm singula cōtactu eius cœperunt membra viuiscere, donèc firmatis gressibus, populo teste, surrexit. Cap. 15. Præclarum miraculum adhibito oleo benedicto.

Eodem tempore Tetradij cuiusdam procōsularis viri seruus dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergò Martinus, vt ei manum imponeret, deduci eum ad se iubet. Sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ità in aduenientes rabidis dentibus sæuiebat. Tum Tetradius ad genua beati viri aduoluitur, orans vt ad domum, in qua dæmoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum verò Martinus negat, se profani & gentilis hominis domum adire posse. Nam Tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergò se, si de puero dæmon fuerit eiectus, Christianum fore. Ità imposita manu puero, immundum ab eo spiritum eiecit. Quo viso, Tetradius Dominum nostrum Iesum Christum credidit, statimque catechumenus factus, nec multò pòst baptizatus est, semperque Martinum salutis suæ auctorem miro coluit affectu. Cap. 16. Sanat dæmoniacum, & procōsularis credit.

Per idem tempus in eodem oppido ingressus patrisfamiliâs cuiusdam domum, in limine ipso restitit, dicens, horribile in atrio domûs dæmonium se videre. Cui cùm, vt discederet, imperaret, quendam è familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit: sæuire dentibus miser cœpit, & obuios quoscunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam versus, Martinus se furenti obijcit, ac primùm stare ei imperat. Sed cùm dentibus fremeret, hiantique ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos deuora. Tum verò àc si candens ferrum faucibus accepisset, longè reductis dentibus, digitos beati viri vitabat attingere. Et cùm fugere de obsesso corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens vestigia, fluxu ventris egressus est. Cap. 17. Alius curatur dæmoniacus.

Intereà cùm de motu atque impetu barbarorum, subitò ciuitatē fama turbâsset, dæmoniacū ad se exhiberi iubet. Imperat, an verus esset hic nuncius, fateretur. Tum confessus est sedecim dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populū disseminâssent, vt hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur: barbaros nihil minùs, quàm irruptionem, cogitare. Ità cùm hæc immundus spiritus media in ecclesia fateretur, metu & turbatione præsenti ciuitas liberata est. Cap. 18. Nota fallaciá dæmonum.

Apud Parisios verò dum portam ciuitatis illius, magnis secum turbis euntibus, introiret, leprosum miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est, atque benedixit: statimque omni malo emundatus, postero die ad ecclesiam veniens nitenti cute, gratias pro sanitate, quam receperat, agebat. Sed nec hoc prætereundum est, quòd fimbriæ vestimentis eius cilicioque detractæ, crebras super infirmantibus egēre virtutes. Nam cùm aut digitis illigatæ, aut collo inditæ sunt, persæpè ab ægrotantibus morbos effugauerunt. Cap. 19. Leprosus curatur.

Arborius autem, vir præfectorius, sancti admodùm & fidelis ingenij, cùm filia eius grauis- Cap. 20.

grauissimis quartanæ febribus vreretur, epistolam Martini, quæ casu ad eum delata fuerat, pectori puellę in ipso accessu ardoris inseruit: statimque fugata febris est. Quę res apud Arborium tantum valuit, vt statìm puellam Deo voueret, & perpetuæ virginitati dicaret. Profectusque ad Martinum, puellam ei præsens ob virtutum eius testimonium, quæ per absentem licèt curata esset, obtulit. Neque ab alio eam, quàm à Martino, habitu virginitatis imposito, passus est consecrari.

Cap.21. Paulinus verò, vir magni postmodùm futurus exempli, cùm oculum grauiter dolere cœpisset, & iam pupillam eius crassior nubes superducta texisset, oculum ei Martinus peniculo contigit, pristinamque ei sanitatem, sublato omni dolore, restituit.

Cap.22. Ipse autem cùm casu quodam esset de cœnaculo deuolutus, & per confragosos scalæ gradus décidens, multis vulneribus esset affectus, cùm exanimis iacéret in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus visus est eluĕre vulnera, & salubri vnguento contusi corporis membra contingere. Atque ità postero die restitutus est sanitati, vt nihil vnquàm pertulisse incommodi putaretur. Sed quia longum est ire per singula, sufficiant hæc, vel pauca de plurimis: satisque sit, nos & in excellentibus non subtrahere veritatem, & in multis vitare fastidium.

Cap.23. Atque vt minora tantis inseram, quanuìs (vt est nostrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia, atque corrupta sunt) penè præcipuum sit adulationi regiæ sacerdotalem non cessisse constantiam: cùm ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuersis partibus Episcopi conuenissent, & fœda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica authoritas permanebat. Nam etsì pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperauit potiùs, quàm rogauit. Et à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensæ eius participem esse non posse, qui duos Imperatores, vnum regno, alterum vita expulisset. Postremò cum Maximus se non spontè sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu necessitatem regni, armis defendisse: & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullumque ex aduersarijs, nisì in acie, occubuisse, tandèm victus vel ratione, vel precibus, ad conuiuium venit, mirum in modum gaudente rege, quòd id impetrâsset. Conuiuæ autem aderant, veluti ad diem festum euocati, summi atque illustres viri, Præfectus, idemque Consul Euodius, quo nihil vnquàm iustius fuit, Comites duo, summa potestate præditi, frater regis, & patruus: medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula iuxta regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram regi minister obtulit: Ille sancto admodùm Episcopo dari potiùs iubet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, vbì ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnesque, qui tunc aderant, ità admirati sunt, vt hocipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret. Celeberrimumque per totum palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum iudicum conuiuijs Episcoporum nemo fecisset. Eidemque Maximo longè antè prędixit futurum, vt si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori inferēs, sciret se primo quidem impetu futurum esse victorem, sed paruo pòst tempore esse periturum. Quod quidem ità vidimus. Nam primo aduentu eius, Valentinianus in fugam versus est. Deindè post annum ferè, resumptis viribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit.

[Margin: Maximus Imp. feroci ingenio. — S. Martinus vt se erga eū gesserit. — Nota quantum vir sanctissimus tribuerit sacerdotio. — Prædixit Maximo interitum.]

Cap.24. Constat autem, etiam Angelos ab eo plerunquè visos, ità vt cōserto inuicèm apud eum sermone loquerentur. Diabolum verò ità conspicabilem, & subiectum oculis habebat, vt, siue se in propria substantia contineret, siue in diuersas figuras specialesque nequitias transtulisset, qualibet ab eo sub imagine videretur. Quod cùm diabolus sciret se effugere non posse, conuicijs eum frequenter vrgebat, quia fallere non posset insidijs. Quodam tempore cornu bouis cruentum in manu tenens, cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamq; ostentans dexteram, & admisso recens scelere congaudens: Vbì est, inquit, Martine, virtus tua? Vnum de tuis modò interfeci. Tunc ille conuocatis fratribus refert, quid diabolus indicâsset. Solicitos esse præcepit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset affectus. Neminem quidem

[Margin: Diabolus multis conuicijs eum aggreditur.]

dem deesse de monachis, sed vnum rusticum mercede conductum, vt vehiculo ligna deferret, isse ad syluam nunciant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiàm. Ità haud longè à monasterio iam penè exanimis inuenitur. Extremum tamen spiritum trahens, indicat fratribus casum mortis, & vulneris, iunctis scilicet bobus, dum dissoluta arctiùs lora constringit, bouem sibi excusso capite inter inguina cornua iniecisse. Nec multò pòst vitam finiuit. Videris, quo iudicio Domini diabolo data fuerit hęc potestas. Verùm in Martino illud mirabile erat, quòd non solùm hoc, quod suprà retulimus, sed multa istiusmodi, si quotiès accidissent, longè antè præuidebat, & sibi nunciata, fratribus indicabat. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conaretur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdùm in Iouis personam, plerunquè Mercurij, persæpè etiam Veneris ac Mineruæ transfiguratũ se vultibus offerebat. Aduersùs quem semper interritus, signo se Crucis, & orationis auxilio protegebat. Audiebantur plerunquè conuicia, quibus illum dæmonum turba proteruis vocibus increpabat. Sed omnia falsa & vana cognoscẽs, non mouebatur obiectis. Testabantur etiam aliqui ex fratribus, audisse se dæmonem proteruis Martinum vocibus increpantem: Cur intra monasterium aliquos ex fratribus, qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent, conuersos posteà recepisset, exponentem crimina singulorum: Martinum diabolo repugnantem, respondisse constanter: Antiqua debita melioris vitæ conuersione purgari, & per misericordiam Domini absoluendos esse peccatis, qui peccare desinerent. Contrà dicente diabolo: Non pertinere ad veniam criminosos, & semèl lapsis nullam à Domino præstari posse clementiam: tunc in hanc vocem fertur exclamâsse Martinus: Si tuipse, ò miserabilis, ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cùm dies iudicij in proximo est, pœniteret, ego tibi verè, confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer. O quàm sancta de Domini pietate præsumptio, in qua etsì authoritatem præstare non potuit, ostendit affectum.

Multa futura antè cognoscit.

Multis modis ei appàret satan.

Nota sententiam beati viri.

Et quia de diabolo, eiusque artibus sermo exortus est, non ab re videtur, licèt extrinsecùs, referre, quod gestum est: quia & quædam in eo Martini virtutum portio est: & res digna miraculo, rectè memoriæ mandabitur in exemplum cauendi, si quid deincèps vspiàm tale contigerit. Clarus quidam nomine, adolescens nobilissimus, mox presbyter, nunc felici beatus excessu, cùm relictis omnibus se ad Martinum contulisset, breui tempore ad summum fidei, virtutumque omnium culmen enituit. Itaque cùm haud longè sibi ab Episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multique fratres commorarentur apud eum, iuuenis quidam ad eum, Anatolius nomine, sub professione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus, accessit, habitauitque aliquandiù in commune cum cæteris. Dein procedente tempore, angelos apud se loqui solere dicebat. Cui cùm fidem nullus adhiberet, signis quibusdam, plerosque ad credendum coarctabat. Postremò eousquè processit, vt inter se ac Deum angelos discurrere prædicaret. Iamque se vnum ex prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquàm ad credendum cogi poterat. Ille autem ei iram Domini, & præsentes plagas, cur sancto non crederet, comminatus, postremò in hanc vocem fertur erupisse: Eccè hac nocte vestem mihi candidam Dominus de cælo dabit, qua indutus, in medio vestrûm diuersabor, idque vobis signum erit, me in Dei esse virtute, qui Dei veste donatus sim. Tum verò grandis omnium ad hanc professionem expectatio fuit. Itaque ad mediam ferè noctem, fremitu insultantium commoueri omne monasterium loco visum est. Cellulam autem, qua idem adolescens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremitusque in ea discurrentium, & murmur quoddam multarum vocum audiebatur. Deindè facto silentio egressus, vnum de fratribus Sabatium nomine, ad se vocat, tunicamque ei, qua erat indutus, ostendit. Obstupefactus ille, conuocat cæteros: ipse etiam Clarus accurrit, adhibitoque lumine, vestem omnes diligenter inspiciunt. Erat autem summa mollitie, candore eximio, micanti purpura: nec tamen, cuius esset generis aut velleris, poterat agnosci. Curiosiùs tamen oculis aut digitis attrectata, non aliud, quàm vestis videbatur. Intereà Clarus fratres admonet orationi insistere, vt manifestiùs eis Dominus, quidnam esset, ostenderet. Itaque reliquum noctis hymnis psalmisque consumitur. At vbi illuxit dies, appræhensum dextera trahere ad Martinum volebant, benè conscij illudi illum diaboli arte non posse. Tunc verò reniti ac reclamare miser cœpit, interdictumque sibi esse dicebat, nè se Martino ostenderet. Cumque inuitum

Cap. 25.

Clarus adolescens nobiliss. fit monachus sanctiss.

Anatolius pseudomonachus.

Eccè diaboli versutiam & fraudem.

eum ire compellerent, inter trahentium manus vestis euanuit. Vndè quis dubitet hanc etiam Martini fuisse virtutem, vt phantasiam suam diabolus, cùm erat Martini oculis ingerenda, dissimulare diutiùs aut tegere non posset? Animaduersum est tamen, eodem ferè tempore fuisse in Hispanijs iuuenem, qui cùm sibi multis signis authoritatem parauisset, eousquè elatus est, vt se Eliam profiteretur. Quod cùm plerique temerè credidissent, addidit vt se Christum esse diceret. In quo etiam adeò illusit, vt eum quidam Episcopus Rufus nomine, vt Deum adoraret, Propter quod eum posteà ab Episcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis è fratribus retulerũt, eodem tempore in Oriente quendam extitisse, qui se Iohannem esse iactitaret. Ex quo conijcere possumus, istiusmodi pseudoprophetis existentibus, Antichristi aduentum imminere: qui iam in istis mysterium iniquitatis operatur. Neque enim prętereundum videtur, quanta Martinum sub ijsdem diebus diabolus arte tentauerit. Quodam enim die præmissa præ se & circuntectus ipsa luce purpurea, quô faciliùs claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auróque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, vt nihil minùs, quàm diabolus putaretur, oranti in cellula adstitit. Cumque Martinus primo adspectu eius fuisset hebetatus, diù multumque silentium ambo tenuerunt. Tum prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine, quem cernis: Christus ego sum: descensurus ad terras, priùs me tibi manifestare volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, neque quicquam responsi referret: iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine, quid dubitas credere, cùm videas? Christus ego sum. Tum ille, reuelante sibi spiritu, vt intelligeret diabolũ esse, non Dominum: Non se, inquit, Dominus Iesus purpuratum, & diademate renitentem venturum esse prædixit. Ego Christum, nisi in eo habitu, formaque, qua passus est, nisi Crucis stigmata præferentem, venisse non credam. Ad hanc ille vocem statìm, vt fumus euanuit. Cellulam quoquè tanto fœtore compleuit, vt indubia indicia relinqueret, diabolum se fuisse. Hoc ità gestum, vt suprà retuli, ex ipsius Martini ore cognoui: nè quis fortè exstimet fabulosum.

Vide inanis insanam temeritatẽ & arrogantiam.

Diabolum Christum se dicentem egregiè confutat vir sanctus.

Cap. 26.

Nam cùm olìm, audita eius fide, vita atque virtutibus, desiderio illius æstuaremus, gratam nobis ad eum videndum peregrinationem suscepimus, simul quia iam ardebat animus illius scribere vitam, partìm ab ipso, inquantùm ille interrogari potuit, sciscitati sumus: partìm ab his, qui interfuerant, vel sciebant, cognouimus. Quo quidem tempore credi non potest, qua me humilitate, qua benignitate susceperit, congratulatus plurimùm, & gauisus in Domino, quòd tanti esset habitus à nobis, quem peregrinatione suscepta expetîssemus. Miserum me: penè non audeo confiteri, cùm me sancto conuiuio suo dignatus est adhibere. Aquam manibus nostris ipse obtulit: ad vesperum autem ipse nobis pedes abluit. Nec reniti, aut contrà ire constantia fuit, ità illius authoritate oppressus sum, vt nefas putarem, si non acquieuissem. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quàm mundi huius illecebras, & seculi onera relinquenda, vt Dominum Iesum liberi expeditique sequeremur. Præstantissimumque nobis præsentium temporum illustris viri Paulini, cuius suprà mentionem fecimus, exemplum ingerebat: qui summis opibus abiectis, Christum secutus, solus penè his temporibus Euangelica præcepta complêsset. Illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum, beatumque esse præsens seculum tantæ fidei virtutisque documento: cùm secundùm sentẽtiam Domini, diues & possidens multa, vendendo omnia & dando pauperibus, quod erat facto impossibile, possibile fecisset exemplo. Iam verò in verbis & confabulatione eius quanta grauitas, quanta dignitas erat? quàm alacer, quàm efficax, quàm in absoluendis scripturarum quæstionibus promptus & facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippè quos viderim, meipso etiam referente, non credere: Iesum testor, spemque communem, me ex nullius vnquàm ore tantum scientiæ, tantum ingenij, tam boni & tam puri sermoris audîsse. Quanquàm in Martini virtutibus quãtula est ista laudatio? nisi quòd mirum est, homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse.

Sulpitius à sancto viro humanissimè accept'.

S. Paulini encomium.

Matt. 19.

Preclarũ testimonium de doctrina sancti viri.

Sed iam finẽ liber postulat: sermo claudendus est, non quòd omnia, quæ de Martino fuerant dicenda, defecerint, sed quia nos vt inertes poëtæ, extremo in opere negligentes, victi materiæ mole succumbimus. Nam etsi facta illius explicari verbis vtcunquè potuerunt, interiorem vitam illius, quotidianam conuersationem, & animum cælo semper intentum, nulla vnquàm, (verè profiteor) nulla explicabit oratio: Illam scilicet perseuerantiam & temperamentum in abstinentia & ieiunijs, poten-

tiam

tiam in vigilijs & orationibus, noctesque ab eo perindè àc dies actas, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel ocio indulserit, vel negocio, sed ne cibo aut somno quidem, nisi quatenùs naturæ cogebat necessitas. Verè fatebor, non si ipse (vt aiunt) ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeò Martini omnia maiora sunt, quàm vt verbis concipi queant. Nulla vnquàm hora, momentumque præterijt, quin aut orationi incumberet, aut insisteret lectioni. Quanquàm etiam inter legendum, aut si quid aliud fortè agebat, nunquàm animum ab oratione laxabat. Nimirùm vt fabris ferrarijs moris est, qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudem suam feriunt: ità Martinus, etiam dum aliud agere videretur, semper orabat. O verè beatus, in quo dolus non fuit, neminem iudicans, neminem damnans, nulli malû pro malo reddens. Tantam quippè aduersùm omnes iniurias patientiam assumpserat, vt cùm esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco vnquàm amouerit, aut à sua, quantùm in ipso fuit, charitate repulerit. Nemo vnquàm illum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus, idemque, semper cælestem quodam modo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Nunquàm in illius ore, nisi Christus: nunquàm in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerunquè etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis, qui remotum & quietum venenatis linguis, & vipereo ore carpebant. Et verè nonnullos experti sumus inuidos virtutis, vitæq; eius, qui in illo oderant, quod in se non videbant, & quod imitari non valebant. Atque (ô nefas dolendum, & ingemiscendum) non alij fuêre insectatores eius, (licèt pauci admodùm) non alij tamen, quàm Episcopi, ferebantur. Nec verò quenquam nominare necesse est, licèt nosipsos plerique circunlatrent. Sufficit, vt si quis ex his hæc legerit & agnouerit, erubescat. Nam si irascitur, de seipso dictum fatebitur, cùm fortasse nos de alijs senserimus. Non refugimus autem, vt si qui eiusmodi sunt, nos quoquè cum tali viro oderint. Illud facilè confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore. Decæterò, si quis hæc infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide & amore Christi impulsum, vt scriberem, manifesta exposuisse, & vera dixisse. Paratumque, vt spero, habebit à Deo præmium, non quicunque legerit, sed quicunque crediderit.

Abstinētia, ieiunia vigiliæ & orationes S. Martini.

Exercitia eius.

Summa patientia.

Mira animi serenitas.

Ex Dialogo 2. Sulpitij, Gallo, Sulpitio, & Posthumiano interlocutoribus.

GALLVS. Quo primùm tempore, relictis scholis, beato me viro iunxi, paucos post dies euntem ad ecclesiam sequebamur. Interìm ei seminudus hybernis mensibus pauper occurrit, orans sibi vestimentum dari. Tunc ille, accersito archidiacono, iussit algentem sine dilatione vestiri. Deindè secretarium ingressus, cùm solus, vt erat illi consuetudo, resideret, (hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem, permissa à clericis libertate, præstabat) cùm quidam in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negocijs occupati: Martinum verò vsque in eam horam, qua solennia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat. Illud non præteribo, quòd in secretario sedens, nunquàm cathedra vsus est. Nam in ecclesia nemo vnquàm illum sedere conspexit, sicut quendam nupèr (testor Deum) non sine meo pudore vidi, sublimi solio, & quasi regio tribunali, celsa sede residentem. Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, vt sunt istæ in vsibus seruulorum, quas nos rustici Galli tripedias, vos scholastici, aut certè tu, qui de Græcia venis, tripodas nuncupatis. Ergò hoc secretum beati viri pauper ille captans, cùm ei archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se à clerico querens, ac algere deplorans. Nec mora: sanctus, paupere non vidente, intra amphibalum sibi tunicam latenter educit, pauperemque contectum discedere iubet. Dein paulò pòst archidiaconus ingressus, admonet pro consuetudine expectare in ecclesia populum, illum ad agenda Missarum solennia debere procedere. Cui ille respondens, ait: Pauperem priùs (de se autem dicebat) oportere vestiri: se ad ecclesiam non posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus verò nihil intelligens, quia extrinsecùs indutum amphibalo, veste nudum interiùs non videbat: postremò pauperem non comparére causatur. Mihi, inquit, vestis, quæ parata est, deferatur: pauper non deerit vestiendus. Arctatus demùm clericus, & necessitate compulsus, iamque felle commotus, è proximis tabernis niger-

Cap. 1.

S. Martinus in templo nunq sedit.

Seipsum nudat, & vestit pauperem.

Missarum solennitas.

nigerrimam vestem, breuem atque hispidam, quinque comparatam argenteis rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit. En, inquit, vestem: sed pauper hic non est. Ille nihil motus, iubet eum paulùm stare pro foribus: secretum vtiquè procurans, dum sibi vestem nudus imponeret: totis viribus elaborans, vt posset occultum esse, quod fecerat. Sed quandò in sanctis viris latent ista quærentibus? Velint, nolint, cuncta produntur.

Cap.2. Igneus globus cernitur ad caput eius. Cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ità vt in sublime contendens, longiùs collum crinemque flamma produceret. Hoc licèt celeberrimo factũ die, in magna populi multitudine viderimus, tamen vna tantùm de virginibus, & vnus de presbyteris, tres tantùm vidêre de monachis. Cæteri cur non viderint, non potest nostri esse iudicij.

Cap.3. Per idem ferè tempus cùm Euantius auunculus meus, vir licèt seculi negocijs occupatus, tamen admodùm Christianus, grauissima ægritudine, extremo mortis periculo cœpisset vrgeri, Martinum euocauit. Nec cunctatus ille, properauit. Priùs tamen, quàm medium viæ spatium vir beatus euolueret, virtutem aduenientis sensit ægrotus, recepta continuò sanitate: venientibus nobis, obuiàm ipse processit. Altera die redire cupientem magna prece detinuit, cùm interìm vnum è familia puerum lethali ictu serpens perculit. Quem iam exanimem vi veneni, ipse Euantius suis humeris illatũ, ante pedes sancti viri, nihil illi impossibile confisus, exposuit. Iamque se malum serpentis per omnia membra ità diffuderat, vt cerneres omnibus venis inflatam cutem, & vtris instàr tensa vitalia. Manu Martinus porrecta, vniuersa pueri membra pertractans, digitum prope ipsum vulnusculum, quo bestia virus infuderat, fixit. Tum verò (mira dicturus sum) vidimus venenum ex omni parte reuocatum, ad Martini digitũ cucurrisse. Deindè per illud vlceris foramen exiguum ità virus stipâsse cum sanguine, vt solet ex vberibus caprarum aut ouium, pastorum manu pressis, longa linea copiosi lactis effluere. Puer surrexit incolumis. Nos obstupefacti tantæ rei miraculo, id, quod ipsa cogebat veritas, fatebamur, non esse sub cælo, qui Martinum posset imitari.

Res admiratione sane digna.

Cap.4. Consequenti itidèm tempore, iter cum eodem, dum diœceses visitat, agebamus. Nobis nescio qua necessitate remorantibus, aliquantulùm ille processerat. Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat. Sed vbi Martinum in veste hispida, nigro & pendulo palliolo circuntectum, contigua de látere iumenta viderunt, paululùm in partem alteram paucefacta cesserunt. Deindè funibus implicatis protensos illos, quibus (vt sæpè vidistis) misera illa animalia cõglobantur, ordines miscuerunt. Dumque ægrè expediuntur, moram fecêre properãtibus. Qua permoti iniuria militantes, præcipitatis in terram saltibus, se dederunt: deindè Martinum flagris ac fustibus vrgere cœperunt: cùm quidem ille mutus, & incredibili patientia præbens terga cædentibus, maiorem insaniam infelicibus cõmoueret: magìs ex hoc furentes, quòd ille quasì non sentiens, verbera illata contemneret. Nos ilicò consecuti, fœdè cruentum, atque vniuersa corporis parte laniatum, cùm exanimis in terram procubuisset, inuenimus: statimque eum asello suo imposuimus, ac locum cędis illius execrãtes, raptìm abire properauimus. Intereà illi regressi ad rhedã suam, furore satiato, agi, quò ire cœperant, iumenta præcipiunt: quæ cùm omnia solo fixa, àc si ænea riguissent, tollentibus altiùs vocem magistris, flagris hinc atque indè resonantibus nihil penitùs mouebantur. Consurgunt deindè omnes pariter in verbera: consumit Gallicas mularũ pœna mastigias: tota rapitur sylua de proximo: trabibus iumenta tunduntur: Sed nihil penitùs sæuæ manus agebant: vno eodemq; loco stabant fixa simulacra. Quid agerent infelices homines nesciebant. Nec iam vltrà dissimulare poterant, quin quanlibèt brutis pectoribus, agnoscerent diuino numine se teneri. Tandèm ergò in sese reuersi, cœperũt quærere, quis ille esset, quem in eodem loco paululùm antè cecidissent. Cùm percontantes cognoscunt ex viantibus, Martinum à se tam crudeliter verberatum: tum verò apparére omnibus causa manifesta: nec ignorare iam poterant, quin ob illius viri iniuriã tenerentur. Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur, conscij audacis facti, ac merito pudore confusi, flentes, & puluere, quo se ipsi fœdauerant, capita atque ora conspersi, ante Martini se genua prouoluunt, veniam precantes, & vt eos abire sineret, postulantes: satis se vel sola conscientia dedisse pœnarum, satisque intellexisse, quòd eosdẽ ipsos viuos absorbere terra

Admiranda sancti viri tolerantia.

Diuina vltio in eos, qui eum ceciderunt.

terra potuisset, vel ipsi potiùs, amissis sensibus, in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis, quibus steterant, iumenta vidissent: orare se, atque obsecrare, vt indulgeret sceleri veniam, & copiam præstaret abeundi. Senserat etiam, priusquàm accurrerent, vir beatus illos teneri, nobisque id antè iam dixerat. Veniam tamen clementer indulsit, eosdemque abire permisit, animalibus restitutis. Clementia eius in danda hostibus venia.

Illud autem animaduerti sæpè, Sulpiti, Martinum tibi dicere solitum, nequaquàm sibi in Episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse, quam priùs se habuisse meminisset. Quod si verum est, immò quia verum est, conijcere possumus, quanta fuerint illa, quę monachus operatus est, & quę, teste nullo, solus exercuit, cùm tanta illum in Episcopatu signa fecisse sub oculis omnium viderimus. Multa quidem illius priùs gesta innotuére mundo, neque potuére celari: sed innumerabilia esse dicuntur, quæ, dum iactantiam vitat, occultauit, neque in hominum notitiam passus est peruenire: quippè qui humanam substantiam supergressus, virtutis suæ conscientia mundi gloriam calcans, cælo teste frueretur. Quod verum esse vel ex his, quæ comperta nobis sunt, nec latére potuerunt, possumus æstimare. Siquidem ante Episcopatum duos mortuos vitæ restituërit, quod liber tuus pleniùs est locutus: in Episcopatu verò (quod prætermisisse te miror) vnum tantummodò suscitârit. Cuius rei ego testis sum, si tamen nihil de minùs idoneo teste dubitatis. Idipsum autem vobis, qualiter sit gestum, explicabo. Cap. 5. Innumera facta sua celauit vir Dei.

Fuerat causa, nescio quę, qua Carnotum oppidum petebamus. Intereà dum vicum quendam, habitantium multitudine frequentissimum, præteriremus, obuia nobis immanis turba processit, quæ erat tota gentilium. nam nemo in illo vico nouerat Christum. Verùm ad famam tanti viri, campos omnes latè patentes confluentium multitudo contexerat. Intellexit hìc Martinus operandum, & annunciante sibi spiritu, totus infremuit. Nec mortale sonans, verbum Dei gentibus prædicabat, sæpiùs ingemiscens, cur tanta Dominum Saluatorem turba nesciret. Intereà sicut nos incredibilis circumdederat multitudo, mulier quædam, cuius filius pauloantè defecerat, corpus exanime beato viro protensis manibus cœpit offerre, dicens: Scimus quia amicus Dei es: restitue mihi filium meum, quia vnicus mihi est. Iunxit se cætera multitudo, & matris precibus acclamabat. Tum Martinus videns pro expectantium salute (vt posteà nobis ipse dicebat) consequi se posse virtutem, defuncti corpus proprijs manibus accepit. Et cùm, expectantibus cunctis, genua flexisset, vbì consummata oratione surrexit, viuum paruulum matri restituit. Tum verò multitudo omnis, in cælum clamore sublato, Christum Dominum fateri, postremò cuncti cateruatìm ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter postulantes, vt eos faceret Christianos. Nec cunctatus, in medio, vt erat, campo cunctos imposita vniuersis manu, catechumenos fecit, cùm quidem ad nos conuersus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi solent martyres consecrari. Vicisti (inquit Posthumianus) Galle, vicisti: non vtiquè me, qui Martini sum potiùs assertor, & qui hæc omnia de illo viro & sciui semper, & credidi: sed eremitas omnes, anachoretasque vicisti. Nemo enim illorum, sicut Martinus hic vester, immò noster, mortuis imperauit. Meritoque hunc iste Sulpitius Apostolis comparat & prophetis, quem per omnia illis esse consimilem, fides, virtus, ac virtutum opera testantur. Sed perge, quæso, quanquàm nihil magnificentius audire possimus: perge tamen, Galle, quod etiam nunc de Martino superest sermonis euoluere. Nam etiam minima illius & quotidiana animus festinat agnoscere: quia minima illius, aliorum maximis maiora esse, nulli dubium est. Ità faciam, Gallus inquit. Verùm id, quod dicturus sum, ipse non vidi. Priùs enim gesta res est, quàm me illi viro iungerem. Sed factum celebre est, fidelium fratrum, qui interfuerant, sermone vulgatum. Excitat puerum mortuū, & multi pagani credūt in Christū.

Eodem ferè tempore, cùm primùm Episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur. Is cùm Martinum ea petere cognouisset, quæ præstare nolebat, iussit eum palatij foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem atque superbum vxor accesserat Arriana, quæ totum illum à sancto viro, nè ei debitam reuerentiam præstaret, auerterat. Itaque Martinus vbì semèl atque iterùm superbum principem frustrà adire tentauit, recurrit ad nota præsidia: cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationem noctibus, diebusque perpetuat. Septimo verò die assistit ei Angelus, iubetque eū ad palatium ire securum, regias fores, quantunlibèt clausas, spontè reserādas, Imperatoris Cap. 6. Vide sancti viri vsitata præsidia.

ſuperbum ſpiritum molliendum. Igitur iſtiuſmodi præſentis Angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obſiſtit, poſtremò vſque ad Regem, nemine prohibente, peruenit. Qui cùm venientem eminùs videret, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquàm aſſurgere eſt dignatus adſtanti, donèc regiam ſellam ignis operiret, ipſúmque Regem ea corporis parte, qua ſedebat, afflaret incendium. Ità ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino inuitus aſſurgit: multúmque complexus, quem ſpernere antè decreuerat, virtutem ſe ſenſiſſe diuinam emendatior fatebatur. Nec expectatis Martini precibus, priùs omnia præſtitit, quàm rogaretur. Colloquio illum atque conuiuio frequenter aſſciuit, poſtremò abeunti multa munera obtulit: quæ vir beatus, vt ſemper paupertatis cuſtos, cuncta reiecit. Et quia palatium ſemèl ingreſſi ſumus, licèt diuerſis in palatio temporibus geſta connectam, nequaquàm enim prætermittendum videtur circa Martini admirationem Reginæ fidelis exemplum.

Diuinitùs cōpellitur Valētinianus Imperat. aſſurgere S. Martino.

Cap. 7.

Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, ſi ei vel diadema non legitimè, tumultuante milite, impoſitum repudiare, vel armis ciuilibus abſtinere licuiſſet. Sed magnum Imperium nec ſine periculo renui, nec ſine armis potuit teneri. Hic Martinum ſæpiùs euocatum, receptumque intra palatium, venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo ſermo de præſentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate ſanctorum: cùm interìm diebus ac noctibus de ore Martini Regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes ſancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquàm fœmina contigiſſet, iſtius aſſiduitatem, immò potiùs ſeruitutem, non poterat euadere. Non illa opes regni, non Imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus, ſolo ſtrata, non poterat. Poſtremò à viro ſuo poſcit, dein Martinum vterque compellunt, vt ei, remotis omnibus miniſtris, præberet ſola conuiuium. Nec potuit vir beatus obſtinatiùs reluctari. Componitur caſtus reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit, menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat, cibum, quem ipſa coxerat, apponit. Ipſa, illo ſedente, eminùs ſecundùm famulantium diſciplinam, ſolo fixa, conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſeruientis. Miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis abſumpti micaſque collegit, ſatìs fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens. Beata mulier tanto pietatis affectu, illi meritò comparanda, quæ venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: ſi quidem ſimplicem ſequamur hiſtoriam: Sed ſi fides reginarum eſt conferenda, (quod mihi liceat, ſeparata myſterij maieſtate, dixiſſe) illa expetiuit audire ſapientiam: iſta non tantùm audiſſe contenta, ſed & meruit ſeruire ſapienti.

Maximus Imperator, & regina virum ſanctū mirè venerantur.

Luc. 7.

Memorabile reginæ exemplum.

3. Reg. 10.

Ad hæc Poſthumianus: Iamdudùm, inquit, Galle, audiens te loquētem, vehementer admiror Reginæ fidem. Sed vbì illud eſt, quòd nulla vnquàm fœmina ferebatur propiùs adſtitiſſe Martino? Eccè iſta non ſolùm adſtitit, ſed etiā miniſtrauit: & vereor nè ſe iſto aliquantulùm tueātur exemplo, qui libenter fœminis inſeruntur. Tum Gallus: Quid tu, inquit, non vides, quod ſolent docere grammatici, locum, tempus, perſonam? Propone enim tibi ante oculos captum in palatio, Imperatoris precibus ambiri, Reginæ fide cogi, temporis neceſſitate conſtringi, vt clauſos carcere liberaret, exilijs datos reſtitueret, bona adempta redhiberet. Hęc quanti putas conſtare debuiſſe Epiſcopo, vt pro his omnibus non aliquantulum de rigore propoſiti relaxaret? Veruntamen quia occaſione huius exempli malè vſuros eſſe aliquos arbitraris: illi verò felices erunt, ſi à diſciplina iſtius viri non recedant. Videant enim, quia Martino ſemèl tantùm in vita iam ſeptuagenario, non vidua libera, non virgo laſciuiens, ſed ſub viro viuens, ipſo viro pariter ſupplicante, regina ſeruiuit, & miniſtrauit edenti, non cum epulante diſcubuit. Nec auſa eſt participare conuiuium, ſed deferebat obſequium. Diſce igitur diſciplinam. Seruiat tibi matrona, non imperet: & miniſtret, non recumbat. Sicut Martha illa miniſtrauit Domino, nec tamen eſt adſcita conuiuio: immò prælata miniſtranti, quæ verbum potiùs audiebat. Sed in Martino iſta Regina vtrunque compleuit: & miniſtrauit, vt Martha: & audiuit, vt Maria. Quòd ſi quis hoc vti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum. Talis cauſa ſit, taliſque perſona, tale obſequium, tale conuiuium, & in omni vita ſemèl tantùm. Pręclarè, inquit Poſthumianus, noſtros iſtos, vt Martini non egrediantur exemplum, tua conſtringit oratio. Sed profiteor tibi, quia hæc ſurdis auribus audientur. Nam ſi

Legāt hæc qui fœminarum conſuetudine delectātur.

Luc. 10.

si Martini sequeremur vias, nunquàm causas de osculo diceremus, & vniuersis scæuæ opinionis opprobrijs careremus. Verùm, sicut tu soles dicere, cùm edacitatis arguêris, Galli sumus: ità nos in hac parte nunquàm vel Martini exemplo, vel tuis disputationibus corrigendi, fatemur. Veruntamen hæc nobis iamdudùm agentibus, quid tu tam obstinatè, Sulpiti, taces? Ego, inquam, non solùm modò taceo, sed olìm de istis tacere disposui. Nam quia quandam viduam, vagam, nitidulam, sumptuosam obiurgauerim lasciuiùs victitantem: itidemque virginem, adolescenti cuidam mihi charo indecentiùs adhærentem, (cùm quidem ipsam frequenter audîssem alios etiam, quia talia agerent, increpantem) tanta mihi omnium fœminarum, cunctorumque monachorũ odia concitaui, vt aduersùm me vtræque legiones iurata bella susceperint. Vndè, quæso, taceatis: nè etiam hoc, quod vos loquimini, ad meam referatur inuidiam. Tota vobis istorum mentio relinquatur: ad Martinum potiùs reuertamur. Tu, Galle, vt aggressus es, cœptum opus explica.

S. Martini viæ quales fuerint.

Tum ille: Iam quidem vobis, inquit, tanta narraui, vt satisfacere studijs vestris meus sermo debuerit. Sed quia voluntati vestræ non obsecundare mihi non licet, quantum adhuc diei superest, loquar. Nam certè dum stramen illud, quod in lectos nostros paratur, adspicio, subuenit in memoriam etiam de stramine, in quo Martinus iacuerat, factam esse virtutem. Res ità gesta est.

Claudiomagus, vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum. Ecclesia ibì est celebris religione sanctorum, nec minùs gloriosa sacrarum virginum multitudine. Præteriens ergò Martinus, in secretario ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius cunctæ in secretarium illud virgines irruerunt, adlambunt singula loca, vbì aut sederat vir beatus, aut steterat: stramentum etiam, in quo quieuerat, partiuntur. Vna earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit. Nec mora, dicto citiùs eiecto dæmone, persona purgata est.

Cap. 8. *Claudiomachus

Nota de stramine.

Per idẽ ferè tempus Martino à Treuiris reuertenti fit obuiàm vacca, quam dæmon agitabat: quæ relicto grege suo, in homines ferebatur, & iam multos noxiè petulans confoderat. Verùm vbì nobis cœpit esse contigua, ij, qui eam eminùs sequebantur, prædicere magna voce cœperunt, vt caueremus. Sed postquàm ad nos toruis furibunda luminibus propiùs accessit, Martinus eleuata obuiàm manu, pecudem consistere iubet. Quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis, cùm intereà videt Martinus dæmonem dorso illius supersedentem. Quem increpans, Descende, inquit, funeste de pecude, & innoxium animal agitare desiste. Páruit nequam spiritus, & recessit. Nec defuit sensus in bucula, quin se intelligeret liberatam. Ante pedes sancti viri, recepta quiete, prosternitur. Dein iubente Martino, gregem suum petijt, seque agmini cæterarum oue placidior immiscuit. Hoc illo fuit in tempore, quo inter medias positus flammas, non sensit incendium. Quod mihi non arbitror esse referendum: quia hoc pleniùs iste Sulpitius, licèt in libro suo præteritum, in epistola tamen posteà, quam ad Eusebium tum presbyterũ, modò Episcopum, fecit, exposuit. Quam tu, Posthumiane, (vt credo) legisti: aut si incognita tibi est, cùm libuërit, in promptu ex illo armario habes. Nos ab illo omissa referimus.

Cap. 9.

Pellit dæmonem à vacca.

Quodam autẽ tempore cùm diœceses circuiret, venantiũ agmen incurrimus. Canes leporem sequebantur. Iamque multo spatio victa bestiola, cùm vndiquè campis latè patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem iam iamque capienda crebris flexibus differebat. Cuius periculum vir beatus pia mente miseratus, imperat canibus, vt desisterent sequi, & sinerent abire fugientem. Qui continuò ad primum eius sermonis imperium constiterunt. Crederes vinctos, immò potiùs affixos, in suis hærere vestigijs. Ità lepusculus, persecutoribus alligatis, incolumis euasit.

Cap. 10.

Vir pius lepusculi miseretur.

Operæprecium autem est, etiam familiaria illius verba, spiritali sale condíta memorare. Ouem recèns tonsam fortè conspexerat: Euangelicum, inquit, mandatum ista compleuit: Duas habuit tunicas, vnam earum largita est non habenti. Ità ergò & vos facere debetis. Itèm cùm subulcum algentem, ac penè nudum in pellicea veste vidisset: En, inquit, Adam eiectus de paradiso, in veste pellicea sues pascit: sed nos, illo vetere deposito, nouum Adam potiùs induamus. Boues ex parte prata depauerant: porci etiam nonnulla suffoderant: pars cætera, quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasì picta vernabat: Speciem, inquit, gerit pars illa coniugij, quæ pecore depasta, etsì non penitùs gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignita-

Cap. 11. Luc. 3.

dignitatem. Illa verò, quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterùm illa portio, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit. Herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberant, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. Beata species, & Deo digna. Nihil enim virginitati est comparandum. Itá & illi, qui coniugia fornicationi cōparant, vehementer errant: & illi, qui coniugia virginitati æquanda existimant, miseri penitùs & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.

Virginitatis encomium.

Cap. 12. Miles quidam cingulum in Ecclesia, monachum professus, abiecerat: cellulam sibi eminùs in remoto, quasi eremita victurus, erexerat. Intereà astutus inimicus varijs cogitationibus brutum pectus agitabat, vt coniugem, quam Martinus in monasterio puellarum esse præceperat, voluntate mutata, secum potiùs vellet habitare. Adijt ergò Martinum fortis eremita: quid haberet animi, confitetur. Ille verò vehementer cœpit abnuere, fœminam viro rursùs iam monacho, non marito, incongrua ratione misceri. Postremò cùm miles instaret, affirmans nihil hoc proposito esse nociturum: se solo coniugis vti velle solatio: porrò nè rursùm se in sua reuoluerent, non esse metuendum: se esse militem Christi, illam quoquè in eadem eiusdem militiæ sacramenta iurâsse: pateretur Episcopus sanctus eos, sexum suum fidei merito nescientes, pariter militare. Tum Martinus, (verba vobis ipsa dicturus sum) Dic mihi, inquit, si vnquàm in bello fuisti, si in acie constitisti? At ille respondens: Frequenter, inquit, in acie steti, & bello frequenter interfui. Ad hæc Martinus: Dic mihi ergò: Nunquid in illa acie, quæ armata in prælium parabatur, aut iam aduersùs hostilem exercitum collocato cominùs pede districto ense pugnabat, vllam fœminam stare, aut pugnare vidisti? Tum demùm miles confusus erubuit, gratias agens, errori suo se non fuisse permissum, nec aspera increpatione verborum, sed vera & rationabili secundùm personam militis comparatione correctum. Martinus autem conuersus ad nos, sicut eum frequens fratrum turba vallauerat: Mulier, inquit, virorum castra non adeat: acies militum separata consistat: procùl fœmina in suo degens tabernaculo, sit remota: contemptibilem enim reddit exercitum, si virorum cohortibus turba fœminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo: mulier se intra murorum munimenta contineat. Habet & illa gloriam suam, si pudicitiam, viro absente, seruauerit. Cuius hęc prima virtus, & consummata victoria est, non videri.

Mira ratione militem iam monachum, à ratiōe aliena petentem, retundit.

Cap. 13. Illud verò, Sulpiti, meminisse te credo, quo affectu nobis, cùm & tu coràm adesses, illam virginem prædicaret, quæ ità se penitùs ab omnium virorum oculis remouisset, vt ne ipsum quidem ad se Martinum, cùm eam ille officij causa visitare vellet, admiserit. Nam cùm prope agellum illius præteriret, in quo se iam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atque virtute, diuertit, vt tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequentes, gauisuram illam virginem putabamus, siquidem hoc in testimonium virtutis suæ esse habituram, ad quam tanti nominis sacerdos, deposito propositi rigore, venisset. Verùm illa fortissimi vincula propositi, ne Martini quidē contemplatione laxauit. Ità vir beatus, accepta per aliam fœminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quæ se videndā salutandamque non dederat, lætus abscessit. O virginem gloriosam, quæ ne à Martino quidem passa est se videri. O Martinū beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit, sed magnificans illius cum exultatione virtutem, inusitatum in his duntaxàt regionibus gaudebat exēplum. Ergò cùm haud longè ab illa villula nos manere nox imminens coëgisset, xenium beato viro eadē illa virgo transmisit: Fecitq́; Martinus, quod antè non fecerat. Nullius enim ille vnquàm xeniū, nullius munus accepit. Nihil ex his, quę virgo venerabilis miserat, refutauit, dicens, benedictionē illius à sacerdote minimè respuendā, quę esset multis sacerdotibus pręferenda. Audiāt, quęso, virgines hoc exemplum: vt fores suas, si eas mali obsidere voluērint, etiam bonis claudant: & nè ad se improbis sit liber accessus, non vereātur excludere etiam sacerdotes. Totus hoc mundus exaudiat: Videri se à Martino virgo passa non est. Non vtiquè illa quencunque repulit sacerdotem: sed in eius viri conspectum puella non venit, quem videre salus videntium fuit. Quis autem hoc alius, præter Martinum, sacerdos non ad suam iniuriam retulisset? quos aduersùs sanctam virginem motus, quantasque iras mente concepisset? hæreticam iudicaret, & anathematizandam esse decreuisset:

Exemplum illustre pudicissimæ virginis.

Adhortatio ad virgines.

uisset: Quàm verò illi beatæ animæ illas virgines prætulisset, quæ crebris occursibus vbiquè se præbent obuias sacerdotibus, quæ conuiuia sumptuosa disponunt, quæ vnà pariter accumbunt? Sed quò me ducit oratio? Paululùm iste liberior sermo reprimendus est, nè in aliquorum forsitan incurrat offensam. Etenim infidelibus obiurgationis verba non proderunt: fidelibus autem satisfaciet exemplum. Verùm ego ità virtutem huius virginis prædicabo, vt tamen nihil illis quæ, ad Martinum videndum ex longinquis regionibus sæpè venerunt, arbitrer derogandum. Siquidem hoc beatum virum frequenter affectu etiam Angeli frequentant. Angeli frequēter sanctum Martinum visitant.

Cæterùm id, quod dicturus sum, Posthumiane, hoc tibi (me autem intuebatur) teste rectè perhibeo. Quodā die ego & iste Sulpitius, pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum silentio sedebamus ingenti horrore & tremore, àc si ante Angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus: cùm quidem clauso cellulæ suæ ostio, nos ibì esse nesciret. Interìm colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circunfundimur: ac obstupentes, nec ignorare potuimus nescio quid fuisse diuinum. Post duas ferè horas ad nos Martinus egreditur, ac tum eum iste Sulpitius (sicut apud eum nemo familiariùs loquebatur) cœpit orare, vt piè quærentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula collocutus: tenuem enim nos licèt, & vix intellectum, sermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diù multumque cunctatus, (sed nihil erat, quod ei Sulpitius non extorqueret inuito: Incredibiliora fortè dicturus sum, sed Christo teste, non mentior: nisì quispiam est tam sacrilegus, vt Martinum putet fuisse mentitum) Dicam, inquit, vobis, sed vos nulli, quæso, dicatis: Agnes, Tecla & Maria mecum fuerunt. Referebat autem nobis vultum atque habitum singularum. Nec verò illo tantùm die, sed frequenter se ab eis confessus est visitari. Petrum etiam & Paulum Apostolos videri à se sæpiùs non negauit. Cap. 14. Sulpitij singularis cum viro Dei familiaritas. Crebrò à sanctis visitatur.

Iam verò dæmones, prout ad eum quisque venisset, suis nominibus increpabat: Mercurium maximè patiebatur infestum: Iouem brutum atque hebetem esse dicebat. Hæc plerisque etiam in eodem monasterio constitutis incredibilia videbantur, nedùm ego confidam omnes, qui hęc audient, credituros. Nam nisì inæstimabilem vitam atque virtutem Martinus egisset, nequaquàm apud nos tanta gloria præditus haberetur. Quanquàm minimè mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit, cùm multos quoquè hodie videamus nec Euangelijs quidem credidisse. A Martino autem sæpè Angelos visos familiariter, & sensimus, & experti sumus. Rem minimam dicturus sum, sed tamen dicam.

Apud Nemausum Episcoporum synodus habebatur: ad quam quidem ire noluërat, sed quid gestum esset, scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpitius nauigabat: sed procùl, vt semper, à cæteris in remota nauis parte residebat. Ibì ei Angelus, quid gestum esset in synodo, nunciauit. Nos posteà tempus habiti concilij solicitè requirentes, satìs compertum habuimus ipso die fuisse conuentum, & ea ibì ab Episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nunciauerat. Cap. 15. Synodus Nemausen.

Hęc cùm maximè Gallus, necdùm explicitis quę statuerat referre, loqueretur, puer familiaris ingressus est nuncians, Refrigerium presbyterum stare pro foribus. Dubitare cœpimus, vtrùm Gallum adhuc melius esset audire, an exoptatissimo nobis viro, qui officij causa ad nos veniebat, occurrere. Tum Gallus: Etiamsì non ob aduentum sanctissimi sacerdotis relinquenda nobis hæc esset oratio, nox ipsa cogebat hucusquè protractum finire sermonem. Verùm quia de Martini virtutibus nequaquàm explicari vniuersa potuerunt, hæc vos hodiè audîsse sufficiat: cràs reliqua dicemus. Ità pariter, accepta Galli sponsione, surreximus. Cap. 16.

Ex Dialogo 3. eiusdem, eisdem interlocutoribus.

GALLVS: Conuenistis ad me audiendum, & sancti, & diserti: sed religiosas potiùs, quàm doctas aures, vt arbitror, attulistis: audituri me fide testis, non oratoris copia, locuturum. Quæ autem hesternò dicta sunt, non reuoluam. Illa qui non audiêrunt; ex scriptis recognoscent. Noua Posthumianus expectat, nunciaturus Orienti, nè se in comparatione Martini præferat Occidenti. Cap. 1.

Ac primùm gestit animus, quod Refrigerius in aurē suggerit, explicare. Res in Carnotena gesta est ciuitate. Pater filiam duodennem, ab vtero mutam puellam, Martino cœpit offerre, poscens vt linguam ligatam, meritis suis sanctus absolueret. Ille cedens Cap. 2.

dens Episcopis,qui tum fortè latus illius ambiebant,Valentiniano atque Victricio, imparem se esse tantæ moli,sed illis quasi sanctioribus nihil impossibile,fatebatur. At illi pias preces vnà cum patre supplici voce iungentes, orare Martinum, vt sperata præstaret. Nec cunctatus vltrà, (vtrunque præclarum, & ostendendo humilitatem, nec differendo pietatem) iubet circunstantis populi multitudinem submoueri. Episcopis tantùm & puellæ patre assistentibus,in orationem suo illo more prosternitur: dein pauxillum olei cum exorcismi præfatione benedicit,atque ità in os puellæ sanctificatũ liquorem,cùm & linguam illius digitis teneret,infudit. Nec fefellit sanctum virtutis euentus. Patris nomen interrogat,mox illa respondet. Proclamat pater cum gaudio pariter & lachrymis,Martini genua complexus: & hanc primam se filiæ audisse vocem,cunctis stupentibus,fatebatur. Ac nè cuiquam id fortè incredibile videatur,perhibeat vobis præsens Euagrius testimonium veritatis. Nam res ipso præsente tum gesta est.

Benedicto oleo sanat mutam puellam.

Cap.3. Parùm illud est, quod nupèr, Harpagio presbytero referente, cognoui: sed non prætermittendum videtur,Auitiani comitis vxorem misisse Martino oleum,quod ad diuersas morborum causas (sicut est consuetudo) benediceret: ampullam vitream istiusmodi fuisse,vt rotunda in ventrem cresceret ore producto,sed oris extantis concauum non repletum: quia id moris sit,vascula illa sic complere,vt pars vmbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur presbyter vidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse,quoàd exundante copia, supernè deflueret: eandemque, dum ad matremfamiliâs vasculum referretur, seruâsse virtutem. Nam inter manus pueri portantis ità semper exundâsse oleum,vt omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret: matronam ità vsque ad summum labrum plenum vasculum recepisse,vt presbyter hodiè quoquè fateatur obdendi pessuli,quo claudi diligentiùs seruanda consueuerunt,in vitro illo spatium non fuisse.

Oleum benedicente viro Dei augetur.

Mirum & illud,quod huic (me autem intuebatur) memini contigisse. Vas vitreum cum oleo,quod Martinus benedixerat,in fenestra paululùm editiore deposuit. Puer familiaris incautior linteum superpositum, ampullam ibì esse ignarus, attraxit: vas super constratum marmore pauimentum décidit. Cunctis metu exterritis, nè benedictio deperîsset,ampulla perindè incolumis est reperta,àc si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potiùs ad casum,quàm ad Martini est referenda virtutem: cuius benedictio perire non potuit.

Magnũ miraculum.

Cap.4. Quid illud,quod factum est à quodam, cuius nomen, quia præsens est, & prodi se vetuit,supprimetur? Cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Canis nobis importunior oblatrabat: In nomine,inquit,Martini iubeo te obmutescere. Cani hæsit latratus in gutture. Lingua, vt abscissam putares, obmutuit. Ità parùm est, ipsum Martinum fecisse virtutes: credite mihi,quia etiam alij in nomine eius multa fecerunt.

Nota rem miram.

Cap.5. Auitiani quondàm comitis noueratis barbaram nimìs,& vltra omnes cruentam, feritatem. Hic rabido spiritu ingressus Turonum ciuitatem, sequentibus cum miserabili facie ordinibus catenatis, diuersa perdendis parari iubet genera pœnarum, disponens postero die, attonita ciuitate, ad opus tam triste procedere. Quod vbì Martino compertum est,solus paulò ante mediam noctem ad prætorium bestiæ illius tendit. Sed cùm profundæ noctis silentio quiescentibus cunctis, nulli foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur. Intereà Auitianus graui somno sepultus,Angelo irruente percellitur: Seruus,inquit,Dei ad tua limina iacet, & tu quiescis? Qua ille voce percepta,lecto suo turbatus excutitur: conuocatisque seruis,trepidus exclamat,Martinum esse pro foribus: Irent protinùs, claustra reserarent,nè Dei seruus pateretur iniuriam. Sed illi (vt est omnium natura seruorum) vix prima limina egressi, irridentes dominum suum, quòd somno fuisset illusus, negant quenquam esse pro foribus,ex suomet ingenio coniectantes neminem nocte posse vigilare,nedùm illi crederent in illo noctis horrore iacére ad aliena limina sacerdotem. Idque Auitiano facilè persuasum: rursùm soluitur in soporem. Sed mox vi maiore concussus,exclamat Martinum stare pro foribus: sibi ideò nullam quietem animi corporisque permitti. Tardantibus seruis,ipse ad limina exteriora progreditur. Ibì Martinum,vt senserat,depræhendit. Perculsus miser tantæ manifestatione virtutis: Quid,inquit,hoc,domine,mihi fecisti? Nihil te loqui necesse est: Scio quid desideres: video quid requiras: discede quantocyùs, nè me ob iniuriam tuî cælestis ira consumat:

Commiseratio eius in captiuos & afflictos quanta.

consumat: satis soluerim hucusquè pœnarũ: crede, quia non leuiter apud me actum est, vt ipse procederem. Post discessum aũt sancti aduocat officiales suos: iubet omnes custodias relaxari: & mox ipse proficiscitur. Ità fugato Auitiano, lætata est ciuitas & liberata. Hæc cùm multis Auitiano referente comperta sunt, tum nupèr Refrigerius presbyter, quem coràm videtis, ab Agarido fideli viro ex tribunis sub inuocatione diuinæ maiestatis audiuit, qui sibi hoc ab ipso Auitiano relatum esse iurabant. Vir sanctissimus miro modo liberat multos miserè perdendos.

Cæterùm nolo miremini, me hodiè facere, quod hesternò non feci, vt ad singulas quasque virtutes nomina testium, personasque subnectam, ad quas, si quis fuerit incredulus, quia adhuc in corpore sunt, recurrat. Exigit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus, quæ hesternò memorata sunt, nutare dicuntur. Accipiant ergò testes adhuc incolumes atque viuentes: quibus, quia de fide nostra dubitant, magis credant. Sed si adeò infideles sunt, profiteor, quia nec illis sunt credituri. Miror autem quenquam, qui vel tenuem sensum religionis habeat, tantum piaculi velle committere, vt putet quenquam de Martino posse mentiri. Facessat à quoquam, qui sub Deo viuit, ista suspicio. Nec enim Martinus hoc indiget, vt mendacijs asseratur. Sed tamen totius sermonis fidem apud te, Christe, deponimus, nos nec alia dixisse, nec alia dicturos, quàm quæ aut ipsi vidimus, aut quæ manifestis authoribus, vel plerunquè ipso referente, cognouimus. Cæterùm, etsi dialogi speciem, quo ad leuandum fastidium lectio variaretur, assumpsimus, nos piè præstruere profitemur historiæ veritatem. Hęc me extrinsecùs inserere, nonnullorũ incredulitas non sine meo dolore compulerit: sed redeat ad nostrum sermo consessum: In quo cùm me tam studiosè audiri videam, fatebor necesse est, Aprum fecisse constanter, qui repulit infideles, eos tantùm iudicans audire debere, qui crederent. Efferor, si quidem creditis, spiritu, & præ dolore totus insanio: non credẽt Martini virtutibus Christiani, quas dęmones fatebantur?

Monasterium beati viri duobus à ciuitate erat millibus disparatum. Sed si quotiès venturus ad ecclesiam, pedem extra suæ cellulæ limen extulerat, videres per totam ecclesiam energumenos rugientes, & quasì adueniente iudice, agmina damnanda trepidare: vt aduentum Episcopi clericis, qui venturum esse nescirent, dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quendam, appropinquante Martino, in aëre raptum, manibus extensis in sublime suspendi, vt nequaquàm solum pedibus attingeret. Si quandò autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset, neminem manibus attrectabat, neminem sermonibus increpabat, sicut plerunquè per clericos rotatur turba verborum: sed admotis energumenis, cæteros iubebat abscedere, ac foribus obseratis, in medio ecclesiæ, cilicio circuntectus, cinere respersus, solo stratus, orabat. Tum verò cerneres miseros diuerso exitu perurgeri: hos sublatis in sublime pedibus, quasì de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, nè faceret verecundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres sine interrogatione vexatos, & sua crimina confitentes. Nomina etiam, nullo interrogante, prodebant. Iste se Iouem, iste Mercurium fatebatur. Postremò cunctos diaboli ministros cum ipso cerneres authore cruciari, vt iam illud in Martino fateamur impletum, quod scriptum est, quoniam sancti de Angelis iudicabunt. Cap. 6. Vir sanctus cilicio tectus, cinere adspersus, solo stratus curat dæmoniacos. 1. Cor. 6.

Pagum quendã in Senonico annis singulis grãdo vastabat. Compulsi extremis malis incolę, à Martino auxilium poposcerunt, missa per Auspicium pręfectorium virum satis fida legatione: cuius agros specialiter grauior, quàm cęterorũ assueuerat procella populari. Sed facta ibi oratione, Martinus ità vniuersam penitùs liberauit ab ingruenti peste regionem, vt per viginti annos, quibus posteà mãsit in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit. Quod nè fortuitum esse, & non potiùs Martino præstitum, putaretur, eo anno, quo ille defunctus est, rursùs incubuit rediuiua tempestas. Adeò sensit & mundus viri fidelis excessum, vt cuius vita iure gaudebat, eiusdẽ morte lugeret. Cæterùm si ad hęc probanda, quę diximus, testes etiam infirmior auditor exegerit, non vnũ ego hominem, sed millia multa producam, & totam in testimonium virtutis expertæ Senonum aduocabo regionem. Et tamen tu, Refrigeri presbyter, credo meministi, nupèr nobis super hoc cum Romulo Auspicij illius filio, honorato & religioso viro, fuisse sermonem, qui hæc nobis tanquàm incomperta referebat, & cùm futuris prouentibus per assidua damna trepidaret, vt ipse vidisti, magno secum mœrore lugebat, Martinum non in hæc tempora reseruatum. Cap. 7. Grandinis cladẽ pellit.

Sed vt ad Auitianũ recurram, qui cùm in omnibus locis, cunctisq; in vrbibus ederet crudelitatis suæ infanda monumenta, Turonis tantùm innocens erat: & illa be- Cap. 8.

stia,quę humano sanguine,& infelicium mortibus alebatur,mitem se atque tranquillum,beato viro præsente,præstabat.Memini quodam die ad eum venisse Martinum : qui vbi secretarium eius ingressus est, vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem. Quem cùm eminùs (vt verbo, quia ità necesse est, parùm Latino loquamur) exsufflâsset, Auitianus se exsufflari existimans : Quid me,inquit,sancte, sic adspicis ? Tum Martinus : Non te,inquit,sed eum,qui ceruici tuæ teter incubuit. Ità recessit diabolus, & reliquit familiare subsellium. Satisque constat, ab illo die Auitianum mitiorem fuisse : seu quòd intellexerit egisse se semper assidentis sibi diaboli voluntatem : seu quòd immundus spiritus ab illius consessu per Martinum fugatus,priuatus est potestate grassandi, cùm erubesceret minister authorem, nec ministrum author vrgeret.

Dæmon in fidet ceruici immanis tyranni, sed cum abigit vir Dei.

Cap.9. In vico autem Ambatiensi, id est, castello veteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus,idolum noueratis grandi opere constructum. Politissimis saxis moles turrita surrexerat,in qua collectio summitatis in thronum sublimem procedens, superstitionem loci operis dignitate seruabat. Huius destructionem Marcello ibidem consistenti presbytero vir beatus sæpè mandauerat. Post aliquantulum temporis regressus,increpat presbyterum,cur adhuc idoli structura consisteret. Ille causatur vix militari manu,& vi publicæ multitudinis tantam molem posse subuerti, nedùm id facile putare per imbecillos clericos aut infirmos monachos quiuisse curari. Tum Martinus recurrens ad nota præsidia, noctem totam in oratione peruigilat. Manè orta tempestas,ædem idoli vsque ad fundamentum prouoluit. Verùm hæc, Marcello teste,dicta sunt.

Tota nocte orans,impetrat idoli euersionē.

Cap.10. Aliam eius non dissimilē in simili opere virtutem,Refrigerio adstipulāte,perhibeo. Columnam immēsæ molis,cui idolū superstabat,parabat euertere : sed nulla erat facultas,qua id daretur effectui.Tūm ad orationē suo more cōuertitur. Visum cunctis est,parilem quodāmodò columnam ruere de cælo, quæ impacta idolo, totam illā inexpugnabilē molem soluit in puluerem. Parùm scilicet,si inuisibiliter cæli virtutibus vteretur,nisi ipsę virtutes visibiliter seruire Martino humanis etiā oculis cernerentur.

Aliud idolum cælitùs destruitur.

Cap.11. Matt.9. Idem autem Refrigerius mihi testis est, mulierem profluuio sanguinis laborantem, cùm Martini vestem exemplo mulieris illius Euangelicæ contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam.

Cap.12. Serpens flumen secabat,& ripæ,in qua constiteramus, annatabat : In nomine, inquit,Domini iubeo te redire.Mox se mala bestia ad verbum sancti retorsit, & in vlteriorē ripam,nobis inspectantibus,transmeauit. Quod cùm omnes non sine miraculo cerneremus,altiùs ingemiscens,ait : Serpentes me audiunt, & homines non audiunt.

Serpentem profligat.

Cap.13. Piscem Paschæ diebus edere consuetus, paulò ante horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu. Tum Cato diaconus,ad quem monasterij administratio pertinebat,doctus ipse piscari,negat per totum diem sibi vllam cessisse capturam : sed neque alios piscatores,qui vendere solebant,quicquam agere quiuisse : Vade,inquit, mitte linum tuum : captura proueniet. Contiguum flumini (vt Sulpitius iste descripsit) habebamus habitaculum. Processimus cuncti, vtpotè feriatis diebus, videre piscantem,omnium cordibus intentis non incassùm futura tentamina, quibus piscis, Martino authore,Martini vsibus quæreretur. Ad primum iactum in rete permodico immanem ezocem diaconus extraxit,& ad monasterium lætus accurrens:Nimirùm; vt dixit poëta nescio quis (vtimur enim versu scholastico,quia inter scholasticos fabulamur) Captiuumque suem mirantibus intulit Argis. Verè iste Christi discipulus gestarum à Saluatore virtutum, quas in exemplum sanctis suis edidit, æmulator Christum in se monstrabat operantem : qui sanctum suum vsquequaquè glorificans, diuersarum munera gratiarum in vnum hominem conferebat.

Ezocem, id est, salmonem.

Cap.14. Testatur Arborius ex præfecto, vidisse se Martini manum sacrificium offerentis, vestitam quodammodò nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dexteræ, collisarum inter se fragorem audîsse gemmarum.

Cap.15. Veniam ad illud,quod propter notam temporū semper occultauit:sed nos celare non potuit. In quo illud est miraculi,quòd facie ad faciem cum eo Angelus est collocutus. Maximus Imperator,aliâs sanè bonus, deprauatus consilijs sacerdotum, post Priscilliani necem,Ithacium Episcopum Priscilliani accusatorem, cæterosq; illius socios,quos nominare non est necessè, vi regia tuebatur,nè quis ei crimini daret,opera illius cuiuscūquemodi hominē fuisse damnatum. Intereà Martinus multis grauibus-

Priscillianus hæreticus occisus à Maximo.

que

que laborantiũ causis ad comitatum ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treuiros Episcopi tenebantur, qui quotidiè cõmunicantes Ithacio, communem sibi causam fecerant. His vbì nunciatum est inopinantibus, adesse Martinũ, totis animis labefacti, mussitare & trepidare cœperunt. Et iam pridiè Imperator ex eorum sententia decreuerat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprænhensis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas illa depopulatura esset, paruo discrimine inter hominum genera. Etenim tum solis oculis iudicabatur, cùm quis pallore potiùs, aut veste, quàm fide, hæreticus ęstimaretur. Hęc nequaquàm placitura Martino Episcopi sentiebāt: sed malè conscijs illa vel molestissima erat cura, nè se ab eorum cõmunione aduenìens abstineret, non defuturis, qui tanti viri constantiam prę missa authoritate sequerētur. Ineunt cum Imperatore consilium, vt missis obuiàm *Magistri officialibus, vrbem illam propiùs vetaretur accedere, nisi se cum pace Episcoporũ ibì consistentium affore fateretur. Quos ille callidè frustratus, profitetur se cum pace Christi esse venturum. Postremò ingressus nocturno tempore, adijt ecclesiam tantùm orationis gratia. Postero die palatium petit. Præter multas, quas enumerare longum est, has principales petitiones habebat, pro Narsete comite, & Leucadio præside, qui ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studijs, quę non est huius temporis explicare, iram Imperatoris emeriti: illa præcipua cura, nè tribuni cum iure gladiorũ ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat solicitudo Martino, vt non solùm Christianos, qui sub illa erāt occasione vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die, atque altero suspendit hominem callidus Imperator: siue vt rei pondus imponeret, siue quia nimìs sibi implacabilis erat: seu quia (vt plerique tum arbitrabantur) auaritia repugnabat: siquidem in bona eorũ inhiauerat. Fertur enim vir ille, multis bonisque actibus præditus, aduersùs auaritiam parùm cõsuluisse: nisi fortassè regni necessitate, quippè exhausto superioribus principibus Reipublicę ærario, penè semper in expeditione atq; procinctu bellorum ciuilium constitutus, facilè excusabitur, quibuslibet occasionibus subsidia Imperio parauisse. Intereà Episcopi, quorũ communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, prædamnatos se conquerentes, actum esse de suo omniũ statu, si Theognisti pertinaciã, qui eos solus palàm lata sententia condemnauerat, Martini armaret authoritas: non oportuisse hominem recipi mœnibus: illum iam non defensorem hæreticorum esse, sed vindicem: nil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius vltionem. Postremò prostrati, cum fletu & lamentatione potestatem regiam implorant, vt vtatur aduersùs vnum hominem vi sua. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum hæreticorum sorte miscere. Sed ille, licèt Episcopis nimio fauore esset obnoxius, non erat nescius, Martinum fide, sanctitate ac virtute cunctis præstare mortalibus. Alia longè via sanctum vincere parat: ac primùm secretò accersitum, blandè appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorũ, potiùs quàm insectationibus sacerdotum: non esse causam, qua Ithacij, cęterorumq; partis eius communionem putaret esse damnandam: Theognistum odio potiùs, quàm causa fecisse dissidium, eundemq; tamen solum esse, qui se à communione interim separârit: à reliquis nihil nouatum: quin etiam ante paucos dies habita synodus, Ithaciũ pronũciauerat culpa non teneri. Quibus cùm Martinus parùm moueretur, Rex ira accēditur, ac se de conspectu eius abripit: & mox percussores ijs, pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur. Quod vbì Martino compertum iam noctis tempore est, palatium irrupit, spondet, si parceretur, se cõmunicaturum, dummodò & tribuni iam in excidium ecclesiarũ ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia. Postridiè Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè viri, & planè digni, qui meliore tēpore sacerdos fieret. Huius diei cõmunionem Martinus iniuit, satiùs æstimans ad horã cedere, quàm his non cõsulere, quorũ ceruicibus gladius imminebat. Veruntamen summa vi Episcopis nitentibus, vt cõmunionem illã subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Postero die se indè proripiens, cùm reuertēs in via mœstus ingemisceret, se vel ad horam noxiæ cõmunioni fuisse permixtum, haud longè à vico, cui nomen est Andethanna, quo vastam solitudinē syluarum secreta patiũtur, progressis paululùm comitibus, ille subsedit, causam doloris & facti, accusante ac defendente inuicèm cogitatione, peruoluens. Adstitit ei repentè Angelus: Meritò, inquit, Martine compungeris, sed aliter

*Magisterij

Nota quandò toleran-di sint hæretici.

S. Martinus fide, sanctitate ac virtute cunctis præeminet mortalibus.

Felix Episcopus sanctissimus ordinatur.

exire nequîsti: repara virtutem, resume constantiam, nè iam non periculũ gloriæ, sed salutis incurras. Itaque ab illo tempore satis cauit cum illa Ithacianæ partis cõmunione misceri. Cæterùm cùm quosdam ex energumenis tardiùs, quàm solebat, & gratia minore curaret, subindè nobis cum lachrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se ipse vel puncto temporis necessitate, non spiritu, miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim posteà vixit annos: nullam synodum adijt, ab omnibus Episcoporum conuentibus se remouit.

Cap. 16. Sed planè, vt experti sumus, imminutam ad tempus gratiam, multiplici mercede reparauit. Vidi posteà ad fores monasterij ipsius adductum energumenum, & priusquàm limen attingeret, fuisse curatum.

Cap. 17. Testantem quendam nupèr audiui, cùm in Tyrrheno mari cursu illo, quo Romam tenditur, nauigaret, subitò turbinibus exortis, extremum vitæ omnibus fuisse discrimen. In quo cùm quidam Aegyptius negociator, necdùm Christianus, magna voce clamauerit: Deus Martini, eripe nos: mox tempestatem fuisse sedatam, seque optatum cursum cum summa placidi æquoris quiete tenuisse. (Vide insigne miraculum.)

Cap. 18. Lycontius ex vicarijs, vir fidelis, cùm familiam illius lues extrema vexaret, & inauditæ calamitatis exemplo per totam domum corpora ægra procumberent, Martini per literas implorauit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse promisit difficilem impetrari. nam spiritu sentiebat, domum illam diuino numine verberari: tamen non priùs destitit, septem totos dies, totidemq; noctes orando & ieiunando continuans, quàm id, quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius, diuina expertus beneficia, peruolauit, nuncians simul, & agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus nec respuit, nec accepit: sed priusquàm pondus illud monasterij limen attingeret, redimendis id captiuis continuò deputauit. Et cùm ei suggereretur à fratribus, vt aliquid ex eo in sumptus monasterij reseruaret, omnibus in angusto esse victum, multis deesse vestitum: Nos, inquit, Ecclesia & pascat, & vestiat, dummodò nihil nostris vsibus quæsisse videamur. (Mira precũ & ieiuniorum instantia.)

Cap. 19. Succurrunt hoc loco viri illius magna miracula, quæ faciliùs admirari possum, quàm referre. Agnoscitis profectò, quod dico: multa sunt illius, quæ non queant explicari: veluti istud est, quod nescio an ità, vt gestum est, à nobis possit exponi. Quidam è fratribus (nomen non ignoratis, sed celãda persona est, nè sancto viro verecundiam fecerimus) quidam ergò, cùm ad fornaculam illius carbonum copiam reperîsset, & admota sibi sellula, diuaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret, continuò Martinus factam sacro tegmini sensit iniuriam, magna voce clamans: Quis (inquit) nudato inguine nostrum incestat habitaculum? Hoc vbi ille frater audiuit, & ex conscientia quòd increpabatur, agnouit, continuò ad nos cucurrit exanimis, pudorem suum non sine Martini virtute confessus.

Cap. 20. Quodam itidèm die, dum in atea, quæ parua admodùm, tabernaculum illius ambiebat, in illo suo, quod nôstis omnes, sedili ligneo resedisset, vidit duos dæmones in excelsa illa, quæ monasterio supereminet, rupe consistere: indè alacres ac lætos vocem istiusmodi adhortationis emittere: Eià te Bricti, Eià te Bricti. Credo, cernebant miserum eminùs propinquantem, conscij, quantam illi rabiem spiritus suscitâssent. Nec mora, Brictius furibundus irrupit: ibì plenus insania, euomuit in Martinum mille conuicia. Obiurgatus enim pridiè ab eo fuerat, cur, qui nihil vnquàm ante clericatum (quippè in monasterio ab ipso Martino nutritus) habuisset, equos aleret, mancipia compararet. Nam illo tempore arguebatur à multis, quòd non solùm pueros, sed etiam puellas scitis vultibus, coëmisset. Quibus rebus infelicissimus, insano felle commotus, &, vt credo, præcipuè dæmonum illorum agitatus instinctu, Martinum ità aggressus est, vt vix manibus temperaret: cùm quidem sanctus vultu placido, mente tranquilla, infelicis amentiam per mitia verba cohiberet. Sed ità in eo nequam spiritus redundabat, vt ne sua quidem illi, quanuìs vana admodùm, mens subesset: trementibus labijs, incertoque vultu decolor, præ furore rotabat verba peccati, se asserens sanctiorem: quippè quia à primis annis in monasterio inter sacras ecclesiæ disciplinas, ipso Martino educante, creuisset: Martinum verò, & à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ artibus sorduisse, & nunc per inanes superstitiones, & phantasmatica visionum ridicula prorsùs inter deliramenta senuisse. Hæc cùm multa, atque alia etiam, quæ reticere melius est, acerbiora vomuisset, egressus tandèm furore satiato, (Is Brictius posteà correctus, successit viro Dei, & vixit sanctissimè.)

satiato, quasi qui se penitùs vindicâsset, rapidus ea parte, qua venerat, recurrebat. Cùm intereà (credo per Martini orationes) fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam, mox reuertitur, atque ad Martini se genua prosternit: veniam poscens, fatetur errorem, nec sine dæmone se fuisse, tandèm sanior confitetur. Non erat apud Martinum labor iste difficilis, vt ignosceret supplicanti. Tum & ipsi, & nobis omnibus sanctus exposuit, qualiter illũ vidisset à dæmonibus agitari: se conuicijs non moueri, quę magìs illi, à quo essent effusa, nocuissent. Exindè cùm idem Brictius multis apud eum, magnisque criminibus præsæpè premeretur, cogi non potuit, vt eum à presbyterio submoueret, nè suam persequi videretur iniuriam: illud sępè commemorans: Si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Brictium?

Confitetur suam culpā Brictius.

Cap.11.

Ad hæc Posthumianus: Audiat, inquit, istud exemplum noster iste de proximo, qui cùm sit sapiens, memor præsentium, immemor futurorum, si fuerit leuiter offensus, insanit: in sua se non habens potestate, sæuit in clericos, grassatur in laicos, totumque terrarum orbem in suam commouet vltionem. In qua per triennium iugiter dimicatione consistens, nec tempore, nec ratione sedatur. Dolenda hominis & miseranda conditio, etiam si hac sola insanabilis mali peste premeretur. Verùm ista ei patientiæ & tranquillitatis exempla referre sæpiùs, Galle, debueras, vt nesciret irasci, & sciret ignoscere: Qui si istumipsum breuiter insertum sermonem meum in se prolatum fortè cognouerit, sciat non magìs ore inimici, quàm amici animo, me locutum. Quia si fieri posset, optarem vt Martino potiùs Episcopo, quàm Phalari tyranno, similis diceretur. Sed istum, cuius commemoratio parùm suauis est, transeamus: & ad Martinum nostrum, Galle, redeamus.

Nescit irasci sanctus Martinus, sed scit ignoscere.

Tum ego, cùm iam adesse vesperum occiduo sole sentirem, Dies, inquam, abijt, Posthumiane: surgendum est: simul tam studiosis auditoribus cœna debetur. De Martino autem expectare non debes, vt vlla sit meta referendi: latiùs ille diffunditur, quàm vt vllo valeat sermone concludi.

DE TRANSITV SANCTI MARTINI, EX EPISTOla, quam Sulpitius scripsit ad Bassulam socrum suam.

Cap.12.

SVlpitius: Martinus igitur obitum suum longè antè præsciuit, dixitque fratribus, dissolutionem sui corporis imminere. Intereà causa extitit, qua Condatensem diœcesim visitaret. Nam clericis inter se Ecclesiæ illius discordantibus, pacem cupiens reformare, licèt finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam non recusauit, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Ità profectus cum suo illo, vt semper, frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere captiuis, Forma, inquit, hæc dæmonum est: Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant, exaturarique non queunt deuoratis. Imperat deindè potenti virtute verborum, vt eum, cui innatabant, gurgitem relinquentes, aridas peterent desertasque regiones: eo nimirùm circa aues illas vsus imperio, quo dæmones fugare consueuerat. Ità grege facto, omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, montes syluasque petiêrunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderunt, vt etiam auibus imperaret.

Pacis reformandæ studio iter suscipit morti propinquus

Dæmonum studia.

Cap.13.

Aliquandiù ergò in vico illo vel in Ecclesia, ad quam ierat, commoratus, pace inter clericos restituta, cùm iam regredi ad monasteriũ cogitaret, viribus corporis cœpit repentè destitui. Conuocatisque discipulis, indicat se iam resolui. Tum verò mœror & luctus omnium, vox vna plangentium: Cur nos, pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces: & quis eos à morsibus, percusso pastore, prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum, sed salua tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur: nostri potiùs miserere, quos deseris. Tum ille motus his fletibus, vt totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, lachrymâsse perhibetur. Conuersusque ad Dominum, hac tantùm flentibus voce respõdit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: Fiat voluntas tua. Nimirùm inter spem amoremq; positus, dubitauit penè, quid mâllet: quia nec hos deserere, nec à Christo volebat diutiùs separari. Nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se Domini arbitrio potestatique cõmittens: Nónne tibi his paucissimis verbis dicere videretur: Grauis quidem est, Domine, cor-

Prædicit discipulis suam mortē.

Nota excellentem beatissimi viri perfectionem.

poreç pugna militiæ, & iam satis est, quòd hucusquè certaui: sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorũ stare me præcipis, non recuso, nec fatiscentẽ causabor ætatẽ. Munia tua deuotus implebo, sub signis tuis quoàd iusseris, militabo. Et quãuis optata sit seni sessio post laborem, est tamen animus victor annorum, & cedere nescius senectuti. At si iam parcis ætati, bonum mihi est, Domine, voluntas tua. Hos verò, quibus timeo, ipse custodias. O virũ ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum: qui in nullam se partem pronior inclinauerit: nec mori timuit, nec viuere recusauit.

Mori non timet, nec viuere recusat, vir sanctus.

Cap. 24.

Itaque cùm iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere cessabat: pernox in orationibus & vigilijs, fatiscentes artus spiritui seruire cogebat, nobili illo strato suo in cinere & cilicio recubans. Et cùm à discipulis rogaretur, vt saltem vilia sibi fineret stramenta supponi: Non decet, inquit, filij, Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccaui. Oculis ac manibus in cælum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et cùm à presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpusculum lateris mutatione releuaret: Sinite, inquit, sinite me, fratres, cælum potiùs respicere, quàm terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus, diabolum vidit propè assistere. Quid hîc, inquit, adstas cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies: Abrahæ me sinus recipiet. Cum hac ergò voce fatigatum diuinis operibus spiritum cælo reddidit: testatique nobis sunt, qui affuerunt, iam exanimi corpore, glorificati hominis gloriam se vidisse. Vultus luce clarior renitebat, cùm membra cætera ne tenuis quidem macula fuscaret. In alijs etiam, & in illo, tantùm artubus non pudendis, septennis quodammodò pueri gratia videbatur. Quis istum vnquàm cilicio tectum, quis cineribus crederet inuolutum? Ità vitro purior, lacte candidior, iam in quadam futuræ resurrectionis gloria & natura demutatæ carnis ostensus est.

Præclara vox tanti viri.

Felicissimè vir sanctissimus Christo reddit spiritum.

Cap. 25.

Iam verò in obsequium funeris credi non potest, quanta hominum multitudo conuenerit. Tota obuiàm corpori ciuitas ruit. Cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam vrbibus affuerunt. O, quantus luctus omnium, quanta præcipuè mœrentium lamenta monachorum, qui eo die ferè ad duo millia conuenisse dicuntur. Specialis Martini gloria: eius exemplo in Domini seruitute stirps tanta fructificauerat. Agebat nimirùm ante se pastor extinctus greges suos, sanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritos senes, aut iuratos Christi in sacramenta tyrones. Tum virginum chorus fletu abstinens præ pudore, cùm lætandum illi potiùs esse sentiret, quem iam suo Dominus gremio confoueret, quàm sancto dissimulabat gaudio, quod dolebat? Siquidem fides flere prohiberet, gemitum extorqueret affectus. Etenim tam erat sancta de illius gloria exultatio, quàm pia de morte confusio. Ignosce flentibus, gratulare gaudentibus: quia & pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinum, dum vnusquisque & sibi pręstat, vt doleat, & illi debet, vt gaudeat. Hæc igitur beati viri corpus vsque ad locum sepulcri hymnis canora cęlestibus turba prosequitur. Comparetur, si placet, secularis illa pompa, non dicam funeris, sed triumphi. Quid simile Martini exequijs conferetur? Ducant illi præ curribus suis vinctos post terga captiuos: Martini corpus hi, qui mundum ducatu illius vicerant, prosequuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania: Martino diuinis plauditur psalmis: Martinus hymnis cælestibus honoratur. Illi post triumphos suos in tartara sæua truduntur: Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur: illinc nos, vt spero, custodiens, me hæc scribẽtem respicit, te legentem. Hactenùs ex epistola ad Bassulam. Ea quæ sequuntur, sunt ex historijs Gallorum excerpta, Authore Gregorio Turonensi, Lib. 1. cap. 43.

Duo millia monachorũ intersunt exequijs ei'

Cap. 26.

Archadio igitur, & Honorio imperantibus, sanctus Martinus Turonorum Episcopus plenus virtutibus & sanctitate, præbens infirmis multa beneficia, octogesimoprimo ætatis suæ anno, Episcopatûs autem vigesimosexto, apud Condatensem diœcesis suæ vicum excedens à seculo, feliciter migrauit ad Christum. Transijt autem media nocte, quę Dominica habebatur, Attico Cæsarioq; consulibus. Multi enim in eius transitu psallentium voces audiêrunt in cælo, quod in libro virtutum eius primo pleniùs exposuimus. Nam cùm primùm sanctus Dei apud Condatensem, vt diximus, vicum ægrotare cœpisset, Pictaui populi ad eius transitũ, sicut & Turonici, conuenerunt. Quo migrante, grandis altercatio inter vtrunque populum surrexit. Dicebant

Pictauiẽses & Turonẽses contẽ-

enim

enim Pictaui: Noster est monachus, nobis Abbas extitit: nos requirimus commendarum: sufficiat vobis, quòd dum esset in mundo, vsi fuistis eius colloquio, participâstis conuiuio, firmati fuistis benedictionibus, insupèr & virtutibus iucundati. Sufficiant vobis ista omnia: nobis liceat auferre vel cadauer exanime. Ad hæc Turonici respondebant: Si virtutes nobis factas sufficere dicitis, scitote quia vobiscum positus, ampliùs est, quàm hîc, operatus. Nam vt prætermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, vnum nobis: Et vt ipse sępè dicebat, Maior ei virtus ante Episcopatum fuit, quàm post Episcopatum. Ergò necesse est, vt quod nobiscũ non impleuit viuus, expleat vel defunctus. Vobis est enim ablatus, nobis à Deo donatus. Verùm si mos antiquitùs institutus seruatur, in vrbe, qua ordinatus est, habebit Deo iubente sepulcrum. Certè si eum pro monasterij priuilegio cupitis vendicare, scitote quia primum ei monasterium cum Mediolanensibus fuit. His ergò litigantibus, sole ruente dies clauditur, corpusque in medio positum, ab vtroque populo custoditur, futurum, vt manè facto à Pictauis per violẽtiam auferretur. Sed Deus omnipotens noluit vrbem Turonicam proprio frustrari patrono. Deniquè nocte media omnes Pictaui à somno fallaciæ comprimuntur, nec vllus superfuit, qui ex tanta multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos obdormîsse conspiciũt, appræhensam sanctissimi corporis glebam alij per fenestram eijciunt, alij aforis suscipiunt. Positamque in naui, cum omni populo per Viennam fluuium descendunt. Ingressique Ligeris alueum, ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus psallentiũ dirigunt iter. De quorum vocibus Pictaui expergefacti, nihil de thesauro, quem custodiebant, habentes, cum magna confusione ad propria sunt reuersi.

dunt de retinendis beati viri reliquijs.

S. Martino maior virt⁹ ante Episcopatũ quàm post Episcopatum.

Beatus autem Seuerinus Colon[ien]sis ciuitatis Episcopus, vir honestæ vitæ, & per cuncta laudabilis, cùm die Dominico loca sancta ex consuetudine post matutinos cum suis Clericis circuiret, hora illa qua vir beatus obijt, audiuit chorum canentium in sublimi. Vocatoque Archidiacono, interrogat, si aures eius percuterent voces, quas ille attentiùs audiret. Respondit, Nequaquàm. Tunc ille: Diligentiùs, inquit, ausculta. Archidiaconus autem cœpit sursùm collum extendere, aures erigere, & super summos articulos, baculo sustentante, stare. Sed credo eum non fuisse æqualis meriti, à quo hæc non merebantur audiri. Tunc prostrati terræ, ipse pariter & beatus Episcopus deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Erectis autem, rursùm interrogat senex: Quid audis? Qui ait: Voces psallentium tanquàm in cælo audio: sed quid sit, prorsùs ignoro. Cui ille: Ego tibi, quid sit, narrabo: Dominus meus Martinus Episcopus migrauit ex hoc mundo: & nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. Et vt parumpèr mora esset, vt hæc audirentur, diabolus eum cum iniquis suis angelis retinere tentauit, nihilque in eodem suum reperiens, confusus abscessit. Quid ergò de nobis peccatoribus erit, si tantum sacerdotem voluit pars iniqua nocere? Hæc sacerdote loquente, notatur tempus. Archidiaconus Turones misit velociter, qui hoc diligenter inquireret. Qui veniens, eo die & hora manifestissimè cognouit transisse beatum virum, quo sanctus Seuerinus audiuit psallentium chorum. Sed & si ad Seueri recurramus historiam, ipsa hora eum sibi scripsit cum libro vitæ suæ fuisse reuelatum.

Cap. 27.

S. Seuerinus Episcopus Coloniens. audit aĩam eius ferri in cælum.

Similiter Euergislus eius Archidiaconus.

Eo tempore beatus Ambrosius, cuius hodiè flores eloquij per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi ciuitati præerat Episcopus: cui celebranti festa Dominicæ diei, ista erat consuetudo, vt veniens lector cum libro, non anteà legere præsumeret, quàm nutu sanctus præcepisset. Factum est autem, vt illa die Dominica, prophetica lectione iam lecta, ante altare stante, qui lectionem beati Pauli proferret, beatissimus Antistes Ambrosius super altare obdormiret. Quod videntes multi, cùm nullus eum excitare præsumeret, transactis ferè duarum aut trium horarum spatijs, excitauerunt eum, dicentes: Iam hora præterijt: iubeat dominus Episcopus lectori lectionem legere: expectat enim populus valdè iam lassus. Respondens autem beatus Ambrosius: Nolite, inquit, turbari: multùm mihi valet sic obdormîsse, quia miraculum magnum Dominus mihi ostẽdere dignatus est. Nam noueritis, fratrem meum Martinum sacerdotem de corpore egressum fuisse: me autem eius funeri obsequium præbuisse. Peractoque ex more seruitio, capitellum tantùm, vobis excitantibus, non expleui. Tunc illi obstupefacti pariter & admirantes, diem & tempus notant. Qui solicitè requirentes, ipsam diem, tempusque reperiunt, quo beatus confessor dixerat se eius obsequijs deseruîsse.

Cap. 28.

S. Ambrosi⁹ spiritu adest exequijs B. Martini.

Cap.29. O beatum virum, in cuius transitu sanctorũ canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumque cælestium virtutum occurrit exercitus: diabolus præsumptione confunditur: Ecclesia virtute roboratur: sacerdotes reuelatione glorificantur. Quem Michaël assumpsit cum Angelis, Maria suscepit cum virginum choris, paradisus retinet lætum cum sanctis. Sed quid nos in laudem eius tentamus, quod non sufficimus adimplere? Ipse est enim laus illius, cuius laus ab eius ore nunquàm recessit. Nam nos vtinàm vel simplicem possimus historiam explicare. Igitur si quis requirat, cur post transitum Gratiani Episcopi vnus tantùm, id est, Lidorius vsque ad sanctum Martinum fuisset, nóuerit quòd, obsistentibus paganis, diù ciuitas Turonica sine benedictione sacerdotali fuit. Nam Christiani, qui eo tempore videbantur, occultè per latebras diuinum officium celebrabant. Nam si qui à paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur. A passione ergò Domini vsque ad transitum sancti Martini, anni quadringenti duodecim computantur. Hucusquè nos omnia de sancto Martino ex Tomis Aloysij accepimus, quę etiã in antiquis manuscriptis exemplaribus habentur.

Obijt anno à passione Domini. 412.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO, DE EODEM SANCTO MARTINO EPISCOPO *Turonensi: vt habetur octauo Tomo Aloysij.*

Solẽnis dies S. Martini Episcopi.



Nobilis ille confessor, Sacerdotum gloria, gemma Pontificum, Clericorum forma, lumen Monachorum, solẽnem diem vniuersitati nostræ præfixit. Hic est Martinus miraculorum potestate sublimis, qui terrarum orbem lumine suæ cognitionis impleuit. Aegyptus religionis mater, & eremitarum fœcundissima nutrix, Martinum tantis filijs posuit in exemplum. Creuit in immensum fama nominis eius, & ausa est in ipsam Apostolicam irrumpere dignitatem, quorum manus tractauerũt de Verbo vitæ, qui Flium hominis inter filios hominum felici vocis officio diuulgârunt. In omnem terram peruagata est memoria tanti Pontificis, & vbicunquè resonat fides Christi, sonat vita Martini. Glorificatur Imperator in milite, laudatur miles in Imperatore. Testatur hoc Turonensis Ecclesia thesaurum corporis eius continens, quæ possessiones suas extendit à mari vsque ad mare, quam fœcundauerunt Reges, & ornauerunt Principes, cui Romani Pontifices summæ libertatis fastigia prouiderunt. Accedit etiam ad gloriam Confessoris, quia in ipsius honore nonnulla sedium Episcopalium fundamenta locata sunt, quod (nisi fallor) de alio non legitur Confessore. Scintillat longè lateque fulgor claritatis illius, & de remotis mundi partibus ad præsentiam sancti corporis festinatur. Clementia diuinitatis & Regibus & regno nostro prouidit misericorditer, vbì tantum lumen ad remedium peccatorum in seculum collocauit. Actus eius & vitam Seuerus insignis orator ità suo nobilitauit eloquio, vt & historiam relatione plena veritate proponeret, & rhetoricis legibus multipliciter insigniret. Et nunc arida vel ieiuna lingua nostra quid audeat de laudibus eius immurmurare, cuius laudis plena est terra?

Nõ improbat beatus author latitudinẽ possessionum, quas habet Ecclesia, vt faciunt nostri tẽporis hæretici.

Nè tamen in tantis gaudijs cuiusque sermonis videamur immunes, recurrendum est ad Euangelicam lectionem, in qua sub trium breuitate verborum Sapientia Dei Patris totius humanæ perfectionis summam inclusit. ait enim: Videte, vigilate, & orate. Ille, qui videt omnia, hortatur nos, vt corporalibus oculis postpositis, mentis lumine videamus, oculis illis, de quibus per Salomonem dicitur: Oculi sapientis in capite eius. Præcipit ergò, vt soli solitudinem nostri cordis ingrediamur, & reuoluamus veterum sarcinas peccatorum, quibus polluti sumus, & obuoluti. Primùm ergò videamus apud nos peccatorum abundantiam. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multũ est enim: ait vnicus ille consecrarius Regis æterni. Peccauimus super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata nostra. Tu innumerabilia numerâre contendis, & in summa ponere, quod summam exuperat? Eccè grandis aceruus, impetuosus torrens, nec potest discuti tanta miseria, quoniam iniqui-

Sub tribus verbis Euãgelicis totus humanæ pfectionis summa recluditur.

Eccl.2.

Psal.24.

2.Par.36.

iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum. Ambulauimus collo extento, oculi nostri pleni sunt vanitate, aures detractione. Odoramus non odorem vnguentorum, in quo sponsa se currere gloriatur: sed odorem mortis in mortem, quorum os maledictione & amaritudine plenum esse describitur. Manus nostræ plenæ sunt sanguine, pedes veloces ad sanguinem effundendum, contritio & infelicitas in vijs nostris, & via pacis abiecta, non est timor Dei ante oculos nostros. Quid igitur faciendum, in quo sperandum, quóve confugiendum? Standum est in hoc aceruo, non nouarum, sed veterum frugum, & videnda visio timescenda, vt statuamus nos ante oculos nostros, nè Iudex quandoquè arguat nos, & statuat nos ante faciem nostram. In hac visione Dei videtur à nobis ventus turbinis, quia secundùm virum iustum, hîc inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum. Nè putes autem hanc visionē inter parua connumerandam, cùm hæc perducat ad visionē Cherubin, & animalium pennatorum, & ad ipsius Dominantis introducat adspectum. Psal.13. Iob 6.

Visa igitur abundantia peccatorum nostrorum, videamus secundò negligentiam nostram. Traximus peccata nostra sicut restem longam, & sanguis sanguinem tetigit, & dissimulauimus, vulnus, & liuor, & plaga tumens, & non adspeximus. Zelus Dei recessit à nobis, & nos contempsimus. Sic peccatorum multitudini negligentiam cumulantes, obstruximus nobis iter cōfessionis, semitas iustitiæ euitauimus, non solùm negligentes, sed & de negligentia gloriantes, iuxta illud viri sapientissimi: Qui cùm malè fecerint, lætantur, & exultant in rebus pessimis. Vis scire, quia de peccatorum abundantia, negligētia pessima filia generatur? Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. E contrario autem, qui Deum timet, nihil negligit, quia Qui modica spernit, paulàtim decidet. Peccatorum multitudo negligentiam, negligentia contemptum, contemptus mortem interminat sempiternam. Esa.1. Prou.2. Prou.18. Cōtemptus peccatorū mortem interminat sempiternā.

Vide & tertiò patientiam & longanimitatem Dei nostri. Hæc fecisti, & tacuit. Omnia videt, & omnia audit, nihilq; remotum ab oculis eius, de quo dicitur: Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos. Oculos hominum timuisti, oculos autem Altissimi non expauisti? Eccè ipse cognouit omnia nouissima, & antiqua: neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus locus est fugiendi, quoniam Deus Iudex est. Vidit opera tua, recursus & excursus flagitiorum tuorum, & continuit iram suam. Cælum non fulminauit, aqua non submersit, non absorbuit tellus: & cùm omnis terra plena sit gloria Domini, in gloria eius tuam miseriam euomuisti, nec reueritus es præsentem Dominum, & coram tanta munditia tuas immunditias exercere. Ipse autem quid? Ego, inquit, quasi non videns. Nunquid alicui ministrorum suorum, qui vindices sunt iræ eius, in hoc ipsum constituti, reuelauit ignominiam tuam? Eccè videt, & tacet: videt, nec manifestat: videt, nec iudicat: videt, nec vindicat: videt, & videre dissimulat: vocat, & non audis: promittit, & contemnis: minatur, nec metuis, & thesaurizas iram tibi in die iræ. Cùm ergò sit Iudex iustus, & fortis, multùm est patiens, nec irascitur per singulos dies. Eccè continet iram, reprimit furorem, auertit oculos, peccantibus parcit: & illi omnia hæc in suum iudicium congregant, omnium rei. Nunquid qui ità tacuit, & siluit, semper ità tacebit? An non legisti, quia ad iudicium veniet, patiētiam abijciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam? Prou.15. Psal.74 Dissimulat peccata hominū Deus propter pœnitentiam. Iudæ.

Attendisti patienter tacentem, attende & impatienter loquentem. Sicut parturiens, inquit, loquar. Vidisti dissimulantem, vide etiam quæcunque minima numerantem. Vestigia, inquit, pedum meorum dinumeràsti. Quis locus erit spei, cùm venerit Iudex, qui stetit sub iudice, præcinentibus tubis, conclamantibus Angelis, elementis ardentibus? Ad cuius fugiemus auxilium, cùm ventis ex transuerso furentibus, mundialis machina diuelletur, & ignis incandescens, cælum & terram finalibus immiscebit incendijs? Veniet ipse cum potestate magna & maiestate, non cum dulcedine & humilitate: quia illic iustitia plena est dextera eius, quæ hîc misericordiam seminauit & sparsit. Tunc ille misericors oculus non parcet, & non miserebitur, sed percutiet, & occidet indutus iram, furore repletus, plenus crudelitate. Peccatores autem quid? Videntes turbabuntur timore horribili, sed incorrigibili, audientes illud horrendum tonitruum: Ite, maledicti, in ignem æternum. Quanti, putas, doloris erit excludi à facie Dei, videre, & perdere Deum, cùm Rex gloriæ ciuitatem sublimem intrabit, miseris peccatoribus omni spe misericordiæ in perpetuum sigillata? Quisquis ergò es, qui contemnis diuitias bonitatis & patientiæ Dei, relege Esa.42. Iob 13. Dies extremi iudicij terribilis. Matt.25.

textum

Rom.2. textum epistolæ ad Romanos, & illa tibi pleniùs dicet, quia non euasisti iudiciū Dei.

Adspice & quartò misericordiam eius. Licèt peccaueris, licèt neglexeris, & prouocaueris patientiam Dei, paratus est tamen misereri, cùm volueris, & reuerti ad reuertentem, obliuisci & tegere peccata tua, & proijcere in profundum maris. Nec erit mora inter confitentem, & remittentem, inter gementem, & gemitus exaudientem, quia benignus & misericors est. Sunt homines mundi faciles ad iram, difficiles ad misericordiam. Deus autem & ad irascendum difficilis, & facilis ad miserandum. Reuolant illi ad opprobria, quæ remiserunt: iste cùm remiserit, sic est, quasi non fuerit. Ad limina potentium frequentiùs excubamus, non habentes liberos accessus ad colloquendum: & si quid deliquimus, supplicibus oculis, facie tribulata, verbis humilibus emendamus. Illi autem plerunquè superbo oculo, & humero dedignāti, pedibus suis prouolutos vel respicere nolunt. Non sic Dominus Iesus, qui libentiùs loquitur mecum, quàm ego secum, quem inuenio, quotiès quæro, qui occurrit cum panibus fugienti, qui vultum lætum ostendit mihi, qui meam pœnitentiam, sicut innocentiam amplexatur: vbiquè lætus, vbiquè bonus, vbiquè pius, vbiquè dulcis cum magna multitudine dulcedinis suæ. Non facit supercilium, oculos non obliquat, non detorquet faciem, nec verba resonat ampullosa: sed occurrit reuertenti, & accurrit in amplexus, flens super collum meum, & iubet proferri stolam primam, dari annulum intelligentiæ, & calceari pedes in præparatione Euangelij, in choro & symphonia ad superna gaudia reuocari, & occidi vitulum saginatum in remissione peccatorum meorum. Vides ergò, quàm longa patientia sit in Deo, quàm velox misericordia? Longanimis, ait Sanctus, & multùm misericors. Libenter igitur ad te confugio, Domine Iesu, qui diutiùs pateris, & velociter misereris: quia tu es Deus, & non homo (sicut Propheta dicit) qui seruet iram, abscondat malitiam, vindictam inquirat.

Deus difficilis ad irascendum, facilis ad miserādum.

Luc.15. Ephes.6. Psal.102. Oseę 11.

Ad hæc & istud considerandum in misericordia miserantis, quia seculi homines semèl, aut bìs, aut vt multùm septiès, vel deciès dimittunt: hic autem milliès in die, si fieri posset, quæ committimus dimittit, & hoc quandiù viuimus, quandiù peregrinamur ab ipso. Visis igitur his, quæ enumerauimus, attolle oculos etiam ad videndum Domini largitatem, siue familiaritatem. Si cui maximè potenti fecimus, quod ei displiceret, nunquìd ampliùs nobiscum loqui, nedùm aliquid largiri, vel familiaris esse dignatur? Graues sumus ei etiam ad videndum, & pro magno beneficio computat, si saltem à nostra læsione desistat, & licèt multiplicibus & deuotis obsequijs defendamus offensam, semper tamen iniuriæ memoria præteruolat oculos illius, nec obliterari valet vel beneficio, vel obsequio, vel ipsa etiam vetustate. Nunquid ità Deus meus, misericordia mea? Absit. Consueuit enim honorare pœnitentes, magìs quàm innocentes, reuertentes plusquàm remanentes: quia deuotior est feruidus pœnitens, quàm tepidus innocens, cùm ille materiam feruoris habeat, hic tepiditatis.

Misericordia Dei quāta.

Deus iniuriarum immemor semper recipit pœnitētes.

Fortasśis præsumptionis arguar, qui contra præceptum Apostoli verborum nouitates induco, sed habeo ad manum testimonia, nec parua, nec pauca, quæ & ipsa credibilia facta sunt nimìs, & quæ possint satisfacere murmuranti. Petrus Apostolus, non quilibet Apostolus, sed princeps Apostolorum, cui traditus est principatus cæli & terræ, nunquìd non de choro pœnitentium est, & de sorte grauiter iniustorum? Nónne ipse est, qui Deum negauit, reliquit Magistrum, amicum deseruit, fefellit promissum? qui cœpit detestari, & iurare, quia non nouit hominem, negationi periurium addens, crimini crimen adijciens? Cecidit, sed non est collisus, quia Dominus supposuit manum suam. Vide quid dicat scriptura. Respexit, inquit, Dominus Petrum. Respectum Christi sequitur fletus Petri, & lachrymarum amaritudo dulcedinem antiquæ dignitatis instaurat. Felices, sanctè Apostole, lachrymæ tuæ, quæ culpam abluunt, gradum restituunt, debita dimittunt, ampliora committunt. Respexit pietas, & impietas cessit, & accessit prisca familiaritas. Deniquè, Simon Iohannis, diligis me plùs his? Pasce oues meas: & his similia, quid sunt, nisi magna documenta familiaritatis? Illud etiam singulare sancti Spiritûs organum, quem inuenit Dominus secundùm cor suum, cui reuelata sunt incerta & occulta sapientiæ Dei, nónne cum homicidio & adulterio insignitus est nota & nomine proditoris? Sed vide, quàm celeri pœnitētię saltu resiliuit ad arcem innocentię, & grandia vulnera sic reuinxit, vt non solùm vulneris, sed nec etiam cicatricis vestigia remanerent.

Matt.16. Matt.26. Ibidèm. Act.9. Iohan.21.

Redar-

Redargutus enim à Propheta, & retorsione parabolica sugillatus, dixit, Peccaui: & ille ex thesauro diuinæ misericordiæ statim subintulit: Transtulit Dominus peccatum à te, & non morieris. Translatum est peccatum & ablatum, quod diuidebat inter Dauid & Deum, & sublato eo, Dauid idem qui priùs. Sed & ille vas electionis, qui volauit super pennas ventorum, qui plus omnibus laborauit, cui credita sunt eloquia Dei, nónne primus in primitiuam Ecclesiam cæteris ardentiùs fertur efferbuisse? Actus Apostolici sunt in testimonium, quanta mala fecerit sanctis Dei in Hierusalem. Hic autem, qui tanta mala fecit, tanta posteà passus est pro nomine Christi, & lucet in firmamento cæli, nec est aliqua gemma preciosior in corona Regis æterni. Accedat & illa mulier, quæ septem dæmonijs, id est vniuersis vitijs, cumulata fuit, cui multùm amanti multum dimittitur, quæ prima videt Dominum à mortuis resurgētem, Apostolorum Apostola, dilecta propriè Saluatoris. Veniat nunc omnis innocentium chorus, & tota virginea puritias adunetur, quis erit, qui ad istorum gloriam adspirare, nedùm transcendere audeat? Propterea confitebor tibi, Domine Iesu, & laudem tribuam nomini tuo, quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te, Domine. Quæ est ista lex, quæ propitiatio? Quia offensus, te clementem promittis, pœnitentem admittis, punire prætermittis. Magna est igitur virtus pœnitentia vera, cùm Ambrosius dicat: Faciliùs inueni eos, qui innocentiam seruauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam.

2.Reg.12. 1.Cor.15. Act.9. Mar.16. Psal.129. Plures innocētiam seruant, quàm qui veram agunt pœnitentiam.

Vide & sextò custodiam eius, quia nisi ipse custodierit, nos frustrà vigilamus.

Decursis igitur sex visionibus istis, transeamus ad secundam Saluatoris vocem dicentis: Vigilate. Vigilandum omninò, & somnus ab oculis auferendus, quia latrones multi obsident iter nostrum toxicatis missilibus formidandi, nullum prorsùs intentatum transire sustinētes. Tres enim hostes præcipuos habemus, & præcipitium suadentes: carnem, diabolum, & mundum: ex quibus duo, etsi aliquando intermittunt, nunquàm tamen dimittunt: tertius autem, diabolus videlicet, ità inexorabile odium aduersùm nos exercet, vt nunquàm ab eo inducias vel in ictu oculi potuerimus extorquere. At vt verba illius Oratoris ponamus, qui vbiquè redolet Ciceronē: Cum hoc quotidianus & anceps congressus: ex hoc innumerum vulnus, nec ex facili cicatricem promittens: sub hoc casus frequens, & respiratio difficilis: de hoc rara, & nunquàm secura victoria: huic voluntas semper iniqua, & fallendi principatus. Quis aduersùs hunc poterit vigilare, nisi custos ille de nocte venerit in auxilium nostrum? Per nos nanque non sufficimus, immò deficimus, si confidamus in nobis.

Tres hominis hostes.

Vide nihil valere ad bonum meritorium liberū nostrū arbitrium sine diuina gratia.

Attende autem de hoste illo inuisibili, quantus ingrediatur ad singulare certamen, qualia gerit arma, quàm fortia, quo turbine torqueat hastam. Recole librum Iob, & historiam Regum, & armatum & arma considera: quia qui Golias in libro Regum, idem est diabolus in regno Christianorum. Habet enim hastam delectationis, obdurationis clypeum, desperationis loricam, gladium occisionis, armigerum superbiam, qui antecedit eum, & exprobrat agminibus Dei viuentis, & dicit inimicus: Persequar, & compræhendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Tu autem quid? Assume Apostolicam armaturam, scutum fidei, loricam iustitiæ, gladium spiritùs, circunspectionis hastam, & præcedat te humilitas, & dic: Persequar inimicos meos, & compræhendam illos, & non conuertar donèc deficiant. O Domine Iesu, nunquid æqua pugna est hominis & dæmonis, duplicis & simplicis, fortis & imbecillis? Inuoca me in die tribulationis, (ait Dominus) & eruam te, & honorificabis me. Inuoco te, Saluator: appræhende arma & scutum, vt videam contra fortem armatum, fortiorem armatum, & conteras Assyrium in terra tua. Facta ergò congressione, inimicos tuos comminuet vt puluerem ante faciem venti, & vt lutum platearum delebit eos. Sic autem contra istum vigilandum est, vt semper de rediuiuo certamine timeas, & de victoria non desperes.

Exod.15. Psal.17. Psal.49. Psal.81.

Caro autem sub necessitatis specie furiosi tumultûs sui velat imaginem, & nunc ferculorum varietate repleta, nunc preciosa vina commutans, incipit lasciuire, laxatisque frenis tota fertur in præceps. Statim recrudescunt affectus, cogitationes rebellant, visæ proponūtur imagines, & pingimus in cordibus nostris, quod multis diebus deleri non possit. Ingurgitati enim, non confortati, impleti, nec nutriti, & corpore & corde distendimur, completurque illud Satyricum: Inguinis & capitis nullum discrimen habetur. Parco sermonibus, quia turpis sententia non nisi verbis turpibus explicari potest, & vnicuique nostrū notum est, vel quid tacemus, vel quid volumus

Eccè quomodò laudat tenuitatem mensę, asperitatem cibi, & potùs simplicitatem.

præterire. Tenuis autem mensa, cibus asperior, simplicior potus, corpus firmāt, confirmant animum, & vtriusque hominis statum reddunt alacriorem.

Mundus verò quid facit? Offert nobis quicquid pulchrum est visu, & concupiscentiam carnis & oculorum, & ambitionem seculi, vt illaqueet miseros, illaqueatos strangulet, strangulatos sempiternis inuoluat incendijs. Tentat nos multiformibus insidijs, superiùs per superbiam, per luxuriā inferiùs, à dextris per prosperitatem, per aduersitatem à sinistris, anteriùs per mundi concupiscentiam, posteriùs per præteritorum vitiorum recordationem, in orbiculari motu per inuolutionem sensuum. Vigilare igitur necessè est aduersùs huiusmodi latrunculos manumque sicariam, & cum Esaia dicendum: Super speculam Domini ego sum, stans iugiter per diem, & super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus. Nec solùm stare conuenit, sed armatum stare armatura illa, quam Apostolus dicit: Induite vos armaturam Dei. Alter nostrorum temporum Tullius, de quo superiùs mentionē feci, vernans vbiquè flore sermonum, armaturam in hunc modum lucidissimis capitulis inaurauit: Si fabulosi spiritus, & incantatores motûs carnis circa te obstrepuerint, confide, & dic: Discedite à me, maligni, & scrutabor mandata Dei mei. Si recalere carnem senseris, & velle reuolare ad ineptias suas, esto constans, & dic: Confige timore tuo carnes meas, Domine. Si paupertatem odisse cœperis, & desiderio diuitiarum inceperis suscitari, expergiscere, & dic: Væ vobis, diuites, qui habetis hîc consolationem vestram. Si te demulceat adulator, & ad plebeculę laudes animus hilarescat, cōfortare, & dic: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Si tibi suggeratur, in futurū tempus bonum differre propositum, consurge, & dic: Dies Domini, sicut fur, ità in nocte veniet. Si gula desæuiens lautiores tibi commendauerit apparatus, recalcitra, & dic: Non est regnum Dei esca & potus. His velut quibusdam increpationibus diffugiunt inimici, delabitur memoria voluptatum, carnis gurgulitas conticescit, sanctæ conuersationis initia conualescunt, mundus contemnitur, superatur hostis antiquus.

Esa.21. Ephes.6. Psal.118. Matt.6. Psal.140. 2.Pet.3. Rom.14.

Sic igitur videns, & vigilās fac funiculum triplicem, qui difficilè rumpitur, & transi ad orationem, ingrediens interiora veli cum summo Pontifice Domino nostro Iesu Christo, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui assistit vultui Dei pro te. Admissus autem, non sic audacter & frontosè ingeras te oculis Maiestatis, sed humilima trepidatione concussus, saltem quomodò ad tanta miracula admitti potueris, admirare. Sit ergò oratio verecunda, vt erubescamus peccata nostra, & tantæ reuerentiæ deferamus: pura, vt nihil ab ipso præter ipsum quæramus: deuota, vt in pinguedine spiritûs eam protendamus: ampla, vt extendamus eam vsque ad inimicos: sit continua, nè intermissione fiat remissior: sit pacata, nè turbulentis cogitationum fluctibus submergatur. Fateor, excessi modum, & magìs solitò vestras aures onerare nō timui, dum stylus in longinquitatem extēditur. Sed scio, quia patienter audîstis me de illius patientia disputantem, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

Oratio qualis esse debeat.

VITA BREVIS SANCTI LIVINI ARCHIEPISCOPI ET MARTYRIS, EX BREVIARIO ECCLEsiæ Gandensis excerpta, *vbi eius sanctum corpus quiescit.*

12. Nouēbr. S.Liuini patria.



IVINVS in Scotia nobili genere natus, admodùm adhuc puer non modò supra ætatem eximia pietate conspicuus, verumetiam miraculis clarus fuit. Adultæ autem ætatis factus, præceptoribus vsus est, primùm egregio Dei sacerdote Benigno: deindè susceptore suo è sacro fonte, magno illo Augustino Anglorū primo Episcopo. A quo tandèm etiam sacro sacerdotij ordine decoratus, tanta cum laude eo in statu versatus est, vt eū Scoti haud multo pòst in Archiepiscopum suum eligere non dubitauerint. Quod munus tametsì Rege populoque compellente susceperit, & magno cum fructu annos aliquot administrârit, posteà tamen maluit infidelibus ad Christum conuertendis operam dare, (ad quam rem mira Spiritûs sancti gratia præditus erat) quàm in Episcopatu suo vni tantùm prouinciæ quietiùs & minori cum labore præesse.

Initiatur sacerdotio. Creatur Archiepiscop⁹.

Iraque

Itaque relicto in Scotia loco suo magnæ sanctitatis & virtutis Syluano Archidiacono, ipse Euangelij plantandi causa, tribus cum discipulis Foillano, Helia, & Kiliano, Oceano traiecto deuenit in Flandriam. Et ingressus cœnobium Gandense, à beato Amando Episcopo tunc recèns extructum, humaniter à Florberto Abbate fratribusque exceptus est, anno incarnationis Dominicæ sexcentesimo tricesimotertio, decimoseptimo Calendas Augusti. Vbì quum B. Bauonem triennio iam defunctum, magnis coruscantem miraculis inueniret, memoriã viri celeberrimam & præsentia sanctitatis testimonia admiratus, triginta continuos dies super eius sepulcrum Missarum solennia celebrauit, suî illi multis precibus, & monasterij Gandensis curam, commendans. Posteà autem indè prædicationis causa profectus, innumeros ad Christi fidem verbo, exemplo, magnisque adiunctis miraculis, conuertebat. Relicto Episcopatu, venit in Flandriam prædicationis ergò. Eius vita habetur prima Octob. Tomo quinto. Multos ad fidem conuertit.

Sed virtutẽ vmbra sua statìm inuida sequitur. Homines enim impij, quibus Christus & pietas omnis erat exosa, animaduertentes sanctum Episcopum tantam hominum multitudinem ad nouã religionem, erroribus pristinis, vitijsq; spretis, adducere, atq; adeò suijpsorũ prauis cupiditatibus non parùm obsistere, miris modis eum persequebantur. Nec omninò desistebant, donèc linguã eius extractam canibus deuorandã proijcerent (quę tamen illi mox fuit miraculo restituta) ac tandèm apud Hescham Flãdriæ vicum, multis vulneribus saucium, etiam obtruncarẽt, anno antè memorato, pridiè Idus Nouembris. Quo eodem loco nobilem quoquè & religiosam matronam Craphahildem Liuini hospitã, vnà cum filiolo eius Brixio, quem Liuinus de sacro fonte susceperat, quum palàm quererentur immeritò interfectum esse sanctum Episcopum, immaniter trucidârunt. Quo facto, discipuli beati martyris collectum eius corpus, simul cum beati Brixij corpusculo, vno eodemque in loculo in Hauthem vicino pago decẽter sepeliêrunt, ac iuxta eos seorsùm, sanctam martyrem Craphahildem. Lingua abscissa ei restituitur. Obtrũcatur. Sepelitur cũ Brixio & Craphahilde socijs.

De eleuatione & translatione eius.

AVdiens Theodoricus Episcopus Cameracẽsis sepulcrum beati Liuini in Hauthem, territorij Alostensis, suęq; diœcesis pago, celeberrimis miraculis coruscare, eò mox aduenit, & locum visurus, & rei veritatẽ coràm intellecturus. Cumq; maiora multo quàm audierat re ipsa experiretur, rogatus à religiosis cœnobij D. Bauonis, qui multum ibi authoritatis iure patronatùs, antiquaq; possessione obtinebant, sanctorum Liuini & Brixij corpora omni cum reuerentia & gaudio è terra sustulit, & loco celebriori decenter collocauit. Cõtigit hoc sub Eynardo Abbate: anno partę redemptionis octingentesimo quadragesimosecundo, quarto Calendas Iulias. Theodoricus Episcopus Cameracens. eorũ corpora eleuat.

Multis autẽ pòst annis felicis memoriæ Eremboldus Abbas, qui & peregrinum S. Macarium hospitio suscipere meruit, cœnobio cui præerat maiorem etiam cupiuit dignitatis gloriam conciliare. Metuebat enim vt sanctissimæ reliquiæ in manus quorundam, monasterio suo parùm fauentium, aliquãdò peruenirent, sicque ecclesia sancti Bauonis tanti martyris patrocinio priuaretur. Fusis ergò ad Deum precibus, atq; in Domino confortatus, Hauthem cum fratribus proficiscitur. Propiusq; accedens, loculum Sanctorum aperuit, & pignora illorum omni ex parte integra vniuersis ostẽdit. Atq; ità multa cum fiducia & gaudio reposita, ad suũ monasterium deportauit, anno liberati humani generis millesimo septimo. Tum verò Deus præsentibus miraculis cõmunem lætitiam magnoperè promouebat. Nec deerat populus Gandensis suo officio, qui ingenti numero ciuitate effusus obuiàm magnis laudibus veniebat, & vnà cum reliquis cœnobij fratribus, reliquias S. Bauonis, aliorumque Diuorum, in occursum aduentantiũ religiosissimè deferebant. Istius Macarij vita habetur decimo Aprilis, Tomo secũdo. S. Liuini translatio prima.

Hoc in loco quum Anno supra millesimũ octuagesimotertio prima sacrarum reliquiarum translatio per Radbodum Nouiomensium Tornacensiumq; Episcopum & Vuithmannum Abbatem facta esset, rursùm post nonaginta propè annos altera translatio celebrata est Bettonis Abbatis tempore, qua thesaurus ille sanctarum reliquiarũ nouo loculo ornatissimè præparato inserta est, Vualthero Episcopo Tornacensi, qui & caput, & corpus integrũ populo, fratribusque, magna omniũ lætitia, spectandum exhibuit, & diem trãslationis huius singulis annis quinto Cal. Iulias, quo facta erat, Episcopali authoritate celebrari præcepit. Cumque eleuatio corporis quarta Calẽdas Iulias primùm facta esset, eius rei memoriã voluit eodem Translatio eius secũda.

die cum memoria prædictæ translationis cōiungi, vt rerum gestarū diuersitas materiam duplicet gaudiorum, ad gloriā omnipotētis Dei in secula seculorū, Amen.

VITA S. MARTINI PAPÆ, QVI PRO DEFENSIONE CATHOLICAE FIDEI EXILIVM PASSVS est: à quodam eius familiari vel comite scripta. Extat in antiquis MS. codicibus.

Nouemb 1: secundùm Martyrologia. Cap. 1. Patria S. Martini.



SVMMA deuotione recolēdus, meritisque præcipuus, Deo per omnia dignissimus Martinus, vir Apostolicus generosa traductus ꝓpagine, Tudertina ciuitate oriundus fuit. Qui cùm in annis puerilibus à parentibus acutissimi ingenij magistris ad instituendum fuisset delegatus, vtpotè bonę spei iam & indolis, ità cœpit, magistrante sibi spiritu sancto, acumina literarum archiuo mentis * palati recondere, & in omnem intelligentiam proficere, vt iamtunc nō immeritò Dauidicum illud canere posset Domino: Super omnes, inquiens, docentes me intellexi. Et rursùm: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine. Præparauit nanque Dominus Ecclesiæ suæ non ignauum Euangelici frumenti dispensatorem futurum, qui vt scriba doctissimus in regno celorū, quod est Ecclesia, proferre sciret de thesauro suo noua & vetera. Omnia verò iam ephebus sophiæ molimina voti compos * scitè enodauit, &, vt * puta diuini bellator belli, sese in propatulo contra omnes veritatis inimicos dedit, scuto fidei vndiquè munitus, galea salutis protectus, & gladio spiritûs sancti, quod est verbū Dei, armatus, imperterritus extitit & inuictus. Fuit verò formosus facie, sed formosior castimoniæ sanctitate, nec aliquo modo poterat tanti iuuenis ætatula facilè deflecti ad procliuia peccandi, cuius tota intentio, sine aliqua impeditionis morula, aut discendi semper extitit, aut docendi.

(for. * paulatim; Psal. 118.; Ibidèm.; Matth. 13.; * scita; for. * potè; Ephes. 6.)

Cap. 2. Multa eius diuinarum humanarūque literarum peritia.

Cumque iam nouum vas electionis Domini, atq; armarium spiritûs sancti mundissimum, beati Martini pectus fuisset effectum, & omnium mundanarum diuinarumq; literarum subtilitates prudentię scalpello ad liquidum penetraret, & Dialecticorū strophas enodare sine rubore addisceret, sapiēti satis consilio studuit non hominibus, sed soli placere omnipotenti Deo. Quoniam autē vir Domini ad cumulum perfectionis philosophiæ euasit, ipsius diffiniēs philosophiæ perfectionē, oportere Rhetorē peritum esse loquendi, bonū, pium, iustum, beniuolū, ac bene moratum: conuertit nanq; magno pietatis nisu magnificentiam à Deo sibi datę sapientiæ, ad impletionem omnis iustitiæ. Et quia in Physica operā dedit, scire intelligere, falsa à veris discernere: per Ethicam conatus est mores componere: illos ità studuit propagare atque pronunciare. Decisa nanque cęsarie, honorem clericatûs deuotus accepit, atq; ad Ecclesiasticos gradus conscendit dignissimus. Postea totus in Deo suspensus, de animę suę salute semper erat solicitus, & ità seruus vixit in seculo, vt dum genuina substantia opulentus videretur, iam quasi nihil habens, & omnia possidēs, pauper cum monachis, spiritu diues erat Christo. Totus crucifixus erat mundo, quandoquidem illi mūdus erat crucifixus. Viuere quippè illi Christus erat, & mori lucrum. desiderium nanq; multotiès habuit cum Apostolo dissolui, & esse cum Christo: quippè qui martyrij palmā, si temporis occasio non esset impedimento, ardentissimo iamtunc sitiebat pro veritate desiderio. Sed omnipotēs Deus desiderium illius distulit, atq; ouibus suis talem arietem necessariò reseruauit, donèc per pastoralem curam perueniret ad martyrij coronam. Sed iam ratio ordinis examussìm expetit, vt qualiter ad vniuersalem & Apostolicam Romanæ Ecclesiæ sedē diuina sit electione promotus, qualive modo pro assertione veritatis improborum insidijs de propria sede fuerit expulsus, atque exiliatus, Deo opitulāte, qualicunque stylo elucubrare debeamus.

(Initiatur consura clericali.; 2. Cor. 6.; Gal. 6.; Phil. 1.; Feruet martyrij desiderio.)

Cap. 3. Theodorus Papa vita defungitur.

Beatæ recordationis Papa Theodoro vita excedente, viamq; vniuersæ carnis ingrediente, sancta & Apostolica mater Ecclesiarū Dei Romana Ecclesia, à proprio pastore viduata, atq; lamētabiliter destituta, nè ouile Domini diutiùs & plùs ęquò prouisore careret, Archidiaconus collecto in vnum clero, omniq; simul cœtu Ro-

mano, disquirere cœpit cõmuni omniũ consilio, qualiter sanctæ Ecclesiæ consulerent, & dignum domui Christi patremfamiliàs præponerent. Ad quod peragendũ ex præcedentium cõsuetudine patrũ à Deo monuit esse quærendũ. simulq; indicto ieiunio triduano, omnes vnanimiter rerũ inuentorẽ obnixè supplicant, quatenùs *orbatum Ecclesiæ suæ cita dignaretur consolatione lenire. Quo pacto omnes à minimo vsq; ad maximum diuino instinctu attacti, B. Martinum Theosophum, ac Tudertinę ciuitatis philosophũ dignissimis extollunt sanctitatis atq; sapientię laudibus vsq; in cælum, solumq; ipsum in toto orbe Romano tãto præsulatu dignum, nimiumq; idoneũ existere altisona voce proclamant. Cumq; oẽs pari voto pariq; consensu Christi tyronem Martinũ eligerent, directa Imperatori epistola, electionem Pontificis annunciãt. Qui diuinitati grates retulit, moxq; prescriptũ beatum Martinum ordinari præcepit: lætus itaq; & gratulabundus totus senatus vnà cum clericis ac presbyteris simulque omni populositate Romana, tantum talemq; Pastorem suscepit, & honore præmagnifico in sede Apostolica sublimauit.

*id est, orbitatem.

S Martinus dignus summo Episcopatu, acclamatur.

Martinus in sede S. Petri collocatur.

Nimium felix domina mũdi aurea Roma, quę sicut oẽs pręcellis vrbes dignitate mœniorũ, numerositate sapientiũ, ità etiam prędita haberis speciali probitate pręsulum. Induit quidẽ Pontifex fauorabilis, secundùm Prophetã pallium laudis pro spiritu mœroris. Ordinatus autẽ secundùm electionem Domini, & confirmatus in sede Apostolica, secũdùm Psalmistã emisit coruscationẽ Domini iuxta hoc quod abyssus abyssum inuocat, & dissipauit omnes malorum inuẽtores. Non enim ignorauit cum Paulo Apostolo versutias multiformes antiqui prædonis, qui dormientibus hominibus superseminare solet manu inimica in agrum Dominicũ zizania: sicut nardus dedit odorẽ suum, & factus est quibusdam odor vitæ in vitam, quibusdã odor mortis in mortẽ: in his qui saluãdi erant, & in his q perituri. Videres nanq; nouum Syluestrum in Martino: quippè qui omnium virtutũ illius imitator extitit gloriosus. Largus quippè pauperibus erat, & opes Ecclesiæ, quas illi Deus largitus est, per manus egentiũ quotidiè transmisit in cęlum. Monachos religiosos amauit, hospites & peregrinos collegit, & iuxta mandatũ Domini, pedes eorum geniculatim acclinus lauit. Crebrò videlicet in orationibus, laudibusq; diuinis pernox permansit, diem sibi cõsecrans ieiunio, noctẽ verò vigilijs sacris. Mœstos & peccata sua lugentes, salubri temperantia studuit per satisfactionẽ ad innocentiã reformare: promittens eis ex abundantia supernę clemẽtię spem cõsolationis & reparationis, faciẽs semetipsum infirmũ infirmis, vt infirmos lucrifaceret. Clericos ac presbyteros vt fratres diligebat, Episcopos orthodoxos atq; Ecclesiarũ Prælatos, cùm caput esset omnium, sibi quasi dominos præferebat. Bonos ac benè moratos laicos honorificauit, improbos verò ac dyscolos discreta correptione, vt se corrigerent, admonuit. Ecclesias verò quæ partim vetustate temporis, partim negligentia prædecessorum offuscatę ac rimosæ videbantur, maxima curauit solicitudine restaurari. Hilari semper vultu menteq; tranquilla existens, indefatigatis humeris Apostolici ordinis cælibatum ferens, & vt familiæ Domini œconomus moderatissimus, mensurã tritici certo in tẽpore pro vniuscuiusq; capacitate largiter omnibus nouerat erogare. Omnes quos discordantes inuenit, ad concordiã reuocare magna celeritate studuit. Quid plura? omniũ quidẽ artifex virtutum, nulli se passus est post Apostolos inferiorẽ existere patrum. Et si volumus cũctas eius virtutes calamo retexere, vt verum fateamur, dies antequàm verba cessabit. Sed hoc tantillum de innumeris eius virtutibus prælibâsse, hactenùs sufficiat. In sequẽtibus verò quę & quanta pro veritate, quæ Christus est, perpessus sit, præsentis vitæ incommoda, ac persecutionis vastissimæ pericula, Domino authorante non piget * caraxare.

Cap. 4. Encomium vrbis Romę & Martini Papæ.

Esa. 61.

Psal. 76. & 41

2. Cor. 11.

Matth. 13.

Cant. 1.

2. Cor. 2.

Imitatur Syluestrum Papam S. Martinus.

Vacat misericordiæ operibus.

1. Cor. 9.

Ecclesias Vrbis multa vetustate collapsas restaurat.

Discordantibus pacem conciliat.

* Sic est clarè in lib. ant. S. Mar. & videtur significare: oculis subijcere, tanquàm depicta in tabella.

Inter hæc verò dum beatissimus Pontifex atq; auriga Domini Martinus vniuersalẽ Ecclesiæ puppim Christo gubernatore per mundanum pelagus tranquilla nauigatione regeret, extemplò in Charybdis mortali voragine, per sentinam quasi irrepserunt crudelissimi piratæ, qui naufragium vniuersæ naui minabantur. Sed peritissimi nautæ vigilantia eorum nefanda molimina (Deo gratias) adnihilabantur. Sed vt planiùs atq; pleniùs cunctis clarescat fidelibus: tempore illo eruperunt antichristi, heretici videlicet, atq; schismatici, quasi lupi voracissimi, qui ouile Domini insidiando obambulantes, dente minaci morsum mortiferum parauerunt ouibus Christi. Sed pastor vigilantissimus Martinus, non solùm oues commissas ab eorum dentibus illæsas eripuit, verumetiam irreuocabili fuga de area Domi-

Cap. 5.

Lupi multã in eis fuit ouibus.

Eos vir sanctus à suo ouili eliminat.

nica eosdem lupos veræ fidei cornu vētilauit, confusosq; perpetualiter eliminando pepulit. Et ipsi quidē lupi, id est hæretici, olìm ouibus Christi admixti, sub ouina pelle lupinum pectus occultauerunt, donèc pastores ouium ipsi cōstituti sunt miseri, & per occasionem pastoralitatis comprǣhendêre incautos tendiculis æternæ perditionis.

Cap. 6.

1. Iohan. 2.

Paulus Cōstantinopolitanus Episcopus, hæreticorum signifer.

Constans Imperator à Paulo corrumpitur.

Fuerunt nanq; ex eorū numero de quibus beatus Ioannes Theologus in epistola sua dicit: Exiêrunt à nobis, sed nō erant ex nobis: si ex nobis essent, permansissent vtiquè nobiscum. Horum autem signifer & præuius quidam extitit Paulus Constantinopolitanę vrbis Episcopus, qui antiqui serpentis sibilo illectus, atq; superbię spiritu inflatus, aduersùs recta sanctæ Ecclesiæ dogmata, audacter præsumpsit paternis diffinitionibus cōtraire. Insupèr studuit ad cooperimentum proprij erroris quibusdam subreptionibus, vt demētissimo principi suaderet typum, hoc est morbum inuentæ hæreseos publicare, quo Catholicum dogma destrueret. In quo typo omnes omninò voces sanctorum patrum nefandissimorum hæreticorum dictionibus eneruauit, nec vnam, nec duas volūtates aut operationes in Christo Domino nostro diffiniens, confiteri. Qua de re huiusmodi prauitatem defendens, quod nunquàm nec à prioribus hæreticis præsumptū est, ipse illicitè præsumere studuit: intantùm vt altare sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quod erat in domo Placidiæ sacratū, in venerabili oratorio subuertens diripuerit: prohibens nè adorandā & immaculatam hostiam apocrisarij Apostolici Pontificis ibidèm Deo offerre valerent, nec cōmunionis sacramenta perciperent. Qui videlicet apocrisarij, quia ex præceptione Apostolicæ authoritatis cōmonuerunt eum, vt de tali hæretica intēriōnē recederet, necnon & cōtestari nisi sunt, persecutionibus diuersis cum alijs orthodoxis viris, & venerabilibus sacerdotibus insequutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios in exilium deportans, alios autem verberibus submittens.

O nefandū hæreticorū insaniam.

Cap. 7.

*V

Concilium Romanum 105. Episcoporum sub Martino I.

Paulus Cōstāt. Episcopus cū suis in eodē cōdemnatur.

Cumque idem vir diabolicus vnà cum alijs cōmanipularibus suis penètotum mundum conturbaret, ex diuersis locis querelas cōtra eos ad Apostolicam sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur, coniurantes vt totius mali, tantæque euersionis commentum per Apostolicam authoritatem abscinderetur, quatenùs minimè catholicæ Ecclesiæ integritatem, nocibilis eorū hæreseos languor dirumperet valeret. Tunc Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus misit, & congregauit Episcopos in vrbe Roma numero cētum & * VI. & fecit Synodum secundùm instituta patrum orthodoxorum in ecclesia Saluatoris, iuxta episcopium Lateranense: residentibus Episcopis, Presbyteris, adstātibus Diaconibus & Clero vniuerso: & condemnauerunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum patriarcham Constantinopolitanum, qui nouitates contra immaculatam fidem præsumpserunt innectere. Quippè quoniam ipsam excludere properantes, hæreticorum dogmatum contra catholicā Dei Ecclesiam confusionē concinnauerunt, spiritûs sancti iudicio anathematis vltione perculsi sunt. Quam Synodūm vsq; hodiè archiuum cōtinet sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et faciens exemplaria, per oēs Ecclesias Oriētis & Occidētis direxit, & p manus orthodoxorū fideliū disseminauit.

Cap. 8.

Constans is fuit.

Vocat Episcopos hęreticos, qui nolebant consentire ipsius errori.

Ecce quos dolos moliatur Imperator hæreticus aduersùs sanctam Ecclesiam.

In ipsis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium cubiculariū exarchum ad regendam omnem Italiam, & præcepit ei, dicens: Oportet gloriam tuam, vt sicut nobis suggessit Paulus Patriarcha huius à Deo conseruandæ vrbis negocia peragere. & si quidem inuēneris ipsam prouinciā non consentientem in typo à nobis exposito, tene omnes qui ibì sunt Episcopos hęreticos, siue habitatores, vel possessores, siue etiam peregrinos, & compelle, vt in eundem typum subscribant, & pro veritate fideliter teneant ac defendāt. Si autē, quemadmodùm nobis suggessit Plato, gloriosus patricius Euparaxius, poteris suadere, exercitu ibidèm consistente, iubemus teneri Martinum, qui hîc erat apocrisarius in regia vrbe, & postmodùm per omnes Ecclesias relegere eum q factus est à nobis orthodoxus typus, vt omnes Episcopi Italiæ in ipso subscribant, & consentiant. Si autem inueneris contrarium in tali causa exercitum, tacitum habeto, donèc obtineas prouinciam, & possis exercitum aggregare, tam Romanæ ciuitatis quàm Rauennatis, vt ea quæ tibi iussa sunt quantocyùs valeas explere. Qui prædictus Olympius Romam veniēs, inuenit sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus Episcopis Italiæ, sacerdotibus vel Clero: & volens adimplere ea quæ sibi iussa sunt, armans se cum exercitu virtute voluit schisma sanctæ Ecclesiæ intromittere: hoc autē per plurimum tempus

pus actum est,& non illum omnipotens Deus permisit ea quæ nitebatur perficere. Videns ergò se à sancta Dei Ecclesia Catholica & Apostolica superatū, necessè habuit de sua mala intentione declinare. Sed quod nō potuit per manum armatam facere, subreptitio modo per Missarum solennia in ecclesia sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ ad Præsepe, dum ei sanctissimus Papa Martinus cōmunionem porrigeret, eum interimere voluit: præcipiens spathario suo, vt sibi clanculò hora illa spatham in manibus daret, quo tantum nefas ocyùs impleret. Sed Deus omnipotens, qui solitus est seruos suos orthodoxos circuntegere, & ab omni malo eripere, ipse excęcauit spatharium Olympij exarchi, & nō est permissus videre Pontificem Apostolicum, quandò exarcho cōmunionem porrexit, vel pacem dedit, nè tanti pręsulis effunderetur sanguis innoxius, & Catholica Dei Ecclesia nefandæ hæresi subiugaretur, quod postmodùm pręditus armiger multis iureiurando professus est. O præclara Dei pietas, ô diuinæ bonitatis infinitas. Quisnam apud semetipsum constitutus, nō videat quomodò pius Dominus ac redemptor noster Iesus Christus ouibus suis pastorem necessarium in medio luporum constitutum reseruauit illæsum, nè pastore perempto, oues facilè, nullo obstante, luporū laniatu periclitarentur? Nam & hoc magnum veræ fidei præstat adiumētum, quod sine dubio ab omnibus creditur perfectis fidelibus: quia in illo nostræ redemptionis mysterio, ad vocem sacerdotis cæli aperiuntur, & ipse sacerdos Angelicis circunstipatur ministris, quādò agnus Dei Christus, qui semèl pro peccatis nostris in cruce mortuus est, qui resurgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltrà nō dominabitur, iterùm per mysterium patitur, vt panem Angelorum manducare possit homo, & non remaneat homo. Et hoc est mirū & admirabile cunctis seculis sacramentum, quomodò agnus Dei, qui est in dextera patris, quotidiè in sacrosancta altaris mensa crucifigitur, moritur, à fidelibus comeditur, & cùm per mysterium in esu fidelium consumitur, viuus & integer manet. Sed quia secundùm Psalmistam, omnia opera Domini in fide, & iustus non nisi ex fide viuit, qui non potest tantæ profunditatis sacramentum * intelligendum penetrare, sufficiat illi veraciter credere. Nam beatus Christi Pontifex Martinus in illo cælesti mysterio constitutus, quid mirum si inimici fraus aduersùs illū non præualuit: quandò non solùm Angelica erat militia septus, verumetiam ipsum Angelorum Dominum portabat in manibus? certè ipsum, & non alium, quàm quem Simeon senex infantem portauit in vlnis, beatus Martinus tunc crucifixum portabat in manibus: & quomodò Angelorum vita præsente, mortemque pro fidelibus patiente, vir angelicus mortis potuit dispendium subire? Sed quia de sacramento Dominico tantispèr per excessum diximus, ad cœpta redeamus.

Nititur dolo S. Martinū occidere Olympius tyrannus.

Spatharius Olympij diuinitus excæcatur, nè suo domino spatham porrigat.

S. Martinus suis ouibus reseruatur illæsus.

Rom. 6.

Pręclarū testimoniū pro veritate corporis Christi adstruenda in sacramento Eucharistiæ.

Psal. 77.

Psal. 32.

Heb. 10

*for. * intelligendo*

Missæ sacrificio Angelorū militię intersunt.

Luc. 2.

Videns ergò Olympius exarchus, quia manus Domini tegebat Martinum sanctissimum Papam, necessè habuit se cum illo concordare, & omnia quæ ei visa fuerāt, eidem sanctissimo viro indicare. Qui, facta pace cum sancta Dei Ecclesia, colligens exercitum profectus est in Siciliam aduersùs gentem Sarracenorum qui ibi habitabant: & peccato faciente, maior interitus in exercitu Romano prouenit, & post hoc idem exarchus morbo interijt, atque viuendi finem fecit. Audiens ergò Imperator, quia sancta Romana Ecclesia nullo modo acquiesceret fidei orthodoxæ contraria recipere, sed in pace vnanimitatis ac veræ fidei immobiliter perseueraret: denuò antiqui hostis inuidia stimulatus, direxit Theodorum exarchum, qui & cognomēto Caliopas, cum Theodoro Imperiali cubiculario, quatenùs beatùm Martinum magnificum Papam vi & potestate tenerent, & suæ præsentiæ offerrēt. Cùm venissent autem viri iniqui secundùm Imperiale præceptum in vrbem Romam, dolo & fraude diabolica pleni, inuenerunt Martinum in consistorio Lateranensi diuinis vacantem laudibus. Egressus ergò vir beatissimus obuiàm illis, circunfusa multitudine vallatus fidelium, in præsentia exarchi Theodori, Presbyteri ac Clerici clara voce dixerunt: Anathema sit quisquis dixerit, vel crediderit quia dominus noster Apostolicus Pontifex Martinus vsque ad vnum apicem fidem vnquàm mutâsset, vel mutaturus sit. Et anathemati subiaceant, qui in orthodoxa fide vsque ad mortem non permanserint.

Cap. 9.

Olympij exarchi interitus.

Theodorus Caliopas ab Imperatore mittitur ad comprehendendum S. Martinum.

His auditis Caliopas cœpit rationem reddere, aliam fidem non esse pręterquàm Romanos constat tenere, neque aliter se credere. Sed hoc propter eos qui audiebant, nō propter fidem dicebat. Beatus autē Pontifex Martinus de falsis calumnijs,

Cap. 10.

Fingit se rectè credere Theodorus Caliopas.

 quæ

quæ illi aduersùs veritatem obijciebantur, ità fidelibus orthodoxis constantissimâ assertione testificari iurauit: Opitulantibus orationibus vestris, ac omnium fidelium Christianorum, & viuens, & moriens salutis nostræ fidem defendam, quemadmodùm beatus Paulus Apostolus docet: Mihi viuere Christus est, & mori lucrum. De falsis accusationibus, quas nouiter hæretici faciunt, abijcientes veritatē Christi Dei, qualem omninò poterunt hominibus veritatem loqui qui Dei veritati resistunt? Testor eum qui iudicaturus est mundum istum per ignem, qui & reddet vnicuique secundùm opus suum, ego aliquandò ad Sarracenos nec literas direxi, nec eum quem dicunt tomum qualiter credere debeāt, aut pecuniam nunquàm transmisi: exceptis duntaxàt quibusdam illic viuentibus seruis Dei causa eleemosynæ, minimè Sarracenis trāsmissam. Porrò de Domina nostra gloriosa semperque virgine Maria, quæ Dominū ac Deum nostrum Iesum Christū peperit, quam omnes sancti & catholici patres Theotocon, id est Dei genitricem, appellant, falsò contra me, immò contra suas ipsorum animas iniqui viri testificati sunt. Nam quisquis beatam super omnem creaturam, & naturam humanam, absque eo qui nasci dignatus est ex ea, venerabilem, semperque virginem matrē Domini nostri nō honorat atq; adorat, anathema sit, & in præsenti & in futuro. Talibus pro beneficijs ac fidei constantia sacer Christi Martinus de Apostolica sede expulsus est, sicut passer vnicus ab ædificio raptus. Nec mirum, quia Dominus noster de nequam temporibus illis in Euangelio prædixit discipulis suis: Erunt, inquit, in diebus illis tribulationes tales, quales non fuerunt ab origine mundi vsque nunc: & nisi abbreuiati fuissent dies illi, non posset sustinere omnis caro. hoc in paucis de Antichristo dicitur. Nam & sanctus Paulus secundùm datam sibi gratiam spiritûs, pronunciauit dies illos Timotheo discipulo suo dicēs: In nouissimis diebus discedent homines à fide, & à veritate auditum auertent. Notum ergò sit omnium charitati fidelium, quia hoc modo venerabilis Pontifex Martinus sublatus & eductus est à Romana vrbe. Omnia enim præsciuit per multum temporis, quæ contra illum meditabantur inimici veritatis. & cum omni Clero priuatìm mansit in ecclesia Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ cognominatur Constantiniana, quæ prima in toto mundo constructa & stabilita est, à beatæ memoriæ Constantino Imperatore, & est iuxta episcopium. Illic enim morabatur cum suis die illa Sabbati quandò Caliopas, vt iam suprà dictum est, cum Rauennati exercitu & Theodoro cubiculario ciuitatem introiuit. Misit autem in obuiàm eius quosdam ex Clero, quibus in palatio susceptis, æstimauit & Papam cum illis adesse: cùm autem quæsîsset, & non inuenisset, dixit primis Cleri: Nos voluimus dominū Apostolicum adorare, sed cràs Dominica die obuij ei erimus, & salutabimus eum, quia hodiè non sufficimus. Porrò Dominico die datis Missarum solennijs in prędicta sancta Dei ecclesia, suspicatus est Exarchus turbam multam propter diem Dominicam conuenire, & ob hoc remandauit beato Martino, dicens: Quia multùm fatigati sumus ex itinere, & non possumus hodiè occurrere, cràs enim omnimodìs occurremus.

Ph.1. *Apoc.22.* *Sancta Maria virgo, à sanctis Patribus rectè Theotocos dicitur.* *Matth.24.* *2.Tim.4.* *Basilica Cōstātiniana à Cōstantino ædificata, omniū ecclesiarū orbis prima.* *Simulat Caliopas salutare velle, quem venetat vincire, Pōtificem.*

Cap.11.

Erat autem sanctus præsul tunc graui infirmitate detentus, ab Octobrio scilicet mense vsque ad tempus illud, id est, vsque ad sextumdecimum Calendas Iulij. Ergò feria secunda diluculò misit chartularium suum & quosdam ex obsequio suo ad Papam, dicens: Quia arma præparâsti, & armatos habes intùs, & multitudinem lapidum collegisti ad repugnandum, ideò non visum est nobis ad te venire, sed hoc necesse non habes, nec aliquid tale fieri permittas. Cumque hoc in præsentia præfecti audiret beatus Pontifex, necessarium magis non habuit qualiter nuncios super hac re certos redderet, quàm mitteret illos gyraturos per totum episcopium, & si lapidem vel arma sensissent, ipsi testimonium perhiberent. Cùm autem îssent, & nihil inuenissent, subintulit eis clàm * Exarchus, quòd nunquàm aliquandò aliter, sed semper per circumplectionem, & fallacem accusationem incederent aduersùm Pontificem, & infamis Olympij exarchi aduentum, cum armis potuisse eum repellere faterentur. Sanctus verò Domini agonotheta & Romanæ vrbis Archimandrita Martinus, ante altare ecclesiæ lectulum habebat, in quo post vigilias repausare solebat: & cùm debilia membra collocâsset, nondùm transacta media hora, eccè (proh nefas) exercitus irrumpens in ecclesiam loricati omnes, omnes tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus suos paratos vnà cum scutis suis, & facta sunt illic, quæ nec dicenda sunt, quia honestas non sinit.

Timet impius, vt ait Psalmista, vbi non est habendus timor. ** Locus mēdosus.* *Eccè prçcursores Caluinistarū nostri tēporis.*

Quem.

Quemadmodùm nanque in hyemali tempore vento valido flante, folia ex arboribus concussa cadunt: itá percutiebant in pauimentum, & audiebatur sonitus qui in eadem fiebat ecclesia, veluti tonitrus quidam horribilis, tam ex collisione armorum, quàm ex multitudine candelarum ab eis confractarum. Quibus cum fastu introeuntibus, iussio à Caliopa porrecta est Presbyteris & Diaconibus, in qua tanti præsulis continebatur abiectio: Et quia sibi sine lege Episcopatum subripuisset, nec dignus esset in Apostolicam sedem institui, sed omnimodis in regiam vrbem transmitti, subrogato in locum eius Episcopo. quod * vt dum aliquandò factum est, nec iure vnquam fieri habet, quia in absentia Pontificis Archidiaconus & Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant ipsius. Quòd autem vir Domini armauerit manum ad resistendum secundùm suspicionem falsorum hominũ, quandiù signifer voluitur à sancta Romana Ecclesia eius sanctitati testimonium perhibetur, potiùs illum velle deciès mori, quàm vnius hominis sanguinem in terram videre effundi. Eijcitur à sede sua sanctus Pontifex, Constantinopolim relegãdus. for. *nondũ

Eadem itaque hora beatus Pontifex, quasi agnus innocens dedit semetipsum ad exhibendum Imperatori, & non resistendum. Porrò acclamantibus illi quibusdam ex Clero, nè faceret hoc, nulli eorum aurem accommodauit, nè subitò fierent homicidia, sed illis, qui eum ducebant, dixit: Sinite mecum venire ex Clero qui necessarij mihi sunt, Episcopos videlicet, Presbyteros, & Diaconos, & absolutè qui mihi videntur. Respondit Caliopas: Quotquot voluerint venire cum bono veniant. nos cuique necessitatem non facimus. Respondit beatus Martinus Episcopus: Clerus in potestate mea est. Exclamantes autem quidam de sacerdotibus, dixerunt: Cum ipso viuimus, & cum ipso morimur. Post hæc cœpit dicere Caliopas, & qui cum ipso erant: Veni nobiscum ad palatium. & non recusauit beatus Episcopus, sed iuit cum eis in palatium. Eadem secunda feria & tertia venit ad eum omnis Clerus, & multi erant qui se parauerant ad nauigandum cum illo, qui etiam res suas iã immiserant in nauiculas, ex quibus onera ex litore in naues maiores, vel ex eis ad litus asportarent. & alij quoquè nonnulli præparabantur Clerici ac laici, qui festinabant venire ad eum. Cap. 12. Non vult resistere Imperatori vir Apostolicus. Clerus non vult ab eo diuelli.

Eadem ergò nocte quæ lucescebat in quartam feriam, quæ erat tertiodecimò Calendas Iulias, tulerunt illum de palatio, retrusis omnibus qui cum illo erant, & non nisi cum sex puerulis, & vno cancellulo eduxerunt eum de Vrbe. Et cùm immitterent eum in vnam nauiculam, quam leuamentum vocant, circa horam ferè quartam diei ad portum peruenerunt. In ea sanè hora qua egressi sunt ab vrbe Roma, statim obserauerunt portas vt antea erant, & sic remanserunt, nè exirent aliqui de ciuitate post illum. Vndè contigit, vt res, quæ in leuamento erant, eorum, qui cum beato viro nauigare voluerant, in portu dimitterentur, & mox eadem die mouerunt, & peruenerunt Calendas Iulij Messinam ciuitatem. Non autem Messinæ tantùm, quæ in Calabria est, quæ subdita est magnæ vrbi Romanorum, impediêrunt beatum Episcopum, sed in alijs insularum ciuitatibus sine humano solatio tribus mensibus eum retinuerunt, nullam compasitionem adipiscens, excepto in insula Naxia. Quoniam verò ibi annum integrum fecit, meruit lauari tribus balneis, & in vrbe mansit in hospitio quodam. Posteà verò non meruit calida nec frigida aqua derigari, & effluxit, & refriguit toto corpore, quoniam ventris infirmitas & in naui & in terra requiem illi non dedit, intantùm, vt ea quæ necessaria ad confortandam naturam erant percipere minimè valuisset: quia quandò habuit, tæduit: quandò autem non habuit, in fastidio fuit. Sed beatus Episcopus in tali angustia positus, quasi semetipsum consolando, & inimicis dolendo, in hæc verba prorupit: Credo in virtutem Dei, qui omnia conspicit, qnia cùm de præsenti seculo subductus fuero, requirentur hæc omnia de his qui me persequuntur, & saltem ad pœnitentiam sic ducti ab iniquitate sua conuertentur. Cap. 13. Excludit Clerum tyrannus, nè sanctum virum comitetur. Multa aduersa patitur vir sanctus.

Scribere decreui afflictionum mœrores, & lachrymas, communemque vocem, quę mœstissima ex imo cordis prolata est. Puto aũt quia & profertur ab his qui sunt Romæ in conspectu diuinitatis. Adhuc aũt & in omni loco dominationis eius degentibus sanctis & fidelibus, ex quo facta est persecutio aduersùs sanctissimum Patrem nostrũ, Deo beatissimum Martinum & fidelẽ sacerdotũ principẽ, & Apostolicum vniuersalem Papã, ac per hoc aduersùs catholicã Ecclesiã. Credo autem hunc eundem mœrorẽ hactenùs retineri in vobis, & multã solicitudinem habere scire Cap. 14.

cupientibus, quomodò peractum est contra eum, quandò exulatus est, & persecutione pulsus à Roma nauigio vsque Byzantium. Hæc in mente habens, humilis ego famulus vester, quædã quidem exteriùs solicitudine multa addiscens, plurimorum propriè contemplator factus, iudicaui literis reminisci, & nota facere, claraq; constituere omnibus Christi amatoribus, & zelum culturæ diuinæ habentibus: quatenùs cognoscẽtes, cum cordis mœstitudine mecum illum propheticum sermonem proferant: Quis dabit capit meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte contritionem catholicæ Ecclesiæ & omniũ Christianorum, propter ea quæ acta sunt in beatum & Deo plenum ducem veritatis & prædicatorem? Veruntamen gloria Deo, qui dedit ei virtutem, & sufferentiam stabilẽ in tentationibus, quæ superuenerunt illi à contrarijs virtutibus, & vires in expugnando & viriliter dimicando pro cultu Dei irrefragabiliter, & spe firma, ponens animam suam vsque ad mortem, vt potens imitator eius qui eum constituit athletam, ad informationem pro veritate dimicandam.

Qui hęc scripsit, fuit comes sanctissimi Pontificis Martini. Hiere. 9.

Cap. 15. Videns ergò vir venerandus, vt iam prælibatum superiùs est, gladios acutos, & consertos adinuicèm, tentos à pluribus militibus, paratum habẽtibus eximere enses & priuare vita beatum Episcopum, in circuitu altaris assistere & in toto templo catholicæ Ecclesiæ Romanæ quæ cognominatur Constantiniana, in qua sacerdotio fungens recubabat, ingrauatus inualetudine beatus æger, contritus animis, & artubus constrictus, impulsus & expulsus, raptus & extractus ex Apostolico throno, in quo eum Deus constituit loco suî inspectorem, Apostolum, & prædicatorem orthodoxæ veritatis, sed ipse non fecit animam suam preciosiorem se, sed posuit eam vsque ad mortem, imitans, sicut dictum est, Dominum suum dicentem: Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis, quo saluaret vbiquè errantem & perditam plebẽ ab insurgentibus temporibus illis hæreticis. Traditur igitur Romæ de catholica Ecclesia beati Ioãnis à potentibus seculi huius, his qui in hoc erãt ministerio dignissimis, atque à custodibus depositus est ad portum, & coniectus est in lembum. Et nauigantibus quantocyùs, euntibusque cum auiditate in insula quæ vocatur Naxon, non * cesserunt illi beato & Apostolico viro penitùs custodes contingere terram, dolentibus prorsùs pedibus eius, cùm ipsi per loca conferrent, & omninò quiescerent. Hi autem qui per loca erant sacerdotes & cæteri fideles regionis ipsius, dirigebant beato Episcopo munera non paruæ quantitatis, causa videlicet eius vtilitatis. Quas quidem directas species & quantitates, custodes bestiales continuò coram eo diripiebant, improperiosa & amara plurima ingerentes contra eum: eos autem qui munuscula detulissent, iniurijs & verberibus afficiebant, dicentes ad eos: Quicunque vestrûm diligit istum, inimicus est Reipublicæ. Nunquidnam ei hoc solùm non valebat inferre dolorem incomparabilem, super infirmitatem quæ illum valdè deprimebat? Exindè igitur custodes, qui retinebant eum, præmittentes nuncium ab insula Naxon in Byzantium, aduentum & captionem eius nunciauerunt, proferentes aduersùs eum plurima mala, proclamantes illum hæreticum, & * rebellem, Deique aduersarium, & subuertentem vniuersam terram Romanorum.

Non timet vir sanctus animam suam pro ouibus ponere. Iohan. 10.

f. * concesserunt

Impij custodes eũ omnibus bonis spoliant: & offerentes ei munera, iniurijs afficiunt.

Accusãt eũ hæreseos & rebellionis viri scelerati.

Cap. 16. Cumque tandèm peruenisset beatus Martinus Byzantium septimodecimo die mensis Septẽbris, in portu Euphemiæ iuxta Archadiam, non permittebãt illi ministri recubare in grabato nauis, à manè vsque in horam decimam, eratque spectaculum omnibus & angelis & hominibus. Accedebant enim varij homines, quos propter ferales mores dixerim lupaces, & talia fecerunt contra sanctum Papam, qualia à Christianis dici non oportet. Videres nanque miserabiliter sanctum virum ità deiectum, atque despectum, vt etiam ethnici multas illi blasphemias inferrent, nihil aliud quærentes nisi vt auferrent animam eius. Dehinc circa solis occasum venit quidam scriba nomine Sagoleba cum multis excubitoribus, & auferentes beatum virum de lembo, posuerunt in gestorio, duxeruntque in custodiam excubitorij, quæ cognominatur Prandiaria, & fecit illum scriba includi sub multa custodia, præcipiens vt nullus penitùs de ciuitate sciret quòd in eodem esset excubitu. Mansit igitur idem Apostolicus sanctus in illa custodia nonaginta tres dies sine participatione alicuius sermonis. In ipsa verò nonagesimatertia die, quæ est dies Parasceue, manè tulerunt illum de custodia, constituendum in cella sacellarij, iubentes pridiè conuenire omnem senatum, quod

Multa patitur ab aduersarijs fidei opprobria vir Apostolicus.

Recluditur in custodia Prandiaria.

quod & factum est. Iusserunt autem illum introduci, & introduxerūt eum in sella portatoria, erat enim penitùs æger, præcipuè autem illis diebus præ nauigatione, & afflictione custodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus qui præsidebat sacellarius cum reliquis principibus à longè, iussit eum surgere à * ferculo & adstare. Agentibus quibusdam ministrorum non valere eum stare, turbatus præ multa ira sacellarius exclamauit, & quidam de custodia cum illo, surgere eum debere & adstare * sensuræ subnixum. Vir autem Domini surrexit, & stetit in medio. Sacellarius autem inquit ad eum: Dic miser, quid tibi mali fecerit Imperator, tulit à te aliquid, aut oppressit te ibì? Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum sacellarius: Imperatoriæ voci non respondes? eccè nunc ingredientur accusatores tui. Et continuò introducti sunt multi accusatorum contra eum. omnes autem erant mendacij filij, & discipuli eorum, qui Dominum nostrum Iesum Christum negauerunt: contradicebant verò sancto viro quemadmodùm præmoniti fuerant. erant enim voces eorum præmeditatæ & præparatæ. Quibusdam verò interrogatis de sancto viro, profitebantur de illo se nihil mali scire: & continuò turbati qui prætendebant * certamen, incipiebant validis minis increpare eos, donèc suaderent eis proferre quæ erant conuenientia in mortem beati viri & iusti Martini.

*hoc est, sella illa gestatoria.
Sistitur ad tribunal sacellarij & senatûs.
for.* censuræ
Falsò accusatur à mendacij filijs.
f. * examen

Contemplatus ergò sanctus Papa introeuntes testificari, subridens, dixit: Isti sunt testes? erant enim primi ingredientes nomine quidem melliti, lupaces autem & bestiales sententia, & quidam eorum qui erant Olympij, cum quibus erat & Andreas qui fuit eius, notarius. Erant autem inter accusatores infelices Imerites, & Therinus, & reliqui numero quasì viginti. Iurabant autem super textum sancti Euangelij, & sic testificabātur. Erat aūt primicerius Dorotheus nomine patricius Siciliæ inter illos, qui iurās dixit: Si quinquaginta capita haberet homo iste, nō oporteret illū viuere, eo quòd solus subuertit & perdidit vniuersum Occidentē & deleuit. Et re vera vnius cōsilij cum Olympio fuit, & inimicus & homicida Imperatoris & Romanæ vrbanitatis. Vidēs ergò iustus vir introeuntes eos, & iurantes sine parcitate testificatores, cōpassus perditioni animarū eorum, ait ad eos qui præsidebant principes: Obsecro vos per Dominum, nolite præparare eos iurare, sed absque sacramento dicant quæcunque volunt: vosque facite quæcūque vultis. Et quid opus est etiam iurando perdere illos animas suas? Ingresso equidem vno testium & dicente, quoniam coniurationes fecit cum Olympio, & milites præparauit vt iuuarent: interrogatus Deo preciosus vir, si hæc ità se haberent, respondit: Si vultis audire veritatem, dico vobis sequentia. & cœpit dicere: Quandò factus est typus & directus est Romam ab Imperatore. Et hoc tantùm dicente beato Episcopo, aliud quid non concessum est illi loqui: sed continuò ante omnes incipiens Troilus inquit: Non inferas nobis hìc de fide, de duello nanque nunc scrutaris, quoniam & Romani, & nos Christiani sumus. Et respondit illi verus Ecclesiæ pastor Martinus: Vtinàm, inquit, inueniatis me in illa die tremendi examinis, testem etiam in hoc. Denuò inter accusantes ait ad eum præfectus Troilus: Qualis homo es tu? quoniam audiens & cernens talia contra Imperatorem nitentem effodiendum Olympium, non prohibuisti eum, sed consensisti ei? Ad quem continuò respondit ipse beatus Apostolicus Papa: Dic Troile, quandò, sicut scitis etiam vos & nos audiuimus, Georgius, qui erat ex monachis vrbis huius, à magistratu missus ingressus est vrbem à castris, & talia verba loquutus est, fecitque res tales, vbì eras tu, & qui sunt tecum, * quoniam non restitisti ei, sed econtrà concionatus est vobis, & quos voluit, palatij exulauit? Iterumque sub Valentino cùm præcepto Imperatoris indutus est purpura, & consedit ei, quo eratis & vos? non eratis hìc? Cur ergò tunc non prohibuistis eum, dicentes: Nè attingas res non opportunas tibi? nónne omnes econtrà * conuenistis ei? quomodò habebam ego tali viro aduersùs stare, habenti præcipuè brachium vniuersæ militiæ Italicæ, an potiùs ego illum feci Exarchum? Veruntamen obsecro vos per Dominum, quodcuncunque vultis & diffinietis in me fieri, citiùs explete. Nouit enim Deus, maxima dona tribuitis, quacunque me clade iugulaueritis.

Cap. 17.
Eccè quot accusatoribus obruitur vir iustissimus.
Nō permittit verus animarum pastor, vt periurio animas suas perdant.
Interrumpitur eius sermo nè se excuset.
f. * quomodo
* cōuenistis
Reddit rationem cur Olympio non restiterit.

Percontatus autem sacellarius quendam de ministrantibus Sagolebæ scribæ, si sunt foris alij aliqui qui testificari debeant, respondit: Sunt domine plurimi alij. Deficientes autem hi qui præsidebant, sancto & venerabili viro adstante in con-

Cap. 18.

conspectu eorum,& potissimùm spiritu sancto eum confirmante,dixerunt sufficere testes.Erat quippè interpres eorum quæ à sancto viro dicenda erāt, vel dicebantur,verborum Innocentius consul,filius Thomæ, qui erat ab Africa. & cùm interpretaretur ea quæ à beato viro dicebantur,non ferens sacellarius,videns ignita iacula sancti spiritûs à Deo honorabili viro contra eos prolata, ait ad Innocentium cum furore: Cur nobis interpretaris quæ dicit? noli dicere quæ dicit. Surgens ergò continuò sacellarius cum plurimis qui consederant ei, ingressus est nunciare Imperatori quæque ipse voluit. Eduxerunt autem sanctum Apostolicum virum de cella iudicij, magìs autem ex aula Caiphæ,in gestatorio sedili sedentem,& statuerunt eum in medio atrij, quod erat ante cellam sacellarij & Imperialis stabuli,quo consueuerant omnis populus conuenire,& expectare sacellarij ingressum. Circundederūt eum excubitores,eratque omnibus spectaculum formidabibile turbis.Post paululùm ergò iusserunt inferri eum in solario dispositionis,vt esset ibì,quatenùs prospiceret Imperator per cācellos reclinij sui ea quę futura erant fieri. erat itaque multitudo populorum vsque ad hyppodromum conferta conuenientium illuc.

Innocentius consul, sancti Martini apud senatum interpres.

Exhibetur vir sanctus populo illudendus.

Cap.19.

Statuerunt ergò reuerendissimum virum in medio solarij dispositionis in præsentia totius senatûs subnixum hinc & indè. Facta est ergò constipatio subitò non minima, & exiens ab Imperatore sacellarius,apertis ianuis triclinij in solarium diuidi populum iussit.Veniensque ad sanctum ac venerabilem virum Martinū Apostolicum,dixit ad eum: Vide quomodò te Deus adduxit & tradidit in manus nostras: Tu nitebaris contra Imperatorem. Quid tibi spei erat? eccè dereliquisti dominum,& dereliquit te Deus.Et continuò vocans sacellarius quendam adstātium excubitorum tonsorem,pręcepit,sine mora illi auferre psachmon summi & Apostolici viri,atque præcipui pastoris omniū Christianorū,qui orthodoxā sanctorum patrum & Synodorū confessionē,hoc est fidem confirmauit, & noui erroris exortos authores, videlicet nouos hæreticos,cum impijs dogmatibus eorum canonicè & synodicè anathematizauit. Cùm ergò excubitor incidisset psachmon beati viri, & corrigiam compagiorum eius,statìm tradidit eum sacellarius præfecto vrbis,dicens: Tolle hunc domine præfecte,& continuò membratim incide illum. Cum his autem omnibus iussit adstantibus anathematizare eum.quòd & fecerunt.Non responderūt autem huiuscemodi voci viginti virorum animæ, sed omnes qui hoc videbant,& sciebant,quia Deus est in cælo conspector eorum quæ fiebant, submisso vultu cum magna mœstitudine recedebant.

Eccè, qua contumelia vir sanctus afficiatur ab impio sacellario.

Anathematizatur vir iustus ab impijs.

Cap.20.

Suscipientes ergò carnifices beatum Episcopum,exuerunt illum pallio sacerdotalis stolæ,& scindentes alas tunicæ eius quę erat interiùs à summo vsque deorsùm, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam eius ceruicem,& per omne corpus traxerunt eum cum vi,& non concesserunt ei penitùs alicubì residere & animam refocillare.Duxerunt autem illum à palatio,publicantes & dehonestantes per medium ciuitatis vsque ad prætorium, & gladius coram eo. Erat autem viro beato dolor magnus,& inenarrabilis: oppidò enim erat fessus,& infirmus prę tantis incommodis,futurus reddere animam à pressura nimiarum passionum,& tenuitate corporis.Attamen gaudens spe confortabatur in Domino,in quo habuit fiduciā æternæ consolationis & prẹmium tanti pro veritate laboris.Et quo magìs afflictione & vi trahebatur,eo magìs sereno obtuitu ductus, cum multa animi constantia iustus cum vno solūmodò indumento à summo disciſſo in duas partes, & sine cinctorio incedebat vir tantus, fide & gratia Domini cinctus. Heu, proh dolor,cerneres virum Deo plenū tanto opprobrio subiectū,vt interiora eius quodāmodò nuda panderentur. Multifariè quidē contentiones populorū agebātur propter sanctum virum,alij gemebant,& mœrore confecti lachrymabantur: aliqui autem ministrorum satanæ gaudebant,& subsannabant. & sicut scriptum est, transeuntes mouebant capita sua, & dicebant: Vbi est Deus eius? & vbi fides eius,& doctrina ipsius? Cumque venisset sanctus Domini in prętorium dehonestatus,& a carnificibus vinculatus,proiecerunt eum in ima carceris cum homicidis,& trāsacta quasi vna * tulerunt eum indè,& transposuerunt illū in custodia Diomedis in prętorio pręfecti. Tanta autem instantia & vi trahebant illū vinculis nexum,vt dilaniarentur crura & poplites eius, & sanguis preciosus flueret per assensum scalæ eiusdem custodiæ. erant enim gradus scopulosi & asperi valdè, ac penitùs in altum porrecti. Erat

Vincula in eius sancta ceruicem conijciūtur, & grauiter torquetur.

Maxima contumelia & opprobrio afficitūr.

Matt.27. Deut.32.

Detruditur in teterrimum carcerem associatus latronibus.

Erat autem beatus Episcopus iamtunc morti proximus, supplicijs anima deficiente. Introducentes ergò quomodocunquè in custodiam sanctũ virum decidentem sæpiùs & surgentem, posuerunt in scamno indutum ferro & càtenis.

Postquàm enim traditus est præfecto à sacellario vt cruciaretur, continuò carnifices exuerunt eum vestimentis suis, grauiter enim algoribus vexabatur. quia intolerabilis hyems erat. imposuerunt autem ei grauissima pondera ferri, & nullus ei aderat de suis excepto vno clerico adolescente. Qui commanens ei in custodia, & superstans lamentabatur magistrum, sicutì Petrus Dominum. Erat autem magister custodiæ coniunctus beato Episcopo, quia sic erat mos, vt futurus pati per gladium conuinciretur magistro custodiæ illa nocte: erant autem ibi duæ mulieres mater & filia deuotæ valdè, prænominatæ custodiæ claues tenentes, quæque adspicientes importabilem dolorem sanctissimi patris, qui inter tot pœnarum genera quæ aderant, ardore quatiebatur dirissimo: motæ compassionibus, quærebant aliquam misericordiam facere cum illo, & contegere eum volebant mater cum filia, sed non audebant propter vinctum & custodientem carnificem. Putabant enim actutùm venturam censuram vt trucidaretur. Post quasdam verò horas quidam ex ordine militari vocabant ab imo magistrum vigiliæ carceralis. Descendente eo, vna mulierum ergasturiorum illorum pietatis viscere ducta, accedens, amplectensque bellatorem Christi, & Apostolicum patrem, portansque reclinauit eum in prædiolo suo contegens vtiliter, & inuoluens. Mansit autem vsque ad vesperum sine voce. Vespere autem facto misit ad eum Gregorius præfectus eunuchus ex cubicularijs maiorem domûs suæ cum paucis cibarijs, & refecit eum, dicens: Nè deficias in tribulationibus, confidimus in Deum, non morieris. In quo magis aggrauatus ille beatus ingemuit. Abstulerunt autem continuò ferrea vincula ab eo.

Cap. 21. Multo frigore & vinculorũ pondere in carcere cruciatur.

Sãctus Dei, carceris squallore inter mortuus à quadã matrona contegitur & humanissimè tractatur.

Sequenti autem die abiens Imperator in patriarchium visendi gratia Paulum Patriarcham, proximus enim erat morti, narrauitque ei quæ consummata erant in sanctissimum Papam. Ingemiscẽs verò Paulus & conuersus ad parietem, dixit: Hei mihi, & hoc ad abundantiam iudiciorum meorum actum est. Percontatus ergò ab Imperatore, quarè hoc dixerit, respondit: Nunquidnam domine non est miserabile talia pati Pontifices? Tunc attentiùs adiurauit Imperatorem, sufficere ei in his quæ passus est, & nihil ampliùs sustinere. Hoc autem beatus Papa Martinus, & quia non suscepit quod expectauit, non gratum habuit tale promissum: sed penitùs mœstus effectus, festinabat enim implere bonum certamen, & peruenire ad eum quem desiderabat. Sed quid morer? post dies octo defuncto Paulo dirigitur ab Imperatore ad magnanimum Papam Martinum, qui fuit in custodia Diomedis: legatus autem fuit Demosthenes rescriptor & collaborator sacellarij, & Libelthisius cum eo. Intrantes verò dixerunt ad eum: Dominator noster eximius Imperator misit nos ad te, dicens: Eccè in quanta gloria existens, in qualem ordinem teipsum duxisti? Nemo tibi fecit hoc, sed tuipse tibimet ipsi. Ipse autem nullum aliud responsum dedit nisi solùm hoc: Gloria, gratiarum actio per omnia soli immortali Regi. Dicit ad eum Demosthenes rescriptor: Significauit tibi Imperator ista, dic nobis ea quæ à Pyrrho hìc & Romæ subsequenter, gesta sunt. Pro qua causa abijt Romam, iussus, an proprio proposito? Respondens sanctus Papa dixit: Proprio proposito. Ait Demosthenes: Libellum illum quomodò fecit? compellente aliquo? Respõdit sanctus vir: Nemine compellente, sed propria propositione. Demosthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam quomodò eum suscepit sanctus vir Theodorus prædecessor tuus? Dixit æquanimus Papa: Vti Episcopũ decuit, & quomodò nanque priusquàm veniret Pyrrhus Romã manifestè scripsit beatus Theodorus ad Paulum, vtpotè ad eum qui supplantationem fecit, & alterius thronum inuasit? deindè autem veniẽte eodem Pyrrho Romam sponte sua ad vestigia beati Petri, quomodò non haberet eum suscipere prędecessor meus Papa Theodorus, vtpotè Episcopum? Respondens, Demosthenes dixit: Verè veritas sic se habet. Vndè autem sumebat ea quæ ad vsum sui corporis erant necessaria? Dixit beatus Martinus: Manifestè de Patriarchio Romano. Ait cõcertator: Qualis panis dabatur ei? Respondit beatus Martinus: Et vos nescitis Ecclesiam Romanam? dico enim quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad vsum præbentur ei, & nullum immunem suis donis sanctus Petrus repellit illuc venientium, sed panis mun-

Cap. 22. Vermis cõscientię mordet cor Pauli Patriarchæ Cõstantinopolitani.

Dolet Martinus Pontifex, se martyrij expectatione frustrari.

Dicit rationem Pontifex, quomodò Pyrrhus sua sponte Romam venerit.

Sedis Apostolicæ hospitalitas.

mundissimus,& vina diuersa dantur ei,nō solùm autem illi,sed & hominibus eius. Si ergò in pauperibus ista fiunt, qui venit etiam honorabilis, sicut Episcopus, qualem sumptum habet suscipere? Dicit ad eum Demosthenes:Dicimus nos sicut & audiuimus,quia Pyrrhus vi fecit libellū Romæ, & quia lignea vincula sustinuit, & multa dolenda passus est,& in armario reclusus fuit.Respōdit sanctus Martinus, & dixit:Nihil tale factum est: nam nisi quia formidine aliqui tenentur,& non possunt loqui veritatem, hîc sunt Constantinopoli plurimi,qui tunc erant Romæ,& sciunt quæ ibi gesta sunt: ex quibus interim superest Plato patricius,qui tunc exarchus erat,quique direxit tunc homines suos ad Pyrrhum Romam: percontamini eum de his, si mentior. Veruntamen quid volumus plurima quærere? eccè in manibus vestris retinetis me,quodcunque vultis in me consummate.Deo indulgente in vestra est potestate. vtiquè si mēbratim inciditis carnes meas, sicutì præfecto iussistis,cùm me illi traderetis,non communico Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Eccè hîc sum,exanimate me,& tentate,& inuenietis experimento gratiam Dei & fidelium seruorum eius.

Eccè quomodò vir sanctus iussus fuerat mēbratim incidi.

Cap.23.

Interim Pyrrus in medium venit,qui totiès anathematizatus est, & nudatus honore diuino. Stupefactus autem Demosthenes rescriptor, & admirans super constantia atque audacia beatissimi Papæ Martini pro Christo velle voluntariè mori: quia ad hoc positus erat calix passionis, accepto libellario seriatìm omnia quæ à beato Papa dicta erant,scribentes, recesserunt. Fecit autem athleta Christi Martinus in eodem Diomedis ergastulo octogintaquinque dies,post primos nonagínta tres,hoc est; omnes simul centum septuaginta quinque.His transactis, venit Sagoleba scriba dicens ad beatum Episcopum:Iussum est mihi auferre te hinc,& ducere in domum meam, & post duos dies dirigere te quò iusserit sacellarius. Interrogauit autem beatus Martinus quò ducendus esset, & in quem locum, sed ille noluit ei dicere.Rogabat autem eum,vt sineretur in eadem custodia,quousquè exularetur,& ad horam auferretur de custodia: nec hoc concessum est ei. Circa occasum verò solis venerabilis Papa Martinus dixit his qui erant in ergastulo: Accedite fratres,valefaciamus,quia eccè nunc aderit,qui auferet me hinc. Et hæc dicente eo,biberunt singuli charitatis causa calicem. Exurgens vir venerandus cum multa constantia atque gratiarum actione dixit ad vnum occurrentium dilectū sibi,qui erat ibi:Veni domine frater,da mihi pacem.Erant quippè in illa hora pręcordia fratris illius, vt existimo,sicut discipuli illius qui vidit Dominum in cruce pendentem. Cumque osculum præberet sanctissimo Papę,præ nimia charitatis abundantia copiosissimè inter se lachrymas fuderunt.Omnes verò qui aderant lamentum terribile faciebant. Anxiatus in hoc vir Domini Martinus, sereno vultu flagitabat omnes nè hoc facerent. & impositis venerabilibus manibus suis super ceruicem fratris illius,subridens,ait:Bona sunt hæc domine frater,hæc sunt opportuna,& te nō oportet flere,sed magìs gaudere super me. Ad quem ilicò cum cordis contritione frater ille pius respondit: Deus nouit famule Christi, lætor in gloria, quia dignatus est Christus Deus noster propter nomen suum sanctum,hæc te omnia pati: sed lamentor omnium perditionem. Salutantes ergò eum,omnes recesserunt:veniens autem continuò scriba,& auferens eum,intulit in domum suam.Dictum est ergò quia in Chersonam insulam exulatur.

Ducitur de custodia ad custodiam, more Christi ab Anna ad Caiphā.

Valedicit suis cum lachrymis in Chersonam insulam relegandus.

Cap.24.

Post paucos autem dies ipse sanctissimus & Apostolicus vir,transuectus est nauigio clàm in præfatam insulam. Ibi quippè sicut Ioannes Apostolus in insula Pathmos,omni humano solatio destitutus,diuinæ contēplationis & angelicæ visitationis consolatione,meruit crebrò releuari.Ieiunijs quippè & orationibus semper intentus,egit bonus Ecclesiæ vniuersalis pastor & fidelis dispensator & prudens,vt nec ouibus absens deesset,nec hæreticis pateret victoria falsitatis. Curauit quippè pastor pius,qui animalia Domini veritatis pabulo saginare solitus erat,nè fame fidei attenuata,mortis æternæ dispendium subirent, & antiqui deuoratoris fauces intrarent.Gaudebant quippè inimici veritatis,quasi iam mater Ecclesia tanto præsule exulante finem habitura esset rectè credendi. Sed cùm vir beatissimus Martinus fide & deuotione Iesu Christi Domini nostri stigmata in corpore suo gestaret, per dies plurimos * impertæsus præ nimia inopiæ pressura,virium mœrore iam totus tabesceret, & effœti corporis flacciditatem spiritu agonizante,natura autem compellente præsentisceret,per Epithomum Romanæ valefecit Ecclesiæ,mādans fide-

Mittitur Chersonam exulatum.
Apoc.1.
Multis virtutibus vacat.
Cura eius de salute ouium.
Galat.6.
* id est, valde tædio affectus.

fideliter & præsentis vitæ valida quæ pro statu & integritate eius perpetiebatur, iam infortunia,& vt se à peste hæretica per omnia caueret apostasiæ commenta.

Postquàm autem vir Deo charus & cęlicis amicus ciuibus iam omniũ dolorum cumulamenta expertus est,id est confusionem expulsionis, scandalum falsitatis, squalliditatem protractiorem carceris, discissionem sacerdotalis infulationis, inediæ acrimoniam, nuditatis contumeliam, improborum multicolorem blasphemiam,exilij solitudinem, soliti honoris effugacissimam absentiam,& multa alia quæ piget enarrare, percursoque iam viriliter agonis fidei stadio, totis ad cælũ extensus conatibus puris luminibus compellare cœpit Dominum,dicens: Domine Iesu Christe pastor fidelium æterne,tu scis quæ pro te,& propter fidem inenarrabilis nominis tui vsque in horam hanc perpessus sum,nè permittas me ampliùs elongari abs te.Si autem me volueris carne exarcinari, & peruenire ad te, oues tuas, quas mihi ad prouidendum commisisti, de quibus admodùm suspensus sum, cuinam cõmendo,tu Rex clementissime,qui tui preciosi sanguinis aspersione de manibus inimici eas dignatus es emancipare, per gloriosa merita præcipui Apostoli tui Petri Domini & magistri mei, ab omni semper diabolica incursione tui eas clypei * nomine misericorditer defendere dignare. Sicque preciosus Christi confessor,martyrque probatissimus Martinus,vmbone veræ fidei circundatus,inexpugnabili lacerto,omnem antiqui peccatoris armaturam deuicit: & ipse vt miles inuictissimus æterni Regis castris verę reportauit vexillum victoriæ.

Cap.25. Catalogus dolorũ passionis eius. Oratio eius sub mortẽ. *munimine

Et re vera bonũ certamen certauit,gloriosissimè cursum consummauit, fidem Deo deuotus seruauit, ad vltimum reddita est ei corona iustitiæ,quandò de manu Domini brauium est assequutus felicitatis æternæ.Migrauit autem beatissimus Papa Martinus,martyrq; Christi præcelsus,de præsentis vitæ angustijs ad Dominum, die * sexta decima mensis Nouembris, fide & spiritu sancto plenus,& angelorum manibus lætus deportatus est Abrahæ sinibus. Positus est autem in tumulis sanctorum Chersonitarum ciuitatis extra murum quasi stadio vno,charus & dignus Deo, & preciosissimis odoramentis sepultus est,angelicis canentibus choris,atque hunc hymnum alternantibus: Beatus quẽ elegisti & assumpsisti Domine. Est autem gloriosum eius sepulcrũ: vbi pro sanctitatis eius magnitudine tumulatus est in monasterio perpetuæ virginis Mariæ matris Domini nostri Iesu Christi, quod magnifico constat decore ornatum. Ibi quippè eius inclyta merita ex tunc,& nunc,& quandiù cælum voluetur,cælestium beneficiorum euidentissima declarãt indicia. Quia vt verum fatear,omnia humanorum corporum incommoda ibi frequenter inueniunt optatæ salutis certissima medicamenta. Aegri diuersi infirmitatis pristinam adipiscuntur sospitatem, cæci illuminantur, paralytici agglutinantur, surdi auditum,muti se gaudent percipere loquelam, arreptitij & energumeni promerentur à maligno mansore liberari,nullusque miser inuenitur, quem de suo mausoleo mœstum redire patiatur.Cuius nos precibus gloriosis Christus Deus ac Dominus noster,qui eum elegit,assumpsit,& in perpetui paradisi delicijs cum cæligenis collocauit, corroboret nos in veræ fidei soliditate,quam ille ad liquidũ intellexit,constantissima assertione docuit,&pro qua ad mortem vsque certauit,vt mereamur pręmium consequi quod promisit:Qui cum Deo patre & spiritu sancto viuit,& gloriatur Deus,per omnia secula seculorum,Amen.

Cap.26. 2.Tim.4. Felix obitus eius apud Chersonam Lyciæ. *for.12. Sepultura eius. Psal.64. Miracula ad sepulcrũ eius.

VITA SANCTI CVNIBERTI EPISCOPI COLONIENSIS ET CONFESSORIS, VT HABETVR IN ANtiquis manuscriptis exemplaribus. *Authoris nomen incertum est, sed historia fidem meretur.*



GLORIOSAM sancti Cuniberti memoriam pijs venerari affectibus, & magnis frequenter extollere laudibus, cùm decentissimum, tum saluberrimũ esse,nemo ferè qui nesciat.De luminaribus illis maximis erat,quę super candelabrum posita, per totam mundi latitudinem circunferebant ignem, quem ipsa veritas & lux mundi Christus Iesus, in terram mittere venerat. Hic adhuc puer,sinistrum ramum Pythagoricę literę,priùs omninò per animi virtutem satagebat effugere, quàm ad eiusdem biuium per ætatem corporis posset ascendere.

Nouẽb.12. Cap.1. Luc.12.

Crallo pater S. Cuniberti tradit eum Dagoberto regi.

Sancta eius pueritia.

dere. Nam dum pater eius, Crallo nomine, clarus prouinciæ Mosellēsis indigena, puerum elegantem, etiam in primis infantiæ rudimentis aptum virtutibus, Dagoberto magno Francorum Regi nutriendum simul & prouehendum, illectus familiaritate regia, commendâsset, ipse mirum in modum non tantùm ab illicitis omnibus, vt id ætatis puero natura præualuit: verumetiam multotiès à licitis quibuslibet, vitam liberam, & quasi solitariam duxit, imitatus videlicet maternæ pietatis ingenium, quod ab ipsis cunabulis simul cum infantiæ lacte sedulò potare consueuerat. Hæc igitur omnipotētis Dei famula, nomine Regina, sic maritali deseruiebat arbitrio, vt se tamen corde fidelissimo totam Christi manciparet imperio, non discrepans ab illo religiosissimo beatæ Annæ vel voto, vel proposito, de qua post impetratum à Domino, & promissum eundem Domino filium, veridica scripturæ voce dicitur, quia vultus eius non sit ampliùs in diuersa mutatus. Quia enim infixum in cœpta religione, vsque ad finē cursûs debiti, etiam inter ipsa matrimonij iura seruabat animum, rectè dicitur, quòd non in diuersa mutauerit vultum. In diuersum enim declinat, qui de viæ, id est, veritatis rectitudine in quodlibet latus exorbitat. Hinc de vaccis quoquè, arcam Domini plaustro nouo superpositam ducentibus, & propter clausos domi vitulos suos materno affectu gementibus, legitur: Ibant vaccæ in directum per viam, & non declinabant ad dexterā, neque ad sinistram, sicut per Ezechielem de sanctis animalibus dicitur: Vnumquodque ante faciē suam gradiebatur: non reuertebantur, cùm incederēt. Quod ipsum de se apertiùs prædicator egregius: Quæ retrò, inquit, oblitus, & ad ea quæ antè sunt, extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis in Christo.

Reginæ matris eius pietas.

1.Reg.1.

1.Reg.6.

Ezech.1.

Philip.3.

Cap.2.

Hoc itaque modo beati Cuniberti mater, fixum in amore Dei animum supernis adhærere desiderijs fecit, & edocta per spiritum, æquo iustitiæ libramine sua cuique dedit, mundo vtriquè satisfaciens per necessariam dispensationem, creatori suo placens per promptissimam cordis deuotionem: Pignus tamen sibi dulcissimum magìs deputat Ecclesiasticæ religionis officio, quàm terreni Regis obsequio. De cuius vita & studio, non est opùs interim plura reuoluere. Quid enim egerit, quóve studio erga cultum Dei desudauerit, testatur populus ciuium Mosellensium, qui & corpus eius venerabiliter in ecclesia conditum seruat, eiusdemque patrocinia semper expetendo, & sæpè promerendo frequentat.

Cap.3.

1.Pet.2.

Matt.18.

Puer autem Deo deditus, in regali palatio scholæ virtutum vigilabat, & subiectus Regi quasì præcellenti, Dominum timebat, Regem honorificabat, ac se spontanea necessitate constringens, vt quo difficiliùs laborandum esse videret in deputato sibi opere, eo delectabiliùs & efficaciùs illud præ cæteris suis coæmulis festinaret arripere. Lux enim in illo diuinæ pietatis emicuit, & velut aduocatum atque statutum in medio paruulum, Euangelicum exemplum, immò delectabile spectaculum, omnibus dedit. Erat nanque mansuetus & patiens, ac in omni honestate, vtilitate & probitate docilis, gloria quidem, non tamen inani & ventosa, excitatus ad obedientiæ studia. Nam magistra & gubernatrix hoc intùs egit gratia, vt foris in edocendo ad imposita ministeria puero non laboraret præceptoris instantia: iamque capacissimum inhabitantis Dei vasculum, plùs etiam sibi studio humilitatis assumebat, quàm vel magisterio vel exemplo didicerat. Nanque non contentus regi solummodò & maioribus iuxta personæ suæ congruentiam, deseruire, in tantam sæpè vilitatem semetipsum detrudere conabatur, vt etiam seruorum vice calceamenta detrahere soleret, atque mundare: dupla nimirùm simplicitate Deo acceptabilis, cui illum & puerilis ætatis naturalis puritas, & virilis ingenij voluntaria pietas commendabat.

Præclaræ virtutes in puero Cuniberto.

Eximia eius humilitas.

Cap.4.

Visio Regis Dagoberti.

Act.9.

Num.33.

Quum ergò ab hoc primo exercitij gradu, vellet illum Dominus ad altiora virtutum incrementa conscendere, reuelare dignatus est Regi, quāti apud ipsum meriti puerilis illa simplicitas haberetur. Quadam deniquè nocte, dum peruigil Rex in lecto quiesceret, vidit subitò locum illum, vbi sanctus puer soporis gratia membra fessa composuit, magnifico lumine resplendere, eodemque penè signo futura pueri facta notari, quo Saulum contigit de cælo vocari. Sicut enim ibì immutatio dexteræ excelsi cum increpatione & tremendi luminis immissione facta est: ità hîc electio diuina, blandientis luminis signo monstrata est. Vtrunque tamen lux illa missa cælitùs admonuit, vt & Aegyptias tenebras discerent, & per Israeliticas mansiones repromissam supernæ hæreditatis gloriam ducatu veræ lucis quærere nossent. Manè itaque facto, Rex de visione solicitus, & miraculi nouitate perterritus, requi-

requisiuit, quis in eodem loco, vbi splendorem desupèr viderat radiantem, per noctis silentia quieuisset. Intellexit enim, quòd tale præsagium magnum aliquid protendisset. Cui quum apparitores suggererent, Cunibertum ibi puerum dormiuisse, quod & ipsum priùs, ipsius diligenter intendentem industriam, non latebat, apprehensum eum ilicò non de turba seorsùm, sed coram cunctis, qui aderant, solito familiariùs alloquutus est, & adoptatum sibi in filij locum, amplexu dulcissimo exosculatus est, pronuncians quòd verè Deus in illo fuerit, quem tanta luminis manifestatione clarificare dignatus sit. Erat enim ipse quoquè religionis amator, fide catholicus, & ad omne opus bonū in Christi dilectione paratus: quod, dum mundus voluitur, apud Ecclesias regni Francorū celebri proculdubiò sermone feretur.

Dagobertus rex Cunibertum puerum quanti fecerit.

Dagoberti regis encomion.

Exin in processu temporis beatus Cunibertus apprimè literis eruditus, ascensiones primùm in corde dispositas, profectu quotidiano cucurrit: mox Ecclesiasticos per ordinem ascendendo gradus, coactus quidem renitente vi humilitatis, dignissimus tamen obtinuit: quos & excellentibus illustrauit meritis, & congruentibus adornare curauit obsequijs. Itaque auctus benedictione cælesti, de virtute in virtutem feruidus in dilectione Domini properabat, donèc raptus ab Archiepiscopo Treuirorum, Archidiaconatûs officio sublimatus est. Vbì mirum in modum totus in Dei opere conuersatus, nihil sibi exhausti satis esse credebat, vitæq; iam huius exosus, his tantùm, quos lucrifacere conabatur, spiritum inuictū à quolibet seruabat.

Cap. 5.

Fit Archidiaconus S. Cunibertus

Paucis postmodùm elapsis annorum curriculis, Clerus & populus Agrippinæ Coloniæ pastore proprio destitutus, virum Domini Cunibertū, iam in opere Dei exercitatū, vt sibi præesse deberet, cùm vocibus, tum precibus implorauit. Nec difficilis erat ista congestio de eo, qui præsagiebatur, quem & rex olim anxia expectatione promouere quærebat, & omnis tripartitæ Galliæ populus dignissimū, & verè plebi Dei necessarium prædicabat. Sola in eo repugnauit humilitas, cuius tamen ad hoc opus prædestinata simul & approbata fuit à Domino sanctitas. Tandèm conuenientibus in vnum plebis destitutæ maioribus, maximoque sacerdotum & aliorum principum cœtu, ad eorum auxilium animis opibusque parato, fortissimum viri Dei pectus, charitati tātùm cedere solitum, à propositi sui duritia emollitum est. Sicque nutu Dei Remedio Episcopo Coloniæ successor electus, septimo Calendas Octobris gradum Episcopalis benedictionis ascendit. Deindè iam se talem tantumque cunctis exhibuit, vt nostra hoc facultas nequaquàm possit euoluere, nè videamur maxima verbis vilioribus extenuare. Veruntamē de omnibus placet referre miraculum, quod in maximo sacerdotalis officij sacramento Dominus quasì speciale perfectionis eius indicium dare dignatus est: ex quo vitæ vel doctrinæ ipsius insignia non modò cognosci, sed & lucidissimè possunt agnosci: quanuìs sint alia, quæ non tam perspicaciter intendentibus videri possunt maiora.

Cap. 6.

Creatur Coloniensis Episcopus.

Quadam die dum singulare redemptionis nostræ mysterium, & solum infirmitatis nostræ remedium plenus Deo super mensam Dominicam, in basilica sanctarum Virginum immolaret, adstans Clerus & populus vidit columbam splendidissimam primùm hàc & illàc per omnem ecclesiam circunuolitando vagari, deindè Pontificis insidere capiti: mox indè reuersam, & iuxta tumulum cuiusdam virginis, stupentibus simul & mirantibus vniuersis qui aderant, ab omnium oculis elapsam. Acclamatum est confestìm ab omnibus, verè dignum hunc esse, qui ministraret Domino, sacerdotem, felicem fore Ecclesiæ Pastorem. Hinc ergò gemitus, illinc gaudia personabant. Vtrorunque enim materiam in signo, quod videbatur, habebant. Lætabantur quidem se habere tanti meriti Pontificem, qui dignus esset edoceri & custodiri per pijssimam sui Domini visitationem: flebant verò propter humani casûs incertitudinem. Hanc ipsam metuebant se citiùs amissuros esse consolationem, vel potiùs quòd dignam ipsius religiositati non admitterent imitationem. Comparentur nunc hæc duo, si placet, quæ proposuimus, miracula, vnum in pueritia, alterum in Episcopali perfectione monstratum, si fortè in his possit intelligi laudabilis & verè mirabilis esse vita sanctissimi Cuniberti. Scimus nanque ex Euangelicis documentis, bìs de cælo missum fuisse spiritum sanctum, semèl super ipsum Dominum baptizatum in columbæ specie, semèl super discipulos eius in ignis splendore. Et quid in signis illis, quæ super hunc virum demonstrata fuisse docuimus, nisì aduentus sancti spiritûs, intelligendum est? Ab ipso enim innocentiæ simplicitatem habuit, quæ per columbam exprimitur. Nam & in illo diuino

Cap. 7.

Nota antiquitatē basilicæ vndecim milliū Virginum.

Columba eius capiti insidet sacrificanti.

Matth. 3.

Act. 2.

mysterio, quo columba super illum descendit, Saluatoris nostri typum exhibuit. Ab ipso quoquè zelum Dei, & famam bonorum operum longè latéque micantem accepit, quæ per luminis claritatem quisque figurari non ambigit: & ipse videlicet, dum hoc super illum fuisset immissum, discipulorum adhuc trepidantium, & in
Ioan. 20. conclaui residentium similitudinem exprimere potuit, quasi ipsi tunc simul cum
Ioan. 15. discipulis à Domino diceretur: Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos. Nam & ipse post hanc visionem mox à seruitute pristina liberatus, ad opus Domini spe-
Matth. 5. cialiter expeditus est. Et iterùm: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.

Cap. 8. Hæc ergò glorificatio cùm semper huius sancti Pontificis bona opera subsecuta est, tum maximè, quandò omnis plebs, quæ vidit, dedit laudem Deo. Nec ipsum Antistitem in Domino posteà laudare trepidauit, velut per hoc prodigium iam fuis-
Eccli. 11. set secura illius interminationis, qua dicitur: Nè laudes hominem in vita sua. Ipse autem in omnibus his clauso ostio, nè quid humanæ laudi concederetur, intra cubiculum cordis sui laudabat & glorificabat eum, à quo bona cuncta profluere no-
2. Cor. 1. uerat, vt posset dicere cum Apostolo: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Sic igitur esuriens & sitiens iustitiam, factus est pacificus, & in omnibus cordi sui motibus rationi subiectus, vt spiritu tantùm Deo seruiret, & portio-
40. annos vixit in episcopatu. nem suam in terra viuentium totis nisibus appetere festinaret. Completisque demùm feliciter quadraginta villicationis suæ annis, pridiè Iduum Nouembris perueniens ad diem lucis huius extremum, creatori suo ditandū bonis omnibus red-
Feliciter decedit. didit spiritum. Corpus autem eius, sicut ipse viuens præceperat, positum est cum magna gloria in ecclesia sancti Clementis, quam ipse construxerat: regnante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & gloriatur in sempiterna seculorum secula, Amen.

MIRACVLVM ILLVSTRE, AD SACRAS RELIQVIAS S. CVNIBERTI EDITVM, A SIGEVVINO *Archiepiscopo Coloniensi literis mandatum.*



IN nomine patris & filij & spiritus sancti, Sigeuuinus diuina fauente clementia Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Quū in omni tempore Deo sit à nobis supplicandum intimè pro nostris cæterorumque Christianorum erratibus, imploranda est tamen nobis Dei clementia studiosiùs, quotiès mundi tangimur aduersitatibus: quatenùs eas, quas iustè patimur, afflictiones in hoc seculo, gratuita Dei misericordia mitigare, & à nobis auertere dignetur
Sanctorum inuocatio quid præstet. benignæ pietatis dono. Citiùs autem mitigabit in nos Deus irā indignationis suæ, si in auxilium nostrum sanctos & electos suos humili petimus deuotione. Quod nos in aduentu sancti Patroni nostri Cuniberti eo die apertè probauimus, quum heu nostris peccatis exigentibus, beatæ Dei genitricis Mariæ monasterium in Gra-
Monasteriū ad Gradus Mariæ Coloniæ ardet: itē S. Petri. dibus, nostris oculis comburi vidimus. Incipiebat enim eodem die & domus sancti Petri ardere in parte orientali, ità vt aliqua eiusdem monasterij parte combusta, iam fratres & ciues vrbis in desperationem venissent, & præ nimio quod imminebat incendio ornamenta iam abstulissent de templo. Adueniente autem congregatione sancti Cuniberti, & dum corpus eiusdem sanctissimi Patroni nostri in domum sancti Petri contra ignem gemendo & lachrymando deferrent, nobis qui ad-
Insigne miraculum. eramus intuentibus, ità (gratias Deo) euanuit flamma & incendium à domo sancti Petri, quòd verè comprobaret Dominus, per merita sancti Cuniberti nos ab incendij illius periculo liberari. Vndè & nos exigui tantæ Dei bonitati ac sancto Cuniberto pro modulo nostro respondere cupientes, scire volumus omnes nostros fideles, tam futuros scilicet, quàm præsentes, qualiter sequenti die, scilicet duodecimo Calendas Martij, dum corpus reportaretur prædicti Patroni, dedimus eidem Patrono nostro pro remedio animæ nostræ ad vtilitatem fratrum, ibidèm Deo militantium, quicquid &c. Cui testes intererant Vuichmar Decanus maioris monasterij, Hereman Præpositus, Arnolt Præpositus, Hetzell Præpositus, Thioderich Præpositus: Laici verò Gerart de Hostaden, Adolf de Berge, Vuichman Heirman Ratere. Quod vt veriùs credatur, & in posterum firmius habeatur, hoc manuscriptum indè fieri, ac sigillo nostro iussimus sigillari. Actæ sunt hæ traditiones Coloniæ in

niæ in domo sancti Petri, anno Dominicæ incarnationis millesimo octuagesimo, Indictione tertia, regnante rege Henrico quarto, & præsidente in cathedra Episcopo Sigeuuino, primo ordinationis suæ anno.

VITA ET MARTYRIVM QVINQVE FRATRVM BREVNOVIENSIVM, MATTHAEI, BENEDICTI, IOHANNIS, *Isaac, Christini: necnon Barnabæ contubernalis eorum & confessoris, per Reuer. D. Iohannem Dubrauium Episcopum Olomuzensem, historiæ Boiemicæ libro sexto.*



SANCTVS Adelbertus secundus Pragensis Episcopus & martyr, vnà cum Boleslao principe Boiemiæ cœnobium, quod Breunouiam vocant, ędificauit, ac munificentissimè dotauit, deductis in contubernium sodalibus, quos ex Italia secum adduxit: illique nomine Abbatis præposito Anastasio, qui posthàc apud Hũgaros Strigoniensem egit Pontificem, viro tantæ sanctitatis & virtutis, vt mortuum discipulum precibus suis à morte excitauerit. Sæpiùs in hoc contubernio Adelbertum, quàm in domo suo pontificali reperisses, adeò moribus & natura cum sanctis illis patribus congruebat. Sed nec Boleslaus à consuetudine illorum abhorrebat, festis præsertim diebus spontè veniens (vt bonis mos est) ad bonorum conuiuia, quæ à precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant magna cum modestia & disciplina, atque abstinentia ciborum.

12. Nouēb. Breunouiēsem Abbatiā S. Adelbertus fundat.

Conuiuia precibus inchoanda & finienda.

Præter Anastasium autem Abbatem, & Gaudentium fratrem (quem Præsulem ciuitatis Gneznæ Polonis idem Adelbertus dederat) alios insupèr sex contubernales Breunouia habuit, vti vitæ sanctimonia celebres, ità celebritate hominum minimè gaudentes. Illi igitur desiderio solitudinis (cùm migrandi ex Boiemia in Poloniam consilium cepissent) occiso Adelberto Episcopo, ad Gaudentium diuerterunt, cupidissimum illos penes se retinendi, nisi quòd cupidiùs illi secretum sibi dari ostendique petebant. Euictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum planè solum, longeq; ab hominibus semotum iubet. Nacti illi quem optabant secessum, in eo tuguriolum, & iuxtà sacellum ex lignis coagmentatũ sibi constituunt. Nomina contubernalium Matthæus, Benedictus, Iohannes, Isaac, Christinus, Barnabas. Frugalitatis omnium istorum, innocentiæque & continentiæ atque vigiliarum, indicium hoc fuerit, quòd non solùm ab iniuriæ noxa, sed ab omni prorsùs specie mala abstinuerint, quòd famem sæpiùs pane solo, rarò olere adiuncto, quod sua sibi manu seuerant legerantque, explebant: sitim autem aqua semper sedabant: quòd à pecunia possidenda ità temperauerint, vt ne teruncium quidem in zonis suis, aut marsupijs possidere vellent: quòd deniquè stratis humì in matta scirpea, corporibus cilicio vestitis, somnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quasi iam aurora illis illuxisset, reliquum noctis dieique perpetuò in hoc vigilauerint, vt Deum peccatis hominum offensum, assiduis deprecationibus placarent. Nam ipsi ità propitium illum habebant, vt morbo impeditos homines, aut à malo dæmone obsessos, sola oratione percurarent liberarentque.

Monachi Breunouiēses in Poloniam transmigrant.

Eremum incolunt.

Sanctissime viuunt.

Miraculis clarent.

Quoniam autem rumor iam pridèm de bona istorum vitæ consuetudine ad Meschonem principem Poloniæ perueneret, inuasit eundem Meschonem cupido videndi & alloquendi viros ex rumore sibi laudatos. Vbì igitur ad latebras eorum peruenit, summotaque assectantium turba, ipse cum paucissimis sacellum, in quo sacros psallebant hymnos, introijt, offusa subitò oculis & animo suo religione, perindè est permotus, atquè si introijsset penetrale numinum, non hominum. Deniquè illos velut præsentia numina veneratus est, tractauitque liberaliter à pecunia, quàm abiens illis etiam inuitis reliquit, præsidium futuræ inopiæ, quam

summam adesse cernebat. Sed enim illi, qui non adumbratam, non coactam, sed solidam atque vltroneam colebant paupertatem & continentiam, magisque pietatis officijs, quàm vllis diuitijs ditescere quærebant, accersito Barnaba, quem panis & olerum dispensationi præfecerant, tollere cum exitialem pecuniam & ad Meschonem continuò referre iubent.

Paupertatē sectantur Euangelicā.

Abeunte Barnaba superueniunt latrunculi quidam, & in tugurium noctè irrumpunt, quæsitaque inibi, & non inuenta principis pecunia, iram & furorem in cædem insontium virorum conuertunt: occisi ad vnum omnes, ac solùm Barnabas per absentiam incolumis est seruatus, cum magno animi sui dolore, quòd præsens eandem cum interfectis martyrij palmam assecutus non fuerit. Nihilominùs sui similis permanens, vitam quam cœpit colere, puram inculpatamque ad fatalem vsque exitum non desijt: post quem in tumba Gneznæ, in quam, ante se interfecti sodales elati sunt, conditus est.

Insontes à latronibus occiduntur

Felix Barnabæ exitus.

VITA S. LEBVINI PRESBYTERI ET CONFESSORIS, SCRIPTA AB HVCBALDO ELNONENSI

monacho ad Baldricum Episcopum Traiectensem. Extat in antiquis manuscriptis exemplaribus, multumque commendatur à Petro Archidiacono Cameracensi.

CAPVT I.

Nouēb.12.



OMINVS noster Iesus Christus propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos in secula seculorum, non solùm pro nobis, sed etiam ex nobis factus homo, verus & perfectus idem Deus, Rex noster ante secula, cùm per passionem Crucis, resurrectionemque à mortuis, secundùm nomen suum operatus esset salutem nostram in medio terræ, consummato diuini mysterij opere, quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis suis, quibus voluit notas facere diuitias sacramēti huius, ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & vt ait Apostolus, dedit gratiam vnicuique fidelium Ecclesiæ secundùm mensuram donationis suæ, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores constituens & doctores. Inter quæ innumera eius beneficia, quæ ipse largus dator per vniuersa terrarum diffudit spatia, in Francorum quoquè Saxonumque de cælo prospexit patrias: quibus saluandis, & lege eius imbuendis, atque in perseuerantia boni operis confirmandis, post clara plurimorum lumina doctorum, quæ idem Sol iustitiæ, vt Occidentis depellerent tenebras, proprio irradiauerat fulgore, vt & ipsi lux essent huius mundi: vnum quoquè sidus eximium, iam penè aduesperascente istius seculi die, sui splendoris gratia perfusum copiosissimè, ad eorum illuminationem dignatus est promere, Lebuinum videlicet charum sibi amicum, iuxta idioma nominis sibi optimè congruentis. Fertur enim à suæ peritis linguæ, quòd Liefuuyn patrioticè sit vocatus, quod Romanis sonat, charus amicus. Demptis verò vel demutatis ad Latinitatem quibusdam literis, dictus est Lebuinus. Sed eccè quàm * dignitate plenum istius vocabuli præsagium, dum quod futurus erat opere, iam eius præsignatum est nomine. Si enim quæratur, cuius vir iste extiterit amicus, nequaquàm mundanorum, vel mundi istius, cui non solùm fuit inimicus, sed etiam crucifixus, sicut docet Apostolus, Qui voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur: sed potiùs mundi conditoris seruus quidam fidelissimus: inter eos verò, qui audire meruerunt, Iam non dicam vos seruos, sed amicos meos, merito suæ seruitutis connumeratus. Nec ab re cuiquam videatur, quòd nominis istius interpretatio à nobis studiosè perquiritur. Nouimus deniquè, quibusdam patribus etiam ante conceptionem indita fuisse vocabula, quibusdam posteà immutata, quæ

Psal.73.
Colos.1.
Psal.67.
Ephes.4.
Interpretatio nominis eius.
Codex habet, dignicosum.
Iacob.4.
Ioan.15.

ſa, quæ ex proprijs cauſis aut præcedentibus, aut futuris, conſtat illis fuiſſe competentia. Quæ & ideò ſacra nobis tam ſolerter denotat ſcriptura, vt patenter innuat, non modò in iſtis, ſed & in alijs quibuſdam ſanctorum nominibus, quæ nobis ſint animaduertenda. Satis enim talium indicant acta vel dicta, quid eorum præſignauerint nomina. Vndè ſicut intelligi datur, & hic vir ſanctus quodam præſagio futurorum tale nomen eſt ſortitus, vt lingua patria vocaretur Dei charus amicus. Hæc ſatis dicta de nomine ipſius: iam nunc ad eius geſta, Deo bonisque placita hominibus, licèt ſtolidus, noſter decurrat ſtylus.

CAP. II.

IN ſalo quidem repoſita, nobilis tamen vulgataque Britannia Oceani inſula, interfuſo mari à toto orbe diuiſa, inter Septentrionem & Occaſum ſita, à vocabulo ſuæ gentis cognominata. In ea multa & magna flumina, fontes calidi, metallorum larga & varia copia, achates lapis ibi plurimus & margaritæ: cui adiacet Scotia ſiue Hybernia. Sunt verò ibi populi multi, Britones, Saxones, Picti, Angli. Hæc animalium meſſiumque ferax vbere fertili, diù dedita erat idolorum cultui. Poſtquàm verò venit prædeſtinatum à Deo tempus miſerēdi eius, ſicut in laudabilibus viri eloquētiſſimi Gregorij Papæ geſtis legimus, data ſibi occaſione inſpirauit Deus cordi illius, vt quoniam ipſe dicebatur vir Apoſtolicus, illique commiſſum erat de omnibus, iſtius ſpecialiter gentis fieret Apoſtolus. Quod paſtoralis curæ officium quàm ſtudiosè fuerit ab eo adminiſtratum atque peractum, cooperante gratia Dei cælitùs, nos ſigillatim referre ſuperſedemus: quoniam in libello vitę ipſius ter beati Pontificis Gregorij, ſatis propalatum recolimus. Hoc tantùm ſufficiat commemoràſſe, quoniam directi ab ipſo fortes & fideles agricolæ, excoluerunt optimi cordis terram ſtrenuè benè polito linguæ ſuæ vómere, ſparſimque dilatato diuini verbi ſemine. Ac nè fortè duplici deperiret læſione, & malarum cogitationum trito calle, & volucrum ſpiritualium nequitiæ comeſtione, tutari ſtuduerūt ſolicitè. Inſupèr nè citò exortum ſemen propter duritiam petræ, hoc eſt, mentis indomitæ, vel propter æſtum tentationum poſſet areſcere, irrigauerūt illud indeficiente ſanctæ charitatis humore. Ad poſtremum vbi fuerit neceſsè, extirpato ſpinarū, id eſt, diuitiarum, quas nunc ſolicitudo, nūc voluptas comitatur, angore, gauiſi ſunt bonam terrā ſuo labori reſpondiſſe, & vberrimos fructus edidiſſe, ſcilicet trigeſimum in caſto coniugij fœdere, ſexageſimum in non paruo ſufferentiæ continentium labore, cēteſimum in perceptione virginalis coronæ. Cuius ſeminis ac meſſis intantùm excreuit cumulus, vt nō modò indigenas illius patriæ ſatiaret, verùm quoquè exterarum regionum famelicos paſceret. Quis enim queat explicare, quot lumina doctorum, verbis & exemplis perfectorum prodiérunt indè? Quos noſtra gaudet Francia ſe vt veros Chriſti Apoſtolos hoſpitio gratanter recepiſſe, alimonijs abundanter refouiſſe, rebus ac facultatibus honorabiliter muneràſſe, prædicātes libentèr audiſſe, magisque monentibus ſe ſalubriter obediſſe: necnon & beatas ſanctorum corporum exuuias ſe lætatur hactenùs ad ſuorum patrocinium veneranter cuſtodire, ſperantes pro his omnibus ſe partem habituros cum eis in æterna beatitudine. De quorū ſanctiſſimo fulſit collegio ſanctus Lebuinus, ex præfata Anglorum patria oriundus, ab ipſis quoquè pueritię crepundijs, exercitijs Deum colendi deditus. Iam enim prætendebat morum conatibus, qualis pijs futurus eſſet actibus: vt patenter daretur intelligi, hunc verum Dei cultorem fore, qui in lege eius meditaretur die ac nocte, ſicut & Salomon in Prouerbijs generali ſentētia promit de talibus: Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi recta ſint & munda opera eius.

[Margin: Britannia à toto orbe diuiſa. — Rom. Pontifici cura omniū demandata. — Luc. 8. — Anglia S. Lebuini patria. — Prou. 20.]

CAP. III.

HInc liberalibus, ac potiùs ſacris, traditus ſtudijs literarum, inhians, vt ait ſcriptura, ad ſciendam ſapientiam, ad intelligendum verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & ęquitatem: vt ſibi paruulo daretur aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus: vigilabat ad fores ſapiētiæ quotidiè, obſeruans ad poſtes oſtij eius. Cumque eos extereret aſſiduè, optabat vt veniret in ſe ſpiritus ſapientiæ, deprecatusque Deum ex totis præcordijs, dixit: Da mihi, Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam: mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te. Hęc eo ſępiùs deprecante, occurrit ei ipſa, quæ circuit quęrens dignos ſe, & oſtēdit ſe illi hilariter, & obuiauit illi quaſi mater honorificata, ſtās in

[Margin: Prou. 1. — Diligenter incumbit ſtudio literarum puer Lebuinus. — Sap. 9. — Sap. 6.]

summis excelsisque verticibus, in medijs semitis iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus. Erat autem, vt iam ante nos per quendam sui amatorem de ea dictum est, reuerendi admodùm vultûs, oculis ardentibus, & vltra communem hominum valentiam perspicacibus, colore viuido, atque inexhausti vigoris: quatenùs ità æui plena foret, vt nullo modo nostræ crederetur ętatis, statura discretionis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem se hominum mensuram cohibebat: nunc verò pulsare cælum summi verticis cacumine videbatur. Quæ cùm altiùs caput extulisset, ipsum etiam cælum penetrabat, respicientiumque hominum frustrabatur intuitum. Hæc ædificauerat sibi domum, vbi exciderat sibi columnas septem: atque immolans victimas suas, miscuit vinum, & posuit mensam suam, misitque ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia ciuitatis, dicens: Si quis est paruulus, veniat ad me. itemque insipientibus: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & venite, & ambulate per vias prudentiæ. Tunc inter numerosos copiosæ plebis auditores placido vultu respiciens humilem Lebuinum, quem ante secula præsciérat & prędestinauerat fore sibi charum amicum, voce amicabili affata est illum: Ego, inquit, diligentes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inueniēt me. Principium me adipiscendi, timor Domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum. Hęc aure audiendi audiens sanctus vir Lebuinus, exultauit in Domino cor eius, & dixit: Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Gressus meos dirige secundùm eloquiū tuum, vt non dominetur meî omnis iniustitia. Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Eccè concupiui mandata tua, in æquitate viuifica me. Exindè oleo lætitiæ perfusus ab ea, proficiebat de die in diem amicitiæ eius gratia. Et nè quis fortè putet, postposita rerum gestarum serie, nos quædam veluti fabulosa ac friuola, vt iste beatus vir ad notitiam semitarum sapientiæ, eiusque agnitionem contenderit, commentatos esse: si sobrius lector vel auditor extiterit, volumus pro certo nouerit, haud aliter cuique inerratò viandum esse, vt ipsius desiderabilem queat speciem inspicere. Constat enim firmissimè, quoniam quisquis præsignatos huiuscemodi progressionum gradus, quibus ad eam incedendum conscenditur, prætermiserit vestigare, ei nullo modo philosophandum esse.

Prou. 9. Prou. 8. Psal. 110. Psal. 118.

CAP. IIII.

Ergò quoniam hic beatus ab ineunte ætate toto conamine has prosecutus est vias prudentiæ, sic maximam promeruit prærogatiuā diuinæ gratiæ. Per hanc deniquè inerat ei cautæ circunspectionis efficacia, vt velut oculatum animal antè & retrò, incederet in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Erat enim vir magnæ abstinentiæ, sibi parcus, egenis largus, ore serenus, corpore castus, lectionibus sacris, vigilijs & orationibus indesinenter intentus, sermone iucundus, qualitate morum sobrius, omnique bonitate præditus. His & huiusmodi pollens virtutibus, adeptus est honorem Clericatûs. Quam dignitatem gradûs & vocabuli credēs diuinitùs collatam sibi, agebat studio peruigili, nè morū operatio suo nomini dissentiret. Cleros enim Gręcè, sors vel hæreditas dicitur Latinè. Vndè & appellãtur Clerici, quòd de sorte Domini sint, & quasi de eius hæreditate peculiari: sicut in Testamento veteri Leuitas ex filijs Israël vt proprios assumpsit sibi: vel ideò, quia vicissim illi, qui verè sunt Clerici, præter Deum nullam concupiscāt hæreditatem in hac regione mortali, expectantes viua spe illam incorruptibilem & incontaminatā & immarcescibilem, conseruatā in cælis, per ipsum, & cum ipso, & in ipso se posse consequi, sicut & ipse eis repromittit, dicens: Ego hæreditas eorum. meditantes iugiter, & dicentes: Dominus pars hęreditatis meæ & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. His intētus vir sanctus Lebuinus, ac sedulò recolēs, quid de Clericorum moribus his penè verbis à sanctis institutum sit patribus: abstinuit à vulgari vita & conuersatione, à mundi voluptatibus & spectaculis, à seculi pompis, à conuiuijs publicis, ab vsuris & turpium lucrorum occupationibus, à fraudibus, & ab ipsa cunctorum criminum matre auaritia: non officia ac negocia secularia, non gradus honorum sectans per ambitionem, non pro beneficijs medicinæ Dei captans munera, dolos & cōiurationes, odium, æmulationē, obtrectationes fugiens atq; inuidiā: non vagis oculis, non infreni lingua, aut petulāti tumidoq; incedens gestu: sed mentis pudorē atq; verecundiam simplici ostendens habitu

Catalogus virtutum S. Lebuini. Fit clericus. Clerici vndè sic dicti. 1. Pet. 1. Ezech. 44. Psal. 15. Clericis vitanda.

habitu & incessu, obscœnitatem sic verborum, sicut & operum penitùs execrans: visitationes viduarum ac virginum, ac cōtubernia extranearum fœminarum nullatenùs appetens, castimoniam immaculati cordis & corporis perpetuò cōseruare studebat. Inter hæc debitam præbens senioribus obedientiam, nullo se iactantiæ vitio extollebat. & quid plura? Lectionibus, doctrinæ, psalmis, hymnis, cāticisque spiritualibus exercitio iugi insistebat, profectò sciens, quia tales oportet Clericos esse, qui diuinis cultibus se mancipandos student exhibere. Vndè & ipse Deo talem exhibens se, post tantæ continentiam vitæ, detonso rasoque capite, non capillos posuit vrendos sacrificij veteris igne, sed vt verus Nazaræus consecrans perfectionem deuotionis suæ, obtulit totum se hostiam viuentem, sanctam, Deo placentē, quæ vreretur assiduè sancti spiritûs igne, vt fieret obsequiū eius rationabile, & illud signū tonsuræ, quod figurabatur in corpore, ageretur in illo, in quo Christus habitat, in interiori homine: videlicet vt exteriùs abscissis crinibus, interiùs connectis resectis criminibus, enitesceret denuò innouatis sensibus, quasi comîs rudibus. Præterea gestans quasi tiaram veri sacerdotij in detonsa superiori capitis parte, necnon exprimens in inferiori dignitatem regalis coronæ, gaudebat munus impleri in se hac * typica similitudine, quod beatus Apostolus Petrus vniuersali collatum gaudet Ecclesiæ: Vos, inquit, estis genus electum, regale sacerdotium.

Exercitia S. Lebuini. Num. 6. Rom. 12. Tonsæ comæ in clericis quid significent. * typicali 1. Pet. 2.

CAP. V.

IGitur vir Domini Lebuinus, in talibus virtutum profectibus ætate simul & probitate morum adultus, verè per omnia irrepræhēsibilis Clericus, singulis sensim secundùm instituta Canonica dignitatis Ecclesiasticæ conscensis gradibus, eligitur ad officium presbyteratûs: vt qui scientia & operatione perfectus erat, cæteros doctrina instrueret, exemplo ad benè agendum prouocaret. Liberalis siquidem sui nominis & commissi officij executor, satagebat solicitè esse & videri presbyter, id est, senior: non dierum prolixitate numerosior, nō canitie capitis honoratior, sed augmento meritoque virtutum prouectior, vt de eorū fieret numero, qui à Moyse, præcipiente Domino, eliguntur: Congrega, inquit, mihi septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu nôsti, quòd senes populi sint ac magistri &c. Tales nanque presbyteri non subrogantur in sacerdotio fauore populari: sed eliguntur à Moyse duce populi Christiani, quos ipse nouit, qui eis talem gratiam contulit, quòd sapientiæ & sanctitatis merito senes sint populi. Et quia stant coram eo statu iustitiæ inflexibili, merentur eius spiritûs participatione munerari, completurque in ipsis, quod dicit Dominus ad Heli: Glorificantes me, erunt glorificati. Quorum senum gloria, sicut dicitur in Prouerbijs, canities est: haud dubium illa, de qua legitur alibi: Cani sunt enim sensus, id est, sapientia viri, & ætas senectutis, vita immaculata. His ergò donis spiritualibus præditus, dignè dignus sacerdos effectus est Lebuinus, explens verbis & actibus nomen & officium sacri ducatûs, pura mente mundisq; manibus, vt expedit sacerdotibus, cooperatione spiritussancti conficiens & dans sacramenta viuifica populis fidelibus, congruis vnumquenque docens exhortationibus, pro suæ professionis ac morum qualitatibus.

S. Lebuinus sacerdotio initiatur. Num. 11. 1 Reg. 2. Prou. 20. Sap. 4.

CAP. VI.

ENimuerò is, qui operatur in suis omnibus & velle & perficere pro bona volūtate, suo gratuito munere operatus est in famulo sibi fideli Lebuino illud velle, quod nullatenùs à suo velle poterat discrepare, saluti videlicet lucrandarū animarum iugiter inhiare, & continuam huic desiderio operam dare: vt sicut de speciali gratia Apostolatûs B. Petri & suîipsius Paulus protestatur, dicens: Qui operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes: ità & nos fidenter de hoc nostro dicere audeamus Apostolo, quia & ipse operatus est Lebuino inter Francos & Saxones. Vndè quia ad eosdem docendos ab eo est destinatus, pro sui qualitate officij non inconuenienter dicetur Apostolus, quod in lingua Latina sonat, missus. Deniquè sicut suis ipse præcepit discipulis, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritussancti, docētes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis: ità & hūc suum affatus discipulum, velut eodem imperio præcepit ei præfatas docere gentes catholicæ sacramenta fidei, tingere baptismo salutari, & exindè præcipere omnia seruare mādata sibi. Et sicut de Paulo & Barnaba in Apostolorum Actibus legitur, quòd imperauerit spiritus sanctus, Segregate, inquiēs, mihi Barnabā & Saulū in opus, quò assumpsi eos,

Phil. 2. Gal. 2. S. Lebuinus Apostolus. Matth. 28. Act. 13.

eos,ſicque ad docēdas profecti ſunt gentes: ſimili,vt ità dictum ſit, modo eiuſdem ſancti ſpiritûs imperio,qui diuidens ſingulis prout vult, operatur omnia in omnibus: iſte fidelis ſeruus ac fortis operator Lebuinus, in opus ſibi à Domino iniunctum,ſegregatus eſt & aſſumptus.

1. Cor.12.

CAP. VII.

CVi etiam vt nō ſolùm cum Apoſtolis,ſed & cum patriarchis digna foret operis communio,ipſius ſummi ſacerdotis Abrahæ proponitur imitatio. Nam quomodò illi præceptum eſt à Deo,Exi de terra & cognatione tua,& veni in terrā, quam tibi monſtrauero,& eius protinùs ille páruit imperio: ità & iſte vir venerabilis hoc audito,ac veluti ſibi ſpecialiter delegato,ad exemplum beati patriarchæ, huic irrefragabiliter inhæſit edicto. Exiens ergò impigrè de terra & cognatione ſua,poſthabita inſula Anglorum, euectione nauali Traiectum petijt, caſtrū Vuiltenburg antiquitùs dictum, modò verò Traiectum: vbì reperiens quendam venerabilem virum,nomine Gregorium,ex nobili Francorum ſanguine procreatum,à beato Bonifacio Archiepiſcopo olìm à pueritia enutritum, gradu Eccleſiaſtico presbyterum,ſed tunc pro tempore Epiſcopalis officij in eodem caſtro vel etiam parochia vicarium,expoſuit ei omnem ſuę peregrinationis,ſibique commiſſę prędicationis textum.

Gen.12.

Venit Traiectum inferius.

CAP. VIII.

QVia verò gratia Gregorij boni diſcipuli,mentio optimi facta eſt magiſtri Bonifacij,non indignum videtur, tanti præſulis dignam cunctorum memoria, licèt ſuccinctè,relationē fieri. Hic deniquè vir ex prædicta Anglorum patria progenitus,à pueritia Deo dicatus, cùm ſuccreſcentis ætatis profectibus de die in diem,ſapiētiæ & totius ſanctitatis augeretur profectibus,ſanctæ paupertatis ac ſuæ peregrinationis ſpontaneam viam ingreſſus, officium quoquè plurimis euangelizandi populis,Dei gratia ſibi cooperāte,aggreſſus, ſub Carlomāno & Pipino Francorum principibus, apud Apoſtolicam ſedē legatione Germanica functus,decretioni Clericorum ac fauori populorum annuentibus præfatis Principibus,ab ipſo Papa Gregorio,Græca Latinaque lingua ſatìs erudito,qui alterius Gregorij ſucceſſor,ab illo mirabili doctore Eccleſiæ beato Gregorio Anglorum Apoſtolo, ordine Pontificatûs fuit viceſimuſſextus,Mogūtiæ ciuitati ordinatur Archiepiſcopus: & qui anteà vocabatur Vuinfridus,gratia meritoque bonorū factorum,vt quidam volunt,dictus eſt Bonifacius. Qui vir,ſicut de eo legitur, prædicatione ſua Thuringos,Heſſos,atque Auſtraſios ad fidem rectam,religionemque Chriſtianā, à qua diù aberrauerant,conuertit,necnon & monaſteria monachorum & virginum primus in Auſtraſiæ partibus conſtruxit. Hic etiam inter egregia bonorū actuum inſignia, vt non modò ſua,ſed & aliorum quoquè præſulum vigilantia, catholica propagaretur, augmentaretur, ac confirmaretur Eccleſia, annuente ſibi Carlomanno, authoritate fultus Apoſtolica,in caſtro Vuiltenburg, quod nunc Traiectum dicitur, conſtituit vt Epiſcopalis eſſet cathedra. Cumq; idem glorioſus Carlomannus felici nimiùm commutatione terrenū ac temporale reſpuiſſet regnum,vt cæleſte mereretur adipiſci,quod eſt ęternum,profectuſque Romā ad beatorum limina Apoſtolorum,clericatûs ibì ſuſcepit habitum, nō poſt multum temporis in monte Soracte ædificato monaſterio,ad ſummæ perfectionis aſſcendens gradū, in cœnobio beati Benedicti profeſſus monachum,optimā cum Maria dilectrice ac dilecta Domini,viſus eſt elegiſſe partem,quæ iuxta Domini promiſſum,à nullo electorū eam perſeueranter deſiderantium auferetur in ęternum. Regni verò,quod antè diuiſerant,& principatûs ſui Pipino fratri ceſſit faſtigiū. Sed Pipinus totius ditionis compos effectus,conſultu Papę Zachariæ,& vnanimi Francorum conſenſu per vnctionem ſanctiſſimi Archiepiſcopi Bonifacij,Sueſſionis ciuitate habito conuentu, rex appellatus,& regali eſt ſede donatus,repudiato ac tonſurato Childerico, qui caſſo nomine anteà rex vocabatur. At vbì beatus pōtifex Bonifacius verbum Dei euangelizans Friſonibus,cum ſuis cōminiſtris,vt ferunt,quinquagintaduobus martyrio eſt coronatus,iam dictus vir Gregorius,eius quōdàm diſcipulus, in præfato reſidēs caſtro,bonus imitator magiſtri,quod ab eo didicerat,impiger executor exercebat.

Hiſtoria breuis S. Bonifacij, Germanorū Apoſtoli.

Bonifacius Mogútinus Epiſcopus, priùs Vuinfridus eſt vocatus.

Traiectum inferiùs, olim caſtrū Vuiltēburg

Carlomannus rex fit monachus.

Luc.10.

Pipinus fit Franciæ rex

CAP. IX.

CVi cùm ſanctus Lebuinus,vt iam diximus,retuliſſet,quid ſecūdùm Dei voluntatem gereret animo, ille gauiſus in Domino, animatum conſilio, & fotum auxilio,

auxilio, direxit eum ad locum sibi diuinitùs demonstratum secus Iselam fluuium, vt fieret velut quidam limes certissimus atque fortissimus in Frācorum Saxonumque cōfinio: vt sicut lapis mediastinus vice lapidis illius viui, summi, angularis positus, vt & ipse duos in vnam reciperet fidem populos, venientes ex diuerso. Chari denique sui Lebuini sibi deuotam respiciens humilitatem inspector mentiū Deus, fecit illi magna, quia potens est in omnibus, vt euangelizaret Francis & Saxonibus sanctum & terribile nomen eius. Adhibuit quoquè illi Abbas Gregorius socium, quēdam venerabilem virum, ex discipulis sancti præsulis Vuillibrordi, nomine Marcellinum. Sed ô quàm mira alacritate noster æstuat animus facta sibi mentione super talibus viris, nec patitur, quin saltem per transitum de tanto præsule Vuillibrordo quid suus exprimat stylus. Et hic etiam vir Deo plenus, de Britannia gentis Anglorum progressus, pro æterna patria à sua peregrinus, Romam venit beati Sergij Papæ temporibus, qui à beato doctore Gregorio Papa extitit vicesimus: quique Angelica visitatione commonitus, sanctum hunc honorificè suscipiens virum, ordinauit eum Frisonum genti Episcopum, vocans cognomēto Clementem. Is autem, credito sibi non dispar officio, vt sapiens architectus, non suas imposuit operas super alienum fundamentum: sed eradicato primùm denso aggere spinarum, fodit in altum, & super firmā, quæ est Christus, petram stabile fidei collocauit fundamentum. Tum lapides è diuersis colligens diuersarum qualitatis & quantitatis, ad eandem structuram coadunans, eos, qui scabiosi & sordidi erant, aqua munda purificare studuit. Satagebat autem ille fortis operarius, vt circuncisi vndiquè, conquadrati fierēt atq; politi, in suis commissuris apti ad fabricam operis sui. Et quoniam non materiales erant illi lapides, sed animales & rationales, hortabatur eos verbis beati Petri, dicēs: Deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes, & inuidias & detractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustâstis, quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedentes lapidē viuum, & ipsi tanquàm lapides viui, superædificamini in domum spiritualem. His atque alijs huiusmodi sanctis prædicationibus fera gentilium edomans corda, innumera diabolicæ parti detrimenta, & non modica Christianæ societati intulit augmenta. Et quia sibi tradita Domini sui fideliter erogauit talenta, iure vt bonus & fidelis seruus, ipsius penetrare meruit gaudia. Prælibatis summatìm his paucis, pro commemoratione Vuillibrordi beati præsulis, chari nostri Lebuini insistamus gestis.

S. Lebuinus prædicat Francis & Saxonibus fidem Christianam.

S. Vuillibrordus venit Romam

Ordinatur Frisonum Episcopus.

1. Cor. 10.

1. Pet. 2.

Psal. 33.

Matth. 25.

CAP. X.

VEniens igitur vir Dei cum suo collega Marcellino ad prēmonstratum sibi locum à Deo, vsus est aliquandiù viduæ cuiusdam, quæ Abachilda vocabatur, hospitio: & nil veritus animositatem gentis illius, insudabat quotidiè Euangelicæ prædicationi, instantiùs ostendens, neglecto Deo viuo & vero, vacuis ac per omnia superfluis inseruire eos idolorū cultibus. Quid immorer multis? Salutaribus eius monitis edocti, crediderūt quotquot ad æternam vitam erant præordinati. Quorū etiam sumptu compactum est primò oratoriolū in loco Vuilpa vocitato, versùs occidentalem Iselę fluminis oram. Nec multò pòst, accrescente sensìm numero fidelium, aliud maius versùs orientalem eiusdem fluminis partem ei cōstruxerunt oratorium, & iuxta illud eius habitationi congruam domum: vbi sanctus Domini quotidiana vigiliarum ac Missarum Domino vota persoluebat, & confluentes ad se, verbi diuini pane cibabat, cunctisque se cernentibus gratiosum vultu, verbis ac moribus exhibebat: vndè & quamplurimis eorum, etiam nobilioribus, speciali affectione charus erat. Intereà hostis antiquus, totius semper bonitatis inuidus, cernens sibi minui, quos per beatū Lebuinū Christo constabat consociari, sategit per suæ malignitatis fautores, vt multū de eo furiosæ cōquestionis murmur haberetur inter populares. Aiebant enim: Quidnam est illud phantasma vagabundum, quod suis præstigijs alienat mentes, infatuat sensus, mores peruertit nostrorum? Nonne cernitis, quòd iā multos à suæ qualitatis statu corruperit, & quasì deliros effecerit? Ergò antequàm nos omnes in posterū ille fascinationis suę fraudibus circūueniat, ocyùs perquiratur, effugetur, aut potiùs pessundetur, vel cum sua illa * magica scena viuus flammis addicatur. His continuatis, irruunt: & apposito igne, ecclesiæ domum concremant, & quoscunq; Christianos ibidèm reperiunt, ab eodem loco infectando longiùs proturbant. Dominus autem, qui custodit omnes diligentes se, famulum

Marcellinus collega S. Lebuini.

Multos cōuertit.

Satan quosdā concitat in eum.

* magicali

Psal. 144.

famulum suum ab eorum insectatione eripuit, atque ad multorum salutẽ illæsum custodiuit. Sed neque beatus vir illorum territus sæuitia, ab euangelizandi cessauit instantia: sed vt fortis athleta, sumpto fidei scuto, & salutis galea, ad iterùm rediuiua atque fortiora se præparauit discrimina.

Psal.144.

CAP. XI.

Saxones qbus olim moribus & institutis vixerint.

IN Saxonum gente priscis temporibus neque summi cælestisque regis inerat notitia, vt digna cultui eius exhiberetur reuerẽtia: neque terreni alicuius regis dignitas & honorificentia, cuius regeretur prouidentia, corrigeretur censura, defenderetur industria: sed erat gens ipsa, sicuti nunc vsque consistit, ordine tripartito diuisa. Sunt deniquè ibì, qui illorum lingua Edlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui lassi dicuntur, quod in Latina sonat lingua, Nobiles, *Ingenui, atque seruiles. Pro suo verò libitu, consilio quoquè, vt sibi videbatur, prudenti, singulis pagis principes præerant singuli. Statuto quoquè tempore anni semèl ex singulis pagis, atque ex iisdem ordinibus tripartitis, singillatìm viri duodecim electi, & in vnum collecti, in media Saxonia secus flumen Vuiseram, & locum Marklo nuncupatum, exercebant generale concilium, tractantes, sancientes & propalantes cõmunis commoda vtilitatis, iuxta placitum à se statutæ legis. Sed etsì fortè belli terreret exitium, si pacis arrideret gaudium, consulebant ad hæc quid sibi foret agendum. Hunc sciens imminere conuentum Christi miles Lebuinus, destinauit animo se illuc iturum, quô aut suo regi acquireret copiosum fidelis exercitûs numerum, aut fortiter contra hostes dimicans, gloriosum victoriæ suæ reportaret triumphum. Interìm tamẽ contigit diuertisse ad domum cuiusdam illustris ac potentis viri, nomine Folcberti, cui inter plures, quos charos habebat, quibusq; ipse charus erat, familiare præstabat contubernium. Qui cum maximo illum excipiens gaudio, ait: Gratulor quidem, mî dilecte, opportunè te nunc aduenisse: deniquè mihi pro te solicito gratam exhibes tuam præsentiam. Sed quorsùm tendas, mihi pandas velim. Cui vir sanctus: Est, inquit, animus, superna iuuante gratia, concilium inuisere Saxonum. Ad quem ille: Cùm tuæ sanctitatis merito quamplurimis nostrorum acceptus habearis, non ignoro quosdam tibi inimicari, & vitæ tuæ libenter insidiari. Vndè rogo, vt, me audito, aliorsùm te vertas modò, vel domũ redeas, vel tuum familiarem Dauonem petas, quousquè peracto concilio, tutiùs nos quoquè reuises. Cumque huiusmodi sermonibus dissuadere conaretur athletæ Christi, sancto quo agebatur spiritu animatus, constanter respondit: Nullatenùs præterire queo, sed neque audeo, quod ipse meus Rex Christus Iesus Deus & Dominus mihi agendum instituit, cuius prætergredi mandatum nefas esse perpendo. At ille: Vitæ, inquit, tuæ timeo. Et vir Dei: Dominus, ait, mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo. Sic eius firmatam perspiciens faciem, mœstus tandèm acquieuit.

*Ingenuiles

Folcbertus vir nobilis, fautor S. Lebuini.

Psal.117.

CAP. XII.

In conuentum Saxonũ venit S. Lebuinus. Ephes.6.

INstante igitur temporis articulo, quo ipsius concilij afforet concio, adsunt quorum intererat, cœtu vndiquè secum agglomerato. Adest & bonus miles Lebuinus, non vt ignauus vel desidiosus, sed vt strenuus & officiosus, lumbos mentis suæ in veritate succinctus, lorica iustitiæ indutus, pedes in præparatione Euangelij pacis calceatus, scuto fidei protectus, galea salutis capitatus, assumpto gladio spiritûs, quod est verbũ Dei, armis iustitiæ virtutisque eius à dextris & à sinistris circundatus. Et cùm his omnibus muniretur intrinsecùs, non tamen competentia deerant ornamenta morum extrinsecùs. Clericali siquidem schemate insignitus, sacerdotali quoquè infula decoratus, ac velut quid diuinum præsignãs fulgore vultûs, Crucis signum præferebat manibus, vtpotè sui Regis antesignanus: necnon & Euangelium Christi, quod iugiter mente recolebat, ore prædicabat, & opere exercebat, brachio quoquè gestabat. Omnis itaque cõcionis illius multitudo, ex diuersis partibus coacta, primò suorum proauorum seruare contendit instituta, numinibus videlicet suis vota soluens ac sacrificia. Quæ cernens agi sacrilegia Lebuinus, Christi fortis athleta, zelo zelatus pro Domino, vt olim Elias propheta, in media illorum prorumpit agmina, & ex improuisò vociferans, exaltat vocem suam vt tuba, annuncians palàm & redarguens scelera eorum. Audite, inquit, omnes, audite me: & non tantùm me, quantùm eum, qui loquitur vobis per me. Mandata illius vobis perfero, cuius omnia sunt imperio atque iudicio subiecta. Ad hæc cùm illi attoniti respexissent, adspectumq; viri & habitum mirantes, conticuissent, ille præfatus

Crucem & Euãgelium gestat.

3.Reg.18. & 19.

Prædicat illis Christũ.

fatus sic institit: Auscultate, attendite, & scitote, quia Dominus creator cæli & terræ, maris & omniũ, quæ in eis sunt, ipse solus vnus & verus est Deus. Ipse fecit nos, & non ipsi: neque est alius præter eum. Simulacra, quæ deos esse putatis, quosque à diabolo decepti, venerando colitis, aurum vel argentum, æs, lapis aut lignũ sunt: non viuunt, non mouentur, neque sentiunt. opera enim hominũ sunt, nec cuiquam alij, nec sibi possunt auxiliari. Ergò Deus solus bonus, solus iustus, cuius misericordia & veritas manet inæternùm, condolens tam miserabili vos dęmonum seductos errore, hac me præcepit fungi legatione, vt vetusti pœnitentes erroris, ad eum conuertamini recta & syncera fide, cuius creati estis bonitate. In ipso deniquè vos & nos omnes viuimus, mouemur, & sumus. Si illum fideliter agnoscentes, pœnitentiam egeritis, & baptizati in nomine patris & filij & spiritussancti fueritis, & mandata eius obedienter seruaueritis, ipse vos ab omnibus seruabit malis, & concedens tranquillitatem pacis, dabit hîc iucũdari temporalibus copijs, & in futura vita omnibus æternaliter perfrui bonis. Si autem precepta eius saluberrima * nihilfeceritis, & iniqui cordis errorem corrigere noluèritis, scitote quia patiemini iudicium pœnæ grauioris de contempta admonitione eius benignitatis. Eccè enim ex sentẽtia oris eius, quæ est immutabilis, prænuncio vobis, quia nisi his monitis obtemperaueritis, iam celerrimè veniet vobis malum inopinatæ tribulationis. Præordinauit nanque Rex cælorum omniumque seculorum, Regem fortem, prudentem & acerrimum, non de longinquo, sed de proximo instàr torrentis rapidissimi properantem ad emolliendam duri cordis vestri ferocitatem, & comprimendam rigidæ ceruicis contumaciam. Qui vehementi impetu vestram aggrediens regionem, gladio, vastitate, incendio & exterminio cuncta depopulabitur, & vt vindex iræ Dei, quem semper exacerbâstis, vos quidem partìm mucrone cõcidens, perimet, partìm egestate tabescere faciet, partìm perpetui exilij mœrore consumet. Coniuges vestras ac liberos passìm ad seruiendum distribuet, & si qui residui fuerint, ignominiosos suo dominio subiugabit, vt & de vobis iamdudùm iure prædictum videri possit: Et pauci facti sunt, & vexati sunt à tribulatione malorum & dolore.

Psal.99. Act.17. Codex habet, nullificaueritis. De Carolo Magno dicit. Psal.106.

CAP. XIII.

TAlia beato viro prophetali spiritu præconante, illi dęmoniaco bacchantes spiritu, pleni furoris & insaniæ, perstrepunt vndiquè clamore confuso: En eccè adest seductor ille, sacrorum nostrorum & totius inimicus patriæ: ęquum est, vt debitas sumat suo sanguine pœnas. Tum verò ex proximis sepibus palos rapiunt, detruncant & exacuunt, vt veluti assolet fieri lapidibus, sic eum illis sudibus perimerent. Sed taliter inardescente aduersùs virum sanctum furore malignantium, Deus suorum protector fidelium, protexit illum sub velamento alarum suarum. Deniquè sicut ipse Dominus Iesus olìm à perfidis Iudæis ad supercilium montis ad præcipitandum perductus, suæ virtutis potentia transiens, per medium illorum ibat illæsus: sic & iste famulus suus, eiusdem Domini sui munimine circunseptus, per medium se necare cupientium & ipse transijt intactus. Inter ipsos tamen quidam fuerant sanæ mentis, quorum corda Deus tetigerat, qui hæc fieri in sanctum Dei omnimodìs prohibebãt. Quorum vnus cæteris honoratior, nomine Buto, stans in eminentiori loco, ità protestatus est: O viri quicunque adestis cordati, auribus percipite verba oris mei. Frequenter ad nos quarundam gentium, Nortmannorum, Sclauorum ac Frisonum venerunt legati, quos more solito cum pace suscepimus, verba legationis diligenter tractauimus, & honorificè auctos muneribus ad propria remisimus. Et eccè nũc legatus summi Dei, deferens nobis mandata vitæ ac nostræ salutis, non solùm spretus & contemptus est à nobis, sed etiam insectatus iniurijs, ac penè subijt discrimen mortis. Quàm verò sit potens, qui illum destinauit, patẽter ostendit, cùm de manibus nostris eum tam potenter & mirabiliter eripuit. Vndè & ea, quæ comminando vobis prophetauit, futura siue ventura proculdubiò experiemini nimiùm vera, dum ea iudicio Dei sui, qui tam potens est, nobis fuerint illata. Huiuscemodi redargutionis, ac potiùs terroris sermonibus perculsus aliquantulùm est immansuetus eorũ animus, & communi decreuerunt consensu, nè à quoquam impeteretur ille Dei nuncius: sed quocunquè vellet ire, absque vlla læsione pergeret securus.

Luc.4. Dominus seruat S. Lebuinum, nè occidatur.

CAP. XIIII.

IGitur sanctus & humilis corde Lebuinus, ab insectatione malignantium diuina virtute tutus, benedicebat Dominum, quia laudabilis & gloriosus est in seculum.

Longũ martyriũ eius, in castigando corpore &c. Videns autem se non assequi posse ponẽdo pro fratribus animam, quem summoperè desiderabat martyrij fructum, licèt abnegando seipsum & tollẽdo crucem suam post Christum, crucifigendo carnem cum vitijs & concupiscentijs in fame & siti, in vigilijs ac ieiunijs & laboribus plurimis, quę cuncta libenter ac patienter pertulit, longum in pace traxit martyrium. Indeficientem tamen in se retinens plenum feruore charitatis animum, iniunctũ sibi à Deo sui Apostolatùs efficaciter administrabat officium. Quis enim dignè sufficienterq; valeat eius doctrinæ & verborum gratias enarrare, quibus multos ab iniquitate conuertit? De hoc nanque viro rectè per prophetam prędictum est: Lex veritatis fuit in ore eius: itemque, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituũ est. Quo euangelizante verbum veritatis, parata est sedes Dei in corde populi sibi eredẽtis, & testimonia eius credibilia facta sunt nimìs. Sermo deniquè ipsius, audientes omnes in fide & opere ædificabat, & ad feruorem sanctæ charitatis inflammabat. Ad hoc illud cõcurrebat, quod maximè sermonẽ docẽtium corroborat, quia quod ore monebat, opere exercebat. Post innumera igitur ab ipso patrata sanctarũ virtutum documenta pariter & exẽpla, cùm nulliùs pene tẽporis interpolarent spatia, quibus aut sui, aut simul aliorũ profectûs non quæreret emolumẽta, exemplificatũ virum sanctissimũ in totius sacræ religionis, Deoque beneplacitæ cõuersationis gratia, iam agmina reposcebãt cælica conciuem sibi debitum, & prædestinatione diuina, & morigeratione sibi condigna.

Malac. 2. Ibidem. Psal 92. Nota effectũ doctrinæ eius.

CAP. XV.

PRæsentabantur quoquè Deo Angelico ministerio chari sui Lebuini vota, quæ mente & opere vocis suæ erant harmoniæ consonantia, sic ad ipsum iugiter proclamantia: Quàm dilecta sunt, Domine virtutum, tabernacula tua: cõcupiscit & deficit in his anima mea. itemque: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, vt videam virtutẽ tuam & gloriam tuam. & iterùm: Sitiuit anima mea ad Deum viuum: quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Sed quia hoc eius inexplebile desiderium mentis, retardabat sarcina corporeæ molis, nec aliter adipisci poterat ædificationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis, nisì fieret dissolutio domûs suæ terrestris, huius mundanæ habitationis: ille, qui est igneus fons animarum, qui in effigiatione hominis fouens elementa, dissona dedit esse consona, decreuit hæc in beato viro, vt iam resoluta seorsùm proprios reuocarentur in ortus, & caro in suam redigeretur originem, spiritus iret ad eum, qui misit illum. Missis ergò ad exequenda conspicuis suæ dispositionis cooperatoribus, qui sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, iubet rescindi ligamina pectoris. Relaxantur artus, expediuntur latebræ, animæque difficiles moræ. Illa tandèm reseratis sibi claustrorum ianuis, exilit alacris, ac luce clariùs micantibus iungitur cælicolarũ turmis, cum quibus hymnizando penetrat aulam regni cælestis, pridiè Idus mẽsis Nouembris, & percipit à benigno remuneratore suo hereditatem incorruptibilẽ & incontaminatam & immarcescibilem, conseruatã sibi cum omnibus sanctis, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam illi & omnibus se diligentibus Deus ab æterno misericorditer præparauit, atque præparatam huic iuxta sui præsagium nominis sibi charo amico dignanter attribuit, affatus illum alloquio amicabili: Eugè chare mî, eugè serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Hinc illa sancta sancti viri anima, secretarium laudis æternæ ingressa, primaque beatæ immortalitatis stola induta, ineffabili exhilarata lætitia, vtpotè perenni viuens gloria, concinenti cum omnibus sanctis spiritibus melodia decãtans Alleluia, iugiter Deum in æterna collaudat secula.

Psal. 83. Psal. 62. Psal. 41. Hebr. 1. Feliciter exit è corpore. 1. Pet. 1. Esa 64. 1. Cor. 2. Matt. 25.

CAP. XVI.

Corpus eius apud Dauen. iam humatur. SAnè pura ac munda corporis eius vrna, in qua reposita fuerat felix anima, quæ multos cibauerat velut cęlesti manna, humo recõditur cum debita honorificentia in ecclesia portùs Dauentriensis. Cui loco hoc inditum constat vocabulum à Dauone quodam, honorifico ac potẽti viro, S. Lebuino, dum adhuc viueret, familiarissimo. Ecclesia autem ipsa ab eodem sancto viro & quibusdã fidelibus, vt iam diximus, constructa, sed ab infidelibus exusta, iterumque est reædificata, scilicet tempore, quo primùm ad dandam sciẽtiam salutis incredulis olìm Saxonibus, per beatũ doctorem Lebuinum visitauit eos oriens splendidissimus, illuminare in tenebris, & in vmbra mortis sedentibus, vt in viam pacis dirigeret eorum gressus ipse sol iustitiæ Christus, in se-

Luc. 1.

in secula benedictus. Decursa igitur, vtcunquè potuimus, de gestis beati confessoris Christi Lebuini narrationis serie, libet pauca de inuentione eius subnectere.

CAP. XVII. De translatione S. Lebuini.

POst felicem illius ad cælestia trãsitum, hostis instinctu maligni contigit, Saxones, quorum maxima pars adhuc in infidelitate durabat, basilicam, qua sacrum corpus iacebat humatum, iterùm succendere, & cuncta circunquaquè vastare. Et cùm per triduum eius quærerẽt sepulcrum, Deo prouidente, reperire nequiuerunt. Vndè accidit, vt idem locus diù solitudinem pateretur. Saxones ei⁹ inflammãt ecclesiã, sed corpus inuenire non possunt.

Intereà Gregorio venerabili Abbate, cuius suprà mentionẽ fecimus, ab hac instabili habitatione in domum æternitatis migrante, consanguineus eius Albricus dignitatem suscepit Traiectensis cathedrę. Qui cùm haberet quendã virum Deo dignum, sibi speciali affectu deuinctum, nomine Ludgerum, postmodùm pontificali honore sublimatũ, sic affatus est eum: Mî frater charissime Ludgere, cùm nouerim te ea, quæ ad diuinam pertinẽt religionem, studiosè exquirere, hortor ac postulo, loco illi, quo sacrum corpus Lebuini Christi sacerdotis recõditum fuit, te curam impendere, & vt à te, Deo reuelante, inueniri valeat, magnoperè elaborare, atque ad concinnandas Deo laudes templum inibi super illud ædificare. Qualis etenim quantusque vir fuerit, tua fraternitas optimè nouit. His acquiescens monitis egregius Ludgerus, omni adhibita solicitudine, agrũ, in quo thesaurus ille erat absconditus, excolit pro viribus, similis homini bonam margaritã quærenti studiosiùs. Et quanuis minimè, quod desiderabat, valeret inuenire, mœstus oppidò, tamen intra spatium loci, quo putabatur contineri, cœpit basilicam ædificare. Sed bono viro bona quærenti non defuit manifestatio bonitatis Domini. Visum deniquè ei est in somnis, sanctissimum Christi sacerdotem Lebuinum secum loqui, & sui detegere locũ sepulcri, seque ità affari: Laudabile, inquit, ac Deo placitũ tuum approbo studium, mî frater amantissime Ludgere, quòd ad honorẽ nominis Dei templum iam olìm dirutũ conaris restruere. Mei verò membra corpusculi reperies remoto hoc, quẽ erigis, pariete Australi. At seruus Domini Ludgerus nil hæsitans de visione, aggregata Cleri plebisque plurima concione, atque subruto quem erigebat pariete, in loco sibi præostẽso, quod desiderabat, se gauisus est inuenisse. Oblata itaque Deo, vt dignũ erat, in hymnis & psalmis gratiarum actione, dilatari fecit spatium ędificij illius, quatenùs inibì clauderetur thesaurus, à se, Domino reuelante, repertus. Quantùm deniquè sit preciosus, ab eo tempore vsque in præsens signis declaratur ac virtutibus, quæ per eius merita in suos fideles operari semper dignatur ineffabilis potentia benigni Iesu, Dei & Domini nostri: Qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

S. Lebuinus appãret Ludgero.

Inuenitur corpus S. Lebuini.

Edũtur miracula.

EGLOGA ECCLESIASTICA RADBODI S. TRAIECTENSIS ECCLESIAE FAMULI, DE VIRTUTIBUS

B. Lebuini presbyteri, & de sancto nomine eius, quod non sine quodam futurorum præsagio sortitus esse creditur.

Is S. Radbodus fuit Traiectẽsis Ecclesiæ Episcopus, cuius vita est 29. Nouẽbris hoc VI. Tomo. 29. Nouẽbr.

INclytus Anglorum veniens Lebuinus ab oris,
Sacris virtutum remis, & remige Christo,
Sæua procellosi compressit flumina Rheni,
Cuius fortè graui turgebant ostia flatu,
Exagitata feris persæpè Aquilonibus antè:
Atque ea diuinæ fuerant sic inuia naui.
Sed postquàm sanctus rabidas perflauerat vndas,
Cælitùs emisso semèl impetrauit ab Austro,
Corruit immitis Boreas, moxque æquore tuto,
Suscepit placidus Pacis nauigia Rhenus.
Hæc vbì successu portum petiêre secundo,
Vrbis in antiquæ perfixa est ancora glebis,
Et lapidis firmata situ: nè fortè solutas
Turbine quassaret rursùs vis horrida puppes.
Tum verò insignem mirata est terra colonum
Condemnare suas cælesti fomite messes,
Ac malè nata solo diuinis vrere flammis.

Hos allegoricis decernere vitibus agros,
Illos sinceri sulcis addicere farris,
Arboribus quosdam fidei exercere locandis,
Qui sua vicino collustrent germina cælo.
Cernere erat steriles splendescere floribus herbas,
Fœcundumque nemus fruges nutrire salutis,
Nil non proficuum campos redolere per omnes,
Postquàm diua seges felicibus hæserat aruis.

Multos colligit sanctæ prædicationis fructus, S. Lebuinus

Hæc typicè noster gessit Lebuinus, amice,
Si benè perpendis, quid spiritus innuat odis.
Nam pepigit vites, cùm multos codicis almi
Struxerat eliquijs, cùm dogmata mystica sparsit.
Triticeam posuit messem, cùm pectora munda
Esse dedit, castumque Deo subtexuit agmen.
Porrò autem arboreas studuit plantare nouellas,
Robora cùm fidei statuit, cùm pacis oliuam
Crescere, cùm fructus fecit pollere perennes.
Iure igitur summo à nobis tractatur amore,
Iure illi venerandus honos impenditur. altor
Qui probitatis erat, veriquè assertor opimus,
Errorum domitor, vitij calcator auari,
Arca pudicitiæ, frugi quoquè virginis aula,
Virtutum turris, pacis seu lucis oliua.
Postremò ipsius, quàm carmina cuncta verentur,
Et quæ terreno spoliat se dapsilis auro,
Quæque Deo cognata, mori pro fratribus optat,
Virtutis, cum spe æternæ custodia vitæ.
Ergò tibi prudens lector, tibi consule, quæso,
Et mecum, sancto Domini solennia vota
Nè tardes offerre, virum hunc quia diligit omnis

Dilect⁹ Deo & hominib⁹ S. Lebuinus

Dilectus Christo. Christum nam diligit ipse,
Atque ipsum Christus, flagrans amor ardet vtrinquè,
Sed Christi de parte magis. minus est quia totum
Quod mortalis agit, superant diuina caducum.
Nos quoquè, quos semper famulos Lebuinus habebit
Nos quia semper amat, deuotè hunc semper amemus,
Suauibus & modulis Christi cantemus amicum,
Ipsius & nomen Latio sermone canatur,
Quale sonat, toto diuisus ab orbe, Britannus.
Nanque illic puerum dixêre crepundia paruum
Liafuuim, quod sacrum post hæc baptisma probauit,
Decreuitque Deo dulce & memorabile nomen.

Interpretatio nominis eius.

Nam si vertatur Liauuim, quod cuna sonabat,
Carus amicus erit. sed verbum augere necessè est,
Cuius, siue Cui. Melius quid conuenit istic,
Quàm si lege metri Christo, Christive subaudis?
Hæc duo si copules, sancti vocitamen adimples.
Atque in vtroque places. cùm te Romanus & Anglus
Audiat exultans, laudat idioma docentem
Quod patrium armatos, translatum pascit inermes.
Eccè autem cohibere monent fastidia carmen,
Nè Musis doctas lædam ruralibus aures:
Quod facilè, stipulis cùm quiddam garrio nostris,
Accidit, Arcadici quæ rudunt more peculî.
Vixque aliquis curet calcem expectare canoris,
Cui neque saltem obolo primordia digna videntur.
Sed refert, quid quisque canat. nos ocia fœda
In melius mutâsse rati, spirantis amomi,

Palma-

Palmarumque inopes, Siluano extorsimus algam.
Quam Lebuine vides sacer ac memorande sacerdos.
Hanc precor, vt Christum recolens, nil fastibus vsum
Pallentis viduæ potiùs cessisse minutis,
Gratam habeas, precibusque tuis mea vincula soluas,
Et vera facias, post diuersoria carnis,
Libertate frui, sacris cum cœtibus Agni.

SERMO BEATI RADBODI S. TRAIECTENSIS ECCLESIAE DEI FAMVLI, ET POSTEA *Episcopi, presbytero.*



SAEpe cõtingit, fratres charissimi, vt inter epulas grata sit cõuiuantibus fabulosa narratio, & oppressum cibis carnalibus animũ quęlibet figmentorum persequatur esuries: dumque suî oblita mens, ad tempus ob repletionem corporis obsonium spirituale fastidit, magìs appetat species vanitatũ quibus aures carnis oblectet, quàm doctrinæ cælestis dulcedinem qua nauseantẽ animam vera & perpetua suauitate reficiat. Verùm nobis in præsenti lectione multò aliter euenire lętamur, qui quanto hanc solenniùs carnis aure percipimus, tanto eam auidiùs incordamus, atque idipsum quod sumimus post venerandam esuriem satietatis opulentiam, post felicem satietatem, rediuiuam esuriem in nobis creare non dubitamus. Itaque vt manifestiùs eluceat, quæ (vt dicitur) cupedia spiritualibus famelicis hoc narrationis genere promittuntur, ponantur iam super cælestem mensam fercula delicijs omnibus huius seculi gratiora, ex quibus suauissimas vitæ perennis epulas capientes, tam iocundæ refectionis authori Deo gratias referamus, qui per singulos annos dulcissimi conuiuij participatione clemẽter nos exhilarat, dum beatissimi nobis Lebuini memoriam annua natalis sui festiuitate, tanquàm panem Angelorum ex ipso pietatis suæ cophino prolatum repræsentat. Quo dum deuotè vescimur, salubriter esurimus, copiosissimè pascimur, hilariter exultamus. His consequenter adiungitur habitudo mentis pulcherrima, fortitudo inuicta, salus continua, cõtemptus mundi, appetitus cælestium, desiderium futurorum. Quocircà oportet nos perpendere fratres, quantę sint deliciæ quæ porriguntur, vt easdem sumere auido corde non differamus: quibus repleti nulla formidemus machinamenta hostium, nullo terreamur grandine secularium tempestatum. Atque vt hoc diuina miseratione assequi valeamus, huius nobis sanctissimi viri exemplum sufficere posse credimus, qui inter aduersa mundi & prospera, sæuientis fortunæ impetum, quemadmodùm turris Sion, & porta Hierusalẽ præsidio Angelico defensa recussit, cassatisq; ictibus machinarum in sempiternæ fidei soliditate persistere meruit. Ad tantam verò perfectionẽ quibusdam bonorum naturalium gradibus ascendit, quibus quasi scalis euectus, terrena transiliens cęlorũ alta feliciter penetrauit. Deniquè in infantia sua Deo & hominibus charus extitit: cumq; esset ingenio docilis, animo mitis, pauper spiritu, meritis diues, viris probatis certatim annitentibus habitum religionis assumpsit, in quo ità Christo & Ecclesiæ suæ deuotus effectus est, vt coæuos suos literali sagacitate pręcederet, maioribus officiosissimè parêret, perfectorum imperijs tanquàm à Deo datis vera humilitate præditus acquiesceret. Porrò in pueritiæ annis, morum honestate sectatus est venerandam senum canitiem, innocentis vitæ simplicitatem doctrinæ cælestis eruditione componẽs. Pubertatis autem spatia, non lasciuientis animi voluptatibus effœminauit, sed potiùs rigore frugalitatis, & iugi laborũ exercitio, rebellionem iuuẽtutis edomuit, castigans corpus suum & in seruitutem redigens, nè fortè cùm alijs prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Huius siquidẽ philosophiæ nobilissimos professores, multos in sancta Ecclesia esse sciebat: inter quos felicis memoriæ Vuilibrordum atque Bonifaciũ Pontifices in vineæ cultura Dominicæ apprimè laborâsse audierat, ideoque animũ Deo placitis operibus exercebat, vt quos habuerat in Christianitatis prouectibus socios & patres, eosdẽ haberet in ęterna felicitate consortes. Enimuerò quia tantorum familiæ Christi luminarium sacra mẽtio nostris relationibus, acsi quidam venerãdæ lucis radius, illapsa est, intermisso paululùm superiore stylo, viros non sine mentis alacritate memorandos, dignis laudũ præconijs ad honorem Dei, prout possumus, extollamus: vt Lebuino nostro tanto crescat altior gloria, quanto se præceden-

[Margin notes:]
Historiæ Sanctorum quid vtilitatis lectori adferant.
S. Lebuinus inter aduersa & pspera semper stabilis & constans.
Fit Monachus.
Is ætate puer, moribus canus.
1.Cor.9.
S. Vuillibrordus & Bonifacius, huius sancti conterranei & prædicationis socij
lege vitam S. Swiberti 1. Martij.

cedentium probabilior fuisse dicitur vita: quandoquidē nullis diuerticulis ab eorum tramite declinauit, qui tantorū vestigia ducum summis nisibus fuerit executus. Quapropter cùm illorum religiositas exprimitur, iste laudatur. Cùm horum studia prænotantur, iste totus depingitur. Cùm illorum præliandi aduersùs potestates aëreas certamina referuntur, huius triumphus euidenter exponitur. Atque ex huiusmodi coniecturis facilè colligitur memoria * piorum vitam illustrari sequentium: & augeri filijs honestatem, cùm eosdē patrum gloriosè viuentiū fulcit authoritas. Viros igitur, quos præmisimus, sanctos admodùm fuisse non dubitamus: quorū alter confessione, alter martyrio in comitatum Agni suscipi meruit, habentq; nunc hæreditatem cum Christo, qui in hac vita nunq̃ passi sunt separari à Christo. Hos certè nobis imitabiles diuina pietas condonauit: vt quem deterrer à gladio manus violenta carnificis, magnum Vuillibrordum in diuinæ pacis quietudine Domino laudabiliter seruiētem, si possit se æquiparet: qui aūt se agonistis comparabilem existimat, sanctū Bonifacium fuso pro Christi amore sanguine subsequi non formidet. Quòd si defuerit perēptoris atrocitas, ipse sibi manū diuina romphæa perarmet, ipse sibi spiritualiter, & persecutor efficiatur, & martyr, dummodò aut vnius in pace munditiam, aut alterius in carnificio adipisci non negligat palmam. Sed his summotenùs memoratis, repetenda est nobis historia, quàm pauloantè nos omisisse perscripsimus: quæ tamē penitùs omissa non est, quia subindè se inter cætera animo huic semper inhærente opposuit affectus dictantis, nescio qua dulcedine delibutus dum superiora componeret reliquorum quidem digitis, Lebuini autem iugiter corde conterunt. Sanè quia de illo inprimis scriptitare decreuerat, licèt viros preciosissimos repentè in mediū proferret, ab huius tamen intuitu cogitantis intentio summoueri non potuit: quoniā bona quæ de ipso dici queant vltrò se offerunt. quæ si quis omnia exponenda præsumeret, Tullianæ, Plautinæve eloquētiæ floribus indigeret. Beatus igitur Lebuinus inter feros & semibarbaros hominū mores constitutus, agni innocētiam retinebat, memor Dominicę vocis qua dixerat, se Apostolos sicut agnos inter lupos missurum. Nec viro sancto defuit serpentina prudētia, dum si quis capiti suo, id est, Christo, iniuriam facere pertentaret, ille pro eo totum corpus indubitanter obijceret. Vndè factum est vt in virtute Altissimi, ad diuinum caput membra connecteret, vtpotè vt qui se inter ista medium quasi charitatis viscerū inserebat, infimaq; summis copulans, infirmitatē humanam dignitati Angelicæ coæquare studebat. Sapiens planè Architectus, qui cælestem ædificans domum, petram in fundamento locauerat, nè furentibus ventis, nè procellis æstuantibus, postremò nè impugnata totius aduersitatis machinis virtutū contignatio læderetur. Petra aūt erat Christus. Age ergò quisquis hæc audire desideras, num tibi quippiam videtur aut illa cōnexione salubrius, aut ista firmitate solidius, dū quod ibi copulatum est nulla resolutione laxatur: quod hîc fundatum est, nulla tempestate subuertitur. Quòd si fortè cuilibet monstruosis fabulis aurem accommodare vacat aut placet, inuitum se veris relationibus, huiusmodi vanitate demonstrans, poëtarum deliramentis incumbere poterit, qui vsque adeò præstigiosis figmentorū imaginationibus dementati sunt, vt ne ipsa quidem, quæ interdum esse falsissima asserebant, falsa esse cognoscerent. Nos de sancto Dei Lebuino nihil mentitos esse, testem habemus Ecclesiam, quæ huius beneficijs cumulata, quàm grandis apud diuinitatē meriti fuerit, crebris remediorum prouentibus confitetur. Cui quidem ea quæ de illo dicimus grata fore indicio est, quòd legēti tantus adsistat populus auditorū, vt compressum multitudinis etiam hi pertimescant, qui in tuto loco stare videntur, vixque in digressu aliquis inueniatur, qui non Deo gratias referat pro eo quòd se patrocinium Lebuini audisse pariter & sensisse cōmemorat. Vnde nobis adhuc vel pauca locuturis arbitramur neminē succensurum, quippè cùm spiritum Dei in ipso templū ędificâsse, atque id sibi habitabile fecisse procedens sermo declamet. Idipsum verò inter Matutinas laudes (vt credo) cantabitur. sed in lectione omitti non debuit, quo vtriusque vocis ministerio quanti apud suos habeatur vir Christo amabilis accipiat cōmendatum. Quod autem præmittitur tale est. Spiritus sanctus (vt ait scriptura) in corde viri iusti habitat. Nam templum ipsius est anima ab omni iniquitate aliena, in quo non carnalis victima cæditur, sed spirituales hostiæ offeruntur. nec fit ibi sola emundatio corporis, sed & remissio vera peccati & abolitio perpetuæ mortis. Hoc templum dici & esse meruit beatus Lebuinus, cùm præstante Domino à criminum fieret contagio mundus, per eum qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Margin notes: for.* priorū — S. Vuillibrordi vita habetur præsenti tomo 7. Nouēbris — S. Bonifacij verò martyrium Iunij quinto. — S. Lebuinus agnina innocentia præpollet. — Matt. 10. — Luc. 10. — Matt. 7. — 1. Cor. 10. — Poëtarum deliramēta plena mendacijs. — S. Lebuinus quanti sit apud Diuinitatē meriti. — S. Lebuinus templū spiritus sancti.

MAR-

MARTYRIVM SS. ANTONII PRESBYTERI, ZEBINAE, GERMANI, ET ENNATHAE VIRGINIS, EX *Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij Lib.8. cap.19. interprete Iohanne Chriſtophorſono Anglo.*



IMVLATQVE tam multis, tamq́ue egregijs magnanimorum Chriſti martyrum facinoribus ingẽs perſecutionis æſtus deferbuerat, & velut ſacro illorũ cruore flamma eius extincta erat, & iam remiſſio ac libertas cõfeſſoribus ex Thebaide, qui metallorum in eo loco naſcentiũ laboribus oppreſſi fuerãt, conceſſa, & nos Chriſtiani tanquàm pulchra quadam pacis ſerenitate noſipſos eramus iam recreaturi: deintegrò certè ipſe, penès quẽ perſequendi poteſtas erat, neſcio quo pacto, quáve animi cõmotione rurſùs cõtra Chriſtianos mirè inflãmatur. Proindè eximprouisò Maximini literæ contra nos vbiq; in ſingulas prouincias miſſę fuerũt. Vndè pręſides & ſummus dux totius Imperatoris exercitûs, tabulis, epiſtolis & publicis edictis, ciuitatis cuiuſq; curatoribus vnà cũ Pręfectis pręſidiorum & tabellarijs pręcipiunt, vt edictũ Imperatoris ad exitum perducere maturent: mandauitque, vt cũ omni celeritate idolorũ delubra, quę ceciderant, reficerent & denuò ędificarẽt: quinetiam efficerent, vt omnes omninò viri cũ vxoribus, famulis & pueris, matrũ vbera adhuc ſugẽtibus, immolarent, libamina afferrent, & ipſa ſacrificia re ipſa deguſtarẽt, & cibaria in foro venalia, impuris ſacrificiorum libationibus contaminarentur: & pro foribus deniquè balnearum quidã quasì cuſtodes conſtituerentur, vtì qui in his ſordibus eſſent abluti, pòſt ſceleſtis & nefarijs illis victimis ſe inquinarent.

Nouẽbr.13. — *Maximinus ſęuit in Chriſtianos.* — *Iubet delubra idolorũ reſtaurari, & ſacrificare Chriſtianos.*

Quibus rebus ad hũc modũ confectis, cùm noſtri deintegrò, vt veriſimile erat, maximis curis & mœrore tenerẽtur implicati, & gẽtiles ipſi de intolerabili & nimia horum ſcelerũ abſurditate admodũ conquererẽtur, (Nam iſta illis nimiùm faſtidij, nimiumq́; importunitatis cõplecti viſa ſunt) & calamitoſiſſima tẽpeſtas paſsìm omnibus impendéret, diuina Seruatoris noſtri virtus & potentia his athletis tãtam denuò animi iniecit fidentiam, & quasì cælitùs inſpirauit, vt cùm nemo illos vi impelleret, raperetque ad fidei ſuæ confeſſionem, vltrò offerrent ſeſe, & omnes eiuſmodi terrores ac minas ſtrenuè protererent, & tanquàm pedibus prorsùs conculcarent.

Idcircò tres ex fidelibus ſimul vno animorũ conſenſu, contra pręſidem immolantem inſiliunt, & alta voce, tali errore atque amentia deſiſtere, hortãtur. Nam non alium eſſe Deũ, pręter eum qui omnium rerũ effector & architectus eſt, aſſerunt. Rogati ergò, quinam eſſent, Chriſtianos ſe audacter confitentur. Qua de cauſa Firmilianus acriùs & vehementiùs concitatus, abſq; vllo alio ſupplicij genere capite mulctandos tradidit. Quorum vnus presbyter erat, nomine Antonius: alter Zebinas vocabatur, ex ciuitate Eleutheropoli prognatus: tertio Germanus nomen fuit. Decimotertio die menſis, qui Dius dicitur, id eſt, Idibus Nouembris, hæc de iſtis acta ſunt.

Chriſtianorum quorũdam inſignis libertas & fortitudo. — *Cæduntur capite.*

Eodem die mulier quędã Ennathas noĩe, ex vrbe Scythopoli orta, virginitatis quasì coronis pulchrè adornata, vnà cũ illis martyribus eò acceſſit: quæ nõ vltrò ſe obtulit, vt illi, ſed vi tracta fuit, & ad iudicẽ adducta. Idcircò poſt verbera, & graues contumelioſosq; cruciatus, quos iudex ei infligẽdos curauerat, tribunꝰ quidã, qui illic in proximo magiſtratũ gerebat, appellatus Maxys, homo nõ tam nomine, q̃ tota vitę ratione nequã, & vt alijs rebus ſceleſtus & perditus, ità tum corporis viribus ſupra modũ robuſtus, tum moribus ferus & crudelis: tum apud oẽs, qui illũ nôrant, infamia & dedecore notatus, abſq; authoritate maioris poteſtatis, hanc beatam virginẽ aggreditur, eamq́; omni veſtitu vſq; eò exuit, vt corpus à lumbis ſolùm ad pedes cõtegeretur, reliquũ aũt nudũ exiſteret. Hanc ꝑ vniuerſam ciuitatẽ Cęſareã vndiq; circunduxit, loriſq; per totũ forũ & publicas plateas tractã, non ſine quadã animi ſui oblectatione verberauit. Quã poſt tot cruciatus, cùm conſtantiſſimã animi firmitudinẽ ꝓ tribunali, vbi Prefectus cõſidere ſolebat, in fide tuẽda oſtẽdiſſet, iudex viuã igne cremandã tradidit.

Ennathas virgo ad iudicem trahitur. — *Cruciatur.* — *Crudeliter flagellatur.* — *Ignibus cõcrematur.*

Iſte igitur immanitate longiùs progrediens, & rabiem propè belluinam contra pios in dies adaugens, adeò extra naturæ leges penitùs egreſſus eſt, vtì inanimis ſanctorum virorum corporibus ſepulturam impudens inuideret: & propterea cadauera ſub dio, vt à beſtijs dilaniarentur, noctù aſſiduè & interdiù ſeruari præcepit. Itaq; non

exiguum hominum numerum, multorum dierum ſpatio, huic immani & barbaro mandato inſeruientium, cernere licebat. Quinetiam alij ex ſpecula & loco edito, tanquàm operæprecium facturi, nè cadauera ſurriperentur, ſedulò obſeruabant. Itaque agreſtes beſtię, canes & aues carniuoræ membra diſcerpſerũt humana, eaq; huc illuc diſperſerunt: & tota ciuitas vndiquè viſceribus oſſibusque hominum conſtrata fuit adeò, vt illiſipſis, qui antè fuiſſent infeſto animo in nos affecti, nihil vnquàm crudelius, nihil adſpectu horribilius videretur: neque tam eorum calamitatem, in quos hæc admiſſa erant, quàm cùm ſuamipſorum, tum communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnium, non vno loco deuoratarum, ſed vbique miſerè diſiectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnemque Tragœdiæ ſpeciem, longè ſuperat) prope ciuitatis portas cuiuſque oculis ſubiectum fuit. Nonnulli autem membra, cadauera integra, & viſcerum partes etiam intra portas ſe vidiſſe dixerunt.


Horrẽdum ſpectaculũ.

Dum permultis diebus iſta gerebantur, tale quoddam miraculum accidit. Cùm clara eſſet ſerenitas, & aër pulchrè ſplendeſceret, totiusque cæli omnia ſuo complexu ambientis ſumma extaret tranquillitas, derepentè columnæ ciuitatis, quæ publicas & cõmunes porticus ſuſtentabant, multas veluti lachrymarũ guttas quodammodò ex ſe profuderunt. Forũ itèm & plateę, nulla pluuię gutta ex aëre decidẽte, neſcio vndè, quó ve modo, aqua adſperſę maduerunt: ſic vt ilicò rumor per omniũ ora volitaret, terram, vtpotè rerum id temporis geſtarũ ſcelus & impietatem non ferẽtem, inexplicabili quadam ratione, lachrymarũ vim ex ſe fundere, & lapides naturamque inanimam nefaria ea facinora deflere, quò hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamq; ab omni affectione vacuam, iuſta repræhenſione coargueret. Verùm nugæ & fabulæ, propè dixerim, hæc quidem oratio poſteritati fortaſsè videbitur: non tamen his, qui eoipſo tempore prę̨ſentes, de rei veritate ſatis perſuaſi fuerunt.

Admiranda prodigia.

DE S. METRIA MARTYRE, VT AIT VSVARDVS: QVEM TAMEN GREGORIVS TVRONENSIS HAbet inter Cõfeſſores (ſi modò is idẽ eſt) cap. 71. vndè ea, quæ ſequũtur, deſcripſimus.

Nouẽbr. 13.



QVENSIBVS eſt cõceſſus inclytus athleta Metrias, vir in corpore, iuxta hiſtoriam actionis, magnificę ſanctitatis: & licèt *ditione ſeruus, liber tamen iuſtitia qui, vt ferũt legẽtes certaminis eius textum, peracto curſu beati operis, à ſeculo victor abſceſſit, ſæpiùs, ſe in cęlis degere, virtutibus manifeſtis oſtendens. Temporę igitur quodam, cùm Franco Epiſcopus huius municipij Eccleſiã gubernaret, Childericus, qui tunc primus apud Sigebertum Regem habebatur, villam eius competit, dicens, quia iniuſtè ab Aquenſi Eccleſia retineretur: & dicto citiùs conuenitur Epiſcopus, datisque fideiuſſoribus, in præſentia Regis aſſiſtit, clamans & obſecrans, vt Rex ad huius cauſæ audientiam, præſentiam ſuam auerteret, nè cæleſti iudicio condemnetur, addens: Scio enim virtutem Metriæ viri beati, quòd velociter in peruaſorem ſuum irrogat vltionem. Deniquè coniuncti *auditores, cauſam diſcutiunt. Inſurgit Childericus, atque improperans, criminibus exaceruatum Epiſcopum, quòd res fiſci ditionibus debitas, iniquo ordine retineret, extrahi eum vi à iudicio iubet, & *tandèm ablata per iudicium præſentium villa, trecentis aureis condemnauit. Fauebant ei omnes, nec quiſquam contra voluntatem eius audebat decernere, niſi quod eidem libuiſſet.

for. * conditione

Franco Epiſcop' Aquẽſis.

*adiutores

*tantùm

Deniquè condemnatus ſpoliatusque ſacerdos, ad vrbem redijt, atq; proſtratus in orationem coram ſepulcro ſancti, dicto Pſalmi capitello, ait: Non hic accendetur lumen, neq; pſalmorũ modulatio canetur, glorioſiſſime ſancte, niſi priùs vlciſcaris ſeruos tuos de inimicis ſuis, resque tibi violenter ablatas, Eccleſiæ ſanctæ reſtituas. Hæc cum lachrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum proiecit: egreſſusque clauſis oſtijs, ſimiliter in ingreſſu alias collocauit. Nec mora: corripitur peruaſor à febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, faſtidit & potum, profert æſtuans iuge ſuſpirium. Cui etiamsì ab ardore febris, interdùm ſitis accederet, aquam tantùm, nihil aliud, hauriebat. Quid plura? In hac ęgrotatione integrũ ducit annum, ſed mens praua non flectitur. Intereà labitur cæſaries cuncta cum barba, & ità omne caput

Epiſcopus S. Metriam orat, vt res Eccleſiæ ſuę erepta reſtituatur.

caput remansit nudum, vt putares eum olim sepultum, nupèr eiectum fuisse post funera de sepulcro. His & talibus miser afflictus malis, serò recogitat, dicens: Peccaui, eò quòd expoliauerim Ecclesiam Dei, atque Episcopo sancto intulerim iniuriam. Nunc autem ite quantocyùs, & reddita villa, sexcentos aureos super tumulum sancti deponite. Est enim mihi spes, quòd res reddita tribuat ægrotanti medelam. Quod audientes homines eius, accepta pecunia, fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidosque super sepulcrum serui Dei posuerunt. Sed cùm hoc fecissent, statim ille in loco, quo erat, spiritũ exhalauit, lucratusque est detrimentũ animæ per adeptionem acquisitionis iniquæ. Episcopus autem obtinuit vltionem de inimico Ecclesiæ, quam promiserat futuram per athletæ Dei virtutem. Nota terribile Dei iudicium in vsurpatorẽ rerũ Ecclesiasticarũ.

VITA SANCTI BRICTII EPISCOPI TVRONENSIS, ET CONFESSORIS, AVTHORE S. GREgorio Turonensi Episcopo, *Hist. Francorum Lib. 2. cap. 1.*



POST excessum beati Martini, Turonicę ciuitatis Episcopi summi & incomparabilis viri, de cuius virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Brictius ad Episcopatum succedit. At verò hic Brictius, cùm esset primęuę ętatis iuuenis, sancto adhuc Martino viuẽti in corpore, multas tendebat insidias, pro eo quòd ab eodem plerunquè, cur vanas res sequeretur, arguebatur. Quadam enim die, dum quidam infirmus medicinam à beato Martino expeteret, Brictium adhuc Diaconum in platea conuenit. Cui simpliciter ait: Eccè ego præstolor beatum virum, & nescio vbì sit, vel quid operis agat. Cui Brictius: Si, inquit, delirum illum quæris, prospice eminùs. Eccè, cælum solitò sicut amens respicit. Cumque pauper ille à beato Martino, quod petiẽrat, impetrâsset, Brictium Diaconum vir beatus alloquitur: Num ego, Bricti, delirus tibi videor? Cumque ille confusus hæc audiens, dixisse se denegaret, ait vir sanctus: Nónne aures meæ ad os tuum erant, cùm hæc eminùs loquebaris? Amen dico tibi, quia obtinui apud Deum, vt post me ad Pontificatûs honorem accedas. Sed nóueris te in Episcopatu multa aduersa passurum. Brictius hæc audiens: Nónne verum, inquit, dixi, istum delira verba proferre? Sed & Presbyterij honore præditus, sæpiùs beatũ virum conuicijs lacessiuit. Adeptus ergò, consentientibus ciuibus, Pontificatûs officium, orationi vacat: quia quanquàm esset superbus & vanus, castus tamen habebatur corpore.

Nouẽbr. 13. Brictius succedit S. Martino. S. Martinus obtinuit precib⁹ suis vt in Episcopatum ei succederet.

Trigesimotertio verò ordinationis eius anno, oritur contra eum lamẽtabilis causa pro crimine. Nam mulier, ad quam cubicularij eius vestimenta deferebant abluenda, quæ sub specie religionis erat, veste mutata, concepit & peperit. Qua de re surrexit omnis populus Turonorum in ira, & totum crimen super Episcopum referunt, volentes eum vnanimiter lapidare. Dicebant enim ei: Pietas sancti tuam celauit luxuriam. Non Deus sinat, manus tuas indignas osculando, nos pollui. Illo quoquè è contrario viriliter hæc negante: Afferte, inquit, infantem ad me. Cumque oblatus fuisset infans, triginta dies ab ortu habens, ait ad eum Episcopus: Adiuro te per Iesum Christum filium Dei omnipotentis, vt si ego generaui te, coram cunctis edicas. Et ille: Non es, inquit, tu pater meus. Populis autem rogantibus, vt, quis esset pater, interrogaret, ait Sacerdos: Non est hoc meum. Quòd ad me pertinuit, solicitus fui. Vobis si aliquid suppetit, per vos requirite. Tunc illi magicis artibus hæc facta asseuerantes, insurgunt contra eum in vna conspiratione: & trahentes eum, dicebant: Non diutiùs nobis falso pastoris nomine dominaberis. Ille autem ad satisfaciendum adhuc populo, prunas ardentes in birrum suum posuit. Et ad se stringens, vsque ad sepulcrum beati Martini vnà cum populorum turbis accedit: proiectisque ante sepulcrum prunis, vestimentum inustum apparuit, illo sic prosequente: Sicut istud vestimentum ab his ignibus videtis illæsum, ità & corpus meum à tactu mulieris est impollutum. Illis verò non credentibus, sed contradicentibus, trahitur, calumniatur, eijcitur, vt sermo sancti adimpleretur: Nóueris te in Episcopatu multa aduersa passurum. Hoc autem eiecto, Iustinianum in Episcopum constituunt.

Falsò ei affingitur crimen, quod non admiserat. Infans loquitur. S. Brictius fert prunas ardẽtes pan no illæso. Eijcitur à sede sua.

Deniquè

Deniquè Brictius Romanæ vrbis Papam expetijt, flens, eiulans, atque dicens: Meritò hæc patior, quia peccaui in sanctum Dei, & eum delirum & amentem sæpè vocaui, cui videns virtutes non credidi. Post cuius discessum, aiunt Turonici Sacerdoti suo: Vade post eum, & exerce negocium tuum: quia si eum non persecutus fueris, ad nostrûm omnium contemptum humiliaberis. Iustinianus verò egressus Turonis, Vercellas Italiæ ciuitatem ingressus, iudicio Dei percussus, obijt peregrinus. Turonici eius obitum audientes, & in sua malitia perdurantes, Armentium in eius loco constituunt. At Brictius Episcopus Romam veniens, cuncta, quæ pertulerat, Papæ refert. Et ad sedem Apostolicam residens, plerunquè Missarum solennia celebrauit: ibi, quicquid in sanctum Dei deliquerat, deflens. Septimo igitur anno egressus Roma, cum authoritate Papæ illius Turonos redire disposuit: & veniens ad vicum, cui nomen est Laudiaco, sexto ab vrbe Turonica milliario, mansionem accepit. Armentius verò febre corripitur: media autem nocte spiritum exhalauit. Quod protinùs Brictio Episcopo per visum reuelatum est. Qui ait suis: Surgite velociùs, vt ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum pontificem occurramus. Cumque illi venientes portam ciuitatis ingrederentur, eccè istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo sepulto, Brictius Episcopus in cathedram suam regressus est, septem feliciter posteà viuens annos. Cui post quadraginta septem Episcopatûs annos defuncto, sanctus Eustochius successit, magnificæ sanctitatis vir.

Turonici primò Iustinianum, deindè Armentium in eius locum substituunt.

Redit ad sedem suam.

VITA SANCTI QVINTIANI PRIMO RVTHENAE, DEINDE ARVERNAE CIVITATIS EPISCOPI:

Authore S. Gregorio Turonensi Episcopo, De Vita Patrum, Cap. 4.

Nouẽbr. 13.



OMNIS, qui se terrenę materię corpus ferre cognoscit, cogitare debet, nè in his deuoluatur, quæ terrena & carnis huius amica esse noscuntur: quia, iuxta Apostolum Paulum, manifesta sunt opera carnis, plena immunditia & iniquitate. pollutum enim & fœtidum hominem, qui ea sectatus fuerit, reddunt, atque ad extremum fletibus deputant sempiternis. Fructus autem Spiritûs est omne, quod in Deo pollet, ac iter, quod in hoc seculo mortificata carne animam exultare facit, in futuro autem gaudijs donat æternis. Vndè nos, qui nunc sumus in corpore positi, adspicere debemus, quæ operatus est Deus in sanctis suis: in quibus tanquàm splendido, candidoque ac leuigato meritis tabernaculo, diuersisque virtutum floribus adornato residens, extensa dexteræ maiestate, dignatus est per eos miseratione propria perficere, quæ petissent: sicut nunc per beatum Quintianum, de quo sermo futurus est, mentis nobilis generositate fulgidum, iustitiæ opus plerunquè compleuit. Ergò non nos more peccantium carnis sectatio ad terrena submergat ac deprimat: sed potiùs sanctorum exemplis illectos, prudenter intelligentes quæ Dei sunt, spiritalia nos opera ad cælestia ac sempiterna sustollant: neque in nobis mens ab impudicis actionibus victa luxuriet, sed æternitatis pro meritis vendicans solium, victrix sapientia regnet.

Galat. 5.

Edomanda libido.

Vita sanctorum cõtemplanda.

Igitur beatissimus Quintianus Apher natione, & (vt quidam volunt) nepos Fausti Episcopi, qui genitricem suam suscitâsse perhibetur, sanctitate preditus, virtutum dote fulgidus, charitatis igniculo feruidus, castitatis flore præcipuus, ad Episcopatum Ruthenæ Ecclesiæ eligitur, expetitur, ordinatur. In quo Episcopatu ampliatis adhuc virtutibus, cùm in Dei semper operibus cresceret, in auctam anteà beati Amantij Antistitis basilicam sanctum corpus transtulit, sed non fuit sancto acceptabile hoc opus. Vndè factum est, vt per visum appárens, diceret ei: Quia ausu temerario artus in pace quiescentes visus es amouisse, eccè ego remouebo te ab hac vrbe, & eris exul in regione altera. Veruntamen non priuaberis ab honore, quo frueris. Non post multum verò tempus, orto inter ciues & Episcopum scandalo, Gotthos, qui tunc in antedicta vrbe morabantur, suspicio attigit, quòd se vellet Episcopus Francorum ditionibus subdere, consilioque accepto cogitauerunt eum perfodere gladio. Quod cùm viro sancto nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis,

S. Quintianus fit Episcopus Ruthenensis.

suis, ab vrbe illa egrediens, Aruernos aduenit, ibique à sancto Euphrasio Episcopo, qui Aprunculo quondam Antistiti successerat, receptus est, largitisque ei tam domibus, quàm agris & vineis, & ille, & qui Lugdunensi vrbi præerant, summa cum diligentia eum excolebant: erat enim iam senex, & verus Dei cultor.

Euphrasius & Aprunculus Episcopi Aruernorũ.

Recedente autem ab hoc mundo sancto Euphrasio, Apollinaris, tribus mensibus sacerdotio subministrato, migrauit. Cùm autem hæc Theodorico Regi nunciata fuissent, iussit inibi sanctum Quintianum constitui, & omnem ei potestatem tradi Ecclesiæ, dicens: Hic ob nostri amoris zelum ab vrbe sua eiectus est. Denique cùm sanctus Quintianus in antedicta vrbe potiretur Episcopatu, Proculus quidam ex ærario presbyter ordinatus, multas ei iniurias intulit, omnemque potestatem illi de rebus Ecclesiæ auferens, vix ei & satis tenuem quotidianum victum ministrari præcepit: sed per eius orationem à ciuibus correptus est prudentioribus, restituta ei omni potestate, & ab eo illius remotis insidijs. Antedictus tamen sacerdos non immemor iniuriæ, sicut quondàm Paulus Apostolus de Alexandro, ità & hic de Proculo decantabat, dicens: Proculus ærarius multa mala mihi fecit: reddet illi Dominus secundùm opera sua. Quod in posterum ei euenisse manifestum est. Erat autem vir beatus in oratione assiduus, & intantùm amator populi sui, vt adueniente Theodorico, ac vallante eum exercitu vrbem, sanctus Dei muros per noctem psallendo circuiret, & vt regioni vel populo Dominus velociter succurrere dignaretur, afflictus in ieiunijs atque vigilijs, instanter oraret. Porrò Theodoricus Rex, cùm cogitaret etiam muros vrbis euertere, mollitus est misericordia Domini, & oratione sacerdotis eius, quem in exilium retrudere cogitabat. Nam nocte pauore perterritus, de stratu suo exilit, ac solus per viam publicam fugere nititur: perdiderat enim sensum, nesciens quid ageret. Quod aduertentes sui, eumque retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes vt se signo salutari muniret. Tunc Hilpingus Dux accedens propius ad Regem, ait: Audi, gloriosissime Rex, consilium paruitatis meæ. Ecce muri ciuitatis istius fortissimi sunt, eamque propugnacula ingentia vallant. Quod vt pleniùs magnificentia vestra cognoscat, de sanctis, quorum basilicę muros vrbis ambiunt, hęc loquor: sed & Antistes loci illius, magnus apud Dominum habetur. Noli facere quod cogitas, noli Episcopo iniuriam inferre, aut vrbem euertere. Cuius consilium Rex clementer accipiens, præceptum posuit, nè vllus ab octauo vrbis milliario læderetur. Quod obtentu Sacerdotis præstitum, nullus ambigat. Tunc Proculus ille presbyter, irruptis Vtrensis castri muris, ab ingredientibus hostibus, ante ipsum ecclesię altare gladiorum ictibus in frusta discerptus est: redditque illi Dominus, sicut Sacerdos cantare consueuerat, secundùm opera sua.

Idem Apollinaris.

S. Quintianus ei succedit.

2. Tim. 4.

Theodoric rex punitur, dum ei exilium intẽtat.

Proculus presbyter, viro Dei valdè molestus, miserè perit.

Post peractam igitur stragem cladis Aruernæ, Hortensius vnus ex senatoribus, Comitatum vrbis illius agens, quendam de parentibus sancti, Honoratum nomine, in vrbis platea nequiter retineri iussit. Quod celeriter beato viro nunciatum est. Tum ille per amicos suos cœpit rogare, vt eum data audientia solui iuberet. Quod ille nullatenùs præstitit. Tunc beatus senex deferri se in plateam, qua ille tenebatur, iubet. Allatus autem rogabat milites, vt eum dimitterent. Illi verò timentes, obedire ausi non sunt Pontifici. At sacerdos: Ad domum, inquit, Hortensij me velociter deportate. Erat enim senex valdè, & proprijs pedibus ire non poterat. Deferentibus autem eum in domum Hortensij ministris eius, excutiens in eam puluerem calceamenti sui, ait: Maledicta sit domus hæc, & maledicti habitatores eius in sempiternum, fiatque deserta, & non sit qui inhabitet in ea. Et dixit omnis populus, Amen. Et adiecit: Quæso, Domine, nunquàm de istius generatione promoueatur quisquam ad Episcopale sacerdotium, qui Episcopum non exaudit. Egresso autem ex ea Sacerdote, protinùs omnes familiæ, quæ in domo illa erant, à febre corripiuntur, & parumpèr ingemiscentes, spiritum exhalabant. Quod cùm iam die tertia ageretur, videns Hortensius sibi nihil de suis seruis reseruari, timens nè etiam & ipse pariter interiret, ad sanctum virum mœstus ingreditur, proięctusque ad pedes eius, cum lachrymis veniam rogat. Quam ille benignissimè indulgens, benedictam aquam domui transmisit, illaque per parietes respersa, omnis ægritudo protinùs est depulsa, ac magna ibi virtus apparuit. Nam & qui morbum incurrerant, sanati sunt: & qui sanati erant, vltrà non incurrerunt.

Nota diuinam vltionem.

Aquæ benedictæ vis.

In Ecclesiasticis verò scripturis eruditus est habitus hic sacerdos: sed & in eleemosynis magnificus fuit. Nam cùm pauperẽ aliquem clamare cerneret, aiebat: Succurrite,

Benignitas eius an pauperes.

rite, quæso, succurrite, & pauperi victûs necessaria ministrate. ignari enim estis ô desides, an forsitàn ipse sit, qui se per Euangelicæ Lectionis seriem reficiendum in pauperibus minimis esse mandauit. Eijciebat autem dæmonia se confitentia. In monasterium verò Candidobrense veniens, cùm energumemum quendam reperisset atrociùs debacchantem, misit presbyteros, vt ei manus imponerent: sed cùm eorum exorcizatione larua non fuisset expulsa, sanctus Dei cominùs appropinquans, immissis in os eius digitis, personam reddidit absolutam. Multa & alia miracula vir beatus operatus est, & oratione facta sæpiùs, quæ petîsset, à Domino obtinebat.

Matt. 25. — Expellit dæmonem.

Porrò in territorio Aruerno quodam tempore, cùm magna siccitas arua consumeret, & arentibus herbis, nulla penitùs iumentis pabula remanerent, & sanctus Dei Rogationes illas, quæ ante Ascensionem Dominicam aguntur, deuotissimè celebraret: die tertia, cùm iam portæ ciuitatis appropinquarent, suggerunt ei, vt ipse antiphonam dignaretur imponere, dicentes: Si tu, beate pontifex, deuotè antiphonam imposuêris, confidimus de sanctitate tua, quòd protinùs nobis Dominus pluuiam dignabitur benigna pietate largiri. At ille prostratus super cilicium suum, in ipsa platea diutissimè cum fletu orauit. Exurgens autem, antiphonam, quam petebant, imposuit. Verba autem ei ex illa Salomonicæ orationis serie, hæc erant: Si clauso cælo pluuiæ non fuerint propter peccata populi, & conuersi deprecati fuerint faciem tuam, exaudi Domine, & dimitte peccata populi tui, & da pluuiam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum. Cumque psallere deuotissimè cœpissent, penetrauit excelsæ potentiæ aures humilis oratio confessoris: & eccè contenebratum est cælum, ac nubibus obtectum: & priusquàm portam vrbis attingerent, descendit pluuia vehemens super vniuersam terram, ità vt omnes mirarentur, ac dicerent, ad preces beati viri hoc fuisse largitum.

Nota antiquissimum vsum Rogationũ ante Domini Ascensionem. — 3. Reg. 8. — Impetrat pluuiam summè necessariam.

Senuit autem sacerdos Dei, & intantùm ætate prouectus est, vt sputum oris in terram proijcere non valeret: sed adhibito labijs linteolo, in illud saliuas oris exponeret. Non caligauit oculus eius, nec immutatum est cor à vijs Dei: non seposuit vultum pauperis, nec metuit personam potentis: sed vna eademque ei fuit in omnibus sancta libertas, vt ità susciperet penulam pauperis acsi veneraretur togam inclyti senatoris. Obijt autem perfectus in sanctitate, & sepultus est in basilica sancti Stephani ad læuam altaris. Ad cuius nunc tumulum plerunquè quartanæ febris melancholia compressa restinguitur.

Præclara virtus eius. — Felix obitus.

VITA S. MAXELLENDIS VIRGINIS ET MARTYRIS, VT HABETVR IN MS. EXEMPLARIBVS,

incerto quidem authore, sed fide digna. Stylum hincindè correximus, & quædam contraximus.

Nouẽbris 13



TEMPORE illo, quo sanctus Vindicianus, à S. Vedasto octauus, Cameracensi seu Atrebatensi Ecclesiæ præsidebat, sancta Maxellendis in eadem Cameracensi prouincia inclytis admodùm parẽtibus, & generis nobilitate, & spectata religione claris, patre Humlino, matre Ameltrude, orta est feliciter, sed feliciùs renata. Indè parentum cura diligẽter enutrita, cùm iam adoleuisset, non, vt solet puellaris ætas, vanis adolescentularum conuenticulis & confabulationibus sese admiscebat, nec lubricis implicabat moribus: sed toto animo diuino se timori mancipans, quantùm iuuentus ipsa patiebatur, præcepta Euangelica intra pectoris sui penetralia complectebatur. Studio & cultui preciosarum vestium nullo modo vacare voluit, & ornamenta muliebria prorsùs respuit, meliorem illam animi pulchritudinem expetens, vt ei, cui se vouerat, per omnia placere posset.

Patria & parentes S. Maxellendis. — Optima vitæ institutio.

Fama autem illius & in propinquas & longinquas regiones sese diffundente, multi eam à patre illius sibi coniugem petiêre. Sed sciens ille filiam à coniugio abhorrere, eorum preces differebat. Erat in ijs nobilis quidam infaustus, Harduinus nomine: qui vt erat potentior cæteris, ità confidentiùs Humlinum & promissis & precibus ad assentiendum impellebat: nec priùs destitit, quàm voto esset potitus suo. Cumque certus esset sponsalijs præstitutus dies, lætus abscessit. Factum id est puella ignorante.

Desponsatur à parentibus vni viro, ea ignorante.

Itaq; post dies aliquot sciscitātur ex ea parentes, velit'ne nubere viro illi, cuius sit forma egregia, magna dignitas, multæ opes: aiuntq; posse eam etiā in matrimonio commodè seruire Deo. Virgo sancta, cuius animo iam hęc & terrena omnia viluerant, petit sibi dari spatium deliberandi in diem crastinum. Interìm tota nocte in preces incumbens, orat obnixè Dominum, nè sinat vnquàm corrumpi corpus suum, quod se vouisset ei castum & integrū conseruaturam: sed vires atq; robur sibi suppeditet, quô possit vincere aduersarios. Deindè & Euangelicis confirmata sententijs, & Angelica, vt aiunt, visione animata, manè accedit parentes, eosq; sic appellat: Decet quidem & me, & omnes diuinę legis cultores, parētibus suis eum, quē par est, habere honorem: sed si quid sinistrum & à via Dei alienum persuadere velint, haudquaquàm mos illis gerendus est, sed Deo potiùs obtemperandum. Ità cùm ego consilia vestra longè à salute mea discrepare videam, id vobis planè cōfirmo, me minimè facturam quod hortamini. Ego enim virginitatem meā ab infantia Christo consecraui. Non ergò, mî pater, cuiquam, me inscia, despondere me debuisti, pręsertìm cùm id ætatis iam attigerim, vt possim, quid sit è re mea, peruidere. Etsì autē à vobis dictum herì est, posse me & coniugio & Deo vacare, mihi certè perabsurdū videtur, prioris sponsi, id est, Christi redemptoris mei amori quemlibet mortalem, quantunuìs potentem, anteponere. Itaque mihi prorsùs decretum est, Christi me adiuuante gratia, nunquàm à sancto proposito deflectere. His dictis, non sine parentum offensione discessum est. Recusat planè matrimonium.

Iam verò aderat sponsaliorum dies, & Harduinus vltra modū nuptijs inhians, cum multa amicorum turba aduolat. Porrò Humlinus in magnas coniectus angustias, virginem admodùm reluctantem secum abducit ad locum, contrahendo matrimonio destinatum. Vbì quātùm se & dictis & factis virgo opposuerit, vix explicari verbis possit. Iam enim quodammodò præsentiens imminere sibi cædem, sic coram omnibus constanter & intrepidè locuta est: Video sanè, & admiror vos omnes, dum contra vnam venitis puellam, laborem multum frustrà suscipere, & prorsùs inania agitare consilia. Nam etiamsì Harduinus in ceruicem meam gladium vibret, Christo propitio, cui me tota deuotione commisi, nunquàm me sponsam habebit. Hæc cùm illa dixisset, alijs ad sua reuertentibus, ad paternas se recepit ædes, & deincèps plùs solito palàm se dedit pijs operibus exercendis: vacabat ieiunijs, vigilijs, orationibus, carnisque macerationi: pręstabat eleemosynas, refocillabat inopes, visitabat infirmos, & cætera misericordiæ officia exhibebat, idque tanto ardentiùs, quanto celeriùs se per martyrium ad Christum abituram, illo inspirante, cognôrat. Constanter reijcit sponsum potentem & diuitem. Eius sancta exercitia.

Intereà parentes eius à quodā amico inuitati ad conuiuium, cum familia sua eò se conferūt, sola Maxellende cum nutrice eius domì relicta. Nolebat enim illa interesse vllis vnquàm conuiuijs & lautitijs, quòd sciret multos inter cōuiuas iactari sermones parùm honestos, immò & perniciosos, quibus & boni mores, & sensus hominis facilè corrumpātur. Id vbì Harduinus comperit, lętatur impensè se opportunū iam tempus nactum suę explendę libidinis. Adiunctis igitur sibi aliquot satellitibus, properat ad ædes Humlini. Id sentiēs Maxellendis, orat Deum, vt se tueatur: indè nutricem hortatur, vt clausis ostijs, ipsam alicubì abscōdat: non quòd mortē formidaret, sed quòd timeret pudicitiæ suę. Páret nutrix, obserat fores: veniunt hostes, non curāt nutricem, eam abesse affirmantem, irruunt in ædes, perscrutantur omnia, nec tamen inueniunt virginem. Iam tædio affecti recedere volunt, & ecce vnus ex illis eos retinens, ait: Si cistam hanc aperiatis, fortasśis illic latitantem reperietis. Mox aperitur cista, virgo lugens extrahitur, & ad Harduinum adducitur: qui cùm mœrentem blanditijs delinire moliretur, illa constanter ait: Frustrà virulentos ingeris sermones neq; te, neq; tuas minas curanti. Nulla me ratione impedire poteris, quin reddam altissimo, quod ei pollicita sum. Corpus occidere potes, animam non potes. Ego verò Domini mei & animata doctrina, & promissionibus fidens, bona eius credo me in terra viuentium, in sanctarum virginum contubernio iucundissima animi exultatione visuram. Dixit, & totis viribus è manibus improborum se subducit: sed fugientem sequitur Harduinus malitia inflammatus, suoq; eam ense iugulat. Felix anima, palma martyrij, quod semper expetierat, adepta, migrat in cælestes beatæ patriæ mansiones. Harduinus verò vbì vidit sanguinem è corpore virginis manantem, repentè excæcatus est. Quod cernentes eius comites, nè ipsi quoquè easdem darent pœnas, relicto illo, in sua cum ignominia rediere. Nō vult interesse conuiuijs hominum. Psal. 26. Occiditur ab Harduino, dum nō vult ei consentire.

Vbì autem cædis huius fama increbuit, parentes virginis cum multis alijs tristes eò

properant honorificas ei exequias celebrant: pleriq; etiã è Clero corpus feretro impositum, in basilica beatorũ Petri & Pauli Apostolorum, sanctiq; Sulpitij, quæ in proximo pago, quē Pomeriolas vocant, condita est, sepultuę mandârunt. Post annos tres fœmina quędã Amaltrudis nomine, vidua religiosa, quę eam basilicam cõdiderat, & illic vigilijs & precibus assiduè vacans, non nisi ad breue tempus indè exibat: cùm nocte quadã fessa membra quieti dedisset, è cælo lapsam audiuit vocẽ, ipsam admonentem, vt ad beatum Vindicianum Cameracensem Episcopum eat, illumq; hortetur, vt corpus sanctę virginis è terra leuatum, ad locum cędis eius reportet, quòd Deus illic signis & miraculis eam illustrare velit. Refert illa quę audierat, ad Episcopũ, isq; nihil hęsitans, certo die adiunctis sibi non paucis è Clero, & vitæ religiosæ viris, quibus se iunxit ingens populi multudo, fama rei quę acciderat, excita, ad virginis sepulcrum properat. Cumque eò ventum est, cum metu & reuerentia leuatum è tumulo corpus sacrum, in feretro congruè præparato componitur, & cum hymnorum psalmorumque modulatione ad locum, qui Chaldericus dicitur, deportatur.

Visio Amaltrudis viduæ.

Sacrum corpus eius eleuatur.

Peruénit autem ad miserum Harduinum, transferri corpus virginis. Itaq; assumpto itineris duce, venit obuiàm sacro corpori, humiq; se sternens, cum lachrymis petit veniam facinorũ suorum, recipitq; amissum oculorum lumen. Id cernens populus, prorumpit in laudes Dei. Porrò Harduinus tanto affectus beneficio, gratias immẽsas agit sanctæ virgini, & coram omnibus palàm confitetur, quemadmodùm eam ipse occiderit, & lumine orbatus sit. Postquàm autẽ in Chalderici ecclesiam venêre, sacrum corpus illic honorificè conditũ est, & Missarũ solennijs deuotissimè celebratis, omnibusque ritè peractis, plebs dimissa est. Episcopus verò Clericos & religiosas fœminas illic constituit, vt deincèps ità, vt par erat, omni tempore debitum ibì officium persolueretur. In quorum sumptus necessarios Humlinus sanctæ virginis pater, intra cuius ditionem hæc gerebantur, omnes facultates suas contulit ecclesiæ illi, eius expensis & opera extructæ. Ei donationi adfuit Episcopus & plebs, quæ tum conuenerat. Eo autem tempore, vt fida testatur antiquitas, multis euidentissimis miraculis per sanctæ virginis merita locus ille floruit, quæ tamen scripta non extant.

Harduino restituitur visus.

Posteà verò corpus eius Cameracũ trãslatum, in ecclesia beati Martini, sanctimonialibus debita illic officia exhibẽtibus, aliquãdiù quieuit. Sed cùm locus ille propter habitantium demerita, crebris esset incendijs obnoxius, Rotardus vicesimus à beato Vindiciano Episcopus, sanctũ corpus indè transtulit in beatę Marię oratorium, quod illic vsq; ad Lietberti, tertij ab eo antistitis, tempora permãsit. Qui cùm esset vita sanctissimus, inter alia rectefacta sua, Peronæ, vbì fuit ædicula sancti Quintini martyris, in sancti Andreæ honorem monasteriũ extruxit, idque egregiè tum temporalibus, tum spiritalibus bonis dotauit, atq; eò preciosa corpora sanctę Maxellendis & beati Sarij confessoris, Cameraco apportãda curauit. Dies martyrij sanctę Maxellendis celebratur Idibus Nouembris, ad laudẽ prępotẽtis Dei, qui est benedictus in secula, Amen.

Corpus virginis Cameracum transfertur.

Is Lietbertus obijt anno 1076.

VITA S. HOMOBONI CIVIS CREMONENSIS, CVLTIORI STYLO SCRIPTA A CANONICIS CAthedralis Ecclesiæ Cremonensis, viris doctissimis.

PRAEFATIO AD REVERENDISSIMVM EPISCOpum Cremonensem, Nicolaum Sfondratum.

REVERENDISSIMO ET VALDE ILLVSTRI D. D. NICOLAO SFONDRATO EPISCOPO CREMONENSI, Cathedralis Ecclesiæ Cremonensis Canonicorum Collegium S. P. D.



NVLLA vnquàm fuit benè constituta in terris Respub. dignissime Antistes, quæ insignium virorum memoriam, qui egregijs vel belli, vel pacis artibus partam sibi gloriam, posteris ac patriæ tradidêrunt, publico aliquo, atq; eo amplissimo, monumento consecrandam non putârit: vt diuinis illos propè honoribus prosequendo, & præclaram benè meritis referret gratiam, & iuuenum animos ad imitandum vehementissimè accenderet. Qua quidem in re, dum

dum se inuicèm alius alium vincere piè & gloriosè contendit, factum est, vt, quæ vrbium faciem, ciuitatumque mores ac instituta excolunt maximè, ea ferè suum hinc ceperint initium, velutì gymnasia, festi dies, ludi, theatra, statuæ, apotheoses, & alia innumerabilia. Sed nihil tamen potuit, aut ad temporis diuturnitatem, aut ad maiorem nominis claritatem, aut ad cæterorum deniquè exemplum excogitari aptius quicquam, quàm illorum ipsorum vitas accuratè diligenterque perscribere, quorum memoriam velimus esse sempiternam. Etenim illa omnia vis ac tempus labefactabit aliquandò & euertet: hoc autem nullius vnquàm aut hominis, aut temporis consumet iniuria: illa nomen, aut corporis simulacra ignotis nota faciunt: hoc veram etiam expressamque animi imaginem effingit, atque ob oculos ponit. Viuitur enim ingenio, cætera mortis erunt: vnusque Xenophontis libellus, facilè omnes imagines hominum statuasque superabit. Nos igitur, cùm nupèr in libellos quosdam incidissemus, quibus sanctissima Homoboni ciuis nostri vita continebatur atque animaduertissemus duo præcipuè esse in illis vitia, quòd & dicendi genus ieiunum esset & incultum: & quam vno volumine complecti totam viri historiam oportuisset, ea diuersis fuisset libellis fœdè dissipata: non alienum duximus ab ea, qua illustrem sanctitate virum, optimè autem de patria meritum ac merentem, prosequi pietate debemus, si eandem oratione ac stylo elegantiore (absit omnis verbo inuidia) & paulò ornatiore conscribendam curaremus. Neque enim gloriæ rerum authoris parùm suppeditat scriptoris ingenium: neque nostrûm quisquam est, qui non mâlit Thersites Homeri, quàm Chœrili Achilles esse. At verò Amplitudini tuç potissimùm, nobilissime Sfondrate, sancti huius hominis historiam dicandam putauimus, vt, sicut quidam magnus vir dicere solebat, docti doctos seruabunt: sic huic lucubratiunculæ, qua sancti viri vita illustratur, sanctitatis etiam tuæ ac nominis splendor accedat, maioremque veritati præbeat authoritatem: simulque, vt virtutes tuas nos admirari, & probatissimam vitæ rationem comprobare declaremus. Ex quo fiat, vt populus fidei tuæ commissus, exemplis excitetur domesticis, partim in te, qui præclaram Maiorum ac gentilium tuorum indolem tuis ipsius cumulas ornamentis, videndo: partìm in sanctorum vitis legendo, quæ imitari illum deceat: atque vt pleno demùm gradu vitæ iter ingressus, tuo ductu ad felicitatem perueniat sempiternam, illius beneficio, cui honor & potestas in secula seculorum. Cremonæ, VII. Idus Nouembris, M. D. LXX.

Sanctorum memoria sempiterna.

Nouēbr. 13. Cap. 1.



HOMOBONVS Cremonensis fuit, ex honesta Tuccengorum familia, patre mercatore, non opulento illo quidem, sed tamen nec sordido: quippè cui ab atauis vsque esset domus in vrbe apud ædem Diui Aegidij: prætereà prædiū suburbanum, vndè victui suo necessaria quotannis capiebat. Cuius parentes cælesti quodam mentis præsagio, atque afflatu diuino instincti, voluērunt eum ex sacro baptismatis fonte sublatum, Homobonū nominari. Huius enim nominis, verissimè & appositissimè inditi rationem, tota omninò illius per omnes ætatū gradus traducta sanctissimè vita, adeò apertè declarauit: vt non fortuitum, sed meditatum: non iam hominis, sed integritatis, nomen fuisse videatur.

S. Homoboni patria.

Cap. 2.

Hunc igitur tanto omine susceptum parētes, & ab ipsis incunabulis persanctè educatum, Christianaque inprimis religione egregiè excultum, traduxère ad exercendam eam, quam ipsi faciebant, mercaturam. Sed tanta fuit dictorum conuentorumque constantia & veritate, vt nulla omninò augendæ rei cupiditate permotus, qua transuersam mortalium mentem agit, neminem vnquàm sciens deceperit. Erat prætereà summa in adolescente comitas, cum singulari grauitate coniuncta, insignisque morum probitas: quibus artibus breuì effecit, vt omnium ciuium & oculos in suî admirationem conuerteret, & animos ad beneuolentiam alliceret. Deindè parentum iussu, quibus semper in omnibus fuit obsequentissimus, virginem duxit vxorem, cum qua castissimè semper vixit.

Ab infantia sanctè educatur.

Facit mercaturam summa fide.

Ducit vxorem.

Cap. 3.

Mortuo verò patre, iam sui iuris effectus, cœpit cogitare, nobis hîc non esse permanentem ciuitatem, spesque hominum vanas esse atque fallaces. Itaque aliam vitæ rationē instituens, qui ab ineunte adolescentia in terris cogere diuitias cœperat, in cælum thesauros cōgerere constituit, sermone Domini, qui semper eius animo inhære-

Matt.6.

Totum se confert ad Deum.

bat, admonitus: Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur. Quarè omni solicitudine augendarum opum omissa, quasi à corpore auocatus, ad diuinarum rerum cogitationem, cura omni studioque pascendæ animæ, eiusque saluti vigilanter inseruiebat: relictaque humana societate, in diuinam se totum insinuabat, ieiunijs, vigilijs, orationibusque assiduè intentus.

Cap.4.

Benignitas eius erga in pauperes.

Pater pauperum dicitur.

Rem igitur suam, quam mercatura auxerat, cœpit pauperibus erogare, adeò comiter, benignè & liberaliter, vt, cùm cæteræ virtutes essent in eo preclaræ, hæc tamen beneficentia principem semper locum obtineret. Neque enim eleemosynam rogari se passus est vnquàm: quin ipse vltrò omnibus sua, seque libentissimè detulit, egenis facultates, tristibus consolationem, erranti correctionem, ignaris sine arrogantia doctrinam, veniam inimicis, fidum deliberanti consilium, mortuis deniquè orationem, ità vt, cùm minùs sibi, quàm cæteris omnibus, videretur esse natus, vno omnium ore pauperum pater iure merito appellaretur.

Cap.5.

Eleemosyna quid prosit.

Cæterùm vxor meticulosa, cùm videret profusam viri liberalitatem, vehementer animi discruciabatur: Ac primò quidem eum ab hoc tam sancto proposito, precibus ac monitis leniter auocare: deindè acriùs obiurgando, atque etiam grauibus contumelijs conuicijsque incessendo, absterrere non desistebat. Cuius ille molestam garrulitatem æquissimo semper animo perferens, his atque huiuscemodi verbis sapienter refellebat: Errare vehementer eam, quæ putaret rem imminui, aut bonorum iacturam fieri, si egenis distribuantur, cùm nusquàm meliùs, nusquàm tutiùs collocentur: neque vlla rei augendæ fructuosior ratio iniri possit, quàm quæ illis, id est, Christo immenso atque inexhausto omnium bonorum thesauro, fœnori dentur, qui & in præsens centuplum, & in futurum vitam rependat æternam.

Cap.6.

Pateretur igitur paruum bonorum fugacium dispendium: quod illi aquè ac sibi esset ad felicitatem compendium: Venale etenim cæleste regnum nobis Deum Optim. Maxim. proposuisse, quod tamen facilimè ac minimo parari possit. Præterea nulla alia re magis Christo Deo similes esse, quàm beneficentia, qui nobis corpus etiam suum in cibum benignissimè dederit, ob eamque causam, à Patre omnium rerum hæredem factum fuisse. Ad hæc, leuiùs & expeditiùs ad superos proficisci, qui sarcinarum, id est, diuitiarum suarum partem comiti largiatur: Eluere deniquè eleemosynam animi sordes. Quamobrèm desineret deplorare miserè minimam rei temporariç iacturam: quin potiùs pari secum voluntate ac studio daret operam beneficentiæ: vt, quandò in hoc miserrimo vitæ ergastulo coniugij sorte æquata sibi esset, in perpetua & felicissima vita, æquatam sibi etiam illam cumulato gaudio cernere aliquandò contingeret.

Cap.7.

Hæc atque huiusmodi vir Dei identidèm inculcando, intemperiem vxoris castigans, summa patientia ac humanitate superabat: Nec ab hac sancta animi sui sententia depelli poterat: quin in dies magis ac magis in ea confirmabatur.

Etiam noctibus sacrā inuisit ędē.

Miraculum

Frequentabat Homobonus domū Dei, nec id die solùm, sed nocte etiam, assiduè nocturnis, matutinisq; precibus intererat. Quocircà Obertus sacerdos, qui tunc temporis ędibus Diui Aegidij prçerat, vir & ipse bonus ac timēs Deum, cognita religione viri, singulis ei noctibus ad matutinas preces ianuam templi aperiebat, dato priùs, vt fit, campana signo. Sed cùm aliquandò tempestiuiùs solito Homobonus accessisset, & paulisper ante ianuam immoratus esset, valuæ templi sponte sua patuêre. Cumque sacerdos iret, vt de more Homobonum introduceret, vidit eum in oratione ante aram procumbentem: & mirum in modum obstupuit, cùm verè sciret, se vesperì fores diligenter clausisse. Idque etiam paucis pòst diebus cùm accidisset, sacerdos demùm pro comperto habuit, id ope diuina fieri: quòd sex & viginti annis, quibus ędes illas sacras rexit, viro sancto sæpiùs accidisse testatus est.

Cap.8.

Nota prolixas vigilias.

Illustre miraculum.

Frequens igitur ibat vir Dei in templum, vt nunquàm, ne vnam quidem noctem intermitteret, nec finito officio, vnquàm recedebat: sed semper in oratione rem diuinam, quam Missam dicimus, ante Crucem Domini nostri, & imaginem beatissimæ Virginis prostratus, expectabat. Fortè accidit, vt eo tēpore esset magna annonæ caritas, cùm ipse ab oratione esset domū reuersus, & egeni, qui viderant panis canistrum ad eū afferri, subitò ad Homobonum accurrerēt: quibus ille summa cum hilaritate, dum vxor, quç sibi maximè repugnabat, abesset, maiorē panis partem distribuit. Hora verò cœnç reperti sunt in arca totidē, quot donauerat, panes, lōgè reliquis & candore & suauitate præstātiores. Id quod mirata est vxor, miratus est & ipse vir Dei, gratiasque

tiasque Deo ingentes secum agens,quod factum fuerat,prudenter tacuit,& puellam cuncta,quę viderat,narrantem,alijs id proloqui inhibuit.

Multis prætereà signis Deus eximiam cultoris sui liberalitatē illustrauit: quæ operosum nimis esset singillatìm recensere. Illud tamen neutiquàm tacendum arbitror: Cùm prediolum,cęteris diuenditis,& in egenos erogatis,sibi pauperibusq; seruâsset, eoq; fossoribus vinum aliquandò ferret, occurrêre ei mendici aliquot, ab eo potum petentes: quibus vir sanctus summa cum animi hilaritate & frontis lætitia porrexit. Sed cùm exhausti ferè essent canthari,nec propter vxoris acerbitatē auderet domum reuerti, eos aqua repleuit,ac benedixit: Vinitores autem se nihil vnquàm suauius gustâsse asserentes,quærebant,vndè tam bonum vinum habuisset. Vir Dei, qui optimè sciret,quod fecisset, arbitratus se derideri, bibit & ipse incomparabilis bonitatis vinum,gratiasque Deo,cuius esset illud opus,maximas egit: nec tamen,vitandæ inanis gloriæ causa,quę imprudentium hominum omnem rectè factorum mercedem furtìm prædatur,quod factum fuerat,cuiquam dicebat, nec exire, atque in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant,dum aquam in vasa infunderet,cùm & ipsi vinum gustâssent,hoc miraculum cæteris prædicauerunt. Cap.9. Aqua mutatur in optimū vinum.

His atque huiusmodi quamplurimis illustratus quidem miraculis,sed multò magìs summa vitæ puritate ad extremum vsq; vitæ tempus insignitus Homobonus, tantam,non inter populares solùm atque finitimos,sed eos etiam omnes, acquisiuit fidem,ad quos longè lateque celeberrima illius fama peruaserat: vt hæreticorum plerique ad sanitatem redirent, &, qui nullo prudentum consilio, aut doctissimorum hominum disceptationibus victi, in deprauata iamdudùm de fide & religione sententia obfirmato animo obduruĕrant,eos Homobonus, sanctissimis verbis & moribus miraculorumque frequentia, ab omni errore abductos, ad benè beateque viuendi rationem traduceret. Cap.10. Plerosque hæreticos vir sanctus conuertit.

Cùm verò iam venisset tempus,vt tot suarū virtutum & rectè factorum acciperet pręmia:Idibus Nouēbris anno à partu Virginis millesimo centesimo nonagesimoseptimo,more suo,matutino officio penitùs incolumis interfuit: deindè curuatis ante Crucem Domini genibus,in oratione vsq; ad horam Missæ permansit. At,cùm sacerdos hymnum Angelorū cœpisset, ante Crucem, manibus in modum Crucis in terra extensis,procubuit: tum nemine sentiente,cum gaudio ad Deum, suam in patriam cælestem, nullo correptus morbo, migrauit. Sed cùm more suo ad audiendum Euangelium non surgeret, fuêre, qui illū sopore pressum crederent, & volentes eum à somno excitare,è vita excessisse cognouerunt. Cap.11. Sine morbo suauiter obdormit in Domino.

Quarè statìm parantur exequiæ,& sepulcrum: volat subitò per vrbem fama: concurrunt pauperes vndiquè,patremque suum maximo cum dolore deplorant,funusque cum lachrymis ac eiulatu comitantur: ad eum accedunt, amplexantur, & præ ingenti amore deosculantur.Sed eccè virtus Dei in eo se cœpit ostendere:Nam claudi ambulant,cæci vident, muti loquuntur, surdi audiunt, varijsque languoribus oppressi,atque à medicis omninò destituti,omnes curantur. Itaque tota eò ciuitas confluebat. Quarè confestìm illo mortuo,constantior sanctitatis eius fama in vicinas vrbes euolauit. Vndiquè ad viri Dei sepulcrum, in eâdem Diui Aegidij æde positum, concurritur: votique compotes facti,cum lætitia redeunt. Cap.12. Miracula ad funus eius.

Nam cuiusdam lingua grauissimo impedita vulnere,quod in prælio Hierosolymitano per collum adactum fuerat, expeditissimam loquendi facultatem, qua decem annos prorsùs caruerat, facto voto, recepit. Alius autē dorso gibbero,pectore conuexo,cuius genua manusque spasmate obriguerant,cùm sancto viro vouisset,suîipsius corporis factus est compos. Cuidam etiam decem & octo annorum adolescenti, à natiuitate muto,pro cuius salute pater vixdùm vota Homobono nuncupârat, linguę vincula dissoluit benignissimus Deus. Adhæc puer octauum iam annum cæcus, simul & ab vtero matris mutus,paternis precibus,perfectum vtriusque sensûs impetrauit officium. Cap.13. Miracula ad sepulcrū eius.

Experta est & mulier magnū numinis beneficium: quæ cùm iam deplorata propè esset,visa sibi est videre monentem quendam, vnam sibi recuperandæ salutis relictam spem esse,si Homoboni opem imploraret. Id cùm fecisset, exoptatæ sanitati quamprimùm est restituta.Pueros etiam plerosque iam prę morbi grauitate animam agentes,parentum votis,eodem intercedente,Deus condonauit. Mulier quædam multos,iam annos artubus adeò contractis,vt ori genua adhærerent,iuxta sepulcrū sanctissimi Cap.14.

Contracta sanatur. ctissimi viri delata, precibus adhibitis, subitò conualuit: & cum ingenti gaudio, clara Deo voce gratias agens, suis pedibus domùm est reuersa.

Cap. 15. Nec tamen defuit, qui sancti viri famam eleuare & carpere auderet: Sed ità fatuè ac temerè obloquenti, lingua intumuit, vt nulla iam ratione loqui posset, & iam de vita eius ageretur: Verùm pœnitentia interiore ductus, intercessione Homoboni, pristinam incolumitatem recuperauit. Multi prætereà immundis spiritibus oppressi, ac pessimè habiti, eiusdem meritis liberati sunt. Inter quos fuit virgo quędam Bergomâs, quæ cùm diù ante obitum viri Dei ab immundo spiritu vexata miserrimè fuisset, nec vllis vnquàm exorcismis potuisset expelli, quòd diceret, se nunquàm indè discessurum, donèc ab Homobono Cremonensi eijceretur, delata ad diui Homoboni sepulcrum à parentibus, qui ad id tempus se à malo spiritu deludi existimauerant, fugato cacodæmone, ilicò sanata est.

Diuinitùs punitur, malè loquens de sancto viro.

Dæmoniaci multi curantur.

Cap. 16. His & infinitis huiuscemodi miraculis commotus Sicardus Episcopus Cremonensis, & primores vrbis, decernunt ad Pont. Max. legationem, cuius Episcopus ipse princeps constituitur, vt vir Dei tot miraculis decoratus, numero sanctorum adscriberetur. Quod Innocentius III. qui anteà de hoc per quietem à Deo admonitus fuerat, libentissimè concessit, ac cognitis priùs Homoboni miraculis, vitæque sanctimonia, in catalogum sanctorum maxima cum celebritate & religione retulit, anno sui Pontificatûs primo, salutis autem humanæ nonagesimooctauo supra vndeciès centesimum, II. Calendas Ianuarias. Cuius rei diplomata, quæ re interiore templi maioris Sacrario Cremonæ seruantur, certissimam faciunt fidem, quorum exemplum huic historiæ adscribetur.

Sicardus Episcopus Cremonen.

Adscribitur S. Homobonus sanctorum catalogo.

Cap. 17. Anno autem millesimo trecentesimo quinquagesimosexto, cùm apertum esset sancti Homoboni sepulcrum, præsente Episcopo & Prætore, multaque clementissimus Deus ipso illo tempore edidisset miracula: ea res, eademque dies auspicatissimi illius inter nobilissimos viros Consortij fecit initium: qui tanquàm beneficentiæ Homoboni hæredes facti, sic suæ vrbis pauperes mira benignitate & prudentia ad hanc diem colere perseuerant. Proximo deindè anno, qui fuit millesimus trecentesimus quinquagesimus septimus, septimo Calend. Iulij, à Canonicis ac cæteris Cathedralis ecclesiæ clericis translatum fuit viri sancti corpus in eam maioris templi subterraneam partem, vbi in marmoreo tumulo compositum quiescit, præter pauca quædam ossa, in priore sepulcro relicta, & præter caput, quod tabernaculo conditum, in ipsius maioris templi sacrario custoditur.

Transfertur corpus eius.

Cap. 18. Quamplurimis etiam posteà hic beatus confessor claruit miraculis: vt cùm patria sua multis se & euidentissimis periculis auxilio eius ereptam fuisse manifestò cognouerit, hunc iure optimo inuocet, colat, veneretur, patrocinioque eius se & nunc esse, & posthac fore tutam, maximè confidat.

EXEMPLVM DIPLOMATIS INNOCENTII TERTII.



INnocentius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs, vniuerso Clero & populo Cremonen. salutẽ & Apostolicã benedictionem. Quia pietas promissionem habet vitę, quę nũc est, & futurę: iustus & misericors Dominus fideles suos, quos prædestinauit ad vitam, frequẽter in hac vita glorificat, & semper in futuro coronat: quibus & per prophetã promittitur: Dabo vos in laudem, gloriam, & honorem in cunctis populis. & per se pollicetur: Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorũ: mirabilis enim in seipso Dominus, mirabilis in sanctis, mirabilis in cunctis operibus suis: verùm nobis exhibet suę virtutis indiciũ, & frigescentẽ iam in pluribus charitatis igniculum, mirabiliũ suorum signis accendit: assumptis his in gloriam suam, qui certauerunt legitimè in hoc mundo: ad memorias eorum innouat signa: & mirabilia, iuxta prophetam, immutat: vt qui sanctus est apud ipsum, sanctus etiam ab hominibus habeatur: & in hoc pręsertim hęreticorũ confundatur peruersitas, cùm ad catholicorũ tumulos diuina viderint prodigia pullulare. Licet autem, iuxta testimonium veritatis, sola finalis perseuerantia exigatur ad sanctitatẽ animę in Ecclesia triumphanti, quoniam qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: duo tamen, virtus videlicet morum, & virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, &

1. Tim. 4.

Matt. 13.

Psal. 67.

Eccli 36.

Matt. 10. & 24.

& miraculorum signa post mortem, vt quis reputetur sanctus in militanti Ecclesia, requiruntur: nam, quia frequenter angelus Sathanæ se in lucis angelum transfigurat, 2. Cor. 11.
& quidam faciunt opera sua bona, vt videantur ab hominibus, quidam etiam coruscant miraculis, quorum tamen vita meritò reprobatur, sicut de Magis legitur Pharaonis, & etiam Antichristo, qui electos etiam, si fieri potest, inducet suis miraculis in errorem: ob id nec opera sufficiunt sola, nec signa: sed cùm illis præcedentibus ista succedunt, verum nobis præbent indicium sanctitatis, nec immeritò nos ad illius venerationem inducunt, quem Dominus suis ostendit miraculis venerandum. Hæc autem duo ex verbis Euangelistæ pleniùs colliguntur, vbi de Apostolis loquens, ait: Illi autem profecti, prædicauerunt vbiquè, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis: in eo nanque, quod ait, cooperante, eos operatos esse demonstrans: & in eo quod sequitur, sequentibus signis, eos exponens, immò Dominum in eis miraculis claruisse: hoc etiam Dominus vsq; hodiè operatur in sanctis, & potentiam suam signis euidentibus manifestat: dum viuorum curat ægritudines ad memorias mortuorum: & eos plus posse post mortem, & feliciùs viuere mortuos, qui in Domino moriuntur, quàm qui viuunt in mundo, demonstrat. Sanè veniens ad præsentiam nostram Venerabilis frater noster Sicardus Episcopus vester, multis viris religiosis & alijs honestis personis de sua Diœcesi comitatus, cuiusdã beati viri, & re & nomine Homoboni, vitam & actus, necnon & modum transitûs eius humiliter nobis aperuit: in quibus & sanctæ ipsius degustauimus conuersationis odorem, Deumque mirabilem & omnia opera eius in fide cognouimus, & prędicauimus gloriosa. Idem etenim sanctus, tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo, prout eorundem nobis assertio, facta tam viua voce, quàm aliorum plurium honestorum literis, patefecit: adeò in lege Domini meditabatur die ac nocte, vt ei seruiens in timore, & secundũ Prophetam, media nocte surgens ad confitendum ei, matutinis semper laudibus interesset. Missæ quoquè officium & alias Horas cum summa deuotione frequentans, ità assiduis orationibus insistebat, vt in certis horis aut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquandò præueniret, nisi fortè ipsum solicitudo, quam super pace reformanda per ciuitatem tanquàm pacificus vir gerebat, aut occasio eleemosynæ pro pauperibus acquirendæ, seu alia iusta causa in alijs operibus misericordiæ detineret: qui nimirùm ante Crucem Dominicam ex assuetudine se prosternens, opus quodlibet faciendo, stando, sedendo, iacendo, ad orationem labia mouere continuè videbatur. Inter alia verò pietatis opera, quæ tam circa pauperes, quos secum in propria domo tenebat, curabat & pariter procurabat, quàm circa alios indigentes, quibus viuentibus humanitatis obsequium, & mortuis sepulturæ beneficium consueuerat deuotus impendere, diligentiùs exercebat: ipse à secularium hominum consortio segregatus, inter quos virebat, quasi lilium inter spinas: hæreticorum, quorum pernicies nimiùm partes illas infecit, austerus extitit aspernator. Deducto autem sic vitę sanctæ curriculo, cùm ad matutinale officium, prout dictum est, in festiuitate sancti Bricij surrexisset, circa Missæ primordia idem se ante Crucem Dominicam more solito in oratione prosternens, dum cantaretur hymnus angelicus, beato fine quieuit. Quæ verò, quot, & quanta miracula fuerint subsequuta, & quot aduenientibus ad sepulcrum eius, sanitatis beneficia sint impensa, cùm longum sit numerare per singula, vnum inter cætera ad assertionem Catholicæ fidei duximus expressiùs annotandum. Cùm enim quædam dæmoniaca mulier ad sepulcrum eius deducta fuisset, nè aliqua fraus lateret, eadem primò fuit aqua non benedicta respersa, qua se patienter adspergi permittens, aquã secundò respuit benedictam: & vt res euidentiori experimento pateret, oblatam non consecratam absque aliqua præscientia sibi recipiens, præsentatam Eucharistiam consecratam subsequenter abhorruit, nec recepit: quæ & meritis eiusdem sancti liberata recessit. Vt autem virtus morum, prout est superiùs prælibatum, licèt omnis dubitatio amoueri ex subsequutione signorum per diuinum iudicium videretur, fide apud nos clarescceret pleniori, nè miraculorum etiam virtus aliqua fraude posset vel figmento iuuari, veritatem rei soliciriùs duximus inquirendam. Fidem nanque, quam super conuersationem ipsius, absque figmento hypocrisis fraudulento, diuinum iudicium, vt dictum est, manifestè ostẽdere videbatur: per testimonium dilecti filij Oberti presbyteri sancti Aegidij Cremonensis præsentis, cum Episcopo memorato, recepto ab eo firmauimus iuramento: sub cuius

Marginalia: Matt. 23. — Exod. 7. & 8. — Matt. 24. — Mar. 16. — Vt Domin⁹ olim per se, ità nunc per sanctos suos facit signa. — Psal. 1. — Psal. 118. — Eccè quomodo sanct⁹ ille Missæ officium & cæteras horas frequentârit, quæ omnia nostri hęretici detestãtur. — Nota hîc euidentem vim aquæ benedictæ.

obtestatione, videlicet iuramenti, ipse, qui patrinus eius existens, per viginti annos & ampliùs confessionem eius sæpè receperat, quæ de illius sancti conuersatione præmisimus, cum ipso Episcopo & alijs supradictis iuratis similiter asseruit, esse vera, & de obedientia, quam in orationibus, vigilijs, & alijs pœnitētię fructibus, in qua sibi ab eo imposita erat, plus iniuncto satisfaciens, exhibebat, nos reddidit certiores: ea etiam, quæ de miraculis ipsis fuerant nobis exposita, per iuramentum omniū prædictorum, qui propter hoc venerant, fide suscepimus, pleniori assertione ipsius Episcopi sub firmo verbo sacerdotis requisito in virtute obedientiæ concurrente, vt sic diuinum & humanum secuti iudicium, cum maiori procedere securitate possemus. Cùm igitur hæc omnia tam de virtute morum, quàm virtute signorum, ad fauorem petitionis, pro qua Episcopus memoratus, & alij supradicti ex parte vestra vehemēter instabant, concurrere videremus: de fratrum nostrorū consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdē & Archiepiscopis, quos super hoc ad consiliū nostrorum admisimus: de diuina misericordia, & eiusdē sancti meritis confidentes: ipsum sanctorum Catalogo duximus ascribendum, statuentes, vt in die depositionis ipsius, eiusdem festiuitas deuotè à vobis & alijs Christifidelibus annis singulis decæterò celebretur: Indè est, quòd vniuersitatem vestram rogamus in Domino & monemus, per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenùs eiusdem sancti memoriam, prout dictum est, cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum suffragia humiliter imploretis, per cuius merita ad gaudia æterna pertingere valeatis. Dat. Lateran. II. Kalend. Ianuar. Pontificatûs nostri Anno primo.

Adscribitur S. Homobonus sanctorum Catalogo.

VITA SANCTÆ ALDEGVNDIS ABBATISSÆ PRIMAE MALBODIENSIS, AVTHORE, VT EQVIdem sentio, *Hucbaldo Elnonensi, qui obijt Anno* 930.

AVTHORIS EPISTOLA DEDICATORIA.



Non immemor vestrî, non ingratus tam admirabilibus erga me vestræ sedulitatis officijs, párui voluntati vestræ. Si tardiùs, quàm voluistis, si minùs aptè, quàm oportuit, nō animo meo, quasi non curanti, sed rei difficultati potiùs adscribatis. Cruda massa non facilè modico potest igne purgari. Si quis inconcinnam subsannauerit orationem, vobis imputate. Mâluī certè derideri à quibusdam, quàm vobis non parére. Si cui tamen ideò displicuero, quòd purpureos latè splendentes non solùm non assuërim, sed etiam démerim pannos, sciat me noluisse more puellarum aptare puppas absque lineamentis membrorum, aut inanimatas in parietibus effigies colorare: sed fœminę solidum pectus, immò virilem animum, virtutibus plenum, tanquàm lucernam diuinitùs accensam, cunctis ad imitandum simpliciter monstrare. Si placet transcribere, diligenter (obsecro) distinctiones Capitulorum conseruate. Præfationem verò, quæ quidem generaliter agit de sanctorum omnium gestis, & ad eos imitandum exhortari cunctos intendit, & ignauam præcipuè negligentiam, arguens, nec de ignorantia quenquam excusari posse demonstrans, operantem Dominum in sanctis amandum & glorificandum ostendit: sicut est præfixa, Capitulis anteponere curate. Quòd si vobis non placuerit, aut doctoribus, ad quorum audientiam fortè retuleritis: moriatur inter manus vestras odiosa & inepta membrana, aut deleatur, aut igni tradatur. Quodcunque acciderit, rogo per amicitiam, nè nostrum nomen in hoc opere sentiatur.

PROLOGVS EIVSDEM.



Miseratio diuinę bonitatis, humanę saluti multipliciter omni tēpore cōsuluit, & post hominis lapsum tam per dicta quàm per exempla iustorū, errantes ad viam veritatis reduxit, & ante legē, & sub lege, & sub gratia formam virtutis imitandam, rudibus in vtroque sexu misericorditer exhibuit. Plena est vtriusque testamenti scriptura, tanquàm cælum resplendens, non solùm magnis virtutibus seu luminaribus, sole videlicet ac luna, sed etiam minoribus stellis: hoc

hoc eſt, non tantùm claritate veræ lucis, quæ rationalem creaturam illuminat: & vniuerſalis Eccleſiæ pulchritudine, quæ totum clarificat mundum: ſed etiam ſingulorum ſplendore ſanctorum, qui nos in huius ſeculi nocte veluti fulgentes ſtellę conſolantur. Qui ergò, donante Deo, ſanos habet oculos, ambulet ad lumen ſolis: veſtigia ſequatur Domini Saluatoris. Qui verò tantum fulgorem infirmantibus oculis minùs valet intueri, conuertat adſpectum ad montes, iam veri ſolis lumine candentes, ſanctos ſcilicet Apoſtolos, eorumque ſucceſſores, doctrina pariter & exemplis totum orbem illuminantes: ſequatur duces, velut arietes, gregem ad paſcua præeuntes. Quòd ſi tardior aliquis Euãgelicam & Apoſtolicam doctrinam faſtidit, quod nimìs periculoſum eſt: ſi fortia geſta magnorum patrum, aut documenta propter imbecillitatem fidei ſuæ negligẽter attendit: quod malè languentis animæ indicium eſt: ſaltem vitas ſanctorum, qui proximis extitêre temporibus, legens vel audiens, gratiam conditoris in ſanctis ſemper operantem agnoſcat: agnoſcens, in amorem ipſius incaleſcat. Si quis etiam delicatus præ teneritudine carnis viros imitari trepidat, fœminas & puellas teneras, quæ ſui redemptoris amore ſeculum vicerunt, conſiderans erubeſcat. Ignorantia neminem, qui legere vel audire potuit, excuſabit. Vbi iam ſcripturæ verba non reſonant? In eccleſijs à lectoribus quotidiè recitantur, à cantoribus delectabiliter cantantur, à prædicatoribus vtiliter exponuntur. Quæ patria, quæ ciuitas, quis pagus, quem non decorauit alicuius ſancti patrocinio ſpeciali prouidentia creatoris? Vbique per membra ſua Saluator coruſcat. Oleum effuſum nomen eius: vbiquè tonat: vbiquè ſemper pluit per Euangelium, per Apoſtolos, per Doctores, per exempla ſanctorum. Et vt ex multis ad vnum veniamus, quis alius in vita beatæ virginis Aldegundis amandus, ſequendus, amplectendus, niſi Chriſtus innuitur? quem adoleſcentula virgo diligens, merito caſtitatis agnum ſequitur quocunquè ièrit. In eius itaque laude, qui cùm ſit idem in omnibus, operatur magna & minima & diuerſa non diuiſus, ac diſſimilia non diſſimilis, de vita huius virginis ſi loquamur aliquid, ſermonem impolitum nullus abhorreat: ſed quod effari nitimur, attendat.

Sancti ceu ſtellæ cõſolantur nos in nocte ſeculi huius.

Scripturæ in catholica Eccleſia ſemper vſitatiſſimæ.

Cant. 1.

Apoc. 14.

VITA.

CAP. I.



ANNO Dominicæ incarnationis circiter euoluto ſexcenteſimò trigeſimo, circa hæc tempora non longè multùm Romanæ ſedi Apoſtolicæ præſidentibus per ſucceſſionem Pontificibus, Honorio, Seuerino, Iohanne, Theodoro, Martino, imperante apud Conſtantinopolim Heraclio, in Francia regnante Dagoberto filio Clotarij, qui quartus erat à Clodoueo, quem ſanctus Remigius baptizauit, orta eſt in pago Hainoenſi virgo Aldegundis ex regali proſapia, patre Vualberto, matre Bertilia. Cuius ſoror Vualdetrudis maior natu, cuidam ſatis illuſtri viro Maldegario, cognomento Vincentio, legitimè fuerat copulata: qui poſteà diuinitùs inſpiratus, & exhortatione religioſorum virorum animatus, ſpreuit mundum, ſecutus eſt toto corde Saluatorem Ieſum Chriſtum. Eo tempore multi religioſi viri, Dominicæ vineæ ſtudioſiſſimi cultores, Amandus Traiectenſis Epiſcopus, velut imbrifera nubes circunquaquè pluẽdo diſcurrens: Arnulphus Metenſium, Autbertus Cameracenſium pontifices, Eligius Nouiomenſis, Audoënus Rothomagenſis, Giſlenus ab Athenis adueniens peregrinus in Galliam, & alij plures in Eccleſia tanquàm in cælo luminaria, partes orbis occidentales irradiabant, & multos tam prædicatione, quàm exemplo vitæ, in viam ſalutis deducebant. Puella verò Aldegundis, parentum cura diligenter enutrita, diuina gratia procurante, ſacris literis imbuta eſt: quarum ſcientia valdè proficiens, ac dogmata Chriſtianæ religionis animo complectens, amore cæleſtis ſponſi iam in ipſis puellaribus annis vehementer flagrare cœpit. Parentes enim eius, quanquàm ſuperbi faſtu ſanguinis eſſent elati, Chriſtiani tamen nominis memores, quod gerebant, filiam ſuam ità ſecundùm Dei timorem educârunt, vt in ipſa iam tenera ætate Domino Chriſto magìs quàm ſeculo, placere deſideraret.

Nouembris 13 quo die celebratur eius trãſlatio.

Patria & parentes eius.

Literis ſacris traditur imbuenda.

CAP.

CAP. II.

Multæ ei offeruntur visiones.

INtereà dum adhuc esset in domo parentum, cælesti frequenter suspensa contemplatione, modò vigilans, modò per somnium, diuina gratia sibi reuelante, cœpit multa visionum genera percipere: quas ipsa describens, Abbati cuidam religioso, nomine Sobino, de monasterio Niuialensi, commisit. Quas etsi quidam, minùs dignè pensantes quæ legunt vel audiunt, superfluas aut non credendas esse putant: nulli tamen sapienti, mirum aut incredibile videtur, si puella Deo toto seruiens affectu, frequentibus sanctorum Angelorum visionibus, seu vigilans, seu dormiens, pascebatur: cùm econtrà quælibet anima spurcitijs luxuriæ negligenter dedita, dæmonicis nonnunquàm illusionibus deludatur. Igitur vt breuiter ea visa comprænhendamus, audiuit quadam nocte sibi promitti per visionem inæstimabiles diuitias: quas primò terrenas æstimans, statìm in spiritu sibi promitti cælestes agnouit. Deindè per visum in sublime rapta, monentem audiuit aliquem, vt caduca postponens, faciliùs adipiscatur cælestia: modò deniquè vocem audiuit, Non aliũ tibi quæras sponsum, quàm Dei filium: modò Christum in specie pueri speciosissimi cernit afferentẽ sibi stolam candidam, palmamque victoriæ: nunc etiam erigitur in spem cælestium, dum audit per visum se futuram esse in societate Angelorum sanctorum. Inter has visiones adspicit diabolum, inuidiæ facibus ardentem, de sua tristem electione: tum Angelum Dei sese cohortantem, vt perseuéret in virginitate, & longè se faciat à seculi vanitate. Huiusmodi visionibus non mediocriter consolata, de die in diem in amore virtutum proficiebat, & vt perseuerando magìs proficeret quotidiè, maiora videbat. Siquidem appáret ei puella, quasì de itinere veniens, & à Dei genitrice se missam affirmans, vt, quod vellet, postularet. At illa mox alacriter respondit, id se desiderare, quod Dominus vellet, Christique voluntatem in se fieri præoptare. Vidit frequenter sanctos Angelos exhortantes se: vidit & beatum Petrum, admonentem se de regno Dei. Conspicit etiam Dominum Iesum Christum, in specie solis & lunæ, in figura regni Dei sibi apparentem. In cunctis huiusmodi reuelationibus virgo prudens, magìs magisque se humiliabat, regno Dei propior fiebat, sponso cælesti feruentiùs inhiabat. Si quis autem istiusmodi visiones pleniùs nôsse desiderat, vitam ipsius reuoluat, de qua nos pauca decerpentes, notitiam tantummodò rerum indicare summatìm conamur scire cupientibus, quanti meriti sit hæc virgo, quæ totiès Angelicis recreabatur consolationibus secundùm ordinatissimam creatoris dispensationem, qui nouit vnicuique congruentem adhibere dulcedinis suæ moderationem. Et vt harum seriem manifestationum iam terminemus, beata virgo Aldegundis de virtute in virtutem progrediens, in tantam sanctitatis celsitudinem à Domino meruit sublimari, vt non solùm ex somnijs, aut per ecstasim frequenter, sed etiam vigilanti manifestè Angelus appáreret, familiare colloquium de proposito conseruandæ virginitatis exhiberet, virgo sancta nomen eius fidutialiter interrogaret, & ab eo gloriosum & mirabile suum nomen esse audiret.

Optimi sanè effectus talium visionum.

Angelus ei appáret.

CAP. III.

Mater eam inuitat ad coniugium.

CVm verò parentes eiusdem virginis iam eam tradere marito disponerent, aduocat mater filiam, prædulcibus hortatur alloquijs, nè sibi voluntatem suam abscondat. Patris ac suum indicat desiderium, vt secundùm sui generis dignitatem, generosum non recuset accipere sponsum. Monstrat familiæ numerositatem, prædiorum amplitudinem, fundos, rerum abundantiam, gazas diuitiarum copia refertas, cuiusdam iuuenis diuitias, nobilitatem, pulchritudinem ei blandiendo prætendit. Huiusmodi blandimentis instat mater, animum filiæ ad suam voluntatem conatur inflectere. Igitur Aldegundis, honesta moribus, eloquio suauis, frequens in diuina lectione, ac sedula in diuinæ scripturæ meditatione, quem sponsum eligeret, quem cordis amore gestaret, Dominum videlicet Christum, quem legendo cognouerat, cui se totam deuouerat, tali sumpta occasione iam ampliùs occultare nequibat. Quid, inquit, ó domina genitrix, mater dulcissima, quid mihi blandiris? Quid tot suasorijs verbis oneras animum meum? Non ampliùs tibi celabo voluntatem meam, desiderium meum iam antè diù in corde meo conceptum patefaciam. Tu mihi nescio quem pauperem memoras sponsum: sed ego talem ac tam diuitem sponsum concupisco, cuius prædia sunt cęlum & terra & mare, cuius fundi nunquàm deficiunt, & cuius diuitiæ quotidiè crescunt, & nunquàm minuuntur. Si potes, mater, talem mihi quære sponsum: non hominem peccatorem, petulantem, ac citò mori-

Illa planè respuit.

moriturum. Hoc audiens mater, licèt non posset mentem virginis à sua constantia amouere, fœminea tamen importunitate sæpè repetebat, admonēs filiam de nuptiarum conditione. Sed quid? Incassùm verba fundebat: puellæ mentem in Christo fundatam, quasi turrim non casuram, frustrà pulsabat: Dominum Christum speciosum forma præ filijs hominum, hunc adamauerat, hunc esuriēs sitiebat, hunc sitiens esuriebat. Misericordem in pauperes animum gerebat, diuinis lectionibus mentem assiduè pascebat. In respondendo cautissima, mitis omnibus: inter homines nobiles humilis, iunioribus velut æqualis. In parcitate cibi & potus intantùm abstinentiæ dedita, vt sibi nulla sodalium æquiparari valeret. Psal. 44. Virtutes eius.

CAP. IIII.

SEd dum animus teneræ virginis assiduè maternis fatigaretur blandimentis, vt suscipiendo sponso voluntati parentum satisfaceret: quibus quidem non obedire, videbatur incongruum: obediēdo verò plùs eos amare, quàm Dominum Christum, æstimabat perniciosissimum: prouidentia diuinæ miserationis, taliter eam liberauit ab huiusmodi periculo tentationis. Soror ipsius, memorata superiùs, beata Vualdetrudis, ob amorem sanctæ religionis, à viro suo pari consensu iam seiuncta fuerat: illoque religiosè in monasterio, quod dicitur Altus mons, conuersante: ipsa monasterium sanctimonialium, consilio venerabilis Gisleni, in monte, qui vocabatur Castrorum locus, ædificauerat: ibique cum ancillis Dei alijs, superna contemplatione dulciter animum pascebat. Susceperat autem sacrum velamen, habitum religionis, de manu beati Autberti Atrebatensis & Cameracensis Ecclesiæ Episcopi: qui tunc inter alios sacerdotes Dei eo tempore florentes, ouili Dominico non segniter inuigilabat. Igitur ex inspiratione diuina famula Dei Vualdetrudis, memor suæ charissimæ sororis Aldegundis, & valdè metuens, nè vinculo carnalis alligaretur amoris, & exoptans toto desiderio secum illam habere sociam in habitu sanctę conuersationis, & curam adhibere sororibus illius congregationis, misit literas matri, postulans cum obsecratione sororem sibi destinari, secum aliquandiù illam dicens velle demorari: non parùm consolationis ex illius præsentia videri sibi conferri: quandò matri placeret, statìm eam se remissuram. Annuit mater, filiam dirigit: & quibus erat vna mens Domino seruiendi, fit etiam vna domus opportunè simul habitandi. Quis dignè potest effari, quantum ædificationis ex mutua locutione acquisiērint? quantum exemplum operationis bonæ cæteris sororibus ex sua conuersatione præbuerint? Cerneres illas ex Euāgelio sorores Martham & Mariam Magdalenam Domino Saluatori certatìm ministrantes: sed non facilè discerneres, quæ magìs harum eligeret ad pedes Domini sedere, cùm hoc vtraque satageret, & curis exterioribus inuita deseruiret. Nota hæc de sorore eius Vualdetrude, & marito illi Vincentio. S. Aldegundis iungit se sorori suę in cœnobio. Luc. 10.

CAP. V.

NOn multum temporis elapsum erat, & ecce mater illarum, fœminea suspecta solicitudine, nè filiæ suæ virginis animum soror eius alienaret à seculo, sacrumque velamen illam persuaderet suscipere, mittit ad monasterium, & reuocat ad se filiam virginem. Beata verò Vualdetrudis inuita quidem remittit sororem, nè matrem offendat: sed obnixè deprecando exhortatur eam, vt à seculo se faciat prorsùs alienam, immortali se præparet sponso: quàm citiùs valeret, ad cœnobium reuertatur. Illa mœsta valefaciens sorori, reuertitur ad matrem, quæ tunc morabatur in prædio suo, quod nuncupatur Curtissolra. Non autem immemor, iuxta scripturam, honorandos esse parentes: bonæ indolis puella condecentem reuerentiam exhibet matri, humiliat se ad pedes eius, deprecatur cum lachrymis, vt in habitaculo, quod erat iuxta ecclesiam, sibi daret licentiam habitandi: dicens, non sibi cōgruum inter viros ac mulieres seculares conuersari. Memorat etiam genitrici suæ, quàm sanctè, quàm religiosè soror sua Vualdetrudis in monasterio se haberet, qualiter ancillas Christi de seculo conuersas instruendo moneret, quàm sublimia quotidiè de regno cęlorū admonens edoceret. Dum talia matri virgo referret, & ea matri grata satìs ęstimaret, illa non modò sibi non placita, sed etiam multùm onerosa demōstrans, irata, comminata est ei plagas, si de talibus ei vltrà facere sermonem auderet. Virgo verò sapiens non solùm illius minas patienter sustinuit, sed etiam verbera sustinere parata, prudenter siluit. Mater autem optima linteamina proferens, filiæ tradidit, & vt indè sponsalia sibi vestimenta præparet, imperauit: disponens eam in proximo, nobili cuidam iuueni lege nuptiarum copulare. Virgo ergò linteamina suscepit, domunculam Reuocata redit ad matrem. Exod. 20.

Corpus suũ valdè affligit.

culam secus oratorium, quam à matre impetrauerat, ingreditur, vestes ad vsus baptizatorum in nomine sanctæ Trinitatis, pia fraude componit, corpusque suum vehementer affligens, die noctuq; Dominũ cum lachrymis deprecabatur, nè à societate sanctarum virginum alienaretur, nec alij sponso, quàm Domino Christo, sociaretur. Exaudiuntur preces virginis: nuptiæ, quas inter quindecim dies mater filiæ parabat, differuntur: iuuenis, cui despondere eam cupiebat, nè veniret, per multos dies præpeditur.

CAP. VI.

Mater eius abit è vita.

CVmque mater eius ægrotaret, & iam de vita desperaret, vocat virginem filiam suam, dat ei aurum & argentum, vestimenta preciosa, prædia, villas, seruos & ancillas, & omnia, quæ habebat, præter illa, quæ pauperibus in præsenti pro remedio animæ suæ distribuit, & quæ in vsus seruorũ & ancillarum Dei, in cœnobijs Domino famulantium, delegauit. Defuncta verò matre, atque in prædicta villa Curtissolra, & in ecclesia sanctæ Dei genitricis, à Dei sacerdotibus & alijs Ecclesiasticæ dignitatis ordinibus, iuxta virum suum sepulta: audiens Endo iuuenis, cui præfata mater filiam suam in cõiugem dare disposuerat, obitum eius, nihilominùs instat, vt virginem vxorem accipiat, imperatque fidelibus suis apparatũ præparare nuptiarum. Quod cùm audisset virgo, valdè timuit: fugiensque noctù in locum nemorosum, qui vocatur Malbodius, aliquot diebus ibi latuit. Sed cùm audisset aduenisse sanctum Amandum atque venerabilem Autbertum Episcopos in monasterium Altimontis, cum magna cordis humilitate, nudis pedibus illuc properauit, ad vestigia eorum sese prostrauit, desiderium cordis sui aperuit, contrarias tentationum passiones sibi per insidias diabolicas irruentes indicauit. Tunc beatus Amandus, iam penè toti notus orbi fama celeberrima virtutum, qui tanquàm in messe Dei strenuus operator, multas per circuitum nationes ad fidem perduxerat catholicam, multa cœnobia virorum ancillarumque Dei construxerat, aperiens os suum, doctrinæ cælestis imbre facundum, ità puellæ fatigatum roborauit animum, vt non solùm ipsum respueret mundum, verùm etiam parata fieret pro Saluatore Christo, si foret occasio, subire martyrium. Quid plura? Deducta est à sanctis Episcopis in oratorium quoddam eiusdem cœnobij, dedicatum in honore & memoria sancti Vedasti: vbi sacerdotali benedictione consecrantes, eam æterno sponso Saluatori despõderunt, sacrumque velamen in habitum sanctæ religionis super caput eius imposuerunt.

S. Amandi encomium.

S. Aldegundis accipit sacrum velamen.

CAP. VII.

Malbodij cœnobium extruit.

BEata igitur Aldegũdis de Altomonte reuersa in locum, vbi priùs latuerat, quem ipsa Malbodium nominauerat, qui locus adhuc desertus erat, cœpit sagacissimè locum excolere, vepribus & arbustis radicitùs extirpatis, habitacula construere, seruos & ancillas Dei ibidem congregare. Deniquè post ædificium ibi ecclesiam extruxit in honore & memoria sanctæ Dei genitricis Mariæ: in qua laudes diuinas & orationum vota quotidiè persoluebat. Tunc seculi huius diuitias pro nihilo reputans, prædia sua & facultates, & omnia ornamenta, quæ sibi parentes reliquerant, ad loca sanctorum legaliter distribuit, & pauperibus erogauit: vt illam perfectionem attingeret, vndè Dominus dicit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Locum verò, vbi mater & pater eius sepulti fuerant, in melius reparauit, & ibidèm duodecim sanctimoniales ad seruiendum Christo Domino cõstituit. In supradicto verò loco Malbodio, consilio beati præsulis Amandi, & auxilio Dagoberti regis, cum duabus sororis suæ beatæ Vualdetrudis filiabus semetipsam contradidit, atque multis alijs ibi secum in sanctæ religionis habitu congregatis, in sancta conuersatione permansit, cunctisque se videntibus exemplum bonorum operum dignum imitatione reliquit. Erat autem famula Dei fideliter sponso suo deseruiens in humilitate, in obedientia, in patientia, corpus ieiunijs attenuans, pernoctans in vigilijs & orationibus, longanimis in spe, domesticis suis mansueta, modesta colloquendo, seu res ecclesiæ conseruando, benigna distribuendo.

Matt. 19.

Eius virtutes & exercitia.

CAP. VIII.

Duas neptes suas piè in cœnobio instituit.

DVas autem neptes, filias sororis suæ cum magna diligentia regulariter in monasterio erudiebat, & vt Dominum Christum sibi sponsum eligerent, ab ipsis infantiæ rudimentis diligenter edocebat. Harum vna Madelberta, altera vocabatur Aldetrudis. Quæ videlicet Aldetrudis, puella bonæ indolis, materteræ suæ mores & vi-

& vitam satagebat imitari, secusque pedes illius indesinenter accumbens, doctrina vitæ sitiebat informari. Quæ cùm multis floreret virtutibus, humilitati præcipuè & obedientiæ dedita erat. Huic aliquandò beata virgo Aldegundis præceperat, vt fragmenta ceræ coaceruaret in vnum: solicita, nè vel minima rerum monasterij deperirent. Illa dicto citiùs paruit, dispersa ceræ fragmēta collegit, ignem accendit, vas æneum, id est, peluim, cera plenū superimponit. Sed cùm dominante flamma strues lignorum iam combusta decideret, atque sartago feruens, ignis ardore circumcincta, in partem alteram declinaret, ac magis indè focus exęstuaret, timens virguncula, nè quid damni contingeret, armata fide, manibus nudis exertisque brachijs de medio flammarum luterem bullientem festina sustulit, nihilque penitùs in cute suæ carnis perpessa læsionis, in pauimentum deposuit. Tantū apud Deum & meritum iubentis, & virtus obedientis sine dubitatione promeruit. Insigne miraculum.

CAP. IX.

BEata verò Aldegundis à proposito suo nō deficiebat, sed de virtute proficiens in virtutem, sicut à pueritia cœperat, in sanctis operibus quotidiè perseueranter abundabat. Cùm enim adhuc esset in domo parentum, ætate quidem tenella, sed corde matura, quicquid sui iuris erat, pauperibus misericorditer erogabat. Si virgini pecunia nonnunquàm deerat, voluntas tamen largiendi, sibi nunquàm decrescebat. Mater autem eius Bertilia, non modicum pecuniæ thesaurum congregauerat: qui licèt filiam non lateret, occultante matre locum, nihil tamen indè tulit ante mortem illius. Facta autem superstes parentum, ilicò pauperibus cœpit matris thesaurum erogare. Procedente autem tempore, cùm iam fieret mater familiarum cum sorore sua, vocat fidelem ministrum, profert argentum ad comparandas vestes in opus seruorum & pauperum Christi, iubens, vt, si quid de pecunia superesset, sibi referre deberet. Implet seruus dominæ suæ præceptū: emit copiam vestium: quod remansit pecuniæ, refert: argenti quantitas integra reperitur, àc si nihil expensum fuisset. Stupefactæ super immensa largitate creatoris, quis explicare valet, quantas Deo gratias egerunt? S. Aldegundis adhuc puellæ benignitas in pauperes. Præclarum miraculum.

CAP. X.

QVadam etiam nocte dum ambæ Christo Domino deuotæ sorores, de dilectione cælestis sponsi, & conuersatione regulari, & salute sororum, à summo pastore sibi creditarum, solicitè peruigiles meditarentur, candela coràm posita, subitò cadens extinguitur. Cumque præstolarentur, vt ab aliquo superueniente reaccenderetur, & aliqua fieret mora, virgo lucis amatrix porrexit manum, lucernam accepit: in cuius manu continuò lucerna diuinitùs lumen recepit. Quo miraculo, Dominus Iesus Christus, qui est lux vera, se præsentem esse ancillis suis manifestauit, quas in suo nomine congregatas, nec ad momentum perpeti tenebras permisit. Aliud haud vulgare miraculum.

CAP. XI.

NOn multo pòst tempore, dum eædem cælesti sponso dilectæ germanæ, sibi commissi gregis curam gererent, incedentes per cœnobiū, negocij quid acturæ, venerunt ad basilicam beati Apostolorum principis Petri ad horam orationis sextam. Pulsauerunt ostium: aberat ianitor templi, sed nō aberat cæli ianitor, qui statim famulabus suis fores ecclesiæ clausas reserauit, nè gratia fraudarentur orationis, & animus earum, velut arcus in seruitium diuinum extentus, relaxaretur ab intentione supernæ contemplationis. Tunc intrantes domum orationis, solito deuotiùs & maiori compunctione debitum persoluentes officium, cum alacritate mentis ad sua reuersæ sunt. Templi fores diuinitùs patescūt

CAP. XII.

SEd vt parùm superiora memoremus, postquàm virgo sapiens Aldegūdis secularibus pompis alienata, sanctimonialibus vestimentis est induta, rursùs angelicis admonitionibus roborata, visione mirabili, qua Dominum Iesum tanquàm splendentem circūstantibus angelicis videre meruit, lætificata, memor etiam sermonis Amandi viri Dei, de omnimodo contemptu temporalium, & culmine perfectionis, quod priùs iam complere cœperat in parte, modò deliberat omnibus, quæ possidebat, ex toto renūciare, nihil in terra possidens, in cælo cupiens thesaurizare. Fecit ergò describi thesauri sui summam, & totius pecuniæ, quam habebat in auro & argento, gemmisque & ornamentis regalibus, quæ sibi collata fuerant à

Rege & Regina, principibus & cognatis, & parentibus suis, post velationem capitis sui, ac post largas donationes, quas pauperibus Christi consilio beatorū Amandi atque Autberti Episcoporum distribuerat, & hæc omnia virgo prudentissima, domûs Dei decorem etiam exterioris diligens, ac decus ecclesiarum, deuota mente donauit. Prædia verò possessionesque infinitas, ad vsus inibi regi Christo famulantium publica donatione concessit: cætera vniuersa in sumptus pauperum delegauit, nihil sibi præter vile reseruans indumentum, sanctæ religioni congruum, atque victum quotidianum, quo cum reliquis ancillis Dei communiter viuebat. Sed Domini Saluatoris benignitas, vt in fide corroboraret animos famularum suarum, non distulit ostendere, quàm sibi gratus esset pro sui nominis amore transeuntium contemptus rerum. Eo nanque die, quo famula Dei tam gloriosum opus largitionis suę compleuerat aduesperascente, dum ipsa iubente ministri sibi deferrent ad potādum aquam de fonte, qui nuptiarum celebratoribus in Cana Galilææ vinum ex aqua largitus est, ipse fontis aquam sponsæ suæ refocillandæ mutauit in mirabilis vini saporem. Quod factū cùm omnibus ancillis Dei in monasterio innotuisset, tantus amor Domini Christi mentes earum inflammauit, vt intuitu dilectionis illius, nulla deincèps aliquid terrenum possidere curaret.

Omnia sua dat ecclesijs & pauperibus.

Ioan. 2. Aqua in vinū mutatur

CAP. XIII.

ACcidit aliquandò, vt vna famularum vrceolum aqua repleret, qua sancta virgo manus suas abluere deberet. Intercurrente ergò mora, vacuatus est vrceus ad alios vsus, illa nesciēte, quæ vas impleuerat. Cumque fusura esset aquam in manibus eius, & vacuum reperisset vrceum, tremebunda recurrere volens ad fontem, subitò sensit vrceum aqua repletum. Hoc signo cunctis in cœnobio manifestato, meritum virginis admirantur, laudes ab omnibus Domino Iesu referuntur.

Miraculum

CAP. XIIII.

QVadam die beatæ virgini piscem adhuc viuētem piscator ipsius detulit: quem studio charitatis ad seruorum Dei superueniētium vsus magìs, quàm ad suos reseruans, in fontem proximum iactari præcepit. Qui dum aliquandò prope ripam nataret, saltum in aëra dedit, & in siccum deueniens, in arida palpitare cœpit. Aduolant corui de vicino crocitantes, vnguibus & rostris piscem laniare volentes. Mirabile dictu, & insolitum dictu: iuxtà pascebat agnus, qui minor cæteris pecoribus, celeriter accurrit, piscem à deuorantibus eripuit, cornibus & pedibus ac totius corporis nisu contrà pugnans, coruos abegit. Quò sorores, de monasterio noua bella prospicientes, festinanter aduenerunt: piscem incolumem inuenerūt, non sine grandi admiratione, famulæ Dei Aldegundi reportauerunt. Sed idem agnus defensor piscis, tam diù prosecutus est, donèc in præsentiam virginis Abbatissæ piscis oblatus est.

Aliud miraculum.

CAP. XV.

QVodam verò tempore sorores monasterij focum acenderant, & vt sibi moris erat, ad abluenda indumenta, caldariam cum aqua super focū suspenderant. Vna autem ex illis tunicam beatę virginis Aldegundis habens indutam, iuxta prunas adstabat: olla iam æstuante flamma bulliebat, cùm eccè serpens antiquus inuidens humili famularum Christi officio, propiùs adstantem igni, cōiecit in focum, & aquam feruentem super ipsam effudit. At illa cùm caderet, sanctæ Trinitatis nomen inuocauit. Ancillæ verò Domini festinantes accurrerunt, de medio flammarum eam abstrahunt, & quam timebant ignis ardore membratìm resolutam, orationibus & meritis beatæ virginis suffragantibus, illæsam reperiunt.

Vide malignum dæmonem.

CAP. XVI.

INter alia diuinæ cōsolationis beneficia, quæ gratia Domini Saluatoris huic virgini conferebat, illud non mediocriter admirandum est, quòd eam angelica visitatione sæpè familiariter confortans, aliqua mœstitia diutiùs affici non permittebat. Quod etiam ex paruis facilè coniectari potest. Audierat enim aliquandò de se prolatum detractionis verbum, à quibusdam peruersis & ocio vacantibus: quibus est pessima consuetudo semper derogare de melioribus. Cumque animus, vt est humanæ fragilitatis, aliquantulùm indè cruciaretur, adest Angelus consolans solitò eam, verbisque dulcibus permulcēs: Quid, inquit, ô dulcissima virgo sponsa Domini Iesu Christi, quid in verbis ociosorum & inuidorum contristaris, cùm tibi sedes parata sit regni cęlestis: illis autem, nisi resipiscant, æternum supplicium

Ociosis familiaris obtrectandi libido.

& pœna

& pœna seruetur infernalis? Talibus virgo recreata sermonibus, obloquentium vanitates non curauit vlteriùs.

CAP. XVII.

POst hæc autem, vt in vita B. Gisleni pleniùs inuenitur, dum B. Amandus Dominica nocte plenus dierum, tanquàm frumentum maturum in horreum cæleste condendum, palea carnis deposita migraret: in ipsa verò hora, beata Aldegundis vigilijs & hymnis in ecclesia cœnobij Malbodiensis, coram altari gloriosæ genitricis Domini nostri Iesu Christi Mariæ, incumbebat suppliciter. Et quoniam illum in hac vita multùm dilexerat, vtpotè cuius doctrina culmina virtutum edocta conscēderat, Domini Saluatoris gratia reuelauit ei, & cuius esset meriti, quem exhortantem susceperat: & quòd illa sequeretur in proximo, quò dux ille præcedebat. Orans enim, in ecstasi mētis eleuata, contemplatur senem virum, cano vertice reuerendum, sacerdotalibus & præclaris vestibus indutum, baculum manu tenentem, ad superna transire, turbamque copiosam albatorum ante & post eum iter habere: seipsam quoquè virgo sancta lętabatur in eodem comitatu simul properare. Cumque requisita, quis esset dux ille tam gloriosæ multitudinis, respondisset, se nescire, sic Angelus inquit: Amabilis Deo Amandus à seculo migrauit, & quoniam in vita sua sine macula, seipsum gratia Dei curauit seruare, atq; sibi commissa talenta disponendo fideliter duplicauit, modò cum sanctis animabus, quas verbo & exemplo Domino acquisiuit, ad gaudia sui Domini tam gloriosus ascendit. Hanc visionem prudentissima virgo nulli secum habitātium eo die reuelans, beato Gisleno mandauit, vt cum sorore beata Vualdetrude gratia visitationis ad se dignaretur venire: quibus venientibus in locum, qui dicitur * Meruius, festinauit obuiàm ire. Cumque visionem suam inter alia salutis colloquia beato Gisleno manifestâsset, intelligens vir Dei, quid illa visio præsignaret, altè suspirans: O charissima soror, inquit, amabilis & deuota sponsa regis æterni Domini nostri Iesu Christi, gratias age sine intermissione diuinæ dignationi, quæ tibi dulcissimi pastoris & iam factum ad cælestia transitum, & tuum in proximo futurum, præmonstrauit. Vndè quia cælestis iam dulcedinem patriæ, saporemque, Domino reuelante, prægustâsti, necessarium est, vt omni instantia in eius obsequio perseuéres, donec ea, quæ se diligentibus repromisit, merearis adipisci.

Tomo V. Octobris 9. cap. 12.

S. Aldegundi reuelatur obitus S. Amandi. Visio.

* Memrinus

S. Gislenus ei exponit visionem.

CAP. XVIII.

VIdit etiam aliquandò beata Aldegundis in visu, demonstrante Domino, valdè tristem humani generis inimicum: ac percontans illum sollicitè, requisiuit quæ tanta contra humanum genus esset eius peruicacia: quid emolumenti sibi futurum speraret, dum tot millia hominum ad infernum impellere nō cessaret. Cui malignus respondit, inuidiæ non modicæ se dolore torqueri contra filios Adæ: qui quotidiè illuc ascenderent, vndè miser ipse cum suis exularet.

Videt dæmonem.

Fatetur satan inuidētiam suā erga genus humanum.

CAP. XIX.

STudiosissima diuinæ legis, indesinenter esuriens verbo cælesti satiari, virorumque sanctorum ac religiosorum vitam cupiens imitari, beatum Humbertum apud Mariculas habitantem, virum in sanctitate magnificum, illustratum scientia diuinæ scripturæ, signum Crucis ab Angelo expressum gestantem in vertice, virgo prudens visitauerat: pabulo diuini verbi per aliquot dies affluentia oris eius epulata, cum illo circa vicina monasterij quadam vice deambulat: sed æstuante feruore diei, cùm penè siti deficeret, orante viro Dei cum ipsa virgine; fons ilicò dulcis è terra nouus emanauit: virgo reficitur, fons vsque in præsens non deficit. Beatus autem Humbertus depositionis suæ diem prænoscens, lineas vestes ad vsus exequiarum suarum ab ipsa virgine postulauit: propter quas dum mitteret deferendas, missus alterà virgine præsaga futuri, legato beati viri in medio itinere cum vestibus postulatis occurrit.

S. Humberti encomiū.

Miraculū.

CAP. XX.

BEata igitur Aldegundis, quæ sibi Dominum Saluatorem elegerat sponsum, frequentibus Angelorum confortata visionibus, qui sæpiùs illam multis modis, vtpotè conseruam & conciuem recognoscentes, familiariter alloquebantur, præsciens ex reuelatione spiritussancti dormitionis suæ diem appropinquare, deprecata est Dominum, vt qui sanctos sanctificat adhuc, & iustos iustificat adhuc, & qui flagellat omnem filium, quem recipit: dignaretur ancillam suam in præsenti,

Apoc. 22. Prou. 3. Hebr. 12.

sic flagellando carnem, purgare, quatenùs anima post hanc vitam in requiem Domini sui sine macula valeret introire. Sciebat enim in hac vita neminem tam perfectum esse, qui posset omnis peccati contaminatione prorsùs carere. Non distulit diuina bonitas præstare misericorditer, quod illa petiuit humiliter. Nam in dextera mammilla, non post multum tempus morbus, qui vocatur cancer, subortus est, qui corpus illius exæstuans, vsque ad vltimum diem vitæ depastus est. Virgo verò prudens, exemplo beati Iob, aliorumque sanctorum, patienter sustinebat, & tanquàm accepto diuinitùs dono congaudens, supernæ dignationi sapienter gratias agebat.

Cãcer morbus eã corripit.

Fert patientissimè.

CAP. XXI.

CVm autem adesse tempus resolutionis eius Angelus præmonuisset, prædictoque die nulla molestia corporis eam fatigaret, apparente sibi rursùs Angelo, cœpit queri cum eo, cur differretur à regno sibi parato. Cui ille: Scias, inquit, sanctos Angelos hoc tibi à Domino impetrâsse, vt ad perfectionem virtutum adhuc habeas spatium temporalis vitæ. Sed cùm aliquandò tertiana febre laboraret, hebdomada transacta, circa mediam noctem, immittente diabolo, tantus illam sitis ardor inuasit, vt nisi mox biberet, videretur exanimari. Cumque viriliter reluctãs, à potu vellet abstinere, vimque febris, non hostis tentationem reputaret, confugit ad orationem. Et eccè ante lucem vidit antiquum hostem, tetra & horrenda facie sibi adstantem, qui fateri coactus est, quòd tantum illi sitis immisisset ardorem: addidit blasphemus, dicens beatæ virgini, restare adhuc duram atque arctam viam, incertumque esse, vtrùm in Dei seruitio perseuëraret. Cui virgo constanter: Dominus, inquit, mihi adiutor est, non curo minas tuas. Cõtinuò satanas aufugit confusus, & sitis ab ea recessit. Post tentationem verò diabolicam, adest multipliciter consolatio diuina. Videt enim in visu tanquàm à Domino se postulantem in eius amore perseuerantiam, ac velut apparentem sibi sacerdotem ipsum Dominum, quod petebat, clementer annuentem. Videt etiam beatum Petrum Apostolum, sibi panem candidum deferentem, seque de manu eius illum cum ingenti lætitia suscepisse. Soror quoquè eius audiuit cælitùs per soporem, & suam à Domino acceptam pœnitentiam, & sororem suam virginem promeruisse Christum.

Satan cogitur suas ei fraudes fateri.

Contemnitur ab ea.

Visiones S. Aldegũdis.

CAP. XXII.

INtereà dum virginis animus huiuscemodi visionibus assiduè pasceretur, & ad cælestia contemplanda sublimaretur, offertur ei paruulus, cuius iam à suis vita desperabatur: quem ipsa protinùs ante cornu altaris proijci iussit. Quod vt factum est, confestim redditus est sanitati. Cumque renunciaretur virgini de subita sanitate infantis, & animaduerteret, hoc ideò contigisse, quòd illum contigerit locum, quo viderat ante paucos dies transisse Dominum: quid nisi Deo gratias ageret? Viderat enim non multò antè, quasi staret in platea, ac velut igneus globus de cælo super se veniret. Quarto verò die post hæc, media nocte Dominica, cùm ad vigilias ingrederetur ecclesiam, vna de sororibus egressa, cernit plateam, in qua visio priùs apparuerat, nimia luce splendentem, cùm eadem hora tenebrę totam occuparent terram. Manè facto, colloquẽtibus indè & mirantibus, intellexit beata virgo causam tanti splendoris, nulli tamen earum tunc manifestauit. Non post multum accessit & alius testis harum visionum, affirmans illi, se vidisse Dominum nostrum Iesum Christum cum exercitu Angelorum, ante cornu altaris ipsi virgini colloquentem. Requirens autem ab homine visionis horam, recognouit, ipsam fuisse horam, qua viderat Dominum in visione. Quarto die post hæc sanatus est puer, vt suprà dictum est.

Puer moribundus sanatur.

CAP. XXIII.

SAcerdos quidam boni testimonij, sine repræhensione conuersabatur eo tempore in monasterio à pueritia vsque ad perfectam ætatem: qui referre solebat, noctù se vidisse globum igneum descẽdisse de cælo super habitaculũ, in quo famula Christi ægrotabat. Post hymnos nocturnos, vna de maturioribus ancillis Dei, modicum soporis degustans, videt beatam Aldegundem ante altare in loco sacerdotis adstantem, corpus Domini in calice fregisse, sibique dixisse: Vade cià, dic sacerdoti, vt in hoc calice mysteria Domini Christi conficiat: & quoniam heri præ valetudine corporis communicare non potui, hodiè particeps fiam *corporis &* sanguinis Domini. Facta die, processit sacerdos, Missas celebrauit, & in tangendo cernit

Igneus globus visus supra domicilium eius.

cernit calicem in aëra subleuatum, ilicò suo resedisse loco. Tunc prædicta famula Dei visionem,quam viderat,& sacerdos de calice in aëre suspenso,ad Christi sponsam vtrunque detulêre, certitudinem habentes, has visiones obitum illius præsignare.

CAP. XXIIII.

INter alia signa virtutum, quæ potẽtia Saluatoris per ancillam sibi electam operabatur,homo quidam mente captus,aut suis exigentibus culpis, aut vt fides virginis manifestaretur, per insaniam capitis penè vsque ad extrema perductus est. Cùm parentes eius de vita ipsius desperarent, adduxerunt illum ad monasterium sanctimonialium,intimantes beatæ virgini cum gemitu, qualia ille miser pateretur. At illa visceribus pietatis condolens misello, fecit eum ad se vespertino tempore perduci.Orauit pro eo,& facto signo Crucis super eum,domùm redire iussit. Qui mox conualescens,restitutus est sanitati. Quinto verò die ante virginis obitũ, soror ipsius famula Domini nostri Iesu Christi Vualdetrudis,contemplatione cælestium subleuata,videt in visione, gloriosam Domini nostri Iesu Christi genitricem,cum sanctorum agminibus venientem,atque germanam suam virginem Aldegundem,secum ad sublimia deducentem. In monasterio quoquè Niuellæ, vbì sancta Gertrudis corpore requiescit, sanctimonialis quædam nimiæ simplicitatis & obedientiæ,ab amore mundi ante tribunal ad amorẽ Domini nostri Iesu Christi perfectè conuersa: sexta feria ante diem sabbati & dormitionis famulæ Dei Aldegundis,circa medium noctis, vidit in visu splendorem lucis intrâsse ecclesiam beati Petri, vbì iam dicta beata Gertrudis tumulata est,ità vt à pauimento vsque ad trabes vniuersam ædem,quasì meridianus sol illustraret. Dum verò attonita visione tantæ claritatis,timore solueretur : audit choros psallentium, ità vt voces discernere posset virorum ac mulierum,puellarum & puerorum,inuicèm alternando concinentium. Iam verò tertia nocte egressionis eius à corpore, gratia visitationis multis conuenientibus religiosis,atque sorore eiusdem virginis beata Vualdetrude, eccè fulgor ingens nimia claritate refulgens apparuit supra domum, in qua virgo sponsa Domini Christi opperiebatur intrepida eius aduẽtum. Cumque præsentes insolitam mirarentur visionem, ac beata Vualdetrudis inter spem metumque dubia,quidnam præsignaret,tremebunda rei finem expectaret,sancta illa anima,quæ veram lucem Dominum Christum amauit,& præsentiam eius sitibunda desiderauit,carne soluta, cum ipsa luce de hoc seculo migrauit. Sepulta est autem in villa suæ quondàm ditionis,vocabulo Salra : vbì suus vterque parens, ac soror posteà Vualdetrudis,sepulti sunt : In quo iacuit multo tempore, quoàd Christo donante corpus eius translatum est in municipium Malbodium,quod à fundamento construxerat,vbì nunc eius memoria fulget, ac meritis suffragantibus, plurima poscentibus beneficia diuina clementia largiri dignatur.

Hominem insanum sanitati restituit.

Visio S. Vualdetrudis.

Itèm alterius.

Ingens fulgor apparet sub mortem S. Aldegundis.

Migrat in cælos.

CAP. XXV.

ECcè inter alia sanctorum gesta, quicunque piè legis vel audis, eccè hîc habes, quod imiteris. Adhuc ætate puellari terrena despexit,cælestia cõcupiuit.Concupiscentiam carnis,virginitatis amore edomuit.Concupiscentiam oculorum, id est,curiositatem,diuinæ lectionis meditatione refrenauit. Ambitionem vitæ, hoc est,superbiam,humilitate calcauit.Contempsit mortalem sponsum,immortalem elegit.Diuitias cùm haberet,non sperauit in pecuniæ thesauris : sed prudenter indigentibus cuncta distribuens,amplexata est paupertatem. Inuénit in agro thesaurum absconditum,& præ gaudio illius omnia vendẽs,comparauit illum. Quæsiuit bonas margaritas pia negociatrix,inuénit vnã preciosam,emit,possedit. Tenebras exhorruit,lucem amauit,cum luce migrauit,lumen vitæ perennis habebit. Igitur imitare,quod legis : viue, sicut vixit : incede, quà incessit : ac sine dubitatione peruenies,quò peruénit : adiuuante gratia conditoris,qui misericorditer operatur in sanctis suis,qui dat virtutem & fortitudinem plebi suæ,benedictus Deus, Amen.

Vt sit imitanda.

Matth.13.

Psal.67.

LECTORI PIO F. LAVR. SVRIVS.

HAnc beatissimæ Aldegundis historiam 30.Ianuarij die in primo Tomo collocâssemus,si eius tum copia nobis fuisset. Sed quod tum non licuit, hoc loco sarcire voluìmus.Hoc enim die, id est,13. Nouembris, sanctæ virginis translatio celebratur,& potest Lector eodem fructu legere hoc die eius historiam, quo legisset 30. Ianuarij.

VITA SANCTI LAVRENTII ARCHIEPISCOPI DVBLINENSIS, AVTHORE QVODAM

è Collegio Augensi, qui nomen suum non exprimit: sed sanè doctè scribit & grauiter. Stylum aliquot locis nonnihil expoliuimus.

PRAEFATIO AVTHORIS.

Apoc.7. Enedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarumactio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, qui spõsam suam Ecclesiam mirabili prole fœcundat: vt nunquàm sit sterilis, sed semper gratiosa fœcunditate mirabilis: vt in tempore persecutionis rosas martyrum, in tranquillitate pacis pariat lilia confessorum: quatenùs dilecto suo, qui candidus est & rubicundus, sponsa respondeat in rubore rosarum & cãdore liliorum. Non enim in emissionibus paradisi sola sunt màla punica, sed coniuncta sunt cum pomorum fructibus: nec nardus sola, sed cypri cum nardo: & venter siue fœcunditas sponsæ non tantùm aceruo tritici comparatur, sed etiam dicitur vallatus lilijs. Virum quoquè, qui stabat inter myrteta, ascendentem super equum rufum, non tantùm equi rufi secuti sunt, sed & albi: & de medio duorum montium æreorum non tantùm quadriga equorum rufforum, sed etiam alborum equorũ quadriga egredi videbatur. Dominus quoquè, qui fecit Arcturum, cum Arcturo non solùm fecit Orionas, sed & Hyadas. Per Arcturum septem stellarum, designatur Ecclesia, sept iformis spiritûs luce radiosa. Oriones, qui orientes in hyeme tempestates excitant, demonstrāt martyres: qui in hyeme infidelitatis exorti, excitauerunt contra se persecutionum tempestates. Hyades stellæ pluuiales, orientes in vêre, confessores significant: qui tempore tranquillitatis apparentes, mentes hominum irrigârũt pluuijs doctrinarùm. Sicut igitur cum Arcturo fecit Dominus Orionas & Hyadas, sic Dominus de Ecclesia sponsa sua, vt nunquàm sit sterilis, sed semper fœcunda, aliquandò martyres, interdùm quoquè generat confessores. Inter quos effulsit sanctæ matris Ecclesiæ proles egregia, gloriosus Christi sacerdos & antistes Dublinensis Ecclesiæ, vir beatus Laurentius, cuius memoria in benedictione permanet, genere nobilis, & insignis virtutibus: clarus operibus, & signis magnificus. Similem enim fecit eum Dominus in gloria sanctorum, & glorificauit eum in conspectu regum. Cuius vitam & virtutes ego licèt indignus, sed tamen non indeuotus seruulus, sancto Augensi collegio fraterna societate coniunctus, ad laudem Dei, & sancti confessoris gloriam, ad excitandam deuotionem legẽtium, stylo compendioso, inuocata sancti spiritûs gratia, tractare curaui. Et hæc quidẽ de præfatione dixisse sufficiat. Stultum enim est, ante historiam effluere, & in ipsa historiæ narratione succingi.

[Marginal notes: Cant.5. — Cant.4. — Cant.7. — Zach.1. — Zach.6. — Iob 9. — Martyres. — Cõfessores. — Habes Authorem, licèt anonymum. — 2.Mach.2.]

VITÆ HISTORIA.

CAP. I.

Nouẽb.14. Eius natale solum. ILECTVS igitur Deo & hominibus sacer Dei pontifex Laurentius, ex partibus Occidentis insula Hybernia claris natalibus extitit oriundus. Quem Dominus in terra barbara, sicut lilium inter spinas, vel sicut Iob in terra Hus inuẽnit: qui non plus traxit de terræ suæ barbarie, quàm piscis marinus de maris salsugine. Magna siquidem fuit sanctitatis eius cõmendatio, quòd in medio nationis prauæ & peruersæ luceret quasi stella matutina in medio nebulæ: immò tanquàm luminare magnum in mundo, verbum vitæ continens: lumen ad reuelationem gentium barbararum, & gloriam Ecclesiæ. Natus igitur in terra barbara, de nobili tamen prosapia fuit, per matrimonium regis filius & reginæ. Cuius pater lingua patria Moriardocothochel appellatus est, Latinè verò Mauricius: mater eius Inianobren lingua sua, id est, filia principis lingua domestica. Et pater quidem tanta generositate claruit, vt

[Marginal notes: Iob 1. — Phil.2. — Parentes eius.]

non

non modica pars Hyberniæ, quæ Lagenia dicitur, ad eum iure hæreditario pertineret. Etsi autem in hoc minimè gloriandum est, sed neque tamen omninò silendum: quandoquidem indè maior in illo virtus fuisse probatur, quòd mundanę vanitatis maior fomes extinctus est. Suis autem parentibus post prolem multiplicem beatus Laurētius vltimò datus est filius: sed licèt nascendo ex carne fuerit nouissimus, quod tamen ad spiritum attinet, primus emicuit. Lageniæ dominus est pater eius.

CAP. II.

NAto beato puero, pater ipsius, qui infensus fuerat Comiti de Kildara, Donato nomine, placatus postmodùm, in fœdus pacis & amicitiæ inuicèm cōseruandæ, eidem Comiti filium suum misit, vt eum faceret baptizari, iubens vt Conconor vocaretur. Sed ferentibus puerum ministris venit obuiàm quidam, qui, vtì de Merlino apud Anglos legitur, propheta apud eos habebatur. Vera enim pleraq; omnia hominibus prænunciare probabatur. Is itaque cùm causam itineris cognouisset, & quod de puero mandàrat pater eius, statìm accessu spiritûs versum Hybernicū protulit, cuius hic est sensus: Iste puer magnificus erit in terris, & gloriosus in cælis, pręeritque plurimis tam diuitibus quàm egenis: & erit Laurentius nomen eius. Sic enim iubeo eum appellari. Cumque ministri admirantes responderēt, non audere se patris imperio non parére, dixit vates: Ego hac nocte domum patris eius ingrediar, & vos de nominis mutatione satis reddā excusatos. Illi ergò cœpto itineri insistentes, ad Daren..em ciuitatem, sanctæ Brigidæ sedem, puerum pertulerunt: vbì receptus à prædicto Comite cum gaudio, & ab Episcopo ciuitatis protinùs baptizatus, Laurentius, vtì vates prædixerat, vocatus est. Videtur quidem in prophetia prędicta de sancto puero, & nomen non sine causa prophetatum, & meritum simul insinuatum & præmium. Si enim à lauro Laurentius nominatur propter perpetuum lauri virorem, fidem sancti significat per dilectionem operantem, & sic indicat meritū. Si à laurea, seu laureola, pertinet ad præmium. Huic enim sancto & laurea debetur, & laureola: Laurea, tanquàm triumphanti: quia cùm militia sit vita hominis super terram, non coronabitur, nisì qui legitimè certauerit. Laureola, tanquàm prædicatori: & sic magnificus significatur futurus in terris, quantùm ad meritum: & in typum prædestinatæ sibi laureæ gloriosus in cælis, quantùm ad præmium. Quidam de infante Laurentio futura prædicit. Iob 7. 2.Tim.2.

CAP. III.

CRenit itaque puer, & cœpit bonæ indolis adolescens esse: & honorificè, vt decuit, enutritus vsque ad annum decimum, super omnes coętaneos suos miris profecit incrementis. Accidit autem, vt pater eius maximū Dermitij Regis odium incurreret, metueretq; ex furibundi Regis minis, nō solùm in se, sed etiā in totā ditionem suā illum sæuiturum. Metiens igitur & metuens bellorū & dissensionū discrimina, cōmunicato cū suis consilio, de quatuor filijs, quos habebat, iuniorem ei Laurentiū pacis obsidē delegauit. At Rex inhumanus, crudeliùs tractans de puero, ipsum in terram lapidosam & sterilē, vbì victū seges ægra negabat, iussit vinctū deportari, vbì à fructu frumenti, vini & olei priuabatur, vbì paruulus petijt panem, & non erat qui frangeret ei. Ibì sanctus puer ali..andiù degens, multiplicē passus est iniuriam ex fame & nuditate, intàtùm vt per inopiam eorum, quæ ad victum pertinent, & stridentis boreæ flatū, ad mendicorū squalorem perueneri t, & à planta pedis vsque ad verticē percussus, quodāmodò secundùm carnem omninò tabesceret. Quod cùm ad aures patris quorundā relatu venisset, sine mora comprę hensos duodecim Regis Dermitij milites se quamprimùm occisurū minabatur, nisì sibi filius, super quo commota fuerant paterna viscera, celeriter redderetur. Id audiēs Rex Dermitius, cùm non ignoraret terrā illius esse inuictissimam, puerum reddere maluit, quàm perdere milites suos. Nec tamen reddidit eum patri, sed cuidam Episcopo Glindalacensi, idq; his pactis legibus, nè illū patri restitueret, nisì priùs sui milites sibi redderentur. Missi sunt ergò milites ad Episcopum, qui Regi Dermitio eos remittendos curauit: puerū autem per duodecim dies apud se retinuit, & capellano suo vt curā de illo gereret, qui inciderat in latrones, tanquàm bonus Samaritanus cōmisit. Is verò puerū benignè suscepit, & instàr prudētis stabularij non minùs spiritûs, quàm carnis gerens curā, non erogare ea tantùm, quibus corpus de suis infirmitatibus cōualescere posset, studuit: verumetiā supererogādo ad eius spiritum confouendū, per illius tam breuis temporis spatiū in oratione Dominica, & primis Dermitius rex infestus est patri ei°. Sanctus puer durissimè habetur. Restituitur parēti suo.

ministrationis non habuit requiem seruus Dei. Erat enim in tota regione illa intolerabilis rerũ inopia, quæ etiam victui necessaria hominibus negaret: maximè aũt in pauperes flagellum hoc sæuiebat. In quo cùm vir Domini (vt erat valdè compatiens, & erga afflictos pia gestans viscera) pro sua abundantia larga manu indigentibus subuenire satageret, nulli saltē cõmiserationis affectu defuit, seu benigni animi voluntate, sic omni petenti se tribuens, vt Euangelio parêret. A falsis quoquè fratribus graues persecutiones sustinuit, qui inuidiæ facibus accensi, detractionis dente syncerã ipsius vitam rodebant: sed palpantes quasì cæci parietem, non inueniebant ostium, per quod ad dignam eius reprræhensionem ingredi possent. Apparebat inter ipsos aurora, sed inuidẽtiæ cæcati malignitate, sicut dicit beatus Iob, arbitrabantur vmbrã mortis. Horum vir Domini mortis liuidam nequitiam & dissimulationis cautela, & charitatiua beneficiorum impensione viriliter superabat.

In summa annonæ caritate insignis liberalitas.

Luc. 6.

Iob 24.

CAP. VII.

ERat etiam in terra illa prædo quidam, genere nobilis, in hoc tamen degenerãs, quòd vespillonum & raptorum se gerebat principẽ: qui omnibus omnia pro libitu surripiens, magìs aũt in Abbatis Laurentij subditos insidijs grassabatur, nunc fraudulentia, nunc violentia manifesta sæuiens. Quodam nanque die occurrit detestabilis ille Abbatis hominibus, qui ex vicinia mel & frumentum ad populi subleuandam penuriam deferebant: & insiliens in eos, nefanda rabie laicos cecidit, clericos spoliauit, fœminis vim attulit. Quod cùm relatum esset viro Dei, ingenti mœrore animi percussus, asscendit in domum Dei, nec cibum capere voluit. Cùm enim clientulorum & amicorum carnalium numerosa multitudine vigeret, non superba temeritate præsumpsit vltionem diuinam, sed ad humilem potiùs orationem se conuertens, humiliter expectauit Dominum, qui ab illis prædonibus populum misericorditer liberaret. Nam in fide & lenitate sua sanctum fecit illum Dominus. Vndè & dicebat: Tua est vltio, Domine: tu meliùs nósti tempus retributionis, & modum, quod non multùm post eius orationem impletum est. Tertia nanque die iniquus ille prędo, qui cateruæ latronum præerat, permittente Domino, in quorundam manus hominum deuenit, qui compræhensum sine regis licentia, eô maximè, quòd esse de stirpe regia diceretur, vita priuare non audentes, orbatum oculis dimiserunt: qui & post non multum temporis vita functus est.

Vespillonũ, pro latronum.

Prædo nefarius tolus res eius.

Eccli. 45.

Prædonẽ illum cęlestis vindicta persequitur.

CAP. VIII.

EOdem etiam tempore tres magni latronũ principes, qui multis sceleratis præerant, tres turmas satellitum sibi collegerant, religiosisq; personis & Ecclesiasticis ad sancti Coëngini & Abbatis Laurentij protectionem pertinentibus, molestias & damna plurima sæpiùs inferebant. Quodam igitur die in via, quam sanctus Coënginus manibus suis construxisse dicitur trans paludes & aquarũ scaturigines, dum in suis expectarent latibulis, si quos spoliandi opportunitas se offerret: mox quatuor sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiam, sicut tunc moris erat pluribus, secum pro tuto viatico ac securo duce itineris publicè deferebant. In quosërociter irruentes, sacerdotes manu sacrilega spoliauerunt, nostrę redẽptionis precio, hoc est, Eucharistiæ nullã reuerentiã exhibentes: sed magìs irreuerenter tractantes, nefandis dentibus attingere & atterere præsumpserunt, & cæteros vsque ad mortẽ ferè verberibus affecerunt. Quo audito discrimine, cœpit dolere non mediocriter Abbas Laurentius, peccatis suis imputans iniurias suis subditis irrogatas, maximè cùm pater patriæ ipse diceretur. Qua consideratione non de fastu honoris, non de nobilitate generis, non de potentia seculi superbè elatus, humiliter ad orationem conuersus est, mâlensq; persecutionis gladium in se, quàm in suam plebem conuerti, ieiunium sibi indixit, vt vno die naturali nec cibum, nec potum caperet: & ecclesiam ingressus cum suis clericis, Dominum incessanter deprecabatur, instàr fidelis patroni, pro liberatione suorum insistens. Sed nõ lõgè pòst diuina vltio in illos sacrilegos animaduertit. Octauo enim die illorum principes supradicti à quibusdam Regis ministris compræhensi sunt: & quanuìs sic satìs procùl à ciuitate beati Laurentij capti essent, vnus tamen ex illis, quasì non posset alibì inueniri patibulum, necessitate diuinitùs compellente, ad Glindalacensem vrbem perductus est, & in rupe eminentissima, ingredientium in ecclesiam, & indè egredientium obtutibus exposita, suspensus interijt: vt ibì de flagitioso æquum Dei agnoscerent iudicium, vbì contra Ecclesiæ libertatem illum

Nota morẽ antiquum.

Latronum quorũdam insigne facinus.

Diuinitùs puniuntur.

lum nequiter deliquisse constabat. Reliqui duo eiusdem nequitiæ consortes, in via illa qua sacrilegium perpetrârant, suspendio necati sunt. Quibus ità sublatis, tranquillitas patriæ, & viatoribus securitas restituta est, requiemque dedit Deus famulo suo ab omnibus inimicis. Ità nimirùm similẽ eum fecit Dominus in gloria sanctorum, & magnificauit eum in conspectu inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu populi sui, & ciuitas Glindalacensis magni olìm, vt suprà dictum est, nominis, tanto irradiata sidere, non parùm in tota regione illa honoris & reuerentiæ consecuta est.

Eccli. 45.

CAP. IX.

IGitur quatuor his annis ità peractis, pax reddita est toti regioni, & copiosa fertilitas præteriti temporis inopiam mirè suppleuit. Vndè Abbas Laurentius, charitate feruidus, ad opera charitatis totus accinctus, copiam rerum ipsi allatam, pauperibus nutriendis & ecclesijs ædificandis abundè impertijt: cumque diuitiæ eius, licèt plurimæ, benignitatis & charitatis eius sumptui non respõderent, thesaurum patris sui, quem custodiendum acceperat, pauperibus totum distribuit, & quæcunque inuenire poterat manus eius, multiuarijs charitatis officijs liberaliter dispergendo, per manus indigentium in cælos transmisit: vt, quemadmodùm de sancto Leuita & martyre Laurentio, cuius nomen non sine præsagio meritorum adeptus fuerat, sic & de illo veraciter dici possit: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Certè si electus Dei inter mundi scandala, inter antiqui serpẽtis sibilos, & fragilis carnis blanditias læsus aliqua ex parte fuerit, (nõ est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet) charitatis affectus, qui erat insignis in illo, operire poterat multitudinem peccatorũ. Vniuersa enim delicta, vt habet Salomonis prouerbium, operit charitas: & si peccauit multùm, remissum est ei, quoniam dilexit multùm. Porrò multas infirmitates tam manuum impositione, quàm oris anhelitu salutifero sanauit: peierantesque omnes, manu eis imposita, quod priùs celauerant, cogebat confiteri.

Multa largitur vir Dei ecclesijs & egenis.

Psal. 111.

Eccles. 7.

Prou. 10.

Luc. 7.

Nota.

CAP. X.

INtereà contigit, vt Glindalacensis Episcopus, qui per id tempus præerat, vitæ diem extremum ageret, sedesque cathedralis eius obitu vacaret. Ea igitur sic pastore tanquàm communi spiramine destituta, sanctus Abbas Laurentius ad pontificalis honoris cathedram ab omnibus magna instantia & concordia petebatur. At ille suo more humiliter de se sentiens, petenti restitit populo, ætatem immaturam prouidè sapienterque prætexens. Nec tamen humilis eius excusatio postulantium deuotam superâsset instantiã, nisi diuina obstitisset prouidentia, qua dictante, scriptum est: Aduocatus à potentiore, discede: ex hoc enim te magìs aduocabit. Quod de beato Laurentio suo tempore factum est. Dominus enim ad maiora & multis vtiliora eum reseruans, quia fidelis & prudens seruus super creditis sibi talẽtis fuerat, illisq; contentus, non pusillanimitate, sed humili timore ductus, Episcopus fieri recusauit: posteà Archiepiscopi eũ infula cohonestauit. Nã post non breue tempus Gregorius Archiepiscopus Dublinensis ad patres suos collectus est. Eius sede vacãte, permulti ambitione cæcati, generis nobilitate & literarũ scientia tumẽtes, dignos se illo præsulatu existimabant. Sed eos, vt improbos, depulit Dominus ab honore, quippè qui superbis resistit: humili aũt & mansueto Laurentio apud electores tantã conciliauit gratiã, vt cùm de eligendo pastore tractaretur, subito afflatu spiritussancti, eorũ animi Abbatis Laurentij celebri memoria afficerẽtur. Nanque & generis nobilitate, & morũ honestate erat apud eos clarissimus, & iuxta Apostoli doctrinã, de cõstituendo Episcopo Timotheũ & Titum admonentis, irreprehensibilis Dei dispensator, nõ superbus, non iracundus, non vinolẽtus, non percussor, nõ turpis lucri cupidus: sed hospitalis, benignus, prudens, sobrius, iustus, continens, amplectẽs, qui secũdùm doctrinã est, fidelẽ sermonẽ: vt solicitè seipsum præbeat bonorum operum exemplũ, in integritate, in grauitate: vt is, qui ex aduerso erat, vereretur, & oppilaretur omne os iniqua loquentiũ, cùm nihil haberent mali de illo dicere. Itaque omni mox sopita discordia, diuersas eligentiũ voluntates spiritu sancto in vnam conflante, beatum Laurentium elegerunt in Archiepiscopum & pastorem: (sed valdè inuitum, diuque renitentem, & in ipso honore onus pensitantem.) Et onus quidem prosternit debiles: honor autem pusillanimes deijcit. In illo aũt non alleuabat onus honoris ambitio, sed potiùs oneris grauitas honorem decli-

Eccli. 13.

Recusat Episcopatum

1. Pet. 5.

1. Tim. 3. Tit. 1.

Creatur Archiepiscopus.

Quæ parenthesi inclusa sunt, nos addidimus, quia deesse ea, aut ijs similia, satis apparet.

declinandũ probabat. Librabat enim montes in pondere, & colles in statera: quod pauci faciunt. Quorum paucitatem admirans Esaias, exclamat: Quis librauit in pondere montes, & colles in statera? Si montes libremus in pondere suo, maius eorum pondus est, quàm altitudo. Illorum enim altitudo superari potest & pedibus calcari: pondus verò eorum quis ferat? Per montes autem intelligimus dignitates, quæ plus habent oneris, quàm honoris: quæ despici quidem possunt, sed sustinere eas quis possit? Colles quoquè si libremus in statera, quantus assensus eorũ, tantus & descensus comperietur. Sic & in dignitatibus, quæ per colles designantur, si assenditur ad prælationem, descenditur ad seruitutem. Librans igitur animus sancti viri montes in pondere, & colles in statera, onus in honore, & seruitutem in prælatione pensabat: sicque fiebat, vt consideratio seruitutis & oneris, omnem appetitionem prælationis & honoris ab eius animo auerteret. Tandèm tamen se iactans in Dominum, desiderio fructûs suscepit laborem, & à Gelasio totius Hyberniæ primate, in ipsa Dublinẽsi Ecclesia, multis Episcopis præsentibus, gratias agente populo, consecratus est,

Esa. 40.

Montes, dignitates.

CAP. XI.

Beatus igitur Laurentius pontificalem adeptus infulam, diligẽti studio satagebat, vt esset subditis suis forma sanctitatis, & totius honestatis exemplum: nè prædicantem vel docentem contraria remorderet conscientia, sed potiùs prędicationem vitæ sanctimonia commendaret. Decet enim maiorẽ natù, decet & illum, qui primus est in Ecclesia, sic pronunciare verbum scientiæ secundùm doctrinam, vt non impediat musicam. Impeditur autem melodia musicę, si laudatur Dominus in sono tubæ, & non laudatur in psalterio & cithara. Laudetur ergò Dominus in tubali prædicationis sono, & consonet psalterium, concordet & cithara: vt vna sit harmonia siue consonantia prædicationis, quæ per tubam intelligitur: & executionis decem mandatorum, quam decachordum psalterium designat: itemq; mortificationis carnis, quã cithara significat. Itaque mox vt indutus est beatus Laurentius stola gloriæ, etiam vasis virtutis expetijt coronari. Circuncinxit ergò se zona iustitiæ, circunpedes, & femoralia, & humerale sibi imponens, tunicam talarem totam cilicinam non tantùm induens, sed carni assuens, cuius cilicij asperitate, & vermium multitudine succrescente perforabatur caro sancti pontificis: vt ex interiori ardore spiritûs flamma exteriùs resultante, ipsa caro velut in frixorio coqueretur. Sicque clauum clauo retundens, punctiones punctionibus reprimens, proprium corpusculum exarabat: extrà hoc est, ex carne primo maledicto supposita, spinas & tribulos eliminare contendens: vt sic aceruum frugum posset sibi cumulare in posterum. Sic attẽdens sibi pastor egregius, de omni corde suo satagebat laudare Dominum, in diuinis officijs assiduus & deuotus: diligensq; decorem domûs Dei, vt amplificaret cultûs diuini sanctitatem, & sacris altaribus debitam præstaret reuerentiã, constituit ad sacrum Domini ministerium viros idoneos ordinare, nè propter seruitores seruitia Domino displicerẽt, sicut scriptũ est: Nè offeratis vltrà sacrificiũ frustrà. Incensum vestrum abominatio est mihi. Neomeniã, & sabbatum, & festiuitates alias non feram. & subditur causa: Iniqui sunt cœtus vestri. Ideò vir sanctus & timoratus siue religiosus, honestatis amator, & zelator religionis, operam dedit, industriamq; adhibuit, vt clericos seculares, qui in Ecclesia Dublinensi erant instituti Canonici, secundùm exteriorem & interiorem hominem mutatos in melius, in regulares canonicos transformaret. Et vt hoc summi Põtificis authoritate confirmaretur, duos è canonicis suis misit Romam, propter vsum & consuetudinem * Aroasiensis ordinis: per quos sancti viri desiderium adimpletum est. Fecitque regulares stare cantores circa altare, vt laudarent nomen Domini: & dedit in celebrationibus decus, & in sono eorum dulces fecit modos.

Qualem se exhibuerit in ea dignitate.

Obsertus veste cilicinã, toti corpori admotam.

Gen. 3.

Esa. 1.

Canonicos seculares mutat in regulares.

*Arroacensis

CAP. XII.

Vt autẽ Domino suo securiùs militaret, spiritualis certaminis milites electos ordinans, armisq; corũ & signis se muniens, habitũ Canonicorum regularium & viuendi normam accepit, eique conuenienter viuere studuit. Nam penè continuè, dum ei licebat, cum canonicis illis edebat in refectorio, locis & horis congruis siue debitis seruabat silentium, ad matutinas singulis ferè noctibus cum illis in chorum ingrediebatur, vnà cum eis vigilias & laudes Domini celebrabat. Sciens autem scriptum, Vigilia honestatis tabefaciet carnes: deuotione feruẽti vigilabat

Fit etiam ipse Canonicus regularis.

Eccli. 31.

in

in orationibus, & attenuabat carnem suam. Finitis enim matutinis laudibus, cæteris ad lectos redeuntibus, ipse in ecclesia remanebat, etsi non semper solus, tamen vt solitarius: ibatque pro consuetudine ante signum Dominicæ passionis, vbi velut in speculo vitæ, contemplabatur æneum serpentem, eleuatum in stipite Crucis, & eius dulci memoria sanabatur à languoribus suis, psallebatque Domino cum tremore: & nunc stando, nunc sedendo, nunc etiam flectendo genua, totum Psalterium resonabat. Affirmatum est equidem à fratribus religiosis, qui præ cæteris frequentiùs orationibus insistebant, quòd vir sanctus cum prædicta Cruce dulcissimum habebat colloquium: de qua multa mirabilia memorãtur, quæ magna peregrinorum veneratione ab antiquis temporibus frequentatur. Facto verò die, exibat in cœmeterium, & illic aliquantispèr deambulans, commendationem fidelium defunctorum percantabat.

Vigiliæ & preces eius. Num. 21.

CAP. XIII.

CVmque non ignoraret illud Ecclesiastici, Seruum inclinant operationes assiduæ: carnem suam vigilijs & ieiunijs exiccatam, & asperitate cilicij, vt supra dictum est, exaratam, reducto paululùm cilicio verberibus exponebat, terq; ad minùs in die se virgis cædi volebat ab aliquo familiari, qui tacere nôsset: excutiebatque per confessionem, adiunctis virgarũ scopis, si quid eius sanctæ animæ pedibus mundani pulueris adhæsisset. Etsi autem eiusmodi virgarũ castigationibus & orationibus carnis coërceret malitiam, at tamẽ in omnibus discretionis moderamen adhibebat, nec sine iudicio flagellabat carnem propter dictum illud Sapientis: Si non obediërit seruus, curua illũ compedibus: verùm sine iudicio nihil facias graue. Nam Apostolus ad perfectam carnis mortificationem nos inuitans, cùm præmisisset, Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: subiecit, Rationabile obsequium vestrum, videlicet secundùm ethnicum, vt nè quid nimis. A carnibus quidem semper abstinuit, postquàm canonicus fuit: omni verò tempore à desiderijs carnalibus. Sexta feria solo pane vescebatur & aqua, & frequenter nec panẽ sumebat illo die, nec aliquid refectionis corporalis, cibatus solo pane & aqua doloris ex compassione Crucis Iesu Christi, cum quo se animo crucifigebat. Sæpè etiam panem lixiuio mixtum solebat edere, vt posset dicere cum Psalmista: Cinerem tãquàm panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

Eccli. 33. Corpus suũ flagellat quotidie. Eccli. 33. Rom. 12. Terentius. Nõ vescitur carnibus. Psal. 101.

CAP. XIIII.

ERat verò multùm liberalis non solùm pauperibus, sed & diuitibus hospitalis & discretus, vnumquenque sic, vt decebat, suscipiens, pauperum inopiæ succurrendo, diuites verò inuitando suis beneficijs ad sectãda charitatis opera: vt simul diues & pauper ab vno acciperẽt non solùm temporale subsidiũ, sed & consilium spiritale. Sic enim decebat pastorẽ bonum pascere gregem suũ. In omnibus autem, quibus posset popularẽ excitare fauorẽ, cautè se gerebat, inanem gloriam & lupinam hypocrisim tanquàm pestem euitans. Nam propriæ carnis macerator, amator abstinentię, nõ tantùm hospitibus se splendidum in panibus, ferculorum varietate atque potûs diuersis generibus exhibebat: verùm etiã cum illis aliquandò discumbens, & inter multas epulas cibis vilioribus vtẽs, aut edere se simulans, pia quadam simulatione communem se illis ostendebat. Et quod est argumentum miræ prudentiæ, sæpè merum bibere credebatur, cùm non esset merum, sed aqua potiùs modici vini admixtione sic tincta, vt vinũ à discumbentibus putaretur. Singulis autem diebus pauperes sexaginta, aut quadraginta vel minimùm triginta in cõspectu suo refici faciebat, exceptis alijs pauperibus, de quibus infrà dicemus.

Vitat hominum applausus. Multos alit pauperes.

CAP. XV.

ERat autem vir sanctus admodùm † & elegantis staturæ. Vestimenta eius nec nitida nimiùm, nec abiecta plurimùm, sed ex moderato & cõpetenti habitu erãt. Exterior eius habitus, propter rudem & seruilem populum, authoritatem & reuerentiam pontificis præ se ferebat: medius verò, canonicum regularem: ad carnem cilicia & talaris interula, pœnitentem. Per hæc & alia beatus pontifex tanquàm sapiens architectus seipsum dabat, in similitudinem picturæ, exemplũ bonorũ operum, & sculpebat in subditis signacula sanctitatis, & assiduitate sua variabat picturam: & in lege Domini iudicabat congregationẽ, & in fide sua probatus est, & cognitus est in verbis suis fidelis. Trãsigebat noctem sicut diem, & vigilia sua perfecit opus,

† deest, proceræ, aut aliud quippiam. Eccli. 50.

opus,& in diebus suis suffulsit domum Domini,& corroborauit templum, & præualuit amplificare ciuitatem Dei,& adeptus est gloriam in conuersione gentis suę. Nam in diebus eius prosperata est plantatio illa Dei nouella,vt verum esset, quod scriptum est: Seruiuit Israël Domino cunctis diebus Iosue. Iosue 24.

CAP. XVI.

NOn est autem ex toto silendum,quòd beato viro ex Abbatis minori officio in pontificē sic translato,prædictus Rex Dermitius quendā Clericū successorem eius violenter cōstituit,& contra ius consuetudinis,quo tam Clerus quàm populus ibidèm Abbatem eligere consueuerat,in dictam Abbatiā,illis reclamantibus,eum irreuerenter intrusit.Sed is tamen,nè Euangelicū illud non impletū abiret, Omnis plantatio,quam non plantauit pater meus,eradicabitur: tam à dignitate, quàm ab officio postmodùm amotus est.Clero aūt & populo in ius eligendi restituto,nepotem quendā S.Laurentij,Thomam nomine,iuuenem præclarū moribus & sciētia, sanctiq; pontificis conuictu atq; consortio clariorē, in Abbatem Glindalacēsis Ecclesiæ cōcorditer elegerūt: In quo facto nō defuit Dominus seruo suo,de quo scriptura dicit: Bonus relinquit hæredes filios & nepotes.& iterùm: In semine sanctorum permanet bona hæreditas,& nepotū ipsorū semen in testamento stetit. Hunc igitur cùm sanctus,non propter propinquitatē carnis,sed magis charitate spiritûs, præ cæteris impensè diligeret,ità vt etiā secreta sua ei securè cōmitteret, ciuitatem Glindalacēsem deincèps tanto frequētiùs,quāto libentiùs visitauit. Nam prope ciuitatē ad tria milliaria locus erat secretus, & B.Coëngini frequentia consecratus, quem præ alijs tanto specialiùs elegit,quāto eius sancti viri virtutes studiosiùs imitari satagebat. Is verò locus non in hominū conspectu, sed in miranda solitudine esse dicitur.Nam ex vna parte rupes ex alto pendens triginta cubitis,ad hūc locum transitum denegat: ex altera stagnum nō modici ambitûs, totidem cubitis in profundum descendens,à parte sua * nauigium pandit.Nec tamen sine fontis dulcedine locus est. Nam ex eâdem rupe riuulus sonorus,dulcissimas fundēs aquas, erumpit,habitatori loci non parùm præbens solatij, consitis arboribus siue herbis continuum virorem ministrans: apud quem riuulū etiam salix mirifica reperitur,poma ferens vsq; ad hyemale S.Martini festū crudissima,vt vix à quoquā tum possint degustari.Appropinquante autem natiuitate Dominica, celeriter maturescūt,solîs infirmis pro medicinali remedio reseruanda.Locus aūt inferior,ei concauitati subiacens, à duodecimo Calendas Octobris vsq; ad octauum Calendas Martij, solis lumen non accipit,immò quædam eius pars,solis radijs nunquàm illustratur.

Matt.15. Nepos eius fit Abbas Glindalacensis. Prou.13. Eccli.44. *nauigium, pro nauigatione. Nota singulare pomorum genus.

CAP. XVII.

IN ea autem concauitate,quā S. Coënginus suis manibus effecisse dicitur, B.Laurētius persæpè latitās,contēplatiuis delicijs illic deuotus perfruebatur,de corpore suo minimè solicitus. Sed tamen in multa necessitate ei deesse nolens,ter tātùm in hebdomada panem & aquam, interdùm etiam olus ei præbebat,tanquàm alter Moyses contemplationis diuinę suauitate refectus.Ibì ergò morans per quadragenas,hominū non admittebat frequentiā,nisì iam dicti Abbatis nepotis sui,qui ei cibum,qualem diximus,subministrabat: ad eumq; causas & negocia populi,& ad populum sancti sacerdotis respōsa atq; consilia referebat.Erat autē accessus ad eū per scalā: cuius ima pars in aqua figebatur, superior tenebatur ad rupē. Neq; tamen ex hoc ipso loco egredi sancto viro molestū erat,si vrgēte negocio subditis suis id necessariū cognouisset: sed velut alter Moyses in ingressu tabernaculi & egressu, Rachelis & Liæ,Mariæ & Marthæ pro loco & tēpore,in se facies varias transfigurabat. Sic autem implebat fidelis pastoris & prudētis rectoris officium,non propter improbam agendorū instantiam,contemplationem negligens: aut propter contemplationis studiū,agenda postponens.Videbatur aūt populo barbaro,cornuti Mosi similitudinē afferre ex frequenti collocutione cū Domino.Nam sermo eius instàr faculæ ardebat,radios vibrabat igneos: dixisses stimulos & quasì clauos in altū defixos. Ibat vir sanctus per arma iustitiæ à dextris & à sinistris,detruncans cruentas acies vitiorū,prædicans assiduè verbū Dei,& opus faciens Euāgelistæ: instās opportunè,importunè: arguens,obsecrans,increpās in omni patientia & doctrina,nè de manu sua requireretur sanguis commissi sibi populi pereūtis.Ducebatur enim ad mortē populus Dubliniæ,vel potiùs iā perierat infami ternario vitiorū, putà concupiscentia carnis,concupiscentia oculorū,& superbia vitæ.Ex quibus,tanquàm ex fon-

Quadragesimā vt exegerit sanctus Laurētius. Exod.34. Exod.34. 2.Tim.4. 1.Ioan.2. Fontes vitiorū omnium.

fontibus venenatis, oriuntur & dimanant riuuli mortiferi totius iniquitatis, ebrietates, crapulæ, & earum comes ignis luxuriæ, contentiones, rapinæ, iniuriæ mutuæ, & alia mala infinita. Quibus vitijs cùm ciues suos videret beatus pontifex irretitos, dolebat plurimùm, & speculator constitutus à Domino, super speculam suam stetit iugiter per diem, & super custodiam suam totis noctibus: & quod audiuit de ore Domini, verbum annunciauit populo subdito sibi. Vidit enim & prædixit, post vitia secutura supplicia, iniurios plectendos iniurijs, luxuriosos incendijs vastandos, (Luxuria nanque ignis est, vsque ad perditionem deuorans, & omnia virtutum eradicans genimina) & homicidas cædibus perdendos. Per quæ enim peccat quis, per hæc & punitur.

Esa. 21. | Prędicit cla des futuras. | Sap. 11.

CAP. XVIII.

VEniente igitur gladio Domini, sicut pastor sæpè prædixerat, nō longo temporis interuallo, rex Dermitius, adiuncto sibi Richardi Comitis auxilio, cū multa Anglorum caterua Hyberniam ingressus, Dubliniam magna vi cepit, captā succendit igne, bona ciuitatis diripuit, & homines interfecit. Atque ità, secundùm vaticinia viri Dei, misit in eos iram Dominus & vindictam, & reddidit illis iniquitatem eorū. Beatus autem Laurentius instàr Ieremiæ, testis extitit stragis populi sui: vbi etiam multis affectus iniurijs, rebus eorum, quantùm ipse poterat, defensis & munitis, morti sese pro illis exponere neutiquàm formidauit. Corpora etiam cæsorum pius pastor inter manus hostium adhuc palpitantia rapiebat, & velut alter Tobias, festinabat Christianæ tradere sepulturæ. Si quos autem post stragem inuēnit superstites, quibus poterat facultatibus, ijs succurrebat. Maiori tamen affectu mouebatur in illos, quos priùs viderat felicitate vberiori florere, & subitò quidem, sed tamen iusto Dei iudicio, in summam miseriam coniectos esse. Inter omnia autem malorum genera, summum in miserijs infelicitatis genus est, fuisse felicem. Clericos prætereà, contra impetum gentis superbæ, quæ ciuitatem obtinuerat, in suis locis permanere posse, nòn sine magnis periculis impetrauit: quibus etiam libros & ornamenta ecclesiæ ipse, cuius bonis temporalibus & ecclesiasticis non pepercerat hostilis iniquitas, immò potiùs vniuersa rapuerat, vel vastauerat, prudenter & strenuè restituenda curauit.

Dublinia vastatur. | Magna sancti viri constantia. | Tob. 1. & 2. | Summum infelicitatis genus, quod sit.

CAP. XIX.

QVodam tempore vir beatus pro Ecclesiæ suæ negocijs in Angliam profectus, ad Regem Henricum venit Cantuariam: ibique, vt decuit, susceptus in ecclesia sanctę Trinitatis à monachis, ob impetranda suffragia S. Thomæ gloriosi martyris deuotè pernoctans, in crastino monachorum precibus Missarum solennia celebrare disposuit. Cumque pontificalibus vestibus processisset ornatus, quidam fatuus audiens eum virum sanctum & religiosum esse, simplici sua fatuitate vel fatua simplicitate sibi persuasit, se rectè & piè facturum, & præmia posse diuina promereri, si tam beatum virum sancto Thomæ reddat martyrio parem. Mox igitur animi sui conceptum volens perficere, fustem ingentem arripuit, & per medium irruens populum in beatum antistitem, totis viribus eum in capite percussit. Ille verò percussus, statìm corruit ad cornu altaris, grauiter vulneratus. Id videntes monachi, & omnes qui aderant, cum multo dolore & lachrymis in faciem se prostrauerunt, credentes pontificem lethaliter vulneratum. At vir sanctus post breuem morulam leuato capite, dari sibi aquam in vasculo postulauit: & super eam dicens orationem Dominicam, eamque benedicens signo sanctæ Crucis imposito, lauari ea vulnus capitis imperauit. Quo facto, cessauit fluxus sanguinis, & protinùs vulnus sanatum est: sicque sanus effectus, inchoata Missarum solennia celebrauit. Quod qui vidit, testimonium perhibuit. Ipsum autem vestigium vulneris semper mansit in capite: & nunc in ipso capitis * cranio, deficiente ossis particula, fractura cernitur apparére. Iubente verò rege suspendi fatuum illum, beatus pontifex vix precibus obtinuit, nè quid mali hac de causa illi inferretur.

Hominis stulti horrenda temeritas. | Præclarum miraculum. | * testa

CAP. XX.

ALio tempore cùm de Regis Angliæ curia remearet, venit in Vualliam: vbi diu ventum expectans prosperum, tædio angebatur. Erat autem in illis partibus quædam ecclesia in honorem beatæ Virginis apud castrum cuiusdam diuitis, eius expensis recens ædificata, cuius lateri homo quidā perpetuò se incluserat, vt Deo liberiùs adhæreret. Huic igitur viro Dei nocte apparens Virgo sancta, ornatu & facie

cie reuerendissima, sciscitabatur cur sua ecclesia dedicata non esset. Cui cùm anachoreta responderet, Episcopum dioecesanum diù abfuisse: Ego verò, inquit illa, nolo eam ab eo dedicari. Eccè adest Laurentius Dublinensis Archiepiscopus, cuius præstolabar aduentum, vt ipse meam ecclesiam consecraret. Et hoc ei signũ, quòd ventum vel transitum non obtinebit, donèc meæ satisfecerit voluntati. Ad hęc experrectus homo, & territus visione, facto iam die, misit pro castellano, eius ecclesiæ fundatore, totamque ei patefecit ex ordine visionem. Is mox ad Archiepiscopum properans, eum ad suum castrum inuitauit, susceptumque honorificè procurauit: factaque cœna, precabatur eum, vt illam ecclesiam consecrare dignaretur. Vir sanctus respondit, id sibi non licere: castellaniquc precibus assentiri modis omnibus renuit. Videns id castellanus, non cunctatus est viro Dei minas beatæ Virginis indicare, totam anachoretæ visionem per ordinem commemorãs. Quam sanctus vir mente pertractans, vidensque secundùm Deum sibi non esse illicitum, sed permissum, diuinæ visioni deuotisque precibus assensum præbens, ecclesiam postridie dedicauit. Cumque Missam & diuina officia peregisset, gustato pane cum suis nauim ingressus, cursu prospero ad portum desideratum peruénit. Ex eo tempore innumera fiunt miracula in ecclesia illa, diuinaque indigentibus beneficia præstantur.

Visio cuiusdã solitarij. Multa miracula in ecclesia, à viro Dei dedicata, fiunt.

CAP. XXI.

RVrsùs beato viro in Angliam cum tribus nauibus contendente, in medijs maris vorticibus tempestas sęuissima extitit, ità vt penè naues & homines mergerentur. Iamque nautis spe omni euadendi periculi propemodùm destitutis, quidam melioris spei vir, conuersus ad sanctum præsulem, dixit: Domine, eccè perimus: succurre nobis tuis sanctis precibus. Illo igitur flexis genibus Deum deprecante, statim mare quieuit, cessauitque tempestas, ità vt possent homines admirari & dicere: Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

Sedat tempestatem. Matt. 8.

CAP. XXII.

ALio quoquè tempore properanti ei in Angliã, & iam nauim ingresso, quidam è ciuibus Dubliniæ comites se adiunxerunt, sub tanto pastore pericula maris se euasuros confidentes. Et eccè cùm iam securiùs mare sulcarent, subitò commotis fluctibus, ventisque sæuientibus, tempestas horribilis exorta est, adeò vt præsentem intentarent omnia mortem. Congregati ergò omnes ad patrem & patronum Archiepiscopũ, anxiè precabantur, vt suo interuentu ocyùs ipsis succurreret. mors enim in ianuis videbatur. At secretarius & amicus Dei: Confidite, inquit: nemo vestrûm peribit: sed audite consilium meum, & iram Dei deuotionis muneribus placate. Ad eius enim, vt nôstis, & beatæ Virginis matris eius honorem, Dubliniæ ecclesiam nouam construimus: ad quam perficiendam dare vos moneo de fructu operũ eius, qui vobis omnia largitur: sicque promitto ego vobis in Domino, tranquillitatem maris absque vestro & rerum vestrarum periculo citiùs adfuturã. Mox illi ad Archiepiscopum bona & alacri voluntate multa donaria apportant. Erat enim nauis illa multis referta diuitijs. Ille verò gaudens in Domino, breui & deuota oratione penetrat cælos: statimque mari subsidente, & tranquillitate restituta, Deum & sanctum eius pontificem omnes pariter collaudant.

Iterùm suis precibus trãquillum efficit mare

CAP. XXIII.

EMergentibus autem causis quibusdam Ecclesiæ suæ, pastor strenuus vigilans super gregem sibi commissum, summum Pontificem adire decreuit: Romamque feliciter perueniens, adiutus Domini gratia, propositum impleuit. Cumque pro libertate Hyberniæ Ecclesiæ facundè satis egisset, & animi eius benignitas atque prudentia manifestè innotuisset, regressurus ad propria, Legatus totius Hyberniæ à domino Papa constituitur. Reuersus indè prosperè in Hyberniam, commissæ sibi legationis officium cum magna totius Ecclesiæ libertate exequi satagebat. Quæcunque religioni, vel ecclesiarum officijs, vel honestati clericorum deesse videbat, ea sufficienter & honestè supplebat, superflua resecabat, rectè disposita inuiolabiliter obseruari volebat: eratque in zelo legis Domini velut ignis, & quasi adeps separatus à carne. Intantùm autem ministrorum ecclesiæ execrabatur immunditiam castitatis & honestatis zelator, tamque eos ad continentiam prouocabat, vt omnes tam subdiaconos, quàm diaconos vel presbyteros, si incontinentiæ conuicti essent, licèt tanquàm Archiepiscopus posset, tamen nollet absoluere: sed

Fit legatus Hyberniæ. Eximius eius erga incontinẽtes clericos zelus.

ad Romanam Ecclesiam, à summo Pontifice absoluendos, destinaret, ita vt quodam tempore, quod dictu mirum sit, centum quadraginta presbyteros de incontinentia conuictos, Romam miserit absoluendos. Cupiebat enim omnes sui similes efficere, & quam in se sectabatur munditiam, eam etiam à subditis requirebat, lumbos suos non zona pellicea, sed aspero cilicio constringens. Itaque Apostolicum illud, quod re ipsa præstabat, ore quoquè iubebat: State succincti lumbos vestros in veritate.

Ephes.6.

CAP. XXIIII.

CVm autem sic legationis suę fungeretur officio, & cælestis vitæ pabulo populum reficere conaretur, temporalium rerum inopia totam Hyberniam miserabiliter occupauit. Itaque humanissimus pastor, assuetus olìm operibus pietatis & benignitatis, videns tempus acceptabile, tēpus miserendi, fœnerabatur Domino, dum miseretur pauperum: totusque inopum commiserationi addictus, pensatis eorum miserijs, egestatem illorum suam existimans, pro facultatum suarū copijs, sed non largissimæ charitatis suæ votis, illis opitulabatur & succurrebat. Quingentos nanque pauperes, extrema penuria oppressos, per trienniū quotidianis sustentabat eleemosynis, exceptis alijs plùs minùs trecentis, quos per Episcopatum suum vestibus & alimonia donabat, quibusque necessaria omnia ministrabat. Multę etiā fœminæ egestate afflictæ, paruulos suos, quos nutrire non poterant, necessaria quadam cautela ad ostia eius deponebant, itemque alijs diuersis locis, per quæ illum nouerant transiturum. Sciebant enim in eo maternum inesse affectū, nec posse deesse eis: quippè qui gremium pietatis omnibus expandens, nemini se negabat. Ille verò non immemor paupertatis & pueritiæ, quam pro nobis Iesus Christus assumpsit, qui in die iudicij dicturus est, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: quique alibì dicit, Quicunq; susceperit vnum paruulū talem in nomine meo, me suscipit: pium se puerorum nutritium exhibebat, eosque per diuersa diœcesis suæ loca hominibus & baliuis suis nutriendos & diligentiùs custodiendos cōmendans, eis necessaria omnia suppeditauit. Et cùm talium sit regnum cælorum, ipse iam exultans in cælis, frequentiùs in terris puerorum miseretur. Erant autem id genus pueri fermè ducenti, quandoquè plures, quandoquè pauciores: dēptis nonnullis pauperibus, de quibus iam dictum est: & paruulis, quos in domo sua bonus Christi nutritius procurabat. Cùm autem hi pueri iam adulti essent & enutriti, tradi singulis crucem ligneam iubebat, quas signi cuiusdam loco ferentes, circuibant prouinciam: atque ità ab eius præfectis & alijs, nomen Dei & pontificis venerantibus, vitæ sustentandæ consilium & auxilium eis impendebatur.

Prou.19.

Vide singularem in tot pauperes humanitatem.

Matt.25.

Matt.18.

Idem, in pueros.

CAP. XXV.

PEr id tempus, multiplicatis malis in terra, cùm sanctus pontifex die quodam à Dublinia Vuassofordiam iter haberet, quidam è militibus Regis, Vuilhelmus nomine, se comitem ei adhibuit, nè fortè si solus esset, incideret in latrones. Sed & scriptor quidam cum vxore sua paruuloque infante, tanquàm securiùs iter iam facturus, illis se iunxit. Ingredientibus autem illis nemus quoddam, latronum latibulum, vigintiquatuor loricati latrones è latebris prodierunt, simulantesque se velle parcere pontifici & suis, petebant, vt militem ipsorum traderet voluntati: ipse verò cum suis clericis, illæsus abiret. Sed vir sanctus respondit, mâlle se interfici, quàm illis militem iugulandum permittere. Tum illi furijs agitati, in clericos eius sæuiùs irruerunt, & scriptorem antedictum crebrò irrumpendo occiderunt. Eius autem vxoris misertus Episcopus, posteà quæ ad victū vestitumq; pertinent, perpetuò illi subministrauit: puerum verò literis erudiendū curauit, & quoàd vixit, inter Clericos suos illum numerari voluit. Porrò latrones lanceā in militē vibrātes, misericorditer sese interponentis Episcopi equū confoderūt: sicq; miles equi præsidio de eorum manibus ereptus est. Præsul verò spoliatis clericis, varijs affectus iniurijs, in proximā veniens ciuitatem, latrones illos per internuncios admonuit, vt à sua malitia abstinentes, veniam impetrarent: nî id facerent, se cum omnibus eius ciuitatis presbyteris in eos excommunicationis sententiam pronunciaturum. Illis autem omnem pœnitentiam & correctionem respuētibus, eos excommunicauit. Quod cùm illi cognouissent, & quemadmodùm fieret excommunicatio, inquisissent, dixerunt: Excommunicemus & nos Archiepiscopum. & accipientes exta bouis furto ablati, loco stolarum, & accensis lignorum faculis loco candelarū, instar lupo-

Incidit in latrones.

luporum vlulabant, Clericos irridentes, anathema legentes, & in derisum Ecclesiæ etiam in aqua ipsas faculas extinguentes. Ex ijs vnus postero die, licèt quadruplici tectus veste, frigore satis temperato & tolerabili extinctus est. Tertio indè die malitiæ eorum dux itidèm peremptus est, atque ità alij post alios intra annum vnum periêrunt.

Ecce tibi cęlestem vltionē in derisores excō-municationis.

CAP. XXVI.

QVidam è ministris Archiepiscopi quandoquè, non absque sua fortassis culpa, Dubliniæ ad patibulum trahebatur. Cumque iam ad suspendij locum peruenisset, rumor eius rei ad Archiepiscopum perlatus est. Ilicò surgit ille, sequiturque hominem, vt eum liberet. Videns autem vnus è carnificibus præsulem venientem, timensque nè infelix ille ex eorum manibus auferretur, caput misero præcidit. Id cernens Episcopus, multumque dolens ereptum sibi hominē, in eius percussorem maledictionis fulmen intorsit. Cumque ille cum socijs Dubliniam rediret, in ponte cadens coxam fregit, & ex eo vulnere breuì vitam amisit, manifesto diuinæ vltionis iudicio. Sic Dominus, quātæ sanctitatis & gratiæ apud ipsum esset beatus Laurentius, & quòd eius verba pondus haberent, sæpiùs declarauit.

Miserè perit cui vir sanctus imprecatus est

CAP. XXVII.

DVo viri Dubliniæ in loco sacro latrocinium perpetrârūt: sed pro meritis suis percussi à Domino, protinùs amentes effecti sunt, ligatique ad ecclesiā sanctæ Trinitatis, & ad Archiepiscopum adducti sunt. Quos cùm ille vidisset, misericordia motus erga illos, data benedictione, iussit eos à vinculis expediri. Illi soluti, in faciem corruentes, diù tanquàm exanimes iacuerunt. Tandèm surgentes incolumes, viro Dei pro salute recepta gratias egêrunt. Quod ille, nè facerent, more suo prohibebat, & vt soli Deo gratias agerent, verecundus & humilis hortabatur.

Duos amentes sanat.

CAP. XXVIII.

QVandoq; vir sanctus cum duobus Episcopis & Abbate Thoma nepote suo ad concionē quandam properabat. Cumq; apud pagū quendam horas Dominicas cantaturus descendisset, homo quidā adueniens, ad eum exclamauit: Præsentiam tuam, domine, non equitū multitudine gloriari decet, sed in eo potiùs, vt ęgrotis & afflictis succurrere studeas. Est in ecclesia huius pagi proxima fœmina quędam nobilis, quæ ab immūdo vexata spiritu, nupèr mente capta est. Ad eam igitur ire te decet, & fundere preces pro ea ad Dominū, vt tuis flexus precibus, illā sanare dignetur. Percepta ea simplicis hominis petitione, Archiepiscopus iubet ire Thomā Abbatem, & orare pro ea. At ille modis omnibus recusabat vel limina ecclesiæ attingere: intantùm id genus homines horrebat. Pręcepit ergò idē Episcopo Kildarensi Malachiæ. Sed is itidèm se excusans, aiebat se non tanti esse meriti, vt dæmones expellere possit. Iubet tandē vir Dei, vt Clemens Episcopus eat. Qui sua simplicitate libenter se iturū respondit. Erat is vir magnus & caluus. Cumq; eū dæmoniaca conspexisset in ecclesiā intrantem, mox ei caluitiem obiecit, addēs etiā contumeliam per mendaciū: O calue vilissime, inquiens, qui semper meretricio te iungis contubernio, quid hìc à me requiris? simulq; arripiens lapidē, iactauit in eum. At Episcopus & contumeliā, & horrorē non ferens, ad Archiepiscopū cum timore pudefactus redijt. Tum demùm vir sanctus vt simulationē, sic arrogantiā vitare volēs, Ego, inquit, si sic necesse est, eam in nomine patris & filij & spiritussancti visitabo. Cumq; ad ostium ecclesiæ venisset, Crucis signaculo & eam, & fœminam consignauit. Eum autem vt vidit miserabilis mulier, multa in eum probra & conuicia cōiecit. Sed ille vir misericors, eius miseriæ misertus, de Domino nō diffidens, ligari eam præcepit. Et cùm manibus eam attrectâsset, pectori eius Crucis signū impressit, & aquam benedictam ori eius infudit, humique prostratus, Dominum pro ea suppliciter & breuiter orauit. Indè recedens, cùm triduò pòst eò reuertisset, inuenit eā sanæ mentis, & iamdudùm ipsius reditum præstolantem. Illa verò mox ad eum accedēs, multis precibus nocte illa retentum, cum omnibus comitibus eius honorificè procurauit, in eximij amoris signum crebrò eius manus & pedes deosculans, & gratias agens omnipotenti Deo, quòd per eius merita perfectæ esset reddita sospitati.

Malachias Episcopus Kildarensis

Procax dæmonis petulantia.

vide quibus armis oppugnat dęmonē vir sanctus

CAP. XXIX.

QVidam beati viri marestallus, toto corruptus corpore, miserabiliter inflatus erat. De cuius salute cùm iam medici omnes spem abiecissent, adductus est ad dominum suum. Is protinùs manus ei imponens, oransque pro eo: Ducatur, inquit,

quit, ad hospitium suum, & cùm sanatus fuerit, redeat ad pristinum munus. Reductus est ergò domū, & proxima nocte omnis ille corruptus humor effluxit, & post dies octo viribus instauratis, ad virum Dei cum alacritate reuersus, gratias egit pro sanitate, per eum diuinitùs ipsi donata. Cui vir sanctus: Memineris, ait, non homini, sed soli Deo gratias agere.

Sanat hominem desperatum.

CAP. XXX.

IN ecclesia beati Martini Dubliniæ quidam sacerdos, nomine Galuuedius, ministrabat. Erat aūt charus Archiepiscopo, quòd eum à iuuentute nutrijsset, & eius clericus fuisset. Is igitur aliquandò graui infirmitate depressus, ad extrema peruenerat. Nam cùm & sensu & halitu carere videretur, complures eum mortuum putabant: quidam verò nondùm exanimem, sed veluti in ecstasi positum existimabant. Vndè factum est, vt tribus indè noctibus totidemque diebus corpus in medio positum, sepulturæ mandare differrent. Tandèm adueniens sanctus Laurentius, & corpori tanquàm funeri appropinquans, pietate motus ad lachrymas, mortuū sic affatur: Tu quidem dilectissime, si posses, mihi iam loqui velles: sed in omnibus fiat voluntas Dei. Sic ait, & flexis genibus, Dominum tacitus orauit. Quis autem fuerit affectus orantis, satìs declarauit Domini exaudientis effectus. Completa enim oratione, quā nouit ille solus, qui approbauit, sacerdos Galuuedius quasì de graui somno excitatus, surgens incolumis, gratias egit Deo & sanctæ Mariæ, & beato Laurentio domino suo, apertisque in circunstantes luminibus, quærebat quid ibi facerent, vel qua ex causa illuc pariter conuenissent. Stupefacti verò & territi omnes in eo, quod accidisse videbant, sic illi responderunt: Toto triduo nullum vitæ signum habētem, sed instàr mortui iacentem, te sepelire proposuimus. Et sacerdos: Nouit Dominus, inquit, animam meam separatam fuisse à corpore, & disceptantibus Angelis pro ea, vidisse me dominum meum Laurentium flexis genibus coram Deo & gloriosa virgine Maria matre eius, pro me humiliter deprecantem: eiusque oratione flexum Dominum, animam meam corpori restitui iussisse. Tum verò beatus pontifex pro familiari sibi & humili verecundia, illi sacerdoti sub pœna excommunicationis interdixit, nè rem hanc vlli omninò homini, donèc ipse viueret, reuelare ausus esset.

Excitat vita functum.

Ecce profundā eius humilitatē.

CAP. XXXI.

HAEc de vita & moribus sancti viri, eiusque virtutibus à certissimis excepta testibus, post aliquot annorum curricula, tanquàm paucæ quædam reliquiæ ad nos perlata sunt. Iam qua occasione & quo pacto, Domino largiente, ad Augensem vsque ecclesiam peruenerit, in veritate, qua comperi, succinctè narrare curabo. Oborta fuit grauis dissensio inter Regem Angliæ Henricum, sub quo passus est sanctus Thomas martyr gloriosus, & Regem Hyberniæ potentissimum Deronogū: cuius sedandæ causa se beatus pontifex interponens, venit in Angliam, secum ducens quendam nepotem suum, iuuenem elegantem, vt eum Regi Henrico obsidem daret, si pax cum illo constitui vlla ratione posset. Sed Rex Angliæ pacem repudians, crudelem potiùs tyrannum se exhibuit, regioq; edicto cauit, nè viro Dei liceret in Hyberniam reuerti, portusque omnes, qui Hyberniam spectarent, ei voluit esse interdictos, hac ratione beatū virum exulare cogens. Ità ille Regem in Normanniam transfretantē in monasterio Abbēdoniæ tres hebdomadas expectauit. Deindè tædio quodammodò affectus, Regem sequi statuit, si fortè in negocio illo magis eum placabilem offenderet. Ingressus igitur nauim apud *Douriam, Vuitsantū applicuit, prosequensque Regem in Normanniam, febre corripitur. Ea ingrauescente, triduo valdè eius morbi importunitate afflictus, ab incepto desistere cogebatur. At tamen contra febris ardorē flamma charitatis pugnabat instantiùs, & naturam, quam febrile debilitabat incommodum, in charitatis & pacis commodum fortiter sibi militare cogebat. Atque deincèps in ipso itinere locū inquirere cœpit, in quo aut quiesceret, aut certè etiam remaneret. Iam enim aliquo modo præsenserat dissolutionem sui corporis imminere. Sui igitur tabernaculi depositionē præuidens, tabernaculum non manufactum toto animo expetebat. Eius autem exemplar, Domino prouidente, viro sancto in monte Augi ostensum est. Perueniens enim ad eius montis supercilium, & indè castrum intuens, & in castro ecclesiam eminentem, cognoscensque è quibusdam in via ipsi occurrentibus, castrum esse Augense, in introitu Normanniæ in Henrici Regis Angliç ditione constitutum, ecclesiamque

Non potest vir sanctus ex Anglia discedere, rege vetante.

*Douariam

Incidit in febrem.

que esse beatæ Virginis, in qua Canonici instituti S. Victoris Parisiensis, Deo & beatæ Mariæ regulariter seruirent: non mediocriter exhilaratus, & tanquàm Dauidis prophetico spiritu afflatus: Hæc, inquit, requies mea in seculum seculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam. dataq; benedictione cum Crucis signo, ad eam ecclesiam venit, & fusa illic oratione, seipsum Deo & beatissimæ Virgini commendans, ad hospitium diuertit, lectoque decubans, accito eius loci Abbate Osberto, viro religioso, confessione præmissa, viæ præsentis vero viatico suum ad vitam transitum præmuniuit. Psal. 131. Confessione & Eucharistia se muniit sub mortem.

CAP. XXXII.

His peractis, vir venerabilis & circunspectus clericus Dauid, suprà memorati iuuenis pędagogus, ad Regem Henricum profectus est, vt quod beatus vir de pace concilianda cœperat, ipse pro tenuitate sua, diuina præueniente gratia, consummaret. Cumque Regem quibus poterat rationibus emollisset, eiusq; animum ad pacem inflexisset, quarto die ad sanctum Episcopum reuersus est. Cui cùm rem à se gestam retulisset, sanctus præsul, quanuìs iam morti proximus, exultare visus est: &, vt facto gratias ageret, quod verbo non poterat, caput suum in illius sinum deposuit: eaipsa re satìs indicans, illum magistrum Dauidem, spiritum suum, iam cum morte colluctantem, pace impetrata, pro qua ipse, quantùm poterat, laborârat, exhilarâsse. Tertio autem ab aduentu suo die, febrium ingrauescente dolore, sanctus præsul Abbatem eius loci cum fratribus eius acciri voluit, seque in eorum collegium & fraternitatem recipi petijt: eique libentissimè assensum est. Indè extremam & petijt, & percepit vnctionem. Cùm autem de faciendo, vt moris est, testamento admoneretur, sic respõdisse fertur: Nouit Dominus, mihi ne nummum quidem sub sole relictum esse. Par est enim credere, diuersis misericordiæ & benignitatis officijs & operibus, quicquid ad manũ habere poterat, virum pium in cælestes thesauros transmisisse: vel potiùs Canonicæ professionis memorem, nihil se habere proprium existimâsse: vt, qui viuere constituisset secundùm regulã à sanctis Apostolis institutam, in extremo vitæ fine nihil suũ esse dicendo, ab ea regula minimè deuiaret. Atq; ità beatissimi Augustini cõsors, aut vt rectiùs dicamus, successor effectus, testamentũ nullum fecit, quia vndè faceret, pauper Christi nõ habuit. Percipit extremã Vnctionem.

CAP. XXXIII.

Deincèps felix Laurentius ad portum salutis festinans, gemitus atque suspiria pœnitentis indesinẽter Domino offerebat, tam mente quàm ore reuoluens illum psalmum Dauidicum, Miserere meî Deus, miserere meî: quoniam in te confidit anima mea. Ea verò pœnitentis lamenta sanctitati viri nihil quicquam derogabant, sed eam potiùs confirmabant. Fertur enim magnus pater Augustinus inter familiaria colloquia dixisse, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore nõ debere. Quambobrèm sibi iusserat in vltima ægritudine Psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi, de pœnitentia scribi, eosque legens, vbertim ac iugiter flebat. Et beatus Laurentius aquas de superiori irriguo haurire non cessabat, nec tamen irriguum inferius contemnebat, populum suum morte pastoris continuò desolandum, mirabiliter lingua materna dicens: Heu popule stulte & insipiens, quid iam facturus es? Quis sanabit auersiones tuas? Quis medebitur tuî? Sic autem charitatem implebat, ex vna parte, quod meliùs erat, cupiens dissolui, & esse cum Christo: ex altera autem necessitatem fraternam attendens, propter subiectum populum cum Apostolo cupiẽs diutiùs in carne remanere. Fidelis autem Deus mercedem laborum eius absq; dilatione iam reddendam ei statuerat. Itaq; cùm sextæ feriæ terminus aduenisset, in confinio sabbati subsequentis spiritum sancti viri requies æterna suscepit. Atq; ità gloriosus Christi confessor Laurentius, Dublinensis Archiepiscopus & Legatus Hyberniæ, plenus dierũ, perfectus & consummatus in operibus bonis, Christi cohæres, ad Christum migrauit decimooctauo Calendas Decembris. Psal. 56. Possid. in vita eius cap. 31. quam habes Tom. 4. Philip. 1. Ibidem. Exit à corpore.

CAP. XXXIIII.

Eius autem obitus & remotis certo oraculo declaratus est, & per præsentes, Domino prouidente, venerationi habitus. Ea enim nocte, qua ortus ab occasu sol Augi occidit, cũ fuit occasu purior ortus ei, cuidã ciui Dubliniæ, Innocẽtio nomine, in somno visum est, cũ esset in eius vrbis ecclesia cathedrali, summũ altare corruere, penitusque dissipari. Qua visione turbatus, manè publicè retulit somnium, Visio cuiusdam.

cum iuramento asseuerans dominum Archiepiscopum diem extremum clausisse. Id quod posteà, nuncijs aduenientibus, verum fuisse compertum est, eadem scilicet nocte migrâsse Pontificem, qua visio hæc Innocentio oblata fuit.

CAP. XXXV.

Contigit autem, Domino agente, vt mox à celebratis sancti cōfessoris exequijs, Alexius Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Scotię Legatus adesset. In cuius alio-
Honorifica sepultura eius. rumque multorum præsentia corpus sancti pontificis, in medio Augensis ecclesiæ honorificè & reuerenter sepulturæ mandatum est. Vbì posteà latuit annis quatuor & mensibus sex thesaurus preciosus, tum quidem absconditus, sed suo tempore reuelandus. Cuius quidem futurę reuelationis haud vulgare extitit argumentum. Ea enim nocte, qua Christi confessor huius mundi tenebras reliquit, sicut multorum assertione innotuit, admiranda claritas super Augense monasterium ità repentè visa est emicare, vt intuentes putarent Abbatiam, vel castri domum aliam, emisso cælitùs fulgure, concremari. Vbì sanè diuina bonitas nobis aliquantulū reuelare dignata est, qualis & quātus esset ille, qui ea nocte ex hoc mūdo migrârat. De quo non debet temerarium videri, sed pium potiùs, si sentiatur ad lucem transisse inaccessibilem, vt illius beatitudinis sit particeps, quam opportuno tempore suis manifestat & largitur fidelibus beatus & solus potens Rex regum & Dominus dominantium: Cui est honor, gloria & imperium in perpetuum, Amen. In sanctos au-
Refertur in sanctos. tem relatus est vir beatus à summo Pontifice Honorio Reate, tertio Idus Decembris, pontificatùs eius anno decimo.

MARTYRIVM SANCTORVM CONFESSORVM SAMONAE, GVRIAE ET ABIBI, AVTHORE

Simeone Metaphraste. habetur in tomis Aloysij.

Nouemb. 15. Cap. 1.



AGEBATVR quidē sexcentesimus annus ab imperio Alexandri Macedonis: nouem autem annos iam transegerat Diocletianus, sceptra tenens Romanorum: & sextum iam consulatum obtinebat Maximianus: Augarus autem Zoaræ filius, his temporibus erat Prætor, &
Cognatus Edessenorū Episcopus. Cognatus erat Episcopus Edessenorum, & magna excitabatur persecutio aduersùs ecclesias omnibus, qui erāt sub ditione Romanorum. Et nomen quidem Christianorum, tanquàm nefarium, probris appetebatur & exagitabatur: sacerdotes autem & monachi, propter firmam fidem & inexpugnabilem, miserabilibus tradebantur supplicijs, desiderioque & metu distrahebantur pij. Nam cùm liberè eloqui veritatem propter Christi vellent desiderium, refugiebant rursùs metu suppliciorum. Nam ij quidem, qui se armabant aduersùs pietatem, studebant vt Christiani Christianismum abiurarent, Saturnoque & Rheæ se adiungerent: contrà autem fideles, vt nihil esse ostenderent ea, quæ ab illis colebantur.

Cap. 2. Illo ergò tempore Gurias & Samonas apud Iudicem accusantur, quorum ille quidem ex Sarcigitua, hic autem ex vico Ganade erat ortus, ambo educati Edessæ, quam vocant Mesopotamiam, quòd sit media inter Euphratem & Tigridem. & anteà quidem eius fama ad paucos peruaserat: post martyrum autem certamina erat omnium sermone celebrata. Atque sancti quidem nequaquàm versabantur in ciuitate: sed procùl ab ea remoti, vt qui vellent procùl abesse ab eius tumultibus, stu-
Guriæ continentia & charitas. debant esse Deo soli manifesti. Et Guriæ quidem continentia & charitas, erat bona & honesta possessio, & ex illius studio cognomen est ei impositū, adeò vt ex nomine eum non cognoueris, nisì priùs dixeris continētem. Samonæ autem erat in Deum corpus & animus iuuenilis & alacris, & cum Guria virtute cōtendebat. Ij ergò accusantur ad iudicem, quòd non solùm omnem finitimam Edessæ regionem sua doctrina confirmarent, & vt suæ adhærerent fidei, animū adderent: sed etiā efficerent, vt despicerēt persecutores, & vt illorū impietatē omninò nihili facerent, do-
Psal. 145. ceret, cōuenienter ei, quod scriptū est: Nolite cōfidere in principibus, in filijs hominū, in quibus non est salus. Quibus iudex ad magnā accessus insaniam, iubet omnes, qui habent in honore religionē Christianā, sequentes doctrinā Guriæ & Samonæ,

simul

simul cum ijs, qui eos ad id inducebant, compræhensos, in tuta includi custodia. Iussus autem ad effectum est deductus, & capta occasione, cùm alijs quidem ex his plagas imposuisset, alios autem alijs tormentis subiecisset, & vt Imperatoris decreto parérent, suasisset: tanquàm qui benignè & clementer se gereret, alios quidem sinit domùm abire: sanctos autē vt primos, & qui pietatem alijs impertijssent, iussit adhuc affligi in carcere, qui ipsi quoquè martyrij gaudébant societate. Audiebāt enim in alijs prouincijs multos idem, quod ipsi, certamen suscepisse: ex quibus erat Epiphanius & Petrus, & sacrosanctus Pamphilus cum multis alijs in Cæsarea Palęstinæ, Timotheus Gazæ, in magna Alexandria Timotheus, Agaperus Thessalonicæ, Hesychius Nicomediæ, Philippus Adrianopoli, Melitinæ Petrus, Hermes, & eius socij in confinijs Martyropolis: qui fuerūt etiam redimiti corona martyrij à Duce Heracliano cum alijs confessoribus, quorum est maior numerus, quàm vt possit ad nostram venire cognitionem. Sed redeūdum est ad ea, de quibus priùs dicebamus. Christiani malè mulctantur. Multi martyres hac tempestate.

Antonius ergò Præses Edessæ, cùm concessisset alijs, vt domùm reuerterentur, ei in altum erecto tribunali, iubet ad se adduci martyres: & cùm fecissent, quod iussi fuerant apparitores, sanctis dicit Præses: Diuinissimus noster Imperator hæc iubet, vt & à Christianismo deficiatis, quem sequimini, & imagini Iouis cultum diuinum tribuatis, thus in ara sacrificantes. Ad hæc Samonas: Absit, inquit, vt vera fide relicta, propter quam speramus fore, vt vitam assequamur immortalē, manuum opus & figmentum colamus. Præses autem: Imperatoris, inquit, iussa omninò sunt implenda. Respondit Gurias: Puram & diuinam nostram fidem nunquàm inficiabimur, sequentes voluntatem hominum, in quos cadit interitus. Habemus enim patrem in cælis, cuius sequimur volūtatem, qui dicit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, ego quoquè eum confitebor coram patre meo, qui est in cælis. Qui me autem negauerit coram hominibus, ego quoquè eum negabo coram patre meo, & Angelis eius. Iudex autem: Non vultis ergò, inquit, parére voluntati Imperatoris? Quomodò verò non fuerit absurdum, ea quidem, quæ visa fuerint hominibus, ijsque qui non multùm & quàntùm vos, possunt, reipsa ad effectum deduci: eorum autem, qui rerum potiuntur, iussa fieri irrita? Qui Regis regum, inquiunt sancti, faciunt voluntatem, carnis voluntatem respuunt ac reijciunt. Deindè cùm Præses minatus esset mortem, nisì parérent: Samonas, Non moriemur, inquit, ó Tyranne, si creatoris sequamur voluntatem: immò verò viuemus potiùs. Sed si ea secuti fuerimus, quæ iubet vester Imperator, scias quòd etiamsì tu nos non interemeris, nos tamen malè peribimus. Cap. 3. Matth. 10. Lucæ 12.

Postquàm hæc audiuit Præses, iubet Anouito commētariensi eos in tutissimam conijcere custodiam. Veritatem enim ægrè fert animus, qui sua sponte est ad malum propensus: vt, qui ægrotant oculi, splendorem solis. Postquàm autem ille fecit, quod ei fuerat imperatum, & martyres fuerunt in carcere, in quo etiam multi alij sancti priùs inclusi fuerant à militibus, Imperator quidem Diocletianus, accersito Musonio Præside Antiochiæ, iubet eum venire Edessam, & Christianos, qui in ea erant inclusi, siue erant cōmunis, siue sacrati ordinis, de sua interrogare religione, & eis finem dare conuenientem. Cùm is ergò venisset Edessam, & Samonam & Guriam primos curâsset sistēdos ad tribunal iudiciale, dicit eis: Domini hic est orbis terræ, hic est iussus, vt vos aræ Iouis vinum libetis, & thus imponatis. Sin minùs, ego vos varijs consumam supplicijs. Corpus enim flagris lacerabo, donèc perueniam vsque ad ipsa viscera: plumbum autem feruens non priùs cessabo vestris axillis infundere, quàm id peruaserit vsque ad intestina. Deindè nunc quidem manibus, nunc verò pedibus suspendam, & efficiam, vt soluantur compages articulorum: nouaq; & inaudita excogitabo supplicia, quæ nec omninò quidem ferre poteritis. Cap. 4. Martyres in custodiam truduntur. Minæ impij iudicis.

Respondit autem Samonas: Vermem, cuius minę sunt intentatæ ijs, qui negant Dominum, & ignem, qui non extinguitur, magìs, quàm ea, quæ tu enumerâsti, tormenta formidamus. Ipse enim, cui cultum offerimus rationalem, primùm quidem nos corroboratos aduersùs varia hæc tormenta, eripiet à tuis manibus. Deindè etiam in tuto collocabit, vbi est habitaculum omnium lætantium. Alioquì autem omninò aduersùs solum corpus armaris: Quid enim animam potueris lædere? Quæ quandiù quidem habitat in corpore, tormentis euadit præclarior: ea autem recedente, nullus est omninò sensus corpori. Quo magìs enim homo noster externus corrumpitur, eo magìs internus renouatur in dies. per Cap. 5. Esa. 66. Martyres eas flocci pendunt. Psal. 86. 2. Cor. 4.

patien-

patientiam enim hoc propositum certamē peragimus. Præses autem rursùs veluti protestans, vt, si non parērent, puniret iustiùs: Discedite ab errore, inquit, vobis consulo, & cedite iussui Imperatoris. Non poteritis enim ferre tormenta. Cui sanctus Gurias: Neque errori, vt tu dicis, seruimus, respondit: nec Imperatoris iussui vnquàm paruērimus. absit vt tam pusilli animi simus, & tam amentes. Sumus enim illius discipuli, qui animam suam pro nobis posuit, diuitias benignitatis & suam in nos ostēdens charitatem. Resistemus ergo peccato vsq; ad mortem, neq; quicquid acciderit, supplantabimur à machinis aduersarij, quibus primus homo captus, decerpsit mortem per ligni inobedientiam: & Cain persuasus, fratris quidem sanguine manus polluit: gemere autem & tremere, inuenit prēmia peccati. Sed nos Christi verbis mentem adhibentes, non timebimus eos, qui occidunt corpus, animam autem nō possunt occidere: illum potiùs timebimus, qui nostram animam & corpus potest perdere. Tyrannus autem, Non vt, inquit, vestras percurrētes scripturas, possitis refellere, quæ à nobis obijciuntur, ideò ira non moueor, & me præbeo patientem: sed vt iussum Imperatoris exequentes, cum pace domum reuertamini.

Egregia martyrum constantia. Gen.4. Matth.10.

Cap.6. Hæc oratio nihil flexit martyres, sed propiùs accedentes: Quid nostra, aiunt, refert, si irasceris, & es ad iram ꝓpensus, & tanquàm niues pluis tormenta? Tunc enim nobis magìs benefacies, clariorem reddens nostram probationē patientiæ, & conciliansmaiores remunerationes. Hæc est enim summa nostræ spei, hūc incolatum, qui est ad tempus, relinquere, & migrare ad æternū. Habemus enim tabernaculum nōn manu factum in cælis, quod etiam sinum Abrahæ scriptura, propterea quòd is esset familiaritate Deo coniunctus, solet vocare. Cùm itaq; vidisset Præses immutabilem eorum constantiam, statìm mittens dicere, processit ad castigandum, & iubet Anuino Commentariensi vtrunque vna manu suspendi, & eis toto pondere corporis diuulsis, adhuc eorum pedibus grauem suspendere lapidem, ad sensum acrioris doloris. Atq; hoc quidem ità se habebat, & ab hora tertia vsq; ad octauam tale tormentum forti animo tolerabant, non vocem emittentes, non gemitum, non aliquid aliud ostendentes, quod esset pusilli & abiecti animi. Dixisses eos pati in alieno corpore, aut alijs patientibus, ipsos solùm esse spectatores eorum, quæ fiebant.

2.Cor.5. Luc.16. Dirissimè sancti martyres cruciantur. Mira patientia.

Cap.7. Interìm autem, dum ij penderēt manibus, occupatus erat Præses in alijs audiendis. Deindè cùm ab eis quieuisset, iubet Commentariensem interrogare sanctos, an iussui Imperatoris vellent parēre, vt liberarentur à tormento: & cùm ille quidem interrogaret, hi verò non possent, aut non vellent respondere, iubet eos includi in interiore custodia, in lacu tenebroso & nomine & reipsa, & pedes vsque ad diem sequentem affixos esse ligno. Die autem iam apparente, à ligni quidem vinculis pedes sunt relaxati: carceris autem aditus fuit obstructus, vt nec solaris quidem radius posset subire: edictum autē fuit custodibus, non frustum panis, nec paruam quidem guttam aquæ tres totos dies eis præbere. Quamobrèm decæterò tenebrosus carcer & longa inedia erat condemnatio martyribus. Cùm autem adesset tertius dies circa principium mensis Augusti, apertus quidē fuit aditus carceris: illi autem in eo retenti sunt vsque ad decimum Nouembris. Deindè Iudex eos curat sistendos pro suo tribunali. Et nec tantum, inquit, tempus vobis præbuit, vt mutati aliquod salutare caperetis consilium? Illi autem respondent: Quod nobis videtur, tibi iam sæpiùs ostendimus: tu autem fac ea, quæ tibi fuerunt imperata. Præses autem statìm iubet Samonam altero pede in genu inclinari, & ferreum vinculum inijci eius genui. Quod cùm factum esset, eum quidem suspendit præcipitem, à pede, quem inclinauerat, alterum deorsùm trahens pondere ferri, quod verbis non potest explicari: & sic athletam moliens discerpere. Quo quidem tempore cùm coxæ acetabulum per vim sedem suam reliquisset, effectum est, vt Samonas claudicaret: Guriam autem, quòd esset imbecillus & subpallidus, sinebat impunitum, non quòd eum benignis adspexisset oculis, non quòd esset misertus eius imbecillitatis: sed vt qui, quòd eum punire cuperet, potiùs pepercisset. Nè fortè, aiebat, nobis imprudentibus consumeretur ante cruciatus.

In obscurū carcerem ducuntur. Longa inedia affliguntur. Samonæ immanis cruciatus.

Cap.8. Et iam erant quidem duæ horæ diei, ex quo suspēsus erat Samonas: hora autem quinta iam aderat, & is adhuc pendebat sublimè: & qui circūsistebant milites, mouebantur misericordia, & hortabantur vt Imperatoris parēret imperio. Sed peccatorū misericordia caput sancti non pinguefecit. Ille enim etsi acerbè premeretur à tor-

Psal.140.

à tormento, ipsos ne vllo quidem dignabatur responso, sinens eos lugere, & se potiùs, non illum dignum censere misericordia. In cęlum autem tollens oculos, precabatur Deum ex profundo cordis, & ei reuocabat in memoriam miracula, quæ à seculo facta sunt: Domine Deus, dicens, sine quo nec passerculus quidem cadet in laqueum: qui Dauidi dilatâsti cor in afflictionibus: Qui Prophetæ Danieli vim dedisti etiam contra leones? Qui pueros Abramiæos & Tyranni & flammæ victores effecisti: tu quoquè nunc Domine adspice ad bellum, quod contra nos geritur, qui nostræ naturæ nôsti imbecillitatem. Conatur enim inimicus figmentum tuæ dexteræ auertere ab ea, quæ est apud te, gloria. Sed tu benignis tuis nos intuēs oculis, conserua in nobis, quæ extingui non potest, lucernam tuorum mandatorum: tua autem luce dirige nostras semitas, & dignare nos frui ea, quæ est in te, beatitudine: Quoniam es benedictus in secula seculorum. Atque ille quidem Agonothetæ emittebat hanc gratiarum actionem: quidam autem scriba, qui aderat, literis mandauit quæ dicta sunt.

Mira eius patientia.

Matth. 10.

Psal. 4.

Dan. 6. & 14

Dan. 3.

Quidā scriba literis mādat eius dicta.

Iussit autem Pręses Cōmentariensi eum soluere à supplicio. Ille verò cùm sic fecisset, & portâsset cum ijs, qui aderant, iam doloribus defessum & confectū, in priorem ferentes custodiam, deponunt iuxta sanctum Guriam. Cùm autem esset Nouembris decimusquintus, noctù circiter galli cantū surrexit Iudex: cum verò præcedebant lampades & satellites: & cùm ad basilicam venisset, quæ dicitur, vbi erat iudiciū, cum magno fastu sedet pro tribunali: & accersit athletas Guriam & Samonam. Et hic quidem venit ambulans in medio duorum, & fultus vtriusq; manibus. Nam & premebat inedia, & grauabat senectus, bona spe solummodò eum refrigerante. Gurias autem ipse quoq; portatus ducitur, vt qui nec posset omninò ingredi, vtpotè quòd pes ei fuisset grauiter à vinculo sauciatus. Ad quos defensor impietatis: Cùm data, inquit, fuerit vobis potestas, de eo, quod est vobis conducibile, simul deliberâstis. Dicite ergò, an noui aliquid sit à vobis consideratum: & an priorū vos aliqua subiërit pœnitentia: & paréte iussui diuinissimi. Sic enim vestris opibus & possessionibus, quinetiam hac suauissima quoquè luce fruemini. Ad hæc martyres: Nemo, inquiūt, qui sapit, magnifecerit parùm manere in ijs, quę fluūt. Sufficit enim nobis tempus, quod præcessit, ad vsus eorum & adspectum: nec eorum aliquid desideramus. Quam autem mortem nūc nobis intentas, ea nos ad immortalia transmittet tabernacula, & efficiet, vt simus participes eius, quæ est illic, beatitudinis.

Cap. 9.

Martyres fulciuntur ad tribunal.

Sapientissimum eo: responsum.

Præses autem: Quæ à vobis, inquit, dicta sunt, nostras aures magna affecerunt tristitia. Ego autem paucis exponam id, quod videtur. Nam si aræ quidem thus imponitis, & imagini Iouis sacrificatis, rectè se habuerit: & vnusquisque vestrûm domum abibit. Sin verò adhuc pergitis Imperatoris iussui non parére, amputabuntur vobis omninò capita. hoc enim vult & statuit magnus Imperator. Ad quæ respondens generosissimus Samonas: Si nos, inquit, tanto affeceris beneficio, vt liberemur quidem ab ijs, quæ hîc sunt, molestijs: transmittamur autem ad eam, quæ est illic, beatitudinem, quantùm in nobis quidem situm est, tibi reddetur merces ab eo, qui nostra dispensat ad id, quod est vtile. Ad hæc cùm respondisset Præses, vt videbatur, benigniùs, & dixisset: Ego toleranter hucusquè tuli, longas illas sustinens orationes, vt mora temporis mutati, traduceremini ad id quod est vtile, & supplicium mortis non subiretis. Qui morti, quæ est ad tempus, inquit, se tradunt propter Christum, clarum est fore, vt ij liberētur ab æterna. Qui enim mundo moriuntur, viuunt in Christo. Nam Petrus quoquè, qui resplendet in choro Apostolorum, cruce fuit condemnatus & morte: & filius tonitrui Iacobus, ab Herode Agrippa fuit interfectus gladio. Quinetiam Stephanus quoquè fuit appetitus lapidibus, qui primus percurrit stadium martyrij. Quid autem dixeris de Iohanne? an ne eius quidem admittes egregiam illam constantiam, & loquendi libertatē, quòd mori maluerit, quàm cubilis tacere impudicitiam: adultera verò eius caput acceperit præmium saltationis?

Cap. 10.

Act. 12.

Act. 7.

Matth. 14.

Rursùs autem Præses: Non vt vestros, quos dicitis, sanctos enumeretis, vos fero toleranter: sed vt mutato consilio, iussis cedētes Imperatoris, ab acerbissimā morte liberemini. Si enim sitis nimiùm audaces & insolentes, quid aliud, quàm vos maiora excipient supplicia, quibus oppressi, vel inuiti facietis id, quod nos exigimus: quo tempore nec omninò quidem poteritis refugium habere ad misericordiam? Nam quod fit per vim, ne potest quidē prouocare ad cōmiserationem: quomodò contrà

Cap. 11.

Eorum cōstantia. contrà quod spontè fit, est dignum misericordia. Christi autem confessores & martyres dixerunt: Non opùs est multis verbis. Eccè enim nos sumus tibi præstò ad omnia subeunda supplicia. Quod ergò tibi fuit imperatum, nè differas exequi. Nos enim Christi veri Dei sumus adoratores, & rursùs dicimus: Cuius regni non erit finis. Qui etiam potest solus vicissim glorificare eos, qui eius nomen glorificant. 1.Reg.2. Interim autem dum hæc dicerentur à sanctis, Præses tulit in eos sententiam, vt mortem subirent gladio. Illi verò lætitia, quæ verbis nō potest explicari, affecti: Te verè decet gloria & laudatio, qui es Deus vniuersorum, clamabant: quòd tibi placuerit, vt susceptum certamen perageremus, vt à te quoquè immortalem splēdorem assequamur. Martyres ineffabili gaudio excipiūt mortis sententiam.

Cap.12. Cùm ergò vidisset Præses immutabilem eorum cōstantiam, & quemadmodùm in animæ exultatione extremam accepissent sententiam, sanctis quidem, Deus, inquit, eorum, quæ fiunt, sit inspector, quòd non per me volebam vos vitæ finem accipere: sed inexorabilis iussus me ad id cogit Imperatoris. Spiculatori autem iubet accipere martyres, & in curru imponere, & procùl à ciuitate abducere cum militibus, & eis illic finem afferre gladio. Ille autem cùm per portam Romanensem sanctos noctù eduxisset, cùm altus sopor teneret ciues, ad septentrionalem partem ciuitatis abducit in montem Bethelabicla. Illi verò cùm fuissent in eo loco, & in lætitia cordis & magna animi constantia è vehiculo descendissent, à spiculatore & ijs, qui sub eo erant, tempus ad orationem petiērunt, & acceperunt. Perindè enim, acsì non sufficerent tormenta & sanguis ad intercedendum pro eis, propter summam modestiam adhuc etiam opùs habebant precatione. Cùm itaque oculos in cęlum sustulissent, & intensè precati essent, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, suscipe in pace spiritus nostros, postremò dixerunt. Samonas autem conuersus ad spiculatorem, Exequere, inquit, id quod est tibi imperatum: cumque genu simul inclinâsset cum Guria, eis amputantur capita decimoquinto Nouembris. Atque hoc modo quidem se habuerunt res martyrum. Cápite plectuntur.

Cap.13. Cùm autem tertium quoquè quæreret numerus, vt in his glorificaretur Trinitas, inuenit (ô optimam prouidentiã) tempore quidem posteà Abibum, qui autem idem cum ijs, qui præcesserant, iter ingredi constituerat, & illo ipso martyrij die fuit consummatus. Magnus ergò inter martyres Abibus, ex eàdem quidem, ex quali patria, nempe ex Thelsæa vico erat ortus: sacro autem diaconatûs fuerat honoratus chrismate. Cùm verò Licinius teneret sceptra imperij Romanorum, & Lysanias creatus fuisset Præses Edessæ, excitata rursùs erat persecutio aduersùs Christianos, & Abibo vniuersùm imminebat periculum. Is enim obibat ciuitatem, diuinas cunctos docens scripturas, & magno animo confirmans ad pietatem. Abibus Diaconus confirmat Christianos. Cùm autem hæc venissent ad aures Lysaniæ, ea Licinio Imperatori ab eo significantur. Studebat enim, vt ipse ei committeret quæstionem habendam de Christianis, & maximè de Abibo. Neque enim fuerat ei priùs commissà. Ille verò literis datis, iubet vt morte Abibum afficiat. Literis ergò redditis Lysaniæ, quęritur vbiquè Abibus. Ipse autem degebat in quadam parte ciuitatis, propter statum Ecclesiasticum: mater verò & quidam ex ijs, qui ad eum genere attinebant, cum eo versabantur. Ille autem cùm rem resciuisset, nè daret pœnas, quòd martyrij deseruisset ordines, cuidā qui erat ex primis cohortis (is autem vocabatur Theotecnus) seipsum indicat: & tandèm, Quem quæritis, inquit, Abibum, ipse sum, inquit. Ille verò benignè eum intuens: Nemo, inquit, adhuc nouit te ad nos venisse, ô homo. Abi ergò, & seruare: nec sis solicitus de matre, nec de ijs, qui genere ad te attinent. Nullus enim eos potuerit omninò afficere molestia. Et hæc quidem Theotecnus. Seipsum indicat cohorti quis sit.

Cap.14. Abibus autem, cùm tempus vocaret ad martyrium, nolebat pusillo & abiecto animo suffurari salutem. Ei itaque dicit: Non propter charā matrem, nec propter cognatos me reddo manifestum: sed adsum propter Christi confessionem. Eccè enim vel te nolente apparebo coram Præside, & meum Christum prædicabo coram principibus & regibus. Theotecnus itaque veritus, nè sua sponte veniret ad Præsidem, & ea de causa ei afferretur periculum, vt qui eum non fecisset manifestum, assumit Abibum, & eum adducit ad Præsidem: Hic ille est, inquit, qui quæritur, Abibus. Cùm autem Lysanias audijsset Abibum sua sponte adijsse ad certamina, arbitratus eam rem esse cōtemptûs & audaciæ, vt qui paruifecisset austeritatem tribunalis, eum statìm curat ducendum in iudicium: conditionemque ab eo petit, & no- Magna animi eius fortitudo. Ad tribunal ducitur.

& nomen,& patriam. Cùm verò respondisset se quidem esse ortum è vico Thelsæa, significâsset autem, se esse Christi ministrum, statìm martyrem est criminatus Præses, quòd non obtemperâsset iussis Imperatoris. Huius autem rei apertum esse dicebat indicium, quòd Ioui thus non sacrificaret. Ad hæc, se quidem Christianum esse, dicebat Abibus, & non posse verum Deum relinquere, sacrificare autem inanimis & nullo sensu prȩditis operibus manuum. Præses verò, cum brachia vinctum funibus, iussit in ligno sublimem extolli, & ferreis vnguibus lacerari. Erat autem suspensio longè violentior, quàm laceratio. Veniebat enim in periculum, nè discerperetur, cùm violenta extensione ei diuellerentur brachia. Laceratur ferreis vnguibus.

Interìm dum is penderet sublimis, conuersus est Præses ad blanditias, & fingebat se esse patientem. Minabatur autem etiam grauiora, si non mutaret propositum. Ille autem: Nemo, inquit, me abducet à fide: neque persuadebit, vt adorem dæmones, etiamsi plura tormenta inferat & maiora. Cùm autem vellet scire Præses, quamnam ei vtilitatem tormenta conciliarent, quæ corpus solùm consumunt, Christi martyr Abibus: Non ad præsens vsque tempus, inquit, nostra consistunt: nec ea solùm sequimur, quæ cernuntur. Quòd si tu quoquè volueris adspicere ad spem & promissam nobis remunerationem, fortè etiam dices cum Paulo: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad gloriam, quæ est reuelanda in nobis. Cùm autem Præses ea, quæ dicebantur, damnaret stultitiæ: & nunc quidem blandiens & subiens personam patientiæ, nunc verò minans & acerbam ei mortem intentans, neutri eorum eum videret cedere: Non tibi repentinum & totum simul vitæ finem afferam, sententiam ei pronunciauit: sed te lento igne paulatìm liquefactum, efficiam immitem & implacabilem animam deponere. Dixit, & cùm versùs septentrionem extra ciuitatem collecta fuisset materia, ducebatur ad rogum, sequente quidem matre, sequentibus autem ijs quoquè, qui aliâs cognatione ad eum attinebant. Ille verò postquàm esset precatus, & benedixisset omnibus, & eis osculum dedisset in Domino, accêsa autem esset materia ab ijs, qui ad id seruiebant, in ignem inijcitur: & cùm aperto ore flãmam accepisset, apud eum, qui dederat, spiritum deposuit. Deindè cùm ignis esset sedatus, qui ad eum attinebant, precioso linteo eum circundederunt, & vnguentis vnxerunt: cumque psalmos & hymnos, vt par erat, cecinissent, prope Samonam & Guriam eum deposuerunt, ad gloriam patris & filij & spiritûs sancti, quæ est diuina Trinitas, & in quam non cadit diuisio. Quam decet honor & adoratio nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Talem quidem vitȩ finem inuénit martyr Abibus tempore Licinij, & talem cum sanctis nactus fuit depositionem, & sic pijs attulit requiem à persecutionibus. Nam deincèps quidem Licinio fuit diminuta potentia: Constantino autem floruit dominatio, & creuerunt ei sceptra Romanorum: qui primus inter Imperatores liberè professus est pietatem, & Christianis concessit viuere vt Christianos. Sed vt possitis cognoscere, qualem gratiam martyres apud Deum sunt assecuti, necesse est rem ab alto repetere.

Cap. 15. Blanditur ei præses. Rom. 8. Coniectus in ignẽ, reddit spiritum. Licinio tyranno adimittur Imperium.

Hunni quidem Ephtalitæ, Persarum finitimi, & qui ad solem habitabant oriẽtem: hæc gens, inquam, importuna & barbara, non paucis annis post martyrum consummationem, vsqueadeò inuaserunt Romanos, vt facerent incursiones vsque ad ipsam Edessam, & prædas agerent ex agris, qui circa ipsam siti sunt. Romanorum autem Imperatores acriter defenderunt ciuitatem, & breuì totum collegerunt exercitum, vt opem ferrent Edessæ, volentes efficere, nè ea caperetur: & maximè verbis Christi confidentes, quæ scripserat ad Augarum, quòd ciuitas nunquàm esset capienda à barbaris: & quòd in eã primã Domini nostri & Christi effigies missa sit ad Augarum. Itaque ad ciuitatem castra mouerunt Hunni, putantes se facilè eam esse capturos. Romani autem mittunt auxilium Edessenis, nè in manus Hunnorum veniret ciuitas. Cùm verò, qui missi fuerant à Romanis, iam venissent Edessam, accidit vt quidam Gotthus inter eos, & moribus barbarus, & mente perniciosus, diuersaretur in domo cuiusdam mulieris, nomine Sophiæ. Ei autem erat vnica filia, nomine Euphemia, viuenti in viduitate, & de sola filia solicitæ. Educebatur ergò matri filia, tanquàm germen recens pullulans, temperantiam exercens & virginitatem, & studium adhibens, nè cerneretur à masculorum oculis. Erat autem puella facie decora, & insigni pulchritudine. Cùm ergò in ea habitatione diù versatus esset Gotthus, nescio quomodò adspexit puellam, & itã captus fuit eius amore, vt nusquàm mentem aliò conuerteret, quàm ad virginem. Personam itaque induens bonitatis, & se amicum esse

Cap. 16. Hunnorum incursiones. Antiquissimus imaginum vsus.

simulans, abijt ad matrem: & assentationibus conans ei persuadere, & bonorum promissis, vt ei daret filiam in matrimonium: Illa autem grauiter ferebat, & animum non adhibebat ijs, quæ ab ipso dicebantur. Eo verò se insolenter iactante, & valdè minitante, illa, Vnicam, inquit, quæ mihi est, filiam viro coniungere barbaro nunquàm sustinuerim. Nè ergò assenteris, nec mineris. Nam nec me emollies adulationibus, neque minis terrebis. Ille autem pergebat eadem rursùs facere, & rursùs suam ostendebat impudentiam, & de ijsdem assiduè cum matre loquebatur. Deindè etiam preciosa afferebat ad eam ornamenta, & affirmabat eam fore dominam multorum aliorum. Mater autem puellæ ne sic quidem præbebat aurem ijs, quæ ab ipso dicebantur.

Euphemia castissima virgo, respuit matrimonium.

Cap. 17. Deindè illo perseuerante, rursùs Sophia, (cùm nescio vndè didicisset) Sunt tibi & filij & vxor, ei respondit: nec ego tibi meã filiam dederim in matrimonium. Ille verò partìm quidem amore puellæ victus, partìm autem timoris Dei nullam ducens rationem, Deum testatur se nunquàm habuisse vxorem, nec filios: sed se eius filiam velle ducere vxorem, & omnium suorum bonorum eam facere dominam. Vincitur itaque mater puellæ à Gotthi verbis. Quid enim erat factura, cùm esset fœmina, quæ facilè decipitur, & sacramentorum audiret examina, & ei metu quateretur animus? Itaque manus in cælum tollens: Pater orphanorum, & defensor viduarum Domine & Deus, inquit, nè despexeris hanc puellam, quæ viro ignoto coniungitur. Te enim eius promissorum accipio inspectorem: & te freta, vnicam meam filiam trado huic peregrino. Et interìm scribitur contractus matrimonij: & cùm aliquantùm temporis Hunni Edessam circunsedissent, socij autē & adiutores vrbem defendissent, hostiumque impetum propulsâssent, fit puella prægnans ex Gotthi coniunctione. Nondùm verò tempus pariendi aduenerat: & Hunni quidem, cùm nihil potuissent facere eorum, quæ sperauerant, iam in animo habebant proficisci in patriam: socij autem & adiutores volebant redire Romam. Cùm ergò Gotthus quoquè paratus esset simul abire cum Romanis, & cruciaretur mater filiæ separatione, eisq; scinderentur viscera, appræhendit puellam, nec sinebat eam cum Gottho discedere, etiamsì eam non poterat retinere, cùm lege matrimonij & naturæ vellet sequi maritum.

Gotthus quidam victus amore impuro, falsum iurat.

Datur ei Euphemia vxor.

Cap. 18. Cùm iam ergò abirent, mater eos assumens, accedit ad capsam confessorum, & dicit Gottho: Ego tuæ fidei meam filiam non committam, nisi tangens hanc preciosam capsam eorum, qui pro Christo passi sunt, eos dederis mihi fideiussores, quòd non solùm ei nihil sis molesti facturus, sed etiam eius, quam par est, curam sis gesturus. Gotthus autem protinùs, tanquàm iussus facere id, quod esset omnium facilimum, & omni penitùs metu vacuum, A manibus vestris, inquit, ô sancti, accipio puellam: & vos do matri fideiussores, quòd ei à me nihil fiet molesti: sed me potiùs habebit paratum ei implere, quæcunque volenti erunt cordi. Nec hæc solùm sceleratus: sed magnas quoquè iurat Dei vires, se promissa reipsa conseruaturum. Mater ergò accepto iureiurando, sanctis acclamauit martyribus: Vobis, ô sancti, meam filiam post Deum committo, & per vos Gottho. Post hæc Deum precati, mater quidem amantissimè filiam amplexa, domum reuertitur: Gotthus autem iter init cum puella. Deindè cùm venissent in regionem, ex qua ortus erat Gotthus, & iam essent prope eius domum, oblitus quidem vir iste inhumanus amoris in vxorem, contempto verò iureiurando & pactis conuentis, & Dei metu procùl à se amandato, (ô, quousquè procedit vitium?) ei quidem aufert vestes: aurum quoquè ei aufert: eaque tanquàm serua pannis turpiter induta, Mihi, inquit, ô mulier, sunt liberi & vxor. Quamobrèm voca te ancillam bello captam, & te meæ vxori omnibus modis submitte, & ei morem gere, eam tanquàm dominam honorans & nominans. Si enim, quomodò se habeant res nostræ, enunciaueris, aut etiam meæ vxoris voluntati non paruèris, erit tibi mors supplicium.

Vide sceleratissimi hominis barbarum planè exẽplum

Cap. 19. Quomodò his affectam censetis fuisse mulierem, quæ matre quidem erat priuata, priuata autem patria, omnibusque amicis & cognatis, & ad illius solam adspiciebat animam, & quæ longæ illius spei talem viderat exitum? Omninò si non esset lapis, si non ferrum, aut aliquid aliud inanimum, ijs, quę præter spem acciderant, auditis perculsa, protinùs emisisset animam. sed eam conseruabant matris fideiussores, quos illa à Gottho acceperat, ad malum quidem execrandi eius capitis, ad ostendendam autem maximam eorum gratiam. Valdè ergò ingemiscens, & suspirans ex profundo cordis: Tibi, aiebat, ô Domine, & ineffabili tuæ misericordiæ propter hæc omnia

ago

ago gratias. Deindè etiam ad Gotthum conuersa: Benè tibi sit, inquit, quòd cùm nos posses tollere de medio, hoc solo fuisti contentus, vt me seruam faceres pro libera. Promissa, re ipsa præstitisti: iusiurandum re vera confirmâsti. Quid ergò restat aliud, nisi vt omninò inuocem eos, qui ea quæ fiebant, inspexerunt, quos tu tunc adduxisti testes ijs, quæ à te dicebantur? Eis enim, & non alij, confisa, mea sponte constitui disiungi à parente: eam quæ nos tulerat, relinquere, & te solum sequi. Hæc cùm dixisset, animæ oculos ad cælum tollens simul cum sensilibus: Deus patrum meorum, cum eiulatu dicebat & lachrymis, adsis mihi miseræ: & vide, quid iste quidem te teste & tuis sanctis & confessoribus est pollicitus, quid autem nunc re ipsa facit: & nos libera ab ijs malis, pro nobis intercessores tuos sanctos accipiens: quoniam his post te confisa, præsentia hæc mala sustineo. Cùm sic puella tacitè Deum rogâsset, in Gotthi autē ædes essent ingressi, adspexisset verò eius coniunx puellam, & animaduertisset eius pulchritudinem, zelotypia & suspicione in animo statìm repletur. Rogat itaque maritum, quænam ipsa esset, & vndè esset orta: & quarè eam secum nunc duceret. Ille autem eam esse captiuam, & ab Edessa abductam: ductam verò esse, vt ei seruiret, respondit. Illa autem formam magis attendens, quàm eius verba: Eius, inquit, vultus nequaquàm eam arguit esse seruam. Gotthus autem: At tu ea vtere tanquàm ancilla. *Sanctos intercessoribus habēdos, etiam antiquitas nouit.*

Ex hinc itaque puella metu agebat silentium, & quæ imperabantur, faciebat ocyssimè. Nesciebat enim, quidnam posset facere, quod eam liberaret à malis præsentibus. Sanctis autem assiduè dicebat in corde suo: Festinate ad auxilium ancillæ vestræ, ô sancti, festinate, neque fraudem mihi factam despicite. Puellæ verò domina non legitima, in eam mota zelotypia, puella grauiter vtebatur, & ei grauiora opera imperabat, perindè acsi illius labores, inuidiæ qua vrebatur, ipsa proprium haberet solatium. Quod autem erat omnium maximum, ne eam quidem volebat alloqui. Postquàm autem procedēte tempore puellam resciuit esse grauidam, zelotypiæ flamma magis accensa, grauissimum opus ab ea exigebat. Cur hoc? Studens videre mortem puellæ, fœtûs facta abortione. Sed inuictæ erant Christi vires, & eorum, qui propter Christum passi sunt: per quas puella & superauit molestias, & mansit minimè læsa à malis. Postquàm autem accessit tempus partûs, parit filium masculum, qui patris effigiem in seipso conseruabat, & erat Gottho omni ex parte similis. Hoc cùm adspexisset Gotthi coniunx, & animaduertisset quàm esset expressa similitudo, nihil aliud versabat in animo, quàm quomodò puerum interimeret: marito autem dicebat: Ego tibi non crediderim, quòd cum puella non coiueris. Nam quod ex ea natum est, patrem apertè confitetur, forma perindè vtens, àc lingua. Ille verò affirmabat eam non verum dicere: iubebat autem ea vti tanquàm ancilla, dicens: Hoc fidem faciat, me nunquàm cum ea esse congressum. Neque enim à me vnquàm omninò in tuam tradita fuisset potestatem. Amicitias enim coniungunt amores, non disiungunt. *Cap. 20.* *Puella à Gottho decepta, durè accipitur ab eius vxore* *Parit filium Euphemia.*

Tunc autem qui longo abhinc tempore humano generi est inimicus, Gotthi vxorem subiens, eam aduersùs infantem furore concitauit: & propterea concepit laborem, & peperit iniquitatem: & cùm quoddam venenum in sinum immisisset, pueri quidem matrem emittit ad faciendum aliquid, quod erat opùs. Et ea quidem egreditur ad exequendum id, quod fuerat imperatum: illa autem venenum immitit in os pueri, & venenum mors statim est consecuta. Paulopòst ergò reuersa mater, cùm infantem quidem inuenisset mortuum, illius verò labris infusum venenum, in corde quidem sauciatur, & graui animi dolore afficitur, eum tamen celat, & tenet in abdito: dolore quidem affecta, vt mater: secretum autem tenens, vt prudens & cordata. Deindè cùm vellus sumpsisset, & os infantis abstersisset, lanam apud se detinuit, experientia volens scire veritatem. Paucis certè pòst diebus, cùm ex amicis & cognatis Gotthus inuitâsset aliquos, puella arripit occasionem: & lanam intingit in calice, & Gotthi tradit vxori, volens, vt dixi, verum scire, venenò ne priuata sit infante, an communi morte eum amiserit. Nam existimabat quidem, quòd si epoto medicamento vixisset, euidens esset, quòd nec filius eius fuisset necatus veneno. Quòd si id eam interfecisset, illud omninò passura esset, quod ipsa fecit. Cùm ergò Gotthi vxor nihil mali suspicaretur, accipiens, ebibit calicem: statimque labor conuersus est in caput, & in eius verticem descendit iniquitas, & cecidit in foueam, quam fecit: & iustè compræhensa fuit in laqueo, quem absconderat. Atque illa quidem iacebat mortua, extenso corpore, fructus ferens dignos laboribus: animi autem ægritudo *Cap. 21.* *Crudele facinus zelotypæ mulieris.* *Perit eodē veneno, quo infantē extinxerat.*

inuaſerat Gotthum, eiusque neceſſarios, & qui genere ad eum attinebant: totam implebat domum mœror & triſtitia ob immaturam mortem eius vxoris. Ab eis tamen lugetur, vt erat conſentaneum, & præclaram conſequitur ſepulturam, & magnificè deponitur.

Cap.22. Cùm autem ſeptem dies præterijſſent poſt ſepulturam, & ſatìs temporis conſumpſiſſent in mœrore, venit eis in mẽtem, captiuæ inſidijs mortuam eſſe eorum cognatam. Hinc factum eſt, vt eam quidem vellent tradere Præſidi, vt ab illo tolleretur de medio: non enim licebat eis ferro illam inuadere. Cùm autem is abeſſet, ipſi cùm inter ſe conſultâſſent, in monimento, in quo fuerat ſepulta vxor Gotthi, eam includunt in præſentia, & ſepulcrum muniunt aſpero lapide, & ei adhibent cuſtodes. Cùm verò ad eam veniret odor cadaueris, magna repleta moleſtia, Domine Deus virtutum, dicebat puella, qui tuorum martyrum & confeſſorum pro te fuſum ſanguinem, tanquàm viuum accepiſti ſacrificium, ad me adſpice, quæ propter tuum & eorum, qui propter te paſſi ſunt, ſanctorum nomen, viro ignoto & alienigenæ meipſam credidi, & ſum propterea damnata ad hoc tormentum: tu mihi tuum da auxilium, & me libera à præſenti periculo. Vos quoquè ſancti Chriſti, qui illa innumerabilia certamina propter ipſum ſuſtinuiſtis, & eum eſſe viuum Deum coram regibus confeſſi eſtis, quos matri meæ præbuit Gotthus propter me fideiuſſores, ipſi nunc adeſte mihi in malis adiutores: nec eam deſpiciatis, quæ ſe vobis dedicauit. Cùm ità eſſet precata, non tardârunt fideiuſſores, neque diſtulerunt ei ferre auxilium. Sed videt tres viros luce circundatos, ad quam non patet aditus, & fœtor ille mox conuerſus fuit in bonum odorem, adeò vt mirabilis quidam & ſuauis odor ad eam accederet: Et bono animo eſto, ei dicunt, ô mulier, nec time: citò enim ſalutem aſſequéris, nihil omninò graue paſſa, nec ingratum. Neque enim fallemus fideiuſſionem, neque dilatione vtemur in ſalute.

Sancti martyres, inuocati, celerè ferũt opem miſeræ mulieri.

Cap.23. Cùm hæc ergò ſancti ei dixiſſent, ea ſtatim tanquàm à ſe diſceſſiſſet, reſoluitur in ſoporem, Deique inuicta, eorumque, qui ipſum confeſſi fuerant, virtute, (ô miraculum dignum Dei benignitate & potentia) quomodò alius quidam Habacuc propheta momento temporis Hieroſolymis tranſlatus fuit Babylonem: aut vt diſcipulus Philippus à facie Eunuchi Aethiopis raptus eſt à ſpiritu: eodem modo ipſa quoquè dormiens transfertur à monimento, & reſtituitur in templum confeſſorum ſimul & martyrum. Reddita ergò huic templo martyrum, cùm manè eam ſomnus remiſiſſet, videt ei rurſùs adſtantes Chriſti confeſſores, & dicentes: Scis nam modò vbi ſis? Cùm huc ergò & illuc circunſpexiſſet, & velutì ad ſe rediſſet, & ædem agnouiſſet oratoriam, impleta fuit omni gaudio, & magna affecta fuit admiratione. Lætabatur videns, ſtupebat animo cogitans, ſibi diffidebat, neſciebat quid ageret: poſtremò prócidit ad pedes ſanctorum, & eis agit gratias. Illi autem ei dixerunt: Noſtra impleta eſt fideiuſſio. Vade in pace ad matrem tuam. Et illi quidem ex oculis ſtatìm euanuerunt. Illa autem ad eorum capſam accedens, & ardenter amplectens, & lachrymas voluptate & timore ſimul mixtas effundens: Deus noſter, dicebat, in cælo & in terra, omnia quæcunque voluit, fecit: emiſit è cælo, & me ſeruauit. Benedictus es Domine, qui ſeruas eos qui ſperant in te. Veſperè habitauit mecum luctus, & manè exultatio.

Dan.14. Act.8.

Angelico miniſterio reſtituitur Euphemia in templum Sanctorum.

Pſal.134.

Cap.24. Cùm ergò ſatìs longo tempore preces cum lachrymis producentem puellam videret ſacerdos, qui erat in templo, & audiret gratiarũ actionem, dubitabat. Deindè accedens, rogabat cauſam, cur ſic orans lamentaretur, & tam multas effunderet lachrymas, & pro quo offerret gratiarum actionem. Illa aũt ei narrauit rem omnem, quemadmodùm & Gottho à matre iuncta fuiſſet matrimonio, & quemadmodùm cum eo abijſſet, fidem habens dato ab eo iureiurando: & quemadmodùm fœtus, qui Gottho ex ea erat natus, veneno perijſſet: & quemadmodùm fuiſſet incluſa in ſepulcro, & qualem experta eſſet fortunam, & qualem à ſanctis aſſecuta eſſet liberationem. Hæc cùm audijſſet ſacerdos, à ſe planè diſcedebat, dubitabat propter magnitudinem eius, quod narrabatur: incredulitate & fide eius diuidebatur animus. Vndè etiam volens de ea certior fieri, rogabat, quænam eſſet mater puellæ, & è qua domo eſſet orta. Cùm ea autem reſpondiſſet ſacerdoti, is quidem puellam in templo detinet: matrem autem ad ſe accerſit. Illa verò cùm ad ædem veniſſet oratoriam, & filiam ſacerdoti aſſiſtentem repentè adſpexiſſet, primùm quidem eam ardenter amplectitur, amore omninò ſuo fungẽte officio. Deindè diù inter ſe ſilent, luctu vocem

Breuis prædicti miraculi narratio.

repri-

reprimente, & lachrymis sermonem interrumpentibus. Nam matris quidem frangebat animum filia, quæ cernebatur in seruili vestitu & habitu. Filia autem rursùs animo sauciabatur, quòd bona spe à matre disiuncta, tam turpiter redijsset, vt vel solo adspectu prouocaret ad misericordiam. Cùm ergò vix tandèm mater se collegisset ab acerba illa confusione, rogauit filiam, quænam ei accidissent, & quemadmodùm redijsset, & quidnam fecerit eam indui tam seruiliter. Illa autem narrauit omnia matri, vt se habebant, quę post liberationem erant iucunda & dictu & auditu. Cùm ergò mater, quæ à Deo & eius confessoribus & martyribus facta fuerant in filiam miracula, ab ea audiuisset, totum illum diem oratoria ædes martyrum ambas habuit Dominum laudantes. Cùm venisset autem vespera, egrediuntur è templo & domum reuertuntur. Die verò sequenti, & quod factum fuerat, in omnem partem fuit disseminatum: & multitudo confluebat ad puellam eorum, qui alioquì ad eam attinebant, Deumque simul cum ea, & eos, qui propter ipsum passi fuerant, glorificantes.

Aliquanto autē pòst tempore Deus Dominus vltionum liberè egit: in altum elatus est, qui iudicat terram: reddidit superbis remunerationem. Nam cùm Hunni Persis se adiunxissent, & in loca, quæ erant circa Edessam, adhuc facerēt incursiones, rursùs quidem ad Edessenos in auxilium à Romanis mittitur exercitus. Vnus autem ex ijs erat etiam sceleratissimus Gotthus: & venit rursùs in domum mulieris: venit autem confidenter, tanquàm gener in domum socrûs, nihil eorum, quæ occultè perpetrârat, manifestum euasisse suspicans. Cùm ergò cognouisset mater eius aduētum, filiam quidem includit in domo interiore, cogitans rem facere sapientiorem, quàm quæ videatur posse cadere in mulierem. Illa autem eum excipit cum gaudio, quomodò ipse se habeat, interrogans: quomodò verò filia iter in eius domū confecerit: & quomodò sit conseruata: & quemadmodùm, cùm esset grauida, peperit: & quod pepererat, esset'ne masculus, an fœmina. Ego enim, inquit, de vobis eram valdè solicita, nè vobis in via, & maximè filiæ meæ graue aliquid accideret, vt quæ esset prægnans, & pariendi tempus iam ei appeteret. Gotthus autem, vt qui non ex ijs, quæ ipse fecerat, sed ex ijs, quæ ineffabilis dispensauerat bonitas, responderet: Omnia, dicebat, rectè tuis successêre precibus. Sine vlla autem molestia viam cum tua filia peregimus, & ad ædes meas alacriter peruénimus: peperit autem filium masculum, & nunc sana & læta tibi plurimam per me dicit salutem. Quòd nisi repentè missi essemus ad ferendum auxilium, ipsa quoquè ad te mecum redijsset.

Cap.25.

Rursùs Hūni cum Persis incurrūt in ditiones Romani Imperij.

Impudētia Gotthi, turpiter mentientis.

Hæc cùm mater audiret, ira replebantur & versabantur eius viscera, vt quæ abominaretur bona verba, factis iniustis illita. Deindè cùm non posset ampliùs ferre iustam iram, quæ in manifestam insultabat iniquitatem, infremuit tunc in virum, omni ex parte longè iniustissimū: &, O fraudulente, inquit, & parricida, quid fecisti cum mea filia? Hæc'ne mihi iureiurando dato es pollicitus? Propter hæc'ne fideiussores & martyres mihi dedisti eos, qui passi sunt propter Christum? Sed ipsi omninò, quos dedisti fideiussores, ipsi te punient propter malam tuam mentem, & pœnas sument de his iniustis insidijs. eos ergò inuocabo ad vindictam, quos tunc accepisti fideiussores. Hæc cùm dixisset, educit è domo filiam: &, Nôstine quænam hæc sit, ô impie, nôsti, dixit, eam Gottho ostēdens: & vbì eam incluseris, & quali morti eam tradere voluēris, non leges, inquit, non maximum illud à te datum iusiurandum reueritus? Sed Christi confessores & martyres, Samonas, Gurias & Abibus, quibus ego confidens, eam barbaræ tuæ commisi dexteræ, illi mihi præter spem omnem eam conseruârunt, & in meum sinum restituerunt.

Cap.26.

Confundit mater puellæ impudentē Gotthū.

Hæc postquàm audijt Gotthus, & adstantem vidit puellam, præ pudore & metu ei vox est extincta: eratque mutus, ne os quidem valens aperire. Deindè cùm res esset aperta, & conuictus esset hæc fecisse puellæ, ne ei quidē loquendi potestatem facientes, qui aderant, eum tutò includunt. Mater autem cum filia, adducto scriptore, cùm quæ euenerant omnia recensuissent, sanctissimo Edessæ Episcopo (is autem erat Eulogius) ea tradunt. Ille verò cùm ea perlegisset, simul cum vniuerso Clero, vadit ad Prætorem ciuitatis, & ei tradit, quæ scripta fuerant. Qui cùm ea legisset, primùm quidem affectus fuit admiratione, & eam rem habuit pro miraculo: & laudauit Deum vniuersorum, qui per suos martyres hoc nouum, & quod omnium aures obstupefacit, fecit miraculum. Deindè verò vehementer in Gotthum est inuectus, qui tale ausus fuerat facinus. Aegrè ferens ergò Prætor, secum quidem facit * considerare Episco-

Cap.27.

Eulogius Episcopus Edessenus.

* considere, legendum puto.

ſcopum. Deindè Gotthum & puellam iubet ſiſti: & audiente tota multitudine, (concurrerat autem maxima) iubet ea legi, quæ ſcripta erant de Gottho. Cùm ea ergò lecta eſſent, an hæc vera eſſent, Gotthum interrogat. Ille autem (Quid enim faceret, qui à ſeipſo & à veritate apertè conuincebatur?) nihil horum eſſe falſum confitebatur, & pro his petebat miſericordiam. Prætor autem, Scelerate, inquit, & parricida, cur ne Dei quidem timuiſti iudicium, nec eius, quem nihil latet, oculum, etiamsì homines latére liceat? Cur non timuiſti iuſiurandum? cur non leges Romanorum es veritus, tam impium aggreſſus facinus? Quoniam ergò conuictus es hæc omnia deſpicere, à te etiam grauiùs exigetur ſupplicium. Dixit, & iubet gladio caput eius amputari, & corpus eius in ignem proijci, vt ne puluis quidem ſit eius puluere particeps, nec tradatur communi omnium matri, qui ſe ità geſſerit in cognatos.

Sceleratus Goth9 extremo ſupplicio affici iubetur.

Cap.28. Cùm autem ad rem exequendam ſe pararent milites, Dei amicus Epiſcopus orauit Prætorem, vt quantùm fieri poſſet, in eum vteretur clementia: neque is ſua perret amentia. Ille verò: Timeo, inquit, Chriſti martyres, quos is dedit ſuî fideiuſſores. Ij enim, vt quos ipſe fefellerit, niſi eorum, quæ admiſit, ego iuſtas de eo ſumpſero pœnas, mihi omninò, non ipſi, quod debetur, inferent ſupplicium: & alioquì efficiet, vt multi ſe gerant ſimiliter, niſi pro ijs, quæ fecit, iuſtas pœnas luerit. Cùm autem magis inſtaret Epiſcopus, & vehementiùs pro eo intercederet, à ſupplicio quidem Prætor aufert ignem: perſeuérat autem in eo, quòd eius caput gladio amputetur. Cùm ergò Gotthum accepiſſent milites, & extra ciuitatem eduxiſſent, gladio, vt eis iuſſum fuerat, illi caput adimunt. Propter quod Seruatori Chriſto, & ijs, qui propter ipſum paſſi ſunt, martyribus emittebatur laudatio ab omnibus, quòd ſuperbis reddiderit remunerationem, ad gloriam patris & filij & ſpiritûs ſancti, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

DE SANCTIS CHRISTI MARTYRIBVS SAMONA, GVRIA, ET ABIBO, ARETHAE ARCHIEPIſcopi *Cæſareenſis, Oratio, viro docto interprete. Habetur* 3. *Tomo Aloyſij. Hanc nos in capita diſtinximus.*

Nota antiquitus celebratū feſtū horum martyrum.

Cap.1.



Vomodò veſter vobis ſe animus habet, ſacer grex? qui diem feſtum hunc ſplendidiùs Chriſti confeſſoribus agitis, quandò externa etiam multa vos vti video lautitia, ſummaque cum hilaritate ſacrum hunc locum occupare. Nunquìd fortaſsè, quæ in vobis imperium obtinet mens, ſenſìm à rebus deflexa ſuis, per ſenſus effunditur, & in ea etiam, quæ oculorum ſubiecta ſunt ſenſibus, diſſipatur? An verò cùm paululùm hæc, blandientis cuiuſdam catelli more, ſenſui adulari permiſerit, ipſa in ſua gaudens altitudine, pulcherrimis ſibique proprijs ſpectandis rebus mouetur, afficiturque, & reijciendis voluptatibus corporis, proprium Chriſti martyribus verè natalem celebrat diem? Si hæc ità ſe habēt, & victoribus his honorem iſtum habendum cenſuiſtis, atque ità diem feſtum celebrare contenditis, Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, qui pridèm etiam ſeruos ſuos velut paſſerculum quendam de laqueo venantium eripuerit, & nunc in ipſa anni conuerſione, optato gaudio nobis allato, ſacris eorum certaminibus quodam hilari veluti conuiuio, ſtudioſiùs nos excipere voluerit.

Cap.2. Et quid hoc eſt? Id nempe, quodcunque animi vires confirmat, & ſpreta laudabiliter multitudine imperita, ad illas alterius vitæ manſiones erigit, erigiturque, alìs veluti quibuſdam omnium prudentiſſimè in altum euectum. talis eſt enim martyrum feſtus dies, tale victorum noſtrorum theatrum, talia ſunt ea, quæ abs ſe allata nobis, illi conuiuis ſuis apponere ſtatuerunt: quandò non hoc mòdo epulari, lætitiæque indulgere, ſed vni ventri turpiter deſeruire, qui, quicquid in eum quis ſtudij contulerit, in ſeceſſum emittit: & veſtium mutatione alios vicìſsim alios ſuperare contendere, non ſolùm res generoſa non eſt, eiuſmodique, quæ moribus diſciplinæq; noſtræ conueniat, ſed ab ipſo etiam eſt conuiuatorum ſenſu, menteque alieniſſima. Hæc igitur cùm

Sancti martyres quæ nobis apponant.

cùm ità ſint, cumque nos, quo pacto diem feſtum oporteat celebrari, anteà iam denunciârimus, nec ſine ſpe fore, vt iactis in terrã bonam, animarũ videlicet veſtrarum cogitationes, orationis ſeminibus, multiplices ſimus ſpicas meſſuri: agedùm, agè, inquam, præclaro facto iam hoc orationis initio, ea vobis deinceps proponamus, quæ dici feſto celebrando cõueniant. At enim deſideratis, video, vt fortiſſimorũ horum virorum certamina, tanquàm in tabellis quibuſdã à nobis depicta, omnibus ſpectanda proponantur, quòd ad diei feſti celebrationem his accommodatius eſſe nihil videatur. Hoc igitur & faciamus. Tametsì ad pingendum nobile adeò hoc argumentum idonea ſine dubio pigmenta nobis non ſuppetunt, vt ex inuicta martyrum conſtantia diuinus in animos noſtros fructus perueniat: quò eorum videlicet æmulatione excitati, oppugnato pro viribus impotenti animi vitiorum dominatu, perennem vobis ex maximè diuina iſta certatione gloriam pariatis. Sed agedùm apponamus iam vobis, quæ habemus, idque quatenùs facultates noſtræ patiuntur. Cæterùm qualiacunque ſint ea, collata cum ſtudio, prorsùs placitura non dubito, præſertim qui ſciam non ſolere à legitimis & æquis rerum æſtimatoribus filijs repudiari parentum facultates, ſed propterea ijs charas eſſe, quòd ſint paternæ. Simili modo etiam pauperi non ſit qui vitio vertat, ſi qui comeſſandi cauſa ad illum acceſſerint, de ea, quæ ſibi præſtò fuerit, copia ipſis largiatur.

Sanè quidem Gurias, Samonas & Abibus, & nati ſunt Edeſſæ, & educati. Porrò Edeſſæ huius (quæ quidem vrbs eſt in Meſopotamia) nomen cùm paucis admodùm ante hos martyres cognitum eſſet, ab ijs ità celebre factum, illuſtratumque eſt, vt vnà cum eorum fama per vniuerſum ſe orbem terrarum diffuderit: neque verò ijs intra vrbem domicilium fuit, ſed in agro extrà, vbi videlicet tranquilliorem à vitæ huius negocijs vitam eſſent acturi, procùl à ciuilibus turbis remoti, quæ certum animi in religione propoſitum perturbare ſolent, atque peruertere, neque ſpatium dare, vt pulchritudinem ſuam velut in ſpeculo valeat contemplari: ac ſi quid ſit, quod ei officiat, & ignoretur, id peruidere poſſit atque corrigere. Idcircò igitur grata his valdè vita fuit agreſtis: in qua etiam aſſidui, vnà cum Propheta illud, Solitarij, donèc tranſeamus, omnium pulcherrimè tenuerunt. Cap. 3. Vides ex ſanctorum memoria ciuitates illuſtres reddi? Sancti martyres cur in agro potiùs, quàm vrbe degere voluerint.

Sed enim Guriæ præcipuum in vita ſtudium, meditatio & continentia fuit, quę diuturna conſuetudine familiares illi ac peculiares factæ, fecère, vt cognomento Continens appellaretur: neque enim tu eum aliter indicâſſes, niſi dum eum nominares, nomini etiam Continentem addidiſſes: At Samonas vigentibus maximè & animi & corporis viribus, ijsque præditus, quæ qui habent, eos libenter ſpiritus ſanctus ſuis ſolitus eſt choris aggregare, quippè cùm iuuenes hortetur, vt ſe ſenioribus adiungant, vt victoriæ vnà carmen concelebrent: His, inquam, ille præſtans animi & corporis viribus, ad Guriam ſe contulit, eius vitæ ſtudia propiùs imitaturus, ac ſi poſſet, etiam ſuperaturus. Cæterùm qui abſolutam illis choream conficiebat ſpiritus ſanctus, tertium etiam prætereà quærebat, qui cum numeri paritate eam ſimilitudinem, quæ ſibi cum patre & filio eſt, perfectè in choro ipſorum exprimeret, tum etiam numero firmitatem concordiæ ſtabiliret. Itaque (ô felicitatem) etiam inuenit Abibum: qui tametsì vtroque natù minor erat, tamen quod ætati deerat, ſupplebat non eò ſolùm, quòd peruestigatis vtriuſque ipſorum vitæ inſtitutis, in animum induxit, vt in eodem ſe vnà cum ijs curriculo exerceret, ſed eò etiam, quòd ſacro Diaconatûs ordine inſignitus, magnum ijs, quibus ſe ſocium adiungere feſtinaret, ornamentum afferret. Medium enim his ſe cùm inſeruiſſet, vnaque cum ijs apud Dominum, cui miniſtrabat, fidenter egiſſet, pijs quietem à perſecutoribus conciliauit. Siquidem poſt illud tempus noſtra ſanguine martyrum rubeſcere deſijt terra, pulſo nimirùm è regno Licinio, Conſtantinoque in eius locum ſubſtituto. Quo quidem Imperatore Romana res florere, amplificarique cœpit, quique primus è Regibus omnibus impietatem auerſatus, pietatem palàm eſt, libereque profeſſus. Cap. 4. Pulſo Licinio, Conſtantinus in eius locum Imperator ſubſtituitur.

Huiuſmodi præditi virtutis inſignibus Gurias & Samonas, non iam Edeſſę tantùm, atque eius finibus cogniti erant, ſed in exteras etiam terras longè lateq; ſe eorum fama propagabat: erantq; hinc Chriſtianis lętitia ac decus, illinc Græcis triſtitia & dolor vehemens, ac quicquid deniquè mali creare ſolet inuidia. Quamobrèm non ferunt illi illuſtrium gloriam virorum per vniuerſam Syriam diffuſam. Diocletianus erat eo tempore Romanorum Imperator: qui cùm non ſatis magnam ſe adeptum ex ſubactis Imperio cunctis gentibus gloriam exiſtimaret, illud longè ſibi præcla- Cap. 5. Græcos hic dicit, idololatras ſiue gentiles.

rius futurum putauit, si Christianos eorum voluntate ad sentẽtiam suam traduxisset, aut recusantes funditùs deleuisset: vt sublatis, qui Deum intelligerent, sublatis etiam, qui incruento sacrificio bonitatẽ facerent, liberum dæmonibus suis sacrificium posset offerri. Hinc ex regijs literis, quæ quoquouersùm per vniuersam Romanorum ditionem mittebantur, & pijs pernicies parabatur, & ignominia: contraque impijs, qui muta & manufacta simulacra venerarentur, honor & salus spondebatur.

Cap.6. Ad hæc iudicum iniustorum, & cædem spirantium aliæ post alias procellæ: quibus illud vnum erat propositum, quemadmodùm omnibus in rebus ijs morem gererẽt, qui se misissent. Parati erant præcones, aperta subsellia, editiora extruebantur tribunalia, omni circunquaquè tormentorũ genere vallata. Interdictum erat Christianis, (Christianis quænam interdicta sub Diocletiano.) nè tam communibus se, quàm sacris conuẽtibus immiscerent: in forum non admittebantur: omnẽ commerciorum iure excludebantur, quæcunque ante illud tempus omnibus promiscuè patuerant, tam publicè, quàm priuatìm: contrahere eis cum nemine licebat: magna in vrbibus Christianorum erat solitudo: in earum locũ remotiores ab ijs recessus succedebant, quos multitudo eorum, qui exagitabãtur, complebat. Nulla in persecutoribus aduersùs natù maiores reuerentia: nulla paruorum, ac propterea malorum sensûs expertium misericordia, ne ijs quidem, quibus tribuit ipsa natura, vt propter virium imbecillitatem, huiusmodi affectu plurimùm mouerentur. Feræ immites omnes aduersùs Christianos, vnaque in re tantùm humani, quòd quorum in animis piam de religione fidem cõcussérant, ijs, simul vt eos ad simulacrorum aras adduxerant, liberam malè viuendi potestatem permittebant. Quo quidem nihil pijs poterat esse perniciosius. Grauis oppressam creaturam tenebat tempestas, quæ nullã prorsùs securæ tranquillitatis significationẽ daret, nullam've melioris status miseris affulgere spem sineret ex his, quæ sunt consecuta.

Cap.7. Nec ipsa Edessa cõmunium temporis illius calamitatum immunis fuit. Gliscebant in pios quotidiè ærumnæ: & impietatis procella, quæ ciuitatem inuaserat, effecerat, vt omnes iam de vita penitùs desperarent. Domus singulæ suos scrutatores habebant, (Singulæ domus Edessæ habent suos scrutatores.) tam quæ in illustri positæ ciuitatis loco, quàm quæ quòd in obscuro esse viderentur, tutum anteà latére volentibus perfugium præstare solitæ erant. Neque ipsi etiam agri huius erant tempestatis expertes: siquidẽ nihilo tolerabilior in his, quàm in oppidis, miseriarum erat fluctuatio, similibusque hîc, atquè illic, periculis pietas veluti tempestate quadam iactabatur.

Cap.8. Eo tempore ipsi quoquè Gurias & Samonas, hic fortitudinis, ille cõtinentiæ laude insignis, comprahensi sunt, vnaque cum ijs ingens Christianorum multitudo carceri addicta, cùm non esset qui redimeret, neque qui saluum faceret. (Plurimi Christiani truduntur in carcerem.) Ac cæteri quidem, quibus aut nominis obscuritas, aut fidei negligentia causa erat, vt contemnerentur, sine mora è custodia educebantur, quippè cùm nihil aduersùs se impugnantes præ se ferrent, quod esset ad expugnandum difficilimum. Verùm Guriæ & Samonę ingens, quæ eos comitabatur, solidæ pietatis gloria, causa fuit, vt diutiùs in custodia asseruarentur. (Cõfessores qui dicti sint.) Ex quo quidem videntur mihi meritò Confessorum etiam cognomentum adepti: quod præmij loco ijs deferri solitum est, qui Christi causa hoc modo citra necem malè habiti sunt. Siquidem in ea tandiù feruntur permansisse, quoàd vita functo priore principe, alter in eius locum successit.

Cap.9. Verumenim afflictatio his oblectamenti loco erat, & incommodorum perpessio philosophiam in eorum animis augebat, quæ quidẽ grauiorum, quæ mox pro Christo essent excepturi, tormentorũ quoddam erat velut præludium: Quin alios etiam exemplo suo excitabant, quippè cùm docerent eam, quam quis verè profiteretur, fidem, neque rebus asperis, quæ Christi causa maximè intentarentur, frangi, neque malorum perpessione vlla debilitari: neque enim permissurum iustum certaminum arbitrum ac moderatorem, vt ea aut semper durarent, aut maiora essent, quàm vt ijs ferendis quis esse par posset: (1.Cor.10.) præsertìm si Paulo habenda sit fides, qui ipse rerum arcanarum & inspector fuit, & prædicator: (Rom.8.) Et si labor est multus, at nondùm tamen est tantus, immò longissimo interuallo minor, quàm vt cum eo, qui in nos posteà reuelandus est splendor, vlla ex parte meritò queat comparari. Atque hæc quidem illis hoc modo. Verumenimuerò quoniam oportebat, vt perfectioribus multò laboribus se darent, & ad nobilitandam etiamnum magis ipsorum gloriam, reipsa superioris suæ exercitationis perspicuum omnibus ederent documentum: furebat rabie incitatus aduersùm Christianos is, qui pauloantè missus prouinciæ regendæ

fuerat

fuerat Præses. Porrò rabies illa id vnum spectabat, quemadmodùm ei, à quo missus fuerat, omnibus in rebus gratificaretur. Itaque nihil prorsùs omittebat eorum, quæ eos præstare par est, qui furoris sui socijs omnibus in rebus inseruiunt. Ad tribunal rapti altæ indolis viri sistuntur, pietatis suæ pœnas daturi. Cæterùm quæ magna cum animorum elatione, magnoque cum spiritu, aduersùs hunc dicta tunc fortiter à martyribus sunt, ex quibus & præsentis fortunæ inconstantia derideretur, & eorum, quæ in posterum parata sunt, bonorum gloria magnificè prædicaretur, (tametsì margaritarum nobilitas ante suilli generis homines proijciebatur) aut quemadmodùm ipse etiam iudex, dum eos tentat, qui tentationibus vinci non possunt, inuictam eorum animi constantiam astutè subuertere conabatur, longum vtiquè esset persequi oratione: nihilominùs tamen, vt quantùm ad intelligendum sit satìs, quales illi fuerint, doceamus, nè egregiæ martyrũ palæstræ prorsùs simus expertes, néve eius rei, quam ex omnibus pulcherrimam sperauimus, iacturam faciamus, tales erant, aut his similitudine quàm proximi. *Samonas & Gurias ad tribunal rapiuntur.*

Blandè agebat cum viris sanctis is, cui iudicandi potestas obtigerat, seseque modò, vt qui nocere eis nollet, ad lenitatem dabat: modò supplicia differebat, nè animi sæuitia ea ijs accelerare videretur, qui ad quæuis perpetienda ipsi erant paratissimi, nullaq; re magìs, quàm supplicij mora offendebantur: verùm apparebat, facta dictis esse contraria, quippè cùm non humanitatis ea essent, quæ ab eo fierent, sed immanitatis: animi non benefici, sed malefici: siquidem ex moræ huiusmodi interpositione apparebat, eum eorum animi firmitatem, roburque sensìm velle labefactare, & ardorem restinguere, quô videlicet postquàm ex huiusmodi ampliationibus recens alacritas illa velutì deferbuisset, consopitaq; esset, viam ad id, quod sibi proposuerat, occultè muniret. Quin & nugamenta aduersùs illos verborum quædam contexit, sic propemodùm astutè ipsos aggrediens: *Cap. 10. Iudex illis primùm blanditur.*

Nolite, inquit, putare vos, me animo esse præduro, eiusmodique, qui crudelitate & humano sanguine delectetur. Naturam reuereor: miseret me cognationis, quæ mihi est vobiscum: & quanuìs contrariam nobis religionis viam sitis ingressi, idque fortasse veritatis inscitia ducti, ac propterea in animum vobis induxistis, vt extrema omnia ferre libenti animo supplicia sitis parati: nihilominùs ego quidem de hoc vobis ignosco, idque consilij vestri imbecillitati tribuo: siquidem scio mortalium adhuc neminem extitisse, qui quidem in consilio sibi capiendo nusquàm errârit, quique cùm in alijs optimè senserit, in ijs, quæ præcipua ipsi erant, non aliquandò offenderit, atque ibì maximè, vbì maximè se præstare confideret. Quocircà licèt innumerabilia vrgeant me Regum iussa, nihilominùs tamen mâlim, quoàd fieri possit, cùm manifestè periculosa res sit, quiduis supplicij ipse subire potiùs, quàm asperum in vos quicquam efficere, vsque dum fortasse duritia vestra mea patientia deuicta, lenioribus vos verbis ab obstinatione ista deductos, in meam sentẽtiam adduxero, cui ferociter nunc repugnatis. *Cap. 11. Fallacia Iudicis, humanitatem simulantis.*

Quem enim sacra vestra non moueat canities, Guria, quæ in vobis vndiquè appáret, quamque continentia conspicuam facit, cùm in ista, quæ vobis extrema reliqua est, vitæ parte eam iactari animaduertat? Quis porrò non Samonæ integras animi & corporis vires summè admiretur, perpetuoque laborum sibi eum habere omnium socium desideret? Valeant iudiciaria subsellia, diuitiæ, honores: quanuìs enim hæc illecebris suis blandè ad se animos omnium alliciant, permagnumque ad benè beateque viuendum habere momentum videantur, nihilominùs tamen, quandò vos ista morum probitate, modestiaque viri ità faciendum censetis, placeat mihi quoquè omnia ex fortunæ temeritate pendére, qua commutata, ea quoquè commutari necesse sit. Videte, qualẽ me aduersùs vos geram: donate hoc mihi, vt meliora de vobis possim sperare. Tu, Guria, adhibita tibi in cõsilium ea, qua pollere solitus es, prudentia, summaque eademque spectata omnibus ista animi tui magnitudine, grauitateque: Tu verò, Samona, solido à te isto ac viuido corporis robore tuo ad Regis culturam translato, (id quod etiam futurum, hesterna die diuinæ mihi Sibyllæ confirmârunt) nolite, quæso, ità crudeliter duriterque vestris, quibus vos natura largiter auxit, bonis abuti. Nam à me quidem misericordiam aduersùm vos aufertis: vos verò in turpissimam necem compingitis, ac maleficos homines imitamini, qui miserè volentes ipsi sibi mortem consciscunt. Atque huiusmodi quidem astuti iudicis & ratio, & oratio fuit. *Cap. 12.*

Quid

Cap.13. Quid verò viri fortissimi, imperterritique: Easdem ij nimirùm ad eum capiendum artes adhibuêre, quibus fretus ille, eos se dolo capturum sperabat. Nam quid est, inquiunt, quod tantoperè à sententia nostra nos valeat dimouere? Nunquid vehemens fortasse instabilis vitæ huius cupiditas? Sed quidnam est, quæso, ex omnibus, quæ in ea habentur iucunda, quo animus noster queat permoueri? An non animaduertis nos optimos vos testes habere, cuiusmodi hoc sit, quo sum circumamictus, corpusculum, quàm paucissimis ad se in vita tuendum contentum, & expedito Christi militi perquàm simile, qui ad omnia tribuni iussa exequenda sit quamparatissimus, quique velut super tenuissima rate, vitæ huius pelagus transmittat, nè qua re grauante impedita illa, necessariò cursum tardiùs conficiat? Vndè igitur à sententia me mea poteris reuocare? quibus've capere blandimentis, vt me res vitæ huius permoueant, qui maximæ illius iam parti mortuus sum? quippè qui voluptatibus contemnendis ipse in voluntariam me mortem tradiderim, atque hoc ipsum, quod nunc viuo, eò viuam, quòd eius iniussu, qui me in vitam induxit, nolim exire de vita. Siquidem cum iubemur expectare, dum vinculum soluat, à quo nimirùm in eam fuimus illigati. Et quid, obsecro, nónne hoc summæ esset dementiæ, quibus iuuenis nuncium remisissem, his denuò cupiditatem velle iritare, atque ea, quæ iampridèm omnibus, qui ea vellent, libens dimisissem, gratiæ loco nunc cupidiùs appetere? præsertim cùm illud esset incertum, an diù simulàc ea essem adeptus, eis mihi securè per ocium frui liceret. Sed vt adempta prorsùs sit omnis de hac re dubitatio, haud dubiè is degeneri illiberalique se esse animo ostendat, qui rebus æternis caducas anteponat, stabilibusque ac permanẽtibus ea, quę citiùs diffluũt, quàm consistere potuerint. Et quòd quidem ad me attinet, hoc modo: Quo pacto verò etiam Samonam hunc (pro eo enim loquor, quòd is & animi sensuum, & præclaræ huius peregrinationis mihi socius est) à sano suo animi proposito poteris auocare?

Sapiéter inprimis illi martyres respõdent.

Sancti martyres mũdo mortui.

Degener & illiberalis animus.

Cap.14. Dices fortassè, non conuenire adolescentem ætate integra, & viribus corporis valentissimis, viuendi finem facere, & ante præstitutam sibi vitæ diem, de vita velle decedere. Fateor, viget ille quidem ætate, sed Deo viget, vndè & vigorem illum accepit: viget item viribus, sed hoc quoquè inter res maximè laudabiles est, quæ ætate sunt integra, & viribus firmis, ea illi offerre, cui vetus etiam lex gratam victimam offert, vitulum nouellum, & ætate florentem, cornibus nunc primulùm se foràs trudentibus, & vngulis decorum. Talis etiam Samonas tali etiam similiter immoletur, florenti etiamnùm ætate, & nitenti facie: non autem in senectutem iam vergente, nè fortassè rugis etiam insidiantium nobis annorum corruptus, victimæ vitiet integritatem. His auditis, astutus ille ac veterator, confestìm spem, quam conceperat, amisit. Quamobrèm abiecta persona, aperta impudentia in necem sanctorum præceps ruit. Mirabili igitur incensus iracundia, ijs celeriter ad se accersitis, quorum munus est istiusmodi carnificinas exercere, mandat, vt fune altera manu religatos martyres, diùtiù sublimes teneant: quibus, præterquàm quòd totius corporis pondere grauati diuellebantur, ad maioris etiam prætereà sensum doloris, intolerandum pedibus aptari pondus iubet.

Psal.68.

Iudex prodirse, crudeliter sæuiẽs in martyres

Cap.15. Nôrunt plerique, sed omnium maximè medicinæ artis periti, qui naturæ arcana ipsi subtiliùs indagârunt, quàm intolerabilis illius sit cruciatûs dolor in quouis animante, si extrema aliqua suî parte suspensum teneatur, atque in eam vnam vniuersum corporis totius pondus recumbat: quippè cùm ossium compages in eo sint, vt iamiam discludendæ sint, neruique ipsi sint præter modum distenti, & musculi distracti, & totus ipse corporis truncus suopte atque alieno etiam pondere diductus constringatur: deindè cùm naturalis humor vnà cum animali spiritu, quà quidem in exteriores partes coarctetur, quà verò propter meatuum constipationem egredi prohibeatur, grauior in animante excitatur doloris vis, inter cętera omnia hoc etiam ipso, quòd exitus in elisione præcluditur, eoque magìs, si distensio quę fit, ex diametro existit, qui quidem longior excogitatus sit, quàm sit quæuis rectarum partium media linea. Tali igitur tantoque satanæ ministrorum solertia comparato tormento, cùm in eo per dimidiatæ diei spatium, eoque ampliùs illi constanter perseuerâssent, vbì se nihil proficere impius iudex animaduertit, à supplicio tandèm relaxari, atque in obscurissimum carcerem trudi martyres iubet, ibique diuturna eos inedia macerari. Tum quæstio rursùs, & tormenta longè omnibus ijs, quæ præcesserant, grauiora, immanioraque.

Immanissimos cruciatus dimidiato die patiẽtissimè ferunt.

Cæte-

Cęterùm Guriam ille, vtpotè & senectute iam & inedia, & ijs, quos pauloantè pertulerat, cruciatibus penè cõfectum, statuit tormentis ampliùs non diuexare, nè, si id fieret, animam ille inter tormenta, priusquàm voluïsset ipse, & lentis cum pœnis affecisset, expiraret, atque hoc modo spe ipsum maxima deturbaret. Siquidem existimabat se illum omninò aliquandò tentatum, in potestatem suam redacturum, quippè aut blanditijs emollitum, aut tormentis fractum iri animos eius, aut deniquè fore, vt, cùm videret, quibus alij cruciatibus afficerentur, alieno periculo disceret, quemadmodùm eos ipse, mutanda sententia sua, declinaret. Verùm Samonam, quòd cum & iuuenem videret, & robustum, tormento denuò aggreditur atrociore longè, & suprà quàm dici cogitarique possit, maiore, quàm anteà. Nam ex altero pede capiteque eum sublimem statutum, pondere alterum ferri incredibili in diuersum distrahi iussit, quippè cui certum esset, illum prorsùs hoc modo quamprimùm velle discerpere. Ex quo quidem factum est, vt laxata coxendicis iunctura, claudus ille posteà non sine causa remanserit. Cap.16. Samonæ horrendum supplicium.

Sed cùm hęc quoquè viri fortissimi pro nihilo habuissent, omnemque ei penitùs spem pręcidissent, fore vt ab eo vnquàm vinci, superarique possent, denuò eos ille in custodiam compingit: vbi cùm aliquandiù permansissent, posteà nocte intempesta ijs caput amputari, vt hoc modo vitam relinquerent, iubet. Pròh quantæ sententia hæc lætitiæ martyribus fuit, non quidem ob eam causam, quòd viderent hoc modo allatum iri finem acerbitatibus, atque ærumnis suis omnibus, seque tanquàm ex iactatione & fluctuatione quadam perenni in portus tranquillos, pacatosque peruenturos: sed quòd iter illud inirent, vndè mox essent cum Christo futuri, quicum etiam certissimè se regnaturos sperabant, quemadmodùm illius etiam in aduersis ferendis vestigia fuerant imitati. Ac Guriæ quidem & Samonæ certamen victoriaque, talia ac tam insignia fuêre. Cap.17. Caput eis amputatur.

Quale verò etiam Abibus stadium cucurrerit, tempus est, vt nunc exponamus. Hic cùm inter ministros Christi mysteriorum vnus haberetur, & pari cum ijs rusticitate, qui ante ipsum consummati fuerant, ferretur, insimulari apud persecutores cœptus est, quòd multis, qui salui fierent, ea ministraret, quæ ad ipsorum salutem pertinerent. Quandò Diocletiano meritò ex fatali necessitate vita iam functo, is, qui aduersùm nos exercebatur, furor ad Licinium delapsus, veluti diris deuota quædam hæreditas, ab illo ad hunc miserabili Imperij specie impegisset. Cæterùm quoniam hominibus sensu carentibus tolerabile videri non poterat, si in eodem cum pietatis cultoribus grege numerarentur, ab ijs denuò persecutio excitatur: sed in vnum Abibum tota periculi moles incumbebat, cuius expugnatio perindè futura impijs erat, acsì cunctos pariter funditùs Christianos deleuissent. Cap.18. Licinius Ecclesiam persequitur.

Vbiquè vestigabatur Abibus per loca habitabilia, inhabitabiliaque, nec tamen vsquàm reperire illum poterant homines vafri. Itaque cùm perquirendo fessi, spem iam prædæ omnem abiecissent, ipse, quem insectabantur, vltrò se quęrentibus exhibet, atque ad Iudicem introducitur, à quo, quoniam difficile videbatur, eum dicto aliquo factóve ab certa sua de sana religione sententia dimoueri, per ignem ad eum, cuius desiderio æstuabat, ignitus amator dimittitur: atque ità ijs, qui eum antecesserant, martyribus datur, consorsque sepulcri eorum efficitur, quemadmodùm etiam laborum & gloriæ antè in mercatura socius fuerat. Quoniam etiam simili modo vicerunt principatus pestiferi dæmonis, superârunt potestates mundi huius, coniuncti sunt cum Angelis, transiêrunt ad certaminis arbitrum Christum, sudore adhuc sanguineque ob exhaustos in stadio labores certaminaque madentes, porrigit eis dexteram egregius munerarius, suosque athletas in æternis tabernaculis collocat. Cap.19. Abibus vltrò se offert quærẽtibus. Igne cõcrematur.

Sed quę sunt hęc? nempe vbì quod suũ est cuique præmium, pro merito tribuitur, & cuiusmodi hoc, scire fortasse desideras. Eiusmodi nimirũ, cui simile nullũ tam ante legem, quàm in lege quis possit ostendere. Quî hoc? nempe quòd his eorum nemo par fuit, quòd ex ijs quilibet longo ab his interuallo superaretur. Siquidẽ institutis viuendi veteris legis præstabiliora sunt ea, quæ sunt secundùm Christum: ex ijs autem, qui post Christũ fuêre, nulli videri possint secundi, quippè qui inter martyres, martyres sunt, inter monachos monachi, inter sacerdotali dignitate præditos sacerdotalis dignitatis participes. Nam & certârunt, & ante susceptũ certamen strenuè se in pietatis cultura gessêre, & sacri ordinis, propterea quòd Abibus diaconus esset, omnes fuêre Cap.20. Suũ cuique pro merito præmiũ in cælo tribuitur.

fuêre consortes. Siquidem in societate quæ eorum quisque habet, ea communicat alteri,& mutuis officijs singuli eius rei participes fiunt,in qua alter excellit. Quinimmò (sed fortassè alicui nimius videbor) si cum ijs,quæ secundùm Christum sunt,conferantur,animaduertere facilè poterimus,quibusdam in rebus eos superiores existere: martyribus quidem,vita ante martyrium monachali: monachis verò, martyrio: martyribus rursùm,qui in militaribus aut ciuilibus se muneribus occuparent,eo,qui ex sacerdotali dignitate splendor effulget. Talis beatis viris cursus fuit,tantus labor: huiusmodi in terris periculum, huiusmodi præmia celeberrimorum horum laborum.

Cap.21. Inter quæ illud quoquè nullo modo silentio prætereundum, de puella, quod propter rei admirabilitatē omnem propemodùm fidem exuperat. Viuens nanque hæc, cùm ab sceleratis hominibus in sepulcrū recēns cadaueribus plenum,esset deiecta,in regione barbara,atque à patria ipsius longè remotissima: vbì sanctorum martyrum fidem precibus implorauit,quorum etiam ope freta,longam adeò peregrinationem susceperat,certissimè quod expectârat,consecuta est. Vesperè enim cùm in summa posita esset desperatione & fletu,benè manè patriæ, matri, tumulo sanctorum cum lætitia restituta est,mirabiliter educta de sepulcro,vtpotè quæ à circunsedentibus illud custodibus videri nequiuerit,admiranda quadam celeritate ab ijs indè absportata. Siquidem albis illi vecti equis, (ô miram sanctorum in ferenda ope promptitudinem atque celeritatem) cùm puellam appellâssent, atque in equos sustulissent, eam intra delubrum suum intulêre,vndè etiam scelestum pauloantè virum affectabantur,vadibus ijs ab eo acceptis: qui dati, sanctissimè religiosissimeque datam fidem seruârunt,& huic salutem,& illi qui fidem violauerat, meritum paulopòst exitium attulerunt. O seruatores celeres, expeditique: O fidem vestram implorantium adiutores strenui,inuictique: O ad ea,quæ spopondistis, persoluenda sine mora promptissimi,& in tribuendo quod cuique cōuenit,minimè lenti.

Miraculum sanè illustre & memorabile.

Aduertis quantā sancti potestatem habeāt post mortē?

Cap.22. Prorsùs iam, ô sacer conuentus, ac Deo dicata concio, mihi quidem persoluta sunt,quæ vobis eram pollicitus,& orationis cœna parata est,& quæ ad repræsentanda martyrum certamina pertinebant, veluti in albo aurium vestrarum pro viribus delineata à nobis sunt. Vos verò quid? qui ad diem festum conuenistis, qui conuiuæ estis,qui auditores,qui oues ratione præditæ: quid,inquam,confessoribus hisce martyribus,quid itèm contrà nobis reponetis? Nimirùm illos quidem hymnis,laudibusque prosequemini,& quæ bona sunt,summa ope magìs ac magìs in dies sectari studebitis. Siquidem gratum martyribus est, si hoc modo festi eorum dies celebrentur. Hoc modo strenuos Christi pugiles honorare laudabile est,tali studio, talibus fructibus: nobis verò obedientiam præstabitis,mansuetudinem,pacem atque concordiam,& prætereà etiam sanctitatem: quam aliundè nusquàm adipisci quis queat,quàm membris,quæ sunt super terram, mortificandis. Quo quidem nomine arbitror ego vitam eam appellari,quæ turbulentis animi motibus obnoxia est. Illi verò sanctificare vos dedicareque summo studio debetis,qui ijs,qui cor à materialibus sordibus expurgârunt,præmium illud largitur, vt se clarè peruideant, & cælesti illa gloria indidèm impleantur,vt Moyses.

Cernis quomodò celebrandæ sint sanctorum festiuitates?

Sic quidem ego pater vester,vos verò filij, charissimum & amabilissimum nomen inueniemus fortassè,cùm ad hæreditatem illam æternam translati erimus, vt viuere vnà possimus,simulque lætari: quandò videlicet etiam corona gloriationis de vobis honestatus,ad communem Dominum exclamabo, Eccè ego, & pueri, quos dedisti mihi,Domine: Ipsi gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

VITA S. EVGENII Archiepiscopi Toletani, cuius festum in 15. Nouembris diem incidit,breuiter describitur cap.7. vitæ S. Gerardi Abbatis Broniensis: Eius verò translatio ibidèm cap. 11. 12. 13. & 14. quære eam tomo quinto, 3. Octobris.

VITA

VITA S. MACLOVII EPISCOPI ET CONFESSORIS, AVTHORE SIGEBERTO MONACHO GEMblacensi: *Claruit is Sigebertus Anno* 1100.

EPISTOLA AVTHORIS AD TIETMARVM ABBAtem Gemblacensem.

VITA pijssimi confessoris Christi Maclouij, qui etiam Machutes dictus est, diligenter, quantùm ad veritatem historiæ, antiquorum stylo erat exarata: sed quia minùs ordinatè digesta, minùs compositè descripta, ad hæc barbarismis & solœcismis nimìs erat confusa, longo obliuionis & negligentię situ adeò latebat obducta, vt quasì nullius auribus digna, iam ab hominum recesserit memoria. Sed considerato, quia non omninò perdit æstimationem precij preciosum metallum, quanuìs iaceat rudere terræ infossum, vel scabredine rubiginis decoloratum: placuit, venerabilis pater Tietmare, tuæ paternitati, vt iuberes meæ pusillitati, vt inspecto historiæ textu, & pro posse eraso vitiorum contractu, meliorarem illam quantulocunque sermonis cultu. Ego qui iussioni contrauenire non debui, opus iniunctum executus sum, non quidem vt voluï, sed quomodò pro ingenij tenuitate valui. More enim rusticani fabri opus iniunctum aggressus sum: qui follibus sufflando, & malleis tundendo, elicit scoriam de rudi massa preciosi metalli, vt paratior reddatur operosi artificis manui, ostendendo alijs splendorem materiei: vt si quis velit exercere vim sui artificij, inueniat materiam paratam suo vsui. Ergò quod facile factu videtur, faciam: nimirùm vt superflua demam, vitiosa corrigam, confusa ordini reddam, à veritate tamen historię nullo modo recedam: vt nihil noui fecisse videar, cùm vetus tantùm limando & fricando renouâsse videar. In hac vita expolienda quid præstiterit Author.

EIVSDEM PROLOGVS IN VITAM S. MACLOVII.

PRæconia sanctorum, quæ valdè sunt in oculis Domini preciosa, nullatenùs sunt reticenda, verùm omni memoriæ tradenda. Nihilominùs credendum est, omnipotentis Dei virtute facta esse sanctorum miracula pro felici eorum vita, priùs cordibus eorum cælesti munificentia indita. Ergò primùm indaganda est amicorum Christi vita, vt, dum eam studemus imitari, proficiat nobis virtutes eorum mirari. Siquidem nihil nos iuuat stupere miracula, sine felicis vitæ imitatione proficua. Iamnunc beati viri vita ad medium deducatur, vt, dum eius merita recolendo ad eius imitationem animamur, intercessionis gratiam in opportunitatibus habere mereamur. Imitandi sunt sancti.

VITA.

CAP. I.



SANCTVS igitur Maclouius nobilitate parentũ apud homines seculi inter suos non mediocriter inclytus, citra oram Britannici maris fuit editus. Pater eius Guent nomine, Comes fuit, qui vrbis Gimicastrũ vocatæ, conditor extitit. Matrem ipsius Darual appellatam accepimus. Et quia in omni rerum euentu nunquàm abest Dei dispensatio, patuit etiam in huius sancti viri natiuitatis exordio. Natus est enim in die sancto, quo omnis mundus Paschalis solennitatis celebrabat gaudia: vt in die, quam fecit Dominus, vt exultemus & lætemur in ea, etiam hoc gaudij mortalibus adderet diuinæ pietatis gratia. In huius quippe articulo diei nati sunt in ipsa vicinia etiam alij trigintatres pueri. Quod quia creditum est dispensatiua Dei ordinatione factum, placuit parentibus omniũ, vt qui nascendo sortiti fuerant vnius contemporalitatis exordiũ, vnũ in Christo tenerent viuendi cõtubernium. Nam omnes simul cum S. Maclouio scholaribus studijs eruditi, omnes simul diuinę seruituti sunt mancipati.

Nouẽbr.15. Parentes S. Maclouij. Psal.117. Nota de 33. pueris.

CAP. II.

Prou.20. Bonæ itaque indolis puero electo à Deo ad beatitudinis opera exequenda, iamtunc diuinitùs inspirabatur, quod ait sancta scriptura: Ex studijs suis cognoscitur puer, si munda sint opera eius. & : Beatus qui portauerit iugum ab adolescentia sua. Ab ipsis enim infantiæ annis occupationi secularis vanitatis abrenunciauit, & libertati diuinæ seruitutis se sociauit. Qui, vt pleniùs haberet scientiam doctrinæ & cognitionem Dei, arctiùs se addixit sanctarum scripturarum eruditioni: in cuius rei intentione ociositas, quæ inimica est animæ, reprimitur: in cuius meditatione Deus agnoscitur, in cuius executione vita æterna acquiritur. Appetebat scientiam, quæ per charitatis humilitatem ædificat: refugiebat illam, quæ per vanitatis elationem inflat. Incipiens etiam corpus suum castigare, & illud in seruitutem spiritûs redigere, assuescebat simplici victu & vestitu contentus esse, vilipendens corporis frigora, indignum ducens distendi ciborum copia, nè aliquo modo dominaretur animæ suæ per indulgentiam corporalis necessitatis carnis petulantia. Ideò exceptis his, quæ expetebat simplex necessitas naturæ, reliqua omnia expendebat in opera eleemosynæ.

Thren.3. Scriptura diuina quid conferat. 1.Cor.8. Castigat corpus suũ.

CAP. III.

Iere.1. Luc.1. Deus ergò, qui seruos & prophetas suos aliquandò etiam in ipso matris vtero nouit sanctificare, non distulit seruum suum in primæua ætatula sua virtutibus & signis mirificare, qui iam in ipsa infantilis ætatis simplicitate non destitit per bonam intentionem seipsum ad seruiendum Deo præparare. Dum quodam die cum coæuis sibi pueris ludendi gratia processisset ad litus maris, alijs in ocioso ludendi negocio intentis, hic humì reclinato capite, somno cœpit indulgere. Cùm subitò inundando redeuntis maris æstu adueniente, quod secundùm Lunæ cursum in mari Britanniæ fieri est solenne, reliqui pueri fuga consulunt vitæ suæ, illum dormientem in tanto periculo non occurentes excitare. Sed puero ad salutem multorum nato, non longè * abfuit Dei protectio, procurata magno rerum miraculo. Nam cùm vndiquè aquæ circunfluerent, & vndæ vndis superuenientes cum feruore tumendo circunstreperent, & tamen circunducto vndiquè circulo, locum in quo puer iacebat, attingere non auderent, omnipotentia Dei fecit illic insulam excrescere, quæ vsque ad summum æquoris porrecta suî altitudine, futurum Christi antistitem eruit à mortis discrimine. Tam verò inopinato in oculis omnium apparente miraculo, opera parentum suorum citiùs procurato nauigio, eductus est placitus Deo puer de maris periculo. Nè autem vnquàm à memoria excideret huius facti nouitas, & vt per hoc magìs claresceret beati viri sanctitas, eandem insulam vsque in hodiernum diem permanere fecit diuinitas, &, vt credimus, vsque in finem hanc pro testimonio habebit posteritas.

* absistit

Insigne miraculum.

CAP. IIII.

Post sanctus Maclouius de adulta infantia transiens in pueritiam, quanto ampliorem diuinę inspirationis cum cremento ætatis hauriebat gratiã, tanto auidiùs atque instantiùs cor suum pręparabat ad appetendã Angelicę vitæ sanctimoniam. Sciensque ex ore Domini, beatitudinẽ videndi Deum promissam esse mundis corde, ab ipsis pueritię rudimẽtis se deuouit operibus munditię. Volẽs enim placere Deo corpore & spiritu, elegit omnem ętatem suam agere in virginitatis cœlibatu. Sicut enim testa recens, quo semèl est imbuta, diù seruat odorem: ità & ei vtile visum est, rude vas corporis sui aptare quamprimùm ad sanctificationẽ & honorem, nè corrumperetur per carnalis desiderij passionem. Quod vt liberiùs & perfectiùs posset exequi, per parentum deuotionem & propriam voluntatem assumpsit habitum ordinis monastici. Vbi positus sub regulatis disciplinæ custodia, quàm strenuũ & promptũ se exhibuerit prę cęteris in obedientia, saltem ex hoc probari poterit, quòd inuidia coęqualiũ suorum carere non potuit: quæ semper ex aliorum profectu & gloria nascens, in seipsa contabescit. Patiebatur enim inter coæuos suos, quod Ioseph olìm passus est inter fratres suos. Ioseph polymita tunica à patre donatus, & ab eo plùs cunctis fratribus amatus, quia fratrum vitia carpebat, inuidiam sibi conflauerat. Hic etiam, quia talarem perfectionis tunicam, & virtutum colore variatam à Deo meruit, æqualium suorum inuidiam effugere non potuit. Mos est ordinis illius, pueros ferre hebdomadatìm lucernam cum luce ante pædagogum suum, quandò nocturno tempore intrant vel exeũt oratorium. Adueniente ergò hebdomada felicis pueri, compares eius extin-

Matt.5.

Amplectitur vitã monasticam.

Gen.37.

Inuidia quorũdam erga illum.

extinxerunt ignem, quo debebat lucerna accendi: optantes, vt saltem pro hac offensa sufferret verbera magistri. Quid ageret simplicitas pueri? Ad officinam, vbi ex annonis aqua infusis atque decoctis conficiebatur cereuisia, cucurrit, & ignem sibi dari à ministro petijt. Sed nec in crudo rustici pectore diabolicæ inuidiæ malitia defuit. Aspernatus enim supplicis pueri humilitatem, negauit porrigere ignis fomitem. Ille angustiatus præ timore magistri, prunas à camino ardentes imposuit vesti, & ad lucernam accendendam recurrebat gressu celeri. Sed inueniens eam iam accensam diuinitùs, prunas excussit vestibus, quæ tamen illæsæ omnibus apparuerunt. Pædagogus geminato miraculo stupefactus, alumni se prouoluit genibus. Et deincèps debitæ venerationi habitus, cùm omnes anteiret gloria, tamen charus erat omnibus. *Vide miraculum.*

CAP. V.

VIr sanctus, quia Christi sacerdos erat futurus, & caput & caudam hostiæ in sacrificium Dei offerri debere sciebat, de die in diem de virtute in virtutem proficiebat, & per scalam bonorum operum gradatìm ad summum perfectionis scandere laborabat. Quicquid enim in tenera ætate Deo fideliter vouit, id opportuno tempore synceriter soluit. Ante omnia castitatis puritati operam dedit, sciens quia nisì syncerum vas fuerit, quodcunque infunditur, acescit. Habens ergò præcinctos lumbos hac virtute castitatis, etiam lucernam ardentem tenebat in manibus suis, cùm per bona opera lucis exempla monstrabat proximis. Ità fideliter & prudenter geminans à Deo sibi credita talenta intellectûs & operationis, quoscũque potuit verbo & exemplo allicere ad propositum sanctæ conuersationis, participes & socios sibi conciuit ad scandẽdum iter perfectionis. Iam verò quàm ei frugalitas amica fuerit, quàm ei parsimonia placuerit, quomodò vtrinquè reducto fune temperantiæ, semper mediam virtutum viam in omnibus tenuerit, satìs ex hoc patuit, quia ad summum sanctimoniæ culmen feliciter peruénit. Cuius vitæ rectitudine omnis populus ad meliorationem morum non parùm directus, & miraculorum eius gloria nimìs iucundatus, promoueri eum fecit ad ordinem Episcopatûs, vt vberiùs sanctificari eius benedictionibus mererentur. *Castitati plurimùm studet. Luc. 12. Mediam in omnibus tenet viam.*

CAP. VI.

FAma, quæ facta & infecta solet loqui, referebat esse quandam insulam in mari, quæ præter cætera felicitatis suæ commoda, quibus præ cæteris terris & insulis credebatur abundare, hoc miraculo dignum dicebatur habere insigne, quòd cæli ciues in ea ferebantur habitare. Super hoc si rei consideretur veritas, ex eo illis insulanis hæc viuendi imputabatur felicitas, quia apud eos in nullo exorbitabat moralis rectitudinis probitas, immò in omnibus potenter regnabat naturalis legis sanctitas. Delectatus ergò vir beatus tam fauorabili nuncio, totus ad requirendam tam laudabilem insulam animo ferebatur. Quia enim eius cõuersatio iam in cælis erat, & eum inter mundi scandala commorantem, iniustitiæ humanæ multiplicitas offendebat, saltem illic vitam desiderabat agere, vbì iustitiæ vestigia remansisse audiebat. Ad hoc eum etiam magistri sui & Abbatis Brendani exemplum animabat, cuius tota intentio ad felicem insulam quærendam non minùs flagrabat: quippè qui huius nouæ peregrinationis incentor existebat & author, vt scriptura vitæ eius demonstrat. Quam si quis desiderat legere, quid de ea æstimare debeat, sapientium ediscat iudicio. Posthabentes igitur dulcem patriæ amorem, assumunt incertum optatæ peregrinationis laborem. Hanc viam insistere, vtrùm persuaserit sola quærendæ felicis habitationis voluntas, an aliqua ex parte subrepserit animis eorum humanę curiositatis voluptas, non habet discutere nostra temeritas. Hanc tamen viam Deo non displicuisse, per hoc satìs intelligimus, quia etiam hoc peregrinationis tempore hunc seruum suum non destitit miris decorare miraculis. *Fama de quadam insula. Brendanus Abbas eius.*

CAP. VII.

PAschalis solennitatis mundus agebat lætitiam, quandò solet sancta Ecclesia celebriùs recolere nostræ redemptionis memoriam, quæ his diebus completa est per passionem & resurrectionem Dominicam. Cùm cæteri indè se agerent festiuiùs, S. Maclouius se agebat deuotiùs, vacans psalmis, hymnis & orationibus, vtpotè qui debebat Deum interpellare non solùm pro suis, sed etiam pro populi excessibus. Volens ergò celebrare solennia Missarum, cùm non haberet locum ad id idoneum, (quippè qui circunferens visum, quantùm permittebat horizon, nihil videbat, nisì *Paschalis solennitas.*

superiùs cælum,& inferiùs liquorem aquarum) toto corde conuersus ad Deum, orabat obnixiùs ab eo offerri sibi locum aptum. Exaudibilis auris Dei omnipotentis, affuit præstò orationi vtilia petentis: & qui olìm periclitanti Ionæ cetum ad saluationem eius præparauit, hic etiam modò balænam præstò adesse fecit. Cui tanta corporis vastitas erat,vt rupes esse ab hominibus putaretur: porrò eam tanta substrauerat immobilitas, vt insula stabilis esse crederetur. Sacramentorum ergò ordine à sacerdote solenniter celebrato,& viatico Dominicæ Eucharistiæ omnibus deuotè distributo, quo vnico inter omnes vtriusque hominis aduersitates munirentur subsidio, soluto alacriter nauis retinaculo,reddunt se suscepto nauigandi proposito. Porrò in comitatu illo erant homines numero fermè centū octoginta. Cùm ergò iam altum tenerent,velificante fide securi, tunc demùm reducto visu, intellexêre de quanto periculo eos eruerit misericors potentia Domini,qui balænam pro insula parauerat eis in medio mari,& eam substrauerat immobilitate tam stabili, vt nihil eis periculi incuteret. Cui tum posset esse dubium, quòd ineuitabile omnes incurrissent mortis periculum,si bellua immanissima dedisset corporis sui motum? Vndè omnes lætum cantantes celeuma,voces gratiarum actionis vnanimiter iactabant ad sidera.

Ionæ 2.

Ingens in[illegible] peri[illegible] cum [illegible] sese cua [illegible]

CAP. VIII.

MAgnis maiora miracula succedunt, & nouitate suî, deuotionem fidelium ad laudāda Dei magnalia vehementiùs accendunt. Cùm tantoperè pro quærenda illa laudabilis famæ insula laborarent,factum est, vt ad aliam insulam, disponente Deo,applicarent: & potiti optata arena,dum pro releuando tædio nauigationis perlustrarent singula, offendunt tumulum sepulti hominis, quem fuisse gigantęæ molis & proceritatis, prodebat inspecta qualitas corporeæ magnitudinis. Motus ergò vir pius miseratione humanæ compassionis, & insupèr animatus vigore supernæ inspirationis, cum fidei magnanimitate & lachrymosa contritione cordis, nomen & virtutem inuocat sanctę Trinitatis,& aperto loculo tumuli,suscitauit eum à mortuis. Qui postquàm est redditus pleno vitæ officio, compellat eum sacerdos pio alloquio, sciscitans eum quis esset,vndè illuc venisset,vbì modò fuisset,si aliquandò Christo credidisset. Respondit ille,se à parentibus suis occisum, ibì tumuli accepisse locum. Porrò se infernalibus claustris deputatum, dirum & interminabilem tulisse cruciatum. Et addidit homo Dei: Vobis ergò,quos incredulitas deputauit pœnalis inferni ergastulo,est aliqua fide confessio,est aliqua sanctæ & indiuiduæ Trinitatis cognitio? Et ille: Planè,inquit,nobis sanctæ Trinitatis cognitio est, sed modò eam nôsse aut confiteri, nihil nobis prodest: immò quia in vita eam nôsse noluimus, mortaliter obest. Ideò precor,vt saltem modò merear renasci baptismo salutari: vt qui hactenùs damnatus fui morte æternali, iam nunc possim erui ab interitu infernali. Sanctus Dei, his auditis, ingreditur viam Apostolicæ prædicationis,& eum initiatum & catechizatum catholicæ fidei rudimentis,consecrauit & regenerauit baptismi sacramētis, & muniuit viatico Dominici corporis & sanguinis. Superuixit aūt quindecim diebus,& à morte animæ erutus,morti corporali est redditus,& in eodem tumulo repositus,in generali omnium regeneratione resurrecturus cum Christo feliciùs. Hæc sunt, bone Iesu, mirifica tuæ diuinitatis opera: hæc sunt magnifica tuæ promissionis munera, quibus fideliter in te credentes consolatur tua clementia. Qui credit,inquis,in me, opera quæ ego facio,& ipse faciet,& maiora horū faciet. Quæ quidem posse fieri per hominem, vix apud homines obtineret fidem,nisì promissum fuisset per Dominicū hominem, hæc facienda esse per fidelem hominem.

Excitat S. Mac[illegible] defunctum.

S. Maclouius rediuiuum catechizat & baptizat.

Ioan.14.

Dominicū hoīem,Christum dicit, quod Augustinus se dixisse dolet. Vide Retra. Lib.1. cap.19.

CAP. IX.

EXhausto incassùm nauigationis labore diutino, postquàm nulla spes desideratam insulam inueniēdi adspirabat pio eorum desiderio,retractato inuicèm consilio, deliberauerunt finem facere tam longo postliminio. Iam enim septennium in hac peregrinatione expleuerant, & septem Paschalis celebritatis recursus solennizauerant, & per certum laborem nihil adhuc certi in animo habebant. Reuersus ergò vir sanctus ad auitam patriam, reddidit parentibus suis desideratam diutissimè suî præsentiam: & quia in terris nequiuit inuenire optatæ felicitatis insulam, iugem noctù diuque dabat operam, vt in cęlis perpetuæ beatitudinis mereretur habere patriam. Deus, qui hominem gratia sua præuenit, vt bonum velit: & subsequitur, vt implere possit, eum voti sui compotē fecit. Cùm enim in hoc totus esset, vt iam iamque perfectionis iter arriperet, cùm de more interesset Ecclesiastici officij mysterio,

audiuit Euangelium pronunciari à Diacono: Si quis venit ad me,& non odit patrem & matrem,& vxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: &, Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et rapiens vocem ex ore Diaconi, credēs hoc consilium sibi in tempore mandatum esse ex ore ipsius Domini, ex ipsa lectionis opportunitate patrem suū conuénit, legationem Dominici mandati per Diaconum sibi missam ei obiecit,& licentiam abrenunciandi sibi suisq; omnibus,ab eo humiliter petijt, seque trans mare peregrinationē pro Christo velle suscipere prędixit. Pater diligens filium nimìs carnali affectione,quē gaudebat redijsse de tam longinqua peregrinatione,voluit bonæ eius voluntati contraire. Et pręcurrens ad maris litus,amotis vsquequaquè nauibus,interdixit potenter nautis omnibus, nè quis eorū filio suo facultatem transfretandi pręstaret aliquatenùs. Sed vir Apostolicæ vitæ, sciens Dominum præcepisse, Si dextera manus,vel pes,vel oculus scandalizat te, ērue eum, & proijce abs te: mâluit solus ad vitā ingredi, quàm cum parentibus suis perniciosè dilectis,in gehennam mitti. Omnem ergo carnalis necessitudinis affectionem postponens Christi amori, abrenunciauit patri, abrenunciauit paternæ facultati, abrenunciauit etiam sibi, vt nudus & expeditus sequeretur discipulus vestigia magistri.

Luc.14. Ibidem. Matt.18. Relictis omnibus, Christum sequitur.

CAP. X.

ASscitis itaque omnibus,qui secum tenebant propositum monastici ordinis, allegato quoquè magistro suo Brendano Abbate, socio prioris peregrinationis, venit ad litus maris. Vbi amotis nauibus & nautis omnibus,iuxta interdictum patris sui,cùm nulla suppeteret via transfretandi,recolebat illud Psalmistę: Bonum est confidere in Domino,quàm confidere in homine. Cumque cor ad Deum solum suspenderet,eccè nauim vacuam hominibus præstò adesse videt, quam Christus ipse regebat: vir tamen sanctus puerum eum esse credebat. Qui puer mox illum ad nauigandum inuitauit,& quorsùm iter vellet dirigere,eum interrogauit. Respondit ille, quò voluntas Domini iter suum vellet dirigere,eò se libenter sequi velle. Adiecit puer: In sinu huius sali est quædam insula,quam habitat vir satis probatus in monastica vita. Hic Aaron vocatur: à quo etiam locus, Insula Aaronis cognominatur. Ad hunc te dirigam,& te ab eo officiosissimè excipi,& humanè tractari faciam. Hac vice sermonum intellexit tandèm vir Dei,puerum cui colloquebatur, illum esse, quem inuocauerat,Deum. Cumque accelerarct prouolui loquentis genibus,dicto citiùs euanuit ex oculis ipsius.

Psal.117. Insula Aaronis.

CAP. XI.

IGitur felicioris nauigationis viam aggressus,prosperis ventis & recto tenore cursûs ad insulam Aaronis est directus,& iuxta promissum Domini, officiosa humanitate à famulo Dei est exceptus. Ibì cum sancto sanctè viuebat,& cum innocente innocenter agebat,& factus alter alterius speculum,si quid in semetipsis videbant esse corrigendum,aut adijciendum,charitatiua æmulatione meliorabat alter per alterum. Ibì ergò mundi huius peregrinus permansit aliquantulum temporis,donèc placuit diuinæ omnipotentiæ,etiam in hoc seculo ei reddere mercedem laboris, in futuro seruans ei plenitudinem remunerationis.

Vitam agit eremiticā.

CAP. XII.

IAm fama nomen eius celebre fecerat vbiquè, iam omni populo erat in ore, quòd peregrinus ille miraculorū polleret potestate,& supra homines doctrinæ afflueret vbertate. Iam omnis populus in eius declinauerat amorem, eô quòd videret in eo esse & pij patris affectionē,& facundi doctoris authoritatem. Quocircà cooperante sibi diuina gratia,fecerunt eum inthronizari in Episcopali cathedra, in vrbe, quæ vocatur Aletha,quæ non longè aberat ab Aaronis insula. Hanc vrbem fluuius,nomine Rinctus,ex vno látere, ex altero alluebat mare. Illis in partibus adhuc dæmonum squalebat spurcitia,& iam passìm Euangelij regnante gratia, ibì restiterant idololatriæ vestigia. Accinctus itaque vir Dei gladio verbi Dei,ostendit quàm fidelis esset suo regi,pro eius amore aggressus debellare regnum diaboli: nec antè destitit, quàm infidelium corda,virtutum mirificentia,& doctrinæ affluentia ad credendum inflexit,& à regno diaboli abactos, Christi iugo subiecit. In hac vicinia sanctus Samson manebat,qui beati Maclouij consanguineus erat. Hic in territorio vrbis, in qua Episcopatum administrabat,non mediocriter laborem impendebat,vt de regno Domini sui exturbaret paganismum,& ad laudem Dei ampliaret Christianismum. Sic in

Creatur Episcopus. Multos ad Christum conuertit.

regione illa per fortes milites Christi, diminuta est aduersæ partis potentia, & dilatata est longè lateque Christianitatis magnificentia.

CAP. XIII.

Vigiliam Paschæ Christianus populus celebrabat, & in celebrandis Missæ mysterijs sacerdos intentus erat. Et eccè tristes defuncti exhibentur exequiæ, & animos audientium ad compatiendum mouent plangentium lachrymæ. Plùs cunctis mouetur & ipse sacerdos, qui totus erat in misericordia, & prestolari iubet, dum finiatur Missa. Circunstante frequentia populi, monet omnes appellare clementiam Domini: vt, qui dominatur morti & vitæ, dignaretur per membra rigentia vitalem animæ calorem refundere. Nec longum fuit, & qui dixit, Omnia possibilia sunt credenti, deuotioni fidelium adfuit: resurgit mortuus, & horrorem incutit omnibus, & palàm fecit omninò Deum fauere fideliter petentibus. Vt viuus adstitit, poculum vini sibi porrigi petijt. Quid sanctus vir faceret? Vinum quod sitienti porrigeret, non habebat: aquæ poculum, quod porrigebat, tangere sitiens nolebat. Iterùm confortatus in fide, recurrit ad fontem misericordiæ, petens, vt qui orationi fidelium impenderat maius, dignaretur impendere & id, quod erat minus. Mox habens ad manum vas marmoreum, leuata manu illud benedicens, vertit in vas vitreum: & infundens vasi aquam, per virtutem sanctæ benedictionis mutauit & illam in vini naturam. Sicque in vase vitreo porrigens homini rediuiuo noui vini poculum, non minimum diuinæ pietatis ostendit omnibus miraculum. O verè pium & magnificum cultorem sanctæ Trinitatis, quem secundùm fidem cordis sui in vna die diuina virtus tribus illustrauit miraculis, dum in nomine & virtute sanctæ Trinitatis suscitauit mortuum, & ex marmore vitrum, & ex aqua fecit vinum. Itaque quem alienis manibus carruca ad sepeliendum illuc aduexit, ipse eam lætus domum reduxit, & quoàd vixit, idoneus suæ resurrectionis testis extitit.

Mar. 9.

Mortuus reuiuiscit.

Aqua mutatur in vinū.

CAP. XIIII.

Vir sæpè nominatus, in quo fides per bona viuebat opera, in paruis quidem rebus non parua dedit miracula, vt per eum in omnibus Christi cresceret gloria. Dum aliquandò Britannicā circuiret regionem, vt in agro Dominicæ culturę semen diuini verbi sereret, offendit subulcum in agro, quem torquebat magna tristitiæ amaritudo. Custodiens enim gregem porcorum, suem auidè & importunè vastantem segetes, dum nititur arcere à damno vicinorum, occiderat eam per incautum lapidis ictum. Pro hac offensa dominum suum timebat, cuius iram ob hoc maximè exasperari credebat, quòd septem nati oberrantes, solitò circa vbera defunctæ matris lac elicere volebant, sed nullam vitæ alimoniam in præmortuo corpore inuenire poterant. Maclouius, quem sibi totum vendicauerat pietas, non potuit sine lachrymis videre subulci lachrymas: & fusa oratione ad Deum, auri defunctæ suis imposuit baculum suum: & resuscitata ea ad solum tactum, mœrenti reddidit gaudium. Subulcus rem ad dominum retulit, & præconia serui Dei per ora omnium diffudit. Dominus affcenso equo, ore ad os gratias egit sancto viro, & villam vnam contulit ecclesiæ, ad vsus seruorum Dei sub eo.

Restituit suem exanimatam.

CAP. XV.

Gessit & aliud quiddam simile, vel pro solo pietatis intuitu satìs prædicabile. Imitatus Paulum Apostolum, cui manus suæ operando supplebant, si quid sibi deerat: & ipse labori manuum suarum intendebat, quandò ab euangelizandi officio vacabat. Cùm quadam die in putanda vinea laboraret cum fratribus, depositam cappam reposuit in abdito, vt operari posset expeditiùs. Finito opere, cùm cappam vellet recipere, auiculam, quam vulgò bitrionem vocant, inuenit super eam ouum posuisse. Qui sciens nec auiculis deesse Dei prouidentiam, (quippè quarum nulla sine patre Deo cadit super terram) dimisit ibidèm cappam, donèc sotis ouis, pullos in tempore excluderet auicula. In qua re & illud mirabile fuit, quòd quanto tempore illic cappa iacuit, nulla pluuia illam violauit. Quod quicunque audiêrunt, in Deo virtutem cum gratiarum actione magnificauerunt, in homine Dei pietatem laudauerunt.

Act. 20.

Matt. 10.

Cappa eius sub dio à pluuiā non violatur.

CAP. XVI.

In pago vrbis Alethæ, in qua antistabat Maclouius venerabilis, filiam habebat vir quidam prænobilis, quam miserabiliter vexabat diabolicæ infestationis passio intolerabilis. Omnes enim se contingentes attrectabat morsibus, nec ipsis parcebat parentibus.

Antistabat, pro, antistitē gerebat.

rentibus. Nec comprimi aut sedari poterat huius malæ valetudinis vehementia, nisi ferreis catenis arctaretur tam immanis insania. Pater, cuius animo, filia ægrotante, nihil poterat esse iucundum, ad medendum filiæ suæ, felicem inuitat Maclouium, quem olim audierat in curationū efficacia esse gloriosum. Nec differt ille misericordiam, sed credens quia facile est Deo, præstare fideliter petenti medelam, pergit ad puellam: & volens diabolicæ malitiæ comprimere dolum, sudarium suum proiecit in furentis puellæ collum. Tunc verò potuisses audire horribiles voces dæmonum, seruo Dei in hæc verba exprobrantium: O transmarine incola, non potuit te sustinere patria tua, qui venisti huc quærere aliena, & nos expellere de regione nostra *. Discipulus Christi vilipendens hęc inimici improperia, & gaudens cum magistro & Domino suo sibi ea esse communia, cui s[illegible]dola confessione acclabant dæmonia, Quid nobis & tibi, Iesu fili Dei viui? Venisti ante tempus perdere nos? exemplo Dominicæ increpationis, comprimebat falsitatis vaniloquia. Sciensque hoc dęmonium esse de illo genere, de quo dicitur à Domino, Hoc genus non potest eijci, nisi in oratione & ieiunio: fusa super aquam exorcismi oratione, & addita Episcopali benedictione, potum dedit puellæ. Per aquæ benedictæ poculum, infusa virtute benedictionis per membra puellæ, diabolica immissione diù contrita, cecidit in terram puella, quasi mortua. Paulopòst resumpto spiritu, surrexit sana & læta, effugato pessimi peruasoris impetu, & lętificauit alios pro integro restauratę incolumitatis statu. Pater videns satisfactum desiderijs suis, pro gratiarumactione ditauit sanctam Ecclesiam Dei prædijs & xenijs preciosis. Quia gloria aut rarò, aut nunquàm caret inuidia, non pertulit diù tantam Maclouij gloriam antiqui hostis versutia: sed nè in regno Christi inualesceret ampliùs boni militis gratia, suscitauit contra eum hostes armatos dolo & iniustitia, insuper fultos non mediocriter seculari potentia.

*) Matt. 8. Luc. 4. Matt. 17. Aqua benedicta expellit dæmones ab obsessa.

CAP. XVII.

HAiloch quidam, qui potenter principabatur toti Britanniæ, stimulatus instinctu diabolicæ malitiæ, cœpit basilicā destruere, quam beatus Maclouius fundauerat in prædio suæ parochiæ. Vir Dei apud aures principis agebat lachrymis & precibus, vt dignaretur desistere à destructione Ecclesiasticæ domûs. Sed ille efferatus per conceptam iniquitatis insolentiam, non poterat mitigari vel refrenari per aliquam piæ admonitionis gratiam. Contra huiusmodi secularis dominationis potentiam, ad munimen & firmamentum suî, solam Maclouius assumpsit patientiam. Sed qui ad suos fideles loquitur per prophetas, Qui tangit vos, tangit oculi mei pupillam. &, Mihi vindictam, & ego retribuam: non dimisit inultam pauperum suorum iniuriam: & sicut Saulum recalcitrantem percussit triduana cæcitate, vt posteà totum mundum illuminaret æterna claritate: percussit & hunc temporali cæcitate, vt per tenebras transitorias liberaretur à peccatorū obscuritate. Extemplò ad cor reuersus, & pœnitudine præcordiali compūctus, ad satisfaciendum Episcopo cucurrit quantocyùs, se reum esse protestans amaris fletibus, se meritò excæcatum esse confitēs lachrymosis questibus. Ille, qui didicerat à magistro summę bonitatis, etiam inimicis esse benefaciendum, & pro persequentibus & calumniantibus nos esse orandū, citò & misericorditer indulsit pœnitenti reatum. Et prouidens ei vtriusque hominis salutem, aqua benedicta eum perfudit, & oleo sacro oculos eius perunxit, & ità ei pristinum visum restituit: pro admissa tamen temeritate congruum pœnitendi modum indixit. Dux videns & animæ & corpori vtilem esse suam satisfactionem, Ecclesiæ Dei non paruam delegauit terrarū hæreditatem, & copiosam in re mancipij contulit benedictionem. Deindè quoàd vixit, seruum Dei vtì patrem filius vnico amore dilexit, eique suisque tutor & adiutor opportunus fuit in omnibus.

Basilica ei destruitur. Zach. 2. Deut. 32. Act. 9. Matt. 5. Cęco restaurat visum.

CAP. XVIII.

SIc antiquus hostis hoc primo congressu victus discessit, sed non defatigatus cessit. Sicut enim olim ipsi Domino congressus, non recessit prima tētatione victus, sed secundò & tertiò arma restaurare est ausus: in prima quoquè Maclouij victoria non destitit à suis conatibus. Dux Hailoch, qui se totum humiliter inclinauerat ad Maclouij obsequelam, & pro eius gratia se totum potenter erexerat ad Ecclesiæ Dei tutelam, postquàm ingressus est vniuersæ carnis viam, morte sua locum fecit iniquis opprimendi Ecclesiam. Surrexit enim post eum impia generatio, quæ auersa facie à Deo, desciuit penitùs à rectitudinis consilio. Hinc nactus opportunitatem

Matt. 4.

diabolus, & talibus vtens officialibus, in virum Dei mille insurrexit artibus. Filij itaque Belial Maclouium infestantes execrabili odio, inuehebantur in eum huiusmodi conuicio: Quis, inquiunt, hic regno nostro improbus successit aduena, qui vsquequaquè nobis concitat scandala? Quis est iste pellax sycophanta, qui blanditijs suis humana à se alienat pectora? Quis iste est cupidus hæredipeta, qui ex nostris incommodis sua hîc comparat commoda? Cùm Apostolis & Apostolorum successoribus nihil in terra sit possidendum, hic sub obtentu paupertatis, velat cupiditatis vitium: & sub prætextu eleemosynarum, auaritiæ exercet emolumentum: sub obtentu longæ orationis, expoliat domos viduarum. Qui omnia se pro Christo reliquisse mentitur, & omnia se in Christo habere gloriatur, nos & filios nostros exhæredat, & hæreditates nostras sibi auidè captat. Qui sua se non curare simulat, cur aliena dispensat? Nihil ergò nobis magìs vtile, quàm iam iamque nostris fessis rebus consulere, & hunc longè à regno nostro exturbare, & hæreditates iniustè ecclesijs mancipatas, iterùm occupare. Siquidem nobis & filijs nostris nihil reliqui fecit, qui sibi omnia nostra vsurpauit. Solam spem futurorum nobis precio omnium rerum nostrarum vendit, quarum vsumfructum ipse inpræsentiarum capit. Sæpè lacessentes sanctum virum tam iniuriosis inuectionibus, omni genere persecutionis eum exasperant, & homines eius sæuis verberibus tormentant: omni rerum direptione omninò Ecclesiam Dei deuastant.

Ecce tibi argumēta bonis Ecclesiasticis inhiantium.

Multa patitur vir Dei ab improbis

CAP. XIX.

QVàm grauis & intolerabilis hæc persecutio fuerit, ex vno aduerti poterit. Pistorem eius, vocabulo Riman, iniustè comprahensum, indignè cæsum, vimineis vinculis quadrupedem constrictum, vt nullo posset iuuari officio membrorum, super ripas maris reliquerunt solum, vt superueniente æstu maris, absorberetur in profundum. Abstulerunt etiam equos suos sancto viro, nè illi posset adesse subsidio. Solam Episcopo reliquerunt equam, æstimātes se per hoc ei facere iniuriam, si vilem ascenderet equam. Sacerdos, quod solum potuit, periclitanti famulo orādo adfuit: omnipotens oranti Episcopo non abfuit: cuius fide & oratione ille, qui in articulo mortis iacebat, mirabiliter euasit. Nutu enim eius, cui omnis natura seruit, vndiquè milliario vno longè à iacente pistore æstum maris retinuit, & puerum innocenter morti oppositum contingere timuit. Præsul ergò pro suî odio vexatum sine mora adiens pistorem, inuénit eum incolumem, secumque reduxit alacrem.

Præclarum miraculum.

CAP. XX.

POntifex Maclouius, qui ante Deum & homines sine querela iustitiam tenere volebat, pusillos Christi adeò ab impijs scandalizari, grauiùs quàm dici possit, ferebat. Pro illis etiam sacrilegis, tam acuto auaritiæ stimulo instigatis, nimìs dolebat, quos apud Deum nulla ignorantiæ excusatio absoluebat, quos videntes & volentes cupiditas in præceps trahebat. Indè enim nequam & liuidum inuidia oculum habebant, vndè patres eorum boni fuerant. Patres quippè eorum peccata sua, eleemosynas faciendo, redemerant: isti, eleemosynis derogando, peccata sua cumulauerāt. Ille doctus in patientia sua possidere animam suam, Si, inquit, Dominus meus Iesus fugiendo declinauit Iudæorum perfidiam, cur ego homūculus non deuitem cedendo istorum malitiam? Eccè quia isti vt vulpes foueas dolositatis, & vt volucres habent nidos vanitatis, & nos cum filio hominis non habemus, vbì caput reclinemus in illis: cedamus, & occasionem peccandi in nos, saltē fugiendo tollamus. Excutiendus est puluis de pedibus nostris in testimonium illis. Et quia non sunt hîc filij pacis, apud quos pax Christi requiescat, pax nostra ad nos redeat. Quandò dixit Dominus noster Iesus, Cùm persecuti vos fuerint in ciuitate ista, fugite in aliā: præuidit profectò hanc fugiendi occasionē quandoquè nobis incutiendam. Agamus itaque, fratres, instanter: cedamus, quæso, patienter. Ità vir pius execratus illam pessimam generationem, intulit illis meritam maledictionem, quia elongauerant à se benedictionem. Sic Moses ille mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra: sic Esaias, sic Ieremias, offensi ceruicosa ingrati populi duritia, obligauerunt eos deuotatione pessima, scilicet imprecantes propter eorum impœnitentiam, nè attenderet Deus eorum vota vel sacrificia. Eliseus quippè insultantes sibi pueros maledixit, & maledictionis pœnæ eos addixit. Quid de dominorū Domino dicam, qui in ficulnea propter infœcunditatem * eius à se maledicta, & arefacta, deuotationi subiecit dignam maledictione Iudæorum perfidiam? Hoc exemplo beatus Maclouius maledixit suis, vt traditi

Nota lector

Ioā.8. & 12.

Matt.8.

Matt.10.

Ibidèm.

Num 12.

Num.16.

4.Reg.2.

Matt.21.

** eorum*

satanæ

satanæ in interitum carnis, animabus tamen eorum reseruata spe salutis, desisterent ab opere iniquitatis: & qui propter duritiã cordis sui thesaurizauerant sibi Dei iram, tandèm emolliti per pœnitentiam, reconciliarent sibi Dei misericordiam.

CAP. XXI.

ERgò per scandala impiorum expulsus à suo Episcopatu, apparato omnis profectionis commeatu, collecto quoquè fideli monachorum discipulatu, longo nauigationis exacto cursu, tandèm potitus Aquitaniæ regionis portu, & deueniens ad partes Santonicæ vrbis, primò omnium interrogandum esse putauit, si illis in locis vigeret ritus Christianitatis. Responsum est ei id, quo nihil potuit audire gratius, passim ibì feruere religionem Christiani cultûs. Perrexit quærere, quis ibì Episcopali præsideret cathedræ, & læta audiuit aure, * Leontium Ecclesiasticæ prouisioni superintendere, virum diuinæ sapientiæ & humanæ scientiæ præditum dignitate. Ipse exultans, quòd arriderent sibi prima optatæ prosperitatis auspicia, spem concipit ex rerum cõuenientia, quòd decæterò omnia sibi cedere debeant ex sententia. Electos itaque ex suis legatos fidenter ad Episcopum dirigit, causam suæ peregrinationis ex ordine digerit, locum sibi ad habitandum ab eo concedi humiliter expetit. Plenus ille spiritu prophetico, gaudebat animo se diuinitùs visitari, procurato fraternæ societatis solatio. Exertaque hilariter manu liberalitatis suæ, tribuit ei locum habitationis congruæ, secundùm Apostoli præceptum, paratus ex sua copia illius inopiam supplere. Populares quoquè delectati odore eius bonæ conuersationis, ei suisque adminiculabantur multis donarijs, volentes etiam ipsi participari fructibus alieni laboris.

Migrat in Gallias, pulsus à sede sua.

2. Cor. 8.

CAP. XXII.

AGebatur nanque non casu fortuito, sed dispensatiuo diuinitatis consilio, vt quo latiùs diuersis in locis diffamabatur tanti viri peregrinatio, eo diffusiùs magnificaretur nominis eius cognitio. Filia Comitis, qui pago Santonico principabatur, per patris sui viridarium cum pedisequis suis exercebatur: vbì dum incautè incedit, venenoso occulti serpentis ictu vulnerata ingemuit, & magnam cunctis eiulandi occasionem dedit. Pater inconsolabiliter lugebat, mater materno dolori temperare nesciebat, quæ vitam filiæ inter spem & metum fluctuare videbat. Omnis familia lamentabatur, tota ciuitas ferali iustitio afficiebatur. Tandèm hoc solũ dolor admisit consilium, vt quia nihil humanũ poterat valere auxilium, à beato Maclouio diuinum quæreretur solatium. Vtì consultum est, ità & factum est. Ad pedes Maclouij ventum est, & votum fideliter petentium frustratũ non est. Episcopus ad orationis subsidium confugit, aquam exorcizatam benedixit: ex ea folium hederæ perfudit, folium loco vulneris superposuit. Contra vim sacræ benedictionis, non potuit subsistere vis venenosæ pestis. Videres ex imis visceribus pestiferũ virus elici, & ad locum folio hederæ obductum contrahi. Quod stillando in terram guttatìm, corpus puellæ reddidit illæsum. Ità meritis Maclouij redintegrata est puellæ sospitas, aucta est parentibus iucunditas, cunctos videntes & audientes confortauit in fide Christi miraculi nouitas. Pater non ingratus beneficio, villam suæ proprietatis delegauit Dei famulo, vt haberet, vndè tribueret necessitatem patientibus pro Christo.

Sãcti nominis eius fama vbiquè diffunditur.

Curat puellam serpentis ictu grauiter & periculosè laborantem.

CAP. XXIII.

VEnerabilis Leontius videns beatum Maclouium meritis & virtutibus glorificari, cœpit animo secum non modicè lætari, quòd diuina pietas eum tanto & tali hospite voluerit consolari. Vndè suam diœcesim lustraturus, eum vt secum pergeret, obnixis coëgit precibus. Venerunt itaque ad villam, quam antiquitas appellauit Bream, geminis ecclesijs in honorem Dei nobiliter insignitam. Leontius vt Maclouium arctiùs applicaret sibi, vnam earum attribuit eius habitationi, alteram retinuit suo iuri. Quod quantùm Deo placuerit, ex eo satìs apparuit, quòd præsenti miraculo ibidèm eos Dominus lætificauit. Illucescente die cùm lauari vellet Episcopus, puer familiaris ad hauriendam aquam cucurrit ocyùs. Qui dum incautè haurit, elapso pede, in puteum corruit, & aquarum mole oppressus interijt. Exortus est subitò clamor & gemitus, fit vndiquè frequens populi concursus. Accurrit pater lugubris, non moratur adesse mater miserabilis, inculta facie & nudato corpore, sparsisque capillis compassionem incutiens vniuersis. Mouet cunctos, & maximè parentes, flos ætatis delectabilis: erat quippè puer iam duodennis. Auget tumultum concurrentium frequentia innumerabilis: erat enim puer parentelæ nobilis. Leontius corde

Ecclesiã ei attribuit Episcopus in diœcesi sua.

premens

premens dolorem, & in Domino retinens spem & bonam fidem, iussit deferri glebam defuncti in templum, quod destinauerat ad sancti Maclouij partem. Vsque ad auroram sequentis diei, parentes circa corpus excubias celebrârunt ritu solenni. At serui Dei pernoctantes in oratione, non diffidebant de eius bonitate. Manè facto, sanctus Maclouius omnes eliminat à templo, duos tantùm monachos retinẽs secum, cum quibus familiariùs interpellaret Dominum. Cum his ergò septiès flexis genibus, orauit ad Deum quàm potuit affectuosiùs, donèc sensit animam innocentis pueri refundi membris rigentibus. Assurgente puero, & adstante ad testimonium miraculi, quid alacritatis habuerint Episcopi, quid stuporis passi sint adstantes populi, quas gratès omnès vna voce reddiderint omnipotẽti, superfluum est inculcare sermone multiplici. Miraculum enim, quod pro commendanda famuli sui sanctitate monstrauerat diuinitas, latiùs diffamabat resuscitati pueri nobilitas, & gratiùs accipiebat affectuosa parentum charitas. O virum prædicabilem per omnia, ô sanctum sanctis conferendum in miraculorum magnificentia, qui & ipse exemplo Iesu Domini sui tres suscitauit mortuos, in Trinitatis inuocatione efficacissima.

Reuocat ad vitam puerũ mortuũ.

Trium mortuorũ suscitator S. Maclouius Episcopus.

CAP. XXIIII.

NEc illud subtraham de tantarum virtutum catalogo, quod adhuc gestum est in pago Santonico. Mulier quædam, nomine Bona, quæ vitam suam laudabiliter agebat in viduitatis continentia, annis quatuordecim fuerat cæcitate obruta. Quæ obtutibus sancti viri fideliter præsentata, luci pristinæ est reddita.

Cæca recipit lumen.

CAP. XXV.

POrrò homines illi, qui in Britannia virum Dei exacerbauerunt, & improbitate obstinationis suæ se, terramque suam ab eo maledici pertulerunt, maledictionis vindictam effugere non potuerunt. Terra enim in opere impiorum maledicta, tam in frugibus, quàm in pomis omnium generum, sterilis & infructuosa est reddita. Habitatores verò eius mille modis morborum deuotati, alij membrorum debilitate cœperunt contrahi, alij lepra squalebant, alij visu se priuari dolebant: isti oris officio se destitui, alij se auditu plangebant diminui. Nec aliquis erat omnium, qui cælestis vindictæ effugeret iudicium. Tandèm per culpæ vindictam cognoscentes serò culpam suam, nec volentes, nec valentes vltrà sufferre maledictionis & vltionis molestiam, communicato consilio deliberauerunt, à sancto viro humiliter implorare veniam. Missa itaque ad eum legatione, poscunt cum cordis cõtritione, vt absoluantur ab illata maledictione, spondentes, si eos dignaretur sua reuersione, deincèps se ei obtemperaturos sine aliqua contradictione. Amator pietatis & misericordiæ Maclouius, vbi pœnitentiam patriotarum accepit, summam consilij ad Leontium venerabilem detulit: Leontius hanc ad ipsum Deum referendum censuit. Vterque indicto sibi triduano ieiunio, exorant sibi reuelari à Domino, quid super hoc sibi esset opùs facto. Inter orandum Angelus Domini Maclouio adstitit, eique ex ore Dei hæc suggessit: Oportet te, ô amice Dei, Britanniam reuisere, omnem maledictionem auferre, homines salutifera benedictione sanare, terræ vbertatem restituere. Deincèps debes Santonas repetere, quia illic habes propedièm obire. Sanctus itaque vir secundùm Angelicam reuelationem repatriauit, terram hominesque sua benedictione sanctificauit, Deoque largitori omnium bonorum eos orando commendauit. Sicq; omnis terra repleta est dapsili vbertate per eius benedictionẽ, quæ anteà damnata fuerat per eius maledictionem. Ità factum est omnibus palàm, quòd pontifex pius hanc maledictionem non intulit per aliquam maleuolentiæ intemperantiam, immò per vtilem seueritatis beneuolentiam, vt per hanc necessitatem saltem inuiti traherentur ad pœnitentiam. Britanni deniquè compotes voti sui effecti, tam princeps & optimates regni, quàm Clerus & Episcopi in vnum coniuncti, felicem virum poscebant cernui, vt reliquum vitæ suæ dignaretur secum agere, vt per eius conuictum, Dei gratiam mererentur acquirere. Ille hoc fieri posse abnuit, & simul impossibilitatis suę causam eis humiliter aperit, & vocationis suæ tempus sibi impendére prædixit, & hoc apud Santonas sibi esse à Deo determinatum, ex verbis Angeli se didicisse dixit. Britanni flentes, & timentes adhuc cælestis irę vestigia restare, qui nec in vita, nec in morte digni essent talem patronum habere, cum gaudio pacis & dilectionis eum prosecuti, vix tandèm passi sunt ab eo separari.

Malè plectũtur impij, q virum Dei à se repulerãt

Angelus ei appàret.

Iram Dei à Britannia auertit.

CAP. XXVI.

Igitur

IGitur Santonas regressus, noctú & interdiù ob suî custodiam eo laborabat vigilantiùs, quo Dominum in proximo esse didicerat certiùs, vt, quacunque hora veniret, vigilans & paratus pulsanti aperiret. Qui enim tam longo ætatis tēpore bonum certamen certauerat, & tandèm cursum consummauerat, de religione coronam iustitiæ reposcebat, quam sibi iustus iudex reposuerat. Reddidit ergò terræ, quod erat suum: cæli cum tripudio sanctorum eius exceperunt spiritum. Recepturus mercedem laborum, deductus est in via mirabili manibus Angelorum. Qui enim in terris Angelicam vitam duxerat, modò in cælis eis conuiuendo æternaliter exultat. Vixit centum triginta annis, obijt 17. Calendas Septembris. Decedit è vita. Proliza eius ætas.

CAP. XXVII

LEontius Episcopus gaudens super thesauro sibi cælitùs destinato, & posteris suis æternaliter profuturo, decreuit eum glorificare honorifico sepeliendi officio: constructaque noua ecclesia, corpus eius, vt spiritussancti organum, in illa sepeliuit cum decenti reuerentia. Nec potuit abscondi in terris, cuius meriti modò esset in cælis. Eodem enim die, quo in mausoleo positus est, duobus cæcis visus redditus est, energumenus à dæmonis infestatione liberatus est. Dic post humationem tertia, contracto cuidam restituta est medela, muto loquela. Postmodùm verò meritis S. Macloуij tanta Dominus gessit ibidèm miracula, quanta nec narrare lingua, nec continere valet membrana. Multiplicibus ac frequentibus sancti huius intercessionibus, subueniat nobis omnipotens Deus, cunctisque eius præconia celebrantibus: Qui viuit & regnat per æterna seculorum secula, Amen. Honorifica sepultura. Miracula.

ORATIO DE SANCTO LEOPOLDO AVSTRIAE MARCHIONE ET CONFESSORE, HABITA A

Francisco Patauq Aduocato consistoriali, 12. Calendas Decembris anni 1484. sedente Innocentio VIII. & Friderico III. Imperatore suadente: in publico consistorio.



SI quam dicendi facultatem, si quod humanum ingenium posse satis exequi laudes diui Leopoldi existimarem, P.S. Reuerendissimi domini: non ego apud vos adeò auderem, vt viri tanti virtutes exiguis dicendi viribus vellem attingere, & debilis in re tanti ponderis inexercitatusque athleta certamen hoc inire perarduum. Sed quoniam nemo tam eloquens, tam felici ingenio præditus est, vt eius magnitudini virtutum orationem æquare valeat: immò cuiusuis disertissimorum eloquētia, studium, opera, facultas, ingenium, longè superatur & deficit, cùm vel cogitare, vel expromere verbis conatur, quantùm moribus, quantùm denique tota vita claruerit: hinc ego, etsi in hoc mihi inusitato genere dicendi parùm vehemēs orator videar, tamen pro mea tum in eum ipsum pietate, tum in vniuersam Christiani ritûs religionem obseruantia, dicendum vel id mihi pro viribus censeo. Neque enim id alienum siue officium siue patrocinium à quolibet puto homine Christiano, quandò omnes debiliores sunt, quàm vt de tanta re satis dicere queant. Accedo igitur ad vestrum venerandum & planè diuinum conspectum: vestra vtor liberiùs dignitate, fretus videlicet pietatis quo fungor officio, certusque apud vos plus valere loquentis animum in causa pia, honesta, religiosa, sancta, quàm orationis copiam & ornamenta vacua negocio rerum & authoritate. Et si mansuetudo sanctitatis vestræ sepennmerò mihi pias humanasque causas & pro pauperibus peroranti faciles porrexit aures: quanto faciliores in præsentia sperare possum illas mihi porrigi? Cùm hîc de religione, de vera, de sancta republica, de fide agatur catholica: dum virum insignem pietate laudamus, eumq; ipsum referendum in sanctorum numero ducimus. Leopoldum dico, quem solum in terris Deus ipse immortalis nobis præcipuo exemplo constituit. Alios nanque ad beatam vitam liberiùs euexit solitudo, atque ab humanis negocijs separatio, remotaque vita & à seculi curis penitùs expedita. Vnum hunc inter paucissimos mortales humanis implicitum 15. Nouēb. Cap. 1. S. Leopold' moribus & vita clarus.

rebus

rebus humana contempsisse, & inter ipsarum humanarum rerum impedimēta semper diuinis inhæsisse constat. Rarum profectò & memorabile sanctitatis exemplum: qui dum in cœtu vixerit, humanarum minimè curarum expers, inter diuina adeò sit versatus, quòd non nisi arbitrandum sit ipsum cælestem gloriam consecutum. Et cùm hic maximè status, ea vitæ conditio distrahere soleat: in eo potissimùm sanctitas quæsita & inuenta sit. Nam & si plurima sit dignum laude, tamen perdifficile maiores nostri iudicârunt, in magna videlicet peccandi licentia iustè vixisse. Accedit & rei vxoriæ & liberorum cura. Quod quidem (vt cum Apostolo dicam) à cælestium cogitatione maximè diuidit.

Viuit inter curas mundanas sanctissimè.

1. Cor. 7.

Cap. 2.

Aggredior igitur his munitus præsidijs, Redemptoris implorato numine, sine quo nihil incipere fas est: vitam beati Leopoldi ab omnibus planè imitandam ac eius probatissimos mores, frequentissimam deindè miraculorum multitudinem, explicaturus: vt in actis cōstat, super ea re de cuius agitur canonizatione productis coram reuerendissimis in Christo Patribus, Rodorico Portuensi Episcopo sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellario, Marco Episcopo Prænestino, Francisco sancti Eustachij Diacono Cardinali, ad talia obeunda deputatis. In quorum enarratione, compensata rerum magnitudine cum tempore quo illa recensebo, paucis me percurrisse vos iudicaturos non dubito. Illud inprimis rerum natura vel lata lege fixit, vt à robore robur generetur, ab aquila similis auis, & à forti ac constanti idem nascatur: & contrà nil existimamus fieri posse. Leopoldus cognomento Pius, patre Leopoldo Marchione Austriæ natus est, familia vtriusque parentis illustri, & tota diuini cultûs, & in qua duo præcipuè claruêre, religio & populorum regimen. Cui omnia pietatis munera adiunxit, & in eo tenore perseuerauit, vt animi moderatione & misericordia reliquos anteiret: Maioresq; suos orthodoxos tanto antecelluit, quanto Pij cognomen, quo Leopoldus meruit insigniri, cæteris præstat. Leopoldus enim Pius vbiquè inscribitur, hocque ei cognomen viuenti inditum est, quod post trecentos & quinquaginta ferè annos, quibus in Domino quieuit, adhuc inconcussum inextinctumque manet, & æternum seruat per secula nomen. Hic ab infantia non se delicijs aut voluptatibus quibus ætas illa permaximè irretiri solet, neque ijs quæ omnes faciunt pueri se accommodauit, aut aliqua ex parte corrupit inter regios luxus opesque innumeras: ab omnibus enim huiusmodi se abdicauit: & quod iam Dei nutu fas est credi, inter tot rerum omnium delicias, sobrium, continentem, abstemium, & in carne quodammodò viuentem præter carnem cerneres: & eousquè, vt qui illius temporis res gestas & huius incorrupti viri vitam conscribunt (qui quidem plurimi sunt dignissimi scriptores) vnum hunc pleno commendant ore, admirantur, extollunt, solumque adolescentem dicunt earum rerum expertem quas fert adolescentia.

S. Leopoldi patria & parentes.

Cur Pius cognominatus.

In carne præter carnē viuere, Angelicum est.

Cap. 3.

Huic non equi, non canes præcipuum fuêre studium: sed diuina eloquia, veræque fidei cultus assiduus cognitioque studiosissima placuêre. Sæpiùs enim sacros codices intentum erat videre: nec à diuinarum rerum contemplatione seu operatione vacuum inuenire facile fuisset. Genitore vita functo, regni habenis hæreditario iure susceptis, populos natura feroces ea moderatione animi gubernauit, vt eis non præesse sed prodesse curaret, & se rectorem & exemplum ad benè beateque viuendum subditis præberet. Quippè qui non eorum opibus (vt nonnullis regnantium mos erat) inhiaret: sed populum sibi à Deo commissum rectè, quietè, sanctè, ac æqua lance conseruare studeret: horumque animas vnà cum sua innoxias, mundas & Deo gratas reddere, bonos propositis præmijs meliores efficere, summisque honoribus afficere gauderet. In iure erga sontes administrando ità se habuit, vt nunquàm misericordiæ fuerit immemor, iuxta illud: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Ità vt, cùm scelera coërceret, à tormentis aut cæde semper abstineret: vt verus imitator Saluatoris haberetur. Vxor ei pari sanctitate ac moribus, Deoque Max. ità iubente, anno M. C. VI. oblata Agnes Imperatoris filia, pudicitia insignis, & quæ viro spontè ad bona opera properanti calcaria subderet. Et quod præcipuum munus mulierum dicit Iurisconsultus fœcundissima, liberos duodeuiginti enixa est, ità quòd ex ipsa fœcunditate intelligi potest, verum Dei cultum, quo vir & vxor ducebantur, ipsis viuentibus hæc beatitudinis pignora non denegâsse: vt illud verè testari possit: Vxor mea sicut vitis abundans in lateribus domûs meæ: filij mei sicut nouellæ oliuarū in circuitu mensæ meæ: Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Inerat enim illi fœcunditati iuncta continentia quædam: & ità quòd, vt dice-

Mortuo patre, vt se in principatu gesserit.

Ezech. 18. 33.

Agnes vxor eius, Imperatoris filia.

Psal. 127.

diceret Hieronymus,non voluptatis impetu, nec præceps ad ipsius ferebatur affe-ctum.Quoniam qui de genitura sunt authores, illud inprimis adstringunt, vt longum post interuallum & cum sobrietate fiat commixtio:aliâs quoàd impotētiam aliter se copulantes ebrijs decrepitis & infantibus eos comparari non est dubium, Auicenna teste & alijs authoribus medicæ artis. Quo fit, vt cùm hic Leopoldus suum vas,iuxta dictum Apostoli,cum omni sanctitate custodiret, nō voluptatis sed procreandæ sobolis gratia & non aliter congrediebatur vxori. Continētia coniugalis quæ. 1.Tim.4.

Hi ergò sic sanctissimo copulati matrimonio,mira cùm essent ambo pręditi bonitate, ambo in redemptorem nostrum pientissimi, nilque indiès cogitarent nisi quo maximè pacto placere ac summo Deo gratificari possent: concordes animi & vno spiritu arbitrati rem gratam altissimo fore, si quam ære proprio sacram construerent ædem,cui quæque cōmoda & ministeria præstò essent: beatæ Mariæ templum condere, in eoque sanctæ & approbatæ religionis viros collocare decreuerunt,quorum precibus,beata Dei genitrice intercedente,salutis eorum æternæ felicitas impetraretur. Et cùm de loco ædis construendæ cogitarēt,miraculo datum est(vt in vrbe Roma de niue scribitur)diuina quasi voluntate ventus coortus flammeolum Agnetis capite leuiter sublatum procùl ab oculis in remota detulit loca: quod nono pòst anno, cùm relaxandi animi gratia vir Dei deambularet oculosq; ad vepres verteret,conspectum super frutice illæsum & inuiolatum lætabundus accepit. Deindè velut Deo iubente ædificatum templum, est beatæ Mariæ virgini dicatum,conspicuum & opulentum, situm in ripa Danubij octauo à Vienna lapide: duratque aduc nouum claustri burgum cognominatum. Sed cùm eius templi fundamenta iacienda essent, proceres & magnates qui cum eo aderant illud monebant, vt ipse primum in fundamentis poneret lapidem. Verùm ipse studiosus humilitatis,eorū vanis monitis subridens,sacerdotum id esse muneris perseueranter affirmauit. Nimirùm accersitus Ortho loci eius Præpositus primus lapidem iecit,pòst alij subsecuti sunt. Finito operi dotem dedit, priuilegio sanxit,ibiq;Canonicos quos seculares vocant sacris præesse voluit. Vbi cùm negligentiùs ministrarent, Canonicos regulares beati Augustini,sanctimonia vitæ præditos & fidelibus gratos,qui adhuc præsunt, substituit: conuocatis priùs ad id opus Conrado Saltzburgensi tunc Episcopo,Raimario Episcopo Patauiensi,& Romano Curcensi Episcopo,alijsque non spernendis consultoribus.Deindè,vt fortiùs omnia tenerētur, ab Innocentio secundo Pontifice maximo,sine cuius authoritate omnia irrita existimamus, Leopoldo per nuncium poscente confirmata sunt. Extant Pontificis illius literæ, quibus ob præclarum hoc facinus, Leopoldi bonitatē ac fidem commendans,etiam beati Petri filium reuerenter ac religiosè appellauit. Extat pontificale priuilegium, quo canonibus multæ conceduntur immunitates. Eugenius etiam tertius Pontifex maximus Viterbij,& Vrbanus quartus successor Veronæ,literis Apostolicis,priuilegijs ac monumentis, pro confirmatis & benè gestis rebus, pro Leopoldi meritis post eius obitum habuêre. Ità & Innocentius sextus,cùm referre Leopoldum ob singularissima eius in Deum benemerita in numerū Sanctorum decreuisset, & iam super ea re legâtos in Germaniam misisset, increscentibus bellis, efficere quod vehementer optabat non potuit: vel, vt verisimile fit, pullulante etiam Boëmica hæresi,coactus ab incepto destitit. Is enim patria Leuionensis inter maximos vtriusque Iuris consultos aduocatus celeberrimus fuit, & cuius virtute Ecclesiæ patrimonium recuperatum est medio Aegidio Cardinali Hispano: cuius opera & ingenio quàm plura præclara facinora tempore suo peracta fuerunt. Sed ad rem redeo. Cap.4. Diuinitùs ostenditur locus, construēdæ basilicę aptus. Extruitur ecclesia collegiata in honorem Marię Virginis. Cur S.Leopoldus beati Petri filius dictus. Boëmica hæresis à Io hanne Hus excitatur.

Alterum monasterium ordinis sancti Bernardi ædificauit sub titulo salutiferæ Crucis in valle nemorosa,duodecimo à Vienna lapide: in quo quàm plurimi monachi & ministri abundè aluntur. Instaurauit à maioribus suis antè conditum,sed relictum,vi atque hostili metu procùl abactis & deletis hostium viribus atque incursionibus,ampliori etiam fructu dotauit. Hæc Leopoldus,beatissime Pater, inter tot regni occupationes ad thesauri cælestis reconditoria viuens posuit,hanc sibi voluntatem delegit,his veris delicijs vsus est, hoc sibi ad futuram vitam iter aperuit: & in tam laudibili beneuiuendi tenore, & tam præclaris monumentis, M. c. xxxvj. salutis anno orbe cessit cælosque migrauit. Post cuius obitum idem Innocentius secundus Pontifex maximus,nō vnis literis,paterna vt decet charitate tan- Cap.5. Alterū extruit monasteriū S. Leopoldus. Annus,obitûs eius.

ti viri vxorem & filios honestauit: & collato eidem Leopoldo benedictionis ac absolutionis munere, non exiguis laudibus ipsius sanctitatem prosequutus est. Accessit hoc amplum testimoniũ atque pro dignitate Vicarij omnipotentis Dei prædecessoris tui ad augendum Leopoldi gloriam & sanctitatem. Poscebant id insignia eius merita, poscebant id curæ, labores & vigiliæ, omni tempore pro incorruptæ religionis metu. Non enim aliter esse potuisset de tam integro & cõsummato erga Deum viro. Non indiget profectò laudatore atque enarratore gestarũ rerum is qui ità se gessit, vt opera ab se palàm edita multis locis testimonio sunt, & cuius vitæ rumor in exemplar venerit. Refero vera, Pater sancte, non vana loquor, non vtor carmine ficto: adsunt enim præclara & non vulgaria monumenta, & sic res ipsa fidem verbis præstat. Singulare monumentum Regumberti de probatissima Leopoldi vita, de sanctissimis moribus extat: necnon in cœnobio Claustripurgensis vetustus inspicitur codex, in quo Leopoldorum familia summa cum veneratione & præcipuè præsentis Leopoldi natalis dies tenorque vitæ legitur. Et monasterio Nouimontis altero Martini codice Prædicatorũ ordinis, per temporum digestionem confecto, plurima de Leopoldo cõmemorantur. Idem testatur Andreas annalium Christianorum conditor. Sic & in alio codice monasterij Nouiburgensis Heroico hexametro & carmine dactylico multa huiusmodi referuntur. Sic & in cœnobio Cælinensi Cisterciensis ordinis liber seruatur, in quo miracula istius inclyti viri leguntur. Idem non præterit Honorius non vulgaris author in monumẽtis monasterij Cellæ Mariæ. Quid referam de libro temporum, quem de rebus Austriæ Haselpach Theologus non mediocris digessit? Quid de vetusto codice nuperrimè reperto in bibliotheca Posoniensis Præpositi? cuius locupletissimus testis accedit R. dominus Cardinalis sancti Marci, cui, cùm tempore Xisti prędecessoris sanctitatis vestræ legatus Pannonijs præsideret, Leopoldi vitam eiusque mores integerrimos inspiciẽdi cura demandata est. Quid de Pij secundi prædecessoris etiam S.V. summæ doctrinæ viri, historiarum authoris, & vetustarum rerum indagatoris acerrimi, historia de principibus Austriæ, eo veriore quo ab homine vltimæ dignitatis & penè in terris diuinæ conscripta, dicam? Multa ille equidem de eodem Leopoldo grauiter, ornatè & accumulatissimè, vt sui moris erat, cõscripsit.

Multorum scriptorũ de sanctitate S. Leopoldi testimonia.

Item Pij II. quẽ Aeneã Syluiũ vocant.

Cap. 6. Iam habes, beatissime Pater, de vita Leopoldi, moribus ac sanctissimis institutis, & gubernandi suos probatissima ratione, quę non sine magna laude viuens exegit: & quanti Pontifices prædecessores tui eum fecerint: Innocentius maximè secundus, qui munere benedictionis & absolutionis post mortem condonato, talia, tanta, tam præclara, sanctitatem omnia spectantia de eo prædicauit exempla, quibus non solùm persuadere nobis possumus, immò credere cogamur Innocentium secundum non nisi pro sancto Leopoldum habuisse. Restat vt sacratissimæ vitæ post iam memorata, non leue testimonium adducam. Magna quidem res est, quę solùm in catalogum sanctorum scribere compellit. Animaduerte obsecro, Pater sancte: hæc enim silentio prætereunda non sunt, cùm scilicet incitamentum sint cæteris ad benè beateque viuendum. Labor enim fastidium afferre nõ debet, quandò laudabile & certum expectatur præmium. Maius æterna gloria dari nõ potest: & quidem rebus supernaturalibus se asserit. De miraculis loquor & præcipuè Leopoldi, vt annalibus Germanorum latè & copiosè narratur. Referre non piget, vt quæ illic latent, nobis aperta & velut ante oculos posita conspici & intueri possint. Et in eorum monumentis seruata hæc leguntur:

Innocẽtius II. S. Leopoldi contẽporaneus, quanti eum fecerit.

Sanctorum vitæ, incitamenta ad benẽ operãdum.

Cap. 7. Mulier quædam Carinthia, immundo vexata spiritu, Leopoldi ope liberatur. Puer mutus nouem annis ex Herzogemburga, vocalis fit. Alius captus manibus & pedibus, conualuit. Presbyter Herbipolensis cęcus, relictis tenebris, diem vidit. Virgo icta fulmine, reuixit. Altera lapillo obcæcata, Leopoldi tumulo porrectis precibus, recuperat visum. Puer chiragra laborans & officio manuum penitùs carens, eiusdem ope salutẽ recipit. Sic & mulier podagra vno pede, & alter duobus, eiusdem ope liberi fiunt. Eques quidam gutture tumefacto, ossibus crescentibus, ità eius miraculo liberatur, vt sine cicatrice vel alio signo liber factus fuerit.

Innumerabilia miracula S. Leopoldi.

Alia mulier ære alieno grauis, cùm à creditoribus vehementissimè vrgeretur, destituta soluendi spe, Leopoldi tumulum adijt, ibique nõ sine magno dolore ingemuit, numini se commendans. Auditę fuerunt preces, & vox auribus quiescẽtis intonuit, vt domum repeteret, & scrineum aperiret, quo inuẽtura erat satisfactio-

nis

nis debiti schedulas: quod vbi inuenit, domos creditorũ, qui & Christiani & Iudęi erant, petijt, vt chartas obligationis redderent. Qui responderũt, se dedisse cuidam vestibus cælestinis induto, & qui debita soluerit. Tunc statim exhilarata mulier, apertissimè intellexit Leopoldum fuisse, à quo mortales plurima miraculorũ beneficia & assiduè accipiunt. Sed longè maiora multoq; pręclariora fecisse constat Leopoldum, quę omnia literarum monumentis mandata tunc interiêre, cùm monasteriũ Nouumburgæ incendio conflagrauit. Circa quorũ solennia etsi cõplura in medium adduci possint, loco & rei quam sum explicaturus fortè nõ inconuenientia, potissimùm in his quæ ad fidem, ad grauitatẽ, ad constantiam, ad cõcordiam testium spectant: cùm sint accuratè diligenterq; discussa ab ijs qui summę rei pręfuerunt, pro prępositis cõsultò pręterire statui. In his etenim adsunt Leopoldi miracula non à leuibus mulierculis, non à senibus deliris, nõ à corruptis, non ab inconstantibus, sed ab hominibus fama & integritate pręditis: nõ gratia, non amore, non prece, non precio, non vi, nõ metu, nec deniq; vlla spe, pro veris comprobata. Accedit adhæc testium multitudo in vnũ idemq; consentiens: quę vulgata fama Leopoldi mores, fidem, iustitiã, religionem, pietatem, constantiam, integritatẽ, sanctimoniam vitæ, testantur abundè. Quæ cùm ità sint, absq; prædictorum in singulis repetitione, ad enarrationem deueniam miraculorum, ex quibus sanctitas hominis facilimè percipi potest. Et cùm illa recentissima sint, & quæ nostra vidit ætas, centum & nonaginta miraculis corroborata R. domino S. Marci tunc vt suprà Legato: paucis absoluam, præclariora duntaxàt explicans. Reliquorum numerum in medium afferens, nec ea penitùs exhauriam, sed degustantis more percurram. *Egregiũ sanè miraculum.* *Multa eius pręclarè gesta incẽdio perierunt.*

Agnes vxor Iohannis Ausman, annos nata sexaginta, quintus testis, ab infantia post quartumdecimũ diem, immẽso capitis dolore tribus diebus excruciata, medicorum & omni humana spe destituta, precibus emissis, nuncupato ad Leopoldum voto soluto, libera fit: & statìm acsi nũquàm illa aduersa laborâsset valitudine, nec ampliùs tali morbo affecta est. Hoc testatur ipsa super xix. articulo, quòd post mortem Leopoldi varijs claruit miraculis, existimans id alio modo accidere nõ potuisse. Et hoc anno M.cccclxvj. circa Pentecosten. Alia mulier, quadragesimus octauus testis, ingenti capitis dolore vexata, & cui iam portio sinistræ partis oris maxima cum deformitate defecerat, quatuor mensibus destituta spe medicorum, nuncupato voto, cõualescere cœpit: soluto, libera fit. Hoc testatur & ipsa eodẽ anno. *Cap. 8.* *Quędã mulier dolore capitis liberatur.* *Itèm alia.*

Volfgãgus Patauiens. lxxvj. testis, dolore dentiũ viginti annis affectus, ità ꝙ singulis annis quãdoq; viginti cõtinuos dies nõ sine magno gemitu ꝑteriret, audita fama Leopoldi, voto emisso statìm liberatur, nec vnq̃ ampliùs tali morbo laborauit. Et hoc anno lxvij. in die Cinerũ, qua die increscẽte dolore, cõpleto voto sanũ se vidit. *Alius quidã à dolore dentium.*

Valentinus Patauiensis diœcesis, testis cxxij. annis duobus laborãs ingenti capitis dolore, & cùm septem hebdomadibus somno caruisset, adhibitis quibuscunq; & non sine impensa medicis Christianis & Hebręis, quos adire potuit, tandèm precibus porrectis ad Leopoldum liber fit. Hoc testatur ipse, in medium adducens quàm plures contestes, affirmãs nullo modo se liberari aliter potuisse. Et hoc anno sexagesimooctauo circa Resurrectionem. *Itèm alius à dolore capitis.*

Volfgangus Patauiensis, lxxvj. testis, infantẽ filiũ quatuordecim diebus laborantem dolore tumefactionis inguinum & ruptura, indiès languore excrescẽte, voto nũcupato statìm liberũ vidit, circa Natiuitatem Domini anno sexagesimooctauo. Sic deponit ipse, addens se non manifestantem citatum ad hoc à Commissarijs, puerum vidisse flentem & se torquentẽ dolore vehementissimo, persuadensq; sibi hæc accidisse ꝙ non manifestâsset, Commissarijs retulit: domum deindè rediens, lętum ac ridentem puerum vidit. Alius dimidio anno passus rupturã à die natiuitatis, (quod indicium est morbi incurabilis) mater decurrens ad benemerita Leopoldi, sanum puerum vidit. Hoc testatur eodẽ anno mater fuisse: contestẽ habet vnum. Anna vxor Stephani, puerum habẽs annorũ septẽ, in quartum mensem suæ natiuitatis fractura inguinum laborantẽ, quatuor verò mensibus excrescente dolore, ità ꝙ niger quandoq; vt mortuus videbatur: nuncupato voto in die Simonis & Iudæ anno sexagesimonono, dum arbitraretur filiũ mori, sanũ & statìm liberũ cõspexit. *Quidã puer curatur à ruptura.* *Itèm alius.* *Itèm alius.*

Mulier non valens mediam acûs partẽ manu sinistra extrahere, vehemẽtissimo dolore cruciata, eodem anno inuocatione sola libera fit. Hoc testatur & ipsa. Elisabeth eiusdẽ diœcesis, viginti annis mẽstruis propè exanimata, meritis Leopoldi libera *Cap. 9.* *Menstruosa curatur.*

libera sit anno sexagesimonono. Mulier octo annos sanguinis fluxu excruciata, expertis varijs medicorum curis, ad tumulum Leopoldi proficiscitur: vbi statim cessat fluxus,& ab ea hora testatur ipsa nescisse morbum illum. Duos alios similiter morbo laborantes,ope Leopoldi liberatos,testibus comprobatur.

Mulier à sanguinis fluxu liberatur.

Magdalena Georgij Patauiẽsis vxor grauida,liiij.testis, cùm ob nimiũ tumorem ventris ingenti dolore vexaretur,superueniẽtibus & menstruis,iam & à medicis & ab obstetricibus salute desperata,implorata ope diui Leopoldi, nũcupatoq; voto, marẽ peperit:statimq; & tumore & dolore liberata est,anno sexagesimo sexto circa Natiuitatem.Hæc contestes habet duos. Sic & aliæ duæ in partu nimiùm laborãtes, eodem morbo liberantur,& felices enixæ sunt. Elisabeth Stephani vxor,dolore ilium excruciata, iam menses sex varijs medicorũ remedijs frustrà expertis, ad Leopoldum confugiens, eiusque numini se commendans: quod tam diù à medicis nequiuerat, post tres dies quàm sese commendauerat, à diuo sanitatem recepit. Martha Patauiensis ex colico laborãs iam biennij interuallo,manibus ità imbecillibus ac propè stupidis, vt earum vti ministerio non posset, ab eodem diuo Leopoldo,ad cuius auxilium opemque confugerat, sit incolumis.

Itèm tres in partu laborantes adiuuantur.

Itèm alia à dolore iliũ curatur.

Alia ex colica passione.

Thomas Patauiensis,lxiiij.testis, vir & nobilis & prudens,nouẽ menses manibus ac pedibus stupidis, quos contractos vulgò vocant: quam neq; apud medicos, neq; apud balnea potuit,apud diuum Leopoldum medicinam salutis inuenit, anno sexagesimo. Mulier per sexdecim annos lecto decumbẽs, manibus pedibusq; contracta, cùm nulla posset medela sanari, omni humano auxilio desperata, ad tumulum Leopoldi deducta ilicò sospes euasit.

Contractus sanatur.

Itèm contracta.

Anna Iohannis Patauiensis vxor,cxv.testis, manibus itèm pedibusq; morbo implicitis,ad sepulcrũ diui Leopoldi delata,factis precibus saluteq; impetrata, paucis pòst diebus omnem morbũ doloremq; deposuit,anno sexagesimo secundo. Eodem modo Dorothea Iohannis vxor ità phrenesi acta, vt suorum neminem agnosceret, vincta manibus pedibusque, nè quid eo furore impulsa mali cõmitteret, ad sepulcrum Leopoldi delata,quod vt faceret, in somnis admonita erat, voti rea facta est.Hoc de se ipsa testatur. Lodouica proba mulier,post editum infantẽ mente capta est,postque menses quatuor ad eiusdem diui sepulcrum cùm delata esset, pristinæ restituta est sanitati. Mulier pedibus podagra laborãs,nuncupato voto, conualescere cœpit:cõpleto,salutẽ recipit. Alterius ab eodẽ morbo affecti vndecim annos,modò tribus mẽsibus,modò sex excruciati,lecto se cõtinẽtis,emisso voto,cessat dolor: cõpleto,nullus fuit, ità vt q̃d podagra esset nesciret. Testis est ipse.

Itèm duæ aliæ ægræ.

Itèm alia.

Duo curantur à podagra.

Vrsula,quartus testis,vidisse se olìm dicebat nouem annos puellã natam,cui nomen esset Elisabeth,ità epilentico affectam morbo,vt deciès,sæpè duodeciès in diè corrueret: eam deindè ad sepulcrũ Leopoldi curru euectam,habitis de more precibus orationibusque,& cõualuisse, & viro traditam pueros aliquot peperisse. Sex contestibus hoc probatur,anno sexagesimonono: etsi legum authoritate optimis rationibus, ad probationẽ miraculorum testis de seipso quis esse possit, nullo etiã conteste adhibito. Anna quoquè mulier,vxor Stephani,vicinam habere se dicebat,cuius filius supradicto morbo cùm iam per annum laborâsset,auxilio Leopoldi sanatus est. Alios itèm sex eodem morbo implicitos,eodemq; modo sanatos, memoriæ proditũ est. Dorothea Patauiensis, continua vexata febre,atq; hydropisi,menses quinq; non sine ingenti dolore brachij, apud sepulcrum Leopoldi salutem inuenit. Georgius Patauiensis febre implicitus, & iam ictericus, atq; adeò pauper,vt quotidiano labore indiès sibi victũ cõpararet,ope Leopoldi liber factus est:ꝙ vxor Barbara primę operę mercedẽ diuo vouisset,idq; Georgius cõprobâsset.

Alia ab epilẽtico morbo.

Alij septem.

Duo curantur à febre.

Cap.10.

Dorothea Pauli vxor,febre oppressa,idq; mẽses octo,cùm se ad Leopoldi sepulcrum voti suscipiendi gratia contulisset: primo die magna parte morbi leuata domum redijt. Postero die maiore virium robore:tertio nullo omninò affecta morbo,omnibusq; viribus recuperatis,vota persoluit. Eadem post aliquot annos cùm in grauissimum morbum incidisset, omnibus membris manca atq; cõtracta trium mensium interuallo,diui Leopoldi numine inuocato,in pristinã redijt sanitatem. Holfringus quartana correptus, cùm menses sex tædio morbi affectus,non solùm medicorum opem implorâsset,sed etiam ad nonnullorũ diuorum numen confugisset auxilij gratia: postremò à circunstantibus admonitus,vt sese diuo Leopoldo commendaret: voto nuncupato,quartanam fugauit: isq; inposterùm quid febris

Bis curatur ægra mulier

Alius à quartana febre.

esset nō ampliùs se scisse affirmauit. Michaëlem idem Leopoldus non solùm febre, sed etiam multis alijs morbis inuocatus liberauit. Mulier anno continua exagitata febre, modò bis, modò ter, modò quatèr in eam incidens valitudinem, tumefacta paralysi, eodem liberatur numine. Sic testatur & ipsa. Alios sex diuersis febrium generibus implicitos, à Leopoldo liberatos memoriæ traditur. Mulier quædam pestilenti morbo affecta tribus partibus corporis, octo dies per inediam cùm duxisset, pro mortuaq; haberetur, viso per somnium Leopoldo, salutem recepit. Alij item quinq; eodem affecti morbo, eiusdem diui auxilio se curatos esse testantur. Adolescentem aqua feruenti in faciem perfusum, cui maxima deformitas perpetuò duratura videbatur, liberauit Leopoldus. Itèm alij octo. Itèm sex à pestilentia.

Quidam per belli tempora conscensa naui profecti ad cremandū monasterium Nouiburgense vnà cum oppido, subita tempestate acti, cùm iam perituros se intelligerēt, facti pœnitētes, inuocatoq; Leopoldo, naui ad litus appulsa, statimq; cessante procella, liberati sunt. Mathias Furberger Patauiensis diœcesis, cùm ad persoluendum votum, quod pro recuperata salute filiolę suę beato Leopoldo emiserat, cum vxore filijsq; duobus & eadem filia sanitati restituta, qui curru vehebantur, secus Danubij ripam pergeret, euerso curru præcipites equos, ipsamq; familiā per decliuium montis eo impetu ruentē vidit, vt ab ijs etiā qui aderant collisa omnia eorum mēbra cùm à curru tum ab ipsis equis existimarentur. Ille verò, qui iam semèl in salute filiæ diui auxilium expertus fuerat, idem pro vxore totaq; familia saluāda numen implorauit: voto emisso, in valle quò quadriga ruerat descendit, suosque omnes reducens, contra omnes naturæ vires, nō nisi numinis fauore gratulabūdus amplexus est. Sic Mathias ipse, sextus testis, & Florianus famulus asseuerârunt. Benignitas sancti in pœnitentes. Stupendum miraculum.

Iohannes scholasticus Patauiensis diœcesis annos quadraginta natus, pedibus manibusq; ligatus & catenis, equidem & ab hostibus vnoq; pede ad currum adstricto, adeò quòd non sine ingenti dolore pedum & carnium ruptura: decurrens ad benemerita Leopoldi, liber à carceribus, à gemitu, & catena fit. Iureiurādo firmat, hoc non nisì miraculosè fieri potuisse. Catherina vxor Nicolai Patauiensis, xcix. testis, non nisì adiuta baculo valens pedibus se mouere, absoluto voto, sana absque aliquo præsidio domum redijt, anno septuagesimo. & hoc miraculosè factum testatur & ipsa, contestem habens vnum. Cap. 11. Captiuus à vinculis & carcere soluitur. Clauda ambulat.

Iohannes Fracher Patauiensis, cxlij. testis, duobus annis nō valens ambulare, pede sinistro laborās nimio dolore: nuncupato voto & cōpleto, sanus fit, anno lxx. in Quadragesima. Iohannes Patauiensis, annos natus sexaginta, filiū habens claudū à natiuitate, casu accedēs ad tumulū Leopoldi, precibus & lachrymis nūcupato & completo voto, sanum vidit filium, anno lxxj. Sic attestatur & ipse, addens hoc non nisì miraculo adscribens. Elisabeth testis accita ad miracula Leopoldi, cùm rem negligeret, nec se iureiurando pateretur adstringi: subitum dolorem sensit, colore amisso: statimq; pœnitens & diuo se commendans, pulso dolore sana facta est. Itèm duo alij. Curatur post castigationem mulier.

Presbyter cū laicis quatuor vi tēpestatis acti, ab eodē diuo, cuius numē supplices inuocârant, periculo erepti sunt. Item tres alij idē passi, eodē modo liberati, diuo vota persoluerunt. Anna Patauiensis, per trienniū paralytica, ad tumulū profecta Leopoldi, sanatur. Item Michaëlē quendā per trienniū in lecto cubantem. Item Matthæum eodem morbo laborantem, insupèr & lumine captum, cùm ceræ imagunculā vouisset, reddidit incolumem. Margaretha vxor Stephani eodē morbo implicita, ab eodē diuo liberatur. Lucas annos natus lx. luminibus captus, idq; per annos quatuor, ductus ad tumulū Leopoldi, recuperato visu domum rediuit. Mulier quędam per quatuor hebdomadas excæcata, cùm nulla posset medicorum ope curari, voto completo quod ad Leopoldū emiserat, visum recepit. Infans prę dolore oculorū per octo dies excæcatus, siquādò aperire oculos tentabat, è palpebris eius sanguis exibat, pluribusq; per parētes remedijs frustrà expertis, tandèm diui Leopoldi auxiliū implorantes, filij salutē impetrârunt. Hoc Elizabeth mater testatur, contestē habēs vnū. Pari modo Iohāni per octo dies nihil videnti idē diuus sanitatē lucemq; restituit. Item puerū, cui tuberculū carnis sinistro oculo erat innatū, desperata salute ab oībus, inuocatus Leopoldus sanauit. Mulier quędā triēnio dolore oculorū afflicta, postremò cęca facta, à Leopoldo liberatur. Itē quatuordecim alij diuersis oculorū morbis afflicti, ab omni penitꝰ morbo fiūt immunes. Periclitātes liberantur. Quatuor paralytici. Multi cæci S. Leopoldi meritis vident.

Stephanus puer septem annorum, nec audiens nec ingrediens, eodem numine inuo- Cap. 12.

inuocato,sanitatem recepit. Mulier ob infirmitatem,quam in ore perpessa fuerat, per sex annos nullum rectè vt intelligi posset proferens verbum, voto completo examussim vocalis euasit. Adolescentula per integrum annum muta,surda & cæca iacens,diuo Leopoldo se cõmendans,pristinæ restituta est sanitati. Alius à natali die mutus delatus ad tumulũ Leopoldi, loqui incepit. Barbara duobus mẽsibus muta surdaque,pristinę saluti à Leopoldo restituitur. Alium decẽ annos mutum liberauit Leopoldus. Georgius Hister per mensem surdus,Itẽ Thomas,Itèm duo alij,à diuo Leopoldo auditũ receperũt. Quidã cùm auditu per mẽsem caruisset,nec humano remedio curari valeret, ad merita decurrẽs Leopoldi,votũ emisit,sanusq; effectus: spreto voto,in eũdem incidit morbũ:reiterato voto,cõualuit.

Surdi & muti audiunt & loquuntur.

Vidésne Lector soluenda esse vota?

Cap. 13.

Iohannes Ruperger Mirbergaforensis,in carcere coniectus,vinculis implicitus manibus pedibusque,inuocato Leopoldo,miro modo carcerẽ egreditur, loco ità angusto quà exeundum fuit,vt capax hominis nõ esset: triplicẽ murũ transit, lacunam aquę superat,nulla arte, nullo humano ingenio superabilẽ.Liberatus, numinisq; oblitus,voto nõ persoluto,anno pòst in eundẽ carcerẽ conijcitur,ijsdem vinculis vincitur: in quibus mẽses quatuor habitus,iterato quod neglexerat voto,iterùm liberatur.Tãta est Dei Opt.Max.clementia,vt ne spretus quidẽ spernentẽ deserat. Idem Leopoldus alium in carcerem cõiectum arctissimis vinculis liberauit. Puer paruulus decem & octo fermè mensium, cùm in scapham semiplenam aquæ cecidisset,atq; in ea dimidiæ horę spatio permansisset,pedibus cęlũ versùs directis, à matre Barbara & Petri vxore inuentus,ac domum Annę vicinæ relatus,dum pro mortuo deploraretur,afflicta mater Leopoldi opem atq; auxiliũ implorauit. Cui cùm pro salute pueri imaginẽ ceream vouisset,puer confestim quasi à morte ad vitam reuocatus,mouere se atq; ad matrem respicere cœpit. Deindè consurgens, ad persoluendum diuo votum mater cum filio profecta est. Testis est Barbara mater, contestẽ habens vnũ. Catherina filium Petrũ habuit duos natum annos. Is in aduersam incidẽs valitudinẽ,quatuordecim fermè dies duxit inedia,nullo neq; cibo neq; lacte gustato.Itaq; cùm,eius salute desperata,iam quæ ad funus necessaria erãt pararẽtur,miraculorũ diui Leopoldi recordata mater,eius numen inuocauit:quo facto,delatus puer ad sepulcrum diui,& risit & cibũ cepit. Alius itèm puer annorum duorũ, vi ingentis morbi pro mortuo deploratus, inuocato à patre Iohanne Vianense diui Leopoldi numine,statim reuixit. Eodẽ modo puer alius pro mortuo habitus,à diuo Leopoldo vitã recepisse affirmatur. Infantula quædã, ob ægritudinem per tres dies amissa loquela semimortua decumbens, cùm iam parentes breuì eam morituram crederent,voto à matre emisso,quod vt faceret in somnis fuerat admonita,quamprimùm loqui cœpit, ab omni penitùs ægritudine liberata. Puer grauissima correptus infirmitate,ad extremũ ità debilitatus,vt mori crederetur: cùm oblationẽ quandã pro salute filij diuo Leopoldo vouisset mater, ab ægritudine liber fit.Matre verò nõ offerente quod promiserat, idẽ puer iterũ in acutissimas incidit febres: reiterato voto perfecteq; adimpleto, peroptimè cõualuit.

Captiuus liberatur.

Spretus Deus, spernentem nõ deserit.

Mortuus reuiuiscit.

Tres pueri morti proximi reualescunt.

Itèm duo alij morti proximi.

Idem Leopoldus mulierem quandã lepra liberauit. Adolescens à seipso vulneratus,incisis vt iudicabatur venis,repertus in lecto,mortuusq; ab omnibus iudicatus: cùm vltra horam nullũ vitæ signũ in eo appareret,emisso à matre voto,orationibus pristinã adeptus est valitudinẽ.hoc de seipso testatur. Cõtestes sunt parẽtes. Sic & alios tredecim morituros, ad pristinã bonam valitudinẽ redactos monumentis traditur.Sed quid de morituris dicam?quandò etiam defuncti vita, raro mirabilique Dei Opt.Max.experimento,positis Leopoldo votis,restituuntur?

Itèm alius.

Itèm alij 13.

Cap. 14.

Elisabeth,lxxxj. testis super xix.articulo, quo quæritur quid de Leopoldi miraculis noscatur: se vidisse affirmat puerum super altare positum ante monumẽtum Leopoldi,vbì aderat magnus gentium tumultus, nigrũ & omni iudicio exanguẽ, exanimemque,& precibus porrectis à nonnullis numini,viuum vidisse.Hoc & alij sex eiusdem loci indigenæ,addentes eum vidisse dum puteo extraheretur, nigrum vt suprà,& in ecclesia, & si diuersis verbis, eadem tamen sententia confirmàrunt. Testes in hoc deposuerunt omni exceptione maiores.

Puer submersus reuiuiscit.

Puer alius trimus, Volfgangus nomine,eiusdem loci flumine lapsus, vbì aderãt molenæ,perquisitus inuentus est:Semotus à loco vndè ceciderat, quantũ bis emissa valido arcu sagitta spatij complet, nullo viuacitatis in eo apparẽte signo: mater versa ad Leopoldi benemerita,nuncupatis votis,restitutum puerũ ad primã vitam conspexit.

Itèm alius.

cōſpexit. Hiſtoria hæc nō caret teſtibus. Nam & pueri parēs Fredericus, ſuper dicto articulo ſe vidiſſe teſtatur, & interfuiſſe dū rueret, multis & clericis & laicis videntibus, prout ſuprà. & hæc anno milleno quadringenteſimo ſeptuageſimo, Septēbri menſe. Sic & alij duo ſuper circūſtantijs & interrogatorijs legitimè reſponderunt.

Puer pro mortuo habitus, cùm ad ſepulcrū beati Leopoldi delatus eſſet, ſubito miraculo vitā recepit. Hoc Barbara quinquaginta annos nata fœmina grauis teſtatur. Aliuspuer trimus, Fredericus nomine, cùm in puteū decidiſſet, ac ꝑ horā propè mediā māſiſſet ſub aquis, eductus è puteo frigidus & niger, nullūq; indiciū vitæ toto corpore prę ſe ferens, tandèm effuſis à matre precibus ad omnipotentem Deum, beatumque Leopoldū, priſtinæ ſaluti reſtitutus eſt. Bonreuerſer vxor Iohannis, & altera vxor Laurentij Saltzburgenſis diœceſis, hoc fuiſſe & vidiſſe teſtantur. Itèm alius. Itèm alius.

Alius in ipſo partu per horā, poſt partū verò plùs, pro mortuo deploratus, cùm nulla iam de eo ſpes eſſet, precibus porrectis à matre ad Leopoldum, timente furorem viri, nè crederet negligentia ſua hoc peractum, repentè & ſpirare & viuere cœpit. Hoc Dorothea vxor Guilermi Patauienſis firmat. Dorothea vxor Guilermi Patauienſis diœceſis, non ſine ingenti dolore omnibus videntibus eam ferè mortuam, & puerum peperiſſe mortuum, eodem numine liberatur. Infans ſe mouere cœpit & liber fit. Hoc mater, obſtetrices duæ, & aliæ conteſtantur vicinæ. Itèm alius.

Puer quidam ſeptem annos natus, in profluentem cadens, ac per duas fermè horas in aquis iacens, nullis occurrentibus, cùm ea die ludis feſtiuis ferè totus populus concurreret: perquiſitus tandèm haſta, ſub ponte repertus eſt: extractus, & ad domum portatus, nullo vitæ ſigno apparente: cùm feretrum iam luminibus accenſis paratum eſſet, ad Leopoldum per matrem voto emiſſo, ilicò mortem cum vita commutauit, multis videntibus, ac Deo & beato Leopoldo gratias agentibus. Hoc Margareta Friderici Patauienſis annos quinquaginta nata teſtatur. Alius ſubmerſus vitæ reſtituitur.

Alius puer Vianenſis, ſtatìm editus pluſquàm hora media mortuus iacens, cùm pro eius ſalute ad beatū Leopoldū factæ preces eſſent, quaſi tum primùm anima in corpus infuſa, datā iterùm vitam, ad multā perduxit ætatem. Vitus Vianenſis oppidanus, ętatis annorū quinquaginta, hoc firmat cū circumſtantijs vt ſuprà requiſitis. O gratiā homini benemerito gratìs datā. O diuinę potētię munus inęquabile: quo noſtra quoquè ſecula in poſteriorum felicem recordationem, non ſine religioſa admiratione venire potuerunt. nihil enim tantùm ab oculis hominum natura remouit, nihilque tantùm ab animis prudentium alienum eſſe conſtituit, vt aliquandò diuina fauente gratia in mentes oculoſque omnium redire non poſſint. Alius mortuus reuiuiſcit.

Quidam vxori iraſcens, quòd ad monaſteriū clauſtri Nouiburgenſis, veneratione beati Leopoldi, Martis poſt Palmarū diem quotannìs eleemoſynam panis, vini & trium obulorum accepturis obtuliſſet, in hęc verba prorupit: Vtinàm eleemoſyna viueres, nè quid auferres habuiſſes. raptiſq; continuò, quæ pauperibus deſtinauerat illa, domum reuertens, eo pane deguſtato, mandendo aſſumptum, neque deglutire potens, in lectum ſe contulit. Vbi hàc illàc diù circunuolutus, præcluſo ſpiritu occubuit: vt facilè intelligamus, etiam ocioſa verba vindicem habere Deum: neque impunè in illos, qui de ſe benè meriti ſint, admitti nefarios ſine animaduerſione contumaciter permiſiſſe. atque eius rei teſtis eiuſdem filia eſt. Cap. 51. Cęleſtis vindicta in temerarium obtrectatorem pauperum.

Sed iam habes, Pater ſancte, quid ſedente Xiſto Pont. Max. prædeceſſore tuo, ab Reuerend. dominis Cardinalibus in tam pium opus deputatis ſit, R. domino Vicecancellario referente, cuius rei minimè, vt opinor, S.T. oblita eſt, cùm vnus è ſacro conſiſtorio tunc eſſet. Idq; iam omnes accepiſſe reor, quibus parentibus ortus Leopoldus ſit, quàm pręclari, quamq; illuſtres: quātùm diuinis incubuerit: quonam pacto, extincto patre, ſe geſſerit: quēadmodùm leges iuſtitiāq; coluerit, matrimonij ſeruauerit iura, quas ædes cōſtruxerit ſacras: quāti eū fecerint prædeceſſores tui, & dū vixit, & poſtq̄ è vita migrauit. Habes & miracula, teſtimonia vitæ, tū magna tum maxima, & quę prior, & quę noſtra vidit ętas: qbus q̄ ſanctus, quamq; Deo fuerit acceptus, demōſtratur apertè: & quæ ad obſeruandā ęternitatem vir magnus & totus Dei exegerit. Poſcebat hominis altitudo longiorem orationē: materia ſuppeditabat, quàm ingētia implere volumina. Ego verò morē illorū, qui paucis calculis innumerabiliū fermè rerū ſummā complectūtur, his paucis exegi. Defeciſſent aliter latera, & lingua cōpreſſa obmutuiſſet: obſeruātiaq; benè meritorū tāta apud te eſt, vt cùm intelligis quēpiam ęternitatē ꝓmereri, ilicò tua bonitate id confirmes. Iam Summa virtutum ſancti Leopoldi.

virtutes ipsius Leopoldi, quas creator omniū etiā miraculis cōprobauit, ab Dei Vicario, qui solus in terris es, asscribere in numero sanctorū iure meritoq; exposcūt, expectātque. Ad quęcunq; enim loca Leopoldi nomē peruenerit, pro sacrosancto veneratur & colitur. idq; nō simpliciter, prout à nōnullis fieri cōsueuit, sed indelebili atque inuiolabili titulo sanctus Leopoldus appellatur & pro sancto habetur. Queritur tamē ꝓ laudabili cōsuetudine solēnitateq;, à sacrosancta Ecclesia introducta, S. T. nutus, quo absq; nil tutū, nil stabile, nil deniquè sanctū creditur. Id exigi mea oratiōe nō existimes velim. Nā inprimis Christianissimus fidei nostrę totiusq; religionis orthodoxę verus, legitimus, indubitatus defensor Fridericus Imperator Augustus, à quo eius bonitate nihil adhuc ꝑperàm peti audiuimus: nec verò ideircò tantùm, quòd ex sanctissima Leopoldi familia Australi ducat originem, verùm etiā vt Deus in suis glorietur creaturis, eius filius Maximilianus Austriæ ac Burgūdiæ Archidux inuictissimus, patrē sortitus est Cæsarē. Sic inclytus Hungrorū Rex, cęteriq; Principes catholici illarū prouinciarum, & deniq; omnes eorū populi, nutū, vocemq; sanctitatis tuæ sitibūdi cupiūt, pręstolātur, expectātque. Quid enim his testibus magìs in mundo dari possit nō video. Magna profectò res est, vt mortales, Deo propitio & fauēte, gloriosissimos & cęlestes titulos benefaciēdo sibi quęrant. Iam tempus est, iā te sic velle cōspicimus & tenemus omnes: vt tua videlicet hac cęlesti voce Leopoldus, qui cùm iā in cęlis sanctus sit, etiā in terris sanctū esse declares sanctissimo tuo decreto, lōga hominū expectatione optato. Diù mortales hoc in augmentū fidei, in monumēta Romani & Ecclesiastici ritûs, in gloriā ęternitatis q̄ nimio ardore exposcūt, & vt benefactis lōgo labore q̄sita iā præmia declarentur.

S. Leopoldi nomen quàm sit celebre.

Rogat orator, eum in numerum Sanctorum referri.

Extat alius liber de innumeris miraculis & canonizatione eius, per Reuerēdum patrem, dominum Iohannem Franciscum de Pauinis conscriptus, ad quem lectorem remittimus.

VITA S. OTHMARI ABBATIS, AVTHORE VVALAFRIDO ABBATE AVGIENSI.

PRAEFATIO AVTHORIS.



Finitis duobus libellis, quos de vita & virtutibus beatissimi Galli confessoris, iuxta fidē, quæ vel scripto, vel dicto ad nos vsq; venerat, verè potiùs, quàm lepidè, cōposuimus: iubentibus vobis, fratres sanctissimi, qui in cœnobio eiusdē sancti patris cōstituti, feruoris eius, quē in Dei rebus habuit, sancti strenuitate propositi specimē exhibetis, libet subnectere eam relationē, quæ de sancti patris Othmari studijs & virtutibus, per eius merita ostensis, vestra assertione & cura literis est mandata veracibus. Quæ cùm sit veritate plena, ratione perspicua, nō ob aliud à nobis est iterata, nisi quia charissimus frater Cosbertus, qui idem opusculū edidit, cuius charitati quicquam negare nec volumus, nec debemus, id vt fieret postulauit, immò præcepit, quem etiam in hac occupatione instantissimum ergadiocten sine tædio læti sustinuimus. Itaq; lectori credulo sufficiat hæc abbreuiatio nostra: incredulus autem qui fuerit, ad eam conscriptionem, quam sequimur, recurrens, multiplici adstipulatione testium conuentus, ad fidem, si gratus est, segnis non erit.

Hos libellos inueniet lector Tomo V. 16. Octobris.

HISTORIA.

Vt vir Dei Othmarus pro sanctitate vitæ, cellulæ sancti Galli sit prælatus, & regia authoritate regularem inibi vitam instituerit. Cap. I.



IGITVR Othmarus genere Alemannorū oriundus, in ætate puerili à fratre suo Rhetiā Curiensem perductus est: & in seruitio Victoris, earundem partium Comitis, multo tempore constitutus, & literarum scientia sublimatus, virtutum sectator, morumque laudabilium possessor, sacerdotij gradum conscendit: & à supradicto Comite benignè retentus, cuidam titulo sancti Florini confessoris prælatus est. Cumque morum eius probitas, & sanctæ vitæ munditia longè lateque plurimorum aures dulci rumore respergeret, Vualdrammus quidam, qui sibi vastitatem eremi, in qua sanctus Gallus

Nouēb. 16.

S. Othmarus in Rhetia degens, sacerdotio initiatur.

Gallus cellulam construxerat, velut à parentibus hæreditario iure ad se transmissam vendicauit, eundem Othmarum à Victore supradicto ad præficiendum eidem cellulæ impetrauit. Et voti compos effectus, cellulã cum omnibus, quę ad eam pertinebant, illi solenniter commendauit. Atq; vt sui meliùs desiderij conualesceret vtilitas, ad Pipinũ Regem profectus, eundem Abbatem ipsi præsentauit, & locum, cui pridèm eum præfecerat, proprietatis iure principi contradidit, omni instantia deposcens, vt regia authoritate ex integro Othmarus Abba eidẽ pręficeretur loco. Cuius petitioni iam dictus princeps assensum præbens, locum sibi traditũ viro venerabili cõmendauit, & regularẽ inibi vitam instituere iussit. At ille regressus confestìm, boni Mandritæ studium in ipso executus initio, vndiqueuersùm congrua monachis habitacula construxit, & ipsius sacri loci statum, ad vtilitatem diuini seruitij studiosissimè reformauit. Religiosos etiam quosque ità liberalitate sua ad deuotionis studium inuitauit, vt ex quorundam donationibus possessiones ipsius cœnobij admodùm dilataret, & intra paucos annos complures ad sacræ militiam vitæ fratres attractos, magisterio suo & cura decentissimè gubernaret.

Cella S. Galli commendatur S. Othmaro.

Construit illic monachorum domicilia.

Multos cõgregat fratres.

Qua sanctæ conuersationis perfectione nituerit. Cap. 2.

HIs prælibatis, vitæ eius sanctitatẽ liceat summatìm perstringere: vt liquidò cunctis clareat, quibus profectuũ gradibus ad hanc gloriã sit euectus. Erat nimirùm parsimoniæ sectator eximius, creberrimo macerãs ieiunio corpus: ità vt in præcipuis ieiuniorũ diebus ex consuetudine, bidui abstinentiam continuaret frequẽtiùs. Et his contra tentamentorum iacula clypeis præmunitus, vigilias amabat, & assiduitate orãdi spiritualia nequitiæ repellebat. Summæ autem humilitatis gratia præcipuè præditus, intantùm voluntariã paupertatem diligebat, vt terrenam gloriam omnibus fugeret modis. Cui etiã hæc erat consuetudo, vt si quoquàm pro vtilitate monasterij eũ tẽdere necessitas poposcisset, vilis miti dorso veheretur aselli. Erat inter cætera, tãta in eo pauperũ solicitudo, vt eorum curã per se potiùs, quàm per alios exhibere studeret. In eo verò misericordię opere, quod eleemosyna dicitur, vix cuiquã habebatur secundus. Nã ad suscipiẽdos leprosos, qui à cæteris hominibus seiũcti manere cõsueuerunt, hospitiolũ haud longè à monasterio extra eas mansiones, quibus cæteri pauperes recipiebãtur, constituit, & eis curam per se omnimodìs impendebat ità solicitè, vt nocturnis etiã horis monasterio sæpè digressus, curã infirmitati eorum miro deuotionis adhiberet obsequio. Capita siquidẽ eorum pedesq; abluens, purulenta suis manibus vulnera detergebat, & victui necessaria ministrabat, illã semper animo reuoluẽs sententiam, quam iudex iustus misericordibus prolaturus est, dicens: Quod vni de his minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis. Sicq; factum est, vt cunctorum, qui eum nouerant, veneratione sublimis, pater pauperũ appellaretur à plurimis. Tam pleniter autem misericordiæ studiũ possederat, vt si quẽ pauperũ nuditatis iniuria torpentem cõspiceret, plerunq; suis exutus vestibus, miseri contegeret artus: ità vt interdùm sine tunica, sola cappa contẽctus, ad monasteriũ remearet. Mâluit enim per præsentis pompæ contemptum ad indumentum incorruptionis æternæ pertingere, quàm per boni operis amissionem futuræ nuditatis opprobria sustinere.

Eius ieiunia.

Vigiliæ.

Preces.

Humilitas.

Benignitas in pauperes.

In leprosos

Matt. 25.

Quanta erga pauperes misericordia fuerit. Cap. 3.

QVodam enim tempore ad Pipinum Regẽ veniens, honorificè susceptus est. Et inter alia largitatis eius beneficia ad necessitates fratrum suorum subleuandas, argenti libras septuaginta percepit. Sed mox, vt ad sua rediret, egressus, maximam eiusdem pecuniæ partem pro foribus palatij pauperibus erogauit. Paucos autem solidos vix à fratribus, qui secum erãt, compulsus retinuit, quibus postmodùm quoddam territorium monasterio vicinum coëmit. Dominicorum enim non immemor præceptorum, sua causa de crastino non cogitabat, sciens monachum victu & tegumento contentum esse debere. Et ideò paupertatem sibi potiùs suisque delegit, quàm rerum transeuntium possessionem superfluam, expeditis mentibus onerosam.

Liberalissimum regis Pipini munus.

Nota.

Matt. 6.

Vt à quibusdam iniquis pro zelo iustitiæ, quo feruebat, multis affectus sit iniurijs. Cap. 4.

IGitur cùm iã Dominus meritis eius digna rependere decreuisset, callidus vniuersæ bonitatis inimicus, bonis eius actibus inuidens, eiusq; exemplis aliorum vitam dolens proficere, quietem, quam in Christi seruitio, licèt non parùm labo-

laborando, possedit, perturbare contendit. Sed quanuìs flatibus aduersitatis tēporariæ pulsata, radicem petræ veritatis habens infixam, paradisi cedrus inconuulsa permansit. Nam Vuarinus & Ruadhardus, qui tunc temporis totius Alemanniæ curam administrabant, diabolo suadente, immanissimo auaritiæ morbo præuenti, res ecclesiarum sub sua potestate sitarū, magna ex parte in proprietatis suæ dominium per vim contraxerunt. Qui cùm sibi de possessionibus beati Galli perplura eodem violentiæ ausu vendicâssent, vir Dei Othmarus, non possessionibus terrenis inhians, sed cœnobialis vitæ, in eodem loco rerum ingruente penuria, defectum præmetuens, Pipinum Regem adijt, ipsi tyrannicam eorum præsumptionem exposuit, pariter protestatus, graue eum crimen incursurum, si eorum actibus consentiendo faueret. Qua pro causa beneuolus princeps vtrunque conueniens, interminatus est eis, gratia sua illos omnimodìs cari turos, si non ecclesijs Dei, quæ iniustè abstraxerant, absq; recrastinatione restituerent. At illi patriā repetētes, vitio rapacitatis infecti, & bestiali sęuitia efferati, iussionē regiam neglexerūt. Virū etiam Dei Othmarum, cùm pro hac re iterùm principem adire vellet, missis clanculùm post eum militibus, vinculis iniectum per vim reduci fecerunt. Necnon & Lamberto cuidā, qui fratribus eius professione connumeratus erat, non vitæ sanctitate, persuaserunt, vt ei ficta quadam machinatione luxuriæ crimen impingeret: id elaborantes, vt sanctitate eius huiusmodi suspicionibus infamata, deponendi eum occasionē inuenirent. Qua causa plurimi, tam dolosæ factionis ignari, ad concilium euocantur.

Quidā magnates sibi vendicant res ecclesiarum S. Othmari.

Eum captiuum detinent.

Quam in obiectione ficta criminis molestiam pertulerit, & qua accusator eius pœna mulctatus sit. Cap. 5.

Itaque vir venerabilis castitate integer, vitæ ac morum maturitate grandæuus, in medio collocatur, & in eius accusationem Lambertus falsitatis minister, coram omnibus præsentatur. Acceptaque loquendi licētia, veritatis oblitus, falsitatis assertor, dixit se quandam fœminam nôsse, quæ à beato viro vim pollutionis fuisset perpessa. Ad quod nullum penitùs dedisse fertur responsum. Cumque à plurimis respōdere cogeretur obiectis, huiusmodi dicto temperauit eloquium: Fateor me quidem supra modum in multis peccâsse: de huius autem obiectione criminis, secreti mei inspectorem, Deum inuoco testem. Illis autem, vt huius facti se excusatione purgaret, attentiùs ei insistentibus, mente securus, consciētia liber, tacitus perdurauit. Et quia accusandi licentiam apud iudices patére cognouit, maluit pro synceritate sui pectoris diuino, quàm humano pro excusatione criminis placere iudicio. Mox ergò, vt cunctis claresceret ipsius castimoniam falsò fuisse infamatam, Lambertum vltio diuina corripuit. Nam febrium vexatione peruasus, paulatìm resoluto membrorum vigore, cōtrahi cœpit. Sicque omnibus membris statûs sui amittentibus rectitudinem vel formam, capite ad terram more quadrupedum inclinato, non solùm deformitate figuræ terribilis, verumetiam viua voce in sanctum Dei peccâsse, omni tempore fatebatur.

Falsò accusatur à quodam de muliere oppressa.

Cælestis vindicta illū accusatorem persequitur.

Vt inter arcta custodiæ claustra vitam finierit. Cap. 6.

Concilio autem iniquè inchoato, & iniquiùs terminato, vir Dei Othmarus apud villam Potamum palatio inclusus est. Quod cùm nullus intrare, vel colloqui cum eo permitteretur, aliquot dies absque corporalis sustentaculo victûs transegit. Cumque diuturna vexatione famis laboraret, Pergozus quidam è fratribus eius noctù aduenire solebat, & ei victûs solatia ministrare. Postmodùm verò Gozbertus quidam, vir potens, dum sibi virum Dei commendari ab iniquis principibus impetrâsset, in quadam Rheni fluminis insula nomine Stein, iuxta prædium suum custodiæ illum deputauit. Vbi idem sanctus pater spiritali tantummodò exercitio, id est, orationibus ac ieiunijs vacans, eo liberiùs Domino deseruiuit, quo ab humana frequentatione curisque secularibus fuerat absolutus. His & similibus notæ deuotionis insistens operibus, exacto nō multi temporis spatio, ab his mundanæ perturbationis angustijs ad cælestis latitudinem gaudij, xvj. Calendarum Decembrium die commigrauit: & corpus eius in eadem insula tumulatum, multis deincèps diebus ibidèm sine corruptione permansit.

Laborat vir Dei inedia.

Feliciter è custodia abit in cælum.

Vt post multum temporis corpus eius sine corruptione repertum sit. Cap. 7.

Euolutis autem post transitum eius decem annis, fratres illius per visionem à Domino commoniti sunt, vt corpus chari patris ad monasterium reducerent. Hoc patefacto diuinæ voluntatis consilio, vndecim ex eisdem fratribus

bus noctù ad locum, in quo sancti viri exuuiæ seruabantur, deueniũt: & sepulcrum aperientes, corpus eius ab omni corruptione illæsum reperiũt, excepto quòd pars extrema pedis vnius, quē aqua alluebat, tantùm colore mutato, quasi tabida videbatur. Et congruo satis miraculo prima sanctitatis eius indicia claruerunt, vt videlicet tã illæsum à corruptione corpus eius inueniretur, quàm liber ipse fuerat à crimine, cuius oppositione superatus videbatur ad tempus. Hac itaque deuoti fratres rerum nouitate perfectiùs instructi, corpus honorificè sumptum, rati imposuerũt. Et accendentes candelas, vnam ad caput, alteram collocauerunt ad pedes.

Corpus eius post annos decem, incorruptum cernitur.

Quàm mirabiliter in translatione corporis eius tempestas sedata sit. Cap. 8.

CVmq; deserto litore, incertis se profundi vijs cõmisissent, & summa instantia remigio insistentes, sub omni celeritate cuperent remeare, continuò tanta vis pluuiæ ventorumq; prorupit, vt vix effugiũ se crederent habituros. Sed mira omnipotentis Dei dispensatione, &, vt credimus, sancti viri meritis actum est, vt ipsa etiã elementa, quæ nobis insensibilia videntur, famulantia sui creatoris imperio, quanti viri reliquiæ ibidèm veherentur, sentirent. Nam pelagus circunquaq; imbrifera tempestate cõmotum, vndasq; in altum suspendens, nihil omninò remigantibus molestiæ intulit: sed in quamcunq; partem nauis deuẽnit, reiectis flatibus, tumentes in se fluctus depressit. Et ità omni ex parte vndarum molibus, imbrium effusionibus, ventorumque flatibus non paruo spatio dimotis, quasi sepe quadam scapha cingebatur, vt ne vna quidẽ pluuiæ gutta, quæ hincindè vehementer inundabat, in illam descenderet. Cerei quoquè, qui in beati patris obsequium ardentes, ad caput pedesque fuerant collocati, lumen primæ accensionis nequaquàm amiserunt, quoadusquè corpus eius ad monasterium deferretur.

Miraculum

Aliud miraculum.

De abundantia potùs cælitùs subministrati, & vbi corpus eius post translationem sit tumulatum. Cap. 9.

ALiud adhuc restat miraculum, quod in eàdem sacri corporis translatione deuotis fratribus Dominus patefecit. Nã cùm ex nimia remigandi instantia fessi, adueniente refectionis hora, ad recuperandas alimẽto corporeo vires, laudibus Domini præmissis, consedissent, tandemq; felici conuiuio intermisceri potùs solatia cõmonerent, vnus ministrorũ intulit, nil ibì iam potuũ superesse, præter quod in flascone paruo seruabatur, vndè vix vnicuique quippiam ad gustandum potiùs, quàm ad bibẽdum, præberi potuisset. Illi verò miraculorum Domini, quomodò paucis panibus multitudinem hominũ pauerit numerosam, facientes mentionem, ex eodem paruo, quod habebant, cunctis qui aderant, cum charitate distribui fecerunt. Et mirum in modum cœpit in eodẽ vasculo ità liquoris haustus crescere, vt continua effusione nihil minui videretur, quoadusquè bibentes poculorum copia vincerentur. Ergò pro rei nouitate obstupefacti, largitori omnium bonorũ Domino, qui eis tam mirabiliter sufficientiã præbuit, debitas gratiarũactiones cum laudibus persoluerunt. Statimq; vt iter cœptum itidèm aggressi sunt, in vasculo potus cessauit. Cumq; optati litoris portum subîssent, fratribus, qui obuiã cũ Dei laudibus venerunt, quæ gesta fuerant, ex ordine retexuerunt. Celebratoque in commune gaudio, sancti viri corpus magno sumptuum cum honore ad monasterium transtulerunt, & inter aram sancti Iohannis Baptistæ & parietem in sarcophago posuerunt: vbi etiam postmodùm, ipsius facientibus meritis, memoria digna Dominus dignatus est manifestare miracula.

Matt. 14.

Vinum diuinitùs augetur.

Sepelitur vir sanctus in suo monasterio.

Mutus & surdus ad sepulcrum eius curatur. Cap. 10.

DEniquè quodã tempore surdus & mutus cum quibusdam de vicinis locis, orationis causa monasteriũ adeuntibus, aduenit: & quia à primęua ętate & locutionis & auditùs carebat officijs, tabellas duas de collo dependentes gestabat, quarũ collisione & sonitu misericordiæ opus, quod voce nequibat, precabatur. Is cum suis cõuiatoribus ecclesiã ingressus, dũ eos singulis altaribus particulas ceræ, sicuti pauperum est consuetudo, imponere conspiceret, ad viri Dei sepulcrum accedẽs, tabulas, quas gestabat, desuper posuit, seseque quasi oraturus, ante illud prostrauit. Et protinùs alto sopore depressus, vt ipse postmodùm retulit, senem quendam facie nitidum, monachico habitu gloriosum, quasi è tumulo vidit procedere, dicentem sibi: O homo, cur hîc sopore deprimeris? Cumque ad interrogata respondere nihil penitùs potuisset, senior ad eum dixit:

Surge,& incommodorum, quibus hactenùs laborâsti, remedium à me tibi impetratū scito. Ergò tabulis istic dimissis, confestímque monasterio decedens, donum à Deo tibi concessum in hoc loco, nemini pandas. Qui cùm euigilans surrexisset, sub magna festinatione monasterio digressus, inclinato iam die, vesperì ad cuiusdam Ratgozi potentis viri hospitium diuertit. Cumque ab illo interrogaretur, vndè veniret, per ordinem exposuit, vbì, quandò & quomodò sanitatis donum fuisset adeptus. At ille narrationi eius non credens, teneri eum & custodiri præcepit: ipséque veritatem rei certiùs inquisiturus, eádem nocte ad monasterium venit, & tabulas super tumulum positas reperit. Comitatores quoquè sanati cùm inuenisset, adhuc eiusdem facti penitùs ignaros, diligentiùs ab illis inquisiuit, si talem hominem monasterium pergentes, in comitatu habuissent. Et continuò ex eorum narratione vera esse, quæ domì audierat, deprehendit. Quæ res & præsentibus citiùs innotuit, & ad nos vsque veridica relatione peruenit.

Surdus idé-que mutus sanatur ad sepulcrum S. Othmari.

Vt lux in eodem loco cælitùs apparuerit. *Cap.* II.

PResbyter quidam ex ipsa congregatione, nomine Tanco, dum in eádem ecclesia custodis officium gereret, nocturnæ quietis tempore pro reficiendis luminaribus basilicam solitus introire, tribus vicibus penè omnia reperit extincta. Ad sancti autem viri sepulcrum perueniens, ardētem cereū iuxta illud inuenit. Sciensque luminis illius cælitùs administrari splendorem, extinguere non præsumpsit. Vt verò discessit, lux, quæ per se venerat, per se etiam subtracta est. Vbì etiam & ad maioris indicium miraculi, ignis quidem in candela solitò rutilabat, ceræ verò nihil per hunc ardorem minui videbatur. Hæc idem venerabilis presbyter sępiùs sua relatione confirmans, omne dubitationis argumētum ab hoc facto veritatis narratione depellit.

Cereus cælitùs ardet ibidem.

Miraculū.

Quidam ibidem è casu desperatus, quàm facilè conualuerit. *Cap.* 12.

QVodam etiam tēpore, dum eiusdem ecclesiæ tecta, vetustate dilapsa, necessariò restaurarentur, quidam ex ipsius monasterij familia, tegularum, quas ad fastigia basilicæ deferre debuerat, onere prægrauatus, de ipsa tecti altitudine super viri Dei sepulcrum corruit: moxque immensum aliud lignorum pondus, corruentis impulsum attactu, in ipso eum casûs exitio desuper operuit. Cumque adstantes concurrerent, vt ei, quem iam exanimem crediderunt, funeris debita persoluerent, sublato lignorum pondere, aliquātispèr nullos membrorum motus ostendens iacuit: ac deindè per longa suspiria halitum resumens, absque vlla læsione surrexit incolumis, & ad incepti laborem operis redijt gaudens. In hoc ergò miraculo haud dubiè sancti patris merita claruerunt, cùm & altitudo tecti, vndè supradictus homo ceciderat, non minùs quadraginta pedum mensura à terra esset suspensa, & pondus insequens corruentem, quod ad multorum hominum oppressionem sufficeret, operire præcipitem, non conterere, potuisset.

Stupendum sanè miraculum.

Contractus sanitati restitutus. *Cap.* 13.

ALio tempore cęcus quidam aduениens, hospitio, pauperum necessitatibus præparato, susceptus est. Et nocte eádem cùm ecclesiam vellet adire, puerulus, qui ei ducatum præbere debuerat, ob nimiam frigoris asperitatem, officij sui illi negauit iuuamen. Cumque nimìs doleret, quòd tantæ solennitati interesse non mereretur, (erant quippè Dominicæ diei vigiliæ) adolescens quidam ità membris omnibus contractus, vt nō aliter quoquàm procedere, quàm manibus reptando, potuisset, cùm in eodem loco quiesceret, eius dolori compassus, de lecto se protraxit, & quali potuit solatio cæci vestigia rexit. Vt ergò ecclesiam intrauerunt, vtili errore ad sancti Othmari sepulcrum venêre. Putabat etenim idem beneuolus cæci præcessor, in ipso angulo aliquod ostium patére, per quod cryptam eidem loco vicinam, intrare potuissent. Itaque eximprouisò in sarcophagum viri Dei, quia paulò altiùs eminebat à terra, impingens, subitò resilijt, & ad terram protinùs concidit, totiusque ecclesiæ spatia horrendis impleuit clamoribus. Cæcus verò hæc audiens, ductorem suum insania æstimans agitari, prout poterat, aufugere studuit. Misericors autem Dominus, totius boni author & amator, quia viderat debilem puerum vltra vires opus pietatis exhibere voluisse, beati Othmari etiam meritis id obtinentibus, beneuolentiam eius dono sanitatis dignatus est remu-

Magna humanitas miserè contracti adolescentis.

remunerare. Nam membris protinùs in statum suum restitutis, cæcum, quem paulo antè manibus reptās ad ecclesiam traxit, firmatis iam gressibus per cætera in eodem ambitu orationis loca deduxit. Et quia aliquandiù posteà in ipso monasterio mansit, ità omnibus etiam, qui huic facto minùs interfuerant, idipsum declarauit, vt de eo nulli deincèps licuerit dubitare. Contractus ille sanatur.

Cera in lapidem conuersa. *Cap.* 14.

QVidam enimuerò scholasticorū, ab eodem beati Othmari tumulo particulam ceræ furto subtraxit. Regressus autem ad hospitium, cùm paruipénderet quod commisit, statim manifesta Dei correptione stultitię suæ errorem confusus agnouit. Nam cùm eandem particulā de sinu proferret, in lapidis eam duritiem reperit commutatam. Cumque temeritati obstinationem iunxisset, multo tempore hoc factum à cunctorum agnitione abscondit, præter eum videlicet, qui & earundem rerum tunc erat conscius, & in hoc tempore miraculi, quod retulimus, relator extat fidissimus. Cera mutata in lapidē.

Clerico cuidam manus restitutæ. *Cap.* 15.

ALio quoquè tempore clericus quidam aduenit, cui vtriusque manûs officium miserabili prorsùs modo fuerat denegatum. Nam contortis in volam digitis, vnguibusq; vsque ad ossa palmarum immersis, nimijs sine intermissione cruciabatur miser doloribus: adeò vt etiam quædam partes manuum putrefactæ, grauem longiùs fœtorem emitterent. Is cùm non longè à beati viri tumulo consisteret, subitò cœperunt digiti eius singillatìm ex ordine erigi, & ad naturalium concordiam actionum redire. Ipse verò, qui pro concesso sanitatis dono gaudere debuerat, doloris magnitudinem clamore horribili testabatur: & eádem hora manibus ad integrum restitutis, postmodùm sanus abscessit. Miserrimi hominis curatio.

Vt idem sepulcrum in destructione basilicæ illæsum permanserit, & vt in alium locum reliquiæ sancti viri translatæ sint. *Cap.* 16.

QVid nupèr quoquè circa eiusdem viri Dei sepulcrum gestum sit, quandò ecclesia B. Galli reædificandi causa destruebatur, arbitramur non esse silentio supprimendum. In eádem basilica iuxta aram B. Iohannis Baptistę arca quædam parieti contigua, non magnis lapidibus opere cæmentitio in quatuor lateribus constructa, superiùs autem tabulis, quarum crassitudo trium vel quatuor erat digitorum, in transuersum positis, cæmentoque desupèr cooperta visebatur, in qua sæpedicti viri corpusculum paulò altiùs à pauimento subleuatum, tabula lignea tantùm supposita iacebat. Aestimantes igitur multi corpus sancti patris sub terra positum, arcæ verò constructionem ad designandum tantummodò sepulturæ locum commentatam: & ideò tumulum remanere intactū posse credentes, muros ecclesiæ machinis aggressi, crebris arietum ictibus ruere compulerunt. Qui cùm ex omni parte magnæ altitudinis essent, magnisque machinarum impulsibus pariter penè corruentes, sepulcro viri Dei superferrentur, mirum in modum nullam arcæ particulam læserunt: quæ euectis cineribus, sic intacta ex omni parte reperta est, acsì nullo cadentium impetu parietum impetita fuisset. Posteà verò dùm quidam saxum haud grande super eam incautè iecisset, protinùs quadam ex parte confracta est. Tandèm itaque cognito quòd in ea reliquiæ sancti patris haberentur, cum magno eas honore indè transtulerunt, & in ecclesia S. Petri post altarium posuerunt. Præclarum miraculum. Sacræ eius reliquiæ trāsferuntur.

Quæ visio in eodem oratorio cuidam fratri oblata sit. *Cap.* 17.

PAucis deindè diebus exactis, quidam frater dum nocturnas vigilias præueniens, idem oratorium orandi gratia quadam nocte fuisset ingressus, totoque affectu precibus insistens, ad altare direxisset intuitum, nescio quam à dextris altaris in Angelicæ claritatis nitore vidit stare personam, sacerdotali quidem habitu præfulgentem, facie autem ad Orientem versa, gestu corporis intentissimæ orationis specimen exhibentem. Vestimenta verò ipsa tanti fuisse nitoris asseruit, vt humanæ infirmitatis reuerberarent obtutus. Cumq; hoc diù conspiceret, & vtrùm propiùs deberet accedere, anxia mentis hæsitatione trutinaret, persona, quæ apparuerat, se subtrahens eum miraculo & stupore consternatum reliquit. Non est igitur incredibile, eundem venerabilem virū visione præsentiæ suæ Visio fratris cuiusdam.

declarare voluisse, dignè circa translationem suam fraternæ deuotionis iteratam fuisse solertiam.

LIBER II.

De miraculis alijs beati Othmari Abbatis, authore Isone monacho Sangallensi.

PRAEFATIO.

Encomium Vualafridi Abbatis.



Vcusquè virtutes & miracula, ob sanctitatem beati Othmari Abbatis cælitùs declarata, Vualafridus Abba, vir doctus & sapiens, qui in literarum scientia apud nostrates illustris ante alios habebatur, seniorum in cœnobio sancti Galli conuersantium relationibus, seu etiam scriptis veritatis ratione plenissimis fidem accommodans, luculento satis sermone & veraci assertione conscripsit. Sed quia nos fratres, in eodem cœnobio Dei militantes, post harum descriptionem virtutum, multa miraculorum insignia circa corpus eiusdem viri diuinitùs manifestata esse cognouimus, aliqua ex eis ad laudē & gloriam omnipotentis Dei, styli officio memoriæ commendare curauimus: quatenùs hinc liquidò ab omnibus sanum sapientibus colligatur, quàm dignè ab hominibus honorificetur in terris, qui tam manifesta signorum attestatione quotidiè glorificatur in cælis. Non tamen amore eius ducti, aliqua in dubium venientia, vel etiam falsitati obnoxia: sed ea tātùm literis titulare disposuimus, quæ & luce clariùs constat actitata, & multorum narrationibus veraciter noscuntur esse probata.

Quibus miraculis B. Othmari sanctitas in basilica S. Petri Apostoli claruerit. Cap. 1.

CVm beati viri corpusculum, ab accessu popularis turbæ remotum, in oratorio principis Apostolorum per multa annorum spatia quiesceret, plurimis signorū ostensionibus manifesta sanctitatis eius indicia circa tumulum eius frequenter ostensa apparuerunt. Nam multi ex nostræ congregationis fratribus, qui nocturnæ celebrationis vigilias præuenire solebant, causa orationis idem oratorium ingressi, cereos ardentes, vitreasque lucernas sponte sua incensas, frequenter se ibidèm inuenisse affirmabant. Angelorum etiam, inter se choros ducentium, suauissimus ibì concentus audiebatur: quorum præsentiā tanta luminis claritas prosecuta est, vt fenestræ ipsius ecclesiæ maxima splendoris illustratione clarescerent, locaque in vicino posita fulgoris sui immensitatē perfunderent. Dulcissima quoquè odoris fragrantia sæpiùs ibì narratur esse adspersa, quæ & naribus odorantium incognita, & suî iucunditate satis odorifera habebatur. Quibus profectò omnibus patet, vir iste quanti apud Deum sit meriti: iuxta eius sepulcrum cereis atq; lucernis sponte sua irradiatis, Angelicæ modulationis dulcedinem immensa luminis magnitudo consequitur, & incognita odoris fragrantia mortalium olfactu sentitur.

Nota de cælitùs accēsis lucernis.

De cantu Angelorum

Vt Salomon Episcopus, eius sanctimoniam in synodo perstringens, triduanum ieiunium indixerit. Cap. 2.

TAlibus igitur miraculorum indicijs vir Dei Othmarus post altare sancti Petri honorificè sepultus, annis trigintaquatuor, & centum nonagintaquatuor diebus, in pace quieuit. Sed cùm iam omnipotēs Deus lucernam lucis operibus accēsam, hominumq; negligentia diù in occulto positam, ad exemplum atque illustrationem fidelium super candelabrum ponere, ac splendore sanctitatis eius omnibus in domo Dei manentibus luminis sui gratiam vellet administrare, cœtus fratrum, in cœnobio S. Galli sub regulari censura Christo deuotè famulantium, assiduas colloquiorum sermocinationes de meritorum eius excellentia facere cœpit. Huiuscemodi verò colloquijs ijdem fratres sese inuicèm cohortantes, diuino, vt credimus, nutu pariter omnes desiderare cœperunt, vt sancti viri corpusculum ad B. Galli ecclesiam, quæ iam, Deo opitulante, decenter adornata refulsit, iteratò reduceretur. Dictante autem æquitatis ratione, cùm hoc sub tantùm consilio facere non præsumerent, vitæ eius libellum, qui nostrorum solertia antecessorum multiplici testium adnotatione olìm conscriptus, ad nos peruenerat, venerabili Episcopo Salomoni legendum contradunt, suæq; voluntatis affectum, quo omnis eiusdem loci congregatio feruebat, aperiunt: eius per omnia iudicijs, eiusque obedire parati consilijs. Beneuolus autem pontifex, perspectis vitæ eius exemplis, multimodas gratiarum actiones bonorum omnium authori persoluit,

Matth. 5.

Libellus vitæ S. Othmari.

Salomon Episcopus Constantiensis.

ſoluit, quòd bellatorem ſuum pro zelo iuſtitiæ fortiter dimicantem, tam apertis miraculorum oſtenſionibus declarauit. Remoto etiã dubietatis ſcrupulo, de ſanctitate eius quanuis certus extiterit, nil tamẽ temerè, nilq; de ſeipſo inordinatè ſua ſola authoritate voluit definire: ſed more ſuo prudenti vſus conſilio, cauſa Eccleſiaſticorum dogmatũ annualem ſynodum ſolenniter indicit, & presbyteros ac diaconos, diuerſique ordinis clericos apud Conſtantienſe oppidum conuenire pręcipit. Quibus in vnum collectis, venerandus pontifex in medium conſurgit: factoque ſilentio, vitæ ipſius ſanctimoniam, quæ iam multos ibidem reſidentes dulci rumore aliquantulùm permulſerat, ſparsim pro tempore coram omnibus recitauit. Quo facto, cùm maxima clericorum copia in viri Dei laudibus acclamaret, primò Augienſis cœnobij Abbatem, qui etiam tunc temporis cum quibuſdam fratribus nobis valdè chariſſimis illò confluxerat, ac deindè omnem illius concilij clerum Epiſcopus commonuit, vt triduani ieiunij abſtinentiam facientes, totius boni fontem in commune precarentur, quatenùs pietatis ſuæ munere his in rebus ſuæ voluntatis diſpoſitionem dignaretur perficere. Quibus dictis, Epiſcopi ſententiã ſynodus collaudat, ſeque libenter ità facturam eſſe conclamat.

Eccleſia frequenter ieiunium indicit quandò quid noui incentat.

Vt idem Epiſcopus ſanctum corpus de ſepulcro ſuſtulerit, & oblatas ibi illæſas repererit. Cap. 3.

FInito itaque ſynodi huius concilio, ac peracto trium dierũ ieiunio, venerabilis præſul ad idem monaſterium cum ſuis perueniens, ſeniorem noſtrum Grimaldum, rectorem ipſius monaſterij, ac Ludouici Regis archicapellanum, de hac re tractaturus, aggreditur. Poſt amicæ verò ſalutationis officia, cùm mutuis inter ſe colloquijs vitę illius rigorem, ac miracula ob indicium ſanctitatis eius frequenter oſtẽſa cõmemorarent, monachos eiuſdem cœnobij in vnum conuenire præcipiunt, ſimulque cum eis reſidentes, ſanctum corpus de tumulo, in quo eatenùs iacebat, auferendum, atque in S. Galli eccleſiam collocandum, pari voto ac communi conſilio omnes vnanimiter decernunt. Venerabilis etiam Abbas Grimaldus, quorundam animos metu ac formidine ſentiens eſſe permotos, confidentior cæteris effectus, infirmantium mentes conſolando roborat, & paternæ affectionis ſtudio trepidantium corda informat: adſtruens ex diuinæ voluntatis diſpoſitione procedere, quòd tam multi de eodẽ tumulo ſancti viri corpuſculum deſiderarent auferre. Præſul etiam præclarus, cùm Abbatem tam fiducialiter in his rebus gerere conſpiceret, Hartmotum decanum vnà cum cæteris fratribus ſecum aſſumit, ad ſepulcrum accedens, lapidem ſuperpoſitum remouere, ipſumque ſarcophagũ, in quo theſaurus pretioſi corporis iacebat, præcipit aperire. Quo facto, membra ſanctitate plena inſpiciens, monachos Litaniam decantare, precibusque deuotis hortatur inſiſtere. Deindè venerandas ſancti patris exuuias humiliter deoſculans, cũ omni reuerentia de tumulo ſubleuauit, & in lectica, quæ illarum receptui pauloantè compacta fuerat, repoſuit. Sub capite autem, & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgò oblatæ dicuntur, ità illæſæ, atque ab omni corruptione extraneę, ab eodem Epiſcopo inueniebantur, vt in nulla omninò parte colorem vel ſpecimen ſuî amittentes, adſpicientium oculis infra ſpatium ipſius hebdomadæ viderentur eſſe confectæ. Quo verò ordine, quóve in tempore eò loci peruenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem nouimus eſſe manifeſtum. Hoc tamen pro certo ſcimus, quòd per trigintaquinque annos nullus mortalium eius ſepulcrum aperuit, antequàm præſens Epiſcopus, miniſterij ſui fretus authoritate, eiuſdem congregationis fratribus hoc faciendum iniunxit. Idem tamen Epiſcopus venerabiliter eas aſſumens, ſacro corpori appoſuit, ipſumq; corpus cum ſumma cautela obuolutum, in lectica ſuperiùs dicta honorificè commendauit.

Grimaldus Abbas Sangallenſis.

S. Othmari eleuatio.

Nota de panibus, ſiue oblatis res admirãdas.

Beati Othmari tranſlatio, & feſtiuitatis indicta celebratio. Cap. 4.

POſt hæc igitur facto interuallo quasì horæ vnius, præſul deuotus, hortatu Grimaldi Abbatis, debito cum honore ſanctum virum ex eodem oratorio iubet transferre. Tum verò omnis illa monachorũ congregatio, albis continuò veſtibus induta, dulci modulatione in Dei laudibus prorũpens, beati viri corpus lætabunda proſequitur. Sicque per numeroſæ multitudinis populos, quos amor tranſlationis eius attraxerat, magno cum honore deductus, eccleſiam ſancti Galli ingreditur, ac iuxta eius altariũ in dextera parte deponitur. Epiſcopus

Tranſlatio S. Othmari.

autem animaduertens frequentiam populorum, qui diuersis ex partibus illò conuenerant, aliquid de sanctitate illius velle audire, cùm propter frigoris subreptionem faucium raucedine impeditus, ipse ad eos loqui non potuisset, quendã archipresbyterum ambonem conscendere, ac vice suî sermonem ad populum facere iussit: ità videlicet, vt presbyter ipse altiori paululùm loco consistens, ea tantùm proferret, quæ sibi Episcopus in vicino positus dicenda insinuaret. Aliquãtis autem vitæ eius exemplis ac virtutibus coram populo breuiter recitatis, Missarum solennia peraguntur, populusq; ad sua cum gaudio reuertitur. Episcopus verò ipsa nocte mansit in monasterio. Manè autem facto, fratres in vnum collegit, atque inter alia sacræ institutionis documenta, de sancti viri meritis certus existens, confidenter præcipit, vt superueniente depositionis eius die, vigilias ac Missarum solennia honorificè perficiant, diemque illum tam ipsi, quàm omnis familia intra monasterium constituta, in honore beati Othmari feriando, cum gaudio spiritalis lætitiæ festiuum possideant. His omnibus ità, vt retulimus, veraciter peractis, præsul benignus orationibus fratrum ac benedictione munitus, monasterium lætus egreditur.

Eius festum institutum.

Annotatio breuis temporum, in quibus res commemoratæ gestæ sunt. *Cap. 5.*

QVo verò temporum statu, vel sub quibus regni principibus hæc gesta fuerint, si quis piè quærendo cognoscere cupit, in hac nostræ conscriptionis serie facilè poterit inuenire, quod quærit. Ipsa enim temporum statuta in hoc loco ideò conscripsimus, vt & legentium fidem custodiant, & maiorem apud posteros vigorem suî adnotatione scriptis exhibeant. Igitur B. Othmarus primis temporibus Caroli, patris Carlomanni & Pipini, à Vualdrammo nobili ac potente viro, ad eiusdem Caroli præsentiam adductus, cellulam sancti Galli gubernandam ab illo suscepit, eiusque possessiones per multa annorum spatia in diuersis rebus nobiliter augmentando dilatauit. Defuncto autem Carolo non post multos annos, filius eius Carlomannus, diuino, vt putatur, amore omissis secularis pompæ delicijs, germano suo Pipino regni gubernacula reliquit: & primò Romæ in monte Soracti apud ecclesiam sancti Syluestri constructo monasterio, regularis vitæ institutis libera colla subdidit: ac deindè in Samniam prouinciã ob amorem secretioris vitæ secedens, in monasterio sancti Benedicti, quod est situm in castro Cassino, reliquum vitę tempus religiosè conuersando compleuit. At verò Pipinus pater Caroli Imperatoris, per authoritatẽ Stephani Romani Pontificis, deposito ac detonso Rege Childerico, anno ab incarnatione Domini septingẽtesimo quinquagesimoquarto, Indictione septima, ex præfecto palatij Rex constitutus, solus Francis cœpit imperare. His ità gestis, præfatus vir Vualdrammus, ad cuius possessionem cellula sancti Galli quasi hæreditario iure pertinere videbatur, comperto quòd Pipinus ex Francorum consensu in regni esset sede collocatus, virum Dei Othmarum, sicut superior vitæ eius libellus edocet, iteratò assumens, ad palatium perduxit, atque eiusdem loci titulum ipsi Othmaro à Rege commendari postulauit. Quo facto, sanctus vir, multis regiæ largitatis muneribus pro eiusdem loci instructione susceptis, gaudens & tripudians, ad monasterium redijt. Septimo autem anno regnante Pipino, Vuarini & Ruadhardi potentia iniustè oppressus, plenus dierum, plenus etiam sanctitate meritorum, de angustijs huius vitæ eripitur, & pro bonorum studijs operum ad æternæ beatitudinis gaudia perducitur. Euolutis post hæc decem annis, à suis monachis ad monasterium translatus, inter aram sancti Iohannis Baptistæ & parietem ecclesiæ, in dextra altaris parte honorificę † commendatur: ac deindè interpositis non minùs sexaginta annis, decimoseptimo Calendas Maij, in die sancto parasceues Paschæ, ad oratorium sancti Petri deducitur. Post hæc autem trigesimoquinto anno, incarnationis autem Domini octingentesimo sexagesimoquarto, Indictione duodecima sub pijssimo Rege Ludouico, translationem, quam suprà descripsimus, Grimaldus Regis archicapellanus, atque ipsius Abba monasterij, cum Salomone Constantiensis Ecclesiæ præsule, quarta feria sub octauo Calendarum Nouembrium die peregit. Et vt nos solerti studio indagare potuimus, à septimo Pipini anno, quo vir sanctus de huius seculi angustijs commigrauit, vsque ad hanc translationem, centum & quatuor anni cõputantur.

Carlomannus vltrò se principatu abdicans, fit monachus.

† videtur deesse, sepulturæ, aut aliquid eiusmodi.

Incognita odoris fragrantia circa corpus eius adspersa. *Cap. 6.*

Descri-

DEscriptis temporibus, in quibus res superiùs commemoratæ gerebantur, nunc ad miracula veniamus, quæ post translationem, quam retulimus, circa reliquias sancti Othmari, omnipotentis Dei virtute manifestata esse cognouimus. Venerandis sancti patris exuuijs ad basilicam sancti Galli præfato ordine deportatis, continuò in ipsa nocte, Episcopo adhuc infra monasterium constituto, magna odoris fragrãtia in basilica sancti Galli circunquaquè diffusa, maximè iuxta beati Othmari corpus, quasi in modum nebulæ volitando, redundare comperta est. Cuius odoris fragrantia cùm continuatis tribus diebus ac noctibus ibidèm duraret, non tamen ab omnibus potuit sentiri: sed quidam nostræ congregationis fratres, qui etiam religiosiores esse videbantur, suauitatem illius degustabant, & religionis suæ authoritate, huius rei veritatem apud cæteros commendabant. Quibus etiam odor ipse, quanuis incognitus, atque catenùs inexpertus extiterit, dulcedinem tamen balsami partìm, vt asserunt, poterat imitari. Odor suauissimus ad reliquias S. Othmari.

Lucerna vitrea coram eo cælitùs incensa. *Cap.* 7.

IN proximo quoquè sabbato, id est, quarta die à beati viri translatione, sanctum corpus post aram sancti Iohãnis Baptistæ interim collocatur, donèc noua basilica, sub eius honore dedicanda, ipsius habitationi ædificaretur. Eadem ergò nocte Dominica, ecclesiæ custos, cùm nocturnæ celebrationis vigilias consurgendo præueniret, more solito basilicam ingressus, cuncta eius luminaria penè extincta reperit. Cuius vestigia presbyter quidam nostræ congregationis latẽter subsecutus, cancellos basilicæ egreditur, ibi coram sacro corpore oraturus prosternitur. Consurgens verò ab oratione, lucernam vitream sponte sua inibi adspexit incensam. Quo viso, attentiùs incubuit: egressusq; de oratorio, nemini luminis ipsius administrationem tam citò indicare decreuit. De custodibus quoquè ecclesiæ nullus eandem lucernam extinxit: quia alius ab alio eam incensam esse existimauit. Illa verò clariùs cæteris resplendens, tota Dominica die quasi per singula horarum spatia maiori semper luminis perfundebatur abundantia. Presbyter autem, cui illa cælestis administratio luminis primitùs manifestabatur, tanti signum miraculi metuens silentio opprimere, finita iam vespertina synaxi, cæteris hoc fratribus indicauit. Tum multi nostrorum lumen ipsum cupientes videre, propiùs accedunt, & prout illis visum fuerat, ignem ipsum, qui quasi à medio noctis tempore ardere non destitit, nihil omninò ex liquore olei consumpsisse dephrehendunt. Deindè cùm ipsa lucerna quasi vehemẽtiùs ardere cœpisset, oleo paulatìm decrescente, lux eadem semper seipsa maior existens, ac tota sequenti nocte vniuersam sancti Galli basilicam fulgoris sui immensitate perfundens, incensionem suî quasi ad octauam diei horam in secunda feria protraxit. Tunc enim custos ecclesiæ, cernens eam minorari aliquantulùm, finita iam Missa, funem, quo lucerna dependebat, incautè laxando submisit, sicq; lux ipsa discessit. Tum verò mirum in modum sub plumbo, cui papyrus imponebatur, cerneres ignem eius vnius digiti mẽsuram ex oleo consumpsisse, & eidem plumbo super se posito nil omninò dispendij vel læsionis intulisse. Vbi quid stupendum, quid've potiùs sit admirandum, non facilè intelligere possum: hoc videlicet, quòd lux ipsa per se irradiata extitit, an illud, quòd tandiù ardens, nihil ex liquore olei minorauit: vel etiam id, quòd ignis ipse plumbi mollitiem super se positam, caloris sui potentia non resoluit.

Lucerna cęlitùs accensa.

Vide rẽ admirandam.

Plumbum calore ignis non resoluitur.

In vigilia festiuitatis eius, alia itidèm lucerna spontè incensa. *Cap.* 8.

POst huius ostensionem miraculi, adueniente depositionis eius festiuitate, vespertinæ celebritatis vigilias solenniter peragere studuimus. Quibus ritè peractis, quidam de ministris ecclesiæ coronam, quæ ob eiusdem festiuitatis gaudia coram sancto corpore incendebatur, extinxit. Et cùm lucernam, quæ in medio ipsius coronę pendebat, iteratò vellet incendere, sponte sua adspexit eam subitò esse irradiatã. Quod multi non solùm ex nostra familia, verumetiam ex scholasticis atque hospitibus, qui tunc temporis monasterium adièrunt, se vidisse testati sunt. Cuius incensionem luminis in hoc etiam cælitùs administrari apparuit, quia cùm nullus mortalium eam reficeret, tamen ante alterius noctis medietatem, acceptæ lucis gratiam moderatè ardendo non amisit. Lucerna cęlitùs incenditur.

Opificum labor in eius solennitate frustratus. *Cap.* 9.

 Deuo-

DEuota quoquè fratrum congregatio, iussionibus Episcopi obtemperans, cùm Dei laudibus insistendo, nocturnalis officij solennia decenter perageret, diemque ipsum omnes infra monasterium constitutos in honore sancti Othmari feriari decerneret, ex ministerio cellerarij tres lignorum opifices, qui in artis huius peritia cæteris etiam videbantur esse præstantiores, ex præceptoris sui iussu in cellam, quæ est supra monasterium constructa, laboraturi succedunt, ibique dolium quoddam, vetustate & incuria dissolutum, coniungere incipiunt. Collectis verò in vnum tabulis, cùm primò fundum illius satis difficilè coadunarent, easdem tabulas diligenter assignatas, in circuitu erigere cœperunt, nec vllo penitùs ingenio per totam ferè diem laborantes, eas constabilire prçualuerunt. Mirumque in modum semper à stationis suæ loco resilire, omnemque artificiosæ manûs copulationem videbantur respuere. Tum ipsi opifices inclinata iam die videntes laborem suum in nullo proficere, iniustè se egisse cognoscunt, & post vesperam ad monasterium redeûtes, prostrati in ecclesia, suam sibi stultitiam non imputari, veniam precando, deposcunt.

Punitur quorũdam temeritas, diẽ festum violantium.

Quemadmodùm panis fastidio laborans, eius desiderio correptus sit. *Cap.* 10.

Nota rem miram.

ADolescens quidam de pago, qui vocatur * Elisaza, progenitus, qui à natiuitatis exortu, siue, vt cautiùs loquar, à recordationis suę tempore, nũquàm se panem manducâsse asseruit, ad monasterium deueniens, neque panem manducans, neque aliquid ex eo vnquàm degustans, dimidium fereànnum ibidèm permansit. In cibo quoquè vel potu si quippiam panis etiam nescius deglutiuit, statìm cũ admixtione sanguinis, quod acceperat, inuitus euomuit. Hic ergò à beati Othmari festiuitate octaua die basilicã sancti Galli ingressus, cùm orãdo altaria circuiret, ad sanctum Othmarum perueniens, eius suffragijs sese adiuuari tota intentione precatur. Tum primò nimietate frigoris in pectore concutitur: ac deindè in modum ebrij, capitis grauitate nimioque stupore circundatur. Et cùm ad gradus, sacro corpori contiguos, per quos crypta intratur, deueniret, tanto panis desiderio anxiari cœpit, vt continuò de crypta rediens, presbyterum quendam, in ipso monasterio commorantem, panem sibi dare deposceret. Idem verò presbyter cùm pro certo sciret, eum anteà panem non manducâsse, basilicam paruulam, in honore sanctæ Dei genitricis dedicatam, ingressus, panem benedicit, illique paruum primò frustulum quasi pro benedictione manducandum porrigit. Quod cùm ille stans iuxta altare deglutiret, confestìm cruentatum de eius ore exiliens, post ostium basilicæ in pauimentum cecidit. Stupefactus verò presbyter, quid strueret, vel cur panem eatenùs sibi denegatum manducare vellet, interrogat. Et cùm primitùs illum, iuxta corpus beati Othmari, eius desiderio inuasum perdisceret, porrecto illi pane, Festinanter, ait, ad eum locum tendito, in quo primùm panis desiderium habere cœpisti. Fortassis enim Deus illo in loco suæ pietatis tibi conferre dignabitur auxilium. Cuius præceptis pauperculus obediens, ad ecclesiam redijt, & antequàm illò perueniret, panẽ, quem à presbytero acceperat, manducando consumpsit. Ingressus verò ecclesiam, celeriter miraculo diuulgato, à multis nostrorum panem accepit, & coram sancto viri Dei corpore sedens, satis auidè comédit. Qui hucusquè apud nos constitutus, consueto hominum more panem sine tædio manducat, atque hoc miraculum diuina pietate in se esse peractum, viua voce proclamat.

Mira in homine mutatio.

Quidam debilis sanitati restitutus. *Cap.* 11.

QVidam pauperculus, ex Gallorum prouincia genitus, qui sinistrum genu cum pede flaccido, & in sinistram partem detorto contractum, atq; à terra subleuatum, à natiuitatis suæ exordio ponderi potiùs, quàm subsidio deportabat, duobus sustentaculis inter axillas suffultus, domos fidelium eleemosynam quæritando circuire solebat. Hic itaque eodem anno, transactis natiuitatis Dominicæ solennijs, in pago, qui vocatur Linzgeuue, constitutus, virum quendam venerabilem, sacerdotali stola indutum, & vultûs honestate præclarum, sibi in somnis assistere, hisque vocibus se affari asseruit: Si meam, ô paupercule, mansionem adires, baculum tibi donarem, cuius adminiculo sustentatus, per incepta viarum discrimina meliùs incedere præualeres. Cui ille: Domine, ait, mansionem tuam nescio, & in quibus eam partibus quærere debeam, penitùs ignoro.

Visio pauperis cuiusdam.

Ipse

Ipse verò ad eum: Lacum, ait, stagni huius transfretare, illisq; in locis solerter eam inuestigare curato: pro certo sciens, si illò perueneris, quòd pro baculi receptione gaudebis. Et vt faciliùs eam inuenire valeas, nóueris me in domo alterius adhuc positum esse, ac propriæ mansionis habitaculum nôdùm habere. Hac visione pauper ille cômonitus, transgresso lacu, ad cuiusdam presbyteri domum quadam die serò peruénit. Eademque nocte prædicti habitùs virum iteratò sibi assistentem, & cur tam diù in veniendo tardaret, interrogantem adspexit. Ad cuius interrogationem cùm idem debilis ob eiusdem loci ignorantiam, suæque debilitatis incômoda, anteà se nô potuisse venire fateretur, ille pedem eius, nisì celeriter eundem locum adiret, sese abscisurum esse comminabatur. Huiuscemodi ergò iussionibus idem pauper obedire paratus, reddita mortalibus die, presbytero viam dictâte, ad monasterium properat, ibique nocte ipsa, quæ etiam tûc Dominica habebatur, in vigiliarum celebrationibus deuotè pernoctat. Facto autem manè, post recitatum in publica Missa Euangeliû, cùm ad gradus, quos sacro corpori contiguos esse memorauimus, deueniret, neruorum atq; venarum iuncturæ, rupta cute, ac mox subsequente sanguine, franguntur, & membra diù contracta, diuinæ operationis effectu subitò corriguntur. Quorum tensionem atq; fracturam ęger ipse ferre nô præualens, in ipsis gradibus corruit, horrendisque vocibus perstrepens, omnes in ecclesia stantes perterruit. Quorû plurimi concurrentes, eum continuò sustulerunt: cognitoque miraculo, omnipotenti Deo debitas gratiarum actiones retulerunt. Pauper autem ipse eductus de ecclesia, per temporum momenta côualuit: & post aliquot dies sanus à monasterio abscessit.

Alia eiusdẽ visio.

Mira illius curatio.

Mutus loquendi officio donatus. *Cap.* 12.

POst sanitatis huius miraculum exacto trium hebdomadarum spatio, mutus quidam in vicino territorio natus atque nutritus, quem multi nostrorum à primæua ætate locutionis officio nouerant esse priuatum, in Dominica itidèm die monasterium aggressus, ad corpus S. Othmari accessit, & quendam lini globulum piæ deuotionis intuitu eius arcæ superposuit. Quo facto, subitaneo quodam impulsu cum ecstasi mentis terratenùs deiectus, dissolutis linguæ retinaculis, sanguinis copiam ex ore profudit. Quem suis ipse manibus, nè in basilicæ pauimentum caderet, suscipiens, continuò extra ecclesiam proiecit: sicq; ingêti formidine atque terrore peruasus, nemini quod sibi euenerat innotescens, cum omni festinatione monasterio digreditur, & ad mansionem suam citò perueniens, collata sibi facultate loquendi, suos ibidèm notos cum gaudio alloquitur. Quem vt ipsi loquentem, suisque interrogationibus respondentem audiêrunt, nô minima admiratione permoti, hoc miraculum cæteris indicando celeriter diuulgauerunt. Tum verò ex eiusdem loci incolis plurimos vtriusque sexûs in vnû conuenire, & ob concessam muto loquelam obstupescere, ipsumque in illorum medio positum, quomodò sibi contigerit, & vbì, & quandò lingua eius soluta fuerit, cerneres enarrare. Sequenti autem die clericus quidam ex eodem loco illum assumens, ad monasterium reduxit, & huius rei veritatê nobis per ordinem indicauit.

Muto redditur loquendi facultas.

Membris omnibus à natiuitate contractus, meritis sancti corrigitur. *Cap.* 13.

EOdem anno vir quidam, ciuis Aurelianensium, puerulum omnibus penè membrorum iuncturis contractum atq; conglobatum, piæ deuotionis intuitu paruo vehiculo impositum, modò trahendo, modò coram se impellendo, tum etiam proprijs humeris gestando, Romam perduxit. Paucis dierum circulis ibidèm exactis, indè reuertitur: atque, vt ex eius ore didicimus, Alemanniam petere, & sancti Galli monasterium adire noctù in visione cômonetur. Cui ille visioni annuere desiderans, laborioso satis conatu iuga Alpium superat, & quadam die, imminente iam vespera, diù desideratum lassus ingreditur monasterium. Qui etiam in ipso itinere quot molestias, quótve incômodorum pertulerit angustias, testes fuerunt humeri, quos vectibus eiusdê vehiculi adeò contritos esse compérimus, vt multi nostrorum callos in eis duratos esse conspicerent. In primo igitur basilicę ingressu ad corpus beati Othmari perueniens puer ipse, tendentibus sese compagum retinaculis, vehiculo décidens, in pauimêtum prouoluitur, & vocibus horrêdis tecta ecclesiæ complens, nimio se dolore vrgeri, insolito clamoris strepitu protestatur. Senior autê noster Grimaldus, his diebus in monasterio positus,

Visio cuiusdam ciuis Aurelianensis.

Mira sanctorum virtus.

tus, cùm ipsa hora pro foribus basilicę infra claustrum consisteret, audito huiuscemodi strepitu, Salomonem Episcopum, vnà cum Augiensis cœnobij Abbate, qui ipso die ibidèm fortè conuenerant, secum assumens, ecclesiam intrat, causamque tam horrendi atq; insoliti clamoris interrogat. Quid plura? Abbates cum Episcopo propiùs accedunt, flebili vlulatu puerum huc illucque in pauimento volutari cernũt, seseq; ipsum proprijs vnguibus, cogente molestia, lacerare, & quasi discerpere perspiciunt. Post longam huiuscemodi vexationem, sinistra manus in volam contracta, extenditur: incuruata ceruix erigitur: sinistrum genu quoquè cum pede ad tibiam supinato, laxatur: & planta pedis dextri, ab ipsis natibus, quibus impressa fuerat, fracto genu cùm sanguinis effusione, prosiliens, Episcopo etiã adstante, hymnumque Te Deum laudamus, canente, corrigitur. In processu ergò temporis puer ipse ambulare incipit, & modò in monasterio nouis vtens gressibus, huius miraculi idoneus testis existit.

Mirabilis pueri mira curatio.

LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO EIVSDEM ISONIS.



Sancti patris nostri miracula hactenùs à nobis vili sermonum schemate prolata, quanquàm lectoribus beneuolis ad declaranda sanctitatis eius præconia sufficere non dubitemus, tamen quia basilicæ in honorem eius ædificandæ paulò superiùs mentio incidit, qualiter, peracta eius cõstructione, sanctus vir in eam translatus fuerit, quibusque miraculorum ostensionibus sanctitatem eius diuina clemẽtia ibidèm posteà manifestauerit, nè obliuione depereant, successoribus nostris breuiter contradere libet: non pomposa verborum complexione, superuacuam laudantium gloriã aucupantes, sed dictorum tantummodò simplicitate veritatem rerum quærẽtibus ostendere cupientes. Neque enim nostræ, sed illius nos gloriæ potiùs studere condecet, qui electis suis primò bonum velle, deindè tribuit inchoare: tum etiam vires implendi suggerere, ac postremò digna eos mercede remunerans, sanctitatem eorum virtutibus & signis patenter dignatur ostendere. Quapropter ipsum per omnia totius boni fontem, bonorumque omnium largitorem, in beati patris nostri miraculis laudare desideramus, Dauidicum illud dicentes: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Deus bonũ velle, inchoare, & perficere elargitur.

Psal. 113.

De consecratione basilicarum, SS. Othmari & Michaëlis Archangeli, & reparatione muti. Cap. I.

Post translationem igitur suprà memoratã euolutis trium penè annorum spatijs, cùm beati Othmari basilica studijs deuotè eam ędificantium decenter iam perfecta fuisset, senior noster Grimaldus, Ludouici Regis Archicapellanus, præfatum Constantiensis Ecclesiæ præsulem, ad peragẽda consecrationis eius solennia ad monasterium itidèm venire rogauit. Quod dum fama vulgante populis in vicino positis compertum fuisset, videlicet quòd sanctus vir de basilica S. Galli in suum deportandus esset oratorium, sacris eius exequijs interesse cupientes, monasterium cateruatìm adire cœperunt. Episcopus autem die statuto superueniens, ecclesiam sub ipsius nomine solenniter dedicauit. Ac deindè sacrati corporis membra aggressus, quasdã ex eo particulas pro reliquijs deincèps condonandis seorsùm reposuit: Cætera autem manu sua honorificè inuoluens, in sarcophago nouo collocauit. Illas quoq; oblatas, quas narratione superiori in eius tumulo retulimus fuisse repertas, catenùs incorruptas, atq; omnimodìs illęsas perdurâsse miratur, & quasdã ex eis inuolutas sacro itidèm pectori superposuit. Alias verò pyxide recondens, superuenturis temporibus pro sanctitatis eius testimonio conseruare præcepit. Post hæc autẽ nobis omnibus sacris vestibus solenniter paratis, præsul ipse data in altum oratione, presbyteros, qui adstabant, virum Dei foràs deportandũ leuare cõmonuit. Nec mora, cũ crucibus & cereis atq; thuribulis sanctus vir ex ecclesia deportatur, eademq; hora mutus quidã, eius, vt credimus, meritis loquẽdi officio muneratur. Cuius tamẽ persona, vtpotè vilis, quia nobis catenùs incognita extiterat, ideò miraculũ, quod in se patratũ referebat, primò credere dissimulauimus. Sed cùm ex pago, q vocatur Aragenue, se fuisse assereret, à parentibus eius,

Iterũ transferuntur reliquiæ S. Othmari.

Muto restituitur vox.

eius, alijsque, qui eum benè nouerant, nostrorum posteà inquisitione verum hoc esse didicimus. Tum verò omnes nos laudes ac melodias canendo, comitante numerosa populorum multitudine, debita cum veneratione corpus chari patris nostri prosequimur. In prato autem Orientem versùs constituto, paululùm presso gradu, terratenùs prostrati, adorauimus. Surgẽtesque, pias eius exuuias singillatìm subire, ac superiecta velamina deuotione humili cœpimus osculari. Quo facto, cũ veneratione maxima ad monasterium properantes, sanctasque reliquias in suam basilicam introducentes, gratias Deo debita cum laude retulimus, qui tantam nobis lætitiam conferre dignatus est. Quanti ibì iucundantium fletus, quantiq; exultantium singultus oborti fuerint, nequaquàm enarrare valemus: quippè qui nec ipsas Dei laudes crebris singultibus intercepti, absq; lachrymis proferre potuimus. Præcipueq; venerandus pater noster Grimaldus, tripudiantium lętitia motus, à lachrymis se continere nequiuit, agens Deo gratias, quòd suis in temporibus, in loco etiam sibi commendato, tantum decus, taliaq; omnipotentis Dei beneficia videre promeruit. Ad cuius quoquè lætitiæ cumulum Augiensis cœnobij Abba cum quibusdam ipsius loci fratribus eádem hora superuenit, fratresq; ex monasterio, quod Campidona vocatur, ab Abbate suo missi, huiusmodi exequijs, talibusque se interesse gaudijs gratulabantur. Episcopus autem intereà sacras pij patris exuuias in arca saxea recondens, altario supposuit: sicque Missarum celebratione solenniter peracta, benedicens populum, abire permisit. Facta sunt autem hæc anno incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimoseptimo sub pijssimo Rege Ludouico, suprà memoratis principibus pastoralis officij functione curam Ecclesiarũ Dei strenuè agentibus, octaua Calẽdarum Octobrium die, quarta feria, Indictione prima. Die verò sequẽti, vt honor beati viri latiùs augmentaretur, memoratus præsul ex reliquijs eius, quas pridèm huius rei gratia seorsùm cum posuisse retulimus, primò sibi tulit, & posteà Abbati ex Augia, & fratribus de Campidona, cæterisque, religiosis vtiquè ac venerabilibus viris, aliquas ex eis particulas, prout sibi visum fuerat, cõmendauit, nobis præsentibus omnes eos solicitè cõmonẽs, vt per omnia honorificè digneq; eas tractare curarẽt. Quibus peractis, B. Archangeli Michaëlis ecclesiam consecrauit, multosq; sacro chrismate cõfirmans, salutaris fratribus, lætus cum suis monasterio decessit. Altera aũt die Abbatem ex Augia, fratresq; ex Campidona cum laudibus & cantilenis extra monasterium prosequentes, post fraternæ dilectionis colloquia, dato pacis osculo, ad sua remeare cum gaudio permisimus.

Basilica S. Othmari.

Cãpidonense monasterium codidit Hildegardis, Caroli Magni vxor, ibidem sepulta.

Obserua priscorum Germanorum studiũ erga sacras reliquias.

Vt per reliquias sancti viri etiã in locis alijs plurima sint ostensa miracula. *Cap. 2.*

FInita relatione, qualiter vir beatus in suam trãslatus fuerit basilicam, nè fastidioso fortè lectori protractus in longum sermo, turbata mente rugam frontis ingereret, aliqua ex sanctitatis eius indicijs, quæ ipsius clarescẽtibus meritis ibidèm posteà manifestata fuisse perspeximus, in calce huius conscriptionis strictìm ac succinctè subiũgere curauimus. Non vtiquè omnia, quæ vel ipsi facta vidimus, vel ab alijs veraciter patrata esse comperimus, huic opusculo inserentes: sed ex multis pauca, atque à nobis perspecta, in vnum colligere volentes. Cuncta enim hæc facilè enarrari posse non credimus, præsertìm cùm in locis plurimis non ad nos tantùm, sed ad alios quoquè pertinentibus, quæ sacris eius pignoribus ditabantur, tam multa quotidiè miraculorum signa effulserint, vt nec verborum facundia proferri, nec styli instantia absque labore valeant compræhendi. Quapropter his interim omissis, ad ea nos tantùm scribenda conuertimus, quæ & nobiscum omnimodis facta cognouimus, & apud liuoris expertes, attestationi sanctitatis eius sufficere posse confidimus.

De serui cuiusdam pede vulnerato, & meritis S. Othmari sanitati restituto. *Cap. 3.*

QVidam paterfamiliâs, multorũ apud nos cognitione notissimus, seruum quendam habuit, qui operis quippiã faciens, casu pedem vulnerauit. Pes verò ipse protinùs in tumorem versus, adeò venarum contractione debilitatus est, vt ambulandi facultate penitùs priuaretur. Hanc ob causam sustentaculum quoddam geniculo supponens, gressum, quem pedis infirmitas denegabat, per annum ferè integrum arte fulciẽdo subleuare curabat. Is cùm ad beati Othmari suffragia venisset, ante eius altare prostratus orauit: confestimque soluto pede, relictoque sustentaculo, sanus abscessit.

Pes cuiusdã contractus restituitur.

De

De contracto quodam sanato. *Cap. 4.*

NEC multò pòst alius quidam, pedem cum tibia altiùs à terra leuatũ, & ad posteriora contractum, nõ ad subsidium itineris, sed ad ponderis potiùs grauitudinem ferebat. Hic die quadam baculis suffultus, monasterium deuenit, & beati Othmari oratoriũ ingressus, coram altario eius stando, cùm oràsset, pes ipse cum tibia solutus protenditur: sonitumque in modum fracti cuiusdam ligni crepitando emittens, corrigitur. Nec mora, suo restitutus officio, ferentem se ferebat, portantemque grata mercede remunerans deportabat.

Itèm alius quidã contractus.

De sanctimoniali fœmina post diutinam cæcitatem illuminata. *Cap. 5.*

SVb ipsius anni spatio sanctimonialis quædam de oppido, quod Basilea dicitur, ante annos quatuor vtrisq; luminibus orbata, sororis suæ ducatu ad monasterium tendendo peruénit: ibique tribus ferè hebdomadibus cæcitatis tenebris adhuc inuoluta permansit. Annuo autem cursu accedente festiuitate, qua Catholica per orbem Ecclesia sancti spiritûs aduentu lætatur, in sabbato, quod eam præcedens, ipsi quoquè imminet, cùm multitudo populi more solito orationis causa monasterium adiret, sanctimonialis ipsa inter alios, qui aduenerant, hora diei quasì quarta, ante beati viri tumbam oratura prosternitur: ibique aliquantispèr orando, lumen quod amiserat, recepit: multisque in vnum conuenientibus, perspicuitate huius miraculi, magnæ admodùm lætitiæ causa fuit.

Cæca recipit lumen.

VITA S. MARGARETAE Reginæ Scotiæ, cuius festum in decimũsextum Nouembris incidit, habetur 10. Iunij. Consulat itaque Lector tomum tertium, vbi dicto die eius vita describitur.

DE SANCTO EVCHERIO EPISCOPO LVGDVNENSI, EX MARTYROLOGIO ADONIS *Archiepiscopi Treuirorum.*

Nouẽb. 16.



NATALE sancti Eucherij Episcopi Lugdunensis, admirandæ fidei, vitæ & doctrinæ viri. Qui ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conuersus, diù in agro suo super fluuium Durentiam intra septa speluncæ spontè conclusus, Christo seruiuit, ieiunijs & orationibus vacans. Defuncto autem pontifice Lugdunẽsi, cùm vniuersa Ecclesia, iuxta morem à se antiquitùs obseruatum, triduanis ieiunijs & obsecrationibus, qui gubernationem eiusdem Ecclesiæ suscipere deberet, sibi posceret à Domino reuelari, cuidam puero appárens in visu Angelus Domini: Est, inquit, senator quidam Eucherius nomine, super fluuium Durẽtiam retrusus in specu, qui relictis omnibus, quæ possidebat, secutus est Dominum. Ad hunc deducendum pergite, & vobis pastorem illum constituite, quoniam à Deo est electus.

S. Eucheri⁹ in spelunca degit.

Quod cùm puer senioribus diluculò retulisset, omnipotenti Deo, cunctis fratribus congregatis, gratias egérunt: missoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Ecclesiæ curam gerebat, inuenerunt eum, sicut eis Dominus reuelauerat. Cumque illi Archidiaconus rem, propter quam venerant, indicâsset, cœpit cum iuramento dicere, se voluntariè de specu non egressurum, nec cum eo, nisì ligatus duceretur, iturum. Cumque diù talia repeteret, Archidiaconus effracto muro speluncæ eduxit eum, & iuxta quod ipse iurauerat, vinctum perduxit Lugdunum. Quem pari animo vnoque consensu Clerus & populus sibi eligens sacerdotem, in pontificali cathedra solenniter collocauit.

Vide quàm inuitus venit ad Episcopatum.

Huius vxor Galla, in sancto habitu Deo seruiens, spelũcam eius ingressa, omne illic vitæ suæ tempus in studio religionis exegit. Duæ ipsorum filiæ, quarum vna Consortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratia & signorum gloria claruerunt.

Vxorem habuit ante Episcopatũ, quæ posteà desijt esse vxor.

VITA

VITA S. *EDMVNDI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, EX DIVERSIS MS. CODICIBVS PER F. *Laur. Surium, mutato ferè stylo, interdùm paraphrasticôs descripta. Authoris nomen aberat, cùm certum sit, Robertum Richium beati viri fratrem, & Robertum Baconum eius discipulum, illius scripsisse vitam. Historiam, quam nos edimus, habet partim etiam Vincentius Lib. 32. cap. 67. & sequentibus. Est planè fide digna.*

*Eadmundi

CAP. I.



BEATVS Edmundus pago Abendoniensi in hanc lucem editus est: cuius virgineam integritatem miro quodam modo præsignificare visus est omnipotens Deus, quandò præter communem nascentiũ morem ità mundus è maternis visceribus eius singulari beneficio prodijt, vt mundissimus pannus, cui inuolutus fuit, nullam prorsùs maculam ab eo contraxisse videretur, ità vt obstetrices rei nouitate perculsæ, nõ immeritò magna admiratione afficerentur. Cùm autem baptizatus est, mater eum à munditia Edmundum voluit appellari: tum etiam, quòd cùm eum adhuc vtero gestaret, ad beati Edmundi martyris * monumentum orans, illic primùm vitalem in eo spiritum deprehendisset. Dicta est illa Mabilia, pater verò Eduardus: qui, vxore Mabilia consentiente, mundo valefaciens, in monasterio de * Euesham, monasticam induit vestem, & felici cursu vitæ huius reliqua spatia emensus est. Porrò Mabilia in seculo non seculariter viuens, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixit. Reiecto enim seculari habitu, singulis propè noctibus intererat nocturnis Abendoniensium monachorum psalmodijs, atque ad nudum corpus vestem adhibebat cilicinam, quæ & aspera esset, & ad talos vsque se porrigeret: vtque ea magis affligeret carnem, loricam ferream ei adiunxit ad suras vsque pertingentem. Intra ipsam autem loricam duæ erant laminæ ferreæ, quæ cruciatum augerent. Horum autem ipsa moriens hæredes voluit esse duos filios suos Edmundum & Robertum. Tales fuere beati Edmundi parentes, rebus quidem temporarijs locupletes mediocriter, sed morum opibus præpollentes. Atq; ità factum est, vt beatus Edmundus ab ipsis propè incunabulis admodũ religiosè à matre educaretur, & in tenera ætate disceret, quemadmodùm posteà etiam adultus in preces & ieiunia incumbere deberet. Nam vt sua sponte sextis ferijs pane & aqua contentus esset, pia mater ei & promittere, & largiri solebat munuscula, quibus sciret illam ętatulam facilè inuitari, vt sic arte quadam salutaris parsimoniæ studium ei iamtum instillaret.

Nouēb. 16.
Patria S. Edmundi.
Nota puritatem nascentis.
* feretrum
Parentes eius.
*Cynesham
Pater eius fit monachus.
Vita matris sanctissimæ.

CAP. II.

CVm autẽ mitteret eum cum fratre eius Parisios, vt liberalibus disciplinis instituerentur, nè ex ignorantia laberentur in errores, duo eis cilicia dedit, iussitque vt bis vel tèr qualibet hebdomada ea induerent. Timebat enim prudens & religiosa fœmina, nè postquàm pubertatis annos attigissent, per abrupta insanarũ libidinum præcipitia incauti agitarentur. Itaque spiritualium bellorum rudes & imperitos sapienter pæmunire studuit: ipsique Edmundo, quem præscia sanctitatis eius, præ cæteris filijs impensiùs amabat, cùm Lutetiæ literis daret operam, cum lineis indumentis etiam ciliciũ mittere solita fuit. Atq; ille sanctus puer, omnem à se leuitatem repellens, choreas, aliaque ludicra & spectacula deuitauit. Porrò Dominicis & festis diebus, vt erat à matre edoctus, ante sumptum cibum, totum perlegit Psalterium.

Mittitur Parisios studēdi causa.
Nota preces eius.

CAP. III.

EVnti aliquandò apud Oxoniam per pratum quoddam deambulandi causa, sodalibus, vt id faceret, eum inuitantibus, cùm se celeriùs ab illis subduxisset, nè conscientiæ puritatem vel nugis puerilibus, vel ociosis sermonibus cõtaminaret: puer Iesus illi apparuit, candidus & rubicundus, qualem eum sponsa describit in Canticis, & tanquàm à summo cæli vertice repentè in terrã delapsus, sic eum prior appella-

Puer Iesus ei apparet. Cant. 5.

appellauit: Salue dilecte mî. Ille id audiens, vocē ignoti pueri admiratus est. Cernens suauissimus puer Iesus pauefactum illum & hæsitabūdum, rursùs illum compellat: sciscitatur, num vel tenuem suî habeat notionem. Respondet ille columbina simplicitate: Neque ego vllam habeo tuî notitiam, neque me puto tibi esse notum. Tum puer Iesus: Et quînam, inquit, fieri potest, vt tam ego tibi ignotus sim, cùm in scholis ad latus tibi assideam, & vbicunquè sis, comes semper indiuiduus tibi præstò adsim? subiūxitque: Respice in faciem meam, & vide quid illic scriptum sit. Respexit ille, & vidit cælestibus exaratum literis: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Quod cùm puero Iesu indicâsset, ille ocyùs respōdit: Hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, eiusque ardere desiderio, semperque noctibus accuratè imprimere fronti tuæ: quod tibi magno præsidio erit aduersùs mortem repentinam: sed & alijs quoquè, qui illud ità fronti suæ inscripserint. His dictis, omni melle dulcior puer ille, in quem desiderant Angeli prospicere, ab eius oculis disparuit, sed non parùm suauitatis in eius pectore reliquit. Ab eo autem tempore Edmundus nocte vel die studuit passionem Christi animo versare, in eaque meditanda medullitùs delectari. Cùm autem quodam die festo multis occupationibus impeditus, nocte recordaretur, se Dominicæ passionis commemorationem omisisse, caputque fessum quietem reposceret, sub auroram apparuit ei diabolus, & ambas ei detinuit manus, nè Crucis signum posset in fronte pingere. Sed mente orante Edmundo, dæmon inter lectum & parietem decidit. Quem ille horrido gutture appræhensum adiurauit per virtutem passionis Christi & adspersionem sanguinis eius, vt diceret, quibus rebus vel maximè ab ipso infestādo arceri posset. Respondit ille: Ijs videlicet, quas tu modò nominâsti.

Cōtra mortem subitaneam remediū ei ostēdit.

Diabolus eum tentat, sed, virtute passiōis Dominicæ arcetur.

CAP. IIII.

ACcidit autem vt mater eius à corpore migratura, eum ad se acciret. Ad quam ille venit, extremā eius benedictionē percepturus. Qua cùm illa eum amantissimè impertijsset, rogabat Edmundus, vt absentes quoquè liberos suos ea benedictione afficeret. At illa: Nôueris, inquit, fili mî, omnes fratres tuos in te benedictionem percipere, quippè qui per te tuæ erunt virtutis & gratiæ participes. Non enim latuit matrem, quis quātusque futurus esset, cùm id indicijs quibusdam iam antè designatum esset. Viderat enim ipsa, nocte quadam in somnis coronam spineam ferentem illum in capite suo, quæ vehementer accensa, flammas ad sidera vibrabat.

Mater moriens, ei benè precatur

Visio matris.

CAP. V.

CVm socio quodam ambulans, in patriam iturus, vidit campum auibus fuligine nigrioribus opertum. Mirabatur vterque tantam auium multitudinem, sed alterū illum & stupor & tremor ingens obtinuit. Ait ergò Edmundus ad eum: Sta paulispèr extra viam, & te crucis signo communiens, nihil timeas: visuri enim sumus, quid hęc auium monstrosa frequentia portendat. Deindè vident dæmones corpus aterrimum, nec hominis, nec alicuius animantis effigiem referens, rapere sublimè in aëra, simulque aues omnes tanquàm vmbras repentè disparere. Tum Edmundus ad socium conuersus: Aues teterrimas, inquit, quas vidisti, non dubites fuisse dæmones, hominis cuiusdam, qui in pago proximo nupèr obijt, animam ad inferos deportantes. Eam animam nobis expressit informe corpus, quod in aëra sublatum vidimus. Sui enim conditoris imaginem, ad quam facta fuerat, dum esset in corpore, sceleratè viuēdo nequiter deformauit. Paulopòst cùm in pagum venissent, cognouerunt, ea ipsa hora, qua dixerat sanctus Edmundus, è vita quendam abijsse.

Visio Edmundi & socij.

CAP. VI.

POstquàm adolescentiæ metas attigit, ità sensus suos per vitæ spiritalis exercitia rebus bonis & virtutum studio assuefecit, vt ex iugi consuetudine deindè tanquàm naturaliter mala omnia vitaret. Magnam in eo curam posuit, vt velut in tabulis rasis sanctitatis habitum, crebris actionibus bonis acquisitum, quadam imaginaria impressione effingeret, atque ità innocentiæ fundamēto ardua virtutum palatia superstrueret, structuraque per spiritum inchoata, cresceret in spiritum sanctum in Domino. Et certè talis ille effectus est, vt non solùm priùs faceret, quàm doceret: sed etiam priùs faceret, quàm vel facienda audiuisset. Carnis fœdas voluptates & delicias non modò fugit, sed & prorsùs horruit, & abominatus est: & cùm

Vis bonæ consuetudinis.

virtutum

virtutum omnium valdè studiosus esset, castitati tamen singularem nauauit operam, *Castitati*
sciens illud Sapientiæ, incorruptionem hominē Deo proximum facere: quo factum *præcipuè*
est, vt vsque ad supremum vitæ diem inuiolata in eo permanserit virginitas. Vt autem *studet.* *Sap.6.*
cura eius conseruandæ maior ei inesset, de consilio cuiusdam sacerdotis, coram imagine perpetuæ Virginis, sanctissimæ matris Dei castitatis nuncupauit votum, & illi *Promittit*
singulari & incomparabili Virgini se commendans, eam sibi sponsam delegit, vtque *castitatem.*
fœdus cum illa initum prorsùs firmū & stabile fore declararet, nouo quodam modo eam annulo suo tanquàm arrhabone sibi despondit, annulum illum, quem ea causa fecerat, eius imaginis digito infigens, in quo etiam inscripta erat Angelica salutatio. Atque ex eo tempore, vt ipse in suo obitu confessus est, quotiès illius clementissimæ Virginis implorauit opem, illa in tentatione exitum, in persecutione solatium, in *Mater Dei*
afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetrauit. Habuit verò etiam *ab eo inuo-*
in digito suo annulum, cum quo post mortem, vt solent pontifices, sepultus est, cui *care, quid*
itidèm, cunctis admirantibus, Angelica salutatio insculpta fuit, vt beatissima Virgo *ei præstite-*
ipsum, suum sponsum & habere & agnoscere dignaretur. *rit.*

CAP. VII.

Pia mater eius, cùm esset è vita decessura, commendârat ei fratrē eius Robertum, & sorores, vt tanquàm maior natu, illorum curam susciperet. Hæc res ei aliquandiù ab externis occupationibus magnas molestias attulit. Admonuerat eū mater, vt sororum pudicitiæ consuleret: quæ cùm essent speciosæ admodùm, multis periculis expositæ videbantur: quanquàm maternis & sermonibus & exemplis confirmatæ, cæteris fortiores erant. De ijs in quodam virginū monasterio collocandis agere volebat Edmundus cum eius monasterij sororibus. Sed illę negabant, nisi certa numerata pecunia, se illas in suum cōsortium admissuras. Ille veritus hoc ad labem Simo- *Simonię vi-*
niacam pertinere, recessit ab eis: & cùm aliud nil suppeteret, ad Deum deprecādum *tiū summo-*
se contulit, sorores hortans, vt idem ipsæ quoquè facerent. Oratum est igitur, nec de- *perè dete-*
spexit altissimus humilium preces. Innotuit enim Edmundo, in quodam paupere *statur.*
monasterio fœminarum monasticam religionem egregiè florere, & arctissimè conseruari. Illic ergò Edmundus sorores suas degere peroptans, cum loci Præfecta siue Priorissa de ea re colloqui voluit. Sed ea, licet ei ignotus esset, illius sermonem anteuertit, suoque eum nomine appellans, De sororibus tuis, inquit, Edmunde, non est quod mihi quicquam indices. Ego enim Domino reuelante iam scio, quid velis. Si *Sorores su-*
illæ ad nos venerint, repulsam apud nos haudquaquàm patientur. His verbis mirificè *as collocat*
exhilaratus Edmundus, totum curarum pondus, quod à sororibus ei incubuerat, in *in monaste-*
Priorissæ manus deposuit, sorores suas illi commendans: atque ità domesticis absolutus curis, Parisios redijt, liberalium disciplinarum cursum confecturus. Vbi sanè di- *rio.* *Redit Lute-*
ligentissimè in literas incubuit, & magnam ex eis suauitatem percepit: discendi qui- *tiam, & dat*
dem percupidus, sed rectè viuendi cupidior, ità studebat discere, tanquàm semper *operam li-*
victurus: ità viuere, tanquàm cràs moriturus. Ità fiebat, vt & studio benè discendi *teris.*
sensus à rebus friuolis & noxijs auocatos, faciliùs ad benè viuendum accommodaret & disponeret: & ex rectè viuendi consuetudine mentem cælestis lucis fulgoribus serenatam, ad benè discenda subtilia puriùs & tersiùs applicaret. Acutè enim cognoscendis & perspiciendis rerum causis sic animum adhibebat suum, in eoque tam feruens & assiduus fuit, vt breuì admirabiles in doctrina progressiones haberet, & non studiosis modò, sed etiam magistris & præceptoribus miraculi instàr esset.

CAP. VIII.

Hostis autē malignus, teterrimus dæmon, cùm eum cerneret castitati summam *Turpissim'*
impéndere operam, magìs etiam pectoris eius tranquillitatem perturbare ni- *satan insidi-*
tebatur. Itaque puellam quandam, hospitæ eius filiam, illius amore inflammauit, ità *atur pudici-*
vt illa impudicis in eum coniectis oculis, itemque signis & nutibus eum ad turpem *tiæ eius.*
cōcubitum prouocare conaretur. Sed cùm hac ratione nihil proficeret, apertis cum eo verbis cœpit agere, & multis modis ad nefarios amplexus inuitare. Ille verò haud secùs atquè pestem quādam illam fugiens, sæpè obiurgābat & verbis castigabat eam. Sed cùm neque sic vellet ab illo improbo conatu reuocare sese, sed pergeret esse importuna, tandèm apud se deliberans, qua illa posset via reduci ad sanitatem, tempus ei certum præfigit, ad quod adesse debeat. Illa se sperans voti compotem fore, statu- *Impudicam*
to tempore cōfidenter venit. Postquàm autem ad eum ingressa est, & illo iubente su- *puellam ver*
perioribus vestibus nudata, appræhensam virgis egregiè in tergo verberauit, vt stulti- *beribus sa-* *nat.*

Prou. 22. tiam, quæ erat colligata in corde eius, virga disciplinæ fugaret. Tum illa tam malè & duriter accepta, fugit eum, quem anteà tam perditè erat persecuta: tantumq́ue apud eam illi virgarum ictus profecerunt, vt, quemadmodùm ipsa posteà fassa est, deincèps nunquàm eiusmodi tentatione pulsata sit. Cernens autem impurissimus dæmon se tam aperta mali specie eum euertere non posse, per matronam quandam satis, vt videbatur, honestam, eum in turpitudinis foueam pertrahere conatus est. Ea enim sub officij prætextu quædam ei munera obtulit, vt ijs eum illiceret & emolliret ad consentiendum suæ malę voluntati. Quod cùm ille animaduerteret, perquisiuit ex ea, num conscio marito suo his ipsum muneribus afficeret. Respondit illa: Nihil huius nouit vir meus, quem nol͂im scire hunc me tibi peramanter habere honorem. Tum vir sanctus: Ego verò, inquit, nesciente marito tuo dona tua non recipiam. Abijt illa cum muneribus suis, voto frustrata suo: & vir Dei ab eius infestationibus liberatus est.

Matronam, quandā impudicā egregiè à se repellit.

CAP. IX.

POstquàm ex adolescentiæ annis excessit, crescente cum ætate corporis robore, creuit etiam inuisibilis militiæ pugna. Quamobrèm non contentus ille communibus cilicijs, quibus mater eum à teneris annis vti voluit, nouū cilicij genus effinxit, quo carnem suam non tam domare quàm excruciare studuit: quod genus & priscis incognitum, & recentioribus incompertum puto. Habebat ciliciū non ex tenuibus pilis, vt assolet, cōtextum, sed ex chordulis quibusdam, instàr retis multa densitate inter se consertis & intricatis confectum, cui multi inerant noduli, humanæ carni propè intolerabiles. Ab anteriori parte patebat, funiculis à capitio vsq; ad fimbrias hincindè assutis constrictum: qua re fiebat, vt eius noduli corpori arctius apprimerentur, & maiores ei cruciatus afferrent. Nec tamen hoc tormenti genere ille contentus, aliud addidit, maiori etiam admiratione dignius. Vt enim ex perpetua cilicij eius compunctione corpus doleret acriùs, fune ex equorum pilis triplicato ità illud constrinxit, vt à scapulis vsq; ad renes crebro ambitu funis duceretur, & infima parte tanta vi adstringeretur, vt vix corpus inflectere, aut inflexum erigere posset. Et quia interdiù manus & collum, nè homines aduerterent, ea ratione affligere non potuit, noctibus cilicio ea affligebat. Addebat verò etiam femoralia cilicina, & caligas æquè cilicinas, quibus assiduè vtebatur cum lorica illa, quam mater ei reliquerat, duplicia de manu Domini recepturus, pro duplici martyrio, quo se ipse vltrò affecit. Porrò in Aduentu & Quinquagesima plumbeam quandam vestem induit, & durum corium atque nodosum, & ad dolores corporis augmentandos pluribus locis corpus suum funibus constrinxit, nè anima eius peccatorum funibus constringeretur.

Nouū cilicij genus effingit.

Nota diram corporis castigationē.

CAP. X.

CVm artium magister effectus esset, præter morem eorum, qui tum publicè legebant vel profitebātur, Missæ sacrum audire, & preçes Canonicas quotidiè legere consueuit: quę religiosa cōsuetudo etiam discipulis eius profuit, quibus persuasit, vt cum ipso Missæ sacrificio interessent. Vt verò commodiùs & liberiùs id efficere posset, in parœcia, in qua degebat, sacellum construendum curauit in honorem sanctissimæ Virginis Mariæ, quam semper amore singulari coluit & prosecutus est. Accidit autem, vt quidam ex auditoribus eius & morbo & egestate premeretur, nec quenquam haberet, qui opem ferret vllam. Eum iam lecto decumbentem, iussit in hospitium suum inferri: vbì sanè rara quadam humanitate & beneuolentia quinque hebdomadibus coram illo cubauit, eiq́ue in ijs, quæ eius poscebat necessitas, sedulò ministrauit, interim nihilominùs & prælegens, & disputans assiduè. Non vacauit autem magno miraculo, quòd cùm ex ægroti illius manu ob imbecillitatem non rarò vrinale excideret, semper mansit integrum, illius hauddubiò meritis, qui ei propter Deum humanitatis officia præstabat. Alius quidam eius discipulus, è brachio diriter laborans, ei indicauit, tanquàm sancto. At ille ex commiseratione familiariter ait ad eum: Sanet te Christus gratia sua. Postridiè redit ille, & se rectè valere affirmat. Inuasit autem morbus eius in brāchiū Edmundi, quem comiter ferens, paulopòst etiam ipse curatus est.

Construit sacellum in honorē matris Dei.

Singularis eius humanitas.

CAP. XI.

SOlebat quotidiè deuotè & reuerenter dicere precem quandam in honorem matris Dei & beati Euangelistæ Iohannis, cuius initium est, O intemerata &c. Sed cùm aliquandò studijs esset occupatus, illius dicendæ oblitus est. Proxima nocte beatus

atus Iohannes ei appárens, iussit manum porrigere. Habebat enim in manu ferulam, & dirè visus est ei minitari ictum immanem. Sed mox placatus, retinuit manũ, quam iam ad cædendum extenderat: blandeque & familiariter eum admonuit, nè illam precationem vnquàm omitteret. Iam sex annis liberalium artium professorẽ egerat haud vulgarem, cumque socijs suis prælegeret geometriam, mater ei in somnis apparuit, perquisiuit quid legeret, & quid sibi vellent figuræ, quibus adeò intentus esset. Ille vbì respondit quod visum fuit, mater appræhensa manu eius, tres in ea circulos pinxit, patrem & filium & spiritum sanctum ordine eos appellans: addiditque: Hisce deincèps figuris fili mi, intentus esto, omissis istis, quibus te occupas. Tum ille matris vocem intelligens, mox ad Theologiæ studium se transtulit. Pecuniam, quam ei liberales disciplinas profitenti, auditores numerare solebant, puluerìbus opertam in fenestra recõdebat, ità dicens: Terra terræ, & puluis pulueri meritò debet cõmendàri. Sed id sodales quidã animaduertentes, interdùm ioco eam tollebãt: porrò nequam homines furtim eam surripiebant. Postquàm autem Theologiæ animũ appulit, non sat habuit manè sacrificio interfuisse, sed in augmentum pietatis & religionis, in æde sancti Mederici nocturnis aderat vigilijs: post matutinas siue nocturnas preces, in oratione cum lachrymis & gemitibus corã altari sanctæ Mariæ persistebat, ac deindè, nulla corpori quiete data, cum alijs ad scholas accedebat. Vespertinis etiã precibus se præsentem exhibebat. In ædibus sacris reuerenter & piè se gessit, & vel nunquàm, vel rarissimè illic assidere voluït. Archiepiscopus Eboracensis Vualterus cùm eum Theologiæ studere didicisset, sacra biblia suis sumptibus ei scribenda curare voluït. Audierat enim illum Oxoniæ librorũ penuriam pati. Sed id ille recusauit, veritus nè monasteria ea re grauarentur. Habebat ipse Psalteriũ cum glossis, & duodecim prophetas, itemq; Epistolas Decretales: sed hæc omnia distraxit, preciumq; in studiosos inopes Parisijs erogauit. Mirantibus cæteris, cur præter omnium morem codices necessarios venderet, vni ex ijs causam sciscitanti, & stultitiam objiciẽti respondit: Quo plura nouimus, eo quoquè plura facere debemus. Ego verò hos codices distrahens, parùm feci, minusq; quàm debui. Cùm enim dicat Christus, Si vis perfectus esse, vende omnia quæ possides, & da pauperibus: ego qui multa retineo, pauca largitus sum: pusillanimitatis potiùs, quàm prodigalitatis, argui debebam. Tanta autem auiditate sacras complectebatur literas, vt in earũ studio penè insomnes duceret noctes. Studijs intentus, coram se habebat imaginem eburneam beatæ Mariæ, in cuius circuitu depictum erat nostræ redemptionis mysterium. Itaque in codice feruebat lectio, ad imaginem, vel eam potiùs, quam illa repræsentabat, preces dirigebantur: vtrinquè verò eius animo influebat contemplationis dulcedo & ecstasis. Quotiès biblia sacra aperiebat, honoris causa reuerenter ea exosculabatur.

Gratæ sunt sanctis preces, in eorũ honorem fusæ.

Confert se ad studium Theologiæ.

Vigilię eius & preces.

Matt. 19.

Imago S. Mariæ.

CAP. XII.

Breuì autem mirè in Theologiæ studio profecit, ità vt intra annos paucos, multis magna contentione hortantibus, Doctoris titulo ornatus sit: sed id sanè inuitus, quòd illo honore se indignum arbitraretur. At verò iam promotus in Doctorem, adeò cunctis prodesse studuit, acsì omnibus iuuandis natus esset. Erat profectò concionator egregius, disputator acutissimus, pius Theologiæ professor: atque in ijs omnibus alijs effundebat, quod ipse hauserat de fontibus Saluatoris. Non rarò contigit, vt multi & magni viri, cùm eius prælectionibus interessent, lachrymas cohibere non possent, sed codices cõplicare cogerẽtur. Mel & lac erat sub lingua eius, & indè mira suauitas in auditorum mentes distillabat. Multi ex eius schola prodière doctores eximij, qui etiam vitæ eius vestigia pro viribus sectari conati sunt: nonnulli ecclesiasticis beneficijs honorati vel onerati potiùs, flammis oris eius in schola prælegentis incensi, relictis omnibus, monasticam vitam amplexi sunt. Ignis enim in cordis eius altari iugiter ardens, alijs ostendebat lucis iter. Quadam nocte in somnis vidit ignem copiosum existere in schola sua, atque indè septem faculas extrahi. Altera luce in scholis eo prælegente, Abbas quidam Cistertiensis ordinis eò aduénit, & lectione absoluta, septem ex eius discipulis secum abduxit, qui omnes facti sunt in eius monasterio monachi. In ijs vnus fuit Stephanus, qui posteà Clarauallensis Abbas creatus est. Nihil hac re, tanquàm imminuto auditorio suo, mouebatur Edmundus: lætabatur potiùs illo damno, quòd cum animarum salute coniunctum esset. Disputaturus aliquandò de sacrosancta Trinitate, ascendit in cathedram: cumque illic sedens discipulos expectaret, & quid dicturus esset, animo pertractaret, somno oppressus, vidit

Effect⁹ prælectionum eius.

Visio eius.

Multi auditores eius vitã monasticam amplectuntur.

Alia viſio.

columbam ſupernè aduolantem, oreque ſuo ferentem mirificum Chriſti corpus, & ipſius ori inferentem, moxque ad ſuperna reuolantem. Expergefactus, de beatiſſima Trinitate tam præclarè, ſublimiter & luculenter diſſeruit, vt humani ingenij modum propè exceſſiſſe videretur.

CAP. XIII.

Vis concionum eius.

* Sarum

* Solesberienſis,

MVlta ei concionanti gratia aderat, ità vt ignitis ſermonibus ſuis animos auditorum, quantunuìs frigidos, efficaciter inflammaret. Senſit hoc Comes Vuilhelmus * Saleſbre, quem longam ſpatham cognominârunt: qui cùm multo tempore ſua peccata confeſſus non eſſet, nec vellet Chriſtiano more ſacroſanctam Euchariſtiam percipere, in eius concione conuerſus eſt, & ad meliorem frugem ſe recepit. Sub ipſis autem concionibus ſuis vir ſanctus Crucem manu tenebat, quam ſubindè intuens, modò acerbè plorabat, modò leniter ſubridebat. Lachrymarum ei tum cauſa erat, vt ipſus ait, quòd cùm multi eſſent verbi auditores, factores perpauci extarent: licèt Chriſti paſſio eis ob oculos verſaretur, nec innumera ſanctorum exempla deeſſent. Ridebat verò, quòd non ignoraret, per Chriſti paſſionem & Crucem immenſa toti orbi beneficia collata.

CAP. XIIII.

Singularis eius abſtinentia.

ABſtinentiam in omnibus ſingularem ab ipſis primis ætatis initijs cõſectatus eſt, putà in ſermone, cibo, potu, ſomno, rebusque alijs, quantùm humanæ ferrent vires, in ijs temperantiæ ſtudens. Solo pane & aqua ſextis ferijs contentus fuit: interdùm ſolum panem edens, nullum omninò potum admiſit. Vndè id conſecutum eſt, vt nonnunquàm labia eius ſciſſa viderentur, vt ſolet arida tellus, humorem ſitiens. Defluebant à capite & barba pili, medicis eius rei cauſam dicentibus, quòd corpus eius humoribus deſtitutum eſſet. Cibis veſcebatur vilioribus: quòd ſi adeſſent delicata fercula & potus lautior, minùs ijs vtebatur. Nolebat vt ſua cauſa quiſquam ex ipſo perquireret, quibus in prandio veſci vellet: & ſi appoſitas eſcas quiſpiam commendâſſet, guſtare eas nolebat, quòd opiparas eſſe indè cõijceret. Secundis & quartis ferijs, itemque in Septuageſima carnibus abſtinuit: cæteris diebus propè nihil è carnibus vel piſcibus attingens, nec tamen vel diſputationes, vel prælectiones intermiſit. Promotus ad ſacerdotiũ vel preſbyterium, duram illam viuendi rationẽ, quam carnis excruciãdæ cauſa ſuſceperat, etiam duriorem effecit. Rariſſimè bìs in die edebat, idque non niſì honeſta ratione perſuadente. Deniquè tantum ille ſibi abſtinentiæ rigorem indixerat, vt plerique è ſuis putarent eum vel mente captum, vel vita priuatum iri. In preces ſedulus incumbebat, & in nuda humo defigebat genua, idque interdùm tam duriter, vt erumpente ſanguine alterum genu adſpergeretur, alterum verò ſemper callum duceret. Singulis diebus omnia Chriſti crucifixi membra à capite vſque ad pedes ſingulatim ſalutabat ijs verbis, Adoramus te Chriſte &c. Quotidiè etiam triplices dicebat horarias preces, quas vulgò horas vocant, putà Canonicas, ſancti Spiritûs, & perpetuæ Virginis Mariæ: addebatque etiam officium defunctorum. Poſt[illegible]imum exurgens ſomnum, mox vel ad precandum, vel meditandum, vel legendum ſe conferebat, & tam poſt nocturnas vigilias, quas Matutinas vocant, quàm ante eas, ità perſeuerabat. Lectum quidem habuit ſatis honeſtè compoſitum, nec tamen in illo cubabat, ſed in ſcabello, nonnunquàm etiam nuda homo: quandoque verò caput pendulum ad lectum reclinabat. Interdùm etiam, vt dimidio tantùm corpore quieſceret, ſedens capiebat ſomnum: idque annis triginta ità feciſſe creditur. Linteamina, operimentum, vel culcitram non habuit, ſed vel pallio, vel epomide, ſiue ſuperhumerali tegebat ſe. Veſtes vtplurimùm habuit colore cinericio, nec abiectas nimìs, nec valdè precioſas. Ludis vel ſpectaculis ſecularibus ſeſe admiſcere noluit. Beneficium Eccleſiaſticum vel vnum ſolum, licèt crebrò ſibi eſſent oblata, nunquàm habere voluit, niſi præſens reſideret: & illudipſum, ſi prælectionibus vacaturus erat, nullius expectato conſilio, reſignare ſolebat. Tandèm tamen, vt liberiùs poſſet prædicare verbum Dei abſque auditorum onere, in nobili Eccleſia Saliſberienſi accepit cum canonicatu theſaurarij dignitatem, quorundam inſtantia & prece victus. Cauſarum ventilationibus & placitis intereſſe noluit, idque Pontificis Maximi permiſſu, cuius literas impetrauit. Pecuniam non modò tangere, ſed vel adſpicere indignum arbitrabatur, niſì eam, quam ſua manu pauperibus diſtribueret. Cellaria vel alias officinas domûs ſuæ ingredi noluit, parùm id ſe decere exiſtimans. Rationes quoquè rerum ſuarum per ſe repoſcere, indecorũ ſibi arbitrabatur. Quod è facul-

Initiatus ſacerdotio viuit duriùs

Preces eius.

Quo pacto ſomnum ceperit.

Veſtes eius.

Plura beneficia reſpuit vnico contentus.

Pecuniæ cotemptor inſignis.

è facultatibus suis proprium habuit, id commune studuit facere egenis.

CAP. XV.

INtereà sanctitatis eius fama etiam Alpes transgressa est, & cùm summus Pontifex eum Crucis amatorem esse didicisset, Crucis prædicationem ei cum insigni priuilegio demandauit: permittens ei, vt ab ecclesijs acciperet res necessarias, & eorum metere posset carnalia, quibus spiritalia seminabat. Ea tamē potestate ille vti noluit, sed gratis annunciauit Euangelium, suisque stipendijs more ab illis, qui militant, valdè alieno, militauit. Quamobrèm etiam Deus in illa legationis functione & itinere multis cum miraculis cohonestauit. Cùm enim verbum Crucis in pago Lemestrensi prædicaret, iuuenis quidam, iuuenilibus irretitus oblectamentis, ab eius manibus Crucem accipere cupiens, ad eum accessit. Eum verò fœmina quædam à proposito reuocare volens, arrepto pallio retraxit, sed non impunè. Mox enim contracta manus docuit eam, non sibi fas esse, Christo militaturum à tam pia voluntate reuocare. Illa sentiens diuinitùs se percussam, flens & eiulans voces dabat miserabiles. Sciscitante viro sancto, quid id sibi vellet, dictum est, quid accidisset. Tum ille ad mulierem: Vis'ne, inquit, de manu mea Christi crucem accipere? Illa respondente, se id velle: vir sanctus Crucis signum eius humeris imposuit, & illa confestìm sanata est. Rursùs in pago Stradeuicensi illo Crucem prædicante, cùm iuuenis quidam Crucem vellet accipere, amica eius retinuit eum. Sed eam repentè cælestis vindicta oculorum lumine priuauit: flenti verò & ploranti vir beatus pro ea orans, lumen restituit. Alio tempore concionaturus apud Boclandam, vbì Deo famulabantur moniales instituti Cistertiensis, priusquàm eò aduenisset, defuncta monialis cuidam viuenti monachæ apparens, Magister Edmundus, inquit, huc venturus est, & ad populum conciones habiturus. Tu ei filum tali loco repositum offeras, vt ex eo Cruces efficiat. Fecit illa, vt erat admonita, & cùm multæ indè confectæ essent Cruces, permulti signati sunt, nec tamen quicquā ferè de filo decessisse videbatur. Cùm Vuigorniç extra templum concionaretur, horrida nubes se repentè diffudit, vehementes auditoribus imbres minitans. Sentiens vir Dei consternatos illos iam fugam meditari, signum Crucis contra illas nubes expressit, ità dicens: Præcipio tibi, maligne spiritus, vt procùl hinc abscedas, nec hunc populum ausus sis impedire. Dixit, & dispulsa mox atra caligine, nubes lucida obumbrauit eos, interìm in circuitu cum magna tempestate multa pluuia cadente. Sæpè etiam aliâs diuersis temporibus pluuiam & tempestatem ab eo loco, quo concionabatur, auertit.

Gratis prædicat Euangelium & Crucem.

Pœna fœminæ temerariæ.

Eam sanat vir Dei.

Cæcæ lumē impetrat.

Miraculum

Signo Crucis auertit pluuiam.

CAP. XVI.

ACcidit nocte quadam, vt Biblia lectitanti ad lucernam, somnus vigilijs defatigato obreperet importunus: cui cùm resistere non posset, obdormiuit, & interìm candela in codicem decidit, diuque illi inhærens, ardere non destitit. Euigilans indè vir sanctus, vt vidit periculum, obstupit: existimansque Biblia sibi charissima adusta, ingemuit. Sed cùm ablata candela fauillam flatu suo abegisset, non sine magna animi exultatione codicem prorsùs illęsum comperit. Alio quoquè tempore lucernam lectitanti somnus extorsit, vt ipsi cederet vel inuitus. Tum verò mus ingressus, lumen extinxit. Expergefactus posteà vir Dei, videt se lumine destitutum: gemebundus appellat nomen dulcissimum sanctissimæ matris Dei, moxque gratulabundus cernit sibi lumen cęlitùs restitutum. Infestum quandoquè in pede apostema vel tuber tulit, quod medici anthracem siue carbunculum vocant. Calamum igitur arripiens, quo scriptitare solebat, tres vel quatuor Cruces in eius circuitu, vnam super illud depinxit, prædicens deterrimum illud vitium propediem profligatum iri. Altero die ità malum illud omne euanuit, vt nullum eius vestigium cerneretur. Quidam eius cubicularius cilicium & femoralia cilicina, quæ vsu diuturno contriuerat, ab eo comburenda accepit. Et ille quidem misit ea in ignem, sed ignis lambens ea, consumere non potuit, tanquàm vereretur sacrilegij notam sibi inustum iri, si læderet ea, quæ beati viri carnem attigissent. Nec hoc sanè admiratione vacat, quòd in eius cilicio alijsque vestibus vix vnquàm vermis reperiri potuit. A famulis suis vsqueadeò voluit carnis munditiam conseruari, vt si quis eam contaminâsset, is pactis legibus sibi ex eius domo mox emigrandum sciret.

Præclarum miraculum.

Lumē cælitùs ei restituitur.

Pellit Crucis signo anthracem.

Res mira sanè.

CAP. XVII.

CVm autem Cantuariensis sedes iam diù vacâsset, & ad Gregorium nonum Pontificem Maximum deuoluta esset illi metropoli pastorem præficiendi delibe-

ratio, per omnē Angliam ille diligenter per fidos nuncios iussit inquiri, quis illi oneri ferendo inprimìs idoneus, tantoque honore affici præcipuè dignus omnium iudicio censeretur. Tandèm Edmundus vnus omniū & aptissimus & dignissimus existimatus est, eumq; canonicè electum, Cantuariensi Ecclesiæ pastorem dedit. Missi sunt tum spectabiles viri ad Ecclesiā Salisberiensem, qui eum Cantuariam perducerent, sed inquisitū minimè repererunt. In pago aūt Caluensi inuento indicāt, quid de ipso factū sit. At illo consentire nolente, redeunt ad Salisberiēsem Episcopum, quid Edmundus respōderit, exponunt. Præcipit ille grauiter & seuerè, vt obediat. Nec tamen Edmundus flecti potest, donèc dictū est, eum mortiferi peccati periculū minimè euasurum, si cōsentire nolit. Tum ille Deum offendere timens, & precibus victus, & ratione cōuictus, & præcepto adactus, assensit tādèm, sed ità tamen, vt ꝓtestaretur se nulla ratione electioni illi cessurū, nisì grauiter se in Deum peccaturū formidaret. Ità demùm cūctis exultātibus, admodùm honorificè & multa celebritate Archiepiscopus ordinatus est.

Fit Cantuariensis Episcopus, sed non assentit.

Tandèm cedit, ne Deū offendat.

CAP. XVIII.

PAstor igitur in populo Dei constitutus, omni virtutum genere magìs ac magìs enituit: nec de ea, quam diximus, vitæ seueritate & duritia quicquā remisit, sed in dies potiùs quippiā ad eam adiecit. Non induebatur purpura & bysso, aut veste preciosa, vt solent plerique Episcopi: sed contentus erat tunica vel candidi, vel cinericij coloris, precij non magni. At tamen nè frons à cæteris discreparet, superiores vestes honestas habuit, non tamen studio vanitatis. Cùm esset in itinere, si quis ei vel tenuissimæ sortis homo peccata sua confiteri voluisset, mox ab equo desilijt, confitentem audiuit, pium & affabilem illi se præbuit, nec repulit eum vel ob temporis importunitatem, vel ob hospitium propinquum. Pauperibus ostiatìm mendicantibus largas præstabat eleemosynas: malè valentium domos per suos homines diligenter inuisebat, eosque fouebat beneficijs: quibusdam ex illis quotidianū victum & congruum vestitum subministrans. Puellas inopes suo ære nuptui collocandas curabat; quem in vsum applicare solebat mulctas pecuniarias, propter peccata quibusdam iure irrogatas. Ab omni munere excutiebat manus suas, & eos, qui munera acciperent, detestabatur, præsertìm potestatem gerentes, quos ad faciendam iustitiam gratuitos aiebat esse debere, non muneribus inuitari & illici: ijsque crebrò dicebat: Prendere & pendere, non nisì litera vna inter se discrepant: significare volens admodùm propinquum eum esse suspendio, qui præter fas munera libenter accipiat. Et multi quidem, vt eius sibi beneuolentiam conciliarent, multa etiam non parui precij offerebant, sed ille omnia respuebat, aiebatque: Nunc quandò diues sum & nullius egeo, teterrimus satan muneribus capere me vult, quibus etiam tum, cùm pauper essem, corrumpere me non potuit. Sed Dei ego benignitate fretus, spero nunquàm illum hac ratione mihi impositurum. Muneribus enim præter ius fasque datis & acceptis, hodiè corruptus est orbis Christianus, peribitq; etiam priùs quàm id percipiant Christiani, nisì hanc pestem à se extirpare & profligare conentur.

Totus prōptus est ad salutem animarum promouēdam.

Munera cōtemnit.

Muneribus corrūpitur totus mundus.

CAP. XIX.

HVnc in modum se in Episcopatu comparauit & gessit vir sanctus, quandiu pace & tranquillitate potitus est. Sed quia charus & acceptus erat Deo, oportebat eum in tentationum fornace probari & excoqui. Itaque cùm totum se vellet saluti animarum & Ecclesiasticæ libertati tuendæ, vt eius decessores fecerant, impendere, multa ei aduersa & molesta tum à Rege, tum à regni ꝓceribus illata sunt. Immò verò etiam ipsum Cantuariense collegium, quod eum ad illam dignitatem euocauerat, ei proh dolor se opposuit. Interìm ille etiā eos, quos exploratè nouerat suos esse hostes & persecutores, ad oscula pacis, & ad suam familiaritatē passìm admisit, ità vt etiam gratis amicorū officijs & obsequijs, illorum graues iniurias præferre videretur. Qua in re cùm à suis repræhēderetur, ille respondebat: Profectò si mihi vtrunq; amputent brachiū, vel è capite oculos euellant, nihilo mihi chariores erunt. Nolo ego propter eos peccare in Dominum, neq; ex culpis alienis mihi damna cōflare: immò verò mâlim insilire in rogum ardentissimum, quàm peccatū vllum sciens admittere in Deum meum. Cùm autem eius familiares lugerent & mœrerent ob illatas ei iniurias, obiurgabat eos, ità dicens: Sicut mater ægrotanti filio solet amarū offerre poculum, & iubere vt ì salutis recuperandę causa illud ebibat: ità nos aduersa omnia salutis causa perferre debemus, & maris huius inundationes perindè vt lac sugere, atque cum præcursore Domini in deserto mūdi huius comedere mel syluestre. Cōmemorare etiam solebat,

Ob defensionē Ecclesiasticę libertatis multos habet aduersarios.

Nota lector

Matt. 3.

solebat, Christum Dominum, cùm morte afficeretur, nihil repugnâsse, sed potiùs pro eis patrem suum deprecatum esse: itemq; non homini, sed Deo, seruandam esse vindictam. Verumenimuerò cùm se animaduerteret in Anglia pastoris officium ità, vt oporteret, exercere non posse, voluntariū complexus exilium, in Gallias migrauit. Luc. 23. Deut. 32.

CAP. XX.

ANtè verò, quàm è natali emigraret solo, multa per eum Deus miracula effecit. Quidā enim è Clero, laborans febribus, obnixè eum rogauit, vt aquā sacraret, eamq; sibi pro obtinēda sanitate bibendā porrigeret. Fecit vir sanctus, quod rogatus erat: bibit æger aquā sanctam, & repentè morbus abscessit. Alius ex eius Clero, quartana vexatus febre, eo die, quo paroxysmum expectabat, per aulam, vbi discumbebat sanctus Episcopus, pertransijt. Cernens eum vir pius, sciscitabatur cur non pranderet cum cæteris. Ille verò ait se febrem expectare. Tum Episcopus: Ego, inquit, Crucis signum exprimam in morsellū murenæ huius, eumq; in sanctæ Trinitatis nomine ori tuo imponam. Quē si mox comedere voles, sanus eris. Accepit ille morsellū de manu eius, & cum socijs ad mēsam assidens, & manducans vultu hilari & iucundo, curatus est. Quidā vir magnus & literatus, è genu laborans, percepta sancti Episcopi benedictione citò reualuit. Porrò autē ante eius excessum ex Anglia, sanctus Thomas martyr apparuit beato viro, &, vt viriliter ageret, eum cohortatus est, eiusque animum confirmauit. Cùm autē martyris pedem ille osculari vellet, noluit ferre Christi martyr, sed pedem retraxit, illo suspirante atq; illachrymante. Sciscitante autem martyre, cur fleret, & illo respondente, quòd dignus non esset eius beatissimos osculari pedes, martyr ait: Noli hac causa flere: propediem enim ad oris mei osculū admitteris. Aqua benedicta sanat febricitantē. Allū sanat. S. Thomas ei apparet.

CAP. XXI.

CApta indè opportunitate, clàm ab Anglia discessit, & Pōtigniacū in Gallias profectus est: quo in loco nouerat refugium & receptaculū fuisse omniū ab Anglia propter iustitiam exulantium Prælatorum. Illic ad annos sex delituerat beatus Thomas Archiepiscopus Cantuariēsis & martyr: itemq; celebris ille Stephanus à * Languetonia cum aliquot suffraganeis suis multis annis palmam certaminis sui ibì præstolatus erat. Extant verò etiam versus cuiusdam de loco illo: Excedit ex Anglia.

Est Pontigniacum pons exulis, hortus, asylum.
Hîc graditur, spatiatur in hoc, requiescit in illo. Pontigniaci encomiū.

Eò cùm venisset beatus Edmundus, inprimìs reuerenter acceptus est: ibique permanēs, lectioni & assiduis precibus vacabat, & sua manu scriptitabat: interdùm etiā ad propinqua loca concionaturus exibat. Interìm graui morbo corripitur, & sole nimiùm feruente, familiares eius consultum arbitrantur, vt ad locum temperatiorem transferatur. Itaq; vir Dei à Pontiniaco recedens, Soisacense monasterium petijt, vbì etiam vita functus est. Dolentibus autē Pontiniacensibus, quòd ipsos relinqueret, sic eos consolatus est: Ad proximas beati Edmundi Regis & martyris ferias reuertar ad vos. Tum enim sol à nobis longiùs recedens, hyemis frigora adducet. Quod quidem prophetico spiritu illū dixisse, probauit euentus. Illo enim die Pontiniacum corpus eius relatū est, impleuitq; mortuus, quod viuens promiserat. Vbì autē animaduertit diem extremū impendére, sacrosanctum Christi corpus afferri iussit. Eo allato, suas ad illud manus extendens, cum ingenti fiducia ait: Tu es, Domine, in quem credidi, quem prædicaui, quem veraciter docui: & tu mihi testis es, quòd in terris nihil præter te quæsiui. Et vt tu nósti nihil me velle, nisì quod tu vis: ità fiat, Domine, voluntas tua. Mirabantur omnes, qui illic aderant, putabantque eum alienatū mente hæc dicere, maximè quòd haud aliter se gereret, àc si Dominum carne crucifixum, coràm intueretur. Postquàm autem sacrosanctam percepit Eucharistiam, toto illo die adeò iucundus & hilaris fuit, vt omnis ægritudinis expers videretur, multaque omnes, qui illic aderant, admiratione afficerentur. Manabant ab oculis lachrymæ pietatis, perpetuam mentis serenitatem testabatur vultus immutabilis. Sacramento extremæ vnctionis accepto, Crucem non sine lachrymis & gemitibus complectebatur, & mira deuotione àc pietate vulnera Christi crebrò & prolixè deosculabatur. Porrò vulnus lateris illachrymantibus oculis respiciens, diuque ore admoto indè sugens, Haurietis nunc, inquit, aquas de fonte Saluatoris. Eam illius deuotionem & gestus, vltra modū adstantes admirabantur, maximè quòd incredibili hilaritati adiunctam cernerent disciplinam. Denique membris sensìm deficientibus, noua semper mentis gratia in eo pullulabat. Itaque tametsì mors ei erat proxima, nullum tamen mortis Corripitur lethali morbo. Nota sancti viri admirandam in extremis fiduciam. En vt complectitur Crucem. Esa. 12.

signum in eo extitit: nulli gemitus vel suspiria, nullæ eius querimoniæ audiebantur: nec lecto decubuit, vt solent moribundi, sed vel sedit, vel quietem capturus, caput in manū deposuit. Tandèm morbo inualescente, felix anima euolauit è corpore decimosexto Calēdas Decembris, anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo.

Abit è terris in cælum.

CAP. XXII.

Visio cuiusdam.

NOcte autem illa, quæ eius obitum antecessit, quidam vir vitæ venerabilis, in visione vidit illum in primaria æde Cantuariensi in pontificia cathedra sedentem, & habitu pontificali indutum, pedum sua tenentem manu: quosdam verò eius æmulos cathedram ligonibus velle euertere vnà cum Episcopo: cumque iam propè corruere videretur, diuino nutu repentè illic adesse thecam beati Elphegi Archiepiscopi Cantuariensis & martyris, in eamque sine vlla læsione temporis puncto beatum Edmundum recipi. Porrò beatum Elphegum operculum thecæ suæ ab eo loco, vbì eum populus veneratur, manu sua apportare, & eo tegere beati Edmundi corpus, in ipsius theca quiescens, moxque exultabundum dicere, Statuit ei Dominus testamentum. Vbì vir Dei à vita abijt, corpus eius exanime feretro impositum est, vt Pontiniacum deferretur: sed priùs tamen extracta pro more viscera, in S. Iacobi æde apud * Pruuinum tumulata sunt, vbì multis ornantur miraculis. Reliquum corpus ablutum, & vestibus sacris indutum, Pontiniacum honorificè perlatum est. Sed in itinere nocte vna in Templariorum de Coloris domo permansit, completumque est, quod vir sanctus prædixerat. Cùm enim à Pontiniaco discedens, illàc iter haberet, coniectis in eam domum oculis, sciscitabatur cuius esset. Quodam autem respondente, Templariorum eam esse, Cùm Pontiniacum, inquit ille, rediēro, hospes illic pernoctabo. Deniquè ipsis beati Edmundi Regis ferijs corpus sacrum ad fores Pontiniacensis cœnobij adductum, & qua par erat, reuerentia exceptum est. Dilata autem eius sepultura est, dum appararetur sarcophagus, vsque in septimum diem, nec tamen vlla in eo corruptio, nullus ingratus odor depræhensus est. Tota autem nocte illa in precibus fratres mansêre peruigiles, corpusque detecta facie in medio positum, roseo colore perfusum videbatur.

Prophetia S. Edmundi.

Mira gratia in vultu defuncti.

CAP. XXIII.

POrrò custos sacrarij Petrus, videns multos confluere, dareque operam, vt pro animi sui deuotione possint aliquid ex eius reliquijs adipisci, apud se statuit in eandèm curam & cogitationem incumbere. Itaque tanquàm operis quippiam facturus, accedit ad feretrum, tentat auellere annulū à digito beati viri, & alium in eius locum reponere. Cùm autē leniter contrectando nihil proficeret, quanto maximo potuit conatu institit, vt annulū è digito extraheret. Sed videns frustrà se niti, veritus nè in facto deprçhenderetur, procùl abscessit, nec tamen destitit cogitare, si qua via posset peruenire ad id, quod optabat. Deindè rursùs eò se cōfert, licèt pudefactus, applicat os suum ad defuncti aures, demissa voce tanquàm viuenti sic loquitur: Peccaui, sancte pater, quòd non priùs petita venia, quod tuum est, mihi temerè vsurpare institui: sed quia id facere volui honoris tui causa, ignosce (obsecro) confitēti, & optatum munus largire petēti. His dictis, apprçhēdit beati viri manū, summaq; facilitate annulum non tam detractū, quàm elapsum à digito, mirè gratulabundus absportat. Eum autē Abbas inter alias res sacras iussit reponi, atq; ex eius cōtactu vsq; in prçsens, Domino largiēte, multa ęgris beneficia prçstantur. Manè autē innumera hominū aduēnit multitudo, diuinisq; officijs ritè peractis, corpus sacrū à multis honestis & venerabilibus viris humatum est. Illo autem die non nisi tria edita sunt miracula, fortassis quòd plures illic çgroti non adessent, qui curarentur. Postridiè humus corpori superiecta est, & toto ferè octiduo miracula cessârunt. Quod cùm non parum mœroris & admirationis fratribus afferret, frater Hermannus ait sibi crebrò apparuisse beatum virum vultu mœsto & irato, seq; ex eo percontatum, cur à cœptis miraculis cessaret, illumque demonstrâsse sepulcrum suum, dixisse tanta mole terræ oppressas manus non posse se ad cælum tollere Domini deprecandi causa. His auditis, omnes laudant Deum, & ocyùs terram omnem à corpore amouent. Mox vti cœperant, rursùs miracula fiunt: vident cæci, surdorum patescunt aures, ambulant claudi, hydropici detumescunt, morbidi curantur: in carceres coniecti, liberantur: mortui reuiuiscunt: ipsa quoquè bruta animantia, eius beneficia percipiunt. Paulò autem pòst, id est, à sepultura mense quarto, sacrum eius corpus eleuatum est, integrumque repertum, membraque, quæ in defunctis solent obrigescere, flexibilia comperta. Itaque honestiori

Annulo sancti viri curantur permulti.

Multa miracula ad sepulcrum eius.

Res mira.

honestiori loco repositum est, atque ea, quæ iam diximus, miracula, non illic duntaxat, sed etiam in diuersis regionibus, eius meritis declarata sunt. Cùm autē homines quidam temerarij, sancti viri meritis & miraculis derogarent, repentè diuinitùs percussi sunt, & vel inuiti prædicârunt virtutes & signa præclara, quæ per sanctum suum Christus efficiebat: cui est honor & gloria per infinita seculorum secula, Amen.

DE S. GREGORIO Neocæsareensi Episcopo, quem Thaumaturgum vocant, Lector consulat Tomum IIII. vbi eius vita 3. Iulij prolixè habetur.

HISTORIA SANCTI ANIANI EPISCOPI AVRELIANENSIS, EX MANVSCRIPTIS CODICIBVS

per F. Laur. Surium, mutato stylo, aliquanto compræbensiùs descripta.



EA tempestate, qua Hunnica rabies sé in regiones populandas deuastandasque effudit, & Gallijs atrociter imminebat, beatissimus Anianus Aurelianensis vrbis fidum se pastorem declarauit. Metuens enim gregi, quem à Domino pascendum acceperat, (quippè qui ex sancti spiritûs reuelatione, quæ ventura essent, iam antè cognouisset) supplices pro eo ad Deum preces fudit, iram eius ab eo auertere cupiens. Porrò autem cùm iam communibus omnium suffragijs Episcopus electus esset, ab Agrippino viro illustri, & militū magistro petijt, vt eos omnes, quos carceres vinctos detinerent, liberos abire pateretur. Recusabat ille, nescio quid causæ prætexens: sed cùm vellet in templum precandi causa ingredi, ab alto decidit lapis in caput eius, diramque ei plagam imponens, multum ex eo sanguinem expressit. Sensit ilicò ea causa id accidisse, quòd sancti Episcopi preces reiecisset. Mittit ergò, iam à famulis reportatus in domum suam, qui Episcopum vocent: mors enim propter nimiam sanguinis fluxionem iam impendére videbatur. Venit Episcopus, manu sua vulneri Crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires propè iam deplorato, aperiuntur carceres, & exeunt miseri, beati Aniani Episcopi intercessione in libertatem vindicati.

Nouemb. 17

Hunni Gallias populantur.

Punitur diuinitùs magister militum.

Sanat eum Crucis signo S. Anianus.

Condiderat eius decessor beatus Euortius ecclesiā Aureliæ. Eam sanctus Anianus illustriorē reddere volens, culmen eius iussit altiùs euehi. In eo opere præfectus operis siue architectus, labante pede, è tecto corruens, præsentissimum vitæ discrimen adijt, toto quassato corpore, vix vltimo spiritu in illo residente. Id sentiens beatus Anianus, procùl contra eum expressit Crucis signum, ad eumque aduolans, manum eius apprǽhendit, punctoque temporis sanatum, iussit redire ad opus.

Hominem moribundū repentè sanat.

At verò in Gallias irruentibus Hunnis sæuissimus Attila Rex imperabat. Qui cùm Aurelianensem vrbem vellet euertere, beatus Anianus, non quòd carnem poneret brachiū suum, aut in hominū viribus confideret, sed vt officio suo non deesset, Arelaten profectus est, vt Aëtio patritio, qui tum in Gallijs erat, barbaræ gentis crudelitatem explicaret. Cùm autem iter ageret, ad Mamerti viri potentis ædes diuertit, qui grauissimè decumbens, spiritu & voce, omnique gradiendi facultate destitutus, spem viuendi omnem suis ademisse videbatur. Vt autem persensit vxor eius, matrona nobilissima, beatum Anianum aduenisse, ad eius se pedes abiecit, orans vt marito salus redderetur. Accedit igitur vir Dei ad lectum ægrotantis, videt eum horas extremas ducere, procumbit in preces, orat Dominum tota nocte cum lachrymis, donèc manè æger pristinæ sanitati redditus est. Indè pergit Arelaten, & ab Aëtio humanissimè exceptus, indicat quo in periculo versetur Aurelia, implorat eius opem, quam Aëtius liberaliter & prolixè pollicetur. Redit deindè ad ciues suos, non parùm tanti pastoris absentia mœrentes: erigit animos illorū multa consolatione: præparant illi omnia, propulsando hosti opportuna.

Itém alium quendā potentem virum.

HIC

HIC INSERERE LIBET, OB MAIOREM HISTORIAE FIDEM, QVAE D. GREGORIVS *Turonensis habet Lib.2. Historiæ Francorum, cap.7. in hæc verba:*

Attila Rex nititur Aureliam expugnare.



Ttila Hunnorum Rex, à Metensi vrbe egrediens, cùm multas Galliarum ciuitates opprimeret, Aureliam aggreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta vrbe Episcopus, vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis, cuius virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur. Cumque inclusi populi suo pontifici, quid agerent, acclamarent: ille fisus in Deo, monet omnes in oratione prosterni, & cum lachrymis præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Deniquè ijs, vt præceperat, deprecantibus, ait sacerdos: Adspicite de muro ciuitatis, si Dei miseratio iam succurrat. Suspicabatur enim, per Domini misericordiam Aëtium aduenire, ad quem & Arelaten abierat, priùs suspectus futuri. Adspicientes autem de muro, neminem viderunt. & ille: Orate, inquit, fideliter. Dominus enim liberabit vos hodiè. Orantibus illis, ait: Adspicite iterùm. Et cùm adspexissent, neminem viderunt, qui ferret auxilium. Ait eis tertiò: Si fideliter petitis, Dominus velociter adest. At illi cum fletu & eiulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoquè oratione, tertiò iuxta senis imperium adspicientes de muro, viderunt alongè quasi nebulam de terra consurgere. Quod cùm renunciarent, ait sacerdos: Domini auxilium est. Intereà iam trementibus ab impetu arietum muris, iamque ruituris, eccè Aëtius & * Theudo Gotthorum Rex ac Thorismundus eius filius, cum exercitibus suis ad ciuitatem accurrunt, aduersumque hostem eijciunt ac repellunt. Itaque liberata obtentu beati antistitis ciuitate, Attilam fugant. Hactenùs Gregorius Turonensis, qui etiam posteà subiungit, neminem ambigere debere, Hunnorum exercitum B. Aniani obtentu fugatum esse. Sequitur nunc in historia S. Aniani:

Hunc alij Theodoricum vocãt.

Attila in fugá compellitur.

Post eam è barbaris reportatam victoriam, S. Anianus lætabatur in Domino, quòd in tanta calamitate, tamque præsenti discrimine, neminem è suis amisisset, nisi si quis fortè diuinam desperans opem, contra eius præceptum barbaro hosti se vltrò tradidisset. Tanta autem meritis beati viri post eam victoriam extitit frugum vbertas in Aurelianensi territorio, vt magna indè ad superiorem lætitiam fieret accessio. Biennio indè elapso, multis virtutum ornamentis illustris B. Anianus, post calcatos seculi fluctus, iam emeritus miles, carnis nexibus expeditus, migrauit ad cælos, ab æterno & immortali Rege seculorum amplissima præmia recepturus. Conditus autem est sepulcro ad occidentalem vrbis Aurelianensis plagam in beatissimi martyris Laurentij æde, vbì meritorum eius præstantiam Christus multiplici miraculorum gloria declarauit. Posteà crescente fidelium deuotione, ad orientalem ciuitatis partem extructo templo insigni, corpus illius eò translatum est, Christo pergente miraculorum signis mirificare sanctum suum: Qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

E vita discedit S. Anianus.

In quodam MS. codice hæc annotata sunt, quæ iam sequuntur:

SAnctus Anianus ciuitatis Viennensis indigena fuit, & parentibus nobilibus oriundus. Cuius germanus sanctus Leonianus, Abbas fuit. Sanctus Anianus in adolescentia videns mundi fallaces diuitias esse, respuens eas, extra ciuitatem cellam construxit: vbì Deo fideliter seruiuit multis annis. Deindè audita fama sanctitatis beati Euurcij, venit ad eum, & demùm ei in pontificatu succesSit.

VITA

VITA B. GREGORII TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI, PER CLERICOS TVRONEN. DESCRIPTA.

Nos numerum capitum margini adiecimus.

PROLOGVS.

OMnium quidem sanctorum iurè memoria veneratur: sed eos primùm fideles honorificant, qui vel doctrina, vel exemplo cęteris clariùs effulsêre. Porrò vnum de his beatum Gregorium Turonicæ sedis Archiepiscopum fuisse, eumq; hac gemina dote resplenduisse, non parua documenta produnt. Cuius nimirùm gesta, vel partìm necessariò scribuntur, nè fama tanti viri quandoquè dubietatis nebula fuscaretur. Et quidem satìs est ad eius gloriam, quòd Christum, cui placere quæsiuit, conscium habet in excelso: sed tamen & hîc nefas est, illius laudes tacere, qui tot Sanctorum studuit laudes propalare. Quæ scilicet relatio quantula erit, nec eius insignia, vt sunt, profert, quoniam plurimis, quæ opinione feruntur, omissis, pauca quædam, quæ ex libris eius approbentur, attingimus. Quòd si quis Iudaico more signa requirens, sanctum quemlibet signorum quantitate metitur: quid de beata Dei genitrice, vel de præcursore Iohanne censebit? Saniùs itaque discernat, quòd in tremendo die multis, qui signa fecerunt, reprobatis, hi qui opera iustitiæ sectati sunt, ad dexteram superni iudicis soli colligentur. Non igitur præsulem nostrum ob gestum miraculorum commendamus, quanuìs & illa non omnimodò deerunt: sed quòd mitis & humilis corde Christum imitatus fuerit, demonstramus.

Sed hic tamē post excessum è vita, innumeris corruscârūt miraculis.

VITA.

GREGORIVS Celtico Galliarum tractu fuit exortus, Aruernicæ regionis indigena, patre Florentio, matre Armentaria procreatus: Et si quid diuinæ generositati terrena conducit nobilitas, parentes eius cùm rebus locupletes, tum quoquè natalibus fulserūt illustres. Sed quòd plerisque munijs diuinæ seruitutis quadam peculiari deuotione itá videbantur annexi, vt quisquis ex his religiosus non existeret, iurè degener notaretur. Ad quod adstruendum, quiddam de propinquioribus inseramus. Itaque Gregorius quondàm senator Leocadiam duxit vxorem. Hęc de stirpe Vetij Pagati descenderat, quem Eusebius in quinto historiarum libro Lugduni passum, ac inter reliquos tunc temporis narrat gloriosiùs agonizatum. Quæ Leocadia peperit sanctum Gallum Aruernicæ sedis Episcopum, atque Florentium huius pueri genitorem. De hoc autem Florentio, sed & de Armentaria matre, de Petro quoquè fratre eius, necnon & de vxore Iustini sorore eius, ac duabus neptibus, Heustena scilicet & Iustina, beatæ Radegundis discipula, libri miraculorum talia referunt, per quæ fides illorum & merita, non exigui momenti fuisse dinoscantur. Hæc autem Aruernis, quæ puerò genialis humus fuit, vehementer olìm caput extulerat, itá vt senatoribus velut vrbs Tarpeia præpolleret. Ab his Gregorij parentela profluxerat. Hæc senatores, hæc Iudices, & quicquid de ordine primariorum dixerim, proferebat. Id sanè de parentibus dictum sit, vt quia Dominus in generatione iusta est, ad laudem Gregorij proficit, quòd ei sua progenies titulo sanctitatis columna videatur. Huius genus & patriam Fortunatus commemorans, inquit:

Nouēbr. 19. Patria & parentes S. Gregorij. Cap. 1.

Vetius Pagatus martyr illustris.

Psal. 13.

Forte decus generis Turonicensis apex
Alpibus Aruernis veniens mons altior ipsis.

Ad matrem quoquè eius:

Felix his meritis sibi Machabæa, vel orbi, 2. Mach. 7.
Quæ septem palmas cælo transmisit ab aluo.
Tu quoquè prole potens rectè Armentaria felix,
Fœtu clara tuo, geniti circundata fructu
Est tibi Gregorij palma, corona, nouus.

Cap.2. Ità nobili stirpe nobilissima proles emergens, vt rosa quædam stipite gratior, decus generositatis auctum in parentes refudit. Et quanuìs iam mysterij maiestas in nominibus non quæratur, tamen hic, vt rebus assertum est, Gregorius competenti præsagio appellatur. Sic enim Græcus vigilantem appellat. Hic deniquè non solùm tertiam vigiliam, sed quod maius est, secundam quoquè, & quod rarissimè videas, obseruauit & primam. Et quia iugum Domini ab adolescentia portauit, sedebit solus (vt ait Ieremias) vel certè prope Martinum. Vt autem ætatulæ robur admisit, literarum studijs mancipatur: in quibus equidem studijs primitùs sub Gallo Episcopo, suo videlicet patruo, sensûs illius teneritudo coaluit. Cùm ergò iam in discendis notarum characteribus ageretur, hunc diuina dispositio virtutum auspicijs initiauit, sanctamque eius infantiam signorum ostensione nobilitauit. Nam pater eius nimia valetudine compræhensus, lectulo decubabat: intimus ossibus ardor furere, podagricus humor forìs intumescere, vapor aridus ora perurgere cœpit, cùm quidam puero per visionem appárens diceret, Legisti librum Iesu Naue? Cui ille, Nihil, inquit, aliud literarum attendo, præter notas, quarum nunc exercitio constrictus affligor. Nam hic liber si sit, prorsùs ignoro. Et ille, Vade, inquit, fac hastulam ex ligno, quæ possit hoc recipere nomen, scriptumque ex atramento, sub paterni capitis fulcro collocabis: quod si feceris, erit ei præsidium. Manè facto, matri, quæ viderat, indicauit. Senserat nimirùm sancti puer ingenij, non suo, sed matris, iudicio rem esse gerendam. Tum illa iubet visionem implere: factum est, & pater de momento conualuit. Quid sanè rationabilius, quàm nomen Iesu, vel lignum ad reparandam sospitatem congrueret?

Luc.12.

Thren.3.

Adhibetur discendis literis puer Gregorius.

Visio eius.

Sanat patrē suum.

Cap.3. Parentes eius vt reuerà nobiles erant, & in Burgundia diffusi lati fundi possessores. Sanctus verò Nicetius, vir totius religionis, qui Lugdunensi pręerat ciuitati, cùm prędicti parentes eum vicinarentur, puerum Gregorium acciri iussit. Quem sanctus vir coràm positum aliquantispèr contemplatus, & nescio quid diuinum in eo commentatus, iussit hunc ad se (iacebat enim in lectulo) leuari: ac velut paradisi colonus, conciuem sibi futurum pręsagiens, vlnis adstrictum cœpit confouere, cùm quidem (quod reticendum non est) ità collobio se totum contexit, vt nec summis digitis puerum contingeret. Hoc sanè castitatis exemplum isdem puer adultus auditoribus suis frequenter inculcabat, ex hac perfecti hominis cautela suadens eos colligere, quantùm fragiles quique, lepóres debeant ac tactus vitare. Benedixit ergò puerum, & imprecatus illi prospera, suis remisit eum. Biennio verò post miraculum, quod dixeramus, fermè exacto, iam memoratus Florentius rediuiuo dolore captatus est: accenditur febris, intumescunt pedes, dolor pessimus pedes intorquet. Perendinata pestis hominem contriuerat, iam penè conclamatus iacebat. Intereà puer vidit iterùm in somno personam, sese, Vtrum'ne librum Tobiæ cognitum haberet, interrogantem. Respondit, Nequaquàm. Qui ait: Nóueris hunc fuisse cæcum, atque per filium ex iecore piscis, Angelo comitante, curatum. Tu ergò fac similiter, & saluabitur genitor tuus. Hæc ille matri retulit: quæ confestìm pueros ad amnem direxit: piscis capitur: quæ de extis iussa fuerant prunis imponuntur. Non fefellit virum euentus: vt enim primò fumus odoris in naribus patris reflauit, protinùs omnis ille tumor dolorque discessit. Si magnū est, os Zachariæ Iohannis merito fuisse reseratum, nec modicum vtiquè est, Florentium non semèl, sed bìs, per filium esse curatum. Senserant ex hoc ijdem parentes, quòd dextro pede potissimè foret innexurus, nec ignorare poterant, quin illum diuina dispositio dexterioribus officijs aptauisset. Quem tamen non continuò totonderunt, ipsius (vt reor) assensum in suscipiendo clericatu postulantes. Literarum tamen studijs instantiùs applicatur.

Nicetius Episcopus Lugdunen.

Obserua mitam pudicitiam tanti Episcopi.

Alia visio pueri Gregorij.

Tob.1.11.

Iterùm sanat patrem suum.

Luc.1.

Cap.4. Adhuc itaque laicus tam sensu quàm corpore adoleuerat, cùm subitò nimia febrium ac stomachi pituita compręhensus, cœpit grauiter ægrotare, languor per dies ingrauescere, medicinalis industria nihil proficere. Quem patruus Gallus frequenter visitabat: genitrix verò, vt mater, cum lamentis assiduabat. Sed cùm iam de humano auxilio desperaretur, cælitùs adolescenti suggestum est, quô se ad diuinum conferret. Rogat igitur, vt ad sepulcrum sancti * Elidij (erat enim iuxtà) portari deberet: sed ei parùm profuit, quia tunc differebatur, quod per illud incommodum quærebatur. Domì reportatus, ità cœpit post paululùm tormentari, vt putaretur ad exitum vrgeri. Vexatio tandèm fecit causam intelligi. Consolatur eos, qui flebant, dicens: Ad sepulcrum beati Elidij me semèl adhuc deferte: fides mea est, quòd ille

* Illidij

ille & mihi sanitatem,& vobis mox præstabit lætitiam. Tunc verò illic deportatus, voce qua poterat orationem fudit,spondens,quia si ab hoc contagio liberaretur,clericatûs habitum suscipere nec prorsùs moraretur. Dixerat,& sensit protinùs discedere febrem: & à naribus eius copia sanguinis defluente,sic omnis illa valetudo disparuit,àc si legatus quidam re, pro qua venerat, obtenta, discedere festinaret. Ità comam deposuit,& se diuinis obsequijs ex toto mancipauit. Nota priscorum fidem de sanctorum virtute & ope. Fit clericus tóso capite.

Cùm ergò sanctus Gallus ad emeritam beatæ vitæ coronam vocaretur,vir Domini Auitus adolescentem suscepit: qui cùm eius ingenium, morumque habitudinem explorauisset, magistrorum diligentiam adhibuit, & quanta vel ipsius industria,vel eorum sedulitas velocitate poterat,ad arcem sapientiæ prouexit. Hæc in vita beati Elidij reperies. Porrò autem in discendis literarum studijs ea se discretione exercuit,vt vtráque nimietate careret, nec poëtarum nænias ex toto horreret, nec (vt plerisque mos est) his indecentiùs hærens,earum lenocinio mente ancillaretur. Fecit enim, quod sufficeit. Aciem cordis velutì ad quandam cotem exacuit, & itá quasì ab Aegyptijs vasa aurea promutuans,& ad eremum, qua manna comederet, demigrans,in perscrutandis diuinarum scripturarum potentatibus intrauit. Quod ipse de se loquens ostendit,dicens: Non ego Saturni fugam, non Iunonis iram, non Iouis stupra commemoro,& cætera monstra,quæ illic sequutus annectit, vsque dum diceret: Hæc omnia tanquàm citò ruitura despiciens,ad diuina potiùs & Euangelica miracula reuertar: Non enim vinciri cupio meis retibus,vel inuolui: in quo se ostendit scisse hæc quidem,sed saniori iudicio respuisse. Tempore præstituto Diaconus ordinatus est. Cap. 5. Quære hæc Tomo 4. 7. Iulij: sed sub Illidij nomine. De Gloria Martyrum l. b. 1. cap. 4.

Ea tempestate erat quidam vir Aruernicus, qui lignum de sacrosancto beati Martini sepulcro detulerat. Sed cùm ligni reuerentiam incautus negligeret, omnis eius familia grauiter ægrotare cœpit. Cùm subindè languor ingrauesceret, & ille causam percussionis ignorans,minùs se emendaret,vidit in somno personam terribilem, cur secum ità ageretur,percontantem. Qui cùm se nescire diceret,Lignum,inquit,quod de lectulo domini Martini tulisti, negligenter hìc retinens, damnum incurristi. Sed vade nunc,defer illud Gregorio diacono. Dignus iam (vt reor) idem Leuita figurabatur,cui dominus iste Martinus preciosa quæque sui gregis esset commendaturus. Tunc temporis apud Aruernum plerique in habitu religionis viri fulgebant, quos idem iuuenis nunc cum beato Auito, nunc semotìm inuisebat, quatenùs vel ab eis exempla pietatis assumeret, vel ipsis, quod fortè deerat, mutua charitate præstaret. Nimirùm in his Christum colebat,& veluti solis iubar in vertice montium refulgens, in his interìm,dum in seipso videri non potest,Christum respiciebat: ad hoc animum intendens,vt ad laudem Christi proferret,quicquid per eos, vel etiam per illos, qui iam cælo præcesserant,operari dignabatur. Sanè inter cæteros,in quibus vt diximus, Christus velut in montibus resplendebat, dominum gloriosum Martinum depræhenderat,qui reliquos velut quidam Olympus excedit,& luculentiùs, vtpotè & terræ vicinior fulgor,ipsa astra reuerberat: in cuius vtiquè veneratione totus orbis meritò iam olìm coniurat,in huius desiderio Gregorius ex asse inferbuit. Hunc semper in corde,hunc in ore gerens,laudem eius vbiquè spargebat. Dum verò mentis animum in exercitio virtutum defigeret, caro eius à proprijs viribus labascebat. Ità quippè mos est. Hinc est,quòd Daniel postquàm Angelicæ visionis contemplatione leuatus est,à carnis virtute deficiens,per multos dies ægrotauit. Cap. 6. Libẽter inuisit viros religiosos. Præclara S. Martini laus. Dan. 8.

Hic itaque virtutibus proficiens,sed viribus corporis intabescens, aliquandò valetudinem cum febre & pustulis incurrerat. Qua tandèm ità confectus est,vt vsu cibi potusque negato,huius vitæ spem amiserit. Vnum tamen supererat,quòd eius fiducia Martino innixa, nullatenùs vacillabat: quinimmò feruentiùs flagrans, tanto eiusdem Martini desiderio succensus est, vt cùm mors penè caput illi merserit, ad visendum tamen eius sepulcrum,iter arripere non dubitauerit. Nec eum sui dehortari possent cùm obnixè restiterint: quia coporis illa febris,febre vincebatur amoris. Et quidem actis duabus vel tribus mansionibus, itineris occasione itidèm languor inualuit. Sed nec tunc omninò cogi potuit, quin ad propositam Martini fiduciam festinaret,nomine diuinæ maiestatis dehortatores obtestans, vt vel viuum, vel fortè defunctum se, ante eius sepulcrum exponerent. Quid plura? Peruenit vtcunquè: probata fides,perfectæ salutis compos effecta est. Et non solùm ille, sed & Armentarius quidam ex eius clericis, qui sensu penitùs caruerat,merito prædictæ fidei sanatus Cap. 7. Ad sepulcrũ S. Martini sanatus est Gregorius.

est. Agens itaque tam pro se, quàm pro illo gratias, amore Martini exatiatus, vel potiùs magìs succensus, ad patriam redijt.

Cap. 8. Aliquandò verò cùm iter de Burgundia ad Aruerniam ageret, magna contra se tempestas exoritur, densus aër in nubibus cogitur: crebris ignibus cælum micare, validisque tonitruorum cœpit fragoribus resonare. Omnes pallescere, imminensque periculum pauitare. Sed Gregorius amicus sanctorum, reliquias (has enim indesinenter collo ferebat) de sinu protrahit, & minacibus constanter nubibus opponit. Quæ protinùs diuisæ, dextra læuaque prætereuntes, illæsum iter gradientibus præbuerunt. At superbia, quæ plerunquè virtutibus nutritur, iuuenili animo protinùs irrepsit: priuatìm gaudet, suisque meritis præstitum arrogat. Sed quid tam vicinum superbiæ, quàm casus? Nam equus, cui insederat, ilicò lapsus, hunc ad terrã grauiter elisit, ità vt omni corpore contusus, vix assurgere posset: causamque intelligens, satis deincèps cauit, nè se vanæ gloriæ stimulus qualibet sub occasione deijceret: sed quotiès per eum aliquid diuina virtus egisset, non suis meritis adscriberet, sed virtuti reliquiarum, quas (vt diximus) perindè ferebat. Quod factum si discusseris, mirabilius est superbiam correxisse, quàm nubem diuisisse. Erat autem in orationibus assuetus, præsertim quietis horis. Solennitas beatæ Mariæ Virginis aduenerat. Siquidem apud Aruernum in villa Marciacensi eius reliquiæ continentur. Tunc fortè Gregorius intererat: qui, cæteris alto sopore depressis, ad secretam orationem suo more processit, conspicatusque eminùs, videt oratorium ingenti claritate fulgere. Credit igitur aliquos deuotorum iam ad celebrandas vigilias processisse. Visione tamen luminis attonitus, illò prætendit, cuncta silentio data depræhendit. Ad ædificium transmisit, sed interìm ostium spontè reseratur. Ille ad Angelicas excubias reuerenter ingressus, diuinam visitationem ilicò agnouit. Claritas, quam aforìs mirabatur, protinùs discessit, nihilque per virtutem gloriosæ Virginis videre potuit.

Nota hæc de sacris reliquijs.

Ecce vt Deus in sancto viro non finit inultam inanis gloriæ culpam.

Solennitas S. Mariæ.

Cap. 9. Anno centesimo septuagesimo secundo post transitum domini Martini, Sigeberto rege anno duodecimo regnante, beatus Euphronius, qui inter virtutes consenescens, tanta gratia donatus est, vt ei prophetiæ spiritus inesse visus sit: appositus est ad patres suos: tempusque aduenerat, vt Gregorius amore beati Martini dudùm flagrans, & ad pastoralis officij ministerium idoneus Episcopus, cathedram eius vice sua regendam suscipere debuisset. Cùm igitur beatus Euphronius obijsset, Turonici de eius successore tractaturi conueniunt. Sed facili discrimine suasum est cunctis, Gregorium in electione præferendum. Personam in loco frequentissimam iam olim sciebant, pluraque eius gesta viro digna conuenerant. Tunc verò cunctis in consona voce coëuntibus, cerneres Deo fauente causam prosperari. Nam clericorum turba, nobilibus viris conferta, plebsque rustica simul & vrbana, pari sententia clámant, Gregorium decernendum, cùm claris meritis, tum quoquè nobilitate pollentem, sapientia præcipuum, generositate primum, principibus notum, ac sua probitate reuerendum, omnibusque officijs habilem. Legatio ad regem dirigitur, cùm quidem Deo dispẽsante, Gregorius coràm reperitur. De hac igitur causa conuentus, quanta humilitate se excusare tentauit, quibus modis subducere visus est? Sed quia velle Dei est hinc, cætera flectuntur. Hunc rex authoritate cogit, hunc Brunechildis regina perurget. Sed quoniam discreta humilitas obedientiã non recusat, tandèm aliquandò assensus est. Quem, vt credo, nè qualibet occasione delatus profugeret, statìm Aegidius Rhemensis Archiepiscopus ordinauit, vt Fortunatus Poëta scribens, ait:

S. Euphronius Episcopus Turonensis.

Vide quàm cupiat subterfugere Episcopatum.

Martino proprium mittit Iulianus alumnum,
    Et fratri præbet, quod sibi dulce fuit:
Quem patris Aegidij Domino manus alma sacrauit,
    Vt populum recreet, quem Radegundis amet.
Huic Segebertus ouans fauet, & Brunichildis honori.

Cap. 10. Sedes itaque Turonica octauodecimo die, postquàm Euphronium amiserat, Gregorium suscepit. Turonensibus verò nouo pastori triumphanter exilientibus, hoc prædictus Poëta panegyricum carmen procudit:

Turonensis creatur Episcopus.

Plaudite nunc populi Turoni, vota tenentes,
    Præsulis aduentu spes gregis ecce venit.
Hoc puer exertus celebret, hoc curua senectus,
    Hoc commune bonum prædicet omnis homo.

Et cætera, quibus hunc & à Turonensibus desideratum, & ad cathedram legaliter ingressum

gressum ostendit. Adeptus ergò præsulatum, qualis vel quantus fuerit, vt compendiosè dicatur, & plures ecclesiæ, quas nouiter construxit, vel quarum sartatecta restaurauit, insinuant, & libri in laudem Sanctorum, vel in expositione sanctarum scripturarum editi, quamprimùm demonstrant. Matrem nanque Ecclesiam, quam dominus Martinus construxerat, nimia vetustate confectam, arcuato schemate reparauit, atque historiatis parietibus per eiusdem Martini gesta decorauit. Quod Metricanorus noster non tacuit, dicens inter cætera: Fortvnatǔ dicunt.

Martini auxilijs operando Gregorius ædem
Reddidit iste nouus, quo fuit ille vetus. Et item:
Fundamenta igitur reparans hæc prisca sacerdos,
Extulit egregiùs, quàm nituêre priùs.

Sed plures alias (vt diximus) construxit, sicut in ipsius Chronicis reperitur, vt est ecclesia sanctę Crucis, vel in Artensi villa. In construendis verò spiritualibus templis, videlicet in custodia gregis, quàm certatìm sese impenderit, vel ex hoc animaduertitur, quòd nec ab ipsis quidem sanctis viris studium suæ prædicationis * constituit. Nam, vt de his taceatur, quorum, vt ait Apostolus, peccata manifesta sunt, de quibus superfluò quicquam diceremus, ad ostendendum quantoperè circa perfectiores solicitus extiterit, duo saltē eorum, quos ob sanctitatis insignia vix præter Gregorium aliquis arguere præsumeret, ad medium deducantur. Haud longè enim post eius ordinationem sanctus Senoch Abbas de cella egressus, ad eum salutādum profectus est. Quem sanctus vir magna reuerentia susceptum, mutuoque colloquio sensìm exploratum, peste superbiæ mox persensit infectum. Sed gratia, quæ in discernendis spiritibus huic suppeditabat, illum ab eádem superbia penitùs expurgauit. Nec dissimili virtute circa beatum quoquè Leobardum extitit solicitus: quem nequam spiritus ità sinistris cogitationibus agitabat, vt propter quandam verborū contumeliam, qua se dudùm recluserat, migrare decreuisset. Sed nec iste potuit incurrere casum, qui Gregorium meruit habere subleuātem. Nam cùm solitò ad maius monasterium, quasì sacra Martini vestigia deosculaturus adiret, solicitus pastor qualiter ouis amore Christi vinculata se gereret, ad eius tugurium diuertit. Cui mox ille secreta cordis, quæ diabolus quasì rationabilia confinxerat, eidem reserauit. Qui protinùs, sagacissimo vt erat ingenio, diaboli commenta depræhendit, & non minimo dolore suspirans, increpare hominem cœpit, ac diabolicam calliditatem verbis competentibus denudauit, domumque reuersus, libros ad propositum monachorum ei congruos pia solicitudine transmisit. Quibus relectis, non solùm ab illa, quam patiebatur, incursione curatus est, sed etiam in sensûs acumine multùm prouectus. Nihil ergò nunc magnificentius quæras, nihil in laude Gregoriana præstantius expectes. Si anima corpore melior, satiùs esse quenquam in ea suscitari, nec quisquam mendax negare potest. Vox autem eius quàm imperiosa fuerit, vel ea quæ dicebat auctoriosa vita subditis inculcauerit, diligens lector in ipsius libris explorabit. Verùm (vt suprà retulimus) incommodo corporis frequenter ob iniuriam carnis fatigabatur: sed quotiès corpusculum, nimio virtutum exercitio fatigatum, languor inclementiùs pulsauisset, ille ad Martinum suum decurrens, concitè sanabatur. Hoc sæpissimè fiebat. Quandò autem & qualiter, in descriptione miraculorum ità dirigitur, vt meritò dilectionem delectet: siquidem vt discretus & humilis, corporea medicamenta sibi primus adhibebat. Sed quanto ille humiliùs expetebat, indignum se iudicans, cui medela per miraculum dari debuisset, tanto diuina largitas hunc ad solam suæ potentiæ medicinam reseruabat.

Cap. 11. Ecclesia S. Crucis.

For* abstinuit.

1. Tim. 5.

In quibusdā sanctis viris aduertit & corrigit vitia quędam.

En vt tātus vir sæpè cōfecto corpore, B. Martini intercessione sanatus est.

Contigit aliquandò, vt solita beati Martini virtute ab vnius temporis dolore sanaretur: cui post paululùm cogitatio per insidiatorem subijt iniecta, quòd pulsus ille venarum, sanguinis possit minutione sedari. Dum id apud se volueret, amborum temporum venæ prosiliunt. Renouatus dolor vndantiùs irrumpit, sed ille concitus ad basilicam properat. Veniam priùs pro cogitatione precatur: dehinc palàm sancti sepulcri capita attigit, & ilicò sanus abscessit. Multa (fateor) in laudibus diuersorum iam ingesserat: sed quanuìs amore Martini vehementiùs inferueret, ad ea tamen, quæ de eius miraculis scribenda erant, se nullatenùs dignum iudicabat, donèc bìs & tèr per soporem admonitus, si taceret, crimen incurrere minaretur. Deniquè oratorium sancti Stephani, quod in suburbio est, iusserat prolongare, & altare, vt erat integrum, in anteà promoueri: sed quia nihil de pignoribus ibidèm reperit, vnum ex

Cap. 12.

Tactu sepulcri ei⁹ ilicò curatur.

Abbatibus, vt eiusdem martyris reliquias exhiberet, ad Episcopum, clauem tamen oblitus, direxit: qui capsam obseratam reperiens, quid faceret, dubitabat: si ad Episcopum pro claue rediret, morosum erat: si capsam exhibuisset, ob multorum pignora sanctorum, quæ ibi continebantur, molestum ei esse sciebat. Cùm igitur apud se hæsisset, vt diuina gratia cooperatricem se Gregorio testaretur, capsam exilientibus repagulis adspicit reseratam. Tunc gratias agens, reliquias non sine admiratione multorum Gregorio detulit: qui reuersus, capsam, vt reliquerat, obseratam inuénit.

Miraculum

Cap. 13. S. Gregori' multa facit miracula, sed ea sanctis adscribit.

Multa quidem Gregorius, quæ insequi longum est, in salute languentium operabatur, quę tamen sub obtentu sanctorum, quorum reliquias perindè ferebat, à suis meritis excludere nitebatur: cùm quidem hæc tanto veriùs per ipsum fiebant, quanto ipse humiliùs alijs tribuebat, vt est illud: Cùm aliquandò per viam graderetur, & Crucem auream cum reliquijs beatæ Mariæ semper Virginis, vel beati Martini, collo gestaret, procùl à via cuiusdam pauperis hospitium incendio conspicit concremari. Erat autem (vt est in vsibus pauperum) folijs atque surculorum cremijs, ignium videlicet fomentis, contectum. Hac illacque miser cum vxore & liberis cursitare & strepere, aquam aduehere. Sed iam flammæ præualuerant, nec poterant mitigari. Tunc verò Gregorius accurrit, & contra flammarum globos Crucem eleuauit: moxque in adspectu sanctarum reliquiarum ità totus ignis obstupuit, vt nec ea, quę iam apprehenderat, vltrà vel ad modicum vstulare possit.

Nota hæc.

Vide miraculum.

Cap. 14.

Causa fuerat, qua Rhemense oppidum adire debuerat. Cumque ab Aegidio pontifice humanitùs fuisset susceptus, ibidèm noctù quieuit. In crastinum verò illucescente Dominica, ad ecclesiam, Episcopo colloquuturus, venit. Cùm autem eius aduentum in secretario præstolaretur, (nolebat enim in ecclesia loqui) Sigo ferendarius quondàm Sigeberti, ad eum accessit. Quem ille osculatum sedere iuxta se fecit. Dum aliquantispèr secum sermocinarentur, & ille de ore Gregorij pendéret, subitò auris eius, quæ pridèm obsurduerat, cum quodam crepitu reserata est. Ille gratias cœpit agere, & quid ei per Gregorium præstitum sit, manifestare. Sed vir Domini, consuetæ non immemor humilitatis, hominem ab hac æstimatione subducere nitens: Noli, ait, dulcissime fili, mihi aliquid gratiæ referre, sed beato Martino, per cuius reliquias, licèt indignus, quas defero, tibi auditus restitutus est, surditas depulsa.

Obserua humilitatē.

Cap. 15.

Virtus nanque charitatis in illo præeminebat adeò, vt ipsis inimicis affectum dilectionis impénderet, vt sequenti patebit exemplo. Quodam enim tempore factum est, vt ad venerabilem matrem suam in Burgundia properaret. In syluis verò abiegnis, quæ trans Verberim fluuium sitæ sunt, latrones incurrit, qui tanto impetu super comitatum eius irruere visi sunt, vt non modò expoliare, sed & occidere velle putarentur. Quorum assultu Gregorius terreri non potuit, qui præsidio Martini circunseptus incedebat. Cuius mox auxilium flagitans, ità sibi adesse expertus est, vt latrones velociùs quàm emerserint, fugam inirent. At Gregorius vsus consueta pietate, nec in perturbatione turbatus, fugientes reuocat ad cibum, & ad potum inimicos inuitat. Sed crederes eos fustibus agi, & inuitos equos contra possibilitatem calcaribus vrgere, vt nec reuocantem audire possint. Ità Gregorius supernis auribus ostensus est vicinus, & operibus charitatis intentus.

En quanta virtus sanctorum.

Cap. 16.

Fides & deuotio populi valdè per Gregorium succrescebat. At malignus hostis non modico dolore torquebatur. Vndè factum est, vt vim suæ malignitatis ferre non sustinens, vel pastoris, vel gregis fiduciam apertis vocibus dementare conaretur. Ipsa nanque Natalis Domini die, cùm Gregorius pontificale festum in principali basilica, sicut mos est, solenniter celebrare procederet, quidam ex energumenis atrocior cæteris, cœpit nimiùm debacchari: & sequentibus, vel obuiantibus turbis, quæ Gregorium sepserant, se obuium ingerens: Frustrà, inquit, Martini limina petitis, cassò eius ædem aditis, qui vos propter multa crimina dereliquit. Eccè vos abhorrens, Romæ mirabilia facit. Hæc & alia plura cunctis, vt erant constipati, populis verba diabolus insibilat. Ad quam vocem non solùm rusticorum corda exturbantur, sed & clerus, quin & ipse Gregorius pauore concutitur. Ingredientes autem cum fletu magno basilicam, omnes pauimento prosternuntur, orantes, vt sancti viri præsentiam mererentur. Quidā verò, cui ante tres annos ambę manus cum vno pede contractæ erant, ante sanctum altare cum reliquis prostratus, beati Martini auxilium postular: qui subitò nimia febre circundatus, tanquàm in eculeo torquebatur extensus.

Inuidia maligni dæmonis.

Inuocatus S. Martinus sanat contractum.

Inter

Inter hæc, sancta solennia gerebantur. Cumque sanctus pontifex fletibus insistens, beati Martini præstolaretur aduentum, diuino mysterio palla iam ex more coperto, languidus ad plenum restituitur sanitati. Quarè Gregorius admodùm gauisus, omnipotenti Deo gratias agit, oculosque lachrymarum imbre suffusus, in hac ad populum voce prorumpit: Timor à cordibus vestris, fratres, abscedat, quia nobiscum beatus confessor inhabitat: nec omninò credite diabolo, qui ab initio mendax est, & in veritate non stetit. Cùm hæc & alia verba consolatoria adstantibus inferret, omnium luctus laxantur in gaudium, multoq; alacriores, quàm venerant, ad sua per Martinum atque Gregorium redièrênt. Ioan. 8.

Quia verò Natalis Domini mentionem fecimus, quid aliquandò in hac die pontifici nostro contigerit, memoremus. Nam in sacrosancta huius Natalis nocte pridianis vigilijs fatigatus, cùm paululùm se cubito collocaret, vir quidam ad eum concitus venit, dicens: Surge, reuertere ad ecclesiam. Ille expergefactus, signum Crucis sibimet imprimens, iterùm obdormiuit. Nec destitit vir ille, quin hominem secundò moneret. Sed cùm excitus grauem se adhuc sentiret, rursùs obdormiuit. Tum verò ille vir tertiò veniens, maxillæ eius alapam impressit, dicens: En tu reliquos ad vigilias admonere debes, & tam diù sopore deprimeris? Qua Gregorius voce perculsus, pernici velocitate ad ecclesiam est regressus. Adeò supernis oculis gratus extitit, vt nec humanitate cogente, negligentiam pati permissus sit suæ salutis. Visum est hoc inserere lectioni, qualiter eum Deus arguere voluerit, nè vel aliorum leuitate peccaret. Nam cùm hunc à desperato languore beatus Martinus ità sanaret, vt ad ecclesiam in crastino properaret, nè se in solennijs Missarum fatigaret, vni presbyterorum hæc celebrare præcepit. Sed cùm presbyter nescio quid rusticè festina verba depromeret, nonnulli de circunstantibus eum irridere cœperunt, dicentes, melius fuisse tacere, quàm sic incultè loqui Nocte autem insequuta vidit virum dicentem sibi, de mysterijs Dei nequaquàm disputandum. Satìs dehinc apud eum constitit, nè stultos & faciles ante se permitteret de beatis solennijs obtrectantes. Cap. 17. Vigiliæ Natalis Domini.

Sæpiùs autem vir Domini, sicut verus & gregis & suìmet consultor, vel subditorum vtilitate, vel propriæ salutis causa longius procedebat. Aliquandò igitur sepulcrum beati Hilarij supplicaturus adiuit, cùm ad visendam quoquè sanctam Radegundem reginam diuertit. Factum est autem, cùm hi duo tanquàm incolæ paradisi secum de cælestibus fabularentur, oleum quod ante pignora sanctæ Crucis guttatìm illic defluere solebat, sic in aduentu Pontificis auctum est, vt infra vnius horæ spatium vltra vnum sextarium exundaret. Porrò cùm hæc beata regina ad regem esset accersenda cælorum, vir Domini Gregorius de eius transitu nuncium accepit. Cumque illa iam eo accurrente migrâsset, sancta eius membra sepulturę locauit. Quo quidem tempore altare solenniter benedixit: operculum tamen Episcopo, qui tunc fortè deerat, reseruauit. Cap. 18. Peregrè abit ad sepulcrum S. Hilarij. Nota rem stupendam.

Causa fuerat, qua Germanum fluuium iuxta Blauiense castrum transmeare debuerit. Sed idem fluuius ità tunc intumuerat, vt intuentibus non paruum horrorem incuteret. Non longè autem sanctus Romanus presbyter requiescit, quem noster, vt vita eius perhibet, Martinus tumulauit. Cùm igitur hinc procella ventorum, illinc montes vndarum ingens periculum nauigaturo minarentur, oculos ad cælum erigens, & ad ecclesiam prædicti Romani subindè respiciens, adeò omne pelagus mox complanauit, vt compressis fragoribus, in ripam alteram sine periculo veheretur. Cap. 19. Sedantur fluctus fluminis.

Sexdecim annos hic in Episcopatu exegerat, cùm æquiuocus eius ille Magnus Gregorius in sede Apostolica subrogatur. Siquidem opinata res est, quòd dudùm alter alteri peculiari sit amicitia deuinctus. Nec immeritò tamen hunc Fortunatus Gregorio comparat Nazianzeno, tanquàm ille datus sit Orienti, Romensis Meridiei, ast hic noster Occidenti. Cùm igitur sacra Apostolorum limina expetîsset, magna cum reuerentia sanctus eum Papa excepit. Quem ad beati Petri confessionem introducens, à látere constitit, præstolans quò assurgeret. Interìm autem (vt erat ingenio profundissimus) secretam Dei dispensationem admirans, considerabat in huiusmodi hominem (erat enim statura breuis) tantam gratiam cælitùs profluxisse. Quod ille mox diuinitùs persentiens, & ab oratione surgens, placidoque, vt erat, vultu ad Papam respiciens: Dominus, inquit, fecit nos, & non ipsi nos: idem in paruis, qui & in magnis. Cumque id suæ cogitationi sanctus Papa responderi cognosceret, Cap. 20. S. Gregori⁹ Papa. It Romã & à Papa humanissimè excipitur.

ret, ipsa sua deprahensione gauisus, gratiam, quam hactenùs in Gregorio mirabatur, in magna veneratione deincèps habere cœpit: sedemque Turonicam ità nobilitauit, vt auream ei cathedram donaret, quæ apud præfatam vrbem in posterum seruaretur.

Auream cathedrā dat ei sanctissimus Papa.

Cap. 21. Iam verò beatus Martinus hunc alumnum suum magnificans, vsquequaquè ei se propitiū multis modis demonstrauerat. Sed cùm operibus eius cooperatorem quoquè se ostenderet, aliquandò præsentiā suam, licèt inuisibili suo quo videri solet splendore, manifestauit. Nam oratorium ex promptuario prædecessoris sui apud Turonum consecraturus, reliquias sancti Saturnini martyris, ac domini Martini à basilica susceptas, cum ingenti veneratione deferebat, (erat enim sacerdotum ac Leuitarum in albis vestibus non minimus chorus, & ciuium honoratorum ordo præclarus, sed & populi secundi ordinis magnus conuentus) radiantibus solenniter cereis, Crucibus in altum sublatis. Cùm ità veniretur ad ostium, terribilis fulgor cellulam subitò perfundens, omnium oculos nimio perstrinxit splendore: qui diutiùs durans, hàc illacque sicut fulgur discurrebat. Omnes nimio pauore perculsi, solo iacebant. At Gregorius vt tantæ virtutis conscius, constanter eos exhortans: Nolite, inquit, timere: rememoramini qualiter globus ignis de capite beati Martini egressus, cælum visus est conscendisse, & ob id nos cum his sanctis reliquijs ipsum credite visitâsse. Tunc vniuersi magnificauerunt Deum, & senior cum electis dicebat: Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

Obserua de cereis & Crucibus.

Psal. 117.

Cap. 22. Pauca hæc de nostro præsule dicta sint, non vt miracula eius, quæ reprobis dari solent, commendemus, sed vt nec hanc quidem gratiam illi defuisse monstremus. Cæterùm ad eius gloriam commendandam illud sufficiat, quòd humili corde Christum sequutus est, & quòd non sperauit in pecuniæ thesauris, (Hoc vtiquè est, mirabilia fecisse) & vt partìm superiùs monstratur, à peccatorum est laqueo custoditus. Super omnem quippè gloriam, est à peccatis protectio. Vigesimo & primo igitur Episcopatùs sui anno, tanquàm septenario annorum numero tèr in fide sanctæ Trinitatis completo, appositus est ad patres suos, non tam dierum, quia fermè tricennalis ordinatus est, quàm perfectione plenus. Qui tamen non vsquequaquè videtur clausus in tumulo, cui restat, vt vel lingua viuat in mundo. Et quia, sicut credimus, beato Martino in cælo est sociatus, sancto etiam corpore est illi in sepulcro vicinus. Porrò Turonicenses, nè diuinis muneribus videantur ingrati, semper necesse est vt retractent, quantoperè sint à Deo suffulti. Datus nanque est eis patronus, non qualiscunque, sed Martinus, de cuius laude quid primum vel speciale dicatur, cùm, vt scriptum est, eius minima, aliorum maximis maiora esse manifestum sit? tamen quanti habendus sit, testantur vniuersæ, vt ità dicam, mundi nationes, quæ illum ità priuato affectu diligunt, vt etiam in nostro tempore, quandò nimiùm iam charitas refrigescit, multos tam gente, quàm lingua ignotos, ad eius sanctissimum tumulum confluere videamus, vt meritò de eodem Martino dicatur: Cuius vultum desiderat vniuersa terra. Quorum vtiquè studia nostram, qui vicini sumus, inertiam iurè vehementer redarguunt: non tamen sine diuino moderamine constat, quòd eius amor ità omnium cor penetrauit, quòd eius memoria, velut alterius Iosiæ, tam dulcis est omnibus, & quòd per omnes fines terræ ità iam patuit, vt quòd Christus habet nomen, Martinus honorem. Datus est eis & Gregorius, vir non solùm sanctitate, sed & doctrina clarus, nè vrbs Turonica obscurior videretur, si scriptorum officio caruisset: quin potiùs sicut vrbs Romulea post Apostolos illustratur in altero Gregorio, ità vrbs Turonica post Martinum decoratur in isto. Quem videlicet, vel apud Deum, vel apud Martinum aduocatum quendam atque sequestrem habere confidamus, eique nostras necessitates ad expediendum committamus. Verùm ille non erit immemor vel suæ, vel Martini misericordiæ, quam nobis tantoperè insinuare curauit: quippè qui ad hunc insinuandum eius miracula digessit, vt quique futuri audientes quanta & qualia visibiliter operetur, quàm desperatos languores sanet, de potentia vel de patientia eius nullatenùs dubitent. Et si pro dispensatione temporum contigerit corporea miracula cessare, semper tamen credamus illum in nostris animabus suæ virtutis medicinam operari. Gregorius igitur Martini misericordiæ conscius, semper illi de grege suo suggerat, semper illum pro statu sancti loci sui, ac pro totius regni salute interpellet.

Sanct' Gregorius excedit e vita.

Dialogo 2. Sulpicij.

S. Martinus quāti habitus.

Eccli. 49.

Vrbs Turonica S. Gregorij doctrina nobilitatur & vitæ sanctitate.

Cap. 23. Nec prætereundum, quomodò consuetam sibi humilitatē, etiam in ipsa sepultura

sua

sua seruauerit. Nam in tali loco se sepeliri fecit, vbi semper omnium pedibus conculcaretur, & ipsa loci necessitas cogeret, nè vnquàm in aliqua reuerentia haberi posset. Sed grex beati Martini talia non ferens, amicum Domini sui de loco leuauit, & edito sepulcro mausoléo ad læuam sancti sepulcri digna reuerētia collocauit. Obijt autem quintodecimo Calendas Decembris, videlicet intra Martinianam hebdomadam, vt solennitatem Martini, quam hìc iam ægrotans celebrare cœperat, Martino iunctus in cælo consummaret: præstante Domino Iesu Christo, qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen. Humilē sibi & abiectum sepulturæ locū delegit. Eccē Martini solēnitas celebris.

VITA S. HVGONIS LINCOLNIENSIS EPISCOPI, EXCERPTA FERE A QVODAM, CVIVS NOMEN

latet, ex illis V. Libris, quos de beatißimi huius viri vita scripsit Anonymus quidam, qui aliquot annis cum eo vixit familiariter. Nos stylum, vbi visum fuit, nonnihil correximus.



SANCTVS Hugo è Burgundiæ prouincia, claris natalibus ortus est. Pater eius miles strenuus erat secundùm seculi honestatem, & timens Deum, contentus stipendijs suis: isque iam vxoris solatio destitutus, Hugonem annorum ferè octo puerum militiæ tradidit spirituali, vt non ab adolescentia, sed ab ipsa infantia iugum Domini portare consuesceret. Non longè enim à castro eius monasterium erat canonicorum regularium, quod semper affectu coluit, ibique filium obtulit perpetuò Deo seruiturum. Susceptus est Hugo, tyro Christi nouellus, moxque ei senior quidam religione celeberrimus deputatur, vt rudimentis literarum instructus, paulatim ad altiora conscendat. Iocandi ludendique facultas omnis ei interdicitur, & vt pueriles annos morum grauitate transcendat, admonetur. Aiebat illi senior: Hugo, ego te Christo nutrio: iocari non est tuum. Proficit intereà puer ingeniosus, & suprà quàm facilè dici queat, spiritu sapientiæ & intellectûs repletur, ministrans velut alter Samuel coram Domino, gratus Deo, & charus hominibus. Erat ei ex toto voluntas in lege Domini, in qua meditabatur die ac nocte. Porrò eius pater, bono spiritu permotus, seculo valefecit, & cum filio in eodem monasterio, quoàd vixit, Domino fideliter seruiuit. Cùm autem Hugo nonumdecimum ætatis annum attigisset, petentibus instanter fratribus, Leuita ordinatus est. In quo gradu cùm mirabiliter cunctis placeret, statìm ad altiora coactus scandit. Iniungitur ei cuiusdam parochiæ administratio: qua adeò perfectè functus est, vt simul omnes dicerent, magnæ eum prudentiæ & sanctitatis virum fore. Nouēbr. 17. Cap. 1. S. Hugo admodum puer degit in monasterio. 1 Reg. 2. Pater eius viuit in monasterio eodem. Parœciæ curam gerit strenuam.

Post hæc, cùm Dominus eum ad altioris vitæ obseruantiam vocare vellet, contigit vt cum Priore suo, pro more deuotionis gratia Carthusiam adeunte, pariter & ipse veniret. Ingressus autem locum, statìm illius spiritualis conuersationis tantum suo in pectore sensit accensum amorem, vt nulla ratione tanti incendij flammam cohibere posset. Mox instat secretiùs, pulsat precibus fratres singulos, vt ad suam societatem admittere ipsum nè recusent. Animaduertens autem Prior eius adolescentis animum immutatum, lachrymis infusus, ait: O fili charissime, scio vtiquè, scio, me in grande malum meum, & irrecuperabile ecclesiæ meæ damnum, Carthusiam te adduxisse. Reuersus indè in domum suam, vniuersis filijs, & præcipuè patri eius conceptam cordis mœstitiam cum imploratione remedij patefecit. Accurrunt omnes, sciscitantur diligentiùs, & quod latebat in arcano, prodibat in publicum. Quid multa? Cum infinita instantia tantùm iuuenis animum molestabant, vt iuramento interposito, promitteret se nequaquàm eos deserturum. Verùm qua tum perplexitate & quibus scrupulis fluctuârit Hugonis conscientia, facilè quiuis apud se potest animaduertere. Vndiquè angustiæ, vtrobiquè timor. Solicitauit eū spiritus arctiori disciplina culmen perfectionis appetere: sed terruit rursùs votum iuramēto vallatum. Si enim postquàm manum miserat ad aratrum Carthusiani propositi, respiceret retrò, timuit se aptum non fore regno Dei. Cap. 2. Cupit admitti in sodalitatē fratrū primatiæ Carthusiæ.

His bigis cùm aliquanto tempore, permittente Deo, egregiè agitatus fuisset, & iam Cap. 3.

Recipitur à patrib^9 Carthusiæ. tanti incendij flammam vltrà cohibere non posset, clàm fugiens Carthusiam adijt. Videntes autem fratres tantum eius desiderium, tum perseuerantiam & instantiam atque animi deuotionem, in sanctam sodalitatem suam eum perbenignè admiserũt. Requisitus posteà, num adhuc quibusdam scrupulis vrgeretur, quòd promissis non stetisset, respondit: Non dolere de tam salubri potui mutatione propositi, à qua tot mihi bona prouenerunt. Nouam igitur ingressus militiam, noua inimicorum tentamenta experitur innumera: sed in omnibus, Dei fretus auxilio, vbiquè triumphauit.

Carnis tentatiões molestę ei sunt. Carnis infestas tentationes supra modũ die ac nocte patiebatur, cùm tamen virgineæ esset puritatis, & magnis abstinentijs, cæterisque spiritalibus exercitijs eam quotidiè domaret. Per crebras tamen orationes tandèm, Domino largiente, liberatus est. Et sicut in his & alijs supra vires tentabatur, ità etiam singulari consolatione visitabatur à Domino, vtì posteà dicere consueuit, cùm onere pastoralis curæ grauaretur.

Cap. 4. Cùm verò tempus iam adesset, quo sacerdotio initiandus erat, interrogauit eum senior, cui ipse humiliter ministrare cõsueuit, an sacerdos fieri vellet. Mox ille plenus deuotione ac simplicitate columbina, sic fertur respondisse: Quantùm in me est, nihil est, quod magìs velim in hac vita. Cui senior: Et tu quomodò, inquit, hoc audes appetere, quod nemo dignè, nisì coactus, suscipit, etiamsì perfectæ sit sanctitatis? Territus Hugo tam dira senioris obiurgatione, confestim toto corpore humì prostratus, veniam cum lachrymis precatur. Videns senior tãtam in eo humilitatem, totis visceribus præ admiratione concutitur, & permouente eum spiritu Dei, voce prophetica dixit: Surge fili, surge: nè turberis. Scio, & verè scio, quo spiritu, quo affectu locutus sis verba hæc. Tibi igitur dico, & verè tibi dico: mox quidem sacerdos, posteà verò, cùm tempus à Deo præstitutum aduenerit, etiam Episcopus eris. Promotus indè ad sacerdotium, attentissimè tanti soluit debitum officij, nouaque ac insolita mens eius deuotione perfundebatur. Domare porrò seueriùs corporis membra studuit, vigilijs, flagellis, ieiunijs, cilicio, vt habet eius ordinis consuetudo, & potu aquę cum pane arido. Nihil omisit de seueritate communis regulæ, immò peculiaria plurima supererogauit. Tempore sacro Quadragesimæ tèr qualibet septimana solo pane & aqua contentus fuit: in vltima etiam sabbatum addebat. Abstinentiæ huic medici tribuebant stomachi eius nimiam, quam patiebatur, imbecillitatem & cruditatem, quę permultas & penè iuges ei attulit molestias: cuius tamen etiam illam dicebant esse causam, quòd facultas appetẽdi maior in illo esset, quàm concoquendi. Quàm perfectè in hoc sacro instituto versatus fuerit, ex vnico eius verbo satìs aduerti potest, quod dicere solebat, cùm iam Episcopus esset, non arroganter sanè, sed cõstanter, ad suorum ædificationem pariter & reprehensionem, si quandò negligentes eos reperîsset. Aiebat nanque: Equidem postquàm Carthusiam adiui, nescio si vel semel vnquàm morantia mihi subrepsit. Morantiam dicunt monachi eiusmodi negligentiam, vndè fratrum conuentus expectare cogatur.

Humilitas eius.

Prædicitur ei, φ sit futurus Episcopus.

Abstinẽtia eius.

Cap. 5. Procuratoris munus ei demandatur. Gen. 39. Videns autem Prior tantam in eo vitæ sanctitatem, humanitatem & prudentiam, procurationem totius domûs ei demãdauit, non tamẽ statìm à suscepto sacerdotio, sed cùm iam decem annos in cella exegisset. Quod ille munus tam vigilanter executus est, vt velut alter Ioseph, cuncta sibi credita gubernaret, & magnam Domini benedictionem sacer conuentus ille ex eius administratione persentiret. Nullus ad eum vnquàm pro qualibet causa accessit, qui non consilium & consolationem reportaret. Fama eius interìm excreuit vbiquè, etiam vltra fines prouinciæ illius. Nam

Desideratur Prior in vitã à Rege Angliæ. Rex Angliæ Henricus secundus, audiens quæ dicebantur de eo, confestìm spectabiles misit legatos ad Carthusiam, qui illum accersirent, vt domum Vuictamiæ, quam ille Rex Carthusiano instituto attribuerat, consummaret. Duo nanque Priores, propter incolarum & vicinorum proteruiam, nil ibì proficere potuerunt. Rursùs pia lis oritur inter fratres, quidnam de dilecto Hugone faciendum sit, qui tanta Regis instantia postulabatur. Prior se primùm legatis opposuit, nolens dimittere filium, quem haud secùs àc propriam diligebat animam. Vota fratrum in diuersa ferebantur, donèc cuiusdam senioris permoti verbis, nutu diuino legatis consenserunt. Dixit enim senex ille: Cauete, nè, dum pertinaces estis, Deo repugnare inueniamini, qui eum etiam decreuit constituere Episcopum. Iussus demùm Hugo suam super hoc proferre sententiam, suam aperire voluntatem, citiùs respondens, ità dixit: Voluntati meæ de statu meo nihil penitùs reseruare, iam pridèm edoctus sum. Quid autem de his verè sentiam, liberè exponam. In medio vestrę sanctitatis tamdiù conuersa-

uersatus, monitis & exemplis vestris intantùm adiutus, nunquàm vel vnum diem animam meam seruare nóui. Vndè miror profectò, quo pacto cuiquã sapienti in mentem venire id potuerit, vt ad aliorum regendas animas longiùs mitti ego debeam. Nam qua ratione nouam possim instituere domum, qui antiquorum instituta seruare nequiui? Sed aut ex vobis, aut ex cæteris domibus virum quempiam ad id opus idoneum eligite, & cum istis mittite celeriùs, nè Regis illius cœpta non sine animarum periculo, & ordinis sancti dedecore, diutiùs protrahantur. Quibus non solùm humiliter, sed etiam sapienter explicatis, ædificati sunt non minime. Vndè vnanimi consensu decreuerunt, vt ei Prioris munus deferretur. Postquàm ergò traditus est legatis, fleuerunt omnes: sed ipse ampliùs, tam gratam coactus relinquere societatem. Pacis indè osculo oblato, cùm singuli super collum eius propter amoris teneritudinem lachrymas fudissent, eum abire permiserunt.

Obserua sancti viri miram modestiam & prudẽtiam.

Cùm autem in Vuictamiam venisset, & fratres in magna paupertate degẽtes repe-risset, blanditer consolatus est eos, dicens: Oportet, charissimi, vt in necessitatibus quotidianis patientes simus. Proculdubiò enim, perfectio, quam professi sumus, maximè id requirit, vt memores simus, & reipsa præstemus illud, quod Dominus ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras: & quod beatissimus Paulus ait: In omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros, in multa patiẽtia. Multa verò patiẽtia in eo elucet, si multa cõtraria siue aduersa in multa lenitate perferat longanimitas multa. Patientia enim sine longanimitate, non multa, sed curta erit. Absque lenitate verò, prorsùs nulla erit. His atque alijs monitis salutaribus id efficiebat, vt æquiori essent animo. Aggrediens post hæc opus, propter quod venerat, domum illam tam ædificijs, quàm cæteris vtensilibus breuì sic satìs instruxit & absoluit. Mirum in modum tam à Rege, quàm vniuerso populo diligebatur: quod tamen genti illi fertur insuetum, quippè qui exteros & aduenas summoperè non colant. Rex etiam experiri volens, an vera essent, quæ de illo audiẽrat, eum acciuit, & longa verborum concertatione cum illo disseruit. Sed non impunè. Adeò enim subtiliter & religiosè verba verbis aptauit vir sanctus, vt non parùm Regis crumenam exhauriret. Omnia enim, quæ Hugo petijt pro instauratione dictæ domûs, deincèps libenter Rex tribuebat. Sed & ipse Rex magno erat ingenio, & prudens valdè. Cumque sancta Hugonis calliditate in substantia diminutum se vidisset, vrbanè alludens, quasi magistrum suum iam reperisset, dixit: O hominem, in solo peregrino penè iam violentum. Iste si viribus niteretur, quid ageret, qui verbis ità extorquet? Rediens ergò onustus domum, à fratribus hilariter susceptus est.

Cap. 6. Præficitur Carthusiæ Vuictamiensi in Anglia. Luc. 21. 2. Cor. 6.

Rex Angliæ eius explorat prudentiam.

Verùm non prætereũdum est, quanta carnis tentatione rursùs, antequàm Prioratum susciperet, vexatus sit. Intantùm molesta ei tentatio illa erat, vt similem nec antè, nec posteà vnquàm expertus fuerit. Ab hac tandem post multas orationes per sanctæ memoriæ Basilium, qui in visione ei apparuit, liberatus est: qui Basilius ante paucos dies Prior magnæ Carthusiæ fuerat, & eum ad ordinem receperat, nec ità pridèm ab hac luce migrârat. Consueuit posteà secretiùs suis dicere, nunquàm deincèps se sensisse eiusmodi improbos motus, nisi tenuiter valdè. Constructa deniquè Vuictamiæ domo, plures eò conuenerunt Domino seruituri. Per id tempus Rege de transmarinis partibus redeunte, suborta tẽpestas adeò classem elidere cœpit, vt mortem euadere nemo confideret. Vniuersis igitur orãtibus, votaque multa Deo & sanctis eius nuncupantibus, Rex tandem in hęc verba prorupit: O si vigilaret nunc Carthusiensis Hugo meus, & solitas pro nobis preces funderet, non ità in lõgum obliuisceretur mei Deus. Et altiùs ingemiscens: Deus, inquit, cui in veritate seruit Prior Vuictamię, illius interuentu ac meritis, nobis, in tantam ob peccata nostra angustiam iurè coniectis, clementer miserere. Nec mora: tranquillitas redit insperata, & prospero cursu peruenit ad portum cum omnibus, qui cum illo erat. Fertur Rex in illo discrimine vouisse Deo, se eum ad Episcopatum promoturum, si periculum euaderet. Ab eo sanè tempore in tanta eum veneratione habuit, vt nec vnus superesset in toto Britanniæ regno, in quo spiritus eius tam fidenter quiesceret vt in Priore Vuictamiæ. Fama etiã viri Dei propter hoc factum, longè latèq; diffusa est. Quapropter complures ad eum veniẽtes, iugo disciplinæ sacri ordinis colla submiserunt. Quibus omnibus mira præfuit benignitate, verboque & exemplo ad meliora eos iugiter prouocauit.

Cap. 7. Quidam putãt eum per Mariã Dei genitricem liberatum.

Multi Carthusianum amplectuntur institutum.

Nota rẽ admiratione dignam.

Mirabantur sæpiùs, qui ei familiariùs assistebant, tam continua illius ad Deum suspiria. Adeò orationi intentus erat, vt etiam dormiens creberrimè submurmuraret:

Cap. 8.

Amen,

sexûs reseruato, magìs solatij, quàm prolis propagandæ causa. Familiarem se nulli exhibebat, nisì soli Episcopo: de cuius manu, cùm primùm venisset illuc, statìm micas accepit. Caput etiam cum collo longo in eius manicam satis amplam, quasì in aquam immersit: die noctuque apud eum mansit, diligenter eum custodiens & defendens. Cùm autem Episcopus abscederet, mox auis regia in stagnum recurrit. Aduentum etiam viri sancti triduò aut quatriduò antè prænunciare consueuit, volando, clamitando, cæterisque gestibus insolitis: adeò vt famuli sibi inuicèm dicerent: Præparemus singula: Episcopus mox aderit. Vltimo tamen aduentu eius ante mortem, solito more non occurrit: immò per ministros vix potuit adduci. Et cùm adducta fuisset, nullam lætitiæ aut familiaritatis exhibuit significationem: sed capite pendulo ægram se simulans, mœsta redibat. Mansit autem post obitum viri Dei in eodem castro annis multis. Nec potuit vacare mysterio, quòd auis candida, imminens mortis periculum cantu nuncians, viro innocenti, pio ac puro, mortisque minas nil formidanti, non absque nutu diuino transmissa est. Sancti enim mortem habent in desiderio, & vitam in patientia. Sancti mortem habent in desiderio & vitam in patientia.

Suscepto itaque præsulatu, prima cura & solicitudo ei fuit, vt viros sapientia & scientia instructos, atq; in timore Dei probatissimos, suo lateri adhiberet. Horum consilio & auxilio fretus, pastorale munus perquàm strenuè executus est. Homines quieti & pudici spiritûs impensiùs amabat, nec alios suo gregi sciens & prudẽs præficere voluit, quantalibet industriæ aut literaturæ prærogatiua pollerent. Videns autem tyrannidem forestariorum, ait: Rectè quidem forestarij dicti sunt isti, quia foris stabunt extra regnum Dei. Vsqueadeò certè illorum iniusta erat potestas, vt nemo Rege inferior, eorum posset vim & importunitatem illæsus euadere. Contra hos primum ei bellum fuit. Nam cùm more solito contra ecclesiæ libertatem in subditos ipsius debacchari cœpissent, mox summum Regis forestarium excommunicauit. Quod vbì Rex comperit, magnam animo concepit indignationem. Contigit tunc in ecclesia Lincolniensi beneficium, vt vocant, siue Præbendam vacare: pro qua studiosè Rex, dissimulata ira, precabatur, vt vni ex seruis eius illam conferret. Fuit hoc exquisitum quorundam aulicorum consilium, qui obsequium in hoc se præstare viro Dei putabant, cui dedissent occasionem vtcunquè mitigandi aduersùs ipsum cõmotam Regis indignationem. Lectis igitur literis, vir sanctus diuino timori postponens humanum, ità ait: Non aulicis, sed potiùs ecclesiasticis personis, ecclesiastica sunt conferenda beneficia. Habet dominus Rex, vndè tribuat mercedem seruientibus sibi, nec debet summo Regi famulantes priuare prouentibus suis, vt indè seruis suis prouideri poscat à nobis. Hæc dicens, & regios à se nuncios inanes & vacuos remisit, & forestarium absoluere noluit. Quibus Rex auditis, grauiter in Episcopum commotus est, eô præcipuè, quòd nec per se, nec per alios, aut certè per literas veniam peteret, vel factum reuocaret. Accersito itaque ad se inter cætera dixit Rex: Domine Episcope, vbì sunt gratiarum actiones, quas repéndere debuisti pro tantis beneficijs? Respondit Episcopus: Nòui te, vt Episcopus ego efficerer, studiosè laborâsse. Vt igitur animam expedirem tuam, vbì illi periculum immineret, si, quod mei esset officij, exequi non curarem, necessariò id mihi incubuit, vt oppressorem ecclesiæ meæ, cui me cõsulere oportet, per Ecclesiasticam censuram coërcerem, & indebitè Præbendam sibi in ea ambientem, nulla ratione exaudirem. Excellentiæ autem tuæ præsentiam pro vtrolibet adire negocio, non modò superfluum, sed etiam ineptum sentiebam: cùm tuæ prudentiæ pronum sit, quod ritè geritur, sapienter aduertere: & voluntati nihilominùs tuæ facile sit, quod rectum esse cognoueris, clementer & benignè approbare. Huiusmodi rationibus Rex, cùm, quod contradici posset, non reperiret, omninò placatus est. Ore etiam sereno iam eius se orationibus commendans, vltrà nec addere, nec demere quicquam dictis aut factis eius attentauit. Forestarium deniquè dolentem valdè, & virgis cæsum, clementer absoluit. Hunc posteà omni reliquo vitæ suæ tempore speciali quadam beneuolẽtia sibi sensit addictum, & suorum negociorum fidissimum curatorem. Sic in Rege, sic in satellite veridicam esse sententiam experitur, qua dicitur: Qui corripit hominem, gratiam posteà inueniet apud eum magìs, quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

Cap. 11. Forestariorum sæua tyrannis. Constantia & magnanimitas sancti viri. Rex placatur auditis rationibus sancti viri. Prou. 28.

Pacis amator & conseruator intantùm fuit, vt bono pacis in hac vita nihil præferendum assereret, nec seditionis & turbationis peste quicquam ampliùs fugiendum. Itaque vitare modis omnibus familiaritatem alio spiritu ad schismata anhelantium, & discor-

Cap. 12. Studiosissimus est pacis.

& discordias inter fratres seminātium admonebat. Consulente quoquè eum Archiepiscopo Cantuariēsi de structura ecclesiæ beati Stephani, num scilicet eam fundare deberet loco illo, quem sanctæ memoriæ decessor eius Thomas illi deputârat, aut certè suaderet opus penitùs intermittendum, contradicentibus ipsi vehementer monachis ecclesiæ cathedralis, & asserentibus fundationem illam in eorum præiudicium attentari, Hugo respondit: Si inter te, domine Archiepiscope, & collegium tuum prætextu huius fundationis aliquod schisma suboriri contingat, iam disciplinæ vigor illic dissoluetur & emarcescet, pariterque minuetur ordinis censura. Hinc quanta successura sint animarum pericula, nullus æstimare poterit. Oportet te prætereà nunquàm non summi Pontificis, Romanæ Curiæ, regis Angliæ, & aliorũ principum motus animosq́ue vereri. Satìs tibi sit, cum sancto martyre idem propositum habuisse. Sed non acquieuit sano consilio: immò verò totam illam structurã quamprimùm absoluit. Sed nec vnum quidem verbum ex ijs, quæ locutus erat vir Dei, in terram cecidit. Nam cum magno rubore & damno Archiepiscopi, totum ædificium iussu Romani Pontificis penitùs euersum est. Successori quoquè illius in opus simile gestienti, vir sanctus prædixit id, quod rerum finis edocuit. Monebat indifferenter quoslibet prælatos, vt vnitatis & concordiæ vinculum cum suis subditis inuiolabiliter conseruarent, suîmet illis exemplum proponens: Nóui, inquit, me cum filijs meis bonum pacis & vnitatis tenaciùs obseruare, & neque Regem, neque quemlibet mortalem mihi timendum existimo: sed neque internam pectoris perdo securitatem, quæ sempiternam nobis tranquillitatem cōciliat. Nec ideò à dominis meis (sic enim canonicos suos appellabat) quies mihi ista defertur, totius ignara dissidij, quòd lenem me sentiant & mansuetum, cùm sim reuerà pipere asperior atque mordacior, ità vt eorum præsidens capitulo, ex re leuissima non raró excandescam: sed faciunt de necessitate virtutem, scientes talem se oportere sustinere, qualem sua sponte elegerũt. Gratias ago illis, nunquàm vel in vno sermone mihi restiterunt, ex quo primùm inter eos residere cœpi. Egredientibus autem vniuersis, finito capitulo, nullus de nostra sibi æstimat dilectione diffidendum, nec puto me à quouis eorum non amari.

Consilium dat Archiepiscopo.

Archiepiscopus dat pœnas temeritatis suæ.

Quãtum ei detulerint Canonici.

Cap. 13.

Secularibus Angelicæ illius, Carthusiæ scilicet, vitæ statum laudantibus, & de suæ mundanę vitæ impedimentis conquerentibus, quos tamen nec velle, nec posse sciret ad perfectiora viuendi instituta transire, huiusmodi adhibebat institutionē: Non soli, inquit, monachi, sed nec eremitæ tantùm atque solitarij regnum Dei consequentur. Deniquè cùm vnumquenq; iudicabit Dominus, nequaquàm id expostulabit, quòd eremita non fuerit, aut monachus: sed hoc potiùs exprobrabit, quòd minimè fuerit germanè ac probè Christianus. Nam tria quidem illic à quolibet exigentur Christiano: ex quibus si vel vnum illi defuerit, nomen Christianum prodesse ei non poterit. Nocebit potiùs nomen sine re, quandò detestabilior est falsitas in veritatis professore. Exigit autem vis & veritas beati nominis huius, vt indesinenter teneatur charitas in corde, veritas in ore, castitas in corpore non fallaciter Christiani. Fœminis quoquè sententia memorabili & planè mellita, in sermone familiari dicere consueuit, vt eas ad feruentiùs diligēdum cōditorem prouocaret: Satìs, inquit, à fœmineo sexu Deus omnipotens diligi promeruit, cùm nasci de fœmina dignatus est. Præclarum sanè & eximium hoc ipso sexui illi priuilegium contulit. Nam cùm viro concessum non sit, vt vel dicatur, vel sit pater Dei: hoc tamen præstitum est fœminæ, vt sit parens Dei. Porrò etiam permultos peccatores, & in ijs desperatos quosdam, orationum suarum merito ac pia exhortatione, ad viam salutis reuocauit. Vndè satìs appáret, quanta in eo exhortationis quotidianæ ad populum gratia extiterit.

Verus Christian⁹ qualis esse debeat.

Priuilegiũ sexús fœminei.

Cap. 14.

In mensa vir sanctus hilaris & iucundus fuit, sed non sine grauitate & modestia: suosq́ue ad idem hortabatur, ità dicens: Læti simus secundùm faciem sanctorum. Si quandò musici, aut alij mundana solatia afferentes, quauis occasione interessent, tum vel maximè grauitati studebat, nè peregrina consolatio animum eius ab æternorum contemplatione auocaret. Itaque pro ædificatione aliorum dicere solebat: Ego huius mundi gaudia nunquàm attigi, iocos nunquàm didici, nunquàm sciui: A carnis esu semper abstinuit: piscibus crebrò vescebatur: vini vsum moderatum non respuit. Et quia, experientia docente, sentiebat exercitium Episcopalis officij magni esse laboris, de victûs parsimonia nōnihil remittere visus est. Dolores iliorum acerrimos crebrò patiebatur, qui magnum ei in executione officij afferebant impedimentum. Affuit nihilominùs ei gratia singularis fortitudinis, & instàr miraculi erat

Cruciatur dolore iliorum.

videre in dedicandis ecclesijs, in sacris conferendis ordinibus, atque in cæteris officijs ecclesiasticis vires omnium inseruientium illum vincere ac superare. Ad ista surgebat nonnunquàm ante lucem, & vsque ad profundas sequentis noctis tenebras ieiunus permanebat. Neminem ad sacra sinebat officia ministrare, qui ieiunium quacunque occasione fregisset. Quamplurimi etiam per benedictionem eius sanitatem sunt adepti. Infantibus & paruulis lenem & affabilē se præbuit: sed cùm intelligentiæ annos attingerent, ab illa familiaritate arcebat eos, nè insolescerent. Non raro visi sunt infantes supra naturæ facultatem extensis brachiolis ei adiocari. Infirmis & afflictis humanissimè subueniebat, præcipuè verò leprosis, quos cum magno cordis osculabatur affectu, singulis humilimè se inclinans, dato etiam subsidio tam corporali, quàm spiritali. Contigit aliquandò, Vuilhelmum Cancellarium Lincolniensem tantam in eo humilitatis gratiam cum admiratione aduertere: sed statim dubitare cœpit, num qua mentem eius elatio attigisset. Quod cùm experiri vellet, dixit ei: Domine, S. Martinus leprosum osculando sanauit: tu leprosos, quos oscularis, non sanas. Cui Episcopus incunctanter respondit: Osculum Martini, carnem leprosi sanauit: osculum verò leprosi, animam meā sanat. Tredecim pauperibus, cùm tot haberi potuissent, pedes secretiùs lauare solebat. Cumulus operū misericordię adeò in eo excreuit, vt vir miserationū meritò diceretur. Affectus ei⁹ erga ægros & afflictos.

De singulari eius cura & solicitudine erga sepulturam mortuorum, id est compertissimum, tam in nouo quàm veteri testamento vix quenquam repertum illi parem in hoc studio & officio humanitatis. Quid multa? Si plures reperisset, plures sepelisset. Spreuit Regum prælatorumque conuiuia: nec corpori pepercit, nec vitæ, quandiù funus aliquod non sepultum didicit. Quandoquè famuli Regis ad eum venientes, Dominus Rex, aiebant, iam vltra horam ieiunus præstolatur: cur non venis? Quibus ille ait: Satiùs est terrenum Regem absque me prandere, quàm mandatum æterni Regis ab humilitate mea negligi. Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, qui in cælis est. Cùm aliquandò putidissimum cadauer cuiusdam ebriosi sepeliret, & cuncti, qui aderant, nares obstruerēt, propiusque accedere formidarēt, solus Episcopus quasi nihil illic grauiter oleret, familiarissimè tractabat corpus horridum & nigerrimum, donèc sepulturæ illud commēdaret. Timentibus posteà alijs, nè quem fortè morbum ex illo fœtore contraxisset, sciscitabātur num quid mali sentiret. Respondente eo, nil ibì insuaue odoratu, aut triste se sensisse, & eos errare omninò putaret, mirati sunt omnes, benedicētes Deum in seruo suo. Cùm audîsset aliquandò quendam è persecutoribus eius defunctū, statìm prę parauit se, vt illò pergeret, hominemq; sepeliret. Occurrentibus verò famulis & dicētibus, certissimè cōparatas esse insidias iuxta viam. Tum demùm, inquit ille, iustè excusabimur, si pedes cōpedibus cōstringantur, & incedēdi facultas erepta sit. Quo dicto, relictis alijs, cum duobus tantùm eò se contulit, ac funus honorificè curauit. Cap. 15. Erga mortuos sepeliendos. Sententia memorabilis. Non sentit teterrimum odorē horridi cadaueris.

Magna erga subditos humanitate & beneuolentia afficiebatur, adeò vt nec ipse onus aliquod eis imponeret, nec ab alijs imponi pateretur. Archidiaconos suos, cæterosque prælatos seuerè compescuit, nè à delinquentibus mulctam extorquerent pecuniariam, quòd munera excæcent oculos sapientum, & iudicia peruertant iustorum. Dicentibus ecōtrariò illis, plùs terrere impios pecuniæ dispendiū, quàm excommunicationis probrum, respōdit: Vestræ hoc potiùs negligentiæ asscribendum est, qui remissiores estis in castigādis vitijs, & seueriores in extorquēdis pecunijs: nec tam studiosè curatis, vt illi iniunctā compleāt satisfactionem, quàm vt vobis promissos dependant nummos. Rursùm illis interdùm pro se allegantibus, sanctissimum Archiepiscopum & martyrem Thomam eiusmodi mulctas peccatoribus irrogâsse, respondit: Credite mihi, non idcircò sanctus fuit. Alia cum virtutum merita sanctum exhibuerunt, alio meruit nomine martyrij palmam. Valdè enim pastor bonus metuebat ouibus suis, quibus crebrò eiusmodi diuitum colludio cernebat illudi. Consuetudines etiam exactionum, sub iustitiæ prætextu simulatè introductas, penitùs aboleuit. Decessores nanq; illius, vt occasionem haberent à populo pecuniam exigendi, pactum cum Rege fecerant, vtì singulis annis pallium quoddam ei darent, ea tamen conditione, vt nummos ad eam rem necessarios à vulgo ipsi extorquerent. Si quid autem superesset, hoc quasì pro labore suo priuatis vsibus seruarent. Iam annos multos facinus hoc tantumnon pro lege habitum erat. Quid faciet vir religiosus, & Deum timens, videns iniquitatē in ciuitate? Num Cap. 16. Deut. 16. Nō vult subditos graua ri mulctā pecuniaria, alijsve exactionibus.

extorquebit à populo precium sudoris & sanguinis, vt vestem Regi tribuat, & reliqua sibi vsurpet? Quid faciet? Fortè dissimulabit: fortè dicet: Faciat hoc alius, nè illud ego fecisse videar. Minimè. Nō cum hoc docuit Carthusiana soliditas. Sed fortasse manus suas excutiet ab omni munere, & Regi pallium vnà cum pecunijs tradet? Id verò si faciat, non pastor, sed mercenarius erit. Sed quid fecit pastor bonus, pastor verus, amator iustitiæ? Deditne cornu peccatori? Absit. Si vel vnam exactionem simulati iuris admisisset, inimicus de vnico triumpho gloriari potuisset. At nullam prorsùs admisit: quinimmò noctu diuque, non sine periculo corporis & totius substantiæ suæ, Regi, Archiepiscopo, cæterisque potentibus se opposuit. Fidelis pastor, qui animam suam totiès posuit pro ouibus suis. O si omni ex parte talibus columnis Ecclesia Dei fulciretur.

Exactiones simulatas abolet.

Cap. 17.

Commiseratione magna prosequebatur peccatores, pœnitentiam amplecti volentes, nec æquanimiter ferre potuit, si quis extremo supplicio afficiendis insultaret. Cùm aliquandò esset in itinere, obuiàm habuit turbam magnam hominum, furem quendam ducentium ad patibulum. Intelligens autem fur ille, quòd Episcopus esset, petiuit vt pro benedictione consequēda propiùs adduceretur. Adductus verò, traxit ductores suos violentia, qua potuit, donèc frenum Episcopi manibus contingeret. Tum verò obsecrauit eum, vt pro solita clemētia in tam extrema necessitate ipsi succurreret, & à morte imminente liberaret. Pauescente Episcopo, & mirante quid sibi clamor iste, populiq; tumultus vellet, responsum est ei, furem ad suspendium trahi. Commotus vir pius ad misericordiam, dixit: Soluite eum, & sinite abire. Vbi enim Episcopus cum fidelium populo congregatus est, ibi est ecclesia: nec minor immúnitas debetur lapidibus viuis, quàm mortuis. Quo audito, liberè eum abire permiserunt, protestantes nihilominùs contra Episcopum, Regis iudicium ab ipso impediri. Faciebant autem hoc, nō ex inuidia aliqua, sed propter timorem Regis ac satellitum eius, nè tanquàm præuaricatores punirentur.

Liberat furem à præsentissimo periculo.

Cap. 18.

Videns Richardus Rex constantiam viri Dei, & quòd paratus esset mori potiùs, quàm ipsi contra iustitiam vlla in re cōsentire: proceres misit, vt omnia bona Episcopi confiscarent. Venientes illi ad fines diœcesis eius, tanto terrore cōcussi sunt, vt contingere quicquam ex ijs, quæ illius vel Ecclesiæ eius essent, nemo illorum ausus esset. Richardus successit Henrico, sed non pari honore virum sanctum prosecutus est. Creditur Henricus Rex, qui illum semper dilexit, & eius consilio cuncta faciebat, benè directus à Domino: Richardus autem, qui ei crebrò molestus fuit, damna, pericula, bella plurima perpessus est, & tandèm in conflictu iaculo percussus, miserabili fine, cùm iam paucos regnâsset annos, è vita decessit. Fertur tamen idem Richardus in præsentia sancti Episcopi nunquàm durus & asper fuisse. Cùm aliquandò idem Rex cōtra Regem Franciæ extra fines regni sui acriter dimicaret, & militi pecuniam multam erogâsset, Archiepiscopum in patriam remisit cum mandato, vt Episcopis & Prælatis in vnum conuocatis indicaret se pecunia habere opùs, cupereque ab illis adiuuari. Sed vir sanctus accuratiùs rem ipsam examinans, cùm reperisset, pauperculam plebem hac ratione grauari, respondit: Etiam si omnes Regi consenseritis, at ego tamen nequaquàm illò consentiam. Vnus etiam ex Episcopis, auditis rationibus, quas beatus Hugo copiosè contra illam exactionem afferebat, ei adhæsit. Grauiter hoc Archiepiscopus accepit, & gradu concito ad Regem abijt, multa ei de sancto Episcopo conquesturus. Audiens Rex, solùm Lincolniensem suum retardâsse conatum, & alium etiam Episcopum in suam sententiam pertraxisse, præ ira insaniens, cuidam amico suo dixit: Sicut tu meam diligis salutem, ità ego tibi præcipio, vt Hugonem cum adhærēte ei Episcopo penitùs extirpare festines. Eiectus est ergò alter ille, & omnia, quæ possidebat, fisco Regis addicta sunt, ipso per aliquot dies, à sede propria & regno exulāte. Et certè vix tandèm, amicorum adiutus auxilio, ad pedes Regis peruenit, clemētiam cum lachrymis implorans, promittensque se deincèps Regi nunquàm contradicturum. Sed iustus tanquàm leo confidens, absque terrore erit: vtpotè qui in deserto Carthusianæ celsitudinis nō visus est mollibus vestiri, nec quasi arundo vento mundani terroris aut fauoris agitari. Reuerà nō est inuentus similis illi, qui conseruaret legem excelsi. Appropinquantes enim milites, vt Lincolniensem Episcopum eadem ratione vexarent, nō refugam mercenarium, sed strenuum pastorem reperērūt. Nam antequàm manum ad prædandum extendissent, iussit omnes in vicinis parochijs pulsatis

Richardus Rex crebrò ei est molestus.

Nō vult cōsentire Regi in subditorū detrimentū.

Prou. 28.

pulsatis campanis excommunicatos denunciari. Videntes ergò illi solita magnanimitate virum sanctum stare pro ouibus suis, nutu diuino territi, discesserunt inanes. Valdè enim timebant, ne in satanę potestatem traderentur, morteque reproba à diabolo præfocati perirent, sicuti pluribus iam euenerat, quos sanctus Episcopus percusserat anathemate. *Vide cõstantiam & magnanimitatem sancti viri.*

Cap. 19. Verùm perpendens vir Dei iniquè delatum se esse apud Regem, metuensque nè ea causa gregi suo peiora acciderent, animam suam posuit in manibus suis, celeriterque adiuit Regem in longinquis tum constitutum. Cùm autem appropinquâsset aulæ, quidam boni viri occurrerunt ei, rogantes vt quamprimùm sese subduceret, nec vultui Regis præsentaret, verentes, nè, sicut in diebus sancti Thomæ, vltio diuina in totum regnum se effunderet, si tantus vir absque causa trucidaretur. Sed penitùs non acquieuit: quinimmò vni ex illis viro bono singularique amico, qui se sequestrum idoneum fore spopondit, si vel parùm expectare dignaretur, sic fertur respondisse: Itáne mihi parcam, vt te hæredesque tuos in discrimen cõijciam? Et quid tam gratum atque optatum æmulis nostris esse poterit, quàm vt te quoquè dissentientem asserant, si pro me locutus fueris? Quo dicto, statim in aulam ingreditur. Cumq; comperisset Regem in sacello Missam audire, protinùs pergit illuc, rectaque ad Regem se conferens, propiusque ad eum accedens, constanter ei dicit: Da mihi osculũ. Cui Rex: Non meruisti, inquit. At ille: Immò verò merui, ait: nam via longa véni ad te. Osculum mihi debes: & fortiter trahẽs eum per chlamydem, debitum extorsit. Subridens Rex, inclinauit se, & osculo eum impertijt. Cumque omnes Episcopi cæterique circunstantes Hugonem de Rege triumphãtem cernerent, præ stupore non erat vltrà in eis spiritus. Videns deniquè Rex cõstantiam viri, & quòd spreto loco Episcopis assignato, iuxta altare humiliter se submisisset, vt immortalem Regem liberiùs adoraret: tum etiam quòd minas vniuersaque pericula pro nihilo duceret, eum ex animo venerari cœpit. Pacis etiam symbolum sibi oblatum, primùm Lincolniensi Episcopo perferri iussit. Propter hunc honorem sancto viro delatum, Dominus ei insignem victoriam paulopòst meritis eius creditur contulisse. Finita verò Missa, Hugo retrò altare duxit Regem, vt eum maiore libertate reprehenderet. Cumq; sederent pariter, his blandimentis eum aggressus est: Dic quomodò se habeat conscientia tua. Parochiæ nostræ es, & tremendo iudici pro te rationem reddituri sumus. Cui Rex: Satis, ait, benè mihi conscius sum, nisi quòd inuidia quotidiè torqueor cõtra hostes regni mei. At Hugo rursùm cum obiurgatione: Et quid est, inquit, quod audio? An nõ quotidiè pauperes opprimis, innocentes affligis, exactiones graues imponere non formidas? Insupèr & fidem tori te violâsse fama clamitat. Num isthæc parua tibi videntur? Ad hanc vocem Episcopi, immò spiritûs Dei, qui loquebatur in eo, territus est Rex intantùm, vt nec semèl mutire ausus fuerit contra eum. Cumque de his & alijs multis prolixè obiurgâsset eum, de quibusdam humiliter ille se excusauit; de alijs veniam postulans, emendationem promisit. Reddente etiam Episcopo legitimam rationem coram Rege & omni frequentia, quòd cùm pastor esset, in grauamen ouium suarum consentire neutiquàm debuerit, Rex libenter accepit, simul Deo gratias agens, si ab vlteriori repræhẽsione cessaret. Tandèm vir Dei Regi valedixit, & imperterritus ad propria remeare cœpit. Eo autem abeunte, Rex cõuertens se ad suos: Si omnes, inquit, Episcopi tales essent, nihil aduersùm eos possent, siue Reges, siue principes. Dictus est propterea vir sanctus Regum malleus, quòd perpetuò de ipsis triumpharet. *Rara sanè & admiranda animi virtus & fortitudo.* *Vir sanctus regem obiurgat.* *Regum malleus S. Hugo Episcopus.*

Cap. 20. Fuit verò non minùs zelosus, contra quoslibet alios pauperum oppressores, Ecclesiasticæque libertatis violatores, quos indiscriminatim absq; vlla personarum acceptione arguebat, admonebat, & si contumaces persisterent, etiam excommunicationis sententia feriebat. Verè ad nihilum deductus erat in cõspectu eius malignus: timentes autem Dominum, quantumcunquè exiles essent, tota deuotione glorificauit. Eiusdem zeli fuit pater eius, itemque duo fratres: qui strenui erant milites, & inprimis iustitiæ tenaces. Sæpiùs ei scripserunt, & cùm præsentes essent, verbis præclarè hortabãtur eum, nè in falsorum fratrum, seu crudelium dominorum persecutionibus animo lassaretur. Asserebant etiam, malle se natum illum nõ fuisse, quàm contra natales ingenuos oppressoribus libertatis Ecclesiasticæ vel ad momentum degeneri animo cedere. Tota virtute sanctus Episcopus id executus est, nec in præiudicium Ecclesiæ suæ quicquam fieri permisit. Hortantibus quandoquè, *Zelus eius aduersùs libertatis Ecclesiasticæ violatores.* *Psal. 14.*

amicis, vt maioris periculi vitandi causa, in quadam re parui momẽti Regi contra ius Ecclesiæ suæ consentiret, sic fertur dixisse: Absit, vt personæ laicæ, cuiuscunque etiam dignitatis & eminentiæ, priuilegium Ecclesiasticæ libertatis infringat. Mihi verò non cõtingat, vt timore potestatis alicuius, aut formidine difficultatis quantæcunque, ius Ecclesiæ dominæ meæ S. Mariæ, quantùm in me est, deperire sinam. Cùm enim sit satis pudendum, dignitates & libertates sanctæ Ecclesiæ non augere, quemadmodùm olìm nostri fecêre maiores: quàm est turpe & probrosum, si ex inertia pastoris à sua integritate decidãt, quæ per strenuum dispensatorem augmentari, & in melius prouehi debuerunt? Inter micantes gladios, nudo capite sæpius stetit imperterritus, & nec ad momentum ab obiurgationibus cessauit, vbicunque res postulare videretur, pro iustitiæ defensione. Aliquandò in mensa, quandoque in ecclesia, sola fidei constantia fregit & superauit tyrãnos. A suis etiam derelictus, solus perstitit tam Lincolniæ, quàm in Hollandia Anglicana, atq; Normania, cædens labijs præuaricatores. Cumq; gladios vibrâssent in caput eius, & tantam in eo viderent fiduciam, confusi abierunt, nil contra manum omnipotẽtis facere valentes. Quosdam ad minas interdùm procaciter erumpentes, sic voce terrifica nõ destitit obiurgare: Quid, inquit, vestris viribus vel armis contra manum omnipotentis posse vos confiditis, quãdò nobis etiam indignis & infirmis hæc manus adeò potentia contulit arma, vt eis nulla humana possit æquiparari? Loricas vestras iacula nostra penetrant: enses vestros non formido. Nostris verò ensibus nec cassides vestræ, nec thoraces resistere valent. Vos carnem, Deo permittẽte, cæditis: sed animã prorsùs non attingitis. Gladius verò noster & corpus perimit, & morti, non momẽtaneæ, sed æternæ, eorum, quos percellit, animas addicit. In omnibus hisce tum persecutionibus periculosis, tum arduis negocijs tanta fuit animi libertate & securitate, vt nec somnus interrumperetur, cùm tamen alij omnes vsqueadeò, timore sæpè agitarentur, vt somnus ab oculis eorum recederet, itemque consiliũ omne.

Vide q̃ constãter libertatẽ Ecclesiasticam defenderit.

Contemnit sæpè mortẽ intẽtatam.

Obiurgat sibi mortẽ intentãtes.

Cap. 21.

Multùm erat intentus iis, quæ ad Dei gloriam pertinerent, eoque in cunctis à Domino dirigebatur. Hoc verò præcipuum eius studium fuit, vt sanctorũ monachorum & Episcoporum vitas diligenter perlegeret, eisque pro viribus sese conformaret. Quamobrèm etiam vita eius, absoluta quædã norma fuit, siue speculum omnium benè volentium monachorum & Episcoporum. Experientia nanque edoctus fuerat, quanto accuratiùs diuina curaret, tanto rerum temporalium successus, disponente Domino, faciliùs prouenire. Tanta autem fiducia illi semper inerat erga Dominum, vt non parùm se peccâsse fateretur, si vel tenuiter eas ob res formidâsset, propter quas trepidare & angi solet humana infirmitas. Nocte quadam cùm graues curæ & solicitudines præter morem animum eius distraherent & infestarent, easque præ tumultu earum & importunitate excutere non valeret, admodùm cœpit animo perturbari. Sed ilicò ad se reuersus, pectus percutit, grauiter ingemiscit, primo manè confessarium accersit, valdè se peccâsse pronunciat, quod non ità, vt decet hominem Christianum, omnem curam suam iactâsset in Dominum, sed perindè acsi proprijs adinuentionibus fidendum ipsi foret, discruciari & angi inaniter cœpisset. Reuerà tamen in tam periculoso tum erat itinere, vt si præ curis canuisset, mirum videri non debuerit. Compertum est posteà, illa eadem nocte mortuum fuisse Richardum Regem. Nec mysterio vacauit vir sancti turbatio tam insolita, tam vehemens.

Ingens eius in Dominũ fiducia.

Cap. 22.

Preces canonicas statuto persoluebat tempore, nec induci poterat, vt aut præueniret illud, aut differret. Itaq; in magnis etiam tractatibus, sicut quidam ad consultandum siue deliberandum egredi solent, sic ipse immortali regi debitum laudis oblaturus, simulatque venisset hora, mox exire solebat. Nihil diuino officio anteponendum Carthusiano more vir fidelis didicerat, quod etiam vsque in finem exactè seruauit. Contigit, illum aliquandò cum Prælatis quibusdam & clericis per loca infesta equitare. Consultantibus ergò illis, quo pacto imminens periculum euaderent, omnium hæc vna sententia fuit, vt ante lucem surgerent, & iter suspectum in tenebris conficerent. Surgunt manè, vrgent Episcopum, aiunt non cunctandum, nè à prædonibus capiatur. Quibus ille: Et quò ibimus, inquit, Matutinis precibus nondùm absolutis? Respõdent illi: Posteà dicemus illas: iam properandum, ne propter moram capiamur. Tum Episcopus: Qui capit, ait, capiat: & qui timet, timeat. Ego hinc non exibo, donèc solito more preces matutinas persoluero.

Preces horarias semper absoluit statis horis.

Contemnit pericula, dũ vult Deo satisfacere.

Mira

Mira res. Solus Episcopus postquàm laudes Deo tractìm admodùm obtulit, licèt cum suis per eandem viam equitaret, nil mali passus est: Alij autem, quia prudenter se facere arbitrabantur, nec consilio sancti viri parére volebāt, in periculum, quod cauere moliebantur, inciderūt. Quàm verò monasticum spiritum vir sanctus habuerit inter tot turbines rerum mundanarum, ex sequentibus patebit. Venit aliquandò ad domum Aruceriam Carthusiani instituti, ea videlicet tempestate, cùm iam pauloantè longum illud iter confecisset, in quo pacem conciliauerat inter Franciæ & Iohannem Angliæ Reges, qui Iohannes Richardo successerat. Interrogatus verò de modo initæ pacis, non parùm contristatus, respondit verus zelator ordinis sacri: Rumores audire & referre, etsì licet Episcopis, sed monachis non licet. Cùm aliquò proficiscens equitaret, adeò contemplationi intentus erat, vt præter pilos equi sui nihil cerneret. Itaque famulum ante se sequitare voluit, quem vt ductorem sequebatur. Quòd si quisquam alius siue de industria, siue à casu intercessisset, mox illum sequebatur, propter nimium internarum speculationū vsum & consuetudinem, non animaduertens se viam pariter & ductorem mutâsse. Ductor quoquè illius interdùm non mediocriter turbabatur, quòd cùm putaret eum sequi, inter alios oberrantem, multo labore inquirere cogeretur, nec facilè præ turba reperire posset.

Obserua q̄ sit animus eius vbiquē Deo intentus.

Singulis annis, vt minimùm semèl æstiuis vacationibus, ad monasterium suum Vuictamiense se conferre solebat. Ibì verò tanquàm in messe fertili, menti suæ de spiritualibus prouidit frugibus, quas vbertìm illic ipse seuerat. Erant tum illic viri valdè spectabiles, in vita strenui, in contemplatione sublimes: iique blandimenta ei nulla, tanquàm vltra alios Episcopos aliquid haberet sanctitatis, apponebant, sed potiùs admonebant vt videret quantùm adhuc abesset à conuersatione patrum antiquorum. Tanta autem humilitate in omnibus se illis conformabat, vt præter solum annulum nil gestaret, vndè, quòd esset Episcopus, posset animaduerti. Quàm verò grata illi fuerit solitudo Carthusiana, vel indè perpēdi potest, quòd summo studio in id incubuit, vt posset se Episcopatu abdicare. A singulis enim Romanis Pontificibus, qui eius tempore Ecclesiæ præfuerunt, id humilimè petijt, sed non obtinuit: immò verò tanquàm benè dignus, coactus ab illis est suo munere perfungi. Nuncios etiam & fautores huius rei duriùs illi obiurgantes, cum minis remiserunt, vetârunt q; nè deincèps huiusmodi literas ad Apostolicam sedem adferrent. Grauiora quoquè totius prouinciæ negocia ei expedienda delegârunt. Singularem nanque à Domino gratiam acceperat iustum ab iniusto discernendi, ità vt peritissimi iureconsulti cum admiratione dicerēt, nunquàm se talem virum reperisse in decidendis etiam difficilibus subtilissimisque causis, quāuis ille huiusmodi praxim nusquàm didicerat. Gaudebant omnes, qui causas iustas ad eius iudicium afferebant, certi nimirùm, quòd nec ignauia seduci, nec muneribus aut minis corrumpi vel frangi posset. Spiritus quoquè sanctus, qui hoc ei contulerat donum, sermonem illius atque sententias confirmabat sequentibus signis. Nam cùm rebelles quosdam & contumaces satanæ tradidisset in interitum carnis, subitò nō comparuerunt. Miles quidam propter quoddam mendacium ab Episcopo sancto repræhensus, cùm admonitionē eius paruipénderet, nec se emendare vellet, mox ab illo excōmunicatus est. Vsurpabat nanq; sibi bona quædam, quæ incitâte eum vxore, quòd prolem legitimam nō haberet, à veris hæredibus per simulationē alienare consenserat. Tremenda res. Inuasit eum diabolus nocte sequenti, extorquēs subitò animam mendacem. Alius quidam, in eodem scelere ei succedens, cùm lætus & temulētus lecto exciperetur, sopori mortem socians, etiam miserè extinctus est. Forestarius quidam propter facinus plexus anathemate, viri Dei sententiam nō metuens, intra paucos dies horribili morte decessit è vita. Quidam Diaconus, liuore impellente, militem quendam nequiter accusans de crimine regiæ proditionis, Hugonis sententia ob spem emendationis percussus, cùm peccatū suum nō modò nō vellet agnoscere, sed etiā ab Archiepiscopo absolutionē impetraret, rediensq; ad virum sanctū, purgationis, vt putabat, suæ chirographum secum afferret, rursùm non obstante mandato, ab illo excommunicatus est. Vt autē Dominus ostenderet, vtrius sententiam approbâsset, Diaconum horrendum in modum percussit, nec eum diutiùs viuere passus est. Adolescentula quædā cùm impudenter spueret in faciem sponsi sui, præsente sancto Episcopo, nec veniam petere vellet, à diabolo præfocata expirauit.

Cap. 23. Quotannis redit ad Carthusiā Vuictamiæ.

Admiranda in eo æqui & iniqui cognitio.

Terribiliter punit Deus ab illo excōmunicatos.

Cap.24. Clericus quidam propter tyrannidem quorundam potentium ius suum, quod ei erat in quadam ecclesia, obtinere non potuit. Pecunijs quoquè ac alijs rebus penè omnibus in curia Romana consumptis, iam summa egestate cœpit vrgeri. Audiens verò, sanctum Hugonem oppressorum consolatorem pijssimũ esse, ad illum tandèm venit etiam lõgè extra fines diœcesis suæ, & cum lachrymis eius auxilium implorauit. Motus ergò vir Dei, omnes excommunicauit, licèt eius iurisdictione non tenerentur. Quid plura? Alij in amentiam versi, alij repentina morte extincti sunt: quorundam oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donèc legitimo possessori restituta est ecclesia. Alios etiam viros septem quandoquè excommunicauit vir sanctus, quòd furem à cœmeterio dolo abstraxissent, & mox sine dilatione suspendissent. Timentes verò illi, nè accideret ipsis, quod iam multis euenisse constabat, ad pedes Episcopi pariter venerunt. Sex satisfactione dura illa quidẽ, sed breui, expurgati sunt: septimus, quia noluit satisfacere, absolutionis gratiam non impetrauit. Tam verò dura fuit ea satisfactio, vt etiã brumali tempore penè nudi furem à patibulo depositum, per longum iter humeris portare, atq; in eo, quod diximus, cœmeterio, vndè illum extraxerãt, tumulare compulsi sint. Res prorsùs stupenda. Iam septem anni transierant, & eccè redit miserabilis ille, cum lachrymis petẽs absolutionem: Domine, inquit, postquàm sententia tua me perculit, acciderunt mihi mala multa. Gratiã Regis continuò perdidi: exulare coactus, ad inopiam redactus sum: corporis molestia cõtabui, plurimisq; aduersis casibus subiacui. Sed nè peiora his succedãt, dignare (obsecro) vel serò pœnitentẽ releuare. Misertus ergò vir pius tantæ calamitatis, quòd ex fortunato & diuite ærumnosus & morbidus factus esset, clementer eum absoluit, & nè dolorẽ dolori adderet, mulctã ei mitiorẽ irrogauit.

S.Hugo oppressorum pijssimus consolator.

Nota q̃d acciderit homini fortunato, à sancto viro pie xo anathemate.

Cap.25. Miracula per eum plurima, dum adhuc viueret, in eximiæ sanctitatis eius argumentum edita sunt. Claudus quidam cùm cophinum, quo sanctus vir lapides conferre solebat, suis humeris imponi curasset, statim meliùs habuit, breuique totus sanatus est: vtq; gratum se declararet pro tanto beneficio, eadem sporta etiam ipse lapides ferre cœpit. Ecclesiam nanque Lincolniensem vir sanctus à fundamentis extruxit nobiliter, & proprijs humeris apportans lapides, & suæ deuotioni satisfecit, & subditorum ædificationi. Ciuis quidam Lincolniensis correptus amẽtia, vix ab octo viris teneri potuit. Adductus autem ad virum Dei, mox dæmone fugato quasi mortuus corruit, nec antequàm aqua benedicta perfunderetur, & à sancto Episcopo sanitati integrę restitueretur, aliquatenùs surgere potuit. Mulier quędã duos ei obtulit infantes languidos: qui eius percepta benedictione, statim conualuerunt. Infantulus quidam ferrum acutum manu tenens, in os more puerorũ iniecit, & deglutire cœpit. Mox gutture eius sauciato, tanta sanguinis copia aliquandiù indè manauit, vt vitã pueri mater penitùs desperaret. Sed patruus pueri superueniens, consolatus est eam, ità dicens: Nè turberis: certus sum enim non moriturũ infantem. In visione nanq; vir quidam sanctus mihi ostẽsus est, qui etiam breui adueniet, vt illum curet. Quod & factum est. Venit Episcopus, guttur tetigit, locumq; vulneris Cruce consignauit. Iam enim vix palpitare cernebatur. Eo verò recedente, mox puer sanguinolentum euomuit ferrum, & sanus apparuit. Quædam fœmina spiritum habens Pythonicum, tanta garrulitate cũctos oppressit, vt ei silentium nemo posset imponere. Ea cùm viro sancto fuisset oblata, spiritum cum magna arguit indignatione, dicens: Agè iam, ô infelix, quid nôsti diuinare nobis? Ille præsentiam sancti viri non sustinens, protinùs aufugit. Mulier verò plenè liberata, deincèps taciturna & modesta semper fuit, non sine grandi admiratione cunctorũ, qui factum nouerant. Similiter & alia quædam eius meritis à pessimo quodam ac improbissimo incubo erepta creditur. In villa quadã miserè à dęmonio quidã vexabatur. Accidit tum per eam villam Episcopum quendam iter habere. Cumq; esset iuxta locum, vbì dæmoniacus ille circunstante populo custodiebatur, accurrunt vndiquè, rogant Episcopũ, si quo modo præsidium vllum inueniant apud illũ. Ponunt ante pedes eius infirmum, si fortè manum velit imponere, & spiritui comminari. Sed mercenarius ille, cùm vidisset dolorem esse vehementem, præ pauore totus contremuit, equumq; calcaribus vrgẽs, abire festinauit. At pio præsule Hugone non diù pòst per eandem equitante viã, accurrunt iterùm vicini, precantes auxiliũ opportunum illi, qui se iuuare non poterat. Itaq; vir sanctus non fugã inijt, sed protinùs de equo descendens, velociùs accurrit: Vidensque dolorem atrocissimũ, nequaquam

Permultis claret miraculis.

Sanat dæmoniacum.

Infantem moribundũ curat.

Curat aliquot dęmoniacas.

quaquàm territus expauescit, sed spiritu fremens, ad bellum se comparat. Proh nefas, inquit, hæc vtiquè non rectè se habent. Quid ampliùs? Fusa oratione, lectoque Euangelio, In principio erat verbum, in aures patientis, vir Dei fidenter abscessit. Ioan.1. Mira res. Hostis, qui tanta crudelitate sæuierat ante Hugonis aduentum, quique tot cachinnis eius orationes comminationesque exceperat, iam illo recedente, quasi iniectis vinculis eum post se traheret, ab homine exiuit, nec ausus fuit ampliùs introire in illum. Quod cernentes qui aderant, piasprae gaudio fuderūt lachrymas, Deum in sancto suo mirificè collaudātes, experti palàm in homine illo, quàm dispares sint etiam Episcopi. Hominem miserum liberat à dæmone.

Oratione sua vir sanctus ignem compescuit, nè tantùm vastaret, quantùm timebatur. Cap.16. Ante vltimum eius recessum à Vuictamia, placuit Domino etiam in conspectu fratrum glorificare illum: quod tamen non propter infidelitatem illorum arbitramur factum, sed vt tanti viri sanctitas animis eorum arctiùs affigeretur. Quasi enim vltimum vale eis diceret, non tātùm sermone, verumetiam opere, sacrę orationis virtutem illis commendauit. Domus quædam straminea illic erat, quę igne arrepta, flammas in altum misit, cunctis circunquaquè ædificijs incendium parans. Expauit ea re vir sanctus, & matutinale officium, quod iam inchoauerat, intermittens, contra ignem salutiferæ Crucis signum edidit. Cumque periculum ineuitabile, nisi Dei clementia prohiberet, impendére cerneret, mox ante aram se prosternens, orationi se dedit, indè nequaquàm surgens, donèc flammā tepuisse, domumque illam absorptam esse audiret. Precibus sopit incendium. Omnes igitur Deum laudantes pro gaudio duplicato, quòd & cætera illæsa mansissent ædificia, & à diuturno metu, qui iam euenerat, liberatos se viderent, Episcopus aiebat: Benedictus Deus, qui nō solum præsentem hac in re timorem nostrum consolatus est, sed & futuri metûs solicitudinem omnem sub nostra tandèm pręsentia amputauit. Quo in facto, sicut & in multis alijs, sancto Martino par fuisse probatur.

Quanta autem deuotione fuerit erga reuerendissimum altaris Sacramētum, ex hoc solo satis perpendi potest, quòd crebrò pius Dominus in forma speciosissimi pueruli, sacrificanti illi visibiliter apparére dignatus est: quod quidem religiosis quibusdam personis diuino nutu non raro intueri cōcessum fuit. Cap.17. Quid autem ipse senserit de quibusdā miraculis, quæ circa idem præcipuè venerandum ferūtur contigisse sacramentum, res, quam dicturi sumus, declarabit. Christus ei sacrificium facienti sæpè appáret. In villa quadam sacerdos erat valdè dissolutæ vitæ, quē hoc ordine diuina bonitas ad pœnitentiam vocauit: Celebrans ille Missarū solennia, manibus cœpit indignis regē tractare maiestatis. Cumq; ad illum venisset locum, vbi hostia frangēda erat, sanguis protinùs emanauit. Territus ille, vitam mutauit in melius, cunctisq; audire volentibus factum publicauit. Veritas corporis Christi in Eucharistia. Accidit autem, beatum Hugonem per eam villā iter facere, sacerdotemq; accersitum, non propter miraculum, sed ob vitę sanctitatem, de quibusdā spiritalis vitæ studijs interrogare. Tanta enim pœnitentiæ asperitate pristinam vitā iam correxerat, vt sanctum eum fama cunctis proclamaret. Cumque sancto episcopo narrâsset prodigium, quod ipsi acciderat, hortatus est eum, vt cruorem ipsum tāquàm veritatis testē inspiceret. Sed penitùs non acquieuit: quinimmò famulis suis idem suggerentibus, ità fertur respondisse: Habeant ipsi signa infidelitatis suæ. Nobis aūt, qui verè credimus sub speciebus sacramentalibus verum corpus & sanguinē Christi contineri, signa quid proderunt? Quosdam etiam abire volentes, vt viderent, duriùs obiurgabat, quòd non deuotione, sed curiositate id facerent. Siquidem scriptum nouerat: Beati qui non viderunt, & crediderunt. Ioan.20. Sed hoc vulgo persuadere quis poterit? Quinimmò videmus eos tanta diligentia ad huiusmodi confluere: qui si perfectam haberent fidem, magis vtiquè ab his se elongarent. Curiositatē repræhēdit, non pietatem.

Post longa tandèm huius vitæ certamina, cùm iam tempus aduentaret transitûs eius ad patrē, acri febre corripitur. Cap.18. Morbo autē ingrauescente, sæpiùs orando hæc verba repetebat: O pie Deus, requiem præsta nobis. Bone Domine, Deusque verax, dona tandèm nobis requiem. Quod quidā de adstantibus audiens, quasi pro consolatione dixit ei: Iā Domine quiesces. At ille: O verè, inquit, beatos illos, quibus vel in extremo iudicij die requies incōcussa donabitur. Dicente rursùs eo ipso, illū diem ei futurum, Deo volēte, iudicij diē, quo esset è vita decessurus, cum magna fiducia dixit: Non rectè sentis. Nō enim iudicij, sed gratiæ & misericordiæ dies erit, quo ego defungar. Cùm adhuc esset incolumis, & mentio fieret de mortis horrore, di-

cere cõsueuerat: Malè profectò nobiscum ageretur, si nunquàm mori deberemus. In omni ægritudine sua, quãuis violẽtissimè torqueretur, inuicto semper permãsit animo, ità vt iret & rediret à lectulo, quocunq; esset necessè. Stupefacti ea re medici, dicebant: Reuerà spiritus hominis huius sustentat imbecillũ corpus eius. Adstãs quidã de præcipuis amicis illius, sic hortabatur eũ: Quandoquidem, inquit, domine, multo tempore tũ ordinarius, tum etiã delegatus permultorũ iudex fuisti, diligenter, oro, studeas nedùm generatim, sed etiã speciatim confiteri, quos & quot priuato amore vel odio, aut promóueris, aut depresseris parùm iustè. Respondit ille: Odio, seu amore, sed nec spe quidem vel timore personæ vel rei cuiuscunque, à veritate iudicij me vnquàm exorbitâsse, penitùs memor nõ sum. Si autem de recto deflexi, hoc vel propriæ ignorãtiæ, aut certè assistentiũ culpa accidit. Ad verba nãque sua tantã semper adhibebat cautionẽ, nè quid cõtra veritatẽ proferret, vt nedùm in dubijs, sed etiam in certissimis frequenter hanc adijceret appendicem: Sic modò nobis occurrit. Eádem per omnia cautela in literis, sigillo ipsius muniendis, ille veritatis amator semper vtebatur. Admonitus etiam, vt testamentum pro more faceret, Tædet me, inquit, huius consuetudinis, iam passìm in Ecclesiã introductæ. Nec habui quicquam, nec habeo, quod non sit Ecclesiæ, quam regendam suscepi. Attamen nè fiscus rapiat, pauperibus tribuatur totum, quod videor possidere.

Eccè vitæ eius innocentiam.

Cap. 29.

Sacramentum extremę Vnctionis percipit

Orationi deincèps mens eius potiùs intenta fuit, mortemque vicinam prædixit, seq; inungi voluit. Eodem die, quo Episcopus cõsecratus fuerat, etiã sacramentum extremæ Vnctionis percepit, putà ferijs B. Matthæi Apostoli & Euangelistæ. Ante illum diem nunquàm sacramentum hoc percipere voluit, quanuis crebrò lethaliter laboraret. Disponente tamen Domino, vsque ad decimum septimum Nouẽbris diem mors illius dilata est. In quo spatio multas proposuit adhortationes ipsum visitantibus, salutariaq; dedit cõsilia in negocijs opportunis. Archiepiscopus quoquè ad eum veniens, humiliter veniam petijt, quòd multas ei præter fas persecutiones excitâsset. Cui vir sanctus, lætatus pœnitentia eius, alacriter respõdit: Libenter ignosco. Quòd autem sæpè te repræhendi, non me pœnitet: sed quòd id crebriùs non feci, id potiùs doleo. Vidi nanque secularibus negocijs animũ tuum plùs satis implicari, iacturamque non paruã in subditis tua negligẽtia fieri. Cùm iam autem ille, quem diximus, Nouembris dies propinquâsset, lachrymantibus filijs dixit, vt funeri necessaria præpararent. Facto deniquè in se spiritu Dei, mala grandia futura prædixit & Regi, & regno, inprimìs autem Clero. Dicebat proindè libenter se velle mori, nè tanta cerneret dissidia. Et hæc quidem omnia mox ab eius obitu, sicut prædixerat, euenerunt. In quo, sicut & in alijs multis, apertissimè videre licet, eum prophetię spiritũ habuisse. Decimoseptimo Nouẽbris die, cùm sentiret vires sibi magis magisq; deficere, iussit accersiri monachos & clericos in obsequium funeris sui. Et quia Episcoporũ nullus interesse poterat, ordine instruxit eos, quemadmodùm funus ipsum curare deberẽt. Iussit quoquè, vt non Londoniæ, vbi ægrotare cœpit, humaretur: sed vt Lincolniam translatũ eum in primaria æde sepelirent. Concilium nanque vniuersale totius regni Lincolniæ celebrabatur, ad quod Episcopi omnes conuenerant. Ipse autem interrogatus, num interesse vellet, respondit: Etiam. Id verò quomodò accipi voluerit, ex sequentibus patebit. Aduesperante ergò die, vir pius & misericors, sciens quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem totius consolationis, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: cernensq; vbertìm flentes charissimos filios, suauissimis eos sermonibus consolari nitebatur. Dextram etiam capitibus singulorum diutiùs imponens, Deo & verbo gratiæ eius eos omnes commendauit. Deindè deficiente voce, cùm rogarent eum, vt Dominum pro idoneo pastore deprecaretur, tandèm respondit: Deus id faciat. Quo dicto, pauimentum coram eo nudatur, & cinere benedicto in Crucis formam sparso, Completorij preces inchoauerunt. Cùm autem versum illum audisset, Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eũ. imponi se cineri poposcit. Psallentibus illis festinantiùs, vultu placidissimo spiritum sensìm colligebat, quem tunc in manus cõditoris tradidit, cùm illud Simeonis cãticum inciperetur, Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Obijt circa annum Domini millesimũ ducentesimum, cùm iam sexagenarius esset, deincèps in sabbato pacis æternæ quieturus. Tenuit cathedram episcopalem annis quindecim, & quinquaginta & octo diebus.

Multa mala sub obitum futura prædicit.

2. Cor. 1.

Psal. 90.

Luc. 2.

Felicissimè vir pijssim' in cælos è corpore ꝓficiscitur.

De felici transitu eius & gloria immarcescibili reuelationes multæ diuersis Deo deuotis hominibus obtigerunt. Quidam etiam ex ijs, qui familiariùs ei assistebant, cùm adhuc viueret, anxius nimiùm post eius obitum de statu eius, in oratione raptus, tali visione certior factus est: Apparuit ei sanctus Hugo tanquàm in præclaro loco residens, gloria mirabili sublimatus. Audiuit etiam cantica suauissima, cuiusmodi in terris nunquàm audita essent. Cumque visionem illam admiraretur, & præ pauore loqui non auderet, dixit ei sanctus Hugo: Non te solicitum esse decet de statu meo. Cantica melliflua, quæ audis, ab hora illa, qua discessi à vobis, nunquàm mihi defuerũt. Deindè eum comiter instruxit de quibusdam perplexis conscientiæ scrupulis, quos anteà nunquàm potuerat excutere, nec satis ab aliquo de ijs edoceri. Itaque tanquàm in testimonium visionis eius, dein cèps illam non sensit animi perplexitatem. Reuelatum etiam diuinitùs fuit cuidam deuotæ personæ, quemadmodùm pede suo vir sanctus arrogantem quendam Episcopum in dorso percussisset, quòd ad cathedram Ecclesiæ eius non studio boni operis, sed inanis gloriæ desiderio adspiraret: qui eadem hora spiritum exhalauit. Cap. 30. Visio cuiusdam de eius beatitudine

Videntes autem capellani eius, mortuum eum esse, funus sacratissimũ, sicut eis præceperat, curare cœperunt. Cumque lauarent corpus exanime, lacte candidius foris apparuit: intùs verò, vitro purius cernebatur. Faciem cum manu dextera perungentes balsamo, reliquum corpus aromatibus condiêrunt: vestibusque sacris pignus venerandum ornantes, loculo imposuerũt. Quibus omnibus ritè peractis, cum magna celebritate & miraculorùm gloria, ad sedem propriam deportatum est. Nam postquàm fama sanctissimi obitûs eius inter populares percrebuit, tanta hominum vndiquè confluxit multitudo, prosequentium sacrũ funus, vt non parua iter accelerantibus remora obijceretur. Deuotio etiam populi toto illo itinere adeò continuata est, vt vix quisquam sui proximi recordaretur. Tetigisse feretrum, palma suprema fuit. Quibus verò hoc denegabatur, ij conspexisse procùl & adorâsse, non vile trophęum ducebant. Fortiores deuotissimè supponebant humeros ad portandum, tametsi nulli, nisi ad breue spatium, id priuilegij concessum fuit. Per turmas enim, & quasi certatim ad portandum irruebant, cogentes priores, nè quid vltra id, quod præfixum esset, ea in re sibi vsurparent. Succedentibus autem sibi vicissim turbis, venerunt in occursum sacri funeris etiam duo Reges, Iohannes Angliæ, & alter Scotiæ, cum Archiepiscopis & Episcopis, Abbatibus, Comitibus & proceribus multis: qui cùm sperarent in deferendo sacro corpore aliquid se priuilegij habituros, humeros deuotè supposuerũt. At tamen pro desiderio religiosi propositi non contigit eis. Irruente enim vulgo, nouisq; portitoribus præparatis, cùm vim populi ferre non possent, cesserunt viri tam sublimes, quanuis inuiti. Scotiæ quidem Rex propter nimiam lachrymarum vim & copiam, propiùs accedere non potuit. Impensè nanque amauerat illum hominem Dei. Cap. 31. Corpus eius exanime quale visum sit. Obseruatio viri sanctissimi funus quam viri prosecuti sint.

Sextò autem die vrbem Lincolniensem ingressi, reliquias sacras in summã pertulerunt ædem, vbi magna fuit populi frequentia, donèc humatum esset pignus preciosum. Officium deniquè exequiarum tanta celebritate peractum est, vt Episcopi lectiones, Abbates versus recitârint. Fuerũt enim in exequijs illis Reges duo, Archiepiscopi tres, Præsules quatuordecim, Abbates ampliùs centum, Comites proceresque plurimi. De reliquis inferioris statûs & vulgo, nullus certus facilè iniri possit numerus. Sic sic placuit remuneratori omnium bonorum, glorificare seruum suum fidelem, qui totiès erga sepulturam aliorum solicitus fuerat. Impleuit quoquè promissum suum vir sanctus, quia etsi viua voce, vti solebat, negocia concilij non curauit, morte tamen sua totius ecclesiastici statûs regimen mirabiliter illustrauit. In medio nanque sacratissimę synodi emortuum corpus eius prophetauit. Clericus quidam præcellenti ingenio cùm vidisset quæ fiebant, raptìm hos versus composuit, & ad pedes sacri funeris collocauit: Cap. 32.

Pontificum baculus, monachorum norma, scholarum
Consultor, Regum malleus Hugo fuit.

Epitaphiũ eius.

Per totum autem illud longum iter sex dierum, & antequàm sepeliretur corpus sancti pontificis, multa præclara miracula per seruum suum Dominus efficere dignatus est. Deniquè diuina non cessârunt beneficia ad monumentum eius, etiam post illius honorificam sepulturam, in testimoniũ eximiæ sanctitatis. Candelæ accensæ, quæ ante funus portabantur, nec vento, nec pluuia poterãt extingui, cunctis Cap. 33. Multa fiunt miracula. Insigne miraculum.

qui

qui aderant, adſpicientibus & ſtupentibus. Cuiuſdam Bernardi brachium fractum, ab Epiſcopo ſancto reformari per viſionem illi oſtẽſum eſt. Itaque expergefactus, illud planè redintegratum reſpexit, dolore ſopito. Quidam vir pius, orans ad feretrum ſancti Hugonis, vt diſſolui & eſſe cum Chriſto mereretur, ſequenti nocte, rebus ſuis benè conſtitutis, bona morte deceſſit. Hoc autem vir ſanctus dicere ſolebat inter maxima miracula numerandum, ſi cui meritis ſanctorum in paradiſum ingredi contingeret, cunctis periculis excluſis. Mulier quædam cæca, ad primum ſacri corporis cõtactum, oculorum lumen recepit. Fur quidam cùm crumenam pecunia refertam abſtuliſſet à latere cuiuſdam fœminæ orantis ad corpus ſancti Hugonis, miraculosè protinùs cæcatus eſt. Sentiens ergò diuinam vltionem, ſeipſum publicè accuſauit, crumenam reddidit, & viſum recuperauit. Miles quidam, cuius brachium cancer planè corroſerat, ad corpus ſancti Hugonis ſanatus eſt. Puer quidam vita functus, meritis illius reuixit. Vir quidam languidus, à medicis deſperatus, ad ſanctum beati viri ſepulcrum venit, moxque ſanus & incolumis ſurrexit. Deniquè non longo temporis ſpatio à ſepultura precioſi theſauri, intra paucos dies ad monumentum eius, ſex paralytici ſanitatis beneficium adepti, tres cæci illuminati ſunt, muti duo loquendi facultatem receperunt. Duo quoquè contracti, priſtinæ ſunt firmitati reſtituti, & hydropica fœmina eius meritis curata eſt. Mulier quędam cùm quatuor feciſſet abortus, admonita eſt ab ancilla ſua, vt puerulum cereum ſancto Hugoni offerret. Quod vbi fecit, non abortiuit vnquàm, ſed ſex incolumes pueros enixa eſt. Sunt & alia permulta illuſtria miracula, quibus ſanctũ ſuum Dominus mirificauit. Hæc pauca interim breuitatis ſtudio commemoraſſe ſufficiat in laudem & gloriam præpotentis Dei, qui viuit & regnat in infinita ſeculorum ſecula, Amen.

Cęca videt. *Geminum in fure miraculum.* *Puer mortuus excitatur.* *Multa alia plurima miracula ad eius ſepulcrum fiunt.*

Porrò anno Chriſti milleſimo ducẽteſimo octogeſimo, qui fuit à beati viri obitu ferè octogeſimusſextus, Octobris ſexto die, ſacrum corpus eius eleuatum atque tranſlatum eſt, cùm iam antè ab Honorio 3. Pontifice Maximo in Sãctos relatus eſſet. In hac autem eleuatione quaſi integrum repertum eſt corpus eius: loculus verò, in quo illud repoſitum fuerat, magnam puriſſimi olei copiam exhibuit: habitus quoquè monaſticus, quo vir ſanctiſſimus, dum viueret, vſus erat, & in quo poſt obitum ſepulturæ mandatus fuerat, integer inuentus eſt. Cumque ſanctiſſimum eius caput, (quod à corpore ſeparatum, poſteà auro, argento & gemmis incluſum eſt) Oliuerus Lincolnienſis Epiſcopus in manibus reuerenter teneret, ex eius maxilla non parùm olei diſtillauit. Tandèm ſacrum corpus in theca auro, argento & precioſis lapidibus ornata, reconditum eſt, ipſaque theca loco congruo ſatiſque ſublimi, è marmore ſtructo, honorificè collocata eſt, non longè à ſanctiſſimo eius capite, quod iuxta altare beatiſſimi Iohannis Baptiſtæ in Lincolnienſi eccleſia repoſuerunt. Huic verò tranſlationi præter Regem & Reginam Angliæ, itemq; Nauarræ, multoſque regni proceres laicos, etiam duo Archiepiſcopi, multi Epiſcopi, Abbates plurimi, compluresque alij interfuerunt: indictumque eſt, vt eius tranſlationis annua celebritas, deincèps tota diœceſi Lincolnienſi haberetur.

Sacrũ eius corpus eleuatur & transfertur. *Nota de corpore ei⁹ & habitu incorrupto, itemque de oleo.*

MARTYRIVM SANCTI ROMANI MARTYRIS, EX ECCLESIATICAE HISTORIAE EVSEBII *Cæſareenſis Libro* 8. *Cap.* 12. *interprete Iohanne Chriſtophorſono Anglo.*

Nouẽb. 18. *S. Romanus Diaconus.* *Obſerua eius zelum.*



OMANVS, Palæſtinus genere, Eccleſiæ Cæſareenſis Diaconus & exorciſta, cùm pariter Antiochiæ in eccleſiarum vaſtatione fortè verſaretur, complures viros ſimul cum vxoribus & liberis aceruatìm ad idolorum delubra properantes, & iiſdem hoſtias immolantes intuitus, ſpectaculum neutiquàm tolerandum arbitratus eſt: & proptereà ſingulari pietatis ſtudio incenſus, accedit propiùs, & magna voce exclamans, eos grauiter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prahenſus, generoſiſſimus, ſi quiſquam alius, teſtis declaratur veri-

veritatis. Nam cùm iudex mortem illi ignis incendio infligendam pronunciâsset, ille vultu hilari & animo maximè læto, sententiam lubens amplexatus, ad supplicij locum abducitur. Deindè vbi alligatur ad palum, & dum ligna illi circuncircà coaceruabantur, & hi qui incenderent rogum, Imperatoris iam præsentis sententiam expectabant, clamauit: Vbi mihi ignis, quæso?

Hæc locutus, accersitur ad Imperatorem, quó nouum & inusitatum genus supplicij sustineret, vt lingua nimirùm illi amputaretur. Quod fortissimè perpessus, rebus omnibus declarauit, diuinam vim illis, qui aliquid pro pietate subeant acerbitatis, opem semper apportare solere, cùm labores & ærumnas alleuando, tum animi alacritatem firmè corroborando. Iste enim simulatquè nouum illum supplicij modum intellexit, prę generosa animi alacritate, neutiquàm obstupefactus, lubens extendit linguam, & paratissimo animo eam lictoribus quasì instructam præbet. Post quod supplicium in vincula coniectus, longinquo temporis spatio ibì afflictatus, tandèm cùm vigesimus annus regni Imperatoris aduentaret, (quo ex decreto concessum erat, vt libertas omnibus, qui in vinculis vbiquè constricti tenebantur, palàm prædicaretur) solus iste in compedibus iacens, vtroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circuniecto strangulatus, martyrio demùm, sicut ei erat in optatis, decoratur.

Lingua ei amputatur.

Diù manet in carcere.

Strangulatur.

ITEM SANCTI PATRIS NOSTRI IOHANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, COgnomento *Chrysostomi*, *Encomium eiusdem martyris, vt habetur in Simeone Metaphraste, apud Aloysium.*



RVrsùs martyrum memoria, & rursùs dies festus & celebritas spiritalis. Laborârunt illi, & nos lætamur. Decertârunt illi, & nos exultamus. Illorum est corona & communis gloria: illorum sunt præmia & certamina, & totius Ecclesiæ gloria, decus & gloriatio. Et quomodò, dicet quispiam, posset hoc fieri? Quòd partes & membra nostra sunt martyres. Quoniam siue patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue glorificatur vnum membrum, cum eo lætantur membra omnia. Caput coronatur, & reliquum corpus exultat. Fit vnus victor in ludis Olympicis, & totus gaudet populus, & cum magnis eum excipit laudibus. Si autem in Olympicis certaminibus, qui nihil ad illos sudores contulerunt, tanta fruuntur voluptate: multo magìs hoc fiet in athletis pietatis. Nos sumus pedes, martyres autem caput. Sed non potest caput dicere pedibus, Vestrì non egeo. Gloriosa sunt membra, sed gloriæ excellentia non facit alienationem à coniunctione, quæ est cum reliquis partibus. Tunc enim fiunt maximè gloriosa, quandò non abruperint eam, quæ est nobiscum, coniunctionem. Nam oculus quoquè, cùm sit reliquo toto corpore splendidior, suam tunc conseruat gloriam, quandò non abscinditur à reliquo corpore. Et quid dico de martyribus? Si enim Dominus noster Christus non erubuit fieri nostrum caput, multo magìs ipsi esse nostrum caput non erubescunt. habent enim, quæ egit radices, charitatem. Solet autem charitas coniungere ea, quæ sunt disiuncta, & de meritis non admodùm accuratè inquirit. Quomodò ergò ipsi cùm nobis peccantibus dolore simul afficiuntur, ità etiam nos simul cum eis lætamur in rectefactis. Sic etiam iussit Paulus, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.

Nota festa martyrum.

1. Cor. 12.

Ibidèm.

Nos pedibus, martyres vero capiti comparantur.

Rom. 12.

Sed flere quidem cum flentibus, est valdè facile: gaudere autem cum gaudentibus, non itidèm. Faciliùs enim dolemus cum ijs, qui sunt in calamitatibus, quàm gaudemus cum ijs, quibus sunt res secundæ. Nam illic quidem ipsa natura calamitatis potest vel lapidem flectere ad commiserationem: hìc autem in rebus prosperis inuidia eum, qui non valdè philosophatur, non sinit effici socium voluptatis. Nam quomodò charitas coniungit ea, quæ sunt diuisa: ità etiam inuidia diuidit ea, quæ sunt vnita. Quamobrèm rogo vos omnes, studeamus gaudere cum ijs, qui rem rectè gerunt, vt animam expurgemus ab inuidia. Nihil enim æquè expellit hunc morbum grauem & curatu difficilem, atquè gaudere cum ijs, qui viuunt in virtute.

Inuidentiæ dira pestis.

Gratulandú aliorú rectè factis.

Audi

2.Cor.11. Audi quàm sit Paulus summus in his vtrisque: Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Non dixit, Et ego non molestia afficior: sed, Ego non vror, dixit: vrendi verbo ostendere volens summum dolorem. Et rursùs ad alios scribens, dicit: Sine nobis regnauistis: & vtinàm regnauissetis, vt nos quoquè simul vobiscum regnaremus. Et rursùs: Nunc viuimus, si vos statis in Domino. Vide quantoperè studebat, vt res fratrum rectè se haberent, qui nec se viuere quidem existimabat, si illi non essent salui. Homo, qui fuerat raptus ad tertium cælum, & delatus in paradisum, & qui fuerat particeps mysteriorum ineffabilium, & tantam apud Deum assecutus fuerat fidutiam, illorum bonorum sensum non valdè accipiebat, nisi etiam vidisset fratres secum esse saluos. Sciebat enim apertè, sciebat charitate nihil esse maius, neque quod sit cum ea conferendum: nec ipsum quidem martyrium, quod est summa bonorum. Nam charitas quidem, etiā absque martyrio, facit Christi discipulos: martyrium autem sine charitate, non potest hoc facere.

1.Cor.4.

1.Thess.3.

2.Cor.12.

Nihil charitate præstabilius.

Ioan.13. Vndenàm hoc sciri potest? Ab ipsis Christi verbis. Dicebat enim discipulis: In hoc cognoscent omnes, quòd mei discipuli estis, si vos inuicèm diligatis. Eccè charitas sine martyrio facit discipulos. Quòd autem martyrium sine charitate non solùm non facit discipulos, sed nec prodest quidem quicquam ei, qui id sustinet, audi Paulum dicentem: Si tradidero corpus meum, vt comburatur, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Propterea hunc sanctum maximè diligo, qui hodiè nos congregauit, beatum (inquam) Romanum, quoniam cum certamine & martyrio, magnam quoquè ostendit in Christum charitatem. Quamobrèm ei quoquè sancta lingua fuit amputata. Etenim hoc quoquè par est examinare, quanam de causa non ad alia vtiquè tormenta, supplicia & cruciatus eum deduxerit diabolus, sed linguam ei abscidit. Non enim hoc fecit temerè, sed cum maxima malitia. est enim mala & malefica hæc bestia, & omnia facit & mouet aduersùs nostram salutem. Agè ergò examinemus, curnam processit ad linguæ eius amputationem, paulò altiùs deducentes orationem. Sic enim sciemus & Dei benignitatem, & martyris tolerantiam, & diaboli malignitatem. Et cùm Dei quidem didicerimus benignitatem, Domino agemùs gratias: martyris autem cognita patientia, imitemur conseruum: intellecta autem diaboli malitia, omninò auersemur inimicum. Propterea enim dedit nobis Deus clemens & benignus nôsse eius machinationes, vt eum magìs odio habentes, faciliùs superemus. Quòd enim cognosci possint ea, quæ mente agitat, audi quid dicat Paulus de eo, qui fuerat fornicatus, scribens ad Corinthios: Confirmate in ipsum charitatem, nè circunueniamur à satana. Non enim quæ mente agitat, ignoramus. Quænam est ergò causa, propter quam ei linguam amputauit? Patiamini, ô dilecti, me rem paulò altiùs narrantem.

1.Cor.13.

Diabolus malefica bestia.

2.Cor.2.

Ecclesiæ persecutiones. Graue bellum fuit aliquandò excitatum aduersùs Ecclesias, non barbaris facientibus incursiones aduersùs ciuitates, nec vllis alienigenis, sed ijs, qui videbantur præesse huic nostro terrarum orbi, & barbaris & hostibus & Tyrannis omnibus crudeliùs & immaniùs vtentibus ijs, qui eorum parebāt imperio. Non solùm enim libertas, & patria, & pecuniæ, & præsens vita tunc veniebat in periculum: sed regnum cęlorum, & bona, quę sunt iustis reposita, vitaque immortalis & Christi confessio. Nec solùm graue bellum, sed nouus quoquè modus excogitatus fuit captiuitatis. Non enim ex ea, quæ hîc est, ciuitate expellebant, sed supernæ Hierusalem, quæ est libera, priuare conabantur, & cogebant vnumquenque animas sacrificare in altaribus, & suum abiurare Dominum, & se dæmonum subijcere tyrannidi, perniciososque, & nostræ salutis hostes, colere dæmones, quod mille mortibus, & quauis gehenna erat grauius & intolerabilius generosis animis & Christi amantibus. Tunc tunc, cùm multi essent submersi, & fluctus in altum tollerentur, & multi nauem frangerent, beatus hic Romanus in medium eorum accedens, non statim considerauit, quemadmodùm se traderet periculis: sed eos priùs, qui timuerant, qui lapsi erant, qui suam salutem prodiderant, collegit, animauit, vt prælium instaurarent effecit: eos quidem, qui lapsi erant, erigens: eos autem, qui stabant, confirmans, precibus, exhortationibus, & consilijs, de futuris & de præsentibus rebus multùm philosophans: ostendens has esse ad tempus, illas autem perpetuas: præmia opponens laboribus, coronas tormentis, brauia doloribus: docens quænam sit

Galat.4.

Romani præclara virtus, fortitudo, & sapientia.

sit quidem vita præsens, quænam autem futura, & quantum intersit inter vtranque, & quòd mori omninò sit necesse: &, si non hoc modo vitam finiërint, omninò coacti lege naturæ, paulopòst discedent ab his corporibus. His & similibus exhortationibus beatus ille manus erexit dissolutas, confirmauit genua debilia, fugientes reduxit, metum expulit, angorem exegit, eis animum addidit, audacesque effecit & confidentes. Pro capreis & ceruis eos effecit leones, magnam vim spirantes: Christi exercitum instruxit & exercuit: ignominiam nostram conuertit in capita hostium. Multos sua oratione confirmat.

Cùm ergò vidisset diabolus repentè tantam fuisse factam mutationem: & qui nudiustertiùs eum timebant & contremiscebant, se audacter in eum gerere, & ipsum irridere, adeuntes pericula, prosilientes ad supplicia: & cùm cognouisset authorem, omnibus dimissis, in illum deincèps omninò virus suum inspirauit, omnem vim suam & insaniam mouens in hoc beatum caput. Et quid facit? Considerate malitiam. Non eum duxit ad tormenta, nõ eius caput abscidit: eum enim docuit tempus præteritum, hæc omnia fuisse facta temerè. Non solùm enim non retardauit animi alacritatem eorum, qui crediderant: sed etiam magìs auxit, eamque effecit maiorem & vehementiorem. Carbones, inquit, substernebant: illi autem currebant, tanquàm ad rosas. Ignem accendebant: illi verò tanquàm in fontes aquarum frigidarum seipsos proijciebant. Latera cædebant, & profundos in eis sulcos faciebant, & riuos sanguinis deducebant: illi autem gloriabantur, tanquàm auro omni ex parte circunfluentes. E præcipitijs iaciebant, & in mare demergebant: illi verò non tanquàm in profundum descendentes, sed tanquàm in ipsum cęlum ascendentes, ità affecti erant, exilientes & exultantes, & tanquàm in sacra pompa choreas ducentes, & ludentes in prato herbido. Ità arripiebat vnusquisque cruciatus, non tanquàm cruciatus, sed tanquàm vernos flores carpentes, & coronas contexentes, & insigni animi sui alacritate meos præueniebant cruciatus. Quid ergò, inquit, nunc fuerit agendum? Abscindam'ne eius caput? sed fit id, quod habet in votis, & discipuli per facta maiorem accipiunt adhortationem. Sępè enim eos admonuit, hanc mortem, quæ est ad tempus, non esse mortem, sed migrationem & requiem: oportere decessum despicere, & solam complecti animam. Si ergò caput abscidero, & forti animo tulerit, quod acciderit, ipsos per facta docebit apertiùs, quòd mortem sic oportet despicere: & eorum magìs eriget spiritus, & mortuus eis inspirabit maiorem animi alacritatem. Propterea ergò linguam amputat, vt priuati voce, qua fruebantur, martyris discipuli, & defecti eius admonitione, fierent timidiores, & ad priorem redirent angorem & dubitationem, non habentes, qui eis animum adderet, neque qui excitaret & armaret. Malitia diaboli. Martyrũ ad patiendum pro Christo alacritas. Mors electorũ, non mors sed requies est dicenda.

Considera autem mihi diaboli malitiam. Herodes quidem ábscidit caput Iohannis: hic autem non caput, sed solùm linguam. Quamobrèm? Si abscidero caput, inquit, & fuerit mortuus, recedet non videns interitum suorum fratrum: ego autem volo eum facere testem lapsuum & calamitatis suorum militum, vt dolore enecetur, videns quidem labentes, non potens autem manum porrigere, & non valens eis ea, quæ priùs, consulere, ei voce execta simul cum lingua. Sed qui compræhendit sapientes in sua astutia, inuentum conuertit in eius caput: & non solùm non priuauit consilio, sed eos etiam magìs fecit frui adhortatione, & esse spiritalioris doctrinæ participes. Nam cùm hoc obtinuisset diabolus, vocatur decæterò medicus ad sectionem, & fit lictor pro medico: non id corrigens, quod morbo laborabat: sed id, quod erat sanum, corrumpens. Et cùm linguam exemisset, non potuit simul cum ea vocem eximere: sed carnis quidem abscissa fuit lingua: virtus autem diuinę gratiæ, aduolauit ad os beati Romani: & natura quidem amisit suum membrum, ferro id cogente: Dei autem gratia non siuit vocem cum ea excidere. Vndè etiam decæterò discipuli fruebantur magìs spiritali doctrina, non humana voce, cuiusmodi priùs, verba audientes: sed diuina quadam & spiritali, & quæ nostram superabat naturam: & supernè quidem omnes concurrebant Angeli, infernè verò homines, vnusquisque os sinè lingua videre cupiẽtes, & audire sic loquens. erat enim re vera admirabile, & præter opinionem, diabolo quidem magnum afferens dédecus, magnam autem martyri gloriam, discipulis verò plurimam consolationem, & magnum argumentum patientiæ. Hic enim Deo mos est vel ex alto repetitus & à principio, quæcunque contra nos consarcinârit diabolus, ea in Matt. 14. 1. Cor. 3. Lingua martyris exciditur, & tamen loquẽdi facultas ei manet.

caput illius conuertere, & ad nostram salutem redigere.

Gen.3. | Dei erga homines benignitas.

Mihi autem hocquoquè considera: Ille hominem eiecit è paradiso, & Deus ei cęlum aperuit. Ille ipsum expulit ex imperio terreno: Deus autem ei dedit regnum cælorum, & in throno regio nostram fecit sedere naturam. Sic dat Deus semper dona maiora ijs, quibus diabolus conatur priuare homines. Hoc autem facit, illum quidem reddens tardiorem ad nobis parandum insidias: nos verò docens, nunquàm timere eius machinationes. Quod quidem factum est etiam in martyre. Quia enim voce existimauit se eum esse priuaturum diabolus, multo maiorem & præclariorem ei Deus est largitus. Non erat enim eiusdem momenti, cum lingua loqui, & sine lingua. Nam illud quidem erat consequens, & commune omnibus: hoc autem erat supra naturam, & eius solius proprium. Quanquàm etiam si fuisset mutus martyr post linguæ abscissionem, sic quoquè ei fuisset impletum certamen, & parata esset corona. Nam quòd victus esset, erat maximum & apertum argumentum, quòd linguam amputârit. Si enim non timebas linguam martyris, ô scelerate & execrande diabole, cur eam abscidisti? Quamobrèm non dimisisti argumentum decertationum, sed occlusisti stadium? Quemadmodùm enim, si quis luctaturus deindè accepisset plagas, quæ verbis explicari non possunt, & non valens deincèps ampliùs resistere, iusserit abscindi manus athletæ, & sic eum percutiat, non est opùs ampliùs alia probatione ad decernendam victoriam ei, cui fuerint manus abscissæ: Ità etiam in martyre apertissimum omnium argumẽtum victoriæ aduersùs diabolum, fuit linguæ eius amputatio. Nam etsì lingua erat mortalis, quoniam tamen ei vulnera dedit immortalia, propter eà in illam ingentes omninò efflauit spiritus: sibi quidem maius afferens dedecus, martyri autem coronam faciens splendidiorem. Quomodò enim est mirabile, arborem videre sine radice, & fluuium sine fonte: ità etiam vocem sine lingua.

Imbecillitas diaboli.

Contra eos, qui negant corporũ resurrectionẽ

Vbi ergò sunt, qui non credunt corporum resurrectioni? Eccè vox mortua est, & reuixit: & vno momento temporis vtraque facta sunt. Quanquàm hoc longè sit maius, quàm corporum resurrectio. Nam illic quidem subiecta est natura corporum, compositio autem solùm est dissoluta: hîc verò fuit sublatum ipsum vocis fundamentum, sed tamen rursùs facta est splendidior. Quanquàm si à tibia lingulas abstuleris, iacet inutile deincèps instrumentum. Sed non sic tibia spiritualis: sed etiamsì sit lingua priuata, non solùm non erat muta, sed etiam modulatiùs emittebat carmen, & magìs mysticum, & cum maiori admiratione. Rursùs quoquè in cithara si quis plectrum solùm eripuerit, fit ociosus artifex, ars inutilis, & inane instrumentum. Hîc autem nihil eiusmodi, sed contrà omninò. Os enim erat cithara, lingua plectrum, anima artifex, cõfessio verò ars. Plectro tamen ablato, lingua, inquam, neque artifex, neque ars, neque instrumentum euasit inutile, sed omnia suam virtutem ostenderunt. Quis hæc fecit? Quis hæc ostendit admirabilia, & quæ sunt præter opinionem? Deus, qui solus facit mirabilia. De quo dicit Dauid: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos. Ex ore infantium & lactentiũ perfecisti laudem. Atque tunc quidem ex ore infantium & lactentium, nunc autem ex ore elinguium. Tunc natura immatura, nunc os lingua defectum. Tunc erat in pueris mollis radix, sed fructus perfectus: Hîc autem & ipsa radix erat ablata, & non prohibebatur fructûs generatio: est enim vox, fructus linguæ.

Psal.71. & 135.

Psal.8.

Sunt reuerà magìs admirabilia posteriora prioribus. Etenim nè his fidem non adhibeatis, illa propter eà præcesserunt, vt in his non conturbemini, cùm in illis fuerit assuetus animus. Propter eà hæc euenerunt, vt illa, quæ latent & sunt vetera, credantur ex manifestis & ijs, quæ recèns facta sunt. Sic aliquandò Aaronis quoquè virga floruit, quomodò nunc germinauit os martyris. Sed quanam de causa Aaronis virga tunc germinauit? Quoniam erat designatus sacerdos. Quanam autem de causa nunc germinauit os martyris? Quoniam blasphemia & maledictis incessebatur magnus Pontifex Iesus Christus. Vide ergò, quanta sit miraculi cognatio & excellentia. Quomodò enim virga illa non vnita radici, nec ex terra trahens humorem, sed defecta ea, quæ illinc proficiscitur, suppeditatione, & perdita vitali & frugifera virtute, repentè ostendit fructum: ità etiam hîc quoquè vox priuata radice, & vim non habens ex instrumentò, in sicco & sterili ore repentè germinauit. In hoc quidem cognatio, in alio autem excellentia. Inter vtrunque enim fructu multum

Num.17.

tùm intereſt. Nam ille quidem erat ſenſilis, hic autem ſpiritalis, & ipſos cælos aperiens ei, qui tunc eam vocem ediderat.

Pro his omnibus gratulemur martyri, glorificemus Deum, qui hæc facit miracula: imitemur conſerui patientiam, gratias agamus Domino pro gratia: accipiamus ex ijs, quæ dicta ſunt, ſufficientem conſolationem in tentationibus: & Dei, qui nos fecit, potentiam & curam admirantes ac prouidentiam, omnia ex nobis afferamus, & quæ ex eo ſunt, omninò conſequentur. Seu homines, ſeu dæmones, ſeu ipſe diabolus aduersùs nos depugnet, nihil proficient ij, qui nos oppugnant: modò oſtendamus noſtrum promptum animi ſtudium, & quæ à nobis afferri oportet, omnia afferamus. Sic enim & Dei attrahemus auxilium & in vita futura magna fruemur gloria & ſalute. Quam detur nobis omnibus conſequi gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cum quo patri ſimul cum ſancto ſpiritu gloria, honor, potentia in ſecula ſeculorum, Amen. *Vt poſſim' vincere hoſtes omnes.*

VITA SANCTI MAXIMI EPISCOPI MOGVNTINI, IVSSV REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISſimi *Alberti Archiepiſcopi Moguntini, à Iohanne Tritthemio, priùs Spanheimenſi, tum verò ad S. Iacobùm Vuirciburgenſi Abbate, conſcripta. Nos eam in capita diſtinximus.*



EO tempore, quo Liberius Papa ſub graui perſecutione Arrianorum ſanctam Romanam gubernabat Eccleſiam, ſanctus Lucius Anneus, patria Romanus, apud Moguntiam, nobilem Germaniæ vrbem, decimuſoctauus pontificatum annis tenuit ferè vndecim. Quo feliciter vita defuncto, ſanctus presbyter Maximus communi voto populi fidelis in Epiſcopatu ſuccedens anno Dominicæ natiuitatis trecenteſimo quinquageſimoquarto, Indictione Romanorum duodecima, præfuit annis, vt Megenfridus refert in Chronicis, quatuor & viginti, ſub Arrianorum perſecutione grauiſſima, temporibus videlicet Theodomeri & Clodionis Regum Francorum: quo tempore Dagobertus Genebaldi filius, Dux Francorum orientalium apud Vuirciburg, Rheno tranſmiſſo, Moguntinos in odium Romanorum grauiter afflixit: vrbem quoquè Treuirorum, quæ tunc parebat Romanis, obſedit, cepit, ſpoliauit, incendit, funditusque ſubuertit. Annis quippè nongentis bellum cum Gallis atque Romanis Franci Reges habuêre continuum, quouſquè tandèm victores eorum effecti, penè totam Europam ſuo dominio violenter ſubdiderunt. *Nouemb. 18. Cap. 1.* *Is Megenfridus fuit monachus Fuldenſis ſub Imperator. Othone 2. & 3. ſcripſitque hiſtoriarum libros 24.*

Sub his turbationibus Eccleſiæ, multa Chriſtianorum millia propter Catholicæ fidei confeſſionem, ab infidelibus & hæreticis apud Moguntiam & in omnibus terminis eius crudeliter fuerunt occiſa: quorum apud mortales nulla penitùs habetur memoria propter malitiam temporum, & penuriam fidelium Scriptorum. Nuſquàm erant tuti, nuſquàm ſatis in vrbibus & oppidis ſecuri: quandò & gladius vbiquè ſæuiebat gentilium, & non minùs perfidia inualuit hæreticorum. Nam etsì pacem habere videretur Eccleſia ab his, qui Romanis principibus fuerunt ſubiecti, vt abnegare Chriſtum iamtunc nemo compelleretur: Arrianorum tamen intantùm illo tempore veſania præualuit, vt nihil aut parùm à perſecutione gentium differret. Deniquè Franci tam orientales, quàm illi, qui ad oſtia Rheni conſederant, occidentales, Gotthicæ quoquè nationes & alij pagani, frequentes in Galliam motus & incurſus facientes, Moguntiam, Coloniam, Treuirim, Vuormatiam, Spiram, Argentinam, & alias trans Rhenum vrbes nimia crudelitate ſæpiùs moleſtabant, nulli parcentes gradui, ſexui vel ætati. Quapropter pontifices, & miniſtri Domini ſacerdotes, in quos furor perſequentium crudeliùs ſæuiebat, in vrbibus & vicis publicè non audentes comparére, quotiès perſecutio imminebat, cum ſuis ad nemora ſucceſſerunt, in ſpeluncis & cauernis montium latitantes, in- *Cap. 2. Catholicorum multorum cædes.* *Arrianorũ inſania.*

edia, fame ac siti vltrà, quàm credi potest, afflicti, longum pro fide martyrium sustinebant.

Cap. 3. Ea tempora beatissimus præsul Maximus incidit, quibus nisi optimus nemo fuit Christianus. Probauit persecutio fidem, & contulit in passione amor Dei constantiam. Beatus verò pontifex, vt Megenfridus est author in Chronicis, ab Arrianis hæreticis multas & atrocissimas insidias & persecutiones pro fide orthodoxa sustinuit, & septiès de sua pulsus Ecclesia, trususque in exilium, totiès miserante Deo reuersus est. Nam cùm esset vir in diuinis scripturis longè doctissimus, & secularis literaturæ non ignarus, malleo similis, durus redargutor Arrianorum extitit: contra quorum vesaniam non solùm verbis, sed etiam scriptis multipliciter pugnauit. Scripsit enim, iam dicto Megenfrido testante, Contra Arrianos libros quatuor, De Incarnatione Domini libros duos, De Spiritusancto libros duos, De constantia fidei Catholicæ librum vnum, De martyrio Sanctorum librum vnum, Homilias & sermones multos & vtiles ad populum. Alia quoquè nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam nostræ lectionis peruenire minimè potuerunt. Ciuitas enim Moguntina post mortem eius tertiò, sicut * diximus, euersa & funditùs destructa fuit: Primò scilicet per Francos, secundò per Vuandalos, & tertiò sub Attila per Hunnos: qui & sanctum Aureum pontificem cum Iustina sorore & multis alijs in ecclesia peremerunt. Hac trina Moguntinæ ciuitatis destructione, haud solùm multa Christianorum millia fuerunt occisa, sed etiam nomina eorundem simul & modus cum loco & tempore passionis, ad posteritatis memoriam nequaquàm peruenire potuerunt, eò quòd scriptoribus nec opportunitas scribendi fuit, nec locus, vel tempus. Vndè mirandum non est, si & diui Præsulis Maximi lucubrationes vel interiērint ignibus crematæ, vel alicubì situ lateant aut puluere sepultæ.

S. Maxim' multa ab Arrianis patitur.

Scripta eius

* In Epistola dedicatoria, quam omisimus, quòd nihil ferè habeat, quod nō historia ipsa cōtineatur.

Cap. 4. Eādem est calamitate factum, quòd præter sedecim numero, Ecclesia Moguntina suorum pontificum, qui sanctum Bonifacium Archiepiscopum & martyrem præcesserunt, neque nomina, neque ordinem, neque tempora vspiàm potuit inuenire: cùm non sit verisimile, in annis sexcentis quadraginta, non plures extitisse, quàm sedecim: nisi quis contendat, oues Christi apud Moguntiam & sæpiùs & diutiùs, permittente Deo, pastoris necessario caruisse solatio. Quod si quis asserit, minimè probabit. Nos enim contrarium ex Megenfrido facilè poterimus comprobare: qui temporibus Othonum clarens in humanis, cùm esset omnium Germanorum diligentissimus compilator historiarum, quadraginta numero fuisse ante Bonifacium, in Ecclesia Moguntina pontifices commemorat: inter quos sanctum Maximum non, vt neoterici quidam fecerunt incerti authores, septimum, sed nonumdecimum extitisse præsulem asserit, beatoque Lucio successisse Anneo, ac annis, sicut dictum est, præfuisse quatuor & viginti. Neoterici autem innominati scriptores, Megenfridi Chronicorum notitiam non habentes, sedecim duntaxàt ante sanctum Bonifacium Ecclesiæ præfuisse Moguntinæ pontifices asserunt: inter quos Maximum in ordine septimum locantes, beati Aurei martyris, sub Attila Hunnorum Rege passi, successorem immediatum extitisse contendunt. Sed hoc ratio temporis non admittit. Sanctus enim Lucius Anneus præsul octauusdecimus, moritur anno Dominicæ natiuitatis trecentesimo quinquagesimoquarto, Indictione Romanorum duodecima, temporibus Liberij Papæ: cui eodem anno sanctus Maximus in pontificatu successit. Beatus verò Prēsul Aureus Moguntię ab Attila passus est sextodecimo Calendas Iunij, anno Domini quadringentesimo quinquagesimoquarto, Indictione Romanorum septima: cui non Maximus, vt isti putant, sed Eutropius in pontificatu successit temporibus sancti Leonis Papæ primi. Vides nunc, quòd præcisè centum annorum tempus ab institutione Maximi ad pontificatum, vsque ad passionem beati martyris Aurei intermediat, quod præter Megenfridum monachum nullus scriptorum Moguntinensium, quos ego legerim, animaduertit. Vndè mihi videtur, scriptores ipsos nominum consonantia fuisse deceptos, qui pro Anneo, posuerunt Aureum, & Maximum successorem immediatum ipsius Aurei martyris opinati sunt: cuius non Aureus, sed Anneus fuit antecessor, vt ostendimus, centum ante annos.

Megenfridus egregius historiographus.

Lucius Anneus Episcopus Moguntinus.

Cap. 5. Nam ità summatìm author inquit memoratus: Anno Dominicæ natiuitatis octogesimo Crescens à Roma directus in Germaniam, primus Moguntinensium Episcopus ordinatus est, & præfuit annis duobus & viginti, vir magnæ sanctitatis, & mar-

Catalogus Episcoporū Moguntinensium.

martyrio coronatus. Post quem Marinus annis sex: Crescentius aũt præfuit annis octodecim: Cyriacus annis quatuordecim: Hilarius vir sanctus & martyr, annis viginti: Martinus annis quatuordecim: Celsus martyr, annis vigintiduob⁹: Lucius annis decẽ: Gothardus vir sanctissimæ vitæ, annis quindecim: * Suffronius vir sanctus, annis octo: Herigerus martyr, annis quatuor: Rutherus martyr, annis viginti: Auitus vir doctus atq; sanctissimus, annis vigintiduobus: Ignatius martyr, annis tredecim: Dionysius vir sanctus, annis vigintisex: Ruthbertus, annis duodecim: Adelhardus vir sanctus, annis decẽ: Anneus Lucius, annis octodecim, vir Apostolicæ atq; sanctissimæ vitæ: Maximus (de quo nobis est sermo) præfuit annis vigintiquatuor: Sidonius, annis nouendecim: Sigismundus annis sex: Lupoldus vir sanctus, annis septendecim: Nicetius annis octo: Marianus annis decem: Aureus martyr, annis sedecim. Post quem sanctus Eutropius præfuit annis vigintitribus. Post quem ordine suo vsque ad sanctum Bonifacium exclusiuè, adhuc quatuordecim pontifices extiterunt in Ecclesia Moguntina, quorum ista sunt nomina: Adelbertus, Radherius, Adelbaldus, Laudefridus, Ruthardus, Sidonius secundus, Vuilibertus, Ludegastus, Ruthelmus, * Ruthuualdus, Leouualdus, Richbertus, Geroldus & filius eius Vuiliebus laicus, per Carolum Martellum maiorem domûs Francorũ, ea ratione pontificatu Moguntino donatus, sicut & Milo filius sancti Luduuini Archiepiscopatu Treuirorum, & alij multis alijs per Galliam, vt bello interessent cum illo contra Saxones, Francorum dominio rebelles. Verùm non multò pòst Vuiliebus laicus, ignarus diuinarum scripturarum, propter venationes & homicidium sententia Gregorij Papæ secundi fuit depositus, & sanctus Bonifacius monachus & presbyter, anno Domini septingentesimo vicesimo, Indictione Romanorum tertia, in eius locum presul Moguntinę Ecclesiæ primus & quadragesimus ordinatus: quem Zacharias Papa Romanus posteà in Archiepiscopum eiusdem Ecclesiæ sublimauit. Hæc ideò mihi præmittenda necessariò videbantur, nè quis eorum, qui olim ista lecturi sunt, à Moguntinis schedulis discordantem me, aut mendacem existimare velit, aut sine authore certo ab aliorum opinione temerè discrepantem. Stultum nempe foret, Megenfridum certum, fixum & solidum pręterire scriptorem, & incertorum schedulas sequi recentium. Propterea iam nominati scriptoris decreuimus inhærere vestigijs, & incertas neotericorum sententias prætcrire.

for. * Sophronius

* Luthuualdus

S. Bonifacius pręficitur Ecclesię Moguntinæ.

Maximus igitur beati Lucij Annei presbyter, & in ministerio verbi Dei socius, natione Germanus, patria Moguntinus, & religione Christianus fuit. Cuius temporibus adhuc Romani, sicuti & priùs à multis retrò annis, Moguntiam, Treuirim, Coloniam, Vuormatiam, Nemetim, quæ nunc dicitur Spira, cũ magna parte Galliæ suo sub dominio tenebant, licèt à Francis Germanis, Teutonibus, Saxonibus, Bauaris atque Turingis incursiones multas & frequentes paterentur, nunc victi, nunc autem victores. Qui more veterum nimis cupidi ampliare dominium, eas quas superauissent gentes, & moribus & legibus, simul ac literis vti Romanis compellebant, quò potentiores cęteris esse viderẽtur. Vndè Germani, circa litora Rheni commorantes, & Galli tandèm victi à Romanis, eorum & linguam susceperunt, & modum scribendi, scholas instituerunt publicas per vrbes, in quibus Romanorum exemplo, filij ciuium atque nobilium, literarum studijs imbuerentur. Insupèr quò rectoribus abundantiùs complacerent Romanis, prætermittentes nomina suæ gentis auita, natis suis vocabula & Græca imposuerunt, & Latina: quanquàm id posteà conuersi ad Christum fecerint multi non ob metum vel dilectionem Romanorum, sed pro reuerentia potiùs & amore sanctorum Apostolorum, ac Saluatoris Iesu Christi martyrum. Hoc dixerim, nè quis præfatos Ecclesiæ Moguntinæ pontifices, propterea natos vel Græcos existimet, vel Romanos, quòd eos illorum nominibus quandoquè inuenerit nuncupatos. Variantur hominum cum tempore mores, mutantur nomina, & studia mentium continua volubilitate seculorum alterantur.

Cap. 6. S. Maximi patria.

Beatus Maximus, testante Megenfrido, honestis & Christianis parentibus ortus, in vrbe Moguntina, more gentis adhuc puer studio deputatus est literarum: in quo cum tempore adeò profecit, quòd sibi coætaneos penè omnes superauit. Erant in tempore illo plures cum Christianis mixti gentiles, & quemadmodùm persecutione cessante nemo paganum cogebat fieri Christianum, ità nec quisquam impellebat

Cap. 7. S. Maximus multũ proficit in literis.

lebat credentẽ abnegare vel deſerere Chriſtũ. Multi tamẽ inter Chriſtianos ſurrexerũt hæretici: inter quos Arriani, principũ Romanorũ fauore ſuffulti, multas intulerũt veris Chriſtianis perſecutiones & moleſtias. Vndè cùm publice nõ ſemper liceret metu hereticorũ, fideles quiq; filios ſuos in priuato fidẽ ſeruare conſtanter orthodoxam vſq; ad mortẽ docuerũt. Sic nimirùm & ſanctus Maximus in his, quæ pertinebãt ad fidẽ & veram religionẽ, tẽneris ab vnguiculis parentũ & ſacerdotum magiſterio ſufficienter inſtructus, in virum cum tẽpore magnũ creuit, atq; meritis & doctrina glorioſum. Mox enim, vt per ætatem ſapere ac intelligere cœpit, diuina miſeratione præuentus, non minùs, quàm gratia ſemper comitatus, Deo ſe totum obtulit, pro cuius amore cuncta huius mundi blanda & dulcia contempſit.

Omnia blãda & dulcia huius mũdi contemnit.

Cap. 8. Officia Cleri.

Conſuetudo fuit illo in tempore, valdè neceſſaria clericis ac ſacerdotibus, ſoli Deo vacare, ſacro miniſterio verbi & orationis inſiſtere, ad fidem & iuſtitiam populum non minùs exemplo bonæ actionis, quàm ſanctæ prædicationis verbo erudire, mundi honores, diuitias quoquè & omnes voluptates morituræ carnis vilipendere, & Chriſtũ opere & ſermone ſuper omnia veraciter amare. In quo viuendi genere beatus Maximus in clericatu ſuo perſeueranter enituit, & breui cæteris perfectionis in ſe normam dedit: merito ſanctitatis fuit admirabilis, & diuinarum ſcripturarum interpres & doctor inſignis. Propter quod ordinatus à beato pontifice Adelhardo clericus, vitam per omnia duxit Apoſtolicam, multorumq; corda verbo & exemplo in diebus ſuis ad Dominum conuertit. Adelhardo poſt hęc vita defuncto, beatus Lucius Anneus in pontificatu ſuccedẽs, præfuit annis decem & octo, vir magnarũ in Chriſto virtutũ, cui ſanctus ipſe Maximus ſtabili ſemper charitate adhęſit, & innumeras Arrianorũ perſecutiones pro defenſione Catholicæ fidei ſuſtinuit, ſed adiutorio Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti feliciter vbiq; triũphauit.

S. Maximus fit Clericus.

Cap. 9. Lucius Anneus perimitur ab Arrianis. Maximus ei ſuccedit.

Poſtremò tamen ſancto Lucio Anneo pro fide orthodoxa in exilio apud Phrygiã ſtrangulato cũ duobus presbyteris Paulo & Creſcentio, ſubordinatione & inſidijs Arrianorũ, beatiſſimus presbyter Maximus, quẽ pro confirmandis in recta fide populis apud Moguntiam ordinatione diuina reliquerat, fidelium omnium voto cõmuni præſul Eccleſiæ iam dictæ nonuſdecimus conſtituitur, & præfuit in tribulationibus hæreticorum multis, quatuor fermè annis atq; viginti. Facta ſunt hæc, vt ſuprà diximus, anno Dominicæ natiuitatis trecenteſimo quinquageſimoquarto, decima die menſis Iulij, Indictione Romanorũ duodecima. Ordinatus autem pontifex in Eccleſia Moguntina beatiſſimus pater Maximus, per omnia ſe ſtuduit exhibere Domino miniſtrũ irrepræhẽſibilem, paratus amore Dei pro ſalute fidelis populi non ſolùm perſecutiones ſuſtinere & carceres, ſed mortem quoquè, & ſi quid morte eſſet crudelius, quod ei poſſet occurrere. Vitã in omni puritate ducens, continuauit Apoſtolicã, mundi rebus pauper & modicus, virtutibus diues, humilitate profundus. Qui cùm eſſet vir tam in diuinis ſcripturis, quàm in ſecularibus ſcientijs multùm peritus atq; doctiſſimus, hoc ſummoperè curabat inprimis, vt vita conſtaret eius doctrinæ cõformis, nè alijs bona prædicans, ipſe reprobus efficeretur. Corpus proindè ſuum ieiunijs, abſtinentia multa, & vigilijs penè continuis pro Chriſti Saluatoris amore caſtigauit, ſanctis orationibus, & prędicationi ſalutaris doctrinæ verbi Dei ſine intermiſſione, quotiès opportunè licebat, intentus.

Docet ſuos non minùs factis, quàm verbis.

Cap. 10.

Per vicos circumibat & vrbes, vt plurimùm Apoſtolorum exemplo, pedibus nudis, presbytero, diacono & ſubdiacono comitantibus, & cunctis per gyrum populis opportunè & importunè fidem Chriſti, quanta potuit ſedulitate, prædicauit. Fide, actione atque virtute maximus pontifex coram Deo & cunctis fidelibus extitit, qui nihil in hoc mundo aliud, quàm Dei honorem & ſalutem proximi quæſiuit. Mentis deſiderio ſemper in Deum fuit eleuatus, quippè qui ſe huic mundo peregrinum & nouit, & exhibuit, & propterea nulla rerum temporalium cupidine vel occupatione detentus, vel implicatus fuit. O tèr verè beatum, quaterq; beatiſſimum pontificem, cui Deus omnia ſolus extitit, qui mente ſimul & animo nihil aliud quàm Dominum curauit, cuius etiam in amore ſemper occupatum ſe oſtendit. Amator enim Chriſti cùm eſſet feruidus, omnia pro honore caduca contempſit authoris: nec vanis laxauit animum, qui ſanctum in ſe Dei meruit ſuſcipere commorantem patris & filij ſpiritum. Electus Dei pontifex, miniſter Chriſti ſobrius, vir ſanctitate maximus, virtute nitens abintùs, contempſit quicquid cernitur, amauit quod non tangitur, ſed pura mente colitur. O decus tu pontificum, diuini cultor numinis qui ſine

Inuocatur S. Maximus

fine mundi sordibus, Christo vixisti splẽdidus: Adesto mitis omnibus, te mente recolentibus, nos soluens tuis precibus nostris à sceleribus. Non est eo tempore inuentus apud Germanos pontifex doctior sanctiorque præsule Maximo, qui tanta sub innocentia & eruditione scripturarum legem conseruaret excelsi: quoniam & hæreticorum errores verbis & scriptis constantissimè redarguit, & fundatus supra firmam petram diuini amoris, nullas eorum persecutiones formidauit. Septiès tempore sui pontificatûs ab impijs Arrianis vrbe Mogũtina pulsus est, septiès quoquè diuina prouidentia restitutus, nunquàm attædiatus mente, nunquàm deiectus animo, nunquàm victus aut superatus. Sanctitas & eruditio eius. Septiès pellitur à sede sua.

Nam cùm esset diuina miseratione præuentus & illustratus, vnum Deum consubstantialem & coæternum semper patrem & filium & spiritumsanctum asseruit, & sanctam indiuiduamque trinitatem personarum vnius incompræhensibilis & impartibilis Dei constanter vbiquè prædicauit. Pro huius verò catholicæ orthodoxæque fidei assertione tuẽda nec mortem timuit, nec vincula, carcerem aut exilium subire formidauit. Docuit publicè, cùm licuit, populum: docuitque, si aliter non potuit, occultè gregem Domini, suo ministerio cõmissum: docuit verbis, docuit scriptis, patrem & filium & spiritumsanctum in trinitate personarum vnũ esse Deum, in quo nec maius sit, nec minus, quemadmodùm neque prius, neque posterius. Enimuerò nec pater maior est filio aut spiritusancto, nec minor: sicutì neq; prior, neque posterior: quoniam trinitati personarum Deitas vna conuenit, nec tamen trina personarum existentia vnitatem confundit. Beatus ergò præsul Maximus, & apud omnem posteritatem fidelium sempiterna memoria iurè venerãdus: qui spiritu illustrante diuino, per fidem in vera humilitate sanctissimæ Trinitatis incompræhensibile mysterium commeruit fideliter suscipere, quod Arrius mente in superbiã elatus & arrogantissimus, nulla potuit ratione penetrare. Obscuratum est insipiens cor omnium Arrianorum: qui, cùm essent stulti, superbi & nimiùm arrogantes, sapientissimos se omnium æstimabant. Cap. 11. Docet verã & catholicã de S. Trinitate fidem. Arrogantia Arrianorũ.

Cùm autem beatissimus Christi præsul Maximus in confessione veræ fidei synceriter viueret, fideli populo se pontificem per omnia irrepræhensibilem exhiberet, fidem quoque orthodoxam gentibus non minùs, quàm Arrianis cõstantissimè prædicaret, multas illi posuerunt insidias, & nihil ampliùs, quàm ipsum eius sanguinem sitiebant. Sed protegente misericordia Domini famulum suum, permissi non sunt illum, quod maximè cupiebant, occidere, quanuìs idipsum sæpè iteratis vicibus pertentâssent. Megenfrido, sicut diximus, protestante in Chronicis de temporibus gratiæ, septiès cum non sine iniurijs multis & contumelia manifesta, cum quibusdam clericis extra Moguntinam ciuitatem eiecerunt, verberatumq; sæpiùs crudeliter, interficere minimè potuerunt. At ille semper gaudens recessit ab vrbe cum plerisque discipulis suis, religiosissimis viris, Sidonio, Achatio & Clemente presbyteris, & alijs, quorum nomina præfatus nõ commemorat author, Deo gratias agens omnipotenti, quoniam dignus est habitus pro recta fide & nomine Iesu contumeliam pati. Reliquerat tamen semper è clericis in ciuitate, vel propè, presbyteros quosdam, zelo Christianæ fidei constantes, qui saltem per vicos & domos circumeuntes, occultè prẹmonerẽt Christi fideles, vt sese ab Arriana impietate solicitè custodirent. Quotiès enim publicè, sicut dictum est, vtiliter & fructuosè prædicare verbum Dei non permittebantur in vrbe, secretiùs id facere vel in domibus fidelium nocturno tempore clausis, vel in nemoribus & latibulis montium cogebantur ad tempus. O quantis virtutibus Christianorum fides eo in tempore claruit, quæ tantis aduersitatum indesinenter agitata procellis, nõ solùm vinci aut superari non potuit, sed in tribulatione dilatata, conualescens quotidiè, seipsa tanto facta est constantior, quanto gentilium vel hæreticorum persecutione ampliùs premebatur. Cap. 12. Multa ab illis patitur S. Maxim⁹.

Quid nos miseri nimiumq; tepidi, & propterea inutiles Christi sacerdotes atq; ministri fecissemus, si nos illis contigisset vixisse temporibus? Putásne tenuissemus in tanta persecutione constantiã, qui nullã aut paruam seruamus in pace disciplinam? Quis in tribulatione vitam pro fide Christi exponeret, qui pro eius rẽuerẽtia & amore in pace temperare non vult à vitijs & voluptatibus moritura carnis? Aut quãdo mortem pro defensione religionis suæ in persecutione hereticorũ patienter susciperet, qui pacem habens optimam, eius quam profitetur institutionis fidei Cap. 13. In tẽporem nostrorum temporum.

Biēnio pòst q̄ hanc edidit historiā Tritthemi⁹, hoc est 17. orta est hæresis Lutherana.

normam & præcepta salutaria negligit custodire? O morum ingens diuersitas, quantam cum tempore meritorum dissimilitudinem inducis mortalibus. In diebus illis sancta mater Ecclesia pacem bonam in multitudine fidelium habebat interiùs, licèt maximas persecutiones infidelium crebrò exteriùs pateretur. Nūc autem pacem ab hæreticis & paganis est consecuta exteriùs, sed quanta patiatur interiùs aduersa in prauis moribus filiorum, nemo est, qui sufficienter possit exprimere. Nam, vt propheta dicit, Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Non est in corpore militantis Ecclesiæ, vt olim priscis fuit temporibus, vera salus à vertice capitis vsque ad plantam pedis. Omnes à feruore catholicæ fidei declinauerūt, inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, nō est vsque ad vnum. Heu qualis comparatio hæc sacerdotum Domini nostræ tempestatis ad illos, qui in Ecclesia priscis floruêre temporibus, quandò, vt parabolicè loquar, ipsi sacerdotes erant aurei; calices verò, in quibus Domino sacrificabant, lignei, vitrei, siue de cupro, aut viliori metallo fabricati: corda quoque ministrorum Ecclesiæ, cunctis fuerunt adornata virtutibus, vt merito sanctitatis lucida, cùm templa materialia essent humilia, & rara luce tenebrosa. His autem nouissimis temporibus nostris templa sunt ampla, pulchra nimis, & fenestrarum altitudine splendida: corda verò sacerdotū & ministrorum altaris vtplurimùm ignorātia scripturarum & fœditate scelerum, proh pudor, omninò tenebrosa. Deniquè aurei vel argentei sunt calices, &, si dicere audeam, lutei sacerdotes. Vndè meritò ingemiscens dicere potest sancta mater fidelium Christi Ecclesia: Heu mihi, quia nūc facta est in pace amaritudo mea amarissima: quoniam quæ olìm in persecutione paganorum, multitudine iustorum & martyrum florui, his diebus, qui ad pacem sunt mihi, penè tota in paucitate sanctorum & multitudine peruersorum defeci.

Esa. 1. Psal. 13.

Fuerunt tamen etiam tūc templa pulcherrima & amplissima.

Cap. 14.

Sed non sic beatissimus prçsul Maximus, qui sub persecutione impiorum fundatus in amore Christi, longè cælestia præposuit terrenis, diuina humanis, sempiterna caducis. Vitam in egestate peregit Apostolicam, sciens naturam posse paucis esse contentam, si mens Deo credula, bonam adhibuerit in corde volūtatem. Quocircà præcepto magistri humiliter obediens, non fuit de crastino solicitus: aurum vel argentum in thecis nunquàm reposuit: diuitias mundi fallaces nunquàm quęsiuit vel amauit. Victum, iuxta consilium Apostoli, habens tenuem, & amictum sine curiositate simplicem, fuit contentus, sciens pontificum opes, virtutē esse constantiæ: & gloriam, salutem & profectum plebis in Domino commissæ. Si quid vltra quotidiani victûs parci necessitatem forsitan superfuit, in crastinū seruari non permisit, sed in vsus mox pauperum manu propria expendit. Hìc (nisi comparationes dicerētur odiosæ) in eos libéret exclamare pontifices & ministros Ecclesiæ sacrosanctæ, quibus de salute animarum populi sibi commissi, nihil aut parum de ambitione, superbia & cupiditate rerum temporalium, constat summo conamine totum: quibus vanitas est quotidiano in vsu: auaritia semper cæca & inquieta, familiaris: ambitio & contemptus humilium Christi, comes vbiquè: & pauperum negligentia, sodalis: fastus dominij temporalis & luxus carnis moritura citius, iugi frequentatione amicus. Verùm cùm ista nihil ad me pertineant, nolo mihi officium docendi vsurpare alienum.

Matt. 6.

1. Tim. 6.

Sectatur paupertatē & vitā Apostolicam.

Cap. 15.

Magna fuit diui Maximi temporibus in Ecclesia Catholica pontificum & sacerdotum Christi persecutio, & multi Arrianorum non valentes impietati resistere, in eorum dogma perniciosum consentientes, hæresi subscripserunt. Ex illis verò, pro fide orthodoxa qui fortiter steterunt, plures fuerūt occisi, alij cum ignominiā in exilium deportati, alij verò in montiū cauernis & nemoribus latére compulsi. Inter quos S. Lucius Anneus, Maximi, sicut diximus, antecessor, in Phrygiā deportatus, posteaquàm bienniò exulâsset, noctù Arrianorum insidijs est strangulatus. Sanctus etiam Paulinus Treuirorum Episcopus, cùm ibidèm exulâsset cum Radiano quodam Episcopo annis quatuor, capite trūcatus est anno pontificatûs B. Maximi decimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis trecentesimus sexagesimusquartus, Indictione Romanorum septima. Beatus quoquè Hilarius Episcopus Pictauiensis in Gallia, factione Saturnini Arelatensis Episcopi & complicum eius Arrianorū, relegatus in Phrygiā, exulauit annis quinque, posteà in Galliā redire permissus. Tāta sub Constātio & Constante Romanis principibus eo tēpore fuit Arrianis permissa in veræ atq; catholicæ fidei assertores sæuiēdi potestas, quòd in sanctorū pontificum

S. Paulinus Episcopus Treuirensis cęditur capite.

cum Ecclesias, quos vel interemissent, vel procùl expulissent, sui erroris complices ordinarent Episcopos, gládijs suffulti & armis, qui spiritussancti gratia penitùs fuerunt indigni.

Et quia vnius Episcopi Arrianorum depositio historiam sancti Maximi concernit, operæpretium fore arbitror, gestæ rei seriem literis dare. Posterorum licentia Imperatorum Arriani heretici abutentes, quendam è suis hominē scelestissimum, nomine Euphratam, in Ecclesia nunc metropolitana Coloniensi, ad litora Rheni sita, Episcopum posuerunt: qui sua impietate multos à vera religione secum abduxit in errorē. Anno igitur Dominicæ natiuitatis trecentesimo septuagesimoquinto, Indictione Romanorum tertia, qui fuit annus pōtificatûs beati Maximi Episcopi Moguntini vicesimusprimus, adunatum est concilium Episcoporum in memorata ciuitate Coloniensi, furore Arrianorum iamtunc aliquantulùm per Dei gratiam humiliato & extincto. Vocati sunt ad ipsam synodum plures Episcopi fideles, inter quos isti numerantur fuisse præsentes: Maximus Episcopus Moguntinus, Bonosus Episcopus Treuirorum, Victor Vangionum Episcopus, Iesse * Nemetensium Episcopus, Amandus Alsatensium Episcopus, Victorinus Metensium Episcopus, & alij nonnulli ex Gallia pontifices, quorū nomina memoriæ non occurrunt. Audiens Euphrata tantorum contra se pontificum aduētum, fugam inijt: sed quorundam ciuium Christo fideliū industria præuentus, redire coactus fuit. Iam enim occultè pergens, transierat Rhenum. Reductus autem, & sancto cōcilio præsentatus, eius doctrina examini patrum exponitur, & erronea inuenitur. Qui cùm esset Arriana loquacitate garrulus, plura contra sanctos patres pro sui erroris defensione in medium proposuit, quæ sanctus Maximus disputator Catholicus, veluti araneorum telas scripturarum testimonio subitò rationabiliter cōfutauit. Postremò vidētes sancti Patres hæreticum in suo errore pertinacem, vt virus pestiferum à pontificatu per sententiam deposuerunt, & nè fidem deincèps maculare posset rectè credentium, extra patriam proscriptum, quantocyùs abire compulerunt.

Cap. 16. Euphrata Arrian' intruditur in sedem Coloniensem. Synod' Coloniensis. * Neometensium. Euphrata deponitur.

His apud Coloniam pro Christi honore peractis, sanctus præsul Maximus Moguntiam reuertitur, & senio grauatus, paulatim viribus corporis cœpit destitui: sed mente sana vigens & spiritu, nihil iamtunc optabat magìs, quàm dissolui, & esse cum Christo, quem puro semper corde amauit. Cumq; post biennij tempus finem sibi huius vitæ conspiceret imminere, nè post eius de hoc mundo transitum ad patrem, in ouile Christi lupi prosilirent rapaces, conuocatis ad se fratribus, de vnanimi consensu omnium, presbyterum quendam Sidonium, per omnia virum Deo charum, Ecclesiæ Moguntinę post se futurum designauit Episcopum, qui fuit in ordine pontificum Moguntinensium vicesimus, teste Megenfrido, & præfuit in multa sanctitate decem & nouem annis. Maximus autē sanctissimus præsul post multa religiosissimè gesta, post varias pro fide Christi persecutiones & innumeras tribulationes, tandèm plenus dierum atque virtutum, ad Dominum feliciter migrauit die mensis Nouembris octauadecima, anno pontificatûs sui vicesimoquarto, qui fuit Dominicæ natiuitatis trecentesimus septuagesimusoctauus, Indictione Romanorum sexta. Quo anno post seram Auxentij mortem, sanctus Ambrosius Mediolani præsul constituitur: qui, cùm esset in omnibus scientijs doctissimus, nō solùm diuinarum scripturarum, sed etiam secularium literarum, vitæ quoquè merito celeberrimus, breuì, miserante Domino, Ecclesiæ pacem obtinuit, & Arrianos procùl effugauit.

Cap. 17. Sidonius succedit Maximo. S. Maximus abit in cælos.

Beatissimi verò pontificis Maximi corpus, à discipulis in ecclesia diui præsulis Hilarij, posteà nuncupata in Dalheim, vbì ciuitas Moguntina eo tempore legitur fuisse constructa, debito cum honore iuxta tumbā sancti Crescentis primi Episcopi fuit sepultum: in quo quidē loco humatum permāsit annis quingentis quinquaginta septem, vsque ad tempora Hildeberti, post sanctum Bonifaciū Moguntinensis Ecclesiæ Archiepiscopi duodecimi: qui anno Dominicæ natiuitatis nongentesimo tricesimoquinto, Indictione Romanorum octaua, die mensis Martij quartadecima, decem Ecclesiæ Mogūtinæ pontificum ossa de capella diui Hilarij memorata, solenni cūm processione Cleri & populi, ad ecclesiam monasterij diui martyris Albani transtulit, & in choro summa cum reuerentia collocauit. Inter quę corpus etiam beatissimi pontificis Maximi, de quo loquimur, annumeratur. Hæc autem sunt nomina decem Ecclesiæ Moguntinæ pontificum, quorum ossa præfatus

Cap. 18. Hildebert' Archiepiscopus Moguntinus transfert S. Maximi & aliorum reliquias.

Archi-

Archipræsul ex Dalheim transtulit ad sanctum martyrem Albanum: Crescentis primi Episcopi, Marini secundi Episcopi, Gothardi noni Episcopi, viri quondam sanctissimi, qui sua prædicatione multa paganorum millia conuertit ad Christum: * Suffronij decimi Episcopi, ęquè viri per omnia sanctissimi: Maximi, de quo nobis sermo est, decimononi Episcopi: Sidonij vicesimi Episcopi, doctoris gentium insignis, & verè sanctissimi: Sigismundi vicesimiprimi Episcopi, per omnia sanctissimi: Ludegasti Episcopi tricesimiquarti, magnarum virtutũ in Christo viri: * Ruthuualdi tricesimisexti pontificis, Christianissimi per omnia in Domino viri: Leouualdi Episcopi tricesimiseptimi, viri quoquè sanctissimi. De hac sanctorum translatione pontificum quidam eo tempore carmine sic scriptum posteritati reliquit:

for. * Sophronij

* Luthuualdi

A Bonifacio, meruit qui pallia, primo,
Is pater Hiluuertus Archipræsul duodenus,
Comperiens ossa patrum veneranda relicta
Intra basilicam nunc Hilarij sacrosanctam:
E quibus hinc denos transuexit in ordine priscos,
Vt locus insignis conseruet pignora dignis:
Attendens merita, simul ipsorum pia gesta:
Huic vt confratres Aureo collaterales
Efficit, & tumulo stricto conclusit in isto,
Christi nongentos X. tèr, semèl V. legis annos:
Vt decimamquartam lucem, vult Martius, addam.

Cap. 19.

Ea translatione decem Ecclesiæ Moguntinæ præscriptorum venerabilium pontificum per Hildebertum Archiepiscopũ, sicut præmisimus, facta, remansit in choro sancti martyris Albani apud Mogũtiam beati Maximi corpus denuò sepultum annis quingentis septuagintanouem, vsque ad tempora domini Alberti, ex Marchionibus Brandenburgi principis nobilissimi, Moguntinæ ac Magdeburgensis in Saxonia Ecclesiarum insignium Archiepiscopi, atque Primatis Germanorum reuerendissimi. Is Christo deuotissimus Archipræsul, cùm cultor, amator & venerator sanctorum Dei maximus esset, reliquias & sacra busta eorum summa cum veneratione semper, vbì licuit, inquisiuit, de puluere cum honore leuans, auro & argento vestiuit: honorem quoquè debitum singulis exhibens, eorum memoriam festiuè celebrauit. Mox enim vt summi pontificatûs duplicem apud Germanos, Domino prouidente, apicem suscepit, totum se Christianæ religioni mancipauit, actus Episcopales, præter multorum consuetudinẽ præsulum, in persona frequenter propria deuotissimè ministrauit, ordines contulit, Missas ad altare solenniter sæpiùs decantauit, consecrauit ecclesias, benedixit Abbates, habitum publicè deferebat pontificalem locis atque temporibus suis, & nihil omisit eorum, quæ ad Christiani antistitis * sacrum videbantur pertinere officium. Summa eius delectatio semper in obsequio diuino, in celebrandis ad altare mysterijs sacrosanctis, in ornandis quoquè & venerandis magnificè reliquijs sanctorũ. Vndè cùm anno Moguntini Archiepiscopatûs sui primo, Magdeburgensis autẽ secundo, pro Dei amore & reuerentia sanctorum apud Moguntiam circumeundo sacras more suo visitaret ecclesias, basilicam diui martyris Albani deuotus intrauit, & videns decem præscriptorum pontificum sancta corpora sine honore neglecta, authoritate non minùs Apostolica quàm ordinaria vsus, corpus diui Rabani quondã Archiepiscopi totum, & sancti Maximi Episcopi medium, permissione canonicorum indè abstulit, & in Saxoniam transferens, apud Hallas oppidũ in basilica castri sancti Mauricij solenni processionis officio collocauit, anno Dominicæ natiuitatis millesimo quingentesimo quintodecimo, Indictione Romanorum tertia: à transitu verò ipsius beati Maximi, anno millesimo centesimo tricesimoseptimo: Ad laudem & gloriam Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritussancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Albertus Archiepiscopus Moguntinus.

Sũmum põtificatũ, dicit Archiepiscopatũ.

* sacri

Trãsferuntur reliquiæ S. Maximi & Rabani in Saxoniã.

VITA

VITA S. ODONIS PRIMI ABBATIS CLVNIACENSIS, EDITA A IOHANNE MONACHO ITALO, EIVS

discipulo, qui in Præfatione ad fratres Salernienses, quam breuitatis studio omisimus, testatur Hildebrandum virum veridicum, & Cluniacensis cœnobij Præpositum, in regularibus disciplinis se præceptorem habuisse, atque ex eo didicisse pleraque ex ijs, quæ de S. Odone scripserit: immò satis indicat, se multa ex ipsius B. Odonis, ea tanquàm de altero narrantis, ore accepisse. Stylũ mutauit F. Laur. Surius. Sunt autem Libri 3.

LIBER PRIMVS.



ODO beatissimus è Francorum stirpe prognatus est, sed in aula fortissimi Aquitaniæ Ducis Guilelmi educatus. Porrò decimonono ætatis anno, in vrbe Turonensi apud S. Martinum comam posuit, siue tonsus est, & Grammaticen edoctus. Postea Lutetiæ Parisiorum Dialecticam & Musicam didicit à Remigio viro doctissimo. Tricesimum ætatis agens annum, Burgundiam petijt, & illic annis quindecim sub Abbate Bernone vitã egit monasticã. Posteà verò institutus Abbas, (primus Cluniacensis) Franciæ, Aquitaniæ, Hispaniarum & Romanæ vrbis cœnobiorum dux fuit & pater humanissimus. Cumq; Romam venisset, me miserum terrenis implicatum nexibus offendit, motusq; misericordia, cùm me in suum traxisset rete, ad Ticinẽse sancti Petri monasterium perduxit, & tempore non multo ab Hugone Rege illic detentus, domino Hildebrando regularibus me disciplinis tradidit instituendum. Nec diù pòst iterùm Romam proficiscens, dignatus est me sibi socium asciscere: quemque, ab Vrbe discedens, parentibus canonicum eripuerat, posteà monachum reduxit. Per id tempus iter nobis agentibus, postposito ferè pudore & monastica disciplina, audacter cœpi ex eo percõtari, vndè ortus esset, quæ ei fuissent monasticæ vitæ initia, quæ conuersatio: rogauique obnixè, ea mihi exponere nè recusaret.

Nouẽb. 18. Cap. 1.

S. Odo trãsit in Clerũ.

Is Berno ex Comite factus est primus Abbas Gigniacens.

Tum ille, vtì semper consueuerat, paulispèr subticuit: deindè faciei deterso rubore, ab imo pectore ducens suspiria, suam mihi cœpit pertexere originem, sed ità tamen, vt sermonem eius lachrymæ & gemitus interciperent. Pater, inquit, meus Abbo est vocatus: sed mores eius & actus multùm discrepare videbantur ab illis, qui sunt huius temporis hominum. Veterum nanque historias, & Iustiniani Nouellas memoriter tenebat. Ad eius mensam & in conuiuijs sermo resonabat Euangelicus. Si quandò lis quoquo modo inter partes extitisset, tanti eius fiebat veritas in proferenda sententia, vt vndiquè ad eum concursus fieret propter eam, qua præditus erat, diffiniendi dexteritatem. Quæ sanè magnam illi apud omnes conciliauit gratiam, inprimis verò apud fortissimum Ducem Vuilhelmum, qui id temporis Aquitaniam obtinebat. Sanctorum vigilias alacriter celebrare consueuerat. Noctem verò illam, qua Angelis & hominibus pax reddita est, & Christus Dominus è Virgine nasci voluit, in silentio cum lachrymis & precibus exigebat. Inter has autem excubias diuinitùs in mentem illi venit deprecari Dominum, vt ob Virginis partum, filium ipsi donaret. Nec defuit eius precibus benignus Deus, sed iam emortuum vxoris vterum prole fœcundauit. Et hunc quidem mihi fuisse nascendi ordinem, pater ille meus crebrò alijs referre solebat. Porrò cùm infans in cunis iacérem, quandoquè ingressus in cubiculum, cùm me videret sine custode relictum, huc illucque circunspiciens, vt animaduertit adesse neminem, è cunis me sublatum manibus tenens, sursùm erectis luminibus, Accipe, ait, puerum hunc gemma sacerdotum, beatissime Martine: moxque me reponens intra cunas, è cubiculo excessit: nemini tamen, quid egisset, indicare voluit. Posteà ablactatum me cuidam presbytero procùl degenti tradidit enutriendum & literis erudiendum.

S. Odonis pater.

Sermo Euãgelicus in mensa eius legitur.

Odonẽ parens eius precibus à Deo impetrat.

Hoc

Hoc loco quædam desunt in exemplari, vndè Vita hæc descripta est.

Cap.2. Eccè habes, fili, vitæ ortum & initia conuersationis meæ, è quibus facilè animaduertis, nihil me boni sponte mea fecisse. Tu interìm mihi indices malos mores meos, sed ità tamen, vt Dei misericordiam, qua me ille prosecutus est, perpetuò laude & prædicatione efferre non omittas. Visus est posteà beatus vir tanta erga sanctum Martinum animi deuotione feruere, vt præ cæteris sanctis eum diligeret, eiusque protectioni quotidiè se commendaret. Illum, vbicunquè esset, retinebat animo, ore prædicabat, factis imitabatur. Anni non ampliùs sex sunt, cùm multis viris Ecclesiasticis ad sacrum eius corpus vigilias celebrātibus, ipse quoquè interfuit. Cùm sint autem eius officij breues Antiphonæ, vt nôrunt omnes, eius verò temporis noctes longiores, vellentque illi vsque in lucem officium illud producere atq; continuare, singulas antiphonas ad singulos psalmorum versus non absque multo labore repetebant. Tandèm ad beatum virum peruenientes, Diù est, inquiunt, quòd tuum aduentum prestolamur, pater, vt nos tanto labore leues. Et quia nunc presto es, obsecramus, vt alias nobis è beati Martini domini tui vita antiphonas conficias, quæ prolixitate sua harum breuissimarum fastidium tollant. Ille verò ait, non modò illas se conficere non posse, sed etiā ætate impediri ad perdiscendas eas, si à quouis alio factę essent. Laudauit autem breues illas, & prolixiores fastidiuit. Illis contrà asserentibus, si ipsis morem non gereret, offensurum eum beatum Martinum: talem etiam excusationem, non nisi quendam superbiæ prætextum videri: victus eorum precibus, toto pectore in eam rem incubuit. Tres quoquè hymnos in sancti Martini laudem composuit, è quibus vnus hoc habet exordium: Rex Christe, Martini decus &c. Itemque duodecim Antiphonas, mira quadam varietate distinctas, quarum verba vocumq; consonantia adeò inter se consentiunt, vt nihil in sententia plúsve minúsve, nihil in symphoniæ modulationibus dulcius reperiri videatur. Retinentur hactenùs Beneuenti. Nunquàm manè, nunquàm vesperè beatissimi Martini memoria ab eius vel pectore vel ore recedebat. Audire licebat identidèm dicentē illum: O Martine, ô pie, quàm pium est gaudere de te. Et hæc quidem oblata opportunitate hactenùs hinc dixisse satis sit: vbi in historia cœperimus progredi, copiosiùs explicabimus, quæ per illum beatus Martinus effecerit. Nunc interìm eò se referat narratio, vndè paulispèr aberrauit.

S. Odonis mira erga S. Martinū deuotio.

Quæ de S. Martino scripserit.

Cap.3. Anno ætatis decimonono Turones se cōferens, in eius æde Clero adiunctus est. Quæ illuc confluxerit magnatum turba, quantoque cum apparatu, nè paupertati eius, quam posteà complexus est, iniuriam fecisse videar, mâlo reticere. Adfuit inter eos etiam Fulco Comes, qui eum enutrierat: eique Cellam iuxta beati Martini ædem victumque quotidianum è canonicatu illo obtinuit & donauit. Sed amator paupertatis vir sanctissimus, contempta mundi gloria, soli studebat placere Deo: interdiù lectioni, noctibus orationi vacabat, non ignorans illud Apostoli: Si quis ignorat, ignorabitur. Per id tempus nauta noster peritissimus, qui nos suo ductu docuit mundi huius transmittere gurgites, cùm se vellet Virgilij lectioni dare, in visione sibi vas oblatum cōspexit, extrinsecùs quidem valdè elegans, sed intùs plenum serpentibus, ab ijsque se repentè vndiquè cingi, nec morderi tamen. Expergefactus, cognouit serpentes doctrinam siue scripta Poëtarum: vas, in quo latitabāt, Vergilij poëma: viam, per quam gradiebatur valdè sitiens, Christum significare.

Fit Turonēsis canonicus.

1.Cor.14.

A Virgilij lectione vt sit reuocatus.

Cap.4. Libet hoc loco annotare paucis, quàm insigni ille posteà patientia ornatus fuerit. Reiectis Poëtarum carminibus, cælesti admonitus visione, totum se cōtulit ad lectitandos Euangeliorum prophetarumque interpretes & expositores. Interim omnes ferè canonici rabido cum latratu appetunt: Quid agere vis, inquiunt? Cur opus alienum tibi vendicas? In iuuentute huic incumbere oportuit. Parce iam tibi, & missos fac literarum nodos inextricabiles. At ille, curuato capite, obturatisq; auribus, Dauidicū illud animo versabat: Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, dum cōsisteret peccator aduersùm me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Nec tamen immemor erat Dominici illius præcepti & promissi: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Alia patientiæ eius documenta infrà commemorabimus. Obitèr hîc referam, quantus in eo fuerit rerum labentium contemptus. Laudent qui volunt, expulsores dęmonum, mortuorum excitatores, alijsque virtutibus celebres viros: Ego minimus omnium, Odonis mei primùm patientiam, deindè contemptum facultatum, lucra

Hîc nōnihil in exēplari deesse videtur.

Psal.38.

Luc.21.

cra animarum, instaurationem monasteriorum, vestes victumque monasticum, Ecclesiarum confectam pacem, Regum & principum conciliatam concordiam, tuta effecta itinera, mandatorum Dei omnium strenuam executionem, perseuerantiam in vigilijs & precibus, curam pauperum, castigationes iuuenũ, senum venerationem, morum emendationem, castum amorem virginum, continentium consolationem, erga miseros misericordiam, intemeratam monasticorũ canonum obseruationem, deniquè exempla virtutum omnium pro mea exiguitate celebrabo. Conserebat tum bonus Dominus Iesus in paruo loco ex diuersis nemoribus paradisum monachorum, ex cuius fonte irrigaret corda fidelium. Summa virtutum eius.

Nam contentus vir beatus cellula exigua, ab omnium se mortalium oculis & consuetudine subduxit, vt vni placeret Deo: distractisque omnibus & in pauperes distributis, quæ secum attulerat, iuxta præceptum Euangelicũ, nihil cogitabat de crastino. Noctù, nè ab hominibus videretur, ad beati Martini monumentum orandi causa ibat solus, quod quidem ab illa cellula duobus ferè milliaribus aberat. Nihil autem ferebat secum, cùm illuc iret, præter duas tabellas scriptorias, quas solent scholastici ad femur appendere. Aderat autem hostis teterrimus, terriculamentis quibusdam eum impedire volens. A lateribus enim viæ erumpebãt vulpes, quæ primùm à tergo eum sequebantur, deindè se in faciem illi obijciebant. Sed cùm cernerent feruentissimi iuuenis susceptum iter, animique propositum retardare se non posse, cum gannitu & hianti ore in eum insiliebant, tanquàm iugulaturæ eum. At ille nec fugit, nec restitit, sed complicatis cruribus, contractoque collo, humeris tantùm & brachijs se tuebatur. Deniquè totum corpus eorum dentibus exponens, soli gulæ cauebat à morsu illarum. Eccè autem derepentè lupus aduolat cursu rapidissimo, easque profligat, mansitque ei deincèps comes atque domesticus hospes. Quod nè cui absurdum videatur, legat vitam beati Pauli eremitæ, à sancto Hieronymo editam: comperietque leones eius exanimi corpusculo effecisse sepulcrum: legat & alias Sanctorum historias, & magìs etiam admiranda cognoscet. Posteà verò sanctus vir continuabat illud iter suum, & interìm, bone Iesu, testimonia tua animo retinens, cantabat tibi illud è psalmis: Fidelis es, Domine, in omnibus verbis tuis. Alleuas omnes, qui corruunt, & erigis omnes elisos. Tuebatur enim iam lupus hominem, quem deuorare solet: & terrebat vulpes, quæ illi terrorem afferre solent. Quas verò tentationes beato viro excitârit & ingesserit malus dæmon, nemo (obsecro) à me requirat. Potest hoc bellum visibile vtcunquè declarare, quid illo suggerente sæpè perpessus sit inuisibiliter. Cùm autem noctù exiret è cellula orandi causa, non obserabat cellulæ fores, quòd nihil esset intùs, quod perdere metueret. Nuda enim cubabat humo, matta duntaxàt substrata, & vestibus, quibus induebatur. Cap.5. Viuit solitarius. Matt.6. Dæmonis terriculamẽta contẽnit. Psal.144. Nota res admiratione dignas. Summa eius paupertas.

Cùm autem diuersos euolueret atque prelegeret codices, in beati Benedicti Regulam incidit: eamque raptìm percurrere volens, in eum impegit locum, vbì iubentur monachi dormire vestiti. Sed non satìs eius sententiam assecutus, trienniò cubauit in vestibus suis, & cùm necdùm esset monachus, monachorũ leue ferebat iugum, obediẽs pręceptis sancti Benedicti. Iaciebat tum Dominus Iesus in rudi terra semina simplicia, fructum centuplicem indè collecturus. Illud verò admiratione dignum est, quòd candorem corporis eius non mutauit atra tellus, in qua cubabat, nec virtutem animi prolixa ieiunia imminuerunt. Cùm enim superioribus duobus annis loca sacra, quæ extra Romam sunt, cum eo iam sexagenario nos iuuenes inuiseremus, non solùm iter eius anteuertere, sed nec assequi quidem potuimus. Cumque rogaremus eum nimiùm delassati, vt & sibi & nobis parceret: Certè videris, ait, omni me virtute destitutum. Longa enim ætas me iam silicernium effecit. Iam viginti anni sunt, quòd talis fui, qualem me nunc conspicitis. Ità ille gemebundus suam nobis pronunciabat imbecillitatem, cùm nos non sine multa admiratione eius virtutem & robur suspiceremus. neque id immeritò. Non enim debuit vinci à carne corruptibili, qui corruptioni eius noluit subiacere. Sed hunc in modum solebat ille paruipẽdere, quicquid in seipso virtutis depræhendisset: inprimìs autem extollebat & prædicabat, si quid in alio videret boni. Cap.6. Regulæ cap.22. Magnæ vires eius iam senis. Obserua & imitare.

Per id tempus iuuẽtutis suæ victitabat media panis libra, & modico fabarum edulio, quodque à Francorum more & ingenio valdè alienum est, potu exiguo. Itaque abiecta corruptibili sarcina, rudis tyrunculus videbatur senum cuneos antecedere, & in Christo confidens, gloriosam ex hoste prędam referre. Et ità quidẽ se comparauit, Cap.7. Cibus eius in iuuẽtute.

Ecclesiæ Turonens. laus cùm esset apud sancti Martini ecclesiam Turonensem: qui locus virtutum omnium fertilis, miraculis admirabilis, diuitijs copiosus, omniqúe religione conspicuus est. Et dignum sanè est, esse illum admirabilem, qui tanto meruit habitatore perfrui: qui non martyr duntaxàt, aut confessor eximius, sed etiam mundi lumen & gemma sacerdotum fuit. Ad eius itaque monumentum Reges properabant, & diuersarum principes nationum, vota sua & munera offerentes. Intereà verò ex illis permulti ad beatum Odonem inuisendi causa accedebant: noti, vt notum salutarent: ignoti, vt eius sibi notitiam compararent. Atque ille ceu fons vberrimus omnium explebat S. Odonis optimæ adhortatiōes. desideria, & singulis congruentes proponebat institutiones & virtutum exempla: Huic castitatem, illi sobrietatem indicebat. Alios ad mundi contemptum inuitabat, alios docebat aliena non concupiscere. Flebat mundum hunc miserrimum, eumque cum suî studiosis & sectatoribus breuì ruiturum dicebat, Gomorrham eum appellans. Hortabatur ad amplectendam parsimoniam, ad prauas fugiendas cupiditates, ad ventris edomandam ingluuiem: eos qui ventrem farciunt, libidines fouere dictitans. Pronis in libidinem, draconis illius proponebat præcipitium, qui tertiam Apoc.12. partem stellarum post se traxit: Heu, inquiens, miseros illos. Ebriosis & comessatio- 4.Reg.25. ni deditis commemorabat, quemadmodùm Nabuzardan destruxerit muros Hieru- 1.Cor.6. salem. Illos, qui molles & masculorum concubitores vocantur ab Apostolo, Herode tyranno longè sceleratiores aiebat. Quanto, inquit, anima corpore præstantior Matt.2. est, tanto, qui talia admittunt, Herode deteriores sunt. Herodes enim per summam quidem crudelitatem paruulorum trucidauit corpora, sed animas in cælum transmisit: isti & corpora & animas morte afficiunt sempiterna. Lugebat etiam doctorum ruinam: Adspice, inquit, Domine, quia facta est desolata ciuitas plena diuitijs. Iob 41. Itemque: Væ tibi, ait, Behemoth. Proh nefas, aurum tibi sternis vt lutum, & radij solis sub te sunt. Quæ quidem cùm illi audirent, si malè sibi essent conscij, terrebantur: si insontes, eius consolatione exhilarabantur. Ità tanquàm ex vno eodemque promptuario alij alias sibi capiebant escas. Testor Iesum, nunquàm me ab hominis ore cuiuscunque tantam percepisse sermonis suauitatem. Complebatur in eo, quod Matt.13. Dominus in Euãgelio ait de scriba docto, qui instàr patrisfamiliâs profert de thesauro suo noua & vetera. Denique omnes diuino sale conditi, & cælestibus epulis satiati, Respuit munera. gratias agentes Deo, ad sua remeabant. Etsi autem multa ei offerent munera, at tamen nihil ille recipere volebat. Non enim videbat, qua ratione ab alijs vel exigua posset accipere, qui sua tam multa esset elargitus. Victus aliquandò ab eo, quem diximus, domino suo, vel inuitus centum ab illo missos solidos accepit: sed nec momento temporis eos apud se hærere passus est, quamprimùm omnes pauperibus distribuens. Cœpit tum alumnus Christi & magistros anteire, & sequi volẽtibus seipsum exemplum exhibere.

Cap.8. Lutetiæ vtitur præceptore Remigio. Porrò autem Parisios profectus, Dialecticam Augustini perlegit, crebrò etiam versans Marcianum de disciplinis liberalibus: in ijs omnibus præceptore vtens Remigio, cuius iam antè mentio facta est. Deindè Turones reuersus est, rogatusque à fratribus ipsius studiosis, vt libros Moralium beati Gregorij in vnum volumen redigeret, respondit se id, neque si velit, præstare posse: neque si possit, facere debere, nè tanti viri tantum opus, quędam detrahendo, immutare videretur. Illis verò dicentibus, illi operi antè succumbendum, quàm sustinendum: satiusque esse, illo penitùs relicto, ad alia scripta se conferre, quàm sub eo tanquàm graui mole opprimi: (Ità enim quotidiè hac de re inter se non parùm contendebant, multis quidẽ id indignè ferentibus: quod tamen constat mihi non aliqua arrogantia ab illis factum, sed Domino disponente, vt lucerna sub modio latens, super montem poneretur) Illis ergò in prece persistentibus, Odo intra beati Martini ecclesiam nocte quadam solitæ ora- Visio eius. tioni vacans, somno correptus est, viditque sanctos non paucos cælitùs in ecclesiam illam descendere, & cùm priùs laudâssent Dominum, ordine illic consedere: porrò vnum ex ijs procedere in medium, sciscitari quemnam illic expectent: illos respondere, beatum Gregorium Papam à se expectari. Id audiens Odo, curiosè huc illucque cœpit circunspicere, scire cupiens, quanam ex parte aduenturus sit. Deindè sublatis in cælum oculis, videt tanquàm è cælo venientem beatum Gregorium, vultu, forma, moribus longè alijs illis pręstantiorem: mox verò illi aduenienti omnes assurgere, flexisque capitibus petere ab eo benedictionem. Tum illum non ad eos vsque descendere, sed in pulpito consistentem, ad se accire ipsum Odonem humì prostratum,

tum, iubereque eum surgere, nec quicquam formidare. Surgens itaque Odo, cernit ad auriculam eius defixum calamum, vt solent qui scriptitant, eumq; ipsi porrigere cum his verbis: Age securus, & perfice opus tibi iniunctum. Et tuus quidem, quem confecturus es, liber non abolebitur: meus verò æternùm manebit. His dictis, confestìm experrectus beatus Odo, intellexit quid illa visio sibi vellet. Itaque grãde illud beatissimi Pontificis opus accuratè perlegit, atque ex eo excerpens pleraque, vnum effecit librum: atque itá illorum murmura compescuit. Intelligit sibi oblatã visionem.

Accidit posteà, vt Comes Fulco, quem diximus, nescio qua causa è thesauris sancti Martini duo vascula aurea acciperet, & auaritia inescatus atque constrictus, ea nollet restituere. Sed interìm grauiter in eum animaduertit Deus, ità vt ad extrema perduceretur. Tum verò ad beati Martini se iubet deportari sepulcrum, & permulta illic promittit munera, nec tamen meliùs habet. Diutissimè vexatus, iam non nisi mortem expectat. Venit autem dominus Odo ad inuisendum eum, aitque illi: Redde miser vascula beati Martini, quæ tibi infeliciter vsurpâsti, & protinùs curaberis. Ille verò non ea duntaxàt redditurum se, sed & alia donaturum pollicetur, si fiat quod ipse dicit. Mox beati Odonis & aliorum manibus ad sancti Martini portatur corpus: illic ipse humì se prosternit, & confestìm se sentit habere meliùs: & qui illuc venerat aliorum manibus gestatus, suis pedibus recedit. Castigatus est ille, nè deincèps quippiam eiusmodi attentaret, & quæ pollicitus erat, fideliter persolueret. Admonuit autem eum beatus Odo, vt mundo huic valefaciens, soli Deo placere contenderet. At ille: Mihi quidem, inquit, isthuc frustrà iam persuadere conaris: sed habeo militem fidelissimum, armis strenuum, consilio prouidum, Adhegrinum nomine: qui si te audierit, euestigiò parebit dictis tuis. quod quidem posteà ità factum est. Porrò intra paucos dies Comes planè restitutus, domum se recepit: cumque ad eum multi confluerent gratulabundi ob redditam sanitatem, illis exposuit quàm dira passus esset, & quàm celerem, promittente beato Odone, sanitatem adeptus. Inter alios audiuit hæc etiam Adhegrinus, quem iam memorauimus, moxque compunctus corde, rebus suis dispositis, properè se contulit ad beatum Odonem, posita que coma & militia seculari, Christi athleta effectus est. Ea autem omnia, quæ ex facultatibus suis ad beatum Odonem attulerat, pauperibus ille largitus est. Manserunt autem simul milites Christi, admodùm exiguo tugurio contenti: cumque viderent mundum in maligno positum, eiusque amatores vitam sectari illecebris plenam, & in præcipitia feruentem, ad monasticæ professionis fastigia quotidiè adspirabant. Interìm Franciæ monasteria vel per seipsos, vel per suos exploratores inuisunt: sed non inuenientes locum, in quo possent requiescere, non sine magno animi dolore redeunt ad tugurium suum.

Cap. 9. — Nota quid acciderit Comiti, res ecclesiasticas sibi vendicanti. — Adhegrinus miles strenuus, adiungit se ad S. Odonem. — 1 Ioan. 5.

Visum tum fuit Adhegrino, hac causa Romam proficisci. In ipso autem itinere intra Burgundiæ fines venit in vallem quandam, quæ Balma dicebatur, in qua monasterium erat non ità pridèm à Bernone Abbate constructum. Ad quod cùm diuertisset, ab illo officiosissimè exceptus est hospitio, vt iubet sancti Benedicti Regula: placuitque ei aliquandiù illic instàr hospitis commorari, non quòd haberet opùs, sed vt mores & instituta illic degentium exploraret. Eius autem loci institutores quendam patrem * Eutychium sectabantur: cuius quidem vitam hîc commemorare nolui, obitum eius paucis indicâsse contentus. Fuit is temporibus Ludouici magni Imperatoris, & illi Regi, & omnibus charus. Cùm enim laicus esset, & prophanis literis eruditus, contemptis ijs, vndè solet humana fragilitas intumescere, totum se beatorum patrum regulis & institutionibus addixit: atque ex ijs diuersas colligens consuetudines siue instituta, in vnum compegit volumen. Deindè non multò pòst monachus effectus, vsqueadeò Regi charus fuit, vt intra palatium suum illi monasterium construeret. Exacto autẽ vitæ huius curriculo, circunstantibus fratribus, subitò reddidit spiritum. Cumque pararentur exequiæ à discipulis eius, vitæ redditus est. Illis verò valdè admirantibus, in hanc erupit vocem: Deo gratias. Scitis quia his quadraginta non memini me vel semel sumpsisse cibum, nisi priùs lachrymatus essem. At hodiè omni sublato mœrore, consolatus est me Dominus, & inter choros Angelorum tribuit mihi quietis locum. His dictis, rursus animam expirauit. Itaque is pater Eutychius (siue Enticius) earum fuit author & institutor consuetudinum, quæ hactenùs in nostris monasterijs obseruantur. Quas vbì cognouit vir venerabilis Adhegrinus, patri nostro Odoni eas quamprimùm indicauit. Ille verò, sumptis secũ centum volumi-

Cap. 10. — Regul. cap. 53. — * Enticium — Hic locus in MS. exemplari deprauatus esse videtur.

S. Odo fit monachus Cigniacensis. voluminibus, mox ad illud commigrauit monasterium. Adhegrinus autem in quandam se cellulam includens, permissu Abbatis Bernonis, triennio in ea permansit. Patri autem Odoni, cùm esset vir literatus, scholæ præfecturam demandârunt, tricesimum tum ætatis annum agenti.

Cap. 11. Volebam equidem cursim sanctissimi patris Odonis vitam perstringere, sed nunc mihi operæpretium facturus videor, si etiam aliorum, qui ei socij fuêre, quædam commemorem. Oro autem lectorem, nè id molestè ferat, quandoquidem me non piget tantum laborem suscipere. Aequum sanè & rationi consentaneum videtur, vt eorum res gestæ, cum illius vita coniungantur, quos ab hoc exilio in patriam reuocauit.

Adhegrini breuis historia. Itaque Adhegrinus venerabilis cum bona venia Abbatis petijt solitudinem, & paruam spelũcam illic sibi delegit domicilium. Cùm autem aliquandò immodicis correptus angoribus neminem haberet, qui eum vel sermone consolaretur, aut patrum

Eccles. 4. ei exempla recitaret, quemadmodùm scriptura diuina ait, Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se: parùm abfuit, quin in ipsam desperationis foueam

Visio eius. prolaberetur. Eccè autem subitò ei adstitit vir splendidissimus, blandè ex eo percontans, quidnam haberet, aut quæ tanti mœroris & perturbationis causa esset. Respondit ille: Posteaquàm Domino sine intermissione seruire cœpi, nullam ab eo consolationem me percepisse memini. Quæ res vehementer affligit animum meum, quòd ignorem, num grata sit ei seruitus mea, vel num quandoquè ab eo pro tanto labore vllam sim mercedem recepturus. Mox ille in collum eius irruens, eumque exosculans, Credas, inquit, te bonis Domini nunquàm indignum fore. Ità eum consolatus,

Satan eum mirè infestat. euanuit. Alio etiam tempore extra cellulam eum offendit satan, moxque arreptum in immanissimæ rupis præcipitium transtulit, totis viribus eum indè deijcere contendens. Quid faceret miles Christi, aut quemadmodùm resisteret hosti, qui pedem illic figere non poterat? Cùm sic autem in præsentissimo mortis discrimine versaretur, mox illi adfuit beatus Martinus, appræhensaque manu eius: Quidnam est isthuc, ait, aut vndè huc venisti? At ille: Nescio, ait, domine. Ille verò confirmans animum eius, restituit eum in locum suum.

Cap. 12 Ante hoc ferè quinquennium, cùm pater Odo Romam proficisceretur, vt monasterium intra beati Pauli Apostoli ecclesiam, sicuti olim fuerat, instauraret, rogante id summo Pontifice, & sanctæ sedis illius ordinibus vniuersis: priùs inuisere voluit

Eccli. 32. Adhegrinum, eumque hac de re contulere, cõuenienter illi sententiæ: Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Cumque multa inter se hac de causa disquirerent, de rebus quoquè spiritalibus diù conferrent, beatus Odo rogauit Adhegrinum, vt quicquid diuinitùs ei per id tempus reuelatum esset, familiariter ipsi indicaret. Memor itaque Adhegrinus pristinæ sodalitatis, & amore incensus, Illo,

S. Martinus apparet Adhegrino. inquit, die & illa hora, absoluta Psalmodia, repentè ad me venit beatissimus Martinus. Cuius præclara facies & propè vsitata familiaritas, post benedictionem mihi fiduciam addidit, habitisque inter nos sermonibus quibusdam, percontabar ex eo, quò tenderet, aut vndè veniret. Respondit ille: Roma venio, & iam proficiscor in Gallias. Ad te autem ex itinere visitandi causa diuerti. Ego verò gratias illi agens, rogabam, vt vel parumpèr dignaretur in tugurio meo requiescere. At ille: Hodiè,

Reges Francorum inũguntur. inquit, Ludouicus Francorũ Rex coronabitur, & ego festino, vt vnctioni eius possim interesse. Itaque mora omnis mihi importuna est. Et ego, Si ergò abire vis, obsecro, vt mihi benedictionem impertias. Respondit ille: Non indiges mea benedictione. Iam olim enim qui mihi benedixit, idem ipse etiam tibi. Me verò multùm vrgente, voluit vt ego quoquè ipsi benedicerem, alioqui nulla se ratione mihi benedicturum asseuerans. Fuit non parua hac de re inter nos, sed amica planè, contentio. Recusabat ille, quia nolebat: ego autem, quia ausus non eram. Tandem mutua accepta & data benedictione, ille mox abscessit, meque admodùm mœstum dereliquit. Sed ad huius rei probandam fidem pater Odo, beatissimus & fidissimus arbiter, accessit: qui diem illum & horam annotari iussit, diligenterq; omnia inquirens, sic facta comperit, vt ille prædixerat. Anni iam, nisi fallor, ampliùs triginta sunt, quòd ille manet in ea eremo, Dominicis tantùm diebus & præcipuis festis ad monasterium sancti Petri,

Adhegrini mira abstinentia. quod Cluniacum dicitur, & non nisi duobus ferè milliaribus à Cellula eius abest, sese conferens, parumque indè farinæ, vndè sibi panem conficit, & paucas fabas tollens, moxque ad cellulam reuertens. Vino nunquàm vtitur, cibos suos nec adipe, nec oleo condit. Perpetuò & calore & frigore afficitur: calore, inter scapulas: frigore, in

in manibus & brachijs. Sed iam ad beatum Odonem, à cuius historia digressi sumus, reuertendum est.

Erant in illo monasterio, vbi degebat Odo pater, fratres quidam, quorum vitam & mores declarabit sequens narratio. Ij cùm didicissent, beatum Odonem ea causa eò aduenisse, vt apud illos moraretur & monachus fieret, simulato animo ad eum accedunt, rogant quam ob rem eò venerit. Vbi responsum ab illo est, Omnes nos, inquiunt, conamur hanc sodalitatem deserere, vt possimus seruare animas nostras: & tu huc venis, vt tuam perdas? Illo sciscitante eius rei causam: Nôsti, aiunt, mores Bernonis Abbatis? Illo se nescire dicente, Heu heu, inquiunt, quàm malè ille accipit monachos suos. Repræhensiones eius mox sequuntur verbera, verberibus affectis inijcit compedes, adhibet carcerem & inediam: atque nec sic tamen miseri eius sibi possunt conciliare gratiam. Hæc vt beatus Odo audiuit, animo vacillare cœpit, & cunctantiùs agere. Cernens id Adhegrinus, prosilit in medium, &: Noli, inquit, Odo pater, trepidare. Sermones isti non eorum sunt, qui eos proferunt, sed illos suggerentis. Non dubites horum ore diabolum tibi esse locutum. Tum illi pudefacti, mox abscesserunt: porrò beatus Odo & Adhegrinus suauissimo Christi iugo sua colla supponunt. Hac re permotus beatissimus pater Benedictus, (quippè futurorum pręscius) in Regula sua præcipit, vt cum hospite nemo loquatur, nisi cui id permissū sit. Quàm multi enim hac ratione decepti in sanctæ conuersationis primis initijs, amisso spiritûs feruore tepuerunt, & retrò abiêrunt? Etsi autem iubet scriptura, vt probentur spiritus, si ex Deo sint, non tamen debet eiusmodi esse probatio & exploratio fidelium & quærentium Dominum. Videmus Deum per prophetam illis, qui sancti spiritûs calore accensi sunt, hunc in modum præcipere: Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti, scilicet ab Aquilone. Sed Christi miles Odo, vt blandimentis se non passus est capi, ità nec terroribus frangi. De eiusmodi autem maleuolis, quales erant ij, quos diximus, rectè Iob loquitur: Maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.

Cap. 13. S. Odo quid à falsis fratribus audierit. Cap. 53. Regulæ. 1. Ioan. 4. Esa. 21. Iob 3.

Visum est hìc, seposita parumpèr beati Odonis historia, monasterij huius mores & instituta describere, vt rectiùs possint intelligi, quę posteà dicturi sumus. In more illic positum erat, vt magister scholæ nusquàm solus cum solo puero, nec ad naturæ quidem requisita progrederetur, nec solus puer secretiùs illi loqui ausus esset: sed semper socium puerū alium, vel vnum è fratribus haberet, idque boni testimonij causa. Si autem nox esset, & casu accidente puer id peteret, non tamen sine lumine & socio fratre extra dormitorium pedem efferret. Cùm cibus sumebatur, nunquàm deerat lectio vtrisque mensis. Micas ex panum sectione decidentes, singuli diligenter colligebant, & ante lectionis finem cum gratiarum actione sumebant. Finita lectione, nec illas, nec cibum vllum quisquam capere ausus erat. Has autem micas alijs cibis sacratiores existimabant propter miraculum, quod iam commemorabo. Frater quidam fuit in eo monasterio valdè idoneus, & omnibus charus. Is ad extrema vitę perductus, coram fratribus, qui illò aduenerāt, vt spiritum eius precibus Domino commendarent, subitò exclamauit: Adiuuate me, obsecro, domini propter Deum. Iam enim raptus fui ad tribunal Christi, & eccè teterrimus humani generis hostis & accusator diabolus, sacculum plenum micis ostentauit, quas ego pro consuetudine comedere nolui, atque ità à mensa deciderunt. Paulò pòst rursùs clamauit horrendum in modum: En adest diabolus, ferens sacculum, de quo dixi vobis. Fratribus ad hæc territis & admirantibus, iterùm in has prorupit voces: Illo in loco stat, sed eum vos minimè videtis. Posteà totum se signo Crucis communiens, inter preces reddidit spiritum. Itaque ab illo die magno studio micæ illæ colligebantur. Est verò etiā apud illos solentij cultus peculiaris. Certis enim horis nemo intra monasterij claustra vel loqui, vel fratrem aliquem accedere ausus est. Cùm duodecim in diuino officio recitantur lectiones, nullus intra claustra illa loquitur, prærerquàm die sequenti in Capitulo. Octauo die Natalis & Resurrectionis Domini, summum illic est noctū diuque silentium, hoc breuissimo silentio æternum illud significante. Cùm autem necessitas cogit aliquid petere ab alio, diuersis vtuntur signis, quibus indicant, quid velint: quæ quidem ego à Grammaticis dici puto digitorum & oculorum notas. Quorum apud eos tantus vsus est, vt etiamsi linguæ officio destituti essent, ijs necessaria omnia significare possent. Cæteris verò diebus non festis, itemque octauis Sanctorum, hoc discrimen adhibetur, vt in non festis centum trigintaocto in diuino officio psalmos

Cap. 14. Micæ panū cur diligenter collectæ à monachis Cigniacensibus. Eccè quam districtè obseruet diabolus actus nostros. Signa monastica.

canant: è quibus tredecim nos dempsimus propter pusillorum animos: exceptis peculiaribus precibus, quas nostri hactenùs frequentant fratres: quæ quidem Psalterium excedere videntur: itemque Missis duabus, & crebris litanijs. In singulis verò precibus horarijs siue Canonicis bìs genua flectunt. In octauis autem non nisi septuagintaquinque cantant psalmos in diuino officio, semelque flectunt genua, & bis sumunt cibum. Sunt apud illos & alia permulta, quæ, nè lectori fastidium afferamus, omittenda videntur.

Cap.15. Cùm autem beatus Odo scholæ magisterio fungeretur, exercẽdæ patientiæ rursùs magna ei oblata occasio est. Nam nocte quadam vnus è pueris significauit ventrem exonerare se velle. Erat autem latrina adeò propinqua & coniuncta dormitorio, vt lucerna illic ex regulæ præscripto ardens, etiam latrinæ lumen inferret. Surgens itaque pater Odo, vnum è pueris excitat, illoque contentus lumine, cum eo abijt. Postridiè pro more ad Capitulum conuenientes fratres, post lectionem Martyrologij & Regulæ, acriter eum obiurgãt, quòd ausus fuerit illa nocte sine cereo ire cum puero. Cùm sit autem illicitum apud eos, nisi priùs exosculata humo, siue, vt ipsi vocant, capta venia, facti sui rationem reddere, neque etiam posteà factum suum tueri: ille mox humì prostratus, veniã petijt, dicens dormitorij lumen sibi sufficere potuisse. Verùm non modò ab illis auditus non est, sed etiam culpæ non mediocris reus pronunciatus. At verò beatissimus vir, qui arrepta angusta via, eum sequi constituerat, qui, cùm pateretur, non comminabatur: non indignans, neque murmurans, neque vllas opponens querelas, humì se abijcit, veniamque deprecatur. Abbas autem eius volens probare patientiam, iratum se simulans, sententiam excõmunicationi coniunctam in eum protulit, vt illo die veniam petere ausus non esset. Tum ille Dauidicum illud animo versans, Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. itemq; illud: Posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra: ad fratrum pedes prouoluitur, orans vt Abbatis animum placatum ipsi reddant. quod quidem ità factum est. Tandèm admirans Berno tantam iuuenis constantiam atque patientiam, ad se accitum, sua benedictione, vt iubet Canon monasticus, impertitur, atque deincèps chariorem eum habet.

S. Odo accusatur à fratribus.

1.Pet.2.

Psal.72.

Psal.65.

Cap.16. Erant sanè in illo monasterio fratres quidã & animis & moribus iuuenes, quorum iam antè memini: atque ij vndè proficere debebant, indè sibijpsis perniciem adsciscebant: ità vt, quotiès oblata videretur aliqua occasio & opportunitas, multis beatum Odonem iniurijs afficerent, multisque eum modis calumniarentur. At ille vir pacis studiosus, seorsùm eos ducebat, & licèt à culpa esset alienus, tamen vt reus se sternebat ad illorum pedes, & veniam precabatur, non quòd sibi metueret: sed fraterna charitate compulsus, cupiens eos patientia sua ad sanitatem reuocare, quos videbat diuinam in se prouocare vindictam. Et illi quidem hac ratione nonnihil reprimebantur, sed instàr labentis aquę citò redibant ad ingenium, & pristina vitia sua: & quem imitari eos oportebat, more suo insectabantur. Eius peruersitatis princeps erat Vuido quidam. Sæpè alijs alios incitantibus, vt beato viro conuiciarentur, dicebat is, qui id facere iussus erat: Ecquìd prodest quotidiè his nos rebus occupari, quandò illum nec expellere possumus, nec ad reddendam contumeliam prouocare? Scis tuipse, eruditione ab illo nos superari: & hactenùs quidem si quid ex eo discere volui, libenter me docuit: vereor autem, nè quandoquè tot lacessitus iniurijs, vel inuitus subtrahat, quod nunc propensa animi voluntate largitur. Ille verò respondebat: Non est ità, vt tu persuasum habes. Talis enim est frater Odo, vt non ista dũtaxàt, & ijs consimilia, sed & maiora æquo ferat animo, & quicquid voluëris, nihilominùs haud inuitus præstet. Verùm isti fratres non diù pòst diuinam sunt experti vltionem, diuinoque percussi iudicio, quandoquidem fraterna repræhensione compesci noluerunt. Postquàm enim Abbas Berno vita functus est, mox illi excusso cucullo, in mũdum reuersi sunt, & tandèm teterrimum vitæ huius exitum habuêre.

Humilitate & patientia studet sanare ipsum infectantes.

Vltio diuina in eos animaduertit.

Cap.17. Ea tempestate etiã hoc miraculum, quod iam relaturus sum, pater noster illic factum commemorare solet. Quidam eius monasterij frater cùm sederet ad mensam, toto animo lectioni intendebat. Contigit autem quandoquè, vt collectis pro more micis, priusquàm eas ederet, Abbas Berno lectioni finem imponeret. Tum ille, quid ageret, prorsùs ignorabat. Absoluta enim lectione, non audebat eas sumere: nec etiam relinquere, nè casu perirent. Tandèm visum illi est, manu eas continere, & cùm post versum ab ecclesia essent egressi, patri monasterij exhibere. Itaq; postquàm

ex oratorio egressi sunt, mox ad Abbatis pedes se abiecit. Interrogatus ab eo, cur veniam peteret, ille explicata manu ostendere micas voluit, & eccè in margaritas mutatæ visuntur. Tum illi laudantes Dominum, valdè obstupescunt. Deindè autem margaritæ illæ, iubente Abbate, cuidam ecclesiæ ornamento intextæ sunt. Hæc quidem beatus Odo de se, tanquàm de alio, narrare solet. Insigne miraculum.

Ab eo autem tempore admodùm cœpit æstuare animo, quemadmodùm parentes suos ex huius mundi nexibus posset extrahere. Nec diù pòst Abbatis permissu profectus est ad patrem suum, eumque ad monasterium perductum, monachum effecit: matri autem persuasit, vt sacrum velamen acciperet: cuius vitam libéret his inserere, nisi prolixitas deterreret. Per id tempus cùm beatus Odo sub vesperam quiescendi causa ad ædes cuiusdam viri nobilissimi diuertisset, illum quidem & vxorem absentes comperit, sed filia iam nubilis aderat vnà cum familia. Ea verò curiosissimè obseruabat omnes actus eius. Posteà verò per quoddam posticum, valdè corde compuncta, venit ad eum: corruit ad pedes eius, dicit breuì se collocandam viro: orat propter Deum, cuius se profitebatur famulam fore, vt ea nocte ipsam liberet. Ille hoc audiens, cùm incertus esset quid ageret, aut tantæ virginis voluntati vt faceret satìs, multùm animo discruciari cœpit: Mouebatur enim pietate in Deum more suo, mouebatur etiam pietate erga virginem propter eius lachrymas. Proponebat sibi iudicium Dei, & perniciem animæ virginis: tum quoquè murmur parentum eius & vulgi, quòd talia ausus esset monachus. Ad extremũ Christi amore & virginis lamentis victus, eam liberare constituit. Itaq; nocte illa famulis domûs altum stertentibus, ipse cum fratribus conscensis equis præcessit: porrò ministros, qui cum ipso erant, iussit sequi cum virgine. Postridiè venère ad monasterium, cui proximum erat oratorium, in quo nobilissimæ fœminæ orationis causà recipiebantur. Ibi cùm virginem manere iussisset, ad monasterium accessit. Postera luce omnia, quæ gesserat, ordine Abbati suo exposuit, vt est more apud illos comparatum. Vbi verò ille cognouit de virgine, vultu perturbato duriter eum obiurgauit, quòd absque eius permissu talia fecisset. Mox ille ad pedes eius aduolutus, petit veniam: Eo iubente, surgit, rursusque interrogatus, sic respõdet: Domine pater, quantùm equidem aduertere potui, ab eo tempore, quo me miserum in hanc sodalitatem admittere dignatus es, hoc vel maximè tibi curæ fuit, vt posses lucrari animas. Alij plerique Abbates videntur cumulandis opibus & hominum captandæ gratiæ studere: tu verò pietate & misericordia motus, vni cupis placere Deo, vt ei animas lucreris. Qua in re cùm ego te imitari cupiam, hanc puellam lucrifacere volui. Et licèt me non facilè vicerint lachrymæ eius, non tamen eram nescius, me à te seueriter obiurgatum iri. Sed mâlim certè pij patris flagellis cædi, quàm neglectæ animæ huius reus inueniri. Atque vtinàm omnes huius prouinciæ fœminas possem lucrifacere: libenter ferrem propter singulas humanissimo tuo more me abs te flagellari. His alijsque id genus verbis flexit ille Abbatem, sed tamen hac ei mulcta irrogata, vt eam alendam susciperet, & sanctis adhortationibus confirmaret ad dies aliquot, nè eam facti pœniteret, & instigante diabolo, ad seculum reuerteretur. Quotidiè igitur beatus Odo alimenta ei attulit, & præcedentium patrum exemplis illam instruxit. Post paucos verò dies in quoddam virginum monasterium eam adduxit, Christo illic seruituram. Nè qua autem posset mala oboriri suspicio, omnia hęc prȩsentibus fratribus facta sunt. Non multò pòst virgo illa excessit è vita. Morienti aderant sorores, vt precibus suis eam adiuuarent. Cumque eam repentè ceu mortuam tenerent, illa voce, qua potuit, petijt se subleuari è lecto. Sciscitantibus sororibus, quid hac re sibi vellet. Video, inquit illa, beatissimum Paulum ad me venientem, eique occurrere volo. Necdùm verba compleuerat, cùm extendisset brachia, vt posset ocyùs surgere, eadem repetijt. Aliæ eam insanire existimabant. At illa vi, qua potuit, assurgens in genua, submisso capite, ab eo, quem videbat, benedictionem petijt, dicens: Benedicite, atque interim feliciter in Domino obdormiuit. Nemo verò ambigebat eam ab illo exceptam, qui eam visitârat.

Cap. 18. Patrem suũ efficit monachũ, matrem sanctimonialem. Itèm virginem quandam à seculo ereptam in monasterium collocat. Berno Abbas cupidus lucrãdi animas. Nobilissima puella dat se vitæ monasticæ. Feliciter Christo spiritũ reddit.

Cernens autem Abbas Berno, beatum Odonem virum egregium futurum, accersi o Episcopo, etiam inuitum illum voluit sacerdotio initiari. De illo Episcopo referre solebat pater Odo, cibos ab illo benedictos nullum canem ausum fuisse comedere. Si quis verò casu id fecisset, eum subitò mortuum fuisse, perindè ac sì pro cibo sumpsisset toxicum. Obsecro autem, nè quis me carpendum putet, quòd dixi eum inuitum ordinatum sacerdotem: quasì indè conijci possit, quòd is, qui hoc

Cap. 19. Initiatur sacerdotio S. Odo.

facere non dubitauit, in ijs numerandus sit, qui donum spiritussancti vel emere, vel vendere non vereantur. Eádem enim nocte, quam secutura erat dies ordinationis eius, cùm à somno euigilâsset, prorsusque nihil de sua initiatione cogitaret, ad collū suum, vt moris est, stolam sensit ab Episcopo sibi impositam. Cœpit igitur miserè lugere, tanquàm qui magno quodam malo affectus esset: diuque posteà præ nimia verecundia non fuit ausus exire è monasterio. Quam ob rem pater Berno, quadam reperta occasione, misit eum ad Episcopum illum. Cumque is pro Odonis consolatione prolixè apud eum egisset de dignitate sacerdotij, ventum est ad mutuos de Ecclesiæ statu sermones. Ibì tum Odo pater ex Ieremiæ prophetia lamentabilem de sacerdotibus texuit orationem. Qua completa, Episcopus rogauit eum, vt illam in scripta formamque libelli redigeret. Obijciente autem Odone Regulæ prohibitionem, nè quid monachus absque Prioris permissu faciat, Episcopus venit ad monasterium, & quòd amicus esset Abbatis, facilè id ab eo impetrauit. Is enim præcepto suo eò adduxit Odonem, vt in Ieremiæ prophetiam tres libellos scripserit: qui quidem in multis iam ecclesijs siue collegijs habentur.

Odo scribit 3. libros in Ieremiam.

Cap. 20. Per id tempus Abbas Berno exitiali cœpit morbo decumbere. Itaque quamprimùm vicinos acciuit Episcopos, Abbatisque functione se abdicans, voce lachrymabili reum se proclamauit, indignumque tali ministerio: simul orans fratres, vt, quem vellent, patrem siue Abbatem sibi deligerent. Tum verò fratrum manibus comprehensus pater Odo, & propemodùm vi constrictus, cunctis proclamantibus vt Abbas consecraretur, ad Bernonem, admodùm renitens, adductus est: cumque nec sic vellet cedere, tandèm Episcoporum voluntate, ei excōmunicationem minitantium, superatus est. Paulò pòst autem pater Berno migrauit ad Dominum: Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Creatur Abbas Gigniacensis.

Obitus Bernonis Abbatis.

LIBER SECVNDVS.

Cap. 1.



MVltis calamitatibus crebrisque morbis presso mihi pauca de B. Odone patre nostro referre licuit, atq; ea duntaxàt, quę sub Abbate Bernone gessit: è quibus tamē pro vestra industria facilè potestis colligere, fratres mei, à quanta ille perfectione cœperit. Sed quia initium bonæ & beatæ vitę fert secum angustias & labores, finis verò laudē & gloriam sempiternam: per eius beatam & tranquillam vitam ceu directū tramitem, ad eius felicem obitum properabo. Cùm igitur, vt diximus, pro Bernone creatus & ordinatus esset Abbas, mox in eum veteres illi hostes & persecutores, quos suprà memorauimus, incurrerunt. Ille verò cedere mâlens, & beatè quiescere, quàm contentioni vacare, relicto illo monasterio, & quę à Bernone Abbate parata, ipsiq; paterno more tradita erant, abijt Cluniacum, inchoatumq; perfecit monasterium. Secuti sunt autem illum seniores eius loci. Porrò circa B. Martini ferias defecère res omnes, quas secum attulerat ad monasterij officinas extruendas. Est autē apud nos ea consuetudo, vt B. Martini natalitia octonis diebus celebremus. Peractis itaq; octauæ diei matutinis siue nocturnis laudibus, necdùm appetente aurora, omnes ad lectos suos reuersi sunt, quiescendi potiùs, quàm dormiēdi causa. Ibì tum, vt pater noster Odo narrare solebat nobis, cuidam seni eiusmodi visus obtigit: Vir quidam venerabilis, cano capite, stola indutus splendididissima, & insupèr amiculo, quo pluuia arcetur: propiùs accedere ei videbatur, atq; structuram monasterij circuncircà diligenter inspicere. Cumque ex eo perquireret, quis esset, & cur ædificia illa tāto studio contemplaretur, respondit ille: Ego sum, cuius hodiè octauum diem celebrant fratres: quos inuisere volui. Tu verò dicito illis ex me, nè deficiant animis, sed in cœpto opere perseuérent. Dicente sene, impensas omnes absumptas, quas secum attulissent, Non est, inquit ille, quòd timeāt. Equidem iam Roma venio, & Turones me confero. Iter autem habiturus sum per Gotthos & Aquitanos, atque ex ijs regionibus tantum eis subsidij acquiram, vt & in præsens abundè satis sit, & diù posteà affatìm suppetat. Læti ergò fratres, & tanti viri promissione securi, iucundissimis animis Domino agunt gratias. Quisnam autem hic senex fuerit, cui hæc visio oblata est, equidem affirmare non ausim. Solebat enim pater noster Odo sciens & prudens sese nunquàm nominatìm exprimere: sed si quid vel magnum, vel paruum vidisset, hoc modo referebat: Quidam ex fratribus nostris, aut quædam persona senex hoc vel illud vidit. Post hanc autem visionem intra

Cedit monachorum improbitati, & abit Cluniacū.

Visio cuiusdam.

paucos

paucos dies à Gotthorum finibus eò allata sunt ampliùs tria millia solidorum. Id genus tam multa ille mihi hac ratione narrare solebat, partìm apud Floriacense S. Benedicti monasterium, partìm Cluniaci gesta, vt, si ego ea ad liquidum prosequi velim, libelli modus, scribentis facultatem excessurus sit. Magna accipit subsidia ad absoluendū Cluniacēse monasterium.

Sed dum ego B. Martini fidissima promissa re ipsa impleta commemoro, quiddam repentè animo occurrit gestum à fera bellua: quod etsi quibusdam fortaßis ridiculum videri possit, tamen quandò spectaculum facti sumus Angelis & hominibus, annotare id visum est: vt qui nos imitari aut non possunt, aut dedignantur, dum intelligunt nos à bonis ad meliora proficere, tandèm deserant tristem ac miseram vitam suam, & lætissimis animis sequantur nos ad gaudia sempiterna. Constructo oratorio, fratres Episcopum vocârunt, vti illud consecraret. Ille non curans fratrum paupertatem, statuto die venit cum multo comitatu. Ad eorum autem aduentum fratres magno afficiebantur pudore, quòd non haberent, quod pro dignitate eis possent apponere. Manè autem sub lucis ortum immanissimus aper è sylua properauit ad monasterium. Eum cernens templi custos, cùm esset extra monasterium, de loco illo componendo cogitans, intrò se recepit, foresque occlusit. At aper posita omni feritate, vt aditus ei pateficret, diù pulsauit fores orisque sui spuma illas liniuit. Cùm autem nemo præ timore ei aperiret, tantispèr illic hæsit, donèc Episcopus cum suis venit: quibus se vltrò necandum obtulit. Completum tum fuit, quod Psalmographus ait: Timentes autem, non minuentur omni bono: itemque illud: Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Reuerà confisus est pater Odo in Domino, nec vnquàm ei defuit, vndè fratres sustētaret, & pauperibus largiretur. Nullus enim pauper à sinu misericordiæ eius vacuus recessit. Sanè quotiès ego cum illo profectus sum, diligenter inquirere solebat, num haberemus, quæ pauperibus dari possent. Tum verò securus carpebat iter, tanquàm necessaria omnia suppeterent, minimeque defutura essent. Et quia omnibus se petentibus tribuebat, Dei benignitate omnia ei suppetebant. Illud Tobiæ præceptum ab eius animo nunquàm recedebat: Vide, nè auertas faciem tuā ab vllo paupere, & omni petenti te tribue. Si quis ei quippiam afferret, qui ex habitu inops videretur, sciscitabatur ex eo, quid vellet, aut si qua re egeret, quā ab ipso pręstari sibi cuperet. Illo verò petente aliquid, duplo plus, quàm id valeret, ei dari iussit: quod equidē sæpiùs, me inspectante, factum est. Fateor autem culpam meam, crebrò mihi id mœrorem attulisse. Cùm enim essem Prior, dolebat mihi monasterij paupertas, volensque prospicere fratrū inopiæ, dicebam ei iniustum esse omnia tam indiscretè elargiri. Putabam enim sapienter id à me fieri, nec aduertebam insipientiæ circunfusus caligine, tenacitatis vitio me strangulari. Ille verò cùm esset peritissimus animarum medicus, prudentia sua curabat vulnus mentis meæ, dicebatque mihi: Tace, aut certè malo tuo hæc dixeris.

Cap. 2. 1. Cor. 4. En vt diuinitùs fratrū paupertati consulitur. Psal. 33. Psal. 36. S. Odonis mira in pauperes benignitas. Tobiæ 4.

Iuuenis quidam literarum studijs addictus, hyemis quadā nocte ad Matutinas siue nocturnas laudes alacriter properabat, vt inter condiscipulos maturiùs adesset. Vidit autem in atrio ecclesię pauperem quendā seminudum iacére. Eius ergò misertus, scapulare suum exuit, eiq; dedit. Considerās autē quid fecisset, acerrimi frigoris metum omnē à se reiecit. Finitis Matutinis laudibus, totus iam frigore rigidus, ad cellulā reuersus est: cumq; in lectulū reponere se vellet, membra egelida operimentis foturus, librā auri illic offendit: vndè ei posteà suppetebat, vndè & illius & aliorū inopię posset consuli. Hęc quidē ille mihi narrabat, sed incertum habeo, quisnam ille iuuenis fuerit. Eiusmodi verò exemplis sanabat vulnus & peruersitatē animi mei. Vellem iam transire ad alia: sed multa benignitas & misericordia eius retinet me, vt ipsam copiosiùs cōmendem. Quod etsi non possum absq; rubore meo, faciā tamen, & accusabo atq; obiurgabo meipsum, culpasq; meas omnibus patefaciam: & quanuis ei, quòd iam è vita abiērit, cōfiteri eas non possum, id tamen efficiam, vt vos mihi apud illū habeam intercessores. In itineribus suis, si quos obuios habuisset pueros, quippiā eos cantare cogebat, præmijq; loco è rebus suis aliquid eis dari iubebat, dicens eos non parua remuneratione dignos: scilicet hac iucūditate sua & nos exhilarare, & illos misericordiæ visceribus reficere cupiens. Sermo eius admodùm festiuus & iucundus erat, ità vt præ nimio gaudio nonnunquàm ridere nos cogeret. Sed ille moderationis habenas manu tenens, mox proponebat nobis illud è Regula, Risum multum aut excussum non amare: itemq; illud: Monachus non sit facilis ac promptus in risu: quia scriptum est, Stultus in risu exaltat vocem suam. Atque hoc aliòve modo cohibebat nos

Cap. 3. Præmium misericordiæ. Regulæ S. Benedicti Cap. 4. Cap. 7. Eccli. 21.

à risu: sed interim tamen spiritalis eius hilaritas, interno animi gaudio nos afficiebat. Verùm ego indignus quidnam de eo, aut de tanto gaudio dignè possim eloqui? Sanè si aliter animis nostris satisfacere nequiremus, clàm eius vestes exosculabamur. Quid verò hoc in nobis admirationis habet, qui illi semper adhærebamus, quandò etiam intrante eo in ecclesiam S. Petri, Dei famulæ & plerique alij hincindè exilientes, post eum cursitabant, & tegmen capitis eius, extrema appræhensa fimbria, deosculabantur. Et ille quidem ibat properè, vt eos fugeret: sed sequebantur illi haud aliter, atquè persecutores quidam. Erat enim instàr lapidis angularis quadratus, planè Angelicus & humanus, liberalis & amabilis, ità vt quotidiè in eo compleri videretur illud Propheticum: Iucundus homo, qui miseretur & commodat, disponit sermones suos in iudicio: quia inæternùm non commouebitur: atque illud Apostoli: Hilarem datorem diligit Deus. Cæcos & claudos ore iucundo dicere solebat paradisi fore ianitores: atque ea causa neminem eos repellere debere ab ædibus suis, nè ab illis quandoquè paradisi fores illi præcludantur. Quòd si quispiam è famulis nostris, eorum non ferens importunitatem, asperè eis responderet, aut solita beneficia celeriter non conferret, vel eos ab aditu ostij nostri arceret, grauiter illum obiurgabat, accitisque illis coram eo dicebat: Cùm venerit iste ad ostium paradisi, fac ei similiter. Id verò ea causa faciebat, vt terreret illos, & ad beneuolentiæ studia prouocaret. Si ei aliquò pergenti obuiàm venisset anus, vt fieri crebrò solet, aut morbidus & debilis quispiam, mox descendebat ab equo, & eum illi imponebat, suos interim socios omnes iubens longè antecedere. Adiungebat autem illi vnum è famulis, qui equitantem seruaret, nè caderet. Ille verò inter nos equitantes incedebat pedes, semperque psallens, cogebat nos secum psallere. Quòd si quis nostrûm vel præ pudore, vel timore illius vellet se ab equo demittere, prohibebat eum, sciens non pauperis iuuandi studio, sed pro suî reuerentia id fieri.

Hic locus mihi videtur non vacare mendis librarij.

Psal. 111.

2. Cor. 9.

Cæci & claudi, cæli ianitores.

Mira humanitas tanti viri.

Cap. 4.

Equidem crebrò eum ità facere vidi. Cùm aliquandò Cotias transmitteremus Alpes cum Geraldo Rhegiensi Episcopo, Romamque pariter venissemus, memini eum cuidam dæmoniacæ id humanitatis præstitisse. Ea verò ilicò curata, Senas nobiscum venit, atque illic, cogente dysenteria, remansit. Posteà autem apud S. Paulum Romæ eam vidimus, moxque signo denarium ei præberi iussit. At illa præ verecundia submisso capite, humique depressis luminibus sedente, percontabar ex eo, quænam esset mulier: Moxque depinxit eam mihi signis quibusdam, vnde facilè posset agnosci. In eodem itinere senex quidam debilis easdem Alpes nobiscum transibat, onustus sacculo, pleno panibus & allio, itemque cepis & porro: quorum fœtor mihi erat intolerabilis. At ille pius pater simulatquè in conspectum eius vénit, more suo in equo suo sedere eum iussit, eiusque valdè malè olentem sacculum, in suos humeros recepit. Ego verò tãtum fœtorem diutiùs ferre non sustinens, procul ab eius látere me subduxi. Confecto indè summarum Alpium arctissimo itinere, cùm iam in descensu essemus, vidi eum procùl stantem, & cogente paupere, conscendere equum suum. Sed neque sic tamen pauperi sacculum reddidit, sed ad ephippium suum appendit. Ego tum socios, qui me præcesserant, anteuertebam, & vt citò ad illum peruenirem, non sine verecundia accelerabam iter. Vbi autem paulò pòst ad illum accessi, Veni, inquit: supersunt enim psalmi aliquot nobis cantandi. Respondente autem me, sacculi illius putorem me perpeti non posse, mox acriter me castigans, Proh dolor, inquit, id quod tibi tam grauiter olet, pauper potest edere, & tu nec odorem eius tolerare potes? Pauper sacculum illum gestare potest, tibi eum etiam adspicere permolestum est? Hæc autem de seipso dicebat, quippè qui verè esset pauper Christi. Effecit autem his increpationibus suis, vt deincèps fœtorem illum prorsùs non sentirem.

Dæmoniaca sanatur.

Insignis eius charitas & humilitas.

Cap. 5.

*fo.. * Italiæ*

Sub idem tempus à Leone summo Pontifice in Italiam missi sumus pacis componendæ causa inter Hugonem * Longobardorum Regem, & Albericum Romanæ vrbis principem. Cumque post multa discrimina tandèm Senas venissemus, ciuitatem illam fame oppressãm reperimus. Ad illud autem tam longũ & periculosum iter acceperamus nobiscum triginta ferè argenteos solidos, quorũ pars maxima iam distributa erat. Ego verò non immemor consuetudinis eius, quòd nihil sibi in nostros vsus seruaret, acceptis reliquis solidis, clanculùm ab eo recessi, eoque ignorante, vrbẽ petij, metuẽs nè & nobis & equis nostris non suppeteret, vndè escas necessarias cõpararemus. Postquàm autem ille quoquè in vrbem ingressus est, egeni & inopes ad eum confluxêre, solita ab eo poscentes beneficia. Tum ille circunspectis omnibus, vt me abesse

abesse vidit, mox subodoratus quid fecissem, neque tamen dubitans, etiamsì præstò non essem, non abesse me procùl, omnibus manu innuit, vt ipsum sequerentur. Quod cùm illi facerent, in quadam ciuitatis platea tres conspexit viros, qui etsì cultu vestium præ se ferrent, nulla se inopia premi, reuerà tamen inopes erant. Vt ergò illos quoquè beneficentiæ suæ participes faceret, hac arte vsus est: Ante fores ædium suarum exposuerant, illi scutellas, lauri baccis plenas. Quæsiuit ergò ex vno eorum, quanti eas venderent. Illo nescio quid vilis precij indicante, Tace, inquit vir sanctus, nec denuò tantillum precium exprimas: quinpotiùs tot denarijs eas venire dicas. Quod cùm ille faceret, mox vir pius totidem denarios mutuò accepit, atque ità sub persoluti precij prætextu hoc eos beneficio affecit. Intereà obseruante me gressus illius, paulò pòst venit eminùs, pauperum cuneis egregiè stipatus, vsqueadeò verò exultans & lætabundus, vt cùm eum ex more salutâssem, vix resalutare me posset. Mox dissimulanter sciscitante me, quinam essent illi satellites & stipatores, & quid sibi vellent: Hi sunt, inquit, domestici Dei, & liberatores nostri. Ocyùs igitur persolue eis mercedem. Feci, vt iussit: rursusque percontabar, quid sibi vellet baccis tam multis, & vndè eas haberet. Tum verò ille sanctus vir tales suo ore deprompsit sermones, quales ego me ab ineunte ætate nunquàm audîsse memini, nec deincèps auditurum puto. Adeò enim omnes nos exhilarauit, vt præ nimia animi exultatione, nemo nostrûm posset sibi à lachrymis temperare, vel quicquam pre lachrymis alteri loqui. Ego autem necdùm illis detersis, supplex rogare eum cœpi, nè illa baccarum sarcina oneraret nos, sed venditoribus eas remitteret. At ille: Non faciam, inquit: vereor enim, nè precium mihi reddant. Tandèm id vix ab eo impetrare potui, cùm ostendissem iam longo nos ab illis interuallo distare. Eodem die prædixit me Prioris officio functurum, & pleraque alia, quæ posteà mihi euenerunt. Deindè me instituit, quemadmodùm patientiam parare deberem: & à seipso sumens exordium, exposuit mihi, quàm multa à fratribus suis olìm pertulisset. quæ iam nolim hîc commemorare, quòd posteà mutati illi sanctissimè vixerint.

Mira arte cõsulit quorundam occultæ paupertati.

Ingens gratia verborũ eius.

Quædam futura prędicit.

Cap. 6. Necdùm autem confeceramus iter susceptum, & ecce cùm perparùm è nostra pecuniola superesset, obuium habemus fratrem nostrum Petrum presbyterum, qui tum conuersionis gratia Romam contendebat: è cuius copijs nostra ditata est inopia. Ab eo enim tantum accepimus, quod sufficeret itineri nostro peragendo. Facta sunt hæc mensibus Ianuario & Februario. Fuit autem iter nostrum per Alpes: tantaque nix è cælo décidit, vt olìm cognitum iter, prorsùs incertum nobis efficeret, adeoque nostros impleret sinus, vt præ frigore, loquendi facultate destitueremur. Cumque cernerem beati viri seniles artus ea molestia tabescere, celeriter ei tunicam confeci, quę & tueri & fouere eius viscera posset. Vbì autẽ legatione nostra perfuncti fuimus, à nostratibus compulsi sumus per loca maritima domum reuerti. Postquàm ergò Barrianum, vt vulgò vocant, peruénimus, iam sole occumbente, quidam seminudus pauper obuiàm nobis venit: cuius quidem speciem vt tum considerare non potui, ità nec posteà recolere. Sed memini tamen nudis plantis atque lateribus immensas illas niues eum calcare intrepidum. Ad eum vbì pater Odo propiùs accessit, omnes iussit antecedere: moxque se expolians, pauperem induit, mihique pręcepit, tantum vt ei nummorum adderem, quibus posset domum pertingere. Itaque paulispèr substiti, rogaui quò tenderet, quòd scirem in illa vasta solitudine nullum diuertendi locum extare. Respondit ille, se cum luce ad Pastorale castrum vsque posse peruenire. E quibus verbis conperi non esse illum hominem mortalem, cùm iter illud, quod intra horam vnã se dixit posse conficere, nos vix toto die emensi essemus. Mihi verò id quod iam retuli, superiori nocte terribili visione præmonstratum erat.

Seipsum necessaria veste spoliat, vt tegat pauperem.

Cap. 7. Adeò autem beati viri sinus misericordia dilatatus erat, vt non solùm fidelibus, sed etiam hostibus & persecutoribus suis tam benignum & humanum se præberet: quod quidem satìs testabitur exemplum, quod iam referam, cui interfuit frater Firmus, Abbatis Balduini germanus. Cùm Romuleam vrbem propter inimicitias, quæ ei erãt cum Alberico principe, Hugo Rex, cuius antè meminimus, obsideret, vir sanctus & intra & extra vrbem discurrens, hortabatur eos ad mutuam pacem, Regisque furorem sedare, & vrbem obsidione liberare connitebatur. Interìm accidit, vt euntem illum iuxta beati Andreæ Apostoli monasterium, quod Cliuum Scauri vocant, rusticus quidam propter aquæ lagunculam occidere meditaretur. Vt enim scriptura dicit, Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: ille more suo nulli nocens, nihil-

Prou. 10.

nihilque mali suspicans, demisso gradiebatur capite. Intantùm enim ille studiosus erat obseruandæ Regulæ, vt longo vsu, vbicunquè esset, siue stans, siue ambulans, aut sedens, semper inclinato esset corpore, defixoque in terram vultu. Quod quidem in causa fuit, vt à quibusdam tempore conuersionis suæ per iocum appellatus sit fossorium. Cùm autem rusticus ille caput eius ictu appeteret, quotquot iuxta illam viam erant, editis clamoribus, eius manus cohibuerunt. At pater mitissimus nescio quos denarios mutuò acceptos ei dono dedit, beneficium pro maleficio reddens. Vbi verò princeps memoratus id comperit, homini illi manus amputare voluit: sed vir pius admodùm obnixè pro illo deprecans, misero veniam impetrauit.

Regulæ S. Benedicti cap. 7.

Rustico necem ipsi intentanti qd præstiterit.

Cap. 8. Et ad multorum & ad vestras etiam aures peruénit, quid cuidam furi pater noster Odo non ità pridèm Romam veniens fecerit: quod tamen mihi annotare libet, non tam vt vestræ id industriæ innotescat, quàm nè in obliuionem abeat, si non sit literis commendatum. Permanente igitur illo intra vrbem orationis causa, visum omnibus fuit, vt frater noster Godefridus in agrum mitteretur, equorum pastoribus inuigilaturus. Eàdem nocte somno pressis pastoribus, & Godefrido in precibus vigilante, fur adfuit, raptumque conscendit equum & fugam inijt. Videbat id quidem Godefridus, sed equum perdere mâluit, quàm frangere silentium: quod si rupisset, fur ille mox relicto equo, in pedes se coniecisset. At tamen vnum è pastoribus excitans, id quod fiebat, signis ei indicabat. Nocte exacta, manè vident furem procùl immotum cum equo consistere. Itaque comprǽhensum illum, iniectis vinculis, ad patrem Odonem remittunt. Is verò mox ei quinque solidos argenteos dari iubet, dicens fas non esse, absque iusta eum mercede dimittere, qui tota nocte magnos esset perpessus labores. Posteà cùm, Deo trahente, monasticum ego complexus essem institutum, & deindè fratres me suum esse Priorem voluissent, sæpè furem illum mihi indicabant: & quòd filius esset molendinarij nostri, quotiès pater eius venisset contra ipsorum voluntatem, solidos illos repetere me cogebant.

Fur diuinitùs detinetur.

Vide sancti viri bonitatem.

Cap. 9. Sed quia de silentio sermo incidit, sine cuius cultu pro nihilo sanè ducenda est vita monastica, operæpretium erit in eo commendando nonnihil immorari. Vita enim monachi tantispèr aliquid est, donèc se intra silentium continet. Eo verò neglecto, quicquid rectè & benè se agere existimauerit, vt sancti patres docent, id pro nihilo putandum est. Itaque ea tempestate, qua sæuissima Nortmannorum gens Pictauorum atque Turonensium fines cruentis vastabat gladijs, duo eius congregationis venerabiles viri, nescio qua causa, Turones missi sunt: quorum alteri Archinbaldo, quem equidem benè cognitum habeo: alteri Adalasio, sed mihi ignoto, nomen est. Hi viri celeberrimi, & multorum nunc monachorum patres, cùm longum illud capesserent iter, & ad quendam locum captandæ quietis causa diuertissent, eàdem nocte à Nortmannis capti sunt. Erat prope locum illum oppidum quoddam, quod noctù, irruptione facta, barbari occupârunt. Alia verò illorũ manus, pridèm captam ferens prædam, in eum peruénit locum, vbì ij, quos diximus, fratres erant: quos illi quidem capere, eorumque manus colligare, minasque intentare potuerunt, sed non tamen efficere, vt silentium rumperent. Manè ad eum accessêre locum, ad quem omnes pariter conuenire constituerant. Fratres verò illi paululùm ab illis secedentes, ità vt erant vincti, humì se prostrauerunt, vt persoluta Psalmodia, finem silentio imponerent. Necdùm autem suas absoluerant preces, cùm reliqua Nortmannorum pars, multis onusta spolijs, aduenit. Porrò illorum Dux cernens fratres humì iacentes, rogabat suos, quinam essent. Illi verò cuncta quæ gesserant, ordine ei exponunt, adduntque nulla ratione vllum se ab eis sermonem extorquere potuisse. Tum ille barbara immanitate turgidus, cum equo phalerato, quo sedebat, irruit in eos, contumque vibrans, necem intentabat, experiri volens num formidarent. Interìm barbari vndiquè circunfusi, plaudebant manibus. Fratres verò vt erant constantes animo, ità etiam corpore immoti permanebant: nec id simulatè, sed nè quid contra iusfasque sanctæ Regulæ admitterent, cui conuenienter & viuere & mori cupiebant, nec vnquàm ab ea deflectere. At verò omnipotens Deus insolentis turbæ illius plausum repentè mutauit in luctum. Nam simulatquè Dux ille barbarus cum equo suo ad eos accessit, equus resiliens, sessorem suum excussit, humique abiectum elisit. moxque lethifera febris secuta est. Tum omnes illi conticescunt, multoque stupore correpti, inter se consultant, quid fratribus illis faciendum sit. Tandèm hoc eis planè barbarum placet consilium, vt pro vita Ducis sui alter eorum cædatur. Itaque sortiuntur,

Silentij laus.

Nortmanni Pictauorũ & Turonensium vastãt fines.

En vt olim monachi silentij fuerint obseruantissimi.

In barbarũ tyrannum vindicta cœlestis.

untur, vter interficiendus sit. Sed in virtutum gratiam, & in Christi sorte numeratos diabolica sors cadere non potuit. Id barbari illi summoperè admirantes, aiunt supra homines, illos esse, quos ipsorum sors attingere non posset. At tamen sortitò alterum ex famulis eorum iugulârunt. Alter famulus, quòd optimè calleret barbarorum idioma, quæ à fratribus Latinè dicebantur, ille clàm hostibus indicabat: quem quidem nos existimamus à benigno hominum consolatore Deo propter fratrum salutem esse seruatum. Ilicò autem barbari ad fratres accedunt, soluunt manus, pro salute Ducis sui obnixè eos per famulum interpretem deprecantur, nec deincèps eos ligare audent. Immò, quod admiratione dignum est, cùm ad vnius fratris collum crucem reperissent, non sunt ausi tollere. Porrò cibo & potu non alio, quàm fratres ipsi vellent, vsi sunt, quandiù apud illos fuêre. Poterant tum etiam illi dicere cum Apostolo ouante: Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Rom.5.
Et nunc oro & obsecro vos, quicunque monasticum fertis habitum, vt vnà mecum horum virorum exemplum intueamini, & tandèm aliquandò silentio operam detis. De hoc enim bono silentio dicit Esaias: In silentio & in spe erit fortitudo vestra. itemque Ieremias: Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit: quia leuauit se super se. & sanctus Dauid: Dixi, inquit, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersùm me. Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis. Paulus quoquè Apostolus: His, ait, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Et hæc quidem ex prophetis & ex diuinis nos literis protulimus, nè quis putet silentium nupèr inuentum & excogitatum: quemadmodùm quidam imperitè affirmant. Porrò prophetis subscribunt noui Testamenti patres, Paulus, Antonius, Hilarion, Iohannes, itemque beatissimus pater Benedictus: sed & permulti alij, quos nominatìm non exprimimus, nè fastidium afferamus. Quorum silentium si quis studiosè perquirere velit, in eorum historijs abundè comperiet.
Adhortatio ad seruandum exactè silentium. Esa 30. Thren.3. Psal.38. 2.Thess.3. Approbatur silentiũ, scripturæ sacræ & patrũ testimonio.
Sed nè quis obijciat nobis eos vixisse in solitudine, ex Euangelijs quædam proferemus, & primò de ipso Saluatore & Domino nostro, de quo sic legimus apud Matthæum: Compulit Iesus discipulos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donèc dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Itemque in Marco: Coëgit Iesus discipulos suos ascendere nauim, vt præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. Et cùm dimisisset eos, abijt in montem orare. Atque etiam in Luca: Exijt Iesus in montem solus orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis &c. Itèm apud eundem: Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Erat autem diebus docens in templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Olíueti. Deniquè in Iohanne: Iesus perrexit in montem Oliueti, & diluculò iterùm venit in templum. Quòd si Verbum patris, & carnis conditor inter homines viuens, & vitæ Euangelium prædicans, aliquandò siluit, facilè indè colligi potest, quid nobis faciendum sit: præsertìm cùm, teste scriptura, mors & vita in manibus linguæ sit, & in multiloquio non desit peccatum, nec vir linguosus dirigatur in terra. Si fratres illi, quos diximus, etiam tum, cùm cæderentur & tunderentur ab hostibus, in vocem erumpere noluerunt, eum imitantes, de quo scriptum est, Sicut ouis ad occasionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se sinè voce, sic non aperuit os suum: quid de illis sentiendum est, qui nulla vi adhibita, sua sponte Regulæ iussa transgrediuntur? Quid ij dicturi sunt, vbì ventum erit ad illud æquissimum æterni iudicis tribunal? Sed ad historiam reuertamur.
Cap.10. Matt.14. Marc.6. Luc.6. Luc.21. Ioan.8. Prou.18. Prou.10. Psal.139. Esa.53.
Beati patris Odonis valdè tum celebre nomen fuit, famaque sanctitatis eius longè lateque spargebatur. Innotescebat ille regibus, magna Episcoporum fruebatur familiaritate, charus erat magnatibus. Itaque monasteria, quæ in illorum regionibus sita erant, illius tradebant potestati, vt ad nostrum institutum ea corrigeret, atque constitueret siue ordinaret. Vndè accidit, vt ad quoddam se conferret monasterium, paucos secum fratres adducens, in quibus etiam Aidolphus fuit, nobis minimè igno-
Cap.11. S.Odoni datur negociũ reformandi monastena.

tus, qui ante hoc biennium migrauit ad Christum. Cumque illic fratres nostri sabbato cœpissent præparare mandatum, vt Regula iubet, quidam ex loci eius monachis illàc transiens, vt vidit fratrem more apud nos vsitato lauare * socculos suos, ira permotus, rupto silentio ait ad eum: Dic mihi, vbinàm præcipit S. Benedictus, vt monachi lauent socculos suos? Ille autem signo innuit ei, vt taceret. non enim tum licebat loqui. Sed non erat ille memor sententię Sapientis: Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit. Noli arguere derisorem, nè oderit te. Cernens enim monachus non sibi responderi à fratre, magno furore percitus: Túne, inquit, qui cùm mercator esses, per regiones discurrebas, huc iam aduenisti, vt nos Regulam doceas, & meliores te corrigas? Qui iurando, immò peierando, instàr accipitris res alienas tibi acquirere solebas, iam impudenter apud nos sanctulus & religiosulus videri vis, quasì ignoremus quisnam sis? Me quidem omnipotens Deus serpentem non fecit, vt sibilem quemadmodùm tu facis: neque bouem, vt mugitus edam: sed hominem me creauit, & vt loqui possim, linguam mihi dedit. Hæc & id genus alia illo turbulento animo blaterante, frater noster eo relicto recessit. Altero die cùm hæc in capitulo proposita essent, miser ille non modò veniam non petijt, sed etiam rectè se fecisse respondit. Neque enim fas esse, vt eiusmodi frater meliorem se repræhendat. Tum pater Odo, eius superbiam molestè ferens, Hodiè, inquit, dies Dominicus est: contristari nemo iam debet. Differatur huius rei examen in crastinum. Paulò pòst omnes è capitulo recesserunt. Eccè autem confestim monachus ille fit elinguis, & post triduum sine absolutione moritur. Aduertimus hinc, quàm dira pestis sit arrogantia & elatio, quæ multos hactenùs monachos, vt & legimus, & experimur, sauciat & elidit: qui cùm se scire existiment, quod ignorant, in suis persuasionibus, vt Apostolus ait, stulti fiunt: acciditque illis, vt dum nolunt esse discipuli veritatis, fiant magistri erroris: pertineatque etiam ad illos, quod in Osee propheta habetur: Reuersi sunt, vt essent absque iugo: facti sunt quasì arcus dolosus. Quibus mihi illi similes videntur, qui priùs magistri dici volunt, quàm sint discipuli: & cùm necdùm parére & subesse didicerint, ad regiminis fastigia adspirant: atque in ipsis tyrocinijs, iam victorum vsurpant brauium, indoctaque manu fortissimorum militum arma corripere non verentur. Nòn attendunt isti, quod dictum est, eum, qui regulariter non subest, regularibus præesse non debere. Sed quandò ipsi Regulæ conuenienter nolunt viuere, à Regulæ præceptis aures cordis sui auertere non formidant: ità vt rectè in eos quadret Propheticum illud: Verterunt ad me terga, & non faciem. Nicodemus princeps Iudęorum, venit ad Iesum nocte, priùs discere volens, quod posteà alios doceret. Huius autem morbi duplex genus est: Vnum, quod occulta quadam temeritate & arrogantia sub sanctitatis prætextu impellit hominem ad occupandam magisterij arcem: Alterum, quo fit, vt ipse iam deprauatus, alios itidèm corrumpat, & in suos pertrahat errores: quodque sine dolore dicere non possumus, ipse iam præcipitatus, alios stantes secum conetur trahere in præcipitia. De eiusmodi Dominus in Euangelio ait: Cæci sunt, duces cæcorum. Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Id genus hominũ cœtum, rectiùs cauponam, quàm collegium vel congregationem, dixeris: quandoquidem vnusquisque apud illos facit quod libet: respuit, quod collibitum non est. De talibus scriptura ait: Stupa collecta, synagoga peccantium. Denique hoc monachorum genus B. Benedictus teterrimum vocat, eorumque conuersationem dicit miserrimam, & melius esse de eis silere, quàm loqui. Sed his omissis, inspiciamus querimoniam miserrimi monachi, de quo paulò suprà egimus. Certè beatus Benedictus sic præcipit de rebus monasterij: Omnia, inquit, vasa monasterij, cunctaque substantia conspiciantur velut altaris vasa sacrata. itemque: Si quis autem sordidè aut negligenter res monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat. Quid verò sunt calceamenta & vestimenta fratrum, nisì monasterij substantia? Aequum est ergò, ea non sordidè & negligenter haberi, sed munda seruari. Quod si monachus ille consideràsset, fratrem socculos suos ad Regulæ præscriptum abluentem, minimè repræhendisset. Verùm his omissis, ad alia properemus.

[Margin notes: * subtalares vocat author. — Prou. 9. — Insolentis monachi terribilis casus. — Rom. 1. — Osee 7. — Ierem. 2. — Ioan. 3. — Superbiæ siue ambitionis duplex genus. — Matt. 15. — Eccli. 21. — Regulæ suæ cap. 1. — Regul. cap. 31. — Cap. 32.]

LIBER

LIBER TERTIVS.

Cap. 1.

Er id tempus, cùm beatus Odo pater noster regularibus nos instrueret disciplinis, multorum monachorū miserabilem è vita excessum nobis commemorare solebat, vt iuueniles in nobis appetitus comprimeret, & quadā timoris virga ad paradisi gaudia sempiterna perduceret. Cùm autem aliquandò in eiusmodi esset narratione, obnixè rogaui eum, vt indicaret nobis, num intra Italiam duntaxàt, vel etiam in alijs Europæ prouincijs monasticus ordo prolapsus esset: tum etiam, qua ratione, vel quandò id accidisset. Respondit ille: Ante hos annos, cùm apud Turones in ecclesia beati Martini monachi degerent, cœperunt desciscere à moribus & institutis monasticis: propriaque sectanda voluntate, vitam professionemq; suam corrumpere. Abiecto enim monachorum solito habitu, fucatos atque fluxos & pallio ornatos induerunt cucullos & tunicas: calceis vtebantur adeò rotundis & nitidis, vt vitrei videri possent. Ad laudes Dei nocte celebrandas, nè fortè ad aliquid pedes offenderent, cum luce diei surgebant: pluraque id genus alia faciebant. Quibus cùm vellet Deus finem imponere, nocte quadam omnibus somno correptis, vnus ex eis vigilans, duos viros vidit in dormitoriū ingredi, vnum manu tenentem gladium, alterum imperantem ei vt quos ipse digito demonstraret, gladio percuteret. Cumq; ille etiā eum, qui hęc videbat, cędere vellet, Adiuro te, inquit, per Deum viuētem, nè me interficias. Ilicò retraxit ille gladium, & hic solus ex omnibus euasit. Porrò autē sciscitante me, quę culpa esset monachi, si candido animo precioso habitu vteretur, mox ille hoc mihi exemplū posuit. Quo tempore Nortmannorum gladius in nostris regionibus grassabatur, multi ex nostro ordine relictis monasterijs suis, illa occasione oblata, ea repetere cœperūt, quibus iampridèm nunciū remiserant. Pro consortio fratrum, delectabantur parentum & amicorum frequentia: pro rebus monasterij studebāt priuatas sibi parare opes. Vestes cū quibus è monasterio exiērant, si fractæ fuissent, non similibus volebant indui, sed quę essent ex panno coloris cęrulei. Vnus autē ex ijs ad meliorem se frugem recipere volens, nostrum petijt monasterium, orans vt ipsum in nostrā sodalitatem admitteremus. Nobis annuentibus, mox ille omnia, quæ acquisiērat, dedit monasterio. Iussus autem ire, & inferre ea in monasteriū: Et ego, inquit, & quicquid hactenùs habui, vestræ ditionis est: vos eas res & repetere, & cui visum est, dare potestis. Ego illarū causa solus è monasterio non egrediar. Vos vni è fratribus, vt eas adducat, præcipite: cui equidem, nè vestræ non obtemperem voluntati, libenter comitem me adiungam, eiusque, quoàd potero, iussa capessam. Sed siue hìc permāsero, siue illuc profectus fuero, deincèps rebus omnibus nudatus ero. Perseuerante autem fratrum sententia, cum fratre socio abijt, quò iussus erat. Vbì ventum est ad locum, in quo anteà habitauerat, subitò in morbum incidit, & illc vita functus est. Frater autem, qui ei aderat, quanto eum vidit propiùs ad mortem accedere, tanto pro eius anima maiori contentione Dominum deprecabatur. Vtrique autem hæc visio obtigit: Erat thronus loco sublimi positus, in quo residere videbatur beatus Benedictus, cui adstabat innumera monachorum frequentia. Ascensus throni illius, pallijs instratus erat, in cuius inferiori gradu languidus ille iacebat frater, tanquàm veniam petens. A dextris & sinistris stabant monachi, quos diximus. Inter vtrosque autem spatium erat, ascendere volenti peruium. Cumque diù morbidus frater iaceret prostratus, vnus ex assistētibus rogauit pro illo S. Benedictum, dicens indignum videri, eum sic relinqui: dignum esse, quem erigi ipse iuberet, & ex quo, quid velit, perquireret. Respondit ille, hominem quidē se videre, sed habitum non agnoscere. Itaq; alterius instituti hominem, eiusq; causam discutere se non debere, nec in eius vitam inquirere. Audiens id nostri instituti frater, exuit se, & vestibus suis ægrum fratrem induit, & vt denuò veniam petat, compellit. Id cùm fecisset, vox supernè audita est, iubens eum surgere & sursùm ascendere. Sub his euigilat frater noster, moxque reipsa fecit, quod in visione se fecisse viderat, & quasi iam securus de salute eius, precibus suis quantùm potest, animam eius Domino commendat, & Eucharistia communit. Collige hinc frater, eum, qui se monachum S. Benedicti profitetur, etiam animo & opere atque habitu S. Benedictum imitari debere. Non enim sufficit monacho sola mentis puritas, si cætera signa desint, quibus ille carere non debet. Nemini igitur absurdum videatur, quòd diximus ægrotum illum fratrem nec veniam promereri, nec sursùm scandere potuisse, donèc illius mutatus esset habitus.

Monachi Turonenses vt prolapsi sint.

Visio cuiusdam terribilis.

Delectari parētum & amicorum frequentia, & gaudere rebus proprijs, in monacho damnabile est.

Visio duorū fratrum.

Non agnoscit S. Benedictus monachū, non ferentē habitum monasticum.

Exod.18. Nouimus in lege certas Pontifici & sacerdotibus attributas vestes, sine quibus in sanctuarium ingredi non auderent.

Cap.2. Hæc cùm mihi pater Odo dixisset, rursùs adiecit: Vis'ne etiam alijs documentis ostendam tibi, quàm parua res plerunquè non mediocriter dehonestet atque corrumpat? Cui cùm ego respondissem, id quidem mihi esse optatissimum, ille sic cœpit texere sermonem: Per hos dies duo fratres admodùm repentina extincti morte sunt, non tamen eodem vel loco, vel tempore. Alter eorum venit ad domum sororis suę, aitque se mirum in modũ esurire. Ilico respondet soror, magnam sibi piscium copiam suppetere: comederet quos & quandò vellet. Ille propè indignabundus, ait se fastidire pisces, quibus tot annis perpetuò vsus esset, nec iam illis vesci se posse. Tum soror: En, ait, in promptu nobis carnes sunt: ede quantũ libet. Iussit ergò ille assari armum: sed interim tamen moræ impatiens, particulam eius misit in prunas, & vino allato, auidè illam in os coniecit. Mox adest vltio cælestis. Particula petulanter sumpta, hæret in gutture, nec glutiri potest, nec reijci, strangulat hominem, & cogit infelicem expirare animam. Alter manè ad patris sui ædes veniens, rogat num quid habeant, quod possint ipsi edendum apponere. Illis dicentibus, nondùm esse edendi tempus, respondet iratus: Hem tota nocte equitaui, vt explerem quod iussus sum, & vos ieiunare me cogitis? Afferte, si quid habetis. Aiunt illi, se habere pisces. At miser acrioribus etiam iracundiæ stimulis percitus, & fastu tumidus, huc illuc circunfert oculos, videtque gallinarum gregem ad pedes suos. Mox non sine furia quadã arrepto baculo vnam ex eis, quæ ei arrideret, percussit, oreq; rabido, Hæc mihi, inquit, modò piscis erit. Qui tum illic aderãt, non sine rubore aiunt ad eum: Fortassis licet tibi, pater, vesci carnibus. At ille: Volatilia, inquit, non sunt caro. Vnam enim habent cum piscibus originem, parisq; cum illis conditionis sunt, sicut habet quidam hymnus noster. Ad hæc eius verba conticuerunt omnes. Deindè apposita est illi assa gallina, ex qua cùm morsellũ accepisset, eum nec traijcere in stomachum, nec expuere potuit, repentè è medio sublatus. Nè autem hæc tibi incredibilia videantur, memineris olìm Esau pro lenticulæ edulio perdidisse primogenita, & populũ Israeliticum manna fastidientem, (sicut & isti fratres pisces respuerunt) carnesque concupiscentem, diuinitùs castigatum esse. Nec tamen nos dicimus in cibo inesse vitium, sed in illis, qui cibo malè vtantur. Itaque & Apostolus prohibet, nè carnis curam in desiderijs faciamus. In Daniele videmus, & illum & tres pueros legumina regijs epulis prætulisse: & ij pueri in caminum missi, flammas non senserunt. Nemo verò opponat nobis Eliam carnes comedentem. Quòd si quis id facit, cogitet famem eius temporis, simulq; aduertat à coruis illas carnes allatas prophetæ, qui non rarò dæmonum typum gerunt. Tale itaque edulium tales habuit ministros, qui illud & vesperì & manè afferrent. Cùm autem pane solo & aqua victitauit, Angelum administrum idem propheta habuit, tantumque indè accepit virium, vt quadraginta dierum posset inediam tolerare. Multis autem profuit fratrum illorum, quos memorauimus, interitus, multorumque ea occasione correcti sunt mores. Nec cessat Deus multis miraculis castigare instituti nostri monachos, vt ipso authore, in bono perseuérent.

Horrenda mors duorũ monachorum, carnes edere volẽtium.

Gen.25. *Num.11.* *Rom.13.* *Dan.1.* *Dan.3.* *3.Reg.17.* *3.Reg.19.* *O nequam monachũ.*

Cap.3. Solent referre fratres, qui ante me beato Odoni adstitêre, fratrem quendam eius monasterij venæ sectione eo tempore, quo id licitum erat, suæ sanitati consulere consueuisse. Id verò ægrè tulisse beatum Odonem, quòd etsì necessitate adactus id faceret, non tamen absque superioris permissu id fieri oporteret. Itaque mox ruptam esse venam, vndè sanguis fluxerat, nec priùs fluxum illum sisti potuisse vlla arte vel ratione, quàm animam exhalaret. Aiebant etiam fratres illi, siue prospera, siue aduersa ille cuiquam denunciâsset, ea non potuisse non euenire: quod vtinàm ex nostris quidam in seipso expertus non esset. Felices planè illos, qui eius præsentia frui meruerũt, quoàd superuixit. Me verò infelicem, qui non integros duos annos in eius fui ministerio. Cùm autem appropinquaret tempus, quo ex diuina ordinatione ab illo separandus eram, & eius absentia, quæ tum futura erat, maiori me illius amore & desiderio inflammaret, ille me aliquandò tristem conspicatus, suo more blanditer consolari cœpit. Vt vidit autem mœstissimo animo meo nec sic satisfactum, futura mihi prædixit, a præteritis hunc in modum exordium sumens: Charissime fili, ausculta quæ iam dicturus sum tibi. Gratias ago Deo, quòd ille omnia peccata, quæ ab ineunte ætate commisi, iam vltus est, exceptis illis, quæ in Abbatem meum admisi. Semper enim expectaui diem illum, rogans Dominum, nè eorum vltionem in futurum seruaret. Et

Ad euitandum omne periculum, ea quæ agimus superiori sunt indicanda.

nunc persuadeo mihi me ab illo exauditum, quandoquidem quæ in eum peccaui, ea iam antè recepi. Tibi autem scias non simplicia, sed decupla redditum iri. Sed esto vir fortis & patiens, vt ea possis comiter & moderatè tolerare. Hæc lachrymans dixit: mox deosculans caput meum, Domino me cõmendauit. Et tu Domine Deus omnipotens Cæsario presbytero, mihi plusquàm centuplicia reddenti, propitius parce & ignosce, & si qua ferenda supersunt propter peccata mea, ea clementer auerte. Futura prædicit sanct° Odo.

Erant in monasterio nostro duo fratres, quos hîc nominare non libet, qui cùm grauissimo essent affecti morbo, crebrò beatum virum rogitabant, vt medici opera ipsos vti pateretur, planè persuasi, se curatum iri. Tum ille non ferens importunitatem illorum, assensit vt medicum adhiberent: priùs tamen hunc in modum eos alloquens: Vidi quandoquè fratrem eiusmodi vulnere affectum, quo vos nunc cruciamini: sed priùs ille excessit è vita, quàm curari posset. Verùm fratres isti nihil sibi metuentes, medicum accersunt: sed post benè multos cruciatus vulnus curatum non est. Noui alium fratrem, qui tempore conuersionis suæ, vt superioris vitæ errata lachrymis expiaret, alia studia & exercitia postponens, noctè ac die orationi, compunctioni & lachrymis vacabat. Sciscitanti patri peritissimo, cur cum alijs ad docendum vel discendum præstò non esset, rem, vt erat, exposuit, simul orans, vt eius bona venia liceret sibi sic pergere, vt cœpisset: non ignorans ex Regulæ institutione, quod sine patris spiritualis permissione monachus agit, id præsumptioni deputandum & vanæ gloriæ, non mercedi. Ait autem ei pater noster: Præstat aliquandiù hoc te spiritu destitui, quàm animum tuum inanis gloriæ stimulis sauciari. Confestìm ablata est fratri illa compunctionis gratia, & vix post menses sex, orans patrem nostrum, eam potuit recuperare. Habebant beati viri verba singulare quoddam grauitatis pondus, nec frustrà promebat sermonem vir spiritusancto plenus. Cap. 4. Non placet Deo, quod fit contra obedientiã. Regulæ Cap. 49.

Ante dies aliquot fratribus nostris & alijs, qui tum nobiscum erant, Iohãnes Nolanæ vrbis Episcopus retulit, se ante hoc trienniũ bìs adijsse Romam, nec suî confirmationem impetrare potuisse, aduersarijs eius id impedientibus. Intereà patrem Odonem orandi causa petijsse Garganum: visoque ipso, rogâsse, quid ità mœstus esset. Se verò indicâsse ei mœroris causam, & quòd propemodùm omni spe ablata, puderet ipsum tertiò Romam proficisci. Tum verò illum dixisse, vt iret securus Romam, nec dubitaret, se voto potiturum suo. Percepta itaque eius benedictione, se Romam venisse, & intra dies quindecim obtinuisse, quod volebat. Cap. 5. Prædicit electo Nolanæ ciuitatis Episcopo suam à Papa confirmationẽ.

Per idem tempus, cogente monasterij nostri necessitate, missus sum Neapolim. Comparatis illic rebus necessarijs, nauigio Romam profectus sum. Cumque ad Portuensem vrbem appulissemus, viri nobiles, qui pridiè eius diei Roma venerant, me exceperunt. Percontante me ex illis de patre nostro Odone, illi, tanquàm de nouo sibi amico gratulantes, inter alia me absente hæc eum gessisse commemorabant. Mense Augusto, aiebant, huius anni, ipsis ferijs assumptæ in cælos beatissimæ Virginis Mariæ, fuit vir beatus in monasterio Auentino. Rogatus autem ab Abbate Balduino, vt ob amorem sanctissimæ matris Dei illo die Missam celebraret, & suis manibus corpus & sanguinem Domini ipsis porrigeret, dixit se hoc facere non posse. At tamen illis non cessantibus id vrgere, tandèm assentit inuitus: intrat in ecclesiam, sed cùm paulispèr oratum esset, rursùs egreditur. Volentibus illis retinere eum, Obsecro, inquit, abire me patiamini. Duo enim fratres mei extremas ducunt horas, ad quos mihi properandum est, nè me absente exeant è corpore. moxque subiungit: En ad portam monasterij adest, qui me ire compellat. Necdùm hæc locutus erat, & adest, quem dixerat. Cùm autem ad S. Paulum venisset, pro fratre Benedicto Missam celebrauit, eique Eucharistiam viaticum præbuit: atque ille Domino spiritum reddidit. Alter frater Gisbertus fuit, meus consobrinus, qui octauo die Benedictum secutus est. Sed iam ad maiora veniamus. Cap. 6. Duorũ fratrum periculũ absens diuinitùs cognoscit.

Meminisse vos velim fratres, quid superiori anno peregrinus ille, qui se de patris nostri familia esse dicebat, pergebatque ire Hierosolymam, vobis audientibus de eodem patre bìs terque narrauerit. Aiebat ille, nepotem beati Odonis, necdùm salutaribus vndis expiatum, vnà cum nutrice eius à Nortmannis tum, cùm Turonensium vastarent fines, captum fuisse. Cumque id peruenisset ad aures beati patris, qui tum apud Turone erat, mox eum iuisse deprecatum Dominum, nec priùs cessâsse, quàm cognouisset puerum liberatum. Non est autem putandum, plùs ei doluisse captiuitatem nepotis, quàm cæterorum: sed ità potiùs existimandum, grauissimè eum crucia- Cap. 7. Efficacia precũ eius.

tum fuisse, quòd vereretur, nè puer sine baptismi gratia aliquo casu moreretur. Sed hîc prætermittenda non sunt ea, quæ pueri nutrix dixit: nempe locũ illum, ad quem captiui abducti fuerant, vltra fluuium quendam fuisse, quem quidem ob eius profunditatem nemo nisi vel nauigio, vel natatu transmittere posset. Cùm autem ipsa in eodem periculo versaretur, diuino instinctu permotã se fuisse, vt arrepto puero abiret, idque se fecisse, tantaque securitate per medios transisse hostium cuneos, vt non modò nemo eam retineret, sed nec interrogaret quisquam, quorsùm abire vellet. Deindè per profundũ illud flumen siccis transisse vestigijs, & tam longinquum iter tribus confecisse diebus, nullamque interìm neque famem, neque sitim sensisse, donèc Turones venisset. Cuius autem meritis id factum sit, satìs indè potest aduerti, quòd beatus Odo mox vt accepit puerum, eum baptizandum curauit: ac deindè sublatis in cælum oculis, rogauit Dominum, vt illius animam ad se euocaret: quod quidem triduò pòst factum est. Eius verò pueri pater monachus effectus est. Quæ iam dicturus sum, ea ipse beatus Odo narrauit, non tamen seipsum nominans, sed significare volens, è quibus periculis Dominus eum liberâsset.

Baptizato puero precib⁹ suis obtinet è vita excessum.

Cap. 8.

Cùm aliquandò Rhodanum fluuium traijceret cum optimatibus regionis illius, quidam equus rabie incitatus, alium calcibus cædere voluit, sed ictum tabula nauis excepit: accepit autem foramen nauis, per quod tanta aquæ copia se intulit in illam, vt ad summum vsque completa videretur: nec tamen priùs mersa est, quàm ad vlteriorem ripam ventum esset. Tum verò pater Odo in naui permansit, donèc omnes in terram egressi essent. Ad extremum etiam ipse exijt è naui, & illa aquarum pondere pressa est. Qua ex re, cuius meriti ille fuerit, perspicuè licet animaduerti, quippè qui suis id precibus obtinuerit, quod olìm Petrus & Paulus, itemque Benedictus. Eodem tempore Romam ille venit orationis gratia: sed non multò pòst, dum in patriam reuertitur, in Alpibus nimia densitate niuium, quæ illo loco nunquàm desunt, iter eius retardatum est. Porrò apud locum illum degit quoddam hominum genus, quos * Marrones vocant. Ij accepta mercede, duces se illi itineris præbuerunt, sicut & alijs solent. neque enim hyberno tempore quisquam aliter Alpes illas transcendere potest. Sed priusquàm sol occumberet, dies in noctem versus est nimia niuis copia. Illis autem proficiscentibus, vt tetrum & periculosum locum excederent, equus quo sedebat beatus Odo, repentè cum illo ferebatur in horrendum præcipitium. Sub ipso casu ambas manus vir sanctus ad cælum sustulit, moxque brachijs suis sentit se complexum arboris ramum, à quo tantispèr pependit, donèc comites, qui præcesserant, eius clamoribus reuocati, eum ad se retraherent. Statìm autem ramus ille disparuit. neque enim ibì arbor vlla reperitur. Equus verò ab omnium oculis ablatus est.

Matt. 14. Act. 27.

Stupẽdum inprimis miraculũ.

Cap. 9.

Cùm autẽ pacis inter Reges & principes componẽdæ, & monasteriorum reformandorum incredibili arderet studio & amore, atq; ea causa huc illucq; discurreret, crebroq; esset in itinere, non raro latrones ei insidias comparârunt. Accidit quãdoquè, vt quadraginta in eum irruerent: sed vt vidit eum fratresque comites eius Hagmon, qui erat alijs insignior, aduertitq; illos sine intermissione psalmos depromere, corde compunctus, ait ad socios: Nũquàm ego me memini tales vidisse viros, nec puto alibì visos esse. Missos itaque illos faciamus. Neque verò sine periculo nostro nocere eis poterimus, quandoquidem habent apud se strenuum militem. Illis contrà asserentibus, se militem illum lanceis confodere, cæteros spoliatos dimittere velle: ille respondit: Priùs ergò in me vertatis arma vestra. Nam quoàd ego superstes ero, nihil istis facietis mali. Atque ità relictis illis, abierunt. Ille autem latro, qui eos defendit, secutus patrẽ Odonem, egit pœnitẽtiam, & deincèps à latrocinijs abstinuit. quod quidem nos non frustrà euenisse putamus. Tanta enim gratia spiritus ille, cui inhærebat, eum impleuerat, vt iucunditate sua non solùm lætis, sed etiam mœrentibus animi hilaritatem afferret, sempiternæque exultationis participes eos efficeret. Lingua eius, vt habet scriptura, lignum vitæ erat, & lingua placabilis, ac dulcedo mellis. Fauus distillans labia eius, & lex prudentiæ in sermonibus illius. Aliquandò iter eo agente per latronum fines, quidam ex eis ætate iuuenis, simulatquè vultum eius amabilem & serenum intuitus est, corde compunctus, ad eius pedes corruit, demissa voce obsecrans, vt ipsius misereretur. Cùm autem rogaret vir beatus, quid vellet, in monasterium se recipi petijt. Rursùs interrogante beato Odone, num quis in illa parœcia ipsius notitiam haberet, ille respõdet cunctis se nobilibus & nequam hominibus

Latrones non audent eũ lædere.

Prou. 15. Cant. 4.

Latro insignis, eo cõspecto, rot⁹ mutatur.

notum

notum esse. Tum Odo ad illum: Abi, inquit, iam, & cràs reuertere ad me cum vno ex primarijs huius loci viris. Fecit ille, vt iussus erat, & postridiè virum nobilem secum adducẽs, venit ad virum Dei. Ille mox sciscitatur ex nobili, quæ iuuenis vita & mores essent. Respondet nobilis, latronem esse inprimìs insignem. Hortatur igitur vir prudens iuuenem, vt priùs corrigat mores suos, ac deindè monachus fiat. At ille: Si tu pater, inquit, hodiè me abijcis, ego rectà eo in perditionem: porrò animam meam Deus à te requiret. Tum verò misericordia motus vir pius, iubet eum præcedere ad monasteriũ. Ibi posteà aliquandiù probatus, vt fit in monasterijs, tandèm monachus effectus est, & cellario obedire iussus. Cumque idiota esset, & obedientiæ labor, & studium literarum ei iniũctum est. In vtroque verò tam ille se strenuum & impigrum exhibuit, vt altera manu seruiret cellario fratri, altera ferret Psalterum. Sed non multò pòst Dominus eum ad se euocauit. Vbi autem ad extrema ventum est, beatum Odonem orauit, vt ipsum inuiseret, volens illi soli loqui. Venit ad eum vir sanctus, perquirit, num sibi alicuius, postquàm monachus factus est, peccati conscius sit. Respondet ille: Tunicam meam nudo cuidam, te ignorante, mea culpa dedi, & funem è pilis contextum abstuli è cellario. Interrogante Odone, quid illo fecisset: Strinxi, inquit, illo ventrem meum, vt eius coërcerem ingluuiem, cui anteà assueueram. Obstupefactus ea re pius pater, voluit soluere tam durum ligamen, sed secuta cum sanie cutis est, cui iam inhęrebat. Indè addidit frater ille: Hac nocte, pater, in cælum raptus sum in visione. Venit autẽ mihi obuiàm illustrissima & summæ authoritatis fœmina: & cùm mihi propinqua esset, Cognoscis me? inquit. Me id pernegante, Ego sum, ait, misericordiæ mater. Et ego: Quid me, inquam, iubes facere, ô Domina? Tu verò, ait illa, post triduum venies huc, certam horam ei indicans. Venit illa dies & hora, & monachus vita functus est, vt ex hoc ipso satis constet, veram eius fuisse visionem. Deincèps autem beatus Odo beatissimam Virginem solitus est matrem misericordiæ appellare.

Ingreditur monasteriũ.

Ecce tibi ex latrõe egregiũ monachum.

Maria Virgo mater misericordię ab Odone appellatur.

Ante hoc triennium nobis Romę apud S. Paulum agentibus, Abbas Balduinus rogauit eum, vt Vitam beatissimi Martini Episcopi, quam Sulpitius in Galli & Posthumiani Dialogo scribit, quibusdam scholijs illustraret. Paruit ilicò vir sanctus, & accito fratre Othecario, operi manum admouit. Interìm dum sunt in opere, pulsatur campana hora vespertina. Mox illi, vt habet Regula, relictis illis, quæ in manibus habebãt, ad ecclesiam properant, relicto codice aperto in loco illo, vbi consederant: Erat autem tum hyems. Eàdem nocte tanta vis imbrium è cælo ruit, vt omnes monasterij officinæ implerentur. Porrò locus ille, in quo codex ab eis relictus erat, ità situs est, vt aqua, quæ ex aliquòt vicinis tectis labitur, instàr torrentis in eum décidat. Mansit itaque apertus codex, fluxerunt aquæ illa nocte copiosissimæ, & quanuìs codicis abluerent margines, scripturam ipsam attingere ausæ non fuêre. Manè coram omnibus exhibitus est liber, stupebant fratres nihil esse læsum à pluuia, sed vir sanctus mira prudentia vsus: Quid admiramini, inquit, fratres? Non dubitetis, aquam non fuisse ausam attingere sancti Martini vitam. Dicebat autem id ore iucundo. Quidam tum frater, vt erat promptulus ad loquendum, arrepto codice, Intuemini, inquit, & videte, quàm vetustus est hic liber & à tineis exesus, & vsqueadeò nunc humefactus, vt planè squalidus videatur. Et eccè pater noster dicit, eum dudùm lotum, nunc aquam attingere formidâsse. Tum verò verecundus pater: Tace, inquit, nec sic loqui pergas. Non est enim facilè Martini similis, cuius laus apud gentes omnes celebretur. Ità vir sanctus, quæ eius causa fecerat Dominus, in sancti Martini laudem retulit.

Cap. 10.

Regulæ cap. 5.

Præclarum sanè miraculum.

Per idem tempus Albericus princeps contulit nobis monasterium S. Eliæ, cuius beatus Gregorius in Dialogo meminit. Cùm sit autem durum, vt idem beatus Gregorius ait, in mẽte veteri noua meditari, monachos, quos illic inuénimus, ab esu carnium retrahere non potuimus. Constituit autem ibidèm pater noster Præpositum, vnum è fratribus nostris, Theodoardum nomine. Is vt vidit, se virtute & sanctitate ab illo vitio eos reuocare non posse, cœpit in finitimis regionibus pisces emere, vt vel sic eorum satisfaceret voluntati. Iam enim penitùs defecerant equi, quos ei pater Odo reliquerat, huc illucque discurrentes. Eam verò illorum improbitatem, suumque laborem Præpositus patri nostro identidèm significauit. Illo igitur Dominũ deprecante, vallis, cui monasterium præminet, non ità procùl coniunctis inter se collibus ità conclusa est, vt exiguo torrenti per eam mananti, aditus præcluderetur. Indè igitur paulatìm magna aquarum collecta vis lacum effecit, nec deincèps opùs fuit

Cap. 11.

Non vulgare miraculũ

Præposito pisces emere, lacu illo eos suppeditante. Cui verò id tribuendum esset, quidam imperiti homines minimè aduerterunt, quòd eas preces, quas ea causa beatus Odo ad Dominum fuderat, auribus suis non percepissent, non attendentes illud
Psal.9. Psalmographi: Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis
Psal.144. eorum audiuit auris tua: itemque illud: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.

Cap.12. Nam huius simile quiddam pridèm fecerat, cùm in Gallijs esset in monasterio sancti Benedicti: quod eò nos certiùs referimus, quòd ex ipso id didicerimus. Sed priùs bona fide dicendum est, quemadmodùm monasterium illud ipse acceperit. Post eam persecutionem, quæ facta est in Gallijs sub Nortmundo sæuissimo Nortmannorum Rege, fratres eius monasterij, ob hostium metum huc illucq; dispersi, in illud reuersi sunt: sed, quod sine dolore animi dicere non possumus, locum illum sanctissimum iunctis quidem corporibus, sed disiectis animis, occupabant. Cùm autē quandoquè in monasterio residerent, & inter se corrixarentur, quidam ab eis confecto negocio, quod ei ex obedientia exequendum erat, domum reuertens, ante fores monasterij obuium habuit sanctum Benedictum, qui sic ei dixit: Denuncies fratribus, quandoquidem me non sinūt quiescere, me iam hinc recedere, nec huc reuersurum esse, donèc ex Aquitania quendam adducam virum, qui sit secundùm cor meum. Fratre autem volente interrogare, quis esset, Ego sum, inquit ille, Benedictus. Itaque frater ille properè hæc indicauit fratribus: sed miseri illi, tanto orbati patre, non se dederunt lamentis & precibus, quibus non rarò minæ præpotētis Dei auerti solent: sed ascensis equis, passìm eum inquirere cœperunt, vt inuentum vel vi, vel precibus reuocarent. Sed cùm illum non inuenirent, fratrem, qui hæc dixerat, perpetuò ludibrio habuêre. Per id tempus Helisiardus Comes illustris, qui nunc monachus est, audiens infamem illorum monachorum vitam, Abbatiam illam à Rodulpho Francorum Rege petijt & impetrauit, patrique nostro Odoni tradidit. Deindè adiunctis sibi duobus Comitibus, & Episcopis, cum eodem patre Odone ad illud monasterium venit. Sed vbi id monachi illi perceperunt, correptis armis, alij in ædificiorum tecta se recipiunt, tanquàm hostes suos lapidibus & telis eos depulsuri: alij muniti clypeis & accincti gladijs, monasterij aditum obseruant, aiuntque se potiùs mortē oppetituros, quàm aut eos patiātur ingredi, aut alterius instituti Abbatē admittant. Interìm ad se redeunt, En videmus, inquiunt, quid nobis minatus sit pater Benedictus. Eheu cur non credidimus fratri nostro? Videmus iam fieri, quod ille fore prædixit. An'non hic est Odo ille Aquitanus, quem sæpè suspicati sumus eum esse, quē beatus Benedictus dixerat? Eheu cur non vltrò illum nos inuitauimus? Hæc cùm dicerent, nihilominùs pergebāt inuenire viam, qua illos repellerent. Erat inter eos frater quidam, Vulfaldus nomine, annis iuuenis, sed bona indole. Per eum crebrò inter vtrosq; discurrentem, quædam Romana priuilegia & edicta regalia patri Odoni miserunt, quibus cautum erat, nè quis alterius congregationis vllo vnquàm tempore Prioris officio illic fungeretur. Ei autem dixit beatus Odo, se pacificum venire, neminem lædere, nulli nocere velle, sed tantùm ad Regulæ præscriptum corrigere constituisse, si qua emendatione habeant opùs. Et his quidem & consimilibus verbis beatus vir eorum animos per internuncios assiduè permulcebat: sed cùm viderent illi nihil se suis conatibus efficere, ad alia se vertunt: modò ad Regem prouocant, modò Odoni necem minātur. Atque hunc in modum tridui tempus exactum est.

S. Benedict' appàret cuidam. — *Floriacēses monachi nolunt S. Odonē sibi præfici.*

Cap.13. Tandèm vir sanctus, nobis inscientibus, assenso asello suo properè contendit ad illud monasterium. Episcopi verò & Comites cum suis eum insecuti, clamitant post eum: Quò abis, pater? Vis'ne in mortē ruere? Cernis'ne paratos illos esse ad necem tibi afferendā? Quo puncto temporis ad eos perueneris, eoipso morieris. Itáne de tuo interitu illis gaudium, nobis luctum exitialem allaturus es? Quicquid autem illi vociferarentur, ille retineri non potuit. Sed sicut scriptum est, Iustus quasi leo confidens,
Prou.28. atque terrore erit: pergebat constanti animo. Mira profectò dicturus sum. Vbi propiùs ad illos accessit, & agnitus ab illis est, qui eum anteà nouerant, adeò repentè mutati sunt, vt non immeritò de illis dici posset: Hæc mutatio dexteræ excelsi. Videre
Psal.76. tum licebat eos proiectis armis, ocyùs ei occurrere obuiàm, atque eius vestigia complecti. Quæ res nobis omnibus incredibilem lætitiam attulit. Et nè sim longior, Monachi illi Odonem sibi patrem accipiunt, cæteri domum proficiscuntur. Posteà verò cœpit eos hortari vir sanctus, vt à carnibus abstinerent, studerent parsimoniæ, nihil

Repērè mutati, eum libentes recipiunt.

ceu

ceu proprium possiderent: si quid apud se clàm haberent, id instàr Apostolorum & credentium, coram omnibus à se reijcerent. Sed quia illi res monasterij non in commune possederant, sed pro suo arbitratu inter se partiti erant, sibiq; eas priuatìm vendicârant, vt viderunt id sibi deinceps minimè permissum iri, maluêrunt amicis & fautoribus, immò hostibus & profligatoribus, hactenùs iniustè possessa præter ius fasque elargiri, quàm ad Canonis monastici præscriptionem ijs renunciare. Quibus autem renunciârunt, ea cum illis, quæ Abbas Odo attulerat, in victum insumere nitebantur, vt absumptis omnibus, vel inuitus eis carnium vsum permittere cogeretur. Itaque perpetuò expetebant pisces. Porrò pius ille vir libenter eis suppeditabat omnia, vt ab illo vno eos cohiberet. Atque ità factum est, vt ille largiendo, atq; illi comedendo penè omnia consumerent. Instabat interìm pater noster, fide intrepidus, spe securus, charitate inuictus, nihil hæsitans, secundùm illam Domini pollicitationem, quòd primùm quærentibus regnum Dei omnia adijcerentur, se haudquaquàm derelictū iri. Intereà dum hæc fiunt, beatus Benedictus cuidam fratri in visione appâret, inter alia iubet eum dicere patri Odoni, vt ob pecuniæ defectum nihil trepidet, nec pro obtinendis rebus necessarijs anxius sit: se crastino die missurū ei solidos centum, & altera hebdomada tantam diuersarum rerum copiam, vt in multum tempus fratrum vsibus sufficere queant. quod quidem ità factum est. Permulti verò ex circunuicinis regionibus ad beatissimum patrem Odonem cōfluentes, eius magisterio freti, suauis obedientiæ iter complecti cœperunt, vt posteà cælum scandere mererentur. Intantùm enim fama sanctitatis eius increuit, vt non modò laici & canonici ad eum se adiungerent, sed etiam Episcopi, relictis sedibus suis, eius monasterium peterent, vitamq; monasticam consectarentur. Cernere tum licuit, locum illum tanquàm euulsis sentibus, nouas proferre fruges, & velut ex areæ tritura, crebris verborum flagellis pulsatos, excussis vitiorum paleis, purum in horrea Domini frumentum inferre.

Act. 2. & 4. *Matt. 6.* *Obserua quàm sint sanctis cognitæ res nostræ, quātùque possint præstare hominibus.*

Cùm aliquandò vir sanctus in alio hæreret monasterio, die festo beati Benedicti appropinquante, ad hoc voluit reuerti cœnobium, vt apud illius sacrum corpus nocturnas vigilias religiosè ac piè celebraret. Nocte verò illa, quæ eius solennem præcessit diem, ante lucis ortum matutinæ laudes cantabantur. Quidam autem è fratribus, noctis vigilijs fatigatus, nonnihil quiescere voluit. Apparuitq; ei beatus Benedictus, & cùm se ei indicâsset, Abi, inquit, dic fratribus, me hac nocte cum eis esse non potuisse: reuerà autem hodiè me illis adfuturum. Ait autē frater: Et vbì hodiè fuisti domine? In Britannia, inquit ille. Et frater: Quidnam, ait, illic fecisti? Respondit beatus Benedictus: Frater Litfredus, animi superbia elatus, hoc relicto monasterio, traiecit in Britanniam: vbì hac nocte mortuus, dæmonibus prædæ fuit. Sed me cum illis confligente, coacti sunt illum relinquere. Id verò fratre summoperè admirante, beatus Benedictus adiūxit: Si hæc res vsqueadeò tibi admirationi est, nóueris pro certo, ab eo tempore, quo hoc conditū est monasterium, quotquot hîc fratres è vita decesserunt, eos omnes requie sempiterna perfrui. Tum porrò frater ad eum: Quandoquidem, inquit, mî domine hodiè nobiscum te fore dixisti, fac nos (quæso) certiores, qua hora venturus sis, vt tibi honorificè occurramus. Respondit ille: Ego verò tale fratribus signum exhibeo, vt me præsentem adesse nemo possit ambigere. Rursùs dicente fratre, Ecquonam apparatu talem excipiemus patrem, aut quænam officia, quem've cultum tribuemus tibi? sanctus pater respondit: Si lautiores epulæ solicitos vos habent, piscium vobis copia suppetit. At fratre illud negante: Dicatur, inquit ille, piscatoribus, nè ad Ligerim piscatum eant, sed ad monasterij paludem. His dictis, expergiscitur frater, & cùm loquendi adesset tempus, omnia quæ audiêrat, fratribus indicauit. Certi ergò de tanti patris aduentu, admonente illos beato Odone, studebant singuli de suo pectore spiritalia ei munera offerre. Atque ità factum est, vt diem illum hymnis & orationibus exigerēt. Porrò famuli, qui piscatum iêrant, non ad paludem, vt iussi erant, sed ad Ligerim abiêre: quorū temeritas id habuit præmij, vt ad tertiam ferè horam multo labore nihil possent capere. Reuersi igitur ad monasterium, sciscitantibus alijs, cur vacui redirent, prę pudore non fuêre ausi suā fateri inobedientiam: sed quod ore illi promere nolebant, facies rubore suffusæ facilè prodebant. Itaque œconomus, Nóui, inquit, temeritatem vestram: sed vel nūc ad paludem abite ocyùs. Eunt quamprimùm, tantamq; piscium vim repentè compræhendunt, vt penè nullus ambigeret, eum, qui coturnices olìm in deserto populo Israëlitico suppeditauit, etiam in paludem illam pisces immisisse. Tanta enim illic piscium copia est, vt nūquàm desint,

Cap. 14. *Idē rursùs etiam hic obserua.* *S. Benedict' quendā fratrem è faucibus dæmonis eripit.* *Nota vt colēdi sint festi dies.* *Exod. 16. Num. 11.*

Res admiranda sané. desint, qui capiantur. Atque ità factum est, vt palus, quæ priùs ranas edere solebat, deincèps piscibus abundaret. Hoc verò miraculum beatus Odo in libro illo, quem de translatione sancti Benedicti scripsit, luculenter commemorat.

Cap.15. Ad hanc autem beatissimi Benedicti solennitatem ex locis propinquis multi conuenêre, & in ijs complures cæci, claudi, paralytici, varijsque afflicti morbis, expectantes cælestem visitationem & aduentum beati Benedicti. Iussit verò sanctus pater noster Odo, vt ante Missam nulli ex eis cibus præberetur. Postquàm sacrificij tempus aduénit, omnes in templum ingressi sunt. Tanta est enim illius amplitudo, vt nullus cogeretur manere forìs. Cùm autem caneretur hymnus Angelicus, Gloria in excelsis Deo, magno quodam fragore templi fores subitò concussæ sunt, & mox reseratæ; ità vt omnes ingenti horrore correpti, retrò respectarent. Sub illo autem fragore morbidi omnes, qui illic erant, curati sunt, & lampades ecclesiæ omnes accensæ sunt. Tum verò perspicuè cognouerunt omnes beatum Benedictum, sicuti ipse dixerat, eò aduenisse. Tanta autem omnium animi pietate & deuotione perfusi sunt, vt præ immenso gaudio non possent erumpentes cohibere lachrymas. Nomina fratrum illorum, quibus hæc reuelata fuêre, mihi pater Odo indicare noluit: quo fit, vt dubium sit, num ipse, vel alius eas viderit visiones.

Nota lector quæ sit Sanctorum potestas.

Cap.16. Postquàm autem aduentauit tempus illud, quo erat ad æternam perducendus requiem, & pro rectè factis suis mercedem recepturus, Romæ manentem acuta eaque perpetua corripit febris, membra dolore franguntur, frigidus ignis ipsas cum carnibus medullas absumit, diuersaque perpessionum genera in vno eodemque homine adeò tumultuantur, vt magno essent argumento, eum iam iamq; à Domino accitum iri. Et ille vir sanctus sic se affectum sentiens, toto pectore nihil cupit aliud, quàm dissolui, & esse cum Christo, Apostolum imitans. Percurrerat iam sanctorum laborum certamen, & totius virtutis cursum egregium compleuerat, vt non immeritò confideret diuinæ benignitatis gratia in cælis repositã sibi esse iustitiæ coronam. Sed cùm interim de sua vocatione hæreret, cupidus admodùm fuit Martini sui, orationis gratia, priùs inuisendi, & ei extremũ spiritum cum corporis fauilla cõmendandi. Ab ipsis enim incunabulis eximium quendam erga illum amorẽ conceperat. Nec defuit pijs votis beati viri diuina clementia. Sequenti nocte vidit virum quendam præstanti forma, auditque in visione eum talia sibi dicentem: Iam quidem, ô sancta & Deo dilecta anima, instat tẽpus vocationis & dissolutionis tuæ: sed Martinus retinet te precibus suis, vtque possis redire in patriam, vires subministrat. Cùm autẽ eò perueneris, mox tibi vita pro morte, & beata electorum societas pro laboribus tuis à Christo donabitur. Visionem illam non dubiam efficiunt signa mox sequentia. Aegritudo corporis fit remissior, salus accelerata redit. Dat igitur se itineri quanuìs molesto, corpusque ætate graue & præmortuũ negligens, duros exantlat labores pro beatissimi Martini amore, tanto iam in spiritali obsequio deuotior, quanto de præmio securior.

Philip.1.

Visio S. Odonis

Cap.17. Tandèm post multas itineris difficultates venit Turones, imminente iam beati antistitis Martini celebritate. Gemina tunc vrbi illi importata lætitia est, tum ex annua beati Martini solennitate, tum ex diù optata Odonis patris præsentia, cunctis gratissima. In ea autem celebritate beatus Odo quàm pius & deuotus fuerit, quas preces beato Martino lachrymis permixtas obtulerit, quæ contriti cordis sacrificia tanquàm hostia viuens, in salutari illa ara immolârit, nos ob virium imbecillitatem pro dignitate explicare non valemus. De sua enim vocatione solicitus, animo erat ad Deum suspenso, & labentium rerum immemor, puro mentis intuitu sola cælestia contemplabatur. Atque cum in modum totam illam diem transigens, cùm videret se differri ab expectata è corpore emigratione, angi animo cœpit. Eccè autem quarto indè die febris redit. Tum verò ille tãquàm iam voti compos, de Dei misericordia fit securus. Et quanuìs corporis deficerent vires,

Venit Turones, feriasq; S. Martini colit deuotissimè

Sed mens læta Deum cernit, suspirat, anhelat.
Vltima vox resonat, Tu Christe parce redemptis.
Martinum ingeminat, Martinum suspicit, orat.

Porrò monachos vndiquè aduolantes, & acerbissimè suam desolationem deplorantes, sermonibus instruit, precibus Deo commendat, impertit benedictione, ijsque non sine lachrymis vltimum Vale dicit. Decimoquarto Calendas Decembris, in quem diem etiam incidit octauus Martinianæ celebritatis; cùm sacrosancta Eucharistia priùs sese communijsset, beatus ille spiritus, corruptibilis carnis vinculis abso-

Munit° Eucharistia, ad Christũ abit

absolutus, liber abit ad superos, & beatissimo Martino duce creditorum sibi talentorum fructum multiplicem fideliter repræsentat. Atque illic præmia amplissima recipiens, sanctorum cœtibus admixtus, beatæ immortalitatis splendet candore: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

F. LAVR. SVRIVS CANDIDO LECTORI.

IN hac beati Odonis Vita quædam reddidimus aliquanto breuiùs, nonnulla paraphrasticós: paucis locis obscurioribus lucem aliquam afferre conati sumus: sic tamen, vt nusquàm à veritate historiæ deflectere voluerimus. Vnicum exemplar habuimus manuscriptum, idque aliquot locis non admodùm benè scriptum.

DE SANCTO BARLAAM MARTYRE HOMILIA BEATI BASILII MAGNI, VT *extat 1. Tomo Operum eius.*



PRIMVM quidem Sanctorum mors planctu ac lachrymis cohonestabatur. Vehementer, mortuum Iacob, defleuit Ioseph: & Mosis mortem, Iudæi haud vulgariter planxerunt. Samuelem quoquè multis lachrymis ornârunt. Nunc verò, morientibus Sanctis, exultamus. Tristium nanque post Crucem Domini immutata est natura. Iam non ampliùs Sanctorum obitus lamentationibus prosequimur, sed tripudijs diuinis circum ipsorum sepulcra velutì choreas ducimus. Somnus autem iustis est mors, immò magìs migratio ad vitam meliorem. Hinc est, quòd martyres exultant, dum trucidantur. Nam desiderium felicioris vitæ, iugulationis dolorem extinguit, & emortuum reddit. Pericula non respicit martyr, coronas respicit: plagas non horret, sed præmia numerat. Non videt lictores infernè flagellantes, sed Angelos supernè lætis ominibus acclamantes imaginatur: non spectat ad temporaria pericula, sed ad præmiorum æternitatem. Splendidum & à nobis iam arrhabonem assequitur, dum diuinis acclamationibus ipsi applauditur ab omnibus, & innumeros vinctos è sepulcris conuertit & attrahit.

Nouēbr. 19. Gen. 50. Deut. 34. 1. Reg. 25. Iustis mors somnus est.

Hoc ipsum sanè hodiè forti ac strenuo Barlaam vsu venit. Insonuit enim bellica martyris tuba, & armatos pietatis milites, vt videtis, collegit. Athleta Christo adhærens prædicatus est, & statìm excitatum est ecclesiæ theatrum. Et quemadmodùm fidelium Dominus dixit, Qui credit in me, etiamsì mortuus fuerit, viuet: mortuus est fortis Barlaam, & applaudit illi panegyris. In sepulcro consumptus est, & ad conuiuium aduocat. Nunc tempus est, vt exclametis: Vbì est sapiens? vbi scriba? vbì disceptator seculi huius? Agrestis homo insuperabilem nobis hodiè pietatis exhibet doctrinam: quem Tyrannus rapuit quidem, velutì facilem prædam ac venationem nactus, posteà verò insuperabilem militem sensit: quem tanquàm insana ac delira loquentem risit, mox verò angelica virtute strenuum horruit. Mores enim hominis non fuerunt cum organo linguæ barbari, nec ratio cum syllabis claudicare visa est. Sed erat alter Paulus, cum Paulo dicens: Etiamsì sermone sum rudis, non tamen sciêntia. Torpebant iam flagellando lictores, martyr verò robustior inueniebatur. Lacerantium manus eneruabātur, verùm mens lacerati haudquaquàm flectebatur. Neruorum harmonias iam flagra remiserant, ac fidei vigor vehemētiùs stringebatur. Perfossa latera absumebantur, mentis verò philosophia florebat. Maior carnis ipsius portio emortua erat: at ipse martyr, quasì nondùm inito certamine, firmus erat. Nam quandò pietatis amor animum hominis præoccupat, quodcunque illi pugnarum genus ridiculum reddit: & quotquot illum desideratæ rei gratia conuellunt, delectant magìs, quàm consternant. Testis mihi est, affectus ille ac desiderium Apostolorum, vndè Iudæorum ipsis aliquandò flagella iucunda reddita sunt. Abibant enim, inquit, gaudentes à conspectu concilij, quòd digni habiti essent, qui pro nomine Iesu contumeliam paterentur.

Iohan. 11. 1. Cor. 1. 2. Cor 11. Flagellis cæditur S. Barlaam. Vis diuini amoris. Act. 5.

Talis

Mira martyris virtus. Talis & nobis hodiè laudatur miles, qui supplicia loco gaudij duxit. Flagellis se tanquàm rosis impeti arbitratus, pietatis obfuscationem non secùs atquè iacula quędam declinauit. Iudiciarium furorem quasi quandam fumi offusionem reputauit. Efferas satellitum acies risit, pericula calcauit, quasi super rosis tripudiaret. Plagis affectus, lætatus est, àc si honore afficeretur. In supplicijs vehementioribus non secùs exultauit, quàm si præclara brabia acciperet. Nudatos gladios despuit: manus lictorum cera molliores sensit. Lignum tormento deputatum, velutì salutiferum complexus salutauit. Carceris clausura quasi prato quodam viridi oblectatus est: tormentorum adinuentionibus velutì varijs flosculis iucundatus est. Dexteram habuit igne firmiorem, cuius illi machina postremò ab hostibus applicabatur. Aræ nanque pro more dæmoniaci libaminis, igne imposito, martyrem adductum sistentes, focoque incenso dexteram supinam impéndere iubentes, manu quasi æreo altari abutebantur, thure illi ardenti malitiosè imposito. Sperabant enim ignis vi expugnatam manum, necessariò ac velociter incensum thus in aram excussuram. Papæ, quàm multijuga sunt impiorum præstigia. Quoniam innumeris vulneribus, inquiunt contentiosi, pugilis mentem non fleximus, vel manum illius flamma incendamus. Quoniam varijs machinis animum illius haudquaquàm permouimus, dexteram igni admotam permoueamus. At ne hac quidem spe miseri potiti sunt. Nam flamma manum quidem ambedit, perdurauit verò illa, cineris instàr flammam ferens. Tergum sæuienti igni non dedit, quemadmodum fugitiui & imbelles solent, sed immota perstitit, strenuè contra flammam dimicans, & Propheticas martyri voces proferendas administrans, vt diceret, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Ignis cum manu confligebat, sed ignis vincebatur. Luctabantur inter se flamma ac dextera martyris, sed dexteræ noua quædam certaminum victoria concedebat, dum flamma quidem per mediam manum exigebatur, ipsa verò manus adhuc ad luctam porrecta erat.

Nota insidias satanę.

Dextera manus ei' igne aduritur.

Psal.143.

O manum igne contentiosiorem, ô manum ab igne flecti nesciam. Et ô ignem à manu vinci doctum. Ferrum videtur ignis tyrannide emolliri, æs cedit ignis potentię. Solet illo lapidum quoquè vinci durities. Nunc verò martyris dexteram extensam ignis ille comburens non flexit, cuius vigor omnia domat. Meritò sanè martyr iste ad Dominum huius gratia clamaret: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Quomodò te, ô strenue Christi miles, appellabo? statuam'ne vocabo? Sed multùm ità de tua tolerantia detriuero. Nam acceptam statuam ignis emollit, dexterã verò tuam adigere non potuit, vt vel videretur aliquousquè moueri. Si ferreũ nominauero, & istam imaginem dexteritate tua inferiorem inuenio. Nam tu solus flammæ persuasisti, nè manum domaret, tu solus dexteram loco aræ habuisti, tu solus ardenti dextera facies dæmonum percussisti: & nunc quidem flammante manu capita illorum liquefecisti: nunc verò eàdem incinerata, exercitus illorum pessundans excæcas.

Psal 72.

Inuicta martyris fortitudo.

Sed quid puerili balbutie victorem extenuo? Quin magnificentioribus laudum ipsius linguis cedamus. Sonantiores doctorum tubas ad illius pręconia aduocemus. Exurgite nunc, ô præclari athleticorum gestorum pictores. Mutilam Ducis imaginem vestro illustrate artificio, & obscuriùs à me depictum coronatum athletam, vestræ industriæ coloribus conspicuum reddite. Abibo certaminum ac victoriarum martyris à vobis posita imagine victus: gaudebo, tali hodiè per vestram dexteritatem victoria superatus. Video manûs huius luctam, cum igne exactiùs à vobis depictam: video alacriorem pugilem, per vestram depictum imaginem: plorent dæmones, & iam martyris in nobis perculsi victorijs: ardens iterùm illis ac victrix manus ostentetur: pingatur in tabula vnà & certaminum agonotheta Christus, cui sit gloria in seculorum secula, Amen.

VITA

VITA SANCTI PATROCLI ABBATIS, AVTHORE S. GREGORIO EPISCOPO *Turonensi, De vita Patrum, Cap. 9.*



VM egregia Moysi vatis prudentia diuinæ descensionis tabernaculum, iuxta ipsum oris Dominici præceptum fabricare disponeret, atque ad hoc, eiusdemque apparatum multa congerere iussus, non haberet cuncta in promptuario, quæ ab ipso Domino ostensa fuerant in montis ardui summitate, iussit commoneri populum, vt offerret vnusquisque pro viribus quiddam muneris Deo, & hoc non ex necessitate, sed sponte. Offerebãt ergò donaria auri, argentique, æris, ac ferri metalla, gemmarum etiam micantium pulchritudines, ac fila byssi duplicari, coccique bìs tincti: nonnulli pelles arietum rubricatas, pilosq; caprarum. Sed cùm hæc omnia doctores Ecclesiarum esse allegorica tradidissent, & in reliquis donarijs gratiarũ genera demonstrâssent, in illis caprarum pilis laudationum verba significari dixerunt. Ità nunc & nos steriles sensu, imperiti studio, squalentes in actu, etsi aurum, argentumque, vel gemmas, filaque duplicata, ac torta nõ offerimus, saltem vel pilos caprarum, id est, verba, quæ sanctorum atque amicorum Dei prodant miracula, in Ecclesia sancta porrigimus, vt legentes eo incitentur studio, quo sancti meruerunt scandere polum. Ergò quia nobis de beati Patrocli vita nupèr data relatio, quædam prodidit non omittenda, ea manifestanda curaui. Et licèt sermo sit rusticus, non tamen occulenda arbitratus sum, quæ Deus gessit per famulum suum.

19. Nouẽb. Exo. 25. &c. Exod 35.

Igitur beatissimus Patroclus Biturigij territorij incola, Aetherio patre progenitus, cùm decem esset annorum, pastor ouium destinatur, fratre Antonio tradito ad studia literarum. Erant enim non quidem nobilitate sublimes, ingenui tamen. Cumque quodam meridie hic à scholis, ille à grege commisso, ad capiẽdum cibum paterno in hospitio conuenissent, dixit Antonius fratri suo: Discede longiùs, ô rustice: tuum est enim opus, oues pascere: meum, literis exerceri: qua de re nobiliorem me ipsius officij cura facit, cùm te huius custodiæ seruitus vilem reddat. Quod ille audiens, & hanc increpationem quasi à Deo sibi transmissam putans, reliquit oues in campi planitie, & scholas puerorum nisu animi agili atque cursu velocissimo expetit. Qui primis elementis, ac deincèps omnibus, quę studio puerili necessaria erant, ità celeriter, memoria opitulante, imbutus est, vt fratrem vel in scientia præcederet, vel alacritate sensûs, adiuuante diuini numinis auxilio, anteiret.

S. Patrocli pater eũ adhibet pascẽdis ouibus. Dat se studijs literarũ

Dehinc Mumioni, qui quondàm cum Childeberto Parisiorum Rege magnus habebatur, ad exercendum commendatus est. A quo cùm summa amoris diligentia nutriretur, ità humilem atque subiectum omnibus se præbebat, vt omnes eum tanquàm proprium filium in summa bonitate diligerẽt. Regressus verò domum, patre defuncto, reperit matrem suam adhuc superstitem. Cui illa ait: Ecce genitor tuus, ô dulcissime nate, obijt: ego autem absque solatio dego: requiram ergò puellam pulchram ingenuamque, cui copulatus, solatium præbeas maternæ viduitati. At ille respondit: Non coniungor humanæ coniugi, sed quæ concepit animus, cum Domini voluntate perficiam. Sed cùm genitrix nõ intelligens, quæreret quid hoc esset, prodere noluit, sed abijt ad Arcadium Biturigæ vrbis Episcopum, petijtque sibi comam capitis tonderi, accirique se in ordinem clericorum. Quod Episcopus, Domino volente, sine mora compleuit. Multò autem pòst Diaconatûs officium sumens, vacabat ieiunijs, delectabatur vigilijs, exercebatur lectione, ac in oratione assidua ità promptus effundebatur, vt nec ad conuiuium mensæ canonicæ cum reliquis accederet clericis. Quod audiens Archidiaconus, frendens contra eum, ait: Aut cum reliquis fratribus cibum sume, aut certè discede à nobis: non enim rectum videtur, vt nolis cum his habere victum, cum quibus Ecclesiasticum implere putaris officium. Non est autem ob hæc seruus Dei commotus animo, qui iam eremi sitiebat adire secretum: sed egressus ab vrbe memorata, venit ad vicum Nereensem: ibique ædificato oratorio, sancti Martini reliquijs cõsecrato, pueros

Respuit vxorem. In clerum admittitur. Nota eius exercitia.

Miraculis claret. erudire cœpit in studijs literarum. Veniebant autem ad eum infirmi, & sanabantur, atque energumeni nomen eius confitentes, emundabantur.

Verùm non ei erat solitudo, vt voluerat, sed patefacta virtus publicum vsquequaquè reddebat. Tunc pro hospitio eligendo quædam conscripta breuia posuit super altare, vigilans & orans tribus noctibus, vt quid ei Dominus iuberet, dignaretur manifestissimè declarare. Sed pietatis diuinæ inclyta miseratio, quæ eum præsciens, eremitam esse decreuerat, breue illud accipere iubet, vt ad eremum properaret. Ille autem in cellula, qua degebat, congregatis virginibus, monasterium instituit puellarum, nihil de omni labore suo, quod ibidèm aggregauerat, cùm abscederet, sumens, nisì rastrum vnum, vnamque bipennem: ingressusque altas syluarum solitudines, venit ad locum, qui dicitur Mediocantus, atque ibi constructa cellula, in opere, quod suprà diximus, Deo vacabat. Cùm igitur inibì multos energumenos manu imposita, per signum Crucis effugatis dæmonibus, mente integra reddidisset, vnus ad eum adductus est rabidus, qui rictibus patulis ac ore cruento, quicquid attingere poterat, dentibus proprijs laniabat. Pro quo triduum in oratione prostratus, obtinuit ab illa diuinæ miserationis potentia, vt mitigato furore, miser homo mundaretur: immissisque in os eius digitis, fugato feralis atrocitatis spiritu, personam restituit incolumitati. Nullas verò ante eum vires habere poterat persuasionis iniquæ præstigium. Nam sicut hos, qui vexabantur, emundabat, ità & quæ immittebat occultè atrocia author criminis, repellebat per Crucis sacratissimæ virtutem. Leubellæ enim cuidam fœminæ cùm tempore luis illius inguinariæ diabolus Martinum mentitus, oblationes, quibus quasì populus saluaretur, nequiter obtulisset, hæ ad sanctum delatæ, non solùm, reuelante Spiritusancto, euanuerunt, verumetiam ipse incentor malorum sancto teterrimus apparens, quę nequiter gesserat, confessus est. Transfigurat enim sępè diabolus se in Angelum lucis, vt hac fraude decipiat innocentes.

Instituit monasteriũ virginum.

Pellit ab homine sæuũ dæmonem.

2.Cor.11.

Sed cùm ei multas intentaret insidias, nè hic ascenderet, vndè ille corruerat, immisit ei cogitationem, vt prætermissa eremo, ad sæculum reuerti deberet. Sed cùm sanctus virus grassari sensisset in pectore, in oratione prostratus petebat, vt nihil aliud, nisì quod Deo esset placitum, exerceret. Tunc apparuit ei Angelus Domini per visum, dicens: Si vis mundum videre, eccè columna, in quam ascendens, contemplare omnia, quæ geruntur in eo. Erat autem ante eum per ipsam visionem columna miræ celsitudinis collocata. In quam ascendens, vidit homicidia, furta, cædes, adulteria, fornicationes, & omnia praua, quæ gerũtur in mundo: & descendens, ait: Nè, quæso, Domine, reuertar ad has prauitates, quas dudùm, te confessus, oblitus sum. Tunc ait illi Angelus, qui cum eo loquebatur: Desine ergò quærere mundum, nè pereas cum eo: sed potiùs vade in oratorium, in quo Dominum depreceris, & quod ibì inueneris, hoc tibi erit consolatio in peregrinatione tua. Ingressus igitur cellulam oratorij, inuenit tegulam fictilem, in qua signum Crucis Dominicæ erat impressum: agnoscensque munus diuinum, intellexit sibi ad omnia mundanæ persuasionis incitamenta hoc esse inexpugnabile munimentum.

Eccè quę in mundo gerantur.

Nota hæc de virtute signi S. Crucis.

Post hæc ædificauit monasterium Columbariense in milliaribus quinque à cellula eremi, in qua habitabat: & congregatis monachis, vt in solitudine libero potiùs fungeretur arbitrio, Abbatem instituit, qui gregi monasteriali præesset. Octauum autem & decimum in hoc eremi loco expleuerat annum. Tum congregatis fratribus transitum suum annuncians, obijt in senectute bona, & sanctitate præcipua. Qui aquis ablutus, feretroque impositus, ferebatur ad monasterium suum, vbì se viuens sepeliri mandauerat. Tunc Archipresbyter Nereensis vici, collecta clericorum cohorte, voluit vi auferre glebam sancti corpusculi, videlicet vt ad vicum suum, vndè egressus fuerat, sepeliretur. Sed cùm furibundus veniens, vidisset à longè pallam, quæ sanctos tegebat artus, eximio albere nitore, ità nutu Dei est metu perterritus, vt omni velocitate reuocaret ab animo, quod malè conceperat leuitatis arbitrio. Coniunctusque psallentibus, in exequijs sancti progressus, tumulauit eum cum reliquis, qui aderant, fratribus in ipso Columbariensi monasterio.

Condit monasterium Colũbariense.

Abit è vita.

Miracula ad sepulcrũ eius.

Ad cuius sanctum sepulcrum Prudentia cæca, cum alia Lemouicina puella, similiter lumine viduata, vt sepulcrum ipsum in oratione osculatæ sunt, lumen recipere

cipere meruerunt. Maxonidius autem post quintum cęcitatis suæ annum, hunc tumulum sanctum adijt, lumenq́; recepit. Energumeni verò, Lupus, Theodulphus, Rucco, Scopilia, Nectariola, Tacihildis, ad hunc sanctum tumulum sunt mundati. Sed & puellæ duæ, de Lemouicino venientes, oleo, quod ipse sanctus benedixit, perunctæ, à nequitia, qua obsidebantur, mundatæ sunt. Et quotidiè ibidèm ad corroborandam fidem nostram, mirabilia operatur Dominus, qui perpetualiter glorificat sanctos suos. Attēde virtutem sancti olei.

VITA SANCTÆ ELISABETH, REGIS HVNGARORVM FILIAE, AVTHORE IAcobo Montano Spirensi.

PRAEFATIO AVTHORIS.



Esideranti mihi per annos iam plurimos vitam & res gestas Elisabeth conscribere, ac meritissimæ fœminæ pro virili parte magnificas prædicare virtutes, partìm verecunda quædam ad scribendum lentitudo, partìm occupationes obstiterunt honestæ: Illa quidem, pro suî natura tantam scribendi molem vel inchoare, nedùm prosequi, grauabatur: hæ verò, si quæ fuissent incepta, vario rerum strepitu minabātur singulis penè interruptum iri momentis. Verùm nè sub agendarum prætextu rerum, in torporem aliquandò se tarditas ipsa mutaret, fieretq́ue meritò repræhensioni obnoxium, quod anteà non iniuria potuit excusari: tandèm ad rem maturandam incumbere, tum proprij censura iudicij persuasus, tum contribulium quorūdam desiderio velutì quodam classico excitatus, animum induxi. At (fortè quispiam dicet) qua fidutia, quo fructu, cuius deniquè spe præmij? Fidutia certè, non ingenij, non eruditionis: quæ quàm sint angusta, nemo inter mortales me nouit intimiùs: sed magìs diuinæ gratiæ, quæ nulli vnquàm fuit ritè poscenti negata: fructu verò excitandæ ad virtutem affectionis & meæ, & aliorum, si qui nostra hæc qualiacunque dignabuntur attingere. Deniquè spe præmij, non cuiuscunque, sed æterni, sed immortalis, sed diuini. Nam temporarium, quod de cupiditate potest laudis humanæ prouenire, tam est insigni vanitate, tamq́ue pudenda tenuitate, vt non possit non amentissimus censeri, qui eius gratia sacrarum se rerum tractationi dedit. Quid enim amentius vel esse, vel dici queat, quàm indè momentariam venari gloriam velle, vndè totius dator boni Deus laudari vel solus debeat? Pudet meminisse iactantiæ & appetitionis impudentissimę quorundam, secularis fastu scientiæ tumentium, atque ad inanem vulgi laudem emerendam & dies & noctes adspirantium, tanquàm ea lucubrationum editarum iusta sit merces: qua tamen quum fuerint abundè perfruiti, necessè est sui tandem eos pœniteat consilij, quòd, posthabita cęlestis præmij perpetuitate, tanti nequicquàm emerint pœnitere. Scilicet imbecilles homuli, atque in putredinem conuertendi, ingenio & eruditione gloriolam quærunt, cùm Christus Iesus vitæ magister, virtus, gloria & sapientia summi patris, doctrinam suam non sibi, sed patri referat acceptam, dicens: Mea doctrina, non est mea, sed eius qui misit me. Cùm igitur & Deum in sanctis laudare, & eidem quicquid boni possumus, asscribere debeamus, hanc sanctissimę sanctitatis matronam, è diuarum numero selectam, pro concesso diuinitùs ingenio laudare sic adnitemur, vt neque nostram, neque hominum, sed Dei laudem persanctè quæramus. Magnum profectò & graue onus, viresq́ue nostras longè transcendens: Verùm illi confidimus, qui dixit: Sine me nihil potestis facere. Ad quem, vastum hoc rerum gestarum æquor emensuri, flaccida supplicis vela desiderij pandimus, flagitantes ea (quādoquidem de Crucis antenna funiculo spei nexa propendent) placidissimo sancti spiritûs flamine distendi: vt inoffenso cæruleum iter cursu radentes, & sæuos borealis auræ deuitemus afflatus, & ad litus appellamur optatum. Cæterùm quia multa nobis sacer vberis vitæ decursus describenda suppeditat, nè verbosa prolixitate legentium oneremus fastidium, hac stylum arte temperabimus, vt minutiora succinctè, grauiora modestè, omnia dilucidè dissseramus.

In homines inanis gloriolæ cupidos.

Ioan. 7.

Ioan. 15.

VITÆ HISTORIA.

CAP. I.

Nouēb. 19.

S. Elisabeth parentes.



ELISABETH nobilissimis in Hungaria parentibus progenita est, patre Andrea Rege, matre Gertrude Regina. Pater eius in gubernando Hungarorum regno, non solùm diuitiarum opulentia, verumetiam (quod singulare est optimorum insigne Regum) pietate & iustitia præclarus fuit. Mater, quæ natura sexûs infirmior censeri poterat, adeò magnitudinem virilis animi prudentiamque nonnunquàm exercuit, vt vel absente, vel occupationibus distento Rege, ipsa per se regni tractanda negocia non sine laude curaret. Ferunt, genethliacum quendam longè positum, qui * Clinsor vocabatur, paucis antè horis, quàm in lucem ederetur Elisabeth, prædixisse nascituram, natæque nomen, indolem, virtutes, miracula, nuptias ac sponsi nomen: deniquè lætitiam Ecclesiæ, tantarum gratia rerum declarandam, velutì ex siderum, quæ contemplabatur, adspectu citata deprompsisse. Quam quidem prædictionem, qui diuino instinctum spiritu hominem volunt, veteris Balaami vaticinio comparant: qui verò diuinatricem Astrologiæ vanitatem derident, intra famam reponunt. Baptizata non multo pòst tempore, iuxta vocem Apostoli, Christum induit: indutum, arctissimè tenuit: tentum, quoàd vixit, nunquàm dimisit. Lactentem adhuc Hermannus Turingiæ maximus princeps (quem vulgò Lantgrauium vocant) Ludouico filio infanti, quanuìs vtrinquè minor ætas foret, quàm quæ iure sponsalia subire posset, missa legatione, desponderi procurauit. Quadrimam posteà, missis iterùm legatis, afferri ad se precibus, & quidem facilimè, obtinuit, quòd Regina petitioni libenter admodùm annuere visa est: id quod etiam regia munificentia declarauit. Nam posteaquàm legatis honorificè susceptis, benignè auditis, atque humanissimè tractatis, filiam in argēteo cunarum toreumate, mollissimo cubantem lectulo, & coràm exhibuit, & commendauit, plurima quoquè munera simul obtulit, vestes sericas, scyphos auro & argento graues, monilia, lunulas, vnionibus intextas corollas, annulos, fasciolas, calanticas, periscelides, murænulas, peristromata, itemque lauandæ filiæ fabrefactum ex argento luterem: quinetiam culcitras plumeas, puluillos, ceruicalia, linteola byssina, lodicesque, & alia id genus nō pauca, vim deniquè non mediocrem pecuniæ: Præcepitque, principi dicerent, nè putaret his tantùm muneribus liberalitatem suam limitari: destinare se, si diutiùs viuere contingat, adijcere gloriam, diuitias, honores, nec pati, vt priorum collatio obliuione posteriorum vilescat: tantummodò bono esset animo, filiamque benè commendatam haberet: se neque declarandæ munificentiæ, neque augēdæ dignitati defuturam aliquandò. Legati, rebus ex animi sentētia prosperè confectis, nobilissimam virginem vnà cum donarijs accipientes, in Turingiam sunt reuersi, atque à principe, proceribus, aulicis miro cum gaudio suscepti. Osculo mox infantis applicata Elisabeth, principem & omnes, qui tum aderant, pro tam iucunda futurarum nuptiarum repræsentatione exhilarauit quamplurimùm. Iamque triennium ibì exegerat, cùm eccè fœdo rumore percrebuit, Reginam insidiosa procerū quorundam machinatione fato concessisse.

*Clingesfore

Num. 23. & 24.

Gal. 3.

Infans despondetur filio Lantgrauij.

Mater eius multa mittit munera Lãtgrauio.

Mater eius tollitur è medio.

CAP. II.

HOc æui agens Elisabeth, argumenta quædam sæpenumerò, ac velutì progymnasmata futuræ sanctitatis edebat. Basilicas nanque sanctorum ingressa, pro altari quolibet nunc genua figere, nunc puellari decentia prosterni, nunc oculos manusque attollere, &, si quandò inter ludendum (vt habet ætas illa) proximè clausi templi fores accessisset, humì procumbere, & sacra limina crebriùs osculari. Luctandi etiam studio occasionem humilitatis quærebat, staturam suam scitè admodùm ad alicuius è sodalibus mensa corpusculum: quam vbì tenero arctatam complexu, artifici rotatu afflixisset, statìm & ipsa prostrata, veniam petendo, offensiunculam, si qua intercessisset, deprecabatur. Decimam quanque portiunculam lucelli, quod ipsi ex lusu prouenisset, pauperibus erogabat puellis, debito illas obstringens Dominicam precationem & Angelicam salutationem fundendi. Iam

Elisabeth pietas puerilis.

nonum

nonum ingredi annum cœperat, cùm repentè præter omnium opinionem princeps ipse, sponsi pater, ex hac vita migrauit. Aetatis deincèps incrementum, accessione profectuque virtutum accumulans, id inprimis faciendum sibi destinauerat, vt omnibus in rebus Deum præ oculis haberet, illum inspectorem cordis humani cogitaret, illum penitùs præsentem haud segniter obseruaret, illius causa vestium decorem, carnis lenocinia, mundi vanitatem abijceret, proculcaret, contemneret. Votiuas quotidiè preces Deo fundebat: quas interdiù si quopiam impedita negocio intermisisset, noctù persoluebat. Diuum Iohannem Apostolum, præter cæteros charum, sibi patroni loco delegerat, imitata pietatem Christianorum, quibus singulatim eligere aliquem è cœtu Apostolico, quem familiariùs clientum more colant, consuetudo est. Nè tamen electionis euentu (vt assolet) incerto, quia sorte agebatur, alium quàm Iohannem nancisceretur, præmissa ad Deum prece effecit, vt quem summoperè volebat, semèl, iterumque ac tertiò sortiretur. Cuius voti compos effecta, adeò dilexit coluitque adeptum, vt ob ipsius nomen meritúmve rogantibus, nihil denegandum putaret. Festos dies pro ingenij modulo religiosè admodùm peragebat, ità vt (quod ea fuit ætate mirum) semper aliquid sibi de ornatu corpusculi decerperet: sciens Deo mentem magìs, quàm vestem placere, acceptioremque animum esse, religionis studio deditum, quàm corpus, margaritis, purpura, lapillis, auroque & argento præfulgidum. Proindè chirothecarum vsum tantispèr intermittebat, dum res diuina compleretur, volens officio quantunuìs paruo consuetudini suæ aliquid detrahere, & voluntati aliud suadenti, pro Deo contrarium ingerere. Puellari lusu præpeditæ si quādò fortuna lætior adspirabat, cessandum sibi ocyùs aiebat, quandoquidem prosperioris auræ demulceretur afflatu. In choreis, quas vitare non poterat, semèl tantummodò circumîsse contenta, satìs esse dicebat: vno se gyro mundi amatoribus gessisse morem, reliquos ob Christi amorem intermissuram. Ità quotidiano fermè exercitio, & affectioni aliorsùm propensæ renitendo, & dissolutioris vitæ laxamenta declinando, ad maiora Christianæ pietatis officia semet subrigebat.

Lantgrauius moritur.

Nota piam Christianorum cōsuetudinem.

Festos dies in tenera ætate vt coluerit S. Elisabeth.

CAP. III.

EDucabatur vnà cum Elisabeth Agnes, soror sponsi, virgo admodùm pulchra. Quæ duæ, dum ad ecclesiam eundum esset, pari vestium ornatu decoratæ, parique coronarum, gemmis auroque fulgētium, instructæ gestamine, Sophiam sponsi matrem modico interuallo (vt nobilium mos est) antecedebant. Ingressis templum, coronam Elisabeth confestìm deponebat, atq; tandiù inglorium verticem ostendere perseuerabat, quoàd ritu sacrorum completo, domum redire monebatur. Quod cùm Sophiæ, veluti temerè factum, vehementer displiceret, percontanti causam ità respondit Elisabeth: Absit à me tāta procùl impietas, vt ibì caput meum turrito fastu micantis coronæ superbiat, vbì caput Saluatoris mei spinis coronatum acerbè compungitur. Ità iamtunc diuina charitas in casta puellaris animi præcordia, animaduersione Dominicæ passionis veluti mucrone quodam, vulnus agere cœpit, eaque sibimet deincèps vendicare. Sed quia virtutem sequitur inuidia, & innocentium vita reprobis semper esse despectui solet, cœpére nonnulli ex aulicis teneræ virginis verecundiam iniurijs afficere, lacessere contumelijs, mordere scommatibus, clanculò carpere, atque palàm cachinnis, nutu, cauillis incessere. His accedebant Sophiæ & Agnetis supradictarum mores, ab Elisabeth humilitate vehementer discrepantes: cùm hęc seipsam despiciens, mundi vanitatem, honorum excellentiam, vestium gloriam pro sordidis haberet: illæ verò in contrarium prorsùs affectæ, nihil minùs amare, colere, præferre, quàm quę amaret, coleret, præferret Elisabeth, videbantur: hæc præterquàm Deo, placere nemini cuperet: illæ vt mundo placerent, parui referre iudicarēt, si Deo displicerent. Ità mentium diuersi affectus, morum quoquè dissimilitudinem (vt assolet) expresserant: vndè exortus liuor, sic innocenti puellæ ad virtutem gradum fecit, vt illis ruinæ non paruam occasionem præstaret. Auxit quoquè inuidiam quotidianæ conuersationis humilitas, per quam sacra virgo, relictis nobilibus & purpuratis, pauperum magìs & ancillarum gaudebat consortio, fruebatur alloquijs, operibus occupabatur: intantùm vt Sophia crebrò diceret, illam sanctimonialium contubernio sociandam esse, quòd vitam ipsis quàm simillimam præ se ferret, nihilque ageret genere suo dignum. Erant & procerum quidam, quorum effrenatam petulantiam

In ecclesia vt se gesserit.

Habet æmulos & obtrectatores suos puella sanctissima.

Eius humilitas.

pauloantè commemorauimus, qui Elisabeth, quòd dotem (vt ipsi garriebant) destinatis imparem nuptijs attulisset, aut Hungaris remittendam, aut alteri cuilibet ex nobilibus collocandam in matrimonium, contenderent. Inter hæc inuidentium verba, veluti rosa spinarum aculeis compuncta, Elisabeth quàm latissimè diffuso mansuetudinis odore, cùm se contemptui haberi videret, ab ijs præcipuè, à quibus obseruari debuerat, verita nè quouis detrahentium molimine superata, viam desereret humilitatis, post vberrimas lachrymas, totis ad Deum præcordijs confugiens, suam illi causam enixissimè commendauit: Nec spes orantem frustrata est, sponso deinceps ad eius amorem argumenta non dubia demonstrante, propensumque animum, vbi ex itinere domum reuertisset, tum munusculis, tum casto amplexu edente.

CAP. IIII.

NEc tamen intereà temporis iactare procerum quorundam cessabat improbitas, nihil prorsùs nuptiarum inter principē & Elisabeth fore: dotem ab Hungaria, esse perquàm tenuem: puellam, nobilissimi principis neque præstantiæ congruere, neque animo sedere: proindè remittendam suis quamprimùm esse. Hanc falsam persuasionem passìm in vulgus dissipari, Gualterus quidam vir nobilis molestè ferens, principem aliquandò inter viam, quid de asciscenda sibi in matrimonium Elisabeth destinâsset, familiariùs percontatur. Cui ille, ostenso grandi monte, respondit, se, si mons aureus totus esset, sibique daretur optio, altero duntaxàt, id est, aut monte, aut Elisabeth matrimonio potiendi, posthabiturum sacræ virginis cōiugio amplissimam auri molem: ob id inuidorum blaterationes prorsùs minimi facere scire: illos, quæ iactâssent, probare non posse: perbreuì declaraturum, quo erga virginem animo foret. Hoc responsum ad Elisabeth perferre Gualtero deposcenti, non modò à principe facta est perferendi potestas, verùm etiam, quò verbis maior fides haberetur, additum munus. Erat autem è speculari lapide, in tenuissimas crustas fisso, gemina facie speculum sic fabrefactum, vt pars vna vitri modo translucida, colorumq; fucis nuda esset: altera Christianæ crucifixionis picturam præferret. Quo munere donata virgo, dici non potest, quanto sit affecta gaudio: cùm & sponsum in admisso semèl amore constare, & oblatrantium inuidiam nihil effecisse experimētis adnotaret. Transgressam deindè nubiles annos, vxorem princeps duxit, celebrauitq; apparatu magnifico nuptias, simul & blaterones mendacij conuincens, & quēadmodùm ipse in virgine non opes, non pulchritudinem, non generis excellentiam, sed honestissimorum integritatem præstantiamq; morum quæsiërit, declarans.

Sponsi eius erga illam amor.

Nuptię eius & sponsi celebrantur.

CAP. V.

INito matrimonio Elisabeth nil de feruoris pristini remisit intentione, sed insupèr auxit in dies, accumulauitq; studia bonarum actionum. Enimuerò animum contemplatione cælestium rerum pascebat, corpusculū vigilijs, precibus, ieiunijs exercebat. Exhorrere etiamnùm sæpenumerò solebat plumei lecti malè blandam mollitiem, verita nè carni plùs iusto indulgēs, Christi amore fieret indigna. Ob id noctù, deserto principis accubitu, ipso vel quiescente, vel dissimulante, vel etiā palàm consentiente, maturiùs exurgere, precibus operam dare, ac semet suaq; omnia Deo commendare solita erat. Adeò quoquè nocturnæ huic precationi principem fauisse constat, vt persæpè manu sua genibus nitentem sustentauerit, quoàd preces illa finiret: subindè admonens deprecantem, caueret, nè vigiliarum prolixitate macerato corpusculo, capitis ac sensuum viuacitatem exhauriret. Porrò nè grauiori somno depressa, religiosum precandi morem negligeret, pedisequas mulier sancta monuerat, dormientem se excitarent. Hoc vt quamcautissimè fieret, principemq; productiores laterent excubiæ, ijsdem prçceperat, pedum digitos leni tactu tamdiù attraherent, donèc experrectam sentirent. Quod dum vna illarum, Isintrudis nomine, incautiùs per cæcæ noctis tenebras attentat, casu pedem attraxit principis. Qui expergefactus, & rem, vt erat, intelligens, pro cognita vxoris consuetudine, haudquaquàm molestè tulit expergificantis imprudentiam. Tanto autē feruore nocturnam hanc deprecandi assumpserat deuotionem, vt sæpiusculè sit pro lecto super stratos humì tapetas deprœhēsa dormire. De quo ab ancillis reprœhensa, verentibus eam asperitatē malè aliquandò cessurā, respondit duplex ea castigatione lucrum sibi prouenire, quòd lecti mollitiem posthaberet, quòd virili contactu abstine-

In matrimonio vt se gesserit.

Nocturnæ vigiliæ & preces.

Nota q̄ molliter cubet.

abstineret: ità enim vacuam carnalibus delicijs mentē, cælestibus faciliùs aptari. Querebatur interdùm indigniorem sese fuisse, quàm vt suam Christo virginitatem dedicaret. Nec tamen ob hoc segniore maritum dilectione prosecuta est: à quo etiam aliquò proficiscente, non facilè abesse patiebatur, quanuis tellus aut gelu inhorresceret, aut niuibus tegeretur, aut immodicis caloribus fatisceret, aut imbrium præcipiti lapsu maderet. Nimirùm didicerat, illo præsente tam in vigilijs, quàm in precibus, nihil se damni facere. Arctiori deindè semet obseruationi dedens, sexto quoque hebdomadis die, virgarum flagellis in tenerum corpus animaduertebat. Itidèm in Quadragesima, ac interdùm noctù, cùm ad precandum surrexisset, ancillarum agebatur ministerio, cùm intereà dolorem ipsa veluti non sentiens, alacritate mirabili dissimularet.

Amor eius erga maritum.

Ferijs sextis flagellis cæditur.

CAP. VI.

PEr idem tempus sacerdos Christi Conradus Marpurgensis, vita & eruditione præclarus fuit. Is facta sibi à Pontifice maximo potestate, verbum Dei per Alemaniam prædicandi, adeò dexteritate pariter & authoritate concionandi valuit, vt non minùs seueritate rebelles compesceret, quàm bonos alliceret animaretque comitate. Verbis vita adamussìm respondebat. Erat enim diuitiarum & ambitionis contemptor, religionis Christianæ ardens zelator, hæreticorum hostis ac impugnator acerrimus. Ecclesiastica bona neq; per se ambire nō habita, neq; suscipere oblata vnquàm est adnotatus. Vestis illi vulgarem nō excedens, mensa frugalis, domesticæ disciplinæ fama incolumis. Huic Ludouicus clarissimus princeps oēs templorum præfecturas ac sacerdotia, quæ ipse conferre habebat, conferendi in quos vellet, potestatem dedit, vtq; ab Elisabeth obedientia matrimonio cōgruens præstaretur, assensus est: quam illa & deuotissimè præstitit, & studiosissimè seruauit, nō solùm toto biēnio, quo princeps posteà superuixit, verumetiā posteaquàm è vita migrauit, & quidē multo promptiorē absolutioremque. Habiturus aliquandò concionē idem magister de rebus (vt solebat) diuinis, eidem Christi famulam interesse præceperat. Quod cùm illa, inopinato sororis viri sui aduentu præpedita, non implêsset, statìm velut inobediēti remandat (incertum, seriò, an tentandi astu) nolle se deincèps quicquā ipsi iubere, quæ datā obedientiæ fidē tam facilè rupisset: vteretur deindè libertate sua: haud eum se virū esse, qui verba sibi dari æquo animo posset ferre. Hoc nuncio vehementer Elisabeth perculsa, magistrum postridiè maturiùs adit, deiectisq; in terram profundo pudore luminibus, veniā sibi dari suppliciter poscit. Quā cùm ille veluti indignabūdus auersaretur, ad pedes eius regia mulier, nulla habita generis sui ratione, aduoluitur, ea demùm humilitate veniā consecuta, cæsis tamen priùs ancillis, quarum forsan negligentia causam huic offensæ dederat. Solebat in conuiuio, præter morem nobilium fœminarum, principi proxima residere, volens etiam hac in parte suam erga illum charitatem demonstrare, licèt hoc ipsi non parùm afferret incommoditatis. Nam accepto magistri mādato, nè quo victu, per vim, aut per aliud compilationis genus parto, aleretur, magno prorsùs cogitationum æstu iactari cœpit, dum mensæ assidens, nunc hos, nunc illos attingere veretur: dumque ad singula edulia conscientiæ scrupulo permouetur, omnibus pariter abstinere tam non potuit, quàm non debuit. Tres ancillarum, socias abstinentiæ huius habuit. Quarum tranquillitati, perindè atquè suæ prospectura, ex ijs, quæ in dotem acceperat, tam sibi, quàm illis victum ministrari procurauit, principis etiam ea in re fauorem ac comitatem experta singularem: qui, si quippiam scrupulo futurū inferri mensis contigisset, eius rei certiorem vel nutu, vel insinuatione maritali faciebat vxorē. Destinabat & ipse pari semet abstinentiæ mancipare, propalàm etiā testatus, ægrè sibi tam salubris propositi virtutem, quo minùs ad rem celeriter conferret, offensione próccrum quorundam intercipi retardarique, qui continentiam eiusmodi, non religioni ac deuotioni, sed superstitioni magìs atque delirio ascriberent: daturū tamen se operam, vt quamprimùm (vellent nollent obtrectatores) quod persanctè destinâsset, in lucē ederetur: pergerent illę, vt cœpissent, perbreuì se comitē habituræ. Oeconomos edeatrasque nonnunquàm Elisabeth, dum officinas circumiret, vtpotè domina domesticę particeps curæ, percontari solita, iusténe partus an secùs esculentorum poculentorumque prouētus suppeteret: vbì resciuit vtraque iustè prouenisse, indeque victum diei præsentis suppeditatum iri, veluti gratulabunda hocipsum ancillis aperiens: Hodiè, inquit,

Conradi Marpurgēsis laus.

De iure patronatùs hoc dicit.

Ei S. Elisabeth, assentiente marito, pmittit obedientiam.

Eccè quàm profundè se humiliarit.

Vndè victū sibi parârit.

Nota religionem mariti eius.

Deo propitio, lautè accipiemur & humaniter. Neque verò continuò illam inter exquisitas etiam ciborum lautitias temperantiæ subibat obliuio, astu quodam officioso genium suum fraudare solitam. Enimuerò dum nūc principem alloquitur, nūc his lautiores buccellas apponit, nunc illis poculum officij gratia porrigit, nunc statoribus ancillis've negocium aliquod iniungit, etiam ipsa à non curantibus esitare putari poterat: cùm tamen alijs affatim expletis, sæpiùs ipsa famelica triclinio excesserit, tortulisque mellitis, aut arido pane sustērari habuerit necesse. Cæterùm si cui ademptam iniustè rem familiarem comperisset, cōfestim damnum omne ità resarcire curauit, vt is, qui iacturam fecisset, non tam perdidisse, quàm commutâsse, res suas videretur.

Inter epulas miro artificio studet abstinentiæ.

CAP. VII.

ADuenerat festus quidā dies, cùm Elisabeth preciosis ornata vestibus, auream que capite gestans coronam, ac familia frequenti stipata, de more Christiano rebus diuinis interfutura, in subiectam arci diuorum basilicam ibat. Ingressam primo statìm contuitu Crux Dominica, atque ex ea pendens imago Saluatoris, penitissimè compunxit, compunctæ lachrymas excussit, lachrymanti talia cogitanda suggessit: En creator & redemptor meus, nudo corpore, breui duntaxàt præcinctus tegmine, mea causa ignominiosam in Cruce mortem oppetit. At ego misera, gemmis, auro, bysso & purpura contecta, vitam cælestibus indignam beneficijs, perdo magìs, quàm ago. Illius caput intra Pilati ædes spinea corona dispunxit: meum verò aurea venustat. Illum ab amicis & discipulis desertū, Iudæorum vallârunt opprobria: me numerosa circundatam familia, cuncti mirantur, suspiciunt, honorant. Hic meus est erga illum obseruantiæ feruor, hæc animi gratitudo, hoc vicariæ dilectionis munus. Me miseram, me infelicem. Sic illius obedio præceptis, beneficia reuoluo, vestigia sequor, qui me, cùm nō essem, creauit, perditamq; suo sanguine redemit. Tantæ autem hi cogitatus intentionis erant, vt destituto viribus corpusculo, ac facie tota in pallorē versa, repentè regia mulier humì velut exanimis prolaberetur, cunctis, qui eam stipabant, vehementi pauore perculsis, elatamq; forâs tantispèr sacris vndis adspergere perseuerantibus, dum stupore cessante, compos mentis redderetur. Hac defectione velutì quodā oraculo persuasa, precioso deincèps amictu, quoàd eius personæ, quam gerebat, honestas pateretur, abstinuit, ità vt sępenumerò sub holosericis vestibus cilicium gestârit. Principem si quando lōgiùs proficiscentem sequi non posset, domì remanens, omnem prorsùs vestium sibi cultum interdicebat, amictu natiui coloris cōtenta, vt à plebeijs haud multùm differret. Tum etiam precationum assiduitate, verberum vsu, vigiliarum productione, carnem spiritui subiugans, blandientes pro ætate voluptates, haud secùs, atque iam viduam agens, edomabat. Reuerso principe, etiamnùm ipsa, quam ad tempus virtutis gratia seposuerat, vestem comptiorem resumebat, scitè admodùm declarans, quid absente marito castam vxorem, quid domì agente præferre deceat. Tentauit & opulentas quasdam mulieres, quibus familiariter deuincta erat, abstrahere à luxu preciosarum vestium, exemplo simul & verbo. Nec eam fefellit euentus. Nam etsì difficili primùm aditu, pertinaci tamen instantia aliquandò, quod volebat, persuasit: effecitque, vt quædam illarum, voto etiam perpetuæ castitatis semet obstringerent. Tres prætereà liberos ex Elisabeth præstantissimus princeps sustulit, filium vnum Hermannum nomine, paterni principatûs hæredem, duasque filias: quarum vna Duci Brabantiæ in matrimonium collocata est: altera sanctimonialium asscita collegio, atque in dominam electa, illis religiosè præfuit. Cæterùm Elisabeth partu edito, post expletum legitimi temporis spatium, quo se limine continere consueuerunt puerperæ, ipsa per se gestare sobolem, atque nudis pedibus, amictu laneo, mediocri comitatu, per decliue saxosi montis iter deportatam templo inferre, illatam vnà cum cereo funali ponere super aram solebat. Reuersa dehinc domùm, mox pauperculam mulierem obitèr adnotatam, & tunica donabat, & pallio.

Crucifixi imago conspecta, quid in ea effecerit.

Vtitur cilicio.

Absente marito vt se gesserit.

Tres eius proles.

Edita prole vide quid facere consueuerit.

CAP. VIII.

MAxima sanè commiseratione erga pauperes, atque incommodis membrorum laborantes erat, vt ei concinnè admodùm sancti Iob verba conuenirēt: Ab infantia mecū creuit miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Huic virtuti, nè sterilis esset, adiuncta erat munificentia: ad quam cùm sua sponte incita-

Eius erga pauperes misericordia.
Iob 31.

incitaretur, vbì & principis fauor accessit, properanti (vt dici solet) calcaria sunt addita. Pauperi cuidam phthiriasim patienti, atque ex capite non mediocriter laboranti, captato intra pomarium secreto, nè quis interueniret, capillum totonderat, deletisque pediculis, caput infirmum humiliter lotū, aliquandiù materno in gremio fouerat: cùm eccè casu illuc accedentes ancillæ, vbì dominam quo nolebant occupatam ministerio vident, haud se continere possunt, quò minùs illam acerbiusculè obiurgent, quòd exorta regio sanguine mulier, vsque ad tondendos crines, pediculosque conficiendos sese deijceret. Quam illa repræhensionem, placido risu vultum serenans, paruifecit. Christo enim, non hominibus, placere gestiebat. Magnum hoc veræ pietatis exemplum: longè tamen maius, quod sequitur: Venerant ad principem comites aliquot, procerumque non pauci. Iamq; conuiuij tempus aduenerat, cùm residentibus cunctis, aberat Elisabeth. It, iussu principis statorum vnus, accitum illam. Cui cùm obuiàm factæ nunciâsset, cunctos ad ipsius aduentum pendére conuiuas: illa maturiùs incedens, vbì cœpit gradus, qui ad triclinium pertinebant, asscendere, subitò mendicus quidam importunis clamoribus eleemosynam deposcere auditur. Quem illa desupèr videns, (neq; enim anteà sub gradibus iacentem animaduerterat) paulispèr expectare monet, pollicita, quandoquidem inpræsentiarùm nihil sibi erogandum suppeteret, missuram se breuì quod petebat. Ille nihilo tranquillior factus, abeuntem pertinacissimis inclamat vocibus, & nè miserum se sine dono præteriret, instantissimè precatur. Figit gradum Elisabeth, eique pallium non contemnendi precij, quo vestita erat, transmittit. Quod ille summa cum alacritate suscipiens, arce statìm excessit. Id cùm reuersus stator non sine indignatione propalàm retulisset, subrisit princeps: desertoque mox accubitu, progressus occurrenti ait: Quid, mea soror, tandiù moraris? Ad quem illa: En, inquit, mi frater, appropero. Talibus enim sese nominibus vicissìm appellabāt. Tum princeps: Vbi loci, ait, pallium reliquisti? Illa porrecto indice: En, inquit, pallium nostrum de pertica propendens. Videt ille, accedit, attrectat, euoluit, illudque ipsum esse, quod pauperi dudùm eleemosynæ loco donatum audierat, cognoscit. Ilicò stupore vehementi perfusus, non parùm addubitat, tantæ'ne rei miraculum, an egregiam vxoris fidem, priùs in cælum ferat.

Phthiriasis morbus pediculatis.

Magnum veræ pietatis exemplum.

Vide singulare in pauperem liberalitatem.

Miraculum

CAP. IX.

Ocium prætereà Christianæ pietati maximo esse detrimento sciens Elisabeth, tempus omne, quod vel exercitijs spiritualibus, vel curationi corporis supererat, labore manuum terere curauit. Nec tamen ad consuetudinem nobilium matronarum, bombycina sericáve pensa decerpere, aut lentescentis auri bracteolas in fila torquere, immittendisque subtegminibus adhibere: sed magìs inter ancillas lanæ dedita, modò nere, modò aliarum neta, in glomum colligere: collecta, ad texendum deferre: texta deniquè, cùm pauperibus, tum præcipuè Francisci Assisiatis institutum professis, elargiri solebat. Laceras egenorum vestes tam non grauabatur resarcire, quàm catechumenos pauperiores disquirere, victu pariter & amictu iuuare, edoctosque pleniùs Christianæ religionis disciplinam, de sacro fonte leuare delectabatur. Non ei satìs erat ad beneficia talibus impendenda, & propensum animum, & largam manum habere, nisì etiam (quod absolutissimæ charitatis est) benefaciendi studio semet obligaret. Pauperculas mulieres, quas vel parturientes, vel partu solutas nouerat, mirum qua humanitate inuisebat consolabaturque, ac comportatis secum rebus necessarijs refocillabat. Non illam à tantæ pietatis officio, aut viarum asperitas, aut platearum sordes, aut domicilia malè olentia vnquàm retardârunt. Mâluit illa sui commodi rationem habere nullam, quàm vt misellis matribus vel minimum defectu rei familiaris incommodum sciens prudensque pateretur afferri. Paupertatis eam desiderio magnoperè flagrâsse indicio est, quòd plerunquè inter ancillas secretiùs constitutam, ità eiusce virtutis ardor corripuit, tenuit, incendit, vt depositis preciosarum vestium induuijs, rudis panni tunicam indueret, capitique vel calanticam, vel calyptram sordiusculam innecteret, ac sic demùm pro desiderio vestita, humili gradu, contentis luminibus, demisso vultu, vltrò citroque deambularet, dicens: Hoc more per plateas incedā, quum pro Deo meo iniurias pati habebo. Vt iam tunc præsago spiritu, quod posteà euénit, præuidisse videatur. Suppetebant illi magnæ opes, familia frequens, voluptatum diuersarum ingens copia, deniquè peccandi licentia non parua: quibus tamen

Summè vitat ocium.

Labores eius manuarij.

Humanitas erga pauperes partu tientes.

Amor paupertatis.

Calātica & calyptra muliebria sunt capitis operimēta.

men omnibus adeò cupidè paupertatem præferebat, vt hanc non magis seculares animi præ istis contemnant ac fugiant, quantùm ipsa magnifaceret atque expeteret: id quod non obscurè sequenti declaratur exemplo. Magnates quidam ac purpurati, ex Hungaria ab Rege patre Elisabeth missi, ad principem venire nunciabantur. Quo audito, princeps vxori, Doleo, inquit, soror, ac molestè fero, te non habere dignas genere tuo vestes, quibus decenter ornata, nobilissimi patris tui legatis & apparere, & placere (vt cupio) posses. Obstant angustiæ temporis, quô minùs artifici manu nouis paratis, pro dignitate res confici queat. Ad quem illa: Non est, ait, frater, quòd grauatìm feras hanc indecentiam, quam ego minimi semper putaui. Nolo enim vestibus placere humano conspectui, nè moribus displiceam Deo. Paulopòst supradicti legati arcem ingrediuntur, honorificè suscepti. Qui cùm iniunctæ legationis exposuissent mandata, confestìm ad ipsorum petitionem Elisabeth venire est iussa. Ingressam totius pulchritudinis author tanto decore venustauit, vt hyacinthina veste & preciosissimis adornata margaritis, non sine magna omnium admiratione appareret. Principi præter cæteros in stuporem verso, ac secretiùs causam sciscitanti, subridens Elisabeth respondit: Huiusmodi scit Dominus meus, cùm voluërit, ornamenta præparare.

Diuinitùs ornatur, dū ornatū ipsa contemnit.

CAP. X.

Libentissimè interest Missæ sacrificio.

CElebrationi salutaris hostiæ cùm ab ineunte adolescentia libenter, tum verò processu ætatis, libentissimè interesse consueuit, ità vt cùm audiendæ rei diuinæ tempus appeteret, ipsa ingressu ædis non semèl ancillas anteuerterit. Quo tempore cohibita quatenùs valebat mentis euagatione, si quid gestabat ornamenti, quo citra vitium muliebris decentiæ carere poterat, id omne tantispèr vel deponebat, vel occultabat, dum cœptus magni illius sacrificij ritus peragеretur. Maximè verò singularis aliquid reuerentiæ præferebat, cùm aut Euangelium recitaretur, aut Christi corpus tractaretur. Nimirùm ad illud aures aduertens, ad hoc fauces animi præparans, magno vtriusque flagrabat desiderio: simul admirans in tam mirifico sacramento exhiberi mortalibus Dei potentiam, sapientiam in antidoti præparatione, benignitatem in gratuita ac liberali dispensatione. Succurrebat hæc expendenti è regione dignitas humanæ conditionis, quàm tanti æstimauit ille, qui fecit, vt perditam redemerit: redemptam, salutari cibo sustentauerit: sustentatæ, præsentiam suî copiamque concesserit. Hæc autem omnia, magnitudo diuinæ dignationis, & humanæ ingratitudo naturæ, veluti moles quædam confertissima exaggerabat, cùm & hanc inexcusabilem, & illam ineffabilem prorsùs esse constaret. Verùm quia non facilè tegi vehemens animi potest intentio, quin aliquandò exundet: contigit quandoquè taliter affectam, consecratione salutaris hostiæ peracta, luce non mediocri perfundi, adeoque splendescere, vt in faciem eius sacerdos quidam, ob vitæ meritum tali dignus munere, sine graui oculorum reuerberatione, minimè posset, vt posteà confessus est, intueri. Sanctiones Ecclesiasticas, & Christianas obseruationes cùm semper Elisabeth, tum Quadragesimæ diebus religiosè mancipabat effectui: non modò precibus, eleemosynis, ieiunio dedita, verumetiam corpusculum crebris virgarum verberibus castigans. Festos dies, cùm redemptionis nostræ mysteria repræsentantur, tanto coluit studio, tantaque animi deuotione prosecuta est, vt ipsius in Christum propensissimus amor vix vnquàm clariùs emicaret. Quo die vltimam Christi cœnam recolere in vsu est Christianis, interdicto sibimet penitùs preciosarum vsu vestium, ad similitudinem plebeiæ cuiuslibet mulieris vestita, in publicum procedebat, postmeridianam basilicarum visitationem ità humili schemate peragens, vt non nisi vna è vulgo putari ab ignorantibus posset. Tum etiam accitos duodecim è pauperioribus, tanto dignata est honore, vt prostrata pedes eorum lauerit, extersеrit, osculo impertiuerit: singulis deniquè duodenos nummos, pannumque ad mensuram commodæ vestis, atque triticeum panem donauerit. Leprosos eo die non paucos aliquandò susceperat: quorum & manus & pedes cùm abluisset, non est verita abominatissimorum tubera locorum osculo contingere. Neque deincèps tales vnquàm auersata, ipsis perindè atque incolumi glabraque cute nitentibus, locuta est, seditque vicina. Tum ad patientiam affatìm exhortatis, stidem liberaliter porrigebat. Nocte, quę Parasceuen antecedit, in oratione ac

Singularis eius reuerētia erga Eucharistiam.

Multa luce perfunditur sub sacrificio.

Ecclesię instituta religiosè obseruat.

In cœna Domini duodecim pauperum lauat pedes.

Osculatur leprosorum vulnera.

Domi-

Dominicæ passionis meditatione transacta, mandabat ancillis, cauerent solicitè, nè quem sibi toto die exhiberent honorem. Exindè concinnatos manu sua lini fasciculos, itemq; acerram thuris plenam, atque elychnia adinstàr minutissimarum candelarum cerata, numerosissimos deniquè minutioris monetæ nummos sumens, lustrabat nudis pedibus vnà cùm popularibus turbis fana omnia, arasque singulas ordine venerata, imposuit singulis lini fasciculum, thuris granum, ardentemque cereolum. In plateis, quaquauersùm iret, perquàm liberaliter nummos pauperibus erogabat. Nec deerant, qui vilitatem nummorum tenacitati referrent acceptam, dicentes, Reginam munificentia regia vti debere, cariores q; nummos elargiri: popularem in Elisabeth vilitatem, nequaquàm sanctitatis & religionis, sed auaritiæ magis indicem esse. Verùm illa, contempto leuissimorum hominum iudicio, quod sapienter inceperat, perseueranter sectari quotannis non destitit, consciens & animum Deo notum esse, & tam se in officio assumptæ submissionis longè à tenacitate abesse, quàm illi temerarij peruersique interpretes longè aberant à iudicij veritate. Lustrationem, Christiano more, priusquàm Dominicæ Ascensionis solennitas agitur, fieri solitam, & ipsa laneis amicta, nudaque pedibus obseruabat: Christi Crucem ac Sanctorum reliquias indifferenter cum vulgo insecuta, Dei quoquè verbum auditura, pauperioribus se fœminis semper intermiscuit, non ignorans, cæleste semen in humili cordis gleba vberiùs exurgere.

In die parasceues visitar nudis pedibus Dei ecclesias.

Dies Rogationũ dicit, quibus tota Ecclesia facit solennes preces.

CAP. XI.

Exorta fame per vniuersam Alemaniam anno à natali Christiano millesimo ducentesimo vicesimoquinto, cùm in Apuliam princeps ad Imperatorem profectus esset, Elisabeth explendæ pietatis occasionem nacta, frumentum omne suæ ditionis collectum, pauperibus erogare manu largissima cœpit, pluribus eorum etiam integri victûs annonam quotidiè præbens: quorum nulli vnquàm diuino munere cibus defuit, etiamsì minus, quàm quod in diem sufficeret, accepisset. Sed cùm aduerteret plurimos egenorum præ aduersa valetudine, aut mẽbrorum incommodis, eleemosynæ communis manere expertes, quòd ascensu montis, in cuius vertice arx sita erat, præpedirentur, insigne xenodochium loco humilimo sub arce quamprimùm construere aggressa est. Cui per expensas non mediocres, vt voluërat, perfecto, eos potissimùm pauperes intulit, quos vel morborum vexabat iniquitas, vel membrorum debilitas insigni dehonestamento notabat. Quos ipsa, etsì ardui montis perdifficili descensu non immeritò deterreri potuit, quotidiè tamen sæpiùs inuisebat. Tum illi mos erat sciscitari à singulis, quonam modo sese haberent, cuius've escæ desiderio tenerentur: compertoque quod vestigabat, ea, quæ secum attulerat, tanta comitate partiri per singulos, vt matrem crederes ministrare filijs, non reginam pauperibus. Ipsa defectos viribus per se pascere, è stratu tollere, gestare brachijs, eorum lectos excutere, pediculos pulicesque conficere, & inter hæc omnia fœtorem teterrimum & virus singulorum, etiam sub æstiuo caumate, quo grauiter discruciabantur ancillæ, sereno vultu perferre: quodque alijs visu quoquè abominabile fuit, defluentem ore saliuam, ac propendentes narium mucos calantica tergere sua. Inter hos pusilli quoquè pauperum liberi erant, quos materno semper affectu ità curauit educandos, vt & matrem singuli nominarent, & ingressam velutì quædam examina certatìm omnes vallarent. Ex quorum numero eos ampliore humanitatis obsequio dignari adnotata est, quos vel squalor natiuus deformes, vel lãguor debiles, vel scabies abominationi obnoxios reddiderat: non dedignata sanctis contingere manibus, atque in gremio declinare suo, quos pedisequæ præ horrore ne videre quidem æquo animo valebant. His aliquandò xeniola quædam, ac ludicra fictilia hyalinaque, quibus illa ætas gaudet, ad solatium perlatura de arce, nonnihil iam descenderat equo sedens, cùm fortè soluto gremio cuncta illa munuscula repentino casu, obuijs hincindè rupibus illisa, delabuntur in præceps. Inuenta mox & relata, (dictu mirabile) tantæ sunt integritatis probata, vt testæ ferrum, & vitro chalybem infuisse credi posset. Selegit quoquè ex omni turba pauperum aliquos, quibus pro arce iussis in tempore adesse, ciborum reliquias manu sua distribuit, plurimum sibi suisque interdùm subtrahens, nè quisquam expectantium non abundè refectus discederet.

Liberaliter alit pauperes.

Construit xenodochiũ

Nota insignem humanitatem.

Pauperum liberi matrem eam nominant.

hyalina, id est, vitrea.

Præclarum miraculum.

CAP. XII.

HVic aliquandò dedita operi, cùm fragmentis ciborum distributis, potûs quoquè residuum perquàm modici singulis impartiuisset, nihilo fermè posteà minus in poçulo remãsisse comperit. Duodetriginta pauperes ità in xenodochio disposuerat, vt quopiam è viuis excedente, mox alius suggereretur, defuncti lecto potiturus. Vbi etiam pro quodam debitis obligato pecuniam ipsa dissoluit. Nongenti quotidiè mendici sub oculis eius alebantur, exceptis quos per latissimam ditionis suæ prouinciam pascebat absens: apud quos omnes tanta beneficia indefessæ humanitatis posuit, vt redditus frugesque locupletissimi principatûs vehementer exantlauerit, distractis nonnunquàm & corporis sui ornamentis, atque in precia collectis, nè Christi membra fame tabescerent. Horum causa, quæ mundus amplectitur, detestata est: quæ mundus detestatur, amplexa: vt etiam cuidam egeno lac expetenti morem gestura, intra præsepe olidum non refugerit emulgendi lactis gratia, sumpto in manus mulctrali, ad pecudis vsque papillas regina curuari. Acceptos hoc modo pauperes vsque ad messem, à se tandèm dimisit: priùs tamen vegetis, atque ad laborem idoneis subuculas, calceos & falciculas coëmit: languidis verò alia quædam indumenta, largitis insupèr nummis singulatim: quibus deficientibus, in pauperculas fœmellas pro xeniolis calanticas ac sericos panniculos distribuit, præcipiens nè talibus vterentur, sed venditis atque in nummos redactis, ità demùm necessitati suæ consulerent, manuumque labori, quæcunque ipsarum possent, consuescerent. Quarum vna precium accepti muneris secum reputans, cùm præ gaudio exclamâsset, se vna in vniuerso orbe lætiorem esse neminem, veluti exanimis prolabitur: vt Elisabeth extinctam autumans, non parùm sit verita, preciosius iusto munus accipienti mortis se causam præstitisse. Pauperibus, qui vitam posuerant, non modò vestes, quas manu sua ad id operis parauerat, *inuoluendi* gratia dedit, lotis ac variè attrectatis sine fastidio cadaueribus: verumetiam exequias fecit, ad sepulcrũ vsque funus cuiuslibet prosecuta. Adeoque ad hoc pietatis officium incumbebat, vt iustissimæ telæ pannum lineum tali dispensatione consumpserit, nolueritque, quantùm in ipsa fuit, diuitum mortuorum corpora linteis nouis contegi, sed magìs veteribus ac laceris, quô pauperibus noua melioraque subsiderent.

900. pauperes alit quotidiè præsens.

Eosque vestit.

Officia erga vita functos.

CAP. XIII.

REuersum post aliquot menses ex Apulia principem, edeatrarum œconomorumque excipiunt querelæ, profusionis accusantium Elisabeth, ob eleemosynarum in pauperes exhibitam largitatem. Quibus ille respondit: Sinite sororem meam, vt cœpit, benefacere, modò arces mihi incolumes supersint. Non deerit (scio) victus, quandiù illam permiserimus egenis subuenire. Dignum profectò principe responsum, cui plùs cordi erat vxoris pietas, quàm omnes diuitiæ, quas & amplas, & exquisitas habebat: mâlens has liberali manu dissipari, quæ nec viuenti, nec morienti sunt fidæ, quàm illam non exerceri, quæ & viuentem locupletat, & morientem non relinquit. Dignus planè & ipse sapientis eulogio, quo ait: Mulier is bonæ beatus vir. Et paulopòst: Mulier bona in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis. De quo (licèt digressio videatur fieri) pauca sunt perstringenda, quibus liquidò demonstretur, eum & tali coniuge, & citato præconio dignum fuisse. Ex editiore loco ducentes choream despicienti, muliercula quædam cæteris & forma & ornatu præstantior, à nebulone, qui tum proximè spectabat, ostenditur cum hisce verbis: Istius ego, princeps optime, vt amplexu fruaris, (si libet) procurabo. Tum ille toruis scelestum suasorem intuens luminibus: Tace, inquit, perdite, & hac suggestione supersede, si gaudere nostro cupis fauore. Peregrè quoquè apud quendam consanguineum sibi Comitem constitutus, cùm noctù quiescenti nuda se meretrix adiecisset, Gualtero, qui à secretis erat, propiùs cubanti surgere iubet, & amotam lenam nummis aliquot donare: testatus posteà, se, etiamsi adulterium ob Dei timorem minimè abhorreret, nolle tamen suam Elisabeth tanto contristare dedecore. Militi etiam cuidam inhonestam vxoris copiam, quia sterilis esset, offerenti, & ità, quo carebat, hæredem assequi volenti, tam prudenter, tamque constanter repugnauit, vt & se à criminoso prolapsu, & illum à præsumpta vendicaret insania. Familiarium ac domesticorum nullus erat, qui principe in præsentiarùm constituto, impudicum vel gestum effingere, vel verbum expromere auderet: quòd neutrum scelus, si fortè cõmissum fuisset, impunè transi-

Optimus princeps comite, fert eius largissimam liberalitatem: immò & laudat.

Eccli.26.

Lantgrauij principis encomium.

Prçclara eius castitas.

transiret. Rei diuinæ quotidiè interesse voluit, quam & solenni & magnifico apparatu celebrari fecit. Sermo illius verax & constans, grati & honesti mores, misericordia in pauperes munifica, ad fœminas omnes verecundia singularis, & optimo digna principe. Exequi iustitiam, facere iudicium, tueri pacem, ità erat illi familiare, vt principibus alijs non minùs viam monstraret pro fama, quàm lumen præferret pro exemplo. Pius princeps quotidiè auscultat sacrum. Egregię virtutes eius.

CAP. XIIII.

TErtius iam annus erat, ex quo in Apuliam princeps concesserat, cùm eccè decreto summi Pontificis Crux prædicari cœpit aduersùs Ecclesię hostes, qui Hierosolymæ & circumiacentium regionum sacra tenebant loca. Quæ fama cùm multos Christiani nominis principes, & templorum antistites, tum hunc Thuringiæ nobilissimum principem, ad transmarinam profectionem exciuit. Qui susceptam ab Episcopo Hildesemensium Crucem non statìm vesti, vt moris est, assuit, sed aliquandiù clam vxore seruauit, nè illam, priusquàm iter esset ingressurus, acerbitate præuij mœroris diutiùs afficeret. Ecce quàm tenerè vxorem suam dilexerit. Nec tamen latére diù potuit Crux recondita, casu ab Elisabeth, dum pro consuetudine marsupium principis euoluit, reperta. Quam exindè (quia rem, vt erat, animaduerterat) animo consternatā pius princeps, allegata periclitantis Ecclesiæ causa, blandissimè consolatus est. Iter tandèm ingresso, Elisabeth sociam se dies aliquot præbuit, haud dubium quin amore, quo vnicè principem diligebat, incitata. Sed cùm ad postremum vtrinquè discedendum esset, diuinæ charitatis instinctu, ad id etiam Rodolpho pincerna, viro spectatæ fidei, adhortante, videre licuit, quāto lachrymarum imbre, quàm lugubri vultu synceritatem mutui amoris vterque coniugum palàm ostenderet. Accepta Cruce, proficiscitur contra hostes fidei. Elisabeth domum reuersa, velut altera Iudith, depositis gloriæ vestibus, ac viduitatis amictu resumpto, totam se Deo commendauit, eiusque cultui addixit. Iudith 8. & 9. Princeps verò post confectam prospero successu viam, ad Imperatorem Fridericum in Siciliam peruenit. Abs quo honorificè susceptus, cùm aliquot vrbes cum eodem perlustrâsset, febribus repentè laborare cœpit. Quibus in dies magìs ac magìs exardescentibus, ad extrema vitæ perductus, cùm ab patriarcha Hierosolymitano Eucharistiæ & Vnctionis sacramenta Christiano more suscepisset, ad tertium Idus Septembris decessit. In ipso itinere reddit spiritum. Verè pius princeps, & dignus qui non peregrè, sed domi suę diem supremum obire meruisset, nisì parui referret, vbì terrarum mortales naturæ concedant, qui mori semèl habent. Nuncijs qui rem tristem perferebant, Thuringiam ingressis, prudenti amicorum consilio prouisum est, nè ab aliquo mortalium, præterquàm Sophia defuncti matre, Elisabeth viri mortem audiret. Timebatur enim teneritudini muliebri, nè fortè ad præcipitem cuiuspiam narrationem, animus eius grauiori vulnere sauciaretur, vt sunt omnia subita ad repentinam animorum mutationem efficacia. Sophia nil morata, vbi agentem in arce inuenit Elisabeth, post familiaria salutationis verba, sic eam conuenit: Nè grauatim accipias, ô filia, si quæ principi filio meo acciderint, tibi declarauero. Quibus Elisabeth auditis, captum esse suspicata, respondit: Si captus atque in vincula coniectus est frater meus, quamprimùm per Dei gratiam & amicorum munificentiam liberabitur. Tum Sophia, Diem, inquit, suum obiuit. Eius obitus valdè dolet S. Elisabeth. Perculsa mox graui mœstitudine ad tam infaustæ rei nuncium Elisabeth, consertis inuicèm manibus, amarissimè flere cœpit, dicens: Si mortem frater meus obijt, & mihi quoquè posthàc mundo eiusque vanitatibus defunctæ, morietur mundus ipse. Videre tum erat, vt dolorem de morte principis conceptum, augeret desolatio illustris viduæ, cunctisque inpræsentiarùm consistentibus lachrymas exciret vberrimas.

CAP. XV.

NOn defuit in tempore desolatæ mulieri diuina consolatio, quæ deiectū mœrore animum ità refecit confirmauitque, vt & præsentibus malis minimè succumberet, & multo grauioribus, quæ illi posteà superuenerunt, sustinendis par esset. Diuinitùs consolatione afficitur. Siquidem paruo pòst tempore magnates quidam, qui Henrico, defuncti principis fratri, per ætatem ad regendum principatum necdùm idoneo authores erant, posthabito Dei timore, ac publica honestate contempta, afflictam Dei famulam grauiùs afflicturi, fortunis omnibus exutam, ceu ignobilem aliquam, arce coëgerunt excedere. Expellitur à suis. Amplexa est hāc pro Deo ignominiam Apostolorum imitatrix, & martyrum digna purpuris. Nulla in corde libido vindictę, nullum in ore murmur, Fert animo tranquillo.

nulla in gestibus indecentia. Lætabatur quidem tacitæ virtutis conscientia,& fiducia in Deum subrecta, etiam foris pro indignitate sæuissimæ eiectionis,verecunda lachrymis affatim ora rigantibus. Iamtunc multo præstantior Prienēsi illo philosopho ibat,nihil secum portans rerum caducarum,quòd nimirùm longè meliora bona,non humeris,sed animo gestaret,quæ nec rapinæ essent,nec furto prostantia. Exacta igitur proprijs ædibus, ad inferius oppidum profecta,in cauponulam,quæ misellæ primùm offerebatur,vnà cum ancillis diuertit,mansitq; ibi tantispèr,dum noctis medio significari campanæ pulsu diuinas laudes in cœnobio fratrum Minorum audiret. Quò cùm venisset, rogauit obnixè fratres,vt hymnū,quem Te Deum laudamus, vocant,decantarent: quô semet,non modò patienti, sed & læto animo præsentem calamitatem ferre declararet, Apostoli vocem pariter & exemplum

Rom.5. secuta, qui gloriari in tribulationibus,ac Deo gratias agere,& alios docuit,& ipse inprimis non omisit. Cùm autem propter sæuitiam eorum,qui arci præsidebat, vix vnus aut alter eiectam recipere auderet hospitio,fanum ingressa desolata mulier,

Barbara quorūdam erga illam inhumanitas. magnam inibi partem diei consumpsit. Quò cùm & liberi eius nouo inhumanitatis genere ex arce fuissent allati,pari cum matre infortunio constringēdi, credi potest dolori additum esse dolorem accessione grauissima, tū quòd hyems erat, tum quòd ipsa & domicilij & rerum omnium inops,ne tantillum quidem habebat,quo se,ancillas,liberosque vel vnum diem sustentaret. Necessitate ergò, quę legem non habet,coacta, sacerdotis cuiusdam hospitium precariò, aut mendicabulo potius consequitur. Vbì cùm nō tantùm incōmodè,sed & miserè degeret, in æmuli cuiusdam sui ædes,quæ pro spatio commodiores videbantur,iussa immigrauit. Sed nec ibi agenti potuit vlla vel commoditas vel quies contingere,quandò & hāc domesticorum petulans ad inferendas iniurias libido perturbaret,& illam denegatum iussæ mansionis spatiū interciperet. Indè ergò migrans,ac parietibus,qui se qualicunque sepimento à pluuia frigoreque defenderant,valefaciens, ad prius hospitium (quandoquidem toto oppido aliud adire minimè dabatur) remeauit,dicens: Parietibus quidem gratias ago, easdem hominibus etiam actura libenter,si causa,

Ad summā inopiam redigitur fœmina tam illustris. cur id facerem,subesset. Sic filia Regis ab altissimo diuitiarum culmine deiecta,eousquè paupertatis deuénit, vt ablatis vitæ necessarijs,etiam angustias ergastuli magis,quàm diuersorij,non sine mendicitate adipisceretur: & quæ pauperum liberos materna pietate tollere solebat, suos ipsa cogeretur alendi gratia ad alios transmittere. In hac tamen rerum difficultate posita,nihilo erga pauperes minùs afficiebatur,subtrahens sæpiùs genio suo,quod illis erogaret.

CAP. XVI.

Mirandis plùs mira succedunt,dum ex omni parte insignis patiētiæ clarissima documenta se produnt. Anus quædam erat, cui Elisabeth lāguore pariter & inopia pressæ,multa pietatis beneficia præstiterat. Fortè ijs duabus, è diuerso obuiàm sibi medio itinere factis,qua transituris munita erat extantibus via silicibus,ob profundioris cœni volutabrum, anicula cedere benefactrici suæ dedignata, eam

In cœnum deiecta,fert iucundo animo. rigido proteruoque impactam occursu in cœnum deturbat, iacentemque risu & conuicijs incessens abit. Elisabeth pérlitis plurimo luto vestibus,adeò miti animo illatam tulit iniuriam,vt exundante lætioris conscientiæ gaudio, vultum serenita-

Psal.33. te perfusa, subriserit. Verùm is, qui iuxtà esse tribulatis consueuit,famulam suam, nè grauiore aduersitatis mole pressa deficeret, hoc modo dignatus est consolari: Quadragesimæ dies aduenerant, & illa consueto pietatis studio rem diuinam audiens,genibus nitebatur. Vbì expendens diuini sacrificij inæstimabile precium, incalescentibus paulatim præcordijs,adeò vehementi cogitatu supra mentis arcem euecta est,vt attonitæ similis, inconniuentibus notabili mora luminibus aram intueri,ab Isintrude pedisequarum vna sit adnotata. Abs qua cùm pro fiducia familiaritatis Elisabeth multis perurgeretur precibus, vt,quidnam cælestium rerum sub attoniti prospectûs hora vidisset,candidè patefaceret,ad postremum ait: Non est

Visio eius sub sacrificio. mihi integrum,ó filia, quæ viderim,cuiquam reuelare mortalium. Id tamen scias velim, me summo refertam gaudio fuisse, vtpotè mentis oculo arcana cælestia contemplantem. Paulopòst ad hospitiolum reuersa,cibo perquàm modicè sumpto,quòd languidiore corpusculo esset,cæteris paulispèr exire iussis, cùm in sudorem iret,veluti quiescendi gratia, in gremium Isintrudis reclinato capite,ad obiectum parietem oculos cogitabunda defigit. Exiguum temporis medium,cùm ecce

fere-

ſerenato vultu feſtiuiter admodùm cernitur ſubridere: rurſumque facto parui temporis interuallo, abacta ſerenitate, clauſis genis, fletu madeſcere: iterumque non multo pòſt tempore riſu ſereniore perfundi: quo demùm ceſſante, denuò lachrymis profuſioribus oppleri: eaque viciſſitudine diem in veſperum deducere: prolixiùs tamen ac ſæpiùs ſerenitati, quàm fletui dedita, deniquè hæc verba facere: Ità mî Domine, vt tu eſſe mecum digneris, ità & ego nunquàm abs te ſeparata, tecùm manere perſeuerabo. Iſintrudi, quæ hæc omnia diligenter adnotauerat, inſtantiùs poſtulanti, vt, quid rei contemplata fuiſſet, aperiret, quanuìs inuita, aliquandò tamen precibus deuicta, reſpondit: Vidi, inquiens, aperto cælo conſolatorem meum Chriſtum Ieſum ad me vſque inclinatum: qui animum meum graui tribulationum faſce degrauatum, benigna conſolatione leuauit, refouit, confirmauit. Cuius vt præſentia ſerenitatem vultûs placidumque riſum præ me ferebam, ità auerſione diſceſſuque ſoluebar in fletum. Quem ille protinùs miſerátus, cùm redire maturâſſet, dicens, Tibíne mecum eſſe libet, vt ipſe tecum volo? reſpondi: Ità mî Domine, vt tu mecum eſſe digneris, ità & ego nūquàm abs te ſeparata, tecum manere perſeuerabo.

Variè afficitur ex oblata alia viſione.

Chriſtus eſt conſolatur.

CAP. XVII.

ERat ſanctæ mulieri matertera, ſanctimonialium præfecta cœnobio: quæ, audita neptis ſuæ calamitate, miſeram ad ſe quamprimùm acciri aduehique, aductam ad Babenbergenſis Eccleſiæ Epiſcopum auunculum ipſius, tranſmitti honorificè procurauit. A quo humaniſſimè ſuſcepta, cùm aliquandiù ibidèm egiſſet, cœpit vir prudens, iuxta conſilium Apoſtoli, adoleſcentiorem adhuc viduam matrimonio velle deuincire, ſolicitoque animo expēdere, cuinam potiſſimùm ex principibus eam deſponderet: ob idque ipſam vnà cum pediſequis tantiſpèr ad aliam tranſmiſit arcem, dum maturiùs, quî rem meliùs conficeret ex ſententia, deliberaret. At verò pediſequæ, pari cum domina caſtitatis voto iampridèm obſtrictæ, animaduerſa præſulis voluntate, queri cum lachrymis cœperunt, magnoperè timentes, ſe antiſtitis decreto contraire non poſſe. Quas confeſtìm Eliſabeth, precibus ad Deum fuſis, totaque fiducia in Chriſtum erecta, his verbis confirmauit: Non vos, ô filiæ, timor iſte ſolicitas habeat, quem caſtitatis amore patimini. Confido ego diuinæ protectioni, vt, quod viro ſuperſtite voui, defuncto non amittam, quantunuìs etiam vel authoritas premat, vel potentia terreat, vel amicitia blandiatur. Non mihi patiar auferri ab homine, quod hominis gratia non aſſumpſi. Sed neque vim mihi vllam inferri timeo, quandoquidem taliter adactæ ſemper liberum erit & voluntate diſſentire, & ad dehoneſtandam faciē naſum præputare. Erectis per hæc verba pediſequarum animis, Epiſcopus quoquè diuino tactus inſtinctu eſt, perſuaſusq; vt propoſito ſuperſederet, miſſis actutùm nuncijs, qui aliò concedere iuſſas reducerent. Intereà temporis defuncti principis leuatur è ſepulcro cadauer, nudataque elixantium ſtudio putreſcentibus oſſa carnibus, ac ſcriniolo clauſa, in Turingiam aduehuntur, amicis ac familiaribus adeò reuerenter inſecutis, vt vbicunquè nox illos inter viam ſubſiſtere coëgiſſet, oſſibus in templo collocatis, & vigilias agi, & diuinas laudes celebrari procurauerint, ſingulisque fanis principalibus precioſum periſtroma pro defuncti requie donauerint. Illatis tandèm oſſibus Franconiæ, ac Babenbergo appropinquantibus, Epiſcopus adiuncto ſibi clero, obuiàm ſolenni pompa prodiens, nobilibus aliquot ad ſe vocatis, iubet Dei famulam pariter occurrentem vtrinquè ſtipent, ac nè animis deficiat, conſolentur. Iamq; ſub oculis collocato, patefactoq; ſcriniolo, Eliſabeth conſpectis mariti reliquijs, licèt pro affectu dolori cōcedens, lachrymas tenere minimè potuerit, immortales tamē Deo gratias egit, quòd quem ſuperſtitē pro voto diutiùs habere nequiuerit, ſaltem peregrè, & in Dei opere defuncti, valeat oſſa contueri, tangere atque complecti. Mox deindè captato ſecretiore colloquio, nobilibus viris, qui à Sicilia vnà cum oſſibus aduenerant, miſerandam ſuæ calamitatis tragœdiam expoſuit, animoſq; eorū pro indignitate tam inſignis iniuriæ ità incendit, vt poſt acceptam publica fide iniunctionem antiſtitis de recuperanda dote, poſt humata Chriſtiano ritu principis oſſa, & exequias funebri pompa celebratas, non diſtulerint, commendatam fidei ſuæ illuſtrem viduam, ab acceptis iniurijs in priſtinam dignitatem aſſerturi, Henricum adoleſcentiorem principem, qui tum rerum potiebatur, conuenire.

Humaniſſimè accipitur ab Epiſcopo Bambergenſi.

1. Tim. 5.

Oſſa defuncti mariti cius, aduehuntur.

Proceribus Siciliæ ſuæ calamitatis tragœdiam exponit S. Eliſabeth.

CAP. XVIII.

FVêre autem ex his viri præstantiores Rodolphus, Ludolphus, Hartungus & Gualterus. Quorũ Rodolphus, vir multa fide & cõstantia præditus, ità exorsus est dicere: Quænam est fama de te, princeps inclyte, tam sinistra, quæ tristi nuncio aures nostras impleuit? Téne hanc fratri gratiam retulisse, vt defuncti & vxorem & liberos fortunis omnibus exui, ædibus proprijs exigi, mendicitati denique publicę exponi vel iusseris, vel permiseris? O te miserum, ac totius generis tui lachrymis deplorandum, qui vel furore proprio, vel instinctu alieno tantum admiseris facinus, quod tibi, quoàd viues, scrupulo sit futurum. Itáne iam honoris, famæ, pietatis rationem adolescens habere incipis, vt senio tuo timẽdum magis, quàm confidendum esse videatur? Quid enim per immortalem Deum peccare in te potuit mulier, pacis ac pietatis plena, cuius tibi preces multo quàm Crœsi opes, plus sunt collaturæ salutis, vt contra omnem æquitatem, contraque totius iura naturæ, immeritam domo pelleres, fortunisque priuares: neque his contentus, etiam liberos eius pari miseriæ exponeres: quorum etsi minùs sanguinem, quo te attingunt, miserabaris, vel ætatem teneram ac imparem ferendis iniurijs debuisti. Verùm scio ego tantum scelus non tam tibi, cuius clementiæ exploratam habeo indolẽ, quàm qui te circunstant, cõsiliarijs tuis ascribi debere: qui vt te adigerent à sanguine tuo denegerare, ipsi humanitatem omnem priùs exuerunt. Dabis veniam mihi, princeps maxime, si vehementior iusto sum in orando: qui vt principibus assentari nescio, ità eorum vitia pro tempore coarguere non reformido. Impositum est tibi venenatis maleuolorum persuasionibus: vtere nunc consilio Rodolphi tui: Elisabeth deintegrò dignitati suæ restituta, me authore, tibi reconciliabitur, facesset inuidia, in obliuionem ibunt offensæ: deniquè facta pace, ea ferietur amicitię fœdera, quæ tam tibi, quàm tuis omnibus sint & honori futura, & commodo. *His à* Rodolpho peroratis, ingens omnium, qui aderant, admiratio propter eximiam orandi libertatem est consecuta, & princeps ipse totus in lachrymas resolutus, nihil minùs velle, tum verbis, tum vultu est adnotatus, quàm tanto viro morem non gerere, asserens se tam perperã gestæ rei vehementer pœnitere, facturũque omnia, quæ ipse facienda suaderet.

Nobiles quidam de eius iniurijs cõqueruntur apud mariti successorẽ.

Henricus princeps de peccato dolens, eam in pristinum gradum restituit.

CAP. XIX.

QVibus Elisabeth acceptis, respondit nolle se arces & oppida possidere, curisque terreni regiminis denuò immergi: petere ea sibi non grauatè concedi, quæ ad se dotis iure pertinebant: ijs se liberè vsuram esse, & ad suam, & ad principis defuncti salutem. Quæ res cùm per Rodolphum & cæteros amicos fuisset, vt effectui mancipanda, bona fide suscepta, mansit Dei famula aliquantum temporis in arce, humanitatem plurimam reconciliati principis experta: qui eam & pro dignitate honorificè tractari, & pro commoditate splendidè ali vestirique procurauit. At illa verita, nè ad votum fluentibus vitæ necessarijs, (quæ nonnunquàm vel de rapina viantium, vel de oppressione pauperum animaduertebat prouenire, & conscientiæ suæ mordacem inquietudinem conscisceret, & diuina se gratia indignam redderet, ex dote, quam recuperare habebat, securiùs victitatura, iterùm populari se vitæ ac pristinæ paupertati sua sponte addicit. Quod vbi magnates illi viderunt, quos anteà Rodolphus inuectione merita notauerat, tanta sunt excandescentia permoti, vt ne videre quidem æquis illam animis deincèps possent: insanam, fatuam, ac superstitiosam clamitantes, quòd post defunctum principem alteras detrectando nuptias gauderet, quòd diuitias, honores, voluptates reijceret, quòd religionem cæteris nobilibus inæqualem præferret. At verò Christi ancilla testimonio bonæ conscientiæ prædita, contumelias, conuicia, subsannationes, scommata, & cætera id genus alia, adeò constanter humiliterque perpetiebatur, vt etiam gauderet dignam se esse talia pro Deo, & amore continentiæ frugalitatisque sustinere. Erat itaque impijs ostentui: pijs verò plurimæ venerationi, intantum, vt & Pontifex maximus Gregorius nonus, audita fama virtutum eius, tanquàm filiam sub Apostolicæ sedis protectionem assumpserit, assumptam Christi sacerdoti Conrado Marpurgensi commendauerit, commendatæ solatium pariter & adhortationem adhibuerit, docueritque eam, propositis sanctorum exemplis, patientiam, castitatem, perseuerantiam seruare, ac animo sæpiùs agitare, non esse aliud ad beatitudinem consequendam iter, quàm quod Christus sanctique omnes indefesso labore, vigilantique studio prætriuerunt: se non deserturum eam, quoàd viueret,

Prosperos mundi successus ferre nõ sustinẽs, redit ad voluntariam paupertatẽ S. Elisabeth

Põtifex maximus eam consolatur.

ueret, ſed vt filiam cum omnibus, quæ poſſideret, ſuæ defenſioni vendicatam habiturum: tantummodò pergeret ire, quò cœpiſſet.

CAP. XX.

HIs Eliſabeth ſcriptis mirum in modum confirmata, atque ad vberiorem virtutum frugem incenſa, magiſtrum adit, petitq; legitimam ſacri profectûs viam edoceri. Ille nihil moratus, cõtemptum ei ſeculi, caſtigationem carnis, & parſimoniam rerum caducarum, ratione, ſcripturis, & geſtis ſanctorum rebus ità perſuaſit, vt confeſtìm ad diuinum illa ſubſidium recurrens, quòd nonnullam in ſe difficultatem obeundæ eiuſce perfectionis experiretur, ſupplici precatu impetrauerit, vt quicquid mundus amat, amplectitur, magnipendit, ea deincèps omnia quaſi ſtercora execraretur, reijceret ac omninò nihili putaret: voce etiam apud ancillas teſtata, nunquàm ſibi antehàc tantum cordi fuiſſe diuitias poſſidere, quantum modò liberet eaſdem omni cœno viliores iudicare: liberoſq; ſuos iam pari ſe cum cæteris mortalibus affectione diligere, vt quos Deo planè commiſiſſet. Obtrectationes deniquè maleuolorum, & ſuperborum conuicia, ſubſannationes, deſpectũ ità pro Deo libenter amplecti, vt ijs etiam oblectari gloriarique & velit, & ſciat. Totis igitur animis ad profectum animata virtutum, poſteaquàm varia bene viuentium expendiſſet inſtituta, poſtremò vt veræ perfectionis auida, cunctis præferre decreuit paupertatem, cui appendix publicæ mendicitatis cohæreret. Quam perſuaſionem cùm magiſtro impetrandi cõſensûs gratia propoſuiſſet, renuit ille, vt vir prudens, deuotioni, quæ nobilem ac teneram mulierem minùs deceret, aſſentiri. Perſeuerantem deindè in propoſito, precibusque lachrymas iungentem, indignabunda ſeueritate compeſcuit. At illa videns rem deſtinatam, qua voluït via, minimè ſucceſſiſſe, aliam eſt non minùs difficilem aggreſſa. Aduenerat dies ſacratiſſimæ Paraſceues, cùm pro Chriſtiano ritu ſacris nudæ tegminibus viſuntur aræ. Eliſabeth ſumpta occaſione & temporis & loci (erat enim in cœnobio fratrum Minorũ) ſacellum quoddam vnà cum magiſtro ac nonnullis ex fratribus ingreſſa, poſitis ſuper altare manibus, ſolenni ac magnanima profeſſione renunciat parẽtibus, liberis, conſanguineis, pompis ac vanitatibus mundi: deniquè voluntati propriæ, adnexura etiam eueſtigiò ceſſionem terrenæ poſſeſſionis, niſi magiſter ſagacis vir ingenij, interfatus profitentis verba, nè vlteriùs iretur, effeciſſet. Secuta eſt paulopòſt magiſtrum ad Haſſiæ inſigne oppidum, quod Marpurgum vocant, proficiſcentem. Vbi cùm & æmulorum quorundam adhuc recèns vigeret inuidia, & domicilium illi nouum exædificandum eſſet, rus pauliſpèr ſeceſſit, atrium quoddam collapſi præ vetuſtate ædificij, nè cuiquam ruſticorum oneri eſſet, ingreſſa, ibidèm aliquot dies exegit, coacta ad reſtantis infumibuli parietes frõdibus in vmbraculi ſpeciem ſubrectis diſpoſitisque, veluti quoddã tugurium parare. Vbi manenti fumus, æſtus, venti & imbres non mediocrem moleſtiam afferebant: quam illa placidè ſuſtinens, Deo nihilo ſegniùs gratias agebat.

Mundi perfectum contemptum, à Deo precibus impetrat.

Velit oſtiatim mendicare victũ, ſed M. Conradus non ſinit.

Obſerua paupertatẽ & patientiam.

CAP. XXI.

EXædificato intereà temporis intra vrbem expedito magìs, quàm ſumptuoſo domicilio, reuerſa ibidèm famulari Deo in omni ſanctitate cœpit, conſtructũque à ſe quondàm xenodochiũ crebrò inuiſere, ac Chriſti membra quibus poterat fouere ſolatijs. Quanquàm aũt in cõmune pauperibus, prout facultas ſuppetebat, eleemoſynas largiebatur, delectũ tamen eorũ, quos xenodochij domicilio donaret, perquàm diligentem agebat: ijs potiſſimùm aſſumptis, qui vel Chriſtianæ religionis ſtudio cæteris excellerent, vel magìs valetudinarij eſſent. E quibus deſpicatiſſimos quoſque menſæ propriæ crebrò adhibentem cùm magiſter ruſticitatis argueret, illa reſpondit: Orare plurimùm, id æquo ferret animo. Se quidem reminiſci deliciarum, quas fuiſſet aliquandiù ſectata: decere iam ſtrictiorem præferre vitam. Scire, contrarijs ſolere curari contraria, & ſplendorem veterũ conuiuiorum, præſenti pauperũ ſqualore emẽdari ſuſtollique. Sibi taliũ conuiuarũ præſentia & faſtidiũ nullum generari, & gratiã numinis augeri. Cernẽs igitur prudens magiſter, toto illam niſu per pietatis opera ad celſitudinẽ ſanctæ perfectionis contendere, curandum magnoperè putauit, nè quid huic intentioni vel abeſſet vtile, vel adeſſet inutile. Proindè expendens, quanto ſit impedimento ſpirituali vitæ, priuata erga familiares & amicos affectio, duas illi comites Iſintrudem & Gutam, quarum præter cæteras ſingulari tenebantur amore, quamprimùm ademit. Teſtes ſunt lachry-

Nota quos ſuæ menſæ adhibuerit conuiuas.

M. Conradus eã egregiè exercet.

chrymæ vtrinquè profusæ, quid & charitatis habuerint iunctæ, & doloris senserint separatæ. Exercebatur hoc tam lugubri diuortio virtus obedientiæ, quæ illi, ad sublimitatem diuinæ contemplationis acquirendam, gradum esset factura certissimum. Ergò geminæ familiaritatis destituta solatio, & quidem gratissimo, velut aggeris obiectu præpeditum vndiquè flumen, altiùs excrescit, discitque supernè deposcere, quicquid minùs infrà consequi permittebatur. Côuictus illi posthàc cum ancillis fuit in multa humilitate & paupertate. Cibus, olera & legumina, sæpenumerò ob egestatem aqua duntaxàt, sine alio gulæ iritamento, percocta, ac interdùm, cùm ipsa coquinariam exerceret, per negligentiam semiustulata. Ob quod ab ancillis etiã castigari verbis austeriusculis minimè grauabatur. Nacta verò lautius aliquod edulium, defraudato proprio genio, id pauperibus apud se domi detentis erogabat. Vestem ab magistro accepit colore natiuo, textu rustico, valore admodùm vili, abiectoque. Pallium, quia breuius, quàm vt decenter ab ea deferretur, erat, assuto alterius coloris panno productum habebat. Laceras diruptasque vestium partes resarciri ferebat discoloribus vilium panniculorum recisamentis, quibus & ipsa frequenter parietum vitia redintegrabat, aut potiùs oppilabat. Rupta manicarum vel aliarum partium per se si quandò reficeret, quòd eiusce artis foret imperita, non tam refecisse, quàm obstruxisse, dici rectè poterat.

Victus eius

Vestis & pallium.

CAP. XXII.

LAnicio filãdo, quia lino nesciebat, operam dabat. Indè victum quæstuaria procurabat, cunctis Regum delicijs longè gratiorem. Cui operi adeò diligenter incumbebat, vt etiam infirma lectoque decumbens, adhibita colo neret. Qua per ancillarum aliquam è manibus rapta, quô infirmiori corpusculo parceret, nè penitùs ociaretur, operi futuro prospiciens, lanã vel carptim pectebat, vel floccis hinc indè collectis, scobem sordiusculam euellebat eiectabatque, remisso interdùm ijs, quorũ operi vacabat, precio, quod vel needùm meruerat, vel mereri quàprimùm posse diffidebat, nè quid plus iusto possideret. Hac in paupertate degentem, missus ex Hungaria Comes quidam non sine vehementi stupore inuénit, tentauitq; reducere ad opes natalis soli, affirmans eo se nomine illinc missum à patre. Illum, audito quàm infeliciter filia, mariti viduata solatio, ageret, nequiuisse diutiùs legationem differre. Flagitare proindè, paterna vota in pectus admittat, seque honorificè, vndè sit oriunda, reduci permittat. Non decere filiam Regis lanicio deditam, amictu squalidam, facie deformem, intra argillosos fumosarum ædium parietes inueniri. Aliam esse conditionem nobilium, aliam popularium. Singula pro sui dignitate locis suis constitui, decorum esse, ac minimè à virtute abhorrere. Cùm his verbis nihil omninò moueretur Elisabeth, diceretque se ità vt erat permansuram, ac Deo famulaturam, Comes infecto negocio in Hungariam est reuersus. Cæterùm magna illi comitas, ac multa beneuolentia erat domì cum ancillis agenti, intantùm vt parem se ipsis, licèt ignobilibus & egenis, faceret ac reputari vellet: depositaque dominę appellatione, nollet nisì proprio nomine, adinstàr popularis fœminæ, vocari: deniquè coquinariam cum ijs factitaret, cibosq; vna ex paropside sumeret, iussis pariter accumbere. Quam dignationem vni earum plurimùm admiranti, dicentique, Tu quidem, ô Dei famula, tuum in nobis meritum accumulando, periculũ nostrũ haudquaq̃ animaduertis, quibus, quòd tanta tui dignatione donamur, obrepere tumore aliquo pestis superbiæ potest, respõdit: Quandò grauaris adhibita mẽsæ nostræ iũcto mihi latere discũbere, en gremiũ tibi meum expanditur, quo in iamiã te & accũbere & vesci oportebit. Statimq; vt ità fieret, effecit. Hãc morum comitatem mira decorabat sermonis gratia, quam & in ancillis excolebat. Si quid ea præsente diceretur, quod aut vanitatem redoleret, aut indignationem iram ve repræsentaret, id properè ac benignè his verbis castigabat: Vbi modò Dominus, qui suam de se loquentibus exhibere præsentiam haudhubiè promisit?

Victũ lanificio sibi parat.

Vocatur ad natale solũ sancta Dei.

Nô vult redire in patriã, paupertatẽ cunctis opibus anteponens.

CAP. XXIII.

PAuperũ ædes cũ ancillis inuisenti (quod crebrò faciebat) semper aliqua comes ibat, varij generis edulia deferẽs: quibus illa inter egenos manu sua distributis, mox eorum vestes, lectos, lodices dispiciebat, & deficientia, si facultas esset, extemplò præbebat. Sin minùs, distractis celeriter aureis anulis, ac sericis panniculis in nummos redactis, candidè supplebat, nihil eo in officio magis curans, quàm ne quid edulij, cuius quisque desiderio tenebatur, deesset: adeò vt piscem flagitanti obsc-

Benignitas in paupetes

obsecutura, inuocato Christo, cùm è puteo piscibus vacuo hauriret aquam, & piscem pariter ceperit, quo pauperis desiderium esuriemque sedauit. Creditur similia sæpenumerò fecisse, quæ tamen humilitatis gratia tegere silentio, quàm prodere, mâluit. Orphano cuidam puero, qui paralysi & hæmorrhoide laborabat, ità sedula domi detento ministrauit, vt sexiès illum noctù, & aliquādò crebriùs suis ipsa manibus ad excernendum deferret, sordesque fœdato detergeret. Quo demùm in humanis esse desinente, virginem lepra contaminatā, latenter in demortui locum suffecit. Cui tanta cum humilitate inseruiuit, vt non modò cibum ipsi præberet, lectum excuteret, aquam lauandæ pararet: verumetiam ad excalceandos pedes detrahendosq; socculos, pauimento tenùs semet regina demitteret. Quod vbì magister resciuit, ilicò leprosam amoueri præcepit. Neque sic quidem infracta sanctæ mulieris sedulitas, officio pietatis abstinuit: Puerum quendam capite depilem, scabie & psoris horridum assumendo: cui per studium lauandi vngendiq; adeò constanter famulata est, vt, quod per artem, cuius ignara fuit, impéndere nequibat, per fidei feruorem vt impénderet, sit consecuta. Paropsides, ollas, & cætera coquinaria vasa insigni humilitate frequenter abluebat, emissis interdùm ancillis curandi cuiuspiam negocij causa, quó liberiùs propriæ abiectioni vacaret, ità vt reuersis vel diluere, vel diluisse depræhenderetur. Extinctæ matris vmbra noctù dormienti visa est obuersari, lugubrique vultu ac flexis poplitibus orare, suî quamprimùm misereretur. Ob vitam enim negligētiùs actam, igne se pœnas soluere: moxq; hoc viso expergefactæ, ac post effusas ad Deum preces lachrymasque, denuò in soporem depressę iterùm apparére, ac immortales gratias agere pro matura liberatione: dicereque tanti apud Deum preces eius reputari, vt tam vita functis, quàm ijs, qui adhuc superessent, subuenire auxilio possint.

Miraculū.

Celat miracula sua.

Officia singularis humilitatis & charitatis.

Matris anima defunctæ, ei appáret.

Eius precibus è purgatorio liberatur.

CAP. XXIIII.

SAtis iam quidem, quantam defunctæ opem precando tulerit, declaratum est: quàm verò viuenti quoq; simili officio profuerit, superest vt probetur. Venerat matrona quædam nobilis ad illam inuisendi gratia, adducto secum adolescente, quem vestis compta & incompti mores, seculari prorsùs esse animo haud obscurè prodebant. Ad quem Elisabeth: Quid tu, inquit, ó adolescens tam insigniter & veste & moribus secularē præfers animum, quē magìs Deo tuo prona seruitute iam olim dedicatū oportuit? Est (ait adolescens) hei mihi, ità vt dicis, ó domina: sed oro te plurimùm, pro me Deum precari digneris, quô mihi bonum, quod proponis, & incipiendi & perficiendi donetur gratia. Mox illa: Itáne, inquit, seriò petis, vt pro te Deum rogem? Peto, ait ille, seriò intimeque. Statìm illa: Oportet, inquit, te itidèm facere, precesq; meas tuis iuuare. Quo persuaso, itum est, ac vtrinq; oratū loco satìs congruenti. Iamq; nonnihil moræ intercesserat, cùm eccè adolescens clamare occœpit: Iamiam, ó domina, precari desiste. Incendor enim ità tuarū feruore precum, vt ferre vix queam. Tum illa vehemētiùs orationi instare, acriore mentis annisu Deo propinquare. At ille semet intensiùs inflammari sentiens, viribusque paulatìm destitui, toto iam corpore in sudorē eunte, atq; crebri vaporis nebulam pasśìm exhalante, clamat altiore voce, disiectis præ lassitudine brachijs, genibusq; ad ruinam subsidentibus: Cessa, ô domina, cessa: quia vastissimo supplicationis tuæ incendio præcordia mea & ipsæ medullæ depascuntur. Defectū ità iuuenem duæ confestìm ex pedisequis, simulq; matrona pauloantè memorata mediū corripiūt, & nè casu repentino elideretur, sustentant, feruorē eius intensissimū, & calidissimo perfusa mēbra sudore, vix tactu manuū pati valentes. Tandèm nihilo segniùs orare perseuerantem, anhelus iuuenis quàm potuit altissima voce sæpiùs inclamat, dicens: Oro te per Iesum, vt cœpto munere iamiam supersedeas, nè me precibus infaustè mori cogas, quem vitæ meliori feliciter destinâsti. Confestìm igitur vt Elisabeth precandi studium remisit, remisso pariter calore, iuuenis est velocissimè refrigeratus, assumpturum sese maturiùs Francisci Assisiatis institutum pollicitus: quod & nō multo pòst tempore assumpsit, assumptū coluit, cultum viriliter consummauit. Hac precandi consuetudine Dei famulā multis hominum saluti fuisse, celebri memoriæ proditum est.

Obseruamirabilē vim precū eius.

Adolescens, vi precū eius cōcussus, S. Francisci institutū amplectitur.

CAP. XXV.

CAeterùm magistri & amicorū industria ac solicitudine, receptam à principe dotis nomine pecuniam, neque terræ infodit, vt timida: neq; arcis inclusit, vt

auara: sed magìs apud Christum diuini spe fœnoris collocatura, missis circunquaquè nuncijs, iubet pauperes quotcunque ad diem constitutum adesse, assignato pariter loco, nè quis eius ignoratione comparére nō posset. Congregata igitur ad diem est incredibilis multitudo vtriusq; sexûs, vt nunquàm maiore numero per Hassiam & Turingiam cōuentus inopum visus esse credatur. Videre tum erat varia genera pauperum & incommodorum, ac veluti quendam deuictis hostibus exercitum, accipiendi stipēdij gratia ad imperatorē conuenisse. Præfecerat aūt Elisabeth vniuerso cœtui viros quosdam ac mulieres, qui singulis ordine desidére iussis, tumultuantes & quietis impatientes compescerēt, adiecta publicæ confusionis pœna, id est, dehonestamento detondendi capilli, si quispiam (vt est auiditas incōditæ plebis) deserto, quem occupandum accepisset, loco, vel alijs negociū exhibere, vel secundò stipem percipere adnotaretur. Aderat etiamnùm huic spectaculo aliorū hominum ingens turba, quos rei nouitas ad vidēdum exciuerat. Ibat ergò pientissima pauperum consolatrix in medio tantæ multitudinis, læto placidoq; vultu per singulos pecuniam distribuēs, vt eius iustitia, tam insigni dissipata præconio, in memoriā duraret sempiternam. Ità paucis horis erogauit circiter quingentas argenti minas. Quo tempore puella quædam capillamēto pulcherrimo passoque, vt præuaricatrix supradictæ legis, pręsentatur accusaturque. Cui vt quamprimùm detonderetur capillus, Elisabeth præcepit. Quo statìm effecto, cùm in lachrymas puella prorumperet vberrimas, aderant qui dicerent, nihil præuaricatam esse iuuēculam: proindè immeritò affectam iniuria: venisse illam sororis inuisendæ, non stipis accipiēdæ, gratia. Ad quos Dei famula: Benè habet, inquit: nihil damni puella fecit: at magis detrimento capillorū lucrum animæ factura, deincèps nequaquàm choreis se immiscebit. Moxq; accitam interrogauit, an vnquàm sanctioris vitæ, Deoq; seruiendi habuerit volūtatem. Cui puella: Olìm, ait, votum suscepissem ad emendatioris formam instituti, si me capillamenti venustas nō retraxisset. Et ego (inquit Elisabeth) hoc magìs gratulor tuorum detonsioni capillorum, quo liquidiùs peruideo me tibi magnū salutis ademisse dispendium, non plùs gratulatura filio meo, si illum ad Romani fasces imperij prouehi contigisset. Statimq; assumptam puellam, dato humiliori habitu, intulit xenodochio, illatæq; ministrandi munus, quoàd viueret, exequendum commisit. Cæterùm remeantibus vndè venerant, pauperibus, Deumque magnificè collaudantibus, contigit nō paucos languoribus & defectu virium præpeditos, remanere noctem vnam, passimque per xenodochij angulos iacere. Quos miserata Dei famula, præcepit actutùm, calis & titionibus longo ordine cōcinnatis focum succendi, pauperibusque commodè adhibitis, panes singulatìm & senos nummos distribui, quorundam etiam pedes lauari, vngique. Tum repletis ingenti lętitia pectoribus, omnis ille cœtus sublimi cantu personare cœpit: cui sancta mulier & animi & vultûs hilaritate non minimùm est gratulata.

Ingens ad eam cōfluit inopū numerus.

Magnā pecuniæ vim illis distribuit.

Puellā quādam capillorum detonsione Deo lucratur.

CAP. XXVI.

CVm autem residuum pecuniæ, vndè semet sustentare habebat, simili pauperibus largitate distribuere pergeret, ꝙ cor ipsius vehementer ad inopes dilatatum esset: Magister futuræ necessitati prospiciens inhibuit, associatis ei fœminis seueriusculis, quæ & facta illius morosiùs obseruarent, & dictis non audientem, hoc est, egenis vltrà, ꝙ̄ licebat, aliquid erogâsse compertam, deferrent. Delata verò, confestìm comparére iubebatur, & verbis & plagis castiganda, ità vt etiam alapis eam vapulare aliquotiès contigerit: quas illa ob recordationem Dominicæ passionis perpeti admodùm gaudebat. Iussa dehinc singulos duntaxàt nummos singulis dare pauperibus, ità paruit magistro, vt nihilo remissiùs misericordi obsequeretur animo, dum inter plurimos singulatim erogabat, quod non licebat in pauciores. Quo comperto, magister ad votū minùs parenti, nummorum erogationē prorsùs interdicit, panū verò permittit: quos & ipsos profusiùs distribui cœptos, ad minutiora frusta restrinxit, cùm priùs integri largirentur. Ità mira vicissitudine & exercebatur obedientia, & misericordia prouocabatur. Si quādò eleemosynis erogandis penitùs supersedere, lepraq; contactos, aut alio morbo fœdatos vel nō recipere, vel receptos missos facere iubebatur, videre mirū fuit, vt singulari miserationis affectu discruciata, etiam foris languidiorē corporis habitum præferret. Timebat nimirùm prudens magister teneritudini fœmineæ, nè fortè attactu & deosculatione putidissimorū vlcerum (ad quod opus miro ac stupendo desiderio ferebatur) in morbum

Dū vult oīa effundere in pauperes, prohibetur à Magistro Conrado.

Obserua eximiam eius virtutem & perfectionē

rbũm aliquem incideret. Quibus verò misericordiæ operibus interdictum ei il esset, ità ijs diligẽtissimam nauabat operam, vt cùm in xenodochio, adiuuan- ıs ancillis, infirmiores lauaret, mũdatis lectos excuteret, atque in ijs reclinatos, licibus ac stratis operiret, frequentissimè diceret: Quàm benè feliciterque no- cum agitur, quibus Dominum lauare, detergere, reclinare atque contegere per- ssum est. Cui aliquandò ex pedisequis vna: Tibi, ait, cum huiuscemodi squalori- s benè est: at nobis & alijs non ità. Hortabatur matres crebrò, nè post enixos li- ros, baptisma sacrum aut negligerent, aut differrẽt: illud esse dicens stolidi, hoc prudentis animi: vtrunque periculi plenum. Infirmis quoquè, cùm morti pro- iquarent, adeò solicitè suadebat & expiandæ conscientiæ vacare, Eucharistiæq; Vnctionis vltimæ sacramenta percipere, vt mulierculam quandam, delicta con- eri diutiùs detrectantem, etiam virgis castigauerit, excussoque verberibus negli- ntiæ somno, consilijs audientem effecerit.

Moribũdis quid consuluerit.

CAP. XXVII.

ALteri præterea, quæ vicina partui erat, hospitium ac inibì ad victum necessa- ria commodè contulerat, natamque prolem Elisabeth vocari, & sacro fonte tiari procurauerat: quotidieque puerperam, comportatis secum lautioribus ulijs, inuiserat, cùm ecce tandèm mulier, eiusque maritus, vt ingratissimi, relicta ia, sublatis pariter aliquot donarijs aufugerũt. Qua re Dei famula per ancillam, am illò cum lautitiarum xeniolis miserat, comperta, ilicò iubet ad se afferri in- ntulam, allatamq; vxori militis cuiusdam, vt educaretur, cõmendari. Accito de- nc vrbis Præfecto, mandat extemplò missis per compita singula statoribus, per- gas insequi, vestigarique. Quibus minimè peruestigatis, ad preces cõuersa effecit, paulopòst redirent, prostratiq; veniam postularẽt ingratitudinis ac perfidiæ: se- pœnarũ satìs soluisse fatentes, cùm manifesta numinis vltione progredi nequaq̃ lentes, ad regrediendũ, vellent nollent, cogerentur. Remissa facilè culpa, dimit- ntur abire cum filia, priùs tamen detracto mulieri pallio, quod à Dei famula col- tum illi fuerat, dicente, ità remittendã iniuriã esse, nè denuò possit irrogari. Por- pallium ipsum virgini cuidam pauperculæ datũ est: quæ mox donantis merito r Dei gratiã illustrata, perpetuæ semet virginitati dicauit. Quanquàm autẽ Elisa- eth sanctorũ reliquias pro Christiano more cereis & thure studiosissimè venera- itur, nummis etiã, quos manuum labore conquisisset, ad aras reuerenter oblatis: sa tamen est sumptuosiora simulacra nõ admodùm probare, vt etiam cœnobitis uibusdam paupertatem professis, in fanũ ipsorum ingressa, obiecerit anaglyptica pera ac sumptuosas imagines, dicens precium curãdis pauperũ corporibus adhi- ẽdum esse, & sanctorũ memoriam religiosiùs animo, q̃ exteriore cultu habendã. idèm cuidam præsens simulacrũ, quod arte simul & precio excellere videretur, udibus prosequenti: Ego, inquit, veritatẽ rei huius animo teneo, cuius tu iconem oris tantoperè miraris. Talibus ac tantis virtutũ insignibus decorata Dei famula, larthæ quidẽ officium est fideliter executa, Mariȩ tamẽ ocio non omisso. Cessanti pietatis operibus & rei familiaris cura, mos erat solitudinem petere, oculos, ma- ıs, animum ad cælestia sustollere, & quanta posset maxima intentione preces ef- ındere, neq; id quidẽ sine lachrymis: qua in re singularẽ prȩ se ferebat gratiã. Non nim, vt alijs euenire videmus, lachrymans deformiore tristitiȩ nubilo vultũ offu- abat: serena facie, atq; hilaritatẽ dulcedine quadam cõditam præferente, rigabat achrymis genas, vt gaudio illam flere, nõ mœrore, censeres. Neq; id mirum: quan- oquidẽ etiam aduersis vexata casibus, non contractũ tristitia vultũ, sed magis iu- ında porrectum lȩtitia gerebat. Diuinȩ quoq; contemplationis ignara non fuit, requenter aliquot horis in ecstasim rapta, ac mirabili suauitate perfusa. Quo tem- ore nõ solùm Angelorũ colloquijs interfuit, sed ipsum etiamnũ cõsolatorem suũ Christũ Iesum, innumerabili sanctorũ agmine vallatũ, nõ semèl vidit, audiuitque. Quid tum hauserit cõsolationis, quid gaudij persenserit, q͞d fuerit adepta virtutis, ecepto animo declarabat. Erat enim, vt de Mose quoq; legitur, splendida facies il- ius: profectò q͞a diuinæ lucis directus in eam radius, ità præcordia penitissimè lu- trauerat, vt, quoniã exuberãs fulgor limine suo cõtineri nõ potuit, per vultũ quasi er quandã animi fenestrã transluceret. Vndè factũ est, vt spiritualibus refecta deli- ijs, pòst corporis cibo vel ad multas horas omninò abstinuerit, vel q̃ parcissimè sit sa.

Facilè ignoscit ingratis, non tamen ab quȩ iustitiȩ censura.

Non displicẽt ei sacræ imagines, sed sumptus immoderatus.

In contemplatione sȩpè patitur ecstasim.

Exod. 34.

CAP. XXVIII.

Tandèm

Christus ei apparet.

TAndèm verò cùm post deductam annis multis religiosissimè vitam, tempus aduenisset, quo sanctissima Dei famula ex hac luce migraret, Christus Iesus illi iucundissimè apparuit, dicens: Veni electa mea, & cælesti thalamo, quem tibi ab æterno destinaui, potire. Hoc visu mirificè lætata, magistrum graui tunc temporis infirmitate laborantem inuisit, interrogantique quonam modo vitam deducere proponeret, si mori sibi contingeret, confestim quid diuinitùs didicisset, reuelat. Quarto pòst die aduersa valetudine corripi cœpit, paulatimque inualescente virium defectione, lecto decubuit, animo tamen semper cælestibus bonis intento, atq; in amore Christi ardente. Assidebat aliquādò iacenti ancilla vna, cùm ecce præter infirmantium morem, audit illam dulcissimo cantu personare, atque ad numeros musicos velutì cygneam vocem artifici modulatione inflectere: tum post aliquantulum moræ, auersam dicere: Vbì es, dilecta filia? Et ancilla: En, inquit, ego adsum. Subiunxitque: O quàm dulci cōcentu aures meas demulsisti, domina pientissima. Mox Elisabeth: Tunc, ait, cantum meum audîsti? Statìm ancilla: Etiam, inquit, audiui, & quidem lætissima. Cui Dei famula: Auicula, ait, cælitùs demissa, inter me & parietem desederat, tanta mihi suauitate per varia cantilenarum discrimina diuinum prçcinens melos, vt quanuìs infirmo corpusculo, non potuerim me continere, quin & ipsa concinerem pro viribus. Ante diem tertium obitûs, vendicatura sibimet secretum, iubet omnes cubiculo excedere, qui ad ipsam visendi gratia conuenerant, arceriq; foribus quoscunq; admitti petentes. Interrogata cur id faceret, Volo, inquit, tumultûs externi vacua, meminisse iudicis mei, terribilisq; censuræ, quam perbreuì habeo subire. Pridiè, quàm decederet, magistro, qui pauloantè cōualuërat, culpas integerrimè confessa, Christum in pauperibus testamento reliquit hæredem, vilem duntaxàt tunicam excipiens, in qua sepeliri postulauit: vt iam tūc nihil minùs, quàm de funeris cura & exequiarum pompa cogitâsse credatur. Paucis pòst horis Eucharistię sacramento refecta, oleoq; sacro peruncta, reliquum diei ac noctis medium tanto feruore spiritûs exegit, vt indubijs argumētis proderet Christum hospitem & pro desiderio excepisse, & pro amore exceptū tenere. Colloquebatur cum assidentibus de sanctissimis rebus, quas vel in concionibus audierat, vel instinctu diuino didicerat: ad postremum subtexens, vt Christus Mariam & Martham super obitu fratris mœrētes, inuiserit, vt fuerit benignè consolatus, vt ijs animum firma pollicitatione fecerit, vt pariter ad sepulcrū ierit, vt deniq; lachrymas intimæ verissimæq; compassionis indices profuderit. Hoc loco velutì profundam rei pulcherrimæ disputationem ingressa, cum stupore & admiratione pręsentium, de ijs Christi lachrymis tam viua, tam aculeata, tam flammea, tamq; ad imum spiritum penetrantia verba fecit, vt omnibus penitissimè compunctis, lachrymas exciuerit, vtpotè dolentes disparari se ab ea, quam intimo diligebant affectu. Ad quos Elisabeth conuersa: Nolite, ait, ô Christigenæ super me flere: mágis autē super vosmet fletu madescite. Nec aliud locuta, melos suauissimum sine labiorū motu aliquo proferre auditur: sciscitantibusque qui aderant, quid ea cantilena sibi vellet, respondit: Præcinentibus mihi, qua potui facultate, concinendi vicarium munus adiunxi, quos mirum si non audistis. Quibus verbis, creditū fuit, Angelos, qui paulò mox egressuram carnis ergastulo animam opperiebantur, cælesti personuisse harmonia, eaque infirmam, vt concineret, excitâsse.

En vt eam Dominus mirificè cōsolatur.

Munit se sub mortē Ecclesiæ sacramentis.

Ioan. 11.

Audit cæle-stes melo-dias, pariter ipsa cantans.

CAP. XXIX.

APpetente iā noctis medio, circunsedētes intuita: Quid, inquit, facturi essemus, si semet nobis humani generis inimicus repræsentaret? Nec mora: fidentissima voce velutì abigendo conspectum horribili simulacro diabolum, exclamat: Fuge miser, fuge infelix. Imminente morte: Hæc est, ait, hora virginei & immaculati partûs, admonens nos commentari debere aliquid de Iesu puello candidissimo, quemadmodùm hyeme, noctù, atq; alienis in ædibus sit natus, pannis inuolutus, collocatus in præsepio, à pastoribus inuentus, stella proditus, deniquè à Chaldæis adoratus. Hæc enim sunt nostræ salutis veneranda mysteria, locupletissima beneficia, ornamenta pulcherrima. In his tota spei nostræ ratio viget, fides proficit, charitas ardet. De his (rogo) disputemus, ac dulciter conferamus. Inter hæc verba, velutì quiete placida obdormiret, sanctissima Dei famula, capite paululùm labante, decessit. Dissipato in vulgus obitu, mirum est, quanta ad exequias eius monachorum, clericorum, ac pauperum multitudo confluxerit. E quibus inopes adeò lu-

Fidenter abigit diabolum.

Suauissimè obdormit in Domino

lugubri squalore clamosoq; eiulatu præsentium oculos & aures impleuerũt, vt nnibus ferè lachrymas excusserint: testati matrem se pientissimam, vnicumq; ac igulare paupertatis suæ in terris perfugium amisisse: nihil iam sibi residuum spei se, nescientibus ad quem eant, solatium egestatis inuenturi. Porrò ad quartũ vsq; iem sacratissimi corpusculi prorogata humatio est, id exigente frequentissimo euotæ plebis concursu. Nec erant horrori visentibus caput, ora, manus, omninò etecta: cùm in ijs, præter pallorem, nihil prorsùs neq; triste, neq; squalidum apparèret. Pristina carnis teneritudo, & ad lenissimum quenq; contactum facilè cedens perseuerabat. Videre tum erat, vt certatim aduolantes, pro se quisq; reliquiarũ aliquid, vel de capillamento nudi verticis, vel de vnguium præsegminibus, vel de mamillarum papillis, vel de auricularum summitatibus, vel de lacinijs abiectæ vilisq; tunicæ decerpere, & (quod audacius erat) præsecare festinarent: adeptasque portiunculas maximi putarent, sæpiusque deosculatas reuerenter asseruarent. Prętereà gratissimus odor nares omnium imbuebat, nihilque omninò vel minimi fœtoris sub tanti spatio temporis à quoquam percipiebatur: veluti si pro hominis cadauere (cuius est proprium, mephitim exhalare) omnium thesaurus aromatum, ac suauissimè spirantia adessent myrothecia. Quarto demùm die, peracta solẽnissimo ritu celebratione rei diuinæ, præsentibus cœnobitarũ præstantissimis patribus, clerique ac populi ingenti caterua, in sacello xenodochij vicino, preciosum corpusculum perquàm honorificè sepultum est. Decessit anno religionis nostræ millesimo, ducentesimo tricesimoprimo, tertiodecimo Calendas Decembris.

Ex defunctæ corpore manat odor gratissimus.

Mephitis, terræ putor est.

CAP. XXX.

COepit autem mox thesaurus ille quamplurimis coruscare miraculis, & rebus ipsis declarare, quàm mirabilis sit Deus in sanctis suis: adeò vt sedecim mortuos ad vitam excitâsse, leprosis munditiem, surdis auditum, mutis loquendi facultatem, claudis gressum, cæcis visum, miseris & calamitosis solatiũ contulisse famatissimè prædicetur. Quæ omnia Siffridus Moguntinus antistes, probatissimis documentis confirmata, Pontifici Maximo Gregorio nono transmisit. Qui cõmunicato cum patribus cõsilio, post diligentissimam tantæ rei discussionem, præsentibus Hierosolymæ & Antiochiæ Patriarchis, multisq; Episcoporum, Perusiæ in cœnobio fratrum Prædicatorum sexto Calendas Iunias, qui dies reuerendissimæ Pentecostes erat, post lustrationem solenni more apparatuq; magnifico peractam, inter cæremonias sacrorum, beatissimam Elisabeth quarto, postquàm decesserat, anno in diuarum retulit numerum: exędificatamq; ibidèm aram, eius honori dedicauit, dedicatam ornauit, ornatã Pontificio more dotauit. Quibus honorificè tractatis, ac fama rei per Alemaniam celeberrimè diuulgata, Siffridus antistes, cum ingenti populorum gaudio, leuandis è sepulcro sanctissimis ossibus diem cõstituit, citatis simul aliarum Ecclesiarum præfectis. Quo die incredibile dictu est, quãta Marpurgum multitudo conuenerit vtriusq; sexus, ordinũ & statuum diuersissimorũ. Præsentibus igitur Imperatore Frederico, auream coronam sanctis reliquijs dicante, cum honorificentissimo inferiorũ principũ cœtu, Moguntino, Coloniensi ac Bremensi Episcopis, necnon alijs plurimis templorũ cœnobiorumq; præsidibus, effosso tumulo, sanctissima leuantur ossa. Neq; verò continuò, cæterorum cadauerum more, horrendi fœtoris exhalatio, sed tanquàm reclusa preciosissimorũ aromatũ theca, gratissimus odor egressus, omnium, qui aderant, & nares imbuit, & animos ingenti gaudio perfudit. Imposita mox capsæ plũbeæ, sigillis Episcoporũ obsignatæ, per mediũ populi, inenarrabili desiderio præstolantis, magnificentissima pompa circunferuntur. Postridie patefacta iussu antistitũ capsa, comperiuntur (visu mirabile) benignissimæ miseratricis ossa præter naturã non parùm olei exudâsse, guttatimq; sub oculis omni ex parte eiectare: quo pérlitis quorumuis infirmorũ artubus, optata pro voto sanitas tam velociter, quàm feliciter conferebatur. Cæterùm constat monachum quendam Cistertiensem, cõtacto diuæ Elisabeth sepulcro, priùsquàm ossa eximerentur, abacto turbidissimi cordis morbo, quo per quadraginta annos miserè discruciatus fuerat, pleno munere conualuisse, & quidẽ suoipsius testimonio, quod etiã iureiurando cõfirmauit. Liquet etiamnùm alterũ, tam genere q̃ Ecclesiastica dignitate sublimem, sub idem tẽpus simili accessu tactuque, libidinosissimas affectiones atq; nequitias, qbus nõ paruo tẽpore subiacuit, multis cũ lachrymis excussisse: vt idẽ ipse, magistro supradicto dũ peccata cõfitetur, reuelauit.

Miracula ad monumentũ eius.

Asscribitur Sanctorum catalogo.

Ei⁹ ossa honorificètissimè eleuãtur.

Spirãt odorem suauissimum.

Oleũ exudant.

Eius olei miracula.

CAP.

CAP. XXXI.

DE multis verò miraculis, quæ pòst per famulam suam Deus operari dignatus est, hæc ad nos constanti veritate peruenerũt. Inprimis memoriæ proditum est, Henrico Cistertiensi monacho, dies noctesque grauissimis doloribus vexato, ità vt eiulatu clamoribusque fratres omnes ad compassionem moueret, noctu fœminam candida veste apparentem suasisse, votum diuæ nuncuparet Elisabeth, si consequi sanitatem desideraret: omittẽti insecuta nocte itidem apparuisse, idemque dixisse. Illum, quandò Abbas Priorque cœnobio abessent, consulto seniore, votum nuncupâsse, atque sequenti nocte comparente iterùm prædicta fœmina, signumque Crucis edente, conualuisse protinùs. Reuersis deindè patribus rem, quæ acciderat, miraculo quidem fuisse: voti verò nũcupationem non admodùm probatam, quòd dicerent, solere sæpè monachos cacodæmonum illusione ad malum sub specie boni permoueri: maximè, cùm nullo monachorum sua sponte vouere sit integrum. proindè melius ac securius videri, si peccatorum confessione facta, animam Deo, corpus cœnobio concrederet. Quartò dehinc fœminam eandem cessatori visam dixisse, quandò implere, quod suscepisset, votum intermitteret, in pristinam esse recasurum infirmitatem, atque, vt anteà, tantispèr exagitandũ, quoàd in animum soluere debitum induceret. Quas minas effectu misero eucstigiò sequente, monachum, facta sibi potestate, ad iter accinctum, extemplò ità conualuisse, vt persoluto gnauiter voto, nihil tale vnquàm posteà sit expertus. Cõstat etiam, puellæ cuidam è Moguntino territorio poculum petenti, cùm à porrigente diceretur, Accipe vt diabolum imbibas: protinùs immissum esse cacodæmonẽ. Illam, intumescente vehementer vtero, exclamâsse, flammigerantẽ sibi per fauces transmissum titionem, miserisque ac inconditis gestibus visentes partim perterrefacere, partim ad lachrymas permouere: atque ità per biennium vexatione durante, demùm sarcophago diuæ Elisabeth præsentatam, cum paululùm ibidèm panis ac vndæ sacræ insumpsisset, cõfestim recepta mente, exactoque nequam spiritu, cunctis qui aderant stupẽtibus, ad sanitatem rediuisse. Notum etiam apprimè est, Theodorico Traiectensis diœcesis incolæ, contractam ac prorsùs inutilem ad humanos vsus manum habenti, qui bis diuam Elisabeth inuiserat, minimè tamen voti compos effectus, cùm tertiò plena fide iter esset ingressus, occurrisse virum ætate senili, reuerendo vultu, facundia prompta, ac quò tenderet interrogâsse. Cumque ille, Marpurgum ad celeberrimam diuæ Elisabeth tumbam, respõdisset: data mox benedictione, subiecisse, vt consequendæ salutis certus pergeret, manumq; foueæ sepulcrali penitiùs inferret, atque deincèps diuum quoquè Nicolaũ honore prosequeretur: prætereà imprudentes nominâsse eos, qui perquisitis sanctorum reliquijs, votisque pro more Christiano solutis, statim discederent: cùm perseuerans in precibus ardor, fidesque Deo & sanctis maximè placeret: atque his dictis, euanuisse. Illum eiuscemodi verbis audientem, immissa tumbæ manu, perquàm celeriter curatum fuisse.

Per visum sanat misertimè vexatum.

Dæmoniaca sanatur.

Contracta manus ilicò curatur.

CAP. XXXII.

CElebre quoquè admodùm est, Hermãnum ex Coloniensi territorio, clausum carcere neruoque constrictum, post inuocatam integra fide Elisabeth, noctu eandem conspexisse, consolantemque non sine ingenti lætitia audiuisse: in patibulo deindè appensum, permissuque iudicis, cùm satis ad mortem pensilis fuisset, depositum, præsentibus patre ac patruo mirabiliter reuixisse. Insigniter etiãnum liquet, Burcardum Moguntinæ diœcesis scholarem, profluẽtibus aquæ vorticibus, dum incautiùs piscatur, absorptum mortuumque, post inuocatã per eos, qui aderant, supplici voto diuæ Elisabeth opem, vitæ redditum esse. Itidèm Berelinum, eiusdem territorij puerum quadrimum, post indubiæ mortis signa diutiùs adnotata, imploratis per matrem meritis famatissimæ Elisabeth, viuum sanumque surrexisse. Quin & alterum pari fermè ætate puerum, miserabili in puteum euentu prolapsum, facta ad diuam Elisabeth deuotione per eum, qui tum fortuitò superuenerat, mortuumque difficulter admodùm extraxerat, protinùs rediuiuum in pedes constitisse. Famatum prætereà non mediocriter est, Fredericum è Mogũtino territorio natandi peritissimum, cùm in amnem se lauandi gratia mersisset, & pauperi cuidam olim cæco, tunc meritis diuæ Elisabeth videnti, vndas per contemptum inspergeret, exasperatum audiret vicissim precari, nè vnquàm viuus, cui innatabat, flumen

Mortuus redit ad vitã.

Itém alij plures.

flumen egrederetur, vindice Eliſabeth, à qua lumen ipſe adeptus eſſet, confeſtìm obſtupeſcentibus neruis ac viribus ſubtractis, ad ima lapidis inſtàr ruiſſe, extractumque hauddubiè pro mortuo, poſt votum diuæ Eliſabeth per propinquos nũcupatum, extemplò priſtinum viuendi munus recepiſſe. Clarum item eſt, Iohannem è Mogũtina diœceſi innocentem vnà cum fure quodam deprehenſum, mortique pariter adiudicatum, rogâſſe præſentes, pro ſe Deum ac diuã Eliſabeth precarentur, nè aliter, quàm meruiſſet, ſupplicium lueret. Nec mora, è duobus in patibulo ſuſpenſis, ſtrangulato noxio, inſontē miſſam cęlitùs accepiſſe vocem, confideret ſanctiſſimę Eliſabeth, cuius eſſet quamprimùm patrocinio liberandus: ſtatimque rupto funiculo, illæſum decidiſſe, exclamâſſeque: Tu me pientiſſima Eliſabeth liberâſti. Quibuſdam autem delapſum appendi deintegrò debere dicentibus, reſpondiſſe iudicem, nolle ſe denuò ſuſpendi permittere, quem Deus liberâſſet. Ferunt etiam Volcmaro, cœnobitæ ſanctitatis eximiæ in territorio Moguntino, qui cõtrita molari lapide manu altera, intenſiſſimis die noctuque doloribus angebatur, poſt inuocatũ diuæ Eliſabeth ſubſidium, ſub nocturnis tenebris ſanctam apparuiſſe, tactuque placido adeò celerem tuliſſe opem, vt cùm manè confratribus reſtitutam in priſtinum decus manum oſtendiſſet, cunctos verterit in ſtuporem.

Pręclara ſanè miracula.

Suſpe[illegible] [illegible] liber[illegible]

CAP. XXXIII.

PAlàm quoquè eſt, puerum ex eodem territorio clauſis genis ità natum, vt à glabro ſuperciliorum vertice deducta pellicula, totos oculorum operiret orbes, iam quinquennem ſacro diuæ Eliſabeth buſto præſentatum, poſteaquàm mater imploratis ſupplici deuotione ſanctæ illius meritis, ſumptam è ſepulcro terram deſtinatæ luminum areæ alleuiſſet, cum ingenti omnium, qui aderant, admiratione, dirupta membrana, viſum recepiſſe. Nec minoris eſt miraculi res geſta, quæ ſequitur: Beatrix, Moguntini territorij puella, poſt varias infirmitates, quibus diù miſereq; vexata fuit, ad poſtremum antè quidem ſtruma, pòſt verò gibbo enormiter excreſcentibus, duplici preſſa pondere, prono in terram capite, iunctiſque ad genua manibus, reptare cœpit, omniumque oculos miſerabili ſpectaculo ſauciare. Hanc cùm mater ad tumbam diuæ Eliſabeth corbi impoſitam deportâſſet, nec vllam per decem dies opem fuiſſet experta, impatienter admodùm tuliſſe fertur, dixiſſeque: Quid tu, ô domina Eliſabeth, omnibus pietatis tuæ beneficia confers, & me ſolam, miſerrimo infortunij genere deiectam, ſine ſolatio derelinquis? Cumque ſic queſta, quà venerat, rediret, minitans ab eius ſe inuocatione, quoſcunque poſſet, auerſuram, & iam milliare ampliuſque confeciſſet, pulcherrima quædam matrona noctù quieſcẽti puellæ apparens, poſt contactum blandiſſima lenitate iugulum dorſumque, mandat vt ſurgat, ambuletque. Quæ mox pleniſſimè ſanitati reddita, cùm poſtridiè, quid per quietem vidiſſet, matri enarrâſſet, effecit vt ambæ denuò ad ſepulcrum liberatricis ſuæ redirent, gratias immortales eidẽ agentes: ac ſic Deo collaudato, ac dimiſſa ibidèm corbe pro teſtimonio tantæ rei, domum quamlætiſſimæ reuerterentur. Tradunt prætereà, Gertrudem ex eodem territorio, ob crus vtrunque contractum, incuruato corpore miſeram, in ſomnis admonitam, ad diuum Nicolaum vt proficiſceretur. Eò deportatam, vnius quidem cruris incommodo liberatam fuiſſe: alterius verò incolumitatem, non niſi contacto ſepulcro diuæ Eliſabeth, recepiſſe, cùm priùs ad amentiam vſque fuiſſet excruciata doloribus. Aliam quoquè Gertrudem eiuſdem diœceſis, cùm per annum & ampliùs moleſtiſſimam fuiſſet experta cæcitatem, ac alienis ſemper manibus deducta, ad inuocationem diuæ Eliſabeth, clariſſimè illuſtratam eſſe conſtat.

Puer cæcus terra ſepulcri eius ſanatur.

Per viſum curatur puella miſerrima.

Itèm alia fœmina.

Cæca videt.

CAP. XXXIIII.

PErquàm celebre etiamnùm eſt, Henrico ex Moguntina ſimiliter diœceſi, cæco penitùs, poſteaquàm diuæ ſepulcrum Eliſabeth inuiſiſſet, ità mirificum optatæ lucis impenſum fuiſſe beneficium, vt pòſt eidem hæmorrhoide ac vitæ deſperatione laboranti, cùm puluerem memorati buſti aquæ permiſtũ inſumpſiſſet, deſideratum prouenit auxilium. Mechtildi quoquè, Treuirenſis territorij puellæ, quæ cæca, ſurda, muta & clauda erat, ſuſcepto à parentibus ipſius ad diuam Eliſabeth voto, opem ſaluberrimam, omnimoda ſanitate conſequuta, impenſam eſſe, tam veraciter quàm conſtanter literis mandatum eſt. Sed & Heluuigi ex eodem territorio fœminæ, oculis iam per annum captæ, cùm inuocatis diuæ meritis Eliſabeth, ad eius ſe tumulum duci procurâſſet, lucem vnius quidem oculi inpræſentiarùm eſſe reſtitutam accepimus:

Diuerſa in vno hoīe miracula.

Itèm in puella.

Nota curatiõis modũ.

mus: alterius verò, non nisi domum reuersæ, cùm ei sancta per noctem adstitisset: monens, vt aræ adhibita, ventulum sibi panniculo byssino, super quem Christi corpus poni solitum est, fieri postularet: hocque facto, plenissimam geminatæ lucis gratiam protinùs collatam esse. Quid deniquè Theoderico, Moguntinæ diœcesis incolę contigerit, silentio præterire non oportet. Is vtroque crure debilissimus, nuncupato ad diuam Elisabeth voto, cùm eius se tumbæ partìm reptando, partìm aliorum auxilijs viam conficiendo repræsentâsset, nec per decursum integri mensis quicquam opis assecutus fuisset, qua venerat, solita domum tarditate reuertitur. Cui in itinere adhuc constituto, iuxtaque alium ægrotum noctù quiescenti, visum est perfundi se plurima aqua, totumque madescere. Quapropter somno experrectus, in adiacentem stomachari cœpit, querens, ab eo se vndis esse perfusum. Qui rem, vt erat, conijciens, negat se quicquam liquoris lecto intulisse: subiûgitque, credere se perfusionem eiuscemodi salutarem ipsi & esse & fore: tantummodò surgeret, gressumque moliretur. Mira & gloriosa res. Qui cubitum debilissimus iërat, sanissimus è lecto surrexit: ità vt impositos humero scipiones, quibus inter reptandum vti solebat, ad sepulcrum diuæ matronæ tam viuaciter quàm feliciter tulerit: actisque pro adepto munere gratijs, lætus domum remeauerit.

Per visum restituitur claudus.

HISTORIA SANCTI EADMVNDI REGIS ANGLIAE ET MARTYRIS, AVTHORE ABBONE *Floriacensi Abbate: qui claruit Anno Christi 970.*

Vide Vitã Osuualdi Episcopi Tomo 5. Octobris 15

PRAEFATIO AVTHORIS AD DVNstanum Archiepiscopum Cantuariensem.

Doroberne̅sis Ecclesia eadem, quæ Cantuariensis.



DOmino sanctæ metropolitanæ Dorobernensium Ecclesiæ Archiepiscopo Dunstano, verè moribus & ætate maturo, Abbo Floriacensis monachus Leuita, etsì indignus, à Christo Domino irriguũ superius & irriguum inferius. Postquàm à te, venerabilis pater, digressus sum cum multa alacritate cordis, & ad monasterium, quod nôsti, festinus redij, cœperunt me obnixè ij, cum quibus fraterna charitate detentus hospitando hactenùs degi, pulsare manu sancti desiderij, vt mirabilium patratoris Eadmundi Regis & martyris passionem literis digererem, asserentes id posteris profuturum, tibi gratum, ac meæ paruitatis apud Anglorum Ecclesias non inutile monimentum. Audierant enim, quòd iam pluribus ignotam, à nemine scriptam, tua sanctitas ex antiquitatis memoria collectam, historialiter me præsente retulisset domino Rofensis Ecclesiæ Episcopo, & Abbati monasterij, quod dicitur Mealmesbyri, ac alijs circumassistentibus, sicut tuus mos est, fratribus, quos pabulo diuini verbi Latina & patria lingua pascere non desinis. Quibus fatebaris oculos suffusus lachrymis, quòd eam iunior didicisses à quodam sene decrepito, qui eam simpliciter & plena fide referebat gloriosissimo Regi Ethelstano, iureiurando asserens, quòd eâdem die fuisset armiger beati viri, qua pro Christo martyr occubuit.

Cuius assertioni quia intantùm fidem accomodâsti, vt promptuario memoriæ verba exintegrò reconderes, quæ postmodùm iunioribus mellito ore eructares: cœperunt fratres instantiùs meæ pusillitati incumbere, vt eorum feruenti desiderio satisfacerem, ac pro virium facultate tantorum operum seriem perire non sinerem. Quorum petitioni cùm pro suî reuerentia nollem contradicere, posthabitis aliquantulùm secularium literarum studijs, quasi ad interiorem animæ philosophiam me contuli, dum eius, qui verè philosophatus est in throno regni, virtutes scribere proposui: maximè tamen eas, quæ post eius obitum seculis inauditæ factæ sunt: quibus nemo crederet, nisi eas tuæ assertionis irrefragabilis authoritas roborâsset. Siquidem tu, cui nix capitis credi compellit, quandò referebas de ea, quæ nunc est, incorruptione Regis, quidam diligentiùs requisiuit, vtrùm hæc ità esse possent. Cuius quæstionis ambiguum volens purgare tu vastæ peritiæ sacrarium, pro exemplo adiecisti, quod multò magìs audientium attonita corda cõcussit, quia sanctus Domini Cuthbertus, incomparabilis confessor & Episcopus, non solùm adhuc expectat diem primæ resurrectionis incorrupto corpore, sed etiam perfusus quodam blando tepore. Quod ego

Regis Edmundi corpus incorruptum manet.

Nota lector rem admirationedi-

ego admirans pro argumento habui, quo tandèm ad sancti Regis gesta elucubranda certior accessi, fidens de eius & tuis incomparabilibus meritis. Cui primitias mei laboris consecrans, suppliciter obsecro, vt vel vna die vertas mihi tuum ocium in honestum negocium, resecando hinc superflua, supplendo hiātia: quoniam ex ore tuo, præter seriem vltimi miraculi, omnia veracē secutus verax digessi, exhortans omnes ad amorem tanti martyris. Vale pater in Christo.

gn·ssimam, Porrò autē etiā nostra ætate huius S. Cuthberti corpus integrum repertū est. Vide Alani Copi Dialogū 3. cap 29.

NARRATIO.

Nouēbr. 20



ASSCITI aliquandò in Britanniam precario munere in perniciosum auxilium tres Germaniæ populi, hoc est, Saxones, Iuti, & Angli, primùm Britonibus interdiù fuère * præsidij. Qui cùm sæpiùs bello lacessiti, se & suos defensarent fortiter, illi verò ignauiæ operam dantes, quasì proletarij ad solam voluptatem domì residerent, sisi de inuicta fortitudine stipendiariorum militum, quos sibi conduxerant, ipsos miseros indigenas domo patriaque pellere deliberant. factumque est: &, exclusis Britonibus, statuunt inter se diuidere victores alienigenę insulam, bonis omnibus fœcundissimam: indignum iudicantes, eam ignauorum dominio detineri, quæ ad defensionem suam idoneis posset præbere sufficientem alimonam & optimis viris. Qua occasione inducti, orientalem ipsius insulæ partem, quæ vsque hodiè lingua Anglorum Eastengle vocatur sortito nomine, Saxones sunt adepti, Iutis & Anglis ad alia tendentibus, in quibus suæ sortis funiculo potirentur, nè esset cum sodalibus vllum de possessione litigium, quibus suppeteret amplitudo terræ ad regnandi emolumentum. Vndè contigit, vt per regiones & prouincias diuisa, plurimis primùm Ducibus, deindè Regibus, sufficeret vna eademque Britannia.

Cap. 1. for. * præsidio. Britannia à Saxonibus &c. occupatur.

At prædicta orientalis pars, cùm alijs, tum eo nobilis habetur, quòd aquis penè vndiquè alluitur: quoniam à subsolano & euro cingitur oceano: ab aquilone verò, immensarum paludum vligine: quæ exorientes propter æqualitatem terræ à meditullio fermè totius Britanniæ, per centum & eo ampliùs millia, cum maximis fluminibus descendunt in mare. Ab ea autem parte, qua sol vergitur in occasum, ipsa prouincia reliquæ insulæ est continua, & ob id peruia: sed nè crebra irruptione hostium incursetur, aggere adinstàr altioris muri fossa humo præmunitur. Interiùs * vbere glebæ satis admodùm læta, hortorum nemorumque amœnitate gratissima, ferarum venatione insignis, pascuis pecorum & iumentorum non mediocriter fertilis. De piscosis fluminibus reticemus, cùm hinc eam, vt dictum est, lingua maris allambit, indè plaudibus dilatatis, stagnorum ad duo vel tria millia spatiosorum innumerabilis multitudo præterfluit. Quæ paludes prębent pluribus monachorum gregibus optatos solitariæ conuersationis sinus, quibus inclusi, non indigeant solitudine eremi: ex quibus sunt sancti monachorum patris Benedicti cælibes cœnobitæ, in loco celebri hac tempestate.

Cap. 2. for. * vberis. millia, pro milliaria.

Sed vt ad propositum reuertamur, huic prouinciæ tam feraci, quam diximus Eastengle vocabulo nuncupari, præfuit sanctissimus Deoque acceptus Eadmundus, ex antiquorum Saxonum nobili prosapia oriundus, à primæuo suæ ætatis tempore cultor veracissimus fidei Christianæ. Qui atauis Regibus editus, cùm bonis polleret moribus, omnium comprouincialium vnanimi fauore non tantùm eligitur ex generis successione, quantùm rapitur, vt eis præesset sceptrigera potestate. Nam erat ei species digna imperio, quam serenissimi cordis iugiter venustabat tranquilla deuotio. Erat omnibus blando eloquio affabilis, humilitatis gratia præclarus, & inter suos coæuos mirabili mansuetudine residebat dominus absque vllo fastu superbiæ. Iamque vir sanctus præferebat in vultu, quod posteà manifestatum est diuino nutu: quoniam puer toto conamine virtutis arripuit gradum, quem diuina pietas præsciebat martyrio finiendum.

Cap. 3. Egregiæ S. Regis Eadmūdi dotes.

Nactus verò culmen regiminis, quantæ fuerit in subiectos benignitatis, quantæ in peruersos districtionis, non est nostræ facultatis euoluere, qui eius minima, quo conueniret sermone, non possumus expedire. Siquidē ità columbinæ simplicitatis mansuetudine temperauit serpentinæ calliditatis astutiam, vt nec antiqui hostis decipe-

Cap. 4. Lenitas & seueritas S. Eadmundi.

retur simulatione fraudulenta, nec malignorum hominum reciperet cōtra iustitiam sententias, rem quam nesciebat, diligentissimè inuestigans. Gradiensque via regia, nec declinabat ad dexteram, extollendo se de meritis: nec ad sinistram, succumbendo vitijs humanæ fragilitatis. Erat quoquè egentibus dapsilis liberaliter, pupillis & viduis clementissimus pater, semper habens præ oculis dictum illius sapientis: Principem te constituerunt? noli extolli, sed esto in illis, quasi vnus ex illis. Cumque tam conspicuis in Christo & Ecclesia emineret bonorum actuum ornamentis, eius patientiam, sicut & sancti Iob, aggressus est experiri inimicus humani generis: qui eo bonis plùs inuidet, quo appetitu bonæ voluntatis caret.

Eccli.32. Iob 1. & 2.

Cap.5. Quocircà vnum ex suis membris ei aduersarium immisit, qui omnibus, quæ habuerat, vndeundè sublatis, ad impatientiam, si posset, erumpere cogeret, vt desperans, Deo in faciem benediceret. Fuit autem idem aduersarius, Inguar vocabulo dictus: qui cum altero, Hubba nomine, eiusdem peruersitatis homine, nisi diuina impediretur miseratione, conatus est in exterminium adducere totius fines Britanniæ. Nec mirum, cùm venerint indurati frigore suæ malitiæ, ab illo terræ vertice, quo sedem suam posuit, qui per elationem altissimo similis esse concupiuit. Deniquè constat iuxta prophetæ vaticinium, quòd ab Aquilone venit omne malum: sicut plùs æquo didicêre perperàm passi aduersos iactus cadētis tesseræ, quo Aquilonalium gentium experti sunt sæuitiam: quas certum est adeò crudeles esse naturali ferocitate, vt nesciant malis hominum mitescere: quandoquidem quidam ex eis populi vescuntur humanis carnibus, qui ex facto Græca appellatione Anthropophagi vocantur. Talesque nationes abundant plurimæ infra Scythiam prope Hyperboreos montes, quæ Antichristum, vt legimus, secuturæ sunt ante omnes gentes, vt absque vlla miseratione pascantur hominum cruciatibus, qui characterem bestiæ noluerint circunferre in frontibus. Vndè iam inquietando Christicolas, pacem cum eis habere nequeunt, maximè Dani, Occidentis regionibus nimiùm vicini, quoniam circa eas piraticam exercent frequentibus latrocinijs. Ex eorum ergò genere prædicti duces Inguar & Hubba * Nordanhumbrorum primitùs aggressi expugnare prouinciam, graui depopulatione totam peruagantur ex ordine. Quorum pessimis conatibus nullus resistere potuit ex prouincialibus, quin mulctarentur merita supernæ indignationis ira; agente ministro iniquitatis Hubba: quem præda facta Inguar reliquit ibi crudelitatis socium, & à boreali parte oriētali subitò adstans cum magna classe, ad eius quandam ciuitatem latenter appulit: quam ignaris ciuibus introgressus, ignibus cremandam dedit, pueros, senes cum iunioribus in plateis ciuitatis obuiàm factos iugulat, & matronalem seu virginalem pudicitiam ludibrio tradendam mandat. Maritus cum coniuge aut mortuus, aut moribundus iacebat in limine: infans raptus à matris vberibus, vt maior esset eiulatus, trucidabatur coram maternis obtutibus. Furebat impius miles lustrata vrbe ardendo ad flagitiū, quo posset placere tyranno, qui solo crudelitatis studio iusserat perire innoxios.

Benedicere pro maledicere in sacra scriptura, frequēs vsus. Esa.14. Iere.1. Infra, pro intra. Dani infesti Christianis. * Nordanimbrorū Dani crudeliter depopulantur Britanniā.

Cap.6. Cumque iam multitudine interfectorum Achæmeniam rabiem non tantùm exaturâsset, quantùm fatigatus in posterū distulisset, euocat quosdam plebeios, quos suo gladio credidit esse indignos, ac vbi Rex eorum tunc temporis vitam degeret, solicitus perscrutator inuestigare studet. Nam ad eum fama peruenerat, quòd idem Rex gloriosus, videlicet Eadmundus, florenti ætate & robustis viribus, bello per omnia esset strenuus: & idcircò festinabat passim neci tradere, quos circuncircà poterat reperire, nè stipatus militum agmine, ad defensionem suorum posset Rex sibi resistere, qui morabatur eo tempore ab vrbe longiùs in villa, quæ lingua eorum Hagilisdun dicitur, à qua & sylua vicina eodem nomine vocatur: existimans impijssimus, vt se rei veritas habebat, quia quantos suus funestus satelles præoccuparet ad interitum perducere, tantos, si dimicandum esset, regius occursus in exercitu cōtraheret minùs. Classem quoquè absque valida manu non audebat deserere: quoniam velut lupis vespertinis mos est, clanculò ad plana descendere, repetitis quantocyùs notis syluarum latibulis: sic consueuit eadem Danorum & Alanorum natio: cùm semper studeat rapto viuere, nunquàm tamen indicta pugna palàm contendit cum hoste, nisi præuenta insidijs, ablata spe ad portus nauium remeandi.

Tyrannus à plebeijs percōtatur vbi Eadmudus Rex latitet.

Cap.7. Quapropter circunspectus plurimùm, accito vno ex commilitonibus, cum ad Regem, huiusmodi curarum tumultibus expeditum dirigit, qui exploret, quæ sit ei summa rei familiaris, improuisum, vt contigit, quærens subiugare tormentis, si eius nollet

obtemperare feralibus edictis. Ipse eum, grandi comitatu succenturiatus, lento pede subsequitur, & iniquæ legationis baiulo imperat, vt timoris periculo nudus, ità incautum adoriatur: Terra marique metuendus dominus noster Inguar, Rex inuictissimus, diuersas terras subijciendo sibi armis, ad huius prouinciæ optatum litus cum multis nauibus hyematurus appulit: atque idcircò mandat, vt cum eo antiquos thesauros & paternas diuitias, sub eo regnaturus, diuidas. Cuius si aspernaris potentiam, innumeris legionibus fultam, tuo præiudicio & vita indignus iudicaberis, & regno. Et quis tu, vt tantæ potentiæ insolenter audeas contradicere? Marinæ tempestatis procella nostris seruit remigijs, nec remouet à proposito directæ intentionis: quibus nec ingens mugitus cæli, nec crebri iactus fulminum vnquàm nocuerunt, fauente gratia elementorum. Esto itaque cum tuis omnibus sub hoc Imperatore maximo, cui famulantur elementa pro sibi innata clementia: quoniam nouit pijssimus in omni negocio parcere subiectis, & debellare superbos. Inguar tyranni superbissima mãdata ad S. Eadmundũ

Quo audito, Rex sanctissimus alto cordis dolore ingemuit, & accito vno ex suis Episcopis, qui ei erat à secretis, quid super his respondere deberet, consulit. Cumque ille timidus pro vita Regis, ad consentiendum plurimis hortaretur exemplis, Rex obstipo capite defigens lumina terræ, paululùm conticuit, & sic demùm ora resoluit: O Episcope, viui ad id peruenimus, quod nunquàm veriti sumus? Eccè barbarus aduena districto ense veteribus nostri regni colonis imminet, & quondàm felix indigena suspirando gemens tacet. Et vtinàm inpræsentiarùm viuendo quique gemerent, nè cruenta cæde perirent: quatenùs patriæ dulcibus aruis, etiam me occũbente, superstites fierent, & ad pristinæ felicitatis gloriam postmodùm redirent. Cui Episcopus: Quos, inquit, optas esse superstites patriæ, cùm iam hostilis gladius vix aliquem reliquerit in plena vrbe? Hebetatis securibus tuorum cadaueribus, te destitutum milite, veniunt loris constringere. Quapropter Rex, dimidium animæ meæ, nisi fugæ præsido, aut deditionis infausto patrocinio præcaueas, hîc statim aderunt tortores, quorum nefando obsequio pœnas lues. Ad hæc Rex beatissimus: Hoc est, ait, quod desidero, quod omnibus votis antepono, nè supersim meis charissimis fidelibus, quos cum liberis & vxoribus in lecto eorum animas furando perdidit pirata truculentus. Et quid suggeris, vt in extremis vitæ desolatus meo satellite, fugiendo inferam crimen nostræ gloriæ? Semper delatoriæ accusationis calumniam euitaui, nunquàm relictæ militiæ probra sustinui, eô quòd honestum mihi esset pro patria mori: & nunc ero mei voluntarius proditor, cui pro amissione charorum ipsa lux est fastidio? Omnipotens rerum arbiter testis assistit, quòd me seu viuum, seu mortuum nullus separabit à charitate Christi, cuius in confessione baptismatis suscepi annulum fidei, abrenunciato satana & omnibus pompis eius. Qua abrenunciatione contigit, vt ad laudem & gloriam æternæ Trinitatis tertiò mererer consecrari, delibutus ob compendium perennis vitæ sanctificati chrismatis perunctione: Primò quidem, accepta stola lauacri salutaris: secundò, per Confirmationem exhibitam maiusculo pontificali signaculo: tertiò, vbì vestra & totius populi communi acclamatione vsus sum hac regni perfunctoria potestate. Sicque vnguento mysticæ consecrationis tripliciter irroratus, Anglorum reipublicæ decreui plùs prodesse, quàm præesse, aspernando subdere colla iugo, nisi diuino seruitio. Nunc simulata beneuolentia prætendit callidus suæ machinationis muscipulam, qua seruum Christi irretire deliberat, maximè cùm promittit, quod nobis largitas superna concessit. Vitam indulget, qua necdùm careo: regnum promittit, quod habeo: opes conferre cupit, quibus non egeo. Pro his ergò nunc incipiam seruire duobus dominis, qui me sub Christo solo viuere, sub Christo solo regnare, præsentibus palatinis deuouerim? Cap. 8. Cõsulit Rex Episcopum, quid sit aduersario responsurus. Constantia optimi Regis, pro Christo mori parati. Nota hanc triplicẽ vnctionem.

Tunc conuersus ad eum, qui de conditione regni locuturus, ab impijssimo Inguar fuerat missus: Madefactus, inquit, cruore meorum, mortis supplicio dignus extiteras: sed planè Christi mei exemplum secutus, nolo puras commaculare manus, qui pro eius nomine, si ità contigerit, libenter paratus sum vestris telis occumbere. Ideò pernici gradu rediens festinus, domino tuo hæc responsa perfer quantocyùs: Benè filius diaboli patrem tuum imitaris, qui superbiendo intumescens, cælo corruit, & mendacio suo humanum genus inuoluere gestiens, plurimos suæ pœnæ obnoxios fecit. Cuius sectator præcipuus me nec minis terrere præuales, nec blandæ perditionis lenocinijs illectum decipies, quem ex Christi institutis inermem reperies. Thesauros & diuitias, quas nobis hactenùs contulit propitia diuinitas, sumat, consumat Cap. 9. Esa. 14. Responsum Regis Eadmundi.

tua insatiabilis auiditas: quoniam etsì hoc corpus caducum & fragile cõfringas velut vas fictile, vera libertas animi nunquàm tibi vel ad momentũ suberit. Honestius enim est, perpetuam defendere libertatem, si non armis, saltem iugulis, quàm reposcere amissam lachrymosis querimonijs: quoniam pro altero gloriosum est mori, pro altero verò opponitur contumacia seruilis. quippè seruum, quascunque domini conditiones accepit, acceptas seruare conuenit. Si eas quanlibèt iniquas respuit, reus maiestatis adiudicatur seruilibus supplicijs. Sed esto, grauis est huius seruitutis vsus: at grauior vlceratio, quę solet nasci ex huiusmodi infortunio. Siquidem vt nouerunt, qui frequentiùs ratiocinãdo forensibus causis intersunt, ex repugnãtibus facta complexionis consequẽtia, certum est, quia si libertas petitur, proculdubiò dominus suo cõtemptu leditur. Idcircò seu spontè, seu inuitus de carcere suo meus ad cælum euolet liber spiritus, nulla emancipationis aut abalienationis specie contaminatus: quia Regem diminutum capite, nunquàm Danus videbis ad triumphum superuiuere. Solicitas me spe regni, interfectis omnibus meis, acsì mihi tã dira sit cupido regnandi, vt velim pręesse domibus vacuis habitatore nobili, & preciosa supellectili. Vt cœpit tua sæua feritas, post famulos Regem solio diripiat, trahat, conspuat, colaphis cædat ad vltimum iugulet. Rex regum ista miserans videt, & secum, vt credo, regnaturum ad æternam vitam transferet. Vndè nóueris, quòd pro amore vitæ temporalis Christianus Rex Eadmundus non se subdet pagano duci, nisì priùs effectus fuerit compos nostræ religionis, mâlens esse signifer in castris æterni Regis.

Nõ vult sanct° Dei subdi pagano Duci amore vitę temporalis.

Cap. 10.

Vix sanctus vir verba compleuerat, & renũciaturus miles pedem domo extulerat, cùm eccè Inguar obuius iubet breuiloquio vt vtatur, illi pandens per omnia arcana Regis vltima. Quæ ille dum exequitur, imperat tyrannus circunfundi omnem turbam suorum interiùs, solumq; Regem tenéri, quem suis legibus rebellẽ iam cognouerat. Tunc sanctus Rex Eadmũdus in palatio vt membrum Christi, proiectis armis, capitur, & vinculis arctioribus arctatus, constringitur, atque innocens sistitur ante impium ducem, quasì Christus ante Pilatum præsidem, cupiens eius sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Vinctus itaq; multis modis illuditur, ac tandèm fustigatus acri instantia, perducitur ad quandam arborem vicinam: ad quam geligatus, flagris dirissimis diutissimè vexatur, nec vincitur, semper Christum inuocando flebilibus vocibus. Quarè aduersarij in furorem versi, quasì ludendo ad signum, eum toto corpore sagittarum telis confodiunt, multiplicantes acerbitatem cruciatûs crebris telorum iactibus: quoniam vulnera vulneribus imprimebant, dum iacula iaculis locum dabant. Sicque factum est, vt spiculorum terebratis aculeis circunfossus palpitans horreret, velut asper hericius, aut spinis hirtus carduus, in passione similis Sebastiano egregio martyri. Cumque nec sic Inguar furcifer eum lanistis assensum præbere conspiceret, Christum inclamantem iugiter, lictori mandat protinùs, vt amputet caput eius. Ille semninecem, cui adhuc vitalis calor palpitabat in tepido pectore, vt vix posset subsistere, auellit cruento stipiti festinus, auulsumque retectis costarum latebris præ punctionibus crebris, acsì raptum eculeo, aut sæuis tortorum vngulis, iubet caput extendere, quod semper fuerat insigne regali diademate. Cumque staret mitissimus, vt aries de toto grege electus, volens felici commercio mutare vitam seculo, diuinis intentus beneficijs, iam recreabatur visione internæ lucis, qua in agone positus, satiari cupiebat attentiùs. Vndè inter verba orationis cum arrepto pugione spiculator vno ictu decapitando, hac luce priuauit. Atque ità duodecimo Calendas Decembis Deo gratissimum holocaustum Eadmundus, igne passionis examinatus, cum palma victoriæ & corona iustitiæ, Rex & martyr intrauit Senatum curiæ cælestis.

Sanct° Rex à Barbaris capitur & alligatur.

Flagris dirè cæditur.

Telis confoditur.

Caput ei amputatur.

Cap. 11.

Talique exitu Crucis mortificationem, quam iugiter in suo corpore Rex pertulit, Christi Domini sui secutus vestigia, consummauit. Ille quidem purus sceleris, in columna, ad quam vinctus fuit, sanguinem non pro se, sed pro nobis flagellorum suorum signa reliquit: iste pro adipiscẽda gloria immarcescibili cruentato stipite similes pœnas dedit. Ille integer vitæ, ob detergendam rubiginem nostrorum facinorum, sustinuit benignissimus immanium clauorum acerbitatem in palmis & pedibus: iste propter amorem nominis Domini, toto corpore grauibus sagittis horridus, & medullitùs asperitate tormentorum dilaniatus, in confessione patienter perstitit, quam ad vltimum, accepta capitali sentẽtia, finiuit. Cuius corpus ità truncum & aculeis

leis hirsutum relinquentes, cum suo authore Dani ministri diaboli, illud caput sanctum, quod non impinguauerat peccatoris oleum, sed certi mysterij sacramentum, in syluam, cui vocabulum est Hagilesdun recedentes absportauerunt, ac inter densa veprium fruteta longiùs proiectum occuluerunt, id omni sagacitate elaborantes, nè à Christianis, quos vix paucos reliquerant, sacratissimum corpus martyris cum capite, pro tumulātium modulo honestæ traderetur sepulturæ. Huic autem spectaculo tam horribili quidam nostræ religionis delitescendo interfuit, quem subtractum, vt credimus, paganorum gladijs, diuina prouidentia ad manifestandum huius rei indaginem reseruauit, licèt omninò ignorauerit, quid de capite factum esset, nisi quòd cum eo carnifices Danos interiorem syluam petere conspexisset. Caput eius sanctissimū impij illi in vepres abijciunt.

Quamobrèm quantulacunque reddita Ecclesijs pace, cœperunt Christiani de latibulis consurgere, diligenti inquisitione satagentes, vt caput sui Regis & martyris inuentum reliquo corpori vnirent, & iuxta suam facultatem condigno honore reconderent. Siquidem paganis abeuntibus, & depopulationi quoquo locorum operam dantibus, illud corpus sanctissimū adhuc sub dio positū, facilimè est repertum in eodem campo, vbì Rex occubuit, cōpleto cursu sui certaminis. Quò, propter antiquam beneficiorum memoriam, & ingenitam Regis clementiam, populi vndiquè gratuitò confluentes, cœperunt mœsto animo grauiter ferre, quòd caruissent tanta corporis portione. Quorum animis superna inspirauit benignitas, postquàm audiêrunt illius verba vtilia, qui tantæ visionis, vt dictum est, particeps adstiterat, vt collecta plurimorum multitudine, quaquauersùm per inuia syluarum experirentur, si ad id loci deuenire contingeret, quo viri sancti caput iacéret. Pro certo etenim omnibus verè sapientibus inerat, quòd alienæ sectæ cultores inuidendo nostræ fidei, sustulissent caput martyris, quod non longiùs intra densitatem saltûs abscondissent, aut vili cæspite obrutum, aut auibus & feris deuorandum. Cumque inito consilio omnes pari affectu ad id concurrerent, decreuerunt vt cornibus vel tubis ductilibus singuli contenti essent, quatenùs circuncircà peruagantes, vocibus aut tubarum strepitu sibi mutuò innuerent, nè aut lustrata repeterent, aut non lustrata desererent. Quod vt factum est, res dictu mirabilis & seculis inaudita contigit. Quippè caput sancti Regis longiùs remotum à suo corpore, prorupit in vocem absque fibrarum opitulatione, aut arteriarum præcordiali munere. Vespillonum sanè more pluribus pedetentim inuia perlustrantibus, cùm jam posset audiri loquens, ad voces se inuicèm cohortantiū, & vtpotè socij ad socium, alternatìm clamantium, Vbi es? illud respondebat, designando locum, patria lingua dicens: Her, her, her: quod interpretatū Latinus sermo exprimit: Hîc, hîc, hîc. Nec vnquàm, eadem repetendo, clamare destitit, quoàd omnes ad se perduxit. Palpitabat mortuæ linguæ plectrū intra meatus faucium, manifestans in se Verbigenæ magnalia, qui rudenti asellæ humana compegit verba, vt increparet prophetæ insipientiam. Cui miraculo rerum conditor aliud annexuit, dum cælesti thesauro insolitum custodem dedit. Quippè immanis lupus eo loci diuina miseratione est repertus, qui illud sacrum caput inter brachia complexus, procumbebat humì, excubias impendens martyri. Nec sibi depositum permisit lædere quampiam bestiarum, quod inuiolabile, solotenùs prostratus, oblita voracitate, seruabat attentiùs. Quod stupefacti videntes qui confluxerāt, beatissimum Regem & martyrem Eadmundum, illi viro desideriorum iudicauerunt meritis similem, qui inter esurientium rictus leonum, illæsus spreuit minas insidiantium.

Cap. 12. Inuētio corporis eius. Nota illustre inprimis miraculum. Itèm capitis. Num. 22. 2. Pet. 2. Aliud haud vulgare miraculum. Dan. 6. & 14.

Assumentes ergò vnanimi deuotione quā inuenerant inæstimabilis precij margaritam, cum profusis præ gaudio lachrymarum imbribus, retulerunt ad suum corpus, benedicentes Deum in hymnis & laudibus, prosequente vsque ad locum sepulcri lupo, earundem reliquiarum custode & baiulo. Qui eis à tergo imminens, & quasì pro perdito pignore lugens, cùm neminem etiam irritatus læderet, nemini importunus existeret, nota dilectæ solitudinis secreta illæsus repetijt: nec vlteriùs in illis locis lupus, specie tam terribilis, apparuit. Quo tandèm recedēte, cum summa diligentia & omni sagacitatis studio aptantes, quibus creditum est, caput corpori sancto, pro tempore tradiderunt vtrunque pariter iunctum competenti mausoleo. Quo loco etiam, ædificata vili opere desupèr basilica, multis annis requieuit humatus, donèc sedatis omninò bellorum incendijs, & valida tempestate persecutionis, cœpit respirare religiosa pietas fideliū, erepta de pressuris tribulationum. Quæ vbì tempus opportunum

Cap. 13. Sepultura eius.

inuénit, deuotionem, quam erga beatissimum Regem & martyrem Eadmundum habuit, operum exhibitione multipliciter propalauit. Idem nanque sanctus sub vili tugurio sanctificatæ domûs, cuius esset apud Deum meriti, crebris manifestabat miraculorum signis. Quibus rebus permota eiusdem prouinciæ multitudo, non solùm vulgi, sed etiam nobilium, in villa regia, quæ lingua Anglorum Bedricesgueord dicitur, Latina verò Bedrici curtis vocatur, construxit permaximam miro ligneo tabulatu ecclesiam, ad quam eum, vt decebat, transtulit cum magna gloria.

Miracula ad tumulũ sancti regis.

Curtim, pro chorte.

Cap. 14. Sed mirum dictu, cùm illud preciosum corpus martyris putrefactum putaretur ob diuturnum spatium transacti temporis, ità sanum & incolume est repertum, vt non dicam caput redintegratum & compaginatum corpori, sed omninò in eo nihil vulneris, nihil cicatricis apparuerit. Sicque cum reuerentia nominandus sanctus Rex & martyr Eadmundus, integer & viuenti similimus, ad prædictum locum est translatus, vbì adhuc in eádem forma expectat beatæ resurrectionis gaudia repromissa. Tantùm in eius collo, ob signum martyrij, rubet vna tenuissima riga in modum fili coccinei: sicut testari erat solita quædam beatæ recordationis fœmina, Osuuen vocabulo dicta: quæ paulò ante hæc nostra moderna tempora, apud eius sacrosanctum tumulum ieiunijs & orationibus vacans, multa transegit annorum curricula. Cui venerabili fœminæ aut diuina reuelatione, aut nimia deuotione mos inoleuit, vt patefacto beati martyris sepulcro, quotannìs in Dominica cœna eius attondendo præcideret capillos & vngues. Quæ omnia diligenter colligens, & in capsella recondens, non neglexit quandiù vixit, excolere mira affectione, posita super altare eiusdem ecclesię, vbì adhuc reseruantur debita veneratione.

Præclarum inprimis miraculum.

Riga, pro linea.

Eccè crescũt pili & vngues in eius exanimi corpore.

Cap. 15. Sed & beatæ memoriæ Theodredus, eiusdem prouinciæ religiosus Episcopus, qui propter meritorũ prærogatiuam Bonus appellabatur, quòd de incorruptione sancti Regis diximus, tali ordine est expertus. Cùm, vt narrare adorsi sumus, præfato loco, martyris tumulationi congruo, à quibusq; religiosis multa conferrentur donaria, & ornamenta in auro & argento preciosissima: quidã malignæ mentis homines, omnis boni immemores, aggressi sunt sub nocturno silentio eandẽ infringere basilicam latrocinandi studio. Fuerunt autem octo, qui absq; vlla reuerentia sancti, decreuerant satisfacere suæ vesanæ voluntati, rapiendo furtìm omnia, quæcunque inuenissent sibi vtilia intra eiusdem monasterij septa. Vndè sumptis machinis & quibuslibet vtensilibus, quibus ad id perficiendum habebant opùs, quadam nocte aggrediuntur præmeditatum facinus, & stantes in atrio ecclesiæ, diuerso conatu vnusquisq; instat conceptę nequitiæ. Quorum alius scalam postibus applicat, vt per insertam fenestram se ingerat: alius cum lima aut fabrili malleo instat seræ aut pessulo: alij cum vangis & ligonibus suffossionẽ parietis machinantur. Sicque disposito opere, cùm singuli certatìm insudant pro virium facultate, sanctus martyr eos ligat in ipso suo conamine, vt nec pedem loco possent mouere, nec arreptum officium deserere: sed alius cum sua scala penderet sublimis in aëre, alius palàm incuruus fossor fieret, qui ad id operis furtiuus venisset. Intereà quidam matriculariorum, qui intra basilicam iacebat, somno excitus, lecto procumbebat inuitus, quem martyris potentia suo conatu vinxerat, nè suis obuius factis mirabilibus sonus fragoris creber, custodis pulsaret aures interiùs. Sed quid dicam, non posse surgere, quandò nec in vocẽ poterat erumpere? Tandèm manè adhuc persistentes fures in cœpto opere, comprehensi à pluribus, traduntur vinculis arctioribus, & tandèm prædicti sancti Episcopi Theodredi iudicio subduntur. Qui inpręmeditatus sententiam dedit, quam se dedisse posteà omni tempore vitę suæ pœnituit. Nam omnes simul iussit affigi patibulis, eò quòd ausi fuissent atrium sancti Eadmundi martyris furtiuè ingredi, non reducens ad memoriam, quod Dominus per prophetam admonet: Eos, qui ducũtur ad mortem, eruère nè cesses. factum quoquè Elisei prophetæ, qui latrunculos de Samaria pastos pane & aqua, remisit ad propria, dicens Regi volenti percutere ilicò, quòd non eos cepisset in gladio & arcu suo. Apostoli etiam præceptum, quod dicit: Secularia negocia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, id est, viros seculares, constituite ad iudicandum. Vndè Canonum authoritas prohibet, nè quis Episcopus, aut quilibet de Clero, delatoris fungatur officio: quoniam satìs dedecet ministros vitæ cælestis, assensum præbere in mortem cuiuslibet hominis. Quamobrèm prædictus Episcopus in se reuersus, grauiter indoluit, & sibi pœnitentiam indícens, diutiùs se grauibus lamentis dedit. Qua tandèm peracta pœnitentia, populis suæ diœcesços mandat, mandando conuocat, conuo-

Obserua priscam deuotionem.

Sacrilegi diuinitùs puniuntur.

Prou. 24.

4 Reg. 6.

1. Cor. 6.

conuocando suppliciter persuadet, vt triduano ieiunio à se diuinæ indignationis iracundiam remoueant, remouendo auertant: quatenùs sacrificio spiritûs contribulati placatus Dominus, illi suam gratiam concederet, quâ corpus beati martyris tangere & leuare auderet: qui licèt tantis virtutibus floreret in mundo, vili tamen & sibi incongruo continebatur mausoleo. factumque est: & illud sanctissimi Regis corpus antè dilaceratum & truncum, ità vt iam retulimus, vnitum & incorruptũ reperit, tetigit, lauit, & rursùm nouis & optimis vestibus indutum, ligneo locello reposuit, benedicens Deũ, qui mirabilis est in sanctis suis, & gloriosus in omnibus operibus suis. Corpus S. Regis post multa annorũ curricula inuenitur vnitum & incorruptũ. Psal. 68.

Nec piget referre de quodam magnæ potentiæ viro, Leofustano vocabulo, qui iuuenilis ætatis impetum non refrenans, ad id flagitij lasciuiendo prorupit, vt sibi quadam singularis potentiæ authoritate præciperet ostendi corpus tanti martyris. Cumque inhiberetur à pluribus, maximè tamen à suis fidelibus, prææualuit imperium eius: quoniam propter arrogantiam suæ nobilitatis, omnibus erat terrori. Reserato ergò locello, adstitit, adspexit, & eodem momento in amentiam versum, tradidit illum Deus in reprobum sensum: ac pœna sua didicit, quia præsumpsisset quod non licuit. Quod audiẽs pater eius, vir religiosus admodùm, cui erat Alfgarus vocabulum, exhorruit facinus flagitiosissimum, ac martyri gratias retulit, filiumque à se remouit. Qui tandèm ad summam inopiam perductus, iudicio Dei vitam finiuit, à vermibus consumptus. Sicque sanctus Rex & martyr Eadmundus omnibus innotuit, non se esse inferiorem meritis Laurentij beati Leuitæ & martyris: cuius corpus, vt refert beatus pater Gregorius, cùm quidam seu digni, seu indigni leuare volentes conspicerent, contigit vt septem ex eis ibidèm subita morte perirent. O quanta reuerentia locus ille dignus existit, qui sub specie dormientis tantum Christi testem continet, & in quo tantæ virtutes fiunt, & factæ esse referuntur, quantas hac tempestate apud Anglos nusquàm alibi audiuimus: quas ego breuitatis studio prætereo, nè alicuius fastidiosi offensam incurrerẽ iusto prolixior, credens ista posse sufficere, quę dicta sunt, ardenti desiderio eorum, qui præter Deum huius martyris patrocinio nil præferunt. De quo cõstat, sicut & de alijs sanctis omnibus, iam cum Christo regnantibus, quòd licèt eius anima sit in cęlesti gloria, non tamen per visitationem die noctuque longè est à corporis præsentia, cum quo promeruit ea, quibus iam perfruitur, beatæ immortalitatis gaudia. Nam dum in ęterna patria ei iungitur, qui vbiquè totus est, de eo habet posse, quicquid habuerit & velle, præter id solum, quod infatigabili desiderio concupiscit, vt per resurrectionem circundetur stola demutatæ carnis: quoniam tunc erit perfecta beatitudo sanctorum, cùm ad id fuerit, Christo largiente, peruentum. Temeritas viri potẽtis terribiliter castigatur. Lib. 3. Epist. 30. vbi dicũtur omnes intra decẽ dies mortui. Assumpto corpore, perfecta erit beatitudo sanctorum.

Sed de hoc sancto martyre æstimari licet, cuius sit sanctitatis in hac vita, cuius caro mortua pręfert quoddam resurrectionis decus sine suî labe aliqua: quandoquidem eos, qui huiuscemodi munere donati sunt, extollant Catholici patres suæ relationis indiculo, de singulari virginitatis adepto priuilegio: dicentes quòd iusta remuneratione etiam hîc gaudent præter morem de carnis incorruptione, qui eam vsque ad mortẽ seruauerunt, non sine iugis martyrij valida persecutione. Quid enim maius sub charitate Christianæ fidei, quàm adipisci hominem cum gratia, quod habet Angelus ex natura? Vndè diuinum oraculum quasi singulari quodam dono repromittit, quòd virgines sequentur Agnum, quocunquè ierit. Considerandum igitur, quis iste fuerit, qui in regni culmine inter tot diuitias & luxus seculi, semetipsum, calcata carnis petulantia, vincere studuit, quod eius ostendit caro incorrupta. Cui humano obsequio famulantes, satagant illi ea placere munditia, quam ei perpetuò placuisse manifestant membra incorrupta, & si non possunt virgineo flore pudicitiæ, saltem expertæ voluptatis iugi mortificatione. Quoniam si illa sanctæ animæ inuisibilis & illocabilis præsentia alicuius famulantium spurcitia offendatur, timendum est, quod propheta terribiliter comminatur: In terra sanctorum iniqua gessit: & ideò gloriam Domini non videbit. Cuius terrore sentẽtiæ permoti, huius sancti Eadmundi Regis & martyris imploremus patrocinium, vt nos cum sibi dignè famulantibus expiet à peccatis, quibus meremur supplicium, per eum, qui viuit & regnat in secula seculorum, Amen. Cap. 17. Virginitatis priuilegium. Apoc. 14. Esa. 26.

Hoc loco sequebatur Libellus de Miraculis S. Eadmundi Regis & martyris, sed alio, vt equidem sentio, authore: qui quòd verbosior esset, & non pauca Libelli capita deessent, eum ob vitandam prolixitatem omisimus.

DE SANCTO SYLVESTRO CAVILLONENSI EPISCOPO, EX DIVI GREGORII ARCHIEPISCOpi Turonensis De gloria Confessorum, Cap. 85.

Nouẽbr.20.



BEATISSIMVS verò Syluester Cauillonẽsem rexit Ecclesiam: qui quadragintaduobus annis sacerdotio ministrato, plenus dierum atque virtutum migrauit ad Dominum. Habuit autem lectulũ funibus subtilibus innexum, sub quo cùm semèl atque iterùm infirmi, siue quartanarij, siue varijs febribus oppressi, subderentur, statìm virtute diuinitùs indita sanabantur. Idcircò hic lectulus in ecclesiæ sacrarium deportatus, simili virtute nitescit. Multi enim (sicut oculis proprijs inspexi) abscissis de funibus illis particulis in longinquum deferebant, ipsisque super infirmos locatis, sanitatis adesse beneficium contuebantur. Nam mater mea ab hoc decisam particulam vt puellæ à frigorijs febricitanti collo dependi fecit, morbo extemplò depresso, puellam sanam adspexit.

Multi ægri meritis sancti Syluestri sanantur.

VITA S. BERVVARDI EPISCOPI HILDESIENSIS SIVE HILDESEMENSIS, AVTHORE Tangmaro presbytero, eius præceptore.

Nouẽb.20. Cap.1.

Osdagus Episcopus Hildesemẽ.



SANCTVS Beruuardus puer egregiæ indolis, claro Saxonum sanguine ortus, ex filia Adelberonis Palatini Comitis, traditur domino Osdago Hildesemensi Episcopo à suo auũculo religioso Diacono Folckmaro, pòst quoquè Traiectensi Episcopo: & amborum diligentia meæ paruitati, scilicet Tangmaro presbytero, (qui & hæc scripsi, qui primicerius scholæ præeram puerorum) literis imbuendus, moribusque instruendus commendatur. Quem omni deuotione cùm suscepissem, intellectûs illius capacitatem primò diuinæ paginæ leuiori lacte tentandam æstimaui. Mox itaque, vt de S. Daniele legitur, inueni in illo decuplum in omni diligentia super coæuos suos. Mirum nempe in modum tenera ætas cælesti irradiata lumine, subtili meditatione interiora diuinæ sapientiæ iugi studio rimabatur: nunc communi studio cum alijs, nunc quos diligentiores in sancta exercitatione cernebat, familiariùs seorsùm assumens propositis quæstionibus, scrupulosa quæque ad medullam euentilabat: more prudentissimæ apis singulas lectiones, quas in scholis diuersis in libris exponebam, remotiori loco sedens, intento auditu captabat, quas tamen, pueris confidens, felici furto perfectè docebat, & illorum scientiæ imprimebat.

Dan.1.

Diligentissimè literis studet puer Beruuardus

Cap.2.

Venerabilis igitur dominus Osdagus Episcopus, magnũ quid futurum in illo præuidens, Exorcistam eum ordinauit, diligentiùs me exhortans, etiam atque etiã curam illius vt agerem. Quamobrèm illum, interdùm in seruitium domini Episcopi extra monasterium excedens, mecum ducebam, vt illius ingenium, quod in multitudine epheborum discernere, atque ad votum meum discutere non potui, illis remotis, singulari studio subtiliùs diligentiusque euentilarem: mirumque in modum varijs virtutum pigmentis ornata ex illo responsa tuli. Nam sæpè totum diem inter equitandum studijs detriuimus: nunc legendo, sed breuiùs quàm soliti essemus in scholis: nunc poësi nos exercendo, per viam metro lusimus: indè ad prosaicam palæstram exercitium alternantes, interdùm simplici contextu rationem contulimus, sæpè syllogisticis sophismatis insudauimus. Ille quoquè crebrò me, etsi verecundè, acutis tamen & ex intimo aditu philosophiæ prolatis quæstionibus, solicitabat. Penè autẽ nulla hora, ne refectionis quidem, desidiæ illũ arguebat. Et quanquàm viuacissimo igne animi in omni liberali scientia flagraret, nihilo minùs tamen & leuioribus artibus, quas mechanicas vocant, studium impertiuit. In scribendo verò apprimè enituit, picturam etiam limatè exercuit: fabrili quoquè scientia & arte clusoria, omnique structura

Magnũ ingeniũ pueri.

Etiã mechanicis artib' excellit.

ſtructura mirificè excelluit, vt in pleriſque ædificijs, quæ pompatico decore compoſuit, pòſt quoquè claruit. In negocijs verò domeſticis, & ad vſum familiaris rei pertinentibus, viuaciſſimus executor, acsì his à puero innutritus, calluit.

Auus autem eius Adelbero Palatinus Comes, hunc præclarũ adoleſcentem in affectum filij ſibi adoptauit, quia in eo ſalutaris conſilij ſtationẽ ſaluberrimam reperit. Adeptus verò à Vuillegiſo venerabili Archiepiſcopo Subdiaconatûs gradũ, aliquandiù cum illo conuerſatus eſt: & cùm propter morum honeſtatem ac vitę probitatem, religionis in illo profectum ſentiret, Archiepiſcopus Diaconum illum ordinauit, interiectoque non longo ſpatio, presbyterij cum honore ſublimauit. Reuerſus indè ad præfatum Comitem, amantiſſimè ab illo ſuſceptus eſt: cui tanta ille humilitate ac inſtantia inſeruiebat, vt cęteris refrigerandi cauſa interdùm remotis, ipſe dies noctesque continuas indefeſſus ei adhæreret, & ægri ſenis imbecillitatem patientiſſimè toleraret, inter ipſum & familiã medius incederet, ſalutaribus monitis illos informans, & curam illorum apud Comitem vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoquè affectu ad filios Comitis totum ſe profudit, magnamque inter illos gratiam conciliabat. Et quamuìs in huiuſmodi familiaritate inuidia facilè ſubrepat, hanc ille tamen maxima cautela in pleriſque declinabat. Inter patrẽ quoquè & filium, dominum videlicet Epiſcopum, internuncius ſæpè diſcurrebat, magnamque inter illos familiaritatis gratiam conflabat. Ipſi quoquè Epiſcopo tantum complacuit, vt Dauentrenſi cœnobio ſua vice illum præponere vellet: ſed ipſe imbecillis aui infirmitatem ſuſtentare, quàm Epiſcopales delicias appetere, malebat. Cap. 3. Initiatur ſacerdotio.

Quo defuncto, ad palatiũ ſe contulit, ſeruiturus Othoni eius nominis tertio Imperatori, qui ſeptennis adhuc puer, cũ venerabili matre domina Theophania Augusta rebus pręerat. A qua benignè ſuſcipitur, atque in breui ſummæ familiaritatis locum apud illam obtinuit, adeò vt dominum regem fidei illius, literis imbuendũ, moribusque inſtituendum, conſenſu cunctorum Procerum, commendarit. Intereà domina Imperatrix, maximo dolore totius regni, rebus humanis exceſſit. Vndè dominus vtroque parente orbatus, totum ſe regendum in ſtationem fidiſſimi magiſtri contulit: quem familiaritate complectebatur præcipua, nec ab vllo inferiùs tractari patiebatur, quem vniuerſo virtutum decore reſperſum venerabatur. Per idem tempus venerabili Epiſcopo Oſdago decedente, hic religioſus vir Beruuardus, votis omnium ad pontificatum eligitur. Anno igitur Dominicæ incarnationis noningenteſimo nonageſimotertio, Indictione ſexta, à Vuillegiſo Archiepiſcopo Epiſcopus Hildeſemenſi Eccleſiæ ordinatur octauodecimo Calendas Februarij. Cap. 4. Fit præceptor Othonis 3. Imp. Creatur Epiſcopus Hildeſieſis.

Adeptus itaque pontificatum, quanta continentia iuuenile corpus ad virtutum culmen coëgerit, dici non poteſt: modum in cunctis agendis præcipuè amplectens, iuxta illud ſapientis, Nè quid nimìs. Morum quoquè grauitate mirificè ſenes ipſos ſuperabat, adeò vt ſubditos ſeueritatis cenſura ad agenda in pleriſque inſtituerit. Frugalitatem verò in appetendis ciborum delicijs, in eo laudare vix vllus ſufficit. Tempore verò nocturnæ quietis, ſtratis * compoſitis, lectioni interdùm intendebat: ſæpè ſomnum interrumpens, furtiuæ orationi, donèc clerici ad matutinos hymnos conſurgerent, vacabat: hymniſque expletis, multotiès pſalmodiam in diurnum vſque crepuſculum extendebat. Deindè aliquantulùm pauſans, corpuſculum recreabat, donèc itèm diluculò canonicum curſum Primæ horæ in eccleſia perſoluebat. Quo expleto, quasì regulariter ſub diſciplina conſtitutus, capitulum cum fratribus adijt, feriam quoquè & lunationem, nominaque fratrum, quorũ annualis memoria inſtabat, quotidiè recitari iubebat. Oratione verò peracta, circa Tertiam horam ad Miſſarum ſolennia feſtiua celebratione proceſſit, & magna animi contritione ſeipſum totum Domino profudit. Indè in publicum progreſſus, forenſes cauſas & oppreſſorum negocia breuiter examinabat, quia ingenio ac facundia apprimè pollebat: habuitq; clericum diſpenſatorem, qui eleemoſynæ ac pauperibus præerat: quorum multitudinem, centenos videlicet, vel eo ampliùs dictìm abundãtiſſimè victu refecit. Pleroſque etiam vel argento, aut cæteris ſubſidijs, prout facultas conceſſit, ſubleuabat. Indè officinas, vbì diuerſi vsûs metalla fiebant, circumiens, ſingulorum opera librabat, donèc circa Nonam ritè omnibus peractis, cum timore ac Domini benedictione ad menſam, fratrũ populiq; ſtipatus frequẽtia, conſedit, non pompaticè quidem, ſed religioſo ſilentio cunctis ad lectionem intentis, quæ inter cœnandũ non breuis legebatur. Infirmis quidẽ fratribus & ſenio confectis benedictionẽ de manu ſua hilariter dirigebat, Cap. 5. * cõpoſitus. Eius prolixæ vigiliæ & preces. Ampliùs 100. pauperes alit quotidie.

rigebat, cùm tamen nullum egenum in vrbe vel suburbio, quem scire posset, huiusmodi pietate priuaret. Ità quippè, iuxta Apostolum, omnia omnibus esse desiderabat, vt omnes Christo lucrifaceret.

1.Cor.9.

Cap.6. Arduum & difficile est, quotidianum eius studium verbis perstringere, quia omni nisu inter diem noctemque in diuinis perstabat. Nihilominùs quoquè cunctos sibi adhærentes, ad huiusmodi negocium impellebat: nec aliquid artis erat, quod non attentaret, etiamsi ad vnguem pertingere non valeret. Scriptoriæ nanque arti non in monasterio tantùm, sed & in diuersis locis studebat. Vndè & copiosam bibliothecam tam diuinorum, quàm philosophicorum codicum comparauit. Ingeniosos etiā pueros secum vel ad chortem ducebat: quos quicquid dignius in vlla arte occurrebat, ad exercitium impellebat. Et cùm in Christi gazophylacio quęcunque idonea sciuit, fidei deuotione congereret, non minùs tamen Cæsari, iuxta Euangelium, sua persoluebat. Nam tertio Othoni Imperatori, * beneuolentissimo atque amicissimo animo, pro scire ac posse, obsequebatur. Saxonia quippè magna ex parte piratarum cæterorumque barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incursibus sine intermissione patebat. Quam pestem depellere magno suo suorumque periculo instabat, & nunc cum alijs, interdumq; cum suis solis super eos irruens, fortiter illos attriuit. Demùm diuino instinctu munitiunculā admodùm munitam extruxit: in eaq; copijs militum dispositis, barbarorū impetum repulit, populumq; Dei ab hostili feritate liberauit. Hac autem industria sacerdotis Christi barbarico tumultu in illis locis eliminato, acriùs in circunsita loca debacchati sunt. Quibus vigilantissimus Dominici gregis pastor, vt fortis gigas se opposuit, & in rure Vuirinholt nuncupato, vbì tutissima illorum statio fuerat, præsidium munitissimum instituit, copias quoquè militum cum necessarijs rebus abundantissimè collocauit. Diuina itaque gratia periculosissimum locum populo Dei fecit tranquillum, ità vt omni spurcitia diabolicæ ac barbaricæ fraudis eliminata, locum hostilis incursionis, faceret locum orationis, & in oratorium Deo consecraret in honorem sancti Lamberti pontificis ac martyris.

Bibliotheca eius.

Matt 22.

* affectuosissimo

Vuandalos hos fuisse scribit Krātzius.

Cap.7. In prædijs autē Ecclesiæ suæ tanta congessit, vt triginta vel plures præcipuas chortes cum litorum ac colonorum familijs, clarissimis ædificijs prænitentes comparârit, cùm in alijs innumerabilibus locis decem mansos vel octo, aut minus, aut plus, prout causa acciderat, conferret. Antiqua nanque loca, ab antecessoribus suis possessa, quæ ille inculta reperit, optimis ædificijs collustrauit. Ecclesiam quoquè suam miro studio decorare ardenter instabat. Vndè exquisita tam lucida pictura tam parietes, quàm laquearia exornabat, vt ex veteri nouam factam putares. Fecit & ad solennem processionem in præcipuis festis Euangelia, auro & gemmis clarissima: thymiamateria quoquè precij & magnifici ponderis. Calices nihilominùs plures, vnum ex * onyche, alterum verò crystallinū mira industria composuit. Coronam quoquè auro argentoq; radiantem miræ magnitudinis in facie templi suspendit: ciuitatemque muro ac turribus munire inchoauit. Paruam etiam ecclesiam valdè splendidam extra murum in honore viuificę Crucis extruxit, cuius etiam aliquam partem, largiente domino tertio Othone Augusto Imperatore, ibidèm clarissimis gemmis auroque purissimo inclusam condidit: vbì etiam diuina pietas plurima signorum miracula per virtutem S. Crucis ostendit. Et cùm venerabilis pontifex Beruuardus thecam auro gemmisque lautissimam, in qua viuificum lignum includeret, pararet, ac cum tribus particulis sancti ligni quartam, si fieri posset, excidere tentaret, vt per singulas apsides portiones conderet, nec gracilitas, nec paruitas quacunque ex causa sectionē admitteret, eccè subitò inter manus eius quarta particula eiusdem sacratissimi ligni, Angelico, vt creditur, ministerio delata apparuit. Mox igitur lætus præsul, lignum sanctum per quatuor apsides parauit. O quanti indè potantes, ardorem vehemētissimę febris sæpiùs virtute sanctæ Crucis restinxerunt? Multotiès quoquè obortam aëris inæqualitate pestilentiam fideles hoc viuifico ligno se suaque lustrantes sedauerunt: multaque virtute huius sanctissimi triumphi fiunt quotidiana remedia.

Multùm auget facultates Ecclesiæ suæ.

* onychino

Condit ecclesiam S. Crucis.

Miracula S. Crucis.

Cap.8. Monasterium quoquè in septentrionali parte ciuitatis Hildesemensis, in loco quodam squalido, ac feris & brutis animantibus coaptato, tota deuotione & apparatu decenti instituit: quod prædijs sufficientibus dotatum, cœnobitis Deo famulantibus ibì collectis delegauit. In cuius crypta ecclesiæ sexagintasex corpora reliquiarum, digna veneratione ab eo condita sunt. Et cùm iam transitûs sui diem, quē semper optauerat,

Monasteriū S. Michaëlis extruit.

uerat, imminere præuideret, capellum inter facellam S. Crucis & monasterium suum constructam, in honorem S. Martini dedicari fecit, ibidemq́; pro augmento religionis ipso die habitum priorem mutans, monasticæ professionis iugum suscepit. Tactus deindè infirmitate vltima, ad eandem capellam se ferri præcepit, iustum esse asserens ibidèm vitæ terminum sortiri, vbì secularis abrenunciationis habitu se contigisset insigniri. Sic itaque vir Dei beatissimus, diutina corporis molestia tritus, bonum certamen certans, cursum consummans, fidem seruans, ingressus viam vniuersæ carnis, cælestibus admixtus est spiritibus. Qui enim quousquè vixit, Domino se sacrificium iustitię sacrificauit, sic plurimis magnificatus insignijs, duodecimo Calendas Decembris cælesti pace quieuit. Sedit autem in cathedra Episcopali triginta annis. Induit monasticū habitum. Feliciter migrat ad Christum.

Mox verò tāti patris excessu tota ciuitas permota congemuit, & tam clerus, quàm omnis populus * medullitùs indoluit. Mirum enim in modū vir iste omnibus omnia factus est. Inter diuites & pauperes, inter elatos & humiles, authorabili quadam modestia medius incedebat, & vtrobiquè iustè prouidus, nec mitibus intractabilis, nec proteruis apparebat despicabilis. Præceperat autem adhuc viuens, vt feretrum, quo ad tumulandum corpus eius efferebatur, non pallio, vt moris est, sed cilicio tantùm operiretur. Ex quo cunctis patet, quanta vir iste à Domino etiam temporali honore sublimatus, semetipsum humilitate depresserit, cuius viuentis spiritûs deuotio tam humile obsequium defunctæ quoquè carni prouiderit. More itaque Ecclesiastico exequijs ritè celebratis, corpus Deo dilecti præsulis in crypta cœnobij, quod ipse fundauerat, ante altare S. Mariæ maxima cum fidelium Christi deuotione sepelitur. Cap. 9. * cordetenùs

Quantis autem post hæc Dominus miraculorum insignijs confessorem suum fidelem glorificauerit, non est nostræ paruitatis explanare. Sed nè cuncta præterisse videamur, pauca de pluribus explicamus. Quædam enim puella miserabilem in modum tota contracta, & diuersis ægritudinibus diù vexata, admonita per somnum, ad eius tumulum venit, & intra biduum sanata fuit. Quædam alia puella à dolore oculorum est curata. Abbas cœnobij sancti Michaëlis à dolore tibię, eius meritis est curatus. Plures quoquè deuoti homines vtriusque sexûs, nocturno tempore ad sepulcrum viri Dei psalmodiæ cantus se audîsse, ac luminaria diuinitùs accensa vidisse, & miri odoris fragrantiam se sensisse testati sunt. Cap. 10. Miracula ad tumulū eius.

De hoc sancto Beruuardo plura habentur tomo tertio in Vita S. Gothardi, quære folio 101. cap. 13. in secunda editione.

CERTAMEN GLORIOSI MARTYRIS AGAPII, EX EVSEBII CAESAREENSIS ECCLESIASTICAE

historiæ libro octauo, cap. sexto decimo, interprete Iohanne Christophorsono Anglo.



VARTO anno persecutionis in nos grassantis, ad duodecimum Calend. Decembris, hoc est, vigesimo die mensis qui Dius vocatur, die Veneris, in eadem vrbe Cæsarea, tale facinus, dignum reuerà quod literarum monumentis commendetur, ipso tyranno Maximino præsente (qui eodem die, qui natalis suus dies erat, spectacula populo, magno cum apparatu ac sumptu edebat) patratum fuit. Et quia consuetudo inueterârat, vt varia, spectacula, si etiam vnquàm aliâs, præsentibus ipsis Imperatoribus summa cum magnificentia ac splendore, proponerentur spectatoribus, ad eorum animos oblectandos, eaque nouis ac peregrinis formis, præter communem & vsitatum morem variarentur, sic vt interdum animalia ex India & Aethiopia, aut aliundè acta in amphitheatrum introducerentur: interdùm viri mimicis corporis gestibus, permira animorum oblectamenta spectantibus ostenderent: ob eam causam cùm iam Imperator ipse ludos faceret, eximium quoddam spectaculum, & quod multum haberet admirationis, in magnifico eorum apparatu omninò elucere oportebat. Quod'nam igitur erat istud quidem? Martyr & testis nostrę in Christo religionis, adducitur in medium, strenuè pro sola & vera pietate decertaturus, Agapius nomine: quem vnà cum Thecla socia- 20. Nouēbr. Spectacula prǽsentibus Imperatoribus edi solita. S. Agapius in medium adducitur, decertaturus.

tum, bestijsque traditum ad deuorandum, paulo antè demonstrauimus. Iste aliâs è custodia eductus, simulque cum maleficis ad spectacula populo edenda coniunctus, cùm palàm egregiè suas partes in stadio egisset, idque tèr ac sæpiùs, propterea quòd iudex post minas illi varijs temporibus oppositas, siue illum commiseratus, siue spe propositi & sententiæ eius commutandæ inductus, ad alia semper noua certamina distulerat, tandèm ipso præsente Imperatore denuò producitur, velut opportunè & commodè in illud tempus reseruatus: vt hoc dictum salutare, quod Dominus discipulis suis, diuina præscientia prædixisset, (nimirùm quòd coram Regibus adducerentur propter testimonium eius) verè in eo compleretur.

Matt.10.

Primùm igitur in medium stadium, cum quodam malefico & scelesto homine, quem cædis domini sui reum fuisse ferunt, vnà rapitur. Deindè hic domini sui interfector, qui bestijs obijci debuisset, misericordia & clementia Imperatoris (propè ad similitudinem Barrabæ latronis, quem Seruatoris loco Iudæi mortis periculo eripiebant) nece liberatus est: & propterea strepitu & acclamationibus totum ideò personabat theatrum, quòd homicida Imperatoris beneficentia, non solùm seruatus esset, verùm etiam honore & libertate donatus. Cæterùm hic veræ & diuinæ pietatis athleta, primùm à tyranno accersitur: deindè inficiationem suæ voluntatis & instituti rogatus est: promittitur ei libertas. at ille magna voce palàm testatur, non turpis & nefarij criminis causa, sed pietatis in Deum omnium rerum opificem, libenter & cum voluptate omnia supplicia, quæcunque sibi imponerentur, se pacato & tranquillo animo subiturum. Atque hoc elocutus, dicto citiùs factum exequitur: & vrso in illum dimisso, ex aduerso veluti curriculo factus obuiàm, seipsum libentissimè vorandum dat. Pòst adhuc superstes spiritum ducens, in carcerem mittitur. vbi vno die in vita commoratus, postridiè lapidibus ad pedes eius appensis, in medium mare demergitur. Tale Agapij martyrium fuisse constat.

Eccè Iudai cum tyrannum. Luc. 23. Iohan 18.

Martyris constantia.

Vrso ferocissimo obijcitur.

In mare demergitur.

SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI ENCOmium sanctißimæ Dei parentis, quandò adducta fuit in templum à suis parentibus, cùm esset tres annos nata. Habetur in tomis Aloysij per Simeonem Metaphrastem.

Nouemb. 21 Festus dies Præsentationis beatissimæ Mariæ.



ECCE rursùs dies festus & celebris matris Domini: eccè progressus sponsæ, in quam non cadit vlla reprænensio: eccè primus processus futuræ eius gloriæ: eccè apertum procemium diuinæ, quæ eam erat adumbratura, gratiæ: eccè clarum indicium eius eximiæ puritatis. Vbì enim non sæpè, sed semèl solùm in anno sacerdos ingrediens, peragebat cultus mysticos: illuc ea, vt ibì perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis rem vnquàm talem cognouit? Quis vidit, aut quis audiuit ex ijs, qui nunc, aut qui vnquàm fuerunt, fœminam quæ adduceretur in intima sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet & versetur? An non hoc est euidens demonstratio noui & alieni operis, quod in ea futurum erat posteà? Non apertum signum? non clarum indicium? Ostendant nobis, qui in eam linguas mouent, & vident tanquàm non videntes, vbinàm talia vnquàm viderunt, puellam ex professo adduci intra tertium velum, tanquàm donum in quod nulla cadit repræhensio, vt illic habitaret assiduè? eamque à diuitibus populi supplicantibus, & à virginibus deduci, cum lampadibus adduci, à sacerdotibus & Prophetis supinis manibus excipi? Quomodò ergò noluerunt intelligere? Quomodò videntes prima, extremis fidem non habuerunt? Quomodò cùm quædam noua & aliena in ea priùs vidissent, dixerunt contra ea, quæ posteà facta sunt? Non enim casu & temerè fuerunt, quæ prima in ea euenerunt, sed fuerunt omnia vltimorum procemia. Dicant ergò nobis, qui ex seipsis sunt in rebus inanibus sapientes, quomodò cùm aliæ steriles pepererint, nullius ex ipsis filia reponitur in sancta sanctorum, nec accepta fuit à Prophetis?

S Maria degit intra sancta sanctorum.

Prophetis? An non hæc poterant dicere, qui hæc & talia videbant, cuiusmodi etiam qui ex eis erant eiusdem sententiæ, dixerunt posteà in illius filium, Quisnam erit hic puer? Maximè.

Sed qui aliena quidem sentiunt, interitûs viam ingrediantur, & cadant in barathrum, quod ipsi fecerunt: Nos autem, qui sumus Dei populus peculiaris, sacerdotes & principes mundani, & monachi, serui & liberi, artifices & agricolæ, plantatores & piscatores, iuuenes & senes, viri & mulieres adeste, prompto & alacri animo accedamus ad Dei parentem, & quæ in eam œconomicè priùs perfecta sunt, diuina mysteria intueamur. Quemadmodùm à parentibus hodiè virgo sacratissima in templum Dei per eius sacerdotes adducitur, quemadmodùm templum Domini animatum, templo inanimo dedicatur, quemadmodùm propheta Zacharias eam sua manu accipit & adducit in adyta, nihil ægrè ferens, neque dicens eius parentibus: Non faciam hanc rem maximè nouam, neque puellam introducam in sancta sanctorum, vt in eis habitet assiduè, in quæ semèl in anno iussus sum intrare. Nihil tale dixit Propheta Zacharias: sed vt qui præsciuisset futurum, quoniam erat Propheta, eam expectans, sicut qui post eum fuit, Simeon illius filium, eam is quoquè excipit prompto & alacri animo. Deindè matrem amplexus, eam allocutus est, sic dicens, & puellam tenens manibus: Vndenàm orta es, ô mulier? & quisnam est modus & scopus talis studij tui ac propositi? & quomodò cùm nullum tale habueris exemplar, sola inuenisti hunc nouum & non priùs auditum actum, introducens puellam, vt ingrediatur adyta? Quæ est tua deliberatio, dic nobis, & quæ cogitatio? Ego, inquit Prophetæ, sum Anna grato nomine: nata quidem sum ex genere sacerdotali, tribu Aaronitica, radice prophetica & regia: Dauidis autem & Salomonis, & eorum, qui deincèps fuêre, sum ramus. Sum autem cognata tuæ vxoris Elizabeth. Deindè viro quidem coniuncta fui lege Domini. Inuenta sum verò sterilis & infertilis multis annis. Nullum autem inueniens medicamentum, quod mederetur meæ calamitati, ad eum confugi, qui est solus potens, & ea reddit facilia, ex quibus non datur exitus: & ad ipsum os meum ex animo aperiens, cum luctu cordis clamaui & lachrymis, sic dicens: O Domine Domine, qui dolore affectas animas exaudis ocyssimè, cur me reddidisti diuersam à natura meorum Maiorum? Cur me fecisti parabolam in genere meo, & motionem capitis in tribu mea? Cur maledicti tuorum Prophetarum me fecisti participem, dans mihi matricem filios non producentem, & vbera arida? Cur fecisti, vt mea dona non essent accepta, vt quæ sim sterilis? Cur me siuisti subsannari à notis meis, irrideri à famulis, & vicinis haberi opprobrio? Respice Domine, exaudi Domine, miserere ô sancte. Fac me similem volucribus cæli, & bestijs terræ, piscibus maris: quoniam ea quoquè sunt genitalia coram te, ô Domine. Nè brutis videar deterior, ô Domine, quæ facta sum ad imaginem tuam & similitudinem.

S. Maria tẽplũ Domini animatum.

S. Anna mater perpetuæ Virginis Mariæ.

Preces S. Annæ.

Osee 9.

Hæc cùm dixissem, hoc quoquè adieci ijs, quæ dicta sunt: Quoniam tibi Domine donum gratiarum actionis, omninò tibi dedicabo quem mihi dederis filium, vt is sit & maneat in tuo sanctuario, tanquàm sacrum donarium & munus preciosissimum, quod mihi datum est à te, qui es perfectissimus dator preciosorum donorum. Hæc ego, cùm essem sub dio in meo horto, oculos in cælum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamaui ad Deum, qui est in cælis. Meus autem coniunx, cùm esset solus in monte, & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo supplex petebat. Sic ergò flexus, qui est paratus ad misericordiam & benignus Dominus, amborum precibus, misit diuinum Angelum, nobis prænunciatum meæ filiæ conceptionem. Statìm ergò natura à Deo iussa semen excepit. Non enim ante diuinam gratiam ipsa ausa est excipere. Sed cùm illa accessisset, matrix quæ priùs erat clausa, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donèc Dei voluntate, quod in ea fuerat seminatum, in lucem est editum. Hinc ergò eo ablactato, vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in afflictione. Et ideò virginum cateruas coëgi cum lampadibus, conuocaui sacerdotes, congregaui cognatos meos, omnibus dicens: Omnes mihi gratulemini, quòd hodiè & mater & productrix effecta sum: non Regi terreno meam offerens filiam, quoniam nec par quidem erat: sed Deo cælesti & Regi dedicatam: accipe deincèps, ô Propheta, meam à Deo datam filiam: & introductam, planta in loco sanctuarij, in prompto Dei habitaculo, in domo exultationis & lętitiæ: nihil curiosè inquirens, donèc Deo, qui eam hinc vocauit, visum fuerit, quæ ad eam attinent, ad finem deducere.

Votũ illius.

Angelus prænunciat nascituram S. Mariam.

Psal. 65.

Zacharias sacerdos, oblatam virginem Mariá introducit in sancta sanctorum.

Cùm hæc verba audijsset Zacharias, statim allocutus est Annam: Benedicta est radix tua, ô fœmina inprimis veneranda: glorificata est matrix tua, ô amans coniugis: & gloriosa est oblatio tua, ô pia & Dei amans. Deindè puellam lætus tenens, eam prompto & alacri animo introducit in sancta sanctorum, sic vtiquè ei dicens: Adesdùm implementum meæ prophetiæ: Adesdùm perfectio pactorum conuentorum Domini: Adesdùm signaculum eius testamenti: Adesdùm finis eius consiliorum. Adesdùm declaratio eius mysteriorum. Adesdùm specula omnium prophetarum. Adesdùm conciliatrix eorum, qui malè dissentiunt. Adesdùm coniunctio eorum, quæ erant malè disiuncta. Adesdùm firmamentum eorum, quæ deorsùm inclinantur. Adesdùm renouatio eorum, quæ erant inueterata. Adesdùm iubar eorum, qui siti sunt in tenebris. Adesdùm donum maximè nouum & diuinum. Adesdùm Domina omnium terrigenarum, ingredere in gaudium Domini tui. Nunc quidem infernè in terra, quæ conculcatur ab hominibus: paulopòst autem in superna, & ad quam non patet hominibus aditus. Cùm sic, vt erat consentaneum, dixisset mysta puellæ, eam vbì oportebat deposuit, & vbì conuenerat, & fuerat præstitutum. Puella autem valdè lætans & exultans, ibat in templo Dei, tanquàm in thalamo, cùm ętatis quidem ageret annum tertium, esset verò perfecta diuina gratia: vt quæ esset prædestinata & præcognita & præelecta à Deo, & dispensatore vniuersorum ante mundi constitutionem. Mansit autem decæterò in sanctis sanctorum, seu in templi penetralibus, ambrosiam nutrimentum per Angelum accipiens vsque ad secundam ætatem. Tunc autem Dei nutu & consilio sacerdotum, de ea datur sors, & sorte eligitur Ioseph iustus, & hanc sanctam virginem diuino consilio ex templo Dei ab eius accipit sacerdotibus, ad inescandum mali authorem serpentem: nè tanquàm virginem aggrederetur, puellam ab omni labe alienam, sed tanquàm ad desponsam ad eam accederet. Fuit ergò illa incorruptissima in domo fabri Ioseph seruata Domino omnium architecto, donèc, quod ante secula fuerat absconsum mysterium, in ea esset perfectum, & hominibus Deus ex ea effectus esset similis.

Σιόπλρα.

Angelus cibū affert S. Mariæ in templo degenti.

Sed de his quidem dicere, est alterius operis & temporis conuenientis: nobis autem rursùs ad propositum redeat oratio, & laudibus celebretur hodiè dies deductionis. Abi ergò ô Domina Dei mater, abi ad tuam hæreditatem, & vade in atria Domini exultans & lætans, alacrisque expectans in dies sanctissimi spiritûs in te aduentum, & potentiæ altissimi adumbrationem, & vnigeniti tui filij conceptionem, vt Gabriel tibi prædicet: & da ijs, qui tuum festum peragunt, tuum auxilium, protectionem & defensionem, eos omni ex parte liberans tuis intercessionibus ab omni necessitate & periculis, morbisque grauibus & omne genus calamitatibus, & à futuris iustis minis tui filij. Eos autem colloca, vt mater Domini, in loco deliciarum, vbì est lux & pax & rerum expetendarum summum donum: & fiant muta labia dolosa, quæ contra te iustam loquuntur iniquitatem in superbia & contemptione, & exterminetur in ciuitate tua imago eorum. Erubescant, & deficiant, & pereant, & cognoscant, quòd nomen est tibi Domina. Tu sola Dei genitrix excellsissima super omnem terram.

Vide quāta possit sanctissima Dei genitrix.

Nos autem, ô Dei sponsa, fide benedicimus, desiderio honoramus, & metu adoramus, te semper extollentes, te laudantes, & te venerabiliter beatam pronunciantes: Est enim reuerà pater tuus beatus inter viros, & beata mater tua inter mulieres. Beata domus tua, & beati noti tui. Beati, qui te viderunt. Beati, qui tecum sunt versati: beati qui tibi seruièrunt. Beata loca tua. Beatum templum, in quo tu fuisti oblata. Beatus Zacharias, qui te vlnis suis est amplexus. Beatus Ioseph, qui te despondit. Beatus lectus tuus, & beatum sepulcrum tuum. Tu es enim honor honorantium, & præmium præmiorum, & altitudo altitudinum. Sed ô mihi sola Domina, mea ex Deo consolatio: ardoris qui est in me ros diuinus: exiccati mihi cordis diuinitùs irrorans adspersio: tenebrosæ meæ animæ lampas lucidissima. Dux meæ dubitationis, vires imbecillitatis, nuditatis amictus, opes mēdicitatis, immedicabiliū vulnerum curatio, lachrymarū ablatio, requies gemituum, alleuatio dolorum, calamitatū transmutatio, vinculorum meorum solutio, spes meæ salutis, & bonorum omniū remuneratio, exaudi meas precationes, miserere meorum luctuum, & excipe meos fletus: miserere meî, flexa meis lachrymis. Te moueat meî misericordia, vt matrem benigni Dei: adspice & annue meæ supplicationi. Imple meî sitientis desiderium, & coniunge me meæ cognatę & conseruę in terra mitium, in tabernaculis iustorum, in choro sanctorum:

Beati qui S. Mariæ virgini inseruiunt.

Eccè quomodò inuocat Dei matrem in sui auxilium.

rum: & dignare me tu, quæ es omnium defensio, & omnium lætitia, & vehemens gaudium, vt simul cum ea læter, te rogo.

Rogo te prætereà, vt in gaudio illo, quod reuerà verbis non potest exprimi, perpetuisque delicijs & insatiabilibus, & in regno eius, quod caret vespera, & nunquàm terminatur, eos colloces, qui fide & desiderio hoc venerandum tuum festum peragunt. Certè Domina Dei parens, certè meum refugium, vita & defensiò, arma & gloriatio, spes & robur meum: concede mihi, vt ego quoquè cum ea fruar inenarrabilibus, & quæ comprœhendi non possunt, tuis bonis, in cælesti & quæ dici non potest perseuerantia. Habes enim, sat scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, vt quæ sis mater altissimi: & propterea audeo. Nè ergò priuer mea expectatione, ô Domina intemerata, quæ vniuersorum expectationem supra rationem peperisti, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum & Dominum & Regem vniuersæ creatæ naturæ: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio, cum patre principio carente, & sanctissimo & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI GEORGII ARCHIEPISCOPI NICOMEDIAE ORATIO DE EXITV

sanctissimæ Dominæ nostræ Dei parentis, quandò fuit oblata in templo. Habetur itidèm per Simeonem Metaphrastem in tomis Aloysij.



PVLCHRA nobis principia argumenti dicendi ostendit hic dies festus: parauit pulchas conscensionum semitas: iecit pulchra fundamenta assensionum, nunc erigens ad se orationem. Quamobrèm eam tollens sublimem, gratia euehit ad encomiorum altitudinem: & gradus mutans gradibus, laudem transfert à gloria in gloriam. Sed quoniam fieri non potest, vt ea simul cum rebus extollatur, è terreno profundo parùm ènatans, exiliter erigitur ad argumenti altitudinem. Agè ergò nos quoquè cum ea laborantes, corporis onere deposito, mentis penna simul ad festum extollamur, & intra adyta progredi festinātem castissimam virginem, prompto & alacri animo consequamur: & nos ab externo errore colligentes, orationis vestibula deincèps conscendamus. Neque enim pratorum pulchritudo adeò facit, vt ij, qui extrà obeunt, ea cupiant ingredi, vt odoratus hortus encomiorum Virginis, ingressum reddit iucundum volentibus. Etenim est hoc pratum, & pratorū maximè odoriferum, & varium, & incorruptione coronans eos, qui decerpunt: non vernis comatum floribus, qui speciei habent delectationem, quæ facilè marcescit: sed emittens gratiæ bonum odorem, perfundit sensum, & mentem apud se longè suauissima demulcet auditione. Nam in illis quidem sensus quoque capiens satietatem, non similiter delectatur ijs, qui appárent posteà. In his autem eorum quidem, qui præcesserunt, manet odor: eorum autem, qui succedunt, accedit maius desiderium. Malum quidem spectaculum, vnà cum tempore marcescentem habet pulchritudinem: Hic autem decor perpetuam fert animæ delectationem: & quomodò qui vestibula regia fortè sunt ingressi, ex externis coniectant internam posituram, quæ sensu non iudicàrunt, mente coniectant excellentia: idem etiam ostenditur accidere in vestibulis encomiorum. Atque in omnibus quidem, vt arbitror: non minimum autem in his quoquè, vt arbitror. Nam in altitudinem quidem elata sunt prooemia: præclarus verò argumenti ornatus ex his appáret, intrinsecùs plurima habens incrementa, gloria & pulchritudine insignia. Est ergò nobis propositum, ad ingressum parùm attollere oculos, & qui later, quoàd eius fieri potest, intueri decorem, etiamsi fieri non potest, vt contemplemur vniuersam eius elegantiam. Agè verò oratione procedamus interiùs, ductricem habentes ipsam Reginam.

Nouēbr. 21. Cap. 1. Et hic habes festū diem Præsentationis Virginis.

S. Maria pratum odoriferum, spiritualibus comatum floribus.

Cap. 2.

Sed video nunc hanc concionē luce infinita coruscare, & mente illuminor, & mihi venit in mentem exilire, & ea, quę nunc peraguntur, magna esse visione appręhendo, & Angelos simul choreas agentes mente cogito, & omnia noua, & aliena, & digna

 pul-

pulchro cæli ornatu. Hinc mihi videtur eius, quæ laudatur, gratia in medium procedere, & vniuersum cœtum implere lætitia, affatim dona tribuens. Quamobrem spem eorũ attendentes, omnes simul ingrediamur, vnusquisque reddens id, quod debetur. Qui dicit, sermonẽ: qui prudenter audit, auditionem: qui ministrat, adimpletionem: & omnia, quorum debiti exolutio ad ingressum adhortatur. Præcedant ergò sermones, quæ deinceps sequuntur, ad se congregantes. Atque iam quidem ij, qui virginem pepererant, ad templi eam fores adducebant, Angelis eam circuncircà stipantibus, & supermundanis Virtutibus omnibus simul collætantibus. Nam etsi ignorabant arcanum modum mysterij, vt serui tamen, iussu Domini, seruiebant eius processui. Et primùm quidem considerabant, videntes (vt qui sint naturæ intelligentes) eam esse preciosum vas virtutum, & ferre signa incorruptæ puritatis, & habere corpus procul remotum à vitiorũ colluuie. Deindè autem iussui parentes, munus implebant. Tunc lampades luminis ingressum lætificabant, & omnia quæ templo continebantur, conuertebantur ad lætitiam, ipsis, vt puto, inanimatis simul cum Angelis lætantibus. Quamobrem mihi quoquè licet cum eis choros ducere: & tanquàm tunc præsenti, venit in mentem, in vocem erumpere, quæ dicitur aptè & conuenienter:

Introducitur S. Maria in templum Angelis exultantibus.

Cap. 3. Encomia sanctissimæ Virginis.

Dilata atria ad excipiendam latiorem, quæ sub adspectum cadere & non cadere conspecta est, creatam naturam: in qua compræhensus, qui compræhendi non potest, vitij latitudinem redegit in angustissimum. Accende lampadem luminis, & ingressum lætifica. Facem tanquàm signum aliquod tolle sublimem, & ad te dirige orbem terræ, vt lucidam intueatur nebulam, & radiorum eius fiat particeps, vt ex ea videat scatentem fontem luminis. Pande portas tuas, & introduc portam, quæ percipitur intelligentia: per quam cùm solùm transijsset Dei verbum, obsignatam conseruauit, sicut nouit. Nam etsì accepit portæ appellationem, virgo tamen vsum conseruauit: & impleuit quidem rei ministeriũ: incorruptionis tamen non soluit signacula. Sustine velum, vt intra id ingrediatur Verbi velum animatum, quod in se celauit diuinitatem, & eius igne non fuit combusta essentia materialis. Accipe quod fuit in spiritu inauratũ candelabrum, lucerna cuius fines illuminat, per quam accenderunt septem dona spiritûs, & mundum terrenum illuminârunt. Accipe mensam, quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus, ambrosia pauit eos, qui illius fuerunt participes: ex qua crateres sapientiæ imperturbatum & purissimum effundunt poculum cognitionis. Orna sancta sanctorum, & sanctissimum excipe tabernaculum, quod est capax essentiæ immaterialis: quod nostrum, quod ceciderat, excitauit tabernaculum: quod parentis nostri Dauid tabernaculum, quod fuerat ablatum, rursùs erexit: per quod membra, quæ fuerant dissoluta nostra transgressione, fuerunt redacta ad suam integritatem. Accipe aureum thuribulum, in quo Verbum, quod carnem assumpsit, bono odore impleuit orbem terrę: in quo combusta fuerunt crimina inobedientiæ: per quod liberatur aër à molestia inquinamentorum, per quod bonus odor spiritûs spirauit in homines.

Ezech. 44.

Cap. 4.

Introduc arcam sanctificationis, quæ intùs accepit eum, qui dedit legem, quæ portauit mannam cælestem, quæ à diluuio peccati seruauit nostram naturam, & per partum liberauit orbem terræ ab interitu. Noui testamenti thesaurum. Vrnam inclytam ac gloriosam. Tabulas à Deo impressas characteribus, in quibus inscriptum Dei Verbum supra rationem, legalis literæ difficultatem traduxit ad leuitatem spiritûs. Cape virgam sacerdotalem, quæ absque irrigatione produxit florem qui non marcescit, nempe Dominum. Sanctam terram & desiderabilem, ex qua orta est veritas & iustitia: in qua operculo tecti pedes prohibentur progredi: ratiocinatio, inquã, quę dubitatione operitur & incredulitate. Vmbrosum montem, in quo Verbo placuit habitare: in quo cùm recubuisset natura, declinauit peccati exustionẽ: ex quo sine manibus deuolutus lapis angularis, inimici cõtriuit imaginẽ, & redegit in pùluerem. Accipe oleam frugiferã per quam scaturijt oleum exhilarans, & pinguefecit creaturam. Thronum gloriosum, regium vehiculum, quo vectum Verbum cum carne aduénit. Sanctam Sion, quam elegit Opifex, quam verbo prouidentiæ parauit ante secula, in qua in carne est genitus, ex qua progressus, vires contriuit impiorum. Appræhende lectum Solomonis, quem in orbem circunsistunt sexaginta potentes: nempe diuinitùs inspiratæ scripturæ veræ prophetiæ, quæ per ea, quæ significârunt, suo testimonio comprobant, Deum esse ex ea pariendum: in quo Verbum cùm cecidisset, cum carne exurrexit, & inimici tyrannicam validè afflixit potentiam. Eam forceps expressit prophe-

Num. 17.

Dan. 2.

Cant. 3.

propheticus, qui carbonem ferebat, & labra expurgabat. Quæ Seraphicè custodiebatur, & per spiritum sanctum prædicabatur. Eam indicauit liber obsignatus, quem nullus legit sciens literarum, præter eum, qui obsignauit & seruauit supra rationem. Eam charta significauit purissima, in qua Verbum sine scriptis impressum, scidit fraudis chirographum. Esa.6. Esa.29.

Hæc est, quæ à dexteris Dei adsistit Regina, quæ propè est pulchritudine & splendore: quæ est speciosa natura, & nullā suscipit maculā libero suo arbitrio. Quæ ascendit ex Libano virginitatis, & mundum perfundit vnguento: ex qua dulcedo diffluēs, veterem amarorē ligni dulcem reddidit: cuius supra mel labra extiterunt dulcia, & è lingua eius tanquàm è fonte manauit lætitia. Cuius vestes vnguento delibutæ, bonum odorem emiserunt supra omnia terræ aromata. Hanc introduc tanquàm sponsam, cuius pulchritudo est incomparabilis, & gloria ineffabilis: cuius lux oculorum, solis superauit radios. Hortum conclusum, quem peccati cogitationes non possunt intrare: in quo diuina planta, quæ citra agricolæ culturam germinauit, ligni maledictum, quod priùs in vita mirandum in modum crescebat, exiccauit radicitùs, & eius loco effecit, vt floreret benedictio. Fontem reuerà signatum, ex quo manant fluenta purissima, & irrigant orbem terræ. In quo limi, qui conturbabat, non sunt deprehensæ reliquiæ: ex quo procedens fluuius gratiarum, circuit vniuersam, quæ est sub sole, regionem. Suscipe, quæ per aërem ingreditur, nubem: in qua sedens, qui ingreditur super nubes cælestes, destruxit simulacra, quæ colebantur ab Aegyptijs. Introduc Dei ciuitatem animatam, quæ eius impulsu lætatur in æternum. Sanctificatum tabernaculum, domū gloriosam, templum quod non potest dissolui. Cuius tu fuisti & figura & signum, expectans vt ea fieret manifesta: eam tu iam tenes: eam introduc, & cede tanquàm potentiori. Cap.5. Cant.4. Ibidem. Ibidem. Esa.19.

Hucusquè siste signa: fac vt cessent cōsueta ænigmata. Quousquè vmbram attēdis? Quousquè in litera gloriaris? Eccè gratiæ radij illuxerūt: Eccè signa literæ in spiritum sunt transmutata. Es defessum figuris inseruiens: eccè accedit, qui noua facit. Transi ergò à lege, quę consenuit, ad verbi gratiam, quæ est noua. Cur in somnijs perseuéras, cùm eam accipias, quæ euētum conciliat? Cur sacrificiorum sanguine adspergeris, & eorū nidore suffumigaris, cùm qui iussit, ea non admittat? Sacrificiū enim, ait verbum Patri, & oblationem noluisti: corpus autem perfecisti mihi. Venit, qui proprio suo sanguine ea facit cessare: & naturam non à carnis inquinamentis, sed à peccato repurgat. In foribus redemptio: in portis tuis est prædicatio. Hanc ad te præmisit, quę præcedit mysterium. Ipsa eorum, quæ tibi sunt verbis significata, in se affert euenta. Esaias significauit, dicens: Eccè virgo in vtero concipiet, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel. Hanc Ezechiel nominauit Dei portam. Hanc Dauid arcam sanctificationis. Hanc Mosi priùs descripsit rubus, qui ardebat in monte, & non comburebatur. Hanc cum gaudio excipe: prompto & alacri animo accurre: adora eam, vt quæ sit superior omni re creata, tam quæ sub adspectum cadit, quàm quæ non cadit: amplectere purissimum habitaculum: immaculatum introduc tabernaculum, & cæde inquinatum educ cœtum Iudæorum. In eos valdè clamant responsa Prophetarū: apertè vociferatur sanguis. Cur tabo & sanie inquinamentorum ipsorum pollueris? Cur iniquitatibus eorum macularis? Cur eorum profanam tegis arrogantiam, & iram creatoris accendis vehementiùs? Siste hucusquè iram vltoris: nè vlteriùs accendas eius, qui te finxit, furorem. Etenim quo maior congregatur multitudo peccatorum, eo maior existit vltionum redditio: immò verò ijs, quæ admissa sunt, grauior: quandoquidem fert ad immortale supplicium. Hæc tibi iubet, vt cesses. Hæc venit, vt te excipiat. Hæc te maiorem accepit gloriam: etenim rerum finis ei obtigit. Quorum enim figuras ostendebas, eorum ipsa ostendit euentum. Quantùm vmbra est minor corpore, & ænigma veritate, & sermo re, & imago causa, tu ab eius splendore tantùm differs. Nam tu quidem ab vna propria gente cultum accipis: ipsa autem ab omni creata natura insigniter honoratur. Et tu quidem quę Dei habes, quæ intermittitur, adumbrationem, non multò post, ea dimissa, dissolueris: Hæc autem, quæ essentiali habitatione Verbi eam accepit, permanet in æternum minimè dissoluenda, nunquàm nudata hac gloria. Hinc ergò excede, cedens melioribus. Neque enim vt illic maneas, tibi erit reliquum, etiamsi velis, cùm sint tibi causæ ministræ aduentiis. Cap.6. Esa.43. Psal.39. Esa.7. Ezech.44. Psal.131. Exod.3. Quo maior peccatorū multitudo, eo maior eorū vltio. Eccè Virgo sanctissima ab omni creatura insigniter honoratur.

Hæc à me ad templum dicta sunt satis cōuenienter, vt qui hæc persuasum habeam Cap.7.

ex ijs, quæ nunc cernuntur: quæ quidem existimo admittere eos, qui audiunt, citra examinationem, examinationis loco res ipsa probantes. Postquàm autem fuit introductum eius spatium, quod est vel cælis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consueuerunt, eam statim viderunt: gloriam quidem sua sponte ad eam currere: se autẽ ea indiès priuari, animaduerterunt. Tunc verò qui munus sacerdotale obibat Zacharias, dono prophetico inspiratus, Virginis quidem aduentu est lætatus: considerabat autem eius quoquè animæ immensam pulchritudinem, quæ latebat in muliebri habitu: animaduertebat verò intemeratam ferre noua & aliena naturæ signa, etiamsì ea erat vt vnusquisque prædita. Nam erant quidem mores ei incomparabiles: & erat eius vitæ agendæ ratio composita virtutibus. Quamobrèm in dies procedente ætate, crescebant in ea dona spiritûs, & versabatur cum Angelis: nec erat diuinarum expers apparitionum: Cum ea, vt solebat, versante in adytis vidit Zacharias quendam sermocinantem, qui erat inusitata specie, & ei præbentem alimentum: erat autem, qui apparebat, Angelus. Quamobrèm mente à se discedebat, & hæc apud se cogitabat:

Spatium. χωρίον, significat aut spatium & secundinam.

Angelus affert alimentũ S. Mariæ.

Cap. 8.

Quid hoc est quod videtur? Nouum planè, & ab ea, quæ hîc est, alienum consuetudine. est angelicus qui cernitur habitus, & alloquitur adolescentulam. Forma incorporeus affert nutrimentum, tanquàm corporibus conueniens: & essentia materiæ expers, tradit mulieri canistrum, qui videtur materialis. Angelorum huc aduentus solent esse ad solos sacerdotes, vt vel hortentur, vel dehortentur ab ijs, quæ sunt agenda. Neque verò sæpè appárent. Ad mulierem autem omninò insolitus est eius, qui nunc cernitur, aduentus: idque cùm ea sit tenera ætate & iuuenis. Atque si ea quidem esset ex ijs, quæ sunt coniunctæ matrimonio: & morbo sterilitatis à liberorũ exclusa esset procreatione: & precibus contendisset, vt sibi daretur proles, & in hoc immorata esset eius oratio, eius quod cernitur, conijci posset dissolutio. Id autem Annæ semèl accidit: nostris verò temporibus non semper ostenditur. Nunc autem ab eis quidem liber est aduentus virginis: est verò assiduus eius qui appáret, aduentus. Propterea maior mihi concurrit admiratio & metus: occultæ autẽ insident dubitationes, quidnam hoc fuerit, quid significaturus venerit Angelus: quodnam sit, quod affertur, nutrimentum: ex quonam penario sit hoc expromptum: quisnam sit, qui hoc parauit: quænam manus hunc panem fecit. Angelorum non est parare, quod conueniat corporis necessitatibus. Nam etsì plurimi per eos sunt nutriti, apti tamen nutrimentum præparârunt, & per corpus incorporei conseruis inseruiêrunt. Nam qui Danieli inseruijt Angelus, poterat eius, qui iubebat, virtute, non per alium, sed per se, quod iubebatur, implere. Sed Abbacum accepit intermedium, nè mores alieni, & spectaculum nimìs magnum, & ab Angelis paratum quod non consueuit alimẽtum, terreret eum, qui alebatur. Porrò autem coruus quoquè, qui inseruiebat Eliæ, non per se didicit locum, sed per Angelum. Quam autem afferebat prędam, non aliundè, vt arbitror, afferebat, quàm ex diuitibus penarijs: non quòd nõ posset is, qui iubebat, ex tempore effectum prębere nutrimentum. Quomodò enim, cuius verbo producta sunt omnia? sed vsui cõueniens præberet ministerium. Et illic quidem sic fuit dispensatum: hîc autem nullo intermedio accedit Angelus ad Virginem, resque est arcana, & quam non potest assequi ratio. Adolescentula talia dona est assecuta, vt incorporei cedant eius ministerio.

Ab Angelis frequenter visitatur.

Dan. 14.

3. Reg. 17.

Cap. 9.

Quàm sunt hæc dona insignia? Quidnam fecit Virgo, quo hæc mereretur? Quòd puritate quidem superauit omnes, quæ anteà fuerũt generationes, scio, vt cui sit hoc mihi rebus ipsis persuasum, vt qui mores apertum acceperim indicium, & postremò rem ipsam: Sed vt tanta bona consequatur, quænam fuerit causa? Fortaisè cernetur virgo beneficiorum magnorum conciliatrix, per quæ Deum ad se attrahit. Num responsa Prophetarum in ea implebuntur? Num eorum, quæ sperantur, finis in ea eueniet? Num qui est venturus ad generis correctionem, ex ea nostram accipiet naturam? Etenim hoc fuit priùs prædicatum mysterium, & verbum quærit eam, quæ sit ei inseruitura. Num non alia fuit priùs electa ad eius ministerium, præter eam quæ cernitur, adolescentulam? Immensam enim, quæ in ea latet, mente cogito castitatis pulchritudinem, & eius, quæ est in occulto, in apertum prolationem, in eam ostendit Dei beneuolentia. Quàm beata est domus Israël, ex qua tale germen pullulauit? Quàm beata est radix Iesse, ex qua vegeta hæc virga orta est, quæ mundo salutis florem est productura? Quàm est gloriosa memoria eorum qui genuerunt, & vltra omnem

In Maria immẽsa castitatis pulchritudo.

omnem beatitudinem? Quàm ſum ergò glorificatus, qui fruor talibus ſpectaculis & donis,& talem virginem orno in ſponſam? Agam tibi in æternum gratias,ô templum Domini, quòd propter tuum miniſterium non éxcidi ab ijs, quæ ab omnibus iuſtis deſiderantur. Ego ſum hodiè magnificatus ſuper omnes ſacerdotes. Hodiè ſum glorificatus ſuper omnes Prophetas. Ea enim, in quibus illi in vmbris initiati fuêre myſterijs,eorum ego eſſe vera video principia. Veriſimile eſt enim,hæc cogitâſſe Zachariam, vt qui aliena & naturam ſuperantia conſideraret, quæ virginitatis ſunt admirabilia. Ità enim fuerunt reuerà.

O prooemia miranda. O ſigna inſignia. O augmentum corporis, accipiens ſummum gratiæ incrementum. O puram illam & clariſſimam animam, quæ in florenti corpore oſtēdit dotes, quæ naturam ſuperant: quæ eius imperfectione non fuit prohibita à virtutis perfectione: cuius cum Deo cōiunctio, iuuenili ætate non fuit retardata. Quis vidit,quis audiuit talem aſſcenſum corporis,quod in ſanctis habitat, & ſtipatur ab Angelis,& alimentum accipit ambroſiam? Nam animæ quidem incorporei communione, etiamsì ad ſummam peruenerint impatibilitatem, vix frui potuerint angelico nutrimento, etiamsì cibum Angelorum rationem, quæ falli & errare non poteſt,ſcriptura tacitè ſignificet. Hìc autem manus corporeæ admirabile,quod conſpectum fuit, alimentum accipiunt, & per ipſum immaculata anima impletur donis. O ſummam puritatem. O aſſcenſum ætatis, quales ſcalas honeſtatis ſtatuit ad cæleſtium altitudinem,per quas verbum deſcenſu nouo ad nos deſcendit: per quas,quod inferiùs erat ſitum,terrenum naturæ tabernaculum aſſcendit ad cælos? Cap.10. In teneriſſima ætate quàm perfecta fuerit virt' in S.Maria.

Tu autem, ô homo, admirabilem & nouam in templo viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare. Noli examinare ratione ea, quæ capere non poteſt cogitatio. Nè ſubijce comparationi ea,quæ ſunt incomparabilia. Vides inauditam naturæ * inuocationem, & de his dubitas? Vides ipſum Dei Verbum modo ineffabili habitâſſe in eius vtero: & contendens,fuerit ne alimentum materiale,an expers materiæ? Vides paterno conſilio ſpiritus in ea adumbrationem, & de miniſterio Angelorum dubitas? Nihil eſt dubium ex ijs,quæ ſunt caſtiſſimæ Virginis: ex eius magnalibus nihil eſt,quod non ſit conueniens. Omnia à veritate ipſa ſunt confirmata. Oportebat enim diuinum tabernaculum augeri talibus aſſcēſionibus. Oportebat agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exatiari. Oportebat non in ſanctis ſanctorum tabernaculi,ſed in ipſo cælo celi in prima ætate educari eam,quæ his conſpecta eſt latior,& puritate antecelluit. Oportebat non vnum ſolum ei ſeruire Angelum,ſed deciès mille millia eam ſtipare. Etenim quem illi minimè poſſunt videre,ipſa mirandum in modum in vtero continuit. Eum qui lucem induit tanquàm veſtem, in ſuo ſinu compræhendit. Eum qui pugillo continet vniuerſa, virum factum in vlnis continuit. Quis hæc cogitans, non de ſua natura magna appræhenderit? Quis non propter hæc mente erectus fuerit ad altitudinem, & ſe exiſtimârit omnibus eſſe ſuperiorem? Quis non propter hæc magnos ſumpſerit ſpiritus, & ſupra ſuam aſſurrexerit humilitatē? Res eſt enim ingentis magnitudinis,& quæ omnē ſuperat magnificētiam. Conſidera enim ad quantam altitudinem res noſtræ ſunt euectę,quæ humilitati proportione reſpondētem acceperunt aſſcenſionem. Cecideramus tranſgreſſione: effecti fueramus indigni prouidentia eius,qui nos formauerat,nihil inueniētes, quo poſſemus errorem excuſare. Corruerat ergò natura: opùs habebat eo,qui eſſet erecturus. Eum eſt aſſecuta non per alium, ſed per eumipſum, qui eſt fabricatus. Erectio autem fuit noua & admirabilis: non iuſſu, quomodò olim in creatione, ſed diſpenſatione conuenienter ſuæ benignitati. Non erigendi munus tradidit Angelis, ſed ſuî ſubmittendi ſibijpſi commiſit partes. Neque verò ſolùm erexit,ſed etiam aſſumpſit: & quod fuerat aſſumptum,in ſede paterna collocauit. Cap.11. for. *innouationem. S. Maria agna immaculata. Præſtantia eius. Pſal.103. Naturæ humanæ exaltatio.

Quid ad hanc magnam & ineffabilem cogitabo benignitatem? Quibus verbis infinitam laudabo ſubmiſſionem? Quibus laudibus celebrabo Virginem, per quam hæc acta ſunt,per quam lapsûs facta eſt reparatio? Quis honor exhiberi potuerit puritati eius ex æquo reſpondens, cuius amore captus Opifex, ex ea ſuum conſtruxit tabernaculū,in quo minimè recuſauit habitare,in quo paterna voluntas eſt impleta? Quænam gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius ſuperiorem gloriam præter ſe oſtendet creator? O donum,quod nullo poteſt honore, vt par eſt,affici. O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum. O Dei genitrix, pulchrorum omnium ſummum ornamētum. Tu caſum veteris noſtræ nobilitatis erexiſti partu tuo,qui eſt Cap.12. Vide quantus honor habēdus ſit S.Mariæ.

ſupra

supra rationem. Tu primæ imaginis obscuratam speciem restituisti in suam pulchritudinem. Tu primæ parentis dolores in pariundo susceptos, tuo partu in gaudium conuertisti. Per te paradisum purè sumus consecuti. Per te generis colonia ad propriam redijt mãsionem. Per te recessit rhomphea versatilis. Per te, quæ erant clausæ, deliciarum portę fuerũt apertæ. Per te spes Prophetarum ad effectum sunt deductæ. In te finem acceperunt, quæ ab eis dicta sunt. Per te nostræ resurrectionis certa signa tenemus. Per te nos regnum cælorum speramus esse assecuturos. Te nostræ salutis habemus adiutorem. Te nostri auxilij habemus defensorem. Te proponimus, cùm ore nostra dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circunferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo murum habemus firmissimum. Te fideles Reges arma habent valida. Per te bellorum frangunt audaces impetus. Per te consequuntur trophæa victoriæ. Tu ô Dei genitrix, nè despicias preces eorum, qui semper petunt. Præbe manum laborantibus: opem fer eis, qui agitantur tempestatibus: seda bellorum fluctus: fac in auras euanescant spiritus eorum, qui incessunt iniurijs. Da petitioni conuenientem (potes enim) euentum. Habes vt mater in filium, quæ recusari non potest, fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. Nè immẽsam tuam clemẽtiam superet multitudo peccatorum. Nè absurda facta retardent tuam, quæ verbis exprimi non potest, misericordiam. Nam quæcunque fuerit multitudo eorum, quæ ignorantur, ea facilem accipit solutionem, si tu solùm volueris. Nihil tuæ resistit potentiæ: nihil repugnat tuis viribus: omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati seruiunt. Te omnibus suis operibus reddidit excelsiorem, qui est ex te natus: & per ea, quæ in te facit admirabiliter & præter opinionem, ità esse confirmauit. Ea potes consequi citra laborem. De ijs absque vllo intercessore compella creatorem. Delectatur petitione: gaudet se rogari: non resistit, quo minùs impleantur. Tuam enim gloriam, existimat esse propriam: & tanquàm filius ea exultans, quasì exoluens debitum, implet petitiones.

Vide quãta bona per sanctã Mariam nobis eueniant.

Vide sanctę Dei genitricis pconia, & admirabilem eius potentiam.

Itaque ego quoquè, ô Domina, fretus tua, quæ exprimi non potest, potentia & benignitate, ex egenis labris fructũ tibi obtuli, indignum quidẽ qui offeratur, optimam autem indicat meam voluntatem. Neque enim meæ solùm vires non assequuntur, quod desiderant: sed magnorũ ętiam virorum expectationibus idipsum accidit, vt id non assequantur. Accipe ergò non attendens opera, sed admittens promptũ animi studium. Accipies autem, sat scio, vt quæ sis amans bonorum, reddens precium pro peccatis, & regno cælorum dignans, propitiumq; reddens patrem, filium & spiritum sanctum, vnam diuinitatem & regnum, ineffabilem potentiam & Dominationem: Quam decet gloria, honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorũ, Amen.

S. Maria amans bonorum.

VITA S. COLVMBANI ABBATIS, AB EIVS AEQVALI IONA ABBATE, QVEM QVIDAM VOCAT

discipulorum eius discipulum, conscripta: cuius tamen stylum in gratiam Lectoris, nonnihil expolire conatus est F. Laur. Surius.

PRAEFATIO AVTHORIS, NIHIL MVTATA PHRASI.



DOminis eximijs, & sacri culminis regimine decoratis, religionisq; copia fultis Vualdeberto & * Boleno patribus, Ionas peccator. Memini me ante hoc fermè triennium, fratrum conniuentia flagitante, vel beati Bertulphi Abbatis imperio iubente, cùm apud eos Apenninis ruribus vagans, in * Bobiensi cœnobio morarer, tuisse pollicitum, vt almi patris Columbani meo studerem stylo texere gesta: præsertìm cùm ij, qui eo fuerunt in tempore, & penès ipsum patrata viderunt, quamplurimi penès nos superstites sint, qui nobis non audita, sed visa, narrent: vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam & * Eustachium didicimus, quorum primus Bobiensis, secundus Luxouiensis cœnobij, quo vos præsules existitis, eius successores fuerunt: qui magistri instituta suis plebibus seruanda tradiderunt: quorum vitam vtcunquè quiuimus, in postmodùm deprompsimus, seu plerorunque, quos cluentia memorabiles reddidit. Sed qui supra-

**Boboleno vel Baboleno*

**Ebobiensi*

**Eustasium*

Quære has To. 2. 10. & 29. Martij.

supradictorum fratrum agapis, vel patris prædicti præceptum conijciens rebar liquidò meatu exuberari, multùm me ego ad hoc opus imparem reperio. Si enim me in hoc opere nequaquàm indignum iudicâssem, olim iam ad ea texenda temerario quanuis conatu aggressus fuissem: quanquàm me & per triennium Oceani per ora vehit, & scarbea lintris abacta, scalteus molles sectando vias, madefacit sæpè & lenta palus Elnonis plantas, ob venerabilis Amandi pontificis ferendum suffragium: qui his constitutus in locis, veteres Sicambrorum errores Euangelico mucrone coërcet. Erit tamen commissi operis, venerandi Patres, vestri arbitrij cultus, vt, si aliqua minùs ritè prompta, decore facunditatis caruerint, vestris phaleramentis decorentur, vt legentibus apta fiant: nè, dum mea imperitia in eloquio exhorret, cùm facta dictis non exęquantur, sanctorum virtutes fastidiosè ferendo non imitentur: & cùm ad partum opus ouantes manum tetenderint, mox sentiũ asperitate cruentam nitantur subtrahere. Quibus dicendum est, nantes solere rheumate gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cùm alia defuerint subsidia, festino conamine sentes appręhendere: & diuitum fauces, cùm aliæ dapes redundent, sępè agrestia desiderare: & plerosque musicorum omnium, organi, scilicet, psalterij, citharæ melis aures oppletas, mollis sæpè auenæ modulamini auditum accommodare. Et si me quempiam laudare repererint, qui adhuc superis iunctus sit, non me adulatorem putent, sed rei benè gestę dissertorem: nec fauere cuiquã panegyrico carmine, sed digna memoriæ commendare: nec ideò, si superest, tumescat, si à me sibi largita conditoris dona narrata videat, nè elationis stimulo synceræ mentis soliditatem corrumpat. *Locus deprauatus.*

Nulli quippè dubium est, quòd fauor adulatorum polluat mentes decore plenas virtutum, sicut ad Israël per Esaiam Dominus loquitur: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Sapientem etenim, vt vulgò dicitur, falsa laus increpat, verax ad meliora tendere prouocat. Adornet ergò eos in eo, quod bene gesserint, fama laudabilis: increpet, nè maculet amittendo feruorem, tepor vituperabilis. Cluant alij, si dignum imitatione quid gesserint, nec sibi in postmodùm perniciosæ elationis damna attrahant ex commemoratione patratæ virtutis. Inseruerim ergò illa, quæ veris assertionibus experti sumus fuisse patrata, vel prætermitti negligentiæ deputauimus. Multaque prætermissa sunt, quæ ex toto nequaquàm meminimus, & pro parte aliquid scribere, nullatenùs ratum duximus. *Esa 3.* *Falsa laus sapientem increpat, verax ad meliora prouocat.*

Quæ sunt ergò posita, duobus libellis interscidi, vt vno volumine legentibus fastidium amputarem. Primus beati Columbæ gesta perstringit: secundus, discipulorum eius Attalæ, Eustachij, vel cæterorum, quos memini, vitam edisserit. Ea ergò vestro libramine pensanda censemus, vt à vobis sagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem pellant. Nam si quædam aliquis non ritè distincta, ac deindustrià corrupta repererit, reijcienda iudicabit, præsertìm si doctorum facundia fultus, affatìm scientia oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc vestigia tendere, vt nos putemus doctorum gressibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madentes, virides campos flore pinxerunt: nobis vix arida tellus arbusta gignere nouit. Illi dites balsami lachryma ex Engaddi, floreque oromatum ex Arabia: nobis ex Hybernia vix butyrum pinguescit. Illi piper nardumq; sumunt ex India: nobis pinifera iuga Apennina, iuga, quæ zephyrijs rigescunt frigore flabris, vix tandem saliunculam præbent. Illi preciosi lapidis varietate gloriantur: nobis temerarium videtur Galliç succino gloriari. Illi poma palmarum magnoperè in peregrina dirigunt: nobis, Ausonium iuxta Poetam, sunt molles castaneæ & mitia poma. Valete almi patres, viri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno. *Columbanus, dicitur etiam Columba.*

VITAE

VITÆ HISTORIA.

Caput I. *quod tamen non nisi ad lectorem Præfatiuncula est.*

Nouẽbr. 21. Vitæ Sanctorũ cur à sanctis Patribus conscriptæ.



XIMIO virtutum fulgore micantem atque rutilantem sanctorum præsulum & monachorum vitam, illustres atque eruditi patres multa solertia conscripsêre, vt præclara priscorum exempla suauiter posteris redolerent. Egit hoc à seculis rerum sator æternus, vt famulorum suorum famã efficeret sempiternam, & vt eorum res gestæ illis, qui posteà futuri essent, exemplo forent, atque illorum meritis ventura soboles vel eorum facta imitando, vel memoriæ commendando gloriaretur. Ità beatus Athanasius Antonij, Hieronymus Pauli & Hilarionis, aliorumque, quos cultus bonę vitę effecerat laudabiles. Seuerus quoquè & Posthumianus atque Gallus Martini memoriã nobis egregiè commendârunt: plerique etiam aliorum, quos aut fama, aut bonorũ exempla operum, vel virtutum monimenta celebres reddiderunt: vt sunt columnæ Ecclesiarum Hilarius, Ambrosius, Augustinus: qui inter tot seculi turbines & fluctuantem mundum Ecclesiæ statum sustentârunt: nè aduersis dęmonum flatibus & hæreticorum importunis procellis vera fides contaminaretur. Quorum nos exempla temerario sanè conatu secuti sumus, qui nec meritorum ornamentis, nec facundiæ copijs suffulti, nec exercitatæ scientię fonte potati, eximij patris Columbani, qui nostris floruit temporibus, historiam texere aggredimur. Sed tamen erit dictorum nostrorum arbiter ille, qui est virtutum largitor immensus: qui ei & gratiæ suæ munera, & vitæ perennis donauit immarcescibilem coronam.

De visione, eius matri vterum gestanti oblata . *Cap.* 2.

Hoc loco MS. Codices magnas habẽt obscuritates de solis motu &c. q̃ omisimus ꝑpter mendas.

COlumbanus igitur, qui etiã Columba vocatur, in Hybernia ortus est, insula in extremo sita Oceano, spectante Titanis occasum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti descendit in vmbras. Insulæ huius situs, vt ferunt, amœnus est, & immunis ab armis & bellis exterarum nationum. Eam Scotorum gens incolit: gens quanquàm cæterarum gentium legibus carens, at tamen Christianæ religionis dogmate florens, ità vt omnium vicinarum gentium fidem excellat. In ea natus est Columbanus inter ipsa fidei illic nascentis primordia, vt fides, quam partìm infœcundam gens illa habebat, eius & sociorum illius exhortationibus culturaque vberi fœcundaretur. Sed priùs, quàm vitæ huius lucem caperet, quid acciderit, non est silentio premendum. Cùm enim eius genitrix concepto fœtu grauida iam esset, nocte intempesta sopore depressa, vidit è sinu suo rutilantem solem, nimioque fulgore micantem, procedere, & mundo ingens lumen præbere. Expergefacta deindè, cælo iam albescente, accuratè apud se pensitare cœpit, & sagaci trutinare animo, ecquid tanta sibi visio velit: à vicinis quoquè, quos doctrina solertes reddiderat, petijt, vt eius vim & significationem rimarentur. Audiuit tandèm à peritis, se egregiæ indolis puerum suo vtero continere, qui & suæ & proximorum saluti, præclarè consulturus sit. Postquàm ergò mater eum edidit, tanta cura seruauit, vt illis etiam, quorum habebat mores cognitos & exploratos, vix eum credere aut cõmittere vellet, donèc pubescens, Christo duce, sine quo nihil boni agitur, bonis excolendis operibus animum applicaret. Nec immeritò è suo sinu solem fulgentem prodire conspexit. In Ecclesię enim, quæ mater est vniuersorum, membris tanquàm sol splenduit, dicente Domino: Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Et Debora olìm docta à spiritusancto: Qui autem, inquit, diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ità rutilent. Vt enim axis æthereus stellarum distinctione & celebri lucis frequentia speciosior est: vtque lux diei, solis aucta splẽdore, mundo amœnior refulget: ità corpus Ecclesiæ, conditoris ditatum opibus, sanctorum augmentatum numero, scientiæ luce & religione nitescit: vt ex doctorum frequentia, posterorum lucra succrescant. Et sicut sol & luna, astraque omnia noctem atque diem suo splendore nobilitant, ità sanctorum merita sacerdotum, Ecclesiam confirmant.

Visio matris S. Columbani.

Matt. 13.

Iudic. 5.

De eius sagacitate & industria, recessu è patria, & in cuius disciplinam se tradiderit. *Cap.* 3.

Exactis

EXactis infantiæ annis, cùm in pueritiæ ætate pubesceret, liberalium literarum studijs & Grammaticorum literis capaci ingenio operam nauare cœpit: in eaque per omne pueritiæ & adolescentię tempus perseuerans, vsque in virilem ætatem eam magna animi contentione prosecutus est. Sed cùm eum formæ elegantia, corporis candor & nobilis pubertas omnibus gratum redderet, cœpit antiquus hostis in eum lethifera sua intorquere tela: vt quem tanto cernebat pollere ingenio, suis, si posset, nexibus implicaret. Aggreditur igitur lasciuas puellas, eius amore illas inflammat, maximè quas formæ corporis perfunctorius decor horrendo desiderio in miserorum animos insinuare & immergere solet. Sed cùm egregius miles tot vndiquè telis appeti & vrgeri se conspiceret, micantemque versuti hostis sicam in se vibrari cerneret, humanæ fragilitatis non ignarus, quàm citò labendo mergatur: sciens etiam, quemadmodùm Liuius ait, nihil esse tam sanctùm religione, tamque custodia clausum, quò penetrare libido nequeat: Euangelicum clypeum læua tenens, ensemque ancipitem dextera ferēs, cōtra immanes hostium cuneos ad pugnam se accingit, nè frustrato labore, quem non mediocri ingenio in Grammatica, Rhetorica, Geometria & ipsis quoquè scripturis diuinis consumpserat, seculi illecebris occuparetur. Accessit autem ad hanc rem etiam alius quidam stimulus, vrgens eum. Cùm enim hæc animo secum volueret, ad cuiusdam religiosæ ac Deo dicatæ fœminæ cellulam venit. Cumque eam priùs submissa voce salutâsset, posteà iuuenili quodam feruore eam acrioribus verbis castigare cœpit. Videns illa gliscentem in adolescente animi vigorem: Ego, ait, vtcunquè potui, ad bellum processi. En quindecim voluuntur anni, ex quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetiui, nec vnquàm deincèps, Christo adiuuante, manu stiuam tenens, retrò respexi. Et nisi fragilis sexus obstitisset, mari transmisso, longioris peregrinationis locum petijssem. Tu verò adolescentię flammis etiamnùm æstuans, natale solum incolis, & ad fragiles voces, velis nolis, fragilitate attrahente, aurem accommodas, atque fœmineum visitare sexum tutò te posse arbitraris? Non reminisceris suasu Euæ Adam prolapsum, Samsonem à Dalila seductum, Dauid à pristina iustitia, captum Bethsabee pulchritudine, excidisse, sapientissimum Salomonem mulierum amore deceptum? Perge igitur, ô iuuenis, perge, euade ruinam, qua comperis multos corruisse: declina viam, quæ ducit ad portas inferorum. His dictis stimulatus adolescens, & vltrà, quàm adolescentem crederes, territus, gratias increpanti agit: sodalibusque valedicens, iter arripit. Mater autem dolore perurgente orat, nè se relinquat. At ille: Non audîsti, inquit, Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus? Obsistente verò matre, & limini inhærente, postulat vt se ire sinat. Eiulat illa, & in pauimētum prostrata, negat se id permissuram. Tum ille & limen & matrē transiliēs, orat eam vt bono sit animo. Me quidem, inquit, in hac vita deincèps non videbis, ego enim, quocunquè me ducet salutis iter, eò iam progressurus sum. Atqueità relicto natali solo, quod Lagenorum terram incolæ nūcupant, ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur, se contulit: qui eo tempore singulari religione & scripturarum sacrarum eruditione inter suos pollebat. Qui cùm eum sagacis ingenij esse videret, omnium diuinarum scripturarum studijs eum imbuit: sed ità tamen, vt quemadmodùm magistri è discipulis sciscitantur, cùm eorum volunt explorare ingenia, & vtrùm magnos iam in studijs progressus fecerint, vel desidia & inertia torpeant, cognoscere: sic difficiles quasdam ei proponeret quæstiones, è quarum solutione de eius doctrina coniecturam caperet. At ille, quanuis pauido, at sagaci tamen pectore, nè immorigerus magistro videretur, non vanæ gloriæ actus vitio, sed magistro parére volens, quæstiones obiectas luculenter dissoluit, memor illius, quod Psalmographus habet: Aperi os tuum, & ego implebo illud. Vsqueadeò verò in eius pectore diuinarum thesauri scripturarum conditi tenebantur, vt intra adolescentiæ metas constitutus, Psalmorum librum elimato sermone exposuerit: multaque alia, quæ vel cantari sint digna, vel ad docendum vtilia, conscripserit.

> Dat operā literis.
> Diabolus insidiatur eius pudicitiæ.
> Ei fortiter vir sanctus resistit.
> A virgine quadam ad melioris vitæ institutū animatur.
> Gen. 3.
> Judic. 16.
> 2. Reg. 11.
> 3. Reg. 11.
> Matth. 10.
> Ità faciendū docet S. Hieronymus Epist. ad Heliodorum.
> Psal. 80.
> Eruditio S. Columbani

Vt ad Abbatem Commogellum venerit, & de Hybernia egressus sit. Cap. 4.

DEindè verò operam dedit, vt monachorum adiungeretur societati. Itaq; monasterium Benchor petijt, cui tum præerat virtutum vbertate clarus beatus Commogellus, egregius inter suos monachorum pater, quiq; religionis studio, & regularis disciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi so-

> Ingreditur monasteriū Benchor.

lis orationibus & ieiunijs vacare cœpit, & leue iugum Christi in suos humeros recipere, semetipsumque sibi abnegando, & crucem suam tollendo, Christum sequi: vt qui aliorum doctor futurus erat, ipse quod doctrina didicerat, in suo corpore mortificationem ferendo, copiosiùs exemplo monstraret, quid alij ab ipso docti, facere deberent. Cùm autem multos in eo monasterio annos egisset, peregrinandi cœpit vrgeri desiderio, memor illius Dominicæ sententiæ, qua dictum est Abrahæ: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Itaque venerabili patri Commogello cordis sui patefecit ardorem, ignitumque igne Domini desiderium, de quo igne Dominus in Euangelio loquitur, Ignem veni mittere in terram: quàm volo, vt ardeat? Ardentem, inquam, ille patri patefecit affectum, sed non ea patris responsa tulit, quæ ipse maximè voluisset. Erat enim venerabili Cômogello permolestum, tanta consolatione destitui. Tandèm tamen sibijpsi indixit, nè plùs suæ necessitati studeret, quàm aliorum vtilitati opportunè pareret. Nec sine omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronē suum ad bella futura erudiebat, vt de eius victoria gloriosos referret triumphos, lautamque supellectilem ex cæsorum hostium copijs reportaret. Itaque accito eo, tristem licèt sibi, tamen alijs vtilem sentētiam depromit, se & pacis symbolum, & solatia atque comites itineris, quos religio claros reddidisset, suppeditaturum. Collecto autem fratrum cœtu, omnes admonuit suarum precum suffragijs impetrare à Domino itineri, quod Columbanus erat cum suis suscepturus, solatia necessaria. Deindè Columbanus, vicesimum ætatis agens annum, cùm duodecim comitibus iter ingreditur, & Christo duce, ad litus maris accedit, ibi misericordiam omnipotentis præstolaturus, vt si illi visum sit, quod animo constituerant, ad effectum perducatur. Sentiunt interìm clemētis iudicis secum facere voluntatem: sicque carinam ingressi, dubias per fretum persequuntur vias: & prosperantibus zephyrorum flabris, pernici cursu in Britannicos perueniunt sinus. Vbi paulispèr morantes, vires resumunt, ancipitique animo anxia inter se consilia agitant. Placet tandèm arua Gallica expetere, & mores hominum accuratè indagare: &, si spes affulgeat salutis illis afferendæ, aliquantispèr apud illos commorari: sin obduratas arrogantiæ caligine illorum mentes reperiant, ad vicinas nationes commigrare.

Gen.12. Luc.12. Cum 12. socijs ex Hybernia proficiscitur.

Vt in Gallias venerit, & quàm sanctè illic cum suis versatus sit. Cap. 5.

A Britannicis ergò finibus progressi, ad Gallias tendunt: vbi tunc vel ob frequentes hostiles incursus, vel præsulum negligētiam, religionis virtus penè abolita videbatur. Tantùm Christiana fides permanebat: pœnitentiæ medicamenta & mortificationis studium vix paucis in locis reperiebātur. Agebat itaque venerandus vir, vt ad quæcunque progrederetur loca, verbū Euangelicum annunciaret. Idque sanè gratum omnibus erat, quippè & facundia instructus erat, & ea, quæ pro concione dicebat, virtutum exemplis confirmabat. Tanta autem in illis humilitatis gratia inerat, vt quemadmodùm homines mundo dediti, ad honores & dignitates adspirant, sic illi inter se humilitatis cultu & exercitatione alij alios anteuertere niterentur, memores sententiæ illius, Qui se humiliat, exaltabitur. & quod Esaias ait: Ad quem respiciam, nisì ad humilem & quietum, & trementem sermones meos? Tanta pietas, tanta charitas erat in omnibus, vt vnum illis esset & velle & nolle. Modestia & sobrietas, mansuetudo & lenitas in cunctis cernebantur. Desidiam & discordiam pariter execrabantur: arrogantiæ & elationis supercilium duris castigationum ictibus feriebatur. Ira atque liuor sagaci intentione pellebantur. Tanta patientiæ virtus, charitatis studium, lenitatis cultus eis aderat, vt mitem Dominum Iesum in medio illorū habitare ambigi non posset. Quòd si quis in vitia contraria prolapsus esset, simul omnes pari iure negligentem corrigere studebant. Communia omnibus omnia erant. Si quispiam proprium aliquid vsurpare tentâsset, à cęterorum consortio segregatus, pœnitentia id expiare cogebatur. Nemo ausus fuit, si læsus esset à proximo, par pari referre, nemo asperum proferre sermonem: ità vt inter homines illos planè Angelicam agi vitam cerneres. Deniquè tam ad omnes gratiosus erat beatus Colūbanus, vt in quorumcunque domibus aliquantispèr commoraretur, omnium animos ad religionis studium inflammaret.

Magnus religionis tepor in Gallijs. Virtutes S. Columbani & sociorum. Matt.23. Esa.66. Nihil apud eos licet habere peculij.

Vt

Vt Rex Sigebertus eum exceperit, vtq; in eremo sibi habitationẽ instituerit. Cap. 6.

PEruenit inter hęc fama beati viri in aulam Sigeberti Regis, qui illo tempore duobus regnis Austrasianorum & Burgundionum inclytus, apud Francos rerum potiebatur, quorum præ cæteris Galliarum populis eximium nomen habetur. Ad quem cùm vir sanctus cum suis accessisset, gratus Regi & aulicis effectus est ob egregiæ doctrinæ copiam. Tandèm Rex ab eo petijt, vt intra Galliarum terminos resideret, nec se suosque ad alios commigrando relinqueret: quicquid voluntas ipsius exposceret, id se præstiturum affirmans. Ille verò ait ad Regem, non se alienas consectari opes, sed Euangelicæ doctrinæ, quantum carnis admitteret fragilitas, velle exhibere sectatorem: Qui vult, inquit Christus, post me venire, abneget semetipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Respondit Rex: Si Christi Crucem tollere, & eum sequi desideras, potiùs eremi sectare quietem: tantùm nè nostræ ditionis relicto solo, ad vicinas abeas nationes, vt & tibi augmenta præmiorum compares, & nostræ saluti opportunè prouideas. Id vbi audiuit Columbanus, obtemperauit Regis persuasioni, eremumque petijt, quæ Vosagus dicebatur, vastam sanè, in qua castrum erat olìm dirutum, quod antiquitùs Anagratas nuncupabant. Ad quod cùm vir sanctus per aspera vastæ solitudinis scopulosaque peruenisset loca, ibi cum suis resedit, exiguo alimento contentus, animo commemorans illud scripturæ diuinæ, non in solo pane viuere hominem, sed verbo vitæ satiatos, multis abundare dapibus: quas qui gustârit, nunquàm possit esurire.

Intrãs Galliam humanissime à Rege excipitur.

Luc. 9.

Sigebertus Rex precibus eũ apud se retinet.

Deut. 8. Matth. 4.

Vt alimẽta ei, in eremo degẽti in summa inopia, allata sint, & vt multos curârit. Cap. 7.

EO ergò in loco viro Dei cum suis commorãte, subitò vnum è fratribus, vel ob probationem, vel ob culpam aliquam febris corripuit. Sed cùm nulla alimentorum solatia adessent, prẹter cortices & herbas, omnium animis id inspiratum est, vt pro ægri fratris sospitate, ieiunio & orationi vacarẽt. Tertiò iam ieiunij peracto die, cùm nihil haberent, vndè fessa corpora reficerent, derepentè conspiciunt virum quendam panibus & pulmentis onustos equos ad fores adduxisse. Isque referebat se repentino quodam cordis instinctu impulsum, vt eis ex sua substantia subueniret, qui tantam egestatem pro Christo in eremo sustinerent. Oblatis itaque viro Dei, quæ attulerat, humiliter rogauit, vt vir sanctus pro coniuge ipsius Dominum deprecaretur, quam toto anno tantus vastâsset febrium ardor, vt eius vita planè desperaretur. Nolens autem vir sanctus homini anxio negare solamen, adhibitis fratribus, pro ea Domini misericordiam implorauit. Finitis precibus illa, cui iam mors imminebat, ilicò sanitati reddita est. Vbi vir eius, percepta B. Columbani benedictione, domum redijt, coniugem suam sedentem vidit. sciscitatusque, qua hora eam febris reliquisset, reperit ea hora fuisse sanatam, qua vir Dei pro ea Dominum deprecatus erat. Transacto deindè paruo temporis interuallo, quo capiti Christo pias mentium expiationes, per cõtritionem carnis, iniuriasque famis mortificata Deo membra offerrent, ac inuiolatum religionis statum obseruare contenderent, duris acerbitatibus omnis frangebatur voluptas: vt videlicet prædo virtutum omnium, expoliator criminum foret. Nouem iam transierant dies, quibus vir Dei cum suis non alias caperet dapes, quàm arborum cortices, herbasq; saltûs: sed temperauit escæ ariditatẽ pietas virtutis æternæ: quæ per visum admonuit Abbatẽ Carantocum, qui monasterio, cui Salicis nomen est, præerat, vt famulo suo Colũbæ, in eremi vastitate degenti, necessaria deferret. Expergefactus Carantocus, cellarium suũ Marculphum vocat, narrat quid in visu admonitus sit. At ille: Fac, inquit, vt imperatum est tibi. Iubet ergò Carantocus Marculphum ire, & quæcunque apparare posset, beato Columbano deferre. Oneratis vehiculis, Marculphus iter arripit: sed cùm solitudinẽ attigisset, nulla appáret via, qua sit eundum. Tandèm visum est, vt, si Dei hæc esset voluntas, præmissis equis, imperantis potentia viam aperiret. Mira virtus. Antecedẽtes equi per ignotum iter, vngula solum terunt, rectoq; itinere ad fores beati Columbani peruenerũt. Admirabundus Marculphus equorum vestigijs insistit, ad virum Dei peruenit: ea quæ attulerat, repræsentat. Ille gratias agit conditori, qui sic famulis suis pararet mensam in deserto. Percepta eius benedictione, Marculphus recedit, omnibusq; rem gestam patefacit. Cœpit exindè frequens pópulus & ægrorum turba, ob sanitatem

Quidã diuinitus admonitus, ei affert alimẽta.

Sanat fœminam moribundam.

Vide inediã fratrum.

Abbas quidam mittit ei escas.

Nota miraculum.

Multos sanat morbidos. tem redintegrandam, ad eum confluere, & morborum omnium expetere medicinam. Quos cùm à se auertere non posset, omnium petitionibus párens, orationum medicamine, cunctorum morbos, diuino fultus auxilio, curabat.

De constantia eius in quadam graui tentatione. Cap. 8.

CVm autem ijs in locis per opaca saltûs inter deuia vir Dei deambularet, librumque humero ferens, de scripturis sacris secum conferret, subitò eius animo incidit cogitatio, vtrùm potiùs eligeret hominum iniurias perpeti, an ferarum sæuitiam sustinere. Quæ cogitatio cùm illi importuna esset, eumque vehementer vrgeret, crebrò frontem signo Crucis armans atque orans, intra se ait, præstare bestiarum ferocitatem absq; alieno peccato, quàm hominum rabiem cum damno animarum, perpeti. Cumque hæc animo volueret, conspicit duodecim aduentare lupos, & dextra læuaque medium ipsum cingere. At tamen manet immotus, aitque: Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina. Accedunt lupi propiùs, oraque sua ad eius vestimenta adiungunt. Sed cùm ille constans permaneret, interritum relinquunt, & per saltum peruagantur. Ea tentatione superata, securus per saltum iter carpit: nec procùl abiërat, cùm eccè audit voces frequentium Sueuorum per auia oberrantium, qui per id tempus illis in locis latrocinia exercebant. Sed ea quoquè tentatione animi constantia profligata, ex rebus aduersis victor euasit. Sed hoc vtrùm diaboli fallacia finxerit, an re vera sic se habuerit, perspicuè non cognouit. Aliâs etiam à Cellula exiens, longiorique via vastam eremum penetrans, reperit saxum immane, præruptaque cuiusdam rupis latera, terga scopulis aspera, hominibus inaccessa: simulque cernit in caute sinum concauum, volensque abdita perscrutari, in eum ingreditur. Et eccè videt vrsum in interiori sinu suum habere habitaculum, atque illic residere. Iubet ergò mansuetè abire feram, nec deincèps eos repetere calles. Abijt fera mitis, nec prorsùs ausa fuit eò repedare. Distabat locus ille ab Anagrata plùs minùs septem milliaribus.

Importuna quędã cogitatio eũ infestat.

Psal. 69.

Vrsum iubet abscedere.

De mira eius abstinentia, & vt aquam è petra produxerit. Cap. 9.

SOlebat autem vir sanctus, cùm Dominicæ diei aut quorumlibet sanctorum sacratæ solennitates aduentarent, ab aliorum societate separatus, in loca abdita se recipere, & longioris spatij eremi secreta expetere, vt solida & tranquilla mente, absque curarum inquietudine, solus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet. Ità etiam aliquandò in hac scopuli cauerna solitariam vitam ducens, adeò fuit inedia confectus & attenuatus, vt vix illum viuere putares. Non enim aliud suppetebat penitùs, nisì agrestiũ herbarum exigua mensura, vel pomorum paruulorum, quæ eremus illa ferebat, quæ vulgò * bullugas appellant. Potus aqua erat. Volebat autem ità se gerere, vt qui aliorum curis occupatus, semper hæc æquè perficere non posset, saltem per interualla temporum pro parte, animi sui desiderio satisfaceret. Erat autẽ in monasterio puerulus quidam, Domoalis nomine, qui solus ad illum referre solebat, si qua monasterij negocia extitissent fratribus obseruanda, ab illo reportare. Cùm ergò multis diebus in illo sinu eminentis saxi, ad quem vix patebat accessus, vir beatus resedisset, puerulus ille clàm ab eo perquisiuit, cur in promptu aquam non haberet, sed grandi eam labore per montis ardua fessis poplitibus apportaret. Cui Columbanus: Fili, inquit, paulispèr saxi terga sciscitare. Memento, Dominum populo Israël è caute latices produxisse. Tum ille patri obediens, rupem cædere aggressus est. Sanctus autem vir statìm in genua se submittens, Dominum deprecatur, vt tribuat suæ necessitati opportuna. Tandèm eius precibus párẽs, piè petenti larga subuenit potestas. Mox erumpente aqua, fons cœpit manare perennis, qui vsque in præsens permanet. Nec immeritò misericors Dominus sanctis suis largitur ea, quæ petunt, quandoquidem propter præcepta eius proprias crucifixerunt voluntates: tantaque fide præditi sunt, vt quæ ab illius misericordia petunt, ea se impetraturos non dubitent. Ille autem promisit: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. & alibì: Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & venient vobis.

Dominicos & festos dies vt coluerit.

Mira eius inedia.

* bulgulas * bullucas

Exod. 17. Num. 20.

E saxo aquã elicit precibus.

Psal. 16.

Matth. 17.

Marc. 11.

Vt Luxouiense monasterium cõdiderit, & multi ad eum se adiunxerint. Cap. 10.

Cùm

CVm iam multi se in eius contubernium & societatem monachi adiunxissent, de commodiori in ea eremo inquirendo loco cogitare cœpit, vbì monasterium construeret. Inuénit autem castrum quoddam, quod olìm munitissimum fuisset, à supradicto loco distans plùs minùs octo milliaribus, priscis temporibus Luxouium nuncupatum: vbi etiam thermæ siue aquæ calidæ eximio opere extructæ habebantur. Multæ illic statuæ lapideę erant, quas cultu miserabili rituque profano pagani quondàm coluerant, execrabilibus eas cęremonijs prosequentes. At nunc solæ illic feræ belluæ, vrsi, bubali, lupi frequentes visebantur. Ibì ergò vir egregius monasterium cõstruere cœpit. Cuius rei fama cùm percrebuisset, multi vndiquè eò aduolare, & religionis studio sese dicare cœperũt: ità vt in eum numerum monachorum frequentia excresceret, vt vnius monasterij collegio vix contineri posse viderentur. Accurrebant vndiquè etiam nobilium filij, vt spretis mundi huius oblectamentis, diuitijsque calcatis, æterna præmia capesserent. Cernens autem beatus Columbanus vltrò citroque homines ad pœnitentiæ remedia aduolare, nec vnius cœnobij limitibus tantam multitudinem absque multa difficultate compræhendi posse: (Quanuìs enim animus vnus & cor vnum esset omnium, non tamen id tantæ multitudinis conuersationi congruum videbatur) alium inquirit locum, quem aquarum copia ornaret. Quo reperto, aliud illic monasterium ædificauit, quod Fontanas voluit appellari: eique Præpositos dedit & gubernatores, de quorum religione nemo dubitaret. His ergò in locis cùm monachos instituisset, ipse vicissìm illis aderat, canonemque siue regulam, quam sequerentur, spiritusancto plenus condidit: ex cuius lectione prudens lector vel auditor facilè potest animaduertere, quanta viri sancti fuerit disciplina.

Multi in eius societatẽ se adiungunt monachi.

Extruit Luxouiense monasteriũ

Itèm Fontanense.

Præscribit monachis canonem.

De piscibus non absque miraculo partìm repertis, partìm captis. Cap. 11.

PEr id tempus quidam frater Authigernus pulsare eum precibus cœpit, vt in Hyberniam sibi liceret peregrinandi causa proficisci. Cui Columbanus ait: Eamus in eremum, & Dei voluntatem exploremus, num optatum debeas iter arripere, an verò in cœtu fratrum permanere. Pergentes ergò simul, adolescentem Somarium, qui etiamnùm superest, comitem sibi adiungunt, & ad destinatum eremi locum perueniunt, vnius tantùm panis alimonia contenti. Cumque iam duodecimus transisset dies, nec vllum panis fragmentum remansisset, hora refectionis appropinquante, iubet pater, vt in imam vsque vallem per agri prærupta se conferant, & quicquid alimenti repererint, secum absportent. Illi lætabundi per concaua vallis ad Mosellam vsque perueniunt, inueniuntque quinque magnos captos pisces, dudùm à pastoribus vndis expositos, atque ex ijs tres, quòd adhuc viuerent, patri præsentandos tollunt. Cùm autem venissent ad eum: Cur, inquit ille, non omnes quinque attulistis? Illis respondentibus, se eos mortuos reperisse, atque ea causa apportare noluisse: Nequaquàm, inquit vir Dei, ex his comederis, nisì, quos reliquistis, allati fuerint. At illi miraculo perculsi, quòd prophetico spiritu eum absentia cognouisse intelligerent, pernici cursu locum repetunt. Deindè obiurgati, quòd repertum manna reliquissent, cibos parare iubentur. Nouerat ille, quippè plenus spiritusancto, à Domino sibi passìm escas præparari. Alio quoquè tempore, in eàdem solitudine, non tamen eodem loco, illo commorante, post quinquaginta exactos dies solus Gallus frater ei aderat. Imperat ergò illi, vt ad Bruscam eat, piscesque capiat. Abijt ille, sed consultius visum est ei, vt ad Ligonem amnem pergeret. Quò cùm peruenisset, & rete in alueum iactâsset, adspexit magnam quidem piscium aduenire multitudinem, nec tamen reti contineri, sed perindè acsì in parietem impingerent, retrò reuerti. Laborauit itaque tota die, nec vel vnum piscem capere potuit. Reuersus, indicat patri frustratos labores suos. Ille inobedientem increpat, cur non ad denunciatum sese contulisset locum: iubetque citò eò accedere. Pergit ille, mittit rete in aquas, & vix potest præ copia piscium illud ad se retrahere. Hæc nobis Gallus ille sæpè narrauit.

Diuinitùs cognoscit absentia.

Pœna inobediẽtiæ.

Vt obedientes fratres morbis liberati, inobedientes diù illis afflicti sint. Cap. 12.

MOrabatur alio rursùs tẽpore in eo scopuli sinu, à quo vrsum expulerat, vbì diù oratione & ieiunio corpus afflixerat. Cognouit autem per reuelationẽ fratres, qui Luxouij erant, diuersis morborum generibus vexari:

nec plures supereſſe incolumes, quàm qui ægrotis miniſtrarent. Egreſſus itaque de ſpecu, Luxouium venit: cumque omnes afflictos cerneret, iubet omnes ſurgere, & meſſem in area virgis cædere. Surrexerunt ergò, quorum conſcientiam obedientiæ feruor incendebat, ad areamque venientes, virgis fruges cædere ardenti fide aggreſſi ſunt. Videns autem pater fidem in filijs & obedientiæ gratiam abundare:

Obedientiæ & inobedientiæ diuerſi effectus.

Sinite, inquit, feſſa ægritudine membra à labore recreari. Mirantur obedientes fratres, nullo doloris veſtigio remanente, integra ſe ſoſpitate frui. Iubet pater apparari menſas, vt vberi gaudio omnes reficerentur. Increpat deindè inobedientes, arguit fidei ignauiam, ægritudinis longam moram denunciat. Mira vltio. Supra anni tempus immorigeros morbi dolor tam vehementer attriuit, vt vix mortem euaderent: impleueruntque menſuram pœnitentiæ pro admiſſæ inobedientiæ ratione.

Vt in imbre ſine imbre ſegetes cum fratribus meſſuerit. Cap. 13.

ADerat quandoquè tempus, quo ſegetum copia in horrea conderetur, nec tamen vis ventorum nubes cogere ceſſabat. Vrgebat verò neceſſitas, nè maturæ meſſis ſpicæ in ſtipula miſſo germine deperirent. Erat tum vir Dei apud Fontanenſe monaſterium, vbi meſſium copiam nouus ager locupletem attulerat. Irruebant interim ventorum flabra cum multa vi imbrium, nec omninò atræ nubes terris pluuiam fundere intermittebant. Quid inter hæc ageret vir Dei, anxio pectore penſitabat.

Fides eius quanta fuerit.

Armauit verò mentem fides, docuitá Deo impetrare opportuna: accerſit vir Dei fratres omnes, ſegetem præcidi iubet. Mirantur illi patris imperium, nec tamen quiſquam ei dicit, quid ſentiat. Veniunt omnes, inter diffuſos imbres falcibus ſecant fruges, obſeruant quid pater facturus ſit. Ille quatuor inſigni religione viros per quatuor meſſis angulos diſponit, putà Comininum, Eunocum, atque Atquonanum ex Scotorum genere, quartum Gurganum natione Britonem: ipſe cum reliquis medius præcidit ſegetes. Mira virtus.

Inſigne miraculum.

Fugiebat imber à ſegete, & cùm vndiquè funderetur pluuia, medios tantum meſſores ſolis torrebat ardor, æſtuſque vehemens, donèc meſſem conderent, afflauit. Sic fides & oratio promeruit, vt pulſa pluuia, æſtum inter imbres haberent.

Vt fœcunditatem ſuis precibus impetrârit cuidam potenti fœminæ. Cap. 14.

EA tempeſtate Dux Vualdelenus gentes, quæ inter Alpium ſepta & Iurani ſaltûs arua degunt, ſuo imperio continebat. Ei verò ſoboles nulla erat, gratius vt donum iam deſperâtibus eſſet, quemadmodùm Iuuencus de Zacharia & Eliſabeth ait. Itaque cum coniuge Flauia, & nomine, & genere, & prudentia nobili, ad beatum Columbanum à Veſontionenſi oppido venit: orant pariter virum Dei, vt pro ipſis Dominum deprecetur: aiunt ſe multis ditatos opibus, ſed cui poſt obitum eas relinquant, hæredem ſe non habere. Quibus vir ſanctus: Si filium, inquit, naſciturum Domino conſecrare voletis, mihique è baptiſmo ſuſcipiendum tradere, Domini clementiam pro vobis ego implorabo, vt non eum duntaxàt, quem Domino ex voto offeretis, ſed quot libitum erit, poſt illum liberos procreetis. Læto illi promittunt animo, ſe eius iuſſis obſecundaturos, modò nè deſinat Domini pro ipſis miſericordiam implorare. Spondet vir Dei, donis cæleſtibus plenus, ſe haud difficulter impetraturum, ſi tamen dent ipſi operam, ne

Sterili matronæ facilè obtinet fœcunditatē.

pactum fœdus violent. Mira res. Vix domum redeunt, & iam grauida matrona futuram expectat prolem. Natum filium, ad ſanctum adducit virum: eius precibus impetratum munus oſtentat, agit grates conditori, qui ſic ad preces famulorum ſuorum optata dona largitur. Infantem vir ſanctus accipit in manus ſuas, ſacro expiatum lauacro ſuſcipit, Donati nomen ei imponit, matrique nutriendum reddit.

Donatus Epiſcopus Biſontinus.

Qui poſteà in eodem monaſterio ſapientia imbutus, atque deindè Veſontionenſis pontifex factus, nunc vſquè ſupereſt, eandem cathedram regens. Beati autem Columbani amore monaſterium virorum, qui eius ſeruarent Canonem, conſtruxit: quod quidem Palatium vocant, ob veterum monumenta murorum. Addidit autem benignus Deus parentibus eius alterum filium, vt erat pollicitus beatus Columbanus, cumq; Ramelenum appellârunt: qui nobilitate & ſapientia pollens, poſt deceſſum patris, ei ſuffectus eſt, habitu quidem ſecularis, ſed in Dei amore vigil. Nam & ipſe ſtudio beati viri in ſaltu Iurenſi ſuper Nouiſonam fluuiolum, eius regulæ ſiue inſtituti monaſterium condidit, cui Siagrium Abbatem præfecit. Poſt

Ramele-

Ramelenum natæ sunt etiam duæ filiæ, seculo nobiles, sed diuino timori addictæ. Postquàm autem Vualdelenus obijt, Flauia vxor eius monasteriũ puellarum Vesontione extruxit, idque modis omnibus communiens, multas in eo puellas congregauit. Vsqueadeò apud illos gratiosus fuit beatus Columbanus, vt omnia mundi huius oblectamenta spernentes, ad præpotentis Dei cultum anhelarent.

De Theodegisili digito secto & sanato, itemque de corui obedientia. *Cap.* 15.

HOc loco si qua inserere velimus, quæ hominibus exigna videantur, obtrectatorum latratibus ea patebunt. At tamen benignitas & liberalitas conditoris æquè in minimis, vt in magnis, clementer adspirat: nec minùs in modicis, quàm in maximis, petentium vota exaudit. Cùm aliquandò vir egregius Columbanus ad præcidendas segetes cum fratribus apud Calmem, quam Buniariciam vocant, aduenisset, & blando commodoque flante Austro falce fruges secarent, Theodegisilus frater digitum falce sibi præcidit, ità vt non nisi parua pellicula manui adhæreret. Eum autem vir Dei procùl intuitus, iubet cum sodalibus cœptum opus perficere. At ille, quid sibi acciderit, indicat. Mox ad eum properat vir Dei, digitum saliua sua linit, hominemque ilicò sanatum, iubet maiori contentione in cœptum laborem incumbere. Ille lętabundus duplicat laborem, & prę ceteris alacriùs secat fruges, cùm dudùm, ob pręcisum digitum, animum mœrori subdidisset. Hæc nos ab ipso Theodegisilo accepimus, qui etiam digitum nobis monstrauit. Aliud quiddam haud dissimile in Luxouiensi cœnobio cõtigit. Presbyter quidam & parochus, pater Boboleni, qui nunc Bobiensi cœnobio præest, Vuiniocus nomine, ad beatum Columbanum venit, qui tũc cum fratribus in saltu erat ob ligna opportunè paranda. Cùm autem Vuiniocus admirabundus adspiceret, quanta vi truncum quercûs cuneis arieteque finderent, è trunco exiliens cuneus, mediam eius frontem scidit, ità vt è venis multus manaret sanguis. Videns autem vir Dei Columbanus sectum eius os, sanguinemque profluentem, mox in terram Domino preces oblaturus, ruit: ac deindè surgens, saliua eum perungens, adeò sanum reddidit, vt vix vllum cicatricis vestigiũ remaneret. Alia quoquè vice, cùm ad cibum capiendum veniret beatus Columbanus in cœnobio Luxouiensi, tegumenta manuum, quæ Galli vuantos vocant, quibus in laboribus vti solebat, in lapidem, qui ante refectorij fores erat, deposuit. Cumque accubuisset mensæ, coruus rapax aduolans, vnum ex eis rostro compræhensum abstulit. Peracta refectionis hora, vir Dei foràs egrediens, tegumentum illud requirit. Cumque omnes inter se conquirerent quis abstulisset, vir sanctus ait, nullum alium esse, qui sine arbitris vel socio attingere aliquid ausus esset, nisi alitem, qui à Noë dimissus, ad arcam non remeâsset. addiditque se nullo modo eius pullos aliturum, nisi furto abreptum, celeri volatu referret. Expectantibus ergò fratribus, in medium eorum coruus aduolat, malè sublatam rem rostro reportat: nec tamen pennigera se fuga subducit, sed oblitus ferocitatis, ante omnium conspectum comiter subsistens, vltionem expectat. At vir sanctus eum abire iubet. O miram æterni iudicis virtutem, qui tanta suis pręstat famulis, vt non solùm humanis honoribus, sed etiam auium obedientia clarescant.

[Margin: Saliua sua sanat digitum præcisum.]

[Margin: Itém alterius graue vulnus.]

[Margin: Gen. 8.]

[Margin: Coruus restituit quod abstulerat.]

Vt ceruisia, ablato epistomij vertibulo, non effluxerit è vase. *Cap.* 16.

EST deindè aliud patratum miraculum per beatum Columbanum & cellarium eius. Cùm refectionis appropinquaret hora, & minister refectorij vellet promere ceruisiam, (quę ex frumenti vel hordei succis decoquitur, quaque præ cæteris in orbe terrarum gentibus, præter * Scoticas & Dardanas, quæ Oceanum incolunt, vtuntur, nempe Gallia, Britãnia, Hybernia, Germania, cæterę que quæ ab earum moribus non discrepant) vas quod typrum nuncupant, in cellarium deportauit, & ante vas, in quo erat ceruisia, deposuit: extractoque epistomij vertibulo, in illud ceruisiam excepit. At subitò quidam è fratribus Columbani Abbatis iussu eum euocauit. Tum ille obedientiæ flamma feruens, oblitus epistomium obstruere, pernici cursu ad beatum virum properauit, vertibulum manu tenens. Postquàm autem vir Dei sua ei mandata deprompsit, ille recordatus negligentiæ, ocyùs redijt in cellarium, suspicans nihil in vase ceruisiæ remansisse. Cernit autem vltra typrum vsqueadeò excessisse ceruisiam, vt duplò altior typrus videretur, nec minimam tamen guttam decidisse in terram: ità vt tanta emineret supra

[Margin: * Scordiscas]

[Margin: Præclarum obedientiæ miraculum.]

vrnam ceruisia, quanta erat intra illius coronam siue ambitum. En quantum imperantis meritum, quanta obedientia obtemperantis: quibus factum est, vt Dominus vtriusque mœrorem auerteret, nè si fratrum substantiam & iubentis & obedientis ardor diminuisset, ambo licita sibijpsis alimenta interdicerent. Itaque æquus arbiter intercessit, vt vtriusque culpam aboleret. Vterque enim sua noxa suoque vitio euenisse asseruisset, si quid illic incommodi accidisset.

Nulla hîc erat illorũ culpa, sed tamen illi se culpæ obnoxios dixissent.

De quibusdam alijs beati viri miraculis. Cap. 17.

EOdem tempore per densa saltûs viburna, quæ prope Fredemungiacas Calmem erant, vir Dei fruticum solitudinis amator inambulans, vidit cadauer cerui, quẽ feri lupi peremerãt, vrsum deuorare velle. Eius enim sanguinem lambens, iam exiguam carnis partẽ comederat. Accessit ergò ad eũ vir Dei, iussitq; nè corium calceis conficiendis necessarium, lædere ausus esset. Mox bestia ferocitatis oblita mitescit, & contra naturam suam blandiens & colla submittens, absq; murmure cadauer relinquit. Vbi autem vir Dei ad fratres redijt, indicauit eis locum, iussitq; vt irent, & cerui pellem abstraherent. Abeunt fratres, cernunt vndiquè rapacium alitum multitudinem procùl abesse, nec cõtra viri Dei interdictum ad cadauer propiùs accedere audere. Diù interim expectant eminùs, visuri nũ vel fera, vel auis audaci conatu tandèm vetitã sit inuasura escam. Et illas quidem odore cadaueris illectas aduentare conspiciunt, sed tamen procùl subsistere, & perindè atquè mortiferum quiddam, cadauer illud vitare, deniquè celeri fuga se subducere. Alio tempore beato viro Luxouij degente, Vuiniocus presbyter, cuius suprà fecimus mentionem, ad eum venit, sequebaturque eius vestigia, quocunquè ire vellet. Venerunt autem ad horreum, in quo frumenta condebantur. Cernit autem Vuiniocus exiguam illic frumenti copiam, ait viro Dei, quòd non habeat satis ad tantam alendam fratrum multitudinem: arguit eum torporis & desidiæ, quòd non det operam frumento conquirendo. Respondit autem ei beatus Columbanus: Si ità, vt par est, homines suo seruiant conditori, nunquàm famem patientur. Sic enim Psalmographus habet: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Perfacilè horreum complet farina, qui quinq; panibus quinq; hominum millia satiauit. Manente verò illic ea nocte Vuinioco, viri Dei fide & precibus horreum completum est. Maneque cõsurgens Vuiniocus, cùm iuxta horreum transiret, inopinatò illud cernit apertum, sciscitaturq; ex custode horrei, quis frumentum miserit, aut quibus plaustris eò aduectum sit. Ait ad eum custos: Non ità est, vt putas. Inspice, num qua plaustrorum vel iumentorum telluri impressa vestigia appareant. Nequaquàm à me claues hac nocte recesserunt; sed obserato granarij ostio, diuina benedictione frumento illud repletũ est. At ille deindustriâ intentis oculis contẽplatur terrã, num sint illic apportantium fruges relicta vestigia: sed cùm nihil extaret eiusmodi, Potest, inquit, Dominus seruis suis parare mẽsas in deserto. Exacto indè aliquanto temporis interuallo, venit beatus Columbanus ad Fontanense cœnobium, reperitque fratres sexaginta sarculis terram excolere, & iaciendo semini arua præparare. Cumque videret eos magno labore glebas frangere, Sit vobis, inquit, fratres, à Domino parata refectio. Audiens id minister, Pater mî, ait, non sunt nobis nisì duo panes, & paululum ceruisiæ. At ille: Abi, inquit, & affer huc. Concito gradu properat ille, & attulit quod iussus erat. Tum beatus Columbanus in cælum suspiciens, Christe Iesu, inquit, vnica spes orbis, tu hos panes & hunc potũ multiplica, qui de quinque panibus quinq; millia in eremo satiâsti. Mira res. Comederunt omnes, & saturati sunt: haustoque potu, prout cuique libitum fuit, dupla minister fragmentorum spolia collegit, potusq; duplicatam mẽsuram. Sicque intellexit, plùs mereri fidem digna diuini muneris beneficia, quàm desperationem, quę soleat etiam diminuere collata. Cùm quodam tempore in cœnobio Luxouiensi vir Dei commoraretur, accidit vt vnus è fratribus, qui & ipse Columbani haberet nomen, febre correptus, atque in extremis positus, felicem postularet exitum. Cumque iam vltimum vellet efflare spiritum, spe bona fretus cælestis capessendi muneris, quod longo quæsierat famulatu, vidit ad se virum, multa luce amictum, accedere, sibique dicere: Non te iam possum è corpore educere, orationibus & lachrymis Columbani patris tui impeditus. Ille hæc vt audiuit, mœrens acsì è somno euigilâsset, ministrum suum Theodegisilum, cuius suprà meminimus, appellauit, Festina, inquiens, & communem patrem Columbanum ad me veni-

Feræ sancto viro obediũt.

Mira virtus sancti viri.

Psal. 36.

Matt. 14.

Vacuũ horreũ eius precibus impletur frumento diuinitùs.

Matt. 14.

Diuinitùs augentur duo panes & ceruisia.

venire compelle. Abijt ille properè,& beatum Columbanum in ecclesia flentem reperit,oratq; vt ad ęgrotū festinus accedat. Venit ergò perniciter,& quid velit percontatur. At ille:Cur me,inquit,tuis precibus in hac ærumnosa vita detines? Adsunt enim,qui me ducere velint,nisi tuis lachrymis & precibus præpedirētur. Retentionis solue obstacula,vt mihi iā cęlestia regna patescāt. Tum * animo perculsus Columbanus,signo dato,omnes adesse iubet,sancti sodalis amissionē gaudio temperat,corpus Christi de hac vita abeunti viaticū præbet,& post suprema oscula,defunctionis cantus persoluit. Erat is sanguine cōiunctus beato Columbano,& cum illo ex Hybernia profectus fuerat: parebantq; etiā illi bestiæ & volucres, sicutì viro Dei Columbano: de quo nobis referre solebat * Chagnoaldus Lauduni clauati pontifex, qui eius minister & discipulus fuerat,cùm in eremo precibus & ieiunio vacās deambularet,sæpè eum,se inspectante,feras belluas & aues accersijsse,easque ad eius imperiū statìm aduenisse. Illū verò blanda manu eas attrectâsse,ferasque & aues mirè lætabundas & ludibundas,vt solent catuli coram dominis suis,exultâsse. Sæpè etiam illum ab altissimis arboribus euocâsse sciuros,manibus eos appręhendisse,collo suo imposuisse,atque illos in sinum eius & intrâsse,& indè exijsse.

Nota vim precū eius.

* metu

* Canoald⁹

Ferę & auēs obediūt illi.

Vt eum reuerenter acceperit Theodoricus Rex, vtq; is ab eo sit obiurgatus. Cap. 18.

CRebuerat iam passìm sancti viri fama in vniuersis Galliæ atque Germaniæ prouincijs,eratq; omnium sermone celebris,omnium cultu venerabilis, idque adeò,vt etiam Theodoricus Rex,qui eo tempore regnabat,ad eum sæpè veniret,& orationum eius suffragia omni cum humilitate expeteret. Sigebertus enim,cuius iam antè fecimus mentionem, apud Victoriacum villā publicam,quę in suburbio * Arauiensis vrbis sita est,Chilperici germani sui dolo, qui apud Tornacum tunc erat,quem Sigebertus vsque ad internecionem persequebatur,interfectus est. Interfecto autē Sigeberto,Childebertus filius eius,regni sceptra suscepit,annuente matre Brunechilde. Mortuo deindè Childeberto intra adolescentiæ annos, regnauerunt duo filij Childeberti, Theodebertus & Theodoricus cum auia Brunechilde. Et regnum quidem Burgundionū administrauit Theodoricus,Austrasiorum verò Theodebertus regēdum suscepit. Theodoricus ergò gratulabatur sibi,quòd intra limites suos haberet beatum Columbanum: cumque ad eum sępissimè veniret,cœpit vir Dei increpare illū,quòd concubinas potiùs,quàm legitimum matrimonium consectaretur,vndè posset regia proles suscipi, quæ de iusta coniuge,non ex lupanaribus,orta videretur. Cumq; viri Dei sermonibus flexus Rex,se ab omnibus illicitis abstinere velle responderet,mentem Brunechildis auiæ,alterius Iezabelis,antiquus serpens inuasit,eamque in virum Dei superbię stimulis agitatam incitauit,effecitque vt doleret, Theodoricum Regē viro Dei obedire. Verebatur enim,nè, si ille abiectis concubinis, Reginam aulæ præficeret, ipsa honoris & dignitatis suæ faceret iacturam.

Sigeberti Regis cędes

S.Colūbanus obiurgat Theodoricum Regem.

Ea re offendit Brunechildem.

Vt vir Dei ad Brunechildem & Theodoricum venerit, vt Regis munera respuerit, & de concitato aduersùs ipsum Rege. Cap. 19.

ACcidit indè,vt vir Dei ad Brunechildem veniret,quæ tum apud Brocariacum villam erat. Cumque illa eum in aulam venisse cerneret,filios Theodorici è concubinis susceptos, ad illum adduxit. Quos vt vidit,sciscitatur quid sibi velint. Et Brunechildis,Regis,inquit,filij sunt: tu eis benè preceris. At ille: Nóueris,ait, hos ad regni sceptra nequaquàm peruenturos,qui de scortis nati sunt. Illa furens,paruulos abire iubet. Exijt verò etiam vir Dei extra aulam regiam: sed cùm limen transiliret,tota domus fragore concussa, omnibus terrorem incussit: nec tamen miseræ fœminæ furorem compescuit,quin ad comparandas viro Dei insidias animum intenderet. Vicinis monasterij per nuncios mandat, vt nullum è monasterio egredi patiantur,& neque domo monachum vllum recipiant, neque vlla subsidia conferant. Cernens ergò beatus Columbanus regios in se animos concitatos, ad Regem properat, vt admonitionibus suis miseræ pertinaciæ frangat intentionem. Erat tum Rex apud Spissiam villam publicam. Eò cùm iam sole occumbente venisset, Regi nunciatur adesse virum Dei, nec tamen in ædibus regijs velle hospitio vti. Ait ergò Rex, satiùs esse virum opportunis subsidijs honorare, quàm Dominum, seruos eius offendendo, ad iracundiam prouocare. Iubet ergò regio cultu opportuna præparari, eaque viro Dei dirigi.

Prædicit,filios Regis ad regni sceptra nō peruenturos.

Veni-

Veniunt ministri,& à Rege missa ei offerunt.Ille vt vidit dapes & pocula regio apparatu instructa,perquirit quid ijs sibi velint.Aiunt illi,esse ad ipsum missa à Rege. At vir Dei abominatus ea,Scriptum est,inquit,Munera impiorum reprobat altissimus.Indignum est enim,vt seruorum Dei ora,eius cibis polluantur,qui non solùm à suis,sed etiam ab aliorũ habitaculis arcet Dei famulos. His dictis, vascula omnia dirupta sunt,vinum & sicera in humum diffusa,cæteraque hincindè disiecta.Pauefacti ea re ministri,nunciant Regi quid gestum sit. Ille terrore perculsus, diluculò ad virum Dei cum auia Brunechilde properat: precantur pariter veniam,promittunt se deincèps emendaturos.Quibus promissionibus vir Dei placatus,ad monasterium redit: sed illi non diù stant promissis,redit Rex ad solita stupra,cumulatq; infelicitatem suam. Quod vbì percepit beatus Columbanus, literas verberibus plenas scribit ad Regem,minatur ei excommunicationem, nî concubinas à se repellat.Sed ijs rursùm inflammata Brunechildis,Regis animum aduersùs beatũ Columbanum incitat,omniq; conatu perturbare contendit: orat etiam proceres aulicos & optimates omnes,vt Regis animum in virum Dei commoueant.Episcopos quoquè solicitat, vt eius instituto & religioni detrahant,canonemque, quem suis monachis præscripserat,rodant dente canino.Obtemperant aulici miseræ Reginæ voluntati, Regis animum in virum Dei inflammant, atque eousquè adducunt, vt eum adire,& institutum eius monasticum explorare constituat.

Eccli.34. Respuit dapes à Rege missas. Nota rem admirandã. Brunechildis altera Iezabel,Regis animum in virũ Dei commouet.

Vt vir Dei Luxouio pulsus sit. Cap. 20.

COactus igitur Rex, Luxouium venit ad virum Dei, cœpitque expostulare cum illo,cur à prouincialium moribus discreparet,nec Christianis omnibus intra monasterij septa secretiora aditus pateret. Beatus Columbanus, vt erat imperterritus & animo virili,Regi talia obijcienti respondit,se consuetudinem nõ habere, vt secularibus hominibus & à religione monastica alienis, liberum esse sinat in seruorum Dei habitacula ingredi: loca alia apta & opportuna instituta,vbì hospites omnes excipiantur.Tum Rex: Si,inquit, largitatis nostræ beneficijs potiri vis,in loca omnia patebit omnibus accessus. Vir Dei respondit: Si tu id,quod hactenùs regularis disciplinæ habenis adstrictum fuit,luxare & violare conatus fueris, equidem nullis tuis muneribus vel beneficijs sustentari velim. Et,si ea causa hunc in locum aduenisti, vt seruorum Dei cœnobia destruas,& regularem disciplinam contamines atque conuellas, nóueris regnum tuum funditùs ruiturum,& cum omni regia propagine interiturum. id quod posteà rei probauit euentus.Iam enim temerario conatu Rex in refectorium ingressus fuerat. Territus autem hisce verbis, celeriter egressus est: sed eum vir Dei acerrimè obiurgauit. Ait vero illi Rex: Fortasis martyrij coronam te percepturum speras: sed non ea ego dementia sum,vt tantum velim patrare scelus.Saniori ego consilio vtar. Itaque si tibi sic visum est,ab omnium secularium moribus desciscere,qua venisti via, ea tibi redeundum nôris.Eadem quoquè aulicorum vox est & sententia,nolle se ijs in locis habere quenquam,qui non omnibus sese adiungat. Respondet beatus Columbanus, se de cœnobij septis non egressurum,nisì vi extrahatur. Discessit ergò Rex, & virum Procerem Baudulphum illic reliquit,qui virum Dei à monasterio expulit,& iuxta Vesontionense oppidum in exiliũ abegit,donèc Regis sententia, quod visum esset, decerneret.

Rex cum eo expostulat. Prædicit Regi suum interitum, & totius propaginis eius ruinã. Expellitur è suo monasterio.

De carcere diuinitùs aperto. Cap. 21.

COmmorans ergò illic vir Dei, audit eo in loco carcerem esse plenum damnatorum hominum,vltima supplicia expectantiũ.Ad eum properè accedit,& nullo obstante,ostium ingressus, verbũ Dei damnatis illis depromit.Illi,si possint liberari,promittunt se vitam emendaturos,& ob admissa facinora pœnitentiam acturos. Tum beatus Columbanus ministro Domoali, cuius superiùs mentio facta est, imperat, vt manu ferrum, quo compedes irretitæ atque innexæ erant, ad se trahat. Ille apprehensum ferrum trahit, idque mox instàr putrefacti fruticis particulatìm comminuitur. Solutis compedibus, vir Dei iubet damnatos è carcere egredi: peractoque Euangelico ministerio pedes eorum lauit, linteoque extersit. Deindè præcipit, vt ecclesiam petant, & perpetrata scelera pœnitentia & lachrymis expient. Properantes illi, ecclesiæ fores inueniunt obseratas.Porrò tribunus militum vt vidit diuina virtute per beatum Columbanum

Multos è carcere dimittit.

banum damnatorum compedes fractas, & vacuum sibi relictum ergastulum, tanquàm à somno excitatus, damnatorum vestigia persequi cum militibus cœpit. Illi à tergo appropinquare milites videntes, foresque ecclesiæ obseratas, gemina vallati angustia, virum Dei compellant, vt eruantur. Anxio ille pectore sursùm caput attollit, precaturque Dominum, vt ipsius virtute à vinculis ereptos, non sinat denuò à militibus vinciri. Non cunctatur bonitas diuina: fores firmis obseratas claustris reserat, in angustijs positum aditum pandit. Illi penici cursu iuuolant in ecclesiam: fores, cernentibus militibus, absque humana opera rursùs obserantnr, acsi custos templi clauibus celerrimè & patefecisset & clausisset eas. Veniens ergò beatus Columbanus cum suis, simulque tribunus cum militibus ad obseratas fores, custodem quærunt, vt claues præbeat. Qui cùm venisset, & clauibus ostia aperire vellet, ait se nunquàm diligentiùs obserata inuenisse. Nec quisquam posteà ausus fuit damnatis illis inferre iniuriam, quos diuina virtus eruisset.

Magno miraculo fores tepli & patescunt & clauduntur.

Vt Luxonium redierit, milites cæcitate percußi, eum præsentem non viderint, vt rursùs à Rege eiectus sit. Cap. 22.

POst hæc cernens vir Dei nullos sibi custodes adhiberi, nullā exhiberi molestiam, (videbant enim omnes in illo virtutem feruere diuinam, atque ea causa ab eius iniurijs se separabāt, nè socij culparum forent) Dominica die ascendit in verticem ardui montis. (Ità enim situs vrbis est: cùm domorum densa ædificia in diffuso procliui montis latere extructa sint, in ardua cacumina sese porrigunt, ipsum montem vndiquè cingente abrupti fluminis * Donæ aluco, & commeantibus aditum præcludente) Ibì verò vsque in medium diem expectat, num quis prohibiturus sit, nè ad monasterium reuertatur. Cùm autem nullus appareret, per mediam vrbem cum suis ad monasterium regreditur. Id vbì percepit Theodoricus Rex & Brunechildis, eum scilicet ab exilio reuertisse, atrocioribus iræ aculeis stimulantur, iubentque militum cohortem rursùm eum vi indè abstrahere, & ad pristinum exilium reuocare. Veniunt milites, cum tribuno peruagantur per monasterium, virum Dei perquirunt. Residebat tum ille in atrio ecclesiæ, & in codice quodam legebat. Et illi quidem crebrò eò veniunt, propè eum transeunt, ità vt in eius pedes nonnunquàm impingerent, & vestimentis suis eū attingerent, nec tamen occæcatis luminibus vident eum. Erat id sanè spectaculum pulcherrimum. Ille lætabundus cernebat se quærentes, nec tamen ab illis cernebatur. Videbantur illi ab eo coram ipsis posito, nec videbant tamen. Porrò tribunus per fenestram respiciens, vidit virum Dei coram ipsis lætum residere & legere. Itaque exclamauit: Quid tam curiosè per atria ecclesiæ discurritis, nec tamen quicquam reperitis? Non iam vos diutiùs insaniæ error occupet. Non poteritis inuenire eum, quem virtus diuina tegit. Cessate iam, & Regi ocyùs renunciemus, vos eum minimè reperisse. Vndè satìs potest intelligi, tribunum illum non sua sponte venisse ad irrogandam viro Dei iniuriam, & idcircò potuisse eum videre illum. Vbì autem hæc renunciata sunt Regi, ille infaustæ intentionis aucto furore, Bertarium Comitem cum militari præsidio, vnaque Baudulphum, quo iam antè vsus ea in re fuerat, ad eum studiosè perquirendum misit. Qui cùm venissent, beatum Columbanum in ecclesia cum omni fratrum congregatione psalmis & orationi deditum reperiunt, sicque eum alloquuntur: Vir Dei, precamur, vt tam regijs, quàm etiam nostris pareas præceptis, hincque ea excedas via, qua huc primùm aduenisti. Ait ille: Non puto, inquit, id placere conditori, vt ad semèl ob Christi timorem relictum natale solum reuertar. Videns Bertarius virum Dei sibi non obtemperare, quibusdam ferocioribus illic relictis, abscessit. Illi autem, qui remanserant, virum Dei hortantur, vt ipsorum misereatur, qui eiusmodi rei exequendæ infeliciter essent destinati, ipsorumque periculo consulat: qui, nisi eum vi extrahant, sine dubio in mortis discrimen venturi sint. Illo verò dicente, se iam sæpiùs testatum esse, nō se indè, nisi vi compellente, recessurum: illi gemino implicati periculo, vtrinquè vrgente formidine, pallium quo indutus erat, appræhendunt: alij ad genua eius aduoluti, cum lachrymis precantur, vt tanti sceleris culpam ipsis remittat, qui non suæ libidini, sed regiæ obtemperent voluntati. Videns itaque vir Dei alijs creari periculum, si permaneat in suo proposito obstinatus, cunctis eiulantibus atque mœrentibus egreditur, adiunctis ei custodibus, qui, donèc extra Regis ditionem excessisset, eum non

Reuertitur ad suū monasterium.

Non videt eū milites, missi ob e i expellendū.

Alios mittit Rex, qui eum denuò eijciant.

Spōtè egreditur è monasterio, nè milites in piculo hut.

non relinquerēt. Ij que cum Nannetes deduxerunt, (Erat autem primus inter illos Ragamundus) vniuersis fratribus cum ceu funus prosequentibus. Omnium enim corda mœror oppleuerat. Interim anxius pater ob tot filiorum incommoda in cælum suspiciens: Aeterne, inquit, rerum conditor, tu nobis locum opportunum præpara, vbi tibi perpetim seruiant famuli tui. Deindè consolatur gregem vniuersum, vti spem nè abijciant, sed omnipotenti Deo gratias immensas agant. Non enim isthuc aliquo suo, aut suorum dispendio accidere, sed multiplicandis monachorum cœtibus offerri occasionem. Si qui ergò ipsum sequi velint, promptissimis animis ad tolerandas secum iniurias id faciant. Si qui verò in Luxouiensi monasterio permanere velint, securi illic residcant: citò enim Dominum, eorum dolorem vindicaturum. Sed cùm æquis animis à tanti pastoris custodia auelli non sustinerent, qui à Rege missi erant, dicebant se nequaquàm passuros quenquam abire cum illo, nisi qui commune cum eo natale solum haberent, vel qui ex Britannia illum secuti essent. Cæteros, qui in Gallijs nati essent, ex Regis voluntate illic permanere debere. Cernens igitur egregius pater membra sua à se vi auelli, & suum & membrorum suorum sensit augeri dolorem. Pro tanti autem criminis immanitate, Dominum omnium consolatorem deprecans, rogauit eum, vt quos regia pertinacia à se abstraheret, ipse sua custodia tueretur. In ijs autem venerabilis vir, qui postea eiusdem monasterij pater extitit, *Eustachius discipulus & minister sancti viri, violenter ab eo auulsus est, intendente illi auunculo eius, qui Lingoniensis Ecclesiæ pontifex erat. Egressus ergò vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius, per vrbem Vesontionensem Augustodunumque ad Auellonense castrum peruenit: sed priusquàm eò perueniret, in via ei custos equorum Theodorici occurrit, lanceaque illum confodere voluit. Sed maleuolum animum digna mox vltio anteuertit. Dextera enim, quam in virum Dei extenderat, torpente, lanceam ante suos pedes humo defixit. Ipse verò à dæmone arreptus, ad viri Dei vestigia corruit. Cernens vir sanctus illum diuina animaduersione percussum, illo die & nocte apud se retinuit. Altero die illucescente, cum ad se accersitum, Deo fauente, curauit, illeque in sua reuersus est. Deindè vir Dei ad * Caramsium properans, in ædes nobilis & religiosæ fœminæ Theudemannæ peruenit. Ei ti autem illi occurrerunt duodecim viri, pleni rabido dæmone. Qui cum in terram corruissent, vir Dei protinùs eos oratione curauit. Eodem die ad vicum, quem Coram vocant, peruenerunt, vbi quinque phrenetici ei obuiàm venientes, illico sanati sunt. Indè Antissiodorum properauit, vbi Ragamundum, qui ei custos & deductor per iter adhibitus erat, appellans: Memento, inquit, ô Ragamunde, Clotarium, quem nunc contemnitis, intra triennium vos dominum habituros. Ait ille: Cur, inquit, domine mî, talia loqueris? Et vir Dei: Prorsùs, ait, videbis quæ dixi, si tunc superstes eris.

*Eustasius

Deus punit nefariu hominē beato viro necem intentantē.

12. dæmoniacos curat & 5. phreneticos.

De quibusdam eius miraculis. *Cap.* 23.

EGressus indè ab Antissiodoro, videt iuuenem à demone correptum, celerrimè ex aduerso ad se accurrere, qui iam viginti milliaria totis viribus currendo confecerat. Eo viso, substitit, donèc homo dæmonis arte infestatus aduenirct: vbi ad virum Dei venit, coram illo corruit, sese discerpens. Eum itaq; orationibus curatum, patri sospitem reddidit. Indè ad Niuernense oppidum venit, custodibus antecedētibus & subsequentibus, vt in Ligeri scapha exceptus, in sinum Britannicum reduceretur. Cumque eò venissent, & tardè in scapham insiliret, quidam è custodibus arrepto remo, vnum eorum, qui Lua dicebatur, percussit, virum sanctissimum & religioni deditissimum. Cernens autem vir Dei sua corā se membra cædi: Cur, inquit, homo crudelis mœrori addis mœrorem? An non sufficit vobis ad ruinam admissum facinus? Cur fessa Christi membra cædis? Cur in mitē immitis insurgis? Cur sæuitiam in mansuetos exeris? Nóueris hoc ipso loco distincte vltione plectendum, quo ausus es furibundus Christi membrum cædere. Probauit viri Dei sermonem mox subsecuta vltio. Vt enim ad portum illum transiturus redijt, diuinitùs percussus, eodem loco submersus est. Cur autem iustus iudex eam vltionem distulerit, ignoratur, nisi forrassis, nè beati viri oculi ea vindicta macularentur. Indè ad Aurelianensem vrbem venerunt. Vbi cùm ex Regis edicto etiam in ecclesias ingredi non permitteretur, cum grandi mœrore ad ripam Ligeris sub tentorijs paulispèr quieuit. Cumque necessario sumptu indigerent, duos in vrbem

Dæmoniacum curat.

Maligno homini diuinā prædicit vltionē.

direxit, vt res necessarias quærerent. E quibus vnus erat Potentinus, qui adhuc superest, & in Armoricanis locis in Constantiæ vrbis suburbanis monachorum cœtum collegit. Cùm aũt peragrantes vrbem nihil accepissent, quòd Regis timore omnium animi perculsi essent, via qua ingressi erant, reuersi sunt. In ipso autem itinere obuiàm eis venit mulier quædã, Syra natione. Ea vt vidit illos, sciscitata est quinam essent. Illi respondent se res necessarias quæsijsse, nec recepisse quicquam. Tum illa: Venite, inquit, domini mei ad ædes meas, & necessaria vobiscum absportate. Nam & ego aduena sum ex longinqua Orientis regione. Illi gratulabundi eam præcedentem sequuntur: & postquàm ad domum eius venerunt, sella posita quieuerũt, donèc adferret ea res necessarias. Assidebat autem eis maritus eius, iam olìm luminibus orbatus, de quo perquirebant illi, quis esset. Respondente ea, virum suum esse ex eadem gente Syrorum, quem ipsa multis annis lumine priuatum traheret, aiunt illi: Si Christi famulo Columbano præsentaretur, illius precibus posse eum lumen recipere. Ille promissi muneris fide munitus, surgens, eorum cũ duce vxore vestigia sequitur. Vbì ad sanctum Columbanum ventum est, Potentinus indicauit ei exhibitam ipsis hospitalitatem à peregrinis. Necdùm verba finiẽrat, cùm cæcus orat virum Dei, vt suis precibus lumen sibi restituat. Videns ille hominis fidem, omnes rogat, vt orent pro cæco, primusque diù humì prostratus iacuit. Indè surgens, manu oculos attigit, impressoque signo Crucis, lumen redijt. Lætus ille domum remeat, vt qui in hospites interius lumen intenderat, exteriori non careret. Deindè turba obsessorum, quos dæmones horrendo furore torquebant, ad virum Dei curationis gratia properant, & Domino salutem largiente, omnes à viro Dei curantur. His virtutibus vrbis populus permotus, viro Dei clàm meritum impendebat honorem. Non enim palàm propter custodes quicquam ei præbere audebant, nè Regis iram incurrerent. Posteà illi arrepto pergunt itinere.

Hospitalitas mulieris Syræ.

Signo Crucis & precibus restituit cæco lumen.

Dæmoniaci multi curãtur.

Vt scapha diuinitùs ad portum appulsa sit: de pecunia furto ablata, & restituta, &c. *Cap.* 24.

NAuigantes autem per Ligerim, ad Turonensem peruenitũt vrbem, vbì vir sanctus custodes precabatur, vt scapha in portum appulsa, sinerent ipsum ire ad beati Martini confessoris sepulcrum. Abnuunt custodes, vrgent remiges, vt celeri cursu portum prænauigent: imperant gubernatori, vt scapham medio flumine dirigat. Videns id beatus Columbanus, mœstum vultum ad cælum erigit, queritur tanto se mœrore affici, vt nec sanctorum sepulcra inuisere permittatur. At cunctis illis vrgentibus, mox vt contra portum vẽtum est, velut quibusdam defixis ancoris, scapha stare cœpit, & ad portum prorã dirigere. Cumq; custodes obstare non valerent, inuiti scapham, quò velit ire, sinũt. Miro igitur modo è medio fluminis tractu ad portũ volatu pennigero defertur, portuq; recepta, vir Dei pandit iter. Ille gratias agit æterno Regi, qui seruis suis obtemperare non dedignetur. Egressus autem è scapha, ad sepulcrum beati Martini accedit, totaque nocte illic in oratione excubat. Illucescente verò die, à Leopario vrbis Episcopo inuitatus ad prandium, ire non abnuit, præsertìm ob fratrum suorum requiẽ: moratusque eo die est cum illo pontifice. Qui cùm hora refectionis ad mensam cum eo resideret, sciscitabatur, cur ad patriam repedaret. At ille: Canis, inquit, Theodoricus me à fratribus meis abegit. Tum vnus è conuiuis, Chrodoaldus nomine, cuius etsì coniunx erat amita Theodeberti Regis, attamen Theodorico Regi ipse fidelis erat, viro Dei humili voce respondit, satiùs illi esse lac potare, quàm absynthium. Et vir Dei: Sẽtio, inquit, te Regi Theodorico fœderis fidem seruare velle. Respondit ille, se, quandiù possit, datam fidem obseruaturum. Rursùs vir Dei: Si ergò, inquit, Regi Theodorico deuinctus es fœdere, amico & domino tuo lætum ex me nuncium apportabis, dicesque ei, & illum & liberos eius intra triennij spatiũ Dominum radicitùs extirpaturum. At Chrodoaldus: Quid ità loqueris, ait, serue Dei? Et ille: Nõ enim possum, inquit, silere, quæ Dominus iussit vt loquerer. Vera autem dixisse virum Dei, omnes Galliæ nationes posteà senserunt: confirmauitq; his verbis ea, quæ superiùs ad Ragamundum dixerat. Peracto prandio, vir Dei ad scapham redijt, vbì tum reperit suos multo mœrore oppressos. Causam inquirens, cognouit eos nocte præterita, quæ in scapha habuissent, furto perdidisse: simulque aureos, quos in pauperes non erogauerat, ablatos esse. Mox ergò ad sepulcrum beati Martini

En q̃ fert molestè rãtus vir non sibi licere adire tumulum S. Martini.

Leoparius Episcopus Turonensis eũ inuitat ad prandiũ.

Rursùm Regem & liberos eius casuros prænunciat.

tini repedat, queritur se non idcircò ad eius excubâsse reliquias, vt ille sua & suorum fratrum damna negligeret. Nec mora: is qui sacculum cum aureis furatus erat, cœpit inter flagella corporis pœnasque clamare, locumque indicare, vbi aurei occultati essent. Socij id audientes, omnes eò currunt, furto erepta omnia restituunt, virum Dei precantur, vt tanto sceleri ignoscat. Id miraculum omnibus terrorem incussit, vt deinceps qui hæc audirent, omnia quæ viri Dei erant, tanquàm sacrata attingere non auderent. Porrò Leoparius Episcopus, cùm viro Dei necessaria præbuisset, ei valedixit. Ille nauali itinere lætus ad Nannetense oppidum peruénit, atque ibì aliquantispèr moratus est: cumque aliquandò egenus quidam ante fores cellulæ, in qua vir Dei degebat, eleemosynam peteret, ille accito ministro, Præbe, inquit, cibum petenti. At ille: Non est nobis, ait, panis, præter paululum farinæ. Sciscitatur vir Dei, quantum illud sit: Illo respondente, non sibi videri plus esse, quàm modium vnum, vir Dei imperat, vt totum illud det, nec quicquam reseruet in crastinum. Obtemperat minister, dat totum pauperi, nihil communi fratrum necessitati reseruans. Ieiunantibus ergò illis, iam tertius illuxerat dies, nihil penès se habentibus præter spei & fidei gratiam, vndè confectis ieiunio corporibus subuenirent. De improuisò autem audiunt fores à quodam pulsari. Sciscitante ostiario, qua causa pulsaret fores, respondit ille, se à domina sua Procula missum, quę diuinitùs admonita esset, sumptus viro Dei Columbano & comitibus eius, qui apud Nannetes morarētur, suppeditare, iamque in proximo esse res, quas illa mitteret: se antecessisse, vt moneret ipsos vasa præparare, quibus eas reciperent. Centum esse vini modios, frumenti ducentos, bracis quoquè centum. Id verò ostiarius celeriùs patri Columbano indicare studuit. At ille: Sine, inquit: ego enim iam nóui isthuc. Tu verò fratres conuocato, vt pro ea, quæ hæc largitur, simul Dominum deprecentur, simul gratias agant conditori, qui famulos suos non desinit consolari in omnibus eorum necessitatibus: deindè verò munus oblatum accipiant. O mira pietas conditoris. Egére sinit seruos suos, vt dona sua egentibus ostendat. Tentari eos permittit, vt in tentatione subueniens, illorum erga se animos vehementiùs accendat. Patitur sua membra à sæuis hominibus lacerari, vt erga sanantem medicum aucta dilectio confirmetur. Doda quoquè nobilis & religiosa fœmina, ducentos viro Dei misit frumenti modios, aliosque centum rerum promiscuarum. Ea res magna affecit verecundia vrbis illius pontificem Sophronium, à quo non solùm nullum accepêre beneficium, sed nec quicquam etiam commutando impetrare potuerunt. Erat tum ibì mulier quædam plena dæmone, cum filia æquè dæmoniaca. Eas, cùm ad eum venisset, beatus Columbanus fusis ad communem Dominum precibus sanauit, & domum abire iussit.

Nota quid possint sancti inuocati

Vide vt curæ sint Domino fideles serui eius.

Duas dæmoniacas sanat.

Vt nauis ad litus reiecta sit, & vt aduersarij eius beatum virum venerati sint.
Cap. 25.

POst hæc Sophronius Nannetensis Episcopus, cum Theodoaldo Comite iuxta Regis imperium, B. Columbanum naui impositum, in Hyberniam remittere festinabant. Sed vir Dei ait: Si nauis in Hyberniam itura adest, omnem supellectilem & comites meos ea excipiat. Ego interìm in scapha Ligeris vnda vehar, donèc altum mare attingam. Reperta ergò nauis, quæ Scotorum veheret merces, omnem beati viri supellectilem & comites recepit. Cumque iam remis & ventis fauentibus nauis in alta pelagi tenderet, vndarum se obiécere moles, nauemque ad litus redire coëgerunt. Quò cùm appulsa esset, subsidentibus vndis, mare quieuit: mansitque per triduum nauis sine vndis. Intellexit autem dominus nauis, ob viri Dei supellectilem comitesque receptos sese detineri. Tandèm visum est illi, eijcere omnia è naui, quæ essent viri Dei. Quod cùm fecisset, mox adfuit vndarum moles, nauimque in altum abduxit. Mirantur omnes, facileque animaduertunt non esse diuinæ voluntatis, vt B. Columbanus in Hyberniam reuertatur. Ad suum ergò locum, vbi priùs fuerat, redit: nec quisquam iam obsistit, quo minùs pòssit, quò velit, ire: magìs autem, prout quisque poterat, honore & impensis illum fouebat. Nec quicquam ei defuit subsidij, Deo per omnes illum adiuuante. Ità sanè non prorsùs obdormiet vnquàm, qui sub vmbra alarum suarum protegat Israël. Sic autem omnibus omnia largiendo id insinuat, vt omnes illū pro eius muneribus & beneficijs collaudent.

Vide hic miracula.

Nō esse voluntatis diuinæ vt in patriam redeat, miraculo ostenditur.

Psal. 120.

Vt ad Clotarium Regem peruenerit. *Cap. 26.*

PAululùm verò illic moratus vir Dei, ad Clotarium Chilperici Regis filium, qui in Austrasijs Francis, extrema Gallia ad Oceanum sitis, regnabat, profectus est. Porrò Clotarius iam audierat, quantis & qualibus iniurijs virum Dei Brunechildis ac Theodoricus affecissent. Cùm ergo videret eum, tanquàm cæleste munus excipit eum: precaturque gratulabundus, vt, si velit, intra sui regni fines resideat: se ei pro ipsius arbitratu inseruiturum. At ille se ait ijs in locis consistere nolle, vel vt sibi maiorem peregrinationem indicat, vel ipsi Clotario nullam inimicitiarum occasionem præbeat. Detinuit interim illum apud se Clotarius quot potuit diebus: castigatusque verbis ab eo ob quædam errata, quibus aula regia vix caret, spondet se pro eius voluntate omnia emēdaturum. Erat enim Clotarius solers, studiosusque sapientiæ. Itaque tanto sibi oblato munere, gratulabatur. Dum autem apud Clotarium moratur, lis oritur inter Theodebertum & Theodoricum, vtroque de regni finibus cum altero disceptante. Mittit vterque ad Clotarium legatos, qui eius auxilium contra alterum postularet. Quod cùm Clotarius beato Columbano indicâsset, consuleretque eum, num opem alteri aduersùs alterum ferre deberet: ille prophetico plenus spiritu, Neutrius, inquit, precibus obtemperabis. Porrò intra hoc triennium vtriusque regnum sub tuam ditionem cadet. Videns Clotarius beatum virum talia prophetico ore dicentem, neutri parére voluit: sed promissum sibi tempus fideliter expectans, pòst victoriæ triumpho potitus est.

Clotarius Rex honorificè illum excipit.

Prædicit vniuersæ Galliæ futurū regem Clotarium.

Vt Parisios venerit, dæmoniacumque sanârit. *Cap. 27.*

EGit deindè vir Dei apud Clotarium, vt adiumento ipsi esset, quô per Theodeberti regnum, si liceret, in Italiam per Alpium iuga peruenire posset. Datis ergò comitibus, qui eum ad Theodebertum adducerent, ille itinere arrepto Parisios venit. Occurrit autem ei in ipsa vrbis porta homo immundo spiritu obsessus, debacchans, seque discerpens & multa garriens, virumq; Dei querulis vocibus ità appellans: Quid his in locis agis vir Dei? Iamdudùm autem clamitârat rauca voce, procùl aduentare virum Dei Columbanum. Vbì aūt vir Dei illum intuitus est, Egredere, inquit, pestifer, egredere, nec corpus, Christi lauacro ablutum, diù obsidere ausus sis. Cede virtuti præpotētis Dei, & Christi nomine inuocato contremisce. Sed cùm diù sæuis atrisque viribus resisteret, vir Dei manum ori eius iniecit, linguamque attrectans, in virtute Dei imperat, vt egrediatur. Tūc horrida vi discerpens hominem, ità vt vix vinculis iniectis teneri posset, cum commotione viscerum & vomitu egressus est, tanto post se fœtore apud adstantes relicto, vt sulphureos se crederent faciliùs toleraturos odores.

Sæuissimū dæmonem eijcit vir sanctus.

Vt à Chagnerico & Authario viris clarißimis comiter acceptus sit. *Cap. 28.*

INdè ad Meldense oppidum properat: vbì erat vir nobilis Chagnericus, Theodeberti Regis conuiua, vir sapiens & cōsilijs regijs gratus. Is virum Dei summo gaudio excepit, seque curaturum ait, vt ad Theodeberti aulam perueniat: nec opùs esse alijs à Regis latere comitibus. Volebat autem alios ab eo remoueri, vt virum Dei, quoàd posset, secum retineret, ipsiusque domus, illius doctrina nobilitaretur. Benedixit autem vir Dei domui eius: filiæ quoquè illius Burgundophoræ adhuc infanti benè precatus, eam Domino vouit: de qua re in sequentibus dicemus. Progressus verò indè, venit ad Vulciacum villam, supra Mátronam fluuium sitam: vbì ab Authario exceptus est, cuius coniunx Aiga dicebatur. Erantque illis filij etiamnùm infantes, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem, infantulos sua benedictione sacrauit. Ij posteà pubescentes, Clotario Regi primùm, deindè Dagoberto gratissimi fuêre. At posteaquàm seculari gloria illustres euasêre, in eam curam & cogitationem incubuerunt, nè mūdi gloria perderent sempiternam. Itaque maior natu Ado, voluptatibus se ábdicans, posteà in saltu Iurano monasterium instituti sancti Columbani construxit. Porrò Dado iunior intra * Briennensem saltum ad Resbacem fluuiolum, eiusdem instituti monasterium condidit. Tanta fuit in viro Dei gratia, vt quibuscunque benè precatus esset, in boni operis perseuerantia supremum vitæ clauderent diem. Illud oppidò iure dici potest, quoscunque de industriâ monuit, eos gauisos esse, se posteà impunitatem meruisse. Nec immeritò tanti viri fultus adminiculis, perceptæ gratiæ

Magna vis benedictionis eius.

*Briegēsem

tiæ potitus est ope, qui eius doctrinis innixus, à vitæ rectæ & integræ noluit tramite deuiare.

Vt à Rege Theodeberto acceptus sit, vt gentiles quosdam conuerterit, vt cælitùs alimenta acceperit, &c. Cap. 29.

Theodebertus Rex comiter eum accipit.

DEindè vir Dei ad Theodebertum venit: qui cùm vidisset eum, hilariter in suas eum recepit ædes. Iam verò multi fratrum ex Luxouio secuti erant, quos ille, tanquàm ex hostibus ereptam prædam, excipiebat. Pollicebatur autem ei Theodebertus, se reperturũ intra ditionis suæ terminos loca amœna, & ipsi famulo Dei ad omnem opportunitatem accommoda. Ait etiam vndiquè vicinas gentes eiusmodi esse, qui verbi Dei prædicatione opùs habeãt. Respondit ad hæc vir Dei: Si feceris quod polliceris, nec fidem datam fefelleris, aliquantispèr hìc hærebo, experiarq; num in vicinarum gentium cordibus fidẽ serere possim. Dedit ergò ei Rex optionem, vt quencunq; vellet sibi locum deligeret, qui & ipsi & fratribus gratus esset. Inquisitus igitur locus est, atq; etiam inuentus, quem fauor omniũ redderet commendabilem, & quidem intra Germaniæ terminos, sed tamen Rheno vicinũ oppidum, olìm dirutum, quod Brigantiũ nuncupabant. Sed quid interìm, dum vir Dei per Rheni alueum nauigat, actũ sit, silẽdum non est. Nauigante illo aliquandò Rhenũ, ad vrbem, quam veteres Moguntiacũ appellârunt, perueniunt, aiuntq; ad virum Dei remiges, quos Rex ei comites adiunxerat, se habere amicos in vrbe, qui necessarios sumptus sint præbituri. Iam enim longo itinere defecerant impensæ. Iubet aũt vir Dei, vt eant. Veniant illi in vrbem, sed nihil inueniunt. Reuersi ad virum Dei, aiunt, se nihil quicquam ab amicis impetrare potuisse. Tum ille: Sinite me, inquit, paululùm ad meum abire amicum. Mirantibus illis, vndè ei amicus esset in loco, vbì nunquàm anteà fuerat, ad ecclesiam se confert, ibique humì prostratus, prolixè rogat Dominum suum pietatis authorẽ. Mox verò Episcopus vrbis illius ad ecclesiam venit, repertoq; beato Columbano, sciscitatur ex eo, quisnam sit. Ille se peregrinum esse respondet. Et Episcopus: Si rebus, inquit, necessarijs indiges, propera ad ædes meas, & quantum opùs est, tecum absporta. Illo gratias agẽte tum Deo, qui id Episcopo inspirauerat, tum ipsi antistiti, optata subsidia offerenti, Episcopus attentiùs cogitat, vt omnia, quæ ei opportuna sint, accipiat. Itaque pueros festinos mittit ad nauim, qui omnes adesse iubeant, præter custodem vnum, qui nauim seruet, secumq; auferre, quæcunque velint. Quod ne quis casu euenisse putet, solebat posteà crebrò testari is Episcopus, nunquàm seanteà adeò attentum ad tribuendas res necessarias fuisse: seq; absque alia ratione vel opportunitate, ob beati Columbani meritũ, diuina admonitione instigatũ venisse ad ecclesiam. Deindè ad destinatum perueniunt locum, quem peragrans vir Dei, ait suo animo illum minimè sedere: sed tamen ob fidem in gentibus serendam, inibi paulispèr se moraturum pollicetur. Sunt enim illic vicinæ Sueuorum gentes. Cumq; inter loci eius habitatores versaretur, comperit eos profanum velle litare sacrificium, vasque magnum, quod vulgò cupam vocant, viginti plùs minùs capiens modios, ceruisia plenum, in medio positum. De quo cùm sciscitaretur, quid illo facere vellent, responderentque se deo suo Vuodano (Sic Mercurium, vt quidam aiunt, illi vocant) litare velle: ille sacrilegum opus nõ ferens, in vas insufflat, idque miro modo cum fragore quodam frustatim dissipatur, & rabida vi scum ceruisiæ liquore indè prorũpit, vt manifestè liceret intelligi, diabolum in eo vase latuisse, qui per profanum liquorem caperet animas sacrificantium. Id autem videntes barbari, stupefacti aiunt virum Dei magnum habere spiritum, qui sic posset vas ligaminibus munitum, dissipare. At ille castigatos dictis Euangelicis, admonitosque vt ab huiusmodi abstinerent sacrificijs, domum redire iubet. Multique eorum beati viri adhortatione & doctrina ad Christi fidem traducti, baptizati sunt. Porrò alios, quos iam lauacro ablutos profanus detinebat error, ad Euangelicæ doctrinæ cultum monitis suis reuocatos, vir Dei, vt pastor bonus, in Ecclesię sinum reducebat. Per id tempus Theodoricus & Brunechildis non solùm aduersùs Columbanum insaniebant, sed etiam sanctissimo Viennensis vrbis Episcopo Desiderio aduersabantur: quem primùm exilio damnatum, multis affligere iniurijs nitebantur: ad postremum verò glorioso martyrio coronârunt. Cuius gesta scripta habentur, quibus & quantis aduersitatibus gloriosos apud Dominum promeruerit

Moguntiacum venit.

Ab Episcopo recipit omnia sibi necessaria.

In vas dæmoni offerendum sufflat, idque rumpitur.

Multi ethnici credunt in Christũ.

Desiderius Viennensis Episcopus quid passus sit.

xit triumphos. Versante autem beato Columbano cum suis apud vrbem Brigantinam, duræ egestatis tēpus incidit. Sed quanuis alimonia deesset, manebat intemerata atque inconcussa fides, quæ necessarias res à Domino impetraret. Cumque iam triduana inedia laborarent, tanta auium copia eis oblata est, quanta Israëlitarum castra coturnicibus aduolantibus operuit, ità vt omnem locum illum aues implerent. Intellexit autem vir Dei ob suam suorumque necessitatem has dapes exhiberi, quippè quæ non nisi illo, quo ipse degebat, loco inuenirentur. Iubet ergò primùm suos laudes & gratias agere conditori, ac deindè dapes capere. Erat profectò mirum illud & stupendum miraculum. Capiebantur aues, vt iusserat pater: nec illæ pennigero instructæ volatu se subducebant, sed triduò permansit illud manna auium. Quarto deindè die quidam ex vicinis vrbibus frumenti copiam diuino instinctu beato Columbano transmisit. Mox igitur, vt aduénit frumentum, aues illæ, Deo iubente, omnes auolârunt. Porrò * Eustachio, qui id temporis sub viri Dei obedientia cum alijs erat, referente cognouimus, neminem tum inter ipsos fuisse, qui se ante illud tempus eiusmodi aues vidisse meminisset. Earum autem talis erat sapor, vt dapes regias vinceret. O mirum diuinæ potentiæ donum. Quandò terrena fercula Christi cultoribus desunt, tum demùm cælestia tribuuntur, sicut & de Israëlitico populo dictum est: Panem cæli dedit eis. Cùm autem terrenæ opes subueniunt, cælitùs oblatæ amouentur. Eodem tempore cùm vir Dei sub quodam scopulo in vasta eremo corpus ieiunio afficeret, & nihil præter ruris poma, quorum superiùs mentionem fecimus, in cibum caperet, venit vrsus, voracitati addicta fera, cœpitque necessarios deuorare cibos, passimque poma ore detrahere. Cumque hora refectionis adesset, Chagnoaldum ministrum vir Dei ire iussit, & consuetam pomorum mensuram afferre. Abit ille, videtque vrsum inter frutices rubosque peruagari, pomaque lambendo carpere. Itaque festinus redit, patrique indicat. Ille imperat vt eat, partemque fruticum relinquat feræ, aliam partem sibi iubeat reseruari. Redit Chagnoaldus, iussa patris exequitur, diuidit virga frutices rubosque poma ferentes, iubetque vt fera parte sua contenta, reliquam sinat cedere in vsus viri Dei. Mira in fera obedientia. Nequaquàm ausa est ex prohibita sibi parte cibos carpere, sed in ea sola, quæ permissa ei erat, escā captauit, quandiù eo in loco vir Dei commoratus est. Intereà animo illius ea incidit cogitatio, vt Veneticorum, qui & Sclaui dicuntur, ditionem inuisat, cæcasque mentes illustret luce Euangelica, & ab origine per auia aberrantibus, veritatis pandat viam. Quod cùm illi summoperè in votis esset, Angelus Domini per visum ei apparens, paruo ambitu, vt solent in pagina orbem describentes, mundi totius machinam ei ostendit, aitque: Cernis'ne totum orbem manere desertum? Perge igitur dextra læuaque, quocunquè visum est, vt laboris tui fructum comedas. Intellexit igitur vir Dei, illius gentis nondùm in promptu esse fidei profectum: quieuitque in loco, donèc in Italiam pateret accessus.

Num. 11.

Diuinitùs pascitur cū suis vir sanctus.

Obserua rē admirādam

*Eustasio

Psal. 77.

Poma, videtur dicere mora ruborum.

Vrsus obtēperat iussis viri Dei.

De bello Regum, de viri Dei reuelatione, & Theodeberti proditione. Cap. 30.

INtereà temporis inter Theodoricum & Theodebertum suborta contentio increscit, & vterque aduersùs fratrem vsque ad internecionem sæuit atrociter, vtroque exercitûs robore superbiente. Porrò vir Dei ad Theodebertum accedens, hortatur eum, vt animi tumore & arrogantia compressa, in Clerum se adscribendum curet, manensque in ecclesia, sacræ se religioni subdat, nè simul cum præsentis regni detrimento, etiam æternæ vitæ faciat iacturam. Sed id tum Regi ipsi, tum cunctis circunstantibus ridiculum visum est, dixeruntque nunquàm se audiuisse, Merouingum in Regem sublimatum, sponte sua Clericum fuisse. Cunctis ergò id detestantibus, beatus Columbanus ait: Si sponte tua clerici honorem capere non vis, breui id facies vel inuitus. His dictis, vir Dei ad cellulam remeat, moxq; prophetici dicti euentū res non diù dilata confirmat. Quamprimùm enim à Theodorico bellum Theodeberto denunciatur, & apud Tullum victus Theodebertus, in fugam compellitur. Posteà rursùs collecto exercitu, fugientem Theodoricus persequitur. Porrò Theodebertus multis instauratis copijs, ad Tulpiacēse castrum pugnaturus occurrit: consertoque illic prælio, vtrinquè plurimi ceciderunt. Victus tandèm Theodebertus, fugit. Eo tempore vir Dei in eremo commorabatur, vnius tantùm Chagnoaldi ministerio contentus. Ea autem hora, qua apud Tulpiacum pugna commissa est, quercûs putrefactæ trunco vir Dei, librum legens, insidebat.

Merouingi dicti sunt Franci à Merouco Rege suo.

Theodebertus Rex à Theodorico superatur.

bat. Subitò verò correptus somno, spiritu cognouit, quid inter duos Reges ageretur: moxque excitatus, ministrum vocat, cruentam Regum pugnam indicat, multum humanum fundi sanguinem gemebundus refert. Dicente autem temerè ministro, Pater mî, Theodeberto tuis precibus præsta suffragium, vt communem debellet hostem Theodoricum: ità respondet: Stultum & à religione alienum præbes consilium. Non enim sic Dominus voluit, qui nos pro inimicis nostris orare iussit. In arbitrio iam est iusti iudicis, quid de eis fieri velit. Inquisiuit posteà minister diem & horam prælij, reperitque ità fuisse, sicut viro Dei fuerat reuelatū. Persecutus est autem Theodoricus Theodebertum, & suorum proditione captum, ad auiam Brunechildem remisit: quæ cùm faueret partibus Theodorici, furibunda Theodebertum clericum fieri voluit, & post dies non multos, cùm iam esset Clericus, nimìs impiè perimendum curauit.

Matt. 5.

Theodeberti misera cædes.

De interitu Theodorici, & liberorum eius nece, prophetiaque viri Dei in Clotario impleta. Cap. 31.

Porrò Theodoricus apud Metense oppidum moratus, diuinitùs percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Brunechildis autem filium eius Sigebertum ei suffecit in regno. Itaque Clotarius memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines regni, qui eius ditionis erant, recuperare conatur. Contra eum Sigebertus pugnaturus venit: sed eum Clotarius captum peremit, fratresque eius quinque, Theodorici filios, cum proauia Brunechilde cepit: pueros separatìm peremit: Brunechildem verò primò ignominiosè camelo impositam, hostibus circunducendo spectandam exhibuit: pòst indomitorum equorum caudis religatam, miserabiliter vita priuauit. Atque ità funditùs radicitusque deleta Theodorici stirpe, Clotarius solus potitus est trium regnorum monarchia, & beati Columbani prophetia completa est in omnibus, Theodorico intra triennium cum omni stirpe penitùs extincto, Theodeberto in Clerum ascito, Clotario duorum regnorum accessione aucto & dilatato.

Theodorici dira mors.

Brunechildis horrenda supplicia.

Vt vir Dei venerit in Italiam, Bobiensem ecclesiam instaurârrt, & migrârit ex hac vita. Cap. 32.

Beatus ergò Columbanus vt vidit Theodebertum à Theodorico deuictum, relicta Gallia atque Germania, in Italiam ingreditur, vbì ab Agilulpho Longobardorum Rege honorificè exceptus est, qui etiam optionem eidedit, vt quocunque Italiæ loco vellet, habitationem sibi deligeret. Itaq; dum apud Mediolanum moratur, & hæresum fraudes, atque Arrianæ perfidiæ machinas scripturarum cauterio discerpere ac dissecare conatur, edito aduersùm illos florentissimæ scientiæ libello, vir quidam Iucundus nomine, ad Regem venit, indicat se in solitudine ruribus Apenninis beati Petri Apostolorū principis basilicam scire, in qua experimento didicerit virtutes & miracula fieri: locū ipsum esse vbertate fœcundum, aquis irriguū, piscium copia abundantem: veterū traditione eum Bobium appellari à riuo quodā sic dicto, illic manāte: cui adiunctus sit amnis Trebia, ad quem olìm Annibal hyemās, hominum, equorū, elephantorum grauissima sensit damna. Eò cùm vir Dei magna animi intentione peruenisset, basilicam illic semirutam reperit, eamque instaurans prisco decori restituit. In eius autem instauratione mira Domini virtus declarata est. Nam cùm per præruptos saxorum scopulos, trabes ex abietibus inter densa saltûs locis inaccessis cæderentur, vel alibi cæsæ, inibi casu prolapsæ aspero, aditum omnem plaustris negarent, miro modo trabem, quam vix viginti aut triginta homines plano terræ solo ferre valerent, vir Dei cum duobus vel tribus, prout ardui itineris meatus patebat, eò accedens, suis ac suorum humeris immane imponebat pondus, & vbì alioquì pro viæ asperitate libero vix possent gradu incedere, simulatquè trabium essent mole onusti, festinì ingrediebantur: ità vt qui onera ferrent, perindè acsì ab alijs ipsi portarentur, firmis vestigijs, tanquam ociosi, lætabundi incederent. Videns itaque vir Dei tantam sibi diuinitùs adesse opem, suos hortatur, vt arreptum opus læti perficiant, animoque roborati, ea in eremo consistere studeant, diuinæ id esse voluntatis affirmans. Tectis templi culminibus, murorum instaurat ruinas, cæteraque monasterio necessaria ædificia construere pergit. Intereà Clotarius Rex, viri Dei prophe-

Agilolphus Rex Longobardorum honorificè excipit virum Dei.

Reparat vir Dei basilicā semirutam.

Miracula haud vulgaria.

Bobiense conditur cœnobium

phetiam in se completam cernens, venerabilem * Eustachium, qui monasterium Luxouiense regebat, ad se venire iubet, venientem blandè & comiter orat, vt adiunctis sibi, quos velit, itineris socijs nobilibus viris, legationem publicis impensis suscipiat ad beatum Columbanum, & quocunq; loco repertum, accurata persuasione eò adducat, vt ad se venire non recuset. Facit ità venerabilis discipulus, magistri vestigia persequens. Postquàm ad eum venit, Clotarij verba ei depromit. Viso Eustachio beatus Columbanus lætatur, aditum ad suum monasterium patere gratulatur: retentumque aliquantispèr apud se, hortatur vt sui laboris memor, fratrum collegiū disciplinæ habenis contineat & erudiat, multorumq; accessione illud augeat, eosq; omnes suis institutis imbuat. Deindè iubet eum redire ad Clotarium, eique comiter hæc referre responsa, sibi id haudquaquàm rationi consentaneum videri, vt retrò reuertatur: illud tantummodò rogare se, vt sodales suos, qui Luxouij degant, regio fauore ac præsidio prosequatur. Addidit etiā literas ad Regem, castigatione plenas. Porrò Rex gratissimum munus, ceu pignus quoddam fœderis viri Dei exultabundus accepit, nec precū eius voluit obliuisci. Omni enim præsidio Luxouiense monasterium communire studuit, annuis censibus ditauit, fines eius vndiquè pro venerabilis Eustachij voluntate auxit & protulit, omnique conatu ad adiuuandos eius habitatores, ob amorem viri Dei, animum intendit. Porrò beatus Columbanus cùm annum vnum egisset in monasterio Bobiensi, vita beata functus, animam corpore solutā cælo reddidit vndecimo Calendas Decembris. Cuius strenuitatem si quis nôsse velit, in eius dictis reperiet. Reliquiæ eius eo in loco conditæ habentur, vbi etiam miraculis pollent, præsule Christo: Cui est gloria per omnia secula seculorum, Amen.

*Eustasium

Scribit literas Clotario Regi, eū reprræhendens.

Abit ad Christum.

VITA ET MARTYRIVM SANCTÆ ET GLORIOSAE CHRISTI MARTYRIS CAECILIAE, ET QVI

cum ipsa erant, sanctorum Valeriani, Tiburtij & Maximi: Authore Simeone Metaphraste. Habetur Tomo 5. Aloysij. Nos numerum capitum margini adiecimus.



ERVATORIS nostri & Dei è cælis descensus, conciliauit magna bona generi hominum. Nam cùm esset Deus ex Deo, & esset in forma Dei, qui ipsum genuit impatibiliter, non rapinam arbitratus est se esse Deo ęqualem: sed seipsum exinaniuit, serui formam accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo: Humiliauit seipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt eum deleret, qui mortis habebat imperiū, hoc est, diabolum: & omnem manuducens humanitatem, eueheret ad cælos per preciosam & diuinam suam doctrinam. Primi itaq; omnium, eum secuti sunt sancti Apostoli: post Apostolos, martyres: post martyres, confessores: post confessores, sacerdotes: post sacerdotes, virgines: post virgines, viduæ: post viduas, misericordes. Et vt semèl dicam, omnibus accedentibus aperta fuit Christi medicinæ officina. Propterea quotidiè clamat per sanctos suos Euangelistas: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Nouēb. 22. Cap. 1. Philip. 2. Heb. 2. Matth. 11.

Hu ius venerandam & suauissimam vocem cùm audijsset etiam Cæcilia clarissima virgo & gloriosa, & in eum credidisset, absconsum Christi Euangelium semper circunferebat in pectore, & nec noctū, nec interdiù intermittebat diuina legere eloquia, & Deum orare. Hæc ergò beata Cæcilia Valerianum quendam habebat iuuenem sponsum: qui quidem iuuenis accensus amore virginis, diem statuerat nuptiarum. Cæcilia autem in carne induta cilicio, extrinsecùs aureis induta erat vestibus. Nam cùm parentes & sponsus eius hæc vellēt, ipsa corpore adeò erat eliquata, vt non posset celare cordis sui desiderium, & quòd solius Christi Seruatoris capta erat amore, significabat propriè ænigmatibus. Non multò pòst autē venit dies, in quo paratus erat thalamus: & cùm esset symphonia instrumentorum, illa in

Cap. 2. Valerianus sponsus S. Cæciliæ. Cilicium S. Cæciliæ.

Psal.118. corde suo soli Deo psallebat. dicens: Fiat, Domine, cor meum & corpus meum immaculatum in tuis iustificationibus, vt non pudore afficiar. Manens autem ieiuna, duos aut tres dies à cibo abstinuit: ieiunans autem & orans, seipsam commendabat Domino, precibus Angelos Domini inuocabat, lachrymis precabatur Apostolos, & orabat omnes sanctas Christi ancillas, vt eam confirmarent suis supplicationibus, castitatem suam commendans Domino.

Nota eius ieiunia, & inuocationem Sanctorum.

Cap. 3. Postquàm autem hæc facta sunt, nox venit: in qua cum suo sponso in separato cubiculo quietem nacta & silentium, sic eum est allocuta: Dulcissime & charissime adolescens, est mihi arcanum, quod tibi aperiam, si tu iureiurando mihi affirmaueris, te omnia celaturum. Ei autem iurauit eius sponsus Valerianus, se id quod dicebatur, nullis omninò insidijs proditurum, neque id esse aperturum, quacunque cogeretur necessitate. Tunc illa respondit, dicens: Volo te scire, me Angelum Dei habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Is si vel minimùm fuerit suspicatus, quòd tu incesto me amore polluas, iram suam protinùs in te accendet, & elegantis tuæ iuuentutis florem perdet. Sin autem cognouerit, quòd tu simplici & immaculato meî amore tenearis, & virginitatē meam integram & impollutam custodias, te sicut me diliget, & ostendet tibi suam gratiam. Tunc Valerianus, Dei nutu, timore affectus, dicit: Si vis, ô charissima, vt credam ijs, quæ dicis, ostende mihi ipsum Angelum: & si intellexero eum esse verè Angelum, faciam quę hortaris: Sin autem alium virum amas, & te & illum ense occidam. Tunc dicit ei beata Cæcilia: Si vis meis parére consilijs, ô charissime adolescēs, & polliceris te esse expiaturum æterno lauacro regenerationis, & credis in vnum verum Deum, qui viuit in cælis, potes eum contemplari. Dicit ei Valerianus: Et quis est, qui me expiabit, vt ego videam Angelum? Respondit Cæcilia, & dixit: Est senex in quodam loco, qui pulchrè scit purgare homines, vt efficiantur digni, qui intueantur Angelos. Dixit ei Valerianus: Et vbì quæram ego eum senem? Respondit Cæcilia: Vade ad tertiū lapidem à ciuitate via, quæ dicitur Appia: ibì inuenies pauperes, qui victum petunt à transeuntibus. ab ijs enim sum curata, qui quidem sunt huius mei arcani participes. Eos tu quandò videris, dabis eis meam benedictionem, dicens: Cæcilia me misit ad vos, vt ostendatis mihi sanctum senem Vrbanum: quoniam ad ipsum habeo secreta ab ea responsa, quæ ei reddam. Eum quandò videris, narra quæcunque tibi dixi: & quandò te lustrauerit, induet te indumentis nouis & splendidis: cum quibus ilicò veniens in hoc cubiculum, videbis sanctum Angelum, qui tuus euadet amicus, & quæcunque petes ab ipso, inuenies.

Aperit suo spōso secretum cordis sui Cæcilia, suadens vt credat & baptizetur.

Vestes baptizatorū.

Cap. 4. Tunc profectus est Valerianus, & conuenienter signis, quæ accepit ab ipsa sancta Cæcilia, inuénit sanctum Vrbanum Episcopum: qui, cùm secundò fuisset confessor, latebat occultus in sanctorum martyrum monimentis. Cui quidem postquàm dixit omnia, quæ dixerat Cæcilia, magno gaudio est affectus: & genibus humi flexis, & manibus in cælum extēsis, dixit cum lachrymis: Domine Iesu Christe, pastor sancte & bone, Cæcilia tua ancilla, tanquàm multis laboribus exercita agna, tibi est dedicata: quandoquidem sponsum suum, qui perindè àc leo cohiberi nō poterat, accepit, & erga te tanquàm agnum reddidit mansuetissimum. Is enim nisì credidisset, ad nos nō venisset. Aperi Domine ostiū cordis eius verbis tuis: vt cùm te cognouerit esse eius effectorem & Dominum, renunciet diabolo & operibus eius, & dolis eius. Hæc & his similia orante sancto Vrbano Episcopo, senex ante eum repentè apparuit, indutus candidis vestimentis sicut nix, tenens in manibus tabellam, aureis inscriptam literis. Quem cùm vidisset Valerianus, stupefactus & cadens in terram, factus est tanquàm mortuus. Tunc senex eum erexit, dicens: Lege, ô fili, contextum huius libri, vt dignus habearis, qui purgeris & videas Angelum, cuius conspectum tibi virgo Cæcilia cum prompto animi studio est pollicita. Tunc Valerianus defixis oculis, cœpit in eo legere. Erat autem hæc scriptura, quæ erat in tabella: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: Vnus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & in omnibus, Amen.

S. Vrbanus Pontifex.

Ephes. 4.

Cap. 5. Postquàm ergò hæc apud se legit, dixit ei Sacerdos: Credis, fili, hæc ità esse, an adhuc dubitas? Tunc Valerianus clamauit magna voce: Non est reuerà aliud sub cęlo, cui veriùs credi possit. Postquàm ergò hæc dixit Valerianus, ille senex ex eius oculis euanuit. Tunc S. Vrbanus, cùm eum admonuisset, & catechismo instituisset, baptizauit eum in nomine patris & filij & spiritûs sancti: & cùm eum docuisset omnem

Valerianus à S. Vrbano baptizatur.

omnem regulam fidei,dimisit ad Cæciliam,ei iactis optimè fundamentis.Cùm autem venisset Valerianus in indumentis candidis,inuenit Cæciliam orantem in cubiculo,& Angelum Domini stantem prope eam, fulgentem pennis flammeis, & scintillanti specie, duas coronas habentem in manibus refulgentes, rosisque & lilijs splendentes. Quarum vnam quidem dedit Cæciliæ,alteram verò Valeriano, dicens: Has coronas corde immaculato & puro corpore custodite: eas enim ex paradiso Dei ad vos attuli. Hoc autem erit vobis signum: Nunquàm marcescent à vobis,neque vnquàm amittent suauitatem odoris, neq; vnquàm poterunt ab alijs adspici,nisi ab illis,quibus sic placebit castitas, quomodò probatum est eam vobis placere. Et quoniam tu,ô Valeriane,assensus es consilio castitatis, me ad te misit Dominus Iesus Christus,vt eam accipias quam voles,petitionem. Ille autem cùm audijsset,adorauit & dixit: Nihil mihi est in hac vita dulcius, quàm charissimi & vnici fratris præsentia. Quamobrèm meritò arguar impietatis, si me liberato ab errore simulacrorum,fratrem meum maiorem despexero in periculo interitûs. Hanc vnam ex omnibus propono petitionem,& supplex contendo, vt fratrẽ meum Tiburtium,sicut me,dignetur liberare: & faciat nos ambos perfectos in confessione eius nominis. Cùm hæc autem audijsset Angelus, læto vultu ei dixit: Quandoquidem à Christo petijsti,quod est honestius,is Deum,sicut tu,colet. Quomodò enim te per ancillam Cæciliam lucrifecit Dominus, ità per te fratrem quoquè tuum lucrifaciet: & cum ipso venies ad certamen martyrij.

Videt Angelũ Dei apud Cæciliam.

Sancta & honesta Valeriani petitio.

His ergò finitis sermonibus,forma visionis Angelicę assumpta est in cælos: illisquè in Christo lætantibus,& in ædificatione sancta loquentibus, accessit Tiburtius frater Valeriani: & ingressus,tanquàm suam sponsam, osculatus est caput S.Cæciliæ,& dixit: Valdè miror,hoc tempore hîc rosas & lilia olfaciens. Nam si ipsas rosas & lilia tenerem in manibus, ne sic quidem mihi possent præbere tam suauem odorem. Fateor vobis,ó charissimi,ità ego ad me redij, vt putem me totum repentè esse renouatum. Dicit ei Valerianus: Bonum odorẽ accepisti, ô frater, cùm ego rogârim Deum,vt acciperes. Te autem iam credente, accipies etiam amaranthinam coronam incorruptionis,& lætari in ipsa rosea specie,& mente eum percipere,cuius in rosis sanguis floret,& in lilijs cuius corpus dealbat & anima. Habemus enim coronas,quas tui oculi nõ possunt percipere, igneo rosæ rubore & niuis candore refulgentes. Dicit ei Tiburtius: In somnísne hæc audio,an veritate hæc dicis, ó frater Valeriane? Respondit Valerianus: In somnis hucusquè viximus, ó frater charissime. Nam iam Dei gratia & voluntate,sumus in omni veritate,& non est in nobis mendacium. Dij enim,quos hucusquè coluimus, reuerà sunt mali dæmones, & immundi. Dicit ei Tiburtius: Quomodò hoc cognouisti, ô frater? Respondit Valerianus: Angelus Dei me docuit: quem tu quoquè poteris intueri, si fueris mundus ab omnibus sordibus idolorum. Dicit ei Tiburtius: Si fieri potest, vt ego quoquè Angelum Dei intuear,quænam est mora purificationis? Respondit Valerianus: Nulla: hoc autẽ solùm mihi pollicere,quòd omnia execranda & abominanda simulacra abnegans,credis vnum esse Deum in cælis. Dicit Tiburtius: Non intelligo,quonam scopo hæc mihi proponis.

Cap.6.

Latina historia habet Cuius in rosis ipsis sanguis floreſcit, & in lilijs cuius corpus albescit.

Dicit S.Cæcilia: Vt intelligas esse formas testaceas,& gypseas, & ligneas, & æneas,& cuiusuis metalli: & non dicas eos esse deos,in quibus viuunt araneæ, & volucres stercora egerunt: in quorum capitibus solent nidificare ciconiæ, quos faciũt condemnati,quandò damnati propter maleficia mittuntur in metallum. Cùm ergò initium accipiant ex condemnatis,quomodò existimari possunt aut credi dij? Inter mortuos enim & simulacra, nulla est differentia. Quomodò enim mortuus habet quidem omnia membra: spiritum autem & vocem non potest habere, nec sensum: ità etiam hæc vana simulacra, deorum quidem habent nomina, cognoscuntur autem esse infelicia, malaque & terrestria. Quæ quidem ostenduntur esse homines mortui,quoniam sunt eis etiã membra, sicut hominum. Quandiù enim vixerunt, oculis adspexerunt, & auribus audiuerunt, & pedibus ambulârunt, & ore locuti sunt,& manibus palpauerunt, & naribus olfecerunt: cœperunt tamen à morte,& in mortem æternam permanent, quòd ostendantur nunquàm vixisse, vel potuisse viuere. Tunc dixit Tiburtius cum omni compunctione: Qui sic non credit, est brutum,& non venit in iudicium. Quamobrèm ego quoquè dico cum omni veritate, non esse alium Deum, nisi Deum Christianorum, & me deincèps cum

Cap.7.

S. Cæcilia docet Tiburtium vana esse simulacra.

Tiburtius credit in Christum.

eum solum colere & adorare. Hæc cùm diceret Tiburtius, sancta Cæcilia deoscu-lata est eius pectus, & dixit: Reuerà hodiè confiteor te esse planè meum fratrem. Quomodò enim Dei amor tuum fratrem fecit esse meum coniugem: ità etiam si-mulacrorum contemptio fecit te meum esse fratrem. Quamobrèm quoniam es paratus credere in Dominum nostrum Iesum Christum, vade citò cum tuo fratre, vt ipsam accipias purificationem per sanctum baptismum: per quem etiam dignus habeberis angelicas personas intueri, & omnium delictorum tuorum veniam in-uenire.

Cap.8. Tunc dicit fratri suo Tiburtius: Rogo te, frater, vt mihi dicas, ad quem me es de-ducturus. Valerianus respondit: Ad virum perfectum, nomine Vrbanum, in quo est species angelica, ornata canitie, verus sermo, & insignis prudentia. Dicit ei Ti-burtius: Tu illum dicis Vrbanum, quem Christiani dicunt esse suum Papam? Eum audio bis iam fuisse cōdemnatum, & rursùs propter eam ipsam actionem, propter quam fuit condemnatus, suam religionem cum metu latenter prædicare. Eum si contigerit inueniri, citra dubitationem vllam igni mandabitur, & nos quoq; cum eo puniemur, si inuenti fuerimus ad eum ambulantes: & dum diuinitatem quæri-mus, quæ latet in cælis, incidemus in iram, quæ accenditur in terra. Dicit ei S. Cæci-lia: Si hæc vita esset sola, & non esset alia, iure quæ hîc sunt, timeremus perdere. Cùm autem sit alia vita, quę est hac multò melior & sublimior, & nunquàm potest finiri, cur timemus hanc perdere, quandò per huius amissionem ad illam accedi-mus? Respondit Tiburtius: Nunquàm anteà audiui esse aliam vitam, præter hanc. Dicit ei Cæcilia: Nunc hoc certò scias, ô charissime, quòd quandiù in hoc mundo viuimus, vitam laboriosam & dolore plenam agimus, in angustijs & afflictionibus quandoquidem inflammant humores, minuunt labores, valdè exiccant febres, rheuma assiduè inducit aër, cibi inflant, molesta sunt ieiunia, ludi dissoluunt, curæ contrahunt, perdit negligentia, diuitiæ abijciunt, expellit paupertas, elatos reddit iuuētus, incuruat senectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira: & inter hæc omnia mors excindit cum minis, & sic imponit finem omnibus corporeis lętitijs, vt ab eo, quod est esse, recedens, nè fuisse quidem putetur. Pro nihilo enim decæterò habe-tur, quicquid non est. Illa autem vita æterna, hanc vitam caducam miseramque & breuem excipiens, cum æternis afflictionibus & tormentis datur malis & iniustis: lætitia verò æterna & exultatio præbetur iustis.

Vrbanus Papa Christianorum.

Mala & incommoda huius vitæ.

Cap.9. Ad hæc respondit Tiburtius, & dixit: Et quis est, qui illic fuit, & illinc huc veni-ens, hæc potuit nobis annunciare, vt hæc possimus vera esse credere? Tunc surgens beata Cæcilia, constitit, & cum magna sic dixit audacia: Cæli & terræ & maris & omnium volucrum, quæ volant in aëre, quadrupedumq; & reptilium creator, ip-se, priusquàm omnia faceret, genuit filium, & produxit ex sua potentia Spiritum sanctum: Filium, vt faceret omnia: Spiritum sanctum, vt viuificaret vniuersa. Omnia autem quæ facta sunt, construxit filius ex patre genitus: & omnia quæ fue-rant constructa, ex patre procedens Spiritus sanctus animauit. Dicit ei Tiburtius: Hucusquè dictum est, credi oportere vnum Deum esse in cælis. Quomodò autem nunc tres testaris esse deos? Respondit S. Cæcilia, & dixit: Vnus est Deus in sua vir-tute, quem sic in sancta Trinitate partimur, quomodò in vno homine inesse dici-mus artem, memoriam, & intelligentiam: quoniam arte inuenimus id, quod non didicimus: memoria tenemus, quod docemur: intelligentia comprehendimus, si quid nos vnquàm contemplari contigerit aut audire. Quidnam ergò faciemus? Num hæc tria in homine vna possidet intelligentia? Si ergò homo in vna intelli-gentia possidet nomen trium significatorum: quomodò non Deus omnipotens, in vna & eâdem diuinitate vim obtinet Trinitatis? Tunc Tiburtius, cùm in terram cecidisset, cœpit clamare & dicere: Reuerà, ô charissima, non mihi videtur lingua humana dare responsum: sed conijcio Dei Angelum per os tuum esse locutum: & magnas egit gratias, quòd citò vnum esse Deum in tribus personis, ei apertè proba-uerit.

Instruit Tiburtiū Cæcilia in fide Catholica.

Cap.10. Conuersus itaque ad fratrem suum, dixit: De vno Deo mihi fuisse satisfactum confiteor: sed meam quæstionem, sicut priùs inceperam, vellem scire. Dixit S. Cæ-cilia: De ea mecum loquere, quoniā breuitas temporis est fratri tuo impedimen-to, quó minùs reddat responsum. Me autem, quam Christi sapientia docuit à téne-ris vnguiculis, de quacunque re me volueris interrogare, non poteris inuenire impa-

Imparatam. Dicit ei Tiburtius: Hoc nupèr quæsiui,& nūc quoquè quęro, Quisnam ex ijs, qui illic sunt, huc veniens, ostendit nobis aliam vitam, quam vos prædicatis? Sancta dixit Cæcilia: Vnigenitum suum filium Pater per sanctam Virginem Mariam misit in terram: qui stans in sancto monte, magna voce clamauit, dicens: Venite ad me omnes populi,& ego dabo vobis vitam æternam. Concurrit autem ad eum omnis caro, omnis ætas, omne genus hominum. Tunc dixit omnibus: Pœnitentiam agite propter vestram ignorantiam: quoniam appropinquauit regnum Dei, quod tollet regnum hominum. Suum autem regnum vult Deus diuidere ijs, qui credunt: in quo ille existit sublimior. Illic ergò peccatores quidem consummabuntur æternis doloribus,& igne, qui nunquàm terminabitur: Iusti autem accipient lucem æternæ gloriæ & gaudij, quæ nullum vnquàm finem accipit. Decæterò nolite, ô filij hominum, huius vitæ fugientem quærere lætitiam, vt lætitiam illius vitæ æternam possideatis, quæ hanc vitam excipit. In hac enim vita breue tempus viuitis: in illa verò, in omne æuum. Matth.4. Præmia impiorum & iustorum.

Cùm hæc autem audijssent omnes populi infideles, vna voce dixerunt: Et quis illic fuit,& cùm illinc huc venisset, potuit docere vera esse, quæ dicis? Tunc Dei filius dixit eis: Si ostendero vobis surrexisse mortuos, nō creditis veritati? Vt autem dubitationis & suspicionis nullum remaneret vestigium, cum populis profectus est ad sepulcra, & triduanis & quatriduanis & iam fœtentibus mortuis, quam amiserant vitam, vt Deus reddidit. Transmisit mare, super fluctus ambulans non madefactis pedibus. Imperabat ventis, castigabat fluctus, & quæ excitabantur tempestates & tumultus, sedabat. Cæcis visum reddebat, aridas manus reddebat sanas, claudis ingressum, mutis vocem reddebat, & surdis auditum. Paralyticos verbò curabat, leprosos dicto mundabat, infirmis medebatur, lunaticos restituebat,& dęmones fugabat. Sed cùm mente capti & impij Pharisæi & Pontifices ei inuidissent, propterea quòd populi, eis relictis, eius sequebantur vestigia, sternentes vestes suas ante pedes eius,& clamātes: Benedictus qui venit in nomine Domini: In eum ira perciti Pharisæi, cuidam Pilato Præsidi eum tradiderunt, vocantes eum magum & impium: & seditionem excitârunt in populo, vt eum cruci affigerent. Hoc autem ille præsciens, pro mundi salute permisit se appręhendi & illudi, iniurijs affici, flagris cædi & occidi. Sciebat enim vt Deus, quòd non aliter nisì per preciosam & intemeratam suam passionem, esset captiuum redditurus diabolum, malisque & immundis spiritibus malas inferret pœnas. Cap.11. Miracula Christi. Matth.21.

Propterea ergò ille fuit compræhensus, qui peccatum non fecit, vt liberaretur genus humanum, quod detinebatur vinctum vinculo peccati. Qui est benedictus, fuit sub maledicto, vt nos à maledicto eximeret: sustinuit illusiones, vt nos liberaret ab illusione dæmonum, qui versantur in hoc mundo. Spineam coronam accepit in capite, vt capitalem tolleret sententiam, quæ ex spinis peccatorum in nos lata fuerat. Fel in cibo accepit, vt dulcem primi hominis gustum, vndè mors in mundum fuit ingressa, commutaret. Potatus est aceto, vt acrimoniam, qua noster sanguis ebullijt, in se susciperet: & hunc bibit calicem passionis, qui nostris debebatur vitijs. Nudatus est, vt nostrorum parentum nuditatem, quam passi sunt cōsilio serpentis, niueis tegeret indumentis. In ligno fuit suspensus, vt ligni transgressionem, per passionem ligni Crucis suæ aboleret. Mortem ad se venire admisit, vt secum luctantem sauciaret,& regnum, quod inuenit per serpētem, amitteret, & cum ipso serpente sauciata, per Christum fieret captiua. Quamobrèm omnia elementa cùm vidissent suum effectorem sublimè actum in crucem, magno metu contremuerunt. Nam ex vna parte mota est terra,& ex altera fracta sunt templa & petræ, fugit dies, Sol fuit conterritus, & obscuratus texit tenebris vniuersum mundum: Luna suæ lucis splendorem nube cruenta operuit: Astra cæli luce resplendentia, omnia simul sunt mutata. Stridet terra,& velutì pariens, cœpit multos sanctos reddere ex sepulcris: qui quidem hoc dabant testimonium, quòd Seruatoris descensus ad inferos, dissoluit regnum diaboli, & mortuus mortem affecit ignominia, & percussam vinxit,& subiecit pedibus seruorum suorum. Illinc clarum est, quòd pro nomine eius puniti gaudemus,& gloriamur in persecutionibus: quòd hanc nostram vitam, quæ ad tempus,& in quam cadit interitus, ætérna & quę nunquàm desinit vita excipit: quam Dei filius, cùm surrexisset à mortuis, suis ostendit Apostolis, quibus adspicientibus, assumptus fuit in cælos. Cap.12. Exponit rationes eorū, quæ Christus passus est. Matth.27. Actor.1.

Hoc

Cap.13.

1. Cor.15.

Hoc ergò si in trium conuentu ostendisset, intelligentium cogitationes nō possent dubitare. Quanto autem magis, quòd nō solùm duodecim discipulis, sed plus quàm quingentis simul seipsum dignatus est ostēdere, ne vestigium quidem relinquens vllius dubitationis? Illi autem, qui in his rebus erant initiati, & in omnem mundum missi ad prædicandum, signis & magnis prodigijs cōfirmabant suam prædicationem. Nam & omnes infirmitates curārunt in eius nomine, fugārūt dæmones, & vitam reddiderunt mortuis. Nullam tibi arbitror remanere quæstionem, nisi vt hanc vitam animo & corpore despicias, & illam vehementer & constanter inquiras. Nam qui credit in Dei filium, & eius adhæret præceptis, quandò monetur, eius corpus à morte nulla afficietur iniuria: sed à sanctis Angelis in vlnis excipietur, & in locum paradisi abducetur. Hinc mors cum diabolo efficit, vt diuersis prauitatibus mentes hominum colliget, & in varijs non animaduersis necessitatibus occupet: & nunc quidem damni terrore afficit: nunc autem ad gulam excitat, & ex diuersis abstrahens studijs, de hac sola vita facit miseros homines esse sollicitos, vt ex corpore egrediētes inueniat miseros & nudos, & nihil secum portantes præter peccata. Hæc tibi paucis exposui, ô charissime. Si quid autem tibi deesse existimas, rursùs quære.

Miraculis Apostoli cō firmārunt suam prædicationem.

Latini habent, & diuerso genere suasionis

Cap.14.

Tunc Tiburtius ad eius pedes prouolutus, dixit cum gemitibus fletuque & lachrymis: De hac vita decæterò si vel cogitatione exquisiēro, vel animo agitauero, in illa vita nunquàm inueniar. Habeant ergò insipientes lucrum præsentis temporis: Ego autem, qui in hodiernum vsque diem vixi sine ratione, absit vt sine ratione decæterò vitam agam. Et hæc cùm dixisset, ad suum fratrem conuersus, dixit: Miserere meî, frater dilecte, & abrumpe tarditatem, quam transegi in ignorantia. Quocircà vereor moras. Pondus ferre non possum: rogo te, duc me ad hominem Dei, vt me perfectè purificatum, illius vitæ faciat participem. Tunc Valerianus deduxit fratrem suum ad sanctissimum Papam Vrbanum. Cui postquàm narrauit omnia, quæ dicta & facta fuerant, benigno Deo egit gratias. Acceptum autem cum omni gaudio & exultatione Tiburtium, cùm admonuisset, catechismo instituisset, baptizâsset in nomine patris & filij & spiritûs sancti, iussit secum esse, donec ea deponeret, quæ recentis sunt illuminationis. Quæ quidem cùm perfecta fuissent eius doctrina, post septem dies Christi militem restituit. Tantam autē gratiam à Christo est consecutus, vt etiam Dei Angelos videret quotidiè: & quæcunque à Deo petebat, facilè impetrabat. Sed quoniam longum esset omnia ordine exponere, qualia & quàm multa fecit Dominus per eos admirabilia, conuertamur ad gloriosas eorum perpessiones.

Tiburtius post catechesin à S. Vrbano baptizatur.

Cap.15.

*Turgius

*Turcius, qui etiam Almachius, cùm esset Præfectus vrbis, & sanctos Dei martyres occideret quotidiè, iubebat eorum corpora relinqui insepulta. Tiburtius autem & Valerianus ad hoc operam quotidiè adhibebant, vt sanctorum corpora ad sepeliendum componerent, & humì mandarent, eleemosynis vacantes & diuino cultui. Cùm ij ergò in eis versarentur, quomodò solent boni odio haberi ab improbis, eos mali criminantur apud Almachium Præfectum vrbis, omnia referentes, quæ per ipsos Dominus faciebat in egenos: & quòd improbè ac malitiosè, quos ille iubebat occidi, isti mandabant sæpulturæ. Itaq; à militari cohorte compræhensi, adducuntur ad Almachium Præfectum. Quos quidem Almachius his verbis est allocutus: Cùm vos character nobilitatis gloria insignes reddiderit, cur propter, nescio quam religionem, vos ignobiles redditis & infelices? Nam vestras facultates in nescio quas abiectas personas audio vos erogantes consumpsisse, & eos, qui castigati fuerunt propter sua scelera, cum omni gloria mandare sepulturæ. Quocircà licet suspicari, vos esse initiatos ijsdem mysterijs, quibus ij, quos propter coniurationem mandatis sepulturæ. Respondit Tiburtius, & dicit Præfecto: Vtinàm nos dignentur referre in numerum suorū seruorum, quorum tu nos coniicis esse socios: qui quidem respuerunt id, esse quod videtur, & non est; & inuenerunt illud, quod videtur non esse, & est.

Exercitia SS. Valeriani & Tiburtij.

Sancti martyres cōprahēsi Iudici exhibētur.

Cap.16.

Almachius Præfectus dixit: Et quid est, quod videtur esse, & non est? Dixit Tiburtius: Omnia quæ sunt in mundo, quæ animas vocant ad mortem æternam per breuis temporis lætitiam. Dixit Almachius Præfectus: Et quid est, quod non videtur esse, & est? Tiburtius dixit: Vita, quæ futura est iustis: & supplicium, quod dabitur iniustis. ex vtraque enim parte cognouimus verum, esse ea ventura: & infausta

*distri-

* distributione quod oculis cordis nostri cognoscimus, id corporis nostri oculis spe- * dissimulatione
ctandum * referimus, vt * in nostra conscientia quæ sunt bona, malis obumbremus * subducimus.
rationibus. Dixit Præfectus Almachius: Non puto te mente tua loqui. Dixit Tiburtius: Non loquor mente mea: sed illius, quem accepi in visceribus mentis meæ. Dixit * cõtra conscientiã nostram
Almachius Præfectus: Nunquid nôsti quod dicis? Dixit Tiburtius: Et nóui, & didici, & credo, quòd omnia, quæ à me dicta sunt, permanent. Almachius Præfectus dixit: Et ego cur non intelligo, * quod ago, à quo hæc sunt condita? Tiburtius dixit: Quoniam homo belluinus non sentit, quę sunt spiritûs. Spiritalis autem dijudicat omnia, ipse verò à nullo dijudicatur. Tunc ridens Pręfectus, iussit auferri quidem Tiburtium: coram eo autem sisti Valerianum. Cui etiam dixit: Quoniam non est frater tuus sani cerebri, tu poteris respondere sapientiùs. Dicit ei Valerianus: Falluntur aures tuæ, quoniam scopum nostræ orationis non potes intelligere. Dixit Præfectus: Nemo ità errat, vt vos erratis: qui relictis necessarijs numeris & responsis, malos sequimini: quę sunt iucunda respuentes, lætitiam nihili facientes, & ea despicientes, quæ data sunt ad vitæ alimentum, maxima beneuolentia illud complectimini, quod saluti inuenitis contrarium, & ijs quæ sunt iucunda, inimicum. *quo ordine psequaris? 1. Cor. 2.

Ad hæc respondit Valerianus: Ludentes & ridentes, & in varijs delicijs luxuriosè vitam agentes, vidi hyemis tempore per campos transeuntes. In quibus campis stabant agricolæ plantantes, palmites insigentes, & spinosos rosarum ramos ingeniosè toto animo componentes. Alij autem olivueta inserentes: alij verò radicitùs imbecilla excindentes, & quæ sunt opera conuenientia, magno labore peragentes. Tunc illi, qui delicijs fruebantur & lætabantur, cœperunt eos, qui laborabant, ludificari, & dicere: Miseri & miserabiles, hunc qui vos affligit laborem deponite, & nobiscum lætantes, vos delicijs explete & libidinibus. & cur tanquàm insipientes duro labore dissoluimini, & vestræ vitæ tempora negocijs, quæ vos affligunt, consumitis? Hæc dicentes, soluebantur in risum, & dabant plausum manibus, magnoque sono eos cachinnantes irridebant. Hæc autem illis facientibus, pluuios hyemis menses tranquillissima tempora exceperunt: & ecce pulchrorum & variorum florum fragrantibus omne genus odoribus prata exornabantur, & molles botrorum series producebant palmites, & è vario genere arborum rami stillantes melle fructus producebant: in quibus animaduertimus vsque in hodiernum diem abundare simul & gratiam, & fructum, & decorem. Tunc cùm lætarentur illi, qui existimabantur esse insipientes, cœperunt lugere ij, qui existimabantur esse * ciues: & qui erant gloriosi in sua intelligentia, periêrunt in acri ratiocinatione: & tandem ducti pœnitentia, inter se murmurantes & gementes dicebant: Hi sunt, quos habuimus ludibrio: eorum laborem probrum existimabamus: eorum vitam nihili faciebamus, tanquàm miserabilem: eorum figuram iudicabamus esse indignam, & intelligentiam eorum sine honore. Ij autem inuenti sunt intelligentes: & nos quidem probamur tunc fuisse miserabiles, insipientes & stulti, quandò neque nobisipsis operabamur: neque ijs, qui operabantur, dedimus in opere auxilium: qui quidem cùm essemus in delicijs, eos valdè irrisimus, & ipsos credidimus esse insipientes, quos quidem nunc resplendentes animaduertimus & florentes. Cap. 17. Valerianus eleganti similitudine contundit iudicem. * vrbani Ità ferè Sap. 5.

Ad hæc dixit Præfectus: Te quidem video esse sapienter hæc persecutum: sed ad meum responsum non videris respondere. Valerianus dixit: Dixisti nos esse stultos & insipientes, quòd facultates nostras damus egentibus, proselytos excipimus, viduis suppeditamus quę sunt necessaria, orphanis subuenímus, corpora insepulta tegimus, & cum maximo honore celebramus martyrum depositiones. Nos autem insipientes iudicâsti & delirantes, quòd cum ijs qui lætantur, non lætamur, nec in delicijs viuimus, nec nostras explemus libidines, nec illiberaliter sumus lasciuis & impudicis oculis, ostendentes nos esse liberos & ingenuos. Veniet tempus, quo accipiemus millecuplos fructus nostræ afflictionis, & nobis lætantibus flebunt illi, qui nunc efferuntur lætitijs: est enim nunc tempus seminandi. Qui ergò in hac vita seminant, quæ sunt ad tempus, lachrymas, in illa beata & æterna vita metent gaudium sempiternum. Dixit Præfectus: Ergò & nos, & inuicti Imperatores luctum æternum habebimus: vos autem æternum gaudium possidebitis? Respondit Valerianus: Quid enim estis vos, aut vestri Imperatores? Impleto enim vestro tempore morientes, eo maiorem Deo estis reddituri rationem, quo vobis ab eo maior data fuit potestas. Dixit Præfectus Almachius: Quid in verbis voluendis immoramur? Aut dijs thus offerte, Cap. 18. Præclara martyris sententia. Psal. 125.

& illæsi recedite: aut malè estis & acerbè morituri. Ambo responderunt & dixerũt: Nos non dijs, sed Deo quotidiè offerimus sacrificia. Dixit Præfectus: Quis est Deus, cui dicitis vos vestrum offerre sacrificium? Sancti responderunt & dixerunt: Et quis est alius Deus præter ipsum? Cur de Deo nos interrogas? Est enim alius Deus, præter vnum? Dixit Præfectus: Quem vnum esse dicitis, eius nomen requiro. Dixit Valerianus: Dei nomen non inuêneris, etiamsi possis volare pennis. Dixit Præfectus: Iouis ergò nomẽ non est Deus? Dixit Valerianus: Est nomẽ corruptoris & adulteri, quem fuisse occisorem vestri authores memorant, & * accusatorem nostræ ostendunt scripturæ. Hunc tu Deum miror quanam impudentia nominâsti, cùm Deus dici non possit, nisi qui est ab omni peccato alienus, qui est etiam plenus omnipotentia. Dixit Præfectus: Ergò errat omnis mundus, & tu cum tuo fratre Deum verum cognouisti? Dixit Valerianus: Innumerabilis multitudo Christianismi accepit sanctitatẽ. Immò verò vos pauci estis, qui remansistis tanquàm scissæ è naufragio tabulæ, ad nihil aliud proficientes, nisi vt in ignem iaciamini.

* criminosum, habent Latini.

Cap. 19. Valerianus dum virgis cęditur, mirè exultat.

Tunc iratus Præfectus, iussit eum cædi virgis. Ille autem confestim dum verberaretur, lætus cœpit dicere: Eccè hora, quam valdè desiderabam, & eccè dies omni festo mihi iucundior. Dum beatus verberaretur, præco magna voce clamabat: Deos & deas noli maledictis incessere. Ille autem ad populum clamabat, dicens: Viri ciues Romanorum, videte, nè hæc plaga vos à veritate auertat, sed state fortiter, & deos lapideos & ligneos, quos colit Almachius Præfectus, in calcem conuertite. Nam omnes, qui eos colunt, erunt in afflictione & supplicio æterno. Tunc qui cum Præfecto considebat Tarquinius, qui etiam dictus est Laccas, Præfecto dicit in secreto: Inuenisti occasionem domine mi: tolle eos quamprimùm à terra. Nam si tardaueris, & de die in diem traxeris, omnes suas facultates distribuent pauperibus, & eis supplicio affectis, tu nihil inuenies. Tunc Præfectus, cùm ei placuisset illius consilium, iussit lictoribus, vt eos abducerent, vbi erat Iouis statua, & iussit, vt nisi ambo vellent imagini Iouis sacrificare, simul subirent supplicium capitis. Tunc venerandi & gloriosi Christi martyres Valerianus & Tiburtius abducti sunt à Maximo Præfecti cubiculario in locum, qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus cœpit eos deflere, & dicere: O preciosa & florens iuuentus. O vinculum magnæ fraternitatis. O par pulcherrimum & generosum. Cur vos in malum & impium finem volentes vosipsos proijcere, & ad maximum tendere exitium, ità festinatis tanquàm qui ad lætitiam, & magnificam & lautam cœnam vocemini? Tunc dixit Tiburtius: Nos si non verè didicissemus aliam esse vitam æternam, quæ vitam præsentẽ sequitur, non gauderemus eam amittere. Dicit eis Maximus: Et quænam potest esse alia vita? Respondit Tiburtius, & dixit: Quomodò corpus induitur indumentis, ità etiam anima induitur corpore. Et corpus quidem tanquàm semen terrestre, per libidinem in terrenam matricem immittitur: genitum autem & nutritum, & lapsum in mortis interitum, & in puluerem conuersum, tanquàm Phœnix futuræ lucis specie excitabitur. Anima verò si sit sancta, feretur in paradisi delicias, vt florẽs in delicijs, expectet tempus suæ resurrectionis. Dicit eis Maximus: Vellem ego quoquè hanc vitam respuere, si de ijs, quæ dicis, possem fieri certior. Dicit ei Valerianus: Quoniam dicis tibi nihil superesse, nisi vt probes vera esse, quæ tibi diximus: ea hora, qua faciet Dominus nos corporis tunicam exuëre in gloriosa nominis eius confessione, aperiet Dominus oculos tuos, & faciet te adspicere, cum quanta gloria illa vita redditur, si tamen promittas nobis, quòd ex toto animo venies ad tui erroris pœnitentiam.

Sancti ad mortem festinãt tanq̃ ad magnificam & lautã cœnam.

Cap. 20.

Tunc Maximus anathemate seipsum deuouit, dicens: Flammis ignis consumar, nisi ab hac hora illum solum Deum confitebor, qui facit, vt post hanc vitam alia vita sequatur. hoc mihi solùm vos ostendite, quod estis polliciti. Ei dicunt sancti martyres Tiburtius & Valerianus: Iube lictoribus, vt nos in domum tuam abducant, & faciemus, vt illuc ad te veniat purificator: qui hac nocte, postquàm fueris purificatus, faciet vt videas id, quod tibi promisimus. Cùm autem Maximus iussisset lictoribus, abduxerunt eos in domum eius. Quorum prædicatione ipse Maximus cum tota sua familia & ipsis lictoribus crediderũt in Dominum nostrum Iesum Christum. Tunc sancta Cæcilia venit ad ipsos noctũ cum sacerdotibus, & fuerũt omnes baptizati in nomine patris & filij & spiritûs sancti. Cùm autem exoriens matutinum, nocti finem dedisset, magno silentio facto, dixit sancta Cæcilia: Estote forti & magno animo, ô Dei milites: abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Pulchrum certamen certauistis, cursum

Maxim' & multi alij conuertuntur ad Dominum.

Rom. 13.
2. Tim 4.

cursum peregistis, fidem conseruauistis. Decæterò proficiscimini ad coronã iustitię, quam reddet vobis iustus Iudex: non solùm autem vobis, sed etiam omnibus, qui diligunt aduentum eius. Locus autem, qui dicitur Pagus, erat situs quarto lapide ab vrbe Roma: ad quem erat transeundum prope portam templi, vt quicunque illàc transibat, nisi Iouis simulacro thus offerret, puniretur. * Cùm in eum autem locum venissent sancti Tiburtius & Valerianus, preciosum thus obtulerunt, Deo offerentes suos accusatores: & sic flexis genibus, fuêre cæsi gladio. & amissa hoc caduco & mortali corpore, æternam & quæ non potest marcescere, martyrij coronam accepêre.

Latini sic: * Veniẽtib⁹ sanctis offeruntur thura, & recusant. Recusantes ponũt genua, feriuntur gladio.

Cap. 21.

Tunc Maximus iurans dicebat: Vidi Angelos Dei tanquàm solem resplendentes, ea hora qua gladio sunt percussi, & exeuntes eorum animas è corporibus, tanquàm virgines è thalamo. Quas cùm vlnis excepissent Angeli, strepentibus alis ferebantur in cælum. Hæc Maximo narrante cum lachrymis, multi crediderũt in Dominum nostrum Iesum Christum, & conuersi ab errore simulacrorũ, seipsos tradiderunt sancto Vrbano suo magistro. Cùm autem ad Almachium vrbis Præfectum venisset fama, quòd Maximus cubicularius cum omnibus suis factus esset Christianus, iussit eum tandiù verberari globis plumbeis, donèc spiritũ emitteret. Quem sancta Christi martyr Cæcilia cùm posuisset proximè sanctos Dei martyres Tiburtium & Valerianum, deposuit in arca, & iussit vt in arca eius insculperetur Phœnix, ad ostendendam eius fidem, qui se inuenturum esse resurrectionem Phœnicis exemplo admiserat. Facta est autem post hæc inquisitio. Cœpit enim Almachius Præfectus amborum fratrum quærere facultates, propter quas volebat etiam quærere sanctam Cæciliam, vt Valeriani coniugem: & iussit eam apud se sisti. Quæ quidem postquàm omnia, quæ superfuerant ex eorum facultatibus, fideliter distribuisset pauperibus, cœpit ille vrgere, vt ea thus offerret. Tunc dixit ministris, qui eam vrgebant, vt hoc faceret:

S. Maximus globis plũbeis cæsus emittit spiritum.

Cap. 22.

Audite me, ciues & fratres: Vos estis ministri vestri Præsidis, & videtur vobis, quòd desideratis esse alieni ab eius impietate. Mihi autem est gloriosum & valdè desiderandum, omnia pati grauia pro Christi confessione. Nam cum hac vita nunquàm statui vllam habere amicitiam. Sed nè sitis de nostra soliciti iuuentute, quam omnis curæ estis expertem reddituri. Facite ergò, quod ab iniquo Præside est vobis imperatum. Tunc illi cœperunt lamentari & conqueri, quòd tam electa puella, & tam intelligẽs & nobilis, cuperet interfici: & eam rogabant, dicentes, nè talem decorem amitteret, neque talem speciem conuerteret ad mortem. Quibus flentibus & dolore vexatis sic sancta respondit Cæcilia: Hoc, ô fratres, non est perdere iuuentutem, sed commutare: Dare lutum, & aurum accipere: dare tabernaculum breue & miserabile, & magnam spatiosamque & amplam domum accipere, ex lapidibus preciosis & auro ædificatam: dare angulum tenebrosum, & locum accipere lucidum, margaritis resplendentem cælestibus: dare possessionem, quæ perit, & accipere possessionem, quæ non cognoscit finem, & ignorat mortem: dare lapidem miserabilem, quem pedibus conculcatis: & accipere lapidẽ preciosum, qui forma resplendet in regio diademate. Hodiè si quis sic offerat aureos, vt minimam nummorum quantitatem ex ijs alacri animo prouentum accipiat: num vos quoquè lubenter curreretis ad talem negociationem, & omnes parentes, & notos, & cognatos, dilectosq; & propinquos, & amicos vobiscum faceretis currere? Si quis autem vos currentes auerteret, dicendo vos inutiliter omnes vestros nummos esse daturos, num eos essetis irrisuri vt ignorantes, & qui nihil cognoscerent: vos autem læti curreretis, quòd cum precioso auro essetis permutaturi æs miserabile, & non magni precij? Et vos quidem pondus pro pondere gaudetis accipere: Deus autem non dat pondus pro pondere: sed accipit simplum, & reddit centuplum: prætereà verò vitam quoquè æternam.

S. Cæciliæ eximia virtus.

S. Cæcilia docet per mortẽ temporalẽ peruenire ad æternã vitã.

Deus pro simplo reddit centuplum.

Cap. 23.

Cùm hæc autem dicta essent à beata Cæcilia, ascendit supra petram, quæ erat prope pedes eius, & dicit omnibus: Creditis ea, quæ dixi vobis? Illi autem vna voce dixerunt omnes: Certè credimus in Christum filium Dei, eum esse verum Deum, qui te talem habet ancillam. Dicit eis sancta Cæcilia: Ite decæterò, & dicite infelicissimo Almachio, quòd ego vnum donum peto, nè nimis acceleret is meã decertationem. Ego autem faciam, vt in domum meam veniat sanctissimus Papa Vrbanus, vt faciat vos omnes vitę æternę participes, & sic Dei prouidentia ego quoquè consummabor. Tunc cùm in eius domum venisset sanctissimus Papa Vrbanus, baptizauit plusquàm quadringentos, diuersi sexûs, fortunæ & ætatis. Inter quos erat vir clarissimus, nomine

400. baptizantur à S. Vrbano.

mine Gordianus. Is cùm Papæ precibus domum sanctæ Cæciliæ vocauit ex suo nomine, vt in occulto ex illo die, ex quo illic Christi peractum est baptisma, fieret ecclesia Dominica: adeò, vt sanctissimus quoquè Papa Vrbanus illic occultè habitaret: indiès autem Christi redemptionis lucra illic crescerẽt, & diaboli essent damna innumerabilia.

Cap.24.

Cùm hęc autem fierent, Almachius Vrbis Pręfectus iubet coram se sisti Cęciliam: quam interrogans, ei dicit: Quod est nomen tuum, ô puella? Respondit sancta: Cęcilia. Dixit Præfectus Almachius: Cuius es conditionis? Dixit Cæcilia: Ingenua ex clarissimis. Dixit Præfectus: Ego te rogo de religione, non autem de genere. Sancta dixit Cæcilia: Interrogatio tua stultum cepit principium, quæ duo responsa videtur elicere ex vna quæstione. Dixit Præfectus: Vndenàm est tibi hæc fiducia? Respondit sancta: Ex bona conscientia, & fide non simulata. Dixit Præfectus: Ignoras quęnam sit mihi potestas? Dixit sancta Cęcilia: Ignoras tu, quęnam sit tibi potestas. Nam si tu me rogaueris de tua potestate, veris verbis tibi aperiã. Dicit ei Pręfectus: Dic, si quid nôsti. Sancta dixit Cæcilia: Omnis hominis potestas est perindè, àc vter vento plenus: quem si vna acu pupugeris, omnis tumor eius colli flaccescit. Quinetiam si inuenitur in ipso aliquid portare, inflectitur. Dixit Præfectus: Cœpisti à contumelia, & perseuéras in contumelijs. Dixit sancta Cæcilia: Non dicitur contumelia, nisi in eos, qui pauca peccant, non teneatur moderatio. Quamobrèm vel doce contumeliam, si falsum sum locuta: vel teipsum castiga, subeuntem iudicium. Dixit Almachius Præfectus: Ignoras, quòd domini inuicti Imperatores iusserunt, vt qui non negauerint se esse Christianos, puniantur: qui autem negauerint, dimittantur. Dixit sancta Cęcilia: Sic vestri semper errant Imperatores, sicut etiã vestra celsitudo. Nam quæ ab ipsis processit sententia, vos quidem testata est esse impios, nos autem esse ostendit innocẽtes. Si enim malum esset hoc nomen, nos quidem negauissemus. Vos autẽ, vt nos confiteremur, omninò coëgissetis. Dixit Præfectus: Pro pietate sua hoc voluërunt statuere, vt sua benignitate vitã donando, vobis gratificentur. Dixit sancta Cæcilia: Nihil est æquè impium, nihil verò tam innocentiæ inimicum, * quàm reis omnia inferre supplicia ad hoc, vt suam iniquam testentur qualitatem: & de eorum in mysterio socijs grauissimam habere quęstionem. Nos autem, quos innocentes cognoscitis, nominis solùm accusatis. Sed nos, qui sanctum nomen Christi cognoscimus, id omninò negare non possumus. Est enim melius mori feliciter, quàm viuere infeliciter. Nos enim vera dicentes, vos punimus, quibus est persuasum, vt falsum audiatis.

Constantia S. Cæciliæ.

* quàm vt reis oibus tormenta adhibeatis. Ad cõfitendũ qualitatẽ sceleris, locũ, tẽpus, cósscios, socios oĩ examinatione perquiritis.

Cap.25.

Dixit Almachius Pręfectus: Elige tu vnum ex duobus: aut sacrifica, aut nega te esse Christianam, vt delicti tibi detur venia. Tunc dixit ridens sancta Cæcilia: O iudicem pudore necessariò affectum. Vult me negare, & esse me innocentem, vt ipse me faciat crimini obnoxiam. Si vis accusare, cur me adhortaris, vt negem? Sin autem vis absoluere, cur non vis inquirere? Dixit Præfectus Almachius: Adsunt accusatores, qui testantur te esse Christianam. Si ergò quamprimùm negaueris, impones finẽ eorum accusationibus. Sin autem nolueris negare, hoc tuæ imputabis amentiæ, quandò in te lata fuerit sententia. Dixit sancta Cæcilia: Eorum accusatio est mihi desideranda, & punitio tua est victoria. Noli me ergò corrigere tanquàm errantem: sed teipsum increpa, qui existimas fore, vt Christum negem. Dixit Pręfectus: Misera, nescis vitæ & necis potestatem mihi datam esse ab Imperatoribus? Cur loqueris cum tanta superbia? Dixit sancta: Alio modo licet dicere superbum, & alio confidentem. Ego confidẽter, non autẽ superbè, sum locuta. Nam nos quoquè valdè reijcimus superbiam. Tu autem si non times audire veritatem, rursùs docebo te nunc falsa esse locutum. Dixit Almachius Præfectus: Quidnam falsi es in nobis assecuta? Dixit sancta Cæcilia: Hoc, quòd affirmas tuos Imperatores tibi dedisse vitæ & necis potestatem. Dixit Præfectus: Ergò sum mentitus? Sancta dixit Cæcilia: Reuerà, si iubeas, falsum te dixisse ostendam. Dixit Præfectus: Dic. Sancta dixit Cæcilia: Dixisti tuos Imperatores tibi dedisse potestatem vitæ & necis. Cognosce itaque, tibi solùm esse datam mortis potestatem. Nam vitam quidem potes à viuis tollere: mortuis autẽ non potes dare vitam. Dic ergò, quòd Imperatores te voluërũt esse ministrum mortis. Nam si tu ampliùs dixeris, depręhendéris falsa dicere, & quæ non possunt consistere. Dixit Præfectus Almachius: Nè sis verbosa, ô mulier: sed decæterò tuam depone audaciam, & veni, & dijs sacrifica. Dixit sancta Cæcilia: Nescio, vbinàm tuos oculos amiseris.

Punitio, Christianorum victoria est.

Conuincit Pręfectum mendacij.

ris. Nam quos tu dicis deos, ego & omnes, qui sunt sanis oculis, videmus esse lapides, & æs, & plūbum. Dixit Præfectus: Meas iniurias philosophando contēpsi: non possum autem ferre deorū contumelias. Dixit sancta Cæcilia: Ex quo os aperuisti, nullum verbum fecisti, quod non te ostenderet iniustum, insipientem & stultū. Sedenim quidnam hoc est, quòd externis oculis te esse cęcū ostendis, quandò quod omnes lapidem esse adspicimus, & lapidē inutilem, tu deum esse testaris? Do tibi, si iubes, consiliū: & cum tangens, disce esse lapidē: si non nôsti, id adspiciens: est enim dedecus, à toto te rideri populo. Omnes enim sciūt Deū esse in cęlis: hęc aūt, vt quę sint formæ lapideæ, per ignem posse meliùs mutari in calcem: quoniam iam suo ocio pereūt, & neque tibi, si simul pereas, neque si in ignē coniectæ fuerint, sibi poterunt subuenire. *Hūc locū ex Latinis ità restituimus*

Tunc valdè iratus Almachius, iussit eam reduci in domū suam, & illic balnei flamma torreri. Cùm autem esset in aëre balnei sui inclusa, & subtùs toto die & nocte magna vis ardentis ligni adhiberetur, tanquàm in loco refrigerato illæsa permansit & salua, Domini gratia: adeò, vt nulla pars omninò ex eius mēbris vel minimo sudoris signo fuerit humectata. Quod cùm audiuisset Almachius Præfectus, illuc misit ad ipsam, vt in ipsis balneis ei caput amputaretur. Quā spiculator tribus percussit ictibus, & non potuit ei caput amputare. Sic autem eam semiputato capite ferus & crudelis ille lictor reliquit: adeò vt omnes turbæ, quæ per illam crediderant, sanguinem linteis tanquàm spongijs hauserint. Tribus autem, quibus superuixit diebus, non cessauit omnes, quos aluit & quos docuit, confirmare & corroborare in fide Domini. Quibus etiam distribuit omnia, quæ habebat, & sanctissimo Papæ Vrbano commendauit. Cui etiam dixit: Trium dierum mihi iam petiui terminum, vt tradam hęc tuæ sanctitati, & hanc domum meam in seculum ecclesiæ nomine consecres. Impletis autem tribus diebus, & Deum precante beata Cæcilia, cùm essent adhuc preces in ore eius, tradidit preciosam & sanctam suam animam in manus Dei viuentis, mensis Nouembris xxij. Tunc sanctissimus Papa Vrbanus, cùm gloriosum eius corpus sustulisset noctù cum Diaconis, sepelijt ipsum inter alios collegas suos Episcopos, vbi sunt omnes confessores & martyres depositi. Eius autem domum in æternum consecrauit nomine sanctæ ecclesiæ, & illic perpetuò peraguntur sancta Domini mysteria vsque in hodiernum diem: in memoriam quidem martyris, gloriam autem & laudem magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi: Cui gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. *Cap. 26. Nihil læditur ab igne. Tertiò cęsa in capite, triduò superuixit. Obitus sanctissimę virginis.*

VITA SANCTI CLEMENTIS MARTYRIS, EPISCOPI ROMANI, DISCIPVLI S. PETRI APOSTOLI: *Authore Simeone Metaphraste, Tomo 5. Aloysij.*



TRAIANI Imperatoris tēpore, Torcutianus Comes officiorum, cùm innumerabilem multitudinem Christo vidisset credere, accersijt Præfectos regionum, & datis eis pecunijs, persuasit, vt turbam mouerent aduersùs nomen Christianum. Vrbis autem Præfecturam obtinente Mamertino, excitata est populi Romani seditio nomine Clementis: & exorta inter se inuicèm confusione, alius aliud in ipsum dicebat. Aliqui autem contrà dicebant: Quid enim mali fecit? aut quid non boni rectè gessit? Nam quencunque ægrotorum visitauit, is sanitatem ab eo est consecutus. Quicunque ad eum abijt affectus tristitia, is lætus est reuersus. Nullum vnquàm læsit, omnibus verò profuit. Alij autem diabolico spiritu accensi, clamabant: Magicis artibus hæc faciens, deorum nostrorum cultum euertit. Iouem dicit non esse Deum: Herculem autem nostrum, custodem esse dicit immundorum spirituum: sanctam Venerem refert fuisse meretricem: Vestam autem magnam deam, igne fuisse consumptam, impiè asserit. Similiter sanctissimam quoquè Mineruam, Dianamque & Mercurium, Saturnumque & Martem calumniatur. Omnia nostrorum deorum nomina & templa probris insectatur & contumelijs. Aut dijs nostris sacrificabit, aut ipse delebitur. *Nouēb. 23. Seditio populi aduersùs S. Clementem.*

Tunc Mamertinus Vrbis Præfectus non ferens populi seditionem, beatissimum

Clementem iussit ad se adduci. Quem cùm vidisset, cœpit dicere: Ex generosa quidem radice processisti, vt tibi testimonium fert Romanus populus: sed errorem suscepisti, & ideò non possunt in animum inducere, vt taceant. Nam nescio quemnam Christum colis, & contra deos admittis. Quamobrèm oportet te deponere omnem superfluam superstitionem, & colere deos, quos de more colimus. Tunc dixit B. Clemens: Optarē excellentiæ tuę prudentiam attendere meam defensionē & non propter imperitorū seditionem, sed propter meā doctrinam, me accusare. Nam etiamsi multi canes nos allatrauerint & conciderint, non possunt nobis auferre, quin simus homines rationis participes: illi autē, canes latrantes. Semper enim, constat, seditionem proficisci ab imperitis, vt nihil habeat tutum, nec verum. Quamobrèm quæratur ratio silentij, in quo pro sua salute homo particeps rationis, & per se incipiat consultare & disserere, vt verum Deum inueniat, cui suam fidem honorificè commendet. Tunc Mamertinus Vrbis Præfectus mittens ad Traianum Imperatorem, detulit nomen B. Clementis, dicens: Hunc Clementem seditiosis clamoribus populus non cessat quærere, & non potest in cū inueniri fide digna probatio. Tunc rescripsit Traianus Imperator, oportere eum vel consentire sacrificantem, aut vltra mare & Pontum in desertam ciuitatem, sitam prope Chersonem relegari.

S. Clemens Præfecto sapienter respondet.

Seditio populi semper proficiscitur ab imperitis.

Quandò autem Traiani iussus fuit confirmatus, cogitabat apud se Mamertinus, quonam modo Clemens voluntarium non peteret exilium, sed dijs potiùs offerret libamina. Sed beatus Clemens contendebat ipsius quoquè iudicis animum ad fidem Christi traducere, & ostendere, se potiùs eligere exilium, quàm id timere. Dominus autem Clementi præbuit tantam gratiam, vt Mamertinus vrbis Præfectus defleret, & diceret: Deus, quem tu syncerè colis, ipse tibi opem feret in hoc, quo fuisti damnatus, exilio. nauemque ei constituit: & cùm omnia in eam immisisset, quæ erant ad vsum necessaria, dimisit. Porrò autem multi quoquè ex populo viri pij eum sunt secuti. Cùm autem peruénit ad locum, in quem erat relegatus, ad opus fodiendi & cędendi marmoris, illic inuénit plusquàm duo millia Christianorum, qui ad longissimum tempus erant condemnati. Qui quidem cùm vidissent sanctum & egregium Clementem, omnes vnanimes cum gemitibus & lachrymis accedentes, dicebant: Ora pro nobis sancte Pontifex, vt efficiamur digni Christi promissione. Quos cùm cognouisset sanctus Clemens propter Christum fuisse relegatos, dixit: Non abs re me huc misit Dominus: sed vt, cùm fuissem particeps vestrarum perpessionum, præberem etiam exemplum consolationis & tolerantiæ.

Præfectus humaniter se erga illū gerit in exilium abeuntem.

Ab eis autem accepit, quòd à sex milliaribus portabant aquam suis humeris. Statìm itaque Clemens rogauit eos, dicens: Precemur Dominum nostrum Iesum Christum, vt fidei suæ confessoribus aquæ fontem aperiat: & qui percussit petram in terra deserta Sina, & abundè fluxerunt aquæ, ipse copiosum nobis præbeat fluentum, vt lætemur eius suppeditatione. Impleta autem precatione, in eo loco ad quem adspexerat, vidit agnum stantem: qui dexterum pedem leuauit, velutì sancto Clementi locum indicans. Tum sanctus Clemens cogitans esse Dominum, quem ipse solus adspexit, & nullus alius, profectus est ad locum, & dixit: In nomine patris & filij & spiritûs sancti pulsate in hoc loco. & cùm omnes circuncircà fodissent ligonibus, & non ipsum locum, in quo stetit agnus, paruo ligone accepto, paruo ictu sanctus pulsauit locum, qui erat sub pede agni: vndè repentè emersit fons pulcherrimus aquis scaturientibus, qui magno impetu effusus fecit fluuium. Tunc sanctus Clemens dixit omnibus exultantibus: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Propter hanc ergò famam accurrit omnis prouincia, & omnes, qui venerant ad doctrinam sancti Clementis, conuersi sunt ad Dominum: adeò, vt quotidiè quingenti & plures baptizati recederent. Intra vnum autem annum factæ sunt illic à fidelibus septuaginta-quinque ecclesiæ: & confracta sunt omnia simulacra, omnia templa regionis, quæ erat circuncircà, sunt diruta: omnes luci, qui erant ad trecenta milliaria, omninò in orbem sunt concisi & constrati.

Exod. 17.

Precibus S. Clemens impetrat fontem insignem.

Psal. 45.

Permultos cōuertit ad Dominum extructis ecclesijs.

Tunc ergò odiosa narratio peruenit ad Traianum Imperatorem, quòd illic ad multitudinem innumerabilem auctus esset populus Christianorum: & ab eo missus fuit Præses Aufidianus, qui plurimos Christianos diuersis tormentis sustulit. Videns autem omnes ad martyrium cum gaudio accedentes, cessit multitudini: solum autem sanctum Clementem cogens sacrificare: & videns eum sic esse firmum & stabilem in Domino, & nolle omninò à sua dimoueri sententia, dicit lictoribus: Accipite eum,

eum,& ducite in medium maris,& proijcite eum in profundum,nè possint Christiani tollere eius corpus,& pro deo eum colere. Cùm hoc ergò factum esset, vniuersa multitudo Christianorum adstans flebat in litore. Demerg-itur in mare.

Post hæc autem dixerunt Cornelius & Phœbus eius discipuli: Omnes oremus vnanimes,vt ostendat nobis Dominus martyris sui reliquias. Orante ergò populo, retrocessit mare in suum sinum ad tria ferè millia. per siccum autem ingressi populi, inuenerunt in figura templi marmorei paratum à Deo habitaculum, & illic situm corpus sancti Clementis,& ancoram,cum qua fuit proiectus, prope ipsum iacẽtem. Reuelatum ergò fuit eius discipulis,nè reliquias è loco eijcerent: quibus etiam hoc fuit responsum,quòd singulis annis in die suæ decertationis, cessurum sit mare venientibus,septem dies siccum iter eis præbens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem eius nominis vsque in hodiernum diem. Hoc autem facto,quod erat pręter opinionem,miraculo,omnes gentes circuncircà credidère Christo. Quo in loco nullus inuenitur Gentilis,nullus Hebræus,nullus omninò hæreticus. Illic enim plurima fiunt beneficia. In eius festo cæci illuminantur,dæmones expelluntur, febrientes sani fiunt: Nephretici,& qui calculo laborant, solo contactu eius reliquiarum, & aquæ sanctificatæ adspersione & potu, à morbo liberantur: & qui quouis morbo affecti, confugientes ad sacri martyris auxilium, fruuntur curatione: & permanet gloria eius & laus in æternum, per Dominum nostrum Iesum Christum: Per quem & cum quo,patri gloria cum sanctissimo & viuifico eius spiritu,nunc & semper,& in secula seculorum, Amen. Multi credũt in Christũ propter miraculum. Miracula in festo eius.

NARRATIO SANCTI MARTYRIS EPHRÆM EPISCOPI GERSONIS, DE MIRACVLO FACTO IN

puerum à sancto martyre & Apostolo Clemente. Habetur per Simeonem Metaphrastem, quinto tomo Aloysij.



Mirabilis Deus in sanctis suis, opportunũ est hodiè dicere cum Propheta. & : Quàm admirabilia sunt opera tua Domine? & : Quis Deus magnus,sicut Deus noster? & tu es Deus faciens mirabilia solus. Quod enim præsenti orationi aliud afferam procemium? Artificiosam enim dicendi artem præsens superat miraculũ, cùm miraculum multa excellat miracula,& ipsa etiam prophetica miracula exuperet, vt est ostensura oratio. Psal.67. 91. 76.

Scio vos cupere scire,quodnam & cuiusnam sit miraculum,& vrgetis vt dicamus. Id autem est primùm quidẽ Dei, à quo omnis datio bona & omne donũ perfectum. Iacob.1. Præterea autem Clementis Romani,qui post Petrum fuit pręco veritatis, & eius Romanæ sedis successor fidelis: illius,inquam,Clementis,cuius vsque in hodiernum diem vniuersa terra vel tacens salutiferas clamat fuisse doctrinas. Clementis illius, qui fuit verę palmes vitis Christi,per quem nobis expressus botrus doctrinæ,pietatis & salutis mustum nobis effudit. Clementis,qui fuit veræ scalæ,quæ nos non deducunt ad sublimem aliquam terræ altitudinem: sed virtutũ ascensionibus tanquàm aliquibus gradibus nos ad cęlũ transmittunt & cęlestia.Scalę quæ ijs,quę à Iacob visæ sunt,nihil sunt inferiores: non ostendentes nobis Angelos per eas ascendentes & descendentes, sed hominum animas diuinis admonitionibus, vt quę à gradibus in gradus per virtutes ad Deum deducant. Cuius quidem miraculum cùm non didiceritis, ô pulcherrime & fidelissime cœtus,quale sit & quantum, audire, vt viri pij, contendite, & ad audiendam exultate orationem, & aures inclinate,& nostram arguite tarditatem. de hoc enim gaudeo. solùm vos rogo,vt vsque ad finem mihi attentum animum adhibeatis,& nulla cogitatio,quæ ad huius vitæ curam pertinet, mentem vestram subeat,nec promptum vestrum animi studium sinatur retardare: sed hoc vigilanti animo & attento fideliter excipite. Res autem ità se habet: S.Clemens palmes vitis Christi. Itèm scala virtutum. Gen.28.

Cùm pręclarissimus & beatissimus Clemẽs perfecisset doctrinę cursum & Apostolatûs,& per consummationem martyrij hinc excessisset,vt gloriosi eius martyrij liber declarauit,(quẽ vos non ignorare est mihi persuasum) non iustũ iudicauit is, qui eos, qui ipsum glorificãt,glorificat,non ipsum vicissìm glorificare, qui pro amore in eum sic decertauit: sed eum valdè glorificare & magnificè extollere: & vt in cælo Angelis,ità etiam hîc hominibus eum reddere clarissimum, & maximè venerandum per 1.Reg.2.

Nota hæc de miraculis S. Clementis.

miracula, miracula, inquam, quorum magnitudinem mens non potest comprehendere, nec oratio dicere multitudinem, neque manus exprimere infinitatem. Vt ergò ex fimbria, vt est in prouerbio, textum pannum possitis cognoscere, id vobis narrabo, quod priùs sum pollicitus. Cùm venerandæ sanctissimi martyris Clementis reliquiæ in maris profundum fuissent proiectæ ab impijs illis cultoribus simulacrorum, & eas excepisset templum in profundo à Deo ædificatum, hîc quoquè maximum facit miraculum Deus admirabilium. Cùm enim hoc factum esset, & eius discipuli flerent cum ijs, qui illic erant fidelibus, & vt sacrosanctas gloriosi martyris reliquias eis ostenderet, quod etiam factum est, Deum supplices rogarent, protinùs immensum illud pelagus desistens & retrocedens, effecit vt profundum adiri posset à fidelibus vsque ad tria milliaria. Ingressi autem, inuenerunt habitaculum instàr templi marmorei, & illic in capsa lapidea sanctissimas & gloriosissimas martyris Christi repositas reliquias. Qui cùm statuissent sanctissimas ex profundo tollere reliquias, noctù accedens sanctus, eos sic est allocutus: Reliquias quidem nolite tollere: hanc autem vobis concedo gratiam, vt singulis annis die meę decertationis septem dies mare retrocedens, præbeat iter per siccum ingrediendum hucusquè. Quod autem dixerat, deductum est ad effectum. Ab eo enim tempore vsque in hodiernum diem singulis annis fit hoc miraculum. Quid est hoc minus faciendum, quàm Mosis miraculum? Quid verò Elisei vilius, aut minùs gloriosum? Immò verò est longè maius & gloriosius. Ille enim virga & viuus & semèl mare scindens, maris profundum vt iter esset, effecit: Hic verò similiter pelle ouilla secans Iordanem, semèl quoquè hoc fecit miraculum: ambabus aquis post transitum redactis ad suam naturam, quibus hoc nunquàm factum est posteà. Hic autem post mortem, & non semèl, sed ab eo tempore vsque in hodiernum diem. O miraculum & gloriam martyris, quale donum est assecutus singulis annis die gloriosæ suæ decertationis? Septem enim dies, sicut priùs diximus, recedens mare illud infinitum, pijs præbet iter facile.

Præclara sanè miracula.

Quotannis patet iter per siccum mare ad eius sacras reliquias.
Exod. 14.
4 Reg. 2.

Cùm hoc ergò sic factum omnes pij, tam qui erant in regione, quàm ciues Chersonis audiuissent, perrexerunt ad contemplandū miraculum. Cum quibus quidam quoquè vir pius cum pia vxore & filio masculo, ad sacrosancti martyris templum viam peregerunt prompto & alacri animo. Cùm autem ad locum peruenissent, & miraculum quod adhuc fiebat, adspexissent, ingressi sunt illud templum, quod à Deo ædificatum fuerat in profundo: & cùm ad capsam accessissent, supplices sanctum rogabant, petentes vt per ipsum sibi daretur venia peccatorum: & precantur, vt filio daretur vita longa, & nullis obnoxia calamitatibus, & opum copia, & quæ consentaneum est petere parentes filio vnico. Postquàm ergò preces peregissent, & sancti osculati fuissent reliquias, redierunt. Qui cùm egressi essent, aqua rursùs in suum locum redijt. Illi autem conuersi, & quod priùs erat iter, pelagus adspicientes, huc & illuc circunspicientes, filium quærere aggrediebantur. Is autem in arca sancti remanserat: & hoc non obliuione parentum, sed Dei voluntate factum est, vt in hoc quoquè martyrem faceret magìs admirabilem.

Multi quotannis ad sanctas eius confluunt reliquias orationis ergò.

Cùm ergò parentes non inuenirent filium, & cogitâssent puerū fuisse à se obliuioni in profundo mandatum, quid opùs est dicere & patris lamentationes, & matris eiulatus? Præclarum enim illud festum conuerterunt in lamentationem. Quid enim non dicebant? Quid non faciebant ex ijs, quæ consentaneum est vel ipsum lapidem posse mouere ad lachrymas? Mater enim oculos ad mare extendens, & manus in altum extollens, sancto tales voces emittebat: Hæ sunt, ô sancte, tuæ remunerationes? hanc'ne reddis gratiam ijs, qui tanto tuî desiderio ad te accurrerunt? Hanc'ne reddidisti mercedem pro labore, quem passus sum, ex quo accessi? Vbi est mihi filius? Vbi nati mei viscera marina bellua lacerauit? Quisnam autē vehemens insurgens fluctus, eum viuum tanquàm sepulcrum operuit? Quemnam modò adspiciam oculis? Pro quo verò orabo? Quis autem erit meæ senectutis baculus? Cur, ô sancte, non fecisti me esse sociam mortis filij mei, vt quomodò ad te accessi eum manu tenens, ità etiam eum vlnis ferens, infelix ad inferos descenderem? O mare & profundum, quonam tuî sinu meum tenebis filium? Quomodò autem eum quoquè ales? Hei mihi, miserande fili: fili, rapte ante tempus: fili, quomodò à meis oculis recessisti? Quibus pedibus es conuersus? Quemnam autem tanquàm agnum adspiciam exilientem? Pater verò rursùs & manus & oculos feriens, sic conquerebatur: Cur, ô sancte, me repentè orbum fecisti liberis? Cur permisisti, vt meus filius moreretur morte tam misera-

Nota, Præclarū festū B. Clementis.

Parentes vnicū filium in templo relinquentes, tanquā amissum deflent.

miſerabili? Cur mihi obtigerunt contraria ijs, quæ ſperaui? Hac'ne fide ad te acceſſimus? Talia'ne ſunt dona martyrum in eos, qui ad ipſos magno accedunt deſiderio? Reuerà non tu, ſed procellæ meorum peccatorum mari tradiderunt filium. O fili mi, quis tuî mortui claudet oculos? Quis te autem componet ad ſepulcrum? Quænam verò theca pulchrum tuum & iucundum teget tabernaculum? An omninò quidem tuos oculos texit mare, & ſepelijt profundum, & tibi theca fuit venter piſcium?

Cùm ſic autem plangerent & lamentarentur parentes, quidam ex ijs, qui illuc conuenerant, vix tandèm eis perſuaſerunt, vt ceſſarent à lamentatione. Cùm à luctu autem parùm ceſsâſſent, domum abiêrunt. Cùm ergò tempus proceſſiſſet, & memoriæ ſancti martyris dies veniſſent, hæc inter ſe dicebant, recordati ſui filij: Agedùm proficiſcamur ad ſanctum, vt, ſi vllæ reliquiæ, quod fieri non poteſt, remanſerint noſtri filij, eas accipiamus, & cum ſancto iudicio contendamus: vt, ſi fieri poſſit, illic moriamur, mortis ſocietatem incuntes cum filio. Cùm hæc ergò dixiſſent, nondùm ijs, quę dicebantur, finem impoſuerant, & cœperunt iter ingredi. Cùm verò acceſſiſſent, & ad locũ perueniſſent, & mare retroceſſiſſet, Deo hîc quoquè honorante martyrem, filij ſui deſiderio ſtimulati, primi profundum inſiliêrunt, eoſque ſequens vadebat multitudo. Cùm autem perueniſſent ad inprimìs venerandum templum martyris, (ô miraculum) vident ſuum filium viuum, lætum & exilientem. Cùm ſic autem à miraculis in miraculum incidiſſent, reque inſigni & admirabili eſſent obſtupefacti, primùm quidem Deum laudârunt: deinde martyri quoquè egêrunt gratias. Deincèps verò adoleſcentem interrogârunt, quomodò eſſet ſeruatus, quonam viuificante, quonam ſeruante, & quonam nutriente? Puer autem vna quidem manu tenens arcam, altera autem manu digito indicans eum, qui intùs iacebat, reſpondit interrogantibus: Hic poſt Deum meus cuſtos & vita & alimentum fuit, & propulſator belluarum marinarum. Hic me quotidiè alebat ſplendidiſſimè. *Illuſtre inprimis & diuinũ miraculum in ſui filij inuentione.*

Parentes autẽ admiratione & lætitia affecti, & martyris fide magìs confirmati, per quem filium, quẽ putabant mortuum, viuentem acceperunt, priores luctus conuerterunt ad gratiarum actionem, ſancto ſic acclamantes: Verè ergò admirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis, & eorũ, qui ipſum timent, faciens voluntatem, & audiens eorum precationem. Seruâſti, ô ſancte, noſtrum filium: reddidiſti nobis eum, qui non ſperabatur. O cælum & terra, & tu profundum, quod nos priùs execrabamur, admirare magnum hoc opus, quod naturam ſuperat. Eſto autem tu quoquè, ô ſancte, nobis propitius, & ea nobis condona, quæ animo cruciati, in te diximus & fecimus. Nè pro noſtris in te maledictis parem referas gratiam. Filium recepimus: eum, qui erat mortuus, per te nunc in vitam reuocatum accepimus. Senectutis noſtræ baculum, rursùs habemus tuo auxilio. Quid pluribus opùs eſt? Non triũ dierum, ſed vnius anni mortuum: & non lapide, ſed aqua conditum: & non à vermibus, quod eſt naturæ humanę proprium, conſumptum, ſed à piſcibus, vt exiſtimabamus, deuoratum, ſaluum per te accepimus. O gratiam, ô gloriam, ô virtutem & beneficentiam, ô ſancte. Cùm ſic ergò ſanctum cum lachrymis eſſent laudibus proſecuti, accipientes filium, venêre domum, narrantes omnibus miraculum. *Pſal. 67.* *Pſal. 144.* *Eum ſaluũ reducunt domum.*

Quidnam ergò cum his conferemus? Aiunt Eliam aliquandò filium, qui erat mortuus, viuum matri reddidiſſe: quod quidẽ eſt magnum, & valdè admirabile. Quinetiam ad Eliſei aliquandò, vt literis eſt proditum, monimentum quendã à quibuſdam homicidis interfectum, & in eo proiectum, ſurrexiſſe & vixiſſe: quod quidem eſt magnum, & valdè admirandum. Porrò autem Petrus quoquè in noſtris libris, Petrus, inquam, princeps Apoſtolorum, illam, quæ pauperes alebat, viduam Tabitham mortuam, eâdem hora ad vitam ſuſcitauit precibus. Et ſunt hæc quidem admirabilia, & lóngè clariſſima: præſens autem miraculũ quantùm ea exuperat? Attentiùs autem mihi conſidera miraculi excellentiam. Elias quidem, vt priùs diximus, nupèr mortuũ puerum, & qui nondùm refrixerat, ſed adhuc ſeruabat naturæ calorem, ſuſcitauit. Eliſei verò virtus duabus de cauſis fecit miraculum: vna quidẽ oſtendens prophetam, qui ignorabatur: altera autem non concedens cędẽ etiam poſt mortem. Petrus verò ſua virtute, & adiutus etiam eorũ precibus, qui à vidua fuerant affecti beneficio, ipſe quoquè excitauit eam modò mortuam. Sanctus autem martyr Clemens (ô miraculum) non recèns, ſed iam anno vno mortuum, vel vt meliùs dicam, in vnoquoque puncto, & eius tenuiſſima parte morientem, conſeruauit. Scitis autem omnes, qui eius feciſtis *3. Reg. 17.* *4. Reg. 13.* *Act. 9.*

pericu-

periculum, quanto tempore verisimile erat conseruari puerum in profundo tam vasto. Sed mihi diligenter consideranti, non vnum mortuum, sed quanto temporis spatio scimus puerum in aqua suffocari, id tempus repetentes & remetientes, inuenimus sanctum tot suscitâsse mortuos. Quod autem est admirabilius, non ab aquarum solùm suffocatione, sed à bestiarum etiam læsione conseruauit puerum. O gratiam, ô virtutem, quæ vtrunque efficit: nempe & aquas alligat, & propulsat belluas. Ad hæc quid dicitis? Non alia superat miraculum? Nisi quis nos malè reprehendat, quòd id extollamus supra miracula prophetica. Nulla ea de causa in nos cadet reprehensio. Apertè enim scitis sanctum martyrem esse in eádem gloria & ijsdem tabernaculis, in quibus sancti martyres, Apostoli & Prophetæ, & ipsi Angeli.

Triplex in puero miraculum.

Sed ô martyrum splendor & decus sanctorum, primitiæ Antistitum, vide nunc quoquè hunc præsentem cœtum pium & religiosum, qui à vitę fluctibus quotidie obruitur. Eum tuis precibus illæsum custodi & conserua: & qui tanquàm feræ immanes insiliunt dæmones, & minantur se esse deuoraturos animæ nobilitatem, tuarum intercessionum iaculo repelle, ô sanctissime. Sed nos quoquè, ô fidelissime cœtus, rogo, vt per bona & Deo grata opera efficiamus nos dignos sancti gratijs & donis. Et primùm quidem in Deum & inter nosipsos synceram & non perturbatam conseruemus charitatem. Deindè ab omni maledicto, & omni mendacio, & omni periurio nosipsos repurgemus. Ante hæc autem & post hæc, faciamus eleemosynam, quæ scit Deum magìs placare, & propitium reddere nostris peccatis. Quis enim eius oblitus, regnum Dei possederit? Nemo nostrûm prætexat paupertatem, nemo viduitatem & liberorum nutricationem. Sunt hi frigidi & perniciosi prætextus. Nemo vestrûm est illa vidua pauperior, quæ nihil aliud habebat, quàm pugillũ farinę: idque cùm alendi ei essent liberi: neque tamen suam aut filij vitam prætulit misericordiæ. Nè excusationes quęramus in peccatis. Deus non irridetur. Penaria nostra mente intueamur. Videamus, an quotidiani alimenti nihil nobis redundet. Nè mensiũ circulos metiamur, & annorum ambitus. est enim alius qui prouidet, & eorum curam gerit, etiamsì nos ignoremus. Nosipsos constituamus nostrarum rerum examinatores: etsì, vt priùs quidem diximus, quotidiani alimenti nostri nihil supersit, scit Deus misereri eorum, qui premuntur inopia. Sin autem viderimus nostra penaria non solùm cibo & potu repleta, sed etiam auro & argento, & alijs, quæ eos consequuntur, qui diuitijs delectantur & possessionibus, esurientibus alijs & frigore enectis, sciamus quòd æternum & qui nunquam desinit ignem nobis recondimus. Vt eum ergò effugiamus, in Dei mãdatis pro viribus ambulemus, vt & sancti Martyris fruamur intercessionibus, & ineffabilia & æterna Dei bona consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria & potentia, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Inuocatur S. Clemens.

Quibus studijs sanctorũ beneficia promerẽda.

3. Reg. 17.

Gal. 6.

In diuites, eleemosynã non præstãtes.

DE S. FELICITATE martyre & septem filijs eius, quærat Lector Tomo quarto, 10. Iulij.

VITA ET MORES SANCTI PATRIS NOSTRI GREGORII, EPISCOPI AGRIGENTINI, AVTHORE *Simeone Metaphraste. Habetur quinto Tomo Aloysij. Nos in gratiam Lectoris Capita margini adiecimus.*

Nouẽbr. 23. Cap. 1.



PVLCHERRIMA res est virtus, quæ maximam gloriam, & altissimum ornatûs cumulum suî amatoribus affert. Siquidem non illos solùm, post mortem remuneratur, sed viuos atque præsentes illustres efficit. Hanc cùm Gregorius omnibus in rebus egregiè ad extremum vsque tempus exercuisset, non solùm hæres vitæ perpetuæ est institutus: sed cùm adhuc etiam viueret, admirabilem se ac celebrem præstitit. Sicilia quidem oriundus, Siculis enim finibus, vt omnes nôrunt, Agrigentum continetur) cæterùm cùm sancta illum Sion suscepisset, ac vti plantam quandam apprimè nobilem enutritum, disertissimè erudiuisset, patriæ rursùs conspicuum reddidit. Et quidem iucundissimum mihi ac æstimabile valdè videtur, eius vitam altiùs repetitam describere, &

Agrigẽtum vrbs Sicilię.

& tanquam ſpecimen quoddam,& omnis virtutis exemplar,literarum monimentis poſteris conſignare : vobis verò,quibus tam ſplendida audire lubet ac imitari,res iſthæc optabilis eſſe,veſtraſque ingenti cum voluptate aures ſubire debet. Quod igitur ille vitæ principium habuit,hocipſum noſtræ orationis exordium ſtatuendum eſt.

Cap. 2. Patria S. Gregorij.

Vicus quidam,qui Prætoria nomine dicitur,Agrigento ciuitati proximus,ſanctum virum edidit. Priùs quidem ille obſcurus & incognitus : nunc verò tanto alumno clarus & illuſtris emicat. Parentes verò (quæ Dei gratia ac benignitas fuit) viri, luculentis ornati diuitijs,ac probata vita florentes,plurima bona ſua pauperibus erogabant. Hi quô marem filium procrearent precibus inſiſtentes, voti tandèm ſui compotes fiunt,filiumque non natura tantùm,ſed animo,marem ſuſcepêre:quemadmodùm & tempus,quo ille perturbationibus eſt impetitus,& contra malorum impreſſiones altitudo animi poſtulabat : quæ ſanè omnia ſermo quoquè ſubſequens indicabit. Hunc igitur à ſacro baptiſmate vir virtute clarus Potamion, qui tum ſacris ac religioni Agrigenti ciuitatis præerat,ſuſcipit. Poſteà verò quàm puer octauum ætatis annum attigit,hunc ad diuum Potamionem parentes adducunt, vt puero ille proſpera omnia precaretur, & prætereà ipſum præceptori traderet erudiendum. Qui cùm pro pueri ſalute Dominum (vt par erat) orâſſet, Grammatici cuiuſdam,cui Damiano nomen erat,fidei illum commiſit, diſciplinisque accuratè ac ſedulò incumbere præcepit. At puer ab ipſis literarum elementis,vt aiunt, præſtantiam animi præ ſe ferens,vtpotè qui ingenij acumine,& acri promptitudine vſus eſt, plures breuiter diſciplinas percurrit. Nam prima ipſa elementa, Odaſque Dauidicas,rationem itèm ac conuenientiam numerorum,adde etiam Eccleſiaſticos hymnos, biennij tantùm ſpatio didicit. Proindè ob celeritatem,qua tot diſciplinis excultus eſt, omnibus admirationi fuit. Vbì verò duodecimum annum prætergreſſus eſt, Epiſcopum rursùs ac cæteros eccleſiæ miniſtros parentes adeunt,multiſque huncipſum in eorum collegium cooptari precibus orant. Cumque ille æquo animo ſermonem audîſſet,(iam enim interiori mentis oculo cernebat,quàm ſplendidum ac lucidum oculum regendæ Eccleſiæ eſſet admoturus) in ſacrum cœtum aſſciuit, & illum organum ſelectiſſimum fore,ac quicquid in poſterum futurus eſſet, præfatus eſt. Ità diuus Gregorius clericorum cœtui additus, Donato Eccleſiæ Archidiacono traditur, qui tum ſacrorum voluminum curam agebat : cuius cùm familiari conuictu ac conſuetudine vteretur,longè diſertior euaſit : perſpicuumque fuit poſt deliteſcentem apud ipſum virtutis odorem,diſciplinas quidem perluſtrare : mores verò in grauiores ac venuſtiores permutâſſe,atque adeò ſeſe diuinis ſcriptis attentiorem pręſtitiſſe,à quibus & animo inprimìs illuminatus,& illarum incredibili affectus dulcedine,totum Deo ſe ipſe dedit,viamque,qua illi propiùs inhæreret,celeriusque occurrenti ſibi appropinquaret, inire ſtudebat.

Parentes eius precibus illum impetrant à Deo.

Traditur Grammatico literis imbuendus.

Miri eius in literis progreſſus.

Aſſciſcitur in Clerum.

Cap. 3.

Illum igitur ſacra inuiſendi loca, eorumque ſanctitudinis eſſe participem, cogitaio inceſſit. Cumque magno huiuſce rei deſiderio flagraret, exindè Deum obſecraat,nè votum ſuum fruſtraretur. Iamque duodeuigeſimum ætatis annum agebat. Quadam verò nocte cùm in Archidiaconi, cuius mentionem fecimus,contubernio legeret,ipſe templum ingreſſus,Deum,vt eiuſmodi ſe propoſito liberaret, & ad exium optata perduceret,precibus obteſtabatur : ac mox humì propè à lecto Donati rocumbens,ſomno ſe dedit. Aſſiſtens autem quidam, illum proprio nomine, Greori, appellauit. Is verò confeſtìm, Eccè ego domine : & ſtans coram Archidiacono, Quid me(inquit) domine vocâſti? Cui ille, Non te, ait, fili, vocaui. Cumque ille rursùs ecto ſtratus recumberet,mox qui vocârat, ſecundò aſſiſtens, Gregori, dixit. At ille enuò feſtinâter reſiliens, Archidiaconi lecto præſtò fuit, Eccè, inquiens, ego domie : quid me vocâſti? Quamobrèm Archidiaconus ſub hæc perterritus, vocationem lam cælitùs illapſam eſſe non ignorans, ſic illum affatur : Neque ſanè nunc te, fili, ocaui. Verumenim rursùm ſi vocêre, percontanti reſpondeas velim : Quid me vis, omine? quid præcipis ſeruo tuo? Poſtquàm igitur tertiò, Gregori, aduocans adſtiſſet, ille vtì edoctus fuerat, reſpondit. Porrò ſtatìm qui vocârat, (Angelus enim is ei fuerat) Exaudita eſt, inquit, precatio tua. Quocircà ad litus concedas oportet, vt d loca ſancta tendentibus obuius fias.

Quidam in ſomnis eum appellat, idque crebrò per interualla.

Cap. 4.

In his Gregorius Deo gratias egit,atque eiuſmodi verbis fidem habens, egreditur, Archidiaconum necdùm ſomno ſolutum reliquit,nauigioque occurrens,vndè illi duecti,& quò nauigaturi eſſent,percontabatur. At vbì nauigationi accinctos quidem

dem illos, verùm Carthaginem esse nauigaturos audiuit, cum ijs pariter nauigationem subire decreuit. Atquì nauis Præfectus, acrem eius cupiditatem & affectum suspectum habens, simulque ad humile vestimenti genus oculos adijciens, nunquidnàm ille seruus esset, dominumque refugeret suum, interrogauit. Is verò Christi se seruum dixit esse, non hominis. Cæterùm liberale aut iustum in ipsum nihil molitus, eundem in seruitutem tradere flagitiosissimè cogitauit. Atque nauis quidem prospera vsa nauigatione, Carthagini triduò appulsa est. Nauclerus verò ille sedulò iuuenem obseruans, precibus ac vigilijs totam noctem insomnem ducere, veritatem sensìm edoctus est, atque opinionem de illo consentaneam paulatìm induit: nimirùm cuiusuis hominum seruum non esse, sed inter primos atque præcipuos Dei ministros numerandum. Hinc illum ingens dolor accepit, eiusque animum præsumptæ opinionis subijt pœnitentia. Lachrymis item, ac amaris eiusmodi remedijs virum sanctum propitium sibi reddere studebat, iniustæ illi quasì humanæ cogitationi mederi cupiens.

Venit Carthaginē, volens indè Hierosolymam proficisci.

Cap. 5.

Posteà verò, quàm ciuitatem ingressi sunt, nauclerus hospitio domi suæ iuuenem excipit, eique familiariter pro arbitrio vitam agendi facultatem impertit. Cumque illi absurdam sanè cogitationem palàm fecisset, (neque enim perculsa conscientia, eius ipsius, in quē offenderat, permotus sanctitate, secùs facere poterat) obtestabatur sibi veniam dari, quam ab animo illo benigno, & ad promerendos homines nato facilè consequitur. Ac sic quidem ille: Gregorius verò in eo quod dictum est, domicilio cælesti gloriæ intentus, priorem vitæ rationem ac institutum seruabat, psalmis innocenter vacans, biduò ac triduò cibum semèl capiens, plerunquè etiam totam hebdomadam ieiunus transigebat. Proindè hospitij dominus eiusmodi, quod ipse sibi imperâsset, viuendi studium admiratus, hunc ipsum vrbis Episcopo manifestum fecit: confestimque coram magno & inclyto viro sistitur. Cui Episcopus, Vndè venis, inquit, fili, & quò tendis? Ille, Agrigento ciuitate illuc se aductum, cæterùm sanctam Sion petere, dixit. His auditis, Episcopus bona illi precatus, Dominus, inquit, perficiat gressus tuos, ac iter tuum dirigat. Ille verò pedibus eius non sine lachrymis prouolutus, Mihi vtinàm (respondit) ex sententia tua contingat. Intereà verò Episcopus conuiuij illum participem admisit, tandiuque secum versari voluit, donèc festi dies sacrique (neque enim procùl aberant) aduenirent. Cuius ille dicto cùm paruisset, essetque eius conuictu familiariter vsus, domicilium, in quo priùs diuersabatur, repetit, & consuetum viuendi institutum capessit.

Vacat psalmodiç, multumque se iunat.

Cap. 6.

Porrò non multis pòst diebus, cùm in sacro illustris martyris Iuliani templo sederet ac legeret, tres quidam monachi, cùm moribus venerandi, tum decenti atque ornato corporis habitu animi præ se speciem ac pulchritudinem ferentes, illi apparuēre. quos Gregorius intuitus, mirificè hilaris factus est: quippè cuius animus ob illorum præsentiam exiliret: siquidem non absque magno aliquo bono ad se illos venisse sensit. Cùm verò Deum adorâssent, vnus illorum sedit: reliqui verò duo magno cum timore, reuerentia item admirabili, illi assistebant. Hunc Gregorius pariter veneratus, sese alijs adiunxit. In quem monachus, qui sederat, coniectis oculis: Quid hæc, inquit, ad te, Gregori serue Dei, qui bonam partem elegisti, quæ abs te (vt de sententia Euangelij loquar) non auferetur? Hunc ille ob primam nominis cognitionem admiratus, pedibus eius confestìm aduoluitur, ac lachrymas ab oculis distillans, efflagitabat, vt suis se precibus dignum faceret. Ille verò hunc erexit, nihilque circa se magni quicquam existimare iussit, ac ipsum, aliosque itidèm duos monachos secum sedere curauit. Mox blandè illum affatur: Scito, inquit, fili, consilia tua nobis omnia à Deo prodita esse. Verùm lætus nos lætos sequere: quandoquidem horum index Deus, te quoquè in comitatu nostro ad se adducere, & sacrosancta nobiscum loca, ad quæ iampridèm nos nauigatione contendimus, conspicere præcepit. Ob hæc Gregorius admiratione ac gaudio perfusus, se ipse continere nequibat: sed rursùs assurgens, ac pedes monachi complexatus, lachrymas plures prioribus præ gaudio effundebat, ac lætitia totus gestiens, quas maiores poterat, in his Deo gratias agebat. Posteà verò ad domicilium concessêre, ac hospitij dominus multam in illos hilaritatem ac comitatem ostendens, omnia ad victum necessaria abundè illis apposuit. Qui cùm gustâssent, totā noctem cùm diuinas laudes canēdo, tum sacros sermones lectitando, ad diluculum vsque duxerunt insomnem. Vbì monachi prudentiam iuuenis, quòd tam concinnè tutoque sua omnia enarrâsset, vehementer quidē admirati sunt.

Tres monachi itineris socij à Deo ipsi destinātur.

Luc. 10.

Diuinitùs quibusdam reuelatum fuit eius propositum.

Quartus

Quartus igitur cùm esset dies, quo apud illos erat, monachorum primus viæ mentionem fecit, ac appetente vespera, ciuitate vnà egrediuntur. Cumque viginti dies iter fecissent, Tripolim perueniunt, atque ad D. Leontij templum proficiscũtur. Proindè venerandus ac ornatus quidam presbyter domi suæ hospitio illos suscipit, quibus Gregorius ministrabat. quod adspicientes, vtì miraculum censebant, nimirùm quàm bona fide illis præstaret obsequium, idque non sedulò solùm ac patienter, sed cùm vsqueadeò binis atque etiam trinis diebus labore se confecisset, vix ad cibum respicere: ac ne tum quidem, nisi monachus ille, saneque molestus, hunc ipsum cibum capere compulisset. Hic generosam eius mentem pertentans, sermonem illi de parentibus iniecit: Agè fare (inquiens) Gregori, num dulcissimi tum parentes, tum affines, tum etiam patria memoriam subeuntes tuam, molestia te afficiunt? At ille diuina prudentia & singulari modestia præditus, Valdè illa quidem, ô pater, inquit, sed aliter atquè tu opinaris, afficiunt. Siquidem Domino luculenter clamante, Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus: &, Qui non valedixerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: necdùm horum à me quicquam est egregiè præstitum. Veruntamen bonorum suppeditator imbecillitatis mihi auxilium, illis verò doloris consolationem vtinàm cælitùs afferat. Hæc itaque ità se habent. Cap 7. Proficiscitur cumquibusdam monachis interram sanctã. Matt. 10. Luc. 14.

Porrò triginta dies Tripoli commorati, neminique noti facti, illinc egrediuntur, denuoque iter capessunt, ac ad proprium se propositum accingunt. Quamobrèm cùm quatuor iam mensibus peregrinati fuissent, Hierosolymam peruenerunt. Locisque ibidèm omnibus perlustratis, quicquid in monasterijs ac monachis illic degentibus erat præclarum, id totum assumentes, cum illustrioribus virtute viris consuetudinem habuêre. In quodam verò ex illis monasterio, quod à sancta ciuitate non procùl aberat, sacros Quadragesimæ obseruationis dies egêre, in quibus eximius iuuenis Gregorius tale suî meditatione ac exercitatione mentis documentum præbuit, vt stupor monachorum mentes opprimeret. Atquì hospitij præses, cùm esset oculis animi perspicax, itemque fatidicus, ea omnia, quæ Gregorio vsuuentura erant, longè antè illi manifestè prædixit, nempe ad sacram illum pontificiam sedem prouectum, ac multis insultibus, varijsque impressionibus impetitum iri: cæterùm non modò ijs liberandum esse, sed luculentum ac insigne futurum eius præconium. Mox consentanea quædam subdidit, docens oportere omninò illum Dei timore institui ac informari, non proprio sensu intumescere, non paupertatem despicere, non vilem quenlibet aut abiectum deprimere, sed afflictiones ac futuras petitiones æquo animo perferre. Talibus monitis Gregorius, non secùs àc terra fertilis irrigata, ac pulchra semina iucundè suscipiens, fœcundam virtutis aristam producit. Cap. 8. Vide quid Hierosolymis vir sanctus egerit. Fatidicũ, dicit, prophetam.

Cùm verò hebdomada, qua Seruator Crucis supplicio est affectus, aduenisset, ipsa duce res admirandas peragi vidit, nempe homines in cælos à terra tolli: alios quidem instituto ac ratione viuendi nihilo Angelis inferiores: alios itèm in corpore existentes, perindè àc sine corpore essent, cibi expertes degere. Fluxus vidit lachrymarum, fontium ferè flumina superantes. Atque ità stupore detentus, ipse se deplorabat, & animo vehementer angebatur. Hei mihi, inquiens, quis sum ego? Quonam ergo pacto cum his viris Dei iudicio sistam? Rursùs nolens desperationis profundo emergi, Si Dominus, aiebat, propè adest ijs, qui confracto sunt corde, & eos, qui delecto sunt animo, saluos facit: potest itidèm Deus me seruare, ac mercedem, non aliter atquè ijs, qui vndecima hora conducti sunt, qui omninò nihil operis egérunt, impertire. Hunc igitur cùm is, apud quem diuersabatur, cùm etiã monachus, qui hunc secum illuc adduxerat, sic grauiter angi atque tristari cernentes, separationem à suis domesticis, doloris tam ingentis causam illi præbere suspicati sunt. Itaque consolatorijs illum verbis sic alloquuntur: Nè tristère, aientes, fili: confidimus enim Deo, non multò pòst domesticos te inuisurum, satisque voto tuo facturum esse. Quàm procùl mihi videmini, patres, (illis inquit) à consilijs meis aberrare. Neque enim ijs de causis afflictor animo, nempe non licere mihi non parentes, non affines, non deniquè patrium solum intueri. est enim mihi instàr horũ omnium, atque adeò aris cæteris omnibus, oculus Dei: in quem adspiciens, & ab ipso inspectus, tristem afflictum consolor animum: sed nihil de illius sententia egisse conscium esse. hoc mihi, idque solum, mœroris causam affert. Nam quòd ab humanis parentibus absim, parùm dicere vereor) his ad consequendum patrem Deum diuitijs cumulatus, magis Cap 9. Obserua hic viri monachoru sanctissimam. Psal. 33. Matt 20. Deflet suam imperfectionem & sterilitatem vir sanctus.

gis etiam lætor. Verumenim necessè habeo, vt vos (quæ vestra est sanctitas) pro imbecillitate ac humilitate mea oretis. Hæc cùm Gregorius ex animo intimaque conscientia dixisset, non eum ampliùs illi consolari sunt aggressi, quandò ipse abundè quidem alios consolari posse videretur.

Cap.10. Paschatis dies celeberrimus.

Cùm verò dies illa, dierum omnium ac celebritatum facilè princeps, qua Christus ab inferis excitatus, humano generi vitam dedit, aduenisset, confestim omnes viæ cum præside monachi, Gregorio itèm, ac tribus illis viris comitibus, in sanctam ciuitatem asscenderunt. Porrò cùm illum locum, vbi Christus à morte suscitatus est, introissent, cæteraque loca perlustrâssent ac adorâssent, D. Gregorius animo gloriabatur, ac tum admiratione, tum voluptate plenus, summum illum in hymnis ac diuinis cantibus ordinem atque concentum intuitus, nihil illum ab Angelis discrepare credidit. Proindè cùm in D. Macarij Episcopi congressum atque colloquium venissent, apud illum diuersantur. Cumque illi summo manè Deum (qui perpetuus est illis mos) illustri laude cumulâssent, hos residens accersiuit, primumque illos, deincèps Episcopos ac clericos, alios itèm, qui præsentes aderant, osculatos communiter ea eit allocutus, quæ animo nouit vtilitatem afferre: ac mox reliqua dimissa multitudine, accersitoque monacho, ac ijs qui illum aduexerant, Si perpetuò lætere, inquit, Marce pater, vndenàm tecum ad nos Gregorius Dei seruus iuit, qui loca isthæc salutaria nuper adiuit? Cui monachus, Non nos, inquit, istum, sed Christus, ô pater, tuaque aduexit precatio. Verùm Gregorius timore perculsus ob suî ac Marci monachi appellationem, (necdùm enim cuipiam sanctæ ciuitatis innotuerant) rubore sanè ac moderatione quadam animi nihil quicquam ausus loqui, stupefactus manebat. Deindè duos alios fratres Patriarcha ille appellans, Domine, ait, Abba Serapion, ac tu Leonti pater, gratias ago Deo, qui vestros animos illuminauit, talem virum ad sancta isthæc loca vobiscum assumere, spiritu quidem (vt Apostoli more loquar) feruentem, temporique seruientem, emaculatis prætereà precibus ac vitæ innocentiæ sedulò studentem. Neque enim nos eius vitæ rationem diù celauit Dominus, vt hæc vobis pariter manifesta fierent, de quibus opportuno fortasse tempore dicemus. Instat autem nunc, vt diuinum & arcanum sacrificium Domino celebremus.

Macarius Episcopus Hierosolymæ.

Diuinitùs ille cognoscit Gregorium & alios.

Rom.12.

Diuinū sacrificiū, missam dicit.

Cap.11.

Hæc ille locutus, templum sacrum, rem diuinam facturus, petit. Porrò ipse quoquè diuus Gregorius in dextro altaris latere, Patriarcha sic præcipiente, adstabat: pleraque verò eius animum perturbatione subeunte commotus, infrà positus ministrabat, flumina interìm lachrymarum ab oculis effundens. Cumque ità sese Gregorius haberet, ingentis animi humilitatis spiritu inflammatus, omnia Patriarchæ consilia habuit explorata, & spiritûs sancti gratiam ipsum adumbrantem, vt plerisque ille secutis temporibus enarrauit, euidenter vidit. Postridiè igitur eius diei Marcus monachus Archiepiscopum precabatur, vt se ac, qui cum ipso erant, monachos missos faceret, quò cum cæteris illic agentibus fratribus institutam vitam sequeretur, & ità rectà domum abiret, cùm id nihilo seciùs de sententia ac voluntate illius fieri vellet. Hoc illis cùm Archiepiscopus petentibus annuisset, ad nouum sese Dominicum diem reuersuros pollicentibus, proficisci domum imperauit. Verùm cùm hæc haudquaquam Gregorio perspecta essent, quòd is tum monachis præsens non affuisset, cùm illi sese viæ dedissent, Macarius Gregorium accersiuit, eique, quæ gesta essent, edisserit: addit etiam, nulla ipsum ob id molestia affici oportere: maturam enim illorum reditionem, ac propediem fore. Quod, vbi se illis destitutum iri resciuit, molestissimè tulit. At tum sese, lachrymans, illius ad pedes ac genua proiecit, illumque hortabatur ac orabat, se, vbinàm illi terrarum essent, edoceret. (Existimabat enim, illos procùl à locis sanctis abijsse.) Ille verò non plus viginti stadijs Romanorum, vicum à ciuitate distare dixit, quò non ità pridèm illos peruenisse simile veri erat: proptereà nihil de illis solicitum esse, neque vereri sese illorū precibus cariturum, monebat. Quamobrèm bono animo illum esse iussit, spoponditque non se illos priùs huic itineri dedituros, quàm ad se denuò reuertantur. Qui cùm esset hunc in modum locutus, multùm ille de dolore remisit, & exindè Archiepiscopo tum in precibus, tum in sacris cœtibus adhærescebat: cernensque eius vitam, vti quoddam virtutis exemplar, illam apud se sedulò ac diligenter obseruabat.

Cap.12. S.Gregorius cū socijs totam noctem ... la-

Cùm verò dies Domini proximus aduenisset, monachi, vt imperatum illis fuerat, prestò fuêre: quos cùm D. Gregorius vidit, omni voluptate refertus est, ac totam illam noctem, vnà cum illis insomnem pertulit, precibus itèm ac lachrymis in feruore spiritus

ritûs insistens, pro se sanctè Dominum obtestabatur, vtì exercitationis ac meditationis istius cursum perficeret, ipsisque hæreditatem ac partem communicaret. Deindè ità simul summo manè Archiepiscopum Marcus adit, eiusque pedibus prouolutus orabat, vt suis se precibus tanquàm viatico quodam benè instructo communitos dimitteret. horum verò ille singulis imposita manu, ac sublatis in cælum oculis, Deus (inquit) qui cælum, terram ac mare, & quicqu id in eis est, condidisti, qui omnia ante ortum illorum probè nôsti, ipse hos seruos tuos, qui sacrosancti tui nominis causa, sancta isthæc loca inuiserunt, fructumq; tua dignum maiestate, Gregorium inquam, qui præsens nobis adest, seruum tuum attulerunt, conserua, ac in via illorum dirige, siquidem sanctus es in secula. Ac cùm omnes, Amen, subdidissent, complexatus illos in pace dimisit. Hos abeuntes Gregorius conspicatus, acriter animo doluit, ac præproperè festinans, illorum ad pedes proiectus, solum se ibì relinqui lamentabatur. Hei mihi (inquiens) quis sum, & quò me vertam? Quonam ego pacto vobis, patres ac seruatores, destituar? Vos secundùm Deum salutis meæ auctores, ipsi boni probatæ mihi vitæ magistri fuistis, ipsi errantem inuenistis, inuenientes rectæ viæ reddidistis, multis itèm fluctibus naufragum ac penè demersum, in tranquillum ac securum portum aduexistis. Nunc porrò quomodò tam miserabiliter diuellar à vobis? Quomodò separationem hanc à vobis feram? Hæc cùm Gregorius gemebundus dixisset, præ seque maximam animi turbationem lachrymis ferret, Marcus vir admirandus, tam futuris prædicendis, quàm solandis amicis potens, hunc paternè excepit.

chrymis & precibus insistit.

Dolet vir sanctus se à charis socijs diuelli.

Cap. 13. Ac non sic tu quidem, fili mi, dixeris (ait) non. Neque enim solum te esse putabamus, quandò præsertìm Christus sua te vocatione sancta dignatus, in patrum chorum cooptârit. Atque huic te quoquè communi & optimo patri, qui, quæ ad te spectant, rectè administrabit, & quàm fieri poterit, feliciter suscipiet, ipse commendo. Sic ille loquutus, manum appræhendens, ad Patriarchæ pedes illum statuit: Pater venerande, (inquiens) & hic est ex grege Christi, isque fide Ecclesiam fundaturus, ac eam doctrinæ cælestis prædicatione, vtì clauo, diuinè gubernaturus est. Quamobrèm eius animæ curam habeas, illamque tua sustentes doctrina oportet, persuadeasque meditationis ac exercitationis laboribus insistere, splendentem se conseruare, non pulcherrimum, ac vtì veris tempore florentem adspectum, iuuenilibus cogitationibus quasì maculis quibusdam inquinare. Hæc tum dicebat monachus, cùm Gregorius grauiùs animo tristaretur, ac lachrymas abundantiores effunderet. In quo quidem & qui præsentes aderant, hæc cernentes condolescebant: quin & illeipse Patriarcha misericordia permotus est, Gregoriumque adhuc iacentem erigens: Video te (inquit) fili horum virorum separatione grauiter affectum. Quarè, si placet, vt hac nostra vtaris consuetudine, nobiscum esto, tuaque omnia Christus, vt velle ipse videris, rectè constituet: at verò si discedere magìs lubet, in pace cum illis abi. Atquì Gregorius: Non hoc quidem (inquit) domine accidat, auerseturque Deus, vt hæc loca, quæ videre precatus sum, & pro quibus hanc tam longam peregrinationem confeci, derelinquam. Verùm facere non possum, cùm vehementer illos diligam, quin aliquantulùm afficiar. Quoniam verò illos abire necessarium fuit, existimo sacras illorum preces vtì tutelam quandam ac euentum vitæ instàr ipsorum, mihi non defore. Confido enim Deo, hac ipsa etiam præsenti vita illos iterùm me conspecturum. Talia locutum monachi circùm adstantes, ac ardenter circumplexi, lachrymis manifestam proculdubiò significationem fecerunt, quàm ægrè ab illo separarentur: à quo vix tandèm auulsi, ac in ordinem compositi, inuiti abiêrunt.

S. Gregorius commendatur Macario Episcopo Hierosolymitano.

Cap. 14. Porrò cùm Hierosolymis hic permansisset, veneranda illa ac sacra loca, necnon monasteria ac monachorum domicilia perlustrauit, & operosam apim sedulò imitatus, virtutum flores diligenter excerpsit. Atque ijs sese studijs Gregorius continebat. Verùm monachi cùm Tripolim peruenissent, naui conscensa in Siciliam nauigantes, Agrigentum sunt aducti: monasterium verò, quod ibì proximum erat, adeuntes, apud præsidem diuersantur: quem quidem Marcus futurorum præscius cùm nunquàm vidisset, proprio nomine Paulum appellans, in stuporem coniecit. Ac de prædicto sancto Potamione, quem nunquàm anteà illi cognitum esse existimârat, percontatus, nihilo minorem admirationem iniecit. Itaque cùm mensa illis esset apposita, ac panis & aquæ (vtì illis moris est) mutuò participem fecissent, viros Episcopo manifestat, & vt Marcus hominem, quem nunquàm viderat, nominatìm appellârit. quo ille nuncio mirificè gauisus est, idq; inexpectato lucro apponens, ad ipsum con-

S. Gregorius terræ sanctæ monasteria inuisit.

festìm properat. Porrò cùm illos obuios habuisset, complexatus, & per illos, quidnam apud eos ageretur, quinam essent, quóve hac peregrinatione contenderent, cognoscens, & rursùs, cuius rei causa nauigationem facerent, cum illis breuì commoratus, ac diuina quædam commentatus, ad ecclesiam, mysticum sacrificium celebraturus, proficiscitur. Is enim Petri & Pauli summorum Apostolorum dies festus erat.

Dies festus SS. Petri & Pauli Apostolorum.

Cap.15.

Postera autem die post matutinas laudes, cùm Episcopus illis adesset, deque rebus diuinis ac salutaribus cum illis familiariter loqueretur, statìm Gregorij parentes in vrbem ingressi sunt, vt illi tanquàm mortuo parentarent. eodem nanque die mortuus illis visus fuerat. Atquì cùm mater Gregorij equeuos pueros vidisset, filij memoriam subiens, visceribus est grauiter intercisa: quippè horum adspectus, fletûs illi causam ministrauit: Hei mihi (dicens) fili dilectissime, fili tam ingens inter æquales splendor, quàm sol inter astra. Hos quidem tuî causa omnes intueor: tu verò vbì es terrarum? Cur es (oro) in lucem editus? Vtinàm mortis tuæ genus agnoscerem. Vtinàm locum, vbì occubuisti. Atque vtinàm scirem, si qui tibi fuerunt mortis authores. Tuæ nanque calamitatis ignoratio mihi dolorem auget, facitque, vt, cùm sic lugere cogat, ignorem, in quo mihi iurè sit lamentandum. Aliâs enim omne mortis genus suspectum facit, aliâs omnibus compellit diffidere. Num quæ syluestris te fera rapuit? at ferarum tecta sunt syluæ. Num qui te latrones interfecêre? Sed quis tam dirus atque cruentus animus, & humanæ tam expers naturæ, ac vt re ipsa ad crudelitatẽ lapis esset, qui non tuam (obsecro) iuuenilem ætatem vereretur? qui non ob formæ speciem misericordia flecteretur? Sẽd quid hæc frustrà lamentor? Deus, à quo consolationem infelix inuenio, vbinam ipse sis, scire solus potest. Talia cùm mater lamentaretur, plerique omnes ciues illuc conuenerant, eiusque luctu commouebantur.

S. Gregori⁹ à parẽtibus pro mortuo defletur.

Cap.16.

Verùm cùm vlulatus in altum tolleretur, & Marcus eiulantem sensisset, eius causam sciscitabatur, multùm & ipse amareque ingemiscens, lachrymas verbis commiscebat. Ego pater (inquit Episcopus) grauem tibi casum edisseram. Vir quidam honesto genere, ex vico nostræ ciuitati proximo oriundus, cùm diuitijs florens, tum mente multò locupletiore præstans, sua omnia pauperibus communicabat. At vxorem piam admodùm & ornatam ducens, filium ex ea precum ergô genuit, quem è sacro baptismate ipse suscepi. Videns igitur pater prolis susceptionem, & preces voto stetisse, ex eo tempore ab vxore abstinuit. Porrò filium octo iam annos natum accipientes, ad me adducunt, quem ego magistro primùm grammaticis instituendum trado: deindè ipsum tondens, ac in Ecclesiæ collegium, cui præsum, asciscens, in Archidiaconi mei fidem committo, mandans vt quàm celeriter fieri posset, in diuinam legem accuratè incumberet. Qui ità tum natura adiutus, tum studio, breuì in omnibus euasit conspicuus, vt nemo per vniuersam Siciliam illi comparandus inueniretur. Itaque puer vel dæmonis inuidia, vel nescio qua sortis malignitate visus, oculis nostris repentè tollitur: nec posteà tanta eius calamitas cuiuis innotuit, neque sanè quicquam de illo in hunc vsque diem nobis est proditum, vtcunquè vniuersam Siciliam diù multumque obiërimus, nihilo plùs inuenire aut discere quiuimus. Quocircà nos itidèm inconsolabili propè illius causa dolore cruciamur, nihil nobis hactenùs (quæ Dei Opt. Max. voluntas fuit) exploratum esse. Sed cùm cæteris multò vehementiùs parentum eius animi dolore conflictentur, nunc lugentes adsunt, eius memoriam hodierno die celebraturi, in quo patres, amisso filio, appellari desierunt.

Tõsura clericorum.

Defunctorũ memoria iã olim celebrata.

Cap.17.

His auditis, ille diù elinguis factus, ac pòst lachrymis plenus, in medium illos prodire petijt, & quænam hæc esset, cur tam grauiter cæderentur, interrogauit. Cumque ij præ tristitia quamplurimùm illos opprimente, intercisam ac impeditã vocem haberent, neque causam ipsi fari possent, cernens ille affectûs vehementiam, simulque adspectus (oculis in Charitonem coniectis) accuratiùs perpendens, quasdam non obscuras similitudines ac veluti characteres agnouit: siquidem ipse quoquè valdè decorus erat adspectu, & coma flauus, ac (vt paucis expediam) certa seruantem signa perspiciens, nihilque reliquum esse, quod non optimè quadraret, secum ipse colligens: Præstat (inquit) vos fratres omninò Deo gratias agere, quandoquidem quicquid vnquàm accidit, ad abdita illius & incognita iudicia (ipso probè omnia gubernante) est referendum: non autem sic inconsultò lugere, non secùs sanè, acsì filius vester vobis iampridèm pessùm abijsset, licet enim is vos lateat, nihilo tamen minùs Deo est manifestus. Hęc cùm Chariton audîsset, ac eiusmodi verba suî cõsolandi gratia fieri in-

S. Gregorius suo patri Charitoni omninò persimilis.

casum

casum arbitraretur: Hocipsum pater (ait) verum esse omninò fateor: si enim ex diuinis scriptis inferi & interitus Deum non latent, quomodò non etiam hominum corda illi erunt manifesta? Proindè si & filius noster interijt, eius animam saltem Dei manibus contineri credendum est. Atque hactenùs quidem Chariton. Iob 26.

Porrò Gregorij mater ad os Marci oculos adijciens, fixiùs intuebatur: ac eiusmodi sermonem audiens, animo suspensa, corde nutabat. Deindè cùm monachus dixisset rectè cum illorum filio agi, illisque fletum reprimere præcepisset, Donatum Archidiaconum confestìm accersit, assistenti silentium vt vitium acriter obijcit: Quid causæ (inquit) [illegible]ô homo, cur nequam illum seruum imitatus, talentum Dei magnum in terram abdideris, non illud potiùs palàm feceris, vt sic voluptatis, non mœstitiæ, tum parentibus pueri, tum communi huic patri & Archipræsuli author fieres? Nunc ergò cuius criminis reus es, & qua pœna plectendus? quippè qui tam ingentis illis mœroris author factus, Dei gratiam, quantùm in te fuit, occultaueris? His verbis Archidiaconus pallore infectus est, ac artus eius omnes tremor inuadens, illius faciem mutauit: seseque in terram abijciens, amarè flere ac ingemiscere cœpit: ac Dauidis verba contra se pronuncians, Peccaui in Dominum meum, & in vos omnes, aiebat. Data igitur illi venia, humì iacentem erexerunt, ac omnia Gregorij acta accuratè illum dicere, nihil omninò prætermittentem, imperârunt. Sed ille exorsus, rem singillatim omnem edisserit, & quemadmodùm cùm se somno dedisset, quædam vox per quietem puerum inclamauit, & vt ille assurgens, sibi præstò fuerit, quotiesque illi vox insonuit, & demùm quæ abs se, qualiáve didicerit, nempe qui vocârat, è cælo aduenisse, ac quemadmodùm postrema vox apparuerit, eiusipsius aures percellens, litus sibi protinùs petendum: futurum enim, vt illic inueniret, quibus cum mare celeriter traijceret. His in excusationem dictis, finem lachrymis fecit, hanc silentij causam fuisse asserens, veritum se, nè quandò fide dignus inueniretur, néve insimularetur in adolescentem mali aliquid fuisse molitum. Atque Archidiaconus in hunc est modum locutus. Cap. 18. Matt. 25. 2. Reg. 12.

At Marcus quæ ab illo de puero dicta fuerant, affirmans, ipse quoquè adiecit, Gregorij vitam sibi esse perspectam ac exploratam, isque irà loqui cœpit: Cùm essemus Romæ, inque templo summorum Apostolorum oraremus, duo nobis formidabiles viri adstiterunt, qui mihi, Surge (inquiunt) Marce repentè cum duobus, qui tecum sunt monachis, & Carthaginem nauigatione contendite, ibique Gregorium quendam Siculum ab Agrigenti Ecclesia illuc aduectum inquirite: is enim naucleri cuiusdam, qui Varus dicitur, conuictu familiari vtitur, Deoque totus hæret. Hunc vobiscum assumentes, Hierosolyma vsque perducatis: quò appulsi, Patriarchæ, cui, quæ illo facere oporteat, iniunximus, illum sistite. His dictis, ab adspectu atque oculis mihi sublati sunt: proindè ego cùm à somno solutus essem, ad flumen cum his duobus monachis maturo proficisci, vbì nauem velis passis (Deo sic annuente) velificari Carthaginem, comperi: quam conscendentes, Carthaginem traijcimus, eamque obeuntes, adolescentem ad ædem diui martyris Iuliani, lectioni vacantem, offendimus: quem complexi & allocuti, quæ se nostro oculorum sensui obtulerant, edicimus, & quæ ad illum contrà pertinerent, omnia cognoscimus. Tum læti, lætum ipsum accipientes, ad sacra loca deduximus, tam verborum dexteritate, quàm splendore morum, omnes ad se trahentem. Cùm hæc Marcus percurrisset, res quædam contigit cognitione atque memoria digna. siquidem vniuersa multitudo, hoc sermone tanquàm insania quadam pércita, exilire valdè ac iucundè admodùm plaudere cœpit: sublata itèm voce aërem clamore implentes, Deo ob rem tam admirandam gratias agebant, eiusque nomen miris laudibus cumulabant. Atque hinc quidem multitudo magna communiter perfusa lætitia, tum præsertìm parentes Gregorij, præ voluptatis vbertate à constantia mentis desciuêre, in terramque semimortui ceciderunt. Vt enim immoderatus dolor plerunquè in stuporem agit: sic nihilominùs voluptatis magnitudo homines à mente discedere compellit, vt vtrinquè graue periculum impendére constet. Cap. 19. Visio Marci monachi, cùm esset Romæ in téplo summorú Apostolorum. Marcus monachus refert parentibus eius quomodò S. Gregoriũ Hierosolymam vsque comitatus sit.

Mox coram Marco assurgentes, vixque suî compotes facti, dictis fidem, idque fortassè præ gaudio (iuxta diuina scripta, Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio) non habebant. Proindè dictorum fidem, perindè atquè isthæc verba somnium essent, fieri sibi postulabant. Nunquidnàm (aiunt) filius noster vnigenitus, dilectissimus viuit? At ille hunc benè beateque in Deo viuere dixit. Vt verò nihil illis, de quo Cap. 20. Luc. 24.

ambigerent, relinqueretur, formam eius effinxit, adolescentem illum sanè quàm decorum, patrem valdè referre suum, colore fuluum, pulchrum oculos, prædulci voce, acutis auribus esse: ac demùm mores eiusdem per omnia recensebat: quàm ille prudens, quàm sciens, humili loco positus, mentis oculos in cælos tolleret, ac vndiquè fauorabili exceptus plausu, in diuina scripta semper incumberet. Ac velox quidem optimis quibusque tum loquendis, tum audiendis, cùm alioqui tardus ad loquendum foret: leuitatis verò quanlibèt minimum, nec dicere nec audire nunquàm omninò sustinuit. Risus, quàm qui maximè, continens erat. Assiduis prætereà laboribus, asperrimæque exercitationi hærebat. Cùm hæc atque his longè maiora monachus loqueretur, illa hominum frequentia lætitijs omnibus incessit, puerique laus parentibus pro filio in consolationem stetit. Illumipsum enim intueri videbantur: sic eius indicia animi atque vestigia manifesta percipiebant. Ac de his quidem hactenùs. Porrò monachi triduò illic commorati, iter suum persequi instituerunt. Quocircà nauim subeuntes, Panormo secundissimo vento celeriter applicuerunt. Illinc Romam patrium solum, suumque ipsorum monasterium petunt. Et is quidem eorum peregrinationem finis excepit.

Mores optimi S. Gregorij adhuc adolescẽtis.

Cap. 21. Gregorius verò Hierosolymis (vt sermo superiùs indicauit) existens, cursumque suum conficiens, quin potiùs seipsum vincens, secumque ipse decertans, Diaconus à Patriarcha Macario deligitur: à quo diuus Gregorius commeatum oliuarum montis, patrumque in illa sanctæ ciuitatis solitudine degentium visendorum gratia petijt, cuius cùm arbitrio hoc ipsum permitteretur, iter, quo fertur in interiorem eremum, aggreditur. Cumque tres dies iter fecisset, ad sextam ferè horam monachum consuetis vacantem precibus reperit: quem cùm conuenisset, in sermonemque familiarem incidisset, quandò ille nihil minùs hunc ipsum virtutis deprætenderat amatorem, in vitæ secum contubernium accepit. Verùm cùm post viginti dies vnà cum Gregorio illàc iter faceret, locum, in quo monachi domicilium, duæque palmæ erant, indicauit: Ingens hic, ô fili (locum digito signans, subdidit ille) thesaurus est abditus, nempe exercitationis laude pater eminentissimus, tuusque, id nisi ipse detrectes, seruator futurus. Proindè accede, & pulsans fores, obuiàm tibi prodeuntem habebis. quòd si psallendo distinebitur, cantum cum illo, foris alioquin stans, prosequere: cùm verò canendi finem fecerit, hinc tibi curæ sit, quò minùs hac ipsa frustreris indagine. Hæc sanè cùm ille dixisset, essetque Gregorium amplexatus, discessit.

S. Gregori⁹ fit Diaconus, & monachos solitarios inuisit.

Cap. 22. At verò cùm hic flexis genibus, oculos sursùm in cælum tollens, orâsset, seseque Crucis signo præmunijsset, fidenter gradiebatur. Cumque ad locum pertingeret, canentem quasi turbam audiuit: sed cùm propiùs accessisset, non tum multitudinem, sed veluti tres canentes audire sibi visus est. Quarè timore perculsus, ad ianuam silens appropinquabat: sed ille cùm cantum intùs explêsset, per transennam adspiciens, voce Gregorium inclamauit. Hic verò multo magis ob nominis appellationem pertimescere cœpit, & vocanti pàrens, ingreditur, seseque lachrymis ac sudoribus circunfusus, illius ad pedes proiecit. Cumque ab eo, Deum vt pro se oraret, petijsset, sibique illudipsum præstitum esset, apud senem commoratur, Grammaticamque & quicquid poëtarum libris continetur, Rhetoricam itèm, ac philosophiam illam, quæ animo & contemplatione cernitur, (nam quæ in rerum actione versatur, iampridèm didicerat) edocetur. Siquidèm senex ab his omnibus bellè paratus erat, literarumque Græcarum doctorem se præstabat eximium. Tam affabrè Gregorius literarum diuitijs auctus, nec minori morum, atquè virtutis, accessione facta, illi adhærescebat: à quo, quænam se vexationes inuasuræ essent, edoctus, (erat enim diuinus ille vir inter cætera venturi præscius) rursùs ad sacra loca pergit: in quibus cùm per annum vixisset, illinc in Antiochiam abit: apud quam moram trahens, annum itidèm commoratus est. Cumque esset plures eruditos sermones interpretatus, nec paucos ipse composuisset, omnibus suî admiratione iniecta, ad magnam ac regiam Constantini ciuitatem concessit: quandò diuina illum omninò prouidentia co compelleret, & à cæteris quidem mùndi curis abstractum, ad munus illud, ad quod obeundum vocatus fuerat, hortaretur.

Eremita externis disciplinis eum vt institueret.

Venit tandèm Constantinopolim.

Cap. 23. Hanc subiens, apud monachum, sapientiæ studiosum, qui Sergij & Bacchi martyrum domui olìm præfuerat, diuersatus, rem non paruam quidem effecit, dum Iohannis

S. Iohannis Chrysostomi encomium.

nis Chrysostomi sermones aureos percurrit. Nam sententiarum illius dulcedo ac vbertas, necnon verborum pulchritudo ipsum illexerat: tum nouam illam subindè structuram mirè afficientem, omniaque eius scripta, donis plena cælestibus, contuitus, hinc illius animi celsitudinem prout poterat, non segniter edoctus, ardore quodam animi erat accensus, & ad eius vitam, vtì exemplar quoddam longè pulcherrimum, oculos intendens, imitari illam sedulò nitebatur. Hinc crebrioribus se ieiunijs dedidit, vigilijs insistebat, precibus vacabat assiduis. Quæ verò illi circa Iohannem contigêre, eadem domûs eiusdem præses sibi circa illum vsuuenisse comperit. Cùm enim & is ieiunium admirabile cerneret, (neque enim cibum nisì septem singulis diebus, ac tum quidem olera modico condita sale accipiebat) ac vigilias naturam humanam egredi, nihilosecius laboribus inuictum, precibus ac cõtemplationi constantissimè inhærere, stupore magno affectus, non continuit, quin hæc ipsa à silentio vindicaret, & Patriarcham, cui acta illius omnia manifestat, rerum omnium participem faceret. Ille his auditis, gauisus est vehementer, ac sapientes quosdam viros, per quos aliquod illius periculum faceret, ad illum legare, ac mox Gregorium ipsum accersitum apud se continere decreuit. Tum enim splendor noctis, nempe sapientes, interire cœperant, ac vno die perijsse omnes, & ab adspectu hominum procùl visi sunt exulâsse. Mittuntur igitur ad illum Maximus quidam philosophus, ac Constantinus, tum Ecclesiæ librorũ custos, viri non modò ipsi eloquentes, sed qui alios etiam loquentes iudicare possent: philosophia quidẽ plurimùm exculti, atq; etiam ad sententiam ac mores hominum rimandos instàr Lydij lapides indices. Qui cùm ad illum profecti essent, ac sensus generositatemque animi perspexissent, itemque delectabiles mores, ac sermonem melle suauiorem fluere, linguam longè præstantiorem, quàm vt dubitatione aliqua sibi proposita vinceretur: (nihil enim ex his, quę ad Theologiam pertinent, eorumque, quę indissolubilia esse putantur, diserte atque cælesti eius linguæ in quæstionem reuocantes, reperire potuerunt, in quo non hos magìs ille solutione percelleret, in maximamque traheret admirationem.) Hæc cùm experientia didicissent, non inuidia quæ honesta essent occultârunt: quin potiùs nuncij atque præcones apud omnes, & ipsum inprimìs Patriarcham illustres facti, Gregorium solum inter homines cùm ingenio, tum lingua inuictum asserentes, reuersi sunt.

Nota ieiunia, vigilias, preces, &c. S. Gregorij.

Cap. 24.

Vbì verò eximius ille vir haudquaquàm spernendus visus est, confestìm ad se Patriarcha illum accersiuit: qui inuitus quidem ducitur. erat enim quietis apprimè studiosus, simulque postliminio redire, illincque proficisci maturabat. Páret nihilo seciùs, & coram Archipræsule positus, cùm moribus esset tranquillus, adspectu venerandus, & alloquij suauitate sirenas haud fabulosè loquendo vinceret: ità illum vehementer deuinxit, sibique totum obstrinxit, vt sine illo nullo pacto consistere vellet. idque inprimìs, quia nihil à sapiẽtibus proponebatur, quod non ille magna cum perspicuitate ac ad persuadendum aptitudine interpretaretur. Proindè viginti illic dies commoratus, interimque cùm sapientia, tum singulari mansuetudine ac modestia admirabilis omnibus habitus, abeundi rursùs verba fecit. Sed cùm Patriarcha nollet ipsum dimittere, quin omni illum studio retinere niteretur, alias causas afferens, quibus illi remanendum esset, (Monothelitarum enim hæresis plurimùm tum serpebat, & hic solus nexus illorum facilè perfringere poterat) tum sanè, licèt inuitus, remanere est persuasus. Iam verò vbiquè ad bellum conclamatum erat, ab vna quidem parte Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Cyrus, qui iam hæretici declarati fuerant: ab altera quicunque hæresim detestantes, pro vera pietate stabant. Ipse verò prauè sentientes, licèt procùl adhuc positos, intortis vibratisque iaculis fugabat, varijs circa dogma sermonibus editis, quibus omnes illorum opiniones risus & meras esse nugas euidentissimè demonstrârat.

Insignis B. Gregorij sapientia.

Monothelitarũ hęresis grassatur.

Eos egregiè confutat S. Gregorius.

Cap. 25.

V. Synodus œcumenica

Posteà verò quàm bellum erumpere palàm cœpit, tum hæreseos viri principes concurrerunt, tum ex his, qui recta dogmata sectabantur, præstantiores illuc confluxerunt. Aderant Antiochiæ, Alexandriæ ac Hierosolymorum, simulque omnes Orientis præsides, Itemque ab Occidente omnes, pręter Romæ antiquioris, & Sardinię præsules. (hos enim grauis morbus intra fines continuerat.) At Romanus hominẽ sacris literis eruditum, qui suas vices impleret, destinauit. Gregorius verò in Sardo locum suffectus est. Quocircà cùm magnũ illo die (vt par erat) de sacris literis certamen ortum esset, alijs quidem rerum, alijs verò verborũ fiducia fretis, dum hęretici

 acri

acri ac suasorio quodam sermone, quo veritatem occultare opinabantur, vtuntur: ille verè generosus ac inexpugnabilis lingua, qua tum diuina opitulante gratia plurimùm roboratus est, sic eorum nexus tanta vi orationis & ardore spiritus fregit, vt eos, qui dicendi laude plurimùm præstabant, mutos omnino redderet, & eorum linguas penitùs auferre videretur, ac ij prætereà ipsi silentes, sese victos esse faterentur. Itaque Patrum quidem synodus plaudebat, hæreticorum verò multitudo, alij, & ij quidem illustriores, deposito errore, nostris adhærescebant: alij verò plurimi propter verecundiam in medium prodire non audebant. Hunc exitum Synodus habuit, solusque Gregorius per omnium ora, & præsertim Patrum, volitabat.

Præclara eius dicendi vis & eloquentia.

Cap. 26. At alijs tum admirantibus, tum vota pro illo facientibus, Archipræsul secum illum accipiens, ad Regem adducit: Hic Rex optime (dicens) Hic, inquam, est ille victor, ac nostræ fidei propugnaculum. Tum Rex ac vniuersus circunstans Senatus admiratione ac laudibus hunc exceperunt: mox Deo gratias agentes, multa cum reuerentia & honore deduxerunt. Deindè Rex ipsum accersiuit, simulque cum illo locutus, quisnam esset, ac vndè gentium veniret, & quas orbis regiones peragrâsset, quæ illi demùm tantæ peregrinationis causa, quæ prætereà mens fuisset, agnouit. Quo factum est, vt illum ex animo vehementer admirans, homine multo maiorem æstimaret, quodque in eius conspectum venisset, multas hoc nomine Deo & Archipræsuli gratias debere fateretur. At verò Gregorius priori proposito innixus, consuetudinem illam ac honorem ægrè admodùm ferebat: quin abitum illinc modis omnibus meditabatur. Hunc deniquè Marciani cuiusdam, qui Regi perquamfamiliaris erat, opera consequutus, cautionibus ac legibus quibusdam dimissus est, nimirùm inuiseret Romam: cumque vrbis illius pulchritudinem ac magnificentiam vidisset, essetque summos Apostolos veneratus, rursùs quamcelerrimè posset, reuerteretur, Regis contubernio in posterum adhæsurus. Porrò antequàm ille Romam adiret, Episcopi quos Pontifex Max. ad concilium miserat, eius aduentum anteuerterãt, Pontificemque ipsum, ac omnes regni eiusdem præsules in maximam illius admirationem euexerant. Quamobrèm illustris ille vir expectatus aduenit, & maiorem illis sua præsentia, quàm cuiusuis sui prædicatione, stuporem induxit. Cæterùm turbam vitans, frequentesque hominum congressus declinans, neque temerè sese, nec inconsultò in cuiusuis colloquium dans, iuxta diui Sabæ domiciliũ commorari decreuit.

Imperator eũ plurimi facit.

Romæ in multa admiratione habetur.

Cap. 27. Cùm hæc interìm apud Gregorium agerentur, Theodorus Agrigenti Episcopus, qui iam Potamioni successerat, vita ipse pariter defunctus est. Indè dum alij aliũ proponerent, (vt vsu ferè in eiusmodi suffragijs euenire solet) seditio in populo nascitur, & tumultus à multitudine conflatur. Alij enim Sabinum quendam presbyterum, alij Crescentinum, alij Archidiaconum Euplum, & alij alios in sede collocare studebãt. Cumque vnusquisque designatum à se authoritate Pontificis firmari, ratumque fieri vellet, Romam ire perrexerunt, rem (vt moris est) Pontificis Max. arbitrio permissuri. Horum in comitatu Chariton Gregorij pater aderat. Atquì illis Romam accedentibus, cùm hinc Sabinus, indè Crescentinus consisteret, Euplus ac reliqui illos ordine sequebantur. Quocircà interrogati, quemnam sibi vellent Episcopum præfici, alijs Sabinum, alijs Crescentinum petentibus, Pontifex conuersus ad eos, qui erãt ab Euplo, Quid vobis (inquit) videtur? Ij per Charitonem responderũt, se illum, qui Deo inprimis, & illius iudicio videretur, suscepturos. Hoc sanè nobis (aiunt) erit optabile. quod enim tuo iudicio probaueris, idipsum quoquè Deo placere omnino existimamus. Deindè Pontifex ijs, qui à Sabino ac Crescentino stabant, ait: Vnum aliquem ex omnibus, qui vobis cordi magìs sit, vnanimes designate. Cæterùm prudenter illi nihil responderunt: quin tumultuosè agentes, ipsi inter se conuicijs turpiter lacessebant. Propter imprudentem illorum seditionem indignatus Pontifex, illorum postulata irrita fecit. Verùm post triduũ Euplum ac Charitonem accersens, illos consilij sui participes facit. Rursùs illi Dei placitum expectare, & quem ille manifestè approbâsset, hunc itidèm sese dixerunt eligere.

Tumultuan Agrigentinenses propter electionẽ sui Episcopi.

Cap. 28. Quamobrèm cùm Pontifex penderet animi, Deumque assiduis precibus oraret, vt quem is probaret, eundem perspicuum cælitùs faceret, duos homines per quietem sibi vidit assistere, specie ac cultu corporis Apostolos referentes, qui se in hunc modum visi sunt alloqui: Cur ob inuicèm diffidentium contẽtionem animo cruciaris?

Per visũ docetur Põtifex quẽ debeat Agri-

s? Nam qui ad te, vt eligantur, ab ijsdem adducti sunt, hoc onere atque conatu udquaquàm sunt digni. At quidam alius est in vrbe hospes, vir moribus ornatus Deo charus: Gregorio nomen est illi. hic aliquandò in diui Sabę monasterio hoes egit: sed cùm hosce viros aduentare ad vrbem intellexit, multò magis se occulit, ac nunc in sacra diui Mercurij æde latet occultus. Hunc accerse, & Agrigenti clesiæ præfectura insignitum, in Siciliam primo quoque tempore transmittito. enim vir cùm sacerdotio dignus, tum regundæ illi Ecclesiæ maximè idoneus. s dictis, simulque cùm lineamentis illum corporis indicâssent, ab oculis elapsi nt. Simulàc verò somno ille solutus est, timore ac gaudio perfusus, cum Mar monacho, quæ sibi per visum apparuerant, communicat. Porrò hic erat Mars ille, quem Gregorio comitem itineris missum, ac deindè Romam in patrium lum reuersum fuisse, superior sermo demonstrauit. Hic Pontifici hoc visum gralatus, monuit oportere illum iuxta visionem agere. Tum quidam exploratum ittuntur viri selecti, quique illum probè nôrant, ac duo prætereà Episcopi, qui à ncilio anteà reuersi fuerant, quibus alter quidam sacerdos illi cognitus comes adtur. Hi simul monasterium diui Sabæ quamprimùm adeunt: vbi intelligentes ilm biduò anteà egressum, ad templum sese diui Mercurij contulisse, illuc maturāt oficisci, eumque indè mox digressurum inueniunt: qui illos eminùs conspicatus, quinam essent, de facie agnoscens, ac demùm, quid à se vellent, coniectans, in horm se in medijs plantis, fugiens, abdidit.

gētinis dare Episcopū

Aperit Pontifex visionem Marco monacho, Gregorij quondā comiti.

Cùm verò illi à Prępositodomicilij eiusdem Gregorium acriter repeterent, hunc dimitteret, grauiter interminati, ille animo atque cogitatione suspensus, ab Epiopis moræ paululùm impetrauit, nec priùs acquieuit, donèc vniuersam domum curatissimè scrutatus perlustrâsset. Hortum itidèm obiens, & oculos arboribus ijciens, medium illis obrutum ac latitantem cernit. Accurrens ergò, manu illius præhensa, se quærentibus educebat, in illum sæuiens, clamabat magnis illum (vt parebat) obnoxium & obstrictum esse criminibus, & proptereà ab eiusmodi vi inquiri: itemque exulem ac profugum, templum illud, vt ibì lateret, petijsse, ac aue sibi hoc nomine periculum attulisse. Et ille quidem hæc ità se habere arbitratur: ille contrà nihil locutus, quasì nulla subesset sibi ratio ad respondendum, sins egrediebatur. Vbì verò viderunt illum Episcopi & agnouerunt, pudore erga iln affecti, eiusque genibus aduoluti, complexantur, magni se nihil agere opinan, si quem à concilij patribus, atque adeò à Rege ipso honorificè exceptum videat, ipsi quoquè summo honore complecterentur. Verumenimuerò diuus Gregos, non segniùs se demittens, honorem illis nihilo minorem rependebat. Sub hęc diens is, qui Gregorium accersierat, talia nutu Dei regi & administrari persuasus, os sequebatur. Dum hæc aguntur, Marcus, qui eiusipsius à puero vita, quive innontes mores fuissent, Pontifici Max. narrabat, quemadmodùm ex diuina visione asnptum ex Sicilia ad sancta eum loca aduexisset. Identidèm Pontifex, quæ à Syno profectis audierat, Marco communicat, nimirùm vt literarum præstantia coruns, hæreticorum ora illic obstruxerit.

Cap. 29.

En vir sanctus quàm est honoris minimè cupidus.

Agnoscitur ab Episcopis qui concilio cū ipso interfuerāt

Interìm verò dum hęc illi mutuò commentantur, Episcopi Gregorium secum adcentes, redierunt: qui cùm propiùs accessissent, formæ illius lineamenta ad visiem, quam in somnis viderat, conferens Pontifex, eundem ipsum, qui sibi in quievisus fuerat, intueri est persuasus. Quarè hilariter illum admodum complexatus, eoque, quemadmodùm tempus postulabat, gratias agens, in sede locandum præit. Aderat & Marcus cæteris assidens: quem Gregorius conspicatus, eius sunt citæ gaudio lachrymæ, ac à sede, cùm primùm potuit, exiliens, sese illius ad pedes oiecit, Deoque multiplices & immortales gratias egit: Te gloria Christe Rex, (iniens) Te gloria decet. En tibi rursùs seruator meus, dux meus, spei meæ principi. Deindè Marcum ipsum alloquitur: Eccè tuum, pater, iampridèm prædictum ticinium, nunc finē accepit, fore vt nos denuò, hac etiam præsenti vita, mutuò viremus. His non sine lachrimis à Gregorio dictis, præsentes omnes mirabātur, gauque participes facti, lachrymas cum illis communicabant. At verò Pontifex Max. æsentes omnes dimittit, solos Episcopos duos atque Gregorium retinet, omnia s (vtì se habent) acta, tum turbæ seditionem, tum dubitationem quam habue, edisserit: eaque addit, quæ sibi in somnijs diuinitùs apparuerant, asserens, ilm Agrigentinorum Ecclesiæ Episcopum cęlitùs electum esse. Hæc cùm Pontifex loquu-

Cap. 30.

Pontifex eū iubet præfici Ecclesiæ Agrigētinę.

Ille verò recusat. loquutus esset, Gregorius sacerdotium detrectare ac recusare, indignũ se minusque tanto fastigio idoneum obnixè asseuerans. Porrò cùm Pontifex nihil ob id hortari rursùs ac minitari desisteret, Gregorius vir sanctus, veritus nè quodammodò insolenter videretur intumescere, ac suo damno Dei nutibus aduersari, exigui temporis, quo rem accuratiùs perpenderet, inducias petit. Interìm cum Marco monacho pernoctans, precibus insistebat, neque multò pòst eidem per totam noctem somnus obrepsit.

Cap. 31. Vult fugam capessere. Audiens autem, quòd Chariton pater vnà cum alijs Agrigentinis adesset, non ampliùs sibi in reliquum de negocio contendendum ratus est, sed ad fugam capiendam sese totus conuertit. Cæterùm Marcus, eius abscessu diuina prouidentia perspecto, pleraque illi, Deo proculdubiò linguam eius moderante, demorandi necessitate disseruit. Demùm diuini senis vaticinium in memoriam illi reuocauit, apud quem continuos quatuor annos (vt superiùs sermone perstrinximus) philosophiæ perdiscendæ causa commoratus est. An non hæc tibi vir ille dierum antiquus, virtutum plenus, diuinaque sapientia præditus, ad quem iamdiù disciplinæ causa accessisti: non hæc, inquam, tibi iampridèm vaticinatus est? Tu'ne, Tu'ne (oro)ità rationibus tuis malè prospectum volueris? Scilicet pro tantorum laborum repositis in cælo præmijs iram, & pro beneficentia execrationem referes? Hæc & alia id genus multa Marcus sanctus monachus, nè id faciat, eum deterret. Marcus illi loquutus, vix à proposito compescuit. Hinc non multi præteriêre dies, cùm Pontifex Siculos omnes adesse imperauit: qui cùm per Marcum cognouisset, Charitonem Gregorij patrem esse, hominem fixis oculis, idque quàm occultiùs fieri poterat, intuebatur, & accuratissimè considerabat, figuramq; & formam conferens mirabatur, quàm valdè ipsi inter se similes essent. Reliquæ verò multitudini (siquidem frequens aderat) Eià (inquit) cantibus ac laudibus ad sacrum summorum Apostolorum templum adeamus omnes vnanimes, vna voce supplicationes Deo peracturi, & super quem admirabile aliquod signum illuxerit, is proculdubiò erit, qui huiusce populi præfecturam suscipiet. Hæc dixit, protinusque vniuersa ciuitas commota est, ac omnes cùm viri, tum mulieres, tam domini, quàm serui procedebant.

Cap. 32. Posteà verò quàm rem diuinam facere cœperunt, Gregorius Euangelium sibi in hoc traditum ità concinnè & aptè legit, vt Charitonis cæterorumq; auditorum animos voluptate perfunderet. Simulàc verò Euangelium impletum est, columba ab altari aduolans, capiti illius insedit. Quamobrèm vniuersus populus stupore (vt par erat) affectus, gaudio & admiratione plenus, non ampliùs orabat exploratum sibi fieri, vtrùm qui designatus pontifex fuerat, nunc Deo creandus videretur. Itaque crastino die pontifex creatur, traditurque Agrigentinis, immò verò huic isti, vti probo pastori, rationales oues à Pontifice Maximo creduntur. Hæc, dum Gregorius Romæ moraretur, contigêre. Sanè Marcus, cuius meminimus, cum illo frequenter versabatur, eique priorem vitæ rationem, ac institutum suggerebat, & illum ad casus, à quibus impetendus erat, generosè perferendos animabat. Quadam nocte cùm Chariton Gregorij pater lecto surrexisset, (neque enim filij obliuio illum ceperat, nec dolorem tempus absterserat, sed corde atque animo fractus vitam agebat) ac tum maximè eius animum charissimi filij memoria subijsset, perindè àc dolore furens, ad illos intempesta nocte properat, ac tum lachrymis, tum suspirijs filium appellabat, & apud Marcum virum prudentem suamipsius deplorabat calamitatem, simulque illorum precibus doloris consolationem sibi suppetere precabatur. Porrò Marcus erecto animo illum esse iussit, addiditq; oportere se reminisci, quæ olim ipse de filio eidem dixerat, nimirùm se filium visurum esse, propterea vt speraret, aiebat, se promissionem suam neutiquàm frustraturum.

Colũba eius capiti insidet sub sacrificio.

Creatur Episcop⁹ Agrigentinus.

Cap. 33. Charitõ pater eius eum nõ agnoscit. Audiuit hęc Chariton, confestimq; corde prosilijt, speq; animo fluctuabat, ac tum multo magis angore detinebatur: neq; verò Gregorium, quanq̃ totiès viderat, agnoscere potuit, vsq; adeò qua ætate, qua figura & cultu corporis immutatus erat. ingens enim in omni re cõtinentia, addo etiam malorũ tolerantia, omnẽ absumpserat pulchritudinẽ. At ille non agnoscentẽ agnouit, sermonemq; patris audiens, acriter intùs affectus animo incalescebat, se nihilominùs ipse continebat, sibique temperabat à lachrymis: Deindè quærit à Charitone, huiusce pueri mater, bone vir (inquiens) vbi interìm, vbì agit? Ex quo verò hic perijt, quantũ interest temporis? Ille matrẽ quidem viuere, ac lugentem domì reliquisse, cæterùm ab amisso filio tredecim annos intercesse dixit. Hîc Gregorius (aliquid enim commoueri illum consentaneum fuit) matris lachry-

lachrymas animo complectens, qui patrem paulò antè lachrymantē viderat, neque diutiùs ferens illū tam grauiter angi (pari enim & ipse naturali charitatis ardore commotus est) subitò suffusus oculos lachrymis, sede exiliens, pedibus patris aduoluitur: Pater, (inquiens) ego tuus filius: ego, inquā, sum, pater amantissime, Gregorius, quem tātoperè inquiris, vestris precibus in lucē editus, ac, vt voluisti, ab ipsis cunabulis Deo sacratus. Veruntamen mei pater (obsecro) miserere, mihiq; quod admissum est condona, nec me vti multarum lachrymarum authorem præ dolore ampliùs insectare. Hæc dixit, simulque complexu patrem tenebat. Quocircà lætitia quædā admirabilis cor illius subijt, ac incredibili gaudio eiusipsius lingua impediebatur. Deindè ad Gregorium oculos fixiùs adijciens, adspectū eius accuratiùs vestigabat, & sagaciter (vt ità dicam) venabatur. Tum ipsum diuū Gregoriū dilectissimum filiū esse certissimè persuasus, hunc vicissìm cōplexus, suauissimè osculabatur, ac cum lachrymante filio ipse pariter præ lętitia lachrymabatur. Cumque à lachrymis paulispèr temperatum esset, Marcus vtrunq; suscipiens, magnas Deo gratias egit, illosq; tota nocte secum habuit. *Tandèm se valdè mœrenti patri indicat.*

Benè autem manè Agrigentini, quibuscum Chariton ac diuus Gregorius erant, Pontifici rursùs assistunt, ac mutuam voluptatem, quam acceperant, repetentes, magnam eiusdem tum vultu, tum habitu significationem faciebant. Pontifex ad ea, quæ consentanea essent, populum hortatus, docuit, vt Gregorio in omnibus illos parére, & ab ipso ali oporteat: Charitoni verò lætitiam gratulatus, filium illi tradidit. Cumque Felicem Episcopum, cuius opera Gregorius in sede locaretur, socium illis adiunxisset, lætos lætus ipse dimisit. Verùm cùm Panormum vrbem appulissent, vir quidam monachus habitu, leprosus corpore, currens, ac Gregorij pedes complexus, multis cum lachrymis ac eiulatu morbi leuationem obsecrabat. Ille, Si credis (inquit) nihil esse, quod Deo non sit per factu facile, eccè in nomine eius sanus esto. Hæc dixit, leprosusque purgatus est. Videntes autem obstupuerūt, ac sublatis manibus, Deū tam admirabilem in sanctis ac gloriosum celebrabant. Hinc ad flumen, vbì Peripolæum emporium erat, proprio nomine sic appellatum, descēdunt. At vbì ciues Episcopos suos cum Gregorio quodam sibi prorsùs incognito, (necdùm enim audierant, quæ circa Charitonem acta essent) reuersos esse resciuêre, turbati vehementer, ac dubitatione pleni, (existimârant enim vnum ex ijs, quos ipsi designârant, electum iri) currunt nihilominùs omnes, obuiamque pasśim illis prodeunt, quibuscum occurrit etiam præses ille, qui monasterium innocenti Virgini Dei matri primus illic nuncupârat. Itaque Gregorio nauim egredienti, obuij cum turba fiunt. Ille populo silentiū manu indicens, positisque in terram genibus, orauit, ac mox templum protinùs petit. *Cap. 34.* *Cū patre & alijs abit in Siciliam.* *Sanat leprosum.* *Populus ei obuiā currit.*

Cæterùm inter ambulandum monachus quidam errore mentis affectus, qui nec loqui poterat, nec aurium omninò sensûs particeps erat, obuiàm illi profectus, eius ad pedes procubuit. At præses procumbentem propellebat, nec sinebat pedes illius contingere. Verùm cùm Gregorius hunc nequaquàm arcere à se præcepisset, vehementer suspirans, commiserationis lachrymas profudit, manusq; in cælum attollens, Domine Iesu Christe (inquit) Deus noster, cæli terræquè creator, qui leprosos coram diuina præsentia tua sanâsti, surdas aures aperuisti, mutos linguæ restituisti, ipse hunc seruum tuum incredibili tua potentia sana, vt nomen tuum sanctum laudibus perpetuò celebret. Sic dixit, & appræhensum monachum confestìm erexit, ac in nomine Iesu Christi, (ait) qui dæmoni surdo ac muto, vt proprio figmento egrederetur, imperauit, perfectè & loquere & audi, Deumque conditorem tuum lauda. Necdùm loqui desiuerat, cùm quod petebat effectum est. nam cui anteà lingua vincta, & auditus vitiatus fuerat, clamare cœpit, Magna sunt Christe opera tua, quæ per hunc virum iustum edidisti. Deindè addidit vir sanctus, Quantum interest temporis, ex quo vox tibi est impedita? Ille nunquàm se vel vocem hominis audisse dixit, vel quemlibet paululùm affari potuisse. Tum monasterij præses octo annos illum agere, cùm ... sus est: cæterùm viginti annos in monasterio commoratum dixit. In hoc ingens præsentes omnes timor incessit, Deusque ab omnibus magnificè celebrabatur. *Cap. 35.* *Curat precib' monachū surdum & mutum. Mar. 9.*

Egredienti ciuitate, magna quædā multitudo, non gregariorū quidem, sed illorum ... i honoribus ac dignitate cęteris antestabāt, occurrit. Eorū enim animos in sublime excerat, cōmouerat, inq; Gregorij amorē vehementer inflāmârat surdus ille, idemque mutus: qui anteuertēs, apud omnes, quos habebat obuios, semper clamabat, seq; ... conē patrati miraculi pstabat illustrem. Cùm igitur Gregorij mater, mulier sancta, ... s filio obuiā pdeuntibus, ipsa cum reliqs senioribus fœminis intra portā ciuitatis sub- *Cap. 36.*

ſubſtitiſſet(nec enim quę filio olìm cōtigerant,aliquatenùs illam latebant: ſiquidem Chariton vir eius non vſqueadeò ſegnis fuit, quin vxorem quãquàm longè poſitam, tam ingentis lætitiæ participem faceret) proindè repentino hoc & admirabili nūcio ſuſpenſis adhuc & erectis animis erat,neque dictis acquieſcere poterat. At vbì filium venientem eminùs conſpicata eſt, faciē agnouit. patri enim puer adhuc exiſtens per omnia (vt non ità pridem perſpicuum factum eſt) ſimilis erat: quin & vir factus, veſtigia ſimilitudinis conſeruauit. Quamobrèm cum filium probè agnoſceret, & anceps nihil ſibi quicquam relinqueretur, quo minùs Gregorius ſuìjpſius filius manifeſtus appareret:tum in lachrymas & cordis gaudiū effuſa,ità planè ſecum ipſa loquebatur: Non tu mendax,non tu (inquam)mendax fuiſti,qui iampridèm hæc mihi dixeras, me hac etiam præſenti vita filium meum cum gloria viſuram: quibus verbis Marcum latenter deſignabat. Porrò filius ſecundùm carnem, qui tum eidem iuxta ſpiritū pater erat, vbì cominùs appropinquauit, matremque ſe agnoſcentem agnouit, eam ſuauiſſimè ambiens,tantumque cōplexatus,(nam quô minùs in his diutiùs immorarentur,tempore excludebantur) vnà cum multitudine templum ingreditur: vbì peractis diuinis myſterijs, Epiſcopus qui hunc in ſedem locatum venerat, ac alij prætereà viri digni columbam, illi quæ olìm cælitùs aduolârat,perſimilem, rursùs è cælo deuolantem, Gregorium adumbrare conſpiciunt.

Mater eius eū agnoſcit

Rursùs è cælo colūba ad illū aduolat

Cap.37.

Hæc vbì tum ab ijs,qui viderunt,tum qui videntes audiêrunt, indicata ſunt, ciuitas non diutiùs cunctata eſt: ſed qualis eſſet ille, probè perſpiciens, quos à dæmone percitos, languidos, vel diuturno morbo detentos habuit, ad illum confeſtìm omnes adduxit: quos Gregorius magnus ſola præcatione ac contactu manuū incunctanter ſanabat. Atque corpora quidem ità curabat: animas verò per hæc affatìm ſanabat, nimirùm dum doceret illos atque oſtenderet,pleraque ex his animi culpa oriri: quo in melius conſtituto,corpora quoquè celeriùs curationem ſuſcipiunt. Inprimìs verò exemplar ſeſe illis vitæ rectè conſtituendæ pulcherrimum ipſe præſtabat,ſic viuens, vt oratio ſuperiùs indicauit, ſeipſum tantum ſupereminens, tantumque vtriuſque vitæ medium agens, quantùm ſibi per dignitatis excellentiam licebat. Poſt hæc etiam viros illis tum ſacerdotes, tum diaconos, à quibus diuina & quæ vltra nos ſunt, peragerentur conſtituit, quos illi intuentes imitanteſque,in viros virtute clariſſimos euaderent. Inter hos ſacros viros complures viri præſtantes fuerunt, in quibus Eraſmus, Platonicus, ac Philadelphus præcipuè illuſtres nituêre, qui cum illo plurimùm verſantes, ac eius vitam,quoàd eius fieri poterat,effingentes ac exprimentes,inſignes & qui maximè apud omnem rempublicam facti ſunt. Hæc ſanè quemadmodùm expoſuimus, ità ſe habebant.

Permultos ægros ſanat

Exemplar ſanctæ vitæ omnibus ſe exhibet.

Cap.38.

Nonnullis pòſt diebus cum D.Gregorius ciuitatem obiret, quô miſeratione paterna ægrotos inuiſeret, alia quidem cùm numero, tum magnitudine maiora, quàm vt oratio complectatur, edita ſunt. Sed vnum, quod auribus veſtris eſt gratum futurum, largiemur. Sabinus quidam preſbyter, filiolam pulchram illam quidem, [illegible] valdè gratioſam habuit, cæterùm morbo diuturno iam oppreſſam, quæ nouē annis mouere ſe nunquàm omninò potuerat. Is cùm beatum virum eâ tranſeuntem audiſſet, illam vnà cum vxore vtì inanimatum quoddam pondus ante veſtibulum expoſuit. (illac enim vir magnus iter facturus erat) Quo illuc appetente, puellæ mater (vt mos eſt matribus) filiæ pulchritudine ac ætate florentis caſum miſerata,tum vehementer flere ac currere, ſeſeque huiuſce patris ad pedes proijcere. Ille quid opùs haberet percontatus, cauſam didicit, eiuſque ac Sabini calamitatem miſeratus, poſitis genibus orauit,dicens: Domine Ieſu Chriſte Deus noſter,nè (quæſo) auertas oculos à precibus ſerui tui, meque hodiè humilem exaudi, atque hanc puellam gratia ac potentia tui ſancti ſpiritûs erigens inuiſe. His dictis,ſurrexit, ac ſigno Crucis puellam obſignans: In nomine Ieſu Chriſti (ait) exurge,& ſta ſuper pedes tuos. Hæc ille dixit, & puella protinùs ſurrexit, atque ſingulares immortali Deo vniuerſi gratias egerūt: aderat enim cuncta ciuitatis multitudo, quæ virum ſanctum ob ea, quæ ab ipſo fiebant, admiratione(vt par erat) perculſa, ſequebatur. Cumque vniuerſam ciuitatem pertranſiſſet, omnibuſque,quæ illis vſui eſſent,proſpexiſſet, ad eccleſiam cum eccleſiaſtico cœtu reuertitur: diuiniſque peractis ſacrificijs, Eccleſiaſtico cœtui, viduis ac pupillis omnibus menſam appoſuit: quibus ipſe,vili accinctus panno,vnà cum tribus diaconis, de quibus mentionem fecimus, Eraſmo, Philadelpho & Platonico, miniſtrabat. Neque verò illius mater ab eiuſmodi miniſterio aberat: quin ipſa vnà cum ancillis

Si is preſbyter Latinus fuit,ex vxore, poſt ſacerdotiū in ſurorē mutata, ante ſacerdotiū filiā ſuſcepit.

Puellam miſerrimā ſanitati reſtituit.

Obſerua humilitatem.

ncillis,quotquot aderant,viduis pedes illarum lauando, ac omne pietatis obse-
uium præstando,ministrabant. In hoc autem Gregorius incumbebat, vt sacris in-
iatos tum ad virtutem,tum ad eloquia diuina meditanda,informaret,eorumque
ensus,quàm commodissimè posset,explicaret.

Sed quandò fieri non potest,quenquam tam sedulò virtutem consectari, vt ho- Cap 39.
is dæmonis declinet inuidiam,instat nunc, vt, quæ illum tentationes inuaserint,
ersequamur. Sabinus ac Crescentinus,quos superiùs à multitudine Episcopos de-
gnatos fuisse demonstrauimus,ambo inito fœdere,conspirant,(diù enim mutuas
multates gesserant) Quousquè nos (dicentes) huic impostori atque venefico sub-
ciemur,qui ignaris ac simplicioribus hominibus admirationem præstigijs ac im-
osturis excitat? An ignoramus quemadmodùm hinc effugerit,& cum quodam Patitur malignos obtrectatores.
ago manserit,à quo nefariam hāc & maleficam artem hausit, qua hominibus in-
ar Simonis illius,dæmon ex hominibus factus,imponit? Nō cernis,vt neq; omni- Act.8.
ò comedat,neque bibat,quod dæmones subindè faciunt? Hæc inter se commen-
ti,secum etiam clericos quosdam asciscunt,&non exiguam populi partem con-
ellunt, fidem inter se & iusiurandum dant, captiosum figmentum, arte, quæ ad
oc illos impellebat,insidiosa dignum comminiscuntur. Nam mulierē quandam Vide malitiam maligni dæmonis.
npudicam, alioquì pulchritudine insignem, Eudociam nomine, conueniunt:
uam pecunia corruptam inducunt contra Episcopum (proh pudor) palàm sese
im illo concubuisse testimonium dicere: quîcum perfida & plena subdoli ac
ersuti animi consilia instituerunt, quatenùs in Episcopum illam insinuarent.
Quarè tempus obseruant,quo vir magnus medijs noctibus vnà cum diaconis illis Medijs noctibus vacat precib' Vir sanctus.
ibus sibi familiarissimis,in templum ad consuetas preces descendere solebat. In-
diatores interim pecunia cum ianitoribus paciscuntur,vt puellam in lectum viri
agni submittere liceat, & ipsi in angulo considunt. Ille solutis precibus, cubi-
ulum petit,librumque manu præhendens, vitam Iohannis Chrysostomi, vt clari
eris,ità moribus & ingenio maximi,attentissimè percurrit.

Porrò puella arctissimo paulò antè somno detenta, neque ipsa virum magnum Cap.40.
scendentem sensit, neq; rursùs ipse puellam vidit. Vndè (obsecro) isthæc inno-
s & immaculata anima suspicari habuit, puellam prout poterat occultari, & lu-
ntem illic latenter coniectam se voluisse? Ille igitur post lectionē ad matutinas Vide laudes matutinas.
udes ire contendit: quibus expletis,vnà cum omni sacro ordine,ac alijs ex popu-
comitantibus reuertitur. Tum hortari illos, ac salutaria monere cœpit, illudq;
oorabat,vt,quod singulis ferè diebus agere consueuerat, eorum animos diuina-
m literarum lectione reficeret. Tum Crescentiniani instàr ferarum agrestium
uentes,puellam arripiunt,eamq; coram populo statuunt,clamore,turbatione,
tumultu omnia implent: Improbe, scelestè ac execrabilis, qui verè nefarij erāt, Vir sanctus eccè quid patitur.
ntra virum omninò sanctum vociferantes, nihil minùs sese multitudini osten-
bant. Cæteri talia videntes,admiratione ac dubitatione percellebātur.Nam mu-
erem illam vitiosam intra cubiculum præsentem cernebāt: vitam verò ac mores
ri præclari,huiusmodi suspicionibus maximè aduersari ac repugnare nouerant.
verò sycophantæ,iniectis in virum sanctū manibus, (ô insaniam detestabilem)
r omnia loca trahebant. Hîc multitudo amaris cum lachrymis pariter lugebat,
rindè àc si quisq; illorum,idem,qui hæc pateretur,existeret.Ità hæc omnes, extra
ucos longè flagitiosissimos, ijsq; exceptis, qui impuri atq; profani coniurationi
nsenserant,de illo grauiter perferebant. Isti enim meliora secuti,figmentum, vt
e habebat,suspicati,tempus ab ea,quo esset in domum introducta, sciscitabātur.
a(vt edocta fuerat)à vespertinis laudibus sub primam ferè noctis vigiliam, dixit.
l hæc cùm Philadelphus Diaconus propheticū illud respondisset,Obmutescant Psal.20.
bia mendacia,quæ veteratoriè in iustū loquuntur,Crescentinus improbus illum Philadelphus volens suum defendere Episcopum,percutitur.
adens percussit. Tum multitudine contra illum confertìm insurgente, parum
fuit,quin crudelissimè necaretur, nisì vir magnus conuersus eos adhortatione
mpescuisset.Se verò tortoribus promptè trahendum exhibuit. At hæc præcipua
usa fuit,vt dum se ipse vtì reum criminatoribus offert, magnam populo suspici-
is occasionem dederit,nè crimen in se recipere videretur, illaque omninò vera
ent,quæ contra se accusatores intenderant,& propterea conscientia illum inte-
or euinceret,vt non solùm pro se aliquid agere, sed ne loqui quidem cōtrà quic-
am auderet. His sanè cogitationibus illorum animi torquebantur.

Cap. 41. Traditur in custodiam vir sanctus.

Intereà verò improbi homines seditione præualētes, virum sanctum domo exturbant, cumque in custodiam tradunt, lignoque pedibus illius iniecto communiunt. Erat autem illa custodia, qua magnus ille Gregorius Lybis, qui pro Christo mortem opperijt, detentus fuerat. Cùm igitur fama apud omnes crebesceret, frequens quædam multitudo pro foribus carceris hærebat: quorum alij manibus, alij pedibus portas perfringebant, nonnulli ferreis vectibus demoliri ac euertere illas aggrediebantur. Non deerant etiam, qui seditione in populo facta, Sabinum ac Crescentinum interficere cogitabant. Verùm cùm Christi discipulus ac imitator

Eius patiētia.

hæc illos meditari sensisset, ex carcere ipsos hortabatur. Nequaquàm vos, filij, (aiebat) tale quicquam in illos deliberaueritis. Auersetur hoc Deus, vt vestrûm alicuius manus & animam propter me tam fœdè conspurcet. Non eousquè, filij, quisquam infelicitatis deueniat. Præstat enim me magis esse perdendum: ideò permittendi sunt, vt in hominem miserum sæuire possint. Ab infringēdis verò foribus ac omni tumultu abstinentes orate, vltionemque à Domino expectate. Quòd si quis vobis negocium facesserit, illic etiam sustinete, mihique hanc iniuriam vigiles mei condonate. non enim contra me feræ istæ deterius quicquam statuent. His verbis satis liquebat, illum mortem non vereri: sed hoc studere, vt dum circa carcerem intenti occupantur, à priori illos indignatione retraheret: simulque ingentis ac magnifici miraculi, quod statim subsecutum est, spectatores cōstitueret. Cùm enim multitudo iuxta viri sancti sermonē foris præstolaretur, ille intùs positis genibus ora-

Cælesti lumine & angelica visitatione cōfirmatur.

bat, & pro omnibus Deo gratias agebat. Porrò intempesta nocte lucē clarissimam, quæ totum carcerem circunfulsit, ad ipsum consolandum Deus cælitùs immisit, eidemque Angelus assistens, catenas, quibus vinctus erat, perfregit: cumque verbis confirmâsset, illum, quô maiorem beneuolentiam indicaret, cōplexus est. Ille quidem hominum obtutus oculorum effugerat, cæterùm ianuæ carceris sua sponte apertæ sunt. Qua re animaduersa, tam ingēs populum admiratio subijt, vt lachrymæ præ gaudio ac admirando facto posteriùs elicitæ, superioris lachrymas luctus exciperent. Stupore igitur ac lætitia pleni, ad pedes magni viri procumbūt, dicentes: Nunc Deum tecum esse cognouimus: simulque paratiores ad rectè facta constituti, omnia pro ipso & pati & facere hilariter decreuerunt.

Cap. 42. Eius æmuli viso miraculo nihil de pertinacia deponunt.

Ac Sabinus Crescentinusque scelestissimi repentè confossi ac iugulati fuissent, nisi rursùs vir ille verè diuinus eos mox multùm obsecrâsset, grauiterque terruisset, cædis incōmoda, & mala, quæ indè imminerēt, ob oculos ponens. Extremum illud addens, si tantum facinus auderent, oportere vt sese primùm interficerent, ac sic postremò illos inuaderent. Vix his verbis eorum impetum sedauit. Sabinum autem ac Crescentinum accersens, vt ea quæ gesta essent cernere ipsis liceret, Cur me obsecro (inquit) hìc inclusum detinetis, cùm in me necis habeatis potestatem, vel publico damnatum iudicio, quoquouersùm in exiliū mittere liceat? Illi cum hæc omnia audirent, & factorum testes ipsi sibi essent locupletes, conscientia alioquì sua transfixi, nihil minùs de pertinacia & duritie remiserunt, tantamque verborum mansuetudinem, quòd post tot tantaque signa, erga illum admirabiliter edita, se proprij corporis dominos faceret, non magis, quàm qui minimè, reueriti sunt: quin præfractè valdè ac arroganter illi dicebant, epistolas se de illo Exarcho principi dedisse: sed venturum illum, accurateque de illius crimine quæstionem habiturum. Idque ità factum est. Nam cùm Exarchus aduenisset, ac in media ciui-

Sistitur coram Exarcho.

tate pro tribunali agens ius diceret, Sabinus vnà cum adultera illi se sistunt. Sanctus quoquè custodibus ac apparitoribus, pleraque itèm populi multitudine comitatus deducitur. Hi coram Exarcho vocem tollentes, cùm alia Gregorij admiranda facta persequebantur, tum, quemadmodùm Sabini ipsius filiam tot annis iacentem redditam sanitati patri restituerit, dixerunt, & quem Iudam alterum appellabant, hunc benefactorem suum non secùs, vt ille fecit, maleficijs compensare. Illud prætereà addebant, quod de custodia nupèr acciderat: quod cùm tam magnum præsertìm esset, ne illi quidem necessitatem sui excusandi tribui oportere: alioquì si sine concilio iudicarentur, fore omnium iniquissimum afferebant. Hęc multitudine conclamante, Exarchus palàm perterritus est. Quocircà de sede sur-

Exarchus eū remittit ad summum Pontificē.

rexit, dixitque ad Pontificem Max. quô de hac tota causa cognosceret, referre oportere. Vt tamen, cùm illuc accesserit, aliquid relatu dignum habeat, Sabinum ac Crescentinum adesse iubet, puellamque coram ipsis percontatur, an ea, quæ illi de eius-

eiusmodi homine nunciârant, vera omninò essent. Illa vera fatetur. Quo dicto, puro afflata spiritu, humì trahebatur, confestimque iuxta viri sancti prostrata des miserabilis, dentibus stridens, atque ore spumas agens procumbebat. Tum s qui aderant, tantus repentè terror inuasit, vt nihil prætereà in fidem dictorum Exarcho quærendum esse arbitrarentur, præsertìm qui erant sana mente, neque imo valdè cæcutiebant. Sabiniani verò improbi sycophantæ virum insignem nil veriti, cauillabantur, aiebantque: Quid alijs testibus indigemus, quandò de luntate sua Deus nos tam manifestè certiores faciat? Omnia præstigijs adscribe- nt, & miraculorum vim diuinam, imposturam appellabant. At Sabini vxor vnà m filia, quæ cæca surdaque paulò antè fuerat, ac plerique alij ex ijs, qui sanati fu- ãt, ad beati viri pedes sese flentes proiecêre, & nè contra se ob aliorum conuicia petulantiam, impiorumque maledicentiam acceptarum iniuriarum indigna- onem exereret, obsecrabant. Porrò eadem Sabini vxor, iusta de causa indigna- virum suum toruè adspicere, ac acriter increpare cœpit, & dicere: Hinc facesse ēleste, mihi & tibijpsi pariter insidiator. Hæccinè homini benefico, deque nobis ptimè merito, qui solo sermone filiolam nostram sanitati restituit, benefi- a rependis? Neque te, infelix, talia contuentem nunc vlla cogitationum istius- odi subit pœnitentia? Hæc cùm mulier persequeretur, Sabinus colorem muta- t, seque in terram abiecit, vocis omninò expers factus: vsque eò diuina sese vin- cta extulit.

Cælestis vltio in fœminam mendacem.

Itèm in Sabinum calumniatorem.

Cap. 43.

Ex quo verò Exarchus nihil vltrà contra se statuendum habuit, rursùs vir beatus custodiam coniectus est, donèc vniuersa hæc Pontifici Max. perspecta fierent. æterùm ille præibat, & vniuersus populus subsequebatur, hunc quidem maxmis udibus, quadruplatores verò illos innumeris contumelijs prosecutus. Iam verò esper aduenerat. Proindè cùm iam esset decretum, virum sanctum ad Pontifi- m mittere, visum est Exarcho intempesta nocte, vniuerso populo dormiente, r portam, qua tenditur ad mare, hunc clàm è ciuitate deducere. animaduerterat im multitudinem id, si resciuisset, non permissuram: quod sanè ex sententia ce- dit. Nã occultè ciuitate egressus est. At parentes eius (neq; enim quod fiebat igno- bant) filiũ flentes ac lamentantes sequebantur: & licet ex ijs, quæ præcesserãt, quis orũ futurus finis esset, vti eiusdem familiares, probè conijcerent, nihilominùs, vt rentes, rerũ incertitudine corde nutabant. Verùm diuinus vir flere illos prohi- ebat, tutoque ac læto animo esse hortabatur. Vbì verò litus propiùs contigit, eos pro se orarent, precatus, alacriter nauem conscendit. Porrò Platonicum secum abuit, prætereà neminem: qui & ipse, quæ ad nauigationem necessaria erant, ei- em instruxerat. Cùm verò iam se nauigationi esset commissurus, multùm de cclesia, deque grege illos implorata fide obtestatus est: nempe pro omnibus, in nibus contra ipsam sæuire ac grassari perrexerint, Deo rationem esse reddituros. i ne sic quidem à nequitia temperârunt sua: siquidem nec Exarchus ipse in eius usa à nequissimis illis hominibus quicquam ferè distabat, cùm alioquì à delatori- is tum iudex esset delectus. Nullum tibi posthæc (dixit) Gregori liceat de Ecclesia rmonem habere: virum enim eiusmodi in tuî locum surrogauimus, in quem aduersarij quidem aliquid habent culpare. Hæc autem de Eleusio quodam hæ- etico dicebat, qui in Oriente sæpenumerò cum Gregorio de admirandis dogma- bus, deque munere, quod Christus, Dei patris in terris legatum agens, obierat, cerrimè disputârat, cùm nihilo seciùs planè repressus ab eo ac victus fuisset. Hic mpridèm eidem admirabilis habebatur, isque tum apud ciuem quendam latita- at, qui delatoribus coniunctus, hanc contumeliæ potionem Gregorio callidè ommiscuerat, illisque omnem actûs scenam, hoc est, flagitij materiam atque sub- ectum ministrârat, cui tum illi Episcopatum concrediderant. His dictis, nauiga- onem ille subijt. Agrigentini verò viri principes vnà cum reliqua multitu- ine, cùm custodiam summo manè facto agmine petijssent, neque Gregorium re- érissent, turbare omnia, commiscere, ac lamentari cœperunt. Existimantes au- em illum clàm de medio sublatum, tumultum ac seditionem contra Exarchum, iusque assessorem molestissimam excitârunt. Ac primùm quidem Sabini ac Cre- entini sycophantarum domos incêdunt: deindè illosipsos interficere adoriun- ur: sed ij ad ecclesiam fuga sese recipientes, periculum declinârunt. Verùm Cha- iton turbæ illos insequentis vestigijs insistens, effecit, nè intra templum iugula-

Romã proficiscitur, illic causam dicturus apud Pontificem.

Eleusius hæreticus ei substituitur ab æmulis.

Pietas Charitonis in filij sui æmulos.

rentur, vix illos magno cum clamore ab eiusmodi petitione ac insultu comprimens. Itaque seditionem eiusmodi finis excepit. Cùm verò vir sanctus Romã peruenisset, Pontifex Max. acceptis ab Exarcho literis, iisque quæ ab ipso scribebantur cognitis, admiratione ac ira plenus, non est passus virum sanctum suijpsius adire præsentiam: quin etiam indicta causa tractum illum atque contumeliosè illusum, manibus prætereà pedibusque catena vinctum, in carcerem cõijciendum imperauit. Cæterùm ille ludibrio tam turpiter habitus, in carceremque ac vinculis mancipatus, nihilominùs omnibus in rebus suî similis esse perrexit, atque contumelia in magnam agendarum Deo gratiarum occasionem vsus est. Vt verò consolationis, tot circunseptus molestijs, magìs expers esset, ne Platonicum quidem diaconum in custodia cum ipso esse permiserunt: sed alibì quodam in loco captiuum illum detinent.

Cap. 44. Nocteorãs, multa luce cingitur, & visione cælesti confirmatur.

Intereà dum vir beatus vincula pateretur, precibusque, vt illi moris erat, medijs noctibus inuigilans, excubaret, lux eum ingens circunfulsit: & eccè tibi viri duo, forma cultuque corporis Apostolos referentes, assistunt, eumque his verbis affantur: Salue Christi famule, nobisque dilecte Gregori: Dominus idcircò nos misit, vt te vinculis, quibus iniustè illigatus es, solueremus. ac nos quidem ob constantiam ac patientiam tuam huc, te vt lætum redderemus, accessimus. Oportet enim & hanc vrbem multis abs te signis editis frui. Hæc simul àc locuti sunt, vincula tetigerunt, quæ ab eius manibus pedibusque repentè ceciderunt: mox Gregorium assurgentem, trementemque, necnon gratias agentem complexi, abeuntes ex oculis eius elapsi sunt. Deindè ad Platonicum accedentes, ac ipsum soluentes, eò vbi Gregorius erat, deduxerunt, ibique illum reliquêre: qui non aliter, àc si hæc ipsa per quietem vidisset, postquàm ad se redijt, Gregorium intuitus, admiratione ac gaudio affectus est, moxque in agendis Deo gratijs totus est conuersus. Prætereà hac ipsa hora aliud contigit. Nam custos carceris filium iamdiù impuro afflatum spiritu habuit, quem columnæ illigatum, propè à suis ædibus obseruabat. Tum verò dæmon, quo erat correptus, fractis vinculis puerum impotenter impellens, viri sancti pedibus illisit, atque illum à precibus exturbauit, clamansque ac se volutans, ex ore spumam agebat. Ille verò ne sic quidem ab orando cessans, quin potiùs oculos ac mẽtem in cælum tollẽs, eius qui spirituum legionem profligare potuit, auxilium implorabat. Deindè manu super ægrè affectũ imposita, vti nequam seruum dominus, dæmonem profugere coëgit. Atque hunc quidem in hunc modum à dæmone liberauit.

Marc. 5. Pellit dæmonem ab homine.

Cap. 45.

At verò custos carceris cùm somno solutus surrexisset, neque filium columnæ illigatum vidisset, existimans hunc à sæuissimo spiritu lapidibus allisum, aut aquis præfocatum esse, flere amarissimè cœpit, faciemque percutiens, illum vti mortuum lamentabatur: carcerem autem accuratiùs perlustrans, ac eius patére ianuas, lucem prætereà ipsam cernens, capillos tum lacerare, eque capite conuellere, faciem itèm plangere, putans virum sanctum profugisse. Posteà verò quàm introspexit, ac illum inibì vnà cum Platonico canentem consistere nõ solùm, sed etiam filium eius decoro ac prudenti adspectu prope illum positum vidit, eius animum stupor inuasit, ac verum coniectans, virum iustum admiranda hæc edidisse, accurrens, eius pedibus prouolutus, eidem tanquàm de se optimè merito partim gratias agebat, partìm veniam pro ijs, quæ gesserat, impositis illi vinculis postulabat. Exindè multo cum timore sancto viro ministrabat, eique omne obsequij officium præstare sedulò nitebatur. Increbrescente igitur fama, & vbiquè vagante, mulier quædam, claris orta natalibus, filiolam humì prostratam habens, hanc secum arripiens, virum sanctum in custodia petit, illiusque complexa pedes, Miserere, inquit, filiæ meæ, quemadmodùm & Christus, cuius es imitator, mulierem contractam ac inclinatam olìm erexit. Ille hoc solius esse Dei respondit. Verumenimuerò (inquit) cùm te vberem ac locupletem fidem habere videam, (omnia siquidem fidelis præstare potest) aptus (nec id sanè immeritò) fidei tuæ finis subsequetur. Cùm ità locutus esset, puellæ manum oraturus imponens, confestim eam sanitate donauit. eam mater sanitati redditam hilariter accipiens, gaudio perfusa, immortales Deo gratias agebat, rectaque cum ipsa domum perrexit. Pleraque id genus alia Gregorius carcere adhuc detẽtus edidit. Hic cùm omnem eius ætatem ibidèm constantissimè victurus esset, Pontifex Max. quæ in illum iactatæ fuerant

Luc. 13.

Sanat contractam.

Multa edit miracula in carcere vir sanctissim⁹.

contu

contumelias reminiscēs, Marcum, quem aliâs sæpè memorauimus, accersiuit. Qui cùm præstò affuisset, non sine indignatione omnia contra Gregorium acta narrauit, quemadmodùm in adulterio depræhensus, vinctus ad se perductus, inque carcerem à se detrusus fuisset, vbi hactenùs custodijs septus, patienter perdurat. Tum Marcus ingemuit vehementer. Nouerat enim, quæcunque in illū dicerentur: perspectos ac exploratos illos habebat, qui hæc contra Gregorium confinxerant, simulque ab his persuasos deplorabat, neq; quicquam aliud aiebat, quàm, O vtinàm Domine partem & mihi liceat vnà cum ipso adire calamitatum, quandò ad communis iudicis subsellia staturi sumus. Hunc sermonem cùm Pontifex audîsset, vel eiusmodi verbis grauiter offensus, epistolam in Gregorium scriptam eidem ostendit, vt non temerè se aut incōsultò persuasum excusaret: sed ijs literis tanquàm testimonio benè locuplete rem tam nefariam iniudicatam noluisse. Perlecta autem epistola Marcus, ac velut ea, quæ scripta erant, irridens, rebus ipsis (inquit) ô Domine, isthæc conuicia sunt expendenda, diligenterque quisnam iustitiam sequatur, disquirendum. Tum tibi liquidò patebit, qualis vir sit iste, an scortum aut aliud quid, ne plura dicā, depereat: agnosces & ipse protinùs, si voluëris, & iam cognouisti. Eius orationem Pontifex interpellat, se, quæ ille dicturus esset, scire, nempe magnam erga illum Dei beneficentiam extitisse, sed illo fœdè labēte, pessùm quoque ipsam abijsse. Et hæc ille quidem vt humanus, cùm rem vt erat, non perspiceret, neque cor (vt sermo diuinus habet) intueretur. *Marcus S. monachus stat à beato viro.*

Deindè cùm, quidnam de Gregorio esset statuendum, Marcum in consilium adhibuisset, ille consilium dedit, non absque magno sacerdote, excelsæ, inquam, ciuitatis, eiusque Rege iudicandum esse. Propterea illum dare operam oportere, vt delatores ipsos cum mandatis remitteret, simulque mulierem, cuius stupri insimulabatur, ac eum, quem in eius locum sacerdotem substituerant, necnon mandatores omnes Byzantium deducendos curaret, eaque quemadmodùm sese habebant, quæ contra quenque dicenda essent, perscriberet. Hæc cùm Pontifex Max. vtilia iuxtà àc consentanea omnia censuisset, hinc mittit, tum qui delatores è Sicilia profectos, ad quæstionem ac iudicium abducerent: tum qui literas Patriarchę ipsique Regi Constantinopolis afferrent. Hi autem duo erant Episcopi, qui anteà Synodo etiam interfuerant. Porrò Rex, itemque Patriarcha, acceptis ac perlectis eiusmodi literis, falsum & omninò incredibile crimen, cuius Gregorius insimulatus fuerat, iudicauerunt. Quocircà Rex quendam ab regio armamentario per sanè familiarem, Marcianum nomine, vnà cum Episcopis Romam remisit. Patriarcha itidèm Ancyræ, Cyzici ac Corinthi præsules, quibus accessit Constantinus, quem plerique à libellis appellabant, cuius mentio superiùs est facta, simul destinauit: mandantes, vt hi ad latam vsque sententiam, quæstionemque persolutam, Gregorium secum haberent. *Cap. 46.* *Episcopus Cōstantin. & Imperator fauēt viro sancto tā quàm falsò delato.*

Ij cùm Romam adijssent, contigit Marcianum grauissimo morbo afflictari, ità vt spem de illius vita medici omnem destituerent: cuius rei causa ingens Episcopos dolor inuaserat. Mox cùm omnem curam fata vincerent, extremumque spiritum anhelaret, ac sole ad occasum vergente, ipse lucem hanc relicturus videretur, ea mulier, cuius filiam morbo correptam Gregorij precibus curationem nupèr accepisse diximus, illàc vbi Marcianus in lecto decumbebat, præteriens, seruorum plangentium ac lamentantium flebilem ac luctuosam vocem audiuit: cuius causam percontata, gratiam non celauit, sed palàm beneficentiam euulgat, & quæ ipsa admirabilia in filia sit assequuta, illis annunciat, seruatorisque præco, & rei gestæ restis classicus constituitur. Eià agitè (inquit) filij, fletu represso, mihi obtemperate, ipsumque ab ipso lecto tollentes, alacriter me sequimini. virum enim mihi ab experientia benè cognitum vobis ostendam, qui vos à luctu facilè vindicabit, & dominum vestrum multa cum celeritate sanitati restituet. Eius sermoni serui parent, dominumque repentè tollentes, iuxta custodiam, vbi Gregorius erat, deponunt. Quem ille ardentissima febri commotum & inflammatum adspiciens, miseratus est hominem, lectumque lachrymis irrigabat. Cæterùm semèl illum atq; iterùm vocans, (cum nanque vox atq; sensus defecerat, nec quicquam loqui poterat) manum quidem illi vir diuinus adiecit, mente verò totus in cælum erectus, faciemque suam & ægrotum lachrymis perfundens, Deum obsecrabat. Atquì preces somnum peperēre, somnus ægroto salutem attulit. Cùm enim quinque supra viginti *Cap. 47.* *Marcianus Imperatoris legatus in grauissimum morbum incidit* *Precibus sanat hominē à medicis planè despe ratum.*

ginti dies insomnis duxisset, arctissimus tū illi somnus obrepsit. Serui verò, qui medijs eidem noctibus assistebant, febrim recessisse, & ægrotum conualuisse repererunt. Hos vir sanctus monuit, de recepta sanitate gratias Deo habendas esse: ipse interim precibus ac vigilijs vacabat. Marcianum iucūdus denuò somnus complexus est. Circa verò matutinas laudes, orante viro sancto, Marcianus lecto prosilijt, & qui se sanârat, ex se perspiciens atque cogn[illegible]cēs, eius ad pedes prouolutus, illos amplexabatur, verbisque quibus poterat gratiosis beneficium in se sanitatis, quod erat maximum, munerabatur. Subindè verò stans, laudes, quæ reliquæ erant, cum illo simul prosequebatur. Vbì verò dictio laudum, finem accepit, sedentesque loqui cœperunt, mirabatur autem Marcianus, quonam modo vir beatus illic conclusus esset, & quomodò silens carere sese lumine pateretur, cùm alioqui obseruantem se, ibique inhabitantem grauissimè posset offendere? Et hæc quidem illi inuicèm loquebantur.

Cap.48. Porrò Episcopi, qui ab Rege cum Marciano missi fuerant, vt Gregorij causam quæstioni atque iudicio subderent, domum vbì Marcianus diuersabatur profecti, cùm illum minimè inuenissent, supremo fato concessisse, hominemque sepulcro conditum existimantes: sciebant enim (vt verbis vtar scripturæ) ægritudinem eius grauem esse: tulerunt grauiter & acerbè, luctuque ac squalore obsiti, amici obitum deflebant: ad quam quidem calamitatem non exiguam accessionem faciebat, quòd arbitrabantur hoc Regem iniquè admodùm esse laturum. Cumque ità viri isti mœrore conficerentur, eccè tibi vnus ex Marciani ministris, cursu rectà custodiam petens dolorem omnem absterfit, lætum illis nuncium afferens, dum omnia tum medicum, tum curationis modum singillatim percenset, addens etiam locum, vbì etiamnùm mutuò loquebantur. His auditis, ad custodiam multa celeritate contendunt. quò cùm peruenissent, ingressi, ambos virum eximium cum Marciano sedentem offendunt. Ipsum autem agnoscentes, iuxta pedes illius humì procumbunt, rogantes, vt qui cōmunem cum illo à Christo potestatem accepissent, precationis quoquè efficacia potirentur. Assederunt & illi, Gregorium cùm alijs de causis admirati, tum quòd tam mansuetū ad calumnias se præstaret, tum etiam quòd obscurus ille ac tenebrosus carcer thalamo cuidam pulcherrimo persimilis videretur. Interrogantes igitur, ex quo tempore in vincula fuisset conicctus, vnum atque alterum annum, quatuor prætereà menses esse intellexerunt. quod illi ægrè admodùm tulerunt, nimiamque Pontificis crudelitatem improbârunt.

Eccè quāto tēpore carceris squalores pertulerit vir sanctus.

Cap.49. Cæterùm cùm ij virum sanctum carcere emittere molirentur, ipse prohibuit, idque se, nè quam accusatoribus ansam præberet, facere dictitabat, néve vituperationis alicuius ipsi sibi notam inurerent. Pontificem subindè cum Marciano petunt, qui ordine omnem illi miraculi seriem edisserit, quemadmodùm in morbum, quo propè extinctus est, ipse incurrerat, qualemque fuerit ab ipso curationem assecutus. Hæc illum audientem pœnitentia secuta est, & quæ in virū sanctum temerè admiserat, suî acerrimus accusator factus, reprehendebat, faciemque simul cum consilio mutauit. Vidisses illum animo vehementer esse commotum, & graues à se, tanquàm eius criminis authore, pœnas exigere. Quoniam verò cum accusatores anteuerterunt, Agrigentini quoquè tum principes ciuitatis, tum plebeij quamplurimi, cuiusq; cunque ordinis viri frequentes vnà simul syncera fide obligati aduenerant: audiētes vbinàm vir sanctus vinctus detineretur, ad illum maturant celeriter proficisci: & tanq̄ filij charissimi eum, qui sibi pro tempore dilectissimus pater extiterat, intuentes, maiori quo poterāt honore ac reuerētia prosequebantur. Sed cùm omnes eius circumplecti aut tenere pedes nequirent, longè positi se inclinabant, & tum verbis, tum lachrymis solum illud venerabantur, nimiamq; in illū amoris vehementiā præ se ferebant, dicentes: Pater, Pontifex, & seruator, nè nos deseras, neq; nobis paucorū prauitas vniuersæ multitudini fraudi aut vitio detur. Multus nunc tuî causa luctus vrbem immutauit: lugent orphani, tristantur viduæ, pauperes lamentantur: qui corpore sunt malè constituto, quique animū malè affectum habent, alij patrem, alij præsidem & patronū, nonnulli benefactorem, plurimi tum animi tum corporis medicum inquirunt & repetunt. Et hæc quidem est præsens ciuitatis facies, quæ tanquàm ingenti terræ motu concussa, vel turribus iure belli deiectis, despecta iacet. Hæc, si te in vrbis conspectum dederis, omnia restitues,

Non vult educiè carcere.

Agrigentinorum mirum erga eū studiū & reuerentia.

restitues.Illi autem,tantùm si volueris,illucesces. Nos siquidem omnes tecum viuere,tecum mori parati sumus.Hæc quidē multitudo,vti impotenti illius flágrans desiderio,dicebat.

Coacto verò ad ædem diui Hippolyti concilio,qui locus proximus erat carceri, adcrant propè centum ac quinquaginta Episcopi,quorum nonnulli ab Oriente venerant,inter quos Constantinus à libellis,magni Archipræsulis vices obibat.Indigenæque monachi omnes in ordinē redacti,ordo itèm Ecclesiæ vniuersus, necnon reliqua ferè omnis vrbis multitudo,illuc cōfluxerat.Omninò autem Marcus, ac alij prætereà quinq; sacerdotes, qui Gregorium accersant,eumq; iudicio cōcilij sistant,destinantur.Qui cùm præstò affuisset,in terram tèr se inclinās, reorum more substitit.Porrò præsules quicunque paulò clementiores erant,dum quæ agerentur,intuebātur, lachrymis oculos perfundebāt.Impuri quoquè delatores vnà cum Sabino ac Crescentino,decem supra centum assistebant,quos Pontifex Max.more ius dicentium interrogauit,nunquidnam haberent, quod Gregorio possent vitio vertere, quodque crimini nomen esset. Illi lasciuiam atque libidinem obijcere asseuerabant: quorum orationem Pontifex interpellans, Vósne(inquit)ipsi vidistis, an mulierem id audîstis dicentem? Illi verò commenti principium ordiētes,Nos quidem(dixerūt)cùm ingrederemur ad ipsum, Deum de more circa auroram laudaturi & adoraturi,hancque in eius lecto cubantem inuenissemus,compræhendimus.Cæterùm ipsa quoquè(vt par erat)quæsita,rem nobis atque adeò Exarcho ipsi, multis præsentibus,perspicuam fecit. Horum nos nihil aliud scimus, nisi quòd ex quo tempore tam indignum scelus admisit,spiritu illa nequam pércita, hucusquè grauissimè torquetur. Ità audaces ac proterui,subdolique versuti dæmonis imitatores,quibus artibus ipsi calumniam texentes plurimùm capere ac irretire consueuerant,ijsdem ipsi mendacium munire suum cogitauerant.

Cap.50. Synodus Romana 150. Episcoporum.

Vide singularem impudentiam illorum viri Dei.

At præsules illi,præstantes inuictique veritatis propugnatores, Hæc profectò si vera essent,aiebant,contrarium magis sequi oportebat,ac scelus quidem celātem & inficiantem sæuè à dæmone pro pœna supplicioque torqueri,à confitente verò crimenque deprecante, & Deum iram cohibere,& dæmona,etiamsi prior inuaserat,abigi consentaneum erat.Sic aptè porrò dum expedire sese volunt,sua ipsi calumnia lapsi magis induunt. Tum ipsam puellam,quæ adhuc faciem immutata à dæmone vexabatur, in medium statuunt.Hanc delatores interrogari permittētes, ad Gregorium sese recipiunt,vt illum quæstionibus obiectis confunderent.At ille multùm suspirans,Dauidis illa verba respondit: Insurgentes aduersùm me testes iniqui,quæ ignorabam obiecerunt mihi: mala mihi pro bonis rependebant. Quæ simul àc dixisset, puella humi trahitur,& à dæmone vt cùm maximè laniata, iuxta viri sancti pedes proiecta,ex ore spumam emittens,volutabatur: Gregorius verò, vt qui benè inimicis precari didicerat,oculos quidem in cælum, mentem verò ad cæli opificem tollens, ac labra cordis silentio mouens, Deum imis singultibus obsecrabat, tumque omnes in illum oculos intendebant. Post preces autem puellæ oculos adijciens, In nomine (inquit) Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi,eius mandatis obtemperans,exi dæmon impurissime,vt puella resipiscēs,verum de me fateatur. Porrò spiritus, cùm eam priùs dilaniâsset, confestim egressus est, ipsaque non secùs àc mortua iacebat.

Cap.51.

Adducitur in mediam synodum puella.

Psal.34.

Expellit dæmonē à puella impudentissima.

Gregorius igitur statìm manu appræhensam erigit,ac stantem,verba quæ Constantinus fecerat,interrogauit,quodnam esset illi nomen, isq; illi cognitus omninò esset Agrigentinorum vrbis Episcopus.Illa Eudociam appellari se, illum verò probè cognitum habere dixit,quandoquidem sæpenumerò gradientem,ac mendicos ciuitatis inuisentem, viduis itèm ac orphanis victui necessaria suppeditantem viderat: Quandò & ipsa (inquit)infelix vna ex ijs,quibus ab eo benignè fiebat, existebam.Rursùs autem interrogabant,num amatoriè illū agnouisset.Hîc,illa amarè ac miserabiliter ingemiscens,oculos suffusa lachrymis,voce ità vt omnes exaudirent,inclamauit: Iuro tibi per Dominum Deum,me nunquàm homini illi in voluptate fuisse.Sed isti(Sabinum ac Crescentinum indicans)isti, inquam, me magna pecunia decipientes, pro testimonio in virum sanctum dicere persuaserunt: quibus Dominus ob hæc,quæ circa me iniustissimè cogitârunt,rependit,vt animæ quidem interitu,corpore verò insania exitiabili duos iam annos,menses sex implicati tenerentur. Hæc effata,Episcopos omnes circunspiciebat: videns autem Gregorium,

Cap.52.

Incidērunt in foueā sceleſti,quā sancto foderūt

um,ipſumq́ue cognoſcens, feſtinanter ſeſe illius ad pedes proiecit,lugensq́; vehementer, voces maximè miſerabiles emittebat: deceptionem,calumniamq́; in virum ſanctum multùm deflens,veniam ſibi dari flagitabat.Ille luctũ eius miſeratus, eandemq́; illi animi affectionem ineſſe cernens,Peccata quidem condonare, (inquit)ô mulier,non noſtrum,ſed ſolius eſt Dei.Horum igitur ille,itemq́; omnium, tibi veniam dare poteſt.Ego verò,quæ meæ partes ſunt,pro te orabo,& tibi, quæ in me peccâſti,lubens remittam. Idemq́ue ilicò in preces incubuit,Deusq́ue illi propitius fuit: mox manu illam appræhendens,erexit.

Cap.53. Dum hæc aguntur,admiratione omnes ſtupefacti,Gregorio tanquàm ſupra humanam naturam euecto,in poſterum hærebant.Hunc exitum illo die lis & cõtentio nacta eſt: in hisq́; Concilio dimiſſo,mulierem clementia iudicum inultam habuit: delatores verò in medium ſtatuunt,vt grauius illis ſupplicium Pontifex maximus irrogaret.Indignabatur enim ſe ab illis pariter eſſe deceptum. Proindè illos primùm offenſis animis & grauiſſimis verbis excepit,ac cùm alia ipſorum acta perſequutus,tum inprimìs multa ac varia Gregorij miracula,quæ fuerant in oculis eorum edita,illis grauiter exprobrabat: ac vt à principio quidem ſanctum ſpiritum eius caput adumbrantem,poſteà verò ſurdo eidemq́; muto ſanitatem afferentem viderant,alia prætereà,quæcunque vir verè diuinus admirabiliter prę ſtitit,percenſebat, in ipſumq́ue præſertìm Sabinum acriùs inuehebatur,cui neque filiæ curatio linguam compeſcuit,nec à maledicentia vindicauit: quin potiùs tam tuliſſet acerbè,vt virum de ſe optimè meritum,totq́ue curationum beneficia,ingratitudine ac contumelia compenſaret.Hæc ille loquutus,iuſſit Felicem Epiſcopum omnia,quę tum viderat,cùm ad virum ſanctum in ſede collocandũ eſt miſſus,ſingulatìm percenſere. Felicem igitur omnia narrantem cùm Epiſcopi audìſſent,admiratio illos ac ſtupor inuaſit: nihil enim horum vnquàm audiërant.

Delatores eius Pontifex grauiſſimè obiurgat.

Cap.54. Cæterùm delatores nihil habentes,in quo vel os poſſent ad hæc aperire,ad luctũ ac lachrymas confugientes,illa quouis ſermone veriora,ad maledicẽtiam ac contumeliam detegendam affirmabant. Quamobrèm conſcripti Patres illos inter ſe diſgregãt,& alios quidem ex imperita multitudine ad octoginta ab vna parte conſtituunt,Eccleſiæ verò miniſtros,ſacrisq́ue ſolùm initiatos,ad triginta ab altera ſtare iubent.Atquì Sabino ac Creſcentino exilij mulcta ſtetit, vt hic quidem in Thraciam,ille verò in Hiſpaniam exules mitterentur.Cæteri verò Eccleſiæ miniſtri Rauennam relegati ſunt.At quæ ad Eccleſiam pertinebant,ità peracta fuêre. De prophanis verò cognoſcere ac iudicare Marcianus eſt iuſſus: qui eos ſtatìm in carcerem conijciendos,varijsq́; cruciatibus ſubijciendos imperauit.Quarè cùm illos milites raperent,lachrymis ac lamentis denuò ſe dedentes,viri ſancti enixè auxilium implorabant.Hos porrò ille audiens, vehementiùs,quàm qui hæc erant perpeſſuri,animo conflictatur: protinusq́ue miſericordia motus, lachrymis genas irrigabat,faciemq́ue percutiebat.Aliâs quidem ipſi Pontifici,ſeſe illius ad pedes proſternens,ſupplicabat: aliâs Epiſcopos alios,demiſiſſimè ſe inclinans,obſecrabat,dicẽs: Nè,quæſo,Patres,nè id contingat,vt tam diræ calamitati homines mea cauſa ſubijciantur.Nam hoc quidem ſtatuo,non pręteritorum pœnam,ſed ſupplicium eſſe. Ego enim ſatìs habeo Deum à me, cùm innumeris alioquì ſim obſtrictus delictis, nullas pœnas expetere,neque tot inuſtum maculis, fœdatum atque corruptũ vulgò oſtendere voluiſſe.Et hæc porrò ità ſe habent.

Sabinus & Creſcẽtinus exilio mulctantur,itẽque alij.

Cap.55. At ſcelerũ vltor Deus,haud ſegnis vindex iuſti fuit. Poſtquàm enim viri magni ſuaſu imperatum eſt,nè in eos,qui rei facti,ſupplicijs addicti fuerant, vltrà deſæuiretur,ipſiq́; vnà ſimul conſiſterent,repentè nimbus,tenebræ,necnon atrox ventus terræ nimio flantis fragore miſeros inuaſit,tantaq́; obducta caligine illorum adſpectus oppreſſit,vt terram in ſeipſam euerſam atque colliſam, hos non aliter, atquè Dathan olìm & Abiron, deglutire dixiſſes.Qui verò præſentes hæc intuebantur,manus in cælũ tollebant,nihilo illis ſecundiorem,quàm quæ Sodomitis olìm acciderat,fortunam fore ominati ſunt.Non multò poſt caligine turbineq́ue deſinente omnes, quanquàm non æquè, nigri facie apparuêre. Alij ſiquidem alteram genam, ambas alij nigras habent: Sabino verò ac Creſcentino non modò facies, verùm etiam labia atro colore infecta ſunt relicta, vt nec illa conſtringere, nec ijs omninò quicquam loqui liceret. Sic diuina iuſtitia acerbum de iniuſtis ſupplicium ſumpſit. Ad hæc cunctus ſenatus acclamauit: Nunc agnouimus,

Vir ſanctus delatoribus impetrat veniam,ſed diuinam vltionem nõ euadunt. Num.16. Gen 19.

mus, quòd Dominus vnctum suum seruauerit, & exaudierit eum è cœlo suo sancto, Psal. 19. quodque in potentia dexteræ eius est salus. Hæc cùm locuti essent, Gregorij genua complexi, ardentissimè pro illis obsecrabant. Contrà verò ille magis ad cuiuslibet pedes procumbebat, seque miserrimum omnium, Dauidis illa verba locutus, appellabat. Ego sum vermis, non homo: opprobrium hominum, & contemptio populi. Psal. 21.

His peractis, cùm Pontifex Max. delatores corā se statuisset, Eccè (inquit) nō animo solùm, sed forma patri vestro sathanæ similes facti estis. Sed alia præterea vos miseriarum accessio manet. Vos enim & posteri vestri, serui eritis: & quotquot hoc nigrore sugillati fuerint, Agrigentinis Episcopis absque præfinito tempore seruietis. Quòd si quis vestri generis aliquem sacerdotij dignitate donauerit, vel Ecclesiæ quoduis munus concrediderit, huius caput dijs inferis dicamus ac deuouemus. Hæc ille haud seriò mea sententia dixit. Neque enim bis in eâdem causa pronunciâsset, cùm Gregorius præsertim non pateretur, qui illorum animos territās, desperatione plenos moderabatur. Neque enim, nisi animo ità affecti fuissent, haud adeo vehemens in eos Dei iracundia concitata fuisset. Ac ij quidem ijs, qui præerant, traditi, procùl à suis locis abducti fuêre. At puella illa Agrigentum ciuitatem non vltrà videre sustinuit: sed omni ornatui vale dicens, cùm priùs ab Episcopis vtì pro se orarent, impetrâsset, in collegium D. Cæciliæ cooptabatur: in quo duos ac viginti annos assiduè ac continenter viuens, medicamento pœnitentiæ, vt maximè poterat, priores detergens maculas, ad cælestem, quem tantoperè concupierat, amatorem Dei benignitate migrauit. Et hæc quidem hac ratione finita sunt. Cap. 56. Puella egregiè corrigit vitā suam.

Deindè Pontifex Max. mandauit, vt Gregorius mysteria sacra perageret: vbì qui diuinorum sacrificiorum participes fuêre, conuiuio ab eodem Pontifice communiter sunt excepti: ac tum quidem sic conuiuantibus Pontifex nihil aliud addit. Cæterùm postridiè eius diei Gregorium accersiuit, ac ei rem quādam exponit, quæ solis eius precibus, fiduciaque, qua in Deum plurima flagrabat, indigeret. Id autem hoc genus erat: Ligna quidam maxima in flumen immisit, vt summorum Apostolorum templo ornatui simul ac securitati essent. Hæc verò ità obliquè circumacta, ac vtrinque ripas complexa sunt, vt nullis clauis fixa aut suffulta essent, vt à nemine, quanuis multorum sæpiùs manibus acriter pertentata, dimoueri potuerint. Sed neque nauigium aliquod, aut mercibus aut alijs vsibus accommodum, sursùm aut deorsùm nauigare his obijcibus poterat: idcircò non exiguum illa ciuitati detrimentum inferebant. Hoc igitur illi Pontifex enarrat, rogatque sese vt ad locum recipiat, communi in Deum fidutia omnibus contendentibus, vt & is optata perficeret. Facto igitur signo, vniuersa ciuitas, monachi simul & sacerdotes cōfluebant, ac speciosa pompa supplicationeque ad flumen descenderunt. Procedentibus autem illis, mulier quædam in via ignem accendit: ad quam vir sanctus paululùm se inclinans, tradi sibi prunam imperauit. Illa (ad eius enim solius imperium attendebat) protinùs tradidit. Ac ille in pallium, quo erat indutus, carbones immisit, quibus deindè thus imposuit. Ac illi deincèps thuri appositi, admirabiliter carbones accensi erant, ipsum adolentes, ac in fumum vertentes: in sacra verò veste frigidiores lapidibus cernebantur. Hæc cùm sacerdotes ac reliqua turba vidisset, non ampliùs de lignis quicquam ambigebant, probè scientes eum, qui naturam ignis tam facile permutare potuisset, multò magis certè ligna iuxta naturam nullo labore posse permouere. Demùm vbì ad locum ventum est, non hoc communem omnium erga Deum supplicationem exposcere, sed eius vnius precibus indigere cuncti dixerunt. Quarè positis genibus orauit: mox cùm surrexisset, lignis thure suffitis, trahi illa præsentibus mandat: qui iniectis manibus, eum quo anteà premebantur, non ampliùs laborem sentiebant. Nam ligna ipsa, perindè ac si alas haberent, facilè trahebantur. Literæ autem illis insculptæ repertæ sunt, quæ dicerent, quinque quidem Petro summo Apostolo, reliqua verò quinque Paulo, organo selectissimo, esse relicta. Cap. 57. Pontifex eius auxilium exorat, pro dimouendis ex flumine lignis. Insigni miraculo nihil læditur vestis à prunis. Eximia vis precū sancti viri.

His peractis, Romaq; admirabili perfusa gaudio, Pōtifex rursùs cogit senatum, Siculos itèm omnes accersit, illustrioremq; ac longè magnificentiorem, quàm pridem fecerat, suorum ipsorum præsulem, nempe diuum Gregorium, illis reddidit. Porrò cùm Leucium illic degere, delatoresque confirmare ac delinire, quantùm poterat, didicissent, illum quidem in Hispaniam relegare, Agrigenti verò tēplum Cap. 58. Leucius relegatur in Hispaniam.

ac

ac Episcopi domum alibì construere decreuerūt. Hoc & diuus Gregorius, cùm audîsset altare à scelesto Leucio euersum, sanctorumq; veneranda corpora in mare fuisse proiecta, laudauit. Cùm igitur rem Episcopatûs sic ordinâsset, illum Eupli Archidiaconi & Erasmi curæ commisit. Ipse interim Romæ morabatur. Siquidem Constantinopolim ex Regis decreto primo quoquè tempore traiecturus erat. In his dimisso senatu, Pontifex sanctum virum domum suam accersens, rem tum eius pietate, tum Gregorij maiestate dignā fecit. (Virtutem enim quilibet virtutis amator veneratur & colit) Nam ob ea, quæ præcesserant, perculsus & grauiter affectus animo, ad pedes illius peruoluitur, nunc gratias agens, nunc pro ijs, in quibus deceptus, calumnijs in illum illatis fidem habuerat, veniam petēs. Ipsi verò locum non exiguum, à subdita sibi ciuitate abscissum, dono dat, ac per ipsum Deo, qui templi, quod extruendum erat, necessarios sumptus illi suppeteret.

Cap. 69. Ceterùm Marcianus ac Episcopi Gregorium conuenientes, Roma simul egrediuntur: deindè regiæ ciuitati applicuerunt. Quorum cùm aduentus Regi innotuisset, iussit diuum quidem Gregorium apud diui Sergij monasterium diuersari: Marcianum verò accersitum, de ijs, quæ in concilio acta fuerant, interrogauit. Ille admiranda viri sancti opera, incomparabilem eius virtutem, & quæ delatoribus diuinitùs obuenissent, necnon tolerantiam, modestiam, & insignem supra humanos mores animi humilitatem singillatìm edisserit. Quæ omnia Rex exaudiens mirabatur, ac Patriarchæ omnem miraculi seriem identidèm enarrabat. Posteà verò, quàm Gregorius vnà cum Episcopis vrbem ingressus est, maxima in illum Regis hilaritatis ac beneuolentiæ significatio extitit. nam & solio surgens, eum complexus osculabatur. Verumenimuerò cùm illi non multos post dies in mentem venisset nouas sacerdotibus leges sancire, quæ etiam posteris tum tutæ, tum vtiles viderentur, Patriarcham & eum ipsum diuum Gregorium accersitos, communicato consilio, quid facto opùs esset, consulit: qui rem persanè laudabilem fore, ac rectè de religione sentientibus vtilem affirmârunt. Ijque, cùm sacrum ieiunij tempus aduenisset, hanc prouinciam, ipso Rege in consilium secum adhibito, suscepēre, nouasque & sacras leges illi sanxerunt.

Admodùm honorificè accipitur ab Imperatore S. Gregori⁹.

Cap. 70. Intereà verò Gregorius sermones, doctrina ac pietate refertos, plures edidit: alios quidem in sacram ieiunij obseruationem, alios in Petrum & Andream, ac plures itèm alios composuit: qui tum artificio, tum vtilitate plurimùm illi laudis attulerunt. Vbi verò domum discedere in animum induxit, rogauit locum sibi in Agrigenti ciuitate, in quo Episcopi domiciliū construeret, impertiri, Cui Rex tanquàm acciperet, non erogaret, ità promptè ac hilariter elargitus est, vt optata illius supergressus, dimidium illi Agrigenti ciuitatis dari iusserit, quo pro libito vteretur. Deindè amplexatus illum, rogansque nè suî obliuisceretur, néve grauaretur pro se Deum precari, dimisit. At verò ne Regina quidem circa virum sanctum segniùs affecta visa est. Nam & ipsa cùm didicisset Gregorium amicū Deo ac perfamiliarem esse, consentaneam illi reuerentiam detulit, ac donis quàm potuit magnificentioribus demereri illum conata est. Quapropter egressus vrbe Constantini, Romam profectus est: vbi à Pontifice Max. magna reuerentia susceptus, Agrigentum non multò pòst adnauigat, quicum duo diaconi, vt in proprium illum Episcopatum restituerent, missi sunt. Porrò & illic tam ingens viri sancti apud omnes conflatur desiderium, vt illius virtute non obscurum testimonium fecerint, dum pia plebs vniuersa, cunctusque populus extra ciuitatem egressi, tum laudibus, tum sacris cantionibus, vt non facilè quanta cum voluptate dixeris, obuiàm illi prodiêre.

Multas scribit cōciones

Ab Agrigentinis cū laudibus & cātionibus excipitur.

Cap. 71. Quid ad hæc diuus Gregorius? Illos omnes osculo sancto humaniter ambit, ac singulis manus imponens, benè omnibus precabatur. At patri obuius factus, primùm quidem eius pedibus seipsum abiecit, mox assurgens, brachijsque collū eius circundans, amplexabatur: vt lachrymæ vtriusque oculis elicitæ, agendarum Deo gratiarum communiter occasio fierent. Hoc ipsum erga matrem vsū sibi venisse comperit. Verus enim eius discipulus erat, qui parentes præ omnibus colendos præcepit. Demùm vrbem ingressus, non priùs domicilium petijt, non templum videre sustinuit, nec vix alterum oculum adiecit: sed confestim abiens, tabernaculum suum muro septum extra simulacrorum templum fixit, vbi cum multitudine in preces incumbens, vigil pernoctabat. Deindè cæleste conuiuium, prout potuit, repræsentans, venerandam illic Crucem erexit. Itaque dæmonibus, qui

Exod. 20.

Erigit Crucem, instaurat tēplū & ornat egregiè.

qui simulacrorum templo præsidebant, pijs erga Deum precibus profligatis, templum reædificauit, ac plurimis ornamẽtis decorato, ei maximorum ac principum Apostolorum nomen indidit: in quo & mystica sacrificia offerebat, linguã simul & manum opiparè aperiens, præbensque panem, quo corda reficiuntur: panem, inquam, qui re simul & nomine, Angelorum dicitur, panem esurientium animas saturantem, vtrinquè mundi creatorem venerabatur.

In his autem ille honestis moribus ac rectefactis perseuérans, vitam suam decoti ac honesti tanquàm exemplar exhibens, lenitatis animi ac patientiæ, addo etiam in aduersis tolerantiæ, suoipsius documento legem omnibus indixit. Sicque diebus ac virtutibus auctus, mortali vita perfunctus, ad optatissimum Christum emigrauit: Quem decet honor, gloria, maiestas & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Excedit è vita.

DE SANCTO AMPHILOCHIO EPISCOPO, ET DE LIBERTATE EIVS, QVA ILLE IN ORATIONE *ad Theodosium Imperatorem vsus est, ex Sozomeni Ecclesiasticæ Historiæ libro septimo cap. 6. Interprete Suffrido Petro Leouardiensi Frisio.*



ADHVC autem isti quia numero pollebant, Constantij atque Valentis prçiudicio freti, securiùs conueniebant, ac de Deo, eiusque essentia publicè disputabant: & vt Imperatoris animum pertentarent, eos subornabant quos in aula suæ sectæ fautores habebant. Rebãtur enim se obtenturos id quod proposuerant, cùm ea considerarent, quæ sub Constantio acciderant. Quæ quidem res & Ecclesiæ Catholicæ sectatoribus formidinem ac solicitudinem incusserat: qui tamen non minimè & hinc metuebant, quòd considerarent, quantum esset Eunomij in disputando acumen. Hic enim non multò antè ob controuersiam quam cum Clericis suis, imperante adhuc Valente, Cyzici habuerat, ab Arrianis discessione facta, priuatus agebat in Bithynia, e regionè Constantinopolis, ac frequens ad eum populus traijciebat: multique aliundè confluebant, partìm vt illum pertentarent, partìm vt eius doctrinam cognoscerent. Huius rei fama ad Imperatorem quoquè permanârat, qui iam conueniendi eius desiderio tenebatur. Cæterùm Imperatrix Placilla eum studiosè deprecando cohibuit. Nam cùm Niceni Concilij doctrinam ipsa fidelissimè conseruaret, metuebat, nè (quod consentaneum videbatur) maritus colloquio circunuentus, in illius sententiam deflecteret. Vigente autem adhuc vtrinquè huiusce contentionis studio, Episcopis ijs qui Constantinopoli versabantur, palatium Imperatoris salutandi gratia (vt moris erat) frequentantibus, etiam Amphilochius quidam senex, cum his vnà venisse dicitur, ignobilis oppidi sacerdos, simplex, ac nullo rerum vsu tritus, sed in diuinis apprimè cordatus. Cùm autem cæteri candidè admodum ac religiosè Imperatorem consalutâssent, etiam sacerdos ille senex, ipsum consimiliter salutauit: filio verò Imperatoris qui patri assidebat, æqualem honorem non exhibuit, sed propiùs accedens, veluti puero, Salue (inquit) fili. simulque caput illi digito demulcebat. Commotus igitur ira Imperator, & quasi ob iniuriam filio factam indignatus, quem ille non æqualiter honorâsset cum patre, foràs exturbari cum contumelia senem iussit. Ille verò cùm raptaretur, conuersus: Ad hunc, inquit, modum Imperator existima, & cælestem quoquè patrem excandescere in eos, qui filium cum patre non æqualiter honorant, & genitore inferiorem nuncupare audent. Delectatus hoc dicto Imperator, senem reuocat: & veniam precatus, verè illum locutum esse confitetur. Firmior itaque factus, eos, qui ab hoc diuersum sentirent, non admisit: contentiones etiam & conuentiones in foro habere vetuit: & vt de essentia ac natura Dei solito more disputare, tutum deinceps non esset, effecit, lata in eam rem lege, & constituta pœna.

23. Nouēb.

Eunomij in disputando acumen.

Imperatrix Placilla orthodoxa.

Amphilochij cum Imperatore παῤῥησία.

Theodosius Imperator orthodoxã fidem amplectitur.

VITA

VITA S. TRVDONIS PRESBYTERI ET CONFESSORIS, A THEODORICO ABBATE S. Trudonis conscripta.

PROOEMIVM AVTHORIS AD GERARDVM Abbatem.



Omino, dignitate patri, charitate fratri Gerardo, suus Theodoricus salutem. Exigis à me vnà cum fratribus meis, qui tecum sunt, monachorum religiosissime, religiosorum literatissime, vt tuæ quondàm petitionis, meæque promissionis memor, libellum de vita beatissimi patris nostri Trudonis tibi cudā, ac velut vetus ferramentum, noua fabrorum officina excoctum, veteris materiei formam in nouitatis aciem transferam. Pium profectò negocium, sed obtrectatorum, vt ipse nôsti, querelæ obnoxium, qui præter ea, quæ dedicauit cana antiquitas, quicquid illud sit, cum fastidio reijciunt, & iuxta Flaccum, nil nisi quod Libitina sacrauit, recipiūt. Sed eorum propositum stultum, qui intelligendo, vt nihil intelligant, faciunt. Neque enim super veteres, quorum alij circuli, alij vectes facti, in plenitudine scientiæ portant arcam Domini, quicquam præsumimus, aut nostra, quæ penè nulla sunt, ad eorum innumerabilia conferimus: sed illis intrinsecùs eloquij argento relucentibus, benè nobiscum agitur, si excubantes pro foribus, saltem ad imputribilitatem lignorum setim pertingamus. Quapropter sciens per omnia authoritati tuæ morem gerendum, obturata aure Scylleos canes prætereo, & assumptis pennis charitatis, euolo vltra terminos meæ possibilitatis. Plus enim est debitum, quod repetis, quàm vt de nostro possit persolui. Quicquid tamen in eo potero, tibi æquè àc mihi imputabitur: tibi, qui iusseris: mihi, qui paruërim. Scire autem parêre, æqualis est gloria cum imperante. Igitur vt consecrem immortalitati nostram antiquam & indeficientem amicitiam, pignus hoc schedæ ab exilij nostri angustia destinatum accipe: quam cùm relegeris, si tibi videtur, doce ianuam non exire, nec in publicum prodire: aut si voles esse libellum, nè sine fronte sit, tu ei ex te præscribe hunc, & authoriza prologum.

Quorundā morositas repræhenditur.

Hęc scripsit in exilio, vt ipse vocat.

PRAEFATIO ALIA AVTHORIS.



I victoria militis, laus est imperatoris, laudi creatoris quædam quasì damna facit, qui vndè in electis suis laudetur, reticescit. Neque tamen aut creator laudari, aut electi humano ore egent celebrari: sed nos vt laudemus, magnoperè indigemus. Qui enim solus nullius eget, eius vt indigeant omnes necesse est. Hanc in laudando Deo nostram indigentiam Propheta intuens, nullumque tacere cupiens: Laudate, ait, Dominum in sanctis eius. Sed refert, quonam modo quis taceat, culpáne inscitiæ, an nota ignauiæ. Ille enim, quod non accepit, velut pauidus non præsumit: iste, quod accepit, velut piger reddere negligit. Quid horum quis in me retorqueat, mea nil refert. Ego, iubentibus vobis an parcam vt impudens, an negligam velut non præsumens, necdùm satìs mihi persuasi. Iniungitis enim, immò imperiosa charitate cogitis, vt beatissimum summi illius capitis membrum Trudonem, quem longè antè Donatus Diaconus, & posteà Guikardus Abbas, vtriusque linguæ vsque ad interpretem vterque periti, Latinitati tradiderunt, mea quoquè opera & stylo librarijs tradam. Enimuerò difficile, & quasi contra torrentem brachia tendere est, eos vel debere assequi, vel posse imitari, qui indeficientis Nili caput ingenio depræhenderunt, & ipsam, quam aiunt, Mineruam lactando biberunt. Neque tamē iubentibus vobis aliquid abnuere sentētiæ est, & magnitudo oneris ità ceruicem premit, vt dubium sit, quid priùs timeatur, pondus an casus. Vereor præthereà, nè officium ambitio, pietas adulatio æstimetur, magisque de fermento videar laudem sacrificare, quàm fidi interpretis more, priùs dicta in nouum auditorium repræsentare. Super his tamē omnibus me facilè habebunt excusatum vel defensum, imperantium charitas, & historiæ antiquitas: cuius authoritas, quod inprimìs omnibus insinuatum velim, à scriptoribus mihi manat receptissimis. Quid enim proprium nostrum potest esse in hac materia præter verba, alio decursu deriuantia, cùm, vt dixi, antiquitati historia inni-

Psal. 150.

Vita S. Trudonis à quibus olim scripta.

Amos 4.

Fides huius historiæ.

innitatur, & à scriptoribus receptissimis, penès quos iure dicendi fides est, litera nostra fulciatur?

Quapropter lectorem admonitum volo, nè velut de præsenti & nouo tempore editionem nostram velit librare. Fecimus enim, quod solent trapezetæ: qui vestigia veteris monetæ noua imaginātur incude, quatenùs eodem tempore in eâdem massa & æs nouitatem, & imago repræsentet vetustatem. Exhortatione igitur vestra, quæ vtroque, vtili videlicet & honesto, coniuncta est, nihil antiquius cùm æstimarem, eo æquiùs parendum putaui, quòd cùm possetis aliundè, maluistis ex nostro horrea vestra locupletare: quia & gratiores sunt fructus, quos colligunt de proprio, quàm quos mutuantur ex alieno. Quæ cùm legeritis, si quid ornatè & ad persuadendum compositè dictum fuerit, non iniuria vt de vestro gaudebitis: sin aliâs, bona venia non diffido quin donetis: vtpotè qui iam peregrinæ terræ diù incola, acquisitas merces multo cum sudore mecum in patriam deueho, animosque vestros vetera fastidientes, nouis & quasi aliundè petitis alimonijs recreare venio. Peregrinum enim, ait Clemens, penè est omne, quod morbis occurrit: habentque & pigmenta hanc vim, vt licèt aliquanto fractiora, quàm natiuus ager peperit, ad nos perueniant, etsì mutent patriam, sed odoris & gustûs non amittant gratiam. Sic cùm hunc exulatûs nostri libellum acceperitis, translatæ vobis materiæ mutatam magìs, quàm perditam vim vt intelligatis, æquo animo adestote, rem vt cognoscatis pernoscite, & contra æmulorū calumniam, qui extremo prodigij genere, quod ipsi nequeunt adipisci, in alijs solent repræhendere, vos vobis persuadete, eundem translationi saporem, & integrum editioni perseuerâsse odorem. Sed quia iam satis soluto fune prologi, nauis historiæ parat dimitti velut ad vndas pelagi, sanctus mihi inuocandus est spiritus, quatenùs vela, quę in laudem creatoris ereximus, misericordiæ suæ aura impleat, sicque tribuat inchoari electissimum suum Trudonem, vt in eodem, quem cœpimus, sine offensa terminemus sermonē, demumque eius obtentu in illo æternitatis portu, nauigij nostri componamus stationem. Pigmenta cum mutāt patriam, odorem & gustum nō amittunt.

VITÆ LIBER PRIMVS.

Vbi, & quibus sub principibus natus sit beatus Trudo. Cap. I.



N exaltando igitur omnipotens Dominus Ecclesiam fidelium, venerabilis Trudo ortus est Hasbaniensi territorio. Clotarius Chilperici successor tunc tēporis Francorum regno, Iustinus minor cum Sophia coniuge Romanorum potiebatur imperio. Parentibus sanè Christianissimis, & religiosè ditissimis editus, in primęua adhuc sua ætate ità homo extra hominem vixit, vt velut adeps separatus à carne, ab eo statim inciperet religionis gradu asscendere, ad quem alios longo vix vsu ætas durata solet perducere. Lineam enim illam nobilitatis, quam ab omnibus retrò atauis, Frācorum principum sanguis, & Austrasiorum ducum vena in * eo transfuderat, tāta posthabuit vilitate, vt spreta hac, quam æstimant, celsitudine, pauper ipse ad pauperum Christi quotidiè desideraret castra euolare. Interim tamen sub tutoribus positus, nec ætati parcere, nec teneritudini acquiescere: quasi quòd adhuc erat indignatus, & in virile robur animatus, ieiunia * quòd licebat amplecti, vigilijs pro somno delectari. Inter byssum & purpuram, & famulantium positus cateruam, inæstimabili alacritate seruis dominus famulari: alijs mollibus & duplici coopertis, ipse aspera & singulari tunica gloriari. Formæ autem & decoris gratia tanta inerat, vt mirum ac speciale in eo Dei figmentum, tanquàm flos viuus & doni cælestis fructus eluceret. Præterea ingenij, & quicquid optimarum artium natura habet, studia in eo nihil minùs, quàm hæc germinabant: sapiensque dissimulator, quicquid in se virtutis nasceretur, quotidiè summo studio occultare, timens quasi deprædari, si thesaurum piæ actionis non absconderet auræ populari. Tot tantisque virtutum formulis, cùm tenellus adhuc puer, acsì mollis cera, ad manum summi artificis signaretur sigillo iamtunc expressæ sanctitatis, honorabatur, & contemnebat: ab omnibus amabatur, & solus

Nouemb. 23. Pueri Trudonis sanctitas. for. * cum for. * quoad Seruit famulis suis. Formę præstantia. Rara virtus

se oderat. Hæc tua est in seruis tuis, Christe, glorificatio: hæc illorum, pro tui nominis amore, suimet abiectio.

Vt reperta lapidum copia, in templi formam eos composuerit. *Cap.* 2.

CVm autem accedente tempore in annis floreret adolescentiæ, tanquàm plus aliquid iam adeptus libertatis, toto spiritûs impetu viã currebat sanctitatis. Nescio quid vltra hominem meditans, in domo licèt parentum, cælestia semper erat contemplans. Hac iugi & indefessa nunquàm exoccupatum meditatione, cõtigit vnà cum suis possessionem agrariam præterire. Vbi cùm copiam lapidum reperiret, & quod frequenti animo dudùm intenderat, ampliùs dissimulare nequiret, tota statìm spiritum sanctum mente concipiens, lapides dispersos cœpit colligere, collectos competenti in loco comportare. Tunc verò quantùm ad tempus & ætatem illam, sapiens architectus tendit funiculos, fundamenta iacit, angularitatem lapidum componit: parietes & cancellos ordinat, tandemque puerilitatis suæ structuram pro voto consummat. Ingreditur dehinc nouæ ædificationis suæ domum, & toto corpusculo proiectus in conspectu Domini exercituum, quod potissimum habebat, diuino altari imponit sacrificium, cor scilicet contritum & humiliatum. Et cùm aliquandiù hoc suum holocaustũ multo sanctispiritûs igne consummâsset, voto volens se obligat, quòd si aliquandò proprij iuris, & paternæ fieret successor hæreditatis, ecclesiam, quam quasi imaginauerat, in effectum transferret, & in suo erectam, de suo consummaret, consummatam sufficienti dotaret. Cuius voto & deuotæ petitioni non defuit manus Domini, quæ pueri sui affectum tempore sequenti in omnem perduxit effectum. A tali autem opere non iniuria talis debuit puer sanctitatis suæ rudimenta initiari, vtpotè sacerdos & sanctispiritûs habitatio futurus, secundùm quod ait Apostolus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Molitur quandam templi repræsentationem.

Votũ Deo nuncupat.

1. Cor. 3.

Vt eam ecclesiam fœmina maligna euerterit, sed cæcitate percussa, ab illo curata sit. *Cap.* 3.

SEd quia cum omni virtutum acie prima semper congreditur pestis inuidiæ, ecce contra rudem adhuc Christi tyrũculum, tota cum armatura veteris inimici egreditur malitia. Cernens enim, pectus illud humilitatis quanto conatu se erigeret ad arcem pietatis, scalam machinatur talis iniuriæ, quæ ascensum præstaret ad impugnandum prȩliatorem, adhuc agentem infra annos militiȩ. Ad peragendum igitur iniquitatis suæ mysterium, præparat sibi vas iræ, aptũ in interitum, mulierem scilicet, fraudis suæ morigerum & familiare mancipium. Quæ cùm transiret per possessionem suprà memoratam, & lapidum congeriem nõ fortuitam, sed ordinata dispositione miraretur distinctam, accedit, scrutatur, intelligit: statimq; pessimo possessore peruasa, in militem Dei, needùm terminata oratione sic proiectũ, detonat eloquia, fulminat cõuicia, eum exprobrans impostorem, & arguens simulatorẽ, qui sub obtentu religionis simularet sanctitatẽ, prȩtenderet innocentiã, ausus etiam fingere ecclesiã. Hæc & multa id genus, quæ non modò puerum, sed & compositȩ mentis virum mouere possent, cùm de æstuanti velut camino fumigaret, & patientissimus iuuenis mira cũ grauitatis miseratione omnia portaret, vtpotè qui eam ore non suo loqui animaduerteret: toto vesaniæ suæ spiritu concepto intumuit miserabile mancipiũ, & irruens in illius puerilitatis ȩdificium, teneros dissipat parietes, & pede dispergit lapides. Sed ad redimendã hanc serui sui iniuriam, omnipotens manus statìm terribiliter extẽditur, & destructrix illa subita oculorũ cæcitate percutitur: reddensq; pœnæ suæ testes voces inconditas, incertò labãs pede, viã conari, quã nesciebat, plusq; eiulatu quàm voce, penè totã viciniam euocare. Hunc fragrantissimũ Domini odorẽ, qui alijs ad vitam, alijs est ad mortẽ, cùm de suo Trudone passìm fama respergeret, quodam quasi tinnitu aures populi repercutiebantur super his, quæ de adhuc puero tam stupenda referebantur. Egrediuntur sanè tam admiratores huius, quam audierant, nouitatis, quàm adoratores in electo suo diuinæ maiestatis. Interrogatur, & fortunam suam exponit mulier: quæritur beatus adolescens, & spontaneus se offert. Stabat enim & ipse, manũ Domini pro se extensam cum stupore adspiciens, & reæ suæ miseratione, qua ardebat, compatiens. Rogatus tamen à populo, vt pro ea supplicaret Domino, inter duas virtutum principes, timorem & charitatem, aliquandiù hæsit anceps. Ex timore enim

Improba mulier euertit structuram eius.

Diuinitùs percussa luminibus orbatur.

enim dubitabat inusitata præsumere: ex charitate iam volebat cæcam suam illuminauisse. Vicit tandem charitas,& temperato timore, orat puer, illuminatur mulier: recognoscensq; reatum suum, sindonem quam induebatur, detrahit,& loco, cui pauloantè derogauerat, adorato inprimìs illuminatore suo, cum reuerentia superponit. Hæc miraculorum B. Trudonis initia, hæc bellorum eius cum inimico prima fuit victoria. Cum quo tanta semper posteà solebat congredi fiducia, vt hoc quodam veluti præludio exercitatus, posset dicere: Omnia possum in eo, qui me confortat Christus. Precib⁹ suis cæcam sanat S. Trudo. Philip. 4.

Vt pro Christi amore, mundi militiam contempserit. *Cap.* 4.

ETiam ætas literale illud afferebat pubertatis biuiū, de quo aut ad sinistram cum periculo declinatur, aut ad dexteram cum gloria peruiatur. Ad quod calcandum egregius iuuenis cùm intrâsset, tanto velocitatis cursu pertransijt, vt nec adspectum retrò deflecteret, nec de sinistro quicquā præter ineuitabilia secum auferret. Pater autem, cui erat singularis,& tenerrimo affectu amabilis, intuens irreuerberatum dulcis filij ad Deum intuitum, frequentibus cum colloquijs attentare,& ad eam, quam putant, seculi honorificentiam vt euigilaret, toto conatu excitare. Prædia spōdet, coniugium suadet, ostendit familiam, hortatur ad militiam. Sed quia iam intellexerat, neminem Deo militantem, negocijs secularibus implicandum, nec assumpto semèl aratro, retrò rursùs adspiciendum: patris quidem affectum venerari, sed ante omnia omnipotentis Dei præceptum amplecti. Pro prædijs cælum, pro coniugio cælibatum, Angelos pro familia, Dei obsequium reputare pro militia. Adolescētulis verò & coæuis nobilibus iaculari, equitare, venari, cæteraque id genus quotidiè suadentibus,& monachum in laico cum derisione reprehendentibus, liberrima grauitate indignari,& respondere,& sapienti consilio Christum magìs eis hortari & persuadere: docens ociosum omne illud negocium, quod non commendaret omnipotentis Dei seruitium. Et conuersus ad pauperum suorum notam cateruam, eos conciues, eos amplecti familiares, eorum conuentui frequens adesse,& vnumquenque appellans ex nomine, diuinā pietate singulis famulari & prouidere, vnus ipse omnia omnibus esse. Quibus itā iam notus erat, vt misericordia conuersa in consuetudinem, eleemosynam iam non peterent, sed magìs vt debitum ab hoc suo stipendiario exigerent. A primæua quippè ætate, adhuc licèt positus sub tutore, nunquàm calore æstiuali, nunquàm frigore prohibitus est hyemali, quin statìm vt nudum aut indigentem obuium habuisset, singularem licèt tunicam aut dimidiaret, aut integram erogaret. Et cùm à magistris frequèns argueretur malè pauperem vestîsse, qui de sua non erubesceret nuditate, aut nihil, aut illud beati Iob respondebat: Quia mecum creuit miseratio, & mecum egressa est de vtero matris meæ. Pater eū inuitat ad ea, quæ mundi sunt. 2. Tim. 2. Luc. 9. Pauperes miro studio cōplectitur. Nota lector Iob 3.

Vt à Domino literarum scientiam petierit. *Cap.* 5.

IN proficiendo ergò beatus Trudo de virtute in virtutem, multiplicabatur & crescebat in domo Domini, vt palma & cedrus Libani. In cuius ramis pupillus suffugium, vidua, cùm affligeretur, protectionis inuénit vmbraculū. Erat enim in hoc vno sanctissimo homine res longè dissimiles videre, mira cōuenientia concordare: hinc, vt præmisimus, natalium nobilitatem, honorum dignitatē, viuacis ingenij tantā sublimitatem, vt nihil suprà: illinc animi humilitatē, habitûsabiectionem, vt nihil infrà: & hæc omnia, media charitate constrata. Vnum hoc interìm ad percurrendā cœpti agonis sui metā, tyroni suo Christus absconderat, quòd de literarum scientia adhuc nihil attigerat. Et cùm audiret plerunquè in ecclesia sacerdotes castigato ore de scripturis aut disserere, aut aliquid docere, velut si eorum, quæ ducunt ad Deum, omninò nihil adhuc inchoâsset, cœpit tædere,& mœstum animum affligere, reputans quicquid erat, frustrà esse, si non & ipse Deū, quem in scripturis Euangelia loquuntur, prophetæ testantur, legendo mereretur agnoscere. Sapientem venditorem si inuenisset Euangelici consilij sapiens ipse auditor, omnia quæ possidebat, statìm exintegrò vendidisset,& preciosam sanctarum scripturarum margaritam sine cunctatione aliqua emisset. Conuersusque ad Deum, clauim omnis scientiæ frequentibus non cessabat suspirijs exorare, quatenùs in cubiculum regis inducere,& libri illius signacula sibi dignaretur reserare, cuius clausuram, præter Iesum, nemo dignus inuentus est aperire. Psal. 91. Sublimis est & humilis. Matt. 13. Cant. 1. & 2. Apoc. 5.

Quàm multi illo seculo floruerint verbo & opere. Cap. 6.

Eodem ferè tempore, sedatis iam turbinibus persecutionum, quæ à Claudio, sub quo primùm Petrus Romam ingressus est, vsque ad Constantinum Augustum, dici non potest, quanta crudelitate toto orbe deronuerunt, Christiana respublica sub tranquilla pace commodè agebat. Florebat fides nostræ religionis, frequentibus propagata concilijs, præter quòd in quibusdam adhuc latibulis sublatrabat murmurium Arrianæ fæcis, adeò vt Paulum patriarcham Constantinopolitanum, & Cyrum Alexandrinum Episcopum, socios & assertores peruersi dogmatis haberet. Ad huius pestis radices rursùs extirpandas, pro patribus filij, pro Apostolis successerant doctores Catholici, & vinea Domini Sabaoth dilatata propagine, eloquentissimos palmites diffuderat à mari vsque ad mare: vt rarus iam terrarum angulus esset, qui non fidei nostræ instructissimos propugnatores haberet. Sanctissimus Papa Iohannes cum illo longè incomparabili Gregorio, posteà successore suo Romæ, Cunibertus Coloniæ, Austregisilus in Burgundia, Amandus in Aquitania, Audoënus in Neustria, verbo & opere Apostolico insignes habebantur. Venerabilis nihilominùs Remaclus Tungrorum Episcopus, fide & sanctitate armatus, pro castris Domini stabat quasi succenturiatus: vir, in quo cum authoritate scientiæ literalis, se infuderat plenitudo gratiæ spiritualis. Lambertus sacerdos, & martyr Christi futurus, in clericatús apicem iam profecerat. Innumerabiles prętereà alij, suis quisque in locis, vigilanter stabant super custodias gregis sui, & passìm suauiter fluebant aromata hortorum Domini. In quorum iam à principio designatus collegio amantissimus Dei adolescens Trudo, cùm, vt dictum est, super desiderio literali totus æstuaret, & intentissimæ menti de quotidiana solicitudine nihil relaxaret, ecce descendit super eum spiritus Domini, in consilio & authoritate huiusmodi.

Floret Ecclesia tranquilla pace.

Viri sanctitate præstantes, sub quibus S. Trudo floruit.

Vt ab Angelo monitus sit ad S. Remaclum se conferre. Cap. 7.

Qvadam nocte dum afflicti corpusculi laborē modico somno recrearet, quo ità leui & castigato plerunquè vtebatur, vt dormiēs, motu tamen labiorum magis orare putaretur: adest Angelus Domini, & quasì familiarem suum recognoscens, Pax, ait, tibi sit, seruorum Dei deuotissime, inter illius cælestis curię senatores ciuis iam designate. Multipliceturq; tibi gratia, quam diffudit in te spiritussanctus ab ipsa infantia. Ego operum tuorum fidele testimonium, cogitatûs & omnis desiderij tui conscium, ab omnipotenti missus sum authoritate fluctuantem animum tuum roborare, consolari & dirigere. Nè deseras quod cœpisti propositum: eleemosynæ enim tuæ in cælis iam collocatæ, orationes in odorem suauitatis coram Deo sunt accēsæ. Nec diffidas de superuenienti in te gratia: quia in proximo est, vt replearis ea, quam desiderâsti, literarum sciētia. Quam quo prouisore, quo assequi debeas ministro, tali animaduertes indicio: Surgens, vade ad beatum Remaclum Tungrensem Episcopum, qui non longè ab hinc viculo, quem vocant Septemburias, cōsistit, vir & ipse plenus sanctitate, currum Dominici exercitûs aurigans in prudentia & æquitate. Huic enim facta reuelatione, manus Domini quasì præscripsit de omnibus, ad quæ te mittere prædestinauit. Talis autem viri te inclinabis auditorio, subdes magisterio: ab eo vitæ tuæ accipies institutionem, vsque ad videndum omnis consummationis finem. Hac vir Domini accepta consolatione, ædificatus visione, tota statìm in conspectu Domini se humiliauit abiectione, tāto seueriùs humanam in se castigans infirmitatem, quanto misericordiùs Dei erga se considerabat fieri pietatem. Complensque eas, quæ deerāt, in se Christi passiones, plùs gloriabatur de scripto in cælis suo nomine, quàm quòd frueretur Angelica visione. Surgens verò viam, quam doctus erat, arripit, & magistrum, quem tanto authore acceperat, audire vadit.

Quàm parco somno vsus sit S. Trudo.

Angelus ei dormienti appàret.

Remaclus Tungrensis Episcopus

Psal. 118.

Vt humanissimè à S. Remaclo acceptus sit. Cap. 8.

Intereà & gloriosus antistes præuidens aduentum viri Dei ex reuelatione spiritussancti, euocato officio, Ite, inquit, & charissimo fratri nostro Trudoni, ad nos venienti, occurrite, & qua decet reuerentia ad nos comitatū deducite. Neque enim talis habendus in negligentia, in cuius pectore pariter iam conuenerunt omnis dulcedo & gratia. Nec satis fuit curioso susceptori officium præmisisse, comitatus contuberniali & religiosissimo discipulatu, ipse quoquè obuiàm se præ-

præparat, omnibusque exoccupatum, in chari hospitis obsequiũ se totum quasi inclinat. Cumque venientẽ integra humanitate susciperet, & amplectendus iuuenis sociæ humilitatis memor, reuerentiæ sacerdotali cedens, pedibus eius se demitteret, data dextera cum benedictione erigitur, & frequenti amplexu post oscula ad sedendum attrahitur. Erat autem cernere duo spiritussancti vascula, rorem, quem ex accenso in se diuini amoris igne conceperant, tanta vbertate distillantia, vt & venerabilis pater super dulcis filij caput integri affectûs lachrymas effunderet, ille quoquè se nullo modo continere posset, sed totum se in fletum quasi resolueret. Paulum & Antonium de Aegyptiorum eremo conuenisse putares, pia altercatione vtrisque certantibus, & totam penè horam trahentibus, quis de duobus prior accumberet, loqueretur aliquid, præciperet. Hic vt magistro diuinitùs insinuato reuerenter cedebat: ille vt æquali, & quem cęlitùs sanctum iam cognouerat, charitatiuè satisfaciebat. In hac sanctissima & laudabili humilitatis contentione, sanctus pontifex cõuersus ad Dominum: Benedictus es, inquit, Domine consolator omnium sperantium in te, qui nos hodiè dignatus es in aduentu serui tui visitare. Sit tibi decus & gloria, qui in hoc mortalitatis fictili vase virtutum tuarum thesauros abscondisti, interim licèt absconditos, suo tamen tempore reuelandos, & in ornamentum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ constituendos. Et assumpta rursùs super suo Trudone prophetia, Benedictus, ait, tu fili mi à Domino, cuius prouidentia cælis destinatus, misericordia mundo ea donatus. Virtute animaberis, sapientia docceberis, & vsque in Euangelicum fidelem seruum crescens, ad parandum Domino plebem perfectam constituẽris.

S. Remacl^9 ei venit obuiam.

Vide vitam S. Pauli eremitæ Tõ. 1.

S. Remacli de S. Trudone vaticinium.

Vt ad Metensem vrbem missus sit à beato Remaclo. Cap. 9.

POst hanc igitur vel ad Deum gratiarum actionem, vel erga nouũ hospitem prophetiæ benedictionem, vtrorunq; insimul consessu, beatus pontifex sic incipit: Audi, ait, vir desiderate, & in perpetuam filiationem adoptate. Audi, inquam, humilitatis meę ad me factam reuelationem, & recognosce sanctitatis tuæ etiam tibi ostensam visionem. Notum enim mihi fecit Dominus, quid te facere, quóve ab initio prædestinauerit mittere. Nónne sic & sic Angelica quiescenti tibi & penè soporato facta est visio? nónne hæc vel illa data solicitudini tuæ consolatio? Et cùm de omnibus his omnipotens manus mihi quasi præscripserit, animaduerte quonàm consilium eius te directum voluerit. Surgens igitur, Mediomatricum, vnam de primis Galliarũ vrbibus, accedes, in qua venerabilem fratrem & coepiscopum nostrum Glodulphum reperies, virum per omnia dignum sacerdotio, vtpotè plenum fide & spiritusancto. Per manus autem eius omnem iuris tui hæreditatem, quæ te manet in hoc Hasbaniensi territorio, contrades Deo & B. Stephano protomartyri, adstipulatione subnixa, quatenùs eius interuentu possessionem merearis cælestium, & videas bona Domini in terra viuentium cum eis, qui de terrenis patrimonijs indeficientem sibi thesaurum in cęlestibus collocauerũt. Nec eris immemor voti, quod vouisti in pueritia, (nôsti autem) de fundanda in proprio iure ecclesia, & post roboratum traditionis tuæ testamentum, postulabis tibi insinuari, quæ aiunt elementa literarum. Aderit autem spiritus Domini, serui sui desiderio, replens te in omnibus sapientiæ & intellectûs priuilegio. Ipse plantabit, ipse rigabit, ipse dabit incrementum, donèc per gradus ecclesiasticos proficias vsque in sacerdotium. Debetur enim etiam tibi non modicè Apostolatus gentis huius Hasbanicæ, vt cùm verbo docueris, exemplo informaueris, ipse quoquè in gaudiũ Domini tui cum beato Eugè inducaris. Hanc vitæ tuæ formam, à Domino Iesu mihi reuelatam, tuæ trado filiationi: ei te assimilabis, & ad perfectum vsque vt peruenias, nihil tardabis. Prætereà de animæ tuæ custodia & integritate, de corporis non violabili virginitate, de formata iam in te omnis virtutis imagine, nihil minùs suspectum velim, quàm si nuncietur in vrbibus, Hostis est pro foribus. Neque enim mors tardat: galeata virtus nisi opponitur, intrat. His & huiusmodi documentorum stillicidijs sanctus iuuenis interim lætabatur & germinabat, rigabatur & crescebat, & ad reddendos magistræ plantationis fructus, sensim proficiebat.

Glodulph^9 Metensis Episcopus.

S. Trudo futurus Hasbanię Apostolus. Matt. 25.

Vigilandũ semper cõtra vitia.

Vt S. Remaclus obiurgârit ministros suos, ipsi obloquentes. Cap. 10.

TAnti igitur pontificis animatus authoritate, roboratus consolatione, dulcis alũnus de reditu properat, charus magister lachrymis vix imperat. Visio nisi vrgeret, & imperium Domini vtrunq; nisi cogeret, nullatenùs vel ad

ad momentum poterant separari, quos vetus charitatis fecerat in vnitatem quasi inuiscerari. Et cùm interim abeuntem tota cum reuerentia pontificalis prosequeretur curia, quidā stolidorū (Querulum enim solet esse genus seruorum) cùm stultitia moti, tum inimici inuidia stimulati, cōtracto supercilio indignari, & leui grauitate conqueri: Cur, aiunt, hodiè Episcopus hominem incompositum, personam mediocrem, consessu dexteræ, colloquio familiari tantoperè voluit honorare? Rarus comes, vestimentorum abiectio, personarum deberet esse discretio. En quò deuenimus, vt peregrina & ociosa paupertas honoretur, domestica & officiosa familiaritas contemnatur? Hunc si qua diuitiarū aut gloriæ, generis aut formę prærogatiua commendaret, frequens comes, vestis preciosa ornaret. Sed venerabilis sacerdos, quem vel ex spiritu prophetiæ, vel ex intellectûs plenitudine, puerorum non poterat detractio latére, accersitos de itinere ægra corripuit grauitate. Væ, ait, vobis cęcum animal, quorum laudes improperium, vituperationes nil nisi virtus sunt. Vos enim estis, quos quasi circa viles occupatos sarcinulas, pertransiêrunt discretio & veritas. Forma, genus, vestis eorum sunt, qui eis aut delectantur, cùm habent, aut contristantur, cùm non habent. Pars autem mea Dominus: quia omnis gloria filiæ regis abintùs. Stulta autem insimulatione virum Dei repræhenditis, cui comites Angeli, genus omnes electi, vestis misericordia, diuitiæ paupertas est voluntaria. Mihi verò, inquam, tales honorandi, amplectendi & amandi, vt qui Deum homini conciliare, clausumque licèt cælum ad distillandam misericordiam verbo solent reserare. Vos potiùs repræhendendi, & toto miserationis oculo deplorandi, qui datam homini rationē deperditis, & in bestialem amentiam proprio vitio transitis. Quos nisi correxerit post reatum pœnitentia, zelabitur Dominus pro serui sui iniuria. Hac beatissimi Remacli correptione prudenti mutatæ animæ, post beatum virum cum humilitate accelerant, veniam petunt, & impetrant.

S.Trudo cōtemnitur à quibusdam ob habitûs vilitatem. *Thren.3.* *Psal.44.* *Qui homines sint deplorandi.*

S. Trudo, compositis domi rebus suis, Metim proficiscitur. Cap. II.

S. Trudo Metim proficiscitur.

ORdinata demùm re familiari, disposita domo, impedimentorum seculi liber, peregrinationis suæ æquor venerabilis Trudo ingreditur. Videbatur sanè sibi cum beatis quondam illis patriarchis aliquid iam habere participij, tantaque seipsum consolabatur gratiarum actione, velut si in exilio patriam, apud ignotos affines, charosque iret penates inuisere. Prænunciatrix interim, vt solet, fama cùm de aduentu tanti viri quasi innotuisset, vicatim & de vrbibus confluebant omnis ætas & sexus, nec paruo se reputabat fraudatum, qui non meruisset medicinalis manûs eius tactum. Dulcis ad diuites familiaritas, hilaris ad pauperes liberalitas, infirmorum prætereà, longa licèt deuiatione, petita visitatio, & præstita curatio, festinantem morabantur, fugientem magis quàm abeuntem pia importunitate tenebant & prosequebantur. Manus enim Domini erat cum eo, dirigens in omni loco & negocio: & cùm vellet latére, palàm cogebatur esse: quia lucernam, quam toto studio volebat absconsam sub modio humilitatis, super candelabrum Ecclesiæ suæ exaltabat consilium diuinitatis. Ferebatur iamtunc per ora Metensium populorum, & de introitu talis ad se hospitis vir familiari suo inter loquendum quotidiè pollicebantur, & præeunte affectu, de mora causabantur. Præuiderat econtrà etiam ipse sibi suo illo vsitatissimo more, quatenùs aduentum suum silentio tegeret, nec quisquam nisi simplex & infermentata conscientia secum intraret: frustransque obseruantium excubias, ciuitatem ingressus, ad nobilem beati protomartyris accedit ecclesiam, quæ tempore famosæ illius animaduersionis, cùm iuxta prophetiam, nec scabelli pedum suorum in multitudine iræ suæ Dominus recordaretur, & persecutione Vandalica gladius eius totas Gallias demeteret, sola circunlabentibus incendijs absque vllius vstionis nota, illæsa permansit. Nam spontè rupto antemurali, turribus & propugnaculis sine vllo impulsu ab radice euulsis, hostis non longè post discessum auditam magis quàm factam ruinam cùm videret, rediensque instaurata crudelitate sanguini incendia misceret, palàm & ipsi pugnatori cognoscibilis beatus protomartyr super hoc suum oratorium stare videbatur, tota sanctitatis suæ armatura indutus, & ad defendendas gloriosi sanguinis sui reliquias, quæ inibi florebant, paratus. Hanc igitur tantæ authoritatis domum ingressus, quo affectu se effuderit, quàm rationabili obsequio hostiam viuam & placentē seipsum Domino immolauerit, marmora lo-

Cupit latere, nec potest. *Thren.2.* *S.Stephanus nō finit inflāmari oratorium suū.*

ra loquebantur, quæ decurrentibus lachrymis quasi irrigabantur. Crucem inprimis, deindè singula orandi loca circumiēs, ipsam Hierusalem, quam auditu quondam didicerat tenere, & campos, in quibus martyr lapidatus est, præ oculis se existimabat habere: reputansque secum lapidantium sæuitiam, lapidati constantiam, apertos cælos, benignum Iesum stantem, & piam auxilij manum pro se laborantibus porrigentem, non poterat auelli, & dulci mixto ploratu, lætitię suæ spectaculo fruebatur. Suspiransque in cælum, preciosæ iamtunc mortis admirator, tanto æstuabat amore martyrij, vt tormentum & causa si adesset, sine cūctatione ad contumeliam pro nomine Iesu se ingereret. In hac interim suæ contemplationis suspensus agonia, à curiosis quibusdam spectatoribus denotatur: recognitus & interrogatus, vsque ad Episcopum diuulgatur. Mittuntur statim palatini cum primatu Ecclesiæ, qui euocatum officiali reuerentia ambiant, & ad colloquēdum introducant. Act. 7.

Vt à beato Glodulpho Episcopo peramanter exceptus, res suas Ecclesiæ S. Stephani legârit. Cap. 12.

POst emensos igitur compendiosi itineris sui labores, tandèm vir Dei ad diù desideratum magistrum, venerabilem scilicet Glodulphum, introducitur, salua dignitate vniuersalis Ecclesiæ, Reginæ illi meritò comparandus, quæ à finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis. Qui Glodulphus S. Arnulphi, ex Duce quondàm Episcopi, & ex Episcopo solitarij, cùm fuisset carnalis filius, tertio nihilominùs loco eiusdem Episcopatûs successor, & paternarum virtutum sanctissimus enitebat æmulator. Statimq; primo adspectu, ex operante in se gratia, indissolubili amoris vinculo colligati, in mutuos ruunt amplexus, alter in patrem, alter in filium adoptantur. Et cùm in hanc alteritatē vnus duorū animus se quasi transfunderet, mirum dictu, facies beati Trudonis immutatur, & conceptæ in se gratiæ radijs, velut ex repercussione solis, totus illustratur. Non mihi nunc laborandum mutationis huius causas exponere, aut talis illustrationis mysteria aperire. Pleni sunt campi scripturarum, de quibus, etsi minùs nobis suppeteret, possemus decerpere, & aliorum labores, nostros vsus facere. Sed ad alia festinanti hoc solùm dixisse sufficiat, quia verè filius lucis fuerit, quem non alia, quàm spiritussancti, lux illustrauerit. In hac dulcis filij amica contemplatione sanctus pontifex aliquandiù delectatus, à turba circunfluenti remotum, in secretum colloquiū trahit, & de causa aduentûs, de itineris qualitate, de omni prorsùs euentu curiosus satis prouisor inquirit. Iter (ille respōdet) tam tuis, pater, orationibus, quàm beati protomartyris protectione, prosperum: causa autem aduentûs, nè præterirem, quod præcepit Dominus. Annunciante enim inprimìs Angelo, & rursùs in idipsum reuelationem testificante venerabili Remaclo Tungrorum Episcopo, beatitudinis tuæ iussus sum adire præsentiā, apud te rudimenta mea deponere, & ad lineam tuæ directionis omnes retrò dies meos corrigere. Prætereà vt ad commutationem diuinæ centuplicationis omnē hæreditarij fundi mei possessionem, quam in territorio Hasbaniēsi, loco, qui vocatur Sarchinium, super fluuium Cisindriam possideo, per manus tuæ authoritatis traderem beato protomartyri Stephano, tenore adiecto, quatenùs ab hac die & deincèps, tam industria tua, quàm omnes retrò diebus futuri huius loci pontifices teneant, possideant in vsus Ecclesiæ, cui authore Deo præsides, excluso refragatore & omni contradictore. Euocantur deindè ad subscribendū * primores & optimates, & facta solēni donatione, roborata est tota quondàm illa ampla & famosa beatissimi Trudonis possessio in Hasbaniensi territorio, sanctissimo protomartyri Stephano sub adstipulatione, priuilegio & iurissanctione. Cuius traditionis ordinem & testamentum ætas nō infirmabit, refragator non dissoluet: præsertim cùm protomartyre & confessore in vnam cohæreditatem filiorum Dei collatis, & ex participatione charitatis in eandem & ęqualem gloriam translatis, terrenæ quoquè huius possessionis vtrorunq; Ecclesia vna & eadem perpetua confœderatione permansura sit.

3. Reg. 10. Matth. 12. S. Glodulphus officiosè excipit S. Trudonē. S. Trudo filius lucis appellatur. Multa legat Ecclesiæ S. Stephani S. Trudo. * primatus

Vt literis erudiri se ab eodem Episcopo petierit. Cap. 13.

COnuersus itèm venerabilis Trudo ad Episcopum suum, Precor, ait, pater, quatenùs supplicantem filium respicias, & affectum, qui quodam veluti fune de tam remotis partibus ad te vsque, me pertraxit, considerata ratione in-

ne intelligas. Cùm enim toto afficerer desiderio, quatenùs de literarum, quam desiderabam, scientia occasio se offerret, rursusque obiecta adipiscendi difficultate, tamen à proposito intentissimus animus se nō relaxaret, admonitus sum post conditos traditionis meæ libellos, tuo statim vt subderer magisterio, informarer doctrina & exēplo. Cuius informationis ordo literæ vt sint, in omnes preces descendo: quatenùs imperfectum meum disciplina arguat, litera ostendat, & quod mihi de me displicet, considerato scripturarum speculo, imago veritatis coërceat & reformet. Præterea & ratio in idipsum suadet, vt post carnalia nostra, quæ seminauimus, spiritualia vestra metamus. Proficias, fili, respondet Episcopus, in omnis scientiæ plenitudinem, vt videas bona, quę sunt in Hierusalem: quique puerum mox Regem futurum, & sapientiam magis quàm diuitias petētem, vtroque tamen sublimauit, te quoquè sapientia impleat, & in pacificum Salomonem ad regendū Ecclesiam suam, oleo vngat lætitiæ, & confortet brachio virtutis suæ. Tradit deindè eum, præsente Ecclesia, in manus cuidam primario, prudēti & religioso cum omni grauitate & diligentia erudiendum, & de publico alendum: ostendēs & frequenter ingeminans, qua humilitate docendus, qua esset reuerentia seruiendus, qui nihil aliud esset, nisi virtus: cuius imitabilis vita, doctorum quoquè posset esse sufficiens doctrina. Quanti putas, ait, est, vt vir hic præcipuus hac, quam nos æstimamus, delectetur sapientia, cuius vox plùs quàm litera, intellectus & operatio plus est, quàm liber aut lectio? Sed iactum in sanctissimo homine omnis virtutis granum, necesse est inprimis sub disciplina moriatur, & rursùs natum litera cum intellectuali fomento oportet vt nutriatur. Nec defuit commendato alumno industria ad requirendum, intellectus ad retinedum: & quicquid magistra lingua plantabat exteriùs, artifex statim spiritus cum incremento distillatæ gratiæ rigabat interiùs. Et cùm in magistrū quotidiè proficeret, tanto discipulatu se comprimebat, vt, quod difficilimum est, & alios anteiret, & gloriam sine inuidia acquireret. Neq; verò propter intentissimum scripturarum studium de certaminis sui palæstra sibimet quicquam relaxare: sed velut si tot adessent incitatores, quot in manibus literæ, indeficientem itineris sui cursum ad Deum dirigere.

Cupit literis erudiri.

Psal. 127.
3. Reg 3.

Traditur literis imbuendus.

Multùm in illis proficit.

Vt diuinitùs punitus sit quidam eius obtrectator. *Cap.* 14.

ADest iterùm reparatis anfractibus inimica serpens, & rediuiuo capite vires induitur, venena instaurat. Ac veluti cùm athletam frequenti palma gloriosum in spectaculo arenæ vsus victoriæ fecit descēdere, qui impares viribus sunt, quadam vicissitudine se subijciūt, vt victo vno alter subinducatur, & subacto altero, itèm alter ad expugnationē valentioris substituatur: quatenùs totiès quasi renatis pugnatoribus, qui roboris parilitate nō vincitur, saltem ex crebra succedentium alternitate superetur: sic in hominum Angelorumq; spectaculo, Iesu præsidente, & beato Trudone ad certamen egrediente, cum toto impugnationis suæ manipulo inimici impetus prodit, si fortè molliorem inueniret, quem crebra victoria quasi lassis viribus fatigaret. Nam primò in destructricis fœminæ superbia, secundò in detrahentium puerorum victus iniuria, tertiò nunc pugnaciùs, frustrà tamen, se obijcit, quia ad feriendam tam robusti pectoris patientiam non pertingit. Sed nè demorer auditores, in longum trahendo similitudinem, œconomus, qui & dispensator annonæ publicæ erat, beato viro ad quotidianos sumptus stipendia dispensare solebat: hunc tanquàm ex opportunissima occasione virus illud inimici cùm perfudisset, & natis inimicitijs contra innocentissimum iuuenem animâsset, nec leuiter conceptam malitiam ferebat, nec facilè ori imperabat. Quotidiè detrahere, & quotiès pestis illa incaluisset, nihil minùs expectantem crebris non parcebat obloquijs infamare. * Stabat vir Dei, & recognoscens hanc quoquè technam esse inimici, Dominum pro inimico deprecari: interdùm &, sedata illa tempestate, persecutorem beneficijs aggredi, & quotiès deliniisset, totiès sic gratulari, velut si cedente inimico, victor ipse abiisset. Sed quia quorundam peccata manifesta sūnt, præcedentia ad iudicium: quod modò patientia oratoris extinguebat, rursùs insania diaboli in miserabilem illum accendebat: quatenùs & militi Dei non deesset tentatio, & tentatorem festinata occuparet damnatio. Hoc duorum longè dissimile certamen aliquādiù cùm traheretur, ventum est ad clausulam, & more solito captiuus ille euomit blasphemiam. Circunstante multitudine, Quid sibi, inquit, vult aduena iste, vt de remotis

Satan crebrò eum nititur in ruinam impellere.

Oeconomū incitat aduersùs eum.

for.* Sciebat

Eum S. Trudo beneficijs studet lenire.

1. Tim. 5.

tis terrarum partibus huc ingratus veniret, & desidiosus absque opere, alieno cibario ventri morem gereret? Nunquid aut Hasbania prèter solitum panes * dehabet, aut ociosos nemo nisi Metis semper alet? Populus qui adstabat. Non satis sanè, inquiunt, frater de aduena debaccharis, quem & claritudo generis, & quod vrbi huic frequenter compertum est, multitudo commendat sanctitatis. Aut cur calumniaris de panis eius inopia, cùm beato nostro protomartyri tradiderit, quæ terrarum dominos decerent, patrimonia? Causam si quęris, ea vel maxima est, vt exerceatur in scripturis, quas post prima literarum elementa iam inchoauit à Psalmis. Sed cùm ad hanc prudenter incantantium vocem surdissima aspis aurem obturaret, & velut draconum calice potato, iterata inuectione, complosis manibus, iurgia furori adderet, Imprecor, cum derisione ait, vt cùm hic memoriter habuerit Psalterium, pœna in me redundet non alia, quàm dolor dentium. Audiuit Dominus, & prouocatus ad iracundiam, interim tamen serui sui distulit † contumeliam. Annus quoque defluxit, & capacissimus iuuenis secundùm operantem in se spiritum, memoriter perfecit Psalterium: dispensatorem verò secundùm cor impœnitens, & deuotationem labiorum suorum inuasit dolor dentium. Crescebat in dies malum, extendebatur pœna, vt vel ex tormento cogeretur honorare, quem ex spiritu superbiæ non erubuerat infamare. Vox incondita, manus incontinens, prætereà totus homo traditus in interitum, testabantur in eo magis dæmonium, quàm dolorem dentium. Nec requieuit pœna, donèc expleta dierum suorum sufficienti malitia, extorqueretur & anima. Audiant hoc vel exemplum vel pœnam, quos nec patientia Dei ad pœnitentiam, nec dilatio adducit ad veniam. Audiant œconomi & dispensatores, & recognoscant se non dominos, sed procuratores: comministros, non præiudices. discant seruire, non detrahere: humiliari, & non superbire. Audiat & lingua, malum procax & venenatum, stimulus furoris & auriga superbiæ, & discat meliùs tacere, quàm loqui: orare magìs, quàm imprecari. Omnibus in exemplum satis est œconomus vnus, dispensator cum detractione, repræhensor cum superbia, ad pœnitentiam dilatus, non tamen admissus, malum linguę punitus in vicino dente, dæmoni demùm traditus in morte. Hac quoquè de inimico accepta victoria, athleta Dei Trudo de campo certaminis ad seipsum redit, & stupentibus de tali miraculo Episcopo cum tota ciuitate, ipse robur suum cum infirmitate, honorem componebat cum humilitate.

> * debet, pro, nô habet.
>
> Psal. 57.
>
> Vide hominis liuidi amentiam.
>
> Videtur deesse † vlcisci
>
> Punitur diuinitùs obtrectator.

Vt ad sacros ordines promotus sit. *Cap.* 15.

TRansfertur deindè ad liberalium instrumenta artium, iactoque inprimis fundamento Grammaticæ, mira facilitate superædificat statìm totum illud genus scientiæ. Tædio plerunquè, vt solet, si afficeretur, solatium sibi Psalmos adhibebat: eos intenta mente ruminabat, & mira alternitate laborando, vires resumebat: elongansque se fugiendo, manebat in solitudine: quia à strepitu & philosophorum disputatione penna contemplationis sublatus, in remota mentis perseuerabat intentione. Vbi verò ad Ecclesiasticas ventum est scripturas, tanto earum amore ductus est, vt præterita omnia contemneret, & in adipiscendo clericatu, totum se quasì expediret. Ingressus ecclesiam beatissimi protomartyris, renunciat scholasticis, manibusq; Episcopi sui tonsuratus, exuit laicum, & indutus clericatum, iuratus in Christi bella miles assumitur, & ad expugnandum Pharaonis equitatum, gladio spiritussancti accingitur. Proficiebat interim giganteis, vt ità loquar, passibus per gradus Ecclesiasticos, donèc concordi acclamatione omnium peteretur, traheretur ad sacerdotium. Qui iustus, vt scriptum est, suî in primordio accusator, cùm admirabili illa mysteriorū perterritus magnitudine, primò resisteret, demùm cessit, & composito ad timorem amore, accedit ad quod eligebatur. Cuius sacerdotium non dignitatis præsumptio, sed maximæ humilitatis facta est imitatio: qui nec gradum præsumere, nec aliorum, cùm posset, distulit curam assumere, non sua, sed quæ Iesu Christi sunt, quærens: nec sibi, sed patriæ, immò toti orbi genitum se credens. In cuius sanctissimo ordinationis die mater Sion, dilatatis terminis, longos fecit funiculos suos, & in exaltando hunc vnicum filium suum, multitudini prouidit fidelium. In accessu enim eius ad cœnam nuptiarum agni, dotis suæ magna quædam munera statìm in eo transfudit, condens in arca pij pectoris tabulas dilectionis & virgam correctionis, addito ad vtrunque manna admirabilis doctrinæ. Quibus charissimæ matris suæ optimis munerì-

> Discit artes liberales S. Trudo.
>
> Itèm scripturas sacras.
>
> In Clerum asciscitur.
>
> Prou. 18.
>
> Initiatur sacerdotio.
>
> Non quęrit quæ sua sunt, sed quę Iesu Christi.

muneribus fidelis filius ità semper vsus est, vt & omni indigenti ea diuideret, & semper integra ad consepeliendum sibi reseruaret. Aret eloquium, & inualescente materia, ingenium succumbit. Quis enim dignè explicet, quanta non tantùm corporis, sed & animæ mũditia, sancta illa tractauerit, quanta omnis virtutis commendatione illos dies continuauerit? Ieiunia & eleemosynas si loquar, parùm est: continentiam & suimet pro Christo contemptum si dixero, quanti hæc sunt? Minima hæc & puerilia eius fuerũt: in his ablactatus, in his totus est educatus. Gratias tibi bone Iesu, cuius operatio in seruis tuis inenarrabilis, misericordia est incompræhensibilis.

Corporis & animi munditia.

Quibus verbis instructus sit, cùm est missus ad concionandum. Cap. 16.

MVltiplicatis autem diebus, cùm iam in eo esset, vt lucrati talenti sanctissimas merces natiua quoquè eius terra experiretur, morum & ętatis iam adepta maturitas, de repatriatione admonebat. Venerabilis quoquè pontifex considerans commendatum alumnum in Euangelicum iam profecisse doctorem, & de multis virtutibus quasì compactum vnum hominem, in prospiciendo de gregis Dominici augmento, accersitum talibus adorsus est: Cùm sis, ait, planè fili charissime, secundùm datam tibi gratiam desupèr, ex omni sanctispiritûs armario non modicè roboratus, iamque ex officio curæ sacerdotalis scias & possis ex aduerso ascendere, & opposito pro domo Israel muro, in prælio in die Domini stare, oportet te quoquè vnà nobiscum in Dominicæ plantationis vinea laborare: quatenùs qui nunc participamur officio, cùm venerit ille Dominus vineæ, participemur & denario. Si enim de cõmisso arguitur, qui acceptam pecuniam ad mensam Domini non partitur: quanta liberalitatis manu te oportet distribuere, quod luce clariùs liquet te tuî solius causa non accepisse? & cùm præeunte sapientia, ætatem quoquè attigeris, nè verearis (quæso) fieri custos vasorum Domini: quæ testibus Angelis hodiè tuæ committo filiationi, vt quantoscunque ex errore ad viam conuérteris, totidem sanctificationis vasa Domino ad inhabitandum acquisîsse in finem gratuleris. Quapropter accepta authoritate ab Apostolatu sanctæ huius Metensis Ecclesiæ, accingere in redeundo ad partes Hasbaniæ, quæ magna ex parte adhuc seruit sub idolo, & cultore eget catholico. Optimam hanc tibi iniunctam velim prouinciam, quatenùs vbì abundauit iniquitas & superstitio, abundet fides & Christiana religio. Discant igitur animalia diaboli, te frenante, iugum ferre Domini, vt gustato sale, qui in te est, qui nunc nil nisi barbarum nôrunt frendere, tandèm in dulce Christi melos incipiant verba frangere. Te quoquè de te vt admoneam, liber legis semper versetur in ore, rationale imprimatur in pectore: vt iuncta cum omni tua doctrina antiquorũ patrum authoritate, ex grauitate vitæ cunctis possis innotescere, quantam omnis boni rationem portes in pectore. Si enim ex beneficio omnia dispensantis Dei, Angeli vocamur, omni studio necessè est scientiam vt custodiamus: vt lex, quæ ex ore sacerdotis requiritur, Angelo interpretante, efficaciùs exprimatur: & quos ignorantię infirmitas deorsùm grauat, Angelicæ scientiæ volatus sursùm trahat. In augmentãdo prętereà populos, nouæ acquisitionis ecclesiã Domino ædificabis, in qua lucrati gregis incrementum proficiat, & cum fructu bonæ operationis, ad omnipotentis pastoris perpetuũ ouile vnà cum duce suo tandèm perueniat. Nec graueris de nostra interim separatione, quorum affectum tempus non imminuet, locus nullus diuidet, donèc ex æternitatis beneficio vna & eadem nos excipiat superni patris mansio. Hæc & huiusmodi prudens magister cum fideli concionatus alumno, dissociabiles condunt libellos, & alter frequenter admonendo, alter libenter audiendo, dum moras nectunt in agẽdo, iterata benedictione, ingeminatis osculis, vtrorunque lachrymis tandèm discessum est.

Ezech. 13.
Matth. 20.
Hasbania magna ex parte adhuc aliena à fide.
Innotescere, actiud.
Malac. 2.
Ibidem.
Mittitur in Hasbaniam ad concionandum.

Quàm dolenter eum à se Metenses dimiserint. Cap. 17.

PRoficiscentem autem mixtum genus stipato agmine prosequitur, & impedito tumultu pium sacerdotem ægro affectu mœsta turba inclamãt. Egens liberalitatem, diues familiaritatẽ, infirmus medelam, postremò vnusquisque beneficiũ, quo vsi erant, non sine fletu inculcando prætendebant. Beata, aiunt, patria, tellus felix, quæ in te recipiendo, damno nostro ditabitur, mœrore consolabitur. Nos extremæ fortunæ prodigium, quibus de semèl accepto non conce-

Quàm charus fuerit Metensibus S. Trudo.

conceditur perfrui: aut si recedendum omninò erat, concederetur etiam nobis recedentem te comitari. Enimuerò esset tolerabilius,& in comparatione mali, beneficium reputaremus,si aut inexpertum populus hic non cognouisset,aut post cognitionem cum abeunte transmigrare liceret. Nunc beneficijs nostris alienus possessor gratulabitur: nos genus relictum & populus repudiatus, ad rapinam & miserias exponemur. Sed pius sacerdos,quem & miseratio super charos conciues, compungebat,nec tamen affectus inclamātium,à proposito & iniuncta obedientia deflectebat,optima quæ habebat munera,suis supplicibus diuidit, breuem & salubrem exhortationem,addita benedictione: sicque extremum vale dicens, mœstum agmen omnipotenti Domino commendatum dimittit.Laudent alij Curios, & nomina vana Catonum: mirentur de interfectorum sanguine victorias, & captiuas animas vinctis post tergum manibus triumpho additas, fauorabili strepitu theatra vana remugiant. Plus certè his omnibus athleta Dei Trudo in die consulatus sui, in hac ciuitate Domini virtutum reipublicæ suæ intulit: quem Christianorum viuens & liberrimus populus prosequitur, pauperumque suorum consolata turba præcedit, nec alias quàm benignitatis & misericordiæ laudes plaudit. Plus,inquam,intulit,qui nullius vnquàm prosperitate fractus est, qui nullius risit aduersa: quem semper inuitum secutus est honor: qui virtutū quadriga inuectus, memoriam suî in benedictione posteris reliquit. Illos autē aliud nil manet, quàm tormentum & ignis. Continuato igitur itinere, Tungrēsem deuenitur ad vrbem, quæ omnium Galliæ Belgicæ vrbium quondā vel maxima,vel æqualis: nunc quasi excisa & diruta, Vandalicæ deuastationis omni futuræ ætati perpetuum & fidele nimis monimentum relinquit. Illic charissimum patrem suum, venerabilem Remaclum Episcopum cùm inuenisset, mira vterque alacritate repleti,gaudia sua communicant,& de omni euentu & fortuna alter alterum solita illa sua familiaritate docent & instruunt. Tum verò Episcopus tanti sacerdotis sapiētiam & profectum sua lucra reputans,eum in opus Euangelij collegam & quasi cōmilitonem sibi assumit: & partito curæ pastoralis onere,ecclesias ordinare, & verbum Dei in diœcesi sua iniungit annunciare: vt quotiès manus pontificis pro Israël extensæ cū Moyse grauarentur,totiès ex ministerio sacerdotis,tanquàm Aaron adminiculante,sustentarentur. Et peracto aliquot dierum familiari contubernio,sanctæ animæ post mutuam & sufficientem suî consolationem, ad negocia sua redeunt, ille ad requiescendum cum Maria in cælestium contemplatione, iste ad laborandū cum Martha in ecclesiarum solicitudine. Non multò pòst enim sanctus Episcopus pertæsus secularium tumultuū,abrenunciatis omnibus,in suo Stabulensi monasterio monachum profitetur,ibique secum habitans,sanctū Theodardum,posteà Christi martyrem futurum,in Episcopatu successorem habuit.

Redit ad Tungrēsem vrbē incolumis.

Exod. 17.

Luc 10.

S. Remacl⁹ monachū profitetur, cui; S. Theodardus succedit.

Vt eius hospita nocte duo luminaria supra illum viderit. Cap. 18.

CVm prætéritur intereà territorium,viculus quidam fatigato & ieiunijs attenuato homini Dei officiosum satis præbet hospitium. Humanitate ducta tota illa rusticana, sed fidelis multitudo, obuiàm prodit, vnusquisque pro se,omnes autem in commune vnius saltem noctis cohabitationē vt mereantur,pro beneficio petunt & impetrant. Ingressus ad officiosos hospites,solita illa sua consuetudine in primis de diuite vena exhortationum deducit fluenta,& irrigans prata mentium,diem trahit vsque in occasum. Vnus,qui vel potentior,vel erga cultum Dei religiosior,cæteris imperitabat,fusa prece obtinet, vt recedente multitudine,secum in domū declinet,epuletur, & pernoctet. Hortus mansioni erat contiguus,arborum proceritate in nemus excrescens,qui à fructu deducto nomine,pomarium vt appelletur,vsus obtinuit. In eo lectulus,quali solebat vti,non mollitie blandiens,sed somno vix consentiens,vt sibi paretur imperat, vel propter declinandos æstiui illius tunc temporis parùm mediatos calores, vel vt orantem sua remota solitudo iuuaret. Et iam nocte mediante hora declinabat, cùm de thesauris omnipotentis Dei miraculum ostenditur rarum & celebre,& ad commendandam tanti viri sanctitatem, omnibus retrò seculis sufficientissimum. Lux enim illa cælestis, quæ sine vllo suî detrimento sola lucet in tenebris, super eum incanduit,& diuisa ad magnitudinē phari partim ad pedes, partìm ad caput, totum hominem,depulsa illa caligine,mirabiliter illustrauit: nec ad horam, sed maxima ex parte noctis, cum eo perdurauit. Mulier hospita primo gallicinio excita,

Ioan. 1.

Lux cælitùs fusa, immineere cernitur S. Trudoni.

excita, subitæ lucis terrore concutitur, plusque suspicans periculum, quàm sperans miraculum, lectulo excutitur: foribus reseratis, domum festina egreditur. Neque enim ad morem luminarium, qualia ductili cera artifex manus solet effigiare, lux illa erat: sed ignito iubare Solis quoquè, cùm in virtute sua lucet, superans claritatem, non vnius sanctæ requietionis mansionem, sed & totam circunquaquè illustrabat regionem. Recuperato spiritu, & hospitæ sanctitatis mulier rememoratæ, maritum quoquè stratu elicit, & ad participandum de visione talis miraculi secum pertrahit. Stupore suo vterque ædificati, miraculo aliquandiù consolati, accepta beneficia mira cum alacritate hi in domum suam reportant, vir Domini ad palæstram suam se erigit: residuumque noctis vigiliæ & orationi dedicans, labium ab oratione, mentem non relaxabat à contemplatione. O virum omni virtutum præconio laudabilem, cuius sanctitatem cælum loquitur, lux incircunscripta testatur. Quem etsì curuæ in terris animæ, & cælestium inanes nō possumus imitari, vtinàm suo cum auxilio dignè saltem valeamus admirari. Manè in lucem sole nato redibat, & vir Domini de profectione parabat. Adest rursùs tota illa multitudo, hospites inprimìs cum grege domestico, & ordinata quasì obsidione, cogūt magìs quàm postulant, diem quoquè illam apud se vt continuet, precium hospitij docēdo turbam recompenset. Volens vincitur, & benedicens Dominum de feruore Christianæ religionis, omnibus se exoccupat, vnam diem totum se multitudini donat. Bibebant omnes de spirituali †, & emendatæ animæ ad fidem roborabātur, & omnipotenti Domino reconciliabantur. Inter cætera admonitus ab hospite beneficij, filium eius nupèr natum catechizat, & allata aqua ipse sanctificat, ipse immergit & baptizat. Has sanctitatis suæ gazas diuidendo totam diem cùm continuâsset, persoluto iam fœnore, viculum optimis muneribus ditatum relinquit, cōsolatis omnibus, viæ suæ se reddidit. Populus non immemores beneficij, locum in quo lux illa resplenduit, in memoriam eius oratorio dedicant, vicum quoquè deriuato vocabulo, Trudonecas, appellatum, filijs suis in omnem retrò progeniem sic nominandum hæreditariè relinquunt. Plurimis prætereà, & penè innumerabilibus sanctitatis suæ monimentis illud reditûs sui iter cùm illustrauerit, hoc vnū ideò notum, quia publicum: de cæteris secreti obumbratione notitiam ipse suppressit. Hæc de glorioso Christi sacerdote habui hodiè quæ dicerem: cætera audietis cōmodiùs, si, quæ supersunt, alio aggrediamur principio, & dicendi munus aliquanto interim raparemus silentio.

† nonnihil deesse videtur.

Oratorium conditur eo loco, vbi visa lux fuit.

LIBER SECVNDVS.

Quanto cum gaudio exceptus sit à suis, ad illos reuersus. Cap. I.



POstera lux oritur, multò gratissima patriæ: quæ post fastidiosi desiderij moras, expectatissimi sui Trudonis aduentum ministra fama cùm cognouisset, noua induitur lætitia, & mutata facie, in occursum progreditur. Domus omnis, municipia, vici, certantibus studijs cum coniugibus & liberorum agmine, vno officio, indiscreto affectu se in obuiàm eijciunt. Satis autem tardus ætate, aut morbo confectus, quem desiderium non expediret, aut amor recepti patroni occursui non prępararet. Benedictionem omnes flagitant, tactum requirūt. Sufficit postremò multitudini, vel comitatui interesse, vel viuæ vocis eius efficaciam audire. Hoc amicæ plebis tumultuario affectu in suum Sarchinium inuehitur: ibì vna misericordia omnibus compatiens, alios castigatione emendat, alios consolatione roborat, omnes postremò benedictione confirmat. Præfectoriæ nihilominùs dignitatis sublimitas, & consanguineorum eius nobile & religiosum genus, dies omnes & noctes cum eo continuant, & exoptatæ eius receptioni studiosum contubernium exhibent. Requiescebat enim in eo viuificans ille spiritus sanctus adinstàr Apostolicæ conformationis, ità vt nec conscientiæ deesset authoritas, nec literis doctrina, & quotiès ratio exposceret, statìm miraculum ex meritis coruscaret. Multiplicabantur interìm sata Euangelij, & crescente religione, nouus quotidiè populus ad Ecclesiarum castra conuolabat, & lucratæ animæ in vnitate fidei componebantur.

Cupidissimè excipitur à suis.

Multos cōuertit ad Dominum.

Vt

Vt templum condiderit, quod se facturũ adhuc puer promiserat. Cap. 2.

TVm verò in quotidiana religiosæ multitudinis augmentatione plurimùm delectatus, optimum factu arbitratur, Christiano exercitui cœnobiale vallum erigere, vbi cum impugnante se inimico, fide magis quàm iaculo, oratione quàm gladio, dimicaret. Et noti non immemor pręsidij, ad Christum conuertitur, cooperationis beneficium vt præstet, deprecatur. Recolens etiam voti suæ illius quondàm pucrilitatis, & quia periculosè vouetur, quod post votum non redditur, concepta authoritate lineam iacit fundandę ecclesiæ: in id operis tota animum defigit intentione. Rogatus Dominus, vt semper, indefesso laboratori suo se exhibet, & felici successu artem dirigit vsque in perfecti operis consummationem. Dedicata ad votum ecclesia per beatum Theodardum, sanctissimi martyris Quintini, necnon & gloriosi Rhemorum Archipręsulis Remigij memorię titulatur, reliquijs honoratur: vt quos pro suis meritis receperat cælum, domûs quoquè vnius veneraretur obsequium. Dote dehinc sufficienti ex collatione adiecta, fidelis multitudo adunatur, cœnobium beati Trudonis, seipso authore, inchoatur: quo etiam tempore Floriacense sancti Benedicti cœnobium, à Leodebodo Abbate fundatur. Ingrediuntur illuc palatina dignitas & curialium fastus, cum paupere & ex seruitio cõuertente, portat iugum Domini, nec discreuit sancta animalia diuitiarũ aut paupertatis conditio, quæ ad seruitium omnipotentis Dei charitatiua iugauit religio. Multi prætereà nobilium, filios cum patrimonijs in commutationem supernæ hæreditatis ibidèm deuouerunt, felices sub talis doctoris magisterio, qui nil præter cælestia, nil docebat aliud, quàm spretis carnalibus ambire spiritualia. Cuius omnis sermo sufficienti sale condítus, & in nationes eloquij eruditionem diffundens, multos ad Deum præmisit, innumerabiles ad sequendam magistri viam informauit. Factumque est, vt qui spreta quondã maritantium iugali copula, hæreditate relicta, puer adhuc continentiæ se deuouerat, in cælibatûs sui testimonium pro coniuge ecclesiã, pro hęreditate Christũ susciperet, & quantoscunque instruendos acciperet, totidẽ quasi spirituales masculos tabernaculo generaret. Qui cùm, vt frequèns iam dictũ est, sibimet secretũ magis, quàm notitiam: contemptũ, quàm honorem semper elegerit, inuito tamen illo & tanquàm reclamãte, qualis fuerit, omnipotens Dominus in sole posuit.

Templum condit, vt adhuc puer vouerat.

Initia monasterij S. Trudonis, itẽque Floriacensis.

Vouet Deo castitatem adhuc puer.

De equo vel asino eius, à fure ablato & reddito. Cap. 3.

PArochiam supplicantem alquandò visitaturus, clericorum stipatus agmine, itineris laborem & corpusculi imbecillitatem vehiculo vt leuaret, multis precibus vix obtinuerunt: cùm subitò itineri infestus satis viator accrescit, & furem, quod erat, tota arte dissimulans, inhęret agmini, iungitur cõtubernio, hospitio participat. Sacerdos ad quod venerat, solicitus, exhibita castigata exhortatione, ædificatæ plebi de more Missam celebrare ingreditur. Occupatis custodibus, vtpotè qui magistri doctrinæ magis, quàm animalium officio, solebant inuigilare, officiosus ille latro malitiam pręsumit, & iumentum, quo senior sedere consueuerat, arripiens interim euadit. Expleto negocio, amissio vehiculi agnoscitur. Dissimulantibus cunctis, vnus præsumpta authoritate, rei familiaris damnum cum querimonia in notitiam sacerdotis perducit. Ille nihil motus, magis autẽ, vt semper, inter damna hilarior, Patientia, ait, opùs est, magisque peccatũ deflendum, quàm damnũ. Aut cur quis queratur de vehiculo, cùm æquè omnia in manu Domini sint, sicut iumentum, itá & homo? Nec diù intercessit, cùm furti reus, captiuante inimico possessus, pessimo possessore stimulatur, multis tormentis ad ipsam penè mortem cruciatur: & præsumpta in seipsum accusatione, damnum beati Trudonis, causam suę fatetur inuasionis, eum per omnia protestans Dei seruum & amicum, cui vel in rebus minimis cęlestis deseruiret vindicta. Et cùm à parẽtibus miserabilis illa captiuitas ferro quoquè vincta traheretur, inimicus sacerdotis timens authoritatem, delitescere cupiebat, suæque possessionis miserrimum vas conquassando dissipabat. Impeditus multitudine, nodositate coopertus, tandèm quasi ad tribunal vterque possessor & possessus pertrahuntur, ille perpetuæ damnandus captiuitati, iste necessariæ reddendus libertati. Rogatus sacerdos, miseratione, qua semper totus in Domino redundabat, flectitur, fugientibus quasi periculum alijs, ipse accedit, manu blãda os, faciem, & caput furiosi attrectat, & frequenti totum hominem depingens signaculo, in remoto sacrario secum componit: ibi celebri oratione cęlo defixus, imperiosa autho-

Fur tollit beati viri equum.

Vltio cælestis furẽ persequitur.

Curat furẽ à dæmone arreptum.

ritate inimicum eijcit, & liberatam animam Ecclesię conuentui reconsignat. Emendatus homo reddit gratias, & reliquum vitæ suæ tempus ex doctrina liberatoris sui religione castigat. Hoc primum beati Trudonis miraculũ enituit, postquàm ex peregrinatione sua Sarchinium reuisit. Quo tota vicinia quasi pręgustato, tanta deinceps auiditate desiderio satisfaciebant, vt quotidiè indiscretum agmen confluerct, & oblita potestatis dignitas secularis, religiosa fide ad doctrinam excubaret sacerdotis. Satis honoratus, & inter suos spectabilis, cuius vel fides mereretur, vel importunitas extorqueret, vt petitioni condescendens, domum suam visitaret, familiam benediceret. Nec defuêre quidam, ad quos cùm religione postulantium victus descẽderet, inter cætera etiam miraculis illustrarentur.

Vt è terra fontem produxerit. Cap. 4.

VIr illustris, nec minùs religione, quàm opibus clarus, coniugẽ habens similem moribus & cõuersatione, frequenti & supplicatoria legatione coactũ hominem Dei, ad sanctificandam mansionem suam, de monasterio extrahere laborabat. Quem cùm amicum haberet pro morum honestate, consanguinitas quoquè ad nodũ familiaritatis accesserat. Petitionem cùm sine molestia recusare non valeret, data die, cũ religioso discipulatu egreditur, expleto itinere peruenitur. Aduenienti competens & officiosa mansio præparatur, sumptus extruitur: quanto hospes sanctior, tanto minori impensa, vtpotè, vbi plùs animæ satias, quàm corporis refectio requirebatur. Diffamatum de aduentu tota prouincia pręcesserat, porticus cum atrijs suis vix sufficiebant receptui multitudinis. Mansionem totã perpetua aquæ sterilitas damnauerat, nec nisi aliundè petita vsui proderat. Agro & pecude domus abundans, aquæ penuria affligebatur. Ingressus senior, doctrinã incipit, & studiosis auditoribus in vsque vesperam exhortationis refectionem trahit. Recedente frequentia, famulantiũ grege circa negocia partito labore occupato, ipse cum religiosis hospitibus interim circa domui contiguã arboream pomarij plantationem se exoccupatum exponit, & leni deambulatione diurnę fatigationi medetur. Et considerata loci opportuna amœnitate, Habilis, inquit hospitibus, habitatio hęc, & quam situs ipse commendaret, si non aquæ penuria iniuriam irrogâsset. Quo respondente, Etiam domine: misertus incommodi mansionis, virgam, quam ex occasione manu gerebat, terræ defigit, illa nimirùm vsus fiducia, qua apud conditorem omnium Deum, quicquid collibuisset, fusa prece obtinere solebat. Retractam ad se virgam statìm fons irriguissimus, & in amnem sufficiens, subsequitur: quo potata plebecula, vsque in hodiernum diem fons S. Trudonis vt appelletur, obtinuit. Sicque soluta mercede hospitij, duplici bono rure cõsolato, in crastino monasterio se restituit. Et nè vetustas memoriæ inuideret, hospes ille paterfamiliâs, fauẽte multitudine, oratorium nomini eius erigit: in quo adhuc ad inuocationem viri Dei, infirmãtium recuperat vires debilitas, fortium sanitas roboratur. Totum prætereà rus Amburia, mutatis literarum penultimis, quasi Ambullia, hoc est, amne bulliens, posteritati vocabulum fecit.

Prolixè admodũ cõcionatur.

Facilimè elicit fontẽ è terra.

Fons S. Trudonis.

De verre, eius precibus mansuefacto. Cap. 5.

VNum adhuc ex plurimis hospitalitatis eius monimentum referam, vt ex his lector possit agnoscere, nullum vnquàm eius hospitium sine miraculo remãsisse. Domestica enim eius & quotidiana, quę suî multitudine renascẽtes quoquè humeros fatigare possent, melius arbitror diuinitati cõmendare, quàm parùm loqui. Gothmundus quidã benè ingenuus, cuius etiam claros natales religio clariores reddiderat, præsumpta spe obtinendi, visitationem eius solicitabat. Filium ex legitima copula vxor ei genuerat, quem rogatus sacerdos baptismate regenerauerat. Vtrunque consentiens fidei, aduentũ non renuit: vnam diem beneficium eis facit. Illustrata domo, erudita familia, de reditu paranti hospes, Verrem, ait, pater tibi deuoueram: sed absentia muneri, feritas voto inuident. Grege recusato, pastores negligit, saltu vtitur: possessores nè simus, facit. Adde hospitibus beneficium, votum quod ex fide vouimus, nè pereat, sed authoritate tua mutatum pecus, vsui tuo famuletur. Beneuolentiæ, senior respondet, ex me gratia: voto autem merces à Domino recompensabitur: cuius imperium faciet, vt mutata feritas, in obsequium seruorum suorum transeat. Erogata benedictione, ad monasterium reuersus, ecce votiuũ illud pecus in foribus tanta mutatum mansuetudine, vt & manu delectaretur, nec vltrà abesse vellet. Parum id videatur eis, qui nil nisi elementorũ concussiones, & mutatas

Mansuescit subitò pec' indomitũ.

in

in contrarium naturas rerũ, miracula reputant. Mihi certè nihil minùs in hoc, quàm in cęteris omnibus factis suis vir Dei est mirabilis. Si enim ipse summus opifex Deus in omnibus creatis æquè est mirabilis, vt in Angelo, sic in verme: vt in camelo, sic & in culice: cur non & electos eius æquè mirabiles prædicemus, sicut hominum morbis medicantes,ità & bestiarum feritati imperantes?

Vt noctibus solus adierit loca sacra, idque mirè celauerit. Cap. 6.

QVi cùm imbecillia vix membra portare valeret, vtpotè quæ ex quotidiano spiritûs labore quasi in pilam attriuerat, nescio quid tamẽ semper in seipso vindicabat, & quasi exquisito tormento ipse se persequebatur. Et cùm plerunquè, vt solet, à religiosis quibusdã, suîmet vt misereretur, & pœnã, quam sibi consciuerat, vel modicè vt temperaret, rogaretur: Omnes vos, aiebat, consolatores onerosi, & amici non benè misericordes. Si enim Apostolus tribulationẽ super tribulationem, spem super spem ædificabat, dicens: Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit: quanta putatis perseuerantia elaborãdum, vt tribulatione & spe perueniamus ad certamen illud legitimũ, sine quo non coronatur ipse Doctor gentium? Habebat autem vsitatissimum memorias Sanctorum frequentare, eas circumeundo debilitati leuamen facere, & quasi ocium laborem itineris reputare. Quod tamen tanta celabat industria, vt die dissimulans, nocti semper magis se crederet, alijsque diurnum tædium nocturna quiete cõsolantibus, solus ipse & sine arbitris fatigatione sua perfrueretur. Fundus erat, cui Falmio vetustas vocabulũ indidit, & in eo memoria beati Martini, tribus fermè millibus à Sarchinio disparatus. Alius similiter viculus Septemburias, pari distans spatio, beatæ virginis Genouefæ nomini titulatus. Hos partito labore ità sibi æquauerat, vt alternatis noctiũ vicibus, nunc hunc, nunc illum inuiseret, nec vlla nox prorsùs præteriret, quin alterutrum frequẽtaret. Expleta psalmorum melodia, mactato seipso sufficienti holocausto, die præuenta domum se referebat, nè aut fauor bonum conscientiæ respergeret, aut alium, quàm Christum, occulti sui testem lux orta admitteret. O seruorum Dei constantiam: ô robur de cælo, in vasculis humanæ huius infirmitatis perdurantissimum. Quis vnquàm speraret, cui aliquandò persuaderi posset, hominem cùm ætate, tum quotidiano suîmet cruciatu affectum, tantum laborem posse continuare, quantum delicatè & sibimet viuentes seculi huius consolatæ personæ, vix aut nullo modo auderent præsumere? Ille quem biduana, aut plerunquè triduana affecêre ieiunia, cui rarò aut nunq̃ molliori stratu somnus irrepsit, qui seipso persecutore indeficientes pro nomine Iesu cruces sibi adsciuerat, vsque ad vltimam tamen huius necessitatis diem ex auxilio supernæ manûs perdurauit, & impositum ceruici iugum ad vsque consummatam Ecclesiastici agri lineam sine vllo defectu portauit. Qui (quod tamen pace Sanctorum omnium dixerum) nihil minùs à magnis martyribus cælesti illi calatho intulit: cui etsi, iam pacata, & in vnitatem fidei composita Ecclesia, tyrannus defuerit, ad lilia tamen cõfessionis, seipso tormentante, sufficientes martyrij rosas addidit. Qui enim ex charitate Dei animam suam sic odio habuit, qui nullo impugnante sic pugnauit, persecutorem si ratio obtulisset, quis vnquàm pugnaciùs restitisset? quis gloriosiùs triumphâsset? Nec carebit martyris præmio, cui affectus non defuit, cùm satis constet, quia quod multi olim subiêrunt ex necessitate, iste semper portauerit ex voluntate.

Rigidus est domitor corporis sui S.Trudo.

2.Tim.2.

Nota hic de Sanctorum veneratione & inuocatione.

Magna laborum tolerantia.

Vt feliciter in Christo obdormiërit. Cap. 7.

APpendebant intereà in cælo testes Angeli labores pręliantis conciuis sui, & circa finem certaminis occupato, ipsa imperialis maiestas Deus immortalitatis nectebat coronam: & cùm sub graui dierum & æstûs pondere penè grauaretur, & desiderio remuneratoris sui totus ęstuaret, bis & tèr inclamãs Iesum, dicens, Quandò veniam & apparebo ante faciem tuam Domine misericordissime? statìm consolatur, & de vicina die & hora obitûs sui præmonetur. Mutatus statìm in quandam exhilarati spiritûs nouam lætitiam, discipulos conuocat, iucunditate sua exposita, omniũ animos tristi mœrore saucios reddidit. Tum verò de reposita sibi corona iustitiæ iam certissimus, quosdam fatigationis eculeos pręter consuetum sibi addere, in his totus suspensus, ipsum modicum, qui supererat, vitalem calorem mortificare. Accessit etiam volenti infirmitatis languor, quo pressus senior, lecto decubuit: & cùm per omnes horas quasi moreretur, hanc, qua seculi huius homines seipsos consolantur, sanitatem tanta abiectione repræhendebat, vt videretur dicere

valdè cupit dissolui.

Psal. 41.

Mortẽ suã præuidet.

Nouum cruciatũ addit corpori.

 cum

2.Cor.12. 2.Cor.1. cum Apostolo: Quandò enim infirmor, tunc fortior sum & potens. & iterùm: Sicut abundant passiones Christi in nobis, ità & per Christum abundat consolatio nostra. Arebant membra languore, & superducta cute, rigentibus neruis, consumpta caro figmentum hominis vix prætendebat. Applicabatur interim & hora transplantationis ad radicem sanctissimæ arboris, & cupientem dissolui, & iam cum Christo esse, discipulorum tamen gemitus, & querulosa, nè se desereret, supplicatio morabantur. Consolatur suos discipulos sub mortem. Defecerat iam penè spiritus, anhelabat in mortem, animamque expectantibus Angelis reddere gestiens, consolabatur suos, ipsumque residuum, & vix in ore palpitantem vitæ motum, admonitioni & doctrinæ expectantium totum impertiebatur. De contemptu mundi, de amore Dei quandam viuæ vocis efficaciam lingua moriens tamen exprimebat. Assidebant continuè lectulo venerabiles sacerdotes cum religiosissimo monachorum cœtu, hoc vno mœstas lachrymas alternatìm consolãtes, Sub mortẽ munit se sacramentis. quòd magistrum non amitterent, sed magìs ad Deum præmitterent. Et facta hora, allatis viuificis mysteriorum sacramentis participat, & reiectis oculis, nè circa exteriora hæc ampliùs occuparẽtur, conciues sanctorum choros aduenisse recognoscit. Tum verò protensis manibus toto corpusculo in obuiàm chari exercitûs erecto, ingeminato signaculo Crucis, Dirige, inquiens, Domine viam famuli tui in conspectu Ad Christũ ꝓficiscitur. tuo: in manus Saluatoris caput reclinauit, & immeritus mori, obdormiuit. Obdormiuit planè, ad cuius memoriam vsque hodiè in testimonium glorificati hominis tot & tanta cernimus miracula coruscare, vt nunc demùm credatur viuere, quem ipsa vita Deus tam mirabiliter non cessat illustrare. Qua illustratione cùm non tantùm terra, sed & omne mare iam repletum sit, felix quodammodò ante alia sancta Sarchiniensis ecclesia, quæ quod vniuersitati credentium spe sufficit, re ipsa sola retines, seruas, & possides. Nil rerum damna, nil ruinæ ligni aut lapidum oberunt: solus Trudo cum omni labentis orbis ruina comparatus, præponderat & maior est. Filij enim Eccli.44. eius, vt scriptum est, propter eum inæternùm manent, & domus non derelinquetur. Heb.13. Cuius ducatu, qui hîc non habemus manentem ciuitatem, vtinàm ad illam perueniamus hæreditatem, in qua cum cohæredibus filij Dei verè iam viuens gloriatur, respiciens se venerantes, & adiuuans inter quæcunque illa sint pericula, pro amore suo perdurantes. Obijt sanè sanctus Trudo nono Calendas Decembris, Romæ octuagesimoquinto Papa Sergio, Traiecti præsidente sancto Lamberto, Francis doMaiores domûs alij magistros equitú, alij præfectos palatio vocãt. minante Theodorico, illustris Reginæ Bathildis filio: post quem Regibus solo nomine præsidentibus, potestas & gubernaculum regni penes Maiores domûs cœpit haberi.

Vt corpus eius exanime suauißimos spirârit odores. Cap. 8.

FVnus de more compositum, in dilectæ habitationis suæ testatam & benè hæredem ecclesiam infertur, & circunstipatos psallentium choros tota suorum turba comitatur. Cuius ad Christum felix & liber transitus dum sanctorum omnium fit in cælo festiua lætitia, quodam pij mœroris nubilo totum, vt ità videtur deesse † putabatur, aut aliquid tale. loquar, cooperuit mundum. Tota ad exequias prouincia conuenerat, parumque religiosus †, quem causa aut occupatio aliqua remoraretur, quin neglectis omnibus ad tanti sui patroni depositionem se exoccuparet. Pauperum maximè collecta, tunc verè orphana, & languentium inconsolatus populus præsumptiua authoritate, fusa in Deum querimonia, se nutritium, se solatium amisisse querebantur. Pendebant ex Sepultura eius. feretro, & accepta quondàm beneficia religiosa inclamatione quasì improperabãt. His portitoribus ante aram sanctorũ Quintini & Remigij, quam ipse à principio fundauerat, delatus, tota cum reuerentia terræ commendatur, felicior, iuxta magnum oratorem, ciuium lachrymis, quàm quisquam gaudijs suis: qui vel hoc vno punit inuidiam, quòd tantum ei mors contulit ad gloriam, vt vel in extremo depositionis suę Præclarum miraculum. die nemo sit, qui dubitet Angelorum adfuisse præsentiam. Nam inter agendum, necdùm expleto sepulcrali aggere, dulcissimus Dominus Iesus super compositam probatissimi militis sui glebam, illius inenarrabilis suæ dulcedinis respersit fragrantiam: vt liquidò pateret omnibus, quanto omnis boni odore seipsum adhuc viuẽs incensum in conspectu Domini adoleuerit, cuius funeri ipsa maiestas in tanta dulcedine se su- En vt Deus cohonestat funus sancti viri. perfuderit. Quæ scilicet dulcedo, qualem oculus non vidit, cor nullum excogitauit, sicut fumus aromatum ab incenso igne ascendens, totam repleuit ecclesiam, tanta comitante caligine, vt è vicino positum quis non agnosceret fratrem suum. Nec ad momen-

momentum, sed per vnius ferè horæ spatium perdurauit, donec temperato stupore, populus versa vice pro exequiali planctu laudes mutarent, & de cuius corporali prius flebant absentia, cælesti attestante ministerio, de perpetua spiritûs exultarent præsentia. Verè pius, verè ineffabilis Dominus, qui odorem electorum suorum, de quo Apostolus glorians, Christi, ait, bonus odor sumus in omni loco, tali pietate remunerat, & dulcis ipse dulcedini eorum quasi respondet, dum præter depositum, quod in illam diem iustus iudex reseruat, interim tamen ex cælesti sua fragrantia nobis merita eorum sic cōmendat. Vndè in Canticis Canticorum sancta Ecclesia, Cùm esset inquit, Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum: quia membris cum capite suo Christo in secreti cælestis requie & quasi accubitu compositis, virtutes sanctorum magnæ suauitatis quædam gaudia nobis administrāt. Qui sicut lilium florentes ante conspectum Domini, ex admirabili illo odore sui balsami medicinale mundo porrigunt antidotum, sanantes languidos, mortuos viuificantes, nascentibus incommodis vbiquè se opponentes. 2.Cor.2. 2.Tim.1. Cant.1.

Vt Vualdæ fœminæ S. Trudonem inuocanti, mox patuerit eius ecclesia. Cap. 9.

SVscitabantur interim noua quædam miracula ad tumulū in Christo soporati beati viri, ità vt penè dies nulla prçteriret, quin immortalitatis suæ certissimum & fidele monimentum mœrenti Ecclesiæ in consolationem relinqueret. Et iam gloriosæ depositionis eius tricesima dies aderat, vnusquisque certantibus studijs, quæ solent, exequialia charo funeri præparabant. Erat inter cæteros fœmina quædam Vualda nomine, honestè religiosa, quæ ex doctrina viri Dei in virtutē olim cùm profecisset, in familiaritatem quoquè venerat, obsequio frequens adhærebat. Hæc super amisso patrono impatientissimi doloris nullum admittēs solatium, more Euangelicarum fœminarum, vulnerata charitate, cum cereis & thymiamaterijs se exhibuit, monumentum illud visitare perrexit, primaque viuentem spiritum in mortuis ossibus inuenire promeruit. Veniens enim ad ecclesiam, foribus obseratis impeditum cernens introitum, mœrore statim cum fletu appenso, manibus in cælum porrectis, O sanctissime, inquit, Trudo, quandiù te viuum habere meruimus, fores huius basilicæ semper apertas habuimus. Inuidit fortuna commodo, beneficium mors abstulit. Te sublato, frustrà iam venimus, obsequium feruētes intrare nequimus. Mira velocitas. Adhuc verba in ore loquentis voluebantur, cùm inclamatus sanctus Dei, quasi leo apertis obdormiens oculis, supplici suæ mirabiliter se exhibuit. Nam diruptis seris, repagulo abiecto, repentè velutì à vehementissimo turbine repercussę sunt ianuæ, & appulerunt se portæ parietibus impulsæ. Quanta igitur, putatis, pietatis felicitate peccatis hominum clausos cælos potest reserare, ad cuius sanctissimi nominis inuocationem natura vim pati cogitur, & non ferrum, non clausura lignorum officialem seruant modum? Cuius apud omnipotentem efficax potentia miserijs suorum compatiatur, peccati dirumpat nodos, & introitum ad illud summæ æternitatis tabernaculum rogata nobis obtineat. Consolata satìs mulier, expleto officio, propter quod venerat, fidelissima miraculorum testis regreditur, nomen Domini magnificans, & meritum verè cum Deo viuentis Trudonis, sine cunctatione aliqua prædicans.

Multa miracula fiunt ad monumentū eius.

Matt.28. Marc.16.

Magno miraculo diuinitùs reserantur fores templi.

Quæ dona eius Ecclesiæ Pipinus princeps & vxor eius Plectrudis contulerint. Cap. 10.

ET cùm ad tantum omnipotentis Dei circa chari militis sui glebam respectum miraculorum vox toti penè orbi quasi intonuisset, Germaniæ & Gallorum populus religione ductus confluebat, & sub tali defensore se committebat. Quapropter & gloriosus ille Pipinus Maior domûs, filius Ansigisi & Carolidarum principium, vnà cum Francorum primatu, & curialium optimatibus, gratia orandi ad propitiabile illud viri Dei sepulcrum peruectus est. Vbi etiam in testimonium piæ deuotionis facta solenni donatione, quicquid in villa Ekinsala, quæ tunc fiscus publicus erat, possidere videbatur, contradidit. Similiter & aliam villam, pago Campaniæ sitam, nomine Ham, in vsus seruorum Dei inibì militantium deuotè sub charta & teste condonauit. Venerabilis quoquè eius coniunx Plectrudis, omnis religionis sufficiens monimentum, quanta se inibi deuotione deposuerit, largitiones eius in testimonium sunt. Quæ etiam regale suum aurum in recompensationē æternæ mercedis appendens, vocatis artificibus, altare sanctissimi patris auro & gemmis

Pipin' princeps multa largitur monasterio S. Trudonis.

Altare eius Plectrudis ornat auro & gemmis.

decorabile reddidit. Hæc erga milites tuos, Christe, gratia: ista est retributio, vt post mortem cinis facti, seruiantur à regibus, qui viuêtes pro nomine tuo seruiêrunt pauperibus: fiantque potestatum seculi apud te reconciliatores, qui contempta mundi dignitate, humilitatis tuæ se exhibuerunt imitatores.

Vt Hartfridus quidam verbere eius correctus sit. *Cap.* 11.

ACcrescit ad materiam miraculorum quidã Hartfridus, vir inter suos præcipuus, & carnis consanguinitate beato Trudoni coniunctus. Quem in familiaritatẽ assumptum, vir Dei castigata exhortatione sub promissione quondàm obligauerat, nunquàm coniugali alligandum copula, sed magis sub cælibatu professum, virginitatis suæ munus Domino conseruaturum. Consensit interìm, non amore, quem gratia remunerat: sed timore, quem iustitia punire solet. Assumpto de medio venerabili patre, homo non benè religiosus, quasì iam adepta libertate, terminum promissionis egreditur, coniugium postulat, parat vxorari. Dote cumulata, cõposito sumptu, nuptialis consummatur copula, promissionis de conseruanda virginitate nulla recordatio. Nox reddita somnũ facit, cùm eccè vir Dei, tota sanctitatis suę coopertus authoritate, terribiliter ingreditur, tactum hominem taliter increpans: Cur, inquit, neglecto imperio, violata fide, promissi immemor, vxorem ducere non timuisti? Sed quàm frustrà non tuum negocium assumpseris, vel ex hoc intellige, quanuìs vxoratus, semper tamen eris sine sobole, neque proficiet in hæredem germen inobedientiæ. Addit deindè pœnam, & virga, quam gerebat, percusso in femore, Signum, ait, id sit neglectæ promissionis: qui donèc aduiues, curuo crure, incessu malè prono damnaberis. Expergefactus homo, eruditus ex verbere, recognoscit authoritatem, peccatum fatetur, mutatusque in melius, in basilicam viri Dei comam deponit capitis, monachum profitetur: & tradita in vsum Ecclesię latissima, qua pollebat, possessione, omnes retrò dies religionem ingressus, castigatè satìs emendat.

Diuinitùs punitur, qui post votum cõtinentiæ duxit vxorem.

Resipiscit & fit monachus.

Vt cæcus eius meritis lumen receperit. *Cap.* 12.

NE pigeat interìm de innumerabilibus quædam replicare, quæ ad declarãda serui sui merita, omnipotẽtem Dominum non piguit operari. Godefridus quidam, vir præfectorius, nec minùs religione, quàm opibus clarus, territorio degebat Hasbaniensi: cui accessu temporis, debilitas quoquè addiderat cæcitatem. Homo cùm ætate, tum etiam sapientia plenus, inæstimabili patientia flagellum cum culpa reputabat, & inter aduersa Deum benedicere didicerat. Tobiam illum ex veteri instrumẽto esse putares, nisì quòd coniunx & filius de medio abierant. Fama illa beatissimi patris Trudonis admonitus, quasì de graui somno euigilare cogitur: desperatus à medico & tempore, hoc tali propitiatorio vt respiraret, fidem adhibuit. Duce regente gressus accedit, dies continuat, quotidiè cum prece fidem ad comparandam oculorum mercem Deo appendit. Inter agenda Missarum solennia aliquandò de more se exhibuerat, tacita reuerentia cæteris circũstantibus, solus ipse clamoso singultu aures maiestatis inquietabat. Distillat se euicta misericordia, redduntur ministerio oculi, illuminatus homo seipsum miratur & stupet. Rem interìm silentio premit: expleto officio, voce Ecclesiam conuocat, vna sua luce omnes ad videndum Deum commouet, & in laudem cogit. Persona nobilis, dies festus, frequentia popularis, miraculo præstitêre emolumentum.

Tobiæ 2.

Cæc' videt.

De homine impio, qui furto & homicidio se obstrinxerat. *Cap.* 13.

MVlta quidem & relatu dignissima, fastidiosæ prolixitati consultum volens, prætereo: pauca tamen & de minoribus adhuc vt interseram, causa est, nè dubitet fides sperare, quotiès ex occasione aliqua vel de minori substantia cum fortunæ ludibrio luctamen inire cogitur. Latro quidam præsumpta malitia, tenebris fretus, domo violata bouem auferens, imminuti pecoris damnum monachis fecerat. Puer mancipium gregis, spe recuperandi animalis, dum subsequitur, init periculum. Malitiæ commilitonem quendam minùs cautum latro ille sibi asciuerat: quo misso in obuiàm, puerum curioso oculo vestigium amissi pecoris iam depræhendentem, sicaria manu vt transuerberet, facit. Addunt crimini scelus, cadauer exanime tractum, limosa abdunt palude. Homicidij & furti vterque reus, consummata malitia, domum se referunt, iustitiæ aut iudicij omnia de cælo prospectantis Dei respectus nullus erat. Monachi duplex interìm flebant damnum,

Addunt latrones crimini scelus, quia frequẽter peccatũ peccatum generat.

pecus

pecus aratro, puerum deesse officio. Latebat palliata iniquitas: quid potissimùm pius affectus speraret, non habebat. Lotharius tunc temporis vir prudens & religiosus, monasterio præerat, qui latentis malitiæ secretum ab omnipotente monens quærendum, prece ad ieiunium adddita, tandiù dies continuare facit, donèc suspensum adhuc cælestis vindictæ gladium, in vltionem prouocarent. Latro enim ille, iniquitatis caput, à vehementissimo dæmone inuasus, furtum fatetur, homicidij exponit ordinem, iustum in se redundâsse iudicium, terribili contra se testimonio ipse vtitur. Nec destitit tormentum, donèc inuasor inimicus miserabile possessionis suæ vasculum contereret, cœno demersum vsque ad extinctam animam cruciaret. Corripitur à dæmone fur occult⁹ seque prodit & perit.

Quid eius furis socio acciderit. Cap. 14.

TAli igitur fine miserrimo homine in interitum tradito, alter ille iniquitatis comminister & homicida, quid aliud speraret, quàm vt sibi quoquè æquati facinoris pœnam & æquale tormentum timeret imminere? Ex consilio ergò matris, satis prouidæ circa salutem qualiscunque filij, occupata celeritate, tanquàm statim capiti superextensam iam mortem fugiendo, ad monasterium curritur, apertis foribus maturatur confugium. Sed reum suum diuina vltione ab introitu longè repulsum, validissimi statim quidam ignes corripiunt, ingeminatisque horribili cum stridore vocibus, Vror, vror, inquit, mater. Tumultuario clamore turba confluit, vltionis quidem testes impatientissimos fletus audientes, sed materialis ignis vestigium nullum considerantes. Manibus miserantium vt inferretur assumptus, rursùs elabitur, & temperata vstione, iterùm totis membris in globum contrahitur. Stabat misera mulier, moriente filio solo affectu iam mater, nec aliud, quàm exequialia semiuiuo iam cadaueri parabat. Contracta tamen membra interim ad ianuas basilicæ componit: ibi totos septem dies continuat, peccatum filij quodam cruciatu in se quotidiè vindicans, & ad erogandam misericordiam sacratissimum illud beati viri sepulcrum importuna oratione inquietans. Septima demùm die frequenti conatu vix filius cum matre ingreditur: ibi inter Missarum solennia, Ecclesia teste, erigitur, & integræ sanitati reformatur. Extinguat etiam in nobis illicitos ardores, erigat supplices suos in virtutem, cuius meritum est, quòd ignis inuisibilis extinguitur, & contracta membra officio & vsui suo restituuntur. Quid eius socio acciderit. Sub Missa sanatur.

De fure alio boues auferente. Cap. 15.

MInimum est, quod dicturus sum, pietati tamen conueniens, & in erigendo virtutum culmine bona pars materiæ. Persona officialis, quem mansionarium appellant, Ecclesiæ contiguam habens habitationem, pecore abundabat. Rapta opportunitate, nocturnus prędo boues eius præsumit & aufert. Homo penuria pecoris motus, primam in sanctum Dei statim retorquet cum fide querimoniam: dehinc exaudibilem illum sepulcri locum adiens, damnum cum pietate, mœrorem cum misericordia talis patroni componit. Res iucunda, nec minus mirabilis. Fur tota nocte fugam dum accelerat, magis moram nectit, multo fatigationis suæ itinere frustrà consumpto, sano quodam errore impeditur. Volebat saltem, relicta rapina, latére, nec poterat: fugere, & efficacia deerat. Manè reddito, vterque prædo & præda ad fores ecclesiæ reperiuntur: iusto possessori pecus suum, authori miraculorum gratia redditur. Fur diuinitùs detinetur, ne possit boues abigere.

Vt minister Episcopi, miro modo liberatus sit à meritis pœnis. Cap. 16.

IIsdem ferè temporibus Grodegandus, sanctæ Metensis Ecclesiæ antistes, Pipini Regis ex Landrada sorore nepos, & Gorziensis fundator cœnobij, in Sarchinio animarum exercebat Domino lucrum: vir, cui ad gradum tantę dignitatis, gratia etiam accesserat magnæ sanctitatis. Fortè, plerunquè vt solet, puer officialis, neglectae familiari, sancita sententia ad culpę modũ iussus erat pœnis plecti. Exponebatur tormento, & sub extenso verbere tremulus homo, solo metu reatús sui sufficientes satis pœnas iam soluerat. Locus euadendi nullus, à misericordia tota spes remota erat: Tum verò, quantùm ad temporis illius necessitatem, timor & tormentum angustiæ satis consulunt: reus ille solubilis vinculi euadens nodum, ad misericordiam beati Trudonis facit confugium. Sequitur e uestigiò minax tortor, & ira addente stimulum, temerario ausu inconsulta manus pietatis irrumpunt asylum. Prouocata maiestas, mirabili cum authoritate se exhibet, & delapso cælitùs igne ac- Grodegandus Metensis Episcop⁹ & fundator Gorziensis cœnobij.

Illustre miraculum.

censis cereis, qui sacro adstabat altari, totos persecutores metu sternit. Adspiciebat miser misericordiam pro se extensam, & diuinæ pugnæ spectator ociosus, versa vice minacibus suis miseretur. Ira in pietatem transit, minæ in preces mutantur. Episcopus ipse in testimonium miraculi euocatus, sicut audiuit, ità & vidit in ciuitate Domini virtutum: & quod in se erat, puero culpam donans, malè præsumptum suorum in domum Domini introitum castigat: de reliquo seipsum sub tam defensibili tutela humiliat.

De thesauro Ecclesiæ sublato. Cap. 17.

† deest, filius vel pater.

AD hanc operum Domini iucundam relationem accrescunt & alia, tristi licèt principio, vtpotè de rerum Ecclesiasticarum damno, circa vltimam tamen sui clausulam, non minùs læta ex tanti prouisoris beneficio. Tempore enim quo Pipinus, qui fuit Caroli, † apud Francos honestè agebat in sceptris, monasterium sanctissimi patris à latronibus violatum, & thesaurus tali modo exindè est sublatus. Adalbertus quidam latronum peritus, & inter id genus hominum quasi primipilaris, peregrinum simulans, & habitu velans iniquitatem, quorundam qui sepulcrum beati viri ibant salutatum, veluti qui votum haberet, adhæsit contubernio. Aduenienti, ex more monasterij à fratribus occurritur, præmissa oratione, xenodochio inducitur. Posita aqua, pedes lauant, cibos offerunt, refrigeria commutant in melius. Interìm & ille conceptæ suæ malitiæ strenuus prouisor, opportunitatem quærere, accessus faciles rimari, omnia prorsùs curioso oculo metiri. Nox reddita, in somnos trahit: cæteris labori quietem soluentibus, iniquus vigil mali pernox opportunitatem capit. Fenestra erat inconsultiùs procliuis, solotenùs in gyrum erecta, clausura parùm prouidè munita, & occasioni habilis. Hanc sacrilegus hospes irrepit, & temeratis sacris, prædam facit: Regum donaria & potestatum seculi in omne æuum memorialem largitionem, insimul corrasam præsumit, & fugam facit. Partim statim malè comparato sumptui diuidit, partìm auarus possessor latebrosæ foueæ credit. Latet interìm sceleratus author, & damnoso hospite, quæstio vbicunquè mota nihil proficit, assumptus quærentium labor inuanùm perit. Reditur ad singulare illud confugium defatigatis hominum studijs: beato Trudoni propriam committunt iniuriam, negocium iniungunt. Et quia necessè est reuelari operta, & occulta sciri, quodam mirabili diuinitatis consilio, quod diù iam erat absconsum, in palàm redit tali modo.

Sacrilegiũ apud S. Trudonem perpetratur.

Vt depræhensus sit eius sacrilegij reus. Cap. 18.

HAbebat prophanator ille consanguineum, qui religione ductus, cum alio itinerante, vt orarent, ibat Sarchinium. Qui cùm longè porrecto intuitu monasterium iam conspicarentur, ex familiari collocutione homo ille conuiatori, Ego, inquit, noui, quis damnoso introitu Ecclesiam illam violauerit, & abstracto thesauro, adhuc occultus latet. Fauente illo, & protracta sodali confabulatione, superuenientibus noctis tenebris, vico succedunt, hospitio participant. Manè reddito iter ingressi, ex occasione aliqua aleam contentionis subeunt. Multiplicata lite, addito ad querelam stimulo, furis ille conscius armaturam præsumit, & contra minùs validum conuiatorem suum, parùm consultè insurgit. Ille, cui potissimùm in fuga præsidium, rapta celeritate ad monasterium præcurrit, & effuso tumultuario planctu, euocata multitudine, Vlciscimini, ait, ô viri, in mea iniuria vestri quoquè damni occasionem. Hic meus enim persecutor, violatoris huius Ecclesiæ conscius. nam & consanguineus eius est. Exceptus statìm iniuriosus homo, negat interrogatus: addictus verberi, fatetur tandèm, & Adelbertum furti reum prodit. Qui repertus, & tormentis exhibitus, adiudicante serenissimo Rege Pipino, ad malorum vel pœnam, vel exemplum, suspendio damnatus interijt. Ex industria tam religiosi principis, thesaurus vbicunquè diuisus aut distractus, egressa à sacris legibus authoritate, recipitur, & Ecclesiæ reformatur. Prætereà pars, quæ auaris terræ finibus erat abscondita, pastores dum ex cura gregis in pascualibus occupantur, insperatè ostenditur, & exintegrò recollecta, dominis reconsignatur. Si hanc ergò affectui suorum misertus benignus pater, in exteriori substantia exhibuit prouidentiam, quantam putatis de animarum longè incomparabiliori thesauro adhibet diligentiam?

Proditur tandem sacrilegus, & laqueo necatur.

Sanctis de animabus nostris magna cura est.

De

De quadam contracta, sub sacrificio sanata. Cap. 19.

EX annua in orbem reuolutione, festiua beatissimi Trudonis imminebat dies, & frequens populi fidelis conuentus ad pij patroni confluebat memoriam. Qua enim quis occuparetur alia studiosiori occasione, cùm omni eum fide petenti nusquàm se præsentiùs infunderet stillicidium diuinæ misericordiæ? Ad hanc festiuam inuitationem, mulier comparato aliorum solatio, inter manus portantium inuehitur: cui ad graue illud pondus senij, paralysis quoquè importuna accreuerat, & conglobatam hominis materiam, in informem quendam nodum contraxerat. Totus, quicunque esset ille motus, ab alio magis, quàm à seipso expectabatur, nec nisi alieno sustentaculo pigra massa viuere putabatur. Illata ad propitiatorium, appendit singultus, solam motabilem lingulam cum fide ad ingerendam maiestati quandam vim sufficere reputans. Intereà in hora sancti sacrificij, quandò immortalia illa tractantur, & mediantibus Angelis humana cælestibus reconciliantur, importunæ preci ab ipso misericordiæ solio salus reportabatur: nodositas tota dissoluitur, contractura distenditur, erecta fœmina plus quàm seipsam portare sufficit. * Grauatur alienum solatium, & facilitate quadam motabilis, congregatæ multitudini festiuam diem egregiè lætiorem reddit.

Anniuersaria S. Trudonis festiuitas.

Contracta sanatur.

for. *Gratulatur

De contracto & cæco curatis. Cap. 20.

DVO quidam longa damnati dissimilitudine, eximaginationis suæ inconuenientiam, ad hanc artificialis medicinæ manũ veniunt reformare. Alterum enim emortua neruorum fila in claudum contraxerant, alterum pupilla ægrotante, ab ipso natiuo lucis introitu nox præualens, perpetua cæcitate damnauerat. Quid potissimùm agerent, duo deformata naturæ ludibria non habebant. Exhaustis loculis, medico desperante, incommoda sua cum quotidiana morte componebant, eam solam tormenti finem expectabant. Audita fama, quæ in debilium recuperatione satis superque præbebat experimentum efficacis medicinæ, coguntur tanquàm de morte respirare, & quod natura inuiderat, ex beneficio pijssimi patris recuperare. Ordinatur huic vehiculum, illi viæ ductor: & præcurrente spe, ad alteram, sed lõgè curabiliorem, Siloë piscinam: non vnus, sed duo simul procedunt. Mox ad quem tendunt, sibi adesse confessorem sentiunt, & quo vlteriùs procedunt, eo ampliùs viribus valent: Et sicut ignis feruore ampliùs calescit, quo vicinior quis accedit: ità dum monasterio appropiant, clementiùs ambo ægrotant. Vbi autem ad memoriam sancti ventum & oratum est, auro fidei vterq; quæsitas diù merces comparant: iste laxata neruorum nodositate, emortuum languoris senio femur in quandam nouæ infantiæ agilitatem mutatum stupet & gratulatur: ille restitutis in ictum motabilem palpebris, pupilla reuiuiscente oculo donatus, lucem haurit, & quæ auditu priùs didicerat, læta visibilitate meliùs incipit cognoscere. Homines non obscuro loco nati & alti, suî notitia non minimam iucundatæ plebi fidem de recuperata sospitate adstruunt, & in laudem Domini vna vox omnium sonat.

Eximaginatione, dicit deformationem.

Ioan. 9.

Cæcus & claudus curantur.

Author se excusat, quòd non possit sufficere commemorandis omnibus. Cap. 21.

NE expectes à me Lector, vt omnia, quæ vel fidelis nobis reliquit antiquitas, vel quę ipsi oculis nostris vidimus, virtutum sanctissimi huius patroni nostri, explicare velim, aut valeam: ad quorum inæstimabilem multitudinem enumerandã, & Tulliani eloquij fluenta siccarentur, & contortæ vibrateq; Demosthenis sententiæ tardiùs languidiusq; ferrentur. Hoc pace sanctorũ omnium dixerim, quòd nunquàm prǽsentius cęlestis medicinę stillicidiũ vsquàm se effuderit, nec facilior vbiubì ad diuinũ propitiatoriũ pulsanti peccatori introitus patuerit. Habuerunt certè aliquid nostra tempora omnibus retrò seculis inexpertũ, cùm singulis penè diebus (rem toti orbi compertam loquor) plerunq; triceni aut quadrageni, interdùm etiam centeni, ab hac medicinali tumba, secũdùm incommodorũ qualitatem, recuperatæ sospitatis beneficia reportarent. Plus est, quod mecum tota testabitur prouincia, plerique visa alongè beatissimi patris ecclesia, antequàm peterent, accipiebant, & solo affectu, longo adhuc terrarum remoti spatio, fide tamen propè erant, & medijs agris tota residens languentium multitudo, ibì orabant, ibì statim impetrabant. Et nè de mortuo non suscitato quis calumnietur, quanuìs & in hanc quoq; partẽ, quotiès ratio postulâsset, sufficiens ei gratia non defuerit, meipsum hęc scribentem (optimus ipse, quem loquor, mihi testis adest) de ipsa, quam calcare intraueram, mortis

Ingens numerus eorũ, qui à S. Trudone curati sunt.

Author huius historiæ à morte ferè reuocatur ad vitã. mortis porta retraxit. Languor ad extremum pertraxerat, paratis exequialibus, iam funus efflabam animam, cùm subitò à circunstantibus inclamatus sanctus Trudo adfuit, & efficaci illa sua potentia suscitatum interim distulit. Sed quanti est cadauer redanimare, qui quotidiè de fœtenti vitiorum sepulcro, amoto desperationis durissimo lapide, innumeros non cessat clamosa compassione ad spiritualem vitam reuocare? Sunt qui in breui tabella terrarum depingunt situs, & ingentia naturæ corpora breuibus lineis quasi metiuntur. Sic in paruulo hoc libello cernas adumbrata, non expressa, maximarum & incomparabilium virtutum eius insignia: de quo potissimùm hoc concluserim prædicamentum, quia quicquid voluit, cum Deo potuit. Quicquid hic sanctus voluit, cum Deo potuit Cauendum igitur, & toto studio pertimescendum, nè indeficiens iste cælestis paradisi fons, & viuentium aquarum semper manans puteus, à nobis negligatur, & cunctis, qui propè & longè sunt, bibentibus, hi quibus quotidiè fluit, sitiant: sanatisque alijs, versa vice ęgrotent, qui totum medicum quasi possident. Loco enim patris & medici nobis vnicus omnium pater hunc suæ dilectionis perdonauit filium, sub quo & ineuitabilia humanæ infantiæ corrigamus rudimenta, & languentis animæ recuperemus fida subsidia. Si conscientiæ lepra prurit animus, si cælum libero intuitu non respicit oculus, si ad currendam mandatorum viam stupens nos impedit neruus, si De vera & viua fide dicit. auaritia venarum fila contrahit in manibus, ab hoc tali medico medelam sola fide merebimur. Agè ergò nunc pater pie, pater inclyte, compone cum iudicibus seculi Author inuocat sanctum Trudonem. causas nostras, rerum damna perpetuis bonis remunera, incendia refrigerio auræ spiritualis commuta: graue mortalitatis huius nostræ exilium, in æternam repatriationem transfer, vt per te ad spem vitæ redeamus, & quandoquè desideratum ducem ad eam omnipotentis patris securi subsequamur mansionem, vbi cum conciuibus Angelis gloriaris, & maiestatis manifesta contemplatione perfrueris. Quod rogatus cælorum ille arbiter nobis largiatur: cuius imperium in triplici personarum proprietate, & inseparabili Deitatis vnitate omnipotentatûs sui leges toto orbe disponit, iura moderatur, eadem & incommutabilis existens in secula seculorum, Amen.

DE TRANSLATIONE SS. TRVDONIS ET EVCHERII, SERMO EIVSDEM THEODORICI ABBAtis: *quæ quidem facta est 3. Idus Augusti, sed hîc reponere libuit, vt maneat historia coniuncta.*

Lectio 1.



GLoriosum est hodierna die tractare de margaritis sanctorum, & delectat intueri duas confessorũ gemmas de thesauris cęlorum. Quorum preciosa corporum translatio, animarum nostrarum facta est consolatio: quia delectat filios patrum participari beneficio. Ipsi enim ex vitæ merito nobis à Deo patres constituti, nos ab eis filij per gratiam adoptati. Has autem margaritas de millibus electas, & precio proprij sanguinis comparatas, omnipotens Imperator diademati suo inseruit, sibi ad congruum honorem, nobis ad perpetuam salutem. Quarum luminis splendorem cæcus si sensit, illuminatus recessit: mortuus si tetigit, reuixit: claudus si tractauit, cursum recepit. Neque enim aliæ iaspides diadema debuerunt ornare tanti Imperatoris, quàm tales, quæ nascentibus vbiquè incommodis se opponerent virtute medicinalis splendoris. Harum pars preciosior, id est, spiritus Sanctorum reliquiæ q̃ preciosæ. cælo recepti, fragmenta mortalitatis suæ nobis reliquerunt, ossa scilicet & cineres suos, omni terrarum supellectile multò preciosiores: nè egere possit filiorum necessitas, quæ in manibus habet talium & tantorum patrum exuuiales diuitias.

Lect. 2. Isti etenim, isti, inquam, sunt inclyti propugnatores tui, ô redempta Christi cruore Ecclesia: isti stant pro filijs tuis, nè eos barathro oris absorbeãt toto aëre vagãtes corporum inuasores, & animarum iniqui corruptores. Quandò enim per te armatis igni & dolo resisteres aduersarijs, quæ in propria carne imperium ægrè agis? Sed emeriti testes Christi, Angelorũ ciues, immò consules pro meritis creati, etiam nunc iniqui- Sancti quid præstẽt nobis. tatis satellites per te expugnant, quos per se vicerunt. Hi reos Deo conciliant, orbem portant, tartara spoliant, vt Angelorum numerum expleant, & supernæ Hierusalem muros de viuis & quadrata soliditate politis lapidibus extruant. Hanc enim efficacem

cem potentiam exercitus ille Domini Sabaoth, alij proprij sanguinis precio mercati sunt, alij munditia cordis, sine qua nemo Deum videt, promeruerunt: quos quadam æqualitate pares facit in supernę mansionis domo æqualis pro omnibus Christi passio, & de vno latere profusi sanguinis & aquæ commixtio.

Hinc est, quòd Petrus & Paulus dominam orbis Romam coronant effuso sanguine, Iohannes mysteriorum Dei aquila, & præ cæteris possessor Christi pectoris, Ephesum sine sanguine sanctificat, solo somno pacis & carnis incorruptione. Sic vnius superni capitis innumerabilia membra suis in locis inæstimabili modo mortem Christi quotidiè nobis annunciant, & alij in ara, alij sub ara clamant: omnes autem sub throno Dei, consortia & numerum fratrum suorum, tempore adhuc modico expectant. Alij igitur sanguine rubent passionis, alij aqua candent confessionis: quatenùs terrenæ quoquè huius Ecclesiæ sanctissimus paradisus, purpuream rosarum suarum speciem nobis proferat, & pulchrè candentem liliorum fragrantiam non dehabeat. Ex huius paradisi fragrantissimo odore, odore, inquam, sicut agri pleni, cui benedixit Dominus, hæc duo perpetui candoris lilia, quorum hodiè translationem colimus, Trudonem & Eucherium cælestis nobis permisit munificentia: quorum verna fragrantia non deficiet, viriditatis gratia non marcescet, eò quòd pro vitæ admirabilis puritate flori sint illi incorporati, quem virga de radice Iesse nulla alia, quàm sancti spiritûs, generauit infusione. Lect. 3. Apoc. 7. Esa. 11.

Quorum alterum, id est, beatissimi Trudonem, vel hoc solo germine nulli terrarum inferior, de nobilissimorum regum radice edidit Hasbania, & longa carnis & spiritûs colluctatione, peregrinatione probatum, scientia ornatum, sacerdotio infulatum, miraculis toti orbi manifestatum, victorem demùm eius spiritum cælo destinauit, & mortale illud carnis eius indumentum in perpetuam suî munitionem & ornamentum Ecclesiæ huic committens, vsque in diem Domini sibi reseruauit. Alterum, id est, venerabilem Eucherium, Franciæ decus & corona vrbium Aurelia generauit, & multiplici virtutum dote vsque in pontificem exaltauit. Qui probatus iam miles, Christi communicans passionibus, pro Ecclesiarum religione tuenda, optima armatus innocentia, cùm Carolum magni Pipini filium, qui Martellus appellatus est, de irreligiositate imperterritè argueret, in exemplum patientiæ, & probatę fidei testimonium, velut Pathmos ille Iohannes, exilio spontè relegatus est. Qui duci cuidam Roberto commissus, mirum in modum Aegyptiam domum quidam Ioseph illustrauit, & frequenti miraculorum gratia à Domino clarificatus, de exilio ad patriam, non terrenæ huius peregrinationis, sed supernæ ciuitatis assumptus, in huius ecclesiæ gremio, perpetuæ pacis somno & hæreditate est sepultus. Lect. 4. S. Trudo stirpe regia ortus. S. Eucheri⁹ à quo in exiliū relegat⁹ Apoc. 1. Gen. 39.

Hi sunt duo viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt, cælorum margaritæ, superni diadematis gemmæ, terrarum immarcescibilis flos: quorum animas sicut ex indiuisa charitate omnipotens remunerator in vna composuit cælesti requie, ità & corpora commendauit in gremio vnius ecclesiæ, in diem illam sibi reconsignanda, & abundantissima immortalitatis stola induenda. Quorum hodiè gloriosa memoria, quæ de libro dextræ Dei nunquàm excidet, cælos lætitia ornat, orbis terræ huius supplices spe & misericordia donat: spe scilicet, nè diffidamus: misericordia, vt præsumamus. Has duas superni ædificij admirabiles columnas, cęli cacumen altitudine penetrantes, quicunque Israël esse volumus, irreuerberato mentis oculo contemplantes sequamur: quatenùs noctium nostrarum aduersitates, ignis sui splendore depellant, & dierum prosperitates nubis suæ blandimento componant. Acceperunt enim etiam ipsi ex beneficio sui Imperatoris, non cum Moyse, sed cum Iesu ducatum Israëlitici sui populi. Lex enim, ait Apostolus, ad perfectum neminem perduxit, donèc is, cui repositum erat, veniret, & per se suosque orbis terræ principes Christianum exercitum ad veram repromissionis terram induceret. Cuius terræ promissione consolatus Psalmista, Credo, ait, videre bona Domini in terra viuentium. Lect. 5. SS. Eucherius & Trudo duæ cęlestis ædificij columnæ. Heb. 7. Psal. 26.

Horum igitur ducatu quicunq; fruuntur, iacturam de Amalech non patiūtur: nec cadit coram hostibus, quisquis sub his pugnat victoribus. Qui & ipsi quondàm sub signis fidei militantes, in die certaminis sui imitabilia nobis reliquêre suæ militiæ monimenta: cum ipso iniquorum omnium capite nihil minùs gloriosè dimicantes, quàm si habuissent Decios & Nerones. Egregiam nanque quandam vicissitudinem mortuo pro se Domino rependerunt, qui cessante persecutore, & sub titulo Christia- Lect. 6.

Pugnæ & certamina Sanctorum. næ professionis designato iam orbe, nè tamen sine pugna essent, aliam legem in membris suis repugnantem expugnauerunt, carnem suam & concupiscentias seculi quotidiano martyrio crucifixerunt, ipsumque superbiæ gigantem, cælis bella minitantem diabolum cum omnibus copijs suis, miræ constantiæ pede conculcauerunt. Et nunc victoria potiti, immortalitatis lauro coronati, Agnum Dei sine macula sequuntur quocunque ierit. Virgines enim sunt, & vestimenta sua non coinquinauerunt: quia præter ineuitabilia, & sine quibus vita hæc non ducitur, nullis cōtagijs nuptialem suam vestem fuscauerunt. Securi autem sui, solita illa sua pietate de nobis adhuc sunt soliciti, nobis manum porrigunt, & ad beatitudinis suæ inuitant præmium. Quis autem dubitet sub talibus patronis confidere? quis sequi cunctetur, quò præcesserunt spes nostræ? Hos quippe gratuita clementia sua nobis omnipotēs Deus defensores ordinauit: horum nos membris, super aurum & topazion preciosis, mirificè ditauit. Nisi nos multùm abijcimus, semper nobis eos præsentes sperare debemus, maximè in die huius solennitatis & lætitiæ. Sed cuius lætitiæ? hominum, an Angelorum? Vt fidenter loquar, & hominum, & Angelorum: quia & illi de quotidiano conciuium suorum gratulantur contubernio, & nos non modicè hilares reddit hodierna gloriæ nostræ, margaritarum Dei preciosa translatio.

Apoc. 14. Sancti de nobis soliciti vt sint.

Lect. 7. Digna igitur, fratres mei, laude hanc diem sacremus, & prono vtriusque hominis obsequio honoremus. Egregium nobis sit, Angelorum participari officio. Neque enim sola hominum manu & obsequio, quam hodiè recolimus, administrata est festiuitas. Adfuerunt vtiquè inuisibiles cælestium spirituum potestates, & conciuium suorum preciosissimas exuuias: ossa illa loquor, quæ mundum debellauerunt, venerabiliter excipientes, in suæ requietionis locum digna cum reuerentia transtulerunt. Vndè enim tot deformata hominum corpora officio suo reddita, nisi quia super militum suorum corpora totos cælos reserauit, summæ maiestatis potentia? Et nunc Angelis super his cælestis aulæ senatoribus tota alacritate gratulantibus, gaudia nostra, quantùm possumus, conferamus: immò gaudia eorum geminare ambiamus, & de peccatorum nostrorum tumulis resurgendo, in vitæ locum transferamur. Tunc etenim de morte resurgimus, & Angelis festiua gaudia cumulamus, cùm Deum exquirimus, & formam vitæ nostræ ex speculo supernæ imaginis corrigimus. Hanc autem festiuitatem Deus à nobis exigit, quæ nec torpore relaxet, nec illicitis negocijs implicet: sed tota ex superni desiderio amoris pendeat, & holocausta medullata diuino altari offerat. Quisquis enim bonum opus agit, sed omnipotentis Dei amore & desiderio ardere nescit, holocaustum quidem habet, sed medullam in holocausto non habet. Qui verò bona operatur, & visioni creatoris sui inhiat, seque ipsum ex amore, quo accenditur, in fletibus mactat, profectò holocausta medullata Domino libat.

Angeli sanctorum reliquijs honorificè adsunt. Psal. 65.

Lect. 8. Psal. 117. Vndè rursùs per familiare suū organum idem spiritussanctus, Constituite, ait, diem solennē in condēsis vsq; ad cornu altaris. Solennem nanq; Domino diem constituit, quisquis se in eius desiderio affligit. Qui nimirùm solēnitatis dies vsq; ad cornu altaris tendi precipitur: quia tandiù necesse est, vt quisq; se afficiat, quousq; ad superni sacrificij altitudinem, id est, ad æterna gaudia pertingat. Hanc perpetuæ solennitatis diem hic inchoāt, & ibi perficiunt, quicunq; castigato huius humanæ infirmitatis luto, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem se exhibent: super quos Deus vultûs sui lumen signauit, & annuli sui formam impressit. De quo admirabili signaculo sanctę Ecclesiæ à sponso suo dicitur: Pone me vt signaculum super cor tuum. Sponsus enim in signaculum ponitur, quandò fidei eius mysteriū in custodia internæ cogitationis imprimitur: vt ille infidelis seruus, nimirùm noster aduersarius, cùm signata fide corda nostra considerat, tentando ea irrumpere non pręsumat. Hoc igitur signaculū, fratres mei, à Domino postulemus, in amoris eius desiderio nosmetipsos hostiam sacrificemus. Labilem & prętereuntem mundi huius figurā declinemus, ad cęlestem patriam toto desiderio anhelemus. Sancti isti, quorum hodiè translationem colimus, nisi florentem mundū calcauissent, nequaquàm flos in conspectu Dei facti fuissent. Et nunc cum conciuibus Angelis, & cęlestis aulæ senatoribus quanta, putatis, vernāt viriditate, quorum ossa mortua flos ille natus de Virgine, tanta respersit fragrantia & dulcedine? Quorum obtentu idem Deus & creator omnium sic nobis tribuat bonæ actionis flores inchoare, vt ad fructum honoris & honestatis mereamur peruenire. Phialæ eorum plenæ odoramentis in reconciliationem nostram accendantur, quatenùs odora-

Rom. 12. Psal. 4. Cant. 8. Esa. 11.

odoratus Dominus placabile eorum sacrificium, gratiæ suæ nobis indulgeat beneficium: Qui viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Translationem hanc quidam factam annotârunt, Anno salutis octingentesimo octogesimoprimo, aut circitèr, cùm Normānorum Reges Godefridus & Sigefridus Traiectum, Leodium, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam, Aquisgranum & palatium, Monasterium quoquè S. Trudonis, Stabulense, Malmundariense, Prumiense, multaque alia loca inflammârunt. Vide præter alios Chronicon Sigeberti Anno Domini 882.

DE S. CHRYSOGONO videat Lector infrà Historiam S. Anastasiæ, die 25. Decembris, in principio.

ITEM DE CRESCENTIANO martyre, videat historiam S. Marcelli Papæ, 16. Ianuarij circa medium, habetur Tomo primo.

CERTAMEN SANCTI MARTYRIS MERCVRII, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE, *vt habetur quinto tomo Aloysij.*



IMPERANTE illo tempore Decio & Valeriano in magna vrbe Roma ij cōmuni decreto statuerunt, vt omnes sacrificarent & dijs libarent. Conuocato ergò toto Senatu, ei exposuerunt, quæ communi consensu à se decreta fuerant: & cùm eos inuenissent suæ assentiri sententię, magna affecti sunt lætitia. Statìm ergò literis imperatorijs cum subscriptione Senatûs, iusserunt ea exponi, quæ communiter eis visa fuerant, & proponi in Capitolio, quarum hoc est exemplum:

Nouẽbr. 24. vel 25. vt habet historia, nisi mendũ est librarij.

Cap. 1.

Imperatores triumphatores, victores, Augusti, pij, Decius & Valerianus simul cum Senatu hęc communi consilio: Cùm deorum beneficia & munera didicerimus, & simul etiam fruamur victoria, quæ nobis ab ipsis data est aduersùs inimicos: quinetiam aëris temperatione, & omne genus fructuum abundantia. Cùm eos ergò didicerimus esse benefactores, & ea suppeditare, quæ sunt in commune vtilia: ea de causa vno decreto decernimus, vt omnis conditio liberorum & seruorum, militum & priuatorum, dijs expiantia offerant sacrificia, procidentes & supplicantes. Si quis autem voluerit diuinum nostrum iussum violare, qui communi sententia est à nobis expositus, eum iubemus conijci in vincula: deindè varijs tormentis subijci. & si sic quidem fuerit persuasus, non leues à nobis honores consequetur. Sin autem contradixerit, post multa tormenta, ense subibit supplicium: aut in maris profundum iacietur: aut auibus & canibus dabitur deuorandus: præcipuè verò, si fuerint inuenti aliqui ex religione Christianorum. Qui autem diuinis nostris decretis obedierint, maximos honores & dona consequentur. Valete felicissimè.

Impia decreta Imperatorũ Decij & Valeriani.

Proposito ergò edicto imperatorio, conturbata fuit tota ciuitas, quòd in tota ciuitate fuisset propositum impium hoc edictum. Accidit autem, vt cùm illo tempore bellum fuisset à barbaris motum aduersùs Romanos, pararent Imperatores suum exercitum, vt acie cum eis confligerent, iubētes numeris militum, qui erant in omnibus ciuitatibus, vt venirent in auxilium. Ex ijs autem, qui ab vnaquaque ciuitate & regione veniebant ad hunc belli apparatum, venit etiam legio eorum, qui dicebantur Martenses, qui sunt sub prima Armenia, sub tribuno nomine Saturnino. Egrediente autem ad bellum Decio, degebat Romæ Valerianus. Commisso verò inter Romanos & barbaros prælio, durauit conflictus longo tempore. Permanentibus autem ijs in illa congressione, apparuit visio cuidam ex legione Martensium, qui sunt sub prima Armenia, nomine Mercurio: apparuit, inquam, vir quidam ingentis magnitudinis, indutus albis vestibus, in dextera manu tenens rhompheam, & ei dicens:

Cap. 2.

Legio Martensium.

Visio offertur Mercurio.

Nè timeas, nec formides: Sum enim missus, vt tibi opem feram, & te reddam victorem. Accipe ergò hanc rompheam, & irrue in barbaros: & cùm viceris, nè obliuiscaris Domini Dei tui. Ille autem, vt qui à se discessisset, existimabat esse vnum ex principibus Imperatoris. Quam cùm accepisset, & se incitâsset, impetum fecit in barbaros: ijsque fractis, eorum Regem occidit, & multos alios, adeò vt defessum esset ei brachium, & ex sanguine eius manui adhæreret rhomphea. Sicque fusi & fugati sunt barbari à Romanis.

Cap. 3. Mercurius cælis hostibus fit dux exercitûs. Tunc Decius cùm resciuisset singulare eius certamen, eum accersitum donauit dignitate ductoris exercitûs, constituens vt præesset castris: & arbitratus Decius se deorum prouidentia à bello fuisse superiorem, valdè lætabatur: & cùm militibus multum erogâsset pecuniæ, vnumquenque misit in locum suum: ipse autem ingrediens vnamquanque ciuitatem, magna faciebat conuiuia, Romam proficiscens. Vna autem nocte cùm dormiret dux exercitûs, ad eum accedit Angelus in prima, in qua apparuerat, figura: & puncto eius latere, eum excitauit. Ille verò cùm eum vidisset, Iterùm Angelus ei apparet. timore affectus, mansit mutus. Dicit ei Angelus: Mercuri, memento quid tibi dixerim in conflictu prælij: vide nè obliuiscaris Domini Dei tui. Oportet enim te pro ipso certare legitimè, & coronam victoriæ accipere in glorioso regno cum sanctis omnibus. Hæc cùm dixisset, euanuit Angelus. Ille autem cùm ad se redijsset, & esset recordatus, Deo egit gratias. Sciebat enim à maioribus fidem Christianorum. Nam pater eius Gordianus, cùm esset primicerius eius legionis, sæpè dicebat: Beatus est, qui Regi cælesti militat, ei enim donat regnum cælorum. Ille enim Rex verbo omnia est fabricatus: & ille est, qui est viuos & mortuos iudicaturus, & vnicuique redditurus Rom. 2. secundùm sua opera. Cùm ad se ergò redijsset, & patris verborũ meminisset, & considerâsset visionem, quæ sibi apparuerat, compunctus à sancto spiritu, cœpit cum Conuersio eius. lachrymis confiteri & dicere: Hei mihi peccatori, quòd cùm essem ramus germinantis arboris, exarui non habens radicem Dei cognitionis.

Cap. 4. Dum ipse autem hæc diceret, missus est ab Imperatore silentiarius cum plurimis alijs, vt eum vocarent ad Imperatorem. Cùm is verò se excusâsset, Imperator distulit concilium. Die autem sequenti eum rursùs accersit Imperator, vt veniret cum eo, quo par est, honore. Cùm is autem accessisset, dimisso iam concilio, dicit ei Imperator: Eamus simul in templum Dianæ, & offeramus ei sacrificium. Sanctus verò se Accusatur apud Decium à Carulo cõsulari. reprimens, iuit in suum Prætorium. Quidam autem ex proceribus eum accusat apud Imperatorem, dicens: Pie triumphator & victor, à dijs probate, vt administres imperium, dignare placidè me audire. Qui à vestra imperatoria est honoratus dextera, & cui gloria fuit tributa à vestro imperio, quod res Romanorum placidè & tranquillè administrat, is non fuit nobiscum in templo magnæ Dianæ, sacrificium oblaturus pro vestra potentia. Dixit Imperator: Quis hic est? Dixit Catulus consularis: Mercurius, quem magni fecistis & ornâstis diuersis dignitatibus. Is alios quoquè euertit, nè deos colant: exitum autem vobis ostendet eius ad vos responsio. Dixit Decius: Decius ei nõ credit. Aliqua fortasè in eum motus inuidia, hæc in eum locutus es: sed te non audiam, nisi eo præsente vera cognouero. fide autem digniores iudicabo testimonij oculos, quàm aures. Tace ergò, & cum eo nullum verbum loquere: & si calumniandi quidem animo vsus in eum hæc dixeris, non leue dabis supplicium. Sin autem vera apparuerint ea, quæ à te dicta sunt, à me honores & dona consequeris, vt qui beneuolum in deos & in nos animum ostenderis. Imperator autem iussit eum venire cum eo, quo par erat honore.

Cap. 5. Cùm is autem accessisset, dixit ei Decius: Non ego te hac ornaui dignitate, te exercitûs ductorem constituens coram omnibus meis principibus, propterea quòd Dei voluntate à te victum fuerit prælium? Quomodò autem meum honorem nihili ducens, accepisti modum quendam malignitatis, & vis meos honores nihili pendere, deos non adorans, sicut iam audiui ab aliquibus? Generosus autẽ Christi miles, cùm Ephes. 4. conuenienter ei, quod dicit Apostolus, veterem exuisset hominem cum suis actionibus, induit nouum, qui est creatus secundùm Deum per baptismum, & confidenter ei dixit: A me tolle hunc tuum honorem. Ego enim non, vt arbitror, ad id véni ex debito, qui barbaros in bello vicerim per Dominum meum Iesum Christum. Sed ac-Iob 1. cipe quæ à te, vt dixisti, mihi data sunt. Nudus enim egressus sum ex vtero matris meæ, nudus etiam reuertar in illum mundum.

Cap. 6. Cùm itaque exuisset lenam, & soluisset zonam, iecit ad pedes Imperatoris, clamans

mans & dicens: Sum Christianus: audite omnes, sum Christianus. Decius autem simul & ira valdè percitus, & dicendi libertatem admiratus, eiusque pulchritudine & magnitudine obstupefactus, iussit eum conijci in custodiam, dicens: Hic homo non considerauit nec intellexit honorem. Sed si senserit probrum & ignominiam, puto fore, vt eum ad piam traducam cogitationem. Cùm is autem abduceretur in custodiam, lætabatur martyr & exultabat, Deum laudans & gloriam ei tribuens. Nocte autem illa Angelus Domini ei appáret, dicens: Confide Mercuri, & nè timeas. Crede in Dominum, quem es confessus. Ipse enim potest te redimere ex omni afflictione. Visione autem Angeli valdè fuit confirmatus. *Constantia S. Mercurij.* *Traditur lætus in custodiam.* *Angelus eū confirmat.*

Die verò sequenti cùm præsedisset Imperator in tribunali, iussit eum sisti, & dicit ei: Hic honor te decet propter tuum pessimum animum. Dixit martyr: Me decet hic honor. accepisti enim ea, quæ prætereunt: pro ijs autem accipiam, quæ permanent in æternum. Dixit Imperator: Dic mihi genus tuum & patriam. Dixit Mercurius: Si vis scire genus meum & patriam, dicam tibi: Pater meus vocabatur Gordianus, Scytha genere: militabat verò in legione Martensium. Patria autē mea, ad quam propero, est cælestis Hierusalem, quæ est ciuitas Regis cælestis. Dixit autem Decius: Hoc'ne nomine vocatus es à parētibus, an in exercitu appellatus fuisti Mercurius? Dixit martyr: Militiæ à tribuno vocatus sum Mercurius. Dixit Imperator: Cur non facis sicut iussum fuit omnibus hominibus, & deos adoras, priorem tuum honorem recipiens? mâuis'ne mori in tormentis? Dic citò, sciens te esse vocatum propterea. Dixit Mercurius: Ego, vt dixisti, ideò véni, vt te vincerem, & diabolum omnis vitij inuentorem: & coronā victoriæ accipiam ab agonotheta Iesu Christo Domino meo. Noli ergò tardare nec differre: sed in me imple, quæ tibi veniunt in mentem. Habeo enim loricam fidei & clypeum, per quæ vincam omnem inuentionem, quæ aduersùs me excogitata & mota fuerit. *Cap. 7.* *Genus & patria sancti Mercurij.* *Sancti Martyris in dicendo libertas.*

Tunc dixit Imperator ira plenus: Quoniam dicis te habere loricam fidei & clypeum, iubeo te nudum extendi ad quatuor palos, & sublimem tolli à terra. Cùm hoc autem factum esset, dicit Imperator: Vbi sunt arma tua bellica? Per Iouem maximum deorum valdè fuisti extensus. Sanctus autem Mercurius in cęlum adspiciens, dixit: Domine Iesu Christe, fer opem seruo tuo. Rursùs iussit Imperator acuto gladio scindi eius corpus, & posteà ignem substerni, vt ipse paulatìm vreretur. Sanguinis autē multitudine rogus fuit extinctus. Sanctus verò forti & generoso animo ferebat hoc tormentum. Decius autē iussit eum solui, nè citiùs moreretur, & in quadam obscura domo tutò includi. Eum itaque portantes, proiecerunt in domunculam, quæ paruam habebat respirationem, existimantes fore vt paulopòst moreretur. Illa autem nocte ei appáret angelus Domini, dicens: Pax tibi, generose athleta: & eum reddidit sanum, curās vulnera eius corporis, adeò vt surgeret, & gloriam redderet Deo, qui ei apparuerat. *Cap. 8.* *Extenditur ad quatuor palos.* *Corpus eius gladio scinditur.* *Angelus eū sanat.*

Rursùs ergò Decius iussit eum sisti: & cùm eum vidisset, dixit: Qui mortuus fuit à nobis ablatus, quomodò nunc per se ambulat? fortè nec vibícem quidem habet in suo corpore. Iussit autem satellitibus, vt viderent. Illi verò ei dicunt: Per diuinissimam tuam pietatem, corpus habet adeò delicatum, & omni macula vacuum, perindè acsi ne fuisset quidem tactum. Dixit Decius: Est omninò dicturus, Christus meus me curauit. Neminem introduxistis, qui eum curaret in custodia? Illi autem ei dixerunt: Per vestram potentiam, quæ regit vniuersum orbem terræ, nemo eum ne adspexit quidem. putabamus enim eum esse moriturum. Quomodò autem sanus & valens nunc assistat, nescimus. Dixit Imperator: Videte artem magicam Christianorum. Qui herì quidem putabatur esse mortuus, hodiè adstat sanus. Iratus itaque dixit ei: Quis te curauit? dic cum veritate. Nam sine præstigijs & arte magica non puto te fuisse curatum. Dixit sanctus Mercurius: Sicut priùs dixisti nolens, Dominus noster Iesus Christus, verus medicus animarum & corporum, ipse me curauit. Veneficos autem, & incantatores, & sortibus diuinantes simul cum ijs, qui adorant simulacra, abdicat, eosque vinculis ligatos, tradit igni gehennæ, propterea quòd non agnouerunt verum Deum, qui fecit ipsos. Dixit Imperator: Corpus tuum rursùs consumam supplicijs. Videamus autem, an te curet Christus tuus, quem confiteris. Dixit Mercurius: Credo in Dominum meum Iesum Christum, quòd quæcunque mihi intuleris supplicia, non potes me iniuria afficere. Ipse enim dixit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere: sed eum timete potiùs, qui *Cap. 9.* *Impius Imperator adscribit eius curationē magicæ arti.* *Matt. 10.*

potest animam & corpus perdere in gehenna: qui post mortem me rursùs suscitabit in terribili die iusti iudicij.

Cap.10. Alia rursùs ei tormēta adhibentur. Cùm autem torqueretur & vreretur generosus Martyr, pro nidore suauis quidam odor aromatum manabat ex eius corpore. Cùm is verò fuisset cruciatus, & ne ingemuisset quidem, dixit Decius: Vbi est tuus medicus? Nunc veniat, & te curet. Dixisti enim, quòd etiam post mortē potest te suscitare. Dixit sanctus Mercurius: Fac, quod velis. Habes potestatem corporis mei, animæ autem Deus. Nam etsi corpus meum interierit, permanet anima mea, in quam non cadit interitus. Rursùs iubet Imperator eum suspendi præcipitem, & eius collo alligari grauissimum lapidem: vt à lapide suffocatus, citò moreretur. In gratia autem Domini confirmatus martyr, longo tempore mansit in tormento. Cùm vidisset verò Decius eum forti & magno animo resistere tormentis, & nihil graue eum tangere, iussit quidem lapidem deuolui ab eius collo: afferri autem flagellum æri alligatum, & eum tandiù flagellari, donèc eius sanguis solum impleret. Ille autem planè adamas, perstitit se fortiter gerens, & dicens: Ago tibi gratias Domine, quòd me pro tuo nomine dignatus sis flagris cædi.

Immane supplicium fert generosè.

Itèm alias pœnas.

Cap.11. Cùm autem cognouisset Imperator eum esse planè immobilem, & persuaderi non posse, vt à sua dimoueretur sententia, conuocato concilio, (properabat enim ire Romam) tulit in eum sententiam, dicens: Mercurium, qui deos nihili fecit, & venerandum decretum nostrę mansuetudinis nihili putauit, iubet pia nostra potentia duci in regionem Cappadocum, & ei caput amputari ad exemplum multorum. Nam quicunque resistit Imperatori, post multa tormenta subijcietur gladij supplicio. Cùm itaque eum accepissent ij, quibus fuerat mandatum, duxerunt animal, & portantes eum, imposuerunt vinctum vtrinquè validè. erat enim corpus martyris admodùm dissolutum. Et venientes in diuersorium, eum sensìm deponentes, faciebant quiescere. Sicque cùm paucis diebus longum iter confecissent, venerunt Cæsaream. Ad eum autem accedens Dominus, dixit: Mercuri, adesdum & quiesce. Cursum consummâsti, fidem seruâsti, accipe coronam tuæ decertationis. Constitutum enim est, vt tu hìc consummeris. Martyr autē Seruatoris visione corroboratus, dicit ijs, qui erant cum ipso: Facite quod vobis fuit imperatum, nihil cunctantes. Dominus autem, qui vocat omnes ad pœnitentiam, vos quoquè sua gratia dignabitur. Nam cùm sit diues, affatim donat bona sua ijs, qui accedunt. Hæc cùm dixisset, caput fuit ei amputatum, consummatusque fuit in confessione Seruatoris nostri Dei.

Christus ei apparet.

Capite punitur.

Cap.12. Insigne miraculum. Factum est autem, quod preter opinionem est, Dei miraculum mensis Nouembris vicesimoquinto: Post eius consummationem factum est corpus martyris album sicut nix, emittens suauem odorem vnguentorum & suffituum: & propter hoc signum multi facti sunt Christiani. Deposuerunt autem sanctum in loco insigni, vbi fiunt multæ curationes ad gloriam Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi, simul cum sancto spiritu in secula seculorum, Amen.

VITA SANCTI PORTIANI ABBATIS,
AVTHORE GREGORIO TVRONENSI
De vita Patrum, Cap.5.

24. Nouēb.



VLTA omnipotens Deus suo dicatis nomine indulget, multamque eisdem pro fideli seruitio benignitatis opem compensat, magna quidem se pollicens redditurum in cælo, sed quę accepturi sunt, plerunquè declarans in seculo. Nam sæpiùs de seruis liberos, de liberis efficit gloriosos, iuxta illud Psalmographi dictum: Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus populi sui. De hoc & Anna Helcanæ ait: Repleti priùs, pro pane se locauerunt, & famelici saturati sunt. Ex hoc & ipsa Redemptoris nostri genitrix virgo Maria dicebat: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Sic & Dominus in Euangelio ait: Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Illicit ergò amore suo diuina misericordia inopem, vt de paruis magnos statuat, ac de infimis vnigeniti sui faciat cohæredes. Præfecit enim de hac mundana egestate

Psal.112.

1.Reg.2.

Luc.1.

Matt.20.

ſtate in cælo, quò ſcandere non potuit terrenum Imperium, vt accedat illuc ruſticus, quò accedere non meruit purpuratus. Sic nunc dicendum de beato Portiano Abbate, quem non modò de onere mundani ſeruitij ëruit, verumetiam magnis virtutibus ſublimauit, atq; poſt motum & preſſuras ſeculi, in requie æterna conſtituit, locauitque eum inter Angelorum choros, de quibus expulſus eſt dominus ille terrenus.

Beatiſſimus igitur Portianus ab ineunte ætate Deum quærere cæli ſemper etiam inter terrena ſeruitia conabatur. Hic enim ſeruus fertur fuiſſe cuiuſdam barbari. Is cùm plerunquè ad monaſterium confugeret, vt eum domino ſuo Abbas redderet excuſatum, ad extremum fugientem aliquandò dominus eum de veſtigio ſequitur, & Abbatem calumniari cœpit, imputans quòd ipſe eum ſeduceret, nè ſibi ſuus famulus deſeruiret. Cumque de conſuetudine, vt eum redderet, calumniando Abbatem inſiſteret, dicit Abbas Portiano: Quid vis, vt faciam? Et ille: Redde, inquit, me excuſatum. Cumque excuſatus redditus fuiſſet, & dominus eius reducere eum domum vellet, ità cæcatus eſt, vt nihil penitùs poſſet cognoſcere. Cernens autem ſe grauibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens: Supplica, quæſo, pro me Dominum, & accipe hunc ſeruum ad eius cultum: forſitan promerebor recipere lumen amiſſum. Tunc Abbas vocato beato ait: Impone, quæſo, manus tuas ſuper oculos eius. Cumque ille refutaret, tandèm Abbatis deuictus precibus, ſuper oculos domini ſui ſignum beatæ Crucis impoſuit: ſtatimque diſrupta caligine, & ſedato dolore, priſtinæ redditus eſt ſanitati. *S. Portiani conditio.* *Signo Crucis illuminat cæcum herũ ſuum.*

At verò exin beatus Portianus clericus factus, tanto virtutis cumulo eſt prælatus, vt decedente Abbate, ipſe ſuccederet. Qui fertur æſtiuo tempore, cùm ardor ſolis vi caloris ſui cuncta conſumeret, & etiam corpora, quæ robuſtiora potu ciboq; erant, æſtu defatigaret, in ieiunijs poſt perditum omnem ab ore humorem, ſalem æſtuans ruminâſſe. Ex quo iterùm aſſumpto liquore, arentes gingiuas parumpèr reficere quærens, quanquàm palatum aridum humectaret, tamen maius tormentum addita corpori ſiti præſtabat. Sal enim, vt nulli occulitur, magìs ardorem ſitis concitat, quàm extinguat. Sed hîc, tribuente Domino, arcebatur ab eo. *Siti ſe cruciat.*

His diebus Theodoricus ingreſſus Aruernum terminum, omnia exterminabat, cuncta deuaſtabat. Cumque in Arconenſis vici pratis caſtrametâſſet, antedictus ſenex ad occurſum eius properat, quaſì pro populo rogaturus. Ingreſſuſque caſtra manè, Rege adhuc in tentorijs dormiente, Siginaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur, aggreſſus eſt: & dum de hac captiuitate conqueritur, Siginaldus, vt ablutis aqua manibus merum dignaretur accipere deprecatur, dicens: Magnum mihi hodiè gaudium cõmodumque diuina pietas præſtat, ſi intra tentorij mei ſepta, facta oratione, potum dignaris accipere. Audiërat enim famam ſanctitatis eius: idcircò & honorem ei pro Dei reuerentia impendebat. Qui ſe diuerſis modis excuſans, aſſerebat hoc non poſſe fieri, quia nec hora debita eſſet, nec Regi dignum præbuiſſet occurſum, & quod his omnibus potius erat, necdùm ipſe Domino pſalmorũ decantationem debitam exoluiſſet. Sed his ſepoſitis, vi eum compulit, allatumque vaſculum, quo potio tenebatur, rogat vt ſanctus, impoſita priùs manu, ſanctificaret. Qui eleuata dextera cùm ſignum Crucis impoſuiſſet, vaſculum ſcinditur medium, ac vinum, quod intrà tenebatur, cum immenſo ſerpente terræ diffunditur. Quod cernentes qui aderant, metu exterriti, ad pedes beati viri decidunt, lambũt veſtigia, oſculantur & plantas: mirantur omnes virtutem ſenis, mirantur & ſe ab iniqui anguis viru diuinitùs fuiſſe ſaluatos. Ad iſtud miraculum concurrit omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum virum, cupiens eius fimbrias manu tangere, ſi oſculo honorare non poterat. Et Rex exilit de ſtratu ſuo, accurritq; ad beati confeſſoris aduentum, illoque tacente, cunctos, quos repetebat, captiuos abſoluit, & reliquos deincèps, vt voluit, ſic tractauit. Duplex ibì beneficium, Domino cooperante, largitum eſt: nam & illos à morte ëruit, & hos à iugo captiuitatis exemit. *Theodoric⁹ Rex deuaſtat omnes terminos Aruernenſes.* *Nota rem memorabilem.*

Nec preterire volui, quòd cum diabolus diuerſis machinis conatus illudere, cùm videret ſe nihil ei poſſe nocere, viſibilibus eum prælijs eſt aggreſſus. Nam nocte quadam dum ſe ſopori dediſſet, ſubitò expergefactus, vidit cellulam ſuam quaſì incendio concremare, exurgenſq; perterritus oſtium petijt. Quod cùm reſerare nequiret, in oratione proſternitur, ſignum ſalutare coram ſe, & circùm ſe faciens, ac protinùs phantaſia flammarum, quæ apparuerat, euanuit, cognouitque hoc diaboli fuiſſe fallaciam. Id ſtatìm reuelatum eſt beato Prothaſio, qui tunc apud Candidobrenſe mo- *Diabolus ei moleſtias exhibet.* *Vi S. Crucis eneruat illũ vir Dei.*

nasterium habebatur reclusus. Qui cum summa festinatione monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens, hortatus est, dicens: Oportet te, dilectissime frater, insidijs diaboli resistere viriliter, & nihil de eius dolositate pauescere: sed omnia, quę intulerit, oratione assidua, ac signo Crucis econtrà apposito euincere, quia talibus semper tentationibus seruos Dei nititur expugnare.

Migrat ad Dominum. Senuit autem vir beatus, & impleto boni operis cursu, migrauit ad Dominum. Cuius nunc tumulus sæpiùs diuinis glorificatur virtutibus. Hæc tantùm de sancto viro cognouimus, non dijudicantes alios, qui maiora de eo cognouerunt, si voluerint aliqua in eius laudem conscribere.

DE SANCTO ROMANO BVRDEGALENSI PRESBYTERO, EX DIVI GREGORII TVRONENSIS

Archiepiscopi De gloria Confessorum Cap. 46.

24. Nouēb.



HABETVR in hoc territorio & sanctus Romanus Presbyter, quem, vt scripta vitę eius edocēt, Martinus noster sepulturæ locauit. Est autem sepulcrum eius contiguum Blauiensi castello, super litus amnis Garonnæ, in quo sæpiùs naufragio perituri, virtute eius saluati sunt, proclamantes inter fluctus torrentis vndosi: Misereri nostri, sancte Romane Confessor Dei. Mox enim, sedata tempestate, optato litore potiti sunt. Nec enim fas est, vllum perire naufragio, qui eius basilicā amnis de medio contemplari meruerit. Quod & nos in grandi necessitate experti sumus. Nam cùm imber creberrimus per multos defluens dies, amnem Garonnam extra litora eiecisset, atque impellente vento validis fluctibus exundaret, eleuarenturque fluctuum montes validi, qui non paruum intuentibus ingererent metum, exoratus beatus Confessor obtinuit, sicut credimus, virtutis suæ suffragio, vt compressis fragoribus, planum præberet flumen alueum. Et sic ingressi nauem, ad ripam alteram sine periculo sumus deuecti.

Ecce sancti inuocatio, & ad inuocationē auxilij exhibitio.

INVENTIO ET TRANSLATIO CLARISSIMI MARTYRIS S. GEREONIS, A RVDOLPHO

Abbate sancti Trudonis conscripta anno Domini 1121. aut circiter.

Nouēbr. 24.



RVDOLPHVS gratia Dei id, quod est, omnibus sanctorum martyrum piè amplectentibus memoriam, sanctorum martyrum consortium. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimoprimo, turbatis iam antè per aliquot annos Ecclesia & regno sub Imperatore Henrico, cuius pater Henricus Leodij obijt: multi Episcoporum & Abbatum, & de omni ordine & gradu clerici & monachi expulsi à suis sedibus, hàc illacque ferebantur, propter communionem Imperatoris, quam vitabant: quia excommunicauerat eum dominus Papa Calixtus II. secutus in eum sententias prædecessorū suorum Gelasij atque Paschalis. Hac tempestate, eademque de causa, eoque maximè, quia Friderici Leodiensium Episcopi electioni & consecrationi faueram, expulsus sum & ego de cœnobio beati Trudonis * Idus Aprilis, quarta feria Dominicæ resurrectionis cùm in eo indignus præsedissem duodecim iam annos, & duos menses, & vt puto, dies quatuordecim. Susceptusque sum eodem anno misericorditer à domino Archiepiscopo Coloniensi Friderico, eiusdemque Ecclesiæ studio, & fratrum electione positus sum Abbas in cœnobio beati Pantaleonis extra muros ciuitatis octauo Idus Septembris, cùm iam vacâsset à quarto Calendas Ianuarij.

* Videtur deesse numerus, aut certè Idibus legendum.

Nec

Nec multò pòst subsequētibus diebus, petente quodam Dei seruo & prædicatore magno Nortberto vnum de corporibus martyrum Thebęorum, qui iacent in monasterio sancti Gereonis: apertum est vnius eorum sepulcrum in eodem monasterio, iuxta medium pilarum ad meridianam plagam, præsentibus tota nocte ad vigilias & ad fodiendum religiosis clericis, & monachis, atque Abbatibus, cum omni obsequio & reuerentia atque deuotione. Inter quos & ego peccator mandatus adfui. Eleuato ergò superiori lapide de sarcophago, post octingentos & aliquot plures annos martyrij Thebæorum, inuentū est in eo corpus magnū, per scapulas amplum, per pectus & brachia torosum, indutum chlamyde militari coloris purpurei: quæ ampla vtrinquè vestis appendebat vsque subter genua eius quasi tribus digitis, genus pallæ non ignobilis. Super eam aliam habebat vestem breuiorem, ignotam quidem nobis nomine, sed cognitam filo serico, & colore nobilioris purpuræ. Subtùs ad carnem nihilominùs vestis serica, albi maximè coloris, sed tamen subrubea. Corpus totum intactum adhuc videbatur à mento, quod tantùm de capite supererat, vsq; ad pedes, indissoluta adhuc superficie vestium, caligarum atque calceorum. Nam vt conijcere veriùs potuimus, sic casu pertransierat inter caput & mentum persecutoris gladius. Pars tantùm illa, vbi ventris mollities fuerat, aliquantulùm, modestè tamen subsederat: quam vestis subsecuta, indissoluta permanserat. Tali suppressione, pectus & ossa femorum videbantur magis turgere. Supra pectus illius, signum Dominicæ Crucis inuentum est de aurifrigio factum, sicut considerari potuit, submicantibus adhuc in eo auri metalli scintillulis. Aurifrigij longitudo penè vnius pedis extiterat, latitudo vix vnius digiti.

Monasteriū S. Gereonis, hodiè collegium Canonicorum.

Nota de inuēto corpore.

Nota hoc de signo Crucis Dominicæ cōtra impios hostes illius

A genu eius vsque ad pedès, tibiæ ex directo & integro decenter compositæ; habentes adhuc caligas integras de palla, rotundis floribus ad modum oculorum caudæ pauonis circunquaquè distinctis. In ipsis subtalaribus iuncti sicut prima die, & à talo sursùm erecti pedes adhuc continebantur: & quantùm ad superficiem vestis, nihil de toto corpore videri poterat, quod adhuc corruptum siue commotum vnquàm fuisset. Sub vestibus tamen, sicut posteà exitus probauit, ipsa caro iam prorsùs in cinerem resoluta fuerat cum ossibus, exceptis paucis de maioribus: sed fauillæ superextantis incommota integritas, carnis quoquè integritatē oculis admirantium figurabat. O quàm gloriosum erat, videre magnanimi militis Christi venustam formam, magnificeque vestitam, & quasi viuentis adhuc viribus plenam: cuius caput si sub simili corporis incorruptione adesset, dormire eum potiùs, quàm mortuum, crederes. Ad caput eius cæspes erat gramineus locatus, à capite vsque ad cingulum, ab vtraque parte laterum, inter corpus eius & sarcophagum. Qui cæspes, immò qui cæspites (nam plures fuerant) sanguinei toti adhuc erant, sicut perfusi in terra fuerāt fluente sanguine martyris, quandò percussus in terram cecidit.

Sed & in aliorum trium martyrum sarcophagis, hac occasione apertis, eadem magnalia Dei vidimus. Pili herbarum in ipsis cęspitibus adhuc rigebant, sicci tamen, sed concreto sanguine integri & rubei tenebantur. Testes mihi sunt ipsi martyres, quia propria, sed indigna, manu tenui, oculis proprijs adspexi, & alijs videre porrexi, ipsi quoquè domino Episcopo assidenti, multumq; præ gaudio & deuotione lachrymanti. O quantum studium, quantus Christi amor, quanta deuotio fidelium tunc temporis Christianorum, qui in tanta persecutione nec ipsos sanguineos cæspites tollere neglexerunt. Quid moror? Ista nocturnis horis acta sunt, sub magna quidem religiosorum virorum & fletu & cantu. Manè facto, cùm res tam gloriosa & desiderabilis audita fuisset à ciuibus, & ostensa pluribus illorum, (nam apertum tantùm sarcophagum palla tantùm tegebatur) tota ciuitas statim infremuit, clamantes se mâlle mori, quàm tanto thesauro, tanto patrono priuari. Erant etiam inter eos, qui corpus inuētum, ipsum esse sanctum Gereonem dicebant, propter habitûs venustatem & corporis formositatem. Vndè maior & maior fiebat tumultus in populo, contradicebaturque ab omnibus domino Nortberto. Vix tandèm sedatus est tumultus, Præposito sanctæ Mariæ Theodorico de Gradibus pulpitum asscendente, & populum mitigante, & quòd rei huius consilium esset differendum, promittente, vsque ad præsentiam domini Archiepiscopi. Tunc nihilominùs ad satisfaciendum populo, decretum est à maioribus, vt sepulcrum lapide superposito clauderetur, considerata priùs diligenter integritate corporis à fidelibus, nè quid furto de eo tolleretur. Acta

Vide res admirandas.

Obserua lector priscorū Christianorū deuotionem.

Sarcophagum dicit neutro genere.

sunt hæc tertio Idus Octobris, anno supradicto Dominicæ incarnationis. Intereà die & nocte vsque octauum Calendas Decembris cum magna deuotione & multo lumine sepulcrum custodiebatur, die circunsedentibus cum psalmodia electis ad hoc eiusdem ecclesiæ aliquibus clericis, nocte vigilantibus nihilominùs cum psalmodia quibusdam alijs, interdumque iuuantibus eos fratribus de sanctis Apostolis.

Igitur post aliquot ità interlapsos dies, octauo, vt diximus, Calendas Decembris vocatus adfuit dominus Archiepiscopus, Abbates, Præpositi & omnes congregationes ciuitatis: populus verò innumerabilis. Magna reuerentia, magnisque laudibus secundò apertum est sepulcrum, & integrum repræsentatum corpus sanctum: tamen ex magni lapidis concussione caro, quæ sub vestibus in fauillam versa fuerat, per plurima loca subsederat, sicut etiam in talibus solet contingere, infuso post tot tempora occultis corporibus nouo aëre. Ponuntur duo Abbates, induti vestibus albis & stolis, vnus ad caput, alius ad pedes. Quorum vnus ego peccator, ad caput eius sedi, quanuìs, vt superiùs dixi, de capite nihil præter mentum haberetur, sicut percussoris illud absentauerat gladius Applicuerunt se etiam alij duo presbyteri clerici sancto leuando corpori, nihilominùs induti vestibus albis & stolis. Qui sacras manus piè apponentes, primùm vestes collegerunt, non integras, quia vetustas non patiebatur: sed per grandes & minores partes, sicut poterant diligentiùs. Circa scapulas verò, & supra totum pectus, & vsque ad ipsum cingulum, multus inueniebatur sanguis superglobatus, sicut abscisso capite, ex collo & venarum meatibus sparsìm potuit emanare.

Multus sanguis inuenitur in martyris corpore.

Collectæ igitur sunt diligenter omnes eius vestes, sed istæ diligentiùs, crasso sanguine, sed sicco, graues, & per se in scriniolo vno, decenter ad hoc parato, positæ reuerenter. Cum quibus & balteus eius militaris de nigro corio, inuentus & repositus est, penè vnius vlnę lōgitudinis, adhuc integras habens partes. A sinistro latere, iuxta latus eius & balteum, inuentus est nodus ferreus ad modum oui, rubigine propè consumptus: quem capulum gladij eius fuisse credimus: sed de gladio frustum nullum inuénimus. Diligentiùs tamen posteà quidam attendentes, in ipsis partibus reliquiarum, quas indè exorauerant, particulas ferri mihi protestati sunt se inuenisse. Subtalares, magnis partibus integris, eodem scrinio reconditi sunt. Caligæ prorsùs in cinerē resolutæ. At vbì susceptis vestibus, ad carnem & ossa colligenda ventū est, vix de ipsis ossibus, & hoc de magnis, aliquid solidum apparuit, quod prorsùs in cinerem, aut in paruas particulas vetustas redegit.

Res admiratione digna.

Mira res, & valdè gloriosa. Testor ipsos sanctos martyres, testor & ipsam sanctam multitudinem religiosorum virorum, qui diutiùs hoc viderunt: Totus cinis carnis & ossium, quasì calx nouiter fusa, cādebat per totum sarcophagum. O quotiès ibì cantatum cum multis lachrymis fuit, Et in sanguine agni lauerunt stolas suas. O quotiès ibì repetitum, Lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerūt in sanguine agni. Tandèm collectus est cinis, & cæspes simul sanguineus, & ipse in * puluere, sed terrei atque subrubri coloris, propter sanguinem resolutus: susceptusq; in munda palla & preciosa, in alio scrinio maiore recōditus est. Tunc eleuatis vtrisque scrinijs, multa oblata sunt ad fabricandū feretrum sancto martyri. Dominus Archiepiscopus obtulit scutellam argenteam: deindè singuli quique, prout deuotionem habebant. Acta est etiam processio magna die illa circa claustrum & circa monasterium, pulsantibus signis, & cantantibus clericis & monachis, laicisq; Teutonicè in concrepationibus suis. Qua processione finita, & sanctis reliquijs in loculis suis super altare in medio monasterij collocatis, Missa de eiusdem sanctæ legionis martyribus incepta est, & iubente domino Archiepiscopo, à me peccatore cantata. Ante Canonem verò, finito Euangelio, dominus Archiepiscopus sermonem fecit ad populum de ijs, quæ tunc præ oculis habebantur & manibus, & quæ ad salutem animarum pertinebant, de sanctis Thebæis martyribus. Finitaque Missa, dimissus est populus cum lætitia magna.

*Apoc. 7. Ibidem. for. * puluerem. Feretrū, pro theca.*

Ex huius sancti martyris reliquijs, cura & deuotio fratris nostri Ecberti posteà partes aliquas nostro interuentu impetrauit à Præposito eiusdem monasterij Hermanno, cuius studio & deuotione reuelatum corpus translatum fuit. Reliquiæ autem hæ sunt: De veste illa subtiliori, quam ad carnem suam habuit indutam. De balteo eius militari, qui circa lumbos eius inuentus est, nigri corij. De ferro, vt videbatur, eius gladij, confuso cum sanguine, & cineribus vestium, & corporis illius: vbì quasì in media vagina ferrum adhuc patenter sublucere videtur. De sanguine eius concreto cum

Studio domini Hermanni Præpositi corp' S. Gereonis translatum est.

cum puluere carnis & ossium eius. Cùm adhuc per se iacéret, similimus erat calcis nouæ, aut farinæ candidæ. Postquàm verò collectæ sunt partes vestium, quæ integrè colligi potuerunt, & ossa, quæ penitùs resoluta non fuerunt, cętera omnia in vno puluere collecta sunt: hoc est, puluis sanguinei cæspitis, puluis ossium, puluis carnis, puluis vestium. Quæ omnia simul confusa, album quoquè illum colorem confuderunt.

Hæc ideò tam diligenter exprimimus, quia puluerem carnis & ossium, colorem calcis nouiter fusæ diximus habere: vt cùm alius color in isto puluere inuētus fuerit, nemo tamen dubitet, quin de vera carne & ossibus eius sit: immò simul quoquè de sanguineis cæspitibus, atque de eius simul vestibus. Has scilicet reliquias cùm mihi frater Ecbertus allatas repræsentâsset, recognoui eas, sicut antè in sepulcro videram: & ex earum præsentium occasione ordinem inuentionis, sicut hîc legitur, aggressus sum fideliter describere, secundùm quod vidi, & manibus proprijs, licèt indignus, tractaui. Itaque priùs eas vobis per eundem fratrem misi, transferendas in ecclesiam beatæ Mariæ in Dune: quatenùs in hoc nostro scripto, & ex earum præsenti contemplatione nulli modò, vel in posterum dubium sit, quòd ex corpore martyris de sancta legione Thebæorum martyrum sumptæ sunt. Hortamur ergò & rogamus, atque præcipimus, vt fratres nostri, qui morabuntur in Dune, diem festũ martyrij eorum in die S. Gereonis cum duodecim lectionibus amodò agant, & diem aduentûs istarum ad eos reliquiarum. Hæc ego peccator Rudolphus, fratres mei & filij charissimi, qui estis in cœnobio beati Trudonis in Hasbania, scripsi vobis de cœnobio beati Pantaleonis iuxta Coloniam.

Puluis eius similis calci nouiter fusæ.

MARTYRIVM SANCTI PETRI EPISCOPI ALEXANDRINI, VT HABETVR IN MS. CODICIBVS,

interprete, nisi fallor, Anastasio Bibliothecario, qui alicubì testatur se transtulisse passionem præcipui doctoris & martyris Petri, Alexandriæ vrbis Patriarchæ.



AD corroboranda corda credentium, & mentes fidelium confirmandas, omnipotens Deus dignum pastorem beatum Petrum plebis suæ Episcopum ordinauit. Hic per doctrinam suam multos ab idolorum cultura separans, Christi Ecclesiæ sociabat. Audiens igitur Maximinus, quòd multi per eum à dęmonum simulacris segregarentur, & in Christi nomine baptizarentur, furore cõmotus, statìm destinauit tribunum quendam ad ciuitatem Alexandrinam, qui eum compræhenderet. Accepta itaque tribunus authoritate, cum suis militibus ad vrbem superiùs memoratam perrexit. In quam ingressus, reperit beatissimum Petrum cum ingenti Christianorum multitudine * sanctorũ commemorationem celebrantem. Quem statìm compræhendens, vinculis alligauit, & custodiendum carceri deputauit, damnauitque compedum mortifera ruina. Hoc videntes Christiani, in lamentationem maximam conuersi, vnà cum suo pastore in custodia carceris permanebant. Non enim patiebantur, vt salutis doctor, mali aliquid pateretur. Hac opinione Maximinus comperta, literas destinauit tribuno, vt eius vitam celeriùs auferret. Quibus lectis, tribunus ad custodiam carceris cum manu armatorum perrexit. Videntes autem populi, qui ante carceris ianuam pro fide & amore sui pastoris perdurabant, quòd eum per vim de carcere voluisset eijcere atque interficere, dixerunt: Priùs nos, si tibi à tuo rege præceptum est, interfice, & ità demùm valebis in nostrum patrem manus inijcere. Scias enim nos nullatenùs permittere, vt doctor & medicus animarum nostrarum, aliquid patiatur.

25. Nouembris: quanquam Latina martyrologia eũ habẽt 26.

Cap. 1.

* sanctorum Apostolorũ legit Ado.

Alexandrinorum erga Episcopum suum amor.

Audiens tribunus hos sermones, & videns non tantùm populos diuersę ætatis, sed etiam illustres viros, monachos quoquè religiosos ac virgines, in custodia carceris permanere cum sancto viro, agebat silentiò moderatè, qualiter beatum Petrum sine vllius sanguinis effusione foràs eiectum percuteret, sicut & Maximini tyrãni sententia mani-

Cap. 2.

manifestabat. In tali itaque dum esset custodia positus, fama certaminis Petri, quo cum diabolo dimicabat, vsque ad infelicissimum Arrium discurrendo peruénit, qui ante aliquantos dies pro zizaniorum doctrina, quam aduersùs Christum Dei filium in agro Dominico seminauerat, culpatus sæpiùs, increpatus atque excommunicatus fuerat: & quia sanctis monitis acquiescere noluit, semetipsum eousquè perduxit, vt à sancto Petro clericatûs officio priuaretur. Cognita ergò infelix Arrius sententia, quam tyrannus aduersùs venerabilem ouium Christi pastorem dederat, gaudens atque exultans ad Christi Ecclesiam cum omni velocitate peruénit, & cœpit in dolo quosdam de presbyteris atque laicis obsecrare, vt ei à sancto Petro veniam atque indulgentiam peterent. Propterea verò conabatur sui Episcopi communionem recipere, vt post illius vitæ terminum ipse successor existeret. Sed qui cordis cognitor est, omnipotens Deus, in quē grauiter peccauerat, diuisiones in sancta Trinitate faciens, non celauit beato Petro iniquum Arrij propositum, quod habebat in animo.

Arrius à S. Petro excõmunicatus.

Arrij malus dolus.

Cap.3. *Apparet S. Petro Dominus, Arrij consilia iniqua ei indicans.*

Eâdem nanque nocte apparuit beato Petro, in custodia carceris quiescenti, & ei nequissima infelicis Arrij consilia manifestauit. Cùm igitur alio die venirent ad eum viri magni atq; religiosi, quos cum presbyteris idem nefandus direxerat, ingredientes carcerem, proiecerunt se ad genua beati Petri, obsecrantes eum cum lachrymis, vt Arrium à vinculo damnationis absolueret, & eum in sancta Ecclesia presbyterij ministerio restitueret. Dans autem eis beatissimus Petrus manum, eleuauit eos, dicens: Quid vultis, dilectissimi mihi fratres, aut quid quæritis? At illi respondētes, dixerunt: Precamur beatitudinem tuam, venerabilis pater, vt digneris veniam præstare infelicissimo Arrio, & absoluas eum à vinculo, quo eum vinxisti: quoniam ecce iam gloriosa tibi martyrij corona in cælis paratur: quia non solùm per doctrinam tuam, vniuersam illustrâsti prouinciam nostram, sed & per confessionem martyrij multo ampliùs nobis & perfectiùs salutem fidei contulisti. Propter quod credimus, quoniam tibi pro labore isto duplex in cælo palma præparabitur.

Cap.4. *Hæretici violāt sponsam Christi id est, Ecclesiam.* *Terribilis sententia.*

Tunc venerabilis Petrus cum ingenti gemitu lachrymans, ait: Pro Arrio me obsecrâstis, dilectissimi fratres, qui sponsam Christi violare conatur? An nescitis, quia pro omnibus semper dolui & condoleo, & omnibus indulgentiā præstans, neminem aliquandò passus sum de Ecclesia Christi perire? Sed magìs pro omnibus diligenter interuenio, omnipotentis Dei exorans clementiam, vt salutis veniam semper ab eo consequi mereantur? Hic autem Arrius, pro quo rogatis, soli Deo mortuus est, & à facie illius hîc & in futuro seculo proiectus. Vndè & à sacrosancto altari eius, non mea, sed ipsius est iudicij sententia separatus: quoniam non in homine, sed in Domino grauiter peccauit, impiè agens in Trinitatis mysterium, vbi Cherubim & Seraphim non audent respicere, qui incessanter vocibus proclamant Deo, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Cùm etiam & virtutes cælorum ipsum canentes, dicunt: Pleni sunt cæli & terra gloria tua: ille impia & execrabili mente ausus est blasphemias irrogare, & diuisiones facere inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Quemadmodùm ergò audeam illi veniam dare, cui omnis creatura irascitur & maledicit? Quomodò potest veniam promereri à me dilectissimi fratres? Hæc verò dicente beatissimo Petro, viri qui pro indulgentia eius venerant petere, proiecerunt se ad pedes eius, & velutì muti sunt effecti, nec quicquam de eo illi ampliùs locuti sunt.

Esa.6. *Ibidem.*

Cap.5.

Videns autem beatissimus Petrus ità eos pauore perterritos, appræhendit duos ex ipsis seniores presbyteros Achillam & Alexandrum, & ducēs eos seorsùm in parte carceris, vbi erat reclusus, dixit eis: Ego quidem, etsì peccator sum, scio me vocatione cælesti ad hunc agonem martyrij esse vocatum. Vobis autem, qui post me futuri estis columnæ in sancta Ecclesia, cupio confiteri mysterium Dei, quod mihi reuelatum est à Deo meo in hac nocte: quoniam post finem martyrij mei tu venerabilis pater Achilla presbyter, throni mei sedem Episcopatûs consecuturus es: post te verò hic amabilis nobis Alexander presbyter ipso sacerdotio honorandus. Hoc mihi pro certo à Domino promissum est. Ideoque nè me velitis æstimare immisericordem esse, aut contra delinquentes crudelem. Quia omnis offensa humana, carnis vitio peracta, quanuìs sit grauis & periniqua, tamē multo leuior est, quàm huius Arrij iniqua offensa. & ideò illis, quæ ad hominis fragilitatē pertinent, facilius est nobis indulgentiā dare: huic aūt maledicto, pro quo rogatis, quomodò possum veniam dare, cuius interiora dolo & blasphemia plena sunt? ex cuius corde abyssus tenebrarum proru-

S.Petrus futura prædicit.

prorupit, blasphemiam irrogando aduersùs omnipotētem Dei filium, asserens eum creaturam, qui creator est omnium visibilium & inuisibilium, qui à prophetis atque Apostolis & Euangelistis est prædicatus? Et nunc per istum diabolus zizania seminauit, per quem multus populus à recta fide auersus, & in profundū erroris deuolutus est. Sæpiùs à me monitus atque correptus, vt ab hac sacrilega doctrina recederet, nequaquàm sermonibus acquiescere voluit. Cuius rei causa abiectus atque depositus est deorsùm ab ordine presbyterij. Et nunc quemadmodùm iubetis me obtemperare petitionibus vestris, cùm ille meis admonitionibus noluerit acquiescere, præsertìm cùm in hac causa non meo iudicio sententiam aduersùs eum dederim, sed diuinitùs inspiratus hoc fieri iusserim?

Qua blasphemia Arrius filium Dei affecerit.

Cap. 6. Nam in hac hora noctis cùm ex consuetudine debita sacras Deo orationes offerrem, eccè subitò video apparére mihi in habitu pueri Iesum Christum Dominum nostrum. Cuius claritatis splendore nimio illustratus, non valebam vultū tantæ maiestatis inspicere. Qui indutus erat * tunicam lineam, candidam nimìs, sed cōscissam à summo vsque deorsùm: quam ambabus manibus cōstringebat circa pectus suum, cooperiens quodammodò nuditatem suam. Quem cùm sic vidissem, timor magnus irruit super me, & cum summo timore deprecans eum, dixi: Domine, Domine, quid est hoc? Quarè sic video tunicam tuam à summo vsque deorsùm conscissam. Qui respondit mihi: Quotidiè ipsam tractas in ecclesia, & nescis quomodò scissa est? Arrius mihi hanc scidit, quia separauit à me populum meum, quem mihi in hæreditatem acquisiui per Crucis patibulum. Et nunc per ipsum, schisma factum est in populo meo: & ideò apparui tibi, præcipiens & monens, nè fortè velis eum in cōmunionem suscipere. Iniqua enim meditatur contra me & populum meum. Eccè enim venturi sunt ad te quidam, quos ipse cum hypocrisi direxit, qui te rogent pro eodem, vt ei veniam præstes. Tu autē cum omni cautela vigila, & nè acquiescas petitioni eorū, nè schisma fiat in populo meo, pro quo ego Crucem pertuli, & mortem gustaui, & tertia die resurrexi. Omnia quæ mando tibi, obserua, & manifesta hunc sermonē meum Achillæ & Alexandro, qui post te futuri sunt Episcopi: quibus præcipe, vt & ipsi anathematizent eum à conuentu suo coram omni populo, vt audientes terreantur, & discedant ab eo. Ideoque hæc omnia, quæ mihi præcepta sunt & iussa à Domino meo, manifestaui vobis & cognita feci. Ex hoc mundus ero ab omnibus, quæ mandaui vobis, si non fuerint custodita.

*Ado habet colobiū, q̄ est tunica sine manicis.

Vtinàm hęc attenderēt hæretici, q̄ in multas sectas distrahunt populum.

Cap. 7. Scitote autem & vos, quòd in omni tempore, quo inter vos cōuersatus sum, nunquàm cessaui monendo atque exhortando vos, tam voce, quàm literis meis, cùm essem in insula Tyri & Phœniciæ, in Palæstinæ quoquè insula relegatus, nunquàm cessaui scribens confortare vos in virtute spiritussancti, orans ac deprecans Deum die ac nocte pro populo mihi credito. Solicitudinem quippè magnam gerebam, æstuans iugiter in corde meo pro salute eorum, vt non aliquis desit à conuentu Ecclesiæ: nec vnquàm cessaui suggerendo beato Episcopo Hesychio atque Theodoro, in custodia pro fide Christi reclusis: qui digni vocati sunt pro gratia Domini nostri, participes facti passionum Christi. Ipse scribens ad Mesopotamiam, sæpiùs designaui, qualia ab inimicis nobis inferebantur supplicia. Dolor nanque magnus & solicitudo stringebat me pro populi mei salute, nè fortè aliquis subuerteretur à prædicatoribus falsis. Ampliùs enim, quàm sexcenti sexaginta viri de clericis vel laicis anathematizantes ritum gentilium, in carceribus retrusi, & diuersa sustinentes supplicia, coronam martyrum meruerunt. Quorum victoriam ego audiens, lætus adoraui Dominum Deum meum, qui eos confortauit, & elegit in numero martyrum suorum. Mihi verò quanta ostensa sunt in Lycaonia ab hæreticis, credo quia nec vos latet: quomodò Meletius Christianorum gregem ab Ecclesia separârit, pro quo Dei filius animam suam posuit, & effudit sanguinem preciosum. Aduersùs quem Meletiùs impiè repugnans, sanctos Episcopos ac religiosos viros in carcerem claudebat, ac tribulabat, cogens eos præuaricari.

Hi fuēre Aegyptij Episcopi.

660. martyres.

Hic Meletius sibijpsi temerè arrogauit Episcopatū, factus hæresiarcha.

Cap. 8. Propter quod, charissimi mihi, moneo vos, atque hortor viscera mea, custodite fidem, in qua renati estis: videte nè Arrij vel sociorum eius deceptionibus cōsentiatis. Videtis me, quomodò ob vinculum charitatis Domini nostri in custodia sim clausus, in ea ipsius misericordiam expectans. Comperi autem, quòd impius Meletius contra me multa mala testificetur, vt ampliùs tyranni Maximini furor excitetur, & me interficiat. Quam ego mortem pro Christo meo libenter die ac nocte expecto, vt in pace merear

Eccè ardens martyrij de-

siderium in vito Dei. Act. 20. merear de hoc seculo, in fide mea consummatus ad Christum transire: quia non facio animam meam preciosiorem, quàm me, (secundùm Apostolum dico) sed Domino meo eam commendo, in cuius manu pendet spiritus meus: vt celeriùs impleam cursum martyrij mei, secundũ quod mihi prædixit Dominus meus. Et nunc pro certo scio, quia ampliùs non videbitis faciem meam in corpore isto. Propter quod testificor vobis, quia mũdus ego sum ab omnibus. Cauete vobis à doctrina Arrij & Meletij. Domini nostri Iesu Christi tantùm pręcepta seruate.. Estote soliciti pro populi salute, in quo vos spiritussanctus posuit pastores & Episcopos Ecclesiæ suæ. Scio nanque, quòd post finem meum exurgent multi tam de clericis, quàm de laicis, & loquentur peruersa, subuertentes animas innocentium, vt eos separent à fide Christi. Propereà rogo, vigilate ab Arrij intẽtione. Scio quia in tribulationem maximam habetis intrare: sed credo, quia labor vester non erit inanis apud Dominum Deum vestrum. Nôstis quanta pericula sustinuit pro Christo, qui me nutriuit, pater meus Theonas Episcopus ab his, qui idolis seruiebant, vt eos sua prædicatione saluaret. Post cuius finem & transitum ego sedem eius suscepi, mores eius & vitam imitatus sum.

Theonas Episc. Alexandr. multa perpessus à paganis.

Cap. 9. Quid autẽ dicã de Heraclio, & Demetrio, vel Dionysio beatissimis Episcopis, quales tentationes & pericula sustinuerũt ab ijs, qui schisma faciebãt in cõuentu Ecclesiæ Christianorum, & conturbabant plebem Dei? Pro quorum salute de loco in locũ se inuicèm literis monebãt, nè recederẽt à fide Christi, quã acceperant. Eccè sudorem & laborem pertulerũt pro animabus nostris boni pastores animarũ nostrarum. Sed illa gratia, quę illis iugiter adstitit, cum eis vsq; in finẽ perseuerauit. Nunc ergò cõmendo vos Deo & verbo gratiæ eius, qui potens est vos ædificare, & immaculatos per omnia conseruare. Et hæc dicens B. Petrus Episcopus, inclinãs genua sua, orauit: & completa oratione, dixit: Orate pro me fratres. & omnes circumadstantes dixerunt, Amen. Ea hora Achillas & Alexander cõplexantes & osculantes manus eius, lachrymantes flebant, eò quòd dixerat eis, Ampliùs faciem meam non videbitis. & ità venerunt, vbi erant populi stãtes clerici atq; laici: & locutus est eis de doctrina fidei, quæ est in confessione Domini nostri Iesu Christi. & orans, iterùm salutauit eos in pace. Qui recedentes, secretò nunciauerunt vniuerso populo Christianorũ, quæcunque Dominus B. Petro de Arrij blasphemijs reuelauerat, vel quęcunq; facere cõmoniti fuerant, vt eum coram omnibus anathematizarent, & in ecclesiam ingredi nunquã sinerent.

Achillas & Alexander populo verba sui patris referunt.

Cap. 10. Pręcereà cognoscens beatissimus Petrus Episcopus, quòd Christianorum populus tribuno non permitteret, vt illũ iuxta tyranni sententiam, pro Christi nomine gladio decollaret, volens pręparatam sibi diuinitùs martyrij coronam celeriter accipere, vocauit vnum de ministris suis, qui ei vnanimis fuerat, & misit eum ad tribunum, dicens: Si vis Maximino tuo parére, venies ad carcerẽ secreto noctis, & facies in pariete modicum foramen, quantum vnius hominis est capacitas: per quod ingressus tuus carnifex, amputabit caput meũ gladio, & transmittes illud tyranno principi tuo, & erit tibi victoria in conspectu eius. Huic consilio tribunus deseruiens, eo tempore, quo Christi martyr dixerat, caput eius gladio desecauit. Fit commemoratio eius die Calendarum Septembris. Requiescit nunc in pace sub ara Domini Christi saluatoris: Cui honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Vltrò se offert tribuno percutiẽdũ S. Petrus.

Cæditur gladio.

MARTYRIVM SANCTÆ MARTYRIS ÆCATERINAE, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

Habetur quinto tomo Aloysij.

Nouẽbr. 25. Cap. 1.



MPERANTE impio Maxentio, vniuersum imperium Romanorum amplectebatur impium cultum dæmonum. Is enim Alexandriæ præsidens in excelso & sublimi tribunali, emisit hoc impium edictum, vt omnes simul, qui erant in eius potestate ac ditione, simulacris sacrificarent. Vndè etiam per vniuersum Romanum imperium manifesta fuerunt, quæ decreta fuerant, literis ità se habentibus: Imperator Maxentius omnibus, qui sunt in mea ditione, salutem. Magnum consecuti beneficium à deorum benignitate, velutì quandam huius munificentiæ remuneratione, censuimus nos eis oportere offerre sacrificia. Omnes ergò, si fieri potest, ad nos venien-

Literæ impiissimi tyranni.

venientes,ostendite vestram in magnos deos beneuolentiam: Scientes quòd qui hoc nostrum edictum contempserit,&ad aliam à nobis prohibitam adspexerit religionem, & éxcidet ab ipsa magna deorum beneuolẽtia,& subijcietur à nobis malis extremis

Cùm hæ literæ in omnem partem peruasissent, licebat videre confluentem ad ipsum multitudinem metu minarum: quorum alij quidem adducebant oues & boues: alij autem varia genera auium. Neque erat vllus immunis,sed erant omnes intenti in apparatu sacrificij. Nam qui erant valdè diuites,constitutum erat,vt magna animalia adducerent ad sacrificium: parua autem pauperes, prout vnicuique suppetebant facultates,& erat vniuscuiusq; in deos beneuolentia. Ad magnificentiam autem eos maximè incitabat Imperator, afferens ad sacrificandum centũ & triginta tauros. Cùm omnes ergò ad ipsum conuenissent Alexandriam, valdè lætatus est,videns multitudinem populi & sacrificiorum: adeò vt nec alterũ quidem tempus expectârit,sed protinùs surrexerit, & citissimè ad templum processerit, & ipsum peregerit sacrificium.Cum eo autem currebat omne genus & omnis ætas,& vniuersus senatus,& omnes magistratus, plebsq; & vulgus hominum, quæ ad sacrificium pertinebant,vnusquisque afferens: adeò vt propter multitudinem eorum, qui confluebant,angusta esset ipsa ciuitas,angustum templum: clamore verò brutorum animantium circunsonaret tota regio circuncircà: nidore autem sacrificiorum ipse quoquè aër inficeretur. Cap.2. Innumera hoĩum multitudo venit Alexandriã,dæmonibus sacrificatura.

Cùm hæc sic fierent,mulier quædam pia,nomine Aecaterina, ætate iuuenis,pulchra specie, quæ genus ducebat ex sanguine regio, omnem autem & externam & nostram scripturam perlegerat,multis ancillis comitata degebat Alexandriæ,& sic asseruabatur in ædibus regijs,& solum Christum nôrat sponsum,& ei animæ seruabat pulchritudinem: & in eum solum erat cor eius amore inflammatum. Hæc sic videns homines grauissimum subire naufragium,& venire in extremum interitûs periculum,animo grauiter affecta, & pro Domino æmulatione ac zelo incitata, tunc maximè statuit suum ostendere desiderium, & ardentem pro fide zelum: & cùm nonnullos secum accepisset famulos,protinùs profecta est in templũ, in quo erat multitudo cum Rege sacrificans: & stans in limine, aliorum quidem vultus ad se attrahebat,vt quæ insigni esset pulchritudine, & internam speciem ostendebat per externam. Sensìm autem sua munda labra aperiens, dixit se habere necessarium aliquid, quod diceret Imperatori. Qui itaque nuncijs referendis præerant, Imperatori de virgine annunciant. Cumque ille iussisset,statim introducitur.Quæ cùm stetisset coram impudenti Tyranno,cùm ille adhuc vacaret sacrificio,cõstanter & liberè sic ei est locuta: Cap.3. S. Catharina degit Alexandriæ. Non fert idololatriç flagitium.

Oportebat quidem,ô Imperator, te ex teipso tuam videre deceptionem, quòd hominum,in quos cadit interitus,simulacris,tanquàm dijs,offers sacrificia: & gentilem hanc stultitiam & dedecus abijcere. Quoniam autem sinistro pârens dæmoni,ad adeò manifestam cæcutis veritatem, oporteret omninò sapienti saltem, qui est apud vos,Diodoro credentem,cognoscere quidnam sint vestri dij: & non tam inconsideratè,quæ non decent,velle facere: & non deos putare simulacra hominum,qui vitam miserè finiêrunt. Ille enim dicit & deos fuisse homines, & propter aliqua beneficia nominatos fuisse immortales.Scribit autem ipsos quoquè habuisse proprias nominum appellationes, & imperâsse quibusdam regionibus & ciuitatibus. Dicit verò homines deceptos ignoratione, eos vocâsse deos, & retulisse in numerum immortalium. Porrò autem alius quoquè sapiens apud vos ex ijs, qui conscripserunt historias, dixit illum Sarrum inuenisse primum res gentilium. Eos enim,qui priscis tẽporibus, aut fortitudinis,aut amicitiæ, aut alicuius alterius virtutis opus,dignum quod memoriæ mandetur,aut in quod studium conferatur, ostenderunt,dicitur honorâsse statuis ac simulacris. Qui autẽ maiorum mentem ignorârunt posteri,quòd eos solùm memoriæ gratia, vt qui rem aliquam laudabilem fecerãt,honorâssent, eisq; imagines & statuas posuissent,ad homines interitui & omninò similibus obnoxios affectionibus accesserũt:& vt eis fierẽt sacrificia,honoresq; haberẽtur,& dies festi celebrarentur,prouiderũt. Eos vester quoq; sapiens Plutarchus Cheroneus arguit,dicẽs eos inducere errorẽ imaginũ. quibus oportet te quoq; credere,ô Imperator. Nõ enim alienis omninò,sed tuis credes: & nõ tam multas animas inducere in extremũ barathrũ interitûs. Pro qbus ipse miserè lues Cap.4. Obseruãda sanctissimç virginis dicẽdi libertatem.

pœnas,& æternum subibis supplicium, gehennam, inquam, ignis, quæ nũquàm desinit, sed maiorem sem per flammam accendit. His ergò persuadearis, ô Imperator, & persuasus agnosce verum Deum solum, qui dedit tibi hoc imperium, & prętereà ipsam quoquè vitam præbuit. Qui cùm esset Deus æternus & immortalis, propter nos homo quoquè factus est, crucemque & mortem elegit, nos faciens surgere à morte inobedientiæ, & vt ipse scit, nostram procurans salutem. Is & eorum, qui errant, est seruator, & eos quos pœnitet, benignè & clementer excipit.

Ostēdit Iesum Christũ verum esse Deum.

Cap. 5. Ad hæc ira impletur Maxentius, & cùm feruens sanguis ad cor eius modicùm affluxisset, vox quoquè ei fuit extincta, & nec potuit quidem omninò respondere. Cùm autem ad se vix tandèm redijsset, & quæ à martyre dicta fuerant, vidisset esse validiora, quàm vt contra ea dici posset, Nunc quidem, inquit, ô mulier, sine peragere sacrificium: paulopòst autem de ijs, quæ dicis, audiemus apertiùs. Peracto ergò sacrificio, & festo per hæc soluto, in regiam reuersus, accersit beatam. Postquàm autem ea adstitit, Dic nobis, inquit, quænam es, aut quænam sunt ea verba, quæ es nobis locuta? Illa autem, Nescis, inquit, ô Imperator, quænam ego sim? Sum filia Imperatoris, qui te præcessit: vocor autem Aecaterina. Sum verò exercitata in omni disciplina rhetoricæ & philosophiæ, geometriæ & aliarum scientiarum. Sed illa omnia nihili ducens, véni vt desponderer immortali sponso Christo, qui locutus est per Prophetam: Perdam sapientiam sapientum, & prúdentiam prudentum reprobabo.

Furore inflãmatur tyrannus.

S. Catharina coram illo sistitur.

Esa. 29.

Cap. 6. Cùm autem Imperator admiratus esset, quę dicta fuerant, & in eam intentiùs defixisset oculos, & existimâsset eam non esse vnam ex ijs, quæ natæ sunt è terra: sed se deorum aliquam videre visionem, loquentem in habitu humano: cùm sic putâsset, & eam perperàm esset allocutus, beata sermonē excipiens, dicit ei: Verè dixisti, ô Imperator. Dæmones enim, quos deos nominas, reuerà vos spectris decipiũt dæmoniacis, & vos prouocant ad libidinem & intemperantiam, & ad nefarias impellunt cupiditates. Ego autem cuiusmodicunque sum, sum puluis & lutum, effi- cta in hanc formam, & eius honorata imagine. Quamobrèm hinc magis conuenit admirari sapientiam opificis, quòd in luto & in materia tam vili potuerit tantam extruere pulchritudinem. Quæ quidem ægrè ferens Imperator, Noli, inquit, dijs maledicere, qui & ipsi sunt immortales, & gloriam habent immortalem. Martyr autē: Inuenies, inquit, tu quoquè, ô Imperator, quidnam sunt dij tui, si velis solùm tuam abijcere parumpèr deceptionem: verum quoquè Deũ agnosces, qui est æternus & immortalis: cuius vel solum nomen pronunciatum, vel crux etiam figurata in aëre, tuos deos vertit in fugam. Si velis autem, vel ex ipsa veritate apertam faciamus demonstrationem.

Dij gentiũ suos cultores ad libidinem prouocant.

Vis expressæ Crucis.

Cap. 7. Cùm itaque Imperatori suspecta fuisset libertas martyris, timeretq; nè se vndiq; circunsisteret, & implicaret demonstrationibus, ipse autem non posset respondere & resistere, seq; & suos deos aperto dedecore afficeret, ipse quidem nec eam tantùm audire sustinet, præ se ferens non decere, vt cum fœmina dissereret: Ad te autem, inquit, à me adducentur oratores, qui omnes tuas rationes & propositiones abundè confutabunt: vt cùm tu quoquè abundè didiceris tuorum dogmatum imbecillitatem, adspicias ad id quod est vtile, & nostro parcas dogmati. Hæc dixit, & sanctam quidem iubet seruari in custodia: ipse autem statìm emittit epistolam in hęc verba: Imperator Maxẽtius omnibus, qui sunt meę ditionis, salutē. Quicũque deorum sapientissimi Mercurij curam geritis, inuocatis Musis, quæ sunt causæ cognitionis, venite ad nos vsque, sapientissimæ mulierculæ, quæ nobis veluti ex quadam machina apparuit, os obstructuri, nè magnos deos irrideat, neque fabulas esse putet, quæ sub falso teguntur probabili. Sic enim & patriam sapientiam omnes admirabuntur, & nos vestram dicendi facultatem & artem laudantes, & acceptam habentes, vos magnis donis remunerabimus. Cùm eæ ergò literæ breui per totum suum peruasissent imperium, conuenerunt ad ipsum electi numero quinquaginta oratores, qui erant acres ad inueniendum, & multùm valebant in dicendo. Quos cùm proximè sistendos curâsset Maxentius, vt familiaritate eos magìs acueret & incitaret: Quæ, inquit, à nobis ad vos missæ sunt literæ, significârunt causam vestri huc aduentùs. Vos ergò pulchre vosipsos paretis & instruatis. Neque quòd sit aduersaria fœmina, segniùs aut negligẽtiùs veniatis ad certamen: sed tanquàm contra fortissimum aduersarium, generoso & excelso animo, & cum omni apparatu in

S. Catharina ducitur in custodiã.

50. Oratores veniunt Alexandriã.

in eam insurgatis. Nam si viceritis quidem, non videbimini multis paruum erexisse trophæum. Sinautem, quod absit, vos vinci contigerit, magnum dedecus vobis conciliabitis, & ridebimini ab omnibus. Adspicientes enim ad sexũ, quòd sit mulier, eam esse existimant in dicendo imbecillam, & eius eloquentiæ nullas esse vires arbitrantur, eamque nihil generosum ac forte posse aut facere, aut dicere. Ego autem, vt qui eius accuratam habeam experientiam, opinor ab ea secũdum futurum Platonem, qui tulit primas partes sapientiæ. Vosque sic velim esse paratos, perindè ac si aduersùs illum ipsum essetis decertaturi. Est enim melius, magna expectantes inuenire minora, quàm parua sperantes, incidere in fortiora. Platonis laus.

Ad hæc dixit vnus ex oratoribus, qui erat eximius inter omnes, qui erant cum ipsis: Consentaneum est, ô Imperator, hæc ità se habere, & intelligentem esse mulierem, & acuti ingenij. Sed non videtur mihi fore, vt sustineat venire in cõspectum oratoris, nedùm vt cum eo ineat certamen disputationis, & aut aliquid proponat, aut opponat. Quid est enim mulier ad artem rhetoricam? Veniat tâmen solùm, te iubente, & videbis quæ deincèps consequũtur. Cùm ergò oratorem adeò tumidum vidisset Maxentius, ad voluptatem & lætitiam statìm fuit conuersus, sperans stultus linguam adeò intemperantem & audacem persuasuram linguæ moderatæ & plenæ sapientia. Iubet ergò ante se sisti martyrem. Collecta quoquè fuerat frequens multitudo, concurrens ad spectaculum certaminis, vt scirent, ex vtra parte staret victoria. Nondùm peruenerant ad custodiam ij, qui iussi fuerant eam adducere, cùm Angelus Domini ei appárens, Noli timere, ait, Dei puella. Eccè enim præter tuam sapientiam tibi dabitur à Deo sapientia, & persuadebis quinquaginta oratoribus. Neq; solùm persuadebis, sed & ipsos, & multos alios, qui sunt cum eis, ad Deum adduces. Deindè tu quoquè eris redimita corona martyrij. Hæc ille quidem cùm dixisset, abijt. Cap. 8. Angelus cõfirmat S. Catharinam.

Cùm eam autem accepissent ij, qui missi fuerant, adducunt ad tribunal Imperatoris. Et statìm egregius ille orator, quem priùs diximus, toruè intuens, & superbè loquens: Tu es, inquit, quæ deos nostros tam impudenter & adeò insolenter iniuria afficis? Martyr autem valdè leniter & placidè respondit, Ego sum: sed non impudenter & insolenter, vt dixisti, sed moderatè potiùs & verè sum locuta. Dixit verò orator: Cùm magni poëtæ deos altos illos nominent, quomodò tu in eos linguam moues, & tam insolenter audes in eos insultare? etsi, vt fertur, tu quoquè eorum gustâsti sapientiam, & fuisti particeps dulcedinis. Illa autem prudẽter respondens: Habeo quidem, inquit, sapientiam, sicut mei Dei donum, qui est sapientia & vita, & quem timere & eius mandata seruare, est initium sapientiæ perfectioris & maioris. Res autem vestrorum deorum cùm sint ridiculæ, & plenæ multa deceptione, nondùm vllam pro meritis assecutæ sunt vituperationem. Verumenimuerò dic nobis, quisnam ex tuis magnis, vt dicis, poëtis, & quomodò deos ipsos nominauit? Orator autem, Primùm quidem, inquit, sapiens poëta Homerus Iouem precans, sic dicit: Iupiter gloriosissime, maxime, & alij dij immortales. Deindè insignis quoquè Orpheus in sua Theogonia, sic gratias agens Deo Apollini, dicit: O Rex filius Latonis, eminùs feriens, potens Phœbe. Qui omnia intueris, & imperas mortalibus & immortalibus. Sol, qui in altum pennis aureis extólleris. Atque sic quidem præstantissimi & primi ex poëtis, ipsos honorabant, & deos apertè vocabant. Neq; tu ergò decepta, Crucifixum attendas tanquàm Deum, quem nullus ex veteribus sapiens inuenitur nominâsse, neque scire, an esset Deus. Cap. 9. Ingreditur in disputatione cum 50. oratoribus. Psal. 110.

Martyr autem dicit: Res deorum fateor ità se habere: neq; contradixerim. Sed illa adijciemus. Nam Homerus quidem, quem dixisti præstantissimum poëtarum, ille ipse rursùs maximum omnium deorum Iouem, innumerabilibus subijcit absurditatibus, alicubì quidem mendacẽ & peruersum, vafrumq; vocans & deceptorem: alicubì aũt à Iunone, Neptuno & Minerua præter rationem coniectũ in vincula. Nisì enim à Thetide ei significatæ fuissent insidiæ, & Aegeũ præfecisset custodię suæ salutis, deorũ & hominũ pater fortè tibi iacuisset supinus, vinctus, à mulieribus & Neptuno illusus. Rursùs Orpheus musicus vos, q eos colitis, magnæ amentię damnauit & stuporis, & maximè in libro, quem, vt dicis, scripsit de ortu deorum & creatione mundi, sic vestram vanitatem significans & ignorantiam, dicit: Neque aduentans malum homines intelligunt, neque cùm aduenerit, malum possunt auertere. Cui etiam adstipulatur sapiens vester Sophocles, dicens: Est Deus, Cap. 10. Virgo respõdet oratori, & suo cum ense iugulat.

qui cælum fabricatus est & longam terram, & ponti glaucos fluctus, & ventorum violentias. Mortales autem corde valdè errantes, bellariorum statuimus solatia, & deorum imagines, ex lignis & lapidibus auro structis figuras. His autem sacrificantes, & dies festos nouos celebrantes, propterea nos pios esse ducimus.

Sophocles vt irriserit cultū deorū

Cap. 11. Quòd autem Crucifixum nè solum quidem nomen dixisti habere apud veteres, oportet quidem non esse nimis curiosum, neque de eo humanas scrutari rationes, quòd sit Deus verus, opifex cæli, & terræ, & maris, & solis, & lunæ, & astrorum, & vniuersi hominum generis, incomprahensibilis, inscrutabilis, interminatus, ineffabilis. Vt verò res eius ex vestris quoquè confirmem, (sic enim fuerit omninò à suspicione alienum testimonium) audi sapientissimam inter mulieres Sibyllam, generationem eius secundùm carnem, & eius in nos prouidentiam & curam ineffabilem apertè significantem. Si vis autem, ipsa quoquè verba audiemus: Vix tandèm autem veniet quidam in hanc multifidam terram, & absque lapsu fiet caro. Indefessis autem terminis diuinitatis soluet corruptionem affectionum immedicabilium. Et ei erit inuidia in incredulo populo, & in alto suspendetur, tanquàm reus mortis. Hæc autem omnia leniter patietur. Vide quoquè vatem à mendacio alienum Apollinem, oblitum solitæ suæ obscuritatis & obliquitatis, & nudam, etiamsi nolit, edentem veritatem: Vnus, inquit, me cogit cælestis, qui est lux tripliciter refulgens. Qui verò passus est Deus, non passa est autem ipsa diuinitas. Ambo est enim, & mortali corpore, & alienus à corruptione. Ipse iam Deus est vir, omnia ferens in mortalibus, crucem, contumeliam, sepulturam. Qui etiam ex superciliis calidas aliquandò fudit lachrymas. Qui quinque millia impleuit frumento. Velle enim est diuina potentia. Christus est meus Deus, qui in ligno fuit extensus, qui mortuus, qui ex sepultura in cælum est sublatus.

Sibylla quid habeat de Christo.

Ironia.

Apollinis de Christo sententia.

Cap. 12. Hæc refert Apollo deus tuus. etenim cùm sit, est expers principij, & coæternus cum Deo, qui genuit, principium, radix & fons bonorū vniuersorum: & cùm quæcunque sunt, ex nihilo produxisset, eaque ornaret ac regeret, & sua manu contineret, nostrum genus est fabricatus. & nobis multas vias muniit ad salutem. Cùm eos autem vidisset supplantatos transgressione, & amisisse ipsum caput salutis, nempe obedientiam, ipse rursùs facit id, quod est caput salutis: & qui est eiusdem naturæ, cuius pater, fit propter nos id, quod ego, & versatur simul cum hominibus, & obit terram, castigans, admonens, docens, omnia faciens & procurans. Deindè etiam subit mortem pro ingratis famulis, eamque ignominiosissimam, conspuiturque & colaphis cæditur, & sustinet creator omnia, quæ condemnati: & facta sunt hæc omnia propter nos, vt solueretur prima condemnatio, & de medio tolleretur tyrannis diaboli, & cæli portæ nobis rursùs aperirentur, quas malè nobis clausimus. Et nec hucusque quidem stetit: sed cùm etiam tertio die surrexisset, & in cælos ascendisset, vndè venit, ineffabilem sancti spiritûs nobis donauit gratiam, & misit discipulos, illius mandata prædicantes: qui ipsi quoquè omne periculū subibant, & mortem quotidiè sustinebant, vt animę mortem à nobis depellerent, & omnem errorem à nobis abducerent, & vniuersum orbem terræ ad eum adducerent. Proptereà oportet nos quoquè omnia peruadere, & esse participes eius perpessionum, cōplantatos similitudini mortis eius, vt resurrectionis & regni simus cum eo participes. Oportet ergò te quoquè his persuaderi, & ipsum verum Deum agnoscere, & ei familiarem effici, qui dicit: Venite omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Quòd si non his, at ijs saltem, quæ dicta sunt à dijs tuis & poëtis. Omninò enim tibi & sapiens Plato, & musicus Orpheus, qui sua lyra, vt fertur, mouebat etiam inanimata: pręterea autem egregius quoquè ille purus Apollo cum tibi vel inuiti confitentur, & veritatis aliquid ab eis est ostensum, vt omnis impijs tolleretur occasio, etiamsi ipsi sunt infatuati, & videntes non viderunt, & audientes non intellexerunt.

Gen. 3.
Christus cur fact⁹ homo.

Apostolorū & discipulorum Christi labores.

Rom. 6.

Matth. 11.

Ironia.

Cap. 13. His obstupuisse oratorem, & eius linguam planè obmutuisse cùm vidisset Imperator, ad oratorium reliquum cœtum cōuersus, hortatus est, vt ipsi quoquè aggrederentur martyrem. Illi autem statim detrectant certamen, dicentes: Non possumus, ó Imperator, aliquid opponere contra ea, quæ dicit: & maximè, quòd eum, qui est inter nos præstantissimus, tam grauiter videmus ab ea superatum. Tunc Maxentius non potens ferre furorem, iubet statim rogum accendi in media ciuitate, & in eum inijci quinquaginta oratores. Illi autē hac audita sententia, prócidunt

Oratores superantur.

cidunt ad illius beatæ pedes, & eam vehementer obsecrant & supplicant, vt ab illius Deo eis ignosceretur, si quid ab eis peccatum sit ignorantia: & vt diuino dignaretur baptismo & dono sancti spiritûs, & quoàd eius fieri posset, illi coniungerentur. Ad hæc martyr diuina repleta lætitia: Estis, inquit, verè beati, quòd relictis tenebris, secuti estis lucem veritatis: & relicto Rege, qui in terris interit, accessistis ad eum, qui est in cælis ab interitu alienus & immortalis. Ignis enim, quem impij illi vobis sunt minati, erit quodammodò vobis baptisma & scalæ ad cælum, si qua sit macula, si qua sordes, eam expurgans, & tanquàm lucidas quasdam stellas, vos ad illum ipsum Regem sursùm ducens, & efficiens iucundos & amabiles. Et ipsa quidem cùm eis hac spe & sermone animum addidisset, & vnicuique arma inexpugnabilia, nempe Christi signaculum, immisisset, cum gratiarum actione & lætitia dimittit ad martyrium. Spem autem consecutus est euentus. & cùm eos accepissent milites, lætos quidem iaciunt in flammam ignis septimodecimo mensis Nouembris. Vesperè autem quidam ex pijs egressi ad colligendas reliquias, inueniunt eas sanas & saluas, adeò vt nec pilus quidem earum à flamma omninò sit consumptus: hoc primum signum illorum cum Deo coniunctionis, præbente prouidentia.

Baptismus sanguinis.

Oratores 50. in igne illæsi reddũt animas.

Cap. 14. Cùm ergò, vt par erat, Deo egissent gratias, & inopinato miraculo multos attraxissent ad agnitionem veritatis, eas præclarè & sanctè deponunt in quodam loco. Imperator autem Maxentius totam cogitationem defigebat in martyrem, & de illa erat perpetuò solicitus: vt eam lucraretur, vel ipsam curam imperij postponebat. Cum itaque vi dicendi & disputationibus desperâsset se eam posse inducere, eam blanditijs aggreditur illicere, & apud egregiam martyrem verbis est vsus eiusmodi: Crede mihi, pulchra filia, qui tibi consulo, tanquàm tibi benè volens pater. Magnis dijs sacrifica, maximè autem Musarum præsidi Mercurio, à quo profecta est hæc tua magna cognitio, & qui te exornat tanta dicendi gratia: & meum tecum diuidam imperium: sciant dij omnes: & mecum habitabis in regia. Illa verò, vt quæ esset magno & excelso animo ad excipiendam amicorum dicendi libertatem, & rursùs acerrimi ingenij ad depræhendendam adulationem, etiamsi maximè contexeretur vafris & varijs labyrinthis: Depone, inquit, ô Imperator, fictionem: neque referas & imiteris dolũ vulpis. Ego enim semèl dixi tibi, me esse Christianam, & véni vt essem sponsa Christi: & eum habeo solum sponsum & consiliarium, & ornamentum virginitatis, stolamque martyrij longè præfero cuiuis purpuræ regiæ. Imperator autem adhuc præ se ferens, se eius curam gerere: Nè cogas me, inquit, vel inuitum hanc tuam præclaram purpuram iniuria afficere. Illa autem, Fac, inquit, quod velis. Nam per hanc, quæ est ad tẽpus & citò dissoluitur, conciliabis mihi veram & immortalem gloriam: & magna quoquè alia, vt arbitror, multitudo, & maximè tui palatij, per me Christo credent, & ipsi quoquè me prosequentur, ad sacros illius thalamos magnificè transeuntem.

Tyrannus blanditur martyri.

Contemnitur ab ea.

Cap. 15. Hæc illa quidem dixit: Deus autem desupèr annuit, & deduxit ad effectum ea, quæ dicta fuerant. Maxentius autem his valdè iratus, iubet martyrem exui regali illa purpura, & boum neruis cædi crudelissimè. Cùm hoc autem factum esset, vt iusserat, & martyris corpus vel niue cadente crebrioribus flagris intolerabilibus duas horas valdè cæditur: & cùm venter simul verberaretur, lauabatur virginale quidẽ illius corpus sanguine, & multis ex ijs, qui aderant, apertè ciebat lachrymas: ipsa autem tam constanter & fortiter resistebat intolerabili illi & vehementi vi Tyranni, vt propemodùm videretur eius corpus esse lapideum, nisi eius naturam fluuij sanguinis arguissent. Vix tandèm autem fera illa immanis, caligans ad plagarum spectaculum, martyrem includit in custodia, iubens vt ea tutò asseruaretur vsque ad diem duodecimum, vt consideret, quomodò & quibusnam generibus suppliciorum eam consumat, Hæc quidem ità se habuerunt: martyr verò coniecta in carcerem, rursùs reseruabatur secundo tribunali.

Sancta virgo neruis boum distissimè cæditur.

Fert patientissimè.

Truditur in carcerem.

Cap. 16. Augusta autẽ vxor Imperatoris cùm audijsset de martyre, & esset animo in eam benè affecta, desiderabat videre eius faciem, & eam audire loquentem, de qua talia narrari audiuerat. Desiderans autem, id minimè assequebatur: & nõ assequi, quod desiderabat, erat ei grauissima calamitas. Cùm ad eam autem aliquandò ingressus fuisset Porphyrio, (is verò erat Dux exercitûs, & manu fortissimus, & in bello optimè exercitatus, & in eo primas partes obtinens) Cùm ergò Imperatrix aliquandò

quandò eum solum inuenisset, tanquàm ei arcanam aliquam narratura actionem, priùs Porphyrionem adstringit iureiurando, & fidem ab illo accipit, fore vt nullus ab eo resciret arcanum. Deindè illa ei exponit suum desideriū, & quemadmodùm desiderabat, inscientibus omnibus, conuenire martyrem. Cùm beatam autem illam vocem audiuisset, respondet Porphyrio: Ego, inquit, ô domina, faciam tibi quod desideras: esto solùm parata. Cùm verò adesset vespera, & Augustam accepisset Porphyrio cum ducentis militibus, pecunia corruptis custodibus, cùm ipsa ingreditur ad beatam. Augusta autem cùm vidisset illum optatum vultum martyris, admirata diuinam, quæ in ea florebat, gratiam, & splendidum qui illinc emittebatur, radium, procidit citò ad pedes eius, & ei effundit lachrymas lætitiæ, & hæc locuta est cum lachrymis: Nunc ego sum reuerà beata & Imperatrix, quòd sum tali dignata spectaculo, & video meum desiderium consecutum esse effectum. ego enim iamdiù tuî magno teneor desiderio, vt tuo, inquā, fruerer adspectu & sermone, ô serua Dei: & vel ipsam animam lubenter amittens cum imperio, nunc sum potita desiderio. Si deinceps ergò vel mors accesserit, non me ampliùs dolore afficiet, vt quæ sim assecuta id quod desiderabam, & amori meo satisfecerim. Læto ergò corde, & animo sum optimè affecta, tam iucundum splendorem ex tuo vultu accipiens. Es itaque beata & felix meritò existimanda, quòd Christo adhæseris, à quo tam multa dona & gratiæ tibi suppeditantur.

Imperatrix venit ad eā in carcerem.

Cap. 17. Prædicit Imperatrici martyrium eius.

Ad hæc dixit martyr: Tu quoquè es beata, ô Imperatrix, quòd in Angelorū manibus video coronam tui capitis in altum elatam, qua post tertium diem per id, quod te manet, supplicium redimita, proficiscéris ad verum Regem, regnans perpetuò. Sed sum timida, dicit beatæ Imperatrix, & timeo tormenta: maximè autem Imperatorem, quòd sit sæuus & immanis, & insultet hominibus. Martyr autem dicit ei: Sis bono animo: habebis enim Christum in corde tuo habitantem, & te non attinget tormentum. hîc enim parumpèr castigabitur tuum corpus, & immortaliter illic rursùs quiescet. Hæc cùm sancta diceret, excipiens Porphyrio: Rogo te, dic mihi, inquit, Quid mihi dabit Christus, si in illum credam? ei enim ipse quoquè iam volo militare. Martyr autē: Nondùm, inquit, legisti aut audiuisti scripturam Christianorum? Nūquàm, inquit Porphyrio, qui ab ineunte ætate semper fuerim in bello occupatus, & nunquàm curam conuerti ad alia. Illa verò: Et quænam, inquit, lingua narrârit bona illa, quibus frueris? Fieri enim non potest, vt complectatur oratio, quæ ab illa benigna dextera sunt parata ijs, qui ipsum diligunt. Propter hæc gaudio repletus Porphyrio, ipse quoque credit Christo cum ducentis militibus: & cùm Imperatrix & ipsi vale dixissent martyri, & cauissent sibi à custodibus secreta futura ea, quæ ab ipsis facta fuerant, media nocte illinc egrediuntur. Christi autem martyr Aecaterina, habens Dominum patre magis beneuolum, magnam ab eo curam suî est consecuta. Totis enim illis duodecim diebus, in quibus eam habebat custodia, per columbam alimentum accipiebat à superis. Deindè ipse quoquè egregius Agonotheta Christus cum ijs, quæ circa ipsum erant, copijs & gloria sua apparens, magis confirmauit eius fortitudinem, & impleuit audacia, dicens: Nè extimescas. ego enim sum tecum: nec te attinget tormentum: sed cùm per tuam tolerantiam ad nomen meum multos adduxeris, multas quoquè consequéris remunerationes.

Porphyrio dux exercitûs, credit in Dominum, cum militibus 200.

Christ' martyri appâret

Cap. 18. Sistitur coram tyráno.

Cùm hæc vltima nocte Christus mandâsset, manè Maxentius præsedit in tribunali, & beatam iussit adduci: & assistens martyr cum gratijs spiritalibus, & dulci illa alacritate, adeò vt ij quoquè, qui aderant, nitido splendore refulgerent, grauiter admodùm terret Imperatorem. Ipse autem ei dicit malitiosè & fallacitèr: Te, inquit, decet imperiū, ô filia. Age ergò, cùm dijs sacrificaueris, impera nobiscum. Neque velis, rogo, videre interire tormentis tantam pulchritudinem. Illa autem: Est, inquit, solùm terra & cinis: & id tibi rursùs dico, ô Imperator: tempus verò facit eam efflorescere, & morbus tabefacit, vt quæ nihil firmum habeat, nec stabile. Interim autem dum martyr hæc ei diceret, quidam Præfectus, nomine Chursasadem, acris quidem ad iram, promptus autem & ingeniosus ad puniendū, cùm hæc audiret, partim dolens vicem Maxentij, partim autem suæ beneuolentiæ dans experientiam, cùm se paruo tempore sustinuisset, tanquàm apud se meditans & inquirens, dixit: Ego tibi, ô Imperator, non parua cura adhibita, inuéni, quomodò possis vel ei citò persuadere, vel eam perdere. Modus autem est eiusmodi: Iube sub

Præfecti iniquissimum consilium.

vna

vna fibula fieri quatuor rotas, & vnicuique rotæ infigi ſerras & claues acutos. Deindè machinam funibus & paruis rotis trahi ante eius oculos. Et ſi, cùm eam quidem viderit ferri maximo impetu ac ſtrepitu, perſuaſa fuerit, & nobiſcum dijs ſacrificauerit, conſequetur promiſſa: Sin minùs, in rotas iniectæ miſerabiliter per vim ei erumpet anima.

Atque hæc quidem dixit Præfectus: cùm autem eius ſermonem arripuiſſet Imperator, dat quidem martyrem cuſtodiendam, & rursùs iubet machinam fieri in tertium diem. Cùm hoc autem factum eſſet, martyr rursùs adducitur: &, Páre mihi, dicit ei Imperator, & dijs ſacrificá: Sin minùs, ego te huic tormento ſubijciam, iubens nouam illam machinam trahi ante eius oculos. Quæ quidem cùm magno impetu & ſtrepitu moueretur, rursùs ei dicit Imperator: Vides? inquit: ea te, ſi non páreas, excipiet. Illa autem, Sæpè, inquit, meum animum tibi dixi, ô Imperator, & eum tibi aperui. Nè ergò cuncteris, ſed facias quæ tuo ſedent animo. Imperatorem autem ſpes quædam adhuc decipiebat, futurum fortaſsè, vt perſuaderetur & mutaretur, & multis apud eam rursùs vſus eſt adulationibus. Cùm autem cognouiſſet ſe fruſtrà laborare, iubet quidem alligari rotis generoſam martyrem, ipſas verò moueri celerrimè, vt motûs vehementia mortem ſubiret grauiorem. ſed ijs, quæ meditabatur, contrarius diuinæ erat gratiæ euentus. Martyr enim ſimul omninò ſoluta fuit à ferro, & rotis, & illis vinculis, quòd Angelus deſupèr ad eam aduolâſſet: rotæ autem ſua ſponte volutatæ, intereмerunt multos ex infidelibus, adeò vt exclamarent quidam ex circunſtantibus propter inopinatum, & quod erat contra opinionem, ſpectaculum, Magnus eſt Deus Chriſtianorum: Propter hæc magna ira fuit rursùs accenſus. Maxentius, & furore qui minimè poterat cohiberi: & grauiora rursùs ſupplicia parabantur martyri. Sed coniunx Auguſta repentè appárens ex cubiculo Imperatoris, & eum ad ſe attrahens, diſſoluit conſilium: immò verò ſuſtulit inſidias. Alicundè enim venit tanquàm ſpiritus: Abſolue, dicens, famulam magni Dei, quam non attingit tormentum. reuerà enim deſipis, decertans aduersùs Deum viuum. Quamobrèm maiore ira feruens Imperator, maximè quòd nec familiariſſimos haberet ſecum conſentientes, interim prætermiſſa martyre, vniuerſum furorem immittit in coniugem.

Cap. 19. — Fruſtrà & terret, & blanditur ei tyrannus. — Diuinitùs liberatur admirabiliter à rotis.

Cùm ergò arcam maximam curâſſet afferendã, & plumbo eam humì affixiſſet, ità vt ſtabilis eſſet & immobilis, mamillas, proh dolor, ſuæ coniugis configit aculeo ſubiecto operculo tabulæ. Deindè iubet operculum deorsùm ferri vehementiùs, & non priùs ſiſti, quàm ipſas mamillas omninò abſcidiſſet, diuturnitate ſupplicij grauiorem ſenſum ei doloris afferens. Cùm hoc autem factum eſſet, vbi vidit illas miſerabiliter abſciſſas, immitis ille & vel ipſis feris immanior, veluti rem leuem arbitratus, quòd ſpectat ad dolorem, infert adhuc grauiorem, & pronunciat ſententiam, vt eius caput amputetur gladio. Auguſta ergò, lubenter accepta ſententia, læta dixit martyri, Ora pro me. Illa verò, Vade, inquit, in pace. in æternum enim regnabis cum Chriſto. Atque illi quidem iuſſu Imperatoris amputatur caput extra ciuitatem viceſimotertio Nouembris. Sed neque Dux exercitûs Porphyrio & qui cum eo erant, hoc beatum iter deſeruerunt. Sed quomodò illic Auguſtæ duces fuerunt ad martyrem, ità etiam piè ſecuti ſunt eam abeuntem ad communem Dominum. Nam cùm ipſi quoquè ſe ſtitiſſent pro tribunali, Ego quoquè ſum Chriſtianus, dixit Porphyrio. Sed hi quoquè, qui ſunt mecum, ſunt inſignis ad Deum adductus exercitus. Hoc non ſuſtinuit audire Maxentius: ſed cùm ex profundo corde eiulâſſet, Perij, inquit, cùm perdiderim admirabilem virum Porphyrionem. Deindè etiam conuerſus ad ſuos milites: Vos autem, inquit, quanam de cauſa deos patrios habuiſtis contemptui? Cùm illi verò nihil reſpondiſſent, Porphyrio: Cur dimiſſo, inquit, capite, ô Imperator, pedes interrogas? Eſt tibi mecum loquendum. Ille autem: Malum, inquit, caput, tu es eorum caput? & cùm eum plura loqui non permiſiſſet pudor, eos quoquè ſtatim morte condemnat. & ipſi quoquè conſummantur viceſimo quarto Nouembris, effectumque aſſecuta eſt prædictio, quam martyr prædixerat Imperatori, cùm dixit: Multi ex tuo palatio Deo per me credent.

Cap. 20. — Tyrãnus immaniter ſæuit in coniugem ſuam. — Imperatrix decollatur. — Porphyrio cũ 200. militibus interficitur.

Ille aũt cùm rursùs beatam ſiſtendam curâſſet Aecaterinam, & in eam omnem mouiſſet improbitatem, & nihil non eſſet machinatus, vbi nec promiſſis, nec mi- Cap. 21.

nis eam omninò vidit posse expugnari, iubet ipsam quoquè duci ad mortem. Cùm ergò eam accipientes milites eduxissent è ciuitate, & duxissent ad locum martyrij, circunsistens magna multitudo, maximè autem mulierum, quæ erant claræ & insignes, acerbè plangebant & lamentabantur, & lugebant vltimum illum decessum. Illa autem vultu constanti & nequaquàm perterrito, petit tempus ad orationem. Quod ei concedunt milites. Illa verò cùm & manus & animum ad cælos sustulisset, dixit: Domine Iesu Christe Deus meus, ago tibi gratias, quòd statuisti supra petram pedes meos, & direxisti gressus meos. & nunc extende palmas, quæ pro me in cruce fuerunt sauciatæ, & suscipe animam, quam sacrificaui pro te & tua confessione. Memento, Domine, quòd sumus caro & sanguis, & nè permittas, vt, quæ à me facta sunt per ignorantiam, in apertum proferant acres rerum nostrarum examinatores ante tuum terribile & incorruptum tribunal: sed quem pro te effudi sanguinem, eo meas maculas ablue. Da autem, vt hoc meum corpus, quod pro te fuit conscissum, non possit adspici ab ijs, qui quærunt: & qua prouidentia finxisti corda nostra, adspice ex alto sancto tuo Domine, ad hunc populum, qui te circunsistit, & deduc eos lumine tuæ agnitionis. Da autem ijs quoque, qui per me inuocant sanctum tuum nomen, petitiones quæ sunt eis conducibiles, vt per omnia laudetur tua magnalia nunc & in secula. Cùm sic precata esset, iussit milites facere, quod fuerat imperatum. Vnus autem ex eis stricto gladio beatum eius caput amputat vicesimo-quinto mensis Nouembris.

Precatio martyris sub mortē.

Caput ei amputatur.

Porrò autem hîc quoquè facit Deus aliquod miraculum, honorans suam martyrem, & ad effectum deducens illius preces. Nam qui aderant, viderunt lac fluens pro sanguine: & Angeli cùm venerandum illius corpus composuissent, in ipso tempore consummationis, visi sunt deducere in montem Sina, ad gloriam patris & filij & spiritûs sancti, Qui sunt vna diuinitas & regnum: Cui conuenit honor & potentia in secula seculorum, Amen.

Pro sanguine manat lac.

Trāsfertur in montem Sina ab Angelis.

VITA S. PATRIS NOSTRI ALYPII CIONITAE, ID EST, QVI VITAM AGEBAT IN COLVMNA:

qui fuit consummatus tempore Heraclij Imperatoris Adrianopoli prouinciæ Paphlagonum. Habetur in Simeone Metaphraste, quinto tomo Aloysij. Nos numerum capitum margini apposuimus.

Nouēb. 26.
Cap. 1.



SI multi sæpè, qui vitam scripserunt sanctorum Patrum, innumerabiles traducendo ad æmulandam eorum vitæ rationem, eos affecerunt beneficio: quemadmodùm non existimaremur iniusti fortè & inuidi, si tantam sancti spiritûs virtutem mandaremus silentio? Scribatur ergò ea quoquè à nobis, vt cognoscat generatio altera, filij qui nascentur, & annuncient ea filijs suis: vt spem suam in Deum collocent, & eandem, quam ipse, virtutem exerceant. Quamobrèm quoàd eius à nobis fieri poterit, quæ apertè à diuina gratia in ipso sunt cognita, multis ea ostendemus.

Psal. 77.

Cap. 2.
S. Alypij patria.

Hic ergò Christi seruus Alypius, sicut multi homines sciunt, qui id & auditione didicerunt & experientia, habuit quidem patriam, si patria sit dicenda in terris, Adrianopolim, quæ est vna ciuitas regionis Paphlagonum: vitam autem, quæ omnium hominum superat viuendi rationem. Quem cùm præsciuisset & prædestinâsset Dominus, ab ipso materno vtero ei benedixit, quibusdam visionibus & signis ostendens sui famuli ad diuiniora profectum & incrementum. Cùm enim adhuc eum vtero gestaret mater, noctù visa est videre formosum agnum: in cuius cornibus duo pulchri accensi cerei, replebant domum lumine: qui non priùs reuersus est ad suum locum, quàm in lucem prodierit natus infans, matre liberata à partûs doloribus. Non multò pòst autem, quàm mater est enixa, ea in gratum somnum est resoluta: & rursùs videt in somnijs publicè è sua ciuitate populum in

Visio matris eū vtero gestantis.

Itēm alia.

in hymnis & canticis & supplicationibus venientem vsque ad suum infantem, & cum tanquàm sacrosanctum & diuum quempiam, adorantem. Hæc matris fidelis spectacula eam compunxerunt, vt ad piam veniret cogitationem. Nam cùm coniunx iam ex hac vita migrâsset, & totos três annos non fuisset superstes filio, qui ex eo fuerat susceptus, ipsa pulchrè statuit soli Deo viuere & filio: & decætero suum corpus potiùs obsignare Christo, quàm probro se afficere, si ad secundas esset deuoluta nuptias: cùm & amor charissimi filij, & cubile mariti in ea valdè piè cohabitaret. Manet vidua secundum consilium Apostoli.

Cùm se diuinè hisce confirmâsset cogitationibus, accepto filio, vadit ad ecclesiam, orphanorum & viduarum curatorem solum bonum sciës esse Dominum. Cui etiam prompto & alacri animo eum ablactatum statim dedicauit, tanquàm nouum aliquem Samuelem, dans in manus eius, qui tunc administrabat archiepiscopatum. Quem cùm suis vlnis accepisset, tanquàm quidam pastor bonus, secundo post matrem lacte spiritali nutriebat, literis & diuinarum scripturarum dulcedine pinguefaciens animæ officinam: vt faciliùs inueniret cum tempore crescëtem, & cum ætate ascendentem intelligentiam. quod etiam concurrebat cum precibus eius, qui erudiebat. Erat enim puer cuiuslibet scripturæ diuinæ capax, tanquàm generosa planta recens plantata, spiritalibus irrigationibus pietatis ferens fructus, vt non multò pòst ostendetur. Cap. 3. 1. Reg. 2. Ab Archiepiscopo literis eruditur Alypius.

Accidit ergò, vt illo tempore sanctæ memoriæ Theodorus, qui à nobis paulò antè dictus fuit, cùm ad finem vitæ peruenisset, suæ sedi successorem reliquerit, qui erat eiusdem cuius ipse nominis, & moribus similis. Quamobrem se tanquàm fratrem ostendens eius, qui præcesserat, valdè dilexit Alypium, de quo à nobis agitur in præsentia. Inuénit enim verè pastor pastoris ouem ratione præditam, in bonitate educatam, cuius iuuenta erat munita diuino metu. Inuénit florem ætatis, qui nullum proprium, quo cognosci posset, ostendebat signum. Nam quod in ipso quidem cernebatur, multis esse videbatur iuuentutis. Quod autem ad eius mores propemodùm venisset, apertè ostendebat viri sapientis canitiem: quoniam erat etiam in eo timor Dei, qui principium sapientiæ efficit in hominibus. Cùm autem pietatis operibus visus esset omnibus antecellere, communi suffragio eum eligit sacer ecclesiæ cœtus, vt œconomus esset fidelissimus: quoniam hoc credebant futurum omnibus vtile: non quòd rerum vllam haberet experientiam, sed quòd esset diuina plenus intelligentia. Quod quidem desiderans is, qui tunc præerat ecclesiæ, simul eum fecit œconomum & diaconum diuinorum sacramentorum. Fuerunt hæc signa ortûs Alypij, qui educebatur ad vitam. Sic sacra in sacris ædibus fuit ouis nutrita ab ijs, quos priùs diximus, pastoribus pasta in pietate. Quisnam autem & qualis fuerit in ea, quæ sequitur, vita, non esset meum dicere, qui propter dicendi imperitiam, gloriosa eius facta magis diminuam, quàm, quantùm oporteret, ostendam veritatem: dicam tamen, in patris mei egregijs dotibus iucundè versans: & fortasse nonnullam narrabo portionem eorum, quæ ab ipso rectè & ex virtute gesta sunt. Cap. 4. Ecce quibus virtutibus eius ornabatur adolescentia. Psal. 110. Alypius fit ecclesiæ œconomus & diaconus.

Habebat Deum in mente Alypius: habebat autem Deus quoquè omninò Alypium: & recordatione beatorum eius præceptorum, animæ purum & lucidum habens oculum, considerabat in vnoquoque tempore, quidnam agens in præsenti vita, posset audire beatam illam vocem, Eugè serue bone & fidelis. Inuénit autem protinus solutionem eius, quod quærebatur, ab eo ipso, quem desiderabat, Christo doctus pietatis semitam. Bonus enim pastor, qui pro grege suam posuit animam, portam etiam ostendit ijs, qui volebant pulsare, omnia constituens ad salutem amatorum regni cælorum. Primùm quidem dicens, vt Deum tota anima diligamus: secundò verò, vt ei debitam tribuamus reuerentiam. Deindè ad altiorem pietatem & perfectissimam Dei charitatem traducens, venditis omnibus, quæ non consistunt, facultatibus, & in rebus manent inferioribus, eas iubet suppeditare pauperibus: & nudam tollendo crucem, eius sequi vestigia. Oportebat ergò hominem Dei, oportebat maximum, quod restabat ex præceptis, implere ad perficiendam pietatem. Reliqua enim seruauit ab ipsa iuuentute. Protinùs ergò nihil cunctatus, res omnes mundi iussit valere: non tristis, quomodò nupèr diues, qui à Domino audiërat, vt sua venderet & daret pauperibus, vt vitæ æternæ consequeretur remunerationem. Cap. 5. Matt. 25. Ioan. 10. Matt. 19. Ibidem. Omnia sua dat pauperibus.

Cùm

Cap.6. Cùm solam autem matrem fecisset consciam sui consilij,idq; propter eius precum desiderium, Ad Orientem,inquit, ô mater,me proficisci cupientem, tuis me precibus prosequere: quo in loco multi quietem amplexi, feliciter vixerunt. Illa autem protinùs tulit opem proposito sui filij, nequaquàm affecta muliebriter, vt multæ solent, quæ fortè viduitatem prætexunt & solitudinem,& quòd ferre non possunt,videre à se diù abesse ea,quę sunt sibi charissima. Nihil horum dixit sapiens mulier ad filium retardandum: sed manibus in cælum sublatis,totam suā mentem collegit ad orationē,cùm his verbis confirmâsset sui charissimi propositum: Abi, fili,dicens,quoniam te direxit diuinus gratię spiritus. Eccè Deus,ô fili,quo viuimus, & cui te commendo, ipse mittet bonum suum angelum ante faciem tuam: & te deducet,vt vult,& quò vult, prospero itinere pergentem in omnibus,& placētem gloriæ maiestatis suæ: & dabit tibi gratiam in verbo & opere,& te seruabit in omni via recta,vt mittat tibi auxilium de sancto,& de Sion tueatur te. Induet te lorica iustitiæ,& imponet tibi galeam salutis. Dabit vt semen tuæ operationis cadat in bonam terram,& vt comedas labores fructuū tuorum. Sit vita tua tanquàm lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum,quod fructum suum dabit in tempore suo,& folium eius non defluet. Acceptæ sint preces tuæ coram Deo ad salutem multorum. Resplendeat tanquàm meridies iustitia operum tuorum. Videam te tanquàm Luciferum splendidè orientem,propterea quòd plùs,quàm parentes,tuum dilexisti Dominum. Cùm itaque post orationem irruisset filius in collum matris,& mater in collum filij,fleuissentque & se inuicèm essent amplexi & deosculati,vale dixerunt miserabiliter. Atque iustus quidem cùm preces maternas esset assecutus,prompto & alacri animo viam confecit: illa autem rursùs cum quiete & silentio domum redijt.

Sanctæ matris eius rara virtus.

Psal.19.

Psal.1.

Relicta patria & matre,in Oriētem proficiscitur.

Cap.7. Cùm autem multis pòst diebus vulgi sermone celebratum esset quod factum fuerat, omnes quidem in ministerio collegæ,& omnes ciues fuère tristes, non ferentes hominis priuationē. Sanctissimus autem antistes ciuitatis ne vel id quidem audire sustinuit: sed rectà magna celeritate sanctum est persecutus,diligenter quęrens & inuestigans, vbinàm mansisset, & quanam, & quandò transiisset: & licebat videre hominem præ animi ægritudine tanquàm vaccam mugientem, quandò suum quærit pullum, qui aberrauit. Deo verò præuidente meliora,cum assequitur Euchaitis,cùm celebraretur dies festus Theodori martyris: & multis tandèm persuasum precibus,reduxit ad suam ciuitatem. & illic decæterò sanctus monasticam vitam diuinè peregit. Sic enim sic quadam benignitate res nostras Deus administrauit,vt qui ex ipsa patria productus fuerat fructus, cum ipsi rursùs patriæ lætitiam dederit salutarem. Audiuit certè in somnis vir ille iustus diuinum consilium, nè ægrè ferret tanquàm qui à via sperata aberrâsset. Illic enim esse sancta loca dixit ille,qui noctù apparuerat, in quibus Deum amans quispiam eligere posset piè viuere. His ergò visionibus excitatus,obibat hilaris,perscrutans locum,in quo posset figere tabernaculum,remotum à ciuitatibus & pagis,quietumque & à strepitu seiunctum. Ascendit ergò in vnum montem ad meridionalem partem ciuitatis,& cùm cognouisset pulchrum esse montem, & sublatum in altum,& ab omni turba liberum,stans in vertice montis,speculabatur vndiquè: oculisque fuit delectatus,valdeque lætatus fuit spiritu,& acquieuit ei animus. loco autem deerat aqua, & hoc malè habebat sanctum.

Dies festus Theodori martyris.

S. Cionas fit monachus.

Cap.8. Post vnum itaque diem accepto rastro & ligone,in montem rursùs reuertitur. Quæsiuit verò & fodit vsque ad meridiem, & non inuenit, nec erat. Quocircà tristitia affectus, sedit post laborem, & sedens obdormijt. in visione autem vidit virum locum ostendentem, & ei consulentem, vt ibì foderet. Surrexit,& fodit. eccè autem quædam parua pinguedo: & perrexit fodere profundiùs, & aqua erupit. ipse verò exultauit animo, & Deum rogauit, qui facit misericordiam suam in eos, qui ad ipsum confugiunt: & properè cucurrit ad suum Antistitem, & rem significauit, & petijt vt aræ figeret fundamentum, cùm ipse benedixisset. Ille autem cùm hoc resciuisset, sancto quidem assensus est,vt omnia faceret. Clàm verò mittens,obstruxit os fontis, vt tædio affectus, montem quidem relinqueret, vt ascensu difficilem,& qui asperum & arduum ad eum ascendere volentibus haberet ascensum: inferiùs autem habitaret campos, qui sunt circa ciuitatem, vt ad quos omnibus facilis pateat aditus. Omnia verò lustrabat & circuibat sanctus, locum

Visio ei obtingit.

cum inuestigans separatum & remotum. Videt autem ante ciuitatem quandam solitudinem, quæ erat plena sepulcris antiquissimis: in quo loco magnum agmē spirituum delitescens, eam reddebat tetram & horrendam omnibus hominibus. Ad quam Christi miles primùm & primus ausus est accedere, magno stupore perculsis viris illis, cum quibus obibat considerans & quærens locum quietis. Neque enim Dei amor scit vnquàm suspectum habere periculum, vt qui ad id, quod videtur, spe potiùs agatur meliore. Inter se autem omnes ad ipsum viri voces emittebant, procùl distantes & clamantes: Quisnam dæmon te à nobis sic raptum illuc transtulit, ô homo? Heu heu recede, egredere ex hac mala solitudine, qua soli delectantur dæmones. & ad se rursùs conuersi dicebant: Hic est emotæ mentis: desipit sic seipsum tradens malis dæmonibus. Hæc sępè clamantes, & suas dexteras extendentes, annuebant vt fugeret, & illinc citò discederet. Sanctus autem vix tandèm, multis eorum conuersus clamoribus, suauiter & placidè eos intuens, subrisit, quòd præ timore quidem clamarent, non auderent autem propiùs accedere, & opem ferre ei, qui apud eos veniret in periculum. Inquirit locū solitariū in quo cōmoretur.

Cùm illi verò aliquantulùm in eo lòco essent morati, volentes scire finem, postquam eum adspexerunt sublimè stantem super vnum ex ijs, qui illic erant, tumulis, ipsi quidem in domos suas reuersi sunt fugientes. In summo autem vertice tumuli stabat columna, positum habens Tauroleonem. Ad eum tanquàm animatum & vix tandèm visum amicum, exultans accedit, & ardentissimè eum complexus, suauiter & comiter eum alloquens, dicebat: Salue, ô lapidum merces mihi preciosissima. Sic enim te reprobatum, & ab ijs qui ædificârunt ad sepulcrum, & sepulcri signum deputatum, salutare constitui, mihi potiùs factum ad caput anguli, adeò vt satis aptè possim dicere, me credere & putare eum esse factū à Domino, & esse mirabilem in oculis nostris. Salue mihi, ô petra, propter Christum. Salue tu, quoniam vera quoquè petra Christus, quæ labefactari nō potest, vis est appellatu. super quam pedibus meis firmiter insistere cupiens, elegi hoc habitaculum ad æternam requiem. Hæc & his plura cùm dixisset præ gaudio, ad suam excurrit ciuitatem. Cruce autem accepta & vecte ferreo, statìm reuersùs, leoni subiecit vectem ferreum. erat enim prægrandis & valdè grauis: seipsum autem vecti: gemensque & laborans, vix tandèm potuit humì deijcere statuam (erat enim beatus ille fortis, vt qui esset in ipso vigore iuuentutis) eius verò loco erigit & extollit potentissimum signum, nempe Crucis trophæum: vt tyranni bellica officina diuinarum virtutum operatione securè nunc videatur, & habeatur ludibrio. Sic vas aureum & electum, armis omni ex parte munitum, in eo loco iam securus se sopori dedit. Videt autem duos viros, sacerdotalem præ se ferentes dignitatem, ad eum accedentes, & eum leniter repræhendentes & increpantes, dicendo. Quousquè siuisti nos expectare, ô homo Dei? Si tu es ipse Alypius à Deo prædestinatus, vt hæc loca ad pietatem traducas & religionem, nè differas facere, quæ te manent. Hi etiam, quandò magnæ martyris Euphemiæ ædis cœpit iácere fundamenta, sancto apparuerunt. Vnus quidem eorum manu tenens thuribulum, definitum quendam locum circunscripsit. Ostendebat autem eam, quæ fuit posteà, ecclesiam. Alter leni voce acclamabat: Osanna huic loco. Et quinam essent quidem hi viri, nulli apertè indicârunt: eorum autem reliquiæ aliquo pòst tempore inuentæ sunt tales, quales sancto in somnis apparuerant, suaui odore locum implentes: vt mirarentur, qui illo tempore in eas inciderant, quæ in hodiernum vsque diem seruantur integræ in atrio templi magnę Euphemiæ martyris, cùm sic beatus ille iussisset. Quomodò autem & quandò & vbì apparens, in certaminibus exercitatissima Euphemia, acerrimum excitat sancti zelum ad sacram ædem ei extruendam, oportet nos dicere, nec eos qui legent, fraudare narratione. Cap. 9. Intrepidus sibi habitationē inuestigat in locis infestis. 1. Cor. 10. Erigit potentissimū signū & trophęū Crucis Visio eius.

Ad regiam propter quædam negocia tunc ibat huius Antistes. A quo etiam similiter ingredi, vt qui esset Diaconus ecclesiæ, iussus est vel inuitus, vt cui minimè esset gratum versari in ciuitatibus, cùm sic facilè ad voluptatem & vitia inclinetur animus. Propter Pontificis tamen reuerentiam Chalcedonem vsque est consecutus. Illic cùm clàm se subduxisset, dum esset Episcopus mare transmissurus Cōstantinopolim, vbi iuxta mare est positum martyrium Bassæ martyris, id ingressus, sub vno ex scamnis, quæ illic erant, dormiens latebat. Cùm sensim autem in somnis martyr ei apparuisset, & iuberet eum citò surgere: ille verò eius decorem & honestatem Cap. 10. Periculosū versari in vrbibus. S. Euphemia ei appâret.

ſtatem eſſet admiratus, & lubentiſſimè interrogaret, quiſnam eſſet, & quarè iuberet ſurgere, dicit ei: Ego, quam vides, ſum Euphemia, Chriſti ancilla & martyr. Surge autem, &, ſi velis, eamus in tuam patriam. Simul enim tecum vado, eroque tibi in itinere, ſi Deus velit, ſocia & adiutrix. Vigilanti autem deſiderium cùm martyr beato immiſiſſet Alypio, lætum compulit in patriam, nequaquàm oblitum ſuæ patronæ: eam enim ſemper habebat in memoria, contemplans quàm ſuauiter cum ſit allocuta, quàm benignè ſeipſam oſtenderit, adhortans vt ingrederetur viam, quæ ducit ad vitam agendam cum Angelis, & ad æterna fruendum lætitia.

Cap. 11. Propter hæc in nomine ſanctæ fundauit martyrium, breue quidem tunc, & quod ſatis eſſet ad implendum martyris deſiderium. Non enim habebat conuenienter ſuo magno animi ſtudio, quæ ad magnificentiora poſſet tranſire, poteſtatem. Nam diuinis obediens præceptis, non habebat peram, non zonam, quæ æs conſeruabat, non duplicem tunicam, & quod eſſet ad vſum ſuperuacaneum: ſed viuebat in ſua ſponte ſuſcepta paupertate, gratam fidem oſtendens in eum, qui ipſum fecerat, & conuenienter Apoſtoli præcepto, omnia poſſidens in eo, quòd nihil haberet. Vndè etiam ſumptum quoque, qui fiebat in columna, quidam ex familiaribus, & iis, qui ſciebant eum nihil poſſidere, alacri animo offerebant, perindè acsi Deo gratum offerrent holocauſtum, propter ſuam in eum reuerentiam, quòd viderent virum creſcere in ijs, quæ ſunt ad Deum, aſſcenſionibus, & ex ſancto ſpiritu puras illuminationes mente puriſſima ſuſcipere, ieiunijs & vigilijs ſuum corpus redigentem in ſeruitutem, & non permittentem, vt inſurgeret aduerſùs appetitiones ſpiritûs: vt qui apertè ſciat, quòd qui pro virtute certare ſtuduerunt, debent eſſe integri & perfecti ſpiritu: non aduerſùs ſanguinem & carnem contendentes, ſed aduerſùs principatus & poteſtates & huius mundi principes: cum quibus colluctatio eſt difficilis ijs, qui ſecundùm carnem viuunt. Hinc fit, vt à ſuo ſcopo non aberret, ſed vincat eos, qui ſunt carnis expertes, is, qui in carne refulſit: & aduerſùs eos inſignem victoriam ſit conſecutus: vt per eos, qui in veritate glorificant ſeruum eius, Deus glorificetur, & per fideles ſeruos ſuos ſuam oſtendat maieſtatem. Quæ enim per ipſum & in ipſum conſpecta ſunt fieri, diſcite, ó fideles, & mecum Dominum magnificis laudibus extollite.

Matth. 10. Luc. 10.

2. Cor. 6.

Eccè quomodo corpus ſuum ieiunijs & vigilijs caſtigauerit.

Ephes. 6.

Cap. 12. Nam cùm vellet beatus Alypius diuinè in columnam aſſcendere, ſenum deductus conſilijs, ingreditur tunc in cellam, quæ erat humilis & valdè breuis, triginta annos natus, cùm laboribus exercitationis ſe bienniò pulchrè exercuiſſet, tanquàm quidam Imperator, qui eſt acie congreſſurus cum hoſtibus. Illic enim ſtatim aduerſùs ſanctum inſurrexerunt ſpiritus. eos enim iritabat valdè, pſallens, & paulatim percutiens ignitis dictis diuinorum eloquiorum. Quocircà furore pérciti, penitùs ſurgentes tanquàm ex aliquibus inſidijs, impetum fecerunt in cellam, vniuerſam concutientes ex fundamentis, exiſtimantes ſe ab initio magìs poſſe ſuperare beatum virum, ſi terrore ſpectrorum eum perculſum inuaderent. Sed ij quidem vt improbi inſurrexerunt & receſſerunt, vt qui ſanctum potuerint nulla afficere iniuria. Stabat enim tanquàm mons Sion, confidens in Dominum, egregia munitus lorica precationum, & magna Crucis lancea. Cùm autem à cella receſſiſſent, rursùs inuaſerunt oratorium. Nondùm enim eius facta fuerat dedicatio. Poſtquàm certè id viderunt conſecrari, dolo quoſdam ſonos emittentes, & horribilem rugitui leonis ſimilem vocem edentes, adeò vt vniuerſa, quæ eò conuenerat, multitudo diſperſa ferè fugiſſet huc & illuc, niſi eius timorem ad fiduciam, quod præceſſit, traduxiſſet Euangelium. Poſtquàm enim Diaconus acclamauit illud, Secundùm Matthæum, reſpondens illud conſuetum, Gloria tibi Domine: in templum totus populus proſilijt, non ferente ampliùs aduerſaria poteſtate ſanctitatem eorum, quæ fiebant, ſed fugiente cum quodam ſono & ſtridore, perindè àc ſi à graui flagello torqueretur. Atque ſic quidem eiecti tunc fuerunt ſpiritus, vt non ampliùs auſi ſint accedere ad Martyrium. Sic autem ipſum conſecratum, fuit dedicatum martyri, vtpotè, quòd ipſa priùs ſanctum incitâſſet ad certamina pro virtute ſuſcipienda, ſicut anteà oſtendimus.

Dæmones iritati oppugnant eum.

Fruſtrà ei laqueos tendunt.

Tēplum S. Euphemiæ dedicatum.

Cap. 13. Deincèps autem ab eo tempore vnuſquiſque, tam paruus, quàm magnus, verſabatur ſecurè in illis locis ſe oblectans: & apud beatum virum aſſiduè frequentes erant, ſeu vir quiſpiam, ſeu mulier, ſeu puer, ſeu ſenex vellet cum eo verſari, & comedere, & beatis eius frui ſermonibus. erat enim iucundus omnibus, nec vllum

capie-

capiebat vnquàm eius tædium. Sed cùm hoc inuenisset afferre animæ detrimentum, quòd negligerentur preces & status spiritalis, valedicens terrenis omnibus, & amicis, & negocijs, ascendit seipsum affigens columnæ, paucis tabulis conclusus in capite columnæ, adeò vt nec sufficeret quidem ad hoc, vt parùm posset sanctus recumbere aut sedere: sed perpetuò staret in ipsa tanquàm statua ænea, luctans cum imbribus, cum æstu & frigore, nubibusque simul & ventis & tempestatibus, quibus & lapis & ferrum inanima materia & solida, sæpè tempore diffluunt & dissoluuntur, & ad perfectum veniunt interitum. Hæc ergò fortiter tulit vir ille magnus, sanctorum socius, & qui plùs, quàm sancti, decertauit, plùs, quàm quiuis raptor & latro, violentus possessor regni cælorum. Nam illi quidem fortasse hoc cupientes iniusti, pœnam dolorum recusâssent, meliorem partem consecuturi. In huius autem ore perpetuò erat Dei laudatio: vniuersa verò eius vita à tenera ætate fuit confessio. Perpetuò stat S. Alypius in columna.

Quisnam ergò ex martyribus tam multa certamina afflictionis & malorum perpessionis pro Christo vnquàm subijt septuaginta annos? Tres illi pueri flamma Babylonia visi sunt aliquandò superiores, sua in Deum fiducia, præclarè ea ardentiores. Sed aduersùs vnum elementum, nempe ignem, decertârunt, & vno die. Hic autem perpetuò æstûs flammam, æstiuis solis lampadibus vehementer vrentibus, fortiter sustinuit. Nox vna aliquandò hiberna & gelu, vnum ex numero militari diuellit à quadraginta, qui spe balnei à tota spe miserabiliter excidit. Hic autem tot annorum glacie, & ventorum flatibus grauiter spirantibus concretus, nunquàm fuit animo labefactatus. quotidiè, vt semèl dicam, morte affectus, & rursùs reuiuiscens, & insultibus decertationis fortiter & generosè resistens. Si autem aduersùs feras agrestes & immanes decertauit sanctorum aliquis: & nemo, sicut hic vir præclarus, depugnauit aduersùs dæmonia nequitiæ. A quibus in astro nocturno, tanquàm à funditore aliquo stans in columna, in humero fuit percussus lapide. Ille autem statìm manus in cælū extollens, & astris & ipsis ostendit dæmonijs, se nihil timere: sed hæc liberè dixit: Quid vobis mecum rei est, ô perniciosi, & hominibus infesti dæmones? Quid frustrà conturbamini, & in Dei seruos incassum exercetis inimicitias? Videte enim lapidem, quem vos in me coniecistis. Is erit mihi testis vestræ improbitatis, quem ostendam coram Christo meo in die eius aduentûs. Vt autem sciatis, me telum infantium reputâsse plagas vestras: eccè humì deijcio tectum, quod est supra caput meum, quod sæpè arcet iactus lapidum, & non sinit me eadem pati pro Domino, quæ Stephanus primus martyr, & eandem quam ille coronam accipere, quem vos Iudaicis manibus interfecistis: cum quibus etiam subibitis æternum gehennæ supplicium. Illi cùm hæc verba audijssent, & cognouissent illum iustum audere omnia pati pro Christo, aufugerunt protinùs. Hoc enim illa nocte auditum est à quibusdam, qui iter faciebant, quòd in quodam loco itineris occurrissent dæmonibus deflentibus suam fugam, & apertè clamantibus: Alypius nos expellit à nostro habitaculo. Quò ibimus, cùm non habeamus locum, in quo consistamus? Cap. 14. Dan. 3. Vide Tō. 2. Martij 9. Lapide percutitur à dæmonib⁹, sed contemnit. Actor. 7. Dæmones victi fugiūt

Egregius autem Christi miles post preces matutinas, fingens ei opùs esse, à sua matre petijt securim. Quam cùm accepisset, ille septi tectum à quatuor locis dissoluit, & humì disiecit: & mansit sub dio vsque ad extremum diem suum. Mater verò eius postquàm sensit sonum tabularum, easque vidit humì fractas, dextera frontem accipiens: Cur hoc fecisti, inquit, ó fili? Cur euertisti salutem tuæ custodię? Quomodò feres minas hiberni temporis? aut vernarum pluuiarum vehementes inundationes, & æstatis meridionales & ardentes radios? Non considerâsti ventorum terribiles impetus, lethiferas à mari plagas: fulmina, quæ repentinam multis mortem afferunt: & eorum, qui aduersantur, violentiam, quæ non cadit sub adspectum? Matri autem suæ sapienter respondens iustus, dixit: Propter quem hæc omnia pati opto, est Christus viui Dei filius & Deus, certa eorum quæ sunt, vita, pro quo quiduis minimum pati, est res beata. Non nunc quidem, ô mater, lubenter horrorem patiemur, vt illinc ad lucem inaccessam accedamus? Non feremus hîc æstum diei, vt labore dignam mercedem accipiamus, & æterni ignis fugiamus supplicium? Cùm hæc & alia multa his similia dixisset, persuadet matri, vt propemodùm suaderet, non solùm abijcere tabulas propter Christum, sed etiam tunicam, & corpus prætereà exuere. Nesciebat enim misereri filij, Cap. 15. Manet semper sub dio.

Encomion matris eius. etiamsi esset valdè amans liberorum, qui hîc propter Christum patiebatur. Negabat naturam præter naturam, vt nato præponeret eum, qui genuerat: licebatque videre rem iucundam & gratam omnibus fidelibus: matrem, quæ lætabatur ob charissimum filium: & filium, ob matrem filiorum amantem: & Deum, qui propter ipsos verè & syncerè glorificabatur. Quis enim illius honestæ & admirabilis mulieris non benedixit filium? aut quis rursùs huius fructûs radicem, tanquàm sanctam, non beatam pronunciauit? Nam præter alia bona, quibus erat ornata, permanebat etiam apud filium, ei inseruiens & subministrans, quæ erant necessaria, tabernaculo fixo apud columnam. Quo in loco cùm renunciâsset omnibus, quæ sunt in vita iucunda, tanquàm in paradiso referta delicijs, proprijs manibus acquirebat, quæ sunt ad vsum necessaria, vt vidua & quæ maritum non habebat: tanti faciens eleemosynam, vt miserabile esse putaret duos asses possidere.

Cap. 16. Aliquandò certè accidit, vt aliquis tertiam partem offerret numismatis. Quam cùm accepisset rogatu filij, cucurrit ad ciuitatem, vt eam in minutas æris partes commutatam, consumeret ad vsus sui victûs. Cùm autem, postquàm hæc fecisset, reuerteretur, fracta pauperum adiurationibus, vniuersum distribuit. Deindè cùm eam vidisset filius nihil habentem in manibus, Vbi est, inquit, minuta moneta? Opùs enim habemus ad sumptum. Deo, inquit, ô fili, & pauperibus nos credidi. Non enim pium esse statui propter nos despicere iuramenta pauperum, & peierare Deum viuentem: credens fore, vt nos quoquè eorum, qui misericordiam consecuti sunt, precibus assequeremur misericordiam. Propter hoc factum benedixit matrem, & accepit lætus quod factum fuerat, vt qui illius esset infans & fœtus. Quamobrèm Deus eos etiam in altum in terra sustulit, dans bona in terra, & quæ sunt in cælis meliora. Nomen enim sancti, & gratia Dei, quæ vbiquè propter ipsum prædicabatur, multas animas vocabat ad pœnitentiam virorum & mulierum. Primam autem Euphemiam quandam, quæ erat vna ex illustribus fœminis ciuitatis sancti Alypij, tantùm incitauit zelus in Deum, vt mariti & liberorum, amicorumque & cognatorum nullam curam ducens, se in vilissima incluserit domuncula proptèr beati columnam, arctæ portæ fortiter transmittens angustias, & nunc affatim se explens vitæ æternæ delicijs.

[Margin: Quã illa fuerit benigna in pauperes. — Euphemia illustris matrona viuit duriter.]

Cap. 17. Ité Eubule. Post eam autem Dei quoquè amor compulit magnam illam inter mulieres, & primam muliebris ædis ducem Eubulem: quæ ad tantam peruénit mensuram virtutis, vt media nocte aliquandò suffiens (erat enim hoc ei in more positum) plurimas horas, ità vt oculis adspiceretur, aduersùs dæmonem concertauit: qui non sinebat sanctam transire, sed depugnabat, nè mediæ noctis preces Domino redderet, vt consueuerat. Quæ & vitæ facultatibus, & multa gloria viduata, in vita, quæ ex virtute agitur, ità refulsit, vt paucæ ex ijs, quæ erant in terra. Eis autem paulopòst fiunt similes & Maria sancti patris soror, quæ ipsa quoquè renunciauit omnibus, quæ sunt in terra: marito, inquam, & ijs, quæ sunt ad tempus, delicijs: se tam fortiter gerens in exercitatione, vt illius continentia sit reliquis exemplum ex ijs, quæ decertant, vsque in hodiernum diem: & aliæ complures, quæ colligebantur tam peregrinæ, quàm indigenę: quæ res suas humì iacientes, ad sancti patris genua supplices procidebant, dicentes: Per te saluæ fiamus, si curris propter coronam, in quam non cadit interitus. Nos quoquè fortes euademus & viriles. Nam etsi sexu simus imbecilliores, vestra tamen imagine sumus nos quoquè ornatæ ab eo, qui est potentior, pro virtute eadem valentes facere. Non est enim masculus & fœmina apud Christum. Quæ intelligentia percipitur, preciosissimam mereamur margaritam. Simus sociæ negociationis. Vestra sit maxima pars lucri: efficiamur nos solùm participes negociationis. Nè nos timueris, ô pater, quòd simus genus humile, & facilè inclinemur. Mundum cognouimus: per iucunda transiuimus: omnium fecimus periculum, & omnia vana esse cognouimus. Vnum solùm scimus Christo viuere, & eius præceptis parére. Huic pulchro amatori crede nos esse desponsas.

[Margin: Ité Maria soror Alypij — Gal. 3. — Matt. 13.]

Cap. 18. Elevatis oculis in cælum orat. Hæc cùm audiuisset sanctus, illachrymauit, diligens feruorem earum in Deum propositi: & fixis oculis adspiciens cæli altitudinem, toto corde Deum orauit, dicens: Benigne Domine, qui pœnitentia curas delicta hominum, ascendant verba seruorum tuorum coram te, & fiat eis sicut crediderunt: & da vires seruo tuo, vt

satis-

ſatisfaciat animabus eorum, qui confugiunt ad fontem tuæ miſericordiæ: & eas exhibeat in die aduentûs tui caſtas abſque vllo dedecore, indutas operibus lucis & iuſtitię & ſanctitatis, ad gloriam magnificentiæ ſanctitatis tuæ. Et hæc quidem orauit: à ſe inuicem autem diſtinctas duas ſacras ædes extruxit, in quibus vtriuſque ſexûs corpora diſtribuit, (non enim dixerim ſpiritus & animas) dans regulam & præceptum ſanctis fœminis, vt maſculorum oculis nunquàm adſpicerentur: vtpotè quòd ſit valdè periculoſum ijs etiam, quæ ſunt valdè probatæ. Quæ quidem id vſque adeò inuiolatum ſeruauerunt, vt cùm beatus Alypius eis ſæpè permiſiſſet, quòd in mortis veniſſent periculum, vt viderentur ab eorum parentibus ſecundùm carnem, noluerint: vt continentia in Deum, naturæ quoquè vinculo fierent ſuperiores. Nota cautionē ſancti viri.

Cum his ſancti quoquè mater ſimul verſans, eandem quoquè ſeruabat regulam: habitum autem nequaquàm acceperat monaſticum, à ſancto ſæpè rogata: idem eſſe dicens Diaconiſſam, quod monacham. ſed ei perſuadet ſomnus, & diuina quædam reuelatio, vt ſanctum oraret, vt ei imponeret habitum exercitationis. Viſa eſt in ſomnis audire ſymphoniam ſacroſanctarum mulierum, quæ diuinos & modulatos hymnos canebant in Regem ſuum & Deum: & delectata ſpiritu, cùm voluïſſet domum ingredi, in qua modulabatur choros ducentium cœtus, & cum eis canere & Deum laudare, non fuit ei permiſſum ab eo, qui præerat ianuæ, & ſeruabat aditum, qui dicebat: Non intrabis, neque poteris verſari cum venerandis Dei ancillis, cùm ſis hoſpes, & imperita earum habitûs exercitationis. Propter hæc pudore & magno animi angore fortè affecta, eſt experrecta, & ſancto genu flexit, & rogauit eum, vt habitum acciperet, exponens omnia quæ viderat in ſomnis. Eum autem cùm manè accepiſſet, animo lætata eſt & exultauit, nulla re decætero defecta, quæ pertineret ad perfectionem. Quæ quidem cùm multos & varios fœtus ſeminâſſet iuſtitiæ, nunc fruitur fructibus, in quos non cadit interitus. Cap. 19. Viſio matris eius. Habitum monaſticū illa induit.

Atque ſic quidem ſeorsùm & ſeparatìm effecit beatus ille habitare homines & mulieres: In Deum autem & in reliquo vitæ inſtituto, tanquàm germanos in Christo fratres, nihil omninò differre: ſed vnanimem inter ſe inuicèm conſeruare charitatem, vna voce benefactorem & vitæ ſuppeditatorem noctù & interdiù laudare ſeptiès: vt concorditer extollendo concentum canticorum, Regem creatæ naturæ, verè & ſyncerè placent. Deo autem & Angelis & ſanctis iucundum quidem erat audire pſallentes: iucundius autem, videre hominem Dei, intra cælum & terram affixum columnæ, tanquàm Angelum æthereum, in altum extenſis manibus, per tres claſſes glorificare Trinitatem. Nam ſimul cum eis * pſallebāt, qui erant incluſi ad baſim columnæ. Seorsùm rursùs chori multitudinis monachorum, & chori rursùs mulierum alibì. Talis laudum in Deum erat gratia, vt ſæpenumerò nonnulli ex ijs, qui prætergrediebantur, hæc audientes cantica, ad tantam venerint compunctionem, vt relictis actionibus, quas ſtudebant exequi, in eo loco totum diem remanſerint, donèc ceſsârit pſalmodia. Cap. 20. Vide hic ſeptem horas canonicas. * pſallebat, legendum puto.

Venio poſt hæc ad magna dicenda miracula, quæ Deus fecit in ſuum famulum. Nemo autem ſit, qui fidem non adhibeat. ante multorum enim oculos ſæpè, cùm fieret, apparuit. Id autem erat lux è cælo deſcendens ſuper ſancti verticem in columna, & manens aliquandiù. Id verò tunc accidebat, quandò nox erat & continuæ voces tonitruum, quandò fulgurum crebræ coruſcationes, quandò imbrium inundationes, proptereà quòd non auderent omninò, vt arbitror, intueri gloriam arcanorum. Locus autem vſqueadeò refulgebat ſplendore lucis, vt qui erant contemplationis ignari, exiſtimarent globum omninò inflammari. Ipſe autem in tremore exultans, ſensìm dicebat arcanum traditionis cœnæ myſticæ, dicens etiam reliqua ante aduentum & poſt aduentum, minimè volens agnoſci miraculum, humanam vitans gloriam, quæ eſt ad tempus. Illius autem lucis aduentum præſignificabat Crux, quæ erat in vertice affixa tabulis: quæ quidem valdè mouebatur in globo, & emittebat quendam ſonum ſtridentis ſibili, donèc rursùs redacta in formam columnæ ignis venientis vſque ad nubes, rediret ad cælorum altitudinem. Hoc autem viderunt, non vnus, duo, aut decem, aut ſolùm quinquaginta, ſed etiam plures alij: adeò, vt adipſam vſque regiam tranſiret viſio tanti miraculi. Cap. 21. Lux cælitùs lapſa inhæret vertici S. Alypij. κλονεῖται

Cap.22. Multis certè precibus, quæ tunc erat Imperatrix, à Dei seruo contendit: multas quoquè pecunias partìm misit, partìm etiam se esse missuram est pollicita, si Crucem, quæ erat super columnam, mitteret in regiam. Cui quidem literis ad eam rescriptis persuadet, vt parum expectans, id assequeretur, cuius studio tenebatur: vt qui puro mentis oculo præuidisset fore, vt Imperatrix è vita excederet. Nam hoc quoquè dono dignatus fuerat à patre luminum, vt tanquàm præsentia futura prædicaret, vni quidem diadema imperij, alteri autem sanctæ cathedræ rectionem. Oratio autem paulopòst fuit ipsa re confirmata. Hinc rursùs factum, vt ad eum concurrerent: nonnulli quidem de longa amicorum aut cognatorum absentia, tanquàm à propheta, certum scire volentes, an superessent: alij verò morbi diuturni cupientes aliquod accipere remedium. Hoc enim habebat, quod nullus ex doctis & peritis medicis. id autem erat, pro ægrotis effundere lachrymas, vt qui laborabant, ex alto haberent curationem. Alij autem quærentes de vi principum & magistratuum, & violentiorum contractuum iniquitate: quorum nodos & captiosos plexus hic dissoluebat: non in ijs, quæ doceri possunt, humanæ sapientiæ verbis: sed in ijs, quæ doceri possunt sancti spiritûs: vt nullus huius mundi, qui gloriantur in sapientia, omnia faciens & cogitans per orationem & deprecationem, vt omninò aliquos & ante omnes Christum lucrifaceret, ad alios quidem scribens: alios autem monens: pluribus etiam donans: omnes autem, qui propter inimicitias, litemque & grauem furorem enses sæpè contra se inuicèm strinxerant, cùm apud ipsum fuissent, concordes & se complexi exiuerunt, fratres animo, coniuncti affectione: adeò vt quilibet homo iustus glorificaret & laudaret Dominum misericordem. Ipse enim beatæ filiorum Dei partis veluti pacificator, appellationem suam lætus lucrifaciebat. Ille & in paupertate spiritûs & in persecutionibus, gratia Dei, tanquàm regnum Dei possessurus, erat beatus.

Prædicit futura.

Omnium nodos & quæstiones dissoluit.

ἀλύπητος, alienus à molestia.

Cap.23. Matt.5. Si autem ij quoquè qui lugent, sunt consolationem accepturi tanquàm beati: quis est illo beatior, qui pro commiseratione & misericordia & amore apud Deum effudit tot riuos lachymarum? Porrò autem fuit vir ille adeò Domini & Christi amans, vt quotannìs eius passionis legens Euangelium, (is enim erat mos eius) pro probris & contumelijs, quibus fuerat affectus, lachrymaretur & discerperetur: adeò, vt putaret se videre Dominum in ipsis passionibus. Quòd autem esset inter mites enumerandus, planum factum est, cùm terram posséderit. Pro eleemosyna autem tantam consequetur misericordiam, quantùm misericors fuit supra præceptum. Quidnam autem sit hoc, opùs est dicere: Petijt aliquandò mendicus ab eo indumentum. Ille verò nihil dubitans, in cordis hilaritate, cùm sibi ademisset, qua indutus erat, tunicam, & dextera inuoluisset, deiecit à columna, sinistræ manui arcano non credito. Deo enim faciebat, qui non vult tuba cani pietatem. Et qui misericordiam fuerat quidem consecutus, cùm quod petebat imperrâsset, recessit, Deo agens gratias, quòd curam gereret indigentium.

Seipsum nudat tunica, & dat pauperi.

Matt.6.

Cap.24. Ipse autem tandiù perseuerauit in aere congelatus, donèc quidam vir religiosus ex ijs, qui erant inclusi, cùm in eum intendisset oculos, sic dixit ei: O sacra & beata anima, quænam vis dicendi, aut quot linguæ doctorum poterunt explicare tuam diuinam virtutem? ab ortu benedictum tuæ vitæ progressum? intelligentiam canæ iuuentutis? senectutis quæ non potest damnari tolerantiam, mansuetudinem, & in omnes comitatem? Quis pater vnquàm tanto studio defendit filium, quanto tu quemlibet, qui afficiebatur iniuria? Quis, contritis maxillis iniustorum, è medio dentium prædam rapuit, sicut tu? Quis autem sic conseruauit pauperem à manu potentis? Orphano verò, cui non erat adiutor, quis sicut tu, opem tulit? Os autem viduæ & pauperum, quemnam sic vnquàm benedixit, sicut te iustum?

Eximię laudes eius.

Iob 29. Hæc quæ sunt pij & iusti Iob, sunt quoquè vestrę. Nam vos quoquè estis sicut Iob, & fortè etiam supra Iob. Nam ille quidem in calamitatibus diem ortûs sui est execratus, dicens: Pereat, & non sit inter dies annorum. Tu autem non sic, qui fortiter omnia sustinuisti: quandò te hyems terribilis multa niue texit multos dies, non permittens vt surgeres, premens & frigore congelans, quæ sunt intima corporis: quo tempore concurrebat etiam naturalis senectutis refrigeratio, qui à iecore suppeditabatur, calorem non accipiens ampliùs, vt est rationi consentaneum: & contractis neruis circa tibias, fibrarum vires emarcuerant, naturalem pedum statum non ampliùs accipientes. Sed non dixisti: Pereat nox, in qua dictum est, Eccè

Iob 3.

Nota vitã durissimam

Ibidèm.

masculi-

masculus: neque imprecatus es, astra illa nocte fuisse obscurata. Neque dixisti, Cur non sum mortuus in vtero: è vulua autem sum egressus, & non statim perij? Ibidem. & cur concurrerunt mihi genua, quæ sunt dissoluta adeò immisericorditer, concreta frigore? Quid autem dixisti? Iustus Deus, & iustè castigauit. Quid enim mihi opus est pedibus, qui sum cruci affixus, & habeo manus, quas extendam ad preces, & os ad confessionem laudemque & gloriam eius, qui creauit, per quæ fit salus credentibus? Abeant pedes post octoginta & quinque annos, qui corporis ministerio satis inseruiêrunt. Paulopòst enim omnino requiescet tabernaculum, puluere reuerso in puluerem. Cùm sic autem gratias égeris, ó diuinum & sacrum caput, si fuissent tibi liberi, ijs priuari eodem modo tulisses: & si iuga boum, camelosque & asinos pascentes amisisses. Quibus enim tua sponte propter Christum renunciaueras, ijs priuatus æquo animo tolerâsses: quoniam per arctam & angustam portam constitueras mala perpeti. Proptereà extensi sunt palmites tui à mari, & vsque ad fluuios peruenerunt tuæ propagines. Quomodò enim quandò quispiam generosæ arboris fructum viderit, ex ea studet surculos suæ arbori inserere: sic reliquæ ciuitates, tanquàm à diuina & electa radice, vi tuos auellentes discipulos, sacros Antistites & eruditores suis patrijs acceperunt, tanquàm donum magnificentissimum.

Mira patientia.

Ex discipulis eius facti Episcopi.

Porrò autem ego quoquè, qui sum tuæ plantationis vilissima, ó pater, & tarda propago, hanc funebrem orationem ausus sum tibi dedicare, cùm selegissem paucas ex multis tuis actionibus, in quarum plurimas incidi: vt qui ex tuis didicerim certaminibus, quòd tentata iusti anima, tanquàm aurum in conflatorio, suæ pulchritudinis non perdit probationem. De te enim olìm disceptabam stultus ego, hæc cogitans de tuis calamitatibus: Cur post quinquaginta tres annos, cum aëre & quæ in eo sunt malis luctatus, cùm esses iustus & iustitias faciens, priuatus fuisti media parte corporis? Cur præter hæc quatuordecim annos non vsus es pedibus, sed super vnum latus perpetuò recubuisti, quod etiam ijs, qui in lectis recumbunt super vestem mollem stragulam, est molestum: & non possunt ne vnam quidem horam ferre, quin conuertantur. Percussus enim fuisti etiam malo vlcere, nempe vltima tu quoquè Iob plaga, testa ferè expurgans saniem tui corporis. Hæc mihi sic dubitanti, diuinæ vocis ad Iob per procellam & nubem mihi venit in mentem, non alia de causa te sanctum hæc passum esse, quàm vt iustus, vt ille, apparéres. Credo autem sapienti quoquè Solomoni, qui de virtute præditis animabus sic docuit: Iustorum animæ in manu Dei, & non tanget eas tormentum. Visæ sunt in oculis insipientium mori, & reputata est afflictio eorum exitus: Illi autem sunt in pace. Nam etsi puniti fuerint in conspectu hominum, spes eorum est plena immortalitate: & parùm castigati, afficientur magnis beneficijs. Quoniam Deus tentauit eos, & inuénit eos dignos se. Tanquàm aurum in fornace probauit eos, & tanquàm holocaustum sacrificij eos accepit: & in tempore visitationis eorum resplendebunt, & tanquàm scintillæ in calamis discurrent. Iudicabunt gentes, & dominabuntur populis: & Rex eorum erit Dominus in secula. Ergò etsi nos molestia affecit tua, quæ fuit ad breue tempus, imbecillitas, vt qui non inuestigâssemus iudicium laudabilis tuæ tolerantiæ, quòd operetur probationem: at nunc nouimus, quòd corpus post animæ hinc excessum, proprium honorem consequetur ab eo, qui creauit. Nullus enim fuit nec ex ciuibus, nec ex regionis hominibus, qui non diligenti studio, eius tanquàm sancti inhærens amplexibus, cum salutauerit. Mulieres autem, pueros & lactentes infantes, impellentes & repulsæ, irrumpentes & insurgentes, flentesque ad reliquias efferebant, animò valdè anxiæ: nè forte ablatum fuisset corpus, priuarentur benedictione, quæ erant eis charissima. Atque sic quidem ciues & mulieres ciuitatis vix concesserunt, vt tollerentur reliquiæ.

Cap. 25.

Simeon Metaphrastes discipulus eius fuit.

Obserua hæc lector.

Iob 2.

Sap. 3.

Rom. 5.

Ecce antiquorum deuotionem erga sanctas reliquias.

Cùm miraculorum autem postremum & maximum dixerimus, cum beata, ó pater, tua dormitione finiemus orationem. Quis enim nescit, quòd cùm quatriduanæ iam essent reliquiæ, adolescens quidam captus fuit à dæmone. Qui cùm meridiè tibi occurrisset, & ad tuum actus esset sepulcrum, & valdè discerperetur, ipso die fuit liberatus à maligni vexatione. Et hoc quidem, ó beata anima, cùm dixerimus quod fuit vltimum & magnum ex tuis miraculis, finijmus orationem. Tu autem, qui euolâsti ad ea, quæ sunt supra mentem, rationem & sensum, & sortitus

Cap. 26.

Dæmoniacus liberatur ad sepulcrum eius.

Author invocat S. Alypium.

es ea, quæ sunt meliora, memento tuorum filiorum & filiarum: eisque adsis, & eos conserua & custodi, deducens ad luminosa bona operum: vt sequentes vestigia, perueniant ad tuam beatam mansionem. Nequaquam obliuiscaris, ô sancte, ouium tuæ mandræ: sed etsi frueris gloria eorum, quæ carent materia, circa diuinitatis versans pulchritudinem, nos adspice & nostri miserere, quos & congregasti & orphanos reliquisti, apertè dicens: Pacem Christi do vobis: valete & conseruemini, ô filij, & non formidet nec turbetur vestra anima. Ego enim rogabo pro vobis, & mittetur vobis Spiritus sancti consolatio & auxilium validum: In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia cum patre & sancto spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

VITA SANCTI ALEXANDRI EPISCOPI ET MARTYRIS, PER ADONEM ARCHIEPISCOPVM *Treuirensem collecta.*

26. Nouembris ordinatione S. Damasi Papæ.



ROMAE natale sancti Alexandri Episcopi & martyris sub Antonino Imperatore. Cui beato Episcopo, cùm esset famosissimus in miraculis, quodam tempore delatus est quidam mortuus. Cuius parētes cùm hortaretur sanctus vir vt crederent in Christum, spoponderunt se facturos, si isdem mortuus suscitaretur. Tunc sanctus vir oratione facta, cōnuersus ad corpus dixit: In nomine patris & filij & spiritus sancti surge. Qui statim surgens, clamare cœpit: Audite parentes & populus vniuersus: ductus à duobus Aegyptijs vultu teterrimis, iraque plenis, positus sum in obscurissimo loco, vbi erat puteus, subitoque veniente quodam iuuene nimio splendore corusco, totus ille locus contremuit: & exclamauit iuuenis ille splendidissimus, Remittite puerum, quia vocatur à famulo Dei Alexandro. Et ecce reductus sum in corpore. Nunc domine Alexander baptiza me in nomine Dei tui, nè vltrà videam, quod hodiè vidi. Vocabatur is Lucius: cum quo baptizati sunt alij centum vigintiquinque.

Oratione sanctus vir mortuum suscitat.

Lucius cum 125. baptizatur.

Cumque rumor beatum Alexādrum vbique spargeret, Antoninus direxit Cornelianum præsidem, vt Alexandrum Episcopum ei exhiberet. Qui inuenit eū die Dominica in Ecclesia docentem, & Missas agentem, & sicut Imperator iusserat appræhensum perduxit Romam. Secuti sunt autem eum Crescentianus presbyter, Bonifacius, & Vitalis. Præses verò ligatis manibus eius retrò, obtulit eum Antonino: à quo interrogatus, cùm de Christo constantissimè peroraret, fustibus iussus est mactari, & grauissimè cædi, deindè in custodiam claudi. Quò cum à militibus duceretur, Antoninus post illum clamauit: Quatuor dierum à me tibi dantur induciæ, vt deposito cultu natiuitatis tuæ vltroneus aduenias. Cui sanctus vir respōdit: Quatuor dies iam æstima præterisse, quod desideras, hodiè comple.

Vides Missā nō esse nouitiū inuentum, vt nugantur nō nulli?

S. Alexāder fustibus cęditur.

Misso igitur illo in custodiā, beatus Crescentianus sedens sub arbore cœpit plorare, & præ tristitia soporatus dormire. Cui visus est Angelus Domini, & dixit ei: Iam fui ad Alexandrum, & solui vincula eius, & confortaui eum: & nunc ne sedeatis sub hac arbore, nè fortè Tyranno nunciemini. Eductus igitur de custodia beatus Alexander, iterùm sistitur Antonino, & suspenso in eculeo, iubente impio, lampades ardentes circa latera eius appositæ sunt, & vngulis eius corpus abrasum. Deindè ex eculeo depositus, ductus est ad templum Apollinis. In quod ingressus statim vt orauit, pars aliqua templi, & simulacrum Apollinis cecidit. Antoninus verò hoc factum magicis artibus deputans, sedens pro tribunali, sanctum Episcopum ad bestias damnauit. Et cùm nulla eum tetigisset, fornacem igneam parari iussit; & beatum virum in eam iactari. Vt autem sanctus martyr expansis manibus in medio fornacis orauit ad Dominum, totus ignis ità extinctus est, vt nec vestigium caloris remaneret. Tunc Antoninus de fornace sanctum virum eductum decollari præcepit. Cumque iam duceretur à militibus, quidam iuuenis ex officio Antonini, Herculanus nomine, exclamauit dicens: Antonine insensate tyranne, cur cæcus & surdus perduras? Ecce famulus Dei post virgas, post eculeos tuos, & lampades, atque vngularum attactus, post templi & idoli tui ruinam, post leonum & vrsorum rabiem deuictam, post fornacis ignem extinctum, nunc ad decollandum gau-

Iterùm grauissime torquetur.

Bestias & ignes superat.

Herculanus credit.

gaudio repletus vadit. Quis dubitet verum Deum esse, qui ità suos confortat? Antoninus hæc audiens, Infelix, inquit, iuuenis, quid tibi factum est, vt tales sermones loquaris? Et iratus iussit iuuenem teneri, quem cùm diuersis cruciatibus afflixisset, gladio consummauit. Beatus verò Alexander cùm duceretur, obuiauit ei quædam vidua, quam beatus martyr rogauit dicens: Commoda mihi orarium. At illa præstitit ei. Officiales autem dixerunt mulieri: Perdidisti orarium tuum. Facto itaq; signo Crucis, expoliauit se beatus martyr tunica, & in linea stans, texit sibi de orario oculos, dein positis genibus suscepit gladium, via Claudia, xx. miliario ab Vrbe. Et factus est terræmotus, & vicus & thermæ ceciderunt.

Is detruncatur.

Ecce quomodò moriturus signo sanctissimæ Crucis se muniuit.

Sanctus autem Crescentianus, & hi qui cum illo erant, reuelante martyre, tulerunt sanctas reliquias eius, & sepeliêrunt in loco vbi orans fornacis ignem extinxerat. Et posuit scriptum supra marmor continens: Hîc requiescit sanctus & venerabilis martyr Alexāder Episcopus. Cuius depositio celebratur vndecimo Calendas Octobris. Cui Papa Damasus postmodùm cryptam condignā faciens, illic eum sexto Calendas Decembris transposuit, quandò & festiuitatem ei dicauit. Orarium porrò illud sibi præstitum, vndè sibi martyr oculos texerat, mox vt decollatus est, mulieri quidam puerulus detulit, quem Angelum fuisse nō est dubium. Quod illa non sine grandi stupore recepit, & verè martyrem confessa Alexandrum, Christo credidit.

Reuelante martyre, tulerunt sanctas reliquias eius & sepeliêrunt.

Nota festiuitatem dicatam S. Alexādro per Damasum Papam.

DE SANCTO MAXIMO EPISCOPO RHEGIENSI HOMILIA, QVAE HABETVR INTER EAS, *quæ Eusebio Emeseno adscribuntur. Est sanè erudita, & ab eius discipulo edita. Nos eam in capita distinximus.*

27. Nouēb.

Cap 1.



LOCVTVRI de perfectione summi antistitis & confessoris, multùm veremur, nè merita eius, dum affectus prædicationis insinuat, tenuitas sermonis abscondat. Qui cùm à prima ætate nouis virtutibus vsque ad finem quasi semper inceperit, inter ipsa primordia consummatus apparuit. Diù ille sub habitu seculari, Christi militem gessit, diù sanctæ vitæ, quæ sola deerat, professionem negauit: diù in hunc mundum positus, extra mundum fuit: diù seductori imposturam fecit, diù mentientem fefellit: & cùm iam eum mundus animo nō agnosceret suum, vel solo tamen corpore tenebat alienum: ac sic publica conuersatione suscepta, non tam cœpit esse quod non erat, quàm prodidit quod latebat. Inter hæc stupebat in sinu suo patria ciuem suum peregrinari, & intra fines proprios nouę conuersationis legibus exulare. Nondùm quidem visibiliter exierat de terra sua, & cognatione sua, & de domo patris sui: sed iam spiritaliter reliquerat terram suām, quia nullis inclinabatur concupiscentijs actibusq; terrenis: iam reliquerat cognationem suam, quia nullis iam carnalium necessitudinum detinebatur affectibus, nullis vitiorum, quæ per longam consuetudinem proxima & cognata animæ efficiuntur, velut parentum constringebatur amplexibus. Iam reliquerat domum patris sui, quia in inquisitione æternæ illius patriæ, supernis intentus, excesserat.

Adhuc secularis quàm sanctè vixerit S. Maximus.

In patria degit peregrinus.

Tum itaque patriarcharum in se complexurus figuram, subitò totum reliquit, vt illum posset obtinere, qui totus est dicturus cum Apostolo: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Omnibus prorsùs cupiditatibus, velut indumentis exuitur, abijciuntur cum seculo extranea bona, vt magis propria ornamenta clarecant. Ista est vera & perfecta conuersio, quandò non solùm possessio negligitur in rebus, sed etiam passio corporaliter: de domo & de loco suo diuina vocatione dignus egreditur, tanquàm Isaac à patre, viua Christi hostia futurus, offertur, & super insulæ Lirinensis arā, totis humeris crucē Domini baiulaturus, imponitur: de qua quidē aramultæ piorū animæ in holocaustū & in odorem suauitatis assumi in vicaria consummatione meruerunt. Super hanc itaq; aram per contritionē carnis & sanguinis, semetipsum Deo immolat: & sicut illic pro Isaac aries occulta mysterij dispen-

Cap.2.

Matth.19.

Gen.22.

S. Maximus fit monach' Lirinensis.

Postea Abbas. dispensatione supponitur, itâ hîc dum in illa sancta congregatione de milite consurgit, & in principem promouetur, ex oue in gregis arietem commutatur.

Cap.3. Gen 32. Legimus beatum Iacob, cùm de patria fratrem fugeret, sine vllo subsidio, solùm in baculo suo transisse Iordanem, & post longæ peregrinationis absentiam, cum magnis opibus, duabus etiam honorabilem coniugibus, vt tunc licebat, ad patriam reuertisse: Itâ hic sanctorum eximius, patrem ac fraternitatem suam fugiens, se solum ex omnibus portans, in spiritu tanquàm in baculo transmissum, angustissimo freto deserit. Lirinensis † sedem, immò latebram petit, vbi à mundi, tanquàm ab inimici periculis tutus, multis laboribus desudatis, tanquàm in matrimonium sumpturus, & quasi annorum hebdomade transacta, (nam plenis septem annis ibidèm Christi gregem pauit) Rachel acquisiturus, præfertur insulæ, præparatur Ecclesiæ. Qui quantos ibi Iacob iste noster virtutum institutionibus sacerdotes, quantos in Christo genuit patriarchas, quantas ibi, ô pater luminũ, meritorum author, donorumque largitor, quantas ille diuitias vobis ac patriæ reportandas, quantos ille thesauros animabus vestris, dum in illo camino humiliationis excoquitur, congregauit? Quanta ornamenta, quanta monilia fabricatus est? Vobis enim iste athleta Christi in illo agone sudauit, vobis, dum se extollit, fructificauit: sibi illic serens, vobis colligebat: sibi quærens, vobis nescius acquirebat: sibi paraturus præconia, vobis soluturus vsuram: vobis hæc spiritalis columba cibum de illa Christi mensa, & angelica congregatione capiebat, vobis potum de illo gratiarum fonte sitiens hauriebat: vt quasi mater solicita escas, quas de illo vitæ horreo sumpserat, in sensus vestros pleno de corde transfunderet. Vobis prophetica hæc apes, salutifera in illo aluearìo mella confecit: vestris quidem cõspectibus deerat, sed vestris profectibus militabat. Sic lampas magna non sibi accenditur, sed lumen suũ eminùs * & circuniecta iaculatur, speciosum fundens flammeum doctrinæ fulgorem, & vniuersis qui assistunt, integrum, & singulis totũ. Meritò se vobis imputet beata illa insula ex hoc vno atque vnico munere, licèt multùm erubescat ex alio: vir ille præcipuus, illic doctus, vt hîc doceret: illic ditatus, vt hîc fœneraret: illic illuminatus, vt hîc fulgeret: illic purificatus, vt hîc sanctificaret: & vt hîc exercere posset confessionis curationem, illic quæsiuit aromata & pigmenta virtutum. Sic industrius atque auidus negociator, extera atque longinqua expetit, collaturus regionibus suis peregrina ac preciosa commercia. Absentat paulispèr à patria, vt nouas opes ac diuitias transmarinas reportet ad patriam.

† videtur deesse, insulæ, aut monasterij.

Multos sanctæ conuersationis fructus colligit

* for. in

Cap.4. Sãcti, luminaria sunt à Deo accẽsa. Gratias tibi Domine, qui tam conspicua ad inquirendũ te luminaria in noctem mundi huius accendis, per quæ & ad viam salutis possint venire, qui cupiunt: & excusationem non possint inuenire, qui negligunt. Felix itaque terra, quæ talem genuit: felicior, quę erudiuit. Sit sanctificata, quæ dedit: sit benedicta, quę reddidit. Beatus & ipse communis pater, quem & illic Honoratus accepit, & hic honor rapuit. Dignus, cui primus ille fundator gubernacula Lirinensis nauis post se moderanda committeret. Dignus, cui tanquàm Elias ad superna migraturus, Eliseo discipulo pallium pietatis & gratiæ, ac præclara meritorum indumenta traderet, & in se augendus, & in filio duplicandus. Dignus, inquam, hic, cui ille pijssimus pater Honoratus, tanquàm Moysi, primi populi primus princeps, ductandi per desertum Israëlis legem traderet, & quasi fortissimo Iesu Naue, pia iura transfunderet, electo vtiquè ac satis probato, qui sacrum ad promissa cælestia promoueret ac perurgeret exercitum. Hoc itaque duce, sanctæ congregationis splẽdidissima illa die ac nocte colũna non defuit: sed semper eos tanquàm gemina fidei atq; operũ lux pręcessit.

4.Reg.2.

Cap.5. Quantas hic in illo deserto, sicut de Iesu Naue legimus, nequitiarũ spiritalium exercitatissimus debellator, quantas in conuersorum cordibus gentes peremit? Quantas nationes inuisibilium aduersariorum, quæ Israëlem de regno excludere conabantur, extinxit? Studens in homine, velut in terra sancta, tanquàm hostem interficere passiones, ac tanquàm Dei populum introducere ac plantare virtutes, & quasi cultris lapideis, id est, fortibus Christi præceptis, concupiscentias resecare, & circuncidere voluptates, & non minùs exemplo, quàm imperio, militum pectus armare, atque ad desiderium supernæ hæreditatis accendere. O virum perfecti exercitùs idoneum ducem. O virum per omnia Deo dignum.

Multos Christo lucrifacit.

Cap.6. Eminebat, vt sic dixerim, in ipso habitu animi fortitudo: in specie exteriori ipsam putares expressam imaginem sanctitatis, terribilis incessu, reuerendus adspectu.

Crederes

Crederes quòd semper inuisibilem illum hostem, ipsa vultûs sui virtute terreret. Metuendus seueritate, benignitate venerandus, authoritatis censuram humilitatis mansuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis austeritas, sed cordis serenitas blandiebatur. Ac sic conueniente in vno diuersitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in spiritu. Illius districtionis, huius erat pietatis æmulator: ità vt cùm præsentiam eius vix sustineres, absentiam ferre non posses. Internorum autem bonorum suorum formas ac species, sicut nemo ad plenum inspicere potuit, ità nemo sufficit explicare. Quas ille sicut extollere studuit, ità elaborauit occulere: vt de ornamentis sanctæ animæ suæ dictum accipi possit, Omnis gloria eius filiæ regis abintùs in fimbrijs aureis, circumamicta varietate. Dignè in fimbrijs aureis, quia magis ac magis in operum suorum fulsit extremis. Dignè, inquam, in fimbrijs aureis, quia preciosior seipso in nouissimis fuit. Et sicut hic dixit, in vestimentorum fine, ità ille in actuum suorum cõsummatione plùs claruit. Itaque dum illa sancta congregatione beatus magister angelicis studijs scholã Christi imbuit, splendebat omnis insula, radiata ac repercussa suorum luce meritorum: & quicquid ab vno ad vniuersorum gratiã peruenisset, rursùm ab vniuersis ad vnius gloriam reuertebatur, & quasi nobilitas aquarum ad fontis magnificentiam redundabat. Inter hæc ille cùm vellet augeri, nolebat agnosci: quia hæc est natura iustitiæ, vt quanto studiosiùs abscondi optat, tanto clariùs innotescat, & occultatio ipsi proditio sit.

S. Maximus magni vultu piç seuitu lit seueritatem.

Psal. 44.

Natura iustitiæ.

Passìm per populos conscientia tãtorum bonorum fama volitabat, & odorem amoenissimæ suauitatis longè lateque fundebat. Eminebat in admiratione omnium velut ciuitas super verticem montis exposita, nec iam lucerna poterat latére sub modio, nec recipiebatur, nec continebatur vltra latibulum suum exundans siderei luminis magnitudo. Ambiebant illum diuersæ patriæ: sed vel maximè proxima eremi ciuitas, quæ territorij ac finium suorum incolam, velut proprium amplectebatur indigenam. Ambiebat illum proxima eremo ciuitas, quæ inter locum hunc & insulam (vt nôstis) intériacet. Qua ille suspicione percussus, tristem parat egressum, ac longinquum meditatur exilium: sed repentino occupatus aduentu insistentium sacerdotum, petit (quod licuit ad momentum) amica sibi ac negocio suo condensa syluarum.

Cap. 7.

Matt. 5.

Irruentibus fidelium turbis, ventilantur vniuersa, profunda eremi secreta versantur. Sub nudo axe cæli trium dierum ac trium noctium imbribus verberatur, sicut & ipse sum testis. Videntur quoquè mihi nimbi inquisisse latentem. Mœret cuncta insula periculum patris: plùs iam in eum expauescit iniuriam, quàm rapinam. Gratias inter hæc cælesti dispensationi: pro suis meritis quæritur, pro vestris non inuenitur. Ipse interìm locus dedit latebram, qui inquirẽdi intulerat causam, & qui collatos exponebat ad gratiam. Non post longũ tempus (vt meministis) sancto orbata pastore populi præsentis Ecclesia, piam supplex filijs mandat legationẽ, reposcit patria iustioribus desiderijs pignus ac depositum. Quo ille comperto, instructo remige, profugus euolat ex dulcibus locis, atque ex finibus Gallicanis. Testatur violentiores nunc post se pietatis instantia longiùs abscedendo.

Cap. 8.

Habes hic authoris fidem & antiquitatem.

Fugit, dum expetitur ad Episcopatũ

Quid te, sancte atque humilis Christi serue, tuorum complexibus præcipitem rapis sine causa? Quocunque loci latére arbitratur, quem vbiquè lumen suũ sequitur? Quid diffugis gloriam, quæ plùs additur, dum timetur? Quicquid libet, agas: incassùm te patriæ per fugam denegas, cui te nupèr fuga ipsa seruauerat. Quid honorem quasi indignus repellis? Meriti prærogatiua, est honoris repulsa. Quò fugis magister discipulos? Quò pater filios sanctæ patriæ tuæ, in te pendentes, & post te deficientes? Quanto te plùs subtraxeris oculis, tanto magis ingeris desiderijs. Qui tabernaculum illud Christianorum principibus, id est, Apostolis ipse condidit, Ecclesiam in montis huius vertice inæstimabili labore fundauit.

Cap. 9.

Sanctos viros suũ lumen semper sequitur.

Parua hæc sunt in illius cęlestibus gestis. Plus est, quod insinuat vobis: timore diuino & lumine supernæ agnitionis infuso in se, quasi supra spiritalem montem, fidem & spem plebis & Ecclesiæ huius erexit, & sancta in vobis Deo templa construxit. Et quia superiùs memorauimus, quàm magnificè insulano illo stadio perfectionis vias cucurrit, plus est, ꝙ huc insulam ipsam institutis ac studijs suis trãstulit. Et qui iamdudùm in Abbate pontificem gesserat, postmodùm Abbatem in pontifice custodiuit, neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiẽs abiectiõis, honoris

Cap. 10.

In Episcopatu vixit vt monachus.

honoris impatiens, pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia, locuples in donis Dei: sic in se excoluit gratiam vnamquanq; quasi solam: pauci sic tenuerũt singulas, quomodò ille in se impleuit vniuersas: semper in operis exercitio, semper in cõpunctionis affectu, semper occupatus, & semper vacans. Nulla illi ex omnibus propensior fuit cura, nisi aut de Deo in lectione atque sermone, aut cum Deo in oratione loqueretur, & illum velut Moyses facie ad faciem compellaret in corde, eumque quasi præsens præsentem ad implenda promissa sua, voce imi pectoris conueniret. Cum qua voce cognitionis puræ atq; pinguissimæ, & arescentis medullæ, atque continuatis ieiunijs ossa clamabant, studens, de persecutore iniquo, longo triumphare martyrio.

Cap.11. Quid inter hæc dicam? Exhaustorũ magnitudinem membrorum prodebat robur antiquum, & ità mortificationem Christi præferebat in cruce, vt reliquias quasdam videres in corpore. Ità autem mentem eius repleuerat auiditas futurorũ bonorum, & ignea diuini timoris ebrietas, vt abstinentiam & inediam summam duceret †. Tu erga te fatigas quidem votum, sed producis affectum. Vno eodemque tempore, dum à patria probaris, patriam probas. Tunc impletum est circa vos, dilectissimi fratres, illud Euangelicæ promissionis oraculum: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis. Sicut verum sacerdotem decebat, prudentia legitur, fide quæritur, pietate reuocatur. Sequuntur illum atque comitantur, & ingrediuntur cum illo fines vestros non extranei, sed proprij ac domestici suffragatores, id est, principium sapientiæ timor Domini, compunctio, purificatio, perfecta religio, & vniuersus religionis chorus, sanctitas, benignitas, castitas, sapientia, iustitia, misericordia.

† deest, voluptatem, aut aliquid simile.

Matth.7.

Psal.110.

Cap.12. Ecce qualiter ambitiosus vester à vobis, eccè quali pecunia sacerdotium comparauit. O admirabile negocium, ó cæleste commercium. Vndè emit, ipsum est, quod emit: id est, quia verus meritorum honor non alibi, quàm in ipsis meritis continetur. Vitæ perfectio, propter quam à vobis est inquisitus, ipsa est Episcopatus. Interuenit autem in medio huius negocij hæc ipsa illius sanctitas, & salus vestra. Nemo neget, nemo nescire se simulet. Indè vos ademit, vndè vos sæpiùs, vt confidimus, à peccatis redemit. Quærebatis magnum, sed verè summum reperistis. Probâstis in illo planè & impleta vestra, & exuperata iudicia. Plus vobis vita illius reddidit, quàm fama promiserat. Sicut autem legimus Euangelicam illam ac beatam mulierem, effracto alabastro nardi preciosi, vnguẽtum super carnem Domini profudisse, ità gloriosa illius anima aperuit latentes in se diuitias cælestium munerum, & de armario suaueolentium virtutum, aromata sanctificationũ & gratiarum suarum supra omnem hanc Ecclesiam, quæ est Christi corpus, effudit, & ad ipsum caput membrorum iustificatione transmisit: & verè, vt dixi, repleta est vniuersa hæc domus Christi ex odore cælestis vnguenti.

Ioan.12.

Cap.13. Quid dicam eius voluntatem, vt fierent ei lachrymæ panes die ac nocte, & pro cibo ac potu hæc secum incessabiliter ruminaret, Quandò veniam, & parebo ante faciem Dei? vt præter vitam nihil esuriret, præter iustitiam nihil sitiret: vt præsentia tanquàm inania atque transacta, absentante spiritu non videret, & in futuro reposita, tanquàm oculis subdita concupisceret, & in latitudine cordis sui spe disponente atque imaginante depingerentur: vt fastidio essent, quæ se adspectibus offerebant: desiderio autem illa, quæ se sensibus inserebãt: vt quanto ampliùs de ipso sapientiæ fonte libâsset, tanto ardentiùs æstuaret? Habet etenim hanc vim dulcedo cælestiũ pulchritudinũ, vt quanto intentiùs quæritur, tanto intentiùs desideretur. Ingerunt de cupiditate appetitum, & non faciunt de satietate fastidium: sicut de se sapientia ipsa testatur: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

Psal.41.

Contemnit præsentia, appetit semper mãsura.

Eccli.24.

Cap.14. Et ideò loquebatur, credo, securo in conclaui & in cubiculo suo beata illa anima: O fragilitas humana, exiguũ est, quicquid agis propter spem æternorũ. Quantalibet acquisieris, non desistas: quia adhuc superest, quod requiras: ac totum ei videbatur parùm, quicquid adhuc recipiebat augmentum. Vrgebat se Apostolicis adhortationibus, sicut dicit: Bonum, inquit, facientes, non deficiamus: tempore suo metemus, non deficientes. Quid est ergò, Bonum facientes? Id est, Si homo non imposuerit finem operi, nec Deus imponit remunerationi. Quãtum enim serimus in operibus, tantum metemus in fructibus. Et quia non ad mensurã dat Deus spiritum

Gal.6.

Ioan.1.

Spiritum, quantùm se auiditas inquirentis dilatauerit, tantùm se aperiet manus retribuentis ad præmium. Oportet ergò, vt anima in bonorum desiderijs semper exerceatur, quæ nullis in proficiendo terminis coërcetur: in comparandis sibi cælestibus ornamentis nullam patitur legem, cui accedere concessum est vsque ad diuinæ imaginis dignitatem. Operũ merces in cælis.

Inter hæc ille exercitio infatigabiliter accinctus, ad noua merita nouus semper assurgens, corpore in terra positus, conuersatione in cælis fuit, & inuictum contra peccati iacula timoris perpetui scutum tenuit. Vocem illam B. Iob incessabiliter secum voluebat: Ego autem sicut fluctus super me tumentes timebam Deum. Felix terra, quæ talem genuit, ac de alumno patronum, de homine Angelum ad authorem remisit. Huius ergò tanti ac tam præclari, quæso, vt nos & discipulos meminerimus, & filios. Rapiat vnusquisque quod possumus, de bonis intestati parentis. Hic de hæreditate eius assumat holosericam, gestorũ varietate preciosissimam: hic mansuetudinis ac simplicitatis occupet talentum: ille eius pectoris beneuolentiæ ac sapientiæ monile sibi vendicet: hic margaritam compunctionis & thesaurum castitatis inuadat. Licèt enim ille locupletissimus Christi amicus quicquid habuit, integrum secum tulerit, & nobis tamen, si volumus, totum reliquit. Ità ergò agamus, bona illius consectantes: vt qui in æternam gloriam suscitandus est sub fine seculorum, redditus Ecclesiæ suæ, per rediuiua in filijs merita iam surrexerit. Cap. 15. Iob 31. Sanctorum virtutes imitandæ.

EIVSDEM BEATI MAXIMI VITA, AVTHORE DINAMIO PATRICIO.

Præfatio Authoris ad Vrbicum Episcopum.



DOmino beatissimo patri, Vrbico Papæ, Dinamius Patricius salutem. Cùm Apostolicę pater fidei ardore succensus, vniuersa de virtutibus S. Maximi, quæ fidelis relatio gestorum manifestat, solicita indagatione perquiris, imperitiam meam pulsare non desinis: paternis etiam monitis prędicandi authoritate cõfirmans, quòd non parùm ipsius delicti noxa reus efficiar, nisi omnia in vita eius, quam me ante aliquot annos rurali sermone conscripsisse constitit, studeam addere quæcunque vos de illius mirabilibus protinùs manifestum est inuenisse, Vndè ego gemino pudore confundor, cui nec loquendi facultas conceditur, nec silendi securitas indulgetur. Si loquar, sensum monstrat detecta rusticitas imperitum. Nam si licuisset, vel de succincta poteram dictione placere, cui non possunt dogmatis augmenta succurrere. Inter vtranque ergò constitutus angustiam, præceptis vestris parére disposui, placiturus obediẽntia, non doctrina. Vetera vos igitur chartarum indicâsti reuoluisse volumina, in quæ quid ex eius operibus beatissimi Fausti antistitis prædecessoris vestri solertia deuota collegerat, vndè pauca sensu potiùs, quàm obtutu, vix * decernere potuistis. Nam plurima æmulæ vetustatis edacitas consumpserat, quæ latebant. Quòd nisi scriptorum meorum serie æternæ memoriæ traderentur pauca de pluribus, satis esse impium censuistis. Vndè me ex parte votis vestris satisfecisse censeo, quòd in lõgam ducta propaginem lectio multiplicata subsequitur. Quæ quotiès audientibus fecerit dudùm lecta fastidium, ad vestrum poterit pertinere delictum: si mercedis prẹmium contulerit, nihil exindè ad me similiter pertinebit, qui compulsus vestris imperijs, prolixiora conscripsi, quàm volui, & refugium breuitatis omisi. Me ergò, quem silentij peplo prudentissime pastor expolias, & tegmine taciturnitatis enudas, supplico vt cum vniuerso populo, diffuso munias intercessionis præsidio. Quotiès lectionis redigitur longitudo, nec dictio impolita displiceat, quam tenor relationis sanctæ commendat. Nam dubium non est, quòd quantùm integra deuotione cordis, ipsius sancti antistitis gesta præfers, tantùm opera mediteris, vt eius integra auiditate mentis coneris sequi vestigia, cuius actionum diligis ornamenta: dummodò diuino beneficio, & ipsius patrocinio tibi concedatur temporalis vitæ prolixa tranquillitas, & sancti operis expetita facultas, domine verè sancte, & beatissime papa. for. * discernere

VITÆ HISTORIA, IN QVA NONNIHIL

interdùm conati sumus dictionem corrigere. adiectis ad marginem capitibus.



27. Nouēb. Cap. 1. BEATISSIMI Maximi Rhegiensis vrbis antistitis hodiè dies sanctæ solennitatis colitur, qui quotannis rediuiuis temporum curriculis renouatur: cuius nos res gestas pandere pia animi deuotio admonet, & prisca consuetudo compellit. Nisi enim ea, quæ perspicua & minimè dubia aliorum relatione comperta sunt, literarum monimentis consignentur, quæ antiquitùs gesta sunt, plerunquè à nouis authoribus variè referuntur. (Quàm expediat in scripta referri sanctorum gesta.) Nam vt mysticæ actionis eius insignia nihil habeant ambiguum, nihilque ex ijs vulgaris assertio fabulosum efficiat, aut de vanitate suspectum: quæ ab illo facta sunt & comprobata, veridico sermone narranda sunt. Ex quibus ipsis tamen, nè auditori nimia prolixitas afferret fastidium, permulta reticuimus, annotauimus pauca.

Cap. 2. S. Maximi patria. Beatus Maximus in vico proprio, cui Decomeco vocabulum est, vitæ sumpsit exordium, Christianis parentibus editus, & factus ilicò Christianus. Ab ipsis verò infantiæ rudimentis sublimi semper humilitate crescens, itâ teneros ætatis annos morum maturitate castigauit, vt proprietatem nominis sui gratia sanctitatis sibi vendicaret. Postquàm autem excessit ex ephebis, luxuriæ illecebras & blandimenta animi magisterio & censura edomabat, vt * pollicitatione virginitatis, palmam incorruptæ integritatis obtineret, & in regnis cælestibus è carne sub iugum missa triumpharet. (*pollicitæ. Votū castitatis.) Fuit nimirùm bonorum omnium ornamentis præditus, estque meritò laude ac prædicatione efferendus: quippè vultu venerabilis, blãdus ad spectu, ore placidus, animo serenus, patiētia fortis, magnanimitate cõspicuus, pacis amãs, largus erga hostes, labentia fastidiens, cælestium ardens desiderio, temporalibus æterna comparans, temporaria pro æternis vilipendens atque contemnens. (Catalogus virtutū eius.) Et vt interiùs diuinæ legis præcepta cognosceret, naturali ingenij acumine tãtum in literis profecit, vt legendi auiditate pastum quæreret animę suæ, & instàr apum ęternæ suauitatis nectar hauriret. Quanuis autem omnia vitiorū carnalium fomenta protereret, & omni ex parte præclara conuersatione fulgeret, at nihilominùs vires corporis abstinentiæ assiduitate frangebat, carnis vitia antè, quàm nata essent, persequens & coërcens: itâ vt ei ad martyrium non nisi percussor defuisse videatur. (Corpus abstinentijs edomat.) Nam ipse proculdubiò martyrem se fecit & cruciatu, & merito.

Cap. 3. Petit Lirinen. monasterium. Matth. 19. Porrò etiam omnem facultatum suarum copiam deserens, Lirinense monasterium petijt, vbi sempiternas diuitias iustus inueniret: Euangelica secutus præcepta, sciens se perfectum fieri non posse, nisi venderet omnia sua, & à cunctis opibus alienum se faceret. In ea autem congregatione cùm omnes perfecta charitate diligeret, ipse itidèm ab omnibus amabatur. Tantus verò in eo feruor extitit, vt antè, quàm monasticam viuēdi regulam complexus esset vel mystica instituta, iam cõuersatione præcipuus videretur, ac deindè sancto Honorato decessori suo, summis virtutibus ornatissimo, qui illic Abbas fuerat, & honore succederet, & meritis æquaretur. (Succedit Honorato in Abbatis functione.) Qua in functione cùm gregem commissum pastorali solertia custodiret, & singulis noctibus, alijs somno occupatis, monasterium lustraret, præter morem accidit, vt monachus quidam adhuc puer, motus quadam curiositate vel solicitudine, eum sequeretur. Ecce autem beatissimi viri conspectui diabolus insidiator forma ingenti atque terribili sese offert. Sed cùm illum spiritualibus indutum armis terrere non posset, necopinantem monachum tanto affecit terrore, vt trepido gradu ad cellam ilicò reuertentem, ardentissima febris mox corripuerit.

Cap. 4. Crucis signo profligat satanã. Rursùs pertinax ille impostor, sperans se sanctum virum vel aliqua ratione perturbaturum, ignei draconis specie se illi ostendit. Sed confestìm Crucis signo territus, euanuit. Iam enim inuictus athleta hostem sæpiùs superatum minimè formidabat. Postquàm autem totius insulæ Lirinensis peragrauit ambitum, ocyùs accessit ad lectulum ægrotantis monachi, quem diximus in febrem incidisse: clamque apud illum intra arcana pectoris sui, preces Deo fundens, id effecit, vt mox restitu-

tus

tus sit incolumitati pristinæ, & præda sua frustratus sit hostis elusus. Itaque obtinuit gemina virtus inuictam victoriam, quandò & vires ægroto reddidit, & aduersarium superauit: deplorante inimico iacturam, quā fecerat: lętante monacho salute, quam recuperauit. Sic autem singulis noctibus pastor egregius ouile Dominicum circunlustrans, nè quid aduersi accideret, ad litus ęquoris, quod vocatur Moles, quandoquè accessit, moxque veterator ille præstigijs suis ausus est tanquàm nauem onustā oculis eius repræsentare, nautasque suo more feruentes in opere, nauisque instrumēta colligentes: duos verò ex illis ab beati viri latera accedentes, dicentesq; se eò aduenisse negociandi causa, quòd non sine ingenti lucro id fore rei euentus declarâsset. Se nôsse illum Maximum, non minùs sanctitate, quàm nomine: cumque in locis transmarinis tātoperè desiderari ab omnibus, vt si eum obtinere possint, nihil sint maiori in precio habituri. Nullum se igitur maius facturos compēdium, quàm si ipsum naui impositum possint abducere Hierosolymam, præter opinionem successu prospero repertum. Id verò proculdubiò magno ipsi honori & dignitati fore, si felici cursu eò aduectus sit, vbì intantùm votis omnium expectetur. Sed vir Dei insidias & malum dolum inimici cognoscens, sanctæ Crucis signo se cōmunit, cælestē implorat opem, ac deindè spiritali authoritate sic respōdet: Fallere nō potest milites Christi nequitia plani & impostoris, nec suis fraudibus illis potest illudere malignus, quibus Deus id præstat, vt aduersa præuidere queant. Hanc verò insulam vsqueadeò beatissimi Honorati communiērunt preces, expulso per eum dracone eius habitatore, vt nullus deincèps nocendi aditus in eam pateat diabolo. Sub his verbis ab oculis orātis euanuit nauis commentitia: moxque ille reuersus ad oratorium, hortatus est fratres, vt ad vigilias surgerent: vnaque cum sancta illa congregatione ipse celeberrimas laudes persoluit ei, per quem ab hoste victoriam reportârat.

Præstigiæ dæmonum.

Vir sanctus signo Crucis se munit

Euanescūt dæmonum phātasmata

Cap. 5.

Cùm autem fama insignium virtutū eius per orbem vniuersum volitaret, ad Rhegiensis vrbis Episcopatum non modò ciuium, sed etiam sacerdotum siue præsulum omnium studio non minùs raptus, quàm electus, & quanuis inuitus, ilicò cōsecratus est. Etsi autē iam & re & nomine Maximus, vix habere videretur, in quo ampliùs cresceret, nè quid tamen nomini decederet, sicut opere & factis permansit maximus, ità & in honore excelluit. Inter cætera igitur rectè factorum, quæ in illo refulgebant, ornamenta, patientia fortis, beneuolentia patiens, libertate alacris, liberalitate abundans, magnanimitate beneficus, humanitate mitis, sedulitate diligens, charitate suauis, largitate cōmunis, doctrina præstans, iustitia singularis, humilitate sublimis, opum contemptor, dignitate copiosus & affluens fuit. Templum in Rhegiensi castello in beati Albini honorem, quanta potuit animi deuotione, condidit, cuius columnas, quas hodieque illic cernere licet, iuga boum eò pertraxerunt, sed ità tamen, vt nullam sentirent tanti ponderis molestiam, eius sanctitate id efficiente, quandiù ille ad templi structuram operarius indefessus aderat. Quòd si verò abesse eum contingeret, nequissimi dæmonis occulta machinatione adeò earum pondere premebantur boues vniuersi, vt nullis stimulis adigi possent ad progrediendum. Et si plures alij adiuncti essent, manebant immoti omnes, quantunuìs atrociter cæderentur atque sauciarentur. Id vbì celer nuncius beatissimo antistiti significauit, ille incunctanter atque fidenter veniebat ad locum, nec terrore trepidus, nec mœrore perturbatus. Tum verò hostis nequissimus eius oculos fallere non potuit, nec se ab eius conspectu subducere, qui totius populi oculis conspici non poterat. Ait autem vir sanctus ad illos: Frustrà vexatis iumenta rationis expertia, dum inimici impedimenta cernere non potestis. Ego verò paruum Aethiopem video, bobus sese objicientem. Indè flexis genibus, orat supplex Deum, vt hostis insidias auertat. Eius preces malignus ille ferre non sustinens, ocyùs non sine teterrimo fœtore recedit. Mox amotis bobus, qui alijs adiuncti erant, columnæ sine difficultate vlla ad locum destinatum pertrahuntur.

Creatur Episcopus Rhegiensis.

Alius virtutum eius catalogus.

Nequitia dæmonum.

Precibus dęmonem abigit vir Dei.

Cap. 6.

Neque illud ob confirmandos Rhegiensium animos omittendum putauimus, quòd cùm beatissimus antistes ad basilicam ab ipso cōstructam sacras reliquias summo cum honore psallendo adduceret, vbì ad vrbis portam ventum est, ab improuiso versus ille ordine occurrit: Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Vndè proculdubiò colligi potest, eius precibus vrbem illam adeò esse munitam, vt sicut hactenùs, Christo propitio, nullos hostium incursus longo temporum interuallo pertulit, ità deincèps quoquè Deo fauēte minimè perpessura sit. Facilè enim eximius ille pastor,

Psal. 117.

 quem

Viuunt sancti. quem viuere testantur facta eius, post decessum suum apud Deum obtinere potuit, vt vrbs illa, in qua ipse fuisset antistes, præclaris meritis suis perpetuis temporibus munita sit virtute corporis sui in templo sacratissimo, quod condidit, coruscante multis beneficijs, quæ illic omnibus præstantur.

Cap.7. *Ecce quomodò olim sancti patres vigilias celebrârint.* Cùm aliquandò in eádem basilica vir sanctus instantia pastorali vigilias celebraret, Ansani Diaconi Rhegiensis nepos, id est, fratris eius filius, quem paruulum parentes è vita abeuntes reliquerant, & ipse nutriendum susceperat, magisque quàm si suus esset filius, diligebat, cùm in muro vrbis illius cum pueris luderet, è muro prolapsus, ceruicibus fractis, expirauit. Eius rei nuncio valdè consternatus Ansanus, accurrit celeriter, raptumque pueri cadauer operuit vestimentis, & ad beatum antistitem clàm deportauit, interim secum tractans, quemadmodùm illum publicè ad pedes eius deponeret, & vt vitam ei restitueret, supplex obsecraret. Sed quia nouerat probatissimum Christi militem omninò fugere iactantiam, mâluit eum perferre ad cubiculum eius, & in lectulo eius repositum operimentis illius tegere, prorsùs confidens, quòd excitare eum posset precibus suis medicus spiritualis, quippè qui ægris consueuisset afferre salutem. Indè verò non sine multo quidem animi mœrore, sed tamen fiducia plenus, Episcopum adijt in templo vigilantem, & stantem in loco suo. Eo viso, clementissimus præsul, vt ea, quæ gesta fuerant, explicaret, silentium psallentibus indixit: precibusque solita deuotione completis, Diaconum illum Ansanum propter ea, quæ fecerat, acriter obiurgauit. Sed ille non solùm terroribus abigi non potuit, sed magis etiam animo compunctus, ad pedes eius se strauit, exclamauitque se illos minimè laxaturum, nisi mortuum excitaret, dicens eum id posse facilimè, quandoquidem nullo indicante iam cognouisset, quæ de puero facta essent. Hac ille importunitate compulsus, & ratione constrictus, cum Ansano voluit ad lectulum suum secretò se conferre: sed populi frequentiam vitare non potuit, volentis *Mortuum puerum reuocat ad vitam.* tantæ rei miraculo interesse. Postquàm igitur venit ad exanime pueri corpusculum, diuinam cœpit toto pectore implorare opem, appræhensaque cum multa fiducia pueri manu, pristinæ eum saluti restituit. Exclamauit autem populus vniuersus: Gloria tibi Deus: nec quisquam eorum indè remoueri se passus est, nisi videret mouentem se puerum, & loquentem audiret. Ex quo populi tumultu vix opera clericorum suorum ad vigilias reduci potuit. In hoc miraculo & magna Diaconi fides, & illustris Episcopi virtus enituit.

Cap.8. Porrò etiam cuiusdam viduæ vnicam filiam adolescētem accidit è vita decedere: quam cùm mater miserabilis in feretro pro more efferendam composuisset, ad beatum antistitem trepida properauit, causamque doloris sui lachrymis potiùs, quàm verbis, ei indicauit, orans vt ad corpus exanime preces funderet. Id verò sanctus *Itém puellā quandam.* præsul, pietate motus, nec negare, nec differre potuit: sed ad cadauer accedens, sublatis in cęlum manibus, Deum pronus implorat, & vita redditur extinctę. Confestim enim illa, tanquàm graui soluta somno, expergiscitur, oculos aperit prægrauatos, appellata surgit, mater eius immenso afficitur gaudio, populus omnis obstupescit: Epi- *Subducit se vitandæ inanis gloriæ causâ.* scopus, qui virtutum meritis mortis iura resoluerat, fugiens iactantiam, ilicò se subducit: sed populus magnis vocibus laudans Deum, maximā vestimenti eius partem, reliquiarum loco eam habitura, ciuili quadam violentia diripit & discerpit: ità vt propter eius declarandas virtutes, id quod ægrè ad humeros eius relictum fuit, hodierna fidelium deuotione asseruetur.

Cap.9. Adolescentulus quidam rabidi canis morsu præfocatus perijt. Vidit id populus, abit ad Episcopum, orat vt ad extinctum hominem veniat. At ille ancipiti cogitatione suspensus, dum hinc non potest contemnere lachrymas supplicantium, indè ab ostentatione sibi metuit, tādem pietate vincitur: facit quod rogabatur, venit ad mortuum hominem, tollit manus in cælum, pariterque stillantes oculos, adspectante po- *Aliū quendam excitat.* pulo excitat defunctum. Adsunt parentes, pugnis sua verberāt pectora, ora lachrymis vsqueadeò rigant super filio, vt è terra surgere non valeret, licet iam rediuiuus. Interim manum vnam patri, alteram matri porrigens, nutantia membra illis erigentibus sustollit. Acclamat populus, Deo gratias: ille vitæ redditus, ad suum redit hospitium, cui iam sepulcrum parabatur, parētes incredibili exultant gaudio: viuere hominem, qui mortuus fuerat, vix ipsis oculis suis credunt. Eccè autem canis ille, qui & hunc adolescentem, & multos alios infestis morsibus laniârat, in Episcopi conspectum venit: commotus Episcopus, proiecto baculo, erectis sursùm manibus orat

Domi-

Dominum, mox efflat in canem, isque vita destituitur. Non sanè admirandũ videtur, beatum Episcopum, dum sibi commissum cupit tueri gregem, eius hostem ictu lethifero perdidisse: neque id gladio, aut armata manu, sed flatu oris sui. Porrò vulnera, quæ canis ille dentibus suis inflixerat multis è plebe, precibus & Crucis signo adeò curauit beatus Episcopus, vt nulla eorum vestigia apparérent. Flatu suo rabidũ canem extinguit.

Bos petulans cornu hominem miserè lacerârat, eius effusis intestinis. Mox illum adducunt quidam ad Episcopum. Is tametsì in cunctis miraculis timebat sibi, nè animi elatione pulsaretur, at tamen tam malè saucium hominem clementer excipit, calidis fomentis extra eius manibus suis pertractata confouet, reponit in locum suum per vulnus à boue inflictum, ipsum vulnus adhibita spõgia leniter obligat, seriò hortatur, nè quis præter ipsum, illud soluere ausus sit. Indè septimo die ligamina auferẽs, tam sanum reperit hominem, vt vix vllum vulneris signum relictum videretur. Cap. 10. Sanat hominem miserè saucium.

Teneros corporis sui artus vir sanctissimus pꝑpetua cilicij asperitate domabat, quo pro interiori tunica vtebatur, nec id crucis studio vnquàm deposuit, sed in illo etiam se iussit sepeliri. Lauacris vti nunquàm voluit, nè animi constantia, qua calcatis carnis oblectamentis & illecebris, martyrium sustinebat, emollesceret. Cæcus quidã annis quindecim perpetua damnatus caligine, virum sanctissimum continenter deprecabatur, vt suis precibus lumen ipsi reformaret. Sed Episcopo hoc ob vitandam ostentationem differente, Rusticum subdiaconum, qui ei seruire consueuerat, cæcus rogauit, vt noctu Episcopo ecclesias visitante, ipsum perduceret ad templi vestibulum, vndè ille esset egressurus. Fecit id subdiaconus, & vir beatus dum vult excedere è templo, in cæcum pedibus molliter impingit: cæcus eius veneranda vestigia supplex amplectitur, orat visum sibi vt restituat. Itaque Episcopus fidenter obsecrat Dominum, Crucis signum imprimit oculis eius, & diù extincta lumina mox reparantur. Osculatur hominem Episcopus, obtestatur, vt rem apud se tacitam habeat, quod tamen ille præ immensa animi exultatione præstare non potuit: quanquàm etiamsì celare ille voluisset, quod secretò factum erat, non potuit tamẽ manere occultum, quod palàm omnium oculis cernebatur. Ciliciũ eius. Crucis signo & precibus cæcũ illuminat.

Innumera sunt beatissimi antistitis miracula, nec possunt omnia commemorari, quantumuis prolixa texatur oratio. Facilimum ei erat illuminare cæcos, sanare claudos, vita functos excitare. Deniquè nihil non efficere poterat, qui intra se manentem habebat spiritum sanctum. Intereà autem, dum tot claret miraculis & immensis mysterijs, diem obitûs sui diuina reuelatione cognoscit. Tum verò publicè summa humilitate ab omnibus contendit, vt ipsi permitterẽt priùs natale solum & propinquos inuisere suos. Quod etsì illis magnum afferret animi dolorem, attamen abijt ille ad suos, obitumque suum iam imminere, illis prædixit. Itaque aduentu suo eos mirum in modum exhilaratos, hoc tristissimo nuncio non mediocriter perturbauit. Et eccè dum ille se tanquàm somnum capturus, in lectulo reponit, inter psallendum sub officio diuino, extremum halitum efflat, feliciterque commigrat in cælos quinto Calendas Decembris. Tanta autem illic tum suauissimi odoris copia extitit, acsì vniuersi flores verni temporis eum in locum comportati essent. Obitûs eius fama velox non modò vrbem, sed orbem compleuit vniuersum. Occurrerunt vndiquè fideles populorum cateruæ, certatìm cupientes vel operimentum vehiculi eius contingere, eiusmodi contactum salutaris præsidij loco habituræ. Cap. 11. Feliciter exit è vita.

Adolescẽtula quædam è vico, cui * Decimæ vocabulum est, mortua ad sepulcrum deportabatur, cadauere iam in capsa lignea composito, sed arca ipsa needùm cooperta. Vt autem audiêrunt illi, qui eam efferebant, voces psallentium, & sacrũ corpus beati Episcopi prosequentium, cum lachrymis petiêrunt, vt feretrum quod gestabãt, super puellę corpus traheretur. Illi verò ardore fidei incensi, nec dubij de effectu, sanctas eorum preces minimè reijciendas putârunt. Cumque id fieret, quod illi petiêrant, homines inter se colloquebantur, virum Apostolicum beatum Maximum, cui nunquàm diuina gratia defuisset, quanuis naturæ iam persoluisset debitum, tamen virtutibus & meritis viuere. Simul igitur omnes fidissima animi deuotione sese prostrauerunt, prolixeque orantes, ac deindè surgẽtes, cùm septiès Kyrie eleison clamâssent, puellam viderunt rediuiuam. Quamobrèm ingens eos terror inuasit, cõmixtimque stupore & gaudio complebantur. Puella, vestibus reiectis funebribus, & alijs induta, populi frequentis adiuncta turmis, publica voce salutis suæ testimonium in sancti Episcopi laudem dicebat his verbis: O beatissima sacerdotis merita. O beatum Cap. 12. Mortua puella ad eius exanime corpus reuiuiscit.

virum, vitamque beatam pontificis: qui vt se diuina remuneratione æternùm viuere declararet, post mortem, mortuam suscitauit.

Cap. 13. Sepelitur sanctũ corpus eius in ecclesia S. Petri, quam ipse extruxerat.

Importatum denique est corpus beatissimi antistitis in oppidũ Rhegiense, & cum multa celebritate humatum in ecclesia beati * Petri, quam ipse condiderat, quę postcà ipsius nomine appellata est, ob crebra eius patrocinia: vbi quicquid fidenter petitur, Christo auxiliante obtinetur. Non sit igitur fides dubia, cùm sit virtus infinita. Non diù pòst, cùm in sancti viri commemoratione multa referrentur à multis, Caritto subdiaconus, vita sanctissimus, publicè hæc testatus est: Nemo nostrûm dubitet, inquit, beatissimum Maximum, de cuius virtutibus tam multa, suggerente veritate, feruntur, cùm in mortali degeret corpore, non minùs cum Angelis, quàm cum hominibus versatum esse. Quem enim nobiscum tenebat humana cõditio, eum beatis spiritibus assiduum exhibebat dignitas meritorum. Quadam nocte, imminente celeberrima beati Andreæ solennitate, cùm deputatus ego essem, qui ad vigilias excitarem, & primo noctis tempore blandus me solicitum oppressisset somnus, dulces psallentium audiui melodias: moxque excitatus, non sine perturbatione multa è lecto me proripui, quòd putarem me opportunum excitãdi tempus neglexisse. Tum verò longè etiam dulciores, quàm humanis possint studijs effici, spiritalium cantionum melodias hausi auribus meis. Continuò igitur ad ipsius * arcis vestibulũ suspenso me gradu contuli, atque illic beatissimos Apostolos Petrum & Andream, ad complendam cum sancto Maximo orationem, alternis honoribus se præuenientes ego peccator audiui. Cumque tandem iugi oblatione compulsus beatus Maximus, eos diutiùs differre non posset, his verbis compleuit officium: Sit gloria Dei benedicta inæternùm & in secula seculorum: reliquis respondentibus, Amen. Ego verò perquirendi studio propiùs accedens, neminem illic videre potui, præter sacratissimum Maximum, prono vultu & corpore in templi pauimento prostratum. Ille autem surgens, meam indigni peccatoris curiositatem his verbis reprehendit: Arduum est humanæ fragilitati, sanctorum secreta cognoscere, & temerarium, velle rimari. Audi ergò, quæ tibi præscius ego iam dicturus sum: Ea quæ vidisti & audisti, caue nè eulges. Quocunque enim die id feceris, ex hac luce migrabis. Id verùm iam euenturum sit, ex Dei pendet arbitrio. Ego quidem excellentis eius virtutis memoriam & testimonium posteritati relinquo, vt nè quis mortalium ignoret, quemadmodùm iusti homines sanctorum possint frui commercio & consuetudine. Huic autem narrationi abundè multam conciliauit fidem, quòd eodem die subdiaconus ille, sicut ei à beato Maximo prædictũ erat, desijt esse in humanis: & quia non potuit viuendi producere terminum, nec mysterium celare voluit.

* vrbis

Visio Carittonis subdiaconi.

S. Maximus prædicit ei obitũ ipsius

Nos igitur tota deuotione summoque animi studio rogemus omnipotentem Deum, vt beatissimi præsulis huius patrocinio fretis nobis det veniam peccatorum, animumque nostrum à lethalibus vitijs purum semper conseruet is, cui præsens celebramus officium: in quo præstando tales nos exhibeamus præsentia corporum, vt mentes fulgeant lumine charitatis: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum coæterno patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

PSELLI ORATIO ENCOMIASTICA IN SANCTUM SIMEONEM METAPHRASTEM. HABETVR IN *ipso Metaphraste, & in tomis Aloysij. Nos capita margini adiecimus.*

27. Nouẽbr. Cap. 1.



CVM & vita & dicendi facultate magnum Simeonem laudare statuerim, cuius per vniuersum orbem terræ est nomen & res gestæ celebratæ, nescio quibusnam verbis vtar in eo laudando, vel quidnam dicturus ex omnibus, sufficientem præbebo laudationem. Hic enim vir, non solùm erat ornatus eloquentia, & mentem habebat promptissimam ad gignẽda præclara cogitata, & linguam tanquàm Nili fluentum, non post longum temporis curriculum, sed quotidiè riuis scatentem eloquentiæ, & mundantem opportunissimè: sed & morum temperatione, & quòd omnes virtutes erat complexus, & quòd erat exemplum ijs,

Ingeniũ & eloquentia Simeonis.

Virtutes.

ijs, qui volebant honestè & moderatè viuere, gloriam insignem sibi comparauerat.
Hunc ergò virum clarissimum, suo tempore, vt ità dicam, produxit Constantinopo- Patria.
lis, prima primum, pulcherrima ciuitatum, pulcherrimum (vt ità dicam) patronum
ciuitatis. Quæ cùm ei dedisset, vt ex ipsa nasceretur, & tali ortu eum ornâsset, ab eo
hoc vicisìm accepit, quòd eum produxerit, qui vel solus suffecerit ad ei dandum
pulcherrima præmia ciuitatum. Et fuit honor, quem ex illo habuit, priore maior & Encomium
magnificentior, quòd tunc quidem pulchritudine & magnitudine superabat alias ci- ciuitatis
uitates, velutì quidam locus paradisi, ambitu & circuitu: posteà autem propter illum, Constanti-
floribus quoquè ibì genitarum virtutum alias longo interuallo superauit: adeò vt nopolitanę.
etiamsì non sic fuisset ornata ab initio, ei suffecisset fœtus hic admirabilis, vt se posset
conferre cum præstantioribus.

Et vires quidem incomparabiles statìm & à primo, vt semèl dicam, ortu etiam flo- Cap. 2.
rente capillo, ostendebat, non secùs atquè leonum catuli ostendunt protinùs super-
cilium & densam colli iubam. Ei enim flores pullulabant intelligentiæ, & habebat Intelligētia
prudentia profundam quandam radicem, & quodam admirabili fulgore mens mi- & prudētia.
cabat. Hæc alijs quidem suffecissent ad absolutionem: in illo autem agnoscebantur
velutì quædam priùs descriptæ figuræ, quæ pręsignificabant perfectam eius naturam.
Quomodò ergò arbores, quæ germinant præter naturam, parùm egentes manu,
quæ earum curam gerat, si aliquam acceperint irrigationem, & pulchritudine &
magnitudine adhuc magìs augentur: ità etiam illi quoquè erat celerrimum inge-
nium, & quod protinùs in altum erigebatur. Quamobrèm is sua sponte præbebat
se * oratori, ad philosophiam autem profundus animæ sinus copiosa sensa dabat & for. * orato-
cogitata. rem.

Postquàm autem adspexit ad scholas philosophorum, & illinc quædam accepit Cap. 3.
principia, quæ essent adiumento ad inuentionem eorum, quæ quæruntur, repentè
assurrexit & euasit sublimis, & ex radijs inuénit solem, vel à sole, vt ità dicam, adspexit
ad radios: partìm quidem ex posterioribus priora ratiocinatione colligens: partìm
autem ex prioribus, quæ natura sunt secunda, concludens. Cùm autem sciret, quòd
* perfecta nostra naturalis duobus est ornata, nempe fœtibus mentis & linguæ fluen- for. * perfe-
tìs: & quòd ex illis, qui eum præcesserunt, sapientibus, alij quidem consummauerunt ctio
mentem per philosophiam: alij verò per dicendi facultatem linguam expurgaue-
runt: & præter vnum aut duos, reliqui ad alterutram declinauerunt: & alijs quidem,
densis epicherematibus lingua fluxit instàr fluuij: alios autem celebrârunt præclara
mentis sensa & cogitata, adeò vt hi quidem essent propemodùm elingues, illi autem
à perfectiore diserti intelligentia: ille inter vtrosque medius, fuit velutì quoddam Mediam te-
vinculum eorum, qui tunc erant disiuncti, & menti linguam adiungens. & verbis net viā, quę
mentem adhibens: & arti quidem dicendi adijciens philosophiam, ad efficaciorem tutissima
& apertiorem operationem: philosophia autem artem extollens, & ambo inter se est.
contemperans sua pulchritudine, vocalem, vt sic dicam, mentem, & linguam effecit
mente præditam. Philosophabatur itaque cum morali probabilitate, & fungebatur
munere oratoris cum philosophica profunditate: & erat vtrisque generibus ex ęquo
accommodatus, & neque philosophus odio habebat argumentum ciuile, videns id
esse coloratum tincturis philosophiæ: neque orator ægrè ferebat scientiam, artificio
dicendi sibi placens.

Hinc velutì quædam lampas * omissa, & in altum sublata è Byzantio, visa est velutì Cap. 4.
quædam fax in aere omnibus ciuitatibus: & erat reuerà locus, velutì mundus qui- for. * emissa
dam cælestis, resplendens omni genere doctrinæ: & per vnum, qui facem ferebat,
partìm quidem illustrans vniuersum orbem terræ: partìm autem præter lucem pro-
priam alienis quoquè coruscans fulgoribus: & quod est admirabilius, & propter
quod illum quispiam magìs fuerit admiratus, cùm esset genere clarus, & ex illustri Simeon Me
familia natus, & abundaret diuitijs, & ijs, quæ segniorem effecerint quempiam ad taphrastes
disciplinas, (multi enim sibi proponunt doctrinam & eloquentiam, tanquàm ex illustri fa
opum parandarum materiam, non vt assequantur ea, quæ sunt meliora, sed ei stu- milia natus.
dentes, vt se in rebus vanis voluptate expleant) ille externis fortunæ adminiculis
vsus est ad philosophiam. Hinc factum est, vt nec eos æmularetur philosophos, Taxantur
qui erant nimìs ociosi: nec oratores, qui nimìs redundabant. Nam illi quidem ve- philosophi
lutì immenso lumine circunfusi radijs philosophiæ, statìm clauserunt oculos, & vir- ociosi.
tutem nequaquàm deduxerunt ad actionem, neque magnificè vsi sunt dogmatibus,

neque duces fuerunt ciuitatum, neque quæ didicerunt, proposuerunt in medio populo: sed promissas quidem barbas alebant, tanquàm messes inutiles, & vultu tristes erant & seueri.

Cap. 5.

Deindè alij quidem, cùm non opùs esset, per forum currentes, intemperanti vsi sunt dicendi vbertate: alij autem dolia quædam habitârunt, se eis circunscribentes. Alij autem in dialecticis interrogationibus vitam suam consumpserunt. Alij autem quæsiêrunt de naturalibus positionibus, quasdam inutiles contradictiones & lites in vitam afferentes. Et hocipsum euénit plurimis ex oratoribus, qui prudentem artem fecerunt occasionem insipientiæ: & cùm oporteret eos eligere & meditari, quæ ciuitatibus sunt conducibilia, illi, partìm quidem ipsi fingentes, partìm autem vtentes tanquàm rebus repositis, nouam quandam scenam tragicam in vitam introduxerunt. Sed ille non sic: longè quidem ab eo abfuit: sed neque vestem mutans, neque aliquid remittens de magnificentia, nec huiusmodi nouitatibus genus suum dedecore afficiens, neque ciuiles causas fingens & refingens, neque inaniter fungens munere rhetoris, generis quidem decore vtebatur omninò ad benefaciendum: virtutem autem, quam sibi parauerat ex disciplinis, habuit protinùs occasionem splendoris & magnificentiæ. Nam cùm Imperatoribus euasisset amabilis, eius fidei cômittuntur, quæ sunt omnium maximè honorabilia, vt qui prope tribunal quidem staret, propter sapientiam: reipublicę autem administrationem, propter ingenij solertiam, & rerum curam acceperit.

Magnæ ei sun[illegible] de[illegible]tur ab Imperat.

Cap. 6.

Et primùm quidem præfuit rebus magìs arcanis, & secretorum consiliorum fuit particeps cum Imperatoribus. Postquàm autem eius fides fuit in his rebus spectata & prædicata, simul cum adytis mundanas quoquè curas suscepit, adeò vt Imperatori renunciaret ea, quæ afferebant exteri, & rursùs exteris ea, quæ iubebat Imperator: & erat veluti quoddam accuratumq; vinculum administrationis. Atque orbis quidem solaris, pars quidem est alibì, pars verò est apud nos. Ille verò ipse, totus erat apud Imperatorem, & in ipsis negocijs. Quomodò enim superiùs significauit oratio, versatile & ad omnia accommodatum habuit ingenium, adeò vt & priùs consultaret, & exequeretur ea, quæ consultata fuerant, & barbaros procùl propulsaret à finibus Romanorum: alios autem superaret aut copijs aut artibus, & gentes in suam redigeret potestatem, temporibusque & rebus dexterrimè vti posset, quòd mutaretur, quandò oportebat: quòd innouaret, quandò expediebat: quòd eandem seruaret speciem, quandò bonum videbatur. Sed neque erat vir expers gratiarũ & lepôrum. Sed ad omnem lepôrem ac gratiam, conuenienti doctrina temperatam, erat ei lingua instructa & animus. Cùm autem esset ei magnificus & amictus & habitus, simul cum incessu mores quoquè mutabat ad id, quod videbatur: vt qui esset gratiosus & affabilis, & eoipso omnes subridens ad se attraheret. Prætereà autem manu quoquè minimè erat parcus, vtpotè quòd duæ res eam extenderent, nempe diuitię & voluntas. Habebat autem ità quoquè, vt oportebat, nonnullas partes ex ijs, quæ consueuerunt nostram fidem constituere. Hæ autem erant: (sed cur non perfectiùs vtor oratione, neque eum ad capitale reduco principium, quod est maximum caput rerum illius?) Vado ergò ad primum argumentum, si ante ea, quæ sunt dicenda, nonnulla præmisero.

Versatile ei' ingeniũ.

Habitus & amict' eius

Cap. 7.

Martyrum preclara certamina.

Gloriosa quidem sunt certamina, quæ suscepta fuerunt à martyribus aduersùs inimicos, partìm apertè, partìm obscurè. Quidnì enim, cùm fuerit eorum præclara fiducia, & mens inexpugnabilis: & interruptos fuisse eorum habitus, & neglexisse naturam, & telorum sectiones & eiectiones, & postremò vitæ contemptus? His autem nihilominùs refulsit vita quoquè monasticæ exercitationis. Nam hic quoquè est carnis consumptio, & deliciæ, non se dedere delicijs in ijs, in quibus non oportet, & à mũdo separari, & ad Deum cum ipsis euolare corporibus, & innatis resistere affectionibus, & ijs, quæ a malis spiritibus affluunt extrinsecùs. Est ergò amborum præclara vita, & olim quidem fuerit, & erit rursùs: sed non clarè interim fuerat cognita eorum hîc remuneratio: sed arcani quidem libri, quos multis in eorum restitutione legent angeli, accuratè monimenta continent eorum martyrij & exercitationis. Qui autem ante hunc beatum virum, res gestas illorum scripserant, non sunt assecuti illorum magnificentiam: sed partìm quidem de eis sunt mentiti: partìm autem cùm non possent rebus eorum respondentem afferre orationem, bonum illis conscripserunt, quod nec erat vlla elegantia ornatum, nec laude prosequendum: vt qui pulchram subiecerint

Encomium vitæ monasticæ.

iecerint sententiam, nec eam verbis ornârint decentibus, neque accuratè descripserint sæuitiam ac atrocitatem eorum, qui puniêrunt, neque martyrum in dandis responsis prudentiam. Quinetiam monachorum adulterârunt exercitationem, simpliciter ac quasi temerè & vt accidit referentes, quæ studiosè ab illis facta sunt.

Hinc factum est, vt nonnulli ne vel legere quidē sustinerent ea, quæ sunt literarum mandata monimentis: alijs autē ea, quę dicebantur, pręberent ridendi materiam, & compositionis inelegantia, & sententiæ absurda & nulla consequentia, & dictio vilis & abiecta, erant ijs, qui audiebant, insuauia, & odio habebantur potiùs, quàm admittebantur, & propter eos, qui conscripserant, nobis ludibrio habebantur admirabilia Christi seruorum certamina & trophæa. Et omnes quidē apertè scripta insectabantur maledictis: eorum autem loco afferre meliora, alijs quidē propter animi socordiam, alijs autem, vt quod esset opus perfectissimum & maximi studij, & cui ne tota quidem viri vita suffecerit, neq; vires aderant volentibus: nec ijs qui poterant, voluntas. Sed non etiam admirabilis Simeon eodem modo, quo ij, fuit affectus. Sed cum eis procedens ad scriptorum vsque repræhensionem, deindè processit vlteriùs, & iuuenile aggreditur facinus, vel felicem potiùs actionem, quam nullus omnium gessit feliciter: per quam ille euasit clarior omnibus, qui sunt vbiquè, eruditis: & Deo consecrauit ea, quæ sunt omnium pulcherrima, martyrumque certamina & cursus, & monachorū abstinentiam atque patientiam ornauit ac decorauit: & eandem, quam illi, adhibens beneuolentiam, gratias vicissìm accepit ab omnibus. Cap. 8. Vitæ sanctorū à quibusdam negligenter scriptæ quid effecerint.

Quid enim cum hoc opere contulerit quispiam? Quamnam antiquam gentilium narrationem, aut vniuersæ terræ dimensionem? An quæ à Persis gesta sunt, & ante illos à Babylonijs, & quæ posteà ab Alexandro Macedone fortiùs peracta fuêre certamina? Nam hæc quoquè laudem & honorem afferunt ijs, qui ea scriptis ornatè & eleganter mandârunt. Sed multi quidem in eorum lectionem studium suum conferunt, propter compositionem eorum, qui scripserunt. Quæ autem hic vir egregius cum eo, quo decet, ornatu orationis scriptis contexuit de ijs, qui martyrium susceperunt, & ijs, qui se in virtute exercuerunt, duplicem habent æmulationem, nempe & imitandę eius compositionis, & morum ad ea, quę sunt optima, transformandorum. Dixerim autē tertium quoquè, quod non est his inferius, sed accuratius etiam & excelsius: videlicet quòd eorum, quæ constituunt ac confirmant Euangelium, sanctorum scriptis mandata memoria, est caput aliorum præcipuum. Atque quòd ille quidem elegerit hoc scribendi argumentum, est id certissimum testimonium illius prudentiæ. Quòd autem talibus vsus sit sententijs, & dictione, quæ est dilucida, & probabilitatem ac veritatem habet velutì innatam, est quidem argumentum illius quoquè sapientiæ: maximum autem huius signum statuerit quispiam, quòd se pulchrè accommodauerit temporibus & auditoribus. Cap. 9. Vtilitas eorū, quæ de sanctis scripsit Metaphrastes.

Et vt de hac parte dicam, & aliqua vtar digressione: Non ignoro huius viri opera non esse magno studio, nec ijs, qui linguæ ornamento vtuntur nimìs rhetoricè: nec ijs, qui suum studium posuerunt in disciplinis: sed nec ijs, qui studuerunt naturę contemplationi: quòd nec in ijs dicendi generū mixtio eluceat, nec figuræ dicendi sint apertæ, neq; vlla naturæ dubitatio & solutio, neq; lineares demonstrationes cum importunis nominibus, neq; philosophicæ sententiæ, quæ subiectū verbis in altum euehant. Volunt enim, qui sunt sapientiæ supra modū dediti, omnia scribi ad ostentationem, non ad morū correctionem. Ego autē dico, huius viri scripta nullo horum esse priuata. Sed quoniā non ad ostentationē comparabatur eius scriptio, ea non ponuntur frequentia, neque statim à principio, neque vbiquè, neq; apud omnes: sed quandò res dat ei occasionem, vsus ijs quę postulat oratio, redit rursùs ad scopū propositum. Eius enim oratio neque ad sophisticam intuetur iactationem & forensem apparatum, neque ad artificiosam naturaliū rerum excogitationem, neque ad linearum contemplationem, aut curiosiorem numerorum intelligentiam. Sed neque est ei studio cæli motus, aut quemadmodùm inerrans mundus procedat circa stellas errantes. Sed neque sunt ei curæ consonantes aut semiuocales, neque qui per eas fit concentus. Propterea hæc quidem amandat tanquàm superuacanea, nonnunquàm tamen eis vtens & in tempore: veritati autem adhæret & à falso alienæ narrationi. Dictionis autem sciebat quidem multos modos: vsus est autem eo, qui sufficiebat ad auditionem simul & bonorum & vulgi: & vtriusque partibus simul satisfacit. Nam dictionis quidem numero & pulchritudine eruditum attraxit auditorem, Cap. 10. Metaphrastæ sermo & oratio quid spectet. Dictio eius cuiusmodi sit.

& satis delinijt gratiarum illecebris. eò autem, quòd esset clara & succulenta oratio, effecit vt aures imperitorum ab eius voce penderent: ambos rursùs induxit breuitate & probabilitate.

Cap. 11. Ego enim, vt nihil dicam celans quod sit vero minus, scio quidē esse multa dicendi genera pulchriora: perfectiorum, inquam, oratorum, & quorū exemplar non est vulgo propositum ad imitandum, propter sonum & numerū orationis: præstantiorem autem dicendi formam ijs scriptis, quæ componere statuerat, nescio an quisquam ex omnibus vnquàm adaptauerit. Sed & si quis ex illis, qui & dictione excellunt & sententia, eiusmodi argumenta suscepisset, accuratiorem quidem & elaboratiorem effecisset orationem: sed non itidem dico omnibus auditoribus congruentem & conuenientem. Nam & prooemia eius orationum statim attingunt subiectum, & parùm procedens ostendit sui scripti scopum: & in nonnullis orationibus cùm totam argumentum recepisset in summam, id statim in partes diuidit: se autē accommodat personis & temporibus. Et est quidem omnibus idem color orationis, & vna qualitas dictionis: morum autem varia est mutatio, &, vt dixerit quispiam, artificiosa: non per artem res mutans, sed quod vnicuique rei & personæ incidenti conueniebat, interpretans. Tanquàm autem ad archetypa exemplaria ad res antiquiores intuens, nec ab illis recedit, nè videatur aliquid aliud facere: & ad exemplar quoquè totam transmutat dicendi formam, non diuersam faciens materiam, sed quod in dicendi genere peccatum erat, corrigens: neque sententias innouans, sed conuertens figuram dictionis: & ei incidens oratio in diuersitatem narrationum, & varietatem argumentorum, non confunditur neque perturbatur, sed tanquàm optimus gubernator, cùm ei nauis agitaretur fluctibus, stabat quietus, clauum tenens artificiosissimè.

Accommodat se in suis scriptis personis & temporibus.

Cap. 12. Porro autem in nonnullis quoquè orationibus describit patriam eorum, qui laudantur, ab vniuersa terra separans & deducens ad vnam partem. Deindè loquitur etiam nonnihil de fluminibus, & de eorum principijs differit naturaliter, & de opportunitate ciuitatum, & de temperatione aëris, & de temporum conuenientia, etiamsi ij, qui sunt reuerà auribus paulò surdioribus, ea quæ dicuntur, non exaudiunt. Multifariàm quoquè tractat partes orationis, alias quidē maiori contentione: alias verò leniùs & sedatiùs. In gratia autem narrationum quis ex omnibus cum eo contenderit? Quis in compositione? Quis in numerorū suauitate? Quis in concinnitate in omnibus congruente? Atq; volo quidem contendere, quòd non sit ampla & grandis eius oratio: nuncio autem, eius orationibus ne hanc quidem deesse gratiam, sed alicubi quidem eas esse amplas & redundantes, in pluribus autem graues & temperatas. Cùm has autem duas vias sibi proposuisset, martyricam constantiam, & monasticam in exercitatione tolerantiam: currit quidem in vtroque stadio, non cum pedum pernicitate, sed cum celeritate orationis. Maximè autem monasticum percurrens curriculum, euadit seipso robustior & fortior. Aures quidem certè mihi pinguefacit, quandò eius oratio ascendit quidem montes, subit autē speluncas: sub pinu autem aut quercu aliqua collocat exercitatorem: & vile alimentum, & illaboratū ei offert ex herbis, & potum ex fontibus. eiusmodi enim narrationes ornat quibusdam florentibus pulchrè dictionibus, & varijs rosis figurarum, & ea quę tunc fiebant, quasi subijcit oculis. Virum ergò laudo quidem propter eiusmodi facundiam & gratiam: non minùs autem, quòd pulchrè tractârit argumenta. Nam etsi à me multa quoquè de multis scribuntur, non habent eorum opera talem zelum & imitationem: sed viris quidem fortasse doctis videbuntur digna, in quæ studium conferatur, & ea æmulabuntur propter dictionem & varias figuras: multi autem contemnent, quòd non sint eis curæ quæstiones & sententiæ nimis arcanæ.

Præcipua dexteritas & gratia in narrationib᷑ eius, &c.

Quæ sibi potissimu proposuerit in historijs sacris.

Cap. 13. Porrò autē dicunt eum leuiter & quasi aliud agentem, hanc rem esse aggressum: neq; ipsum id sibi proposuisse, vt faceret quantùm vellet: sed Imperatoris adhortationes eū ad hoc adduxerunt. & ij, quibus curæ erat doctrina & intelligentia: & promptus ei fuit apparatus, & non paruus orbis eorum, qui primò dictionē notis excipiebant: & eorū, qui posteà transcribebant: & alius post alium, ille quidem prima faciebat, hic verò secundò exscribebat: & post hos alij, qui, quæ scripta fuerant, pulchrè intelligebant, vt quod scriptores latuerat, ad propositam corrigerent sententiam. Nam propter scriptorum multitudinem non licebat ei sæpè eadem reuoluere & intueri. Sed etsi fuerit multus labor, & maior, quàm par esset solicitudo, immò verò digna, quæ in hoc adhiberetur: sementem tamen longè vicit spica & seges, qualis nondùm

Multorum opera vtitur.

nondùm fuit vſque in hodiernum diem. Quocircà etiamsì nihil aliud à viro illo fuiſſet elaboratum,& non alia omnia,quæ vel ſingula ſufficiunt ad laudem conciliandam: opus tamen tale ſuſcepiſſe,& id tam præclarè effectum reddidiſſe,viro pro quouis ad laudem ſuffecerit.

Atq; ego quidem nolo conferre eius opera cum ſcriptis externorum ſapientum. Quid enim,ſi ex his alij quidem compoſuerunt Parathenaica,alij autem prælium Peloponeſiorum & Athenienſium magnifica dictione compoſuerunt: & alij quidem contra oratores decertârunt,alij verò pro oratoribus: in quibus eſt quidem inſignis & manifeſtus redundans verborum ornatus: eſt autem breuis & imbecilla vtilitas. Cum his ergò nollem ego meũ conferre athletam. Sed ſi quis mihi hoc dederit,ego eum exæquauerim ijs,qui laborârunt in conſcribendo Euangelio,& profundum verbi ſunt interpretati. Quorum enim ſunt fines æquales,eorum ſunt etiam principia ſimilia: & ſi ſalus animarum apud vtrunque eſt finis argumentorum,quidnî etiam fuerint cauſæ inter ſe pares,& ſteterint ſcriptores in eâdem trutina, aut, vt dicam quod noſtrum eſt,fuerint etiam ex æquo hæredes? Quàm multis autem fortis viri coronis non fuerit coronandus hic vir admirabilis, immò verò quibus non eſt iam coronatus,cùm ad Deum aſſcenderit,& apud illos ducat choros, quorum mores & vitam hîc circunſcripſit? Nam vel in fine oſtendit,qualem vitam egerat. Non enim eum veluti abſciſſum aut diuiſum fuiſſe dicunt ij,qui viderũt: ſed videbatur veluti à quodam vinculo liberari,& hilari nutu ſe extendere ad ducentes Angelos, & quodammodò ſeipſum tradere illorum manibus,vt citò emigraret è corpore.

Cap.14.

Sanctorum animæ in cælis ſunt.

Et ſic quidem eſt mortuus: fuerunt autem ſtatim omnia, & non tunc ſolùm, ſuaui odore plena: nec in diem tertium,ſed etiam in multos dies poſteà, donèc fuit ſolus conditus in ſepulcro: & loculus perpetuò talem emiſiſſet odorem, niſi ſe aliqui tam iniquè geſſiſſent,vt aliud corpuſculum proptèr eum deponerent. Simul atquè enim hoc magno illi viro accidit,deſijt fons ille ſuauis odoris. Atque hic quidem contractus,ô virorum omnium optime & eruditiſſime, ſatis ſuperque oſtendit puritatem tuam & ſanctitatem. Nam alia quoquè tibi ſufficiunt ad accuratiſſimam virtutis conſummationem. Tu autem ſis mihi propitius, ſi non perfectè expoſui omnem tuam virtutem,neque ex omnibus tuis bonis tibi parem attuli laudationem, nec mihi iraſcaris propter ea,quæ ſunt à me prætermiſſa: ſed eorum quæ ſcripſi,memineris,ſi eorum,qui hîc ſunt,eſt vlla memoria veſtris puriſſimis & diuiniſſimis animis: In Chriſto Ieſu Domino noſtro: cum quo patri cum ſancto ſpiritu gloria, honor & potentia, nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum,Amen.

Cap.15. Odor ſuauis in multos dies ad exanime corpus Metaphraſtæ.

PASSIO S. IACOBI INTERCISI, VT HABETVR IN PERANTIQVIS MS. CODICIBVS, QVIBVS *conſentiunt Martyrologia & compendium certaminis eius quod habetur in Nicephoro Eccle. Hiſt. Lib.14. Cap.20.*



IACOBVS martyr, cognominatus Interciſus, nobilis genere ſed fide nobilior, ex regione Perſarum & ciuitate Elape oriundus fuit. Hic ex Chriſtianiſſimis parentibus ortus eſt, & vxorem Chriſtianiſſimam habuit: Eratque notiſſimus Regi Perſarum, & inter optimates primus. Accidit autem vt à principe nimio amore ſeduceretur, & ad colenda idola flecteretur. Hoc autem mater & vxor audientes, protinùs ſic ei ſcripſerunt: Obediendo mortali,deſeruiſti eum qui vita eſt: placendo futuræ citò putredini, deſeruiſti ſempiternum odorem. Veritatem in mendacium commutâſti,& mortali obtemperans, viuorum ac mortuorum iudicem reliquiſti. Noueris igitur nos amodò à te futuras extraneas, nec tecum decæterò aliquatenùs moraturas. Cùm autem has literas Iacobus legiſſet,amarè flens ait: Si mater mea quæ me genuit,& vxor mea extraneæ factæ ſunt: quanto magìs à me extraneus factus eſt Deus meus? Cùm ergò pro errore ſuo ſe plurimũ afflixiſſet,nuncius venit ad principem, qui diceret Iacobum Chriſtianum eſſe. Quem princeps aduocans,ait: Dic mihi, Nazareus es? Cui Iacobus: Etiam,Nazareus ſum. Et ille: Ergò magus es. Cui Iacobus: Abſit à me magum eſſe. Cùm ergò

Nouēbr.27.

Iſdigerdem hunc appellat Nicephorus.

Accuſatur apud Regē q̃ ſit Chriſtianus.

ei

ei multa supplicia minaretur, dixit Iacobus: Non me perturbant minæ tuæ, quia tanquàm ventus flans supra petram, furor tuus aures meas citò pertransit. Cui princeps: Noli imprudenter agere, nè graui morte pereas. Cui Iacobus: Hæc mors, non mors, sed somnus potiùs est dicẽdus, cùm post modicũ resurrectio tribuatur. Cui princeps: Non te seducant Nazaręi dicentes, mortẽ esse somnũ, quia magni imperatores timẽt eam. Cui Iacobus: Nos nõ timemus mortẽ, quia de morte ad vitã transire speramus.

Mors tẽporalis, Christianis somnus est.

Tunc princeps amicorũ consilio, hanc super Iacobum tulit sententiam, vt ad aliorum terrorem membratìm Iacobus puniatur. Cùm autem quidam ex compassione super eum flerent, ille ait: Nolite super me flere, sed super vosipsos flete: quia ego ad vitam pergo, & vobis supplicia æterna debentur. Tunc carnifices pollicẽ manûs eius dexteræ absciderunt: & exclamans Iacobus ait: Liberator Nazarene suscipe ramum arboris misericordiæ tuæ: Nam à cultore vineę sarmentum absciditur vitis, vt potiùs germinet & vberiùs crescat. Cui carnifex: Si assentire vis, adhuc tibi parco & medicamenta adhibeo. Cui Iacobus: Nónne perspexisti stipitem vitis, quia cùm amputantur sarmenta, ille nodus qui remanet, suo tempore, cùm terra incalescere incipit, per singula abscisionis loca producit germina? Si igitur vitis putatur vicissitudine temporis vt germinet, quanto magis fidelis homo qui in vera vite Christo compactus est? Tunc accedens carnifex secundum abscidit digitum. Beatus autem Iacobus dixit: Suscipe duos ramos quos plantauit dextera tua, Domine. Abscidit & tertiũ: & dixit Iacobus: De triplici tentatione liberatus, benedicam patri & filio & spiritui sancto: & cum tribus ereptis pueris de camino, confitebor tibi Domine, & in choro martyrũ psallam nomini tuo Christe. Abscisus est & quartus: & Iacobus dixit: Protector filiorum Israël, qui in quarta benedictione pronunciatus es, suscipe à seruo tuo quartam confessionem quarti digiti, tanquàm in Iuda benedicti. Absciso quinto, dixit: Completum est gaudium meum.

Mẽbratim interciditur corpus eius. Iohan.15.

Christus viti comparatur.

Dan.3.

Gen.49.

Tunc carnifices ei dixerunt: Parce iamnunc animæ tuæ, nè pereas: nec cõtristeris si vnam manũ amiseris, quoniam multi sunt vnam tãtùm habentes, & multis diuitijs & honoribus abundantes. Beatus Iacobus dixit: Quandò pastores incipiunt pecora tondere, nunquid tantùm dextrum vellus auferunt & sinistrũ dimittunt? Si ergò pecus, quod animal brutum est, totũ vult vellus auertere, quanto magis ego homo rationalis non dedignabor pro Deo occidi? Accedentes ergò impij ad sinistrã manum, digitum minimũ inciderunt: & Iacobus dixit: Tu Domine cùm esses magnus, paruus & minimus pro nobis fieri voluisti. Et idcircò tibi reddo corpus & animã quam creâsti & proprio sanguine redemisti. Abscinditur & septimus digitus, & ait: Septiès in die laudẽ dixi tibi Domine. Abscinditur octauus, & ait: Octauo die circuncisus est Iesus Christus, & octauo die circunciditur Hebræus vt transeat ad legales cæremonias, & mens serui tui Domine transeat ab his incircuncisis & coinquinatũ habentibus præputium, vt veniã & conspiciam faciem tuam Domine. Inciditur nonus digitus, & ait: Hora nona tradidit Christus in cruce spiritum. Vndè & ego Domine in dolore noni digiti tibi confiteor & gratias ago. Inciditur decimus, & ait: Decimus numerus est in præceptis: & Iota, prima litera nominis Iesu Christi. Tunc quidam de adstantibus dixerunt: O dilectissime quondã noster, profitere tantùm coram consule, vt valeas viuere: Licèt enim abscisæ sint manus tuæ, sunt tamen peritissimi medici qui tuis doloribus valeant subuenire. Quibus Iacobus dixit: Absit à me nefanda simulatio. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

S. Iacobi in tormentis constantia.

Psal.118.
Luc.2.
Gen.17.21.

Matt.27.
Mar.15.

Exod.20.

Luc.9.

Tunc indignati carnifices, accesserunt & pollicẽ dextri pedis absciderunt, & Iacobus dixit: Pes Christi perforatus est, & sanguis exiuit. Absciditur secundus digitus pedis dextri, & ait: Magnus mihi dies est hic prę omnibus diebus. Hodiè enim ad Deum fortem conuersus ibo. Absciderunt & tertiũ, & ante ipsum proiecerunt. Et subridens Iacobus, dixit: Vade tertie digite ad socios tuos, & quẽadmodùm granũ tritici multum fructum affert, ità & tu in nouissimo cum socijs tuis requiesces. Absciditur quartus, & ait: Quarè tristis es anima mea, & quarè conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc cõfitebor illi. Absciditur & quintus, & ait: Nunc incipiã dicere ad Dominum, quoniam dignũ me fecit socium seruis suis. Tunc accedentes ad pedem sinistrum, digitum paruum absciderũt, & dixit Iacobus: Digite parue confortare: quia paruus & magnus vnã habent resurrectionem. Capillus capitis non peribit, quanto minùs à socijs tuis separaberis? Absciditur secundus, & Iacobus ait: Destruite veterem domum, quia splendidior paratur. Absciditur tertius, & ait: Tunsionibus firmatur incus. Absciditur

Psal 41.

Paruis & magnus vna est resurrectio
Luc.21.& 21

cíditur & quartus, & ait: Conforta me Deus veritatis, quoniam in te confidit anima mea. Abſciditur & quintus, & ait: Eccè tibi Domine viceſiès immolor. Pſal. 56.

Tunc accedentes, pedem dextrum abſciderunt: & dixit Iacobus: Nunc offeram munus cęleſti Regi, pro cuius amore hæc patior. Abſciderunt & pedem ſiniſtrum: & B. Iacobus dixit: Tu es qui facis mirabilia, exaudi Domine & ſalua me. Abſciderunt dextram manũ, & ait: Miſericordię tuę adiuuent me. Ad ſiniſtram ait: Tu es Deus qui facis mirabilia. Abſciderunt dextrũ brachium, & ait: Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominũ in vita mea, pſallam Deo meo quandiù fuero. Abſciderunt & ſiniſtrum, & ait: Circundederũt me dolores mortis, & in nomine Domini vindicabor in eis. Tunc accedentes, abſciderunt ſuram dextri pedis, ſcindentes vſq; ad femur. Tunc B. Iacobus ineffabili dolore grauatus exclamans, ait: Domine Ieſu Chriſte adiuua me, quia circundederunt me gemitus mortis. Et ait ad carnifices: Carnem nouam induet me Dominus, quam veſtra vulnera maculare nequibunt. Iam carnifices defecerãt eo quòd à prima hora diei vſq; ad nonã in eius inciſione ſudâſſent. Tunc iterùm accedentes, ſiniſtri cruris ſuram abſciderunt vſq; ad femur. Tunc exclamans B. Iacobus dixit: Dominator Domine exaudi me ſemiuiuum, viuorũ & mortuorum Deus. Digitos Domine non habeo, vt ipſos ad te porrigã: nec manus, vt eas ad te extendam. Pedes mei truncati, & genua mea demolita ſunt, vt tibi genua flectere non valeam, & factus ſum velut caſura domus ablatis quibus ſuſtentatur columnis. Exaudi me Domine Ieſu Chriſte, & educ de carcere animã meam. Hoc cùm dixiſſet, vnus de carnificibus acceſſit, & caput eius amputauit. Chriſtiani igitur occultè acceſſerũt, & corpus eius rapientes honorificè ſepeliêrunt. Paſſus eſt autem quinto Calend. Decembris.

Eccè martyris patientiam in amputatione ſingulorũ membrorum. Pſal. 71. 76. Pſal. 145. Pſal. 17. & 144. Oratio eius ſub mortẽ. Caput ei ad vltimũ amputatur.

DE EODEM S. IACOBO INTERCISO, EX *Nicephori Calliſti Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Lib. 14. Cap. 20.*

INfinita verò alia ab audacibus & impijs illis quoquè tentata ſunt. Quale videlicet & illud eſt in Iacobo Perſa patratum. Is enim cùm Chriſtianus anteà fuiſſet, propter intercedentem ſibi cum Iſdigerde Perſarum Rege amicitiam, paternam religionem reiecerat. Poſtquàm autem per matrem & coniugem rurſùs ad fidem Chriſti admonitus reuertit, & eam rem princeps ægrè tulit, acerbam quandam, & propter nouitatem admirandam, poſt ſupplicia multa ſubijt mortem. Nam vbi articulis & iuncturis quibuſque, in commoda & apta totius corporis membrorum conformatione, ex manibus, brachijs, pedibus & ſuris ei reſectis, reliquum nihil quàm vnà cum ventre caput ſolum habuit, quoniam ne tum quidem fidem in Chriſtum abiecit, & idipſum poſtremò ferro amputatum eſt. Minimè verò mirandum, ſi rerum vniuerſarum Dominus feritatem illorum ſuſtinuit. Nam & qui Conſtantini imperium præceſſerunt principes, rabiem ſuam aduersùs veræ pietatis amatores euomuerunt. Inprimìs verò Diocletianus omnium grauiſſimus, ipſo auguſtæ & venerandæ Paſſionis die, eccleſias ſub imperio Rom. vbiquè omnes euertit. Et nouem elapſis annis, illæ quidem ad priorem florentes rediêre ſtatum, ac potiùs & pulchritudinem, & amplitudinem multò præſtantiorem recepêre. Diocletianus autem poſtremò diſperijt, & cum impietate extinctus eſt.

Iacobus Perſa ex Chriſtiano ethnicus. Idẽ denuò Chriſtianus Luculẽtiſſimum eius martyrium. Deus p. longanimitatẽ ſuam Eccleſiæ tyrannicos perſecutores ſuſtinet. Diocletiani interitus.

VITA S. BILHILDIS VIDVÆ ET SANCTIMONIALIS, VT HABETVR IN BREVIARIO *Moguntino recèns emendato.*



TEMPORE, quo Clodoueus Francorũ potiretur imperio, fuit in Orientalis Franciæ oppido Hocheimio vir clariſſimus, Iberimus nomine, qui ex * Mechtrida coniuge ſua Bilhildem filiam ſuſcepit. Qua ætate cùm in Gallia & Germania Gentiliũ etiamdùm ſuperſtitio apud pleroſq; vigeret, parentes beatæ Bilhildis occultè Chriſtianorum ſacris fauebant. Quo factum eſt, vt in ipſis infantiæ annis filia Vuirceburgum delata, ibidèm catechumena quidem facta ſit, ſed baptiſmum tamen non conſecuta. Accedente autem ætate, licèt ignoraret puella ſe regenerationis lauacro carere: purum nihilominùs in ſuo pectore Chriſto

Nouẽbr. 27. *Alij Matildem habẽt. Parentes S. Bilhildis.

sto domicilium parare studebat: corpus ab omni spurcitia continens, & parsimonia cæterisque virtutum quibusuis ornamentis exercens ac componens.

Quod quidem vt rectiùs perficeret, in virginitatis proposito perseuerare omnibus modis conabatur: sed victa parentum voluntate, nupsit cuidam viro nobili & militari. Etsi autem matrimonij legibus esset subiecta, Christi tamen, quem toto corde dilexerat, obsequijs sedulò incumbebat. Non multo indè elapso tempore, cùm iam vnius prolis mater esset, marito in bello defuncto, prole etiam paulò pòst viuis exempta, ex consilio Sigeberti Episcopi Moguntini sui auunculi, Moguntiam commigrat: renunciatisque patrimonij amplissimis censibus, vt pauper & expedita Christum sequeretur, areolam ibidèm est adepta, in qua ecclesiam in honorem Dei genitricis semperque virginis Mariæ construxit.

Cogitur S. Bilhildis nubere. *Sigebertus Episcopus Moguntin.*

Quo in loco sanctarum fœminarum conuentu numeroso collecto, quantum sufficere posset prædiorum ad communem sustentationem, ijs contulit. In quibus ipsa quoquè piè viuens, non solùm corpori eis necessaria, sed etiam sanctæ conuersationis exempla suppeditabat. Interìm misericors Deus, famulam suam diutiùs in vanum laborare non permittens, quibusdam sanctis eiusdem monasterij virginibus eam tantùm catechumenam esse, necdùm baptismi gratiam percepisse, reuelat. Hoc illa cognito, Episcopum consulit: qui & ipse diuina reuelatione edoctus, eam regenerationis aqua censuit abluendam. Baptismo igitur percepto, multò feruentior illa Dei laudibus & pijs exercitijs instabat: donèc graui tacta infirmitate, præsens seculum reliquit quinto Calendas Decembris. Sepulta à clero & populo Moguntino in basilica, quam suis ipsa sumptibus exædificari curauerat: Vbì deincèps plurimis miraculis claruit.

S. Bilhildis condit monasterium. *Abit è vita.*

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI STEPHANI IVNIORIS, QVI MARTYRIO FVNCTVS EST TEMPORE *Constantini Copronymi, propter sanctarum imaginum honorem & adorationem. desumpta ex Reginæ matris Bibliotheca, interprete D. Iacobo Billio Prunæo, S. Michaëlis in Eremo Abbate doctissimo. Nos verò, vt permultas alias, Lectori gratificaturi, eam in capita distinximus. Habetur in operibus Io. Damasceni auctis, post tres de Imaginibus orationes, vbì idem Billius ad pium Lectorem sequentem subiecit præfatiunculam.*

Post tres Damasceni de Imaginibus orationes commodè me facturum existimaui, si Stephani Iunioris, qui pro earundem imaginum cultu ac defensione, Constantini Copronymi tempore, hoc est, non multò post Damasceni obitum, crudelissima morte affectus est, vitam pridem à me de Græco in Latinum conuersam, ac nunc primùm editam subnecterem: quò Christianus Lector de eadem re, non modò literis consignatum, sed etiam sanguinis profusione confirmatum testimonium præstò habeat.

VITA.

Nouembr. 28. Cap. 1.



IVINA quædam res est virtus, ac digna quæ plurimis laudibus efferatur: non eo tantum nomine, quòd amplissimam ijs, à quibus amatur, mercedem rependit, sed etiam quia vel sola suî commendatione auditores ad se pertrahere, ac zeli aculeum in eorum animis infigere potest. Operæprecium est igitur eos, qui virtutis amore præditi sunt, beatos prædicare, atque eorum vitam omnibus narrare. Sic enim & erga eos debito munere perfungemur, & alios ad suauem ipsius amorē excitabimus. Quoniam itaque vndiquè optimus ille ac præstantissimus Stephanus, cuius nunc vitam cōmemorandam suscepimus, ex eorum numero extitit, qui virtutē insigniter amârunt, summoque ipsius desiderio flagrârunt, exponamus oportet primùm, quinam ipsi ortus, quæque disciplina atque institutio extiterit: (nam ne ea quidem eiusmodi est, ex qua nulla ad pios viros vtilitas & oblectatio reditura sit:) deinde monasticas ipsius palæstras, ac demùm quæ in martyrio suo luculenter ac præclarè gessit. Tulit igitur egregium hoc germen domina

Vtile est bos viros laudare.

mina

mina verè ac regina vrbium Constantinopolis. Nostrum enim atque indigenum germen hic est, ac diuinus ipsius fœtus & planta Stephanus: quę & prima virtutis ipsius fructus degustauit, & nunc etiam vtilitatem metit, ac miraculis summa cum voluptate fruitur, alumno videlicet suo iucundissimè acquiescens. Natus est autem Anastasij tempore, qui tum imperij sceptrum tenebat, atque alio etiam nomine Artemius vocabatur. Pij porrò ipsi parentes fuerunt, atque integerrima fide præditi: qui cùm opibus ac facultatibus minimè carerent, non tamen parem ijs duntaxàt animi inductionem ac voluntatem habebant, sed longè maiorem ac copiosiorem. Hoc autem liquidò demonstrat benigna atque ingens erga egentes liberalitas, ac summa in danda eleemosyna hilaritas ac munificentia. Quò etiam illud accedebat, quòd ad diuina templa sine vlla intermissione munera offerebant. Quæ etiam ipsa, magis quàm quicquam aliud, illum verè Stephanum, illam, inquam, ingentem pietatis eorum ac virtutis mercedem, ipsis attulerunt. Nam cùm primò duarum filiarum parentes extitissent, mascula tamen prole carebant. Atque hoc infortunium pijs viris non paruum videbatur. Nôrunt hoc profectò, qui liberos procreârunt. Propemodùm enim non minùs molestum est ijs, qui gignunt, masculo fœtu carere, quàm si prorsùs liberorum expertes essent. Ob eam causam & in diuinis templis assiduè versabantur, & à Deo obnixis precibus perpetuò contendebant, vt sibi hoc suo voto frui daretur. Idque tum potissimùm faciebant, cùm ad Deiparæ templum, quod Blachernis situm est, sese conferrent.

Patria S. Stephani, & natiuitatis tēpus.

Masculina prole carere, idem penè est quod orbum esse.

Ac quodam tempore cùm vno parasceues die peruigilium de more celebraretur, Anna ipsius mater (nam hoc ipsi, vt olìm Samuelis matri nomen erat) cùm, vt Scripturę verbis vtar, plurimum sermonem effudisset, atq; orationem in longum produxisset, & cum Dei genitricis imagine, tanquàm cum viua dissernisset, seque, si quod optabat, consequeretur, ipsius filio, id quod peperisset, consecraturam esse recepisset, sub orationis finem somno correpta, fœminam incredibili quadam, atque omni sermone præstantiore, forma præditam cernit: quæ & ipsius pedem vellicans, Abi, inquit, in pace muliercula. Est enim tibi in vtero filius, quemadmodùm postulâsti. Hæc locuta ea, quæ apparuerat, discessit. Ipsa autem non sine magna admiratione consurgens, ob ea quæ audierat, intima voluptate perfundebatur. Ac posteà maturè in lucem edito filio, confestìm velut præludium pactorumq; iniens, ad Blachernense templum vnà cum marito proficiscitur, eumque ei, à qua acceperat, offert: Accipe, inquiens, Dei mater hunc charissimum filium, quem beneficio tuo peperi. Accipe eum, quem tibi & vnigenito filio tuo, etiam ante conceptionem dicaui. Hæc, & in eandem sententiam alia, cùm dixisset, coniugemque manu præhendisset, Virginis imaginem ipsi ostendens, Hæc, inquit, vir suauissime, vt desideratum Stephanum parerem, mihi præstitit. Huic petitionem meam committens, voti compos extiti. Ambo igitur gratijs Dei genitrici actis, domum reuersi sunt. Sed hæc posteà contigerunt. Interìm autem sub illud tempus, quo Stephanus conceptus est, aliud etiam quiddam accidit, quod silentio nullo modo præterire decet. Nam cùm eximius vir Germanus in Patriarchicum thronum assensurus esset, plebs ingenti frequentia ad maximum S. Sophiæ templum, ipsius videndi cupiditate concurrebat. Erat enim ille virtutis nomine clarus & illustris, atque in omnium linguis non sine voluptate versabatur. Vnà autem cum omnibus præclarum illud parentum Stephani par accurrens, scamnum quoddam occupârat: quò eum, quem cupiebat, è superiori loco intueri posset. Cùm igitur ille per Ecclesiam transiret, statìm mulier (ipsam enim eius, quem vtero gestabat, cura concitabat) Benedic, domine, id quod in vtero meo est, clamare cœpit. Ille autem perspicaci animæ oculo eum, qui vtero gestabatur, intuens, Benedicat hunc Dominus per primi martyris intercessiones, respondit. Apud omnes porrò mulier affirmabat, se ea hora, qua hoc audijsset, igneam flammam ex diuino illo ore prosilientem vidisse. Vt igitur in lucem editus est, statìm eum, vt magnus Germanus prædixerat, Stephanum appellârunt. Quandoquidem autem baptismi quoquè luce collustrari eum oportebat, qui antè etiam quàm in lucem prodiret, illustratus erat, ad magnæ Sophiæ baptisterium itum est (Erat autem tum vespera magni Sabbati Resurrectionis Christi:) clarissimoque illi Germano in manus datur. Qui statim eum baptizat, atque vngit, eum, inquam, qui iam iamque spiritale Ecclesiæ vnguentum

Cap. 2.

1. Reg. 1.

Visio matris eius.

Parentes, eum S. Mariæ Virgini offerunt.

Germanus Archiepiscopus Constātinopolitanus.

Is benedicit S. Stephano adhuc i vtero latenti.

S. Stephanus baptizatur.

tum futurus erat. Domum itaque reuersi, cùm iam puer ad eam ætatem venisset, quæ studiorum capax esset, ad ludimagistros eum proficisci, ac disciplinis operam dare voluerunt. Is autem ad egregiam naturam laboris ac diligentiæ pennam adiungens, ad doctrinæ perceptionem duplicis alæ subsidio celerrimè prouolabat, ac velut equus per planitiem currebat. Hoc porrò sedulò agebat, vt non modò disciplinas, sed etiam virtutem sibi compararet: quò & per illas mentem, & per hanc mores exornare posset. Quinetiam in diuinorum oraculorum lectione tanto studio & cura versabatur, vt ea promptè ac memoriter recitaret, atque ingenio tanquàm libro vteretur. Ac prætereà cùm sacras ædes adiret, atque sacra Scriptura legeretur, rectus stabat, totusque in eorum, quæ legebantur, auditione defixus erat, non genu flectens, non desidia languescens, non deniquè ad ea, quæ dicebantur, obdormiscens, sed arrectis, vt dici solet, auribus auscultans: nè quid eum ex his quæ recitabantur, effugeret. Id autem tum deniquè studio maiore facere videbatur, cùm aliquid ex Iohannis Chrysostomi lucubrationibus legeretur. Nam incredibili quodam ipsius amore tenebatur, atque ex eius præsertim orationibus pendebat: id videlicet efficiens, vt quod de Sirenibus effictum est, re vera in illis existeret. Atque hac ratione mores suos omni ex parte moderabatur atque componebat: adeò vt & os à iuramento purum haberet, & inanem sermonem nec ipse proferret, nec proferentem alium audire sustineret: proximum autem nec iudicaret, nec maledictis proscinderet: opes porrò, & delicias, & gloriam, forti animo contemneret: quietam ac frugalem vitam sequeretur, ac parsimonia magìs, quàm alij sumptuum magnificentia & profusione, gauderet.

Stephanus & literis simul & virtutib⁹ operam dat.

Chrysostomi lucubrationib⁹ delectatur.

Cap. 3.

Leonis Isauri tyrannis.

Ea porrò tempestate ille, non minùs belluinis moribus, quàm nomine Leo, adornata instructaque ad inuadendam tyrannidem coniuratione, ab Orientalibus partibus proficiscitur, atque in Theodosium, qui tum imperio potiebatur, impetum facit. Hic autem tyranno imperio cedit, ac quietem amplectitur: vt qui scilicet imperij iacturam ciuilibus bellis leuiorem duceret. Statim itaque furia illa imperium inuadit. Ac primùm quidem vulpinam pellem induens, (nondùm enim leoninæ apud ipsum locus erat) orthodoxam fidem, vt si quis alius, se colere simulabat, impietatis fœtum, quem pectore gerebat, occultans. Cùm autem ad decimum iam imperij annum peruenisset, nec iam eam diutiùs animo premere ac continere posset, sceleratum fœtum edidit: accitaque & coacta senatorum classe, absurdum illud & impium euomuit, Imaginum picturas formam quandam idolorum retinere inquiens, neque ijs cultum adhibendum esse, nè alioqui Dei loco imprudentes idola veneremur. Protinùs igitur ingens tumultus à plebe excitatus est, ac mœstitiæ nubes orthodoxorum Ecclesiam obtegebat. Quod vt versipellis ille sensit, statìm Gygis annulum vertens, vt obscurum esset quod agebat, laborabat, non videlicet leonis libertatem imitans, sed chamæleontis potiùs in modum formas immutans. Non, inquit, huc spectat mea sententia, vt eæ prorsùs deleantur: sed hoc aio, sublimiore loco collocandas eas esse, nè ore quisquam eas contingat, atque ità quodammodò rebus honore dignis contumeliam inferat. Quorsùm hoc tandèm, & quid moliens? Nimirùm vt eas longè à nobis collocando, ac procùl ab oculis nostris remouendo (nè eas facilè aut cernere, aut contingere queamus) paulatìm, vt sæpè nobis in his quos amamus vsu venit, in obliuionem incidamus, easque charas habere dediscamus, atque ità sensìm & citra tumultum hoc à nobis obtineatur, vt eas nec adoremus, nec honore afficiamus. De hac impietate, quæ & multum abstrusæ, & multum itèm apertæ absurditatis habebat, cùm certior factus fuisset Germanus, vir libera atque intrepida pietate præditus, per quendam ex præcipuis Ecclesiæ ministris hæc ei mandat: Haudquaquàm oportebat, Imperator, te, qui tum vitam, tum imperium à Deo accepisses, aduersùs conditorem tuum insolenter extolli, atque, vt vulgò dicitur, non mouenda mouere, Patrumque terminos, quos illi antiquitùs posuerunt, transferre studere. Etenim humana forma à Deo Verbo ex sancta & pura Virgine suscepta, cum omnis dæmonum cultus extinctus est, tum omnis idolorum adoratio abscessit. At verò theandricæ similitudinis imago Christi adoranda nobis & colenda perspicuè tradita est, itemque illius, quæ cum modo omni

Theodosius imperio cedit, id Leoni relinquens.

Leonis versutia.

Admonitio Germani Episcopi ad Imperatorē Leonem.

ſermone præſtantiori peperit, & ſanctorum, quorum vita ipſi grata atque accepta fuit. Ex quo enim ille in forma noſtra ad nos acceſſit (abhinc autem ſeptingenti triginta ſex anni iam fluxerunt) Patres interea ac Doctores, quorum ſumma virtus fuit, venerandarum imaginum cultum nobis perſpicuè tradiderunt. Nè longè abeam, poſt Chriſti in cælum aſſcenſionem, mulier illa, quæ ſanguinis profluuio laborabat, ab eo ſanitati reſtituta, ipſius imaginem, velut acceptum beneficium referens, exſculpſit. Ac priùs etiam ab ipſomet Chriſto, ipſiſſima Patris imagine, diuino linteo facies ipſius impreſſa eſt, ac toparchæ Abagaro, id poſtulanti, Edeſſam miſſa. Demùm ab Euangeliſta Luca picta eſt. Quin ab Hieroſolymis quoquè Virginis Dei genitricis imago miſſa eſt. Ob eamque cauſam diuina ac ſacroſancta Concilia varijs temporibus, ac locis coacta, non vt eæ calcarentur, ſed vt adorarentur, edixerunt. Velim itaque hoc ſcias, Imperator, quòd ſi iniquum hoc dogma confirmare atque conſtabilire in animum induxeris, me primùm nullo modo aſſentientem habiturus es, ſed promptum ac paratum, qui pro Chriſti imagine animam meam profundam, pro qua ille, vt collapſam atque proſtratam imaginem meam inſtauraret, cruorem ſuum effudit. Perſpicuum eſt enim ignominiam eam & contumeliam, quæ Chriſti imagini infertur, ad exemplar ipſum redundare. Quocircà nobis faciendum eſt, vt gratorum ſeruorum officio fungentes, pro Domini honore periculum adeamus. *Pictarum imaginum antiquitas.*

Hanc liberam orationem arrogans illa anima ne extremis quidem, vt ita dicam, auribus attrectare ſuſtinens, milites gladijs accinctos mittit, qui ſanctum virum contumelioſè habitum, ac plagis malè mulctatum, throno exturbarent. Ipſe itaque ſtatim ad monaſticum & quietum vitæ genus ſe contulit. At contrà Eccleſiam inuaſit ille verè perſecutor & contumelioſus, eamqne miſerum in modum peruaſtans, ac magno mœrore implens, non modò ob egregij Paſtoris ereptionem, ſed etiam ob eius, quem in ipſius locum ſubrogauit, immanitatem. Confeſtim enim ſceleſtum Patriarcham ſceleſtus, hoc eſt eiuſdem, vt dici ſolet, figlinæ hominem ſufficit, nimirùm læuum Anaſtaſium, qui in omnibus rebus ipſi aſſentiens, ac turpiſſimum obſequium perſoluens, atque omnia ea, quæ ab ipſo gerebantur, ſeruilem in modum laudans, huic quoquè pernicioſo dogmati patronum ſe adiungebat. Ac primùm (ô ingentem, Chriſte, patientiam tuam!) aduersùs tuam imaginem audaciſſima illa anima graſſatur, eamque, quæ ſupra portam fixa erat, ac vulgò ærea dicebatur, theandricam tuam formam deijci atque obliterari iubet. Cùm autem ad hoc facinus perpetrandum miſſus ſatelles impoſita iam ſcala conſcenderet, diuino zelo incenſæ mulieres, præclariſſimumque ac generoſiſſimum virtutis ſpecimen edentes, arreptam manibus ſcalam in terram deijciunt, vnaque eum, qui hoc facinus aggrediebatur, præcipitem agunt: qui ſtatim hanc præſtiti ad hoc miniſterij mercedem tulit, vt vita orbaretur. Sanctæ autem illæ mulieres ob Chriſtum, cuius zelo flagrabant, opportunè abiecto atque contempto pudore, curſu effuſo in Eccleſiam feruntur, atque impium Patriarcham, qui tum illic erat, illam, inquam, vt Chriſti verbis vtar, deſolationis abominationem, in loco ſancto ſtantem, lapidibus inceſſunt, mercenarium non Paſtorem, lupum non Paſtorem, Eccleſiaſticarum deniquè ſanctionum ac dogmatum proditorem appellantes. Ille autem pudore ſimul ac metu correptus, confeſtim ad Imperatorem confugit, eique quod factum fuerat, narrat, atque ad mulierum cædem eum extimulat. Huiuſmodi enim boni illius, ac pacifici Paſtoris ſtudium erat, tanquàm videlicet per ea, quæ agebat, docere cupientis, malum pro bono rependendum eſſe. Mox igitur gladio necantur, ac pro pietatis præmio mortem ferunt. *Cap. 4. Germanus ſua Epiſcopali ſede exturbatur. Leo Iſauricus bellum indicit imaginibus. Matt. 24. Sanctæ mulieres aliquot, pro iuſtitiæ zelo gladio necātur.*

Ac tum videre erat multos eorum, qui orthodoxam fidem arctè complectebantur, patrium ſolum tanquàm inimicum & hoſtile fugientes, atque ad ſolitudines & deſerta perfugij cauſa ſe conferentes, tutiuſque cenſentes cum feris habitare, quàm cum viris huiuſmodi verſari. Cum quibus tametſi admirabilis quoquè Stephani parentes patriam relinquere conſtituiſſent, tamen hoc eorum cupiditatem morabatur, quòd Stephani ętatem expectarent, vt pollicitationem eam, quam de eo fecerant, minimè fallerent, ſed eam ad finem perducerent. Cùm autem id ſecum vnà perpendiſſent, haudquaquàm vtile eſſe eum in Byzantinis mona- *Cap. 5.*

 ſterijs

Auxentianum monasticæ vitæ gymnasium. sterijs detondere, ad Auxentij montem se conferunt. Situs est porrò hic mons è regione Byzantij, circa Bithyniæ prouinciam: vicinosque omnes montes altitudine longè superat: nomenque ab eo Patre traxit, qui primus in eo domicilium sibi fixit. Hic autem locus ad vitæ tranquillitatem non parum ijs adiumenti affert, qui eius cupiditate tenētur: vt qui ab omni turba ac tumultu immunis sit. Est enim in ipsius fastigio antrum quoddam, in quo Patres, sede per successionem sibi constituta, tandèm hinc in paradisum migrârunt. Siquidē post diuini viri Auxētij è vita discessum, Sergius ipsius discipulus, tum vitę generi, tum antro successit. Hūc secutus est vir admiranda virtute ornatus Bendianus. Demùm sanctus Gregorius. Ac deniquè ille Stephani antecessor, ac singulari mentis perspicacia prędit us Iohannes. Ad quem beati huiusce viri parentes filium, quem ex promissione acceperant, duxissent, cùm precibus ab eo contendebāt, vt ipsum exciperet, ac monastica veste donaret. Quem vt senex intuitus est, ac perspicacissimis animæ oculis diuinam animę ipsius pulchritudinem cognouit, morumque in tam tenera ætate grauitatem atque constantiam animaduertit, promptè eum suscipit, leniterque ac placidè ad ipsius parētes, Verè, inquit, Dei spiritus in hoc puero requiescit. Quocircà cùm nocturnæ Dei laudes de more peractę essent, accitum puerum pro foribus antri sistit, ac plurimis verbis eum erudit, atque ad spiritales palæstras acuit, monetque nè parentum amorem pluris quàm Deum faciat. Hic enim, inquit, & finxit, & seruauit: illi autem persæpè quos adamârunt, perdiderunt, atque in pœnam coniecerunt. Hęc cum ille, aliaque huic scopo consentanea monuisset, ac tanquàm in optimam terram semina iecisset, eum tondet, ac monastica veste induit, decimumsextum iam vitę annum agentem.

Parentes S. Stephani rogant eum donari veste monastica.

Quorundā parentum stultitia.

Cap. 6.

Monachus factus vt se gesserit S. Stephanus.

Protinùs igitur Stephanus ad monastica certamina sese accingens, nullum continentiæ genus prætermisit. Nam & ieiunio ac vigilijs corporis impetus coërcebat, & omnes voluptatum illecebras superabat, & iracundiam imperio tenebat. Ab iniuriarum autem acceptarum recordatione vsqueadeò abhorrebat, vt non modò eum, à quo molestia affectus esset, non vlcisceretur, sed etiam beneficijs, contrà afficeret. Tanta rursùs obedientiæ laude præstabat, atq; ad obsequendum adeò promptus erat, vt ob exuberantem obedientiæ atque humilitatis magnitudinem ijs potissimùm rebus delectaretur, quæ cum labore & molestia coniunctæ essent. Cui rei, vt alia multa omittam, istud testimonio fuerit. Nam cùm longo ab ipsis, ac difficili interuallo, aqua ea, qua vtebātur, dissita esset, (erat enim in admirandi viri Auxentij cœmeterio, quod quidem ille adhuc superstes extruxerat, atque in sanctarum mulierum monasterium consecrârat, ac Trychinariam, vel ob itineris asperitatem ac difficultatem, vel etiam ob vestium ipsarum rigiditatem appellârat) cùm, inquam, longo interuallo aqua dissita esset, Stephanus eam quotidiè ad antrum, tam æstate, quàm hyeme deferebat. Cumque non modò aquam, sed & alia omnia, quę necessaria erant, illinc transferret, nunquàm tamen aut desidia languere, aut querulum vllum verbum emittere, aut consuetam regulam negligere visus est, sed semper eodem, quo magister, gressu incedere, atque ipsius vestigijs hærere. Qui quidem ob eximium suum erga Deum amorem, omnibusq; numeris perfectam & absolutam virtutem frequentes gratias diuinitùs consecutus est, & quidem eiusmodi, vt etiam brutis animantibus imperaret, eisque tanquàm ministris vteretur. Canis enim ipsi de more in monte assidebat. Qui quidem, si quandò Stephanum abesse contigisset, (vt si fortè quidam è vicinis monachis ad sanctum virum ventitâssent: siquidem quamplurima tum erant in illis montibus monasteria, quæ tyrannus, partim quia immodico venationis studio tenebatur, partim quia monachorum vestem, vt quæ duræ asperæque vitæ monimentum ac symbolum esset, ac voluptuarios & delicijs deditos homines molestia enecare posset, infensè oderat, prorsùs de medio sustulit) canem illum de nomine vocabat, atque in charta quadam, ea quæ necesse erant, conscribens, eamque canis collo appendens, ità demùm eum ad monasterium descendere iubebat, ac literis illis ad præfectam perlatis quam ocyssimè reuerti. Ille autem, non secùs atquè animal quoddam rationis particeps, statim imperata faciebat, ac summa celeritate ad monasterium pergēs, præfectæq; cellæ adstans, aduentum suum latratu significabat. Actum ij, qui in illo domicilio consuetum ipsius ministerium agnoscebant, ad eum properabant, ac perlecta charta, quæ ea postulabat, exequebantur. Atq; ità iussis perfunctus canis ad dominum rursùs se referebat.

Vestigijs sui magistri semper inhæret, eiusque sanctitatem sequens.

Bruta animātia obediunt eius Abbati, Iohanni feliciter.

Conti-

Contigit autem aliquandò, vt Stephanus ex aliquo ministerio reuersus diuinum illum Iohannem posito ad speluncæ fenestram capite acerbissimè flentem offenderet. Cùm autem ipse defixa humi fronte ab eo nequaquàm, vt solebat, benediceretur, perdiù ad hunc modum humi prostratus, secum ipse reputabat, quorsùm tandèm hæc patris lamentatio spectaret. At perspicacissimus ille vir cum animo suo versans, ac deindè se erigens, Tua causa, inquit, charissime fili, tua, inquam, causa in hoc luctu fui. Planè enim hoc noui, fore, vt hic locus tua tempestate incrementum capiat: ac rursùs ab impijs Imaginum hostibus euertatur. Ad quæ cùm Stephanus admodùm dolenter imo corde ingemuisset, Quid autem, inquit, honorande Pater, an illud quoquè fore prospexisti, vt vnà ipse peream, atque à peruersa doctrina vincar? Tum ille, Bona verba fili, inquit: nunquàm hoc accidat. Cæterùm, vt Apostoli verbis vtar, vide quemadmodùm cautè ambules. Scriptum est enim, eos demùm salutem esse consecuturos, qui ad finem vsque perseuerauerint. Hæc & alia monendi causa locutus, ea quæ ipsi in posterum euentura erant, apertissimè prædixit. Cap. 7. Iconoclastarum furorem Abbas præuidet. Ephes. 5. Matt. 24.

Igitur eo tempore, cùm sacerrimus Stephanus patrem suum carnalem ad Dominum proficisci resciuisset, spiritualis huiusce patris hortatu Byzantium petit, ac iustis ipsi persolutis, diuenditisque omnibus ipsius facultatibus, ac matre atque vna sorore assumptis (altera enim iam antè in Byzantino quodam cœnobio monasticę vitę causa comam abiecerat) ad montem redit. Cumque ipsius opera illæ à diuino sene benedictionem accepissent, ad mulierum monasteriū ductas eas detondet, ac Dei cultui consecrat: matrisque carnalis atque itèm sororis pater spiritualis efficitur. Etenim hoc demùm verè amoris ac consanguinitatis argumentum est, iisdem rebus gaudere, atque idem vitæ genus complecti. Nam alioqui maiore ex parte homines sanguinem ementiri, ac generis propinquitatem adulterare compertum habeo. Posteà autem reuersus, in pristino vitę instituto perstabat. Non multum temporis intercessit, cùm diuinus Iohannes suam ad Deum profectionem imminere sentiens, multis magnum Stephanum prę ceptis instruxit, atq; extremùm osculatus, debito iustis somno conquieuit, spiritumque suum immortalibus manibus commendauit. Statim itaque præstantissimus Stephanus, Patris morte per tesseram significata, monachorum greges, tanquàm ceruos ad fontes conuocauit: qui cùm beati Iohannis corpus conspectum religiosè ac reuerenter exosculati essent, orbitatemque suam deplorâssent, in reliquiarum loculo ipsum condiderunt. Cap. 8. In quo verus amor situs sit. Iohannis Abbatis obitus.

At enimuerò nec imperfectus eorum, qui congruentē diuinæ legi vitam ducunt, nec successorum expers est numerus. Nam & vita functo Moise locum ipsius expleuit Iosue: ac rursùs recepto in altum Elia successor Eliseus, atque tum ipsius melotæ, tum duplicis gratiæ hæres designatus est. Ad eundemque modum beato hoc Iohanne ad Deum profecto, statìm & speluncæ, & gratiæ, non duplicis solùm, sed multò etiam amplioris, hæres spiritualis ipsius filius Stephanus extitit. Ergò angustissimam illam speluncam ingreditur, annos natus aliquantò plus quàm triginta. Atque apiculæ more in antrum seipsum includens, dulce virtutis mel conficiebat: sic nimirùm se comparans, vt & laboribus se exerceret, ac per actionum sedulitatem fauos certo ordine, ac congruenti mensura componeret, & ijs, à quibus adibatur, illuminationem simul ac dulcedinem impertiret. Atque actuosas quidem ipse quoquè, Apostoli ritu, manus habebat, conficiendorum scilicet retium, vt ille, artem colens. Atque insupèr egregiè scribendi peritiam consecutus, describendis libris operā impendebat: vt qui non modò nemini oneri esse vellet, sed etiam habere cuperet, vndè egenti subsidium afferre posset. Ac spiritûs fructus cernere erat in ipsius animo, tanquàm in fœcunda terra, florentes, hoc est charitatem, gaudium, pacem, mansuetudinem, longanimitatem, benignitatem: quos quidē fructus plerisq; eorum, qui ad eum ventitabant, optimè impertiebat. Permulti quippè ipsius virtutes imitari cupientes, contubernium cum eo habere, ac sub eo præceptore viam in cælum ferētem tenere voluērunt. Quibus primùm quidem repugnabat, eosque contubernales habere renuebat, vt qui & molestiam ipsi facessere, & ipsius animum distrahere possent. Tandèm tamen eos admittebat: vt qui forâs eum, qui ad se veniret, eijciendum non esse, à Christo didicisset. Primùm igitur Marinum, probum virum, ac suauissimis moribus præditum suscepit, deindè Iohannem & Christophorum, posteà Zachariam, pium hominem, diuinumque vitæ genus ad summum vsque gradum consectantem, tum itèm improbum illud par Sergium & Stephanum, (de quibus inferiùs verba faciemus) ac sex insupèr Cap. 9. Iosue 1. 4. Reg. 2. Stephanus Iohāni Abbati successit. Act. 18. More Apostoli manuali vacat operæ. Gal. 5. Iohan. 6. Multi eius sanctitate celebres discipuli.

 alios,

alios,quorum nomina in eorum,qui in Christo viuunt,libro perscripta continentur.

Cap 10. Ad hunc itaque modum asperrimus ille mons vrbis cuiusdam instar extructus est, ac præclari cuiusdam cœnobij locum tenebat: necessarijs nimirùm omnibus rebus Dei prouidentia ipsis, quantum sat erat, subministratis. Quinetiam diuinitùs afflati Patris cognomento, tanquàm opibus quibusdam, ornabatur: vt qui ad hunc etiam vsque diem Auxentij mons nuncupetur. Quem quidem Deo inuisus tyrannus, sancti viri odio percitus, solo æquauit, atq; Auxentianum collem potiùs nuncupari voluit. Quandiù igitur in eo Stephanus præceptoris munere fungebatur, ex hoc antro, tanquam ex sacrosancto quodam adyto, prospiciens, huic sancto discipulorum choro ea præcepta ac documenta dabat, quibus animus ad virtutem eruditur. At cùm discipulorum numerus cresceret, atque ad viginti vsque progressus fuisset, ipse maioribus dignum se censens (illecebrosa enim res virtus est, suique studiosis maioris incrementi cupiditatem semper inijcit, non secùs atquè auaris pecunia) atque etiam alioquì tranquillam & ab omnibus negocijs feriatam vitam vnicè amans, ac deniquè asperiori vitæ generi corpus addicere constituens, prędictum illum Marinum eorum antistitem ac moderatorem creat: ipse autem peragrato prorsùs montis cacumine, cellulam spelunca illa longè minorem extruit, latitudinis non plus quàm sesquicubitum habentem, longitudinis autem cubitos duos. Ad orientalem autem partem conchæ formam effingit, ea altitudine, vt curuato corpore vix illic stare posset: reliquam autem partem tecti expertem relinquit.

Illecebrosa res est virt^9.

Marinum suis discipulis præficit, vt liberiùs Deo vacet.

Cap. 11. Iam autem duos & quadraginta annos natus, vna ex sacratissimis noctibus, cùm Marinum clàm vocâsset, eique, quid in animo haberet, aperuisset, (needùm enim cuiquam exploratum erat, cur locum illum extruxisset) vnà cum eo profectus, in parua illa & sepulcri similitudinem referente domuncula seipsum includit. Sic igitur, cùm monachi omnes matutinis precibus perfuncti, ad speluncæ vestibulum venissent, flexisque capitibus paternam sibi benedictionem, vt mos ferebat, sibi donari postulâssent, nec vox Patris vsquam exaudiretur, in magna animi perturbatione versari cœperunt. In speluncam itaque, videndi illius desiderio, insiliunt. Quem vt minimè reppererunt, luctibus & querelis sese afflictabant. Ac posteà, alij aliò dispersi, gemitibus & lachrymis Pastorem vestigabãt. Quorum cursitationem ac fletum diuinus ille vir sentiens, leni & amica voce agnos vocauit. Illi itaque ad eum currentes, atque illud angustia permolestum domiciliũ conspicientes, Ecquid hoc est (calentes lachrymas ex oculis emittentes dicebant) ecquid inquam, hoc est, Pater? Cur tantis vitæ asperitatibus teipsum addicis, præmaturam nobis velut orbitatem moliens? Tum ille, Quî tandèm aliter facerem, inquit, ô filij, cùm arcta, vt Scriptura docet, atque angusta sit via, quæ in cælum ducit? Quod vt illi audiêrunt, nil aliud adiecerunt. hoc tantùm ab eo petiêrunt, vt cellæ suæ tectum adderet, ac non ità sub dio vitam traduceret. Qui rursùs, cùm tecti cuiuslibet loco sibi cælum sufficere respondisset, ad hunc modum perstabat, contrarias inter se aëris mutationes ferens. Nam & per æstatem solis ardore flagrabat, & per hyemem frigore rigebat. Adhæc etiam vna melota, eaque parua ac vili, tegebatur, ac stoream solam ad breuem somnum adhibebat. Quinetiam, tanquàm huiusmodi ærumna non satìs plena ac perfecta esset, ferro quoquè totum corpus cingebat.

Preces matutinæ à venientibus persolutæ.

Quàm sit arcta via te quæ cęlestis, verbo & operibus docet.

Asperitas vitæ eius.

Cap. 12. Quoniam igitur fieri non poterat, vt (quod vehementer expetebat) tanta ipsius virtus in obscuro delitesceret (quînam enim istud, cùm ne vnguenti quidem odorem occultare facile sit?) multi ad eum sese conferebant, atque, priùs etiam quàm vllum verbum emitteret, ex solo ipsius adspectu non paruam vtilitatem percipiebant. Quo in numero mulier quædam illustris & honesta, marito haud ità pridèm orbata, festinanter sanctum virum adijt: cumque se viduam ac liberorum expertem, proindeque solam esse ipsi narrâsset, nihil aliud sibi superesse dicebat, quàm vt monastica veste, cuius se incredibili quodam desiderio teneri asserebat, indueretur. Ille autem eam longa oratione instructam, ac salutiferis præceptis sedulò eruditam dimisit, his verbis ad extremum vtens, Vide cum quo pacisceris: ac si qua te animę cura tenet, id quod promisisti, mox præsta: nè te cunctantem ac moras nectentem mors inuadat. Igitur pia illa mulier ad matrem rediens, ac Patris sermones in intimis cordis penetralibus abditos tenens, facultates omnes suas auro commutat, eoque magna ex parte pauperibus erogato, confestim parentes, propinquos, vicinos, amicos relinquens, ad diuinum Stephanum se confert, non paruam auri illius portionem

Multi meliores instituti proposito ad eum cõfluunt.

In salutis negotio abijcienda est omnis mora.

tionem secum gestans. At ille asperiori orationis genere ad eam vtens, Cùm tu, inquit, ex Saluatore ipso audiueris, eum discipulum ipsius esse minimè posse, qui non bonis omnibus suis renunciauerit, quonam modo, contempto ac pro nihilo habito hoc præcepto, partem aliquam mundi retines? Hæc vt mulier audijt, ipsius perspicaciam ad stuporem vsque admirans, Non me, inquit, honorande Pater, auara, spiritualis potiùs, nisi me animus fallit, cupiditas impulit, vt auri aliquid mihi reliqui facerem: quòd videlicet id per tuas sanctas manus erogari, maioremque mihi tua opera vtilitatem comparari cuperem. Tum ille: Alienorum delictorum scintillas manibus meis extinguere nullo modo sustineo. Vereor enim nè qua earum furtim succendatur, maximumque in animo meo incendium excitet. Id enim nonnullis, dum non satis animum attendunt, vsu venire compertum habeo. Illud autem omninò perspicuum est, quod qui seminat, idem suis quoquè manibus metet. Hæc locutus, eam quidem rursùs ad matrem redire haudquaquàm vtile esse iudicauit: cæterùm, vt vicinis locis vnà cum pio Marino peragratis, ipsamet suis manibus pecuniam illam distribueret, imperauit. Quo munere cùm perfuncta fuisset, tum deniquè monastica eam veste induit, atque ad mulierum monasterium transmittit, antistitæque etiam atque etiam mãdat, vt summam ipsius curam gerat, manumque ei ad virtutis studium amplexandum porrigat, seduloque opituletur. Atque hæc quidem ità se habuerunt.

Luc.14.

Matronæ cuidã imperat vt omni facultate pauperibus distributa, sequatur nuda nudũ Christum.

Cùm autem ille zizaniorum sator Christi Ecclesiam semper quidem oppugnari, nunquàm tamen subigi & expugnari, sed externos hostes nullo negocio frangere ac profligare cerneret, intestinum ipsi bellum excitare instituit. Ac primùm, vt iam dictum est, ferinum illum hominem, Leonis nomen ferentem, qui à Syris genus ducebat, ac præstigijs quibusdam (vt quidam homines opinabantur) multa prodigiosè perpetrabat, atque eiusmodi erat, vt simplicioribus hominibus imposturam facere posset, aduersùs eam immisit. Qui aduersùs sanctas Imagines rabido & belluino animo sæuiens, Christi ouile maximis detrimentis afficiebat. Postquàm verò à præclaro illo Ecclesiæ Pastore Germano repræhensus ac depulsus est, simulque & hanc vitam & sempiternã amisit, immanis illius belluæ immanior catulus (Constantinum Copronymum dico, illum inquam, vt quispiam dixerit Achab ex Achas, vel potiùs Herodem ex Archelao, illud libidinis omnis mancipium) perindè videlicet atquè in id omni animi contentione incumberet, vt paterna facinora parua & leuia, ac velut quædam duntaxàt magnorum improbitatis ipsius fructuum semina fuisse ostenderet, Ecclesiam populatur, deijcit, euertit, omnes Christi & Sanctorum imagines delet, ac flammis tradit. Deindè à pietatis amatoribus eximijsque monastici ordinis viris reprænhensus atque conuictus, implacabile aduersùs eos bellum excitat, præclarum illum habitum * tenebrarum indumentum vocans, (cùm ipse dæmonibus proculdubiò tenebrosiorem animam haberet) atque * Immemorandos eos appellans, cùm ipse nec diuina vlla, nec humana memoria dignus esset: ac prætera idololatras, ob venerandarum Imaginum adorationem omnes nuncupans, cùm ipse aurum potiùs quàm Christum adoraret, atque auaritiæ & impietati peræquè studeret. Igitur stolidam omnem illam sapientiæque expertem multitudinem, quæ ipsius imperio subiecta erat, in concionem aduocat, ac veneranda Crucis ligna vnà cum diuinis Dominici corporis & sanguinis mysterijs, atque ab omni labe puris Euangelijs (in quibus Dei filius Christianis, nè iurent, prorsùs interdicit) palàm proponit: atque ità per ea vniuersos iureiurãdo adstringit, nunquàm se diuinas Imagines adoraturos, quin eas potiùs idola vocaturos (cùm ipse potiùs impietatis idolum verè esset) ac ne communionem quidem à monacho accepturos, nec salutantibus quicquam humanitatis vicissim exhibituros, verùm si quisquam eorum monachum aliquem vspiàm obuium habuisset, * Tenebricosum eum & Immemorandum, & idolorum cultorem appellaturos, ac demùm (ô horrendum furorem! ô ingentem tuam, Christe, patientiam ac lenitatem!) lapidibus ipsum petituros. Quinetiam sacri ordinis quendam nactus, cui & nomen cum ipso idem, & eadẽ fidei sententia erat, (iam enim vt anima, ita corpore quoquè Anastasius interierat) ei, proh scelestum facinus, Ecclesiæ curam administrationemque cõmittit, non Patrum electione, non Synodi examinatione, non deniq; canonico suffragio atq; decreto, sed tyrãnica potiùs potestate, antistitem ipsum instituens. Etenim, non secùs àc si in scena apertè luderent, ac non seriò agerent, ambo in pulpitũ adscenderunt: ac deindè Imperator manibus impuris diploidẽ

Cap.43.

Intestina bella Ecclesiæ magis nociua quàm externa.

Cõstantinus Copronymus magis quàm Leo pater eius in sacras sęuit imagines.

* σκοτίας ἔνδυμα.

* ἀμνημονεύτους.

Ecce impiũ impij Copronymi iuramentum.

σκοτόδουλον hoc est tenebrosè vestitum.

Nefarius Copronymus Episcopum sibi similem tyrannica potestate creat.

sacram nefario homini profanè imponit, dignum Episcopatu eum esse clamans, qui graui potiùs ignominia & vituperatione dignus erat. O importunam & absurdam audaciam! O execrandum facinus! Qui ense accinctus erat, antistitem sacrum creabat: qui bellis ac cædibus per omne vitæ tempus operam dederat, initiatoris sacri munere fungebatur: qui cum tribus mulieribus flagitiosissimè sese contaminârat, sceleratos pontifices instituebat (id quod ne apud Gentilium quidem sacerdotes vnquàm perpetratum fuisse repertum est:) ità vt illud Scripturæ sacræ hîc locum haberet, Qualis populus, talis sacerdos.

Esa.24.

Cap.14.

Cùm itaque ad hũc modum obscœnum istud par coijsset, atque Attagas, vt vulgò dici consueuit, Numenio sese adiunxisset, literæ ad omnes vrbes ac prouincias commeabant, quibus Episcopi ad imperialem vrbem confestim accersebantur. Id autem eò fiebat, vt Concilium aduersùs venerandas Imagines cogeretur. Cernere igitur erat audacissima illa facinora, atque impietatem omnẽ excedentia, quæ sine vllo metu perpetrabantur. Nam & sacrosancta vasa ob venerandarũ Imaginum picturas pedibus obterebantur, & templorum decor ac pulchritudo, quam sacrarum Imaginum picturæ pariebant, partim abradebatur, partim etiam calce illinebatur. Etenim vbi Christi aut matris illius, aut Sanctorum imago erat, vel in ignem conijciebatur, vel in puluerem redigebatur, vel etiam albario opere inducebatur. At vbi arborum, aut auium, aut bestiarum effigies, aut etiam circus ac venationes pictę erant, his nimirùm parcebatur, ac summa cura prospiciebatur. Quocircà Ecclesia tota eo ornatu, quem ipsi sacræ Imagines afferebant, spoliabatur, ac tanquàm sponsa coniuge orbata, mœsta & squalida atque incompta cernebatur. Quis autem illius temporis calamitatem satis dignè deplorare queat? Quæ lingua ea, quæ perpetrata sunt, vlla oratione complecti possit? Quæ auris placidè ac sedatè huiusmodi narrationem excipiet? Tempestiuum scilicet tunc erat Prophetæ verba cum lachrymis vsurpare, Perijt sanctus à terra, & qui rectè agat, inter homines non est. In securi etenim & ascia Ecclesiæ Christi portas perfregerunt, atque igni sanctuarium ipsius incenderunt. Quænam enim alio mystico sensu porta hîc esse queat, quàm diuinarum Imaginum pictura? Nam ea menti aditum ad exemplar aperit, ac per ea, quæ in sensum cadunt, ad ea quæ intellectu percipiũtur, introducit. Nam alioquì materiam non adoramus, quemadmodùm impijs facere videmur: sed spiritualem adorationem ad eam rem, quæ figura exprimitur, per picturam referimus. Siquidem Imaginis honor, vt cum Basilio magno loquar, ad exẽplar ascendit. Atque hac ratione Crucem, ex quacunque tandèm materia constructa sit, adorare ità didicimus, vt non ipsi materiæ, sed ei affixo cultum tribuamus. Huius porrò venerandæ Crucis imago est omnis ad exemplaris formam depicta materia. Neque enim illud duntaxàt lignum, cui Christus affixus est, adorare didicimus, verùm alia quoquè omnia, quæ ad Crucis formam expressa sunt. Quamobrèm aut diuini ligni formæ cultus negetur: aut etiam Christi & Sanctorum imaginibus honor habeatur. Atque hæc à me velut per digressionem dicta sint, vt istos ab orthodoxa doctrina procùl aberrare demonstrem. Nunc eò, vndè huc deflexit, oratio reuertatur.

Eccè nostrorum Caluinistarũ pręcursores Iconomachos.

Mich.7.

Psal.73.

Imaginum vtilitas.

Libro de Spiritu sancto cap.18.

Christi & Sanctorum Imaginibus honor exhibendus.

Cap.15.

Ad hunc igitur modum Ecclesia laborante, ac malè affecta, piorum multitudo in summa consilij inopia & mœrore versabatur: ac potissimùm sacrum monachorum agmen, vtpotè quod orthodoxam fidem arctiùs amplecteretur. Itaque, tanquàm ex compacto, tum Byzantio, tum reliquis Europæ vrbibus ac Bithynia excedentes, ad Auxentianum montem se contulerunt: ac beatum Stephanum adeuntes, ab eo petebant, vt ducem se illis præberet, eosque consilio iuuaret. Loquere, inquiebant, ó Pater, si quis in te consolationis sermo est: mentesque ingenti mœstitia oppressas cohortare. Titubantem animum fulci: nè humano metu labefactatus, de ipso salutis capite periclitetur, ac pietatem prodat. Ille autem eos lubenti animo suscipiens, atque charitati consentaneam hilaritatem præ se ferens, Nihil, inquit, ó Patres, nihil inquam, mentem pietatem seriò colere cupientem viribus antecellit. Itaque futurum confido, vt per Christi gratiam vestra quoquè sententia, pietatis fundamento nixa & stabilita, immobilis perstet, nec hostium impetu frangatur. Ob eamque causam vos potiùs oro atque obsecro, vt me consilio vestro iuuetis, animumque meum dolentem recreetis. Nam ipse quoquè, vt cernitis, grauissimo mœrore vrgeor. Defecerunt oculi mei, vt cum Scriptura loquar, propter contritionem filiæ generis mei. Video enim incontaminatam Christi sponsam ab horrendo ac belli cupido dæmone,

Multi fideles ad sanctum Dei Stephanum cõfluunt vt ab eo consolentur.

Nihil homine verè pio fortius.

Hier.6.

Ecclesia Christi spõ-

mone, qui tantum ei bellum excitauit, acerbè & crudeliter oppugnari. Quem- sa acerbè à
admodùm enim primùm aduersùs primam imaginem furore percitus, versutè dęmone op-
hominem adduxit, vt mandatum violaret, & effectoris similitudinem amitteret: pugnatur.
sic nunc aduersùs Christi & Sanctorum imaginem, non iam subdolè ac per cuniculos, sed aperto marte grassatus, huiusmodi caliginem ac tempestatem nobis offudit. Ac nunc, tanquàm in nocturno prælio, membra inter se conflictantur, aliaque aduersùs alia stant: mutuoque (ô grauem calamitatem!) nosipsos impetimus, atque in obscuro sauciamus. Interìm peruersus ille sedet, ingentem ex miserijs nostris risum excitans, vt qui nos Gentilium simul ac Iudęorum spectaculum effecerit, subsannationem & derisum his, qui in circuitu nostro sunt. Psal. 43.
Ac nunc filij Sion, nos inquam, preciosi, & auro æquiparandi, reputati sumus in vasa testacea, figlinaque opera contrita. Siquidem, vt diuini Prophetæ verbis vtar, caligine obtexit Dominus in ira sua filiam Sion, proiecit è cælo in terram Thren. 2.
decus Israel: nec recordatus est scabelli pedum suorum in die iræ. Quis dabit Hier. 9.
capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo te filia Sion? Procùl enim à me recessit, qui consolabatur me. Ac proindè clamabo ad eum solum, qui percutit & sanat: vociferabor ad eum, qui solus clemens & huma- Deut. 32.
nus est: ac sublata voce dicam, Miserere nostrî Domine, miserere nostrî, quo- Psal. 122.
niam repleti sumus despectione. Transfer opprobrium à nobis, & da contemptionem superbis, qui aduersùs Ecclesiam tuam, sanctasque Imagines tuas insolenter sese extulerunt, idola eas appellantes, nosque, qui eas adoramus, idolorum cultores. At tu renoua nos vt diluculum matutinum. Amplificetur recta & vera fides tua. Ecce enim gemitus cordis nostri multiplicati sunt, & oculi nostri de- Psal. 79.
fecerunt: quoniam destruxisti maceriam hæreditatis tuæ: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminauit nos aper de sylua: & singularis ferus nos depastus est, ille, inquam, crudelissimi Leonis crudelior catulus. Conuertere, Domine, & visita vineam tuam: & perfice eam, quam plantauit dextera tua. Post lamentationem,
At enimuerò in lachrymas & fletus ob incumbentem & pastoribus & ouibus impietatis caliginem, prolapsus, meijpsius oblitus sum, ac lamentationem vltra modum produxi. Sic enim mihi persuadeo, Deum probra Ecclesiæ suæ illata minimè neglecturum, sed retributionem superbis propediem redditurum, atque Ecclesiam suam lætitiæ stola conuestiturum, ac pristinam ipsi elegantiam impositurum. prędicit Stephanus, Ecclesiæ ornatum restituendum.

His atque alijs huiusmodi sermonibus ad monachorum, qui & ipsi lachrymis Cap 16.
madebant, cateruam vsus Stephanus, hæc verba insupèr adiecit. Ad has tres partes, quæ nefariæ hæresis labem minimè contraxerunt, vt fugiatis censeo. Neque enim alius locus est, qui quidem sub draconis huius imperio ac potestate sit, qui ab eius veneno purus manserit, quàm ea quæ ad accliue Ponti Euxini sunt, hoc est Zicchiæ, & Chersonis, & Bosphori, & Nicopsis, & Gotthiæ, atque ea itèm quæ ad Parthenium mare se porrigunt: quin & quod in antiquioris Romæ decliui est, ac Nicopolitana & Neapolitana Metropolis, quæque ad Romanum vsque flumen protenduntur: sed & Lyciæ prouinciæ clmata, hoc est ex Silæi sinu, ac deniquè Cypria insula, quæque è regione ipsius sunt vsque ad Tyrum & Ioppem. Hæ, inquam, partes ab execrando hoc dogmate puræ perstiterunt. Quatuor pręcipui patriarchæ Iconomachorũ sectam condemnant.
Antistites autem ipsi, hoc est Romæ & Antiochiæ, ac Hierosolymorum & Alexandriæ, non modò dogma istud ac dogmatis authorem grauissimo odio prosequuntur: sed etiam per inuectiuas epistolas de ipso triumphârunt, apostatam eum ac Dei hostem vocantes, vtpotè aduersùs Christi imaginem malè ac pestiferè concitatum. Consimili quoquè modo ille lepida lingua præditus ac pius Itèm Iohànes Damascenus.
presbyter Iohannes, quem ille petulanti ac maledica lingua tyrannus, atque eruditione quidem angusta, cæterùm ad vituperandum copiosa & peracuta, Mansur appellabat, in multis epistolis eum acerrimè perstrinxit, nouum Mahomethum eum appellans, Christique hostem ac sanctorum inimicum, atque Episcopos qui eadem sentiebant, ἐπισκότους potiùs, hoc est tenebriones ac ventris mancipia nuncupans, vt qui ventris causa nihil non sibi dicendum ac faciendum censerent. Atque, vt breui complectar, omnes eos, qui væsanæ ipsius sententiæ subscribebant, tanquàm Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana, ac velut synagogam Abiron, execran- Psal. 82.
dos Deoque inuisos reputabat.

Hæc

Cap. 17. Hæc verba vt plus ille cœtus audijt, piumque virum velut extremùm allocutus atque complexus est, ad ea loca, quæ cuique commodiora visa sunt, sese contulerunt: in hoc quoquè videlicet Christo obtemperantes: quippè qui eos, qui persecutionem patiuntur, ex vna vrbe in aliam profugere iubeat. Quandoquidem minimè conuenit, vt ipsi nosmet vltrò in pericula conijciamus: quemadmodùm contrà, repræhensione non caremus, si in periculis constituti, animum despondeamus. Spectabatur itaque Byzantium velut in expugnatione quadam captiuitate oppressum, monasticoque habitu priuatum, ac tanquàm in squalorem redactum: sublato nimirùm atro colore, qui priùs ad vrbis ornatum albo admixtus erat. Etenim alius ad Euxinum pontum nauigabat, alius ad Parthenium pelagus omni festinatione contendebat, alius Cyprum petebat, alius ad antiquiorem Romam properabat. Ac sic variè quisque, à suis monasterijs auulsi, hospites & aduenæ in diuersis locis degebant. At verò ille non minùs à mente quàm à pijs dogmatibus auersus tyrannus, grauiter adhuc aduersùs venerandas Imagines spirans, ac velut suæ in huiusmodi rebus amentiæ colophonem imponere gestiens, insigne illud, quod Blachernis est, Deiparæ templum, eximia quadam ac penè incomparabili pulchritudine præditum, & lapillis aureis in vtroque pariete arte summa coornatum, abrasit & immutauit, deletis videlicet omnibus Imaginum formis. Etenim eximio ac pererudito artificio carnalis Christi natiuitas, & diuina ipsius miracula, & venerandorum mysteriorum traditio, ac deniquè per ipsius Crucem in infernum descensus, & resurrectio, picta illic erant. Quibus omnibus horrendum in modum abrasis atque deletis, ille perditionis filius arborum species, atque omnis generis auium formas eorum loco sculpendas curauit. Ac tum sanè quispiam non incommodè illud Dauidis dixisset, Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestijs terræ, hoc est venerandas ac sacras martyrum reliquias: quas partìm igni, partìm mari, partìm deniquè (ô facinus orbi vniuerso damnum ferens!) præcipitijs tradiderunt.

Matt. 10.

Nemo debet vltrò se in periculū conijcere.

Impius Copronymus templū Dei genitricis imaginibus denudat.

Psal. 78.

Itèm sanctorum reliquijs.

Cap. 18. In hoc igitur prorsùs venerando templo consceleratus tyrannus, vnà cum impio ac sacrilego illo gregis mercenario, ac non minùs execrandis episcopis, qui cum ipso erant, insidens, improbum consessum cogens (ecquis enim Concilium hoc appellârit?) statuas (ô rem grauem!) & idola sacras Imagines vocat. Ac deindè illi iniquitatem suam iniquitate, ac malum, vt dici solet, malo cumulantes, orthodoxum illum Germanum anathemati per summum furorem subijciunt, ea scilicet facientes, quæ ipsi pati merebantur, idolorum eum ac lignorum cultorem appellantes, cùm ipsi verè dæmonum cultores & amici essent. Quonam pacto, Christe, lenitatem illam tuam, quæ nullis verbis explicari potest, non admirer? Quonam pacto benignitatis tuæ, quæ vim sermonis omnem superat, abyssum exponere queam? Adhæc porrò audacissimæ illæ linguæ eò proruperunt, vt ingens quoquè istud & improbum eloqui non dubitârint, nimirùm illam ipsam Dei genitricem virginem inutilem quandam post mortem, ac commodi omnis expertem rem esse, nec cuiquam omninò adiumento ac præsidio esse posse. Ac deniquè, quod postremum illorum & grauissimum malum est, scelerati certè ac vineæ Christi exitiosi sacerdotes (de quibus Propheta prædixit, Egressa est iniquitas à sacerdotibus Babylonis: ac rursùs, Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam) hi, inquam, inter sanctum & prophanum minimè distinguentes, posteaquàm è pestilenti illo consessu exurrexerunt, populum eum, qui post eos à recta doctrina aberrârat, manus in altum tollere iubentes, lætum strepitum excitârunt, atque horrendum illud atque omnem furorem excedens protulerunt, Hodiè salus mundo: quandoquidem opera tua, ô Imperator, idolis liberati sumus. O prophanas linguas, quæ nefariam illam vocem emiserunt! Quibus illud Dauidis planè quadraret, Iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. Existimârunt enim robustæ improbitatis ac nobilis impietatis homines se nihil magni ac præclari facturos, si ea loquerentur, quæ aures ferre

Germanus orthodoxus Antistes ab Iconomachis anathemate feritur.

Dan. 13.
Hier. 12.

Horrenda Iconomachorū vox.

Psal. 72.

ferre possent, audaciæque suæ modum aliquem constituerent, ac non omnium, tam qui vnquàm fuerunt, quàm qui vnquàm erunt, maximè impios sese præberent.

Cap. 19. Hæc cùm ità & dicta & perpetrata essent, ac propemodùm & os omne impium istud dogma professum fuisset, & manus omnis professionem scripto confirmâsset, Imperator huiusce Stephani virtutem audiens, secumque istud perpendens, quòd si hunc quoquè retibus suis includeret, fauoremque ipsius ac præsidium sibi adiungeret, execrando suo dogmati magnum ob ingentem virtutis illius claritatem atque splendorem robur conciliaret, Callistum quendam, patricij ordinis, summa secum familiaritate deuinctum, atque & suam hæresim apprimè callentem, & eximia dicendi facultate præditum, ad se accersit, eumque ad sanctum virum legat, his verbis vtens: Ad Auxentianum montem contende, ac Stephano, qui illic delitescit, atque ex Immemorandorum classe ac numero est, persuade, vt Concilij decretis assentiatur, & subscribat. Sicque eum alloquere: Pij ac rectissimè de religione sentientes Imperatores, Constantinus & Leo, beneuolentia erga te, quia virtute ac vitæ sanctitate delectaris, impulsi, te orthodoxi Concilij decreto nunc edito ac promulgato subscribere iubent. Tu verò & caricas ipsi & palmas feres, amygdala itèm, aliaque nonnulla, quibus vir colendæ pietatis studio deuotus ali consueuit. Nôrat enim & ipse, quanta esset illius continentia, penè vt etiam de hoc virtutis genere cum spiritibus à materia remotis contenderet. Callistus itaque quàm celerrimè poterat, ad montem profectus, sancto viro Imperatoris mandata exponit, eaque omnia, quæ illiciendi atque inflectendi vim habebant, in medium profert, ipsumque ad subscribendum pertrahere conatur. Verùm pietatis corona erat Stephanus, zeloque ac virtute Protomartyre haud inferior. Tanquàm enim, qui Dominum à dextris suis esse semper prouideret, ac propterea nullo hæresis impetu concuteretur, ad perniciosum illum nuncium his verbis vsus est: At ego nec huic decreto ac falsi huius Concilij vaniloquio subscribam, nec illud vnquàm comprobabo, nec amarum dulce, ac tenebras lucem dicam: nè Prophetæ maledictionem in caput meum pertraham. Sacrarum autem Imaginum causa promptum mihi ac procliue est mortem oppetere, Imperatoris minas, qui has delere ausus est, nihil moranti. Hæc vbi dixit, cauam manum statim ostendens, Etiamsi mihi, inquit, tantulum duntaxàt sanguinis esset, id tamen pro Christi imagine profundere minimè dubitarem. Quos verò ab eo ad me cibos attulisti, referas sanè licet: quoniam, vt cum diuina Scriptura loquar, bonorum eius non egeo. Oleo peccatoris non impinguetur caput meum: nec hæreticorum cibis guttur meum deliniatur.

Nititur impius tyrānus S. Stephanū in suā sententiam attrahere.

Nullis illecebris flecti potest S. Stephanus.

Psal. 15.

Esa. 5.

Ardens in eo martyrij desiderium.

Psal. 15.

Psal. 140.

Cap. 20. Hac oratione audita Callistus maximo pudore suffusus reuertitur, atque Imperatorem adiens, omnia ei narrat. Ille autem iræ ac furoris nube obducitur, ac statim sicarios vnà cum Callisto mittit, eisque imperat, vt sanctum virum à cella sua abstrahant, ac protinùs ad inferius monasterium deductum, illic cum summa cura ac vigilantia inclusum teneant, quoàd arbitratu suo de eo constituerit. Sic igitur dicto citiùs id quod imperatum fuerat exequi contendentes, ad speluncam veniunt, ac sanguinario animo insiliunt, ostioque statim calcibus effracto pium virum per vim foràs trahunt. Ac cernere erat rem proborum oculis admiratione dignam ac memorandam. Etenim ex ingenti quadam continentia, & domicilij humilitate atque angustia, tibiæ ipsius ità femoribus adhæserant, vt nec vllo modo stare, nec moueri posset. Quod cùm amentes homines perspexissent, summa admiratione perfusi sunt, atque ex sæuitia & feritate animos ad commiserationem inflexerunt. Ac duo quidam ex ipsis (sunt enim etiam inter malos ac flagitiosos homines semimali quidam, atque eiusmodi, vt eorum improbitati remedium afferri possit) concepta ex tanta sancti viri ærumna commiseratione, consertis manibus acceptum eum sufferebant. Mox autem ad Patris Auxentij cœmeterium venientes, eum vnà cum monachis illis, qui cum eo versabantur, incluserunt: atque ipsi pro foribus excubabant, imperium aliquod ac nuncium à tyranno expectantes. At enimuerò generosus ille atque eximia virtute præditus Stephanus, tot molestijs affectus, ac facinorosi cuiuspiam hominis ritu in custodiam coniectus, animo non concidit: verùm vnà cum socijs suis alta & modulata

Admiranda S. Stephani austeritas.

Ducitur vir sanctus cū suis monachis captiuus ad Auxētij cœmeterium.

voce

* deest, Iesu seu Christe.

voce psallebat, Impollutam imaginem tuam, ô bone *, adoramus. Ac deindè aliud quiddam huiusmodi ab ipsis psallebatur: In cogitationum mearum latrones incidi, ab ijsque mihi misero mens abrepta est. At ij, quibus custodia commissa fuerat, pro foribus stantes, atque id quod ab eis canebatur audientes, ac velut excantari sese propter illos existimantes, capita mouebant, seque miseros ducebant, quòd à monachis, qui nihil sceleris admisissent, atque iniquè inclusi tenerentur, optimo iure latrones appellarentur. Cùm autem sex iam dies fluxissent, in quibus pius ille vir nihil omninò cibi gustârat, septimo die affuit quidam à tyranno missus, qui sanctum virum ob id quod recèns acciderat (nunciatum enim fuerat bellum à Scythis inferri) cellæ suæ restituit.

Cellæ suæ ob exortum bellum, restituitur.

Cap. 21.

Sergi' apostata & proditor.

Cæterùm ille κάκιστος potiùs, hoc est pessimus, quàm Callistus, cùm vnum ex sancti viri discipulis, nomine Sergium, de quo iam nos verba facturos esse promisimus, remotis arbitris accersiuisset, ac versutis quibusdam sermonibus & pecunijs eum corrupisset, misero illi persuadet, vt non Iudam solum proditionis reum agi sinat, sed ipse quoquè rursùm patris ac præceptoris sui proditorem se præbeat. Confestìm igitur in ipsius perniciem meditari non desijt, atque omnem artem adhibere, quò magnum illum virum cassibus suis implicitum teneret. Vt autem frustrà se laborare, ac nihil efficere perspexit, (Cur enim sacram illam animam, atque ab omni repræhensionis nota immunem aggrediebatur?) statìm à sancto ouili digreditur, velut nimirùm filius improbus atque alienus, à semita recta claudicans: atque ad eum, qui legendis Nicomediensis oræ vectigalibus præerat, Aulicalamum nomine, accedit, eumque socium & adiutorem in his, quæ aduersùs sanctum virum struebantur, adhibet. Ambo igitur, in capitis sui perniciem inito consensu, libellum in eum calumnijs refertum peruersissimo animo conscribunt. In quo primùm illud inserunt, eum Imperatoris, tanquàm hæretici, memoriam execrari, ac diris deuouere, eumque Syrum ac Vitelium appellare, atque aduersùs ipsius maiestatem technas moliri, aliaque permulta, quæ ob prolixitatem, & inutilem loquacitatem, intempestiuum ac superuacaneum est commemorare.

Psal. 17.

Itèm Aulicalamus socius eius.

Calumniæ aduersùs S. Stephanum structæ.

Cap. 22.

Itèm aduersùs Annam sanctimonialem.

Postremò autem de proba illa ac præclara Anna, quam ipse mundum fuga relinquentem in monacharum numerum atque ordinem adscripserat, hoc ponunt, quòd mulierem quandam nobili loco natam, fraude circunuentam monasticis institutis initiâsset, atque in inferiori monasterio teneret, cum eaque noctù ad ipsum ascendente consuetudinem haberet. Adhæc ipsius ancillam pecunia corrumpunt, eique tum libertatem, tum aulici cuiusdam connubium pollicentes, hoc persuadent, vt aduersùs eam simul ac sanctum virum consentanea ijs diceret, quæ illi in illo calumnijs pleno libello contexuerant. Hoc cùm scripsissent, per militem quendam ad Imperatorem, qui tum in Scytharum locis morabatur, libellum mittunt. Ille igitur lucri cuiusdam instàr eum accipiens, ac leonem iam in vinculis habens, ad Anthetum, qui vicariam ipsi in vrbis gubernatione operam nauabat, epistolam quamprimùm scribit, hoc exemplo. Ad monasterium illud, quod ad Auxentiani montis radices situm est, summa celeritate proficiscere. In eo enim quædam Immemorandorum scorta sub pietatis prætextu degunt. Quorum tu vnum, cui nomen Anna est, assumptum, per publicos equos quàm celerrimè ad nos mitte. Ille igitur scelerati Regis sceleratior præfectus, simulatquè literas accepit, militum agmine cinctus, ad monasterium proficiscitur, ac sacras illas mulieres tertiæ horæ laudes Deo canentes offendit. Confestìm itaque milites, quibus ipse septus erat, gladios stringunt, ac Christi sponsas circundant. Ità diuina laudatione incondito clamore compressa, Christi famulæ, quà fugerent non habentes, partìm intra sacri altaris cancellos sese protinùs abdebant, partìm venerandum diuinæ mensæ peplum subibant, partìm ad montem excurrere tentabant, sed ab ineuitabilibus illis prædonibus retinebantur. Quorum impetum domûs illius præfecta minimè ignorans, (etenim in sua cella quiescebat) mulier ætate quidem prouecta, cæterùm in perferendis laboribus vegeta, intrepido animo ad eos egreditur: atque, Quid ista perpetratis, inquit, cùm Christiani sitis? Quid in mulieres diuino cultui consecratas, quæ nemini vnquàm iniuriam vllam inferre in animo habuerunt, impetum fecistis? Hi autem venerandæ illius anûs libertatem summoperè admirantes, atque eam anti-

Imperatoris literæ ad Anthetum vicarium.

Diuinã mẽsam, altare dominicum appellat.

antistitam esse intelligentes, insolenti illo impetu suo statim in diuersum mutato, non sine quodam pudore ac reuerentia leniter ad eam his verbis vtuntur: Annam Stephani amasiam nobis dede. Hoc enim Imperatoris edictum poscit. Ipsa autem eam protinùs, ac quandam alteram cum ea, nomine Theophanam, accersens, Abite, inquit, ad Imperatorem: ac prudenter ipsi respondete. Cæterùm, quoàd eius fieri poterit, prouidendũ vobis est, nè per fraudem aliquam in prædam incidatis. Anna sancti-monialis, captiua ad Imperatorẽ ducitur.

Postquàm igitur abductæ sunt, atque ille eas adesse comperit, disiungi ab inuicèm iubet: ac deindè accitam Annam ad hunc modum affatur. Mihi quidem nullo omninò modo dubiũ est, quin ea omnia vera sint, quæ de te ad me perlata sunt. Cæterùm eò te acciri volui, vt tu quoquè liberè ac submota omni dissimulatione cuncta detegas, nimirùm quonam pacto præstigiator ille ac sceleratus huc te adduxerit, vt & bonorum tuorum possessionẽ relinqueres, & paternam nobilitatem pro nihilo duceres, ac deniquè hanc tenebrarum vestem indueres. Perspicuum videlicet est, quemadmodùm etiam à quibusdam intellexi, id illũ tibi idcircò suasisse, vt te tanquàm scorto abuteretur. Verùm quid tandèm in eo pulchritudinis perspexisti, vt tu in eam fraudem incideres? At casta illa mulier turpibus his verbis auditis, Absit, inquit, Imperator, vt hac de causa paternas opes abiecerim, atque ornatum omnem exuërim, vt animã meam huiusmodi libidinibus in seruitutem addicerem. Verùm qui hæc de me detulerunt, vt cum Dauide loquar, acuerunt linguam suam sicut serpentis: venenum aspidum sub labijs eorum. En igitur corpus meum tibi proponitur. Ferro, igni verberibus excrucietur: nihil aliud, quamdiù mihi spiritus ac vita suppetet, ex Anna audies, quàm quod verum est. Sanctum ac iustum virum hunc esse, animæque meæ salutem attulisse perspectum habeo. Obriguit ad hæc tyrannus, horæque parte haud exigua vocis vsu caruït: summumque læuæ manus digitũ, vt illi in more erat, præmordens, ac dextram manum in orbem torquens, hanc quidem sedulò custodiri iubet: ipsius autem comitem, inuitam licèt ac repugnantem, domum reuerti. Quò etiam vt redijt, antistitæ suæ ac magno Stephano cuncta exponit. Cap. 23. Perpulchrũ Annæ ad Imperatorẽ responsum. Psal. 139.

At verò Imperator non multò pòst, confecto ex animi sentẽtia bello, Constantinopolim redit. Ac parum admodùm, aut nihil omninò, de publicarum rerum administratione laborans, hoc vnum seriò agit, ac negocijs omnibus anteponit, nempe vt Stephanum retibus suis implicitum teneat. Annam itaque, de qua verba fecimus, in Phialę carcere includi iubet, (est autem ille mirè caliginosus, atque inferno propemodùm haud absimilis) ac deindè per cubicularium quendam hæc ei significat: Parce tibijpsi mulier, animumque induc honestè viuere, atq; abiecto hoc tenebrarum indumento cum Imperatrice vitã degere. Cæterùm crastino die, cùm interrogaberis, fac coram omnibus vera dicas. Præstò enim est ancilla tua, quæ, etiamsi ea quæ perpetrata sunt inficiari voluëris, te conuincet. Ego autem veritatis patronus ac propugnator, membratìm ac frustatìm carnes tuas lacerabo, faciamq; vt intelligas, quantùm Imperator, qui te hęc monet, valeat, quantùm rursùs Immemorandorum antistes Stephanus. Sin autem hoc tibi persuaderi sinas, vt nomen eius apertè deferas, ipsiusque voluptates ac libidines palàm prodas, maximosà nobis honores ac munera consequeris. Hæc vt pia Anna audiuit, nihil aliud quàm meras nugas hæc omnia esse ducens, breue responsum dedit, hoc vnum inquiens, Dei voluntas fiat. At Imperator, cùm ingentem hominum cœtum ante palatij carcerem postridiè manè collegisset, vt qui se ipsi quod volebat persuasurum esse confideret, nudam eam in omnium conspectu sisti iubet, virgarumque fasce in ipsius oculis & adspectu posito, Hæc, inquit, nõ ad spectaculum duntaxàt, incutiendumque tibi terrorem adhibui: sed & tergum tuũ & ventrem ijs conscindam, nisi execrandos Stephani concubitus hodierno die in apertum proferas. Ad quæ cùm casta illa mulier, animique magnitudine præstans, ad Christi exemplum obticuisset, Tyrannus oculos in eam iracundè conijciens, ac meretricem eam, quæ pudicitiæ amore tenebatur, scelesto ore appellans, flagris eam crudeliter affici iubet. Cùm itaque ipsa à quatuor valentissimis hominibus distenta fuisset, ac perdiù & tergo & ventre tunderetur, nihil aliud ex ipsa audiri poterat, quàm hoc solùm, Non noui hominem, quemadmodùm ipse ais, non noui: Domine miserere. At verò versipellis illa ancilla, atque animo etiam adhuc magìs seruili ac scelesto, Impe- Cap. 24. Anna teterrimo carcere includitur. Virgis acerrimè cæditur.

 ratoris

Versipellis eius ancilla in eam conspuit. ratoris iussu in ipsius conspectu stans, manus aduersus eam protendebat, ac ne conspuere quidem ipsam verebatur. Cumque nonnulli ipsius calamitate sese commoueri fingerent, atque in aurem insusurrantes, ipsam admonerent, vt ea, quæ Imperatoris voluntati consentanea essent, diceret, atque ad hunc modum cruciatibus eximeretur, ipsa in pristina animi fortitudine ac tolerantia perstans, à vero minimè desciscebat. Vt autem eam verberum multitudine confectam, ac penè spiritum exhalantem tyrannus vidit, subsellio exurgens, celeri cursu in palatium se abdidit, eam in vno quodam vrbis monasterio includi iubens, & quidem ità, vt omni corporis cura destitueretur. Ipse autem varios ac multiplices insidiarum modos animo versare non desinebat, quò sanctum virum morte afficeret.

Cap. 16. Quocircà postridiè, cùm Georgium quendam cognomento Syncletum, nitidum ac vigentem iuuenem, ipsique charissimum, acciuisset, priuatim cum ità alloquitur: Quantam, ô Georgi, tui erga me amoris vim esse ais? Infinitam, inquit ille, Imperator, nec in mensuram vllam cadentem. Tum Imperator: Audesne igitur pro hac tua erga me beneuolentia mortem oppetere? Et quidem libenter, inquit ille, ac summa cum animi voluptate istud fecerim. Hic Imperator lætissimo animo ipsum osculatus, En, inquit, nouum quoque Isaac. Ac deinde, Nec vt mea causa mortem subeas, Georgi, nec vt membrum aliquod tibi adimi sinas, nec denique vt quicquam aliud eiusmodi sustineas, nunc iubeo: verùm hoc vnum, vt ad Auxentianum montem properè te conferas, cumq; omni memoria indigno Stephano agas, eique persuadeas, vt tibi monasticum habitum imponat, ac te in suorum album adscribat. Quod cùm cōtigerit, statim ad nos quàm celerrimè poteris, redeas. Ille autem hunc sermonem prompto ac lubenti animo excipiens, atq; ad hanc fraudem obeundam ab eo (vt erat in huiusmodi rebus ingeniosissimus) plurimis verbis instructus & eruditus, confestim ad montem ascendit, ac sub nemoroso quodam ac virgultis pleno loco delitescens, media nocte, dæmonibus non absimilis, egreditur, atque ad monasterium accedens, voces ad misericordiam ciendam comparatas emittebat: Miseremini mei, inquiens, miseremini, Christiani omnes qui hìc habitatis: nec me à feris abripi, aut in præcipitium vel voraginem ruere sinite. Oberraui enim in via, nec quid faciam habeo. Hæc & alia quædam cùm simulatissimo animo quereretur, Stephanus, vir humanus, & ad misericordiam propensus, exaudiens, Marinum monachum accersit (rei enim commentitiæ simplex illa ac fuci & malitiæ expers anima fidem adhibebat) atque, Abi properè, inquit, ac lugentem istum, quicunque tandem ille sit, huc admitte, nè pereat. Ille igitur confestim admissus, ad ipsius genua se abijcit, atque, ô Deus bone, quantā cum simulationis larua impurus ille & execrandus vsitatum illud, Benedic Pater summè venerande, pronunciauit! Posteaquàm autem sanctus vir ipsi benè precatus est, ipsumque exurgere iussit, tum ab indumentis, tum à facie ac genis prorsùs abrasis eum agnouit. Siquidem eraso mento erat. Nam id omnibus tyrannus edixerat, in hoc nimirùm Deo aduersam legem sanciens, ad Mosem videlicet dicenti, Loquere ad populum, ac prohibe nè barbam in rotundum radat, aut eam implexam gerat. Etenim vt in alijs omnibus rebus, sic in hac quoquè ipsi aduersari contendebat. Atque omnibus tam iuuenibus quàm senibus barbam ad cutim vsque radere præceperat: vt qui eos, tanquā salaces equos, ad benè semper curandam cutim, atque ad lasciuiæ studium extimularet. Cùm igitur hinc eum ex Imperatoris classe esse coniecisset, percunctabatur ex eo, vndenam esset, & quo pergeret. Ille autem (ac vide quæso hominis malitiam) quin ex aulicorum numero esset, minimè inficias ibat: cæterùm, inquit, dum flagitiosissimi Imperatoris sententiam, & ego & socij mei sequimur, penè in Iudaismum præcipites abrepti sumus, atque in ingens animæ periculum iam incidimus. Ego verò quo in malo versarer, tandem aliquandò persentiscens, ad tuæ sanctitatis pedes, vt vides, properanter veni, vt angelicum hunc habitum, cuius desiderio teneor, à te obtineam. Quocircà nè me quæso abijcias, honorande Pater, nec, tametsi indignum, à præclara hac spelunca remoueas. Tum ille nomini suo respondens Stephanus, Nequeo, inquit, fili, huiusmodi rem aggredi: nè quid mihi periculi à tyranno creetur. Ille autem statim figmentum suum ac simulationem adaugens, atque id omni studio contendens, vt fabulam eam, quam agebat, quoàd eius fieri posset, ab omni suspicio-

[Margin notes:]
Eccè quid doli moliatur sacro ille Copronymus, vt sanctum virum morte afficiat.
Eccè columbinam Stephani innocentiam, & misericordē animum.
Cōstātinus aulicos oēs imberbes esse voluit. Leuit. 19.
Georgius aulicus, dolosè habitū monasticū à viro Dei expostulat.

ſuſpicione vindicaret, ac prætereà quò ſanctum virum ad id quod expetebat alliceret, Rationem, inquit, Deo pro anima mea reddes, nisi me hodierno die ſine vlla cunctatione detonſum in monachorum ordinem adſcribas. Nihil enim mihi alioquì ſupereſt, quàm vt ſtatim ad prioris vitæ inſtitutum reuertar. At venerandus ille vir hoc ſermone commotus (Nôrat enim omnia pro nihilo ducere, cùm de animæ ſalute agi exiſtimaret) Etiamsi periculum in hac re ſitum eſt, inquit, tamen quia te ſincero animi affectu acceſſiſſe dixiſti, non committam, vt contra Dominicum præceptum te foràs eijciam. Cæterùm attento animo ſis oportet, pectusque tuum aduersùs omnem ærumnam præmunias. Sic enim ſuos Dominus explorare ſolet. Hoc ſermone habito, mundanam veſtem ipſi detrahit, atque obedientiæ veſtimento eum induit. Atque ità impoſtor ille ad tertium vſque diem perſtitit, non tam decipiens, quàm ipſemet à dæmone, qui eum ad huiuſmodi facinus abripuerat deceptus. Ioan.6. In ſui perditionem impoſtor ille à Stephano recipitur.

Nec verò ſubdolum tyrannum hoc fugit: verùm interìm dum hæc peragebantur, ingentem hominum multitudinem in theatro colligens, ac gradus eos, in quibus purpuratorum corona ſtare conſueuerat, inſcendens, mœroreque profligati ac perditi hominis laruam induens, Nulla mihi vitæ reliqua pars eſt, inquit, præ veteratoria Deo inuiſi Immemorandorum horum agminis nequitia. Cùm autem populus ad iſtud exclamâſſet, Quonam modo hæc, cùm huiuſce habitùs ne veſtigium quidem vllum in tua vrbe ſuperſit? ille editiore voce, Inſidias eorum, inquit, nullo pacto ferre queo. Omnes enim meos ſubdolo animo circunuentos ad ſe pertraxerunt, atque adamatis ſuis tenebris mancipârunt. Nunc autem, tanquàm ne nunc quidem ijs quæ perpetrârunt contenti, grauiora prioribus adiecerunt, ac Georgium eum, quem, vt ſcitis, amore complectebar, à latere meo abreptum auulſumque, monachum (ô terra, & Sol!) effecerunt. Hæc me intolerando quodam mœrore excruciant. Cæterùm cura noſtra in Dominum conijcienda eſt, nobisque ad eum preces adhibendæ: atque ille breuì, quod expetimus, in apertum proferet. Ad hunc modum præſtigiator ille ac vanus, quod, pro eo atque imperârat, ac veteratorio animo molitus fuerat, iam iamque euenturum erat, antè prædicit, vt vatis famam conſequeretur, qui denſiſſimis tenebris ac ſcelere plenus erat. Cùm autem ij qui aderant, quique nihil ad veritatem, ſed ad gratiam omnia ſua tum facta tum dicta referebant, tritum illud ac peruulgarum dixiſſent, Cor regis in manu Dei eſt, &, Orante te, Deus omninò exaudiet: concionem ſoluerunt. Cap.26. Cōſtantini iniquiſſima diſſimulatio. Conſtantinus Copronymus vatis famam affectat. Prou.21.

Porrò admirandus Stephanus execrandum illum, ac mali malum diſcipulum, poſt tertium diem accerſit, plurimisque præceptis inſtructum detondet, ac monaſtico habitu adornat, atque, vt Solomonis verbis vtar, inaurem auream nari porcinæ imponit. Ille autem nihil diuina illa præcepta moratus (quî enim, cùm in maleuolam animam ſapientia intrare profectò nequeat?) montem, tanquàm ignauus quiſpiam ac fugax miles, relinquens, ad aulam abijt. Imperator verò lubenter eum excipit, ac læto animo amplectitur, non ob ſanctum habitum, vt oportebat, ſed ob id potiùs, quòd eum abieciſſet, hincque ipſe iuſti viri de medio tollendi anſam nactus eſſet. Confeſtìm igitur omnibus cuiuſuis ætatis hominibus ad publicum theatrum ſub matutinum tempus ipſius iuſſu coactis, ſtans ille eodem quo priùs loco, alta quadam voce, ac mira lætitia perfuſo animo, Vicit, inquit, fortuna mea: precesque meas Dominus exaudiuit. Papæ, cuius hominis? Immò verò earum potiùs princeps tenebrarum auditor extitit. Cùm autem multitudo pro ſuo more ipſi applauſiſſet, atque iſta ad gratiam & obſequium comparata rursùs dixiſſet, Quandò autem, ô here, te Dominus non exaudiuit? ipſe hoc ſermone delectatus, ac iucundè arridens, Reuelauit, inquit, mihi Deus quem quærebam: quem ſi vultis, hodierno die vobis commonſtrabo. Ac ſimul ſpectandum eum produxit. Promiſcua itaque illa multitudo, ſimulatquè ipſum conſpexit, quò tempori magìs adhuc obſequeretur, Hunc, inquit, malè de te meritum, malum ac nefas eſt intueri. Obtruncetur ergò quamprimùm execrandus iſte, obtruncetur. Quæ cùm dicerent, id quidem dicebant, quod illum pati oportebat: cæterùm ab Imperatoris mente ac ſententia prorsùs aberrabant. Quocircà ſtatim, tyranno ità iubente, ſacram ipſi epomidem detrahunt, eamque ad populum vnà cum cucullo (nam Cap.27. Prou.11. Sap.1. Redit antedictum monachi ſimulacrum ad Imperatorē Pſeudomonachus ille populo conſpiciendus exhibetur.

Ecclesiastica indumẽta indignissimè proteruntur.

ità appellari consueuit) abijciunt: quæ extemplò ab impuris illis ac sceleratis conculcata sunt. Vt autem Cruciferum quoquè analabum, hoc est redimiculum, vt etiam ipsum deijcerent, nefario illi demere cœperunt, manibus acceptum illum Imperator vndiquè contorquebat, quidnam istud esset, sciscitans. Tum Senator quidam, vt nomine, ità etiam re Dracontius, Proijciatur, inquit, Imperator, hic quoquè Satanici laquei funis, dignus ipse proculdubiò eiusmodi laqueo. Quod etiam cùm ilicò factum fuisset, is quoquè à plebe protritus cernebatur. Et quidem res præclaræ indigno homini rectè detrahebantur: at non itèm rectè à scelesta ac sacrilega multitudine per contumeliam obterebantur. Pòst autem, quatuor homines prono corpore arreptis prophani illius vestibus, tanquàm pelle aliqua ipsum statìm exuunt, atque eius loco militarem vestem imponunt, caputque ipsius galea cingunt. Cumque eum priùs inspectante turba vndis eluissent (ad expiandam scilicet spurcitiem eam, quam ex sacro illo habitu contraxerat) ac Iudaicum in modum (quid enim aliud dicam?) ipsi quoquè res diuinas & sacras ludibrio habuissent (ó quonam pacto hæc vel aures duntaxàt ferent!) tum deniquè suismet manibus Imperator ense ipsius humeris appenso, eum Hippocomi dignitate ornat. Atque hanc Georgius abnegati magistri mercedem tulit, quemadmodùm Iudas pro negato Christo triginta talenta.

Imperator scelestum illũ Hippocomi dignitate ornat.
Matth. 26.

Cap. 28.

Confestìm itaque multitudo impetu facto sancti viri discipulos disturbat, ac monasterium vnà cum templo igni absumit, sanctumque virum illum latronum instàr è spelunca abreptum ad Chalcedonis nauale abducit. Quænam autem lingua calamitates eas, quas in tam longo itinere perferendas habuit, oratione complecti queat? Alij enim cum magno impetu trahebant: alij fustibus à tergo feriebant: alij in vallem eum deuoluebant: alij tibias ipsius calcibus laniabant. Erant etiam qui in venerandam ipsius faciem spuerent. Erant itèm qui teneriores virgas amputantes, sacrum ipsius caput verberarent: quò nimirùm hac ratione plausum ac risum & voluptatem impuris hominibus excitarent. Alij deniquè petulantiori animo præditi, cæsis palmarum ramis ante ipsum incedebant, cachinnantes, & illudentes, ac sexcenta in eum dicteria iacientes. Quidnam porrò hæc ab impio Iudæorum furore distabant? Vt autem nullo in eum contumeliarum genere prætermisso ad litus peruenerunt, tum demùm lembo impositum ad Philippici monasterium (id autem Chrysopoli haud longè à Byzantio situm est) fortem virum abducunt. Vbì etiam illum custodientes, de ipsius statu Imperatorem certiorem faciunt. Quem, vbi atrocem illam huiusce viri raptationem & contumelias, incensumq; monasterium audijsset, lætitiam indè concepisse aiunt, atque edictum statìm promulgâsse, quo capitalem pœnam in eum sanciebat, qui ad Auxentianum collem vel solùm appropinquare ausus fuisset. Posteà autem, cùm hæresiarchas illos, qui eandem cum eo doctrinam tuebantur, acciuisset (erant autem illi Theodosius Ephesi Episcopus, Constantinus Nicomediæ, Nacolius Nacoliæ, Sisinnius itèm ac Basilius, quorum alter Pastillæ, alter Tricacabi cognomentum habebat, ac præterea Callistus, de quo antè verba fecimus, & Comboconon, qui in scribarum numero tum erat, ac deniquè Masaras, qui eadem cum Saracenis de religione sentiebat) ad Patriarcham, quicum non modò nomen idem, sed etiam eosdem mores, ac doctrinam eandem habebat, eos mittit. Hac autem de causa id faciebat, vt vnà cum ipsis ad Philippici monasterium nauigaret, atque cum diuinitùs inspirato Stephano disputationem iniret. At ille, quæ Stephani, tum doctrina, tum sanctitas esset, minimè ignorans, quodque præ eo ne propè quidem, vt dici solet, iacularetur, disputationem recusauit, eam potiùs ipsis, si possent, permittens. Inter Constantinum enim, inquiebat, & Stephanum, quod ad dicendi vim attinet, plurimùm interest. Siquidem mihi sermo duntaxàt præstò est: illi autem vnà cùm sermone diuini quoquè spiritûs potentia. Cæterùm etiam atque etiam attendendum est. Quid enim ampliùs vos ab eo audituri estis?

S. Stephanᵘˢ inhumanissimè ab impijs tractatur.
Iohan. 12.
Gaudet impius Imperator cùm malefecerit, & exultat in rebus pessimis.
Hęresiarchę iconomachi.
Patriarcha Iconomachorum disputationẽ cum S. Stephano detrectat.

Cap. 29.

Illi verò assumpto falsi illius concilij decreto, hoc est ficulneo, vt vulgò dicitur, auxilio, ad prædictum monasterium veniunt: atque in balnei gradibus manentes, sanctum virum accersunt, suæ nempe dignitati potiùs conuenire censentes, vt ille ad se accederet, quàm vt ipsi ad eum sese conferrent. Quoniam autem, tum ob eas,

ob eas, quas superiùs diximus causas, tum etiam quia ferreis catenis adstrictus erat, pedibus suis ingredi non poterat, duobus viris innixus ad eos proficiscitur. Primus itaque Theodosius Ephesinus Episcopus ad hunc modum eum alloquitur: Quonam tandem modo, ô homo Dei, animum induxisti nos omnes in hæreticorum numero reponere? teque supra Imperatores, supra Patriarchas, supra Episcopos ac cæteros Christianos, sapere iudicâsti? An nos omnes id molimur, vt nostrarum ipsimet animarum iacturam faciamus? At iustus vir leni ac placida voce, Aduerte, inquit, quid de Elia Propheta Scriptura prodiderit, nimirùm quemadmodùm ad Achas dixerit, Non conturbo, inquit, sed tu & domus patris tui. Neque enim ego nunc sum qui conturbo: verùm ij, qui contempta veterum Patrum traditione nouum quoddam dogma in Ecclesiam inuexerunt. Nam si quicquid antiquitate præstat, veneratione dignum est, vt quidam vir sapiens dixit, recentia vtiquè hæc atque adscititia vehementer absurda atque imbecilla sunt, vt quæ perspicuè adulterini Ecclesiæ Catholicæ fœtus sint. Ac proindè non intempestiuè propheticum illud mihi dicere in mentem venit, Reges terræ & principes vnà cum mercenarijs pastoribus, ac gregis proditoribus, conuenerunt in vnum, atque aduersùs Christi administrationem inania meditati sunt. Hæc cùm ad hunc modum Stephanus protulisset, Constantinus Nicomediensis Episcopus, vt erat truculentia & impudentia singulari, statim è subsellio suo exilijt, atque nil à calcitronibus asinis diuersum faciens, aduersùs sanctum virum impetum fecit, eique humi sedenti calces in faciem incussit. Ac præterea vnus ex sæuis satellitibus imum ipsius ventrem calcibus impetens, resupinum in terram prostrauit. Ac deindè continenter ipsius pectus pede feriebat. At diuinus Stephanus, Dominico præcepto obtemperans, seipsum ei ad libidinem feriendum prompto animo præbebat. Hæc porrò Callisto Senatori minimè æqua atque honesta visa sunt. Ob eamque causam, cùm prophano illi Constantino silentium indixisset, ad Stephanum his verbis vsus est: Duabus tibi propositis conditionibus, nempe vt vel pareas, ac concilij libello subscribas, vel mortem subeas, vt qui Patrum ac diuinitùs eruditorum Imperatorum legem repudies atque proscribas, vtram è duabus mâlis confestim elige. Rursùs ergò ille diuinitùs afflatus Stephanus, Attento ad verba mea animo esto, inquit, domine Patrici. En enim cum magno Paulo ipse quoquè clamo, Mihi viuere Christus est, ac pro veneranda ipsius imagine mori, lucrum. Quocircà & semèl iam dixi, & rursùs dicam, Si hemina mihi sanguinis est, ea quoquè pro Christo fundatur. Cæterùm facite, vt mihi concilij vestri decretum recitetur, quò intelligam, quibus tandèm rationibus adducti, diruendas ac delendas diuinas Imagines censuistis.

Theodosij Episcopi Ephesini ad Stephanum oratio.

3. Reg. 18.

Basil. Hom. 1. de Ieiun.

Psal. 2.

Impudens facinus Nicomediẽsis Episcopi.

Patientia S. Stephani.

Philip. 1.

Eligit Sanctus Dei potiùs mori, quàm iniquæ sententiæ subscribere.

Cap. 30.

Protinùs igitur Constantinus Nacoliæ Episcopus libellum illum recitandum suscepit. Cùm autem initio sic legisset, Decreta sancti & œcumenici septimi concilij, sanctus vir silentio manu significato, O singulare mendacium, inquit. Infirmo etenim ac caduco fundamento caducum quoquè profectò & imbecillum ædificium imposuistis. Quonam enim modo sanctum existimari queat, quod sancta prophanare minimè dubitauit? Quid enim? An non sancta à vobis protrita sunt? An non, cùm in concilio vestro sederetis, libellus vobis à pijs quibusdam viris oblatus est, qui Episcopum quendam eo nomine deferret, quòd lancem sanctam, in qua Christi, ac Dei genitricis Imagines sculptæ erant, contriuisset? Vos autem contritionis illius crimen Imaginibus adscribentes, ipsum quidem omni crimine soluistis, pios autem viros ab Ecclesiæ cœtu proscripsistis, idolorum vindices eos appellantes. Quo quid audacius flagitiosiusque fingi possit? An non etiam sacram supellectilem sanctis Imaginibus exornatam concerpsistis? An non adiectiuum hunc, Sanctus, ab omnibus iustis, ab omnibus Apostolis, à Prophetis, à Martyribus, pijsque viris abiecistis? Sancitum enim à vobis est, ô generosi viri, vt cùm quispiam ad horum aliquem abiret, ex eoque quæreretur quò iret, responderet, Ad Apostolos, ad quadraginta Martyres: si vndè veniret, itidèm responderet, Ex templo martyris Theodori, ex templo martyris Georgij. An non hæ vestræ doctrinæ sunt? Quonam ergò pacto, qui sancta proscripsistis, sanctum concilium coëgistis? O singularem absurditatem! Iam quî œcumenicum istud concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes, citra cuius authoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiasti-

Nõ patitur vir Dei iniquorum cõuenticulum sanctum cõcilium vocari.

Iconomachi pios viros in Christo defunctos sanctos dici nolunt.

Ecce authoritatem Romani Pontificis.

Itêm aliorũ triũ Patriarcharum.

cæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec deniquè Hierosolymitanus? Vbinam eorum libelli sunt? aut quinam per diuersa loca missi sunt, quibus falsum vestrum concilium confirmaretur, vt hac ratione œcumenicum censeri possit? Tum autem quonam modo septimum dicatur, quod sex priora concilia minimè sequitur? Quicquid enim septimum est, sextum & quintum, eaque quæ antecedunt, sequatur necesse est, vt septimum esse queat. Cùm igitur vos sex conciliorum sanctiones abrogaueritis, quid est quamobrèm concilium vestrum septimum appelletis? Ad quæ cùm Tricacabus dixisset, Et quodnam tandèm è sex illis concilijs decretum à nobis abrogatum est? Quid? inquit vir sanctus, an non sex omnia concilia in sacrosanctis templis coacta sunt, primum nimirùm in Niceæ metropli, atque amplissimo vrbis illius templo: secundum, apud Constantinopolim in sanctæ Pacis templo: tertium in pulcherrimo illo Theologi templo, quod in Ephesina metropoli situm est: quartum in sanctissima metropolitanæ nostræ Chalcedonis æde: quintum autem ac sextum Constantinopoli rursùm, alterum nempe in augustissimo Sophiæ templo, alterum autem in palatij æde, quam Oatum vulgò appellant? Quid igitur? an non in omnibus hisce templis Imagines pictæ erant? Quodnam autem ex prædictis Concilijs, quemadmodùm vestrum, deijciendas eas ac delendas esse censuit? Responde ad hoc Episcope. Cùm autem ipse rem ità se habere dixisset, sublatis in cælum oculis ac manibus, grauique gemitu imo pectore emisso, vir sanctus alta voce exclamauit: Si quis Dominum Iesum Christum in imagine, quantùm ad humanitatem attinet, circunscriptum, non adorat, anathema sit, cum ijsque partem habeat, qui dixerunt, Tolle, tolle, crucifige eum. At illi ob præclaram hanc ipsius in dicendo fiduciam stupore defixi, cùm beata illa lingua adhuc loqui, ac veritatis hostes fortiter insectari pararet, firmissima verborum tela, tanquàm sagittas in manu potentis, illi metuentes, statìm eum quidem in custodiam conijci præcipiunt, ipsi autem obtectis præ pudore vultibus ad aulam abiêrunt.

Concilia in sanctis templis celebrata sunt.

παῤῥησία Stephani.

Iohan.19.

Psal.126.

Cap.31.

Percunctante igitur Imperatore quidnam ipsi perfecissent, atque Episcopis cladem suam occultare conantibus, Victi sumus, ait Callistus, ô Imperator, victi sumus. Magnus in doctrina vir ille est, magnus in disputando. Incomparabilis ipsius virtus est: animus intrepidus. Non modò minis superior est: sed ipsam quoquè mortem contemnit. Imperator autem ob hæc ira percitus, Stephanum ad Hellesponti partes, hoc est ad Proconnesum exilij causa mittit. Vbi ille septem & decem integros dies in illius loci monasterio ità consumpsit, vt nihil prorsùs cibi attingeret: tametsì alioquì Imperator plurima ad eum alimenta mitteret. Nam ea ille rursùs remittebat, nullum prorsùs ex ijs degustans. Per hos autem dies grauissimo morbo correptus huiusce monasterij præfectus, quantùm quidem ad medicos attinebat, vitæ spem omnem abiecerat. Mittit itaque ad sanctum virum, eumque, vt ad se veniat, rogat: Quò, inquit, alter alteri extremam salutem dicamus. Incertum est enim, an nona hora apud viuos adhuc futurus sim. Quod vt ille audijt, statìm ad eum accessit. Ac deindè, cùm manu collum eius tenuisset, labia quidem ipse precationis causa mouebat, febris autem, quæ morbum pepererat, à corpore profugiebat. Quid posteà? Poculum suum vino mero impletum ei bibendum porrigit. Quod cùm exhausisset, statìm plurimus sudor ex ipso manauit, ac dicto citiùs sanitati restitutus est. Cùm igitur ei non tam extremum, quàm iucundum osculum præbuisset, illinc excedens, profectionem suam, vt cum Propheta loquar, in mari statuit, atque in eam nauem, quæ parata erat, ascendens, exulatum profectus est. Cumque desertissima quæque insulæ loca peragrâsset, in speluncam admiratione dignam incidit (Cissudam eam incolæ nuncupabant) in qua Christi auiæ Annæ templum erat. Hac re igitur oblectatus, atque huiusmodi locum non sine numine diuino sese inuenisse ratus, domicilium in eo sibi constituit, herbarum, quæ illic enascebantur, radices luculentæ cuiusdam & opiparæ mensæ instàr habens.

Mittitur exilij causa ad Hellespōti partes.

Morti proximũ pristinæ sanitati restituit S. Stephanus.

Templum sanctæ Annæ.

Cap.32.

At verò omnes ipsius discipuli ab Auxentiano monte depulsi, tanquàm oues vndiquè oberrabant, pastorem suum quærentes. Tandèm autem eum, cum in Proconnesum venissent, inuenerunt, duobus duntaxàt exceptis, qui à præ-

clarissimo

clarissimo illo ouili, vt à diuino duodenario Iudas, vel potiùs vt à Paulo Demas & Hermogenes, sese auulserant, ac pro monastico habitu mundanum induerant, nimirùm Sergio, de quo antè verba fecimus, (qui etiam inuectiuum atque execrandum aduersùs sanctum virum volumen condidit) ac ter misero Stephano, qui cùm Presbyter, ac supradicti Callisti minister primùm extitisset, ac deindè à sancto viro in monachorum album adscriptus fuisset, atque in montis monasterio sacerdotis munus obijsset, posteà tamen & monasticum habitum, & Deum eiurauit, atque ab ipsomet tyranno mundana veste indutus (quem priùs vitam abijcere oportebat) nefariam illam vocem emisit, (ô scelerata labia! ô impuram & fœtidam linguam!) Hodierno die, Here, à Satanicis faucibus opera tua ereptus, ac tenebroso amictu exutus, splendidum pallium indui. Cuius execrando sermone tyrannus summoperè delectatus, Sophiani palatij ministrum eum constituit. Quò etiam crebrò commeans, gaudij patrem, eum qui multis luctibus dignus erat, appellabat. His itaque solis ab ouili sacrosancto auulsis, cæteri omnes ad Proconnesum, vt à me dictum est, appulsi, monasterium construxerunt. Quin à philosophica ista vitæ degendæ ratione ne diuini quidem Stephani mater absuit: verùm vnà cum sorore insulam illam adiens, contubernium ipsius amplexa est. Illic itaque diuinus Stephanus extructa columna, ac supra eam angustissima quadam ædicula, in ea sese conclusit, annos iam nouem & quadraginta natus. Perindè autem àc si magnos Deo consecratæ vitæ labores tum primùm inijsset, ità seipsum asperrimis quibusque certaminibus dedebat: non secùs videlicet àc si certamen ipse secum instituisset, atque id contenderet, vt vnà cum ætate labores quoquè nouis incrementis cumularet. Quam etiam ob causam diuina quoquè miraculorum gratia ipsi insedit, atque admirabilium operum admirabilis effector extitit. Cęcus etenim quidam, iuxta illum à natiuitate cæcum, ad eum adiens, supplicesque easdem voces vnà cum pari fide mittens, lucem, quam nemo non experit, obnixè sibi dari rogabat. Ipse autem, vt qui modestè atque humiliter de se sentiret, primùm detrectabat. Cùm verò ille supplex instaret, Si fidem (ad eum inquit) in Deum habes, si imaginis ipsius cultor es, lucem, ac rerum ab eo admirabili modo conditarum pulchritudinem intuere. Vix hæc dixerat, cùm ille apertis oculis, ac perpurgata ea, quæ ipsis offusa erat, cæcitate, lætus ac lucem cernens ambulabat, testisque omni exceptione maior miraculi à Stephano editi. Atque hoc primum & maximum in ea insula beati viri miraculum extitit.

Mar. 14. 2. Tim. 4.

Nefaria apostatæ vox

Mater S. Stephani cũ sorore monasticũ institutum amplectitur.

Cæcum à natiuitate illuminat.

Alterum autem, atque eo posterius (quanquàm haud scio an potentia inferius censeri debeat) huiusmodi fuit. Fœminæ cuidam haud obscuro loco natæ, quæ Cyzici degebat, filius erat nouennis, à malo spiritu diuexatus. Quo secum assumpto mater in insulam profecta est. Vt autem ipse admirandi viri cubiculum vel solùm perspexit, tumultuari & æstuare, ac nunc sublimis in altum ferri, nunc rursùs in terram allidi cœpit, inconditas quasdam voces ad sanctum virum emittens, dæmone nimirùm, dum mouebatur, ipsum mouente, vimque ei, dum vim ipsemet pateretur, afferente. At mater, cuius viscera, non minùs quàm illius, distorquebantur, (quid enim aliud, cùm mater esset?) tum lachrymas internæ flammæ indices profundebat, tum voces, quibus misericordiam moueret, emittebat: Misereat te meî, inquiens, misereat te eius, quæ longè grauiori mœroris dæmone conflictatur. Vnigenitus enim mihi hic est, atque hoc vno spes omnis mea nitebatur. Hunc senectutis bacillum mihi fore sperabam, hunc generis suscitabulum, hunc vitæ solatium. At nunc, quo statu est, satiùs mihi fuerit eum extinctum quàm viuum intueri: quandoquidem ipsius vita morte grauiùs animam meam perturbat. Ac me rursus orbitatis aculei discruciant, maternisque visceribus exuror, atque in summa animi perturbatione versor. In te verò calamitatis huiusce meæ depulsio sita est. Tibi præsentem tempestatem precibus comprimere atque sedare procliue est. Duas animas miserare: duobus vno eodemque tempore periclitantibus facilem & exorabilem te præbe. Hæc cùm amaro ac gemente animo protulisset, ad sancti viri matrem (nam tum illic aderat) accedit, atque eius genua complectitur, Mater, inquiens, tu quo-

Cap. 33.

Mater filiũ à malo dæmõe obsessum offert sancto Dei viro curandum.

què extitisti: partûs dolores subijsti: lacte filium aluisti. Nôsti quinam naturæ sint stimuli: nôsti quantus liberorum amor in matrum pectoribus insitus sit. Te quæso vnigeniti mei misereat, te, inquam, misereat, ô verè egregiæ sobolis parens, ac felix mulier. Hunc miserum puerum in pœnam meam excruciatum commiserare. Huius igitur luctibus commotus Stephanus, vni discipulorum imperat, vt Crucis signum vniuerso pueri corpori adhibeat. Ipse autem intra se collectus, atque animæ oculum attollens, eum, qui celerrimè salutem afferre poterat, inuocabat. Atque ipse quidem lachrymis perfusus precabatur: ille autem humì magno cum impetu deiectus, amissa voce iacebat. Ipse surgere eum, atque ad se venire iubebat: ille iussis obsequebatur. Demùm cum, adorata Christi imagine, matri suæ sanum atque incolumem tradit. Atque ità cernere erat illud Dauidis impletum, Matrem nimirùm super filio lætantem. Ac quidem huiusmodi fuit istud facinus, tamque admirandum. Aliud autem, quod neutri è duobus vi ac facultate cedit, narraturus accedo.

Signo Crucis & oratione curat dæmoniacum.

Psal. 112.

Cap. 34.

Matt. 9.

Luc. 8.

Mulier quædam Heraclea, quæ Thraciæ vrbs est, oriunda, septem iam annos sanguineo fluxu (quemadmodùm hæmorrhoissa illa, in qua sananda Christus quondàm miraculum edidit) contabescens, ad eximium hunc medicum se contulit, morbum suum ostendens, morbi diuturnitatem indicans, calamitatem suam lachrymis exponens, medicinam deniquè flagitans Cuius miseria commotus vir ad miserationem propensissimus, eam in sanitatem asseruit: & quidem ità, vt ad eius curationem nil præter preces adhiberet, atque in ea tres tantùm dies insumeret. Nec verò morbo duntaxàt laborantibus, aut arreptitijs medicinam gratuitam afferebat: sed nauigantibus etiam, ac cum asperrimis ventis conflictantibus promptè succurrebat. Perspicuum autem istud est ex plurimis viris, qui iam ipsius beneficio salutem consecuti sunt. Nam cùm ventorum impetu mare grauiter exasperabatur, ac fluctus vehementer intumescentes cernebat, statìm discipulos ad orationem vocabat, ac propheticum illud vnà cum illis psallebat, Nè in fluminibus irascaris, Domine, nè in fluminibus sit furor tuus, vel in mari indignatio tua. Orabat igitur, ac statìm velut incantatione quadam maris feritas in tranquillitatem vertebatur, atque illi, qui è periculo erepti fuerant, accedentes, atque, vt fieri solet, suæ salutis modum exponentes, partìm se eum flagrante periculo secum vnà nauigantem, ac nauem subleuantem, partìm clauum tenentem ac nauem quàm tutissimè dirigentem vidisse dicebant.

Mulierem sanat à fluxu sanguinis.

Habac. 3.

Oratione marinos fluctus sedat, & periclitãtes liberat.

Cap. 35.

. Ad hunc itaque modum diuino viro in ea insula collucente, secundo exilij sui anno egregia ipsius mater, & quam à filio quispiam, quemadmodùm & ab ea filium, certissimo indicio agnoscere potuisset, filium simul ac mundum relinquens, ad communem Patrem concessit, his antè ad filiam suam verbis vsa: Non est quod plores: nam tu quoquè mecum profectura es. Nec verò plures quàm septem dies intercesserant, cùm Theodota quoquè (nam hoc filiæ nomen erat) relicto mundo ad matrem suam, quemadmodùm ipsa prædixerat, abscessit. Eodem autem tempore miles quidam, nomine Stephanus, genere Armenius, ab Europæ partibus profectus, qui dimidia suî parte contabuerat, totusque præ morbo humì vergebat, cùm magna illa miracula, quæ à magno hoc viro designabantur, intellexisset, ad eum perrexit, atque ad eius pedes accidens, ea postulare cœpit, quæ & ipse accipere summoperè optabat, & ille facilè præbere poterat. At ille, qui fide erga Dominum ac beneuolentia præditus erat, miraculum ad ipsum transfert: cumque ei, qui ægrotabat, vt & ipsius & matris imaginem adoraret, imperâsset, atque ille id faceret, sanum eum prorsùs ac valentem reddidit. Vt igitur ad commilitones suos se recepit, quærebatur ex eo, quanam ratione conualuisset. Ille autem eam minimè reticebat: verùm, Monachus quidam, dicebat, Stephanus nomine, qui apud Proconnesum in angustissima quadam ædicula degit, duas me Imagines adorare iussit, vnam quæ Christi, alteram quæ Deiparæ dicebatur: ac protinùs conualui, corpusque omninò erexi. At impij illi & conscelerati, manus non sine magno terrore complaudentes, Væ tibi, inquiunt, qui in idololatriam proruisti. Confestim itaque

Mater S. Stephani e vita migrat cum filia.

Ad Christi & matris eius imaginem debilis quidam curatur.

eum apud summum Thraciæ præfectum deferunt: qui cùm de eo quæstionem habuisset, nulla interposita mora eum ad Imperatorem misit. Is verò cùm accuratiùs eum examinâsset, an recuperatæ valetudinis modum intellexisset, pro ea qua laborabat stoliditate, non intellexit: verùm, quod ipsi summo studio erat, percontabatur eum, qui morbo liberatus fuerat, an in simulacrorum cultu perstaret. Qui cùm & ingenti pœnitudine se affici, atque huiusmodi simulacra execrari dixisset, tyrannus, vt ei impietatis mercedem referret, centurionem eum creauit. Cæterùm vindex Dei iustitia è vestigio ingratum illum persecuta est. Nam cùm statim ab aula reuerteretur, atque equum conscendere pararet, ille subitò saltitans in terram ipsum prostrauit, atque contriuit, nec calcibus in eum insilire destitit, quoàd ille ingratam animam euomuisset.

Militis sanati ieiunitas & perfidia.

Is miserè perit.

Tyrannus igitur, tanquàm hinc arrepta ansa, sanctum virum quamprimùm è Proconneso ad se adduci iubet, illud addens, quòd ne exilio quidem mulctatus, sibi temperâsset, quin plebem idolis cultum adhibere doceret. Cùm ergò illinc adductus esset, vt in Phialæ perquàm obscuro ergastulo tum vinctis ferro manibus, tum pedibus ad lignum arctissimè adstrictis, includeretur, edixit. Interiectis autem quibusdam diebus, ad Heliacum, qui Pharus dicitur, duobus tantùm primarij ordinis viris comitatus, sanctum virum præstò esse iubet. Cùm autem ad eum adductus fuisset, à pio quodam viro numum petijt, eumque cucullæ suæ furtim imposuit. Tyrannus itaque, vt eum vidit, exclamare cœpit, O vim mihi illatam, ô calamitatem, ô arrogantiam! Videte à quonam imperium meum contumelia afficiatur, à quonam ludibrio habeatur! Cùm autem vir sanctus nihil omninò respondisset, verùm humi defixus hæreret, tyrannus eum iracundè prospiciens, ignemque, vt dici solet, spirans, atque vt ipsi in more positum erat, manum in orbem torquens, alteque exclamans, Non mihi respondes, inquit, scelestum caput? At ille, Si me ità leuiter condemnare in animo habes, Imperator, supplicio quàm celerrimè affice. Sin autem huc me idcircò adesse iussisti, vt me interrogares, ac vicissim audires, iracundiam lenitate tempera, atque æquo animo & interroga, & audi. Tum Imperator: Dic age, quibúsnam paternis decretis minimè paruimus, vt apud te in hæreticorum numero censeamur? Quoniam, inquit ille, venerandarum Imaginum picturam, multis antè temporibus à diuinis Patribus traditam, sceleratè ab Ecclesijs eiecistis. Tyrannus autem, Nè has, inquit, Imaginum picturas dicas (neque enim sunt) sed planè idolorum picturas. Quidnam porrò idolis cum sanctis commune est? Hîc verò sanctus ille vir, Non, inquit, cùm Imagines adoramus, materiæ cultum ac venerationem tribuimus: verùm Imaginis honor ad exemplar transit, quemadmodùm à Basilio dictum est. Quid? inquit tyrannus, æquúmne est ea, quæ à Patribus antè prædicata sunt, quæque & multa & perobscura sunt, ac neque mente compræhendi, neque verbis vllis explicari possunt, per colores in sensum cadentes exprimere, atque in materia adorare, cùm eorum essentia nemini, nisi quantùm ad infinitatem, vt Gregorij verbo vtar, attinet, explorata sit? Minimè verò, ait vir sanctus. Ecquis enim mortalium, qui quidem mentis compos sit, diuinitatis naturam, quæ & materia caret, & omnem mentis captum fugit, coloribus è materia conflatis pingi posse dixerit? Cuius enim forma ne mente quidem deliniari potest, quonam tandem modo ipsa coloribus exprimi queat? At nos, cùm Christum in imagine pingimus, diuinitatis naturam haudquaquàm pingimus: verùm theandricam eam formam, quæ in nostra specie apparuit, quamque Apostolicæ manus contrectârunt, quemadmodùm alicubi ait Theologus, Quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt. Quòd si mihi dictum illud Mosis in medium protuleris, Non facies tibi similitudinem vllius rei, tam ex his quæ in cælo, quàm ex his quæ in terra sunt, hunc ipsum Mosem tibi ostendo duorum Cherubim effigiem auro efficientem. Quibus de rebus ad hunc quoquè modum diuinus Apostolus disserit, Et Cherubim obumbrantia Propitiatorium. Quin ipsum quoquè Propitiatorium, & Tabernaculum testimonij, & Sancta sanctorum, an non cælestium figuram exprimebant? quemadmodùm idem Apo-

Cap. 36.

S. Stephanus ab exilio ad tribunal Imperatoris reducitur.

Præscius futurorum numum exigit vir Dei.

Disputatio Constantini Copronymi cum sancto Stephano.

1. Ioan. 1.

Exod. 20.

Exod. 25.

Hebr. 9.

Hebr. 8. Apoſtolus rurſùs ait, Vmbræ cælestium deſeruimus. Quid igitur ſceleris admittimus, cùm Chriſti formam humanitùs adſpectam in imagine pingimus & adoramus? Quid autem? An cùm Crucem etiam, ex quacunque tandèm materia confecta ſit, adoramus, rei conditæ cultum adhibere videmur, adorationem materię tribuentes? Sed & pepla ſancta, & ſacroſancta vaſa à nobis adorata nullam nobis repræhenſionis notam inurunt. Siquidem ea per Chriſti inuocationem in ſancta mutari perſuaſum habemus. Quid? An tu quoquè corporis & ſanguinis Chriſti antitypa ab Eccleſia proſcribes, vt quæ imaginem ac veram illorum figuram teneant? quæ & adoramus, & oſculamur, & eorum perceptione ſanctitatem conſequimur. Vos igitur inter ſanctum ac prophanum minimè diſtinguentes, Chriſti imaginem, non ſecùs atquè Apollinis ſtatuam, Deiparæque itèm non ſecùs àc Dianæ, idolum appellare minimè horruiſtis. Quin ipſam quoquè pedibus protriuiſtis & exuſſiſtis. Ad hæc Imperator, O cæca mente prædite, inquit, ac ſupra omnes Immemorandos obliuione digne, his Imaginibus proculcatis Chriſtúmne proculcauimus? Tum verò ille, verè in diuinis rebus ſolers Stephanus, in morem eorum, qui bellica laude præſtant, aduerſarium ſuomet telo ferire, ac per ea ipſa quæ dixerat, profligare cupiens, manum in cucullam immittens, atque indè numum, in quo impius ille ſculptus erat, extrahens, eumque quemadmodùm Chriſtus olìm Cæſaris numum Iudæis oſtendens, Cuiúsnam, inquit, eſt hæc imago & ſuperſcriptio? Eo autem mirante, ac reſpondente, Cuius tandèm alíus, quàm Imperatorum? Quid, inquit vir diuinus, ſi quiſpiam eum contumelioſè in terram proiectum pedibus terat, pœnáſne aliquas luet? Quídni autem, dixerunt ij, qui adſtabant, cùm Imperatoriam effigiem proculcet? Ad hæc vir ſanctus, grauem quendam ex imo pectore gemitum emittens, ac magno cum animi dolore exclamans, O immanem, inquit, cæcitatem! Si pro mortalis Imperatoris forma & effigie grauiſſimas pœnas irrogandas eſſe dixiſtis, quas tandèm pœnas eum ſubiturum eſſe putatis, qui Filij Dei ac matris ipſius effigiem conculcârit, ignique tradere minimè dubitârit?

De veritate corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Eucharistia lege lib. 4. Damaſcen. de Orthod. fid. cap. 14.

Iconomachorum impietas.

Matt. 22.

Egregiè conuincit Imperatorem vir ſanctus per ſimilitudinem.

Cap. 37. Vix hæc dixerat, cùm ſubitò numum eum pedibus protriuit. Cùm autem ij, qui adſtabant, ferarum ritu accurriſſent, vt ſanctum virum præcipitem in mare deijcerent, (audax enim & præceps eſt aſſentatio, ac dum obſequijs aliquem nimiùm demereri ſtudet, mediocritatis omnis fines excedit) Imperator lenitatem ſimulans, quò iracundiæ haudquaquàm obnoxius eſſe videretur, qui eam ingentem atque arcanam in animo inſidentem habebat, in præſens quidem eos prohibet, atque ab huiuſmodi conatu abducit: cæterùm ſanctum virum collo alligari, ac manibus à tergo vinciri iuſſum, ad publicum prætorij carcerem amandat: vt videlicet ob protritam Imperatoris effigiem pœnas à lege conſtitutas lueret. Hæc nimirùm lenis ille ac facilis, cunctoſque iniuriarum obliuione ſuperans. Nam qui Chriſti imaginem proculcauerant, atque in ignem coniecerant, hi ſuæ imaginis vindices ſedebant, atque vltricem huiuſce facinoris legem proferebant. Ecquis autem eorum amentiam ſatis rideat, immò potiùs eorum væcordiam ac cæcitatem ſatis deplorare queat? At ſpiritu diuino maiorem in modum afflatus Stephanus, ſimulatquè vel ipſum carceris limen attigit, pectore incaleſcens, atque ab eo, quo præditus erat, perſpicaci ſpiritu concitatus, dierum ſuorum metam in lingua ſua locutus eſt, his verbis vtens: Hæc eſt præſentis vitæ meæ requies. Hîc enim ſaltem vſque ad extremum ſpiritum mihi habitare neceſſe eſt: quoniam pro imaginis Chriſti honore hanc ſedem elegi. In interiori autem carcere concluſus, exi[...]iæ virtutis monachos trecentos quadraginta duos ex varijs locis collectos, a[t]que eodem carcere condemnatos, inuenit, qui partìm nares, partìm aures excectas habebant, partìm euulſos oculos, partìm amputatas manus, ob id videlicet, quòd pro venerandarum Imaginum pictura & erectione lucubrationes edidiſſent. Ac quidem alij plagarum notas adhuc circunferebant: alij præclaras genas pice illitas atque ambuſtas habebant: alij caput ad riſum ac ludibrium abraſum. Quorum varios iſtos ac multiplices cruciatus diuinus Stephanus cernens, patientiæ nomine beatos eos prædicabat: ac contrà lachrymis dignum ſeſe iudicabat, vt qui in earundem plagarum partem cum illis minimè veniſſet, nec

Reducitur vir ſanctus vinctis poſt tergum manibus in publicum carcerem.

Pſal. 38.

342. monachi ob Imaginum defenſionem varijs pœnis affecti, carceri mancipantur.

hæc pro Christi imagine membrorum exectionem ipse quoquè pertulisset. At diuini illi Patres, vt primùm sanctum virum conspexerunt, ad eum tanquàm ad magistrum & præceptorem accesserunt, vt ab eo salutis præceptis erudirentur.

Itaque ex Prætorio monasterium factum est: quippè cùm illic omnis monasticæ vitæ forma ac regula ad vnguem obseruaretur. Ij autem, quibus carceris custodia mandata erat, quique sancti viri famam iampridèm audierãt, tum demùm animi quoquè ipsius statum, ab ea tranquillitate, quę in ipsius moribus elucebat, quantùm fieri poterat, coniectantes, ad eum tanquàm ad Dei Angelum animos conuertebant, eique summam reuerentiam, ac venerationem tribuebant: adeò vt quidam etiam eorum remotis arbitris eadem ad vxorem suam diceret, quæ olim Manue ille, Morte moriemur, mulier, præ tyranni huius furore. Virum enim, perindè àc Deum, hodierna die vidi, hunc, inquam, in vincula cõiectum monachum, quem Auxentianum vocant. Sapiens autem illa mulier non frigidè ac negligenter ad hæc verba affecta, verùm per concinnam atque prudentem ad virum interrogationem vitæ sancti Patris rationem omnem perscrutata, clàm in carcerem ingressa est, arreptisque venerandis ipsius pedibus, ab eo, vt pro se precaretur, ipsaque vicissim ei, quæ opus essent, subministraret, postulabat. At diuinitùs inspiratus Stephanus preces quidem ei annuit & concessit: cæterùm adduci non poterat, vt quicquam ab ea acciperet. Instabat tamen rursùs illa, dicens, Quidnam est, quamobrèm tu exiguam fidei erga te meæ promptitudinem tam obstinatè reijcis? Quanquàm enim ipsa id non mereor: at tuam tamen moderationem ac benignitatem ad indignos quoquè indulgenter sese demittere compertum habeo. Quẽadmodùm enim Sarepthana illa quondàm Eliæ farinam, & Sunamitis Elisæo cubiculum hospitij causa præbebat, ac beata illa vidua duos in summa sua penuria obolos erogabat, ac deniquè Samaritana illa ex fonte haustam aquam Deo porrigebat: ad eundem etiam ipsa modũ cùm pari fide aliquid in te beneficij conferre studeam, nè quæso desiderio meo excidam. Ille verò rursùm id constanter recusabat, non quidem ob naturæ contumaciam, aut ipsius indignitatem id officij à se repudiari dicens (Ego enim, inquiebat, memet indignum, atque omnium mortalium postremum duco:) sed quia ab eo prohiberetur, qui cum hæreticis quicquam commune habere vetuerat. Neque enim meminisse se cum Imaginum hostibus vllum vnquàm commercium habuisse, aut aliquid omninò ab eorum manibus accepisse. Hæc vt illa audijt, humì sese prouoluens, quid non dicebat, quid non faciebat, vt ostenderet quàm ab hæreticorum societate atque commercio semper abhorruisset? Absit hoc à me, inquiebat, venerande Pater, vt Christi, aut matris ipsius, aut vllius Sancti imaginem contempserim. Scio enim me à Patre nostro Germano didicisse, quas pœnas daturi sint, qui eò audaciæ proruperint. Cæterùm fac quæso, vt nec vir meus, nec custodum quisquam resciscat, quod pietati tuæ indicare cupio: atque ego reipsa dubitationem omnem tibi eximam. Hæc locuta, statìm domum cucurrit, atque aperta arca tres arcanas Imagines eduxit, vnam Dei genitricis, filium seculis omnibus antiquiorem complectentis, duas alias Petri & Pauli Apostolorum. Quas vt ipso inspectante religiosè adorauit, ipsi posteà porrexit, Accipe ista, inquiens: atque hinc tibi mei, hoc est mulieris peccatricis, memoria refricetur. Ad hunc modum pijs ipsius moribus comprobatis petitioni cedit: ac deincèps Sabbato ac Dominico die ad eum ipsa panis vnicas sex, aquæ non plus tribus poculis afferebat. Tantulum enim singulis hebdomadis ipsi cibi ac potûs fuit totos vndecim menses, quos in Prætorio transegit.

Cap. 38. Prætorij carcer fit monasterium.

Iudic. 13.

3. Reg. 17. 4. Reg. 4. Mar. 12. Ioan. 4.

Nihil commercij à hæreticis habendum.

Mira cuiusdam matronæ erga virum Dei humanitas & clementia.

Quadam autem die vnà cùm cæteris captiuis sedente viro diuino, de supplicijs illis, quæ iustis viris ab iniquis iniquissimi Imperatoris præfectis varijs locis illata fuerant, sermo ortus est. Siquidem in medium progressus Antonius quidã è Creta oriũdus, vir fortis, & qui fortibus certaminibus egregiè defunctus fuerat, Quonam modo, inquit, pręclara monachi Pauli certamina vobis ob oculos proponere queam? aut quonam pacto ea sine lachrymis commemorem? Princeps quidam Cypri præfectus erat, nomine Theophanes, cognomento Lardotyrus. Hic cum sanctum virum, vt in eum inquireret, accepisset, ad Heracliti prætorium eùm duxit. Proposita autem erat humì Christi in cruce protensi imago, vnaque itèm cruciatûs instrumentum, quod catapultam vocant. Aitque ad eum Pręfectus, scelesta, inquam, illa

Cap. 39.

S. Pauli noui martyrium, & aliorum virorũ varij cruciatus referũtur.

Psal.72. illa lingua, atque iniquitatem in excelsum loquens: Vnum è duobus tibi Paule proponitur: nimirùm vt aut calcata imagine vitam obtineas, aut vt hoc tormenti genere discrucieris. Hoc autem dicens, puerorum laruis leonem perterrefacere velle videbatur. Statìm enim generosus ille vir magna voce exclamãs, Absit à me, inquit, Domine Iesu Christe, vnigenite fili Dei, vt theandricam hanc imaginem pedibus teram. Atque hæc locutus, statìm humì se curuãs, osculum ei fixit, reipsa planum faciens, quàm nihil iudicis minas moraretur. Ille itaque confestìm iracundia totus æstuans, nudari sanctum virum, atque in catapulta extendi iubet: vbì cùm tortores duabus tabulis ipsum firmissimè compressissent, ac ferreis pectinibus totum ipsius corpus exarâssent, prono capite suspenderunt. Ac deindè non exiguo igne infra eum accenso, ità demùm holocaustum Deo gratum ipsum effecerunt.

Proverbiũ.

Inauditum tormentum

Cap.40. Hæc eo commemorante, Patribusq; lachrymis madentibus, Theosterictus quidam, hoc nomen meritò consecutus, vir senex ac sacerdotij dignitate ornatus, qui ex pio illo monasterio erat, quod Pelecceta nuncupatur, atque & nasum abscissum, & genas feruenti pice ac bitumine illitas, miserumque in modum ambustas habebat, (hos enim cruciatus pietatis causa pertulerat) prodiens ipse quoquè in medium, superioribns sermonibus hæc adiecit: Impossibile est, impossibile inquam, est, vt vel hic ipse antistes noster siccis oculis ista commemoret. Quanam enim oratione quispiam illius, qui tum Asiam cum imperio obtinebat, furorem complecti possit? cui Lachanodracon quidem cognomentum erat, verùm ipsius fel atque iracundia draconis quoquè virus amaritudine superabat. Ad quem beatus Stephanus, Narra, quæso, Pater, nihil omittens eorum, quæ tum contigerunt, verùm omnia oratione prosequens. Etenim per huiusmodi exempla, tum animi promptitudine, tum robore impleti, ad eundem zelum præparamur: siquidem voluntas Dei hoc tulerit, vt pro diuina ipsius imagine nos quoquè certamen subeamus. Tum igitur Theosterictus inchoatum sermonem ad hunc modum prosequitur. Cùm incruentum sacrificium in monasterio nostro celebraretur, (erat autẽ vespera sanctæ ac magnæ quintæ feriæ, in qua Christus Iudæis tradendus erat) hic draconis nomen habens, tyranni iussu cum magna militum manu in monasterium impetum facit. Ac mysticum quidem sacrum euertit, mysticis videlicet hymnis protinùs silentio compressis: lectissimos autem monachos duodequadraginta vinculis ferreis adstrinxit. Reliquos verò partìm verberibus crudelem in modũ lacerauit, partìm eorum barbam pice illitam exussit, naribus priùs amputatis. Quorum numerum ipse quoquè augeo, quemadmodùm faciei meæ notæ certissimè testantur. Quibus impius ille nondùm expletus, vniuersum monasterium posteà inflammauit, ipsas quoquè ecclesias vnà cum reliquis ædificijs concremans. Mox autem prædictos duodequadraginta Patres ad extremos Ephesi fines relegauit: vbì cùm eos in veteris balnei fornice conclusisset, ac deindè aditum obstruxisset, ad hunc modum eos è vita migrare coëgit.

Theosterictus ob imaginum defensionem, multa est passus.

Incruentũ sacrificium Missa dicitur.

38. monachi pro imaginum defensione necãtur.

Cap.41. Cùm vsqueadeò tristes tragœdię narrarentur, atque omnes in gemitus & lachrymas prorumperent, rogatus à Patribus Stephanus, vt ad mitigandum eorum mœrorem orationem aliquam haberet, intimo corde ingemiscẽs, Gratias, inquit, Deo agere par est, Fratres ac Patres, gratias, inquam, ei agere de omnibus rebus, quæ præter voluntatem accidunt. Etenim gratiarum actio cum patientia coniuncta coronas nobis nectere consueuit. Quocircà etiamsì igne, aut gladio, aut maris profundo, aut præcipitio, aut alio quodam mortis genere nos mulctent, qui impietatis scelere sese deuinxerunt, prompto atque alacri animo cuncta perferamus. Habemus enim velut exemplar quoddam, in quod intueamur, claros illos Patres, qui ante nos extiterunt, ac per martyrium Deo vitam consecrârunt, nimirùm sanctum illum Petrum Blachernis in vincula coniectum, qui cùm spectante Imperatore pro Christi imagine neruis atrocissimè concideretur, nullum ignaui ac timidi animi specimen in eo cruciatu edidit, verùm acerbioribus eum verborum plagis lacerauit. Iulianum alterum & apostatam appellans. Atque ità in his tormentis, gratias Deo agens, animã exhalauit. Habemus itèm Iohannem Monagriæ Præfectum, quem tyrannus, cùm eum nullo omninò terrore afficere potuisset, neque adducere, vt Christi matrisque ipsius imaginem pedibus protereret, sacco inclusit, grauique ipsi saxo appenso in profundum mare deiecit. Sed quis tandèm est, qui ea omnia

Oratio S. Stephani ad suos cõmilitones martyres.

Petrus quidã propter imaginum cultum occiditur

Itèm Iohãnes Monagriæ præfectus.

omnia facinora enumerando recensere possit, quæ per omnes tyranni prouincias Prætores, qui eum crudelitate superabant, aduersùs sanctos viros designârunt? Immò verò quis est, qui sanctorum aduersùs eos contentionem, atq; ad extremũ vsque spiritum patientiam vllo sermone referre queat? Quorum si nos exemplũ sequamur, beati profectò erimus, vt qui exiguis laboribus amplissimas opes nobisipsis aggeramus. Neque enim condignę sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Hæc & alia his plura, ad excitandos & acuendos eorum animos, qui vnà cum eo vincti tenebantur, accommodata, cùm dixisset, orationi suæ finem imposuit. Rom. 8.

Non multi dies intercesserãt, cùm ipse suam à terra ad Deum migrationẽ animæ oculo prospiciens, quadragesimo ante mortẽ suam die præclaram illã mulierem, illam inquã hospitalitatis laude florentem, ac nouam Isdandulã, atq; eorũ, qui in vinculis erant, ministram accersit, ad eamq; his verbis vtitur: Tuæ erga me hospitalitatis fructũ velim tibi cũ fœnore Christus rependat. Bellè enim mihi, atque vt ipsi gratũ est, ministrâsti, ac me recreâsti. Deincèps autem ad quadraginta vsq; dies prorsus mecum ipse versari, ac memet excutere cupio. Peto igitur abs te, vt panem cum & aquã, quæ ad me afferre consueueras, per hos dies nè afferas. Vt autẽ eo nomine mœrentẽ eam vidit, atq; huiusce rei causam scire cupiẽtem, Noui, inquit, mihi vitæ finẽ imminere. Ac propterea monasticæ exercitationis rigorẽ etiam atque etiam intendere gestio. Cessit his auditis hospitalis illa, ac præstãti fide mulier. Per omnes itaq; noctes & dies non desinebat vir sanctus Patres eos, quos carceris socios habebat, monere, docere, salutaribus præceptis erudire, atque id efficere, vt toto penè nocturno tẽpore in canendis Dei laudibus versarentur: adeò vt ciues etiam nonnulli, qui sanctioris vitæ studiũ colebant, vilibus pannis obuoluti clàm ad eum ingrederentur, atq; ipsius benedictione atq; doctrina, non sine magna animi voluptate fruerentur. In his igitur muneribus cùm quadraginta illi dies absumerentur, ac iam octauus & tricesimus inchoaret, hospitalẽ illam mulierem rursùm accersitam audientibus Patribus ità alloquitur: Deus qui se pijs omnibus laborũ fructus centuplicatò redditurũ promisit, benigno oculo te ex alto & sancto suo adspiciat, ac pro tuo in me officio longè copiosiorẽ tibi mercedem referat. Ipsius enim verè discipula extitisti, qui dixit, Quicquid fecistis vni ex minimis his meis, mihi fecistis: &, Qui recipit iustũ in nomine iusti, mercedẽ iusti accipiet: &, Qui potum dat calicem aquæ frigidæ, nõ perdet mercedẽ suam. En itaq; tuę erga me voluntatis merces expleta est, quam tu eiusmodi à Deo habitura es, vt ea tibi nunquàm eripi possit. Ac posteà sacris Imaginibus ostensis, Accipe, inquit, præclarum hoc tuum depositum, quod quidem tibi & in præsenti hac vita aduersùs omne malum præsidij loco sit, & in futura tuæ erga Deum beneuolentiæ, atque orthodoxæ fidei pignus. Hæc vbi dixit, altè rursùs ex imo pectore ingemiscens, apertè hoc extulit: Crastina luce ex hac vita migrans, ad aliũ mundum atq; Imperatorem proficiscar. Ipsa igitur, cùm amarum quendam & acerbum gemitum edidisset, extremamque ei salutem dixisset, receptasque eas, quas vtendas dederat, Imagines linteo quodam obuoluisset, domum posteà se recepit. At diuinitùs afflatus Stephanus, conuocatis rursùm Patribus, eos in diuinis laudibus concinendis pernoctare iubebat.

Cap. 42. Prædicit tẽpus mortis suæ vir sanctus. Matt. 19. Matth. 25. Sacræ Imagines aduersùs omne malum prę-sidij loco sunt.

Porrò autem ille Deo prorsùs inuisus tyrannus, præter alia, quæ Deo odio atque execrationi erant, facinora, ne Brumaliorum quidem cæremoniam contemnebat, verùm eam quoq; splendidè ac luculenter celebrabat, vt qui Brumum quendam ac Bacchum in his Gentilium ritu colere in animum induxisset, eosq; vt frugum ac vini curam gerentes, atq; ad maturitatem ea perducentes, summis honoribus afficeret. Parabat itaque tertiæ quoquè vxoris suæ Eudociæ Brumaliũ postridiè iuxta quinti elementi circunductionem celebrare. Progressus autem, atque ad scholarum porticus sedens, vnà cum symmistis suis Satanicas quasdam cum organis ac citharis cantiones, àduentãti festo congruentes, addiscebat. Hìc igitur ab impijs quibusdam viris ad eum delatum est, Stephanum ex Prætorio monasterium effecisse, eumque totas noctes illic in cantillandis Psalmis traducere: ac præterea complures ciues illuc proficiscentes, idolorum cultum ab eo edoceri. Hæc ille vt audijt, grauiore ira inflammatus, statìm militi cuidam, qui in Proximi ordine adscriptus erat, hoc imperat, vt sanctum virum è carcere eductum extra vrbem obtruncet, illic nempe vbi priùs eximiæ martyris Mauræ templum situm erat: pòst autem locus

Cap. 43. Brumalia festa. Condemnatur sanctus Stephanus capitali supplicio.

cus ille carnificina factus est, templo scilicet illo à tyranno funditùs euerso, & solo adæquato, ac Maura nũcupato. Quo etiam in loco fœdera cum dæmonibus occultè sanciebat: tametsi non ad extremum vsq; scelus hoc ipsius obscurum fuerit. Prodidit enim id, quod clàm ab eo perpetrabatur, Suphlamij filius, ipsis sacrificij loco dono datus: de quo nunc consultò sermonem silentio comprimemus.

Cap.44. Crudele Copronymi edictũ. Cùm igitur sanctum virum morti addixisset, confestim edictum huiusmodi per totam vrbem promulgauit: Quisquis amicum, aut affinẽ, aut omninò genere coniunctum habere, eumque occultare, aut etiam pullam vestem ferre deprǣhensus fuerit, hic post varia tormentorum genera exilio mulctabitur. Cernere igitur erat vrbem grauissima calamitate laborãtem. Neque enim inimici duntaxàt inimicos apud Imperatorem facillimè accusabant, sed etiam amici amicos, & fratres fratres, & serui dominos: atque, vt breui complectar, in grauiore luctu ac plãctu tota vrbs versabatur, quàm cùm Iulianus & Valens imperij Romani clauum tenerent. At verò carnifex ille, qui missus fuerat, sancto viro à Prætorio assumpto, colloque ipsius ac manibus ligno alligatis, ad cædem properabat. Eo autem die tyrannus è Palatio

Impius tyrannus depictiones Conciliorũ eradicari iubet. progressus in Milij porticu stabat: vbi priùs sex illa œcumenica Concilia depicta erant, pòst autem crudelis Imperatoris iussu inducto albario opere deleta fuerant, atq; eorum loco circus ille, quem amabat, ac plurimi faciebat, atq; auriga is, quem in delicijs habebat, atque Vraniacum, hoc est cælestem, cùm ne terra quidẽ dignus esset, appellàrat, picti cernebantur. In hoc igitur loco cùm superbè staret, omnesq; eum faustis ominibus prosequerentur, Nulla mihi, inquit, requies est: ità Immemorandi isti exitium vitæ meæ afferunt. Hic verò quidam ipsius factionis: Et vbinàm tandèm vllus eorum delituit, aut vestigium vllum ipsorũ in hac vrbe tua, aut in vlla alia ciuitate vel regione occultatũ est, cùm omnes funditùs deleti sint? En enim imperij quoquè tui hostem, hoc est Auxentianum Stephanum, abduci hodiè vidi, vt, quas meritus est, pœnas subeat. Tum Imperator: Et quid iucundius Stephano acciderė queat, quàm vt gladio vitam finiat? Verùm huius desiderij minimè compos futurus est. Multò enim grauiore mortis genere mulctabitur. Nunc quippè Imperatrix non mediocriter aduersùm nos stomachabitur, si festum ipsius diem in cæde conficiamus. Quocircà nouus hic Herodes, atq; vxoris mancipium, reduci quamprimùm eum in Prætorium iubet. Quod cùm contigisset, rursùs cum ijs Patribus, qui in vinculis erant, Dauidicos Psalmos canebat, Qui habitat in adiutorio altissimi, & quæ deincèps sequuntur.

Reuocatur S. Stephanus à loco supplicij ad prætorium grauiori pœna afficiendus.

Psal.90.

Cap.45. Tyrannus autem cùm vesperam totam in tibiarum & cithararum cantu transegisset, postridiè instructa splendidissima cœna, cum ijs, qui suæ factionis erant, epulabatur. Cumque duos quosdam Fratres, tum dignitate claros, tum corporis simul atque animi pulchritudine florẽtes (quos posteà inuidiæ œstro percitus interfecit) seorsùm acciuisset, Ite ad Prætoriũ, inquit, ac meo nomine ad Auxentianum Stephanum hæc dicite. Vides quanta tui cura afficiar, vt qui tibi ex ipsis mortis faucibus erepto vitam concesserim. Quocircà tandèm aliquandò animum inflectens, voluntati meæ obsequere. Non quidem me fugit, quin homo contumax & durus, ad contumelias potiùs nobis inferendas proruptutus sit. Vos verò, si sermonum illecebris ipsius animum inflectere potueritis, rem gratam mihi feceritis, ac ministerium istud vestrum comprobabo. Sin istud ei persuaderi nequeat, tandiù eũ à vobis & à fronte & à tergo verberari volo, quoàd miserè animam efflauerit. Igitur præclari illi duo fratres, postquàm ad Prætorium venerũt, furiosam quidem illam tyranni sententiam sancto viro exponunt, verùm nullo eum malo prorsùs affecerunt: quin potiùs, vbi eum sermonibus ad cohortandum accommodatis confirmâssent, ab eoque benedictionem accepissent, ad reditum se accinxerunt. Quæ autem ad Imperatorem dixerũt, huiusmodi fuêre: Imperator, miserum illum in pristina sententia perstantem, tuumque imperium infaustis ominibus prosequẽtem offendimus. Ac proindè tot plagis eum proscidimus, vt penè spiritûs omnis expers iaceat, nec certum sit, an crastino die inter viuos futurus sit. Qua quidem ex re cùm mirificam lætitiam ferinus ille concepisset, atque ingentem risum effudisset, luxui, quo nihil ipsi charius erat, operam dare posteà pergebat, vt qui vẽtris, & eorum quę ventre inferiora sunt, seruus esset.

Duo præclari fratres à tyrãno missi ad flagellandum sanctum Stephanum, ei pepercerũt.

Impius semper gaudet cùm malè fecerit.

Cap.46. At verò diuinissimus Stephanus sub auroram ad se coacto monachorum agmine, postremum hunc ad eos sermonem habuit. Valete Patres ac Fratres, valete: atque

atque in orthodoxa fide constantissimè perseuerate: ac pro mea tenuitate preces quæso fundite. En enim iam iamque adest mortis meæ tempus, ac pro foribus iam corona est. Quamobrèm vereor ne caliginosa dæmonum multitudo propter ignorantiarum mearum multitudinē mihi impedimento sit. Ob quæ cùm omnes amnis cuiusdam in modum lachrymas profunderent, tolli sibi sacram epomidem, ac deindè analabum cum loro iussit. Cùm autem cucullam quoquè abijcere pararet, nè id faceret, Patres prohibebant, negantes conuenire vt sine precioso hoc indumenti genere dierum suorum finem videret. Ad quos diuinitùs afflatus ille vir, Athletam, inquit, nudum luctari decet. Ac prætereà ne æquum quidem est preciosam hanc rem à furente populo contumelia affici, ac prophanis pedibus proculcari. Hæc cùm locutus esset, omnes ei morem gesserunt. Itaque cucullam quoquè exuit: ac cum pelliceo duntaxàt pallio vnà cū monachis sedebat, de his rebus, quæ ad salutem pertinebant, sermonem ad eos habens. Verumenimuerò fieri omninò non poterat, vt quæ in carcere acta fuerant, & quo pacto duo illi pij fratres admodùm benignè atque indulgenter cum diuino Stephano egissent, tyrannus ignoraret. Quarè cùm de his omnibus à dæmone aliquo, vt vero consentaneum est, certior factus fuisset, hora diei secunda è somno experrectus, leoninum quiddam rugiens, atque ad aulæ vestibulum festinanter proficiscens, O vim mihi illatam, exclamauit! O insignem meî contemptum! Nemo est qui mihi opituletur: nemo qui subsidium ferat. Quid mihi cum Tenebricosis, & Immemorandis istis? Sic enim ipsi vsitatum ac familiare erat monachos appellare. Cùm autem ij, qui voluptatibus ac delicijs dediti erant, vltrò ad intemperantem illam mensam currerent, perturbatissimo animo ipsis occurrens, magno cū clamore quærebat, Quò pergitis, & quem quæritis? His autem respondentibus, Ad te benignum nostrum dominum imus: tum ille altiore voce, Non sum, inquit, dominus vester, non sum Imperator. Alius dominus vester est, alius Imperator: ad cuius pedes vosipsos prouoluitis, contactisq; ipsius vestigijs ab eo vota precesque supplices petitis. Nemo in me obsequiosus est, vt illo de medio sublato animum meum reficiat ac recreet. His verò animi anxietate laborantibus, ac quisnam ille esset sciscitantibus, quisque ille quem ipsi ei anteferrent, aut quemnam alium Imperatorem agnoscerent: tum ipse contrà, Stephanus Auxentianus est, inquit.

Præclarum Stephani dictum.

Fideles monachi ab Imperatore Tenebricosi & Immemorādi vocantur.

Nondùm integrum nomen in eorum aures influxerat, cùm subitò impetus quidam, & clamor promiscuus, & vox quædam incondita personabat: omnibus, vt erant, ad Prætorium currentibus. Mox truculentorum leonum instàr in carcerem insilientes, Date nobis (custodibus inquiunt) Auxentianum Stephanum. At ille constanti atque intrepido animo, velut in hoc ipsum paratus, ad eos decoro gestu ac vultu ab omni perturbatione libero egreditur, & queādmodùm olim Christus Iudæis, ipsius cædē anhelantibus, Ego sum quem quæritis, inquit. Illi aūt ilicò eum arripiunt, atque in terram allidunt, ferreisque vinculis, quibus ipsius pedes adstringebantur, ab eo extractis, ad publicam viam raptìm eum educunt, calcibus in eum insilientes, saxis impetentes, fustibus ferientes, nullum deniquè supplicij contumeliæque genus omittentes. Cùm autem per primam Prætorij portam non tam duceretur quàm raptaretur, ac iam in templi Theodori martyris vestibulo esset, manibus humì fixis, ac sublato aliquantùm capite vltimum adorationis munus martyri persoluebat. Etenim ne in tanta quidem calamitate pietatis amorem ex animo suo eiecerat. Quem ex sanguinarijs hominibus quidam, Philommatius nomine, conspicatus, præcipiti quodam furore percitus, Vidésne, exclamauit, Immemorandus iste tanquàm martyr mori cupit. Atque hoc sermone habito, ad siphones, qui illic erant, quique ob ea incendia, quæ interdùm oboriuntur, adhiberi solent, excurrit, auulsumque ab ijs haud paruum lignum trahit, ac sanctum virum, quàm vehementissimè potest, in cerebri membrana ferit, sicque protinùs interemptum, martyrem quidem illum profectò, seipsum autem, quod omnium grauissimum scelus est, martyris carnificem reddit. Ac vide quęso vim illam Dei vltricem. Non enim, quemadmodùm plerunquè solet, moram vllam interposuit, sed celeri pede processit. Etenim, simulatquè ferijt, ipse quoquè in terram, diabolica plaga percussus, ruit, dentibus horrendum in modum stridens, atque ore spumam emittens. Atque ità graue illud flagellum permansit, ad extremum vsque spiritum miserum illum comprimens, atque castigans.

Cap.47.

S. Stephan' more Christi, suis occisoribus sese offert.

Ioan.18.

Calcib' impiorum subijcitur: saxis ac fustibus feritur.

Occiditur.

Diuina vltio in percussorem eius.

Cap.48. Ac ne sic quidem tamen furibundum illud vulgus animorum impetum remisit: verùm per publicam viam adhuc eum raptabat. Et quidnam tandem ex sacrosanctis illis Stephani membris coronæ expers relictum est? Nam & manus ac pedes ad saxa offendentes conterebantur, & digiti vnà cum vnguibus auellebantur, atque in terram spargebantur, & venter disrumpebatur, atque intestina omnia profluebant. Siquidem è scelestis illis hominibus vnus grauissimum lapidem vtraque manu acceptum in ipsius ventrem iniecit: vndè confestim abdita omnis viscerum compages aquæ ritu in terram effusa est. Nam & mortuo Stephano per summum furorem insultabant, nec contumelijs in eum debacchari cessabant, circundantes eum tanquàm canes multi, atque omni modo raptantes ac discerpentes, saxisque per totam viam incessentes, non viri duntaxàt, sed etiam mulieres. Quin ne puerilem quidem ætatem sanguinarij huius impetûs expertem reliquerunt. Nam ipsi quoquè literario ludo relicto (sic enim Imperator iusserat) lapides manibus gestabant, ijsque Stephanum insectabantur. Ac quisquis in eum, dum raptaretur, incidens, lapidem non iecisset, pœnas luebat, atque Imperatoris hostis censebatur. Quinetiam cùm ad bouis locum, martyrem raptantes peruenissent, caupo quidam pisces coquens, vt eum raptari vidit, vitæ vsura adhuc eum frui arbitratus, assumpto flagrante titione in caluaria ipsum ferit, ac repentè perfracto occipitio cerebrum effluere cœpit. Theodorus autem quidam vir pius, à tergo sequens, illudque è capite fluere videns, simulato lapsu sustulit, ac linteo furtìm impositum in sinu abscondit. Atque ità deindè ad spectaculum rursùs properabat, nimirùm cernere cupiens, quonam tandèm sedato furore reliquias martyris proijcerent. At verò sanguinaria illa turba sanctum virum raptans, cùm ad Monocionis monasteriū accessisset, in animo habebat beati viri sororē (illic enim diuinum vitæ genus colebat) per vim eijcere, eoque ipsam adigere, vt fraternum corpus tot certaminibus defunctum saxis peteret. Verùm illa hoc prænoscens, atque in obscurum quoddam sepulcrum sese abdens, huiusmodi facinus effugit. Illi igitur spe hac sua deiecti, rursùs martyris cadauer trahentes, in Ethnicorum reorum foueam proijciunt (vbi priùs quidem diui Pelagij martyris templum erat, verùm posteà vetustate labefactatum impius Imperator euerterat, atque in sepulcra redegerat, ac Pelagij sepulcretum nuncupârat) adeò vt tunc quoquè locum illud haberet, Cum iniquis vir iustus deputatus est. Postmodùm læti redeuntes, qui latronum sęuitiam crudelitatis suæ immanitate superauerāt, lætum tyrannum adeunt, velut dæmonis cuiusdam intemperijs diuexati, qui sceleratissimè in ipso pugnauerant. Quos quidem lubenti animo susceptos ad mensam suam edusiorum copia onustam adhibuit. Cumque illi ærumnosissimam martyris mortem referrent, audiens ille magnoperè ridebat ac lętitia diffundebatur, hominis, nè quid ampliùs dicam, cruciatus & calamitates in voluptatis materiam trahens. Atque hæc quidem ad hunc modum se habuerunt.

Impij extinctum eius cadauer, multis contumelijs afficiunt.
Psal.21.
Cerebrum capitis eius effusum, à pio Theodoro colligitur.
Corp⁹ eius in foueam Ethnicorū reorum in ijcitur.
Esa.53.
Luc 22.
Copronymi impietas quanta.

Cap.49. Martyrio porrò perfunctus est ille egregius sanè luctator Stephanus tertio & quinquagesimo ætatis suæ anno, Nouembris mensis octauo & vicesimo die. Cæterùm ne ea quidem miracula silentio præterire conuenit, quæ ab ipso (illius videlicet beneficio, qui dixit, Ego glorificantes me glorificabo: qui autem me contemnunt, erunt ignobiles) etiam post mortem patrata sunt. Eo enim ipso die, quo sanctum virum, vt Scripturæ verbis vtar, aggressi viri sanguinum, tanquàm arietem insignem de medio sustulerunt, cùm tranquillum cælum esset, ac radijs solaribus colluceret, hora tertia ad orientalem aulæ partem ignea nubes in montis vertice (vbi vir egregius monasticæ vitæ certamina exantlabat) repentè coorta, ac deindè ad summas vrbis partes excurrens, vniuersum aërem horrenda caligine infecit & obscurauit: atque, vt cum Propheta loquar, cernere erat diem ac non diem, & tenebras ac non noctem. Cumque vnà cum ea vehemens turbo excitatus esset, ingens vis grandinis, magnitudinisque haud facilè credendæ, cecidit, idque circa palatium duntaxàt: hincque multi in discrimen vitæ venerunt. Hæc scilicet sanctorum Deus prodigiosè patrare nouit, dum impios reipsa coarguit: eos autem, qui ipsius metu præditi sunt, gloria afficit.

1.Reg.2.
Obscuratū est cælum tempore mortis S. Stephani.
Miraculum

Cap.50. Porrò autem pius illè Theodorus, qui confractam capitis sancti viri partem sustulerat, cùm ad beati Dij monasterium profectus esset, eiusque antistitem remotis arbitris conuenisset, ei quæcunque insignis athleta Stephanus eo die pertulisset, (expo-

exposuit. Ille autem acerbè ingemiscens, ad quoddam protomartyris Stephani oratorium, quod ad dextram templi monasterij partem erat, eum ducit: atque vrnam quandam educens, in ea diuinas illas reliquias collocat, præsente puero quodam monasterij, ac quę fiebant inspectante. Ambo autem adorationis munere perfuncti, tanquàm thesaurum quendam ingentis precij, intra altare occultant. Interiecto verò aliquo tempore accusatur apud Imperatorē Theodorus. Nam ne eum quidem à tentatione liberum atque immunem liuor reliquit: verùm, vt Imaginum adorator, exilio mulctatur, atque in Siculam insulam vnà cum vxore ac liberis ablegatur. Quem, cùm diuturno tempore exilij causa illic cōmoratus fuisset, in patriam rursùs reduxit iustus iudex Deus. Reductionis aūt modus huiusmodi fuit. Etenim adolescens ille, de quo proximè verba fecimus, ad maturam ætatem prouectus, cum antistite agebat, vt diaconus crearetur. Quod cùm ab eo impetrare non posset, (vt qui & iuuenilem ipsius ætatem perspiceret, & vitę socordiam exploratam haberet) se grauissimo eum malo affecturum comminatus est. Itaque vrnam illam occultè surripit, atque ad Imperatorem currit, eique rem totam exponit. Antistes enim meus, inquit, vnà cum Theodoro, qui in Siciliam exilij causa missus est, damnatorum, quos tu vt nocentes & facinorosos morte afficis, ossa colit atque adorat: te autem tyrannum ac nouum apostatam appellat. His auditis Imperator ira inflammatur, atque antistitem quidem illum correptum, ac vinculis firmissimè adstrictum in carcere custodiri iubet: Theodorum autem è Sicilia reductum dignas huiusmodi facinore pœnas subire: puerum deniquè ad vtrunque conuincendum asseruari. Reducitur itaque à Sicilia Theodorus. Statimque & eum & antistitē in medium producit Imperator: atque in faciem ipsis puerum sistit, vt quod factum fuerat, indicaret. Cùm autem illi nihil se huius rei scire assererent, vrnam afferre iubetur adolescens. Atque (ô ingens miraculum!) euanescit illa, nec huc vsque reperiri potest. Itaque vacuis manibus reuertitur: Imperator pudore suffunditur, atque id quod contigerat, premere atque occultare conatur, nè illustriorem etiam, quàm antè, sancti viri gloriam reddat. Neque enim ipsum fugiebat, quin diuinum Stephanum omnes penè sanctum confiterentur. Iuuenem autem illum, vt calumniatorem, multis verberibus laceratum exilio mandat. Sic nimirùm Deus iustos è tentationibus eripere, impios autem eorum loco tradere nouit.

Diuinæ ei⁹ reliquiæ in vrnā quandam reconduntur.

Pius Theodorus exilio mulctatur.

Detestabile cuiusdā inuidiosi facinus.

Stupendum miraculum.

2. Pet. 2.

Quin ne versuta quidem illa ancilla, quæ & sanctum virum, & heram suam accusauerat, iustum Dei iudicium effugit. Nam cùm trans turbam ad Aulicalamum peruenisset, seque fabulam detecturam esse confirmaret, & quonam modo, vt sancto viro calumniam strueret, subornata fuisset, nisi ipse quod promiserat expleret, id ille metuens, cuidam eorum, qui legendis Bithyniæ tributis præerant, eam in matrimonium collocat. Prægnans autem facta, gemellos filios in lucem edit. Cæterùm sub mediam noctem repentè conturbati infantes illi, arreptis maternis mamillis, horrendumque in modum excisis, eam protinùs necant, atque vnà cum ea viperini illi fœtus extinguuntur. Tales pœnas sycophantæ penderunt: talem ea mercedem tulit, quæ sanctum virum falsi criminis reum egerat. Hæ sunt clarissimi Stephani monasticæ palæstræ, hæc athletica certamina: quibus, cùm non modò aduersùs carnem & sanguinem, sed etiam aduersùs principatus & potestates dimicâsset, amplissimum præmium reportauit, nimirùm vt ipsi Trinitati laureatus adstet adhuc monasticis sudoribus & athletico cruore gestatus: cui vtinàm nos quoquè ipsius precibus atque intercessione adstemus, per Christi gratiam ac misericordiam, quem decet omnis gloria, vnà cum principij experte Patre, & viuifico Spiritu, nunc & semper, & in secula, seculorum, Amen.

Cap. 71.

Diuinitùs punitur ancilla quę dominam suā & S. Stephanum falsò accusauerat.

Ephes. 6.

HISTORIA S. SATVRNINI PRIMI EPISCOPI TOLOSANI, ET MARTYRIS, DOCTE ET GRAVITER *scripta. Extat in peruetustis MS. codicibus. Consentiunt antiquissima Martyrologia.*

PROLOGVS AVTHORIS, CVIVS NOMEN CODICES non habent.



SAnctorum beatissimorumque martyrum passiones debito obsequio veneramur, quos procùl à sedibus nostris non tantùm remotarum immensitate terrarum, verumetiam marinorum quoquè fluctuum interpositione secretos, famæ deferentis officio & audimus, & credimus felici martyrio consecratos: atque illos dies, quibus in Dominici nominis confessione luctantes, beatoque obitu regnis cęlestibus renascentes, in eius Domini laudem, cuius in decertatione viribus adiuuantur, & post victoriam munere coronantur, vigilijs, hymnis, ac sacramentis etiam solennibus honoramus, vt eorum patrocinia atque suffragia in conspectu Domini orando & honorando mereamur. Specialiùs verò sanctum istum diem solenniter venerari debemus, & gaudijs excolere, in quo vir beatus Saturninus, & Episcopus Tolosanæ ciuitatis & martyr, in eâdem ciuitate geminatam coronam, Deo teste, promeruit, & de sacerdotij dignitate, & de honore martyrij: vtquem iam venerabilem vita fecerat, etiam passio interiùs consecraret.

Honoram' sanctos, & dies eorum natalitios, vt Ecclesia vocat.

HISTORIA.

Nouēb. 29.



TEMPORE illo, quo post corporeum Domini & Saluatoris aduentum, exortus in tenebris sol ipse iustitiæ, splendore fidei illuminare occidentalem plagam cœperat, quia sensìm & gradatìm in omnē terram sonus Euangeliorum exiuit,* parique processu in regionibus nostris Apostolorum prædicatio coruscauit: cùm raræ in aliquibus ciuitatibus ecclesiæ paucorum Christianorum deuotione consurgerent, & crebra miserabili errore gentiliū nidoribus fœtidis in omnibus locis templa fumarent: ante annos satis plurimos, id est, Decio & Grato cōsulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum & summum Christi Tolosa ciuitas sanctum Saturninum habere cœpit sacerdotem. Cuius fide atque virtute eorum, qui in vrbe eâdem colebātur, cœperunt dæmonum vaticinia cessare, commenta nudari, artes detegi, & omnis illorū apud Gentiles potentia, omnisque fallacia, Christianorum fide crescente, decrescere. Cumque supradicto Episcopo ad ecclesiam id temporis paruulam iuxta * Capitolium, quod inter domum suam & domum Dei erat medium, frequens itus esset ac reditus, sancti viri præsentiam sustinere fallax dæmonum turba non potuit: & vt erant muta simulacra, * nullis adumbrata phantasijs, ad sacrilega obsequia, & solicita consulentium vota cœperunt in silentio permanere.

Psal. 18.
* tardoque
Saturninus primus Tolosanus Episcopus.
* fanum Gentilium
* nonnullis

Cuncti itaque sacrilegę superstitionis antistites, tāta rei nouitate permoti, inter se inuicèm quærere, vndè numinibus suis venisset tanti temporis inusitata taciturnitas, quisnam ità garrula ora clausisset, vt nec inuocantium precibus excitata, nec fuso cruore taurorum & tantis hostijs delinita, aliquod consulentibus afferrent responsum. Audiunt à quodam nostræ religionis inimico, nouam nescio quam surrexisse sectam, superstitioni gentilitatis inimicam, quæ Christiana appellaretur, & in deorum suorum excidium niteretur. Huius etiam fidei esse Saturninum Episcopum, cuius crebro iuxta Capitolium transitu, à conspectu viri eius exterrita deōrum suorum ora siluisse, nec facilè posse reserari, nisi Episcopum illum mors maturata subtraheret. O ter infelix error, & cæca dementia. Audiunt dijs suis hominem esse terrori: & à delubris atque à sedibus suis dæmones ad trāsitum ipsius exulare, non solùm audiunt, sed etiam intelligunt. Et hunc virum, adoratis sibi idólis etiam sine premissa interminatione terribilem, interficere potiùs quàm honorare defini-

Deorū ora clauduntur, sancti viri præsentia.
Ecce paganorum cæcam dementiam.

definiunt miseri, non considerantes, quòd nullum magìs, quàm illum colere deberent, cuius serui suis numinibus imperarent. Quid enim stultius, quàm timere metuentes, & illum, qui dominatur dominantibus, non timere?

Inter hęc ergo conquirentium & stupentium studia, cùm paulatìm magna fuisset multitudo hominum congregata, & omnes studiosiùs vellent, parato ad victimam tauro, certi aliquid de his, quæ dicebantur, agnoscere, & deos suos litatione tam ingentis hostiæ vel reducere cuperent, vel propitiare: ecce ipsum Saturninum, ad officium solenne veniētem vnus ex illa malignātium turba eminùs agnoscit, & dicit: En ipsum aduersarium cultibus nostræ religionis signiferum, qui destruenda prædicat templa, qui deos nostros dæmonum appellatione condemnat: cuius postremò præsentia consueta nos prohibet obtinere responsa. Itaque quia ipsum nobis opportuno in tempore debitus ipsi finis exhibet, nostram pariter deorumque nostrorum vindicemus iniuriam, quos iamnunc, compellētibus nobis, aut sacrificando placet, aut moriendo lætificet. Ad quem sacrilegæ vocis impulsum, omnis sanctum virum insanientium turba circūdat, ac presbytero vno ac duobus diaconibus, qui obsequijs eius adhæserant, per fugam lapsis, ad Capitolium solus attrahitur: & cùm immolare dæmonibus cogeretur, clara voce testatur: Vnum & verum Deum nóui: huic laudis hostias immolo: deos verò vestros dæmones esse scio: quos incassùm non tam hostijs pecudum, quàm animarum vestrarum mortibus honoratis. Quomodò autem vultis, vt ego eos timeam, à quibus, vt audio, dicitis me timeri? S. Saturninus comprehenditur à paganis.

Ad hanc vocem sancti Episcopi, omnis ille sacrilegæ multitudinis tumultus incanduit, tauroque illo, qui fuerat victimæ præparatus, fune lateribus circumacto, & post terga dimisso, ad ministerium suæ crudelitatis vtuntur. Postrema enim parte funis eius, qui ad posteriora tauri ipsius defluebat, sancti viri pedes alligabant, actumque stimulis acribus taurum, de superiori Capitolij parte in plana præcipitant. Nec mora: inter primos descensûs ipsius gradus capite colliso, cerebroq; excusso, & corpore omni membrorū parte lacerato, dignam Deo animam Christus excepit: vt quam pro nomine suo fideliter dimicantem supplicijs furor gentilis extorserat, suis post victoriam laureis coronaret. Exanime tamen corpus neque obnoxium iam vllius iniuriæ, vsque ad eum locum, tauro furente, perductum est, vbi fune disrupto, tumultuariam eo tempore meruit sepulturam. Nam paucis id temporis Christianis, ipsisque propter furorem gentiliū sancti viri corpus humare metuentibus, duæ tantùm mulierculæ, sexûs infirmitatem fidei virtute vincentes, & viris omnibus fortiores, & sui sacerdotis exemplo, credo, ad tolerātiam passionis animatæ, beati viri corpus ligneo feretro immissum, quàm maximè in profundo loco actis satìs scrobibus condiderunt: vt venerandas sanctasque reliquias non tam sepelire, quàm abscondere viderētur: nè fortè sacrilegę mentis homines, si aliquid conditi corporis tumulo viderēt honoris adhiberi, effossum statìm corpus in frusta dispergerent, & eriperent etiam ipsam tenuem sepulturam. Crudeli supplicio perimitur. Venerandæ sanctæque eius reliquiæ.

Mansit verò aliquandiù sub vili cæspite, omnibus quidem inhonorū, sed honoratum à Deo martyris corpus: donèc sanctus Hilarius, post multum tempus in Tolosa vrbe Episcopus ordinatus est: Qui de antecessoris sui & obitu instructus, & merito, effossa vsque ad ipsum sepulcrum ligneum terra, sanctas veritus commouere reliquias, transuolutionem desupèr multo labore diligenter extruxit: basilicam etiam paruulam vilibus tignis ad locum tantùm orationis adiecit. Procedente dehinc tempore, cùm multorū ad basilicam ipsam fideliter à seculo recedentiū, pro solatio propter corpus martyris gratia quiescendi deferrentur exequiæ, & locus omnis tumulatorū corporū multitudine fuisset impletus: sanctus Episcopus Syluius, Episcopatum supradictæ vrbis indeptus, pulchram & speciosam basilicā magnis sumptibus venerādis & transferendis illuc martyris reliquijs parans, ante consummationem cœpti operis recessit è seculo. Post cuius obitum sanctus Exuperius in summū sacerdotium coopratur, vir absq; vllius præcessorū iniuria, absq; vllius, qui id temporis Ecclesias regere videbantur, inuidia, non solùm nulli secūdus, verumetiam ipsi beato martyri virtutū meritis comparandus, basilicā, quam decessor suus fideliter inchoauerat, instantissimè consummauit, & feliciter dedicauit. Qui cùm trāsferre illuc sancti martyris reliquias, non ꝑ sua incredulitate, sed pro ipsius honore dubitaret, admonitus ꝑ quietē est, nè infideliter negligeret, quod fideliter Hilarius Tolosæ Episcopus. Syluius Episcopus Tolosanus. Itèm Exuperius. Basilica S. Saturnini.

credidiſſet: nullam fieri vel diminutione cinerum, vel cōmotione membrorum ſpiritibus iniuriam: quia manifeſta res eſſet credentibus, hoc martyribus proficere ad honorem, quod profuiſſet credentibus ad ſalutem. Statimque tali viſione firmatus, religioſis Imperatoribus precē detulit, ac ſine mora vlla quod tam piè popoſcerat impetrauit: vt tranſlatas ad baſilicam omni ſtudio præparatam ſancti viri reliquias, non tam temeraria violaret audacia, quàm ambitioſiùs venerantis colerent obſequia.

Quod nunc huic opuſculo ſupereſt, omnes legentes, omnes intelligant audientes, cauſam ſalutis noſtræ in fide ſtare, neque ſine cauſa Deum Euangelica voce dixiſſe: Credis hoc? Cui cùm reſponſum fuiſſet, Credo: ait: Fiat tibi ſecūdùm fidem tuam. Non quòd Dominus ſcrutator cordis & renum, de illius credulitate neſciret: ſed vt de his, quæ de Dominicis virtutibus dicerentur, aut in his, quæ nobis tribui poſceremus, non debere nos dubiè credere commoneret. Vndè quia & ipſe Saluator de talibus viris dixit, Si feceritis voluntatem meam, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: & idem ſub prophetali voce teſtatus eſt: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus. & iterùm: Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, qui lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, qui ſequuntur agnum. de quorum beatitudine dictum eſt: Plantati in domo Domini, in atrijs domûs Dei noſtri florebunt. & iterùm: Precioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius. & iterùm: Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis: Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius: quibus non ſolùm credere in Chriſtum, ſed & pro Chriſto pati, ac ſtatìm poſt reſolutionem corporum cum Chriſto eſſe donatum eſt. Amicos Dei ac dilectos Deo non negligamus vt mortuos, ſed honoremus vt viuos: quia non dubia fide certum eſt, quòd ſi eorum fideliter ſuffragia poſtulemus, fideliter patrocinia ſentiemus. Quia etiamsi illorum ſtudia ceſſarent, ille optata præpararet, qui cogitationum non ſolùm præſentiū inſpector, verumetiam cognitor futuorum, dum rogantur ſui, ſe intelligit honorari: Qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum Amen.

Ioan.11. Pſal.7. Ioan.15. Pſal.138. Apoc.7. Pſal.91. Pſal.115. Pſal.149. Nota.

MARTYRIVM alterius Saturnini & Siſinni Diaconi, quære in geſtis Marcelli Papæ 16. Ianuarij.

VITA S. RADBODI VLTRAIECTENSIS EPISCOPI, PER F. LAVR. SVRIVM EX MS. CODICE, *mutato ſtylo, preſſiùs deſcripta. Authoris nomen necdùm comperi, ſed fide dignus eſt. Numerum etiam capitum margini appoſui.*

Nouēb.29. Cap.1.



BEATVS Radbodus è nobili Francorum ſtirpe prognatus, parentes Chriſtianiſſimos habuit, & ipſe ſuis meritis magno ornamento mundo fuit. Nam ab ipſis propè incunabulis iam animo tendebat ad cælos. Nomen eius myſterio non vacat, quod conſilij nuncium Latinè poſſis reddere. A Chriſto enim mittendus erat optimi conſilij legatus ad Friſios, à quibus maternum duxerat genus, quibus certè optimè conſuluit. Dux Friſonum Radbodus, quem alij Regem vocant, matris eius atauus fuit, cuius nomen ei mater impoſuit. Cùm primùm diſcendi capax eſſe viſus eſt, diſcēdis literis admotus eſt. Primæ ætatis tempus exegit apud Guntherum Colonienſem Archiepiſcopum, auunculum ſuum, literis operam nauans. Sed cùm illi Epiſcopo res aduerſæ accidiſſent, puer egregiæ indolis, hortantibus ſuis, pleriſque etiam adiuuantibus, (quippè quem Dei gratia, qua præditus erat, omnibus charum efficeret,) primò ad Caroli Regis Francorum, indè ad Ludouici eius filij aulam ſe contulit: non quòd palatinos ambiret honores, ſed quòd intra Regis palatium liberalium diſciplinarum ſtudia præclarè colerentur. Præerat autē gymnaſio illi Manno philoſophus, cui ſanctus puer, feruens diſcendi ſtudio, ſedulus adhærebat.

Radbodus theutonicis cōſilij nuncium ſonat.

S. Radbodus dat operam literis.

Diſcēdi cauſa degit in aulis regū.

Erant

Erant autem ei condiscipuli Stephanus & Mancio, ætate quidem superiores, sed Cap. 2. non tamē studio. Itaq; inter illos extitit pia quædā æmulatio, conabaturq; alter alterum excellere, non honoris ambitu, sed humilitate, charitate, legendi & discēdi diligentia. Quorum virtus eò progressa est, vt non multò pòst vterque Episcopus creatus sit, Stephanus quidē Tungrensis Ecclesiæ, Mancio verò Cabilonensis. Radbodus autem venerabilis adolescēs, instàr apis sedulæ literarum floribus insidens, multam indè eruditionis copiam collegit, donèc omnium iudicio non mediocriter doctus est existimatus. Interìm virtute animi adolescentiæ motus comprimebat, carnis rebellionem parsimonia edomabat, mundum & mundana omnia cœlestium amore contemnebat, spiritalibus inhiabat delicijs, rebus caducis omnibus nuncium remittere planè constituebat. Aetas quidē needùm matura erat, sed maturis & canis erat moribus, illecebras omnes respuens, soliq; Deo placere contendens. Nocte ac die spiritalibus vacabat epulis, & iamtum affectu atque desiderio consectabatur, quod posteà opere præstitit. Pugnat fortiter aduersùs vitia.

Nec verò Regē eius latebat virtus. Nam quanto ille studiosiùs occultare se conitebatur, tāto eius fama, vel maximè inuito illo, latiùs populi ore diffundebatur. Cap. 3. Fit charus Regi propter morum integritatem, proceribus regni venerabilis, acceptus & probabilis populo, vt qui non obscurè Deo gratus, & amabilis videretur. Postquàm autem Carolus, sub quo adolescentiæ annos exegit, è vita decessit, suos volens inuisere, Lomaganium (sic enim vulgò eius patria dicebatur) adijt. Porrò Eius patria. etiam Hugoni, summę dignitatis Abbati, & ea tempestate inter Abbates pręcipuo, sese adiungens, doctrinæ palmam præ cæteris tulit: simul etiam virtutū scalis semper ad altiora scandens, vt lampas cælestis præclarè vbiquè refulsit.

Intereà Egilbertus Vltraiectensis Ecclesiæ præsul vitam cum morte commutat. Cap. 4. Tractatur de substituendo idoneo pastore, miraque Cleri & populi consensione, Egilbertus Episcopus Vltraiectēsis. non sine nutu Dei, Radbodus omnium dignissimus censetur. Idem est Arnulphi, qui tum regni moderabatur habenas, itemque principum de eo iudicium. Itaque Cleri, Regis, principum, populi studio & voluntate vir sanctus, primò quidē huius rei ignarus, posteà verò diù reluctans, Episcopus creatur. Ea re non mediocri animo dolore affectus, diù hæsitabat quid faceret. Tandèm honorē fugere dum vult, S. Radbodus fit Episcopus Vltraiectēsis. vel inuitus rapitur ad cathedrā honoris. Percepta igitur benedictione, æterni Regis miles processurus ad pugnam, armis spiritalibus animo virili se accingit, mutat habitum, moribus addit maiora etiam ornamenta, Christique doctrinæ obtemperans, angustam valdè complectitur viam, perfecteque regularis fit monachus: ne- Matth. 7. Monachum profitetur. que à carnium duntaxàt esu, sed ab omni ciborum voluptate abstinens, biduanis triduanisque ieiunijs animum pascit, corporisque imbecillitatem, vix ossibus hærens, naturæ necessarijs, ijsq; vilibus sustētabat alimentis: interìm tamen vultu hilaritatem præ se ferens, & ità se comparās inter suos, acsi delicatis cibis vesceretur. Abstinentia eius. Voluit enim, quoad fieri potuit, omnes latére abstinentiam suam, paucis tantùm eius conscijs. Quam cùm laicus quidam, Episcopo familiaris & crebrò eū inuisens, experiri vellet, aliquādo ei ad mensam assidens, & more vsitato cum eo colloquēs, tandèm petit sibi copiam fieri bibendi ex poculo, quod erat pro consuetudine illi appositum: quod quidem erat ex onyche factum, congruenterq; ornatum auro, sed aqua plenum. Vbi quid tum miri per seruum suum effecerit Deus mirabilis in Psal. 68. sanctis suis, res ipsa sileri nō patitur. Nō sinit Episcopus, vt ille ex poculo bibat: nolebat enim in aliorū notitiam deduci, quid in illo esset: sed tamen oblata quadam opportunitate, alter clàm arripit poculū, Episcopus verò id aduertit: sed cùm prohibere non posset iam, quin biberet, suspirat ad Deū & ingemiscit. Et eccè antiquo Ioan. 2. renouato miraculo, aqua mutatur in vinū optimū. Id sentiens explorator ille, ad Aqua in vinum mutatur. pedes sancti antistitis aduoluitur, petit veniā, spōdet se deincèps nihil tale attentaturū. Etsì autē præsul sanctissimus celare id voluit, non tamen par erat celari opus Dei, conuenienter illi sententiæ Raphaëlis angeli, dicentis ad Tobiā: Sacramētum Tob. 12. Regis abscondere, bonū est: opera autē Dei reuelare & confiteri, honorificum est.

Quotidiana eius conuersatio, quoàd in corpore vixit, quàm grata Deo, quàm Cap. 5. optata & suauis hominibus fuerit, quotidiana illo virtutum augmenta capessente, tametsi explicare nos pro dignitate non valemus, tamen vel pauca commemorabimus, accepta ab illis, qui rebus gestis interfuêre, vt faciliùs Lector fidem nobis adhibeat. Quicquid ex rebus mundi huius habere potuit, accuratè in pauperes eroga-

Benignitas eius eximia in pauperes

erogauit: cumque omnium bonorum operum floreret exercitijs, at tamen in benignitate erga pauperes nulli secundus fuit. Quotidiè, demptis paucis solennitatibus, suis manibus lauabat pauperum pedes, præbebat eis victum, nudos vestiebat, infirmos visitabat, claudis & pupillis curam adhibebat. Eiusmodi studijs & officijs humanitatis & misericordiæ diù noctuque incredibili vigilantia & solicitudine indefessus vacabat, nec vnquàm id genus frangebatur laboribus: id planè in lucris ponens, quicquid in miserorum solatia contulisset. Nulla apud eum visebātur ornamenta, aut inanis mundi pompa: non illi inerat auri sacra fames. Nefas putabat, eiusmodi oblectari. Itaque contempto mundo, & quicquid is præstare potest amicis suis, cælestium amore feruebat, solo corpore degens in terris.

Cap. 6.

Cùm autem Traiectensem Ecclesiam Dani vastâssent, sæpiùs Dauentriæ morabatur, animo tamen semper Traiecti habitās: quò etsi, reddita pace, crebrò se conferret, non parùm dolebat & ipsi, & alijs, quòd res & tempus non sinerent eum illic perpetuò residere. Proponebat sibi in animo ad imitādum multos sanctos patres, eos præsertim, qui eiusdem Ecclesiæ fundamenta in firma petra Christo primò collocârunt, putà sanctos Vuillibrordum & Bonifacium, meritis & sanctitate præcipuos, quos ardui itineris, quo illi præcesserant, duces sibi elegit, imitandosq; suscepit: quos etiam in superliminaribus pectoris sui depinxit, intentaque animi contemplatione semper intuebatur. Qui morum sanctitate & optimis exemplis, meritorumque patrocinijs etiamnùm summi Regis familiam sublevant. Quorū alter in pace confessione, alter sanguinis effusione clarus, ambo ex hoste triumphantes, cælestis militiæ consortio perfruuntur. In horum igitur vestigijs insistens, semina fidei spargebat commisso gregi, seipsum quotidiè viuam hostiam immolabat Deo, toto pectore adspirabat ad cælestem patriam, moriebatur mundo, viuebat Christo, totus versabatur in cælo. Erat lucerna Christi super cādelabrum posita, lucens omnibus, qui in domo Dei erant, interìm apud se coram Deo humilis.

Singulari deuotione colit SS. Vuillibrordum & Bonifaciū Hollandiæ Apostolos.

Matth. 5.

Cap. 7.

Multa futura prædicit.

Multæ eius virtutes.

Nec deerat illi prophetiæ spiritus. Multa enim, vt prædixerat, citò euenerunt: multa non longè pòst acciderunt. Semper animo Domini legem meditabatur, nec eo contentus, etiam opere exequebatur eam: factus iam victor animi, doctor charitatis, cultor castitatis, pauperum sustentator, mœrentium consolator, Clero spes inuicta solatij, populo indefessū leuamen, suis omnibus à facie inimici turris fortitudinis, iusti adeò tenax, vt nec ꝓsperis nec aduersis adduci posset, vt ab eo deflecteret. Nunquàm ab eius ore Christus abfuit, quem etiam animo perpetim, quicquid ageret, affixum habuit. Nunquàm vel lectionis, vel orationis studio fatigabatur, nunquàm misericordiæ officijs & operibus satiabatur, ieiunijs & vigilijs semper addictus. Eius labia semper stillabāt dulcedinem, ferebant pacē & salutis remedia: semper Christum eius eloquia sonabant. Præcedentium patrum, vt diximus, exempla cupidissimè sectabatur, eorum memoriam legendo, audiendo, colloquendo, vel quippiam de eis componendo incredibili auiditate vsurpabat. Texebat de illis hymnos & encomia, quæ in eorum solennitatibus depromerentur. Et nè quis putet nos à vero aliena dicere, extat integrum beatissimi Martini Episcopi officium, ab ipso compositum. Illum enim præ cæteris specialem sibi patronum delegerat, nihil dubitans eius se patrocinijs adiutum iri. Nullis vnquàm frangebatur aduersis casibus, nullis circumuentus est rugientis hostis insidijs: vndiquè firmissimo Dei præsidio communitus, non cuiusquam hostilia arma, non quoscunque casus asperos reformidabat.

Cōponit totum officiū S. Martini.

Cap. 8.

Visitans aliquandò creditum sibi gregem, in Frisiam profectus est, vt si qui illic pristini erroris emergerent frutices, eos spiritali vomere extirparet, doctrinaq; fidei credentium animos irrigaret. Occurrēt autem Dani, eiusq; conatus impediūt. Sed ille tamen nihil mortis periculo absterritus, salutares eis adhortationes adhibet, vt repudiatis erroribus, complectātur veritatis viam. At illis obduratis animis in malitia persistentibus, mortemq; ipsi minitantibus, anathematis in eos sententiam vibrauit. Tum verò diuina vltio cōfestim eos persecuta est. Nam peste horrenda tanquàm fulminis ictu percussi, omnes ferè extincti sunt. Nec vnquàm impunè tulerunt, quotiès Traiecti molestia eum affecēre. Euestigiò enim Dei iudicio plectebantur, vt persæpè testati sunt ex illis paucissimi, qui se viuos euasisse lætabātur.

Dani eius plexi anathemate, peste pereunt.

Cap. 9.

Per id tempus Baldricus egregius adolescens, Ricfridi Comitis filius, interdùm ad beatum virum venire solebat. Itaq; quandoq; præsente illo, vocauit ad se Nit-

gerum

gerum presbyterum & Richardum militem, aitque ad illos spiritu prophetico: Adolescens hic, quem cernitis, mihi in Episcopatu succedet, & per eum Deus sedem hanc instaurabit, Ecclesiæ res multùm augebit, destructa & diruta reparabit. Neque id semel atque iterùm, sed crebrò de illo adolescente prædixit. Vera autem dixisse eum, toto orbe teste, res ipsa declarauit. Baldricū sibi successurū prædicit.

Aliquandò Missam beatus vir celebrans, cùm Apostolus recitaretur, accitis ad se Eliolpho & Rorguito presbyteris cœnobij Embricensis, ità ait: Equidem nō diù posthàc victurus sum. Diligenter ergò honorem habetote huic iuueni Baldrico. Ego enim post annos tres & menses sex hîc è vita abiturus sum, & hic sine dubio obtinebit sedem meam. Illi his auditis, stant attoniti, non mediocriter admirantes eius vaticinium. Non diù pòst idem iuuenis eo tempore, quo solent sacri conferri ordines, duos suæ ditionis clericos Bennonem & Saxonem ad virum Dei adducit, orans vt sacros ordines ab eius manibus accipiant. Cui vir sanctus, vt semper erat iucundo ore, subridens, Noli, inquit, fili, frustrà me ad hanc rem inuitare. Tuum est id, quod me rogas, præstare. nō enim meis, sed tuis, manibus isti ordinabuntur: idque post annos duos & menses sex. At Baldricus iuuenis animo consternatus, fundit lachrymas, omnia vel tuta timens, nec credens fore, quod vir sanctus aiebat. Cernens autem beatus Episcopus non mediocriter eum discruciari, blandè consolari eum cœpit: Nè timeas, inquit, Baldrice, nec animus generosus ignauia frangatur. Res Ecclesiæ, quæ nunc pauper & inops habetur, per te donis Dei innumeris locupletabitur, & rerum facies inopinatò mutabitur. Tu ædes Episcopi, iam multis annis Traiecti Danorum vastatione euersas, pristinæ dignitati restitues. Hæc aliaque id genus plura vir sanctus euentura prædixit, quæ non secùs, atquè ab illo dicta sunt, vt iam ab omnibus cerni licet, posteà completa sunt: ità vt verbis frustrà fidem ijs facere videamur, quæ suis quisque oculis vera probare potest. Cap. 10. Prædicit tēpus mortis suæ. Prophetia eius.

Cùm à Rege inuitaretur, vt aliquid ei præstaret officij, comiter respondere solebat: Iustum est, sublimioribus obedire potestatibus: sed Episcoporum non esse, secularibus implicari negocijs, in quorum castris milites Christi militant, quisnam ambigit? Debent illi spiritaliter induti armis Ecclesiasticis, pro Regis & populi salute, pace & stabilitate cum suis Dominum deprecari, continuis precibus animarum lucra quærere, non sectari terrena. Milites, militiæ regiæ cingulo præcinctos, beneficijsque cumulatos, id præstare par est. Atque ità inspecta lege perfectæ libertatis, nec blanditijs dimoueri potuit à sententia, nec minis vllis, si quæ essent intentatæ: soli Deo placere mâlens, quàm hominibus. Cap. 11. Rom. 13. Non debēt Episcopi secularibus fungi officijs.

Cùm sic autem longè antè præsciret obitum suum, dubitare nemo potest, quin ardenti lucerna preparauerit se Domino, à nuptijs redeunti. Vigilauit planè, vt confestim aperiret pulsanti: triticique mensuram Domini sui familiæ tanto diligentiùs erogauit, quanto certiùs nouerat se breui rationem illi redditurum. Nec formidabat mortem, cui mori lucrū, & viuere Christus erat. Ad pacis, concordiæ, charitatisq; studium, ità vt solitus erat, hortabatur suos: seipsum verò pauperem spiritu, meritis diuitem, à terrenis alienum, cælestibus familiarem, quantùm humana sinit imbecillitas, efficere cōnitebatur. Ieiunijs, psalmodiarum delicijs, vigilijs, eleemosynis magna animi contentione mortem suam communire curauit. Cap. 12. Luc. 12. Ibidem. Ad mortem vt se præparārit.

Non est hîc pretereunda sublimis illa visio, quam ipse sibi obtigisse quibusdam è suis indicauit. Cùm aliquandò grauiter decumberet, ità vt viuendi spem omnem abijceret, beatissima Dei genitrix semperq; virgo Maria, subsequentibus ipsam sanctis virginibus Tecla & Agne, cum multa luce ei apparuit, totum habitaculū splendore perfundens. At ille tanta visione valdè perterritus, loqui præ timore nihil potuit, & propemodùm exanimatus est. Tum verò porta salutis, Domina mundi, consolationis medicinam ei adhibens, omnemq; non modò timorem, sed etiam languorem depellens: Nè timeas, inquit, Radbode: certus eam te intueri, cui crebrò supplices offers preces. Non ego te mea dedignor consolari præsentia, qui in tuis ad Deum precibus, meî semper memoriam vsurpas. Nóueris autem, nihil ex hoc morbo tibi imminere periculi: sed curatum te iri, nec tamen diù posteà in carne victurum. Securus esto tuî: vigilare & operari nè cesses, sed perge, vt cœpisti. Sub his verbis repentè splēdor ille disparuit, sed permāsit diù odor gratissimus: morbus omnis planè ablatus est. Hæc cùm ille clàm quibusdam è suis exposuisset, (neque enim, se viuente, voluit cuiquam ea innotescere) simul etiam formam, habi- Cap. 13. Beatissima virgo Maria ei apparet. Ecce quàm sit salutiferum, crebrò inuocare Deiparam virginem.

habitum, ornatum sanctissimæ matris Dei illis explicauit, addens, pulchritudinem eius neminem satis posse admirari: sanctas autem virgines Teclam & Agnen, tam ex vultu, quàm vestitu, potuisse dignosci.

Cap. 14. Porrò exactis triennij & sex mensium spatijs, de quibus suprà dictum est, in pago Trente febre correptus, ocyùs iubet suos indè secū proficisci, nè febre inualescente, manere illic cogeretur. Hyeme enim non facilè ex eo pago potest quispiam exire. Ille verò sciebat adesse iam tempus migrationis suæ. Etsi autem morbo eius omnes affligerentur, tamen morem illi gerentes, cœperunt iter habere ad Octamarsem, vbi si sui permitterent, sepulturæ locum ille sibi delegerat. Paruum tum illic oratorium erat, vbi sæpè ille manere solebat, quòd amœno loco situm esset. Illic ergò pro voto rebus suis constitutis, non Dei famulatu defessus, non morbi vi fractus: sed vultu hilaris, mortem nihil metuens, quippè ad Christi conuiuium inuitatus, corpore iam præmortuo, spiritu magis magisque viuificabatur. Nec quiescebant labia, cùm extremas duceret horas, mirumque in modum ità psalmos depromebat, vt ijs, qui aderant, lachrymarum imbres exprimeret. Planeque gaudenti similis, quoàd lingua moueri potuit, & halitus relictus erat, inter psalmos identidèm repetebat Antiphonam illam, Eccè læti &c. quæ est prima in beati Martini Confessorum principis ab ipso compositis Responsorijs. Nec dubiū erat interim vallatum beatissimis Angelicis spiritibus, nihil tenebrarum pertimuisse monstra. Sed neque credimus longè abfuisse Martinum eximium præsulem, specialem patronum eius, quem totiès canora voce salutare videbatur. Tādèm mense Nouembri ad extrema tendente, ipse quoquè diem clausit extremum, felicissimè migrans ad Dominum. Sanctum autem corpus mox feretro impositum, Clerus & populus omnis cum hymnis & psalmodijs inprimis reuerenter & honorificè Dauentriam perduxerunt. Cumque iam oppido appropinquarent, incolæ eius omnes mœstis animis obuiàm processerunt: atque ità permixtis lugentium & psallentium vocibus, sacrum corpus in ecclesiam importatum, ea parte, quæ Septētrionem spectat, humatum est: spiritu exultante & perfruente gaudio Domini sui, cui in hac vita seruierat: Cui est honor, & potestas, & gloria per infinita secula, Amen.

Magna eius in extremis precādi instantia.

Animā reddit creatori

Sepelitur Dauentriæ.

PASSIO SANCTI ANDREÆ APOSTOLI, PER PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIARVM

Achaiæ scripta. Habetur apud Aloysium. Nos capita margini apposuimus.

Nouēb. 30. Cap. 1.



ASSIONEM sancti Apostoli Andreæ, quam oculis nostris vidimus, omnes presbyteri & diacones Ecclesiarum Achaïæ, scribimus vniuersis Ecclesijs, quæ sunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septentrione, in Christi nomine constitutis: Pax vobis, & vniuersis, qui credūt vnum Deum in Trinitate perfectum, verum patrem ingenitum, verum filium vnigenitum, verum spiritum sanctum procedētem ex patre, in filio permanentem, vt ostendatur vnus spiritus esse in patre & filio: & hoc esse vnigenitū filium, quod est & ille, qui genuit. Hanc fidem didicimus à sancto Andrea, Apostolo Domini nostri Iesu Christi: cuius passionem, quam coràm positi vidimus, prout possumus, explicamus.

Si vnus & idē spiritus in Patre & Filio, ergò ab vtroque procedit.

Cap. 2. Proconsul itaque Aegeas Patras ciuitatem ingressus, cœpit compellere credentes Christo ad sacrificia idolorum. Cui occurrens S. Andreas, dixit: Oportebat vt tu, qui iudex esse hominum comprobaris, iudicem tuum, qui est in cælo, cognosceres, & agnitum coleres, & colendo eum, qui verus Deus est, ab his, qui veri dij non sunt, animum reuocares. Cui Aegeas dixit: Tu es Andreas, qui destruis templa deorum, & suades hominibus superstitiosam illam sectam, quā nupèr detectam Romani principes exterminari iusserūt? Andreas dixit: Romani principes nondùm cognouerunt hoc, quòd pro salute hominum veniens Dei filius, docuerit ista idola non solùm deos non esse, sed esse dæmonia pessima, & inimica humano generi: quæ

S. Andreas constanter se opponit Aegeæ proconsuli.

quæ hoc docent homines, vndè offendatur Deus, vt dum offensus fuerit, auertatur, & non exaudiat: & cùm auersus fuerit, & non exaudierit, habeantur à diabolo ipsi captiui, & tandiù eos deludat, quandiù de corpore exeant rei & nudi, nihil secum præter peccata portantes.

Aegeas dixit: Ista superstitiosa & vana verba Iesus vester dum prædicaret, Iudæi il- Cap.3.
lum crucis patibulo affixerunt. Andreas respondit: O si velles scire mysterium Cru- Mysterium
cis, quàm rationabili charitate author humani generis pro restauratione nostra hoc Crucis.
Crucis patibulum non inuitus, sed spontè suscepit. Aegeas dixit: Cùm traditus asse- Mors Chri-
ratur à suo discipulo, & à Iudæis tentus, & Præsidi adductus, & ad petitionem Iudæo- sti spōtanea
rum à militibus Præsidis crucifixus, quomodò tu dicis eum spontaneum Crucis subîsse patibulum? Andreas respondit: Ideò ego dico spontaneum, quoniam simul cum ipso fui, cùm à suo discipulo traderetur: & antequàm traderetur, dixit nobis, quòd Luc.18.
tradendus esset, & crucifigendus pro salute hominum: & die tertia resurrecturum se esse prædixit. Cui cùm frater meus Petrus diceret: Propitius esto tibi, Domine, non Matt.16.
fiat istud: Indignatus, sic ait Petro: Vade retrò satana. quia non sapis ea, quę sunt Dei. Et vt pleniùs nos instrueret, quomodò spontè passionem susciperet, dicebat nobis: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi Ioan.10.
eam. Ad vltimum dum cœnaret nobiscum, & diceret: Vnus vestrûm me traditurus Matt.26.
est, & ad istam vocem omnes contristaremur: nè suspensos cogitatio trucidaret, ait: Cui dedero panis fragmentum de manu mea, ipse est. Et cùm dedisset vni ex condi- Ioan.13.
scipulis nostris, & futura quasi iam præterita narraret, docuit se voluntate fuisse traditum, cùm nec traditorem fugiendo deseruit, & in loco, quò illum sciebat venturum esse, permansit.

Aegeas dixit: Miror te prudentem virum, istum velle sectari, quem quoquo pacto, Cap.4.
aut spontè, aut inuitum, Cruci tamen confiteris affixum. Andreas respondit: Hoc est, quod etiam me dixisse iam retines, Magnum est mysterium Crucis: Quod si fortè volueris audire, retexam. Aegeas dixit: Mysterium non potest dici, sed supplicium. Andreas dixit: Ipsum supplicium, mysterium restaurationis humanæ, si patienter audias, comprobabis. Aegeas dixit: Ego quidem patienter te audiam: sed tu si me Non expa-
obtemperanter non audieris, ipsum Crucis mysterium in teipso excipies. Andreas uescit Cru-
respondit: Ego si Crucis patibulum expauescerem, Crucis gloriam non prędicarem. cis supplici-
Aegeas dixit: Insanus sermo tuus prædicat gloriam supplicij, qui per audaciam pœ- um Aposto-
nam non times mortis. Andreas respōdit: Non per audaciam, sed per fidem, pœnam lus.
non timeo mortis. Mors enim iustorum, preciosa est: mors verò peccatorum, pessi- Psal.115.
ma. Et ideò audire te volo Crucis mysterium, vt agnitum forsitan credas, & credens Psal.33.
ad restauratione̅ tuæ animæ quoquè pertingas. Aegeas dixit: Restauratur hoc, quod periîsse docetur. Nunquid anima mea perijt, vt ad eius me restaurationem venire per fidem, nescio quam, tu asseras?

Andreas respondit: Hoc est, quod te discere desiderabam, vt dum perditas animas Cap.5.
hominum docuero, istam restaurationem earum per Crucis mysterium pandam. Primus enim homo per lignum præuaricationis mortem induxit, & necessariũ hoc Gen.3.
erat generi humano, vt per lignum passionis, mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur. Docet Ae-
Et quomodò de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præ- geam myste-
uaricationis mundo mortem intulerat: necessarium fuit, vt de immaculata Virgine rium S. Cru-
natus Christus perfectus homo, qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat, vi- cis.
tam æternam, quam perdiderant omnes, repararet: ac de ligno Crucis lignum concupiscentię excluderet: panderet in Cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis: pro suaui cibo arboris vetitæ, escam fellis acciperet: & in se suscipiens mortalitatem nostram, suam nobis immortalitatem offerret.

Aegeas dixit: Ista verba illis narrare debes, qui tibi credunt: mihi autem nisi hoc Cap.6.
consentias, vt sacrificium dijs omnipotentibus offeras, in ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi præcipiam. Andreas respondit: Omnipotenti Deo, qui vnus & ve- Prçclarũ te-
rus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugie̅tium carnes, stimoniũ sa-
nec hircorum sanguinem: sed immaculatum agnum quotidiè in altari Crucis sacri- crificij Mis-
fico: cuius carnes posteaquàm omnis populus credentium manducauerit, & eius sæ, & veri
sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est, integer perseuérat & viuus: & cùm corporis
verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducatæ sint à populo, & verè sanguis eius Christi in
sit haustus, tamen (vt dixi) integer permanet, & immaculatus, & viuus. Aegeas dixit: Eucharistia

Quomodò poteſt hoc fieri? Andreas reſpondit: Si vis diſcere, quomodò hoc poteſt fieri, aſſume formam diſcipuli, vt poſſis doceri, quod quæris. Aegeas dixit: Ego à te tormentis exigam huius rei notitiam. Andreas dixit: Miror te hominem prudentem tam ſtultè locutum. Ergò tu tormentis putas me diuina tibi pandere ſacrificia? Audiſti myſterium Crucis, audiſti myſterium ſacrificij. Si credideris Chriſtum filium Dei, qui crucifixus eſt à Iudæis, verum Deum eſſe, pandam tibi quo ordine occiſus viuat agnus: qui cùm ſacrificatus fuerit, & comeſtus, integer tamen & immaculatus in ſuo regno permanet. Aegeas dixit: Cùm ſit occiſus, & ab omni populo (vt aſſeris) deuoratus, quomodò integer perſeuerat, & viuus? Andreas reſpondit: Si credideris ex toto corde tuo, diſcere poteris: ſi non credideris, penitùs nunquàm tu ad indaginem huius veritatis attinges.

Verè animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.

Cap. 7. S. Andreas in carcerem ducitur.

Tunc iratus Aegeas, iuſſit eum in carcerem retrudi. Vbì cùm eſſet clauſus, venit ad eum multitudo penè totius prouinciæ, ità vt Aegeam vellent occidere, & Andream Apoſtolum, fractis ianuis carceris, liberare. Quos S. Andreas his verbis admonuit: Nolite quietem Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſeditionem diabolicam excitare. Nam traditus Dominus omnem patientiam præbuit: non contendit, neque clamauit, nec in plateis aliquis eum clamantem audiuit. Habete ergo ſilentium, quietem & pacem: & non ſolùm meum martyrium nolite impedire, verumetiam voſipſos quaſi athletas Domini præparate, vt vincatis minas intrepido animo: plagas autem per tolerantiam corporis ſuperetis. Si enim terror timendus eſt, ille eſt vtiquè timendus, qui finem non habet. Nam humanus timor fumo ſimilis eſt, & ſubitò, cùm excitatus fuerit, euaneſcit. Et ſi dolores timendi ſunt, illi ſunt formidandi, qui ſic incipiunt, vt nunquàm finiantur. Iſti enim dolores aut leues ſunt, & tolerantur: aut graues ſunt, & citò animam eijciunt. Illi autem dolores æterni ſunt, vbì eſt quotidianus fletus, & mugitus, & luctus, & ſine fine cruciatus, ad quem Proconſul Aegeas ire non timet. Eſtote ergò magis parati ad hoc, vt per tribulationes temporales ad æterna gaudia pertingatis: vbì ſemper lætemini, ſemper floreatis, ſemperque cum Chriſto regnetis.

Eſa. 42. Matt. 12.

Conſolatur ſuos Apoſtolus.

Cap. 8. Rurſùs ad tribunal ducitur.

Hæc, & his ſimilia ſancto Andrea Apoſtolo per totam noctem populum admonente, dum lux diei in matutino prorumperet, miſit Aegeas, & adduxit ad ſe ſanctum Andream, ac ſedēs pro tribunali, dixit: Exiſtimaui te nocturna cogitatione reuocare animū tuum à ſtultitia, & à Chriſti tui laude ceſſare, vt poſſes nobiſcum non amittere gaudia vitæ. Stultum eſt enim, vltrò velle ad paſſionem Crucis ire, & ignibus ac flammis teipſum peſſimis deſtinare. Andreas reſpondit: Gaudia tecum habere potero, ſi credens Chriſto, dimittas culturas idolorum. Chriſtus enim me miſit ad iſtam prouinciam, in qua non paruum populum ei acquiſiui. Aegeas dixit: Ideò te ſacrificare compello, vt iſti, qui per te decepti ſunt populi, relinquant vanitatem tuæ doctrinæ, & ipſi dijs offerant grata libamina. Nulla enim remanſit in Achaia ciuitas, in qua templa deorum derelicta non ſint, & deſerta. Nunc ergò per te reſtauretur cultura deorum, vt & dij, qui contra te irati ſunt, placari poſſint, & in noſtra poſſis amicitia permanere. Sin aliàs, diuerſa pro defenſione deorum patieris ſupplicia, & poſt omnia Crucis, quam laudâſti, patibulo ſuſpenſus deficies. Andreas reſpondit: Audi fili mortis, & ſtipula ęternis parata incendijs, audi me ſeruum Domini, & Apoſtolum Ieſu Chriſti. Nunc vſque mitiùs tecum egi cenſura fidei, vt rationis capax, & veritatis defenſor effectus, idola vana contemneres, & Deum, qui in cælis eſt, adorares. Sed quia in impudentia tua perdurans, me putas minas tuas poſſe formidare, quicquid tibi videtur in ſupplicijs maius, excogita. Tanto enim meo Regi ero acceptior, quanto pro eius nomine fuero permanens in tormentis confeſſor.

En quātum effecerit in Achaia S. Andreas.

Magna libertas & cōſtantia eius.

Cap. 19. Durè flagellatur.

Tunc Aegeas iuſſit eum flagellis cædi extenſum. Qui cùm ſeptem terniones tranſiſſet, eleuatus eſt, atque adductus ante eum. Cui Aegeas dixit: Audi me Andrea, & ab effuſione ſanguinis conſilium reuoca. Quòd ſi non feceris, Crucis te faciam interire patibulo. Andreas dixit: Ego Crucis Chriſti ſeruus ſum, & Crucis trophæum optare potiùs debeo, quàm timere. Tibi autem cruciatus æternus qui debetur, poteris euadere, ſi poſtquàm probaueris perſeuerantiam meam, vel ſic credideris Chriſto. Ego enim de tuo interitu timeo: non de mea paſſione conturbor. Paſſio enim mea aut vnius diei ſpatium occupat, aut duorum, vt multùm: Tuus autem cruciatus nec per millia annorum poteſt peruenire ad finem. Vndè deſine iam miſerias tuas augmentare, & ignem ipſe tu tibi æternum accendere noli. Tunc indignatus Aegeas, cruci eum affigi præcepit, mandans hoc quæſtionarijs, vt ligatis pedibus & mani-

Cōdemnatur.

manibus, quasì in eculeo tenderetur, nè clauis affixus, citò deficeret, sed cruciaretur potiùs longo cruciatu. Cumque eum carnifices ducerent, vt crucifigeretur, concursus factus est populorum, clamantium ac dicentium: Iustus homo & amicus Dei, quid fecit vt ducatur ad crucem? Andreas verò rogabat populum, vt non impediret passionem eius. Gaudens enim, & exultans ibat, & à doctrina non cessans.

Cumque peruenisset ad locum, vbi crux parata erat, videns eam à longè, exclamauit voce magna, dicēs. Salue Crux, quę in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequàm te ascēderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modò verò amorem cælestem obtinens, pro voto susciperis. Sciris enim à credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera pręparata. Securus ergò & gaudens venio ad te, ità vt & tu exultās suscipias me discipulum eius, qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. O bona Crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diù desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquandò iam concupiscenti animo pręparata: accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicens, expoliauit se, & vestimenta sua tradidit carnificibus. Qui accedentes, leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius (sicut eis iussum fuerat) suspenderunt. Adstantes verò erant turbæ ad viginti millia hominum, inter quos erat frater Aegeæ, nomine Stratocles, qui simul clamabat cum populo, iniusto iudicio sanctum virum hoc pati. Sanctus verò Andreas confortabat mentes credentium Christo, & hortabatur ad tolerantiam temporalem, docens nihil esse dignum passionis ad æternam remunerationis compensationem.

Cap. 10. Ecce tibi Apostolum ad crucem tanq̃ ad epulas propetantem. In cruce suspēditur.

Intereà vadit omnis populus cum clamore ad domum Aegeæ, & omnes pariter clamantes, dicebant: Virum sanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modestū, rationabilē non hoc debere pati, sed debere deponi de cruce: quia iam secunda die in cruce positus, veritatem prædicare non cessat. Tunc Aegeas pauescens populum, & promittens se eum deponere, simul cœpit ire. Quem videns S. Andreas, dixit: Quid tu ad nos, Aegea, venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via indulgentiæ. Si autem venisti ad hoc tantùm, vt me soluas, ego penitùs hinc de ista cruce viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum video, iam adoro, iam conspectui eius consisto. Sed de tuis miserijs doleo: quia paratus te expectat æternus interitus. Curre pro te miser, dum adhuc potes, nè tunc incipias velle, cùm non poteris. Mittentes autem manus ad crucem carnifices, non poterant penitùs contingere eum. Et subindè alij & alij ingerentes se, vt soluerent eum, & nullus poterat pertingere ad eum. Stupebant enim brachia eorum, quicunque se extendisset ad soluendum eum.

Cap. 11. Coact⁹ Aegeas à populo vult eum de cruce deponere. Frustrà conantur eum carnifices de cruce deponere.

Tunc voce magna sanctus Andreas dixit: Nè permittas, Domine Iesu Christe, me famulum tuum, qui propter nomē tuum pendeo in cruce, solui: nec permittas eum, qui iam per crucem tuam, cognouit magnitudinem tuam, ab Aegea, homine corruptili, humiliari: sed suscipe me tu, magister meus Christe, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem cernere desidero, in quo sum quod sum. Suscipe Domine Iesu Christe spiritum meum in pace: quia iam tempus est, vt veniam, desiderans te videre. Suscipe me Domine Iesu Christe magister bone, & iube me de ista cruce non deponi, nisi priùs spiritum meum susceperis. Et cùm hæc dixisset, videntibus cunctis, splendor nimius, sicut fulgur de cælo veniens, ità circundedit eum, vt penitùs præ ipso splendore oculi eum humani non possent adspicere. Cumque permāsisset splendor ferè dimidiæ horæ spatio, abscedente lumine, emisit spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Cap. 12. Vide pectus Christi amore flagrantissimum. Reddit spiritum.

Quædam verò fœmina, nomine Maximilla, senatrix in specu posita, diligens pudicitiam & sanctitatem, statim vt cognouit Apostolum perrexisse ad Dominum, accessit ad crucem, & suorum solatio cum omni reuerentia deposuit corpus, & condiuit aromatibus, & in loco, quo se constituerat sepeliendam, illic eum sepeliuit. Aegeas verò iratus contra populum, disponebat contestationem publicam facere, & ad Cæsarem accusationem contra Maximillam & populum destinare. Sed dum ordinat, in conspectu officij sui à diabolo arreptus est, & in medio foro ciuitatis volutatus, expirauit. Nunciatum est fratri eius, cui nomen erat Stratocles, & misit seruos suos, dixitque eis, vt inter Biothanatos sepelirent eum. Ipse autem de facultatibus eius nihil quæsiuit, dicens: Non mihi permittat Dominus meus Iesus Christus,

Cap. 13. Maximilla eum sepelit. Aegeæ interitus.

cui credidi, vt ego de bonis fratris mei aliquid cõtingam, nè polluat me crimen eius, quia Apostolum Domini ausus fuit pro amore pecuniæ occidere.

Hęc autem gesta sunt apud Achaiam prouinciam ciuitate Patras, pridiè Calendas Decembris: vbi etiam præstantur gloriosa eius beneficia vsque in præsentem diem. Tantus autem timor inuasit omnes, vt nullus remaneret, qui non crederet Saluatori nostro Deo: qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen. 1.Tim.2.

IOHANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI LAVDATIO IN SANctum Apostolum Andream. *Habetur in Simeone Metaphraste, septimo tomo Aloysij.*

Nouẽbr.30



VALIDVM est Apostolicæ piscationis rete, admirabilis Andreæ memoria, & eius retis commemoratio, quo ad capiendas, & ad Christianam fidem attrahendas gentes vsus est. Sagena enim, qua immortales illi mortui vsi sunt, nulla temporis obliuione potest intercipi. Non veterascunt tempore illa venationis instrumenta, quæ non humana arte, sed diuina gratia effecta sunt. Quanuis enim piscatores ipsi à nobis excesserint, nullo tamen tempore instrumenta, quibus illi vsi sunt, aut sagena, qua mundum ipsum compræhenderunt, inueterata est. Qui cùm rete iaciunt, & extrahunt, non videntur, & tamen illorum retia plena conspiciuntur. Non arundinem illam possederunt, quam tempus corrumpit. Non linum in aquam demiserunt, quod vetustate putrescit. Non hamum fabricârunt, quem rubigo consumit. Non escam in hamo posuerũt, qua pisces caperent. Non in petra consederunt, quæ vndis quatitur. Non in scapha nauigârunt, quam dissoluit tempestas. Non pisces, hoc est, naturam rationis expertem, expiscati sunt. Sed quemadmodùm ars illa, qua vsi sunt, admirabilis: ità & illorũ instrumenta, noua atque inusitata extiterunt. Nam pro arundine prędicatione vtũtur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cælis, ex quibus huiusmodi piscationem exercent: pro scapha habent altare: pro piscibus Reges etiam ipsos capiunt: pro sagena Euangelium expandunt: pro arte diuinam gratiam adhibent: pro mari vitam humanam tractant: pro retibus Cruce, velut sagena quadam, vti solent.

Apostoli piscatores. Instrumenta Apostolicæ piscationis. Crux, rete Apostolicũ.

Quis vnquàm vidit à mortuis piscatoribus viuentes homines, tanquàm pisces, capi? O magnam Crucifixi potentiam, ô diuinæ dignitatis præstãtiam, ô Apostolorum summa beneficia. Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicæ gratiæ fastigium. Multa certe vidit humana vita valdè admirabilia, & opinionẽ superantia. Vidit enim sanguinem effusum clamãtem, & cædem sine lingua vociferantem, ac naturam propter inuidiam contra se diuisam, fratrem germano fratri mortem inferẽtem, ac propter inuidiæ liuorem mortis ianuam patefactam. Vidit illam Noë arcam in mundi naufragio positam, & naturæ humanæ interitum. Vidit senem contra propria viscera, hoc est filium, fide armatum, & tanquàm victimam eum offerri, qui cæsus non est. Vidit benedictiones furto conciliatas, & formatoris Dei, ac serui palæstram. Vidit inuidiam inter fratres exortam, & seruitutem regni conciliatricem. Vidit somnijs paratum solium, & frãtris insidiatores famę attractos. Vidit virgam miraculorum effectricem, & rubum igne, tanquàm rore, circunfusum. Vidit legum latorem Moysẽm elementis imperantem. Vidit vndas ipsas, tanquàm lapides, solidas factas, profundum mare denudatum, viam repentè structam, & columnã nubis in die, ac ignis in nocte populorum multitudini ducem ostẽsam. Vidit virgam sine terra germinantem. Vidit è cælo panis loco manna fundi. Vidit hominis oratione solem, tanquàm freno quodam, sisti: & sterilis precibus imperratum, vt ipsa prophetam conciperet. Vidit farinæ pugillum frugibus copiosiorem, & lecythum olei fontibus abundatiorem. Vidit currum in aere agitari, & prophetam assumi. Vidit deniquè mortui ossa, vitæ remedium fieri. Multa talia magna & admirabilia vidit hominum vita. Sed illa tanquàm fœnum præterierunt, & extincta sunt, vt lucerna, exorto sole.

Gen.4. Gen.7. 22. 27. 31. 37. 42. Exod 3. 14. Num 17. Iosu.10. 1.Reg.1. 3.Reg.16. 4.Reg.4. 4.Reg.13.

Nihil

Nihil tale vnquàm fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cùm Dei verbi essent ministri, attrectârunt incarnatum illum, qui, vt Deus, figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui vbiquè præsens est. Discubuerunt vnà cum illo, qui nullo loco circunscribitur. Eius vocem audiuerunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tanquàm sagena quadam, concluserunt. Circumiêrunt suis cursibus fines orbis terrarum. Errores, vt zizania, eradicârunt. Aras, vt spinas quasdam, amputârunt. Idola, tanquàm feras, interfecerũt. Dæmones, vt lupos, profugârunt. Ecclesiam, vt gregem quendam, collegerunt. Orthodoxos, tanquàm frumentum, congregârunt. Hęreses, vt paleas, proiecerũt. Iudaismum, tanquàm fœnum, arefecerunt. Gręcorum sectam, tanquàm stipulas quasdam, igne combusserunt. Humanam naturam Cruce ipsa, tanquàm aratro quodam, excoluerunt, & verbum Dei, vt sementẽ quandam, sparserunt. Ad summam, omnia illorum facta, tanquàm sidera quædam, effulserunt. Quamobrèm clara voce illis dicebat Dominus: Vos estis lux mundi. Siquidem Orientem habet Christianus homo illum, qui è Virgine natus est: diluculum habet eum, qui baptismatis parens fuit: splendorem habet Christi Crucifixi gratiam: radios, admirabiles illas linguas: diem, futurum illud seculum: meridiem, tempus, quo in Cruce ipsa mansit Dominus: Occidentem, sepulcri habitationem: vesperam, breuem illam mortem: Solis fulgorem, resurrectionem à mortuis. Vos estis lux mundi. Intuere astra hæc, & illorum splendorem obstupesce. Idcircò Andreas hodierno die cùm, tanquàm luminis thesaurum quendam, cõmunem Dominum inuenisset, clamabat ad Petrum fratrem suum: Inuénimus Messiam.

Itèm agricolis comparantur Apostoli.

Matt. 5.

Itèm luci mundi.

Ioan 1.

O fraternæ charitatis exuperantiam, ô inuersum ordinem. Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, & prior Petrum ad Euangelium allexit, & tanquàm venatus est. Inuénimus (inquit) Messiam. Ex gaudio profecta est hæc oratio: lætum inuentæ rei Euangelium hoc fuit. Inuénimus (inquit) thesaurum illum. Fuge, Petre, circuncisionis paupertatem: exue te laceris pannis legis: abijce iugum literæ: hæc omnia contemne, vt parua quædam: vt somnia, despice præsentia: ac Bethsaidem, vt vilem & abiectum quendam locum, aspernare: relinque rete, vt paupertatis instrumentum: scapham, vt naufragij thalamum; piscandi artem maritimæ fluctuationi expositam: pisces, vt ventris negociationem: gentem Iudaicam, vt rabiem contra Deum: Caipham, vt praui consessûs parentem. Inuenimus Messiam, quem pronunciârunt Prophetæ, quem lex præconio suo, tanquàm tuba quadam, nobis prædicauit. Inuénimus legis thesaurum. Fuge, Petre, famem literæ. Inuénimus Messiam, quem olim adumbrârunt signa, quem vidit Michæas in throno gloriæ, quem Esaias contemplatus est super Seraphim, quem Ezechiel vidit super Cherubim, quem Daniel spectauit super nubes, quem Nabuchodonosor vidit in fornace illa, quem Abraham accepit in tugurio, quem Iacob non dimisit, nisi priùs ab illo benedictus esset, cuius posteriora vidit Moses super petram. Hunc nos inuénimus sine principio genitum, & in vltimis diebus visum. O thesaurum ingentem, cuius copia exhauriri non potest. Diuitiæ enim sunt non materiei subiectæ, quarum essentia originis est expers, & inuentio ipsa recens. Inuénimus Messiam, qui interpretatur Christus.

3. Reg. 22. Esa 6. Ezech. 10. Dan. 7. & 2. Gen. 32.

Multi quidem fuerunt Christi, sed omnes morti subiecti. Abraham Christus fuit, sed in sepulcro corruptus est. Isaac quoquè fuit ille quidem Christus, sed eius ossa in monumento iacent. Fuit & Iacob Christus, sed morti subiectus. Moses etiam fuit Christus, sed quo loco sepultus sit, nescimus. Dauid similiter fuit Christus, sed omnes mortis spolia, omnes fuêre mortis captiui. Vnus verè fuit Christus, natura quidem Deus, sed propter eius misericordiam homo: qui virginalem ventrem suo exitu, tanquàm sigillo quodam, signauit, & piscatores illos suos curationum fontes effecit: Cuius est imperium, regnum, gloria & adoratio cum immaculato, consubstantiali & eiusdem substantiæ patre, & sanctissimo spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Vnus Christus, natura Deus, & homo propter nos.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO I. DE SANCTO ANDREA *Apostolo.*

Hodiè, fratres charissimi, beati Andreæ nobis festiuitas votiua resplenduit, qui inter ipsam glacialis brumæ caliginem, iucundam nostris mentibus induxit lætitiæ serenitatem: & dum aëris inclementia extrinsecùs obrigescit, tanti præliatoris audita victoria, pia corda ad procinctum spiritalis certaminis incitat, & insignes bellatorum Christi animos igne diuini amoris inflammat. Inter cuncta sanè martyrij genera illud nobilius, illud non immeritò iudicatur esse præcipuum, quod in ipso Redemptore nostro, capite videlicet martyrum, cognoscitur dedicatum. Vndè cùm diuina dispensatio Petrum & Andream consummari per crucis supplicium voluit, inter cæteros Apostolos (licèt omnes vnius potestatis & dignitatis sint) quodammodò egregios atque conspicuos fecit. Crux enim, quæ Regem præmisit ad sceptrum, eadem vtrunque militem consequenter euexit ad præmium. O beata germanitas, quam sicut mundo vna consanguinitas edidit, sic eadem triumphalis mors victores ad astra transmisit: & quos in hac vita vnius generis protulit natura consortes, in illam beatitudinem sempiternam crux parturiuit æquales. Eiusdem nobilitatis in terra, eiusdem prosapiæ celsitudinem sortiuntur in cælo. Qui enim hîc sunt filij Iohannis, illic sunt filij crucis. Istique sunt filij Chore, qui in quorundam psalmorum titulis prænotantur. Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ subtraxit, cælesti Hierusalem renascentes cum triumphali gloria nouos ciues inuexit. Et Andreas quidem in Apostolici senatûs catalogo secundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini, iuxta Euangelicam fidem, primus inuenitur. Dicit enim Iohannes Euangelista: Quia cùm staret Iohannes, & ex discipulis eius duo, respiciens Iesum ambulantem, dixit: Eccè Agnus Dei. Et audientes eum duo discipuli loquentem, secuti sunt Iesum. Et paulò pôst: Erat autem, inquit, Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Iohanne, & secuti fuerant eum. Deindè sequitur: Inuénit hic fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuénimus Messiam, quod est interpretatum Christus: & adduxit eum ad Iesum.

Nobilissimum martyrij genus, crux.

Apostoli omnes vni⁹ potestatis, sed nō officij siue ordinis. nam Petr⁹ omnium pastor, cui dictū est Pasce oues meas.

Iohan.1.

Eccè Andreas inter ipsa noui tyrocinij sui rudimenta fructificat, & veritatis prædicator efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Nouus discipulus factus, non est propria salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit. Thesaurum reperit, gaudet alijs prodere, furtum deputat illum sine consortibus possidere. Fausta deniquè & præclara futuræ indolis signa nouus tyro prætendit, & in ipso nouitiæ conuersionis exordio mox quod didicerat docuit, quod acceperat, fideliter erogauit. Magnum nuncium, noua & admiranda relatio, illum promittere visibiliter ostendendum, quem tot Prophetarum oracula præannuerant affuturum. Magni certè mysterij baiulus Andreas extitit fratri, qui nimirùm eum se reperisse testatus est, quem ab origine mundi omnes sancti magno desiderio præstolati sunt, & tamen videre non potuerunt. Non hoc præstitum est Patriarchæ Iacob, qui dicebat: Salutare tuum expectabo, Domine. Non Abrahæ, cui diuina sponsio facta est, quòd in semine suo hæreditaret omnes gentes. O quanti hoc precij æstimâsset insignis ille Propheta Esaias, si ei ad hoc spectaculum adspirare licuisset, nimirùm cùm tanti desiderij amore succensus flagitaret Mediatoris aduentum, & tanquàm morosæ dilationis impatiens, æstuans proclamaret: Vtinàm disrumperes cælos, & descenderes. A facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, atque arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Quàm terribilis ac vehemens tuba, vox hæc in Petri corde personuit, & tanquàm repentinum fulmen inopinatò coruscans attonitum fecit. Inuénimus, inquit, Messiam, qui dicitur Christus.

S. Andreas prim⁹ Christum prædicat.

Gen.49.

Gen.22.

Esa.64.

Ad præliandum planè Rex gloriæ solus aduenerat, & ideò ad procinctum belli paulatim sibi milites acquirebat. Venerat nanque, vt fortem armatum superueniens vinceret, & vniuersa arma, in quibus confidebat, auferret. Venerat, vt captiuum hominem, qui sub diabolicæ tyrannidis iugo premebatur, eriperet, & ad ingenuitatis antiquæ titulos reuocaret. Venerat, vt suum Israël de vinculo vetusti Pharaonis absol-

Christ⁹ cur in mundum venerit.

Luc.11.

absolueret, & in manu forti atque robusta, terræ lacte & melle mananti præuius ductor inferret. Non tamen eligebat in adiutorium sibi triumphalibus titulis claros, non strenuos bellatores, non frementium ascensores equorum, non deniquè Philosophos & eloquentes, sed retium nectores, ac perexilis nauiculæ remiges, vt victoria soli diuinæ potentiæ, non humanis viribus adscribatur. Cur simplices piscatores elegerit Apostolos.

Desunt aliqua.

Eccè beati Apostoli Petrus & Andreas, ad vnum Domini iubentis imperium, non dubitauerunt, quæ possidebant, cuncta relinquere, vt terrenis mererentur cælestia permutare. Dimittunt quæ præ oculis sunt, vt inuisibilia bona recipiant. Postponunt habita, vt ad sperata pertingant. Ad regnum per supplicium transeunt. Ad æternæ vitæ gaudia per momentaneum crucis patibulum prouehuntur. Nihil sibi in peregrinatione reseruant, vt peruenientes ad patriam omnia simul inueniant. Vndè cum illis per immutationem dexteræ excelsi hoc factum est, vt qui tunc abiecti videbantur, & humiles, nunc animarum iudices, & cælestis sint curiæ senatores. Tunc vilium possessores retium, nunc in regnis cælestibus obtinent gloriæ principatum. Et quos in terra positos ipsa terrenarum rerum copia destituerat, nunc & totius orbis monarchiam tenent, & in illa cælesti Hierusalem iudiciariæ potestatis solijs præsident. Quique extremi penè fuerant hominum, nunc conciues sunt & participes Angelorum. Boni siquidem magistri & grati remuneratoris adhæsêre vestigijs, qui eis aurum pro cœno, cuncta pro nihilo, pro tenebris lucem, pro somnio reddidit veritatem. Quibus nimirùm & in cælo ipse fit præmium, & in terris quoquè omnium subijcit iura regnorum. Compensatio diuina, pro vitę huius laboribus.

Per hanc ergò viam, fratres mei, qua nos præcesserè, sequamur, si illuc, vbi sunt, pertingere volumus. Post hos itaque recta via gradientes, sic relinquamus Hierico eorum obsidione submersam atque destructam, vt nequaquàm de eius anathemate aliquid vsurpemus. Prohibet nempe Iesus ille Naue, nè de facultatibus Hierico aliquis concupiscat. Vetat & noster Iesus, verus vtiquè Saluator, vt nemo ea, quæ mundi sunt, diligat. Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra. & per Apostolum suum: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Non ergò ad exemplum infelicis Achan, de anathemate Hierico aliquid defraudemus, vt videlicet nihil ex dissolutis mundanæ conuersationis moribus, disciplinis Ecclesiasticis inseramus. Non auferamus pallium, vt post indumentum fidei, cultum conuersationum secularium nullatenùs induamus. Non argenti siclos, vt qui æternum thesaurum in cælo recondimus, nullam temporalem pecuniam per ambitionem in sudario reponamus. Non deniquè regulam auream, vt in Ecclesia Christi non accurata introducamus hæreticorum dogmata, non trutinata Philosophorum acutè disputantium studia, vel Poëtarum elaborata figmenta. Hæc est enim aurea illa regula, limato videlicet atque polito sermone directa, & velut aureo luculentæ facundiæ nitore vestita. Hanc autem regulam furati sunt Arrius, Marcion & Apelles, aliæque peruersorum hominum pestes, qui dum Philosophorum sectas in Ecclesiam conati sunt introducere, iram Dei quodammodò super castra Israël visi sunt prouocare. Sed ij obruti sunt cum Achan sub aceruo lapidum, quia oppressi sunt immanissimo pondere peccatorum. Iosu.6. Matt.6. 1.Iohan.2. Iosu.7. Hæretici omnes regulam auream Achan Israelitę spiritualiter furantur.

Nos autem, fratres charissimi, quia philosophia nostra Christus est, & hic crucifixus, atque ideò magistros habemus, non oratores, sed piscatores, non versutos & eloquentes, sed mites ac simplices: despiciamus sapientiam, quæ cæcat, appetamus stultitiam, quæ discentes illuminat. Quia enim (vt Apostolus ait) non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Teneamus igitur Apostolicam in sua puritate doctrinam, & rectæ fidei adhibeamus operis efficaciam. Enatemus procellosum mundanæ perturbationis fluctum. Includi libeat tantorum retibus piscatorum. Incalescat cor nostrum ad tam promptæ obedientiæ, tam feruentissimæ deuotionis exemplum, & quod doctores nostros nouimus tunc fecisse, ipsi etiam, diuina opitulante clementia, studeamus implere. Eccè beatos fratres, Petrum videlicet & Andream, nunquàm post conuersionem legimus carnali quadam necessitudine sibimet inuicèm familiariùs adhæsisse, quàm cęteris: non arctiùs inter se mutuo confœderatos affectu, non easdem prouincias prædicationis gratia consortitos: & vt magis stu- 1.Cor.1.

Ecce hic clarissimè Petri primatus super omnes. peas, non molestè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus est ordinis dignitate secundus: nec zelo ductus est, quòd Petrus, qui eius ducatu posterior credidit, cuiusque ad fidem ipse præuius fuit, prioratûs tamen inter omnes Apostolos iura suscepit. Hanc nempe mortificationis regulam oculis nostris supernus Magister apposuit, hanc nobis veræ humilitatis normam, per quam illum recta via sequeremur, exhibuit. In illis nanque primus Discipulis, quos & mundi doctores instituit, omnium virtutum formam signanter expressit, vt vsque ad consummationem seculi vnusquisque fidelium ad eos imitationis oculos dirigat, & per eorum tramitem neutrolibèt exorbitaturus incedat, quatenùs tenendo vitales affluentiæ riuos, perueniamus ad fontem, sequendo milites, recto itinere perducamur ad Regem, Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Apostoli imitandi.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI, DE EODEM SANCTO ANDREA APOSTOLO, SERMO II.

Festum S. Andreæ Apostoli.



ET quietum studium, & attentum silentium, & tanta tanti viri festiuitas monent, immò compellunt, aliquid dicere ad ostendendam gloriam Deitatis, gratiam Apostolicæ dignitatis, confessionis virtutem. Demus gloriam laudi eius, quem laudant omnes gentes, qui ministros suos & laudat, & laudabiles facit. Ipse est, cui assistunt Angeli ad audiendam vocem sermonum eius: qui stellas vocat, & dicunt, Adsumus: cuius manus extendit cælos: qui fundauit terram super stabilitatem suam: qui graditur super fluctus maris, qui fecit mirabilia solus: in quem desiderant Angeli prospicere. Ipse est, qui fecit omnia, & in omnibus quæ fecit, quæcunque voluit fecit. Huic seruire, regnare est, qui seruiuit pro nobis sub dura & graui necessitate, & purpuram suæ diuinitatis cilicio nostræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionem nostram. Nunquìd non ludus vobis videtur, Iudæi, Pagani, Hæretici, & omnis illa subsannantium, immò insanientium turba, cùm dicimus filium Dei carnem, crucem, mortem, clauos & lanceam toleràsse? Ludus profectò est, vndè sic nobis luditur, vt vobis illudatur.

Psal.102. Baruch 3. Psal.103. Iob 9. Deo seruire regnare est.

Vnicus ille sapiens, huius mysterij non ignarus, ludum istum eleganti sermone prælusit: Delectabar, inquit, per singulos dies, ludens coram eo in orbem terrarum. Lusit quippè coram Deo, cùm carnem ex eius præcepto suscepit: & in orbem terrarum, quia ad redemptionem orbis terrarum: delectatus per singulos dies, in singulis Apostolis iucundatus, dum vni tradidit regnum cælorum, alteri de pectore suo reclinatorium confecit. Et deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Putabam ego, Domine Iesu, quòd deliciæ tuæ essent non cum filijs hominum, sed cum choris Angelorum, vbì diuinitatis gloria Thronis & Potestatibus admirandus, superiorum oculos reuerberas naturarum. Ibì lucem habitas inaccessibilem, & circunstantiam clarissimorum luminum tui luminis obtegis maiestate. Sed illa clementissima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias suas dicit esse cum filijs hominum. Isti sunt filij hominum, qui sperauerunt sub tegmine alarum tuarum, quos elegisti de plebe, quorum lauisti pedes, quibus tuum spiritum infudisti, qui fidem tui nominis quadrigis Euangelicis per orbem quadrifidum portauerunt. Nota tamen quòd dicit, non cum hominibus, sed cum filijs hominum. Ego puto homines, ad veterem hominem: filios verò hominum, ad filium hominis pertinere: iuxta quam intelligentiam, puer citharista sic intonat: Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Vides'ne, quia Deum hominis esse memorem, filium verò hominis se confirmat visitare? Præsumimus, & suspiramus, quia faciet nobis misericordiam suam in conspectu filiorum hominum, si interìm protegat nos in abscondito suæ faciei à conturbatione hominum.

Prou.8. Matt.16. Ioan.13. 1.Tim.6. Psal.35. Psal.8. Psal.30.

Magister & Dominus noster, cuius schola est in terris, & cathedra est in cælo, ex his omnibus, quos elegit, elegit & prælegit Andreā Apostolum, cuius solennitatē & vocibus, & cordibus inclamamus: O dulcis Apostolus, & primitiua vocatio Saluatoris, qui in ipsum Apostolicum chorū tanti prioratûs insignitur fastigio. Non subterfugit nos, quia quodam modo tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium, cuius passio tanta

S. Andreas primitiua vocatio ad Apostolatum.

tanta spiritûs deuotione distillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur. Vndè non immeritò in singularē auhoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripsērūt orbi, & ministri fuēre sermonis. Vocatio eius, vita & passio, cognita sunt vobis: & nunc quid superest, vt à me ampliùs expectetis? Veruntamen mouet me lectio Apostolica, vt aliquantispèr de ea vestræ reuerentię colloquamur. ait enim: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. dicit enim scriptura: Omnis, qui credit in illum, non cōfundetur. Tria proponuntur hîc, & corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, & in illum credere, in quem qui crediderit, non cōfundetur. Solum cor hominis, capax est rationis, & susceptibile mysteriorum Dei: quod purgatum atq; politum, ipsam diuinitatis substantiam, etsi non compræhendit, appræhendit tamen. Cor est in pectore, anima in corde: mens in anima, fides in mēte, Christus in fide: & hoc esse puto, quod dicit Apostolus: Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Hoc igitur in meracissimam eliquatum est puritatem, cùm omnia mysteria Christianæ fidei, fide percipis inconcussa, nihilque tibi dubitationem parit, licèt non videas rationem. Hæc est consummata iustitia, perfecta veritas, & vera perfectio, si tamen oris confessio subsequatur. Fides enim cordis sine fide oris, aut nulla est, aut parua, Saluatore dicente: Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet coram Angelis Dei. Et propheta: Perijt fides, ablata est de ore eorum. Non dixit, de corde, sed de ore: quia nihil valet fides cordis sine fide oris, nec fides oris sine fide cordis, cùm ista iustitiam, illa donet salutem: quia salus à iustitia, vel iustitia à salute separari non possunt. Crede ergò, & confitere: nihilominùs confitere, & crede: quia fides ad iustitiam, confessio fit ad salutem.

Nota fidem historię passionis. *Rom. 10.* *Esa. 28.* *Ephes. 3.* *Luc. 9.* *Ierem. 7.*

Verùm quoniā in hæc deuénimus loca, & occasio confessionis se obtulit, reddendum nunc est quod alibì promisimus, totumque proferendum quod de confessione sentimus. Patientes autem estote, &, si fortè protensiùs sermonem extendero, vos attendite ijs, quæ dicuntur, quia vestræ proferuntur vtilitati. Via enim est, sine qua nemo venit ad patrem: quam qui perdidit, perdidit Deum. Cùm igitur de vitiorum abysso disponis emergere, ad illum præcipuè sit refugium tuum, cui anima tua commissa est, quē imposuit Deus super caput tuum. Nec te moueat, si illiteratus sit, vel indiscretus: quia hoc ipsum signum humilitatis est, quæ generat confessionem. Memento quia non est potestas, nisi à Deo. Super cathedram, inquit, Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Et tu attende non sedentem, sed sedem: cathedram, non personam. Quòd si fortè vel licentia eius, ad alium tibi fugere permittatur, tu tamen priùs ei reueles tui cordis arcanum: quia non est plena salus, si ille fugitur, aut contemnitur, cui adhærere, & quem honorare debueras. Quòd si minùs tibi sufficiens videtur eius instructio, patet ad libertatem via, vt coram alio literato atque discreto effundas cor tuum, reseruato illi priuilegio suo, cui tu tuam animam commendâsti. Nec tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia, vel à nesciente, vel à dissimulante dictatur, cùm in Purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicquid hîc minus feceris: quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. Licèt autem non euaserit manus Dei viuentis, qui tibi plenè non consuluit: tibi tamen ratio magistra præsidet, quæ te doceat tantùm à licitis abstinere, quantùm te memineris illicita perpetrâsse.

Via qua itur ad patrem quæ sit. *Rom. 13.* *Matt. 23.* *Ignis purgatorius.*

A vestibulo igitur huius sacratissimæ virtutis omnes illos excludimus, quos ad confessionem vel timor cogit: quia extorta confessio non est confessio, sed confusio: vel aliorum accusatio trahit, quæ non est confessio, sed offensio: vel suî excusatio ducit, quæ non est cōfessio, sed defensio: vel inanis iactantia rapit, quæ non est confessio, sed illusio: & si quæ aliæ pestes sunt, quæ obumbratorio velamine tanti sacramenti simulent sanctitatem. Cor in semetipso, & ex semetipso contritū & humiliatum, ad huius purificationis potest ascendere puritatem. Ostendam tibi vnum iustorum iustissimè confitentem. Quæris, quisnam sit? Psaltes Domini est. Dixi, inquit, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino. Dixi, hoc est, in corde meo proposui, non coactus, neque compulsus, sed spontaneus. Iniustitiam meam, ait, non alienam: aduersùm me, me arguens & accusans. Vides, quia non timore alterius, vel ad alium accusandum, vel excusandum seipsum sanctus Domini confitetur? Pro huiusmodi confessione remittes tu, Domine, impietatem cordis mei, peccati scilicet. Et pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Hoc primùm in corde germinat ad iustitiam, posteà in ore nascitur ad salutem.

Confessio vitiosa quorum sit. *Psal. 31.* *Ibidem.*

Primus eius gradus est, cognitio peccati. Initium salutis (ait quidam) notitia pecca-

Primus gra-

dus, cognitio peccati. 1.Thes 4. peccati. In hac cognitione videndum est quid egeris, quantis contumelijs affeceris corpus tuum, ambulans in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum, possidens vas tuum in immunditia & vilitate, non in sanctificatione & Matt.25. honore. Considerandum etiam, quid merueris, ignem illum, qui paratus est diabolo & angelis eius, & omnia pœnarum genera, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur & crescunt. Inspiciendum verò, quid amiseris, bona videlicet illa, quæ oculus non vidit.

Secundus, pœnitētia. Horum igitur omnium consideratione perterritus, transi ad pœnitentiam. Pœniteat te, qui tot & tantis flagitijs inuolutus, in luto fæcis & miseriæ diutiùs iacuisti. Pœnitentiam age, corpus conterens, & furibundo carnis asello, incentiuorum semina præsumenti, pœnitenda ampliùs non admittas, nè vulnus vulneri frequenter Psal.33. ingeminans, confringas ossa animæ tuæ, quæ custodit Dominus in iustis. Vnum, inquit, ex his non conteretur. Est autem notandum, quòd hæc duo ità sibi adinuicèm coniuncta sunt, vt cognoscere quis se non possit, nisi pœniteat: & pœnitere non possit, nisi se cognoscat. Sic ergò tibi cognitus, & in te pœnitens, transuola ad tertium Tertius, dolor ob admissa peccata. gradum, dolorem videlicet cordis: & iam plantata erit iustitia plantatione illa, quam plantauit pater tuus cælestis. Dole igitur, quia creatorem offendisti, cuius legem cælestia & terrestria, præter te, indefessa statione conseruant, & in tanta Republica Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoriæ maiestatis decreta non curas. Surgat & acrior dolor, quòd tuum creatorem & patrem offenderis, & illum patrem, qui tibi ministrat siderum cursus, fœcunditatem terræ, fructuum vbertatem. Accedat & acerrimus dolor, qui pertranseat animam tuam, quòd tantum benefactorem contempseris, qui dolorem Crucis sustinuit, nè dolores inferni ampliùs sustineres. Sic igitur in interiori homine iustitia germinante, surculus erumpat in arborem, & loquatur lingua, quod scientia loquebatur.

Quartus, oris confessio, quæ fit sacerdoti. Quartus itaque gradus, est confessio oris. Hæc purè facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, & altera retinenda: neque leuia confitenda, & grauia diffitenda: nec alter accusandus, & ipse excusandus: sed cum iusto dicendum, Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Hæc enim Psal.140. sunt verba malitiæ, & grauis malitiæ, qua grauior vel peior esse vix possit. Confitendum est & humiliter, vt idem sit in corde, quod sonabit in ore. Sunt enim nonnulli, qui narrare in confessionibus solent, quæ vel argutè literatorio, vel fortiter gladiatorio gessêre conflictu, (proh dolor) sub humilitatis pallio superbiam induentes, & putantes se posse vitare oculos iudicis cuncta cernentis. Nónne vtrique reges, Saul & Dauid, redarguti à prophetis Samuële & Nathan, dixerunt? Peccaui: & tamen 1.Reg.15. Saul audiuit, Transtulit regnum Dominus à te, & dabit illud æmulo tuo: & Dauid, 2.Reg.12. Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris? Quid est, nisi quia quod Saul habuit in ore, non fuit in corde: & humilitas, quæ in ore Dauid extitit, in corde etiam radiauit? Dicendum est & fideliter, vt in fide Ecclesiæ credat sibi peccata di- Matt.27. mitti, quia Cain & Iudas purè & humiliter confessi sunt, sed nequaquàm fideliter: Gen.4. nam alter eorum desperans, ad laqueum cucurrit: alter illud grande scelus euomuit: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Mentiris, latro: quia maior est Psal.144. pietas Dei, quàm quæuis iniquitas: quia miserationes eius super omnia opera eius.

Quintus, maceratio carnis. Sequitur quintus gradus, maceratio carnis, quæ ieiunijs & vigilijs attenuanda est, nè noua prurigine ad voluptuosam reuolet prauitatem. Hęc autem facienda est cum licentia: quia quod sine licentia fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi: occultè, vt nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: discretè, propter debilitatem corporis, & multimodas infirmitates. Plerosque enim vidimus in principio conuersionis ità discretionis infregisse repagula, vt laudum solennijs inhabiles redderentur, & apparatu deincèps lautiori diuturnis foueri temporibus indigerent.

Sextus, correctio operis. Psal 33. Iam sic illuminatus, procedat ad sextum, qui est correctio operis. Prohibe ergò linguam tuam à malo, operare quod bonum est, & sensuales motus tuos continentię frenis infrena, & sic erit pax in terra carnis tuæ. Argue malos pro persona, quam habes, &, te præsente, iustitiam non sinas sepeliri.

Septimus, perseuerātia bonitatis. Veni ad septimū gradum, qui est perseuerantia bonitatis: & in hoc septimo vocabit te Dominus cum Moyse de medio caliginis, & in ipsam diuinitatis substantiam interiores oculos infiges. Perseuerantiam autem faciunt expectatio præmiorum, pœ- Exod.24. narum recordatio, primitiæ spiritûs, & donū cæleste: de quibus loquitur Apostolus, quòd

quòd nec expertus ignorat, nec inexpertus intelligit. Stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur. Heb 6. 1.Cor.2.

Audite & breuiter, quem oporteat ordinari ad dispensationem ministerij huius: oportet enim non minùs literatum, quàm religiosum, vt zelum Dei habeat, & secundùm scientiam, cùm indiscreta religio magìs obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideò, vt sciat quod iniungat, cui parcat, quandò parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum verò idcircò, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem, nè vnquàm de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat. Caueat etiam, nè vilescat in conspectu eius, qui ei suam vilitatem ostendit, nec sit suspectus, nec de præterita futuram vitam æstimet peccatoris. Quòd si fortuitò de his, quæ in confessione suscepit, causa coram eo fuerit ventilata, non tanquàm conscius in partem declinet, sed quasì nescius iudiciarium ordinem permittat excurrere. Habeat autẽ in voluntate compati, & eum liberare, & nitatur aliquid detrahere seueritati, imitans dulcedinem Domini mei, de quo dicit sanctus: Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam. Sed (proh dolor) temporibus nostris per vniuersum mundũ pestilentialis morbus excreuit, vt præferantur Ecclesijs, quos nec scientia, nec vita commendat, ceu duces cæcorum, & præcipitati, & in præcipitium perducentes. Confessari' qualis esse debeat. Psal.9.

Audiuimus de confitente, de confessionem suscipiente: audiamus nunc, quæ sunt, quæ impediant confessionem. Quantùm colligere possum, quatuor præcipuè occurrunt, pudor, timor, spes, & desperatio. Nihil fortius ad expugnandum gratiam Dei, quàm timor humanus: quia dum erubescimus confiteri, quæ commisimus, Deum minùs, quàm homines, reueremur. Hæc est confusio adducens peccatum. Opponamus ergò ei considerationem rationis, reuerentiam intuentis Dei, comparationem maioris confusionis. Vt enim confiteamur, ratio mouet, Deus cogit, qui videt: & si confundimur hìc dicere, quid erit in illa magna confusione, vbì omnia omnibus patebunt? Timor autem plerosque opprimit, nè graui pœnitentia percellantur, & perferre non possint. Verè qui timet pruinam, irruet super eũ nix. Hìc considerandum, quàm grauis sit pœna gehennæ, quàm longa, quàm infructuosa. E contrario autem pœnitentia præsens, leuis, breuis, & fructuosa. Spes autem multos obruit, qui dum bona præsentia cupiunt, aperire conscientias suas nolunt, nè si quales sunt, hominibus appareant, ad nulla præsentis vitæ bona conscendant. Quibus inculcandum est, quia bona huius seculi, parua sunt, incerta, & momentanea: & illa illius vitæ, maxima, certissima, & æterna. Plurimos desperatio interficit, qui hoc solùm metuunt, nè possint continere. Verum nanque est, quia peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Hanc obterere debemus vigore confessionis, gratia humilitatis, & compassione illius, cui aperimus conscientiam nostram. Confessionẽ impedientia. Pudor & timor. Eccli.4. Iob 6. Itẽm vana spes. Itẽm desperatio. Prou.18.

Sciendum autem, quia alia est confessio, quæ peccatum plangit: alia, quæ laudem canit. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Duplex cõfessio.

Sequitur: Qui crediderit in illum, non confundetur. Credere Deo, est verbis eius fidem adhibere. Credere Deum, est confiteri vbiquè Deum esse. Credere in Deum, est omnem spem suam in illum dirigere. Deum, & Deo credunt dæmones: sed in illum non credunt, in quem qui crediderit, non confundetur, quia spem suam non ponunt in illum. Quid sit verè credere Deo.

Eccè quantùm potui, etsì non quantùm volui, de confessionis disserui sacramento. Sed quia sermonem in longum protraximus, finem loquendi pariter audiamus. Det nobis corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem, & in se credere, sponsus Ecclesię, filius Mariæ, qui est Deus benedictus in secula, Amen. Rom.9.

DE

DECEMBER.

VITA S. ELIGII NOVIOMENSIS EPISCOPI, A BEATO AVDOENO ROTHOMAGENSI PRAESVLE, EIVS AEQVALI, CONscripta libris duobus. *Historia admodùm prolixa est. Authoris longum Prologum omisimus, nihil ferè, præter simplicis styli excusationem, habentem.*

LIBER PRIMVS.

De sancti Eligij genere & patria. Cap. 1.



IGITVR Eligius Lemouice Galliarum vrbe, quæ ab Oceano Britannico ferè ducentorum millium spatio seiungitur, in villa Catalacensi, quæ à prædicta vrbe sex circiter millibus ad Septentrionalem plagam vergit, oriundus fuit. Est itaq; præfata ciuitas partibus sita Armoricanis in vlteriore Gallia, primaque Aquitania, quæ ad plagam respicit Occidentalem. Cui contigua est ab Oriente prouincia Lugdunensis, Galliaque Belgica. Habet etiam ab Euro & Meridie prouinciam Narbonensem: à Circio autem ambitur Oceano. Porrò ab Occasu habet Hispanias. In hac ergò regione parentibus ingenuis, atque ex longa prosapia Christianis, Eligius natus atque alitus est. Cuius pater Eucherius, mater verò Terrigia vocitata est. Ipse autem, gratia diuina præsciente, congruum sibi ac veluti speculum mentis suæ, Eligius nomen accepit. Ergò cùm propositum sit de his, quæ gessit, immò quæ Dominus per eum operari dignatus est, sicut gesta constat, narrare: tamen id, quod, priùsquàm nasceretur, ad indicium sanctitatis eius ostensum est, quodque magnorum virorum testimonio didici, omittere non debeo.

Decēbris 1.

S. Eligij patria.

Itē parētes.

Quid mater eius de illo præuiderit. Cap. 2.

CVm adhuc vir beatus matris esset aluo inditus, vidit genitrix eius visionem, quæ huiusmodi habet ordinem. Videbat quasi aquilam valdè pulchram supra suum volitantem stratum, ac se tertiò inclamantem, sibique nescio quid pollicentem. Cumque ex reciproca voce euigilâsset, perterrita nimìs, cœpit mirari, quænam esset hæc visio. Intereà venit tempus pariendi, & præ magnitudine doloris cœpit mater periclitari. Vocauerunt autem quendam religiosum presbyterum, boni testimonij virum, vt pro eâdem orare deberet. Qui cùm venisset ad eam, quasi propheticum mox vsurpans verbum, ait ad illam: Noli, inquiens, mater timere: quoniam benedictum partum tibi Dominus dignabitur largiri. Erit etenim vir sanctus, ac de gente sua electus, vocabiturque magnus in Ecclesia Christi sacerdos.

Visio matris eius grauidæ.

Prophetia de S. Eligio.

Vt sit optimè à puero institutus. Cap. 3.

IGitur Eligius nutritus est in fide recta, atque imbutus à parentibus Christianis religione catholica. Exindè igitur pueritiæ annos excedens, æuum adolescentiæ cum industria gerebat, & quicquid operis ætati suæ congruum arripuisset, mira agilitate perficiebat. Cùm ergò videret pater eius tantum filij ingenium, tradidit eum ad imbuendum honorabili viro, Abboni vocabulo, fabro aurifici probatissimo: qui eo tempore in vrbe Lemouicina publicam fiscalis monetæ officinam gerebat. A quo in breui huius officij vsu plenissimè doctus, cœpit inter vicinos & propinquos in Domino laudabiliter honorari. Gerebat enim simplicitatem columbæ, nè cuiquam machinaretur dolos. Habebat & serpentis astutiam, nè aliorum supplantaretur insidijs. Dignumque in cunctis habens ingenium, & facilè loquebatur, & purè. Ecclesiarum etiam conuenticulis frequenter intererat, & quæcunque ibi ex diuinis

Instituitur in fide recta & religione catholica.

Fit egregius aurifaber.

Docile eius ingenium.

ſcripturis recitabantur, aurem libenter accommodans, auidiſſimè hauriebat, atque ità in corde ſuo memoria recondebat, vt etiam cùm abſens eſſet, ea quæ didicerat, meditatione intentiſſima ruminaret.

Vt in Franciam profectus ſit. Cap. 4.

INtereà poſt aliquot annos extitit quædam cauſa, diuina (credo) gubernante prouidentia, vt relicta patria & parentibus, Francorum adiret ſolum: vbi paucis degens diebus, factus eſt notus cuidam Regis theſaurario, Bobboni vocabulo, viro honeſto & manſueto. Cuius ſe patrocinio committens, ſub eius ditione degebat. Strenuè enim ad omne opus ſe aptabat, & omnes, cum quibus colloqui potuiſſet, ſuo amore annectebat.

Bobboni regio quæſtori adhæret.

Vt ad Regis notitiam peruenerit. Cap. 5.

POſt aliquod autem temporis interuallum, peruénit ad notitiam Clotarij Francorum Regis, huiuſmodi ex cauſa. Volebat enim idem Rex ſellam vrbanè auro gemmiſque fabricare: ſed non inueniebatur in eius palatio, qui huiuſmodi opus, ſicut mente conceperat, poſſet opere perficere. Cùm ſciret ergò præfatus Regis theſaurarius Eligij induſtriam, cœpit explorare eum, ſi quo minùs opus optatum poſſet perficere. Et cùm facilè id apud eum fieri intellexiſſet, ingreſſus ad principem, indicauit ei inueniſſe ſe artificem induſtrium, qui diſpoſitum ſine cunctamine aggrederetur eius opus. Tunc Rex mente gratiſſima tradidit ei copioſam auri impenſam: ſed & ipſe nihilominùs tradidit Eligio. At ille acceptum opus cum celeritate inchoauit, atque cum diligentia celeriter conſummauit. Deniquè quod ad vnius opificij acceperat vſum, ità ex eo duo compoſuit, vt incredibile foret, omnia ex eodem pondere fieri potuiſſe. Nam abſque vlla fraude, vel vnius etiam ſiliquæ imminutione, commiſſum ſibi parauit opus: non cæterorum fraudulentiam ſectans, non mordacis limæ fragmina culpans, non foci edacem flammam incuſans: ſed omnia fideliter complens, geminam meruit felix remunerationem. Opus ergò perfectum defert protinùs ad palatium, tradiditque Regi quam donauerat ſellam, altera penès ſe, quam fecerat, gratuitò reſeruata. Cœpit tunc eum princeps mirari, ſimul & efferre tantam operis elegantiam: iuſſitque ilicò fabro tribuere mercedem laboris dignam. Tunc Eligius altera ex occulto in medio prolata, Quod ſuperfuit, inquit, ex auro, nè negligens perderem, huic operi aptaui. Confeſtim ſtupefactus Clotarius, & maiori admiratione detentus, ſciſcitabatur opificem, ſi cuncta ex eodem penſo facere potuiſſet. Et cùm conſequenter iuxta id, quod fuerat ſciſcitatus, reſponſum accepiſſet, ingenium eius ſublimi fauore attollens, Ex hoc iam, inquit, etiam in maximis credi poteris. Porrò hoc fuit initium, necnon & teſtimoniũ in palatio Regis honorandi, immoque * credendi Eligium. Ex hoc nempe adauctiùs conſurgens, factus eſt aurifex peritiſſimus, atque in omni fabricandi arte doctiſſimus. Inuenitque gratiam in oculis Regis, & coram omnibus optimatibus eius. Domino ergò iuuante, roboraturin fide, ac à Rege prouocatus, creſcebat quotidiè in melius.

Clotario Regi duas ex auro cōficit ſedes.

Nota integratē eius

* Credendi, id eſt, quod eius fidē eius valdè ſpectatam fore.

Vt Rex eum iureiurando adigere voluërit. Cap. 6.

ME igitur præſente, neſcio quam ob cauſam, niſi quòd facilè datur intelligi, fidelitatis obtentu, dum apud Regem puerulus habitarem, quodam die Rotoilo in agro accito Rex Eligio, coram reliquijs ſanctorum præcipiebat ei, vt impoſitione manuum ſacris pignoribus daret ſacramentum. Sed ille diuinum intuitum verens, excuſare humiliter omni niſu tentabat. Cumque inſtantiùs id facere compelleretur, anxius valdè, cœpit mox vbertìm lachrymas profundere, metuens ſcilicet Regem offendere, ſeptuplumque pauens ſanctis pignoribus manus imponere. Intuens itaque Rex eius timorem, ſimulque mirans tantam viri deuotionem, deſijt vltrà eum cogere: ſed magìs blandè leniterque demulcens, lætiſſimo illum vultu dimiſit, pollicens ſe plùs eum ex hoc iam crediturum, quàm ſi multimoda tunc dediſſet iuramenta.

Crediturũ, id eſt, fide dignum habiturum.

De eius mira conuerſione. Cap. 7.

NOn poſt longum ſpatium, cùm iam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens ſe vas exhibere Deo ſanctificatum, ac metuens nè aliqua ſuum delicta pectus fuſcarent, omnia ab adoleſcentia ſua coram ſacerdote confeſſus eſt acta: ſicque ſibi auſteram imponens pœnitentiam, cœpit fortiter colluctationi carnis, ſpiritûs feruore reſiſtere, in laboribus ſcilicet, ſecundùm Apoſtolum, in vigilijs,

Confeſſio ſacramentalis.

vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in patientia multa, atque in charitate non ficta. Proponebat nanque sibi aduersùs præsentes carnis ardores, futuri supplicij ignes: ac memoria ardoris gehennæ, ardorem excludebat luxuriæ. Orabat iugiter pro donis cælestibus, precabatur Deum diebus ac noctibus, illud ex libro Iob crebrò reuoluens: Ego, inquit, deprecabor Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum: qui facit magna & inscrutabilia, & mirabilia absque numero. Qui ponit humiles in sublimi, & mœrentes erigit sospitate. Adimebat sibi saturitatem panis, vt cælestem posset promereri panem. Ora quidem eius ieiunijs pallebant, corpus aridum marcebat, sed mens acriùs semper æternæ patriæ amore æstuabat: & vndè grauiora recordabatur, indè patientiùs leuiora portabat. Semper enim præsentis vitæ terminum intuens, futuram Dei sententiam ac metuenda iudicia formidabat, sciens scriptum: Beatus homo, qui semper est pauidus. & illud Apostoli: Cum timore & tremore vestram salutem operamini. Necnon & illud Iob dictum: Semper enim quasì tumentes super me fluctus timui Deum. Ad Domini verò pedes noctibus iacebat, manibus pectus tundens, genas lachrymis irrigans, moderatoque suspirio oculis ad cælum leuatis, illum semper respiciebat, quem fortasse delinquendo offendisse timebat, ac lamentabili voce hæc crebriùs verba geminabat: Tibi soli peccaui, miserere meî secundùm magnam misericordiam tuam. & illud beati Iob: Memento, inquiens, quia ventus est vita mea. &, Parce mihi: nihil enim sunt dies mei. Et ex se quodammodò egrediens, illud ante suam pingebat mentem: quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Ideò ista iugiter meditando, quanto plùs proficiebat, tanto plùs humiliabatur: vt quanto plùs humiliatus esset, tanto ampliùs proficeret. Cuius quanta fuit mœstitia, tanta fuit & venia: & quantùm se humiliter afflixit, tantùm clementer à Domino meruit sublimari. O profunda benignitas Dei: fit velocior venia, quàm culpa. O felix pœnitentia, quæ tam velociter ad se Christi traxit misericordiam, quæque non priùs assiduo fletu delictorum flammas extinguendo, frequentique ieiunio peccatorum virus excludendo destitit, quàm misericordiam, quam poscebat à Domino, impetraret. De talibus quippè per Malachiam prophetam Dominus dicit: Dedi ei timorem meum, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat. Hinc iterùm scriptum est: Timor Domini expellit peccatum. & rursùs: Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniam ipse est spes eius.

[Margin: 2. Cor. 6. — Domat carnem. — Iob 5. — Abstinentia eius. — Prou. 28. — Philip. 2. — Iob 31. — Lachrymæ. — Psal. 50. — Iob 7. — Ibidem. — 1. Cor. 2. — Esa. 64. — Malac. 2. — Eccli. 1. — Eccli. 34.]

Vt diuinitùs cognouerit remissa sibi peccata. Cap. 8.

DEniquè quodam tempore interpellans Dominum, fide pleno pectore exigebat, vt si accepta Deo pœnitentia eius esset, quoquo modo dignaretur ei dare notitiam. Habebat itaque in cubiculo, vbì assiduè cubitare solitus erat, multorum pignora sanctorum in supremis dependentia, sub quorum sacro velamine, reclinato in cilicio capite, orare consueuerat nocte. Quo nimirùm in loco cùm ex more quadam nocte in oratione prostratus, super cilicium incumberet, somno ingruente oppressus, velutì transeundo in momento obdormiuit, visumque est ei adstitisse repentè quendam, atque dixisse: Eccè Eligi, exauditæ sunt preces tuæ, indiciaque olìm quæsita nunc tibi concessa. Mox ille excitatus, odorem hausit gratissimum. Sensit etiam ex gerulo reliquiarum guttas suauissimas super suum lenissimè defluere caput. Ex quo nimìs attonitùs, surrexit velociter, & solicitè conspiciens, vidit quasì balsamum distillare de chrismario, & pallio, quo erat opertus. Tanta quippè fragrantia odoris suauissimi totum illud impleuerat cubiculum, vt etiam ipse vix ibì subsistere quiuisset. Tunc memor suæ petitionis, nimiumque largitatem bonitatis Dei miratus, altiùs ingemiscens, fidelem retributorem ex intimo corde benedicebat Christum, qui nunquàm derelinquit sperantes in se. Hoc ergò fuit initium virtutum eius, immò omnipotentis Dei, per quem omnes omnia possunt. Quod cùm vir sanctus sodali suo Audoëno, cognomento Dadoni, quem sicut animam suam diligebat, secretiùs enarrâsset, vicissìm ab eo exegit, nè, vsquequò ipse in corpore maneret, eadem cuiquam indicaret. At ille hæc audiens, cœpit continuò animo compungi, cœpitque secreta arcanorum eius vis quædam interni amoris accendere. Iamque ex hoc, spretis seculi blandimentis, cupiebat ex studio Eligium æmulari ad bonum. Et accito etiam germano suo Adone in consilio communi, (erant enim viri inclyti, optimates aulæ, filij scilicet Antharij) Hi ergò communi habito consilio, cœperunt

[Margin: Nota de reliquijs. — Visio eius. — Hic Audoënus est author historiæ huius.]

imitari, quæ ab Eligio gerebantur: eratque eis familiare consortium, & cor vnum in Domino, atque anima vna.

De obitu Clotarij, & quàm gratiosus apud principes fuerit B. Eligius. Cap. 9.

INuénit ergò Eligius gratiam coram Deo, & coram Regibus Francorum, & ferebatur ei ab omnibus testimonium, intantùm vt copiosam molem argenti & auri & gemmarum absque vlla pensa à Rege acciperet: crescebatque ei honor cum magno fauore de die in diem, & omni ex parte probatus, vernabat in aula deuotus. Mortuo intereà Clotario Rege Francorum, Dagobertus filius eius monarchiam regni solus obtinuit. A quo Eligius tanta familiaritate habitus est, vt plurimorum eius felicitas ingens gigneret odium. Siquidem oderant eum praui, quippè quoniam magnoperè oderat ipse superbiam, diligebat veritatem: & cùm esset strenuus, iugis ei erat contra eorum vesaniam pugna, perpetuumque certamen. Sed planè omnes boni illum admirabantur & diligebant, quia nóuerant catholicam hominis scientiam, ac patriæ cælesti mentem iugiter intentam, semperque actibus bonis præparatam. Sectabatur igitur iugiter charitatem, mansuetudinem & longanimitatem. Diligebat Deum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute. Erat quoquè tranquillus moribus, & serenus adspectu. Gerebat vultum planum, moderatam speciem, ornatum adspectum, quietum sensum, animum lętum, humilem sapientiam. Semper opera bona factis ampliùs, quàm verbis ostendebat: corpus fame castigans, ieiunium potiùs quàm epulas amans, dolentem consolans, spem suam Deo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Christi præponens: quod credebat, docens: quod docebat, imitans. Semper enim ante oculos eius dies vltimus versabatur, semperque mens eius præcepta cælestia meditabatur. Orabat autem frequenter, quia didicerat, quòd oportet sine cessatione Dominum rogare. Satagebat magnoperè, nè secundus cuiquam in operibus bonis inueniretur. Erat etiam erga famulos Dei valdè humanus atque benignus. Charitatem verò super omnia & ipse diligebat, & omnibus seruare mandabat. Existebat vtiquè in cunctis casibus firmus, omniaque aduersa patienter ferebat. Pericula aliena in se pertimescebat, aliorumque casus, suos esse laqueos iudicabat. Finem quoquè vitæ suæ solicitus considerabat, metuens nè se tanquàm fur hora illa inermem compræhenderet. Cum opere etiam lectioni vacabat, sciens quòd lectione sensus augentur, & intellectus tribuitur: & quòd lectio doceat, quid caueatur. Erat verò erga omnes humilis, nimiumque in humilitate fundatus: nulli se præponens, nulli superiorem se deputans: sciens & illud, quia si quis perfecta contentus fuerit humilitate, habebit ex illa gloriam: & quanto quis humilior fuerit, tanto eum altitudo gloriæ sequetur. Habebat enim temperamentum in prosperis, patientiam in aduersis, mentemque nec gaudio nec mœrore à Christi vnquàm amore reuocabat. Irascentem quoquè patientia deliniebat, & blandimento iracundiam furentis temperabat, ac sic alienam miseriam tanquàm suam lugebat. Eratque ei in gressu simplicitas, in gestu grauitas, in motu puritas, in incessu honestas, in ieiunio hilaritas. Animus enim eius in modestissimo corporis habitu apparebat. Erat etiam parcus in sermone, blandus in eloquio. Tristem, immoque dolentem, dulci consolabatur affatu. Hoc proferebat ex labijs, quod mentem ædificaret audientis, fiebatque eius sermo expectationi Ecclesiæ vtilis. Nihil enim ex omnibus quæ egisset bonis, meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis vnquàm præsumebat: sed omne opus suum ad Deum semper conferens, in cunctis actibus eius auxilium implorabat. Bonum quod didicerat, docebat: verba tamen operibus præcedebat: sciens non esse laude dignum, quod docet quis, nisi dictis facta coniunxerit: sed potiùs si quod docet, & facit, tunc habebitur gloriosus. Vndè & Apostolus dicit: Nè, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Hostem prætereà inuisibilem orationibus & precibus repellere iugiter contendebat, pugnans ore, non gladio: orationibus, non telo: precibus, non ferro. Cunctis autem diebus, cunctis horis Dei flagitabat præsidium, vt dignus post mundi lucem posset peruenire ad brauium. Res temporarias tribuebat egenis, vt pro eisdem mercaretur paradisi delicias. Deuitabat quidem superbiam, amplectebatur humilitatem: Dei semper auxilium rogans, finem iugiter felicem postulans. Quis enim illo tempore humilitatem eius cernens, non protinùs compungeretur? Aut quis amator pecuniæ, eius humanitatem ac parsimoniam, deuotionem quoquè & studium adspiciens, non admirando confestìm obstupesceret? Nam quicquid bonorum

Eius felicitati multi inuident.

Catalogus virtutum S. Eligij.

Luc. 18.

Lectio sacra docet quid caueatur.

Nota eximium docendi genus.

1. Cor 9.

Eleemosyne eius.

Constantia in bono.

rum

rum in principio arripuit, vsque ad finem vitæ nullis negocijs passus est implicari: sed integrum & sanctum propositum seruans, in nullo cœptam regulam commutauit. Sub habitu alterius semper alteri militauit: & quicquid habere potuit in mundo, Christo tradidit ex toto. Sub mundi habitu militabat Christo.

Quantoperè in Dei timore & operibus misericordiæ profecerit. Cap. 10.

POllebat itaque magis ac magis in vigilijs, in ieiunijs, atque in charitate. Fabricabat in vsum Regis vtensilia quamplurima ex auro & gemmis. Sedebat fabricans indefessus, & contra illum Tyllo vernaculus eius ex genere Saxonico: qui magistri vestigia sequens, & ipse postmodùm venerabilem vitam duxit. Sedens ergò Eligius ad opus prædictum, codicem sibimet præ oculis præparabat apertum: vt quoquo genere laborans, diuinum perciperet mandatum. Sic igitur duplum gerens officium, manus vsibus hominum, mentem vsui mancipabat diuino. Fragrabat eius vbiquè fama intantùm, vt si qui ex Romana, vel Italica, aut Gotthica, vel qualicunque prouincia, legationis fœdere, aut alia quacunque ex causa palatium Regis Francorum adire pararent, non priùs Regi occurrerent, quàm Eligium aggrederentur, vel iuuamen alimoniæ ab eo poscentes, vel certè consilium salubre quærentes. Confluebantque ad eum vndiquè viri religiosi, aduenæ quoquè & monachi: & quicquid militare poterat, aut eis in eleemosynam dabat, aut certè captiuorum in precia distrahebat. Habebat maximum in huiusmodi opere studium. Sanè vbicunquè venundandum intellexisset mancipium, magna cum misericordia & festinatione occurrens, mox dato precio liberabat captiuum. Interdùm etiam vsque ad viginti aut triginta, seu & quinquaginta numero simul à captiuitate redimebat. Nonnunquàm verò agmen integrum, & vsque ad centum animas, cùm naui egrederentur, vtriusque sexûs ex diuersis gentibus venientes, pariter liberabat, Romanorum scilicet, Gallorum atque Britannorum, necnon & Maurorum: sed præcipuè ex genere Saxonum, qui abundè eo tempore veluti greges à sedibus proprijs euulsi, in diuersa distrahebantur. Quòd si contigisset, vt copiosus venditorum numerus mensuram precij excederet, cuncta præter corpus proprium, quæ habere poterat, vsque ad cingulum & amphibalum, necnon & victum necessarium, sed & vsque ad calceamenta cuncta se expoliabat, tantummodò vt captiuis subueniret. Id etiam & in peregrinos Christi sæpissimè faciebat. O quotiès debitor esse voluit, vt debitoribus subueniret? Quotiès brachile aureum, pungam quoquè auro gemmisque comptam sibi subripuit, tantùm vt miseris succurreret? Vt autem breuiter compræhendam, tantam captiuorum multitudinem per succedentia temporum spatia à duro dominorum absoluit iugo, tantas eleemosynas diuerso hominum generi vtriusque sexûs, diuersis ecclesijs ac monasterijs distribuit, vt nullus ea orator, quantumuis studiosus, quanuìs sit eloquens, ad plenum narrare sufficiat. Redemptos enim captiuos protinùs coram Rege statuens, iactatis ante eum denarijs, chartas eis libertatis tribuebat. Deindè trinam ipsis optionis proponebat electionem, id est, vt si qui velint iam liberi ad propriam remeare patriam, ipse eis inquantùm suppetebat, præberet subsidium. Si qui autem cum ipso velint permanere, libens valdè accommodabat assensum, ità duntaxàt, non iam vt serui, sed potiùs vt fratres cum eo degerent. Porrò si quos suadere poterat, vt venerabilem monachorum vitam arripientes, claustra cœnobij expeterent, hos tanquàm dominos insigniter honorans, vestimenta etiam & quæque necessaria tribuens, ilicò archisterijs cum exultatione destinatos, cum grandi demùm solicitudine eorum gerebat curam. Habebat prætereà secum plures vernaculos, in suo contubernio degentes, sibique necessariò iugiter obtemperantes. Ex quibus erat Baudericus, eiusdem libertus comprouincialis, qui in omnibus honestè valdè eius curam gerebat. Erat etiam Tituënus, genere Sueuus, fidelis cubicularius laicus, qui posteà ad mercedis cumulum peruénit interemptus. Necnon & Buchinus, ex gentili conuersus: qui & ipse posteà venerabilis extitit, ac Ferrariensi cœnobio præfuit. Andreas quoquè & Martinus, atque Iohannes, qui eo etiam procurante ad clericatum peruenire meruerunt. Sed & alij quamplures, quos enumerare perlongum est: qui diù noctuque in eius camera cum omni studio solenniter canonicum adimplere studebant cursum.

Odor boni nominis ei⁹ multas penetrat terras.

Militare, pro emereri, vel emerendo acquirere.

Mirum eius studiũ erga redimẽdos captiuos.

Multis persuadet monastici instituti vitã arripere.

Aliquot ei⁹ præclari discipuli, vel familiares.

Canonicũ cursum, id est, preces horarias siue canonicas.

Quàm humanus erga peregrinos & pauperes fuerit. Cap. 11.

MVltitudo prætereà pauperum, sicut apes ad aluearium, vndiquè quotidiè ad eum confluebant, intantùm vt si quis ignotus aut peregrinus Eligij inquirens domicilium, cùm de eo interrogaret quempiam, id ab eo acciperet responsum: Vade in illam plateam, & vbì pauperum cœtum conspexeris, illic vtiquè & Eligium reperies. Sicut enim, vt dictum est, apes circundant fauum, ità assiduè turbis pauperum cõstipatus incedebat Eligius, quibus aut per se, aut per famulum alimoniam pariter & eleemosynam tribuens, benignissimè quotidiè refouebat. Habebat autem & loculos, vbì aurum distribuendum secum portare iugiter consueuerat, nè sicubì pauperem fortuitù obuium habuisset, dilatio vel parua porrigendi intercederet. Quid plura? Quicquid habuit, excepto tegumento & victu, totum egenis & monasterijs dispersit sciens Apostoli esse præceptum, Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Nam cùm vespertinis horis sæpè post biduum, nonnunquàm post triduum paratum accederet sumere cibum, destinatis in diuersa famulis, omnes quos inuenire potuisset egenos & peregrinos, seu mẽdicos ac languidos, sibimet adduci præcipiebat. Hoc etiam cunctis diebus, exceptis his, quibus & ipse reficiebatur, faciebat. Raro enim, aut certè nunquàm contingebat, vt cum eo pauperes minimè conuiuarentur. Quibus adductis, ipse propriè famulorum incipiens officium, eorum necessitatibus hilariter valdè seruiebat, auellens ab humeris sarcinas, dorsa mantilibus leuians, aquam manibus fundens, merumque scypho refundens, ipse potum porrigens, buccellam ipse præbens, omnes postremò per ordinem faciens in mensa discumbere, ipse panem frangens, cibumque illis inferens. Deniquè his peractis, omnium iam fame refecta, sic ipse aut ante eos stans, aut certè ad cornu mensæ vili sellula vtens, valdè exiguum, atque ex comedentium fragmentis relictum sumebat cibum. Plerunquè verò egenis ad mensam iuxta morem vocatis, cùm & ipsi esset congrua cibi sumendi hora, mensa allata atque composita, manibus etiã lotis, nec vnus quidem supererat panis, qui inuitatis posset apponi, omnibus, vt sæpè contingebat, eodem die vsque ad victum aut in eleemosynas redactis, aut in precia captiuorum absumptis. Sed cùm ex famulis circunstantibus quidam istud sæpiùs irriderent, nonnulli etiam humiliter inopiæ eius compaterentur, vniuersos simul beatus vir coërcens atque refouens, aiebat: Quid molesti estis, modicæ fidei? Nunquid qui Eliam & Iohannem in deserto pauit, nos modò in medio cœtu hominum suo fraudabit beneficio? Credo, inquit, in creatorem meum, quoniam etsì nos non meremur, hi tamen pauperes Christi, refocillati hodiè ipsius dono, ab hoc recedent domicilio. Nec mora, aliquandò priusquàm verba compleret, pulsabant viri vestibulum domûs, panes cæteraque necessaria affluenter deferentes: quos aut Rex, vt sæpè consueuerat, aut diues quidam, aut deuota mittebat persona. Omnes enim iam compertum habebant, & quibus Eligius indigeret, & quibus sui iuris substantiam dispergeret. Vndecunquè autem veniret, Eligij tamen fides eum nunquàm fefellit: quoniam veraciter dicit scriptura: Hilarem datorem diligit Deus. Et hoc sanè non transitoriè, aut ad momentum fecit: sed omni penè vitæ suæ tempore id agens, tale Galliæ reliquit exemplum.

Pauperes benignissimè fouet.

1.Tim.6.

Obserua ei⁹ inediam.

Vide officiosam humanitaté.

Ecce cibum Eligij.

Magna eius confidentia in Deum.

3.Reg.17. Matt 3.

2.Cor.9.

Quæ forma eius & habitus corporis, itemque preces fuerit. Cap. 12.

SEd cùm viderim hominem, cur non & formam eius depingam? Erat sanè statura procerus, facie rubicundus. Formosam habebat cæsariem, & quasì crispantes capillos, manus honestas & oblongos digitos, Angelicum vultum, simplicem & prudentem adspectum. Vtebatur quidem in primordio auro & gemmis in habitu: habebat quoquè zonas, ex auro & gemmis comptas, necnon & crumenas eleganter gemmatas: lineas verò metallo rutilas, oras sarcarum auro opertas: cuncta quidem vestimenta preciosissima: nonnulla etiam holoserica. Sed his omnibus ob ostentationem fugiendam primo tempore vtebatur palàm: intrinsecùs verò ad carnem cilicium gestabat ex consuetudine. Posteà verò cùm adauctiùs profecit, cuncta ornamenta in egentium necessitatibus consumpsit. Videres plerunquè ire funiculo cinctum, vilibus vestibus tectum, quem videbas dudùm radiantis auri & gemmarum mole opertum. Nonnunquàm verò cùm videret eum

Forma corporis eius.

Vestes eius.

Rex

Rex ob deuotionem amoremque Christi expoliatum, subripiens sibijpsi, dabat ei proprium indumentum & cingulum. Dicebat enim, non esse dignum, eos, qui seculo militarent, incedere ornatos: eos verò, qui ob Christum cuncta sibi auferrent, esse inglorios. Deniquè apud Regem habitans, habebat mansionem assiduè coniunctam cum Dadone. Sicut enim animam suam, ità diligebat eum. De cuius quidem exemplis multa sumpsimus, quæ nec alongè vtiquè narrare sufficimus. Habebat autem in cubiculo suo multa sanctorum dependentia pignora, necnon & sacros libros in gyro per axem plurimos: quos post psalmodiam & orationem reuoluens, & quasi apis prudentissima diuersos ex diuersis flores legens, in aluearium sui pectoris optima quæque recondebat. Erat ei consuetudo noctibus cilicium ante lectum sternere, seque aut à primo crepusculo, aut post paululum quietis è lectulo excutere, & super eo submisso capite orare prostratum. Sicque plerunquè noctem totam, excubijs insistendo, cum lachrymis ducere. Grandis enim ei collata erat gratia lachrymarum. Diuersis autem modis, quantùm humana posset natura permittere, semper in id incumbebat, vt omne noctis tempus in Dei seruitio consumeret. Cùm enim prolixè oraret, pro quodam leuamine intermittens orationem, psalmos concinebat ex ordine. Quibus diù cantatis, ad lectionem accedebat: cumque sacra verba percurreret, videres repentè suppliciter oculos ad cælum leuare, suspiria suspirijs iungere, fletum lectioni miscere, singultibus pectus quatere, atque ora lachrymis vberrimè perfundere. Et cùm plerunquè inter ipsa verba diuina somno vehementer ingruente grauaretur, ex ipsis quodammodò lectionis verbis etiam per somnum meditabatur. Cumque subitò excitus lectionem expleret, rursùs se secundùm morem conferebat ad orationem. In quo opere tanto studebat silentio, nusquàm caput reflectens, nihilque aliud intendens, vt vix aliquis spirantem eum audire posset. Non raró quidem diuersas ob causas & noctù, & maturiùs in Regis conclaue vocatus, nullatenùs eò ire volebat, etiamsì nuncij alij super alios mitterentur, priusquàm propositum & institutum suum in Christi seruitio complêsset. Egrediens domum, oratione & Crucis muniebatur signo. Regredienti verò domum oratio occurrebat priùs, quàm sessio. Eum in modum ille se gessit omnibus diebus vitæ suæ, & his exercitijs ad æternam patriam iugiter anhelabat. Deniquè erat modis omnibus affabilis & subtilis, corde pius, atque etiam animo ad belligerandum fortis.

Plurimos habet libros. Longæ eius vigiliæ & preces. Quotidiana eius exercitia.

Vt in Britanniam missus, pacem confecerit. *Cap.* 13.

Deniquè aliquandò rogatus à Rege legatione fungi in partibus Britanniæ, nihil ille cunctatus, perrexit non minùs festinus, quàm Christi charitate securus. Quò cùm peruenisset, Britannorum principem adijt, causas pacti indicauit, pacis obsidem recepit: & cùm nonnulli lites vel bella sibi mutuò eos indicere æstimarent, tanta illum principem comitate, mansuetudine & dexteritate attraxit, vt etiam facilè illi persuaderet secum vt proficisceretur. Itaque commoratus ibidèm aliquandiù, rediens domum, illum Regem secum adduxit cum multo exercitu gentis eius, cumque in Priulo villa Regi Francorum præsentans, pacis fœdere illos cõiunxit. Et ille quidem Britanniæ Rex copiosa munera attulit, sed vberiùs muneratus, ad propria redijt. Quis verò ad plenum sufficiat enarrare, quantas in eo itinere Eligius eleemosynas fecerit? Nam præter aurum, cæterasque opes, quas distribuit, etiam cingulum suum aureum, elegantissimè aptatum, pauperibus & necessitatem patientibus dispersit, vt aptè ei Psalmistæ vox posset congruere: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculũ seculi. Semper enim vbicunquè esset, sententiam illam Apostoli meditabatur: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Et hæc iugiter considerans, faciebat amicos de mammona iniquitatis, qui ipsum reciperent in æterna tabernacula. Atque ità satagebat, vt cùm hæc omnia faceret, ostẽtationem penitùs fugeret, nè in hoc seculo laudes humanas suo pro opere reciperet. Nam nunquàm ille propter excellentiam suam inflatus est superbia: nunquam seruos suos adducta fronte contempsit: sed cunctis ipse amabilis, principes diligebat vt fratres, venerabatur vt dominos. Eorum etiam ministros, ac vniuersum palatij ordinem, quo regalis frequentatur ambitio, cõcordissimo sibi charitatis Christi conglutinauerat vinculo.

Regem Britanniæ mirè cõciliat Regi Francorũ. Psal. 111. 1. Tim. 6. Luc. 16. Aulici oẽs eum amãt.

Quàm facilè à Dagoberto Rege quicquid peteret, impetrârit. *Cap.* 14.

Dagoberti Regis laus.

POrrò Rex Dagobertus, torrens pulcher & inclytus, ità vt nullus ei similis fuerit in cunctis retrò Francorum Regibus, intantùm diligebat eum, vt frequenter cateruis principium, optimatum, ducum atque Episcoporum se subtrahens, Eligij secreta expeteret colloquia. Quicquid autem Eligius ab eo petijsset, id absque vlla dilatione impetrabat: idque totum, quod ab illo adipisci poterat, in eleemosynas egentium, in precia captiuorum, in remedia debilium expendebat. Vndè & ipse princeps libentissimè præstabat, quod sciebat non vni, sed pluribus, prodesse.

Vt monasterium Solenniacense condiderit. *Cap.* 15.

Obtinet à Rege locũ construẽdo monasterio aptissimum.

DEniquè inter cætera petijt ab eo villam quandã in rure Lemouicino, quam Solenniacum vocabant: Hanc mihi, inquiens, domine mî Rex, serenitas tua concedat, quô possim ibì, & tibi & mihi scalam construere, per quam mereamur ad cælestia regna vterque conscendere. Quam eius petitionem libenter Rex, sicut solebat, admisit: & quod ille poposcerat, sine mora, dato præcepto, concessit. Erat autem tempus, quo census publicus ex eodem pago in Regis thesaurum inferendus exigebatur: cumque omnis ille census, in vnum collectus, Regi pararetur afferendus, velletque tum domesticus, tum monetarius aurũ ipsum priùs fornacis coctione purgare, vt pro more purissimum atque rutilum aulæ Regis præsentaretur metallum, (Nesciebant enim Eligio prædium esse concessum) totis viribus triduò vel quatriduò labori insistentes, nulla poterant, Deo id præpediente, arte efficere, donèc ab Eligio præueniens nuncius, opus cœptum interciperet, eiusque id dominio reuocaret. Mox ergò vt hoc nunciatum est, cunctis loci illius accolis exultantibus, & opus perfectum est, & eius ditioni cõmissum. Quo in loco primum ac potissimum virorum Dei construxit monasterium: vbì etiam Abbate constituto, multos ex suis vernaculis mancipauit. Plures quoquè ex diuersis prouincijs vsque ad centum & quinquaginta monachos congregauit, redditusque terræ, qui affluenter possent sufficere, delegauit. Ipse verò tanta se deuotione, tantoque amore eidem loco impendit, vt quicquid habere potuisset, quicquid à Rege adipisci, quicquid dignè comparare, illi destinaret, additis etiam illis, quicquid magnates sua sponte ei largiti essent. Videres plaustris vehi onera, copiosa vascula, tum ænea, tum lignea, vsibus illorum necessaria. Tum quoquè vestimenta, ad lectum attinentia, & linteamina atque mappas: sed & sacrarum volumina scripturarum plurima. Deniquè omnia, monasterij vsibus necessaria, intantùm, vt improbi quidam ea causa, ingenti inuidia inflammarentur. Cogitabat autem ille seipsum demùm illi mancipare monasterio, nisì cum diuina dispensatio alteri loco destinâsset.

Solẽniacense monasterium conditur à S. Eligio.

Vt in eo monasterio monasticam disciplinam retinendam curârit.
Cap. 16.

QVem ad locum etiam ipse accessi, & tantam illic sacræ regulæ obseruantiam vidi, vt penè sit vita singularis eisdem monachis præ cęteris Galliæ monasterijs. Est autem congregatio etiam nunc magna, diuersis gratiarum floribus ornata. Habentur ibì & artifices plurimi, diuersarum artium periti: qui in Christi timore perfecti, semper ad obediẽtiam sunt parati. Nullus ibì quicquam proprium sibi vendicat: sed vt in actibus legitur Apostolorum, sunt omninò omnibus omnia cõmunia. Est verò locus ipse tam fertilis, tamque amœnus, vt cùm quis eò diuertit, inter pomorum nemora, & hortorum amœnitate virentia, in hæc ei verba libeat protinùs prorumpere: Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël: vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasì cedri prope aquas. De talibus per Salomonem dicitur, Habitacula iustorum benedicentur. Est autem idem cœnobium haud procùl à Lemouica vrbe situm, sex circiter millibus ad plagam distans meridianam. Ambitur verò in rotundum muro non quidem lapideo, sed fossa sepe munita, decem ferè stadiorum habente spatium in circuitu. Ex vno quidem latere munitur optimo flumine, cui mons excelsus sylua opertus, ac prærupta valdè rupes imminet. Omne autem spatium monasterij, diuersi generis arbores pomiferæ occupant: sicque illic segnis animus recreatur, acsì partem amœnitatis paradisi se occupâsse gratuletur.

Actor.4.

Num.24.

Prouer.3.

Situs amœnissimus monasterij Solenniacẽsis.

Vt Parisijs ancillarum Christi cœnobium extruxerit. *Cap.* 17.

ISto igitur cœnobio in omni opere perfecto, omniq́ue ex parte cum solertia stabilito, cogitabat in Parisiensi vrbe fabricare xenodochium. Sed excellentiori consilio, Deo inspirante, concepto, cœpit ex domo sua, quam in eádem vrbe ex munere Regis acceperat, virginum Christi ædificare domicilium. In quo opere diù multumq́ue instantissimè desudans, dignum tandèm sanctarum virginum construxit asceterium. Vbi districtam constituens disciplinam, vsque ad trecentarum numerum puellarum ex diuersis gentibus, tam ex ancillis suis, quàm ex nobilibus Franciæ matronis cōgregauit. Quibus & Abbatissam, dignam Deo puellam, nomine Auream, filiam scilicet Maurini & Quiriæ, constituit. Terræ etiam redditus copiosos delegauit, atque ex integro omne suum studium eò conuertit. Videres & ibì trahere vndiquè velut vtilissimā apem, cuncta monasterio necessaria, vasa simul & vestimenta, necnon & sacra volumina, aliaque quamplurima ornamenta. Nam quicquid huic sexui congruere & necessarium fore videretur, vt pijssimus pater solerti satìs in omnibus diligentia & cura solicita prouidit. Cumq́ue opera omnis, cunctæq́ue domus necessariæ in eo loco completę essent atque perfectæ, vnum adhuc restabat, vile quidem, sed necessarium, ædificandum domicilium. Et cùm non haberet terræ copiam, omnia etiam ædificijs occupata essent, adiacebat illic ad opus necessarium area quædam fiscalis exigua. Præcepit ergò metiri terram, vt sciret quanta esset: confestimq́ue abijt ad principem, suggessit de area, & sine mora obtinuit quod petebat. Cumq́ue reuersus ad aream, linea iactata amplitudinem habitaculi expendisset, inuénit quasì pedem vnum amplius spatium, quàm ipsi Regi indicâsset. Contristatus igitur, vt qui nemini vellet imponere, se Regi esse mentitum, relicto protinùs opere, ad aulam mœstus redijt, moxq́ue vt ad principem vénit, humì se strauit, mendacium indicauit, aut veniam, aut mortem poposcit. Sed cùm Rex minutissimæ rei causam cognouisset, magìs in stuporem versus, eius iniuriæ condoluit, atque ad circunstantium sese conuertens frequentiam: Eccè, inquit, quàm præclara & quàm venerabilis Christi fides. Duces mihi & domestici spatiosas subripiunt villas, & Christi famulus propter fidem, quam habet in Domino, nec palmum quidem passus est nobis celari de humo. Sic ergò clementer Eligio consolato, duplicauit donum, quod dudùm pusillum tribuerat. Ex quo facto liquidò potest intelligi, quantùm vir sanctus mendacij culpam pertimuit, qui vilissimæ rei erratum in sua noluit hærere conscientia. Talis eum fides ad cælum euexit: hæc illum fidelitas & Deo charum, & apud homines præclarum fecit.

Condit virginū cœnobium.

Asceteriū, pro monasterio.

Nota innocentissimi viri miram religionem.

Fidem hîc pro fidelitate accipit.

Vt SS. Pauli & Martialis extruxerit ecclesias: itemq́ue de aperto carcere. Cap. 18.

IGitur cuncto opere monasterij peracto, atque omnibus ædificijs ancillarum Dei absolutis, pro quibus mercedem laboris adeptus est lucra animarum: ædificauit postremò basilicam in honore S. Pauli Apostoli, ad ancillarum Dei corpora sepelienda. Cuius tecta sublimia plumbo eleganter operuit. In ea basilica beatus Quintillanus Abba humatus est. Aedificauit etiam, immò renouauit basilicam in honore S. Martialis Lemouicini pontificis & confessoris, eaque vrbanè stabilita, tecta eius plumbo vestiuit. Cumq́ue eiusdem sancti reliquias satìs deuotus cum magno triumpho, magnoq́ue vtriusque sexûs comitatu, cum melodia psalmorum ac dulci modulamine antiphonarum chorus eò deferret psallentium, miraculum Dominus declarauit memoria dignum. Ob hoc enim & Eligius ea via deportari volebat sacra pignora, cùm potuissent alia rectiùs & compendiosiùs. Erat haud procùl à tramite illo claustrum tetri carceris, vbì septem viri siue noxij, siue innocentes, in tertia custodia tenebātur. Cùm ergò Eligius, vtì quondàm Dauid ante arcam exultans atque tripudians, cum reliquijs & præfato agmine in voce exultationis præteriret, mox vt ad ergastulum propinquare cœperūt, repentè gestator pignorum graui pondere depressus, solo fixus restitit. Cumq́ue omnes eum compellerent promouere gressum, ille se id nullatenùs posse voce publica confessus est. Stantibus igitur cunctis, & ad rei euentum obstupescentibus, vincti in carcere, lenis tonitrui cœperunt audire vocem: statimq́ue vis quædam cum magno impetu adueniens, totum ab imis carcerem validè concussit: moxq́ue effractis seris omnibus, nexibusq́ue dissipatis, ostia obserata patuerunt inclusis. Ilicò vestigia depressa ferentium pignora, releuata sunt: & rei è carcere egressi, ecclesiam petiêrunt. Omnes igitur, qui aderant, in

Animarum, ergo appo-sui. Videtur enim deesse

2. Reg. 6.

Præclarum miraculum ad reliquias S. Martialis

in ſtuporem verſi, cœperunt attollere nouitatem miraculi, ac merita duorum coniuncta ſimul ſanctorum, Martialis laudem, Eligij fauorem prædicare. Deniquè quicunque hęc viderunt, Chriſto Domino vberes laudes, qui in ſuis operatur ſeruis, continuis vocibus depromebant.

De incendio Lutetiæ. Cap. 19.

Lutetia ardet.

POſt aliqua temporis curricula, cœperat vrbs Pariſiaca ſæuiſſimo cremari incendio. Nam cùm tota penè arderet ciuitas, vſquequaquè vis flammæ edacis ferebat glomerantes quaque in parte fauillas. Tunc Eligius mœſtus, cùm videret iam ſupra ſuum monaſterium flante vento, ad eamque, quam ſuprà diximus, eccleſiam globos flammarum cum axibus & carbonibus ferri, grauiter ingemuit. Iam enim inualeſcente igne, in promptu erat, vt etiam tegumentũ baſilicæ funderetur vi vaſtantis incendij. Attollens ergò Eligius vocem, cum gemitu dixit: O ſancte Martialis, cur domui tuæ modò non ſuccurris? Certè enim nóueris, quòd ſi hodiè te non curãte crematur, nunquàm iam ab Eligio in æuum reſtaurabitur. Confeſtìm verò adfuit Domini gratia, & aliam in partem vento flammas impellente, & eccleſia, & totum eius monaſterium remanſit incolume.

Eccleſia à ſancto Eligio extructa, diuinitùs conſeruatur.

Quanto ſtudio quotidiè in melius profecerit. Cap. 20.

Virtutes ei' enumerantur.

HIs itaque tranſactis, iugiter vir ſanctus intentus manebat diuinis officijs. Erat in eleemoſynis præſtandis largus, in vigilijs ſedulus, in oratione deuotus, in charitate perfectus, in humilitate profuſus, in doctrina præcipuus, in ſermone parcus, in locutione cautus, in conuerſatione ſanctiſſimus, nulla mundi compede conſtrictus, ad præſtanda ſeruis Dei officia & obſequia accinctus, ad redimendos captiuos ſolicitus, ad largiendum egenis diffuſus, in duris afflictionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſimus, in hoſpitalitate latiſſimus, inter opprobria ſecurus, inter odia beneficus, in proſperis & aduerſis cælo ſemper intentus. Non poterat in eo inuenire humani generis inimicus, nec quod fraude deciperet, nec quod ſimulatione fuſcaret. Synceritatem quidem mentis, vultûs synceritate monſtrabat: & pietatem clemẽtiſſimi cordis, ſermonis lenitate prodebat. Nihil quippè eius animo clementius, nihil illius ſeueritate iucundius, iucunditate nihil ſeuerius, nihil riſu grauius, nihil prorsùs triſtitia ſuauius. Si pauperem vidiſſet, ſuſtentabat: ſi diuitem, ad benefaciendum cohortabatur: Deum teſtem inuocans, pro eius ſe nomine hæc omnia facere. Nemo pauperum ab eo vacuus reuerſus eſt, illud Domini in Euangelio aliquandò iugiter commemorante: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. itemque illud: Sicut aqua extinguit ignem, ità eleemoſyna extinguit peccatum. & illud: Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Nam ſicut de beato Iob dicitur, ianuæ eius omni aduenienti patebant, vt & ipſe cum eodem poſſet voce libera proclamare, Oſtium meum viatori patuit. Erat pes claudorum, & oculus cæcorum, orphanorum pater, ac viduarum conſolator: non carcere clauſis, non ægritudine fatigatis ſuum vnquàm, quatenùs facultas ſuppeditauit, negauit auxilium: ſed miſericorditer conſulens miſeris, omne ſemper eis adminiculum præbuit. Quem enim cæcum non ſuum vocauit hæredem? aut quem debilem non eius ſuſtentauit manus? Fores quippè eius iugiter à miniſtris obſeſſæ, expeditum ei ad bellum præparabant ſolatium. Hoc iugiter comitatus incedebat exercitu: in his Chriſtum adſpiciens, ſe amplecti geſtiebat: atque indumenta tribuens, ſub inopis veſte, Chriſti ſe membra tegere credebat. Hoc certè exiſtimabat ſe perdere, quicquid eleemoſyna non abſumeret: id ſe tutiſſimè gaudebat recondere, quod dura egentium neceſſitas ipſi auferret. Valdè quippè deuotus, in eorum vſibus ſubſtantiæ exaggerabat pondus: vt quo pauperior eſſet ſeculo, locupletior Deo fieret. Conſiderabat quidem, quia quotidiè deeſſe non poteſt, quod peccetur: ideò nec quotidianas debere deeſſe eleemoſynas, quibus peccata tergantur. Et ob hoc cum Domino ſuo pecuniam diuidens, lætabatur ſe ſubſtantiam ſuam partiri cum Chriſto, faciens eum poſſeſſionum terreſtrium participem, vt & ipſe faceret eum ſibi regnorum cæleſtium cohæredem. Illi ſcilicet aſſignabat facultates, vt ipſe cuſtos eſſet perpetuus: ſciens quòd patrimonium Deo creditum nec reſpublica eripit, nec fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis euertit. Sciens etiam ſcriptum eſſe, quòd ea hæreditas benè reconditur, quæ Deo cuſtode ſeruatur. Eius verò apud ſuos monita, non fuerunt aliud quàm magiſteria diuina, fundamenta ſcilicet corroborandæ

Benignitas eius in pauperes.

Matt. 5.

Eccli. 3.

Luc. 11.

Iob 31.

Chriſtum in pauperibus complectebatur, &c.

Pauperibus dũ impertit res ſuas, augetſibi opes in cælis.

borandæ fidei, nutrimenta fouendæ animæ, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. Dignum ergò est, vt eum boni imitentur & diligant, plebs colat, noxij timeant: quem ità diuina virtus illustrauit, vt etiam in laici habitu habuerit à Deo collata dona, doctrinamque mellifluam, & spiritusancto conditam, de desiderio Christi salitam, de æterna beatitudine semper solicitam. Quique sic religiosus extitit ac timens Deum, vt seculi oblitus dignitates, omne consortium cum egenis haberet & monachis.

Quo pietatis ardore monasteria adierit. Cap. 21.

DEniquè cùm frequenter ad eum monachi quique religiosi cōfluerent, nec sic tamen eorum satiabatur alloquio: sed aliquandò etiam nimis sanctæ conuersationis ardens desiderio, properabat ad monasteria, maximeque Lussedium, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque districtius. Neque enim tam crebra adhuc erant in Gallijs monasteria: & sicubì essent, non sub regulari quidem disciplina, sed prorsùs erant in malitia fermenti veteris secularia. Præter Lussedium ergò, quod solum, vt dictum est, districtionem regulæ solerter tenebat, Solenniacense monasterium in partibus occiduis huius religionis extitit caput. Ex quo demùm multi sumpserunt & initium & exemplum, adeò vt nunc quoquè, propitia diuinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur sub regulari disciplina, alma vtriusque sexûs cœnobia. Itaque, vt dicere cœperam, quis valeat enarrare, cum quanta Eligius deuotione, quantaque humilitate prædictum monasterium adiens, inter fratres incederet? Videres eum cùm ianuam ingrederetur monasterij, deiecto in terram vultu, depressis luminibus, capite in humeros submisso, toto extenuato corpore, cum magna grauitate inter fratres versari, & coram singulis monachis se propè humì prosternere, atque ab omnibus deuotissimè benedictiones haurire. Cumque ab eis recederet, pro larga illis data eleemosyna, vilissimam panis tortam, vt vocant, pro benedictione sibi vendicabat: eamq; pro magno amplectens munere, diebus singulis quousquè durare incorrupta potuisset, eulogias ex ea velutì sacram communionem, ieiunus sumebat.

Lussedium f. Luxouio, nisi fallor.

Innumera in Gallijs monasteria

Reuerentia erga monachos.

Vt pedes loca sacra inuiserit, & de cura egenorum. Cap. 22.

HAbebat verò & hanc consuetudinem, vt vbicunquè iter ageret, si sciret eâdem se nocte vel ad monasterium, vel ad qualemcunque ecclesiam, siue etiam ad religiosum quēpiam virum posse attingere, nullatenùs cibum sumeret, etiamsì biduanem vel triduanum ieiunium expleret, priusquàm ad locum destinatum quanuis defessus pertingeret. Sed & si nôsset venerabilem, ad quem pergebat, locum esse, ilicò ab equo descendens, per tria vel quatuor millia pedestri labore conficiebat iter, donèc ad sancta illa posset limina pertingere. Cumque eò ventum esset, priusquàm in domum ingrederetur, mittebat pueros fideles, qui omnia latè vagantes scrutarētur loca mansionis, & sicubì possent mendicos, egenos vel peregrinos inuenire, omnes, quos reperissent, ad se aut adduci, aut certè deportari iubebat. Quibus ipse occurrens, si morbidum videret, medebatur: si putridas habentē carnes, ipse saniem radebat: vt cum Iob dicere valeret: Flebam quondàm super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Porrò si horrentia conspiceret ora, proprio palato perfricans, digito dolorem leniter mulcebat morbidum. Sic nimirùm omnia cum cura & diligentia perficiens, iubebat cunctos suos sedere per ordines: & priusquàm ipse quicquam sumeret ex cibo, omnibus manu propria & escam præbebat, & merum. Postremò ipse Deo gratias actitans, vnà cum eis sumebat cibum, sed parciùs multò, quàm illi. Cùm enim illi carnibus vterentur & vino, ipse panem pro cibo, & pauxillum aceti aqua mixti pro potu sumebat. Octo nanque vel decem fluxêre anni, quibus nunquàm vinum hausit. De carnibus verò melius tacere puto, quàm aliquid dicere: quandoquidem eas post propositum nec edere, nec attingere sustinuit. Intra illos autem, quos dixi, annos, non nisi semèl memini cum propter hospites, charitate exigēte, ex volatilibus parum aliquid gustâsse. Porrò autem peracta refectione, cùm singulorū priùs abluisset capita, manus demùm abluens, & pedes abstergens deosculabatur. Ad extremum in lectos eos reponens, diligenter ad eorum capita puluillos componebat. Deindè seipsum spolians indumentis, cubitum se collocare simulabat: sed cùm omnes alto sopore pressos aduerteret, adhibitis secum paucis fidissimis famulis, si esset in ciuitate, castro, vel vico, omnia

Iob 30.

Quid hac charitate admirabilius?

Vide cibum eius & potū.

Profunda nocte inuisit oratoria. omnia orationum loca profunda iam nocte circuibat penè inuisus: & si modis omnibus redire posset ante lucem, ad stratum suum defessus reuertebatur. Quòd si ecclesia in loco hospitij non haberetur, completo, vt dictum est, vesperi omni officio, simulabat se in strato quiescere. Mox autem vt eius cubicularij obdormijssent, exiliens è lectulo, totum se prosternebat in pauimento, ibique omni noctis spatio exacto, cùm aurora diei daret initium, iterùm se in lectulo reponebat. Hæc autem ità faciebat ob vitandam ostentationem, illi soli cupiẽs ea perspecta esse & cognita, qui dicit: Matt.6. Ora patrem tuum in absconso, & pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi. Sic nimirùm se comparabat, sicque faciebat Eligius & in itinere, & in propria domo, & hic perpetuus ei mos fuit cunctis diebus vitæ suæ. Atque his beatis actibus intentum, intantùm diuina prouexit clementia, vt adhuc in laico habitu, Domino largiente, miraculis coruscaret.

Vt contractum sanârit. Cap. 23.

DEniquè quodam tempore, cùm anniuersaria Parisijs sancti Dionysij martyris celebraretur passio, dum vigilia à Clero caneretur in choro, egressus Eligius è templo, ad atrium se conferebat: viditque eminùs virum cunctis membris cõtractum, contra sancti sepulcrum iacére in pauimento. A Deo fortè inspiratus, accessit ad hominem, blandeque eum compellans, cœpit ab eo inquirere & tempora claudicationis, & causam ægritudinis: simul ex eo sciscitãs, num spem haberet in Christo, crederetque se quandoquè sanandum, itemque post mortem resurrecturum, & vel præmia, vel pœnas, pro meritorum qualitate, recepturum. Præmia & pœnæ pro ratione meritorum. Cumque ille eius secutus verba, cuncta hæc se credere fateretur, rursùs Eligius: Si ergò hæc, inquit, vt adstruis, credis, quid ità inaniter hîc iaces? Roga potiùs hunc sanctum, vt intercedens apud Dominum, reddat te protinùs sanum. Dicente autem illo, se ea causa ibì excubare, Eligius eum intuens, Credis, inquit, posse hunc sanctum isthuc tibi apud Deum obtinere? Illo respondente, se sic credere: rursùs ad eum Eligius: Si sic credis, ait, promitte iam te deincèps Deo seruiturum, & vide nè vacillet fides tua, & absque mora sanabit te Dominus. Illo per omnia fidem dante, fixit Eligius genua in terra, & prolixè orauit. Deindè oculos pariter & palmas ad cælum attollens, Dominum Iesum fide plenus, promissionis suæ fideliter admonuit, qua dicit: Marc.11. Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis. itemque: Iohan.14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Cumque pleno pectore ac fida deuotione deposceret, conuersus ad ægrum, appræhensa eius dextera, ait: Si indubitanter credis, sicut promittis, in nomine Domini Iesu Christi surge, & sta super pedes tuos. Sanat contractum. Atque hæc dicens, attraxit eum ad se fortiter, & ilicò nexibus artuum resolutis, eleuatus æger stetit, moxque consolidati sunt pedes eius & membra, & sanatus est ex ipsa hora. Comminans autem ei Eligius & contestans, præcepit, vt si nollet rursùs talia pati, nullum aliud de reddita ipsi sanitate verbum ediceret, nisì quòd Dominus Iesus per sanctum Dionysium eum sanâsset.

Vt cuiusdam manum aridam iocans curârit. Cap. 24.

QVodam iterùm tempore, cùm prætereunte Eligio copiosa pauperum turba eminùs consederet, accedens ille ad eos, singulisque propinquans, vt solebat, sanctis digitis eleemosynam in singulorum includebat pugnos. Cumque ad quendam ventum esset, qui contractam aridamque habebat manum, illamque non valens extendere, alteram ad stipem extendebat, Non hanc, inquit Eligius, sed alteram quantocyùs porrige. Illo, vt aridam ostenderet, eam proferre volente, appræhensa ea, Eligius animo cœpit rogare Christum. Cumque brachium hominis palparet à cubito, simul atquè extraxit manum, confestìm remissis Manũ aridam restituit sanitati neruis, curuos digitos direxit. Deindè oleo allato manum perungẽs, quamprimùm eam ità solidam sanamque effecit, vt erat altera. Cùm autem illi, qui id videbant, ei id adscriberent, ille gratia humilitatis contentus, cautè satìs occultare tentauit, ità dicens: Ego putaui ideò illum fingere, vt à me faciliùs eleemosynam posset percipere.

Vt exiguo vino multos pauperes refecerit. Cap. 25.

ALio tempore cùm aliquò iter haberet, obuiàm ei venit pauperũ turba, eius iam opinione collecta. Quibus elemosyna, vt solebat, data, voluit insupèr siti fatigatis laborem temperare itineris. Cœpit ergò quærere ex ministris, quisnam

quisnam eorum potum apud se haberet. Illis, vt res erat, minimè se habere dicentibus, vnus tandèm ait se laguncul am, in qua parùm sit vini, habere. Quo protinùs allato, vir sanctus benedixit, & vt pauperibus offerret, imperauit. Sed quid erat tam exigua mensura, trium fortasse cotylarum, in tantam pauperum turbam? Cùm ergò pincerna pauxillum mitteret in scyphum, mox increpatus ab Eligio, totum scyphum implere iussus est. Puero autem lagenæ exiguitatem obtendente, statim ille signum Crucis opponens, Eià, inquit, cià misce crateram plenam: quoniam larga & magna est Domini clementia. Sic ergò factum est, vt ex ea vini quantitate & vniuersi largissimè haurirent potum, & eius tamen exiguitas non deficeret: ità vt in illo vasculo, quod vir sanctus Cruce signauerat, liquor vini non quidem augeretur, sed protinùs nasci crederetur. Magnum miraculū.

Vt claudum restituerit. *Cap.* 26.

CVm aliquandò Parisijs loca orationum circuiret, veniens ad basilicam sancti Germani confessoris, vidit illic claudum quendam carruca vectum, querulis se vocibus inclamare. Ad quem accedens, eius valdè misertus, manus ei voluit imponere. Sed humilitatis pristinę recordatus, protinus se ab eo subtraxit, alteri potiùs quàm sibi, fauoris gloriam tribui volens. Vide humilitatem. Præcepit tamen ministris, vt auferentes ægrum à carruca, in ecclesiam deportarent, ac iuxta cancellos iam dicti sancti confessoris deponerent. Quod cùm factum fuisset, ingressus Eligius in basilicam, prolixè orauit, monuitque claudum in fide immotum persistere, donèc eum Dominus sanari iuberet. Nec mora: post hæc claudus vociferari cœpit, totoque corpore contremiscere. Cumque omnes procùl stantes ad spectaculum concurrerent, confestìm claudus, resolutis neruorum vinculis, liber à pauimento surrexit, & ità incolumis ab ecclesia processit. Claudus sanatur. Fuerat is annis nouem claudicationis impedimento adstrictus. Tum verò Eligius ex intimo corde Christo gratias referens, iter cœptum lætus iam peregit.

De alio claudo sanato. *Cap.* 27.

CArpebat quandoquè iter adhuc in laico habitu cum pueris suis è villa regali, quam Scerpiniacum vocant. Cumque peruenisset ad Gamapium vicum, ingrediens ilicò basilicam, inuénit quendam pauperem claudum, pro foribus iacentem. Qui viso Eligio, cœpit clamoribus petere eleemosynam ab eo, vel aliquam sibi adhiberi consolationem. At Eligius sciens fortè donum spiritussancti, accessit ad eum, dicens: Rogemus Deum pariter, si fortè incolumem te reddat. Et mox introducens eum in ecclesiam, præcepit enixè orationi insistere. Ipse verò prosternens se in terram, diutissimè orauit. Deindè paululùm se erigens, cùm videret adhuc claudum iacére, rursùs orationi incubuit, & lachrymabiliter precem fundens, tam prolixè orauit, tantasque lachrymas effudit, vt ijs partem pauimenti humectaret, ac veluti riuulum decurrentem in terram efficeret. Tandèm roboratus fide, erexit se, & cum magna fidutia ad ægrum accessit, manuque eius appræhensa, dixit: In nomine Domini nostri Iesu Christi filij Dei excelsi, surge & ambula. Et confestìm prosecuta est salus verbum hominis Dei, conualuitque æger & surrexit. Præcipit claudo vt surgat, moxque fit san^o. Omnes autem, qui aderant, audiebant cum magno stupore iuncturas & neruos, atque omnia ossa claudi illius, crepitare & solidari. Sanus ergò factus est ex illa hora, & ambulauit, exiliens, & laudans Deum cum omni alacritate. Fuerat enim ex multis iam annorum spatijs vinculis artuum adstrictus, atque ob id magis cunctos occupabat admiratio, quòd tam celeriter eius curatio fieri potuisset. Dedit autem ei eleemosynam vir beatus, & dimisit eum in pace. At ille adorans glorificansque Deum, reuersus est in locum suum. Tunc Eligius terribiliter cœpit adiurare pueros & cunctos comites suos, nè, quousquè in corpore ipse maneret, rem gestam vlli hominum indicarent: magnoperè metuens, nè in virtute facti, mens eius humanis laudibus grauaretur.

Vt aurum in crumena vacua repererit. *Cap.* 28.

QVodam die copiosa pauperum multitudine ad eum confluente, totum penè, quicquid auri habere poterat, illis erogauit. Cumque ijs discedentibus, alij aduentarent, loculo auri solicitè perscrutato atque excusso, nihil penitùs reperit, quod eis tribuere posset. Porrò à quodam è suis familia- Sūmā auri accipit mutuam, vt det pauperibus.

miliaribus auri summa accepta, eam pauperibus dedit. Ijs abeuntibus, post aliquot horarum spatia eccè superueniunt & alij. Tunc Eligius superioris temporis minimè recordans, aliò fortè mente intentus, protulit, quam priùs scrutatus erat, crumenam: & vbi anteà nihil repererat, mox vt eam aperuit, aurum in illa conspexit, idque pauperibus quamprimùm elargitus est. Atq; tum demùm prioris facti non sine admiratione reminiscens, nomen largitoris Christi cum ingenti exultatione glorificauit.

Diuinitùs pecunia ei crumenæ imponitur.

Vt cæcum illuminârit. *Cap.* 29.

CVm aliquandò Parisijs commoraretur, & ad necessarium quẽdam locum abire pararet, explorantes egeni, quà transiturus esset, cuncti ex more ad pontem sese contulerunt. Quò cùm Eligius aduenisset, singulisque, vt solebat, singulatìm in manus eleemosynam includeret, peruénit inter cæteros ad quendam cæcum, querulis valdè vocibus clamitantem. In cuius manũ cùm eleemosynam imponere vellet, subtrahens ille manum, clamabat virtute qua poterat: Domine Eligi, exerce in me pietatem: oculis Crucem imprime: quod magìs desidero, præbe. Tum ille valdè ciuiliter dissimulans ac subridens, Tu, inquit, amice, nónne te nôsti signare? Nóuerat enim vir sanctus iactantiam virtute fugere, in quo tamen non poterat gratia concessa latére. Sed cùm ille eadem ingeminãs, importunè clamitaret, Tu, inquiens, domine, tu signa: ille fidem hominis cernens, signum Crucis impressit. Et (ô mira Christi potentia) statìm signum sanguinis vnda secuta, diù clausas ilicò reserauit in fronte fenestras, atque ingrediente die, fecit discedere noctem. Sicque homo gemino munere percepto, adorans Christum, laudans Eligium, discessit.

Cæcũ signo Crucis illuminat.

De basilica vastata, & rebus ex ea ablatis restitutis. *Cap.* 30.

ALio tempore Parisijs degente illo, manè ad eum tremebundus aduolauit custos basilicæ sanctæ Columbæ virginis: prouolutusque pedibus eius, nunciauit, eádem nocte se quiescente, spoliatam omni ornatu basilicam. Quod Eligius audiens, tristis admodùm effectus, citò tamen ad solita spei præsidia recurrens, clementer refouit custodem. Deindè ad sanctæ Columbæ oratorium pergens, oratione præmissa, in hęc prorupit verba: Audi, sancta Columba, quæ dico: Nouit meus redemptor, nisì ornamenta huius ædis furto ablata citò reduxeris, me vepribus allatis ità hanc ianuam obstructurum, vt deincèps nunquàm tibi in hoc loco veneratio exhiberi possit. Dixit hæc, & recessit. Et eccè sequenti die custos maturiùs surgens, inuénit vela omnia vsque ad minimam pallam, sicut priùs fuerant, restituta. Tunc concito cursu quanto pridiè tristior, tanto nunc lætior custos ad beatum Eligium properans, ei hæc nunciauit. Atque ille accedens, & omnia, sicut dudùm fuerant, suis in locis composita cernens, martyrem quidem laudauit, sed Christi nomen, sicut & semper, vberiùs cum hilaritate magnificauit.

Obserua mitam sanctissimi viri puritatem & synceritatẽ.

De homine vitæ restituto. *Cap.* 31.

INter cætera autem infinita bonorum suorum operum acta, etiam hoc apud Regem obtinuerat, vt quæuis humana corpora, quæ vel Regis seueritate, vel iudicum censura diuersis ex causis per multimoda argumenta perempta essent, vbicunquè inuenire potuisset, siue per ciuitates, siue per villas, licitè posset ex rotis & patibulis deposita sepelire. Delegauit ergò ex comitibus suis vespillones, Gallebodum scilicet atque Vincẽtium cum illorum collegis, qui huiusmodi curæ insisterent, & vbicunquè pergerent, siue in proximas vrbes, siue in longinquas, iugiter secum sarcula ferrent, vt sicubì cadauer inuenissent, continuò illud humo tegerent. Igitur cùm quodam tempore in comitatu Regis, Austriæ partes peragrarent, deuenerunt ad vrbem quandam, quæ Stratoburgus vocatur. Cumque haud procùl ab vrbe essent, adspicientes eminùs, vident hominem, cui ipso die vita laqueô extorta erat, pendére in patibulo. Protinùs igitur accedentes, illum deponunt, vt pro consuetudine sepulturæ eum traderent. Sed vir venerabilis sensit fortè operandum: dumque sepultura paratur, festinè ad corpus appropinquans, cœpit illud ab imis vsque ad summa palpare. Vbi autem sensit adesse animam, mira arte à se virtutem facti repellens, O quàm grande, inquit, scelus, nisi Dominus adiuuisset, perpetrare poteramus, si corpus hoc humo texissemus, cùm anima eius

Austrię, pro Austrasiæ, vt alij vocant.

Excitat mortuũ, & tamen dissimulat.

ma eius in ipso sit. Hæc dicens, cunctis mirantibus, iussit eum vestimentis indui, & quiescere paululùm. Deindè recreato spiritu, vir ille surrexit è terra, tanquàm nullam passus iniuriam aut molestiam. Quod factum cùm in vrbe illa percrebuisset, mox aduolantes eius hominis insectatores, importunè eum rapere, & denuò morti tradere conabantur. Sed Eligius vix è manibus illorũ eum eripiens, Regem pro eo deprecatus est, chartamque securitatis ab illo impetrauit, eumque defendit. Is non diù pòst ità se subtraxit ab eius contubernio, Eligio fortassis conscio, nè res gesta ampliùs in vulgus diffunderetur, vt nunquàm deincèps à ministris eius conspectus sit. Sed de his ista sufficiant. Satìs autem est, solum Deum nõ latére, quæ occultè vel in seculi habitu, vel in venerabili & Apostolica tonsura gesserit. Veniam nunc ad ea, quæ artificio manuum suarum effecit, eaque quanta possum breuitate perstringam.

Vt multas sanctorum fabricârit thecas. Cap. 32.

INter alia bonorum operum insignia, multas sanctorum ex auro, argento atq; gemmis fabricauit thecas siue tumbas: putà Germani Parisiensis Episcopi, Seuerini Abbatis Agaunensis, Piatonis presbyteri & martyris, Quintini, Luciani Bellouacensis Apostoli, Genouefę, Columbæ, Maximiani, Iuliani, multorumque aliorum: sed præcipuè beati Martini apud Turones, Dagoberto Rege impensas præbente, miro opificio ex auro & gemmis thecam confecit. Sancti quoquè Brictij fecit tumbam, itemque aliam, in qua corpus beati Martini anteà iacuerat, eleganter composuit. Magnum præterea beneficium eidem ecclesię apud Regem obtinuit. Nam pro reuerentia sancti confessoris Martini, Eligio rogante, censum omnem, qui reipublicæ soluebatur, Dagobertus Rex illi ecclesiæ ex toto condonauit, scriptoque confirmauit. Atq; ab eo tempore omne ius fiscalis censûs ecclesia sibi vendicat, vt vsque in præsens, in eàdem vrbe per pontificis literas Comes constituitur. Fabricauit etiam Eligius mausoleum sancti martyris Dionysij in Parisiensi ciuitate, & super illud tectum marmoreum mirifico opere auro & gemmis ornatum, itemque cristam & species de fronte magnificè composuit: necnon & axes in circuitu throni altaris auro operuit, & posuit in eis poma aurea atq; gemmata. Lectorium quoquè & ostia diligenter argento vestiuit. Sed & tectum throni altaris argenteis operuit axibus. Fecit quoquè * repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinsecùs ad pedes sancti martyris fabricauit: tantumque illic, suppeditante Rege, suam exercuit industriam, atque ità suum declarauit ingenium & artificium, vt penè singulare sit in Gallijs ornamentum, & in magna omnium admiratione vsque in hodiernum diem.

Multas sanctorum thecas precio[illegible] fabricauit.

* Axibus, pro laminis argenteis.

De obitu Dagoberti Regis, & concilio Martini Papæ. Cap. 33.

HIs operibus mirificè perfectis, atque omnibus circunquaquè gentibus sedatis, ferocissimis etiam Vacceis ditioni suæ hostili gladio subactis, mortuus est Rex magnus & inclytus Dagobertus, & sepultus est in eàdem sancti Dionysij basilica sub arcu in latere dextero. Cui successit in regno filius eius iuuenculus ætate, nomine Clodoueus. Sub huius regni principio nefanda hæresis in partibus Orientis cœperat pullulare, Constantio tunc Romani Imperij apicem gubernante. Ij ergò hæresiarchæ nequiter Ecclesiasticam ausi sunt violare regulam, & peregrina quædam à veritate docere ac prædicare, asserentes Dominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum minimè habere formam serui, neq; cum ex Maria veram assumpsisse carnem, profanis vocibus garriebãt. Quæ res plurimos in Ecclesia Dei perturbabat, & plerosque iam contagium huius pestiferæ assertionis infecerat: nec solùm vrbes, in quibus morabantur, sed & vrbem, quæ est caput omnium, Romam paulatim iam eorum prauitas penetrabat. Erat autem eo tempore Romæ præsul beatissimus Papa Martinus: qui solicitè ac viriliter pro hac causa inuigilans, adeoque pugnans, multa probra & aduersa ab hæreticis sustinebat. Vndè tandèm permotus, cùm & Imperatorem, & plures alios cerneret eorum assertionibus intento satìs animo obsecundare, congregauit concilium sacerdotum causa compescẽdi, immò delendi huius dogmatis prauitatem. In quo concilio, omnibus orthodoxis consentientibus, edidit cõtra hæreticos fidem magnificè valdè atque accuratè. Quam etiam cum subiuncta Epistola, Galliarum partibus destinauit, mandans & obtestans Regem Francorum, vt, si essent ei viri catho-

Hanc hæresim excitauit Paulus Constant. Episcopus, vt habetur in Vita S. Martini Papę 12. Nouẽbris præsenti tomo.

Synodus Martini Papæ.

 lici

lici eruditi, eos ipsi adminiculum ad hæresim comprimendam faceret destinari. Quò tunc etiam Eligius cum sodali suo libentissimè perrexisset, nisi ei res quædam impedimento fuisset.

Sodalē Eligij, dicit author seipsū.

De multimodis Papæ Martini iniurijs atque obitu. Cap. 34.

SEd interim dilatione intercedente, inimicus humani generis acriùs incitatus, pulsabat fortiter murum Ecclesiæ per homines perditos, ac turrim validissimam omni oppugnationis genere infestabat Martinum, perpetuis afflictionibus illum Episcopum ad se inflectere cupiens. Sed quantùs impurus spiritus omni nisu pugnaret armatus, at tamen resistebat Martinus, Christi gratia & virtute repletus: ac velutì si saxo immobili vndarum fluctus illidantur, ità virili animo dicta respuebat hæreticorum garrientium. Iubebant decreta imperialia, vt fidem ederet patribus contrariam: sed ille, cui sacra fides venerabilis erat, constanter affirmabat se non posse impia contra Deum proferre verba: consultius fore existimans, temporalem ponere vitam, tantùm vt ei conscientia fidei duraret illæsa. Nouimus quendam fratrem, à partibus Orientis venientem, qui ea, quæ refero, se præsente gesta esse testabatur. Itaque cùm nullo persuasionis genere Martinus à catholica abduceretur fide, multiplicibus iniurijs affectus, diuque coram populo flagellatus, demùm reuinctis post tergum manibus, velut electus aries, cuncta Vrbe lamentante, in exilium protruditur, Constantinopolimque perductus, atq; ibi in exilium relegatus, sola oratione meruit cæco lumina reddere. Porrò exulans & delitescens, post multa tormenta, claram valdè & nobilem vitam optimo & venerabili fine conclusit. Simulent nunc heretici quantùm volunt, confundantur & erubescant à se martyrem factum, quanuis eum in pace animam exhalâsse clamitent, quanuis non à se interemptum, sed propria fingant morte defunctum: quasi non cum pœna consumpserit, in quo pœna consumpta est. Qui si in præsenti nunc adessent, hæc à me pro martyre verba audirent: Etsi imminente carnificis gladio mortuus non fuit, in confessione tamen catholicæ fidei in exilium relegatus, post continuam & indefessam professionem, gloriosum mortis exitum meruit, sicque ad Deum suum redeuntem cælestis aula martyrem suscepit. Neque enim virtus eius aut honor minor est, quô minùs beatis martyribus aggregetur: quia quantùm in ipso fuit, æquanimiter tolerauit, quicquid ei aduersitatis oblatum est. Nam sicut quidam testatur, non est inferior gloria, sed potiùs excellentior, sustinere martyrium pro eo, nè scindatur Ecclesia fallacijs hæreticorum, quàm est illa, nè immoletur idolis impulsu paganorum. In paganorum nanque persecutione, vnusquisque tantùm pro sua anima, in hæreticorum verò, pro vniuersali pariter Ecclesia. Et idcircò potiorem eum dixerim, quia proculdubiò excellentior magisque eximius comprobatur. Hæc pauca de tanti viri memoria, Eligij vita sibi inserta habeat: loquanturque ea, vbicunquè Eligij vita legetur per secula, quantùm Martinus fidei dogmate claruerit. Quæ quidem nos dilectionis gratia hactenùs narrâsse sufficiat, vt tam eximij viri memoria, qui vtiquè collegis meis in vrbe Romana multa impendit bona, quanuis in Oriente frequentetur, non vsquequaquè in Occidente obliuioni tradatur.

Martini Papæ virtus & constantia.

Deportatur in exilium.

Oratione, cæcū illuminat.

Martyrium pro Ecclesię vnitate.

De Concilio Aurelianensi, & hæretico quodam profligato. Cap. 35.

PEr idem ferè tempus, quo apud vrbem Romam hæc gesta sunt, quidam hereticus pulsus à partibus transmarinis, in Gallias venit. moxque se conferens ad ciuitatem, quæ olim Hedua, nunc autem Augustodunum vocatur, cœpit tam cautè, quàm fraudulenter sua nefanda dogmata prodere. Quod cùm in palatio ad aures Eligij peruenisset, cœpit vigilanter (vtì semper in eiusmodi rebus solicitus erat) cum Audoëno & cæteris catholicis viris tractare, quemadmodùm hanc pestem palàm omnibus manifestatam detegerent. Nec destitit Episcopos commonere & optimates, quousquè iussu principis sacerdotale cōcilium apud vrbem Aurelianensem congregaretur. Vbi eo, quem diximus, hæretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diuersis modis interpellare, sed nullo poterant genere concludere. Tanta quippè dicendi arte obiectis quæstionibus occurrebat, vt vbi maximè putaretur constrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibusdam foraminibus dilapsus, eorum se fronti opponeret. Cumque nullo genere à quoquam posset concludi aut superari, extitit quidam ex nostris pro Dei

Hæreticus quidā Augustoduni serit zizania.

Synodus Aurelianēs.

prouidentia doctissimus Episcopus, nomine Saluius, qui itá ei in omnibus obuiauit, vt ingens ea causa nostris fieret gaudium & expectatio. Omnes enim eius versutias & artes, quas ille nunc occulere, nūc etiam dissimulare conabatur, frequenti disputatione palàm funditùs detexit. Sicque aduersùs eum omnium Episcoporum sententia prolata, & per singulas ciuitates super eius nomine decretis constitutis, cum ea, qua par erat, ignominia & dedecore è finibus Galliæ eliminatus est. Saluius Episcopus doctissimus.

Vt apostatas quosdam sanctus Eligius depræhenderit atque notârit. *Cap.* 36.

SEd & alium nihilominùs apostatam cùm comperisset Eligius euertere plebem Parisijs, multa affectum ignominia exterminauit ab vrbe. Itemque alium, qui Episcopum se simulans, circuibat villas & plateas, decipiendo populum, diù carceri mancipatum, eiecit à finibus regni Francorum. Necnon alios atque alios, diuersis artibus populū subuertentes, grandi est semper authoritate persecutus. Valdè enim oderat omnia hæreticorum & schismaticorum, cunctorumque catholicam doctrinam non afferentium figmenta, iugique instantia eorum insectabatur vesaniam. Erat enim eloquentia affluentissimus, & in studio scripturarum subtilissimus: cumque ipse sufficienter esset instructus, populum, quocunquè pergeret, Euangelicis cohortationibus docebat in fide Christi constantissimè persistere, atque ab hæreticorum contagijs solerti cura sibi cauere. Plerosque hæreticos S. Eligius persequitur.

Quanta erga pauperes beneuolentia fuerit. *Cap.* 37.

SEd inter cætera, semper fœminarum, viduarum & pupillorum consolator fuit, viduamque illam Sareptanam imitans, ipse plerunquè esuriens, facultates in Christi viscera erogabat. Si infirmum vidisset, clementer consolabatur: si quempiam in Dei amore feruentem, cohortabatur ad studium. Si quis æger ad eum accessisset, itá eius fouebatur ministerio, vt nec delicias vrbium, nec matris desideraret affectum. Deniquè intantùm erga debiles ex deuotione obsequiosus & officiosus fuit, vt multi pauperes sani languentibus inuiderent. Atque itá ob Christi amorem eorum assiduè gerebat curam, vt pauperes omnes eum patris loco se habere lætarentur. Sciebat enim, quid Lazaro quandoquè diues purpuratus non præstiterit, & qua retributione superba illius mens damnata sit. Idcircò magìs ac magìs erga omnes misericordem se exhibens, benignè miseris iugiter succurrebat. Quo enim dolente etiam ipse non doluit? vel quo pereunte non ingemuit? Quem nudum eius vestimenta non texerunt? Quod verò cœnobium non eius largitate sustentatum est? Deniquè pro spe æternæ vitæ quas ille non pertulit angustias, putà famem, sitim, vigilias? Porrò in tali proposito perseuérans, præbuit se in futurum vas electionis & vtile Deo, ad omne opus bonum paratum. 3.Reg.17. Aegros humanissimè fouet. Luc.16.

Vt magnos in sanctitate progressus habuerit. *Cap.* 38.

CVm sic autem totum se Dei seruitio mancipâsset, bona principum iussa præclarè exequebatur: contraria verò præclariùs contemnebat. Multaque libertate arguebat eos, ijsdemque humiliter obediebat: subiectus Regibus, Christo deuotus. Sic autem sese exercebat, acsì semper inciperet: itá se præparabat, tanquàm quotidiè moriturus. Itaque repugnantem carnem inedia subiugabat, & vltricis gehennæ sæua tormenta præueniens, ipse sibi persecutor & tortor extitit. Et si quidem sors temporis itá tulisset, cupiebat martyr pro nomine conditoris fieri. Sed quanuìs eum gladius persecutoris nō confodit, libens ipse sibi quotidianum martyrium indixit: fuitque ei fames pro vngula, sitis pro flamma, mundi calamitates pro bestijs, abstinentia pro craticula. Atque sub quadam martyrij specie, ceu catena rigentis ferri, sic dura lege constrictus, semetipsum sibi abnegauit, vt Christum sequi posset: illum semper diligens, illum desiderans, illum ingenti auiditate sitiens, qui pro amore hominum homo factus est: vt nos ad cælum traheret, de sinu patris in terram descendit: eique omnem laborem suum, omnemque dilectionem impendens, bonam terram sui cordis iugi cultu & indeficientibus exercitijs excolebat. Et perindè vt esuriens quispiam aut sitiens, sic ille magno quodam ardens desiderio, illud Psalmistæ voce flebili crebrò repetebat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? itemque illud: Quandò veniam, & apparebo ante faciem Dei? atque etiam illud Salomonis: Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Porrò sectabatur in Erga principes vt se gesserit. Desiderium martyrij. Psal.54. Psal.41. Cant.1.

omnibus mansuetudinem, fidem & charitatem perfectam, quæ spiritualis ædificationis vinculum est. Studebat se vas sanctificatum exhibere, vt habitatorem Deum in mentis suæ hospitio posset recipere. Salutaribus erat actibus perpetuò occupatus, vt quotiescunquè tentator accederet, quotiescunquè hostis callidus aditum quæreret, clausum semper aduersùm se pectoris ostiũ inueniret. Orabat frequenter, secundùm Apostolum, pro omnibus hominibus, pro regibus & ijs, qui in sublimitate constituti erant, vt quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate & charitate, sciens secundùm eũdem ipsum Apostolum, hoc bonum & acceptum esse coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

1.Tim.2.

Ibidem.

Catalogus virtutum eius. *Cap.* 39.

QVid verò pluribus commemorandis immorer? In omni conuersatione sua quasì Lucifer inter astra refulgens, instàr magnæ lampadis micabat. Semper perfectos æmulabatur ad bonum: semper aliorum virtutes sibi proponebat ad imitandum. Tardus erat ad loquendum, secũdùm Apostolũ, & velox ad audiendum. Sermone subtilis, humilitate sublimis erat, eleemosynis diues, charitate longanimis, vigil in ieiunijs, eloquio promptus, studio flagrans, vtile vas in Christi magna domo, ad miseris præstanda officia impiger, ad orationem paratus, ad tribuendum largissimus, studiosus mansuetudinis, paupertate valdè gaudens, bonitatis tenax, puritatem cordis semper amplectẽs, animum suum Ecclesiasticæ regulæ adeò tradens informandum, vt tametsi adhuc laicus esset, Episcopi iam gratiam abundè adeptus videretur: ità deniquè seipsum priuata disciplina needùm tonsus exercens, vt iam præclarum de se specimen præberet, quàm esset quandoquè in Christi templo sacerdos irrepræhensibilis futurus. O laicum perfectissimum, cuius imitatores esse etiam Episcopi desiderabant. O mentem ab omnibus prædicandam, cui non fuit aliud viuere, nisì Christum cum dilectione timere, & cum timore diligere. O verè felicem seculi inimicum, cui mundus tantoperè fuit crucifixus, & ipse mundo: qui ità sapientia fuit peruigil, lenitate placabilis, vt & serpentis astutiam cum discretione obtineret, & columbæ simplicem animum non amitteret. Cuius quidem in mente, virtutum omnium decorem obtinente, collocauit valdè sobrium sapientia domicilium. Verè dignissimũ, in quo Dominus habitaret, templum, ieiunijs mundatum, orationibus ornatum, puritate conspicuum, vigilijs exercitatum, tum nomine, tum meritis electum. Deniquè dum ille nominis sui dignitatẽ tuetur, sic se quotidiè exerit, vt nequeat amittere, quod vocatur, in Christo Iesu Domino nostro.

Iacob.1.

Christũ timẽdo amat, & amando timet.

Author se excusat, quòd non omnia eius scripserit, promittitq́; librum secundum. *Cap.* 40.

SEd longum nimìs est, virtutum eius insignia singillatim cõmemorare, præsertìm cùm liber iam modum excesserit, finemq́ue postulans, plura non admittat: & ariditas quoquè sermonis nostri attenuata, & veluti longo tramite penè defessa succumbat: non quòd omnia, quæ de Eligio narranda erant, expleuerit: quippè quæ nec ad centesimam eorum, vt ità dixerim, attingere potuit, bonorum & ornamentorum partem, quæ in eum supernæ remunerationis prærogatiua contulit: sed quòd tanquàm eminẽs quidam in sublimi scopulus, magna iam ex parte transmissus, ipsa sua arduitate & longitudine fronti se narrantis opponat. Nunc ergò interìm illa solummodò, quæ in laico habitu gessit, præsenti libello percurrere voluimus: cui etiam finem iam libẽter imponimus, nè eius prolixitate audientibus fastidium ingeramus. Cæterùm ea, quæ adhuc restant, quæque in Episcopatu gessit, quóve ordine de hoc seculo migrârit, quasq; etiam post obitum virtutes operatus sit, si vita comes fuerit, & facultatem Dominus tribuerit, intercessionibus eius sanctitatis adiuti, alio libello explere desideramus. Confidimus enim, non nostris, sed ipsius meritis opus cœptum feliciter atque fideliter ad finem vsque perducere, si ipse dignetur pro nobis Christum Dominum interpellare in cælis, qui eius munere meruit tanta mirabilia operari in terris: per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

Virtutes, dicit miracula.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO AVTHORIS.



Domino propitiante, vitam beati Eligij cõfessoris pridèm aliqua ex parte ordiri cœperam, & penè defessus ac lassabundus, medio in tramite stylum retrahens, opus imperfectum reliquerã. Nunc paululùm viribus recreatis, vrgente voto, corde iucundo, calamoque venusto opus inchoatum prosequi tentabo. Etsi autem arduum est iter & profundum, tamen liberè fateor, quò nõ possum pedibus pertingere, ardẽtissimo ducor amore. Ibo ergò votis, quò non possum verbis accedere. Indignum enim profectò reor, tãti ac talis viri vitam ad posteritatis memoriam pro viribus ingenij non ad plenum literarum monimentis commendare, cùm ego sic opiner, ex narratione rerum ab eo gestarum ædificationis plurimum ad lectores peruenturum. Sed quoniam talia ac tanta sunt facta illius; vt magnitudo quidem bonorum nihil me præterire patiatur, multitudo verò gestorum, quãplurima cogat omittere, in incerto æstuat animus, dum deliberare non valet, quid retineat, quídve omittat. Nam si cuncta velim annotare, & dies me narrantẽ deficiet, & modum excedam voluminis. Porrò autem si pauca commemorem, vereor nè me hypocritæ irrideant, dicantque, Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare: magis etiam offensam antistitis pertimesco, si, dum seriem condere nitor, arctatus eloquij siccitate, potiùs ei iniuriam videar irrogâsse, quàm vitam exposuisse. His igitur ex vtraque parte trutinatis, articulum iam membranis infigam, & quæ primus huius operis liber tanquàm redundans reijcit, hic modò sequens ceu nimiùm sitiens prosequetur: satisque sit, priori libro ea tantùm conscripsisse, quæ in habitu seculari gessit. Nunc verò ad ea accedimus, quæ ab eo sunt in Episcopatu perpetrata.

Authoris ingẽs amor erga virum sanctissimũ.

Luc. 14.

Vt hæresis Simoniaca in Gallijs graßata sit. *Cap.* 1.

Eligius itaque iam antè in palatio militauerat sub habitu seculari, æterno omnium principi Christo, idque temporibus Clotarij mansueti Francorum Regis, & Dagoberti inclyti principis, eiusque filij Clodouei, atque vsque ad initium regni iunioris Clotarij mansit in corpore. Sed illis diebus immaniter Simoniaca hæresis pullulabat in vrbibus, & cunctis finibus regni Francorum, maximeque à temporibus Brunechildis infelicissimæ Reginæ, vsque ad tempora Dagoberti Regis violabat hoc contagium fidem catholicam. Soliciti tamen contra hoc inuigilabant sancti viri Eligius & Audoënus: & communi cum cæteris catholicis viris habito consilio, suggesserunt principi & optimatibus eius, vt hoc mortiferum virus citò extirparetur à corpore Christi, quæ est vniuersalis Ecclesia. Habuit itaque effectum eorum pia petitio, & libenter obtinuerunt, quod deuorè rogauerunt. Tunc ergò placuit omnibus, vno in spiritusancto accepto consilio, simul cum Regis imperio, vt nullus precio dato, ad sacerdotale officium admitteretur: neque eos, qui vt lupi rapaces dando munera, mercanda censebant dona spiritussancti: sed illos potiùs, qui essent boni testimonij viri, & irrepræhensibilis vitæ, ad pontificatûs ministerium eligerent.

Simoniaca hæresis.

Brunechildis infelicissima regina.

Vt S. Eligius ordinatus sit Episcopus. *Cap.* 2.

Exindè igitur elegerunt ob meritum sanctitatis ad sacerdotale officium cunctis bonis operibus præditum sanctum Eligium, iam lumine spiritussancti irradiatum, vt præesset Ecclesiæ Nouiomensi. Decesserant enim eo anno Acharius, eius vrbis antistes. Elegerunt autem cum eo & Audoënum sodalem eius, qui vocabatur Dado, vt præesset Ecclesiæ Rothomagensi. Hoc ergò modo aurificem inuitum detonsum, constituerunt custodem vrbium seu municipiorum, quorum hæc sunt vocabula, Veromanduensis scilicet, quæ est metropolis vrbs: Tornacensis, quæ quondàm regalis fuit ciuitas: Nouiomensis & Flandrensis, Gandensis atque * Corturiacensis. Ob hoc autem vel maximè cum his locis dederunt pastorem, quòd eius regionis incolæ magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinerentur, vanisque superstitionibus satis dediti essent, & tanquàm agrestes feræ nullius salutarem sermonem admitterent. Itaque vir beatus, cùm se nullo modo ab imposito munere excutere posset, nè in vllo à catholica regula de-

S. Eligius creatus Episcopus Nouiomensis.

* Curtracensis

uiare videretur, non se permisit priùs sacerdotem consecrari, quàm sub clericatûs normula, aliqua temporis curricula exegisset. Eo igitur tempore transacto, & Audoëno à partibus transligeritanis reuerso, iamque eo presbytero à domino Deodato * Matascensis vrbis Episcopo ordinato, inito consilio, pariter sub vnius diei articulo Apostolicam benedictionem gratuitò meruerunt eo tempore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrabantur. Conuenientes igitur simul in ciuitate Rothomagensi quartodecimo die mensis tertij, anno tertio Clodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratìs ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rothomago, ille verò Nouiomo. Atque ità Episcopatu suscepto, ad sedem suam remeans, qualem se deincèps, quantumque præstiterit, quis dignè valeat explicare? aut quis tanta verborum copia instructus existat, vel quæ oratio tantæ affluentiæ vbertate redundet, quæ rectè facta eius ità, vt par est, prosequi possit? Idemipse semper robustus, ad virtutis instantiam se * exerens, constantissimè in cœpto proposito perseuerabat. Eadem in corde humilitas, eadem in vultu grauitas erat. Eadem erga pauperes cura, eadem, quæ priùs, solicitudo cernebatur. Eadem dilectio fraterna, eadem mentis constantia ei permanebat: nisi quòd Episcopalis dignitas, quæ alijs pompæ fomentum subministrare solet, ei maius abiectionis studium attulit: & vndè alij ad tempus videntur extolli, indè ampliùs ille humiliari studuit. Erat Christo semper subiectus, deuotione armatus, doctrina præcipuus, pontificatu dignus, humilis in honore recusando, subditus in suscipiendo, exul spontaneus, fide plenissimus, obediens Dei præceptis, credens eius promissis, peregrè locuples, industria solers, in opere docilis, spe longanimis, in colloquio sapiens, prudens in consilio, in corrigendis vitijs vehemens, diligendo ardens, patiens in aduersis, fortis in periculis, in disciplinis mansuetus, in eleemosynis largus, in studijs assiduus, metu mortis solicitus, in timore Dei eximius, in religione magnificus, in exequijs deuotus, misericordia illustris, in disciplina strenuus, excellenti ingenio præditus, iustitia insignis, seueritate terribilis, promptus ad humanitatem & clementiam, ad ignoscendum paratus, humilitate summus, hospitalitate præcipuus, nutritor gregis pijssimus, pastor Ecclesiæ prouidus, dispensator fidelis, moderator insignis, delicta propria cauens, aliena vt sua lugens, plebi salutaria monita adhibens, eamque Christi præcepta docens, proteruos non armis, sed patientia vincens, superbos Christi iugo suauissimo subdens. Semper in obsequijs pauperum, in adhibenda erga peregrinos diligentia infatigabiliter perdurabat, ijsque adeò officiosè inseruiebat, vt nisi quis fundatam in Christo haberet mentem, proculdubiò ignominiosum putaret talia vel æqualibus exhibere, qualia ille perpetìm luridis, infirmis & despicabilibus præstabat. Deniquè omni Episcopali pompa posthabita, populi neglecto agmine, clericorum postposita frequentia, famulantium relictis obsequijs, pauperum semper & captiuorum consuetudine & familiaritate delectabatur. Itaque habebat certum quendam, eumque secretum locum, in quem certis quibusque diebus egenos ac debiles intromittens, ipse vt anteà consueuerat, famulorum more satagens, deuotè eis inseruiebat, squalentia lauans capita, concretam deformemque cæsariem propria manu radens, potum ac cibum singulis prębens. Deindè collato cuilibet munere, & nudis etiam vestitis, humaniter eos dimittebat: illisque ab vna parte exeuntibus, alios, si adessent, ex altera parte intromitti iubebat: ijsque eodem modo seruiens, illos humanissimè refouebat. Nonnunquàm etiamsi turba plurima conflueret, similiter omnibus faciebat. At tamen singulis diebus certo, id est, duodenario, numero comprænensos reficiebat, ipse plerunquè cum eis hora congrua ad vnam mensam pariter conuiuans, ità tamen, vt priùs singulorum manibus aquam funderet, vinumque & panes suis manibus præberet. Sed quid his narrandis diutiùs immoror? Equidem fateor, nunquàm me sic vidisse cuiusquam studia feruere: nusquàm ego in Gallijs eiusmodi opera sic à quoquam actitari audiui. Potest quilibet quodlibet Dei opus arripere, sed aut vix, aut difficilè perpetuò retinere. Hic verò quod semèl proposuit, perpetuò retinuit: quod Deo primùm vouit, nullis mundi negocijs impediri passus est: quod initiò arripuit, ad finem vsque perduxit.

[Margin notes: for. * Matiscon ensis — Dies Rogationum. — Hic author nomen suū prodit. — * exercens — Honor non mutat in eo mores. — Virtutes eius iam Episcopi. — Summa humilitate seruit abiectissimis. — O hominē Dei. — Perseuerantia in bonis]

Qua instantia gregem sibi creditum, ad viam salutis pertraxerit. *Cap.* 3.

Porrò

Porrò autē pastoris cura solicitus, lustrabat vrbes & municipia, circūquaq; sibi commissa. Sed Flandrenses atq; Andouorpenses, Frisones quoquè & * Sueui, & barbari quique, circa maris litora degentes, quos velut in extremis remotos, nullus adhuc prædicationis vomere exarârat, principiò eum hostili animo & auersa mente exceperunt. Postmodùm verò, cùm paulatim per gratiam Christi eis verbum Dei insinuare cœpisset, pars maxima trucis ac barbari populi, relictis idolis, conuersa est ad verum Deum, & Christo subiecta. Sicque demùm factum est, vt quasi cælitùs lumen ostensum, aut radius quidā solis erūpens, totam regionis illius barbariem illustraret. Nam & illi, qui eum primò ceu ferocissimæ bestiæ discerpere cupièrant, posteà attendentes eius bonitatem & mansuetudinem, imitatores eius fieri cupiebant. Quis enim ità esset obstinatus, qui eius modestiam intuens, non confestim admirando obstupesceret? aut quis tam arrogans, qui sobriam eius vitam considerans, non ilicò ad iustitiam sese conuerteret? Crescebat nimirùm in eo quotidiè opinio, virtutis pedisequa. Seminabat in plebem verba veritatis, fructu fidei redundantia, sufficienti sale cōdita, & velut aromaticis vnguentis infusa. Nec erat contenta eius fama circuniectas dūtaxàt illustrare Gallias: sed exteras etiam prouincias complebat, meritorum eius gratia præcurrente. Inter barbarorum enim fremitus, quasi egregius signifer, corporis formidine nudus, sed fidei feruore vestitus, sese ingerebat, Christi charitate securus: aduersantesque sibi fortiter superabat, non lorica corporea amictus, sed fidei virtute indutus. O quotiès ob veritatis assertionem, * paratam habuit mortem: fecissetque satis votis, si sors tulisset temporis. Sed licèt ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloriam tamen martyris non amisit: quandoquidem pro spe æternitatis iugiter laborauit. Quòd si ei Neronianis aut Decianis temporibus in illa, quę tunc extitit, congressione pugnare licuisset, securus dixerim, sponte sua eculeum ascendisset, & vltrò se pro Christo ignibus intulisset, libensque palmam sanguinis occupâsset. Sed quanquàm ista non pertulit, impleuit tamen etiam sine cruore martyriùm, dum fortitudine roboratus, in vigilijs sedulus, in ieiunijs assiduus, fidem seruando, cursum consummando, repositam sibi à Christo iustitiæ coronam, quotidiè reddendam expectauit. Tanquàm speculator à Domino constitutus, prædicabat verbum cum multa authoritate: instabat secundùm Apostolum, opportunè, importunè, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia & doctrina: suauiter semper de ijs, quæ Dei sunt, vel populum instituens & alloquens, vel cum fratribus & familiaribus conferens: in doctrina sua perpetìm Apostolicam retinens authoritatem: eaque fretus, inter gentiles ità versatus est, vt & ferocissimæ gentis paratos haberet animos, & copiosum exercitum ex ijs ad Christi fidem traduceret, & fidei catholicæ intemerata consortia custodiret.

* Suedi

Multos in Flandria & alibi ad fidē traducit.

Nihil timet mortem.

* id est, paratus fuit mori.

2. Tim. 4.

De beati viri virtutibus. Cap. 4.

Sanè si quem vidisset peccatis noxijs vulneratum, & sagittis diaboli cōfixum, mox adhibebat dignas sermonum curationes, & verbi Dei salutaria medicamenta: ostendens contra vulnera tentatoris, salubre malagma confessionis. Si qui inter suos essent incompositis moribus, & à recta atque honesta viuendi regula deflecterent, eos & arguebat clementer, & tolerabat patienter. Erat verò mira eius in cunctis operibus discretio, & imitanda erga omnes dilectio. Erat Eligius opere castus, fide catholicus, charitate diffusus, in tētationibus cautus, in fide firmissimus, in bonis operibus prōptus, sermone verissimus, consilio prouidus, bonitate conspicuus, charitate præclarus, Deo sedulè seruiens, errantes corrigens, correctos fouens, obstinatos spernens, humiles semper diligens. Exuberabat in eo constantia fidei, puritas dilectionis, synceritas pacis, amor charitatis. Ad æternam capessendam vitam filios suos, quos doctrina sua in Christo genuerat, perpetìm incitabat. Quos autem sermone erudiebat, eos exemplo anteuertebat, quæ docebat faciens, & quæ faciebat docens: nec aliud ore promens, aliud animo volens: sed quod ore docebat, opere confirmabat. Qualis eius sermo erat, talis & vita: & qualis vita, talis quoquè sermo. Summa bonitate regebat subditos, summa seueritate seipsum damnabat. Non erat terribilis erga subiectos, sed valdè seuerus in vitia & piacula. In se censuram seruabat, erga alios præ se iustitiam ferebat. Rigore vtebatur in iustitiæ discussione: misericordia, in iustitiæ definitione. Ipsam autem districtionis censurā semper temperabat misericordia, sciens scriptum, quia in eo quod quis iudi-

Erga peccatis sauciós vt se gesserit.

Summatim recensentur virtutes ei*.

Optimi doctoris exemplum.

Matt. 7.

Sap.6. Ibidem.

iudicat, iudicandus sit, & quòd potentes potenter tormenta patientur, & quòd iudicium fiet durissimum in his, qui præsunt. Hæc ergò sedula mente pertractans, in omni actione discretionem tenuit, nec in vllo penitùs immoderatè se gessit: sed omnia diligenter dispiciens atque distinguens, & in disciplina, & in misericordia modum semper atque temperamentum seruauit.

De cœnobio monialium Nouiomi condito. Cap. 5.

Condit monasterium virginum.

EXtruxit quoquè in oppido Nouiomensi ancillarum Christi monasteriũ, cui magnam congregationem, & vitæ seueram institutionem adhibuit. Terræ quoquè redditus sufficienter delegauit, & omnia, quæ essent illi necessaria, solerti satìs cura prouidit. Sed & alia multa monasteria, partìm eius opere, partìm institutione à discipulis eius constructa, hodiè intra Gallias nota sunt. Multi enim ex discipulis eius ecclesias condiderunt, multi monasteria salubriter rexerunt: non pauci etiam ad Episcopale regimen sublimati, Ecclesijs præfuerunt.

Vt multa sanctorum corpora, & in ijs sancti Quintini, repererit. Cap. 6.

Hæc eadem S. Quintini translatio habetur ferè ad verbũ vltima Octobris Tõ. quinto.

HVic viro sanctissimo inter cætera virtutũ suarum miracula id etiam à Domino concessum fuit, vt sanctorum martyrum corpora, quę per tot secula hactenùs à populo ignorabantur, eo ingẽti fidei ardore inuestigãte, reperta sint. Nonnulla enim plebs anteà venerabatur ijs in locis, in quibus non erant, & tamen quo loco humata essent, prorsùs incompertum habebatur. Ex eo autem tempore, quo Eligius pontifex consecratus, & pastor datus est, quædam ab illo inuenta, & populo declarata sunt. E quibus primum ac summum martyrem sanctum Quintinum, in principio Episcopatûs sui grandi instantia quæsitum, iam olim latentem, in lucem produxit. Deniquè priusquàm Eligius illi loco datus esset Episcopus, vir quidam improbus, Maurinus nomine, habitu quidem, vt populis videbatur, religiosus, cantor etiam in Regis palatio celebris, atq; ex hoc, vt rei docuit exitus, mente tumidus, corde proteruus atque actione dissipatus. Qui audacia suæ præsumptionis deceptus, cœpit verbis extollere & iactitare, à se martyris Quintini corpus & inquiri posse, & inueniri. Sed vt & eius proteruiam ilicò, & Eligij demùm merita Dominus declararet, mox vt terrã sarculo fodere cœpit, manubriũ fossorij manibus eius inhæsit. Sicq; miser opus præsumptũ relinquens, sequenti die in manibus eius vermibus ebullientibus, miserabiliter expirauit. Ex quo factus tantus timor extitit in populo, vt nullus deincèps, quanuìs probabilis vitæ, præter Eligium huiusmodi negociũ auderet appetere. Eligius ergò cura pastorali suscepta, statìm in exordio suæ ordinationis cœpit assiduus esse in loco illo. Est enim haud procùl ab vrbe Veromandensi, in eo scilicet loco, vbì quondàm martyr ex fluuio eleuatus ab Eusebia, in mõte fuerat tumulatus. Eligius itaq; diuino nutu instigatus, volebat in animo, sed & liberè proclamabat in populo, nõ illic haberi corpus, quo in loco illud venerabãtur homines, sed esse potiùs in parte vlteriori. Cumq; diù huiusmodi * conditio mentẽ eius stimularet, cœpit tandèm sagaci inquisitione per basilicæ pauimentum huc illucq; tentare, sicubì sacratum tumulũ posset depræhẽdere. Sed cùm nullatenùs indiciũ tumuli reperiret, cœpit à fratribus destitui, prosequẽtibus cum timore interitum illius, qui dudùm huiusmodi inuestigationẽ superba mente concipiens, lugubri morte vitam finîsset. Necnon & antiquitatem corporis, longinquitate iam temporis consumpti, atque ad nihilum in puluerem redacti obijcientes, conabantur eum à cœpto mentis proposito reuocare. Cumq; ei eiusmodi impedimẽta à fratribus obijcerentur, altiùs ille ingemiscens, aiebat: Nolite fratres, quæso, nolite impedire deuotionem meam. Nam ego credo in creatorem meum, quòd tanto thesauro, tantumque mihi desiderato, haudquaquàm me fraudabit. Tunc ergò attentiùs persistens, suscepit triduanum ieiunium, atque enixiùs Christi Domini diuinitatem cum lachrymis exorans, vouit non se priùs quicquam alimoniæ sumpturum, quàm mereretur voto potiri suo. Tanta nanque erat ei fides, tantaq; constantia, vt plerunquè sic facienda præueniret, tanquàm iam facta crederet, & nonnunquàm ità cum Deo, quemadmodùm cum terreno suo loqueretur domino: quodq; ipse proposuisset, id à Deo completũ iri crederet indubitanter. Vndè etiam multis cũ dehortantibus, dicebat: Tu Domine Iesu, qui omnia nôsti, priusquàm fiant, tu scis, quòd nisì manifestum mihi ostenderis corpus huius testis tui, qui propter nomen sanctũ tuũ passus est, quanquàm sum indignus, nũquàm tamen dein-

Maurini cuiusdam arrogantia & temeritas

Diuinitùs punitur.

for.* cogitatio

Obserua sancti viri constantiã in inuestigando corpore S. Quintini.

Dan. 9.

deincèps plebis huius Episcopatum geram: sed exul potiùs ab hac prouincia procul secedam, vbi, vt dignum est, inter bestias moriar. Quid multa? In cœpto opere persistens, cùm adiutores eius per diuersa ecclesiæ loca tentando discurrerēt, nullamque inueniendi spem caperent, leniter ille omnes compescens, vnum eis locum, de quo nulla esse suspicio poterat, in posteriori ecclesiæ parte effodiendum designat. Tunc omnium labore eò conuerso, libenter iussis cuncti obtemperant. Defossaque iam in altum ad pedes decem vel eo ampliùs terra, iterùm spe inueniendi corporis destituuntur. Et cùm tertia iam nox media fluxisset, arrepto Eligius sarculo, reiectoque amphibalo, cœpit totis viribus cum cereis & lampadibus terram sanctis fodere manibus. Cumque paululùm ima fossæ declinans, in latus cauernæ humum fodere cœpisset, mox reperit tumbam sanè veterrimam, tegentem corpus sacratum. Tum verò gaudio magno repletus, cùm sarculo, quod manu gestabat, auidissimè latus ferisset sepulcri, confestim forata tumba, tanta odoris fragrantia cum immenso lumine ex eo manauit, vt etiam ipse sanctus Eligius fulgore luminis, odoreque inenarrabili perculsus, vix subsistere posset. Nā & globus splendoris, qui ex tumulo ad ictum ferientis processit, tantam vim sparsit claritatis suæ, vt cunctorum adstantium obtutibus oculorum retusis, partem maximam regionis illius in diei claritatem mùtaret. Vndè omnes, quos eadem hora vigilare contigerat, quique rei causam ignorabant, magnum quoddam cælitùs datum signum existimabant. Erat enim transacta media nox, & nox quidem obscura valdè & caliginosa: sed procedente fulgore, quasi lux diei ad tempus resplenduit, & in tempore claritas recessit. Tunc ergò sacrum inuentum corpus Eligius cum gaudio lachrymans exosculatur, ac de profunda tellure eodem eleuato, reliquias sibi, vndecunquè concupiuit, segregauit. Dentes etiam pro languētium medela ex maxilla sancta abstulit, atque ex radice dentis gutta sanguinis exiuit. Clauos quoquè miræ magnitudinis, quos tempore passionis eius persecutores corpori infixerant, ex cerebro cæterisque artubus abstractos, sibi pro reliquijs sequestrauit. Capillos etiam pulcherrimos in reliquias separatos delegauit. Deindè holoserico preciosissimo obuolutum, compositumque honestissimè corpus summa cum diligentia retrò altare transposuit. Tumbam deniquè ex auro argentoque & gemmis miro opere desupèr fabricauit: ecclesiam quoquè, quæ exigua conuentibus populi videbatur, eximio opificio ampliatam decorauit. Ipse demùm ex reliquijs, quas à sancto corpore sequestrauerat, multa loca condiuit, multimodamque medelā diuersis ęgritudinum * incommodis easdem impertiendo præbuit.

Inuenit corpus S. Quintini.

Ecce quomodo cohonestet Deus martyris sui reliquias.

Præclarum sanè miraculum.

Nota thecā preciosissimam.

*morbis

De reperto S. Piatone, alijsq; sanctis. Cap. 7.

POst hęc simili modo grandi labore atque instātia inuenit in territorio Medenatensi, vico Siclinio, sanctū martyrem Piatonem. Cui similiter clauos oblongos ex corpore ablatos, populis in argumentum monstrauit. Corpus deniquè, sicut martyrem decuit, accuratè composuit, atque mausoleum desupèr eleganter fabricauit. In Suessionum quoquè ciuitate sanctos martyres & germanos Crispinum & Crispinianum, ex quadā crypta prolatos, mirificè composuit, eorumque memoriam insigni ornamento decorauit. Nec non & in Bellouacensi municipio beatum martyrem Lucianum, collegam quondàm S. Quintini, inuentum similiter composuit & fabricauit. Sed & alijs permultis Sanctorum memorijs impendit diligentiam, quæ nunc non sufficit narrantis explicare lingua.

Inuenit S. Piatonis corpus.

Itèm S. Luciani.

Quos labores apud Gentiles exantlârit. Cap. 8.

MVltùm præterea in Flandris laborauit, iugi instantia * Andouerpis decertauit, multos erroribus implicatos Sueuos cōuertit, fana aliquot profana, Christi clypeo protectus, Apostolica authoritate destruxit: idolatriam quoquè diuersi generis vbicunquè comperit, funditùs euertit. Inter hæc autem cùm sobriam semper religiosis viribus teneret disciplinā, frequenter ab ingrato ac perfido populo lacessitus, & penè vsque ad contumeliam prouocatus, nullatenùs à cœpta doctrina retardatus est, sed magìs etiam lenis, patiens, humilis & mitis, pro eis Dominum deprecabatur. Cumque circunquaquè rura lustraret, inenarrabili subtilitate desides barbarorum animos, & minùs de se solicitos, solerti sanè studio verbis blandis nitebatur stimulare, atque ad amorem supernæ patriæ accendere, prædicans infestis pacem, ferocibus lenitatem: docens eos pariter

*al. Antuerpiæ

Vt barbaros tractârit.

pariter debere ad ecclesiam conuenire, monasteria construere, atque in bonis actibus Deo sedulè seruire. Ad quas eius adhortationes ità plerique barbari mutati sunt, vt subitò in arido & squalenti agro videretur fœcunda seges & vberrima messis existere. Videres complures ad pœnitentiam currere, opes pauperibus elargiri, libertate familiam donare, aliaque plurima bonorum operum studia sectari. O quàm multi, Eligij industria ab errore gentilitatis retracti, Christi venerabili coniuncti sunt gregi. Quàm multi, eius exempla secuti, omnes mundi illecebras respuentes, beatam monachorum vitam adepti sunt. Quàm multæ puellæ, eo suadente, carnales nuptias spreuerunt, vt in matris Ecclesiæ gremium receptæ, Christi dignæ sponsæ haberentur. Quàm copiosum etiam agmen vtriusque sexûs, quod toto anno acquirere poterat, annis singulis in Paschali solennitate manibus proprijs baptizans, sacro fonte abluebat? Extrahebat enim non minùs suauiter, quàm vtiliter, è faucibus inimici viros & mulieres, senes cum iunioribus, salubriaque monita assiduè tradens, innumeros ad viam salutis traducebat. Videres plerunquè inter multas infantium turbas, anus decrepita valdè ætate, membris omnibus trementes, cano iam capite, rugata fronte: necnon viros æquè grandæuos, sub eius manibus in sacro fonte renasci, & subitò albis indutos, quodammodò renouari. Videres etiam nonnullos ad piam confessionem concurrentes, & sagittis inimici saucios, ità ab Eligio, veluti aptissimo medico, redire sanos, vt nulla iam in eis vulnera remanerent, nullaque prioris culpæ eos delectatio comitaretur. Sed quid diutiùs immoror? Manifestè ei & euidenter aderat diuina gratia, qua innumeros ad imitationem suî prouocauit. Porrò resplendebant in eo virtutes eximiè, modestia cum verecundia, sapientia cum simplicitate, seueritas cum mansuetudine, doctrina cum humilitate, humilitas cum rigore. Cùm esset autem alijs misericors, sibijpsi erat durissimus: cæteris humanus, sibi abstinendo seuerus: omnibus largus, sibi soli parcus. Inter eius colloquia, sacra semper resonabant verba: de pace solicitus, de salute patriæ curiosus, die noctuque pro quiete Ecclesiarum, quæ vbiquè sunt, ac pro pace principum supplicabat. Deniquè cum vocabulo illius, & virtus animi, & cælestium gratiarum magnificentia concordabat.

Ingens fructus adhortationum eius.

A se conuersos proprijs manibus baptizat.

Sibijpsi durissimus est.

De dotibus & virtutibus eius. Cap. 9.

QVis verò abundantiam & copiam rigantis ingenij, aliaque eius bona explicare queat? quàm fuerit in timore Dei fundatus, in disserendo prouidus, consilio profundus, in rebus seculi siue politicis eloquens, in virtute humilitatis mirabilis, astutus iuxta prophetam, & prudens, columbę simplicitatem non amittens? O venerabilem Christi sacerdotem. O imitandum virum pietate, misericordia & charitate: quæ cùm quotidiè etiam in perfectis frigescat, in eo tamen vsque ad finem aucta, in dies perseuerauit. Quis eius mansuetudinem, quis puritatem, quis spiritûs feruorem, quis discretionem, quis benignitatem, quis iugem in præceptis Domini die ac nocte meditationem verbis consequi possit? Quis illo, in opere Dei promptior, in oratione feruentior, in sobrietate parcior, in lachrymarum copia redundantior, in corpore honestior, in corde syncerior, in mansuetudine moderatior, in compunctione ardentior, in charitate iucundior facilè potuit inueniri?

Prou. 15.

Die ac nocte in mandatis Dei sui meditatur.

Rursùs de quibusdam eius virtutibus. Cap. 10.

PRæcipuas deniquè virtutes, quæ possunt hominem ad veræ celsitudinis honorem euehere, putà, prudentiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiam, inter se aptas atque connexas, sibique mutuò cohærentes ità excoluit, vt penè in singulis excelleret. Habuit prudentiam in discernendo, iustitiam in iudicando, in arrepto proposito fortitudinem, in qualitate discretionis temperantiam. Quid enim eo prudentius, qui contempta mundi stultitia, Christum secutus est, Dei virtutem & Dei sapientiam? Quid iustius, qui omni substantia sua in pauperes distributa, docuit diuitias pro Christi amore penitùs contemnendas? Quid fortius, qui in Francorum proterua gente, & inter barbaras nationes, arrogantiumque probrosas contumelias, spiritu semper & animo inuicto fuit? Quid temperantius, qui nobilium spreta felicitate, mâluit in humilioribus tuto gressu pergere, quàm pendulo gradu in sublimibus fluctuare? Magnoperè enim concupiuit inter homines esse inglorius, vt coram Deo apparéret gloriosus: menteque in

Eius prudentia.

1. Cor. 1.

Iustitia.

Fortitudo.

Tēperantia

in Christo benè fundata, cælestia potiùs, quàm terrena desiderans, humana studiosè contempsit oblectamenta, vt posset diuinam in cælestibus obtinere consolationem. Inter huiusmodi itaque institutionis exercitia, vir beatus ex dono sancti spiritûs virtutum insignia operabatur.

De curato dæmoniaco. Cap. 11.

CAusa quandoquè extitit, quę eum cogeret in eam proficisci regionem, quę propriè Prouincia nuncupatur. Cumque die quodam cum nobili suo comitatu eius Prouincię regiones peragraret, occurrit ei vir quidã, immundo & nimis sæuo repletus spiritu. Is cùm vidisset sanctum virum, timore perculsus, & spumans ac pallens, dixit ad eum: Quid hic tu Eligi? Conuersus ad eum S. Eligius, Quid ad te, inquit, immundissime diabole? In nomine Iesu Christi obmutesce, & exi ab illo. Et continuò vehementer discerpens hominem, exijt ab eo. Quindecim verò annis obsederat & cruciauerat virum pessimus ille spiritus. Statìm ergò pristinæ sanitati restitutus homo, surrexit incolumis. Cogit dæmonẽ confestim exire ab homine.

De sanata dæmoniaca. Cap. 12.

PRofectus indè Eligius, venit in villam, quæ Ampucius vocatur, sitaque est in ripa Rhodani fluminis, pertinetque ad prædium Erchenberti illustrissimi viri. Erat autem ibì fœmina quædam, infestum diù dæmonem patiens. Eo ergò in loco Eligius orationis gratia basilicam ingressus, cùm oratione completa regrederetur, occurrens ei mulier, cœpit nomen eius crebriùs atque insolentiùs inclamitare. Tunc Eligius eam respiciens, misertus eius, fixis in terram genibus, orauit. Deindè conuersus ad eam, dixit: Adiuro te, maligne spiritus, per Deum patrem omnipotentem, & per Iesum Christum filium eius, & per spiritum sanctum paracletum, vt ipsius virtute fugatus, discedas ab hoc vasculo, quod captiuum obsides. Mox ad eius verbum elisit malignus spiritus mulierem in terram, & facta est velut mortua. Sicque vim maximam patiens dæmon, & sanguinem per os mulieris ex internis visceribus egerens, confusus exijt ab ea, aufugitque à facie hominis Dei. Sanctus autem Eligius iussit subleuari mulierem: & cùm benedixisset aquam cum oleo, bibendam ei obtulit. Illa vbi gustauit, refocillata est anima eius, & sana facta est ex ea hora. Sanat dæmoniacam.

Vt furtum indicârit. Cap. 13.

NEque illud prætereundum puto, quanuis sit humile, quod eodem itinere vir beatus spiritu cognouit. Cùm iam satis ea omnia, quorum causa aduenerat, expedijsset, cunctosq; amicos & Episcopos Prouinciæ visitâsset, domumque Aspasij, qui filius erat Iunini Christianissimi viri, inuisisset, cum omnibus suis parabat remeare ad propria. Postremò autem omnium, vbì Aureliano * Vsecensi Episcopo, conuiuio peracto, valedicere instituit, accidit vt vtriusque famulis satagentibus, vnus ex ministris eius perderet rem quandam, qua camelum onerarium semper ducere solebat, eaque causa huc illucque cursitans, iter eius retardaret. Tunc Eligius illi ad se secretiùs accito indicat hominem, qui furtum fecerat, additque: Vade ad rupem propinquam, atque illic inter vepres reperies absconsum & ligatum id, quod quæris: solutoque eo, accipe quod tuum est, & absque vlla iniuria vel verbo aspero redde homini tibi designato ligamẽ illius. Quod cùm ille fecisset, nimio fur pudore atque stupore perculsus, veniam facti sui precabatur, offerens etiam satisfactionem homini. *Vticensi Indicat locum ablatæ rei.

Vt deindè se gesserit, domum reuersus. Cap. 14.

POst hæc Eligius ad vrbem propriam regressus, institutionis suæ normam in dies in melius prouehebat: diligens inprimìs Deum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute sua: deindè proximum sicut seipsum. In lege Domini sine lassitudine permanens, mores bonos nulla noxia conuersatione inquinabat. Vitam temporalem pro exilio ducens, vitam æternam toto mentis desiderio suspirabat. Actus vitæ suæ omni hora custodiens, oculum mentis suæ semper in Deum defixum habebat. Ab omnibus, quæ lex vetat, solerti cura abstinens, à cogitationibus quoquè noxijs animum reuocabat, sciens hominem etiam cogitationum suarum rationem redditurum. Nihil de se præsumens, nihilque boni sibi tribuens, bona à se facta diuino muneri adscribebat. Odientes ad pacem, discordes ad concordiam reuocabat. Consilium & opus suum semper ad Deum refe- Pertexit generatim virtutes eius. Esa. 66.

Esa.52. rens, in omni conatu suo Christi auxilium flagitabat. Pedes eius semper directi ad euangelizandum pacem, ad euangelizãdum bona. Honesta specie, animo benigno
Luc.12. incedebat, & sicut fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum tempore opportuno, populum sibi commissum modis omnibus curabat spiritali reficere alimonia, comiter docẽs, optimè instruens, à peccandi consuetudine tota virtute omnes retrahere nitens. Erat feruens spiritu, solicitudine non piger, spectatis moribus, ornatus operibus, omnique suauitate conspicuus. In oratione assiduus, in ieiunijs strenuus, in eleemosynis largus. Porrò
Inter diuites & pauperes vt se gesserit. inter diuites & pauperes ità se medium gerebat, vt pauperes cum patris, diuites superioris loco haberent. Ille verò non personæ potentiam, sed morum elegantiam attendebat: tantoque vnicuique plus habebat honoris, quanto cum sanctiùs viuere didicisset. Erga egenos & aduenas adeò se solicitum exhibebat, vt verè Christum in eis esse, fide integra crederet: atque ità non tam illis, quàm ipsi Christo, quicquid in eos conferret, se præstitisse lætaretur. Ipsis quidem præbebat cibum, sed oculis cęlum suspiciebat. Ipsis dabat alimenta, sed Christum cum fiducia inuocabat. Manus & brachia porrigebat dando, at mercedem proculdubiò è cælis expectabat. Quantam ille facultatum vim & molem Christi amore ardens dispersierit, non me vnum necessè est dicere. Quod enim monasterium non eius penetrauit eleemosyna? aut quis clericus non eius substantia refocillatus est? Quis peregrinus nõ eius receptus hospitio est? quibus aduenis non suum impendit obsequium? quos ille curiosissimè locis omnibus perquirens, damnum suum putabat, si quisquam debilis aut esuriens, alterius beneficio sustentaretur. Ardentissima quippè fide Saluatori toto animo coniunctus, reddebat ei, quod ab illo acceperat: atque in singulis eius famulis Christum se videre credens, quicquid in illos contulisset, Deo se præstitisse
Matt.5. gratulabatur: illud semper animo reuoluens, quod Dominus in Euangelio ait: Be-
Eccli.3. ati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. & illud: Sicut aqua
Luc.16. extinguit ignem, ità eleemosyna extinguit peccatum. & illud: Facite vobis amicos
Luc.11. de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula. &, Date eleemosynam, & eccè omnia munda sunt vobis. Huiusmodi ergò studijs intentum Eligium, diuina gratia vberiùs comitabatur.

Vt patriam reuisens, apud Bituriges reos è carcere liberârit. *Cap. 15.*

VEnit ei aliquandò in mentem affectu pietatis & cura pastorali solicito, solum paternæ possessionis in ciuitate Lemouicina, reuisere. Audiẽs enim sanctam famam monasteriorum, ipsius iam exemplo in ea vrbe conditorum, desiderabat magnoperè suis ea oculis intueri, maximè verò monasterij sui venerabilem atque omnibus imitandã institutionem. Cùm autem in ipso itinere Biturigum ciuitati propinquaret, comitibus suis antecedere iussis, ipse cum paucis statuit apud memoriam S. Sulpitij confessoris adorare. Quò cùm peruenisset, oratione facta, audit cõplures nupèr mortis sententia damnatos, in fiscali carcere vinctos teneri. Interfecerãt enim quendã fiscalem iudicẽ, & ea causa in vincu-
Matt.25. lis habebantur. Eligius ergò memor Christi dicẽtis, In carcere erã, & venistis ad me.
Ibidem. &, Quãdiù vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: rogat se duci ad eos. Sed cùm appropinquâsset custodijs, milites cõfestim exurgẽtes, valdè ei obstiterũt, nec per-
Indignatur ex iustitiæ zelo vir pius. miserũt eũ propiùs accedere. Tunc ille mœstus admodùm, indignatusq; animo recessit, & cœptũ peregit iter. Vbi autem ad destinatũ peruenit locũ, commoratus est aliquãdiù apud Lemouices, inuisensq; omnia monasteria, tam intra vrbem, quàm in suburbanis sita, deuotissimè omniũ benedictiones hauriebat. Visitatis etiã in suo monasterio fratribus, & secũdo eius Abbate, (primus enim ad Episcopatum raptus erat) paterna singulos solicitudine admonebat, hortans omnes seruire Deo in veritate & simplicitate cordis, quotidieq; in melius ꝓficere, arreptũ propositũ omni instantia ad finẽ vsq; perducere. Venit aũt & ad prædiũ parentũ suorum. Nam & ibi
Alitius frater S. Eligij. habebatur iã monasteriũ, à germano eius Alitio in ipsa paterna domo cõstructum. Ibiq; similiter salutatis fratribus, & comiter cõsolatis, ad ciuitatẽ suam reditum parat: cumq; haud procùl Biturigibus iter carperet, voluit iterùm diuertere ad ciuitatẽ. Stimulabat enim animũ eius, quòd reos, qui tenebantur in carcere, nihil antè inuisset, nec eos liberare potuisset. Itaq; iter agẽs, precabatur Dominũ, vt adito carcere, non pateretur laborem suũ frustrà cõsumi. Qua aũt die ingressurus erat ciuitatem, cùm valdè diluculò leuâsset oculos suos ad cælũ, facta est caligo & nebula

tene-

tenebrosa nimis, ità vt habitatores ciuitatis ad spatium iacti lapidis cernere non possent. Sic ergò Eligius vrbē ingressus, cùm appropinquâsset ianuis carceris, confestim ceu magno ferientis impulsu, diuino nutu confractæ sunt seræ, dissipati cardines, ostia carceris patefacta, omniaq; compeditorum vincula soluta. Tunc Eligius concessam sibi virtutem quasi nihil ad se pertinere simulans, citò à carcere recedit: dat tamen reis consilium, vt mox indè exeuntes, ad ecclesiam confugiāt. Tum illi egressi sine mora, celeri cursu ad basilicam beati Sulpitij properant. Vbi cùm omnia essent ecclesiæ ostia obserata, & rei hinc indè circunspicientes, nusquàm inuenirent introitum, subitò fracta est fenestra vitrea, vna ex maximis, quæ erant in fronte basilicæ: simulq; ostium vnum in ecclesiæ latere patefactum est: atq; ità illi in basilicam ingressi, altaris thronū petiêrunt. Cumque sanctus Eligius omnia sanctorum loca inuisens, eò peruenisset, inuenit eos omnes circa altare, seu apud sepulcrum iam dicti antistitis consistentes. Porrò milites vt viderunt carcerem dissipatum, statìm persecuti sunt eos vsq; ad locum memoratum: ingressiq; basilicam, iniecerunt eis manus, ac ferro vinctos, foràs trahere conabantur. Quos beatus Eligius blandè compellans, Nolite, inquit, homines Dei, nolite sic in loco sacro agere. Cur eos perdere nitimini, quos iam pius Dominus liberauit? Quarè facitis tam impiè in domo Dei? Cur non pertimescitis tanti sceleris culpam? Domus hæc, non mortis, sed vitæ domus est. Refugium est delinquentium, non damnatio euadentium. Orationis est locus, non latronum specus. Sed cùm nihil apud eos sermo eius proficeret, iterùm ait: Dominus Deus videat id, quod facitis. Vos quidem me audire non vultis, sed audiet (credo) ille, qui nunquàm derelinquit sperantes in se. Mox ergò ad solita præsidia se conuertens, prostrauit se in terram inter altare & confessoris memoriam, atq; enixiùs Domino supplicauit. Et cùm ab oratione caput eleuâsset, statìm confractæ catenæ in terram ceciderunt, cunctaque quæ eis imposita erant ligamina, omnibus adstantibus magno sunt impetu dirupta ac dissoluta. Quod milites videntes, ingenti metu perculsi, moxque ad pedes sancti Eligij prouoluti, veniam facti sui precabantur, dicentes: Peccauimus, domine pater, iniquè egimus, stultè gessimus, quòd contra te contendere ausi sumus. Agnoscimus modò culpam nostram: impietati nostræ petimus vt ignoscas. Tum ille: Et ego, inquit, ignoranter vos fecisse nóui. Dominus autem fecit, sicut ipse voluit. Et ille ergò, qui hos eripuit, vobis (oro) tribuat indulgentiam, & à cunctis vos peccatis propitiatus absoluat. Non enim ego, sicut vos putatis, sed sanctus Sulpitius ad se fugientes defendit reos. Hoc ergò modo Eligius, immò Dominus per Eligium, absoluit reos à diræ mortis periculo. Ille pius, ille misericors, qui sæuiente Herode, eripuit Petrum de obseratis militum custodijs, nunc operatus est cum Eligio famulo suo apud Bituriges. Qui vinctum in carcere absoluit vas electionis Paulum, ipse nunc dissipato carcere, humiliauit arrogantiam superborum. Illi ergò laus, illi gloria, per quem serui eius in mundo tanta possunt facere mirabilia. Sic ergò reis absolutis, qui penè nudi videbantur, Eligius vestes & eleemosynam præstitit, mandauitque vt decæterò vitam corrigerent. Multam verò eodem die diuersis alijs pauperibus & monasterijs pecuniam distribuit.

Diuinitùs fores carceris patefiūt, & captiui recedunt.

Nota aliud miraculum.

En tertium miraculum.

Act. 12.

Act. 16.

Quæ pro concione ad populum dicere consueuerit. *Cap.* 16.

INdè autem digressus, cœpto tramite pergens, peruénit tandèm ad suos: vbì diebus singulis plebem sibi commissam admonēs, indefessus salutares eis adhortationes adhibebat. Nimirùm zelo veritatis accensus, volebat populis pandere, quid ipse intemerata fide teneret, mandans omnibus seruire Deo in veritate, facere iustitiam in omni tempore, memores esse beneficiorum Christi, & benedicere nomen eius cunctis diebus vitæ suæ. Collectis autem vndiquè ad ecclesiam turbis, multa quidem & magna breui sermone compræhensa, sed spiritali ædificatione copiosa, cum prophetica fidutia exaltans vocem, hunc in modum proponere solebat: Rogo vos, fratres charissimi, & cum grandi humilitate admoneo, vt intentis animis auscultare velitis, quæ vobis pro salute vestra suggerere volo. Scit enim omnipotens Dominus, quòd prompta erga vos charitate ista vobis profero: Quod si non fecero, proculdubiò reus debiti tenebor. Vos ergò non pro mea paruitate, sed pro vestra, quæ dico, salute libenter suscipite: ità duntaxàt, vt quę aure percipitis, opere compleatis: vt & ego de meo obsequio, & de vestro profectu merear vobiscum gaudere in cælesti regno. Si cui fortè displicet, quòd tam frequenter

Vtinā plerique concionatores in suis concionibus hunc sanctū virū imitarētur.

vobis prædico: rogo, non mihi ille molestus existat, sed magìs periculũ meũ considerct,& audiat Dominũ, per prophetã terribiliter sacerdoti comminantem: Si dicente me,inquit,ad impiũ, Morte morieris: non annunciaueris ei,ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio,& ille non fuerit conuersus ab impietate sua: ipse quidem in impietate sua morietur,tu autem animam tuam liberâsti. itemq; illud: Clama, nè cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum. Cõsiderate ergò,fratres,quia oportet me sine cessatione vestros animos ad timendum Dei iudiciũ,& ad desideranda cælestia prẽmia excitare: vt vobiscum pariter merear in Angelorũ consortio perpetua pace gaudere. Ideoq; rogo,vt diẽ iudicij semper pertimescatis,diẽ mortis suspectũ quotidiè ante oculos habeatis.Cogitate quales eritis præsentandi cõspectibus Angelorũ,vel qualem pro meritis vicẽ recepturi: an possitis in illo die illibatum referre,quod in baptismo promisistis.Meminisse enim debetis,quia tunc pactũ cum Deo fecistis, atq; diabolo & omnibus operibus eius abrenũciâstis.Qui tũc potuit,per seipsum & pro seipso sic respondit.Qui verò non potuit,fideiussor pro eo eius vice hæc Deo promisit,ille videlicet,qui eũ de sacro fonte suscepit. Considerate iam,quale cum Deo pactũ inijstis, & vosipsos explorate,num post hanc promissionẽ opera maligni dæmonis, cui abrenũciâstis, secuti sitis. Abrenũciâstis diabolo,& omnibus operibus & põpis eius, id est, idôlis, sortibus,augurijs,furtis,fraudibus,fornicationibus,ebrietatibus & mendacijs: quæ planè sunt opera & pompæ illius.Contrà verò dixistis,credere vos in Deũ patrem omnipotentem,& in Iesum Christum filium eius vnicum,Dominũ nostrum,conceptum de spiritusancto, natũ ex Maria virgine,passum sub Pontio Pilato, qui tertia die resurrexit à mortuis,ascendit ad cęlos. Dixistis quoq; credere vos in spiritũsanctum, sanctã Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem,remissionem peccatorum,carnis resurrectionem,& vitam ęternam.Hæc proculdubiò cautio & confessio vestra semper manet apud Deũ. Quapropter moneo vos, charissimi, vt hæc confessio & promissio vestra semper memoria retineatur,vt hoc quòd Christiani vocamini,non ad iudicium vobis sit,sed ad remedium.Nam idcircò Christiani facti estis,vt semper Christiani opera faciatis,id est,vt castitatem ametis, luxuriam & ebrietatem fugiatis, humilitatem sectemini, superbiam detestemini: quia Dominus Christus humilitatem & exemplis ostendit,& verbis docuit, dicens: Discite à me,quia mitis sum & humilis corde,& inuenietis requiem animabus vestris. Inuidiam respuatis, charitatem mutuam conseruetis,semper de futuro seculo & æterna beatitudine cogitetis, ac plùs pro anima,quàm pro corpore laboretis. Caro enim breui tempore erit in hoc mundo: anima verò,si benè egerit, sine fine regnabit in cælo: si malè egerit,sine misericordia ardebit in inferno.Quisquis autem non cogitat,nisi de hac vita,brutis animalibus & bestijs similis est.

Ezech.3. & 33. — Esa.58. — Extrema semper metuenda. — Vtinã hoc pactũ homines seriò cogitarent. — Christiani cur facti simus. — Matt.11.

Non sufficit vobis,charissimi, quòd Christiani appellamini, si opera Christiani non facitis. Illi enim prodest Christianũ nomẽ,qui semper Christi pręcepta & mente & corpore perficit, qui furtũ non facit,qui falsum testimoniũ non dicit,qui nec mẽtitur,nec peierat,qui adulteriũ non cõmittit,qui nullũ hominẽ odit,sed omnes sicut seipsum diligit,qui inimicis suis malũ non reddit,sed magìs pro eis orat: qui lites nõ concitat,sed discordes reuocat ad concordiã.Hæc enim præcepta ipse Dominus Christus per semetipsum dignatus est in Euãgelijs tradere, ità dicens: Non homicidiũ facies,nõ adulterabis,nõ facies furtũ,non falsum testimoniũ dices,non periurabis,& fraudẽ nè feceris: honora patrem tuũ & matrem,& dilige proximum tuum sicut teipsum. &,Quodcunq; vultis,vt faciãt vobis homines, & vos facite eis. Hæc est enim lex & prophetæ. Et adhuc his maiora,sed valdè fortia atq; fructifera dedit mãdata,dicẽs: Diligite inimicos vestros,benefacite his,qui oderũt vos,& orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Eccè forte & arduũ mandatũ, quod hominibus quidẽ durũ videtur,sed magnum habet præmium. Audite quale: Vt sitis,inquit,filij patris vestri,qui in cælis est.O quãta gratia. Per nos serui digni nõ sumus,& per inimicorum dilectionem filij Dei efficimur.Itaq; fratres,& amicos diligite in Deo,& inimicos propter Deum.Qui enim diligit proximũ, sicut dicit Apostolus,legem impleuit. Qui ergò vult esse verè & germanè Christianus, is necessariò hæc debet præcepta custodire. Quæ si non obseruat,ipse se decipit & circunuenit.Ille bonus Christianus est, qui nullis phylacterijs vel adinuentionibus dęmonum

Cui nomen Christianũ prosit. — Matt.19. — Matt.7. — Matt.5. — Ibidem. — Rom.13. — Quis bonus sit Christianus.

num credit, sed omnem spem suam in solo Christo ponit: qui peregrinos tanquàm Christum ipsum cum gaudio excipit, quia ipse dicit: Hospes fui, & suscepistis me. &, Matt.25. Quandiù vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ille, inquam, bonus Christianus Ibidem. est, qui hospitibus pedes lauat, & eos tanquàm parẽtes charissimos diligit, qui iuxta quod habet, pauperibus eleemosynam tribuit, qui ad ecclesiam crebrò venit, & oblationem, quæ Deo in altari offeratur, exhibet: qui de fructibus nõ gustat, nisi priùs Deo aliquid offerat: qui stateras dolosas & mensuras duplices non habet, qui pecuniam suam non dat ad vsuram, qui & ipse castè viuit, & filios vel vicinos suos docet, vt castè & cum timore Dei viuant: & quotiès sanctæ solennitates adueniũt, plures dies antè etiam à propria vxore se continet, vt secura conscientia ad Domini altare possit accedere. Deniquè qui symbolum Apostolicum & orationem Dominicam memoriter tenet, & filios atque familiam suam ea docet. Qui talis est, is proculdubiò reuerà Christianus est, & Christus habitat in eo, qui dicit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, Iohan.14. & mansionem apud eum faciemus: itèm per Prophetam: Ego inhabitabo in eis, Leuit.26. & inter illos ambulabo, & ero illorum Deus. 2.Cor.6.

Eccè audîstis, fratres, qui sint boni Christiani. Quantùm igitur potestis, cum adiutorio Dei laborate, nè nomen Christianum falsò habeatis: sed vt veri Christiani esse possitis, præcepta Christi semper animo cogitate, & opere exequimini. Redimite animas vestras à pœnis, dum habetis in potestate remedia. Eleemosynas pro viribus præstate, & charitati studete, discordes reuocate ad concordiam, mendacium fugite, periurium horrescite, falsum testimonium nolite dicere, furto abstinete, oblationes & decimas ecclesijs reddite, luminaria sanctis locis pro facultate exhibete, symbolum & orationem Dominicam memoria tenete, & filijs vestris tradite. Illos quoquè, quos ex baptismo suscepistis, docete & castigate, vt semper in timore Dei viuant. Noueritis vos apud Deum pro illis fideiussores teneri. Ad ecclesiam sæpiùs conuenite, sanctorum patrocinia humiliter expetite: diem Dominicum pro reuerentia resurrectionis Christi, absque vllo seruili opere colite, sanctorum solennitates pio affectu celebrate. Proxîmos vestros sicut vosipsos diligite: quod vobis vultis ab alijs fieri, hoc & vos alijs facite. Quod vobis fieri non vultis, nulli faciatis. Ante omnia charitatem habete: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Estote hospitales, humiles, omnem solicitudinem vestram proijcientes in Deum: quoniam ipsi cura est de vobis. Infirmos visitate, in carcerem coniectos inuisite, peregrinos suscipite, esurientes pascite. Sit vobis ęquum pondus, & æqua mensura, sit statera iusta, iustus modius, æquusque sextarius. Nec plus, quàm dedistis, repetatis: neque vsuras ex pecunia mutuò data, à quoquam exigatis. Quæ si obseruaueritis, securi in die iudicij ad tribunal æterni iudicis venientes, dicetis: Da Domine, quia dedimus: miserere, quia misericordiam fecimus. Nos impleuimus, quod iussisti: tu redde, quod promisisti.

Decimæ ecclesijs exsoluendæ.

Dies Dominici & solẽnitates sanctorum celebrandæ.

Matt.7. Tob.4. 1.Pet.4. 1.Pet.5. Leuit.19.

Ante omnia autem illud denuncio atque contestor, nè vllas paganorum sacrilegas consuetudines obseruetis, non diuinos, non sortilegos, non incãtatores pro vlla re aut infirmitate consulere ausi sitis. Qui enim id facit, ille mox perdit baptismi gratiam. Neque etiã auguria vel sternutationes obseruetis, nec in itinere constituti aues cantantes curiosè attendatis: sed siue iter, seu quodlibet opus suscipitis, signate vos in nomine Christi, symbolumque & orationem Dominicam cum fide & deuotione dicite, nec quicquam vobis nocere poterit inimicus. Nullus Christianus obseruet, qua die domum vel exeat, vel reuertatur. omnes enim dies Dominus fecit. Nullus ad inchoandum opus diem vel lunam attendat. Nemo in Calendis Ianuarij nefanda & ridicula, vetulas aut * ceruuolos vel * iocticos faciat, neq; mensas per noctem componat, neque strenas aut potationes superfluas exerceat. Non cælum, non terram, non sidera, nec vllam omninò creaturam, præter Deum, vllus adorandam credat: quia omnia ipse solus condidit atq; disposuit. Altum quidem est cælum, ingens terra, immẽsum mare, pulchra sidera: sed longè maior & pulchrior sit necesse est, qui hæc creauit. Si enim hæc, quæ videntur, tam incompræhensibilia sunt, putà, varij terræ fructus, pulchritudo florũ, diuersa pomorũ genera & animantium in terra, in aëre, in aquis, apum sedula prudentia, ventorum flatus, nubium rores, tonitruorum fragores, temporum vices, dierum atq; noctium vicissitudines varijque recursus: quæ omnia nullatenùs mens humana compræhendere

Sacrilegia, incantationes, diuinationes & his similia, omni Christiano fugienda.

Ex creaturis quid colligendum de Deo.

potest: si ergò hæc talia sunt, quæ videmus, & haudquaquàm comprehendimus: qualia æstimanda sunt illa cælestia, quæ non videmus? vel qualis horum omnium opifex, cuius nutu cuncta creata sunt, cuius & arbitrio omnia gubernantur? Illum ergò, fratres, super omnia timete, illum adorate, illum præ omnibus amate, illius misericordiæ inhærete, de eius clementia nunquàm desperate.

Quos bonos videtis, illos imitamini: quos malos conspicitis, castigate & corripite, vt duplicē mercedē habere possitis. Qui hactenùs immunis à supradictis malis fuit, gaudeat, & Deo gratias agat, & deincèps quoquè ab illis sibi caueat, studeatque perseuerare in operibus bonis. Qui verò vsque in præsens malè vixit, citò se corrigat, & toto corde agat pœnitētiam, antequàm de hac luce decedat. si enim sine pœnitentia obiërit, non ibit ad requiem, sed præcipitabitur in gehennam ignis, vndè nunquàm exire poterit, sed ardebit illic in secula seculorū. Omnes igitur vos, quibus loquor, viri & fœminæ, corrigite vitam vestram: vnusquisque, dum potest, vitia sua profliget: mala quæ fecit, pœnitentia expiet. Nemo se inebriet, nemo in conuiuijs cogat alium plus bibere, quàm par sit: quandoquidem vino multo deditos Apostolus acriter obiurgat, vbi ait: Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. Nemo vel in vlla re minima diaboli sequatur adinuentiones: nullus siue exiēs, siue egrediens domū, obseruet quid sibi occurrat, vel num qua vox reciproca seu echo audiatur, aut quid aues garriant, vel quid sit quod portat ei factus obuiàm. Qui enim hæc obseruat, partim adhuc paganū se esse declarat. Qui verò hæc contemnit, Prophetam sibi clamare gratuletur: Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Vndè & Apostolus monet: Omne quodcunque facitis, in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Prorsùs recedendū est à cunctis huiusmodi obseruationibus: mathematici spernēdi, auguria horrescenda, somnia contemnenda: quoniam, sicut scriptura testatur, vana sunt. Vndè & per Moysen præcipitur: Nō augurabimini, nec obseruabitis somnia, neq; ad magos declinabitis. Oportet igitur, vt hæc tota mente obseruetis: & si quos cognoscitis vel occultè aliqua phylacteria exercere, expedit cum eis nec cibum sumere, nec quicquam habere commercij. Ista ergò omnia spernentes, ad Dei vos auxilium conferte, de eius misericordia nunquàm desperate.

Nemo debet in conuiuijs cogi ad bibendū. *1. Cor. 6.* *Psal. 39.* *Colos. 3.* *Ezech. 13.* *Leuit. 19.*

Omni die Dominico ad ecclesiam conuenite, & ibì non negocia, non lites aut rixas, vel ociosas fabulas tractetis: sed lectiones diuinas cum silentio auscultare, & pro pace Ecclesiæ & pro peccatis vestris orate. Qui enim in ecclesia fabulari non timet, & pro se, & pro alijs redditurus est rationem, dum nec ipse verbum Dei audit, nec alios audire permittit. De talibus quippè Dominus in Euangelio dicit: Væ vobis hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim nō intratis, nec introëuntes sinitis intrare. Qui aliorū iudices estis, iustissimè iudicate. Nihil in iudicio iniquè agatis, nec munera super innocentes accipiatis: non personā attendatis, nec res alienas vi rapaci tollatis, quandoquidem, quid vel nocte proxima vestris accidere possit, ignoratis. Pauperem & aduenam nullatenùs in iudicio opprimatis, timentes illud, quod veritas in Euangelio dicit: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mēsura mensi fueritis, remetietur vobis. Videte nè in vos quadret illud propheticū: Væ qui iustificatis impiū pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Væ qui dicitis malū bonum, & bonum malū. Labia vestra locuta sunt mendaciū, & lingua vestra iniquitatē fatur. Facta est veritas in obliuionē, & iustitia longè stetit. Hęc fratres considerātes, & vos, & illos, quibus pręestis, pariter in Dei timore confirmate. Retinete quæ dicta sunt: facite quæ præcepta sunt. Habete semper Christū in mente, & signū eius in fronte. Memineritis multos vos habere aduersarios, q cursum vestrū impedire conētur. Idcircò in omni loco, horis omnibus Crucis signaculo vos armate, Crucis vexillo vos cōmunite. Hoc enim vel maximè illi timent & expauescūt. Hoc vobis datū est scutum, quo possitis ignitas omnes maligni sagittas extinguere. Profectò magna res est signum Christi, & crux Christi: sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. Vt ergò etiam vobis prosit, præcepta eius totis viribus implere cōtendite: & siue sedeatis, siue ambuletis, siue comedatis, siue lectum ascendatis, siue à lecto surgatis, semper Christi signum muniat frontem vestram: vt vos semper memoria Dei & vigilantes protegat, & custodiat dormientes: & quotiès nocte euigilatis, & somnus ab oculis recedit, mox labijs signū Crucis imprimatur, mens orationibus occupetur, Dei præcepta animo voluantur,

Contra eos qui fabulantur in tēplis. *Matt. 23.* *Matt. 7.* *Esa. 5.* *Esa. 59.* *Crux semper in frōte ferenda &c.*

nantur, nè stupido pectori repentè subrepat inimicus, vel per stultam oscitãtiam & incuriam serpat in animam auidus aduersarius. Cùm turpem ille vestris sensibus cogitationem suggerit, proponite vobis futurum Dei iudicium, inferni supplicia, gehennæ flammas, tartari tenebras, quæ impij patiuntur. Si sic feceritis, mox turpis cogitatio euanescet: nec vos deseret virtus Christi: quia verum est, quod Propheta canit: Sperantem in Domino misericordia circundabit. Psal.31.

Cùm autem hæc omnia, Domino auxiliante, feceritis, certum habere debetis, molestè id laturum diabolum, quòd videat vos à sua societate discedere, & ob hoc fortassis aliquam in vos nequitiam exercebit, aut infirmitates vobis immittet. Sed id minimè vos frangat: ad probãdos enim vos, permittit id Deus, vt exploret, num toto corde eius misericordiæ innitamini, & si verè in eum credatis. Cuncta ergò patienter ferte, & Deum in omnibus benedicite, vt in vobis impleatur quod scriptum est: Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Iacob.1. Consolari vos debet id, quod Apostolus ait: A Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. 1.Cor.11. & illud: Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Heb.12. Quòd si semèl atque iterùm nequitijs dæmonis viriliter atq; fideliter pro Dei timore restiteritis, ità eum posteà à vestrî infestatione Deus repellet, vt deincèps nunquàm vobis nocere queat. Sic nimirùm, si verè, nõ falsò, Christiani estis, omnes diabolicas fraudes & circumuentiones fugere & despicere debebitis, totoque pectore Deo adhærere & inniti: vt quæcunque vobis aduersa ab inimico illata fuerint, patienter & fortiter toleretis. Quòd si per sortilegos aut diuinos aliqua prædixerit, & ità euenerint, nolite mirari. Spiritus enim illi per aëra volitantes, facilè possunt quædam futura præuidere. De his sic habet scriptura diuina: Si surrexerit in medio tuî prophetes, & prædixerit signum atque portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur deos alienos: non audies verba prophetæ illius: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrùm diligatis eum, an non. Deut.13. Illud autè scitote, quòd nes vos, nec quicquam vestrum lædere poterit inimicus, nisi quatenùs permiserit Deus. Permittit autem id Deus, quòd pecata hominum mereantur. Permittit, inquam, duas ob causas, vt aut probet vos, si boni estis: aut castiget, si peccatores. Permittit Deus ob duas causas hominem à diabolo tentari. Sed qui patienter Domini dispensationem sustinet, si quid perdiderit, sic dicat: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ità factum est. sit nomen Domini benedictum. Iob 1. Pro ista patientia aut coronam accipiet, si iustus est: aut indulgentiam, si peccator. Quòd si murmurauerit, vel desperauerit, rei pariter illius atque animæ suæ iacturã faciet. Sed mihi credite, fratres, si ex toto corde in Dei semper timore permanseritis, & præcepta eius custodieritis ità, vt nihil ex gentili consuetudine obseruetis, nihil vobis iam inimicus nocere poterit, sed omnia vobis prosperè cedent. Probè enim Christiano nec auguria, nec alia quælibet figmenta possunt officere: quia vbi signum Crucis cum fide & timore Dei præcesserit, nihil ibi inimicus nocere poterit. Efficacia signi S. Crucis. Tepidis verò & negligentibus ideò nocere possunt, quòd relinquentes Dei præcepta, per vitæ suę negligentiam praua exercendo opera, ipsi se dæmonum potestati spontè tradunt: qui si in Christi seruitio perseuerarent, & eius niterentur auxilio, nihil prorsùs mali paterentur.

Hæc ergò scientes, totis viribus diuinæ inhærete misericordiæ, opera bona semper agite, & de substantia vestra pauperibus erogate. Qui plus habet, plus tribuat: qui verò minus, ex ipso largiatur beatus & hilaris. Vnusquisque det pro viribus. est enim, vndè gaudeat, sciens se pro paucis, quæ largitur, plurima recepturum. Dat enim nummum, & comparat cæleste regnũ: dat paruam pecuniam, & emit vitam æternam. Sitis ergò studiosi præstandæ eleemosynæ. ea enim, vt scriptũ est, à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Tob.4. Qui habet aurum, det aurum: qui habet argentum, det argentum. Qui verò pecunia caret, bono animo det pauperi fragmen panis: quòd si nec illud integrum habet, frangat, & partẽ tribuat pauperi: nec dubitet, quanuis parùm bono animo obtulerit, gratum & acceptum Deo fore. Eleemosynæ pauperibus studiosè præstandæ. Dominus enim non tam copia munerum, quàm largientis bona voluntate & deuotione pascitur ac delectatur. Vt autem nullus pauper ab eleemosyna se excusare possit, ipse Dominus pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurum promittit. Matth.10. Qui autẽ maiores à Deo facultates accepit, maius vtiquè iudicij periculum sustinebit. Potuit quidem Deus omnes homines diuites facere: sed idcircò in hoc

mundo pauperes esse voluit, vt diuitibus suppeteret occasio redimendi peccata sua. Redimite ergò vos, charissimi, dum precium suppetit. Date eleemosynam ex iusto & bono labore, non de rapina. Audite iam ad fores vestras orātes pauperes, vt ipsi pro vobis in die iudicij orent. Sapientem attendite, ità dicentē: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Date ergò Deo, quod vobis ille dedit. Ipse enim accipit, quicquid pauperi tribuitis. Et illi quidem datis, sed vobis in futurum transmittitis, non vndè ventrem farciatis, sed vndè flammas extinguatis: quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccata. Date ergò, dum licet, in redemptionem animarum vestrarum: redimite vosipsos, dum viuitis: quia post mortem nemo redimere vos potest de gehenna. Vnusquisque de arte sua, vndè viuit, decimas det Deo in pauperibus vel ecclesijs. Consideret omnia esse Dei, vndè viuit, putà terram, semina, flumina, & omnia quæ sub cælo sunt & supra cælos: & si ille nō dedisset, nihil vtiquè haberet. Deus autem noster, qui dignatur totum dare, decimas de suo dignatur à nobis repetere, non sibi vtiquè, sed nobis, profuturas. Sic enim per prophetam promisit, dicens: Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cęli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam. Reddite ergò libenter ex omnibus, quæ possideris super terram, quod Deo gratum cognoscitis. Nolite de omni substantia vestra fraudare decimas, nè vobis nouem partes auferātur, & sola decima remaneat. Si voluntariè dederitis, plus semper vobis Dominus dabit. Si non dederitis, quot pauperes in locis, quibus habitatis, fame mortui fuerint, tot homicidiorum rei eritis. Atque insupèr immittet in vos Dominus pestilentiam & famem, & perdetis totum, quod habetis, immò ipsas etiam animas vestras. Quod nè vobis eueniat, libēter bono animo detis, quo animas vestras possitis redimere. Nec eligatis, cui misericordiam præstetis, nè fortè prætereatis eum, qui meretur accipere: quia nescitis, in quo Christus dignetur eleemosynam accipere.

[Margin: Prouer.21. — Eccli.3. — Decimæ dandæ. — Malac.3. — Pasce fame morientē. Si no pauisti, occidisti]

In his autem omnibus, quæ Dominus exerceri iubet, benignitatis operibus nihil ille quærit aliud, nisi salutem animarum vestrarum, & vt timeatis illum semper, & custodiatis mandata eius. Quod si feceritis, dabit vobis, sicut per sanctum Moysen pollicitus est, pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur, & omnibus bonis abundabitis. Dabit pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat, & ipse habitabit inter vos. Contrà verò, si non custodieritis præcepta eius, venient in vos plagæ, ab eodem Moyse prædictæ, pestilentiæ, fames, gladius, eritque cælum vobis ferreum, & terra ænea: terra non proferet germen, segetes peribunt, & labor vester omnis inanis erit. Et super hæc infestabunt vos hostes, & gladius deuorabit vos, & erit terra vestra deserta atque desolata. Et tunc præ angustia clamabitis, nec exaudiet vos Dominus, sicut per prophetam minatur, dicens: Et factum est, sicut locutus est, & non audiērunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus. & per alium prophetā, sic dicentem: Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat: neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat: sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, nè exaudiret. Vt igitur ista vobis non contingant, custodite quæ præcepta sunt: implete Dei mandata, vt viuatis, & benè sit vobis, nullaque vobis calamitas accidat. Omnipotens enim Deus consolatur per prophetam, ità dicens: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei. Hæc, fratres, semper animo retinete, hæc filijs & vicinis vestris narrate, hæc commemorate vobiscum, cùm sedetis in domibus vestris, & cùm ambulatis: nec obliuiscamini eorum in rebus prosperis, sed Deum semper timete, illi soli seruite, nè irascatur contra vos furor eius. Noueritis, eum custodire pactum & misericordiam illis, qui eum diligunt, & custodiunt mandata eius, omnesque eis auferre languores. Audiatis beatum Iohannem Apostolum, dicentem, Nouissima hora est. Nolite diligere mundum: citò enim transit, & omnis concupiscentia eius. Facite voluntatem Dei, vt maneatis in æternum, & habeatis fiduciam, cùm apparuerit, nè confundamini in aduentu eius. Nemo vos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est. Et reuerà peccatū omne, siue furtum, siue adulterium, siue mendacium, sine dæmonis operatione non fit. Pensate, quæso,

[Margin: Leuit.26. — Ibidem. — Zach.7. — Esa.59. — Ierem.18. — 2.Esdræ 1. — 1.Iohan.2. — 1.Iohan.3.]

quæso, quàm perniciosum sit, diaboli opera exercere, eiusque participem fieri, non quidem in requie, sed in pœnis gehennæ. Itaque quotiescunque in peccatum incideritis, nolite mortifera securitate expectare, donèc vulnera ipsa putrescāt: nec alia addatis peccata: sed continuò per pœnitentiæ confessionem remedium vobis adhibere festinetis. In magnis virtutum exercitijs semper crescere nitamini: vt qui fuit hactenùs superbus, sit iam humilis: qui erat scortator & adulter, sit castus: qui solebat furari & tollere res alienas, incipiat proprias dare pauperibus & ecclesijs: qui fuit inuidus, sit benignus: qui fuit ebriosus, sit sobrius: qui iracundus, patiens sit. Si quis alteri faciat iniuriam, citò veniam petat: cui iniuria irrogata est, absque mora remittat, vt etiā illi remittatur. Et quidnì fratri parùm remittat, vt illi Deus totum remittere dignetur? Nam & hoc eleemosynæ genus est, vt ignoscat quis ex animo ei, à quo læsus est. Quòd si quis adeò pauper est, vt nihil habeat, vndè corporalem præstet eleemosynam: quandoquidem fieri vix potest, vt non ab aliquo afficiatur iniuria, si ex animo omnibus in ipsum peccantibus remittat, nec contra vllum in corde odium retineat, sed omnes diligat vt seipsum: id ei proculdubiò maximæ eleemosynæ loco imputabitur. Vt autem peccantibus in nos libentiùs ignoscamus, audiamus quid Christus dicat in Euangelio: Si dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Si autē non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Lapsus in peccatū, illicò resurgat. Contraria contrarijs curanda. Pauperes qualē præstabūt eleemosynam. Matth. 6.

Nemo ergò se fallat, nemo se decipiat: quia quisquis vel vnum hominem odit in hoc mundo, quicquid interim Deo boni operis offert, totum perdit. Non enim mentitur Apostolus terribiliter clamans: Qui fratrem suum odit, homicida est, & mendax est, & in tenebris ambulat. Quo loco fratrem oportet omnem hominem intelligi: omnes enim in Christo fratres sumus. Ego autem, fratres, ad inimicorum dilectionem idcircò tantoperè vos adhortor, quòd ad sananda peccatorum vulnera, vix vllum sciam efficacius remedium. Et quamuìs grandis est labor, inimicos diligere in hoc seculo, at in futuro ingens erit præmium. Qui hîc inimicos diligit, amicus erit Dei: nec solùm amicus, sed etiam filius: sicut ipse promisit, vbi ait: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est. Qui ergò diligit, requie perfructur. Qui non diligit, sicut Apostolus ait, manet in morte. Cùm hæc ergò ità se habeant, charissimi, non falsa, sed vera inuicèm dilectione vos prosequimini: actiones vestras ad Deū semper dirigite, & quicquid potestis, pro studio & amore vitæ æternæ laborate. Currite, dum lucem habetis, priusquàm vos tenebræ compræhēdant. Si laborem pro carne suscipitis, etiam pro anima laborem nè recusetis. Si curritis carnis causa, quam paulopòst vermes deuoraturi sunt: multò alacriùs pro anima currite, vt ornata illa bonis operibus, sine fine lætetur in cælis. Quandò ieiunatis, quod in prandio sumpturi eratis, pauperibus erogate: nec tūc, vt Dominus admonet, instàr hypocritarum tristes esse debetis, vt videamini ab hominibus: sed ab illo solo, qui videt in abscōdito. Semper autē maiori vobis curæ sit cibus animæ, quàm corporis: dumq; in mundo versamini, benè viuēdo æternam vobis vitam comparate. Lectiones diuinas in ecclesia libenter auscultate, & quæ illic auditis, iugiter in domibus vestris cōmemorate: vt quomodò corpus cibo, ità anima Dei verbo reficiatur. Certū est enim, quale est corpus, quod post multos demùm dies percipit cibum, talem esse animā, quæ raro pascitur verbo Dei. Siue ergò ambulatis, charissimi, siue sedetis, siue quippiam agitis, semper ad mentem reducite ea, quę in ecclesia ex sacra lectione audistis, semperq; Euangelica præcepta in corde ruminate.

Odij quāta pernicies. 1. Iohan. 3. Inimicos diligere, quid conferat. Matth. 5. 1. Iohan. 3. Iohan. 12. Matth. 6. Cib⁹ animę

Ante omnia luxuriam fugite, prauam concupiscentiam vitate, timentes illud, quod Dominus in Euāgelio dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Vxores vestras absq; vlla simulatione diligite, sicut Apostolus præcipit, vbi ait: Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Mulieres autem, vt idem Apostolus docet, viris suis subditæ sint sicut domino, & timeant viros suos. Nec quisquam legitimam vxorem suam quacunq; ex causa dimittere ausus sit, cùm ipse Dominus dicat, Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, eum facere illam mœchari. Cōcubinas siue ante nuptias, siue post nuptias habere prohibemus, quādoquidem omninò illicitum est. Qui enim legitimam vxorem ducere cōstituit, æquum est, vt virginitatem vsq; ad nuptias conseruet, & post nuptias nullā aliam, præter vnam legitimam coniu-

Matth. 5. Ephes. 5. Ibidèm. Matth. 5.

Heb. 3. coniugem, cognoscat, sicut & Apostolus Paulus præcepit: cui etiam fidem seruet, quemadmodùm ab illa sibi seruari vult: nec peccet cum alia, sicut nec illam vult

Ibidèm. cum alio peccare, timẽs illud, quod idem Apostolus terribiliter clamat: Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Quicquid enim coniugij iure fœminis nõ licet, nec viris licet. Quamobrèm, ó Christiane, fuge fornicationem: erubesce iam sub oculis Dei & Angelorum peccare. Capitalia crimina modis omnibus detestare, vt sunt, sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, inuidia, auaritia, iracundia & ebrietas. Hæc enim sunt crimina, quæ mergunt hominem in supplicium æternum. Ex quibus si quis vel vnum admittat, nisi agat pœnitentiam, sine vllo remedio in gehennæ igne ardebit. Et idcircò anima Christiana, vigila, ora, caue semper ista crimina, & quicquid boni potes, age pro vita æterna. Aperi pauperibus manum tuam, vt Christus tibi aperiat ianuam suam, per quam intres in gaudia paradisi.

Sub adulterio sępe etiã alias libidines cõpræhendit.

Noli ipse te tradere in perditionem, pro quo Christus fudit sanguinẽ suum. Satis superque te dilexit, quem tanto precio comparauit. Terreant te gehennæ supplicia, quô vel sic possis à prauis operibus abstinere. Omni hora existimes adfuturã mortẽ, & euentura tibi iudicia Dei semper reformides, vt illud scripturæ tibi possit aptari, Beatus homo, qui semper est pauidus. Quod malè admisisti, dum potes, emenda, dum adhuc licet pœnitere. Veniam non desperes, si velis resipiscere. desperatio enim peccatis omnibus deterior est. Nequaquàm igitur de Dei misericordia desperes vnquàm, nec si vel centũ, vel etiam mille perpetres crimina. Nulla enim tam grauis est culpa, quæ per pœnitentiam non possit obtinere veniam. Si quis te lacessat & irritet, si conuicietur, si iniuriam irroget, tu patiens esto, nec reddas contumeliam: meliùs tacendo vinces. Cùm tibi maledicitur, tu benedic: magnam consequéris gratiam, si non lædas eum, à quo læsus es. Nullum despicias, non egenum, non seruum: quia fortaßis apud Deum te melior est: & omnes, secũdùm Apostolum, vnum sumus in Christo Iesu, nec est personarum acceptor Deus: sed sicut scriptum, Vnusquisq; quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus, siue liber. Non detrahas fratri tuo, nec calumniã facias, neq; vi opprimas eum: sed sicut per Moysen dicitur, si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes seruitute famulorum: sed cum timore Dei agas erga illum. Memineris te quoquè seruum esse. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, nè habeas super illo peccatum. Si peccauerit in te frater tuus, ait in Euangelio Dominus, corripe eum inter te & ipsum solum. Et alibì: Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & ibì recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibì munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

Prou. 28.

Non est desperandum ob enormitatẽ criminum.

Gal. 3.
Act. 10.
Ephes. 6.
Leuit. 25.

Leuit. 19.
Matth. 18.
Matth. 5.

Hæc te, Christiane, præcepta reuocent ad concordiam: hæc suauia Christi medicamenta curent odij vulnera. Quòd si contempseris, terribilẽ illam in te sententiam retorques, qua dicitur: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: & qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. En audisti Christiane, quid timeas, quid obserues. Stude ergò charitati, serua patientiam, fuge discordiam, impone frenos linguæ tuæ, nè trahat in gehennam animam tuam: quia secundùm scripturam, mors & vita in manibus linguæ, & vir linguosus non dirigetur in terra. Quæ quidem solicita consideratione pensantes, charißimi, verba simul moresque corrigite. Sectamini semper iustitiam, amate Christi præcepta. Derelinquat impius viam suam, & reuertatur ad Dominum, clamat propheta, & miserebitur eius: quia multus est ad ignoscendum. Audite eum dicentem: Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras. & rursùs: Quærite bonum, & non malum, vt viuatis, & erit Dominus exercituum vobiscum. Odite malum, & diligite bonum, vt misereatur vestrí Dominus. Eccè hoc ipse Dominus per prophetam clamat. Si me audire contemniris, saltem illum audite. Consolatur ille in Euangelio peccatores, dum ait: Non véni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Rursusq; admonet: Quærite primùm regnum Dei, & iustitiã eius, & hæc omnia adijcientur vobis. & iterũ: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Et certè pro ineffabili pietate sua Dominus non solùm admonet, sed etiam rogat nos, vt conuertamur ad ipsum. Audiamus rogantẽ, nè, si negligamus, nõ audiat ille nos iudicaturus. Dicit in scriptura: Misere animæ tuæ, placẽs Deo. Quid ad hæc respondes

Ibidèm.

Prou. 18.
Psal. 139.

Esa. 55.

Iere. 3.
Amos 5.

Luc. 5.
Matth. 6.
Luc. 11.

ſpondes humana fragilitas? Deus rogat, vt tuî miſerearis, & non vis. Quomodò igitur ille te audiet in die neceſſitatis ſupplicantem, quandò tu illum nõ audis pro te rogantem? Si iam hæc negligitis fratres, quid acturi eſtis in iudicij die, & ad cuius confugietis auxilium? Certè ſi vos nunc negligitis tales Dei adhortationes, non effugietis tunc inferorum tormenta: nec liberare vos poterit aurum & argentum, neque opes & diuitiæ, quas nunc in arcis abſconditis, & quibus inflati, ſalutis veſtræ obliuiſcimini. Audite, quæſo, comminantem Dominum: Viſitabo ſuper orbem mala, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo. Audite etiam admonentem: Redite præuaricatores ad cor. Quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere: ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam &c. Hæc, fratres, magnoperè obſeruare nitamini. Date operam, vt ſeparati à diabolo, coniungamini Deo, qui vos redemit. Admirẽtur gentes conuerſationem veſtram. Quòd ſi detrahant vobis, aut irrideant vos, Chriſtianiſmi opera vos ſectari, nihil conturbemini. Reddent enim Deo rationem. Totam ſpem veſtram in Chriſti miſericordia collocate, & non ſolùm ab actu impudico, ſed etiam à cogitationibus ſordidis animas veſtras cuſtodite: quia Deus iuſtus iudex etiam cogitationes malas iudicabit.

Marginal notes: Eſa.13. — Eſa.46.& 1. — Non ſolùm actus impudici, ſed & cogitatiões vitãdæ ſunt malæ.

Moneo vos, fratres, vt ſuperbiam prorsùs repellatis, per quam diabolus è cælo corruit. Audiatis Apoſtolum: Deus, inquit, ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. itemq; ipſum Dominũ, in Euangelio ſic dicentem: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. & iterùm: Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Iurandi cõſuetudinem penitùs abijcite. valdè enim ea pugnat cum præceptis Dei. Ait enim in Euangelio Dominus: Dico vobis, non iurare omninò: neq; per cælum, quia thronus Dei eſt: neq; per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius: neq; per caput tuum iuraueris. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non. Cùm iniuriam patimini, ſuccurrat animo illud Domini mandatũ, Dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & qui vult tunicam tuam tollere, præbe ei & palliũ. Qui petit à te, da ei: & qui aufert quæ tua ſunt, nè repetas. Orandi rationẽ eam conſeruare debetis, quam Dominus præſcribit, vt non multis verbis conteri ſitis, ſed ex intimo pectore Dominum deprecemini. Vbicunq; eſtis, Chriſti mentio habeatur in mutuis colloquijs veſtris. ipſe enim dicit: Vbicunq; ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Scandala fugite. Dominus enim grauiter perſtringit authores ſcandalorum, Væ, inquiens, homini, per quem ſcandalum venit. Semper memores ſitis illorũ Domini verborum: Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis. Apoſtolũ quoq; clamantem audiatis: Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquàm non habentes ſint: & qui flent, tanq̃ nõ flentes: & qui gaudent, tanquàm non gaudentes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquàm non vtantur. præterit enim figura huius mundi. Vt autẽ plùs appetamus cæleſtia, quàm terrena, Dominum audiamus dicentem: Quid enim proficit homo, ſi vniuerſum mũdum lucretur, ſeipſum autẽ perdat, & detrimentum ſuî faciat? Ad ſtudium autẽ charitatis excitant nos illæ ſententiæ: Si diligamus inuicèm, Deus in nobis manet, & charitas eius perfecta eſt in nobis. Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Charitatis excellentiam beatus Paulus indicare volẽs: Si diſtribuero, inquit, in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ità vt ardeã, charitatem autem nõ habuero, nihil mihi prodeſt. Vndè etiam alibi admonet, vt omnia noſtra in charitate fiant. Idem verò ipſe malos in viam reuocãs, Qui furabatur, inquit, iam nõ furetur. itemque: Fugite fornicationẽ. Omne enim peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra corpus eſt: qui autẽ fornicatur, in corpus ſuum peccat. & rursùs: Neq; fornicarij, neq; idòlis ſeruientes, neq; molles, neq; adulteri, neq; fures, neq; auari, neq; ebrioſi, neq; malédici, neq; rapaces regnũ Dei poſſidebunt. Alibì quoq; teſtatur, omniũ malorum radicem eſſe cupiditatem. Vos ergo, fratres, profligate cupiditatẽ, ſectamini charitatem, deponite impietatẽ, ſupportate inuicem cum humilitate. Reuelatur enim, vt Apoſtolus ait, ira Dei de cælo ſuper omnẽ impietatẽ & iniuſtitiam hominũ. Cogitate ſæpè cum animis veſtris, quàm ſæuus, quàm timendus ſit gehennæ ignis: & qui iam nec digitum vnum ſuſtinet in ignem inferre, timeat illic toto corpore in omnem æternitatem ardere.

Marginal notes: 1. Pet.5. — Luc.14. — Matth.18. — Matth.5. — Ibidẽm. — Luc.6. — Matth.18. — Ibidẽm. — Iohan.15. — 1. Cor.7. — Luc.9. — 1. Iohan.4. — 1. Cor.13. — 1. Cor.16. — Epheſ.4. — 1. Cor.6. — Ibidẽm. — 1. Tim.6. — Rom.1.

Rogo itaq. e vos, fratres, si vultis ab illo igne, ab illis horrēdis pœnis seruari, desinatis iam peccare, & toto corde ad Dominum conuertamini in ieiunio, & fletu, & planctu, sicut ille per prophetam hortatur. Vigilate solicitè: quāto enim finem mundi propinquiorem conspicit diabolus, tanto crudeliùs in Christianos sæuit: vt quia se propediem damnādum cognoscit, plures sibi socios in pœnis adiungat, cum quibus sine fine crucietur. Cauete ergò attentiùs, & semper in Dei timore permanete, certi vnumquenque nostrûm habere Angelum Dei, qui obseruet iugiter quid agamus: & si quidem benè agimus, gaudium afferimus Angelis nostris: si verò malis operibus vacamus, Angelos sanctos repellimus, & malignos dæmones nobis asciscimus. Hæc me loquente, vos charissimi, introrsùs ad vos redite, in vosipsos descendite, conscientias vestras discutite, num dignos consortio Angelico vos exhibeatis, explorate. Et si bonos vos & Deo dignos exhibetis, nūquàm de meritis vestris superbo animo præsidatis, sed cum humilitate magis etiā deincèps vobis cauete. Si verò peccatis vos obnoxios cernitis, nequaquàm desperetis, sed cum Deo in animo pactum feriatis, posthàc nolle vos peccare, & ità fidenter in Domino speretis. Ille enim sinum pietatis suæ semper expandit, & omnes per pœnitentiam ad se recipere cupit. Quòd si quis adulter, vel scortator, aut fur, aut ebriosus, vel mendax, vel etiam filiorum suorum necator est, agat pœnitentiam, & decætero caueat, & condonabit ei altissimus. Occurrant vobis ex Euangelio publicanus, latro, mulier peccatrix, & Paulus, qui de seipso dicit: Priùs fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus: sed & misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Et vos ergò si quid fortè ignoranter admisistis, reparate vos, quæso, dum licet, per pœnitentiam. Confitemini Domino totis præcordijs, quoniam bonus est. Doleat vobis, non egisse vos quod bonum est: & qui agit pœnitentiam, sic eam agat, vt deincèps lugenda non admittat. Vos qui pauperes estis, nolite contristari. si enim benè egeritis, in cælo ditiores eritis.

Ioel.2. — Quilibet habet propriū Angelū sui custodem. — Actor.9. 1.Tim.1. — Psal.117.

Cauete verò omnes, nè quis turpem sermonem proferat: & secundùm Apostolum, doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci: sed corripite inquietos, consolamini pusillanimes, patientes estote ad omnes. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Corrumpunt mores bonos colloquia mala: Crapulam & ebrietatem perhorrescite, quas Dominus per seipsum repræhendit, vbi ait: Attendite vobis, nè fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Et Apostolus, Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria. Proculdùbiò enim, qui plus mādacat aut bibit, quàm expedit, & peccatum incurrit, & castitatem tueri nō potest. cùm enim venter nimio cibo, aut potu repletus est, necessè est, vt in libidinem pronus sit. Vndè etiam alibì scriptum est: Amaritudo animæ, vinum multum potatum, & iram, & ruinas multas facit. Ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. Et hæc quidem dico, non vt creaturam Dei malam asseram, aut damnādam iudicem: sed vt vos magìs sobrios cautioresque reddam. Immò verò admoneo, nè quam Dei creaturam dicatis esse malam. cuncta enim valdè bona creauit Deus. Nam quæ nobis mala esse videntur, aut nocent nobis, non sua natura, sed nostro vitio nobis mala sunt. Itaque fratres, solum diabolum, qui superbiendo factus est malus, detestātes, tot bonarum rerum creatorem Dominum glorificate.

Heb 13. 1.Thes.5. Ephes.4. 1.Cor.15. Luc.21. Ephes.5. — Eccli.31. — Gen.1.

Cauete semper viam latam, quæ ducit ad perditionem: intrate per angustam, quæ perducit ad immensam cæli latitudinem. Pauperes & peregrinos vocate ad conuiuia: sic enim Dominus hortatur his verbis: Cùm facis prādium aut cœnam, noli vocare diuites, nè fortè & ipsi te reinuitēt, & fiat tibi retributio. Sed voca pauperes, debiles, claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Neque enim iustum est, vt in populo Christiano, qui vno precio redempti sunt, & vni Domino seruiunt, alij multis epulis fartos habeant ventres, & ebrij sint, alij fame deficiant. Prorsùs peccatū est, si vestra superflua tineæ rodant, & pauperes nec vetustissima quidem à vobis accipiant. Cur non attenditis pari conditione nos venisse in hunc mundum, vniusque Domini seruos esse, similique exitu e vita migraturos, & si benè egerimus, ad vnam beatitudinem venturos nos esse? Aut quare pauperes nobiscum non accipient cibum, qui nobiscum habituri sunt consortia Angelorum? Cur non accipient à nobis vel veterem tunicam, qui pariter accepturi sunt immortalitatis stolam? Hæc atten-

Matth.7. — Luc.14. — Pauper secundū Euāgelium ad prandiū vocandi, non diuites.

attendentes fratres, ità pauperum curam gerite, vt vberrimam in cælis mercedem recipiatis. Mendacium semper fugite. non enim minimum crimen est, dicente scriptura: Os quod mentitur, occidit animam: & testis falsus non erit impunitus. Et Dauid ad Dominum, Perdes, inquit, omnes, qui loquuntur mendacium. Et Apostolus: Deponentes, inquit, mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. In hac ergò vita positi, sic vos comparate fratres, vt cùm hinc migraueritis, & caro vestra cœperit à vermibus deuorari, anima ornata bonis operibus, cum sanctis omnibus lætetur in cælo. Retrahat vos à malo vel ipse peccatorum interitus. Cogitate eorum, qui iam decesserunt, calamitates. Contemplamini diuitum sepulcra, vel eorum, qui ante breue tempus vobiscum fuêre, qui iam sint, quid eis diuitiæ & cupiditates seculi iam prosint. Eccè nihil ex eis præter cineres remansit: qui si loqui possent, hæc vobis proculdubiò dicerent: Quid ità infelices propter mundi huius cupiditates discurritis? quid ità vos vitijs & criminibus obstringitis? Considerate ossa nostra, vt vel sic horrori sit, & displiceat cupiditas & insania vestra. Quod vos estis, nos fuimus: quod nos sumus, vos eritis. Hæc, inquam, fratres, solicita consideratione pensate, & considerantes expauescite.

Sap.1. Prou.19. Psal.5. Ephes.4.

Diem mortis semper ob oculos statuite, ad vitæ emendationem, quantùm potestis, festinate. Nolite negligere, quòd vos pius Dominus peccantes sustinet. quanto enim diutiùs expectat, vt vos corrigatis: tanto grauiùs vindicabit, si neglexeritis. Si fortè persuasum habetis, finem mundi procùl abesse: certè cogitare debetis, suum cuique impendére finem. Eccè quàm multi, dum viuunt iucundissimè, multaque in longum tempus moliuntur, repentè tolluntur è medio, & eximprouisò rapiuntur è corpore? Itaque beatus ille est, qui horam illam semper habuit ob oculos, studuitque in ea paratus inueniri, vt possit tanti criminis expers esse. Scire enim debetis, fratres, cum ingenti metu magnisque doloribus animam separari à corpore. Veniunt enim Angeli, vt sistant eam ad tribunal tremendi iudicis. Tum verò illa commemorans opera sua mala, quæ die noctuque gessit, miserè contremiscit, cupit ea fugere, petitque vel vnius horæ dilationem sibi dari. Adsunt eius opera, dicuntque illi: Tua sumus, tu nos perpetrâsti. Non te deserimus, sed tecum ibimus ad iudicis tribunal. Interìm illa infelicissima cum horrendo timore separatur à corpore, plena peccatis & summa ignominia. Secùs est de anima iusti, quæ cùm exit è corpore, non timet nec expauescit: sed potiùs cum gaudio egreditur, & cum exultatione pergit ad Deum, sanctis Angelis eam deducentibus. Illam ergò horam modò timeatis, fratres, nè tunc timere cogamini. Memineritis iugiter vos ambulare in medijs laqueis diaboli: & idcircò semper parati sitis, vt cùm Dominus iusserit vos exire, liberi ab omni labe peccati, ad requiem transeatis. Nec arbitremini vos diù in hoc mundo mansuros. vbì enim Dominus iusserit, non licebit nec vnius horæ spatio in hac vita consistere. Cauete igitur, nè exitu vestro mœrorem afferatis Angelis, & gaudium inimicis. Scitote, cùm anima è corpore euellitur, eam aut pro bonis meritis statìm in paradiso collocari, aut propter peccata continuò præcipitari in tartarum. Nunc igitur vnum è duobus eligite, aut æternùm gaudere cum sanctis, aut sine fine cruciari cum impijs. Itaque vel pœnæ vos terreant, si præmia non inuitant. Si mundum hunc necdùm despicere potestis, quæ mundi sunt, iustè possidete. Qui in iuuentute errauit, vel senex resipiscat, & mala quæ fecit, pœnitentia expiet. Eccè in dies deficit mundus, cuncta, quæ videntur, instàr vmbræ celeriter transeunt. Quæ olìm prænunciata sunt, iam perspicuè videntur. Bona omnia subtrahuntur, & in dies crescunt mala. Nolite ergò diligere mundum, quem sic videtis ad finem tendere, præsertìm cùm Apostolus dicat, eum qui velit esse amicus seculi huius, Dei inimicum constitui. Vitam æternam medullitùs concupiscite: ad eam properetis, vt semper viuatis, & nunquàm mori timeatis. Si enim sic amatis hanc miseram momentaneamque vitam, vbì cum tanto labore viuitis, & cursitando, satagendo, sudando, suspirando vix necessaria corpori acquirere potestis: quanto magìs amanda vobis est illa vita æterna, vbì nullus labor est, vbì summa semper securitas, secura felicitas, felix libertas, libera beatitudo? Vbi, sicut Dominus ait, erimus similes angelis Dei: & iusti fulgebunt sicut sol. Nulla ibì erit tristitia, nullus labor, nullus dolor, nullus timor, mors nulla, sed perpetua sanitas. Nulla illic existet malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, necessitas nulla: non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non vlla inimici tentatio: non peccandi libido, immò nec malè agendi facultas: sed gaudium & lætitia omnia

Mors ob oculos perpetim statuenda.

Opera nostra nobiscũ proficiscuntur ad Christi tribunal.

Hæc de valdè iustis & impijs dicũtur Medij inter hos, q colligunt ligna, fœnũ, stipulã, per ignẽ purgatorium salui fiũt.1.Cor.3. vt exponit D. Augustinus & alij.

Iaco.4.

Matt.22. Matt.13.

Nulla corporalis passio in regno cælorum.

occupabit, hominesque Angelis sociati, sine vlla carnis infirmitate perpetuò florebunt. Erit illic lætitia certa, requies secura, pax vera, iucunditas infinita. Ibì quicquid semel adepti erimus, nunquàm amittemus. Nihil loco illo magnificentius, nihil gloriosius, nihil illustrius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil munificentius. Nihil illa bonitate syncerius, nihil illa abundantia copiosius. Ibì semper pax, & summa solennitas: ibi vera & certa felicitas. Ibì nullus erit metus hostis ferocissimi, qui semper cupit animas iugulare. Non timebuntur ignita iacula, nec vllæ tentationes eius. Non afferet terrorem barbarorum immanitas: nec vlla timebitur aduersitas, non ferrum, non ignis, non facies truculenta tortoris. Nemo illic vestimento indiget, vbi nullus æstus, neque frigus vllum, nec vlla aëris intemperies. Nemo ibi sitit, nemo tristatur: nullus illic peregrinus est, sed omnes in patria se degere gloriabuntur. Non rebellabit aduersùs spiritum caro: sed cum Angelis ineffabilia, Christo donante, 1.Cor.2. præmia percipientur, quæ, vt Apostolus ait, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. En qualem ille perditurus est beatitudinem, qui modò se, dum licet, emendare non vult. Nos igitur, fratres, Domino nobis auxiliante, prorsùs recusemus vltrà seruire peccato, quibus tanta beatitudo preparatur in cælo. Dum tempus est, maturemus propitium nobis efficere Deum. Despiciamus terrena, vt adipiscamur cælestia. Cogitemus nos peregrinos esse in hoc seculo, vt liberiùs festinemus ad patriam cælestem. Cogitemus, quę confusio illa erit, cùm in die iudicij continget cuiquam propter peccata sua in cõspectu Dei & hominum & Angelorum erubescere ac pudefieri: qui pauor, eum tunc iratum videre, quem etiam tranquillum mens humana capere non potest.

Illum diem timeamus, quem preuidere non possumus: illum formidemus iugiter, vt vel sic actus nostros corrigamus. Pensitemus, quis timor tunc erit, cùm de cælo Dominus ad iudicandum veniet, ad cuius conspectum cuncta elementa concutientur, cælum cum terra contremiscet, & virtutes cælorum commouebuntur. Tunc canentibus Angelorum tubis, mortales vniuersi, boni & mali, momento temporis resurgent in ijs corporibus, quæ hìc habuerunt, adducenturque ad tribunal Christi, venientis cum virtute multa & maiestate, Angelis omnibus eum comitãtibus. Tunc plangent se omnes tribus terræ, ostendetque illis fixuras clauorum in corpore suo, quod propter nostras iniquitates vulneratum est, peccatoresque compellans, dicet: Ego te, homo, de limo terrę formaui manibus meis, & in paradisi delicijs immeritum collocaui: sed tu me & mea iussa contemnens, impostorem sequi maluisti. Vndè etiam iustè damnatus es. Sed tamen ego misertus tuî, carnem assumpsi, in terris inter peccatores habitaui, contumelias & verbera propter te pertuli: vt te eriperem à pœnis, colaphos & sputa toleraui: vt tibi paradisi delicias redderem, acetum felle mixtum bibi. Propter te spinis coronatus, crucifixus, lancea vulneratus sum. Propter te mortuus, & in sepulcro positus, ad inferna descẽdi, vt te ad paradisum reducerem. Agnosce ergò humana impietas, quæ tua causa perpessus sim. En clauorum vestigia, quibus ad Crucem affixus fui. Recepi in me dolores tuos, vt te sanarem: recepi pœnas, vt te gloria afficerem. Tuli mortem, vt tu sine fine viueres. Ecquid verò facere debui, & non feci? Dicite iam mihi, peccatores ingrati, quid passi sitis propter me, aut quid boni pro vobis egeritis. Ego cùm essem inuisibilis, spontè propter vos incarnatus sum: cùm essem impassibilis, propter vos pati dignatus sum: cùm essem diues, propter vos egenus factus sum. Sed vos & humilitatem meam & pręcepta mea semper respuistis: seductorẽ potiùs, quàm me, secuti estis. Itaque nunc iustitia mea aliam sententiam ferre non potest, quàm qualem merentur opera vestra. Quæ ergò vltrò elegistis, ea nunc accipite. Contempsistis lucem: sint ergò vobis tenebræ. Amâstis mortem, abite in perditionem. Secuti estis diabolum, ite cum illo in ignẽ æternum. Quis tunc, putamus, charissimi, mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, quæ angustia, cùm hæc fuerit prolata aduersùs impios sententia? O quàm acerbum tunc erit malis, separari à suauissimo sanctorum consortio. Traditi enim dæmonum potestati, ibunt cum corporibus suis in supplicium æternum. Procùl relegati à beata cælestis paradisi patria, cruciabuntur sine fine in gehenna, nunquàm lucem visuri, nullum vnquàm refrigerium habituri, sed per infinitas annorum myriades semper apud inferos pœnas horrendas daturi. Nec fatigabuntur vnquàm, qui eos torquebunt: nec ipsi qui torquebuntur, vnquàm mori poterunt. Sicut enim ibì ignis depascit, vt tamen semper conseruet: sic tormenta sæuiunt, vt semper renouentur. Pro qualitate autem

Marginal notes: Dies extremi iudicij solicitè timendus. — Matt.25. — Apoc.1. — Christus in iudicio vt sit malos compellaturus. — Christus in iudicio ostẽdet peccatoribus clauorum vestigia. — Sentẽtia in impios. — Pœna inferni.

autem culparum, pœnas illic singuli sustinebunt. Auditur illic perpetuus planctus & stridor dentium: nulla miseris erit consolatio, pręter flammas & terrores pœnarum: ardebuntque sine fine cum dæmonibus in igne æterno in omnia secula seculorum.

Iusti autem ibunt in vitam æternam, in illa sine dubio carne, quam hîc habuerunt, sociabunturque Angelis sanctis in regno Dei, sempiternis perfruituri gaudijs, nunquàm iam morituri, nullam vnquàm corruptionem passuri: sed perenni lætitia & suauitate Christi perfusi, fulgebunt sicut sol in claritate & gloria, quam præparauit Deus diligentibus se. Et quanto quisquę in hac vita Deo fuit magìs obediens, tanto illic vberiorem percipiet mercedem: quantoque ampliùs hîc eum dilexit, tanto propiùs eum contemplabitur. Ecce charissimi, dixi iam vobis simpliciter, vt intelligere possitis, quæ bonis & malis euentura sint. Nemo iam se ignorantia tueri poterit, quandoquidem vita & mors, præmia iustorum & supplicia impiorum, denunciata sunt vobis. Iam in vestra optione est & arbitrio, eligere quod teneatis. Quod enim quisque hîc concupierit, id illic obtinebit. Vitam ergò æternam totis viribus concupiscite, nec emendationem vitæ procrastinetis: sed ob lucranda regna cælestia vltrò ipsi relinquatis, quod tamen cum ipsa vita amittendum est. Surgat iam, obsecro, quisquis vitiorum catena adstrictus est, & à somno mortis euigilet. Recurrat ad confessionem, agat pœnitentiam, nec erubescat publicè iam agere, ob immunditias, quibus se fœdauit: quia reuerà multo melius est, hîc ad breue tempus agere pœnitentiam, quàm per infinita secula apud inferos cruciari. Si ex animo egerit pœnitētiam, citò illi succurret pius redemptor, qui Lazarum quatriduanum & iam fœtentem suscitauit. Paratus est semper ille misericordiæ sinus, & clementer expectat, vt excipiat pœnitentes. Non debet quisquam, quantunuis magnis obstrictus sceleribus, vnquàm de Dei misericordia desperare. Ipse enim clamat per prophetam: Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua. Itemque: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. & per alium: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas. & in Euangelio: Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis, qui non indigent pœnitentia. itemque per prophetam: Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Animaduertite fratres, quàm sit profusa & larga bonitas Dei nostri, quàm ineffabilis misericordia eius. Quotidiè contemnitur, & quotidiè nos ad pœnitentiam benignissima pietate inuitat. Fiduciam nobis eius pia benignitas præstat, vt nec desperemus eius misericordiam, nec tamen absque pœnitentiæ fructibus veniam nos impetrâsse præsidamus. Quàm enim ille patris pietate indulgēs semper & misericors est, tam iudicis maiestate seuerus & metuēdus est. Aequissimè iudicat, vnumquenque iuxta vias suas, & reddit vnicuique iuxta opera eius, bona bonis, mala malis. Redite ergò, charissimi, in memoriam eorum, quæ fecistis: & si peccâsse vos cognoscitis, sine vlla dilatione ad pœnitentiæ remedia confugite. Audite scripturam dicentem: Non tardes conuerti ad Dominum, & nè differas de die in diem. subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Memineritis semper, versari vos in conspectu omnipotentis Dei, cunctorum hominum non solùm facta, sed etiam cogitationes inspicientis. Non est enim, vt ait Apostolus, vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.

Iustorū beatitudo post hanc vitam

Liberū hominis arbitrium.

Ioan. 11.

Ezech. 33.

Ezech. 18.

Esa. 43.

Luc. 15.

Ezech. 33.

Ezech. 18. & 33.

Rom. 2.

Eccli. 5.

Hebr. 4.

Hæc ergò iugiter cogitantes, intentissima solicitudine vos custodite, & ad extremum mundi diem studio bonorum operum semper vos præparate. Finis mundi iam propinquus est, &, quod lugendum est, tot quotidiè mala fiunt, tot calamitates existunt, vt per hæc ipsa mūdus finem suum indicare & proclamarę videatur. En omnia, quæ prophetæ & Apostoli prædixerunt, propemodùm impleta iam sunt: dies iudicij & horrendus Antichristi aduentus restant. En bella alia super alia, tribulationes aliæ post alias, perpetua fames & pestis. Quid ergò adhuc tam sumus lapideo & ferreo pectore, vt de animæ salute nec inter tot mala cogitemus? Diù est, quòd Deus comminatur, sed nihil flectitur hominum pertinacia. Cælestis iam olìm intentatur vltio, nec vlla hominum adhibetur satisfactio. Dei ira propinquat, & tepidè agitur pœnitentia. Testantur prophetæ ventura supplicia, & rarò ab hominibus diuinum imploratur auxilium. Quapropter moneo vos, dilectissimi, vt vel cum mundo deficiente, facessat omnis malitia, Deique totis viribus misericordia cōcilietur. Non nos diuitiarum sarcinæ ad terram deprimant, quas hauddubiò [illegible]ùs relinquemus. Non putemus

Duritia hominum malorum.

mus nos pariter & Christum habere posse, & mundum. Itaque spreto mundo, ad cælum liberi festinemus. Veniat nobis in mentem, quàm grauia sint scelera, quæ admisimus: quàm dira inferorum supplicia, quæ timemus: & pro ratione culparum, pœnitentię medicinam adhibeamus. Succurrat animo illud Apostoli dictum: Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quin nec auferre quid possumus. Nudi nati sumus, nudi etiam moriemur. Quicquid autem hîc inuenimus, etiam hîc relinquemus. Sola opera bona, si ea fecerimus, nobiscum ad cælum feremus: immò illa nos in cælum ferent. Itaque tanquàm peregrini, rebus necessarijs contenti, illas nobis diuitias hîc acquiramus, quas nobiscum ad paradisi patriam feramus. Deum super omnia diligamus: quia reuerà impium est, eum non diligi, cui vicem rependere non possumus, etiam cùm diligimus. Quid enim nos impij, pio Domino retribuere possumus pro omnibus, quæ ille tribuit nobis? qui nullis nostris præcedentibus meritis tanta nobis præstitit indignis, vt nos à iugo diræ damnationis redimeret. Descendit ille ad nos de sede paternæ maiestatis, iniurias in terris multas pertulit, probra mortemque innocens perpessus est. Et omnia quidem tulit patientissimè, vt nobis humilitatis & patientiæ exempla relinqueret. Vndè etiam ait: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.

1.Tim.6. Iob 1.

Non diligere Deū valdè impium est.

Matt.11.

Oportet igitur, vt quemadmodùm ille propter nos, ità & nos aduersa omnia, quæ propter peccata nostra nobis eueniunt, æquanimiter toleremus, vt patientiæ fructus in vita æterna capiamus. Vrgeamus, fratres, cursum nostrum, dum tēpus habemus: odiamus hunc mundum, quem tamen diù tenere non possumus. Nulla nos malorum operum contagia polluant: sed oculus diuinæ maiestatis omnia intuens, semper à peccatis nos retrahat. Si enim homines, nostrî similes peccatores, & ex eodem luto formatos, ferre non possumus inspectores scelerum nostrorum: quanto magis æternum illum & omnipotentem Dominum, in quem nullum potest cadere peccatum, timere ac reuereri debemus? Eum ergò timeamus & reuereamur perpetuò, sicque nos spes veniæ erigat, vt metus gehennæ semper solicitos nos reddat. Ante omnia & super omnia charitati studeamus, vti nos pluribus locis scriptura diuina hortatur. Si charitas in nobis est, cunctis virtutibus ornabimur. Si illa caremus, perit quicquid boni habere videmur. Nec isti arrepto benè agendi proposito lassemur vnquàm, præsertìm cùm Dominus eum, qui miserit manum suam ad aratrum, & respiciat retrò, affirmet non esse aptum regno Dei. Respicit autem retrò, quem pœnitet boni propositi, & qui terrenis rursùs desiderijs implicatur. Dum licet, castigemus nos, & factorum nostrorum à nobis rationes reposcamus, coram iudice nostro nos accusemus, nec vitæ emendationem ad extremum diem differamus: sed quotiès labimur in peccata, per pœnitentiam mox resurgamus, totisque viribus prauas voluntates carnisque illecebras proteramus. Semper enim ad mortē propiùs accedimus, & dum nos securos putamus, repentè illa extinguet nos. Tendamus alacriter ad illam beatitudinem, in qua sancti omnes videre nos desiderant, & Christus Rex cælestis & spiritus Angelici expāsis charitatis brachijs nos expectant. Hæc nos, charissimi, tanquàm lac vobis proposuimus: & sub testimonio Dei & sanctorū Angelorum, qui nos loquentes audiunt, persuncti sumus officio nostro, cælestia vobis præcepta tradentes. Vestrum iam est curare, vt admonitio nostra suum habeat salutis effectum: & vt semper voluntatem Dei facientes, ab omni vos malo custodiatis: atque tandem ab omni peccati contagione liberi, ad regna cælestia tripudiantes peruenire possitis: Præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

Oculus Dei omnia intuens, metuēdus.

Luc.9. Retrò respicere quid sit

Qua ratione conciones suas claudere consueuerit. Cap. 17.

HAec summatim de sancti viri concionibus narrâsse sufficiat: quæ ille quidem non hoc ordine, vt à nobis commemorata sunt, in singulis concionibus proponere solebat, sed diuersis temporibus. Tandem autem hęc inferebat: Hæc vos, fratres, si seruaueritis, habebitis pręmium: si neglexeritis, supplicia perferetis. Nam quòd ad me attinet, ego meam coram Deo liberaui conscientiam, testesque inuoco cælum & terram, exhibuisse me vobis debitum ministerium, vitamque & mortem annunciâsse. Id autem vobis nunc affirmo, si quidem spreueritis verba mea, & per contemptū ea audire nolueritis, vbi venero ad redemptorem meum, accusaturum me pertinaciam & peruicaciam vestram, palamque testaturum, vos semper

Frequens conclusio concionis suæ.

ſemper voluntati maligni dæmonis potiùs, quàm Chriſti, obediuiſſe. Et tunc reuerà indignante iudice, exactori trademini, dabitiſq; pœnas ſine fine, donèc nouiſſimum quadrantem perſoluatis. Hæc igitur ſunt, quæ beatus Eligius ſummo ſtudio ex locupletiſſimo pectoris ſui theſauro plebi depromere ſolebat: Interìm nihilominùs alia multa his ſimilia quotidiè exhortans, populo euangelizabat. O verè copioſum vas, quod tam affluenter miniſtrabat plebi adipem frumenti Chriſti, lætitiam olei & ſobriam vini ebrietatem. O verè glorioſum virum, eximium Dei amatorem, qui vt paſtor bonus ſatagebat ſtrenuè vagabundos reuocare, confractos alligare, errantes ad paradiſi caulas reducere. Cuius bona & ſimplex doctrina redolet proculdubiò prophetas, ſapit Apoſtolos, imitatur Euangeliſtas. Cuius ſermo non alius apud ſuos fuit, quàm de regno Dei, de delicijs paradiſi, de gehennæ ſupplicijs, de iuſtitia, fide & charitate, de contemnendis mundi illecebris & oblectamentis, & vt ſoli Deo totis viribus ſeruiendum ſit. Dicere autem ſolebat illud Apoſtoli: Non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Sciebat dictum à Iacobo Apoſtolo: Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Sed nunc tandèm ad vitæ eius ordinem reuertamur.

Luc. 12. Matt. 5. Sermo familiaris S. Eligij. 2. Cor. 12. Iaco. 5.

De vino in vaſe aucto. *Cap.* 18.

VIr quidam in Pariſienſi ſuburbio haud procùl à baſilica beati Petri Apoſtolorum principis morabatur, quem & Eligius ob fidem & deuotionem eius amaret familiariter, quique Eligium pro ſanctitatis eius reuerentia vnicè diligeret. Contigit autem, vt quandoquè Eligius prædia monaſterij ſui inuiſeret, ac deindè Lutetiam redire volens, eminùs ab hoc viro cõſpiceretur. Vt ergò aduertit ille, Eligium non longè à domo ſua habere iter, accurrit obuiàm, oſculatur eius genua, orat vt cum comitibus velit diuertere ad domum ipſius, & bibere pauxillum vini, quod in vaſe remanſerat. Recuſat Eligius: ſed tandèm vix precibus ſuorum victus, abit ad domum illius. Habebat autem is in cellario ſuo vas vinarium, in quo parùm vini relictum erat. Quod offerens beato viro, orat obnixè, vt indè vel parùm bibat. Satisfacit ille homini, & perparùm bibit: ſed comites eius omnes benè largiter biberunt. Deindè cùm benè precatus eſſet domui illius, valedixit ei, & receſſit ad monaſterium ſuum, quod intra vrbem Pariſienſem erat. Eo abeunte, vas illud penè exhauſtum, diuino munere totum impletum eſt vino. Altera luce vir ille caſu ingreſſus in cellarium, cernit vas omninò plenum. Obſtupeſcit igitur ad rei nouitatem: ſed mox recordatus ſanctitatis Eligij, ocyùs ſe cõfert ad eum, indicat quid beneficij propter eum Dominus ſibi contulerit. Eligius id audiens, agit gratias Deo, orat hominem, nè rem cuiquam aperiat, ſed cum gratiarumactione vtatur Dei beneficio. Ille autem orat virum ſanctum, vt veniat ſecum, & benedictionem ſuam impertiat vino illi, & vtendum ex vaſe proferat. Quod nì faciat, proteſtatur ſe ne vnam quidem guttam eius vini vnquàm hauſturum. Sanctus Eligius videns hominis deuotionem, iuit cum illo, veniensque in ædes eius, humì ſe proſtrauit, orans diutiſſimè. Indè ſurgens, vt vidit vas plenum, iubet vinum ex illo promi: ex quo parùm ille guſtauit cæteri largiſſimos accepêre hauſtus. Tum ille oculis manibusque in cælum porrectis, gratias agens & laudans Deum, abſceſſit.

Vas vinariũ penè vacuũ, vino impletur diuinitùs.

Quanta vis fuerit excommunicationis eius. *Cap.* 19.

NOn mihi ſilendum videtur illud, quod poſſit multis afferre metum, nè ſint auſi procacibus verbis in ſanctos viros incurrere, niſì velint ſimilia experiri. Quidam è familiaribus Ebroini, homo infauſtus, nimiumque proteruus, multo tempore conabatur ſyluam longè optimam Eccleſię beati Eligij eripere, & in ſuum ius transferre: crebrò ea cauſa veniens ad illum, & procaciter eum laceſſens. Quodam autem die in multa hominum frequẽtia etiam violenter ſyluam illam ab eo extorquere voluit. Eligio autem modeſtè & comiter reſpondente, ille magìs etiam petulanter cœpit virum Dei infeſtare. Sed neque ſic Eligius quicquam de ſua patientia remittens, blandis verbis ait ad eum: Amice, inijce frenos cupiditati tuæ. Cur non erubeſcis tam cæca mente rem alienam appetere? Si peteres quæ mea ſunt, darem forſitan tibi. At nunc quandò non meam, ſed Eccleſiæ rem expetis, prorsùs nòueris me minimè tibi donaturum, quod pauperum neceſſarijs vſibus delegatum eſt. His ille acriùs ſtimulatus, minitabundus ait ad eum: Si mihi vltrò non dederis, ego vi tollam. Tum Eligius commotus, ſeuero vultu dixit ei: Nòuit creator meus, niſi

Deteſtabilis res cupiditas. Hæc ſancti viri commo-

tio nō de vitio, sed zelo iustitiæ profecta est. nisi citò mutaueris sententiam, dignam meritis tuis excommunicationem in te prolatum iri. Ille id audiens, mirè cachinnari cœpit, multaque in virum Dei probra conuiciaque iactare. Cernens ergò Eligius eum nulla ratione posse compesci, dextera manu extensa, excommunicationis fulmen in eum terribiliter vibrauit. Mox præpotentis Dei ira eius sententiam prosequens, ità perculit virum, vt viribus omninò destitutus, mortuo similis videretur: & simulatquè Eligius ore protulit verba, humi collaberetur, cunctique cum animam expirâsse putarent. Mirabantur omnes Eligij iniuriam tam citò vindicâsse Deum, orabantque sanctum virum, vt pro misero Dominum deprecaretur. Quod vtrùm fecerit, incompertum habemus. Id sanè admiramur, tantam vim habuisse sermonem eius, vt sine vllo ictu repentè superbum deijceret. Simul aduertimus, quàm charus fuerit Deo, vt qui sententiam eius tam perspicuè sua vltione confirmârit.

Obserua Deū exequētem sententiam eius.

Quid acciderit quibusdam refractarijs. *Cap.* 20.

CVm aliquandò dies natalitius beati Petri Apostoli haud procul Nouiomēsi oppido in vico quodam celebraretur, beatus Eligius illic suo more cōstantissimè prædicabat verbum Dei, dicebatque profligandos & exterminandos esse cunctos dæmonum ludos, & nefandas saltationes atque choreas, vanas quoquè & impias superstitiones. Sed ea verba præcipui quidam eius loci habitatores indignissimè ferebant, quòd legitimas, vt ipsi putabant, consuetudines eorum abolere vellet. Tractârunt tunc quidam impij inter se, præsertìm è familia * Erchonoaldi, qui erat palatio præfectus, de nece S. Eligio afferenda, si pergeret ipsorum nugas insectari. Quod vbi ille comperit, martyrij incensus desiderio, vno duntaxàt diacono & duobus clericis sibi adiūctis, reliquis domì manere iussis, ocyùs eò profectus est, & per medias turbas transiens, in edito quodam loco ante basilicam maiori instantia concionabatur, acriter obiurgans illos, quòd spretis salutaribus monitis, vsqueadeò dæmonum ludibrijs dediti essent. Ijs verbis admodùm commoti, conuicijs & contumelijs eum proscindebant, mortem ei minitantes, atque dicentes: Nunquàm tu Romane, licèt crebrò eas taxes, nostras poteris abrogare consuetudines: sed eas nos mordicùs retinebimus, nec vllus mortalium tollet nobis gratissimos ludos. Tum ille nihil se proficere cernens, reī indignitate permotus, Dominum Iesum toto pectore orauit, vt permitteret homines improbos, qui tam audacter contra eius præcepta venirent, & dæmonibus petulanter obsequerentur, ab ijsipsis obsideri, vt vel sic cognoscerent, quorum operibus delectarentur, & homines fideles propensiùs laude & prædicatione ipsius Christi nomen efferrent. Dixit, & confestìm permulti, ij præsertìm qui manus ei inijcere moliebātur, à dæmonibus arrepti, multis modis debacchari cœperunt. Ea re valdè territi omnes, qui aderant, ad hominis Dei se vestigia abijciebant, veriti nè similia paterentur: promittebantque se dictis eius omnibus audientes fore. Ad quos vir beatus: Nè timueritis, inquit, sed iustum Dei iudicium laudate. dignum est enim, vt qui eius iussa contemnūt, ad tempus illis traditi, quos amant, sentiant magistros suos, quos colunt. Vos autem, si Christi præceptis libenter parére vultis, nihil timeatis hos latrunculos. Multis autem rogantibus, vt pro eis Dominum deprecaretur, Sinite, inquit, reipsa experiri illos, quibus hactenùs morem gesserint. Atque ità illo anno vsque ad anniuersarium eius solennitatis diem, manserunt illi obsessi à dæmonibus. In ipsa autem solennitate iussit eos omnes exhiberi palàm, porrigensque eis aquam benedictam, ilicò curauit illos. Erant sanè homines ampliùs quinquaginta. Cumque eos probè instituisset, & grauiter obiurgâsset, sanos à se dimisit.

Hunc Aemylius vocat Ercembaldum.

Magno martyrij desiderio feruet.

Homines ampliùs quinquaginta arripiuntur à dæmone.

Latrūculos, dicit dæmones.

Aqua benedicta sanat eos.

De singulari efficacia interdicti eius. *Cap.* 21.

CVm aliquandò visitaret diœcesim suam, vt solēt Episcopi, quadam ex causa interdixit, nè Cursus, id est, preces Canonicæ, & sacrificium celebrarentur in basilica quadam, donèc ipse iuberet. Erat illic presbyter quidam sibi malè conscius, ob cuius culpam id fecerat beatus Episcopus. Is paruipendens eius sententiam, cùm procùl illum recessisse arbitraretur, campanam hora statuta, vti moris erat, pulsare cœpit. Sed vt eius temeritas reprimeretur, campana rationis expers, beato viro obtemperans, nullum sonum reddidit. Perstitit ille trahendo restim campanæ, sed sonum exprimere non potuit. Itaque egressus è basilica, omnibus rem exponit. Tum quidam ex eis memores, quid iussisset beatus Eligius, properè illum sequun-

Nota de campana insigne miraculum.

sequuntur, orant vt bona ipsius venia liceat diuina celebrare officia. Sed ille, tametsi erat clemens & benignus, noluit tam facilè relaxare sententiam suam, nisi præcederet satisfactio. Interim triduum labitur, & presbyter sępè frustrà tentat elicere è campana somnum. Tandèm optimatum & seniorum flexus precibus, cùm pœnitentiæ satisfactio accederet, solo verbo beatus vir conciliauit locum, & mox campana sonum edidit, vtì priùs consueuerat. Mira virtus beati viri.

De arbore arefacta. *Cap.* 22.

QVandoquè iter necessarium suscipiens, peruenit ad locum quendam propinquum Compendio, regali palatio. Fessus ex itinere, diuertit in agrum cuiusdam coloni, vbì erat arbor nucibus onusta, è quibus ministri eius, illo in diuersorio manente, quasdam decerpserunt. Accurrit ocyùs arboris dominus, procaciter improperans nuces sibi eripi. Id vbì comperit beatus Eligius, vocat ad se virum, & blandè ac comiter illum appellans, orat nè propter paucas nuces, cùm plurimæ illi relictæ essent, tantas turbas cieat: ait se pro nucibus ablatis liberaliter satisfacturum. Sed ille tumido animo bonitatem eius spernens, asperis in eum verbis inuehitur, eadem sæpiùs iterans. Tum vir Dei animo mutato, famulos quidem, quòd id fecissent, acriter obiurgat, homini illi tres aureos numerari iubet: sed ad arborem conuersus, vt olìm Saluator noster ad ficulneam, ità ait: Quandoquidem adeò tua causa infestamur, nunquàm deincèps ex te fructus nascatur in ęternùm. Confestìm ad vocem eius arbor exaruit, hodieque sic perseuérat. Tenebat fide plenissima illam Domini sententiam, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: atque ità cum fiducia imperauit arbori, Dominicum, vt diximus, secutus exemplum. Matt. 21. Nota miraculum. Ioan. 14.

Dæmoniacis imperat silentium. *Cap.* 23.

IN ferijs beati Martini Episcopi quandoquè more suo inter Missarum solennia post Euangelij lectionem ad populum vir sanctus concionabatur: sed eius vocem ampliùs duodecim dæmoniaci, in templo debacchantes, valdè interturbabant. Tum ille porrecta in eos manu, præcepit in nomine Iesu Christi, vt dum ipse concionaretur, nemo illorum mutire ausus esset. Párent ilicò: nec solùm clamor omnis conquiescit, sed etiam plerique dæmones, non ferentes vim verborum eius, relictis illis, quos obsidebant, pudefacti aufugiunt. Magna eius in dęmones potestas.

De famulo eius repentè sanato. *Cap.* 24.

QVidam ex famulis eius, Ermensindus nomine, pessimo laborabat morbo, diroque & intolerabili pressus dolore, vix spiritum trahebat. Volebat tum Eligius aliquò proficisci. Ille verò miser, non verbo, sed nutu obsecrat, vt priùs sese velit inuisere. Venit Eligius ad eum: duriter obiurgat, quòd ob culpas suas cæco pectore non egerit pœnitētiam. Illo autē penè iam efflante animam, & non verbis, sed lachrymis & altis suspirijs satisfaciente, beatus Eligius, vt erat certè valdè humanus erga familiam suam, permotus misericordia, præcepit ei, vt in nomine Iesu Christi sine mora surgat sanus, secumque proficiscatur. Puncto temporis fugit dolor omnis: surgit homo, cunctis mirantibus, incolumis: exiliensque, abit cum Episcopo. Hominem ab ipso mortis aditu reuocat ad vitam incolumem. Diaconus quidā immani lateris dolore multos dies cruciatus, morbo crescente, toto penè corpore tabescebat. Eius latus & artus vt sancta manu vir Dei contrectauit, célerrimè curatus est. Diaconus æger curatur.

De presbytero excommunicato & mortuo. *Cap.* 25.

QVidam presbyter diœcesis eius pessimè apud vicinos audiebat. Eum Eligius crebrò verbis castigans, ad sanitatem reuocare non potuit. Cumq; mala eius fama latiùs serperet, beatus vir tam nefanda audire ampliùs non sustinens, accersit eum ad se, percontatur de crimine, quod fama vulgâsset, comiter hortatur ad emendationem & confessionem. Ille prorsùs negat se illud admisisse flagitium, audacterque pergit excusare sese, videlicet plùs hominem, quàm diuinam vltionem, reformidans. Eligius sentiens nulla via adduci eum posse ad confessionem, ferit eum anathemate, vt sic publicè agat pœnitentiam, nec ausus sit ad altare sacrificaturus accedere. Addit minas, si id faciat, se seueriùs in eum animaduersurum. At ille abscedens, eiusq; minas floccipendens, pergit more suo viuere dissolutè, atq; post paucos dies, neglecta beati Episcopi excommunicatione, ad altare,

sacrificium oblaturus, non veretur accedere. Cumque primas altaris partes intrepidus attingeret, mox diuinitùs percussus, & magno impetu humì prostratus, expirauit. Ea re factum est, vt beati viri indignatio magno omnibus terrori esset: dictaque eius, oraculi instàr haberentur. Vbì autem ille comperit tam horrendam hominis mortem, valdè eum luxit, multisque malè viuentibus, vt se corrigerent, eius casum proposuit. Tanta autem animi eius puritas erat, cunctisque virtutibus adeò florebat, hymnis & precibus sedulè vacans, vt etiam futura longè antè prædiceret.

Nota terribile Dei iudicium, in presbyterũ nequam.

Vt prædixerit mortem cuiusdam magni viri. Cap. 26.

ROgauit eum aliquandò Erchonoaldus, præfectus palatio, vt cum ipso longiùs proficisceretur. At ille multa secum reputans, nolebat ire cum eo: sed tamen coactus à senioribus & Abbatibus ciuitatis suæ, verentibus nè tanti viri animum offenderet, ità palàm dixit: Quid necessè est, fratres, vt tanta nos afficiatis molestia? Equidem nóui quod vos ignoratis, si cum illo ierimus, malè id cessurum. Ille enim hinc quidem exit, sed ibì morietur. Iuit tamen cum illo: ventum est ad locum destinatum. Cumque illic nocte quadam, alijs dormientibus, casu beatus Eligius foràs egressus obambularet, & de psalmis nescio quid secum volueret, subitò vidit columnam ignis è cælo descendere, & magna vi cubiculum Erchonoaldi penetrare. Rei itaque euentum tacitè secum considerans, interitum bestiæ illius diacono suo, qui fortè solus tum ei aderat, indicauit. Mox autem diuinitùs percussus Erchonoaldus, sentiens magno ardore cruciari viscera sua, iubet ocyùs ad se introduci Eligium. Venit Eligius, videt hominem magnis correptũ angoribus, hortatur eum, vt quandò iam desperat se victurum, vel moriturus faciat, quod viuens spontè noluisset: videlicet vt loculos multos auro tumentes, quos equi vehebant, pauperibus quamprimùm eroget pro refrigerio animæ suæ: Id solum profuturum ei asserens: nocitura verò, quæ in thesauris esset relicturus. Sed ille vt rapax, ità etiam tenax, dum moras nectit, repentè extremum efflat anhelitum. Corpus eius, misericordia motus, Eligius secum absportauit, & tradidit sepulturæ.

Visio S. Eligij.

Diuinitùs percutitur præfectus palatio.

Vt Flauadum quoquè prædixerit moriturum. Cap. 27.

FLauadus tyrãnus crudelissimus Vuillibaudum Christianissimum virum, Burgundiæ patritium, immerentem occidit. Id vbì ad aures beati Eligij perlatum est, ille narrantibus ait: Vos quidem dicitis Vuillibaudum cæsum, Flauadum incolumem. At ego illum, quem vos interfectum dicitis, pro eximijs meritis aio nunc in cælis meliùs viuere: Flauadum verò, quem vos gratulabundi asseritis vita frui, breuì malè periturum. Vuillibaudus, inquam, verus Dei cultor, mortuus quidem videtur, sed sine fine vitam viuet beatissimam: Flauadus verò, qui diù victurus putatur, intra hos decem dies, vtì dignus est, malè morietur. Post dies septem deimprouisò Flauadus percussus, miserè excessit è vita.

Prædicit Flauadi tyranni mortem.

Vt obitum cuiusdam Episcópi, spiritu cognôrit. Cap. 28.

PErmulta alia, cùm iam Episcopus esset, prædixit. Quinetiã adhuc laicus futura annunciauit. Nocte quadam post absolutas ex more preces, paululùm se ad quiescendum componens, mox in somnis visus est res admodùm serias agere. Excitatus ergò à clerico, & interrogatus quid vidisset, sic respondit: Simplicius Lemouicum Episcopus nupèr obijt, & Felix ei successurus, mittit nuncios ad nos, vt ei nostram operam nauemus. Cum illis ego iam loquebar: & certè breuì hìc aderunt. Dixit, & reddit se quieti. Indè sub lucem nuncij illi pulsant fores eius: ijs apertis ingrediuntur, indicant Episcopi mortem, afferunt multã pecuniam, missam à Felice, vt ei ad obtinendum Episcopatum esset adminiculo: sed Eligio persuadere nulla ratione possunt, vt quicquam eius attingat. At tamen ingressus ad principem, gratis impetrauit, quicquid illi petebant, sicque eos à se dimisit.

Reuelatur ei mors Episcopi Lemouicensis.

Odit munera vir sanctus.

Cuidam Abbati indicat pericula monasterij eius. Cap. 29.

ABbas Domnolus quandoq; venit ad eũ, & aliquandiù hęsit apud illum. Quadam igitur nocte post quietẽ clàm ad se accito illi ait: Tu hìc securus degis, sed monasterium tuum magno inimici impulsu quatitur & exagitatur. Vidi enim in visione flumen ingens in illud multa vi inferri, & quędam ædificia prorsùs subuertere. Quamobrèm perge, quæso, nisi onerosum est, & vide num fratres tui rectè habeant. Confestìm Abbas, solicitudine anxius, iter capessit: & priusquàm ingrederetur in monasterium, nunciatur ei, duodecim ferè monachos dæmonum

Visio eius.

rum instinctu è monasterio clàm aufugisse. Tum ille non sine admiratione reminiscens, quid ab Eligio audijsset, diuinam in illo gratiam suspiciebat: mox abit quęsitum fratres illos profugos: & quosdam quidem reduxit ad monasterium: alios verò, quòd longiùs recessissent, compræhendere non potuit.

Quænam incluso cuidam prædixerit. Cap. 30.

CVm aliquandò monasterium suum Lemouicense vir sanctus visitâsset, & in reditu in Biturigum vrbem venisset, voluit Euergisilum inclusum videre, cuius tum erat celebris apud Bituriges opinio. Sed ille propositi sui plùs æquo tenax, faciem suam beato viro ostendere noluit, non nisi per fenestram opertam cum illo colloquens. Paucis igitur vltrò citroque habitis sermonibus, Eligius ei valedicturus, Iam quidem, inquit, te hîc frater videre non potui, sed certè breuì in aula Regis Clipiaci visurus sum. Illo constanter asseuerante nunquàm id futurum, Eligius rursùs ait: Vera me dicerè tum cognosces, cùm loco memorato coram principibus & populo ego palàm te visurus sum. Non diù pòst talis se casus obtulit, qui eum necessariò cogeret Regis palatium adire, vbì ab Eligio honorificè exceptus est, qui eò tum quoquè aduenerat. Porrò inter familiaria colloquia ciuiliter admodùm & comiter atque peramanter ab eo repræhensus, deindè confecto negocio suo, Bituriges reuersus est.

Prædicit Euergisilo, quod ille nunq̃ putâsset futurũ.

De quibusdam alijs ab eo prædictis. Cap. 31.

MVlta alia in colloquijs familiaribus prædixit, putà mortem Ariberti Regis, itemq; Dagoberti inclyti principis, natiuitatem Clotarij iunioris: qui cùm adhuc matris vtero gestaretur, & Regina valdè solicita timeret se fœminam parituram in regni detrimentum: Eligius venit ad eam, & iucundissimè eam appellans, ait coram omnibus, masculam prolem edituram, seque è baptismo eam suscepturum. Nomen etiam necdùm nato tum imposuit, Clotarium eum vocans. Præter quem alios duos eadẽ Regina peperit: qui cùm adhuc paruuli essent, & Rex atque Regina pacificè & amanter victitarent, talis Eligio oblata visio est: Adspiciebam, inquit, in visione noctis solem sub horam diei tertiam clarè lucentem, repentè disparére. Cumque insolens prodigium intentè contemplarer, video repentè ceu dimidiam oriri lunam, tribus in orbem vallatam stellis, eaq; via ingredi, qua solet quotidiè sol recurrens. Eccè autem dum hîc quoquè attonitus defigo obtutus, mox stellis manentibus, luna euanescit. Deindè illas tres accuratè considerans stellas, ad horam penè meridianam video eas accedere, vicissimq; suis se radijs cædere, & eam, quæ inter eas præstantior erat, deimprouisò non apparére. Cumq; duæ reliquæ inter se coniungi viderentur, dicto citiùs altera earũ obscurata & sublata, vna sola remansit, eaque recto tramite solis cursum imitans, magno tandẽ lumine aucta est: quantoq; ad Occidentem magìs ferebatur, tanto eius lux copiosiùs propagabatur. Porrò vbì ad vltimum peruénit occubitum, tantam vim luminis ex se diffudit, vt solis splendorem vincere videretur. Huius autẽ visionis hęc est interpretatio: Defuncto Clodoueo Rege, qui sine dubio breuì desinet esse in humanis, aliquãdiù Regina cõiunx eius cum tribus filiolis Francorum regnũ obtinebit. Illa autẽ sublata, & filijs in regno relictis, vnus ex ijs cadet: nec diù pòst alter quoquè è duobus, regno priuabitur. Tertius verò solus obtinebit monarchiam, eritque eius magna gloria & potentia. Hucusquè Eligius. Nos verò dubitare non debemus ità fore, vt prædixit, cùm iam nonnulla impleta videamus. Nam & Clodoueus Rex intra breue tempus in pace obijt, & Regina coniunx cum tribus paruulis ad paucos annos regnans, filijs posteà reliquit principatum. Paucis interìm labentibus annis, maior natu dum pacificè regnat, excedit è viuis, duobus relictis fratribus: de quibus quid futurum sit, solus Deus nouit. Hæc aliaque complura, quæ referre longum sit, sæpè prænunciare solebat Eligius.

Prædicit Reginę masculam prolem ex ea nascituram.

Visio eius.

Visionis ei⁹ interpretatio.

Catalogus quidam virtutum eius. Cap. 32.

INter alia diuina charismata, sermo quoq; sapientię & scientię atq; consolationis multus ei collatus erat. Humilitas autem & charitas admirabilis & planè eximia ei inerat. In honore non pręferebat diuitẽ pauperi, aut nobiles & potẽtes abiectis & vilibus: sed illis seueriorem, istis blandiorem se exhibebat. Famulos suos non affligebat, vt solent domini seruos, sed tãquàm fratres humaniter diligebat. Iam verò in tolerandis barbaris quanta comitas, patientia quanta? Non cessabat infideles suadendo ad fidem traducere, ingratos officijs lenire, contradicentibus leniter respon-

respondere, superbos humiliter tolerare. Ad quæuis dura & aduersa perferenda fortis, ad iniuriam omnem placidus, ad misericordiam facilis erat. Dicere solebat, res suas non suas esse, sed pauperum: quorum sanè procurator egregius fuit, omnia sua liberaliter illis impertiens, in cælis condens thesauros, vbi se sperabat feliciter sine fine victurum. Erat fide firmus, opere iustus, iudicio circunspectus, deuotione præcipuus, moribus suauissimus, sensu doctissimus, animo tranquillus, corde pijssimus. Semper seruabat in factis synceritatem, in corde puritatem, in actione virtutem, in moribus disciplinam. Exhibebat in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam, in adhortatione diligentiam, in adiuuandis laborantibus vigilantiam, in fouendis pauperibus misericordiam, in defendendis Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus constantiam. Sermo eius semper comitate & charitate conditus erat, quo mentes audientiú tanquàm luminare radiantissimum illustrabat. O verè imitandum virum, ô semen Abrahæ benedictum, ô proponenda omnibus Eligij exempla. Iure Abrahæ filius dicitur, non genere, sed fide: non progenie, sed imitatione: non stirpe, sed deuotione. Abrahæ benedictio dedit filium: Eligius verò benedictus, transit in numerum filiorum. Abraham Domino obtulit filium: Eligius munus præstantissimum obtulit seipsum. Et Abraham quidem dedit hæredem, Eligius hæreditatem: ille innocentem filium, hic omnem substantiam suam. Consequens indè fit, vt similitudo officiorum paria efficiat merita. Deniquè Abraham obtulit id, quod habuit: Eligius quicquid in mũdo habere potuit, Domino dedicauit. Sed hactenùs quidem, etsi parùm eleganter, tamen prolixè, de beati viri vita diximus, quantquàm longè minùs, quàm pro meritis & dignitate illius. Superest nunc, vt pro ædificatione multorum, eius è vita decessum commemoremus.

Pauperum est egregius procurator.

Collatio ei' cum Abrahamo. Gen. 22.

De felicissimo beatissimi viri ex hac vita imminente decessu. Cap. 33.

CVm ergò beatus Eligius omnia mundi huius aduersa multiplicesq; labores diù fortiter tolerâsset, innumera misericordiæ & benignitatis officia præstitisset, optima viuendi exempla de se præbuisset, captiuos plurimos & propè innumerabiles redemisset, magnos monachorum & monacharum greges Domino collegisset, incredibilem eleemosynarum copiam in pauperes contulisset, & ingentes sibi meritorum thesauros coaceruâsset, annos iam natus ampliùs septuaginta, sentiens imminere dissolutionem corporis sui, quodam die cum discipulis suis in Nouiomensi oppido deambulabat, atq; interim casu eminùs conspiciens in fronte basilicæ beati Medardi parietem nonnihil diruptum, ruinam minari: ocyus iussit acciri artificem, qui parietem communiret. Dicentibus autem discipulis, vt opportunum tempus sustineret, quó & faciliùs & durabiliùs reparari posset, ille respondit: Immò iam fiat. nam alioquì Eligio superstite non fiet. Illo verò sermone mirè omnes consternati, gemebundi dixerunt ad eum: Non contingat, domine, nobis famulis tuis videre, quod dicis: sed potiùs ad Ecclesiæ suæ ornamentum & pauperum leuamentum, Christus tuam beatitudinem in multos annos florere velit. Tum ille, sublatis suppliciter in cælum oculis, ab imo pectore longa trahens suspiria, Non nostra, inquit, sed Domini voluntas fiat de me. Exigit sanè ipsa naturæ conditio, vt post longa vitæ huius oblectamenta tandèm eamus ad veniam. Sed & vobis expedit, vt à diuina voluntate, quam impedire non potestis, minimè discrepetis. sine dubio enim præfinitum tempus nunc adest. Omnibus igitur valdè mœrentibus, rursùs ait: Nolite, filióli, dolere hoc nomine, sed potiùs gratulamini mihi. Hoc tempus enim iam olìm ego desiderabam, iampridèm hanc mihi missionẽ post longas vitæ huius ærumnas fieri per-optaui. Verùm illis gementibus, & tamen quadam adhuc ambiguitate hærentibus, illa tum colloquia intermissa sunt. Sed statim leui beatus vir febre laborare cœpit, certiusq; iam edoctus de obitu suo, iubet conuocari omnes ministros suos, quos ipse multo tempore & aluerat & instituerat, ijsque denunciat finem vitæ suæ iam impendére, atque vtì semper consueuerat, inter cætera hortatur eos ad seruandam pacem mutuam, ad charitatẽ vel maximè colendam, vt quæ sit vnitatis & concordiæ vinculum. Deindè euocato Baldredo Tornacensis Ecclesiæ Abbate, sic ait: Ego, frater, quod certissimè futurum scio, te celatum nolo. Equidem iam sum abiturus à vita: te verò admoneo, nè vnquàm velis Turones redire: sed mane hîc apud fratres tuos. Quòd si secùs feceris, iam antè tibi prædico, viuũ te indè non rediturum. Quod quidem sic accidit. Baldredus enim post obitum beati viri sine dilatione Turones perijt: sed post dies non multos, turba in eum irruẽte, valdè cæsus, & tandèm interfectus est.

Summatim commemoratur rectè facta eius.

Præuidet sibi imminentem mortem.

En vir sanctus, qui oĩa mundi delectamẽta penitùs contempsit, se ijs abũdâsse dicit, incredibili vtiquè modestiá.

Eius prophetia.

Cùm

Cùm sic autem, vt dicere cœpi, vir beatus ægrotaret, & morbus ad quinq; vel sex dies ità eum infestaret, vt ipse tamẽ interim scipioni innixus obambularet, morbumq; dissimularet: non cessabat ab opere Dei, bonam eam virtutum suarũ coronidem fore sperans, si ad extrem a vsque perduceret id, quod per longa vitæ spatia constanter retinuisset. Pernox enim in vigilijs & orationibus, membra lassescentia spiritui seruire cogebat, & iam mente quodammodò in cælis degens, optatum iter lætissimus expectabat. Sentiens autem iam appropinquare felicissimæ migrationis diem, pridiè Calendas Decembris congregatis vndiquè famulis & discipulis suis, sic locutus est: Vltimam, dilectissimi, paruitatis meæ audite sententiam, & vos amantis suprema verba gratis animis accipite. Si mihi amoris vicem rependitis, mandata præpotentis Dei seruate: Iesum semper suspirate, præcepta eius vestris animis affigite, eius nomen, ità vt ego, amate: incertum vitæ lubricæ occasum ob oculos perpetim habete, Dei tremenda iudicia nunquàm non formidate. Ego iam ingredior viam vniuersæ carnis. Itaque me posthàc habituri hîc non estis. Ego autem certè cupio dissolui, &, si Domino sic visum est, ire ad requiem. His dictis, cùm omnes flerent & eiularent, singulatìm euocatis ille vernaculis suis indicauit præstantissima monasteria, ad quæ ipso defuncto conferre se deberent, aitque eis: Eccè hodiè in manus vestras commendo salutem animarum vestrarum. Mementote admonitionum mearum, & iam singuli de vobisipsis cogitate. Eligius enim migrat, nec deincèps in hoc seculo erit vobiscum. Tum verò omnes, qui aderant, cum ingenti rugitu, singultibus vocem interrumpentibus, ità dixerunt: Cui nos, pater, relinquis? quid ità citò à nobis recedis? Cui orbatos tradis alumnos tuos, aut cui, pastor optime, gregem, quem ex gentibus congregâsti, fouendum committis? Scimus quidem iam olìm flagrare te Christi desiderio, sed salua tibi manent præmia tua: nec si diutiùs hîc eris, illa minuentur, immò aucta potiùs in dies cumulabuntur. Si igitur fieri potest, differ exitum: nè ille nobis omnibus afferat exitium. Non te cogit migrare ętas: nostrî, pater, miserere, quos deseris. Aut si omninò placet exire, nos habeto itineris comites. Nobis enim præstabilius est tecum mori, quàm sine te viuere. Absentiam tuã ferre non possumus. Neque enim habebimus similem tuî. Hæc atq; alia illis dicentibus, vir pijssimus vbertìm flebat, lachrymis clementissimum eius animum satìs testantibus. Gaudebat se vocari à Domino, dolebat illos destitui. Incitabat pietas, nè eos desereret: Christi desiderium impellebat, nè diutiùs ab illo se separari pateretur, quem ardentissimè sitiebat, & oculis interioribus tota mente complectebatur. Tãdèm inter ipsas lachrymas ità rursùs eos compellat: Facessat mœror, nec mihi, quæso, fletu vestro molestiam afferatis. De recessu meo, si sapitis, gaudere vos potiùs conuenit, quàm lugere, etsi enim corpore absens ero, spiritu tamen meliùs vobis adero: atque etiamsì ego nullibì essem, Deus tamen semper vbiquè est. Illi equidem vos commendo: ego verò si quid boni facere potui, vestris profectibus seruire volui. Scietis hoc in illa die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, & dabit vnicuique secundùm opera eius. Scio quidem me ceu inutilem seruum non fecisse vt debui, sed tamen Dominus nouit, quid voluerim. Vos ergò moneo, & per gloriosum Christi aduentum obtestor, vt si qua in vobis erga me charitas est, instituta & iussa mea seruetis, & monasteriolis meis, quæ Christo auspice condidi, vbì poteritis, solicitudinem adhibeatis: Valete viscera mea. Hæc cùm dixisset, die iam aduesperascente, fixis humì genibus, cum multo gemitu orauit Dominum, vt benignissima pietate sua daret pastorem commodum & humanum plebi suæ: Nè fiat, inquit, æterne pastor, hæc plebs sicut oues non habentes pastorem. Commendo tibi oues, quas mihi credidisti: & familiam omnem, quam per ministerium officij mei tuo sancto seruitio mancipâsti. Tuo, quæso, semper auxilio protegantur, tuo nutu gubernentur. O præstantem Eligij charitatem, & eximiam bonitatem. Iamiamque abiturus è mundo, suî quodammodò cura neglecta, aliorum, vtì semper consueuerat, tam solicitè memor est.

Mirabilis feruor spiritûs eius.

Vltima eius adhortatio.

Dolent se à suo patre diuelli discipuli ei9.

Rom. 2.

Orat Dominum pro idoneo successore.

Vt animam Domino reddiderit. *Cap.* 34.

Deindè in extremis positus, cùm modicus calor teperet in pectore, nec præter sensum quicquã viui hominis superesset, osculatus est discipulos suos, & per singulos plorans, Iam non vltrà, inquit, loquar vobiscum. Valete iam in pace, & me deincèps sinite quiescere. Redeat terra in terram. Quę eius verba omnium animos incredibili conficiebant dolore, ità vt lachrymas nulla ratione reprimere possent, & vox faucibus hæreret, conantesque linguas in verba prorumpere,

pere, singultus & suspiria interpellarent. Sed hæc tamen vtcunquè depromebant: Dolemus quidem acerrimè nos tua præsentia orbari: sed tua causa, pater optime, consolamur nos, quòd post vitæ huius labores ad requiem æternam proficisceris. Tum ille oculis manibusque in cælum erectis, diù mente precabatur. Deindè in vocem prorumpens: Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me: & non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Memento meî, qui solus sine peccato es, Christe mundi redemptor, & educens me de morte corporis huius, saluum me fac in regnum tuum cæleste. Tu semper fuisti protector meus: in manus tuas commendo spiritum meum. Scio me non mereri conspectum tuum: tamen tu scis, quia semper spes mea fuit in misericordia tua, & fides mea in tua credulitate permansit. Et nunc quoquè in confessione sancti nominis tui moriens, extremum, Christe, anhelitū efflabo. Suscipe ergò me secundùm magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti ianuam vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi, nec conturbent me potestates aëris huius: sed clemens dextera tua protegat me, & tua potentia me defendat, manusque tua deducat me in locum refrigerij, & vel in vltimam mansionem ex ijs, quas præparâsti seruis tuis timentibus te. Sub his verbis reddit spiritum. Erat tum prima noctis hora: & eccè confestìm visa est ex illis ędibus lux ingens & valdè corusca sursùm asscendere, atque inter mirantium obtutus sphæra ignea, crucis in se effigiem præferens, perniciter admodùm per densas nubes in cælum penetrare. Atque hunc in modum sancta illa anima, deposita carnis sarcina, & à vitæ huius angoribus liberata, ad suum iucundissima reuolauit authorem, & in antiquam possessionem post longam exilij huius peregrinationem, cælo gaudente, terra plorante, Angelis plaudentibus, ouans asscendit. Quàm verò sanctus ille vir charus fuerit plebi, mox ab eius obitu declaratum est. Vix enim spiritum exhalauerat, & iam tota vrbs luctu omnia complebat, vt tanquàm communis parentis obitu, omnes orbitatis vulnere confecti viderentur. Compositum autem ex more corpus, in ecclesiam deportatum est, ibique pariter clerus in hymnis, populus in lamentis, noctem duxêre peruigilem.

Luc. 2. Iob 10. Psal. 142.

Felicissimè exit è corpore ad vitam sempiternam.

Ingens sui relinquit desideriū.

Vt sanguis fluxerit è naribus eius, & vt corpus loco moueri non potuerit. Cap. 35.

MAnè ingens vtriusque sexûs multitudo ad oppidum aduolauit, itemque regina Bathildis cum filijs & proceribus, multoque exercitu. Et ipsa quidem regina properè ad corpus beati viri accurrens, magnam illic fudit lachrymarum vim, valdè dolens, quòd eum viuum non reperîsset. Interìm iubet præparari omnia, vt possit corpus ad Calam monasterium eius transferri. Sed cùm loco moueri non posset, magno animi dolore affecta est, curauitque triduanum indicendum ieiunium: quod etiam ipsa cum optimatibus suis & clero seruauit, ieiunio etiam cum illis pariter perpetuas adiungens vigilias. Quæ cùm fierent, intantùm illa mœrebat & lugebat, vt nullo pacto lachrymas frenare posset. Cumque præ nimio dolore desiderium eius ferre non sustineret, tandèm vt animo suo satisfaceret, detecto eius vultu, cum multis lachrymis osculata est eum, itemque pectus & manus. Eccè autem dum sic palpat sacrum corpus, tametsì erat hybernum tempus, & iam diù illud fuisset exanime, prorsusque frigidum, copiosus sanguis ex eius naribus manauit. Id vbì viderunt Episcopi & regina Christianissima, confestìm admouerunt lintea, summo studio sanguinem colligentes, eum pro magno munere in reliquijs seruandum reposituri. Interìm expleto ieiunio, modis omnibus satagebat regina, vt corpus beati viri in Calam monasterium eius transferretur. Sed ediuersò alij Parisios illud transferre volebant. Quibus vtrisque se opponebant ciues Nouiomenses, iustissimam hæreditatem corpus antistitis sui sibi vendicantes. Sub ea pia contentione, cùm Episcopi & præstantiores quique fauerent reginæ partibus, decernerentque ad monasterium beati viri corpus eius transferendum, magnus clamor & tumultus ortus est in vniuerso populo Nouiomensi. Tum regina prudenti vsa consilio, omnipotentis Dei iudicio rem totam committens: Facessant, inquit, verborum contentiones. Si placet Deo & sancto eius, vt perducatur corpus, quò ego volo, ilicò se leuari sinat. Sin aliter, iam experiamur. Mox accedunt ad corpus, vt illud tollant, sed nulla vi moueri potest. Tentatur id subindè ab alijs atque alijs, & tandèm ab ipsa regina, totis viribus in id incumbente, sed nihil efficiunt. Tum regina ad proceres se vertens: Iam

Corpus ei⁹ loco moueri nō potest.

Obserua rē admirandā.

Corpus immotum permanet.

Iam perspicuè, ait, animaduertimus, nolle eum aliò asportari. Permittamus igitur huic populo vel inuiti, quod hactenùs spontè noluimus. Assenserũt omnes, & simulatquè feretrum leuare cœperunt, tanta facilitate motum est, vt commodè iam à duobus portaretur, quod pauloantè plurimi nec mouere leuiter poterant. Id miraculum cùm vidisset regina & ciues omnes, in Dei laudes eruperunt, dixeruntque: Mirabilis es Deus in sanctis tuis. Cùm autem ad sepulcrum deduceretur, tota penè ciuitas præstò fuit ad funeris obsequia, multùm lugens decessum pastoris sui. Ipsa quoquè regina, licèt hyemis tempore palus valdè excreuisset, adduci non potuit, vt equo veheretur: sed pedestri grauique labore sequens feretrum per paludem, cum omni familia lamentabatur. O quantus ibì tunc erat luctus omnium, inprimis autem monachorum & pauperum, quorum planctus per plateas omnes audiebatur. Cantabat clerus voce lachrymabili, & agmina plorantium miserabiles in æthera dabant voces. Et vt in pauca conferam, plena erant omnia luctu incredibili: flebilibusque vagas implebant vocibus auras, clamabantque passim omnes patrem se & nutritium perdidisse: nec facilè poterat psallentis cleri cantus à lamentantis populi planctu internosci. Et quis illo die tam saxeus aut planè ferreus esse poterat, vt cùm videret reginam & proceres, pauperes & * inopes, plebem vniuersam tam miserè plorare, non ipse pariter acerbè fleret? Iam verò quis satis explicare queat, aut siccis etiamnùm recordari oculis, cùm peruentum est ad sepulturæ locum, quo ardoris desiderio, quo amoris affectu, qua doloris vi & impetu retentum, compressum, retractum sit feretrum à populo, vt, quoàd fieri posset, maneret oculis expositum corpus, quò vel sic vtcunquè suo satisfacerent desiderio? Omnes studiosè quasdam inijciebant moras, nè sepulcrum clauderetur. non enim ferre poterant eius absentiam. Aegrè tandèm ab Episcopis populo ereptum, monumento traditum est: celeriterque aduoluto saxo, inprimis reuerenter & honorificè illic habetur, aliquandò in gloria surrecturum. Ad extremum Regina venerabilis cum plebe valdè fessa, postquàm illud reuerenter venerata est, ieiuna recessit, luctuque eam non sinente cibum sumere, sic triduanum lachrymabunda ieiunium expleuit.

Eccè miraculum. — Psal. 67. — Summè ossa lugent amisisse se tantum virum. — * diuites — Reginæ Bathildis dolor ingens.

De celebritate funeris eius. Cap. 36.

COmparetur nunc, si placet, beati viri huius non funus, sed triumphus, cum inani pompa seculi huius, & hominum diuitijs affluentium. Istos miserè viuentes confusis plausibus turba insaniens extollit: Eligium mundi huius ærumnis ereptum, cum summis laudibus cælicolæ in cælum deducunt. Isti post pompas momentaneas truduntur in tartara: Eligius post mundi huius aduersa omnia fortiter superata, finibus patriarcharum excipitur. Isti diuitiarum mole pressi, ruunt in gehennam: Eligius eleemosynis fultus, sublimis fertur in cælum, cum beatis resurrecturus in gloria. Illi ob mala merita pœnas dant mortis æternæ apud inferos: Eligius pro meritis beatis in sinu Abrahæ quiescit, sine vllo metu iam felix. Isti postremò in profundo tartari lugent miseri cum damnatis: Eligius meus perpetim laureatus, cum sanctis omnibus in cælesti paradiso exultat. Gratias tibi inter hæc, & propter hæc, Deus fidissime retributor: quoniam reddidisti ei magna pro paruis, & quiescere eum fecisti in amœnitate sempiterna & semper virentis paradisi tui delicijs. Sed nè lectori nimietate fastidium afferamus, de his dixisse satis sit. Volebam equidem, quòd iam admodùm multa dicta sint, finem opusculo imponere: sed miracula, quæ ad sanctissimum corpus eius assiduè fiunt, cogunt me addere nonnulla: sed ità tamen, vt propter lectores, omissis plurimis, nè molestus sim, pauca tantùm commemorem.

Mala & bona merita, diuersa habent præmia.

De furto indicato. Cap. 37.

POstquàm beati viri corpus mandatum est sepulturę, casu relicta ibì fuit pellis quædam caprina longè optima. ex Episcopi domo, quę feretro imposita fuerat. Eam, cunctis abeuntibus, Vffo diaconus, natione Sueuus, clàm ablatam, in lectuli sui stramine abscondit. Reuersi funeris ministri, vident eam non adesse, nec mediocriter consternati, passim eam inquirunt. Sed cùm nulla ratione reperire possent, extitit inter eos non minima turbatio. Interìm nox cogit omnes dare se quieti, & eccè Abbati Sparno vir sanctus in visione appáret, blandeque, vt solebat, eum compellans, índicat locum, vbì res ablata haberetur. Altera luce Abbas, quid in visione cognouerit, duobus fidelibus fratribus exponit: illisque assumptis, abit

Appáret abbati Sparno S. Eligius.

abit ad lectum diaconi, quærit rem furto subductam, moxque inuenit. Tum accitum diaconum durissimè obiurgat, non tamen verberat. siquidem B. Eligius prohibuerat, nè id faceret. Vbì res ad aliorum notitiam perducta est, B. Eligium omnes cœperunt timere haud vulgariter, & ità vt par erat, perpetua eum veneratione prosequi.

Vt vinum cuidam auxerit. Cap. 38.

DVlciolenus presbyter, homo simplex & rectus, non longè à Lutetia degebat, cumque B. Eligius adhuc in corpore manens, oblata opportunitate crebrò inuisere solebat, & res necessarias liberaliter ei suppeditare. Cùm autem ab eius obitu fluxissent dies ferè triginta, aut non ampliùs, nocte per visum ei appárens, sciscitatur quînam habeat, aut cuius benignitate sustentetur. Tum ille, Benè, inquit, hactenùs habeo, precibus tuis adiutus. Putans autem corporaliter eum secum colloqui, maiori indè concepta fiducia, Parùm, ait, vini habeo ex ea vinea, quam per te Dominus mihi dedit, quæso, mî domine, vt pariter indè gustemus: simul calicem ei offerens. At vir sanctus porrecta manu benedixit poculo, iussitque refundi in vasculum, vndè vinum illud hauserat. Id illo faciente, confestìm sublata visio est. & presbyter expergefactus, consternatusque, manè ingressus est cellam, in qua pridèm parùm vini reliquerat, diligenterque inspectis vasculis suis, vidit vas, in quo pauxillùm anteà fuerat vini, iam ad summum vsque repletum.

Itèm cuidā presbytero.

Obserua miraculū.

Quid reginæ Bathildi iußerit denunciari. Cap. 39.

ALteri cuidam in Regis palatio commoranti in luculento habitu appárens, iussit, vt quamprimùm adeat Reginam Bathildem, admoneatque eam pro Christi reuerentia deincèps missa facere vestium aurea gemmataque ornamenta, quibus etiamnùm vteretur. Illo dissimulante, nocte altera rursùs appáret ei, repetitque eadem, quæ priùs mandârat. Sed illo minimè id auso Reginæ indicare, tertiò adest, grauiterque homini comminatur, nî faciat, quod iussus sit. At nec sic tamen iussa capessentem præ timore, mox febris infestat. Regina ad eum venit, causam morbi perquirit. Ea data opportunitate, aperit ille, quid ab Eligio audierit, statimque pulsa febre, reualescit. Porrò Regina ocyùs ponit ornamenta omnia, nihil præter manicas aureas retinens: cunctaque pauperibus distribuens, elegantiora quæque seruauit, atque ex ijs Crucem pulcherrimam fecit, eamque ad caput beati Eligij deponi iussit. Thecam quoquè ex multo auro & argento, in quo eius sacra ossa conderentur, miro opere conficiendam curauit, ità dicens: Hic vir beatissimus multorum sanctorum effecit thecas: & ego quoquè, vt dignum est, eius memoriæ, si potero, operam dabo. Cumque id fecisset, tanta deincèps à proceribus & potentibus ei loco auri & argenti atque gemmarum copia collata est, vt eam difficile sit verbis explicare.

Febre corripitur, negligens iussa eius: exequens, mox reualescit.

Nota studium veterū erga sanctos.

Vt linteum thecæ eius sudârit. Cap. 40.

EA autem theca, propter auri gemmarumque splendorem, Quadragesimę diebus tegi solebat lineo panno, itemque holoserico sanè eleganti & precioso. Quod cùm aliquandò initio Quadragesimæ factum esset, post aliquot dies, multis adstantibus, contigit inauditum miraculum. Cœpit enim sudare linteum illud, sensimq; magìs atque magìs vapores exhalans, copiosiùs humectari. Quod vt viderunt qui tum aderant, rei nouitate obstupefacti, Christi eximiā illic aiebant declarari potentiam. Cùm autem etiam distillare cernerent linteum, senioribus id consultissimum visum est, vt ablato linteo à theca, exprimerent humorem in vasculum, isque pro medicina seruaretur. Sicque factum est, & ille liquor in vase æneo seruatus, multis posteà attulit sanitatem. Tanta autem fuit eius sudoris admirandi copia, vt pannus holosericus, cui erat linteum illud adiunctum, optimo colore tinctus, colorem illum amitteret, eoque linteum inficeretur. Duos ferè sextarios sudor ille compleuit.

Miraculum sanè stupēdum.

De mira efficacia sudoris illius. Cap. 41.

EA tempestate aliquot Franciæ vrbes dirè vastabat morbus quidam, cuius pellendi causa credimus liquorem hunc diuinitùs collatum. Si quis enim illo correptus morbo, in mortis discrimen venisset, & eum liquorem attigisset, confestìm sanabatur. Erat tum Veromanduorum Comes Ingomarus, homo prædiues & potens. Is metuens vndiquè tum grassantem pestem, vbì didicit sudoris huius miraculum, totum se contulit ad B. Eligij patrocinium implorandum, atque ex eodem

Mira vis ei' liquoris.

eodem liquore cum multa fide nonnihil sibi dari petijt, promittens, si sanctus Episcopus obtineret apud Deum, vt eius prædia nō infestaret is morbus, decimas rerum suarum & maximam villam suam se eius Ecclesiæ delegaturum. Accepto igitur salutari liquore, inuisit prædia sua, iussitque omnes eorum incolas reuerenter eum attingere. Atque ità factum est, vt cùm vndiquè morbus ille prouinciam vastaret, nullum tamen ex ijs, qui erant ditionis eius, corripuerit. Quamobrèm valdè ille exhilaratus, decimam partem ex omnibus donauit Ecclesiæ S. Eligij. Fuit autem donum illud amplissimum, ità vt centum homines & pecora plurima cesserint Ecclesiæ illi.

Vt quendam percusserit, nequiter ipsi insultantem. Cap. 42.

QVidam cultor vineæ eiusdem Ecclesiæ, cùm esset desidiosus & negligens, sæpè à beato viro adhuc superstite reprahensus fuit: & vt curari posset, interdùm etiam minæ verberum ab illo intentatæ fuère. Postquàm autem vir sanctus è vita decessit, homo ille stultus & insolens quodam die venit ad monumentum eius, insultans illi non absque cachinno, sicque, vt aiunt, garriens: Eccè qui mihi verbera minabaris, iam hìc iaces mortuus, ego verò aura vitali fruor. Dixit sic, moxque videt sibi adstantem beatum Eligium, & virgam, quam manu tenebat, vibrantem in caput suum, sicque dicentem: Animaduerte, serue nequam, non me esse mortuum, vt tu iactitas: sed reuerà me viuere, è terris ereptum. Ad hæc verba mox ab ictu cædentis intumuit viri caput, membra omnia mirè pressa sunt. Increscente dolore, vtraque manu complectens caput turgidum, per omnes vrbis plateas voce lachrymabili, quid sibi accidisset, enunciauit. Confluebant ciues plurimi ad hoc spectaculum non absque multo stupore, & quanuìs nonnulli cuperent mederi homini frustrà tamen id fuit: immò quanto plùs conabantur adhibere leuamenti, tanto magìs augebatur dolor. Tandèm post immensos cruciatus ad beati viri monumentum reductus, ibique à multis edoctus, pro culpa sua satisfaciens, post longa spatia ægrè potuit amissam recuperare salutem.

Obserua hic, num sancti ignorent res nostras.

Vt vincula reorum apud eius ecclesiam rumpantur. Cap. 43.

SEd quis possit vllis verbis consequi omnia, quę illic Christus Dominus assiduè operatur? Si ob culpam suam vincti catenis per aggerem publicum, qui basilicę eius proximus est, ducantur, vbì ventum est contra basilicam illam, mox diruptis vinculis omnibus, soluūtur rei. Id vt certiùs constet, vnū tantùm ex multis commemorabo. Vir quidam iure vel iniuria ferreis aliquandò constrictus vinculis, cùm ad supplicium duceretur, clàm è manibus trahentium elapsus, celeriter ad beati Eligij ecclesiam confugit. Cumque ad eius thecā venisset, & illic subsisteret trepidus, ilicò fracta catena dècidit. Insecuti autē illum tortores, vt viderunt stare ibì liberum, furore pèrciti, rursùm collo eius & manibus catenam inijciunt, magna vi è templo eum extrahere conantes. Tum miser ille tremens & pallens, ad sepulcrum beati viri supplices tendit manus, &, O beate Eligi, inquit, placet'ne tibi ad te confugientem tuo auxilio destitui? His dictis, ilicò magno impetu fracta catena, longiùs prosilijt. Ea re valdè perterriti omnes, qui viro manus iniecerant, in terram se abijciunt, & temeritatis suæ veniam cum ingenti metu precantur. Post aliquot horas venit eò loci eius Episcopus, & cùm audiuisset hoc miraculum, non credidit factum. Abiens autem è templo, simulatquè ascendit equum mansuetissimum, qui illum aduexerat, ab eo excussus, & humì collapsus, diris est doloribus affectus. Statìm igitur hæsitationis suæ reminiscens, coram omnibus culpam suam agnouit. Atque ità indè sublatus, & post multos dies restitutus, cautior deincèps fuit.

Eccè miracula.

Præclarum miraculum.

Punitur à Deo, nō credens miraculum factum.

De equo viri Dei, temerè ab Episcopo vsurpato. Cap. 44.

CVm adhuc in terris degeret vir beatus, equum habuit inter cęteros mansuetissimū, quo, cùm posceret necessitas, sedere plerunquè consueuerat. Post eius decessum, equus ille cessit Abbati eius ecclesiæ. Porrò Mommolenus eius loci Episcopus valdè illi inhians, vi eū abstulit Abbati. Abbas nihil illi reluctari ausus, mox ad beati Eligij se monumentum contulit, eique rem totam commendauit. Itaque equus mox cœpit laborare ex pedibus, immò toto corpore tabescere. Id cernens Episcopus, adhibet medicum: qui etsì sedulam illi curam impénderet, nihil tamen potuit efficere: immò si quis vellet equum accedere, omni posita mansuetudine, calcibus cædebat, & morsus intētabat. Tandèm Episcopus veritus nè equū penitùs perderet, cuidam matronæ eum dono dedit. Illa verò accuratè sanandum

Nota cælestem animaduersionem.

dum curauit: sed cùm aliquando iter factura, eius tergo insedisset, ille frendens & calcibus verberãs, grauiter eam excussit, itá vt toto ferè anno decumberet. Tum illa remisit equum Episcopo, probra conuiciaque adiungens. Episcopus recepto rursùs curam adhibet, sed semper equus deteriùs habet. Ad extremùm quidã religiosus presbyter consuluit Episcopo, vt equum restitueret Abbati, cui iniustè ablatus esset. Fecit sic Episcopus, & equus ad iustum possessorem postliminiò reuersus, intra paucos dies totus reualuit, pristinaque formæ elegantia & mansuetudo ei reddita est.

Mira sunt hæc.

Vt sacrum beati viri corpus eleuatum sit. Cap. 45.

CVm sic autem beati viri corpus ad latus altaris sepultum esset, Episcopo & Reginæ inprimìs consultum visum est, vltra altare ei condere mausoleum, atque eò honorificè illud transferre. Eunt igitur, & diligenter inspiciunt locum, & eccè subitò in pariete vident instàr arcûs quandam apparere rupturam. Indè ergò colligunt, diuinitùs significari parietem illum eo loco demoliendum. Cumque id magna fiducia facere instituunt, itá paries ille absque vllo hominis conatu spontè collapsus est, vt nec hominem vllum, nec thecam ei propinquam vel tenuiter læderet. Mox itaque cœptum est egregium construi mausoleum. Aduentante autem anniuersario migrationis eius die, iam se præparabant ciues ad corpus eius honorificè transferendum. Regina quoquè vestes holosericas maximi precij apparabat, exutura illud alias, in quibus curârat anteà sepeliendum, & has nouas indutura. Ad ipsum autem anniuersarium diem conuenit in oppidum valdè frequens populus. Interìm canente clero, populo in vigilias incumbente, theca diligenter ablata est à monumento. Deindè sublato tumuli opertorio, suauissimus è corpore sancti viri manauit odor: quod quidem tam adhuc integrum planeque incorruptum cernebatur, vt viuere putaretur: quodque admirabilius est, barba & capilli eius, qui ex more abrasi erant vita functo, in sepulcro rursùs creuerant, cunctis ad nouum & inauditum miraculum obstupescentibus. At Episcopi cum multo timore leuantes illud è tumulo, exutis prioribus indumentis, preciosissimis, quæ Regina parauerat, induunt, magnoque studio sigillis munitum reponunt: atque itá demùm choro psallente, modulantibusque organis, indè inprimìs reuerenter & studiosè translatum, in præparato mausoleo accuratè condunt & componunt, in dies maiori honore & veneratione prosequendum. Quæ autem deincèps miracula illic facta sint, iam partìm annotabimus.

Illustre miraculum.

O mirabilẽ Deú in Sanctis suis.

De miraculis ad monumentum eius. Cap. 46.

DVo cæci aliquot diebus illic excubantes, lumen receperunt. Puella contracta sanata est. Alius quoquè cæcus illuminatus est. Sed hæc fortasśis, dum lectori gratificari volumus, succinctè nimis dicimus. Paulò igitur fusiùs agendum est. Ad caput beati viri pendebat lampas. Ea cùm die quodam penè semiuacua esset, repentè apparuit plena oleo: igni quoquè diuinitùs accensa, ardere cœpit, atque itá deincèps plerunquè & impletur, & ardet. Cùm autem vir sanctus etiamnùm in terris ageret, Garifredus Comes Veromanduorum, quiddam in eum admiserât, quod etiam illo iam defuncto minimè expiârat. Tandèm post longa temporum interualla, negligenter oblitus culpæ suæ, venit adorare sepulcrum eius. Ardebat tum ex more lampas ea, quam diximus: sed Comite in templum ingrediente, confestìm extincta est. Id ille mox animaduertens, timens & pallens, orauit. Finita oratione, exijt è templo, & lampas lumen recepit suum, non humanitùs, sed diuinitùs, accensa. Indicauit id Comiti, iam equum asscendere volenti, vnus è famulis eius. Ille audiens, multùm doluit, & in scipsum descendens, cœpit excutere latebras conscientiæ suæ, vt sciret, qua culpa sua id accideret. Recordatur interìm, quid olìm in sanctum Episcopum admisisset, festinusque redit ad basilicam. Sed postquàm pedem posuit in basilicæ pauimento, rursùs lampas extincta est. Tum ille nimiùm territus, cum lamentis & magno rugitu prosternit se corã beati viri sepulcro, & diutissimè pro culpa sua satisfaciens, se indignum & miserum fatetur, cuius causa lampas lucere desijsset: palamque protestatur, se ex eo loco non surrecturum, nisi priùs lampas ardeat. Post multas ergò lachrymas, lampadi restituta lux est. Qua re nonnihil ille recreatus, iubet famulum ire ocyùs, & afferre vas argenteum sanè preciosum: idq; Christi confessori obtulit, ad sepulcrũ eius illud deponens, promittens etiam, se nonnulla è facultatibus suis illi ecclesiæ collaturum. Deindè lætus abscedit.

Multa miracula.

Nota lector.

Adorare, p venerari, frequens est apud veteres.

Res admirandæ.

Dè

De alijs miraculis. Cap. 47.

IVuenis quidam, Saxo genere, miserandum in modum cōtractus, & ad beati Eligij monumentum adductus, breuì curatus est. Fœmina quoq; muta & cęca, diù ad sepulcrum eius orans, tandèm somno oppressa, videt aduenire ad se S. Eligium, oculosque suos leniter tangere, & instrumento quodam chirurgico linguæ vincula molliter discindere. Expergefacta igitur, oculis inusitatam sentit lucem, & post multum ore reiectum sanguinem, loquitur promptè & expeditè. Alia puella muta eò perducta, docta est à templi custodibus mente implorare beati viri opem. Eam tandèm mater iubet illic hærere, donèc sentiat se adiutam: se domum abire velle indicat. Vbi ergò illa foribus templi propinquare cœpit, puella videt è lampade quiddam ad se dimanare, magnoque timore correpta, ruptis linguæ nexibus, sic locuta est: Ita'ne hic me relicta, tu mea mater ascendis? Audiens hæc mater, celeriter redit ad eam: flensque præ gaudio, cupiensque etiam alios eius sermones audire, auidè illam compellat, & ad omnia planum atque absolutissimum ab ea responsum accipit. Mirantur omnes, qui adsunt, laudant Christi potentiam, & beati Eligij merita concelebrant.

Contractus sanatur. Itèm cæca & muta.

Itèm alia muta.

De obitu Aureæ Abbatissæ & aliarum. Cap. 48.

PEste aliquandò Parisijs grassante, cùm iam aliquot virgines monasterij beati viri, cui Aurea Abbatissa præerat, ad Dominum migrâssent, sanctus Eligius apparuit cuidam adolescenti in ecclesia eius monasterij, veste candida & toga amictus. Illo autem præ timore se in latebras abdere volente, vir beatus blandè eum compellans, iussit properè ire ad Auream Abbatissam, dicereque ei, vt cum certis virginibus ocyùs ad ipsum veniat. Abit ille, dicit Abbatissæ quæ iussus erat. Surgit velociter Abbatissa, immenso affecta gaudio, & magna celeritate contendit ad templum. Sed postquàm eò venit, visio disparuerat. Nè tamen posset ambigere veram fuisse, relicta erat nebula, totam ædem replens, vndè etiam candelabra & vela rorem quendam stillare viderentur. Abbatissa igitur ad se reuersa, intellexit se ex hac vita euocari: protinusque sorores omnes conuocans, illis valedixit, quibusdam exceptis, quæ cum illa decessuræ erant. Mortua est deindè Aurea Abbatissa, & eam secutæ sunt ex eodem monasterio centum sexaginta sorores, ea tempestate defunctæ.

S. Eligius apparet cuidam.

Res mira.

Nota magnum numerum sanctimonialium.

Itèm de alijs miraculis. Cap. 49.

COmitis Garifredi scriba venit quandoquè ad basilicam sancti Eligij, & cùm post preces fusas, staret ad fores eius, videt illic pauperum gregem, stipem poscentium. Sed nihil apud se habens, quod illis daret, misericordia motus erga illos, mœstus intra se ait: Nunquàm vos talem habebitis consolatorem, qualis fuit hic sacratissimus antistes. Quid enim eum vnquàm retardare potuisset, nè in vos beneficia conferret, vosque surda transiret aure, vtì iam multi faciunt, & ego miser? Dum ergò sic tacitus secum cogitat, visus sibi est tanquàm in ecstasi videre adstantem sibi beatum Eligium, simulque in manu sua vel veste cernit aurum, quod pauperibus eroget. Quod etiam absque mora fecit, multa secum cogitans de eo, quod acciderat necopinanti.

Obserua miraculū.

De filio Ebroini sanato, &c. Cap. 50.

EBroinus vir illustris, præfectus palatio, siue, vt vulgò dicunt, maior domûs, filium habuit Bobonem, ipsi & matri eius vnicè charum. Is morbo grauissimo correptus, magnum parentibus mœrorem attulit, præsertìm quòd morbo inualescente, vita eius desperaretur. Sed tamen parentes, de miraculis beati Eligij magna spe concepta, munera ei offerunt, & balteum filij elegantissimum apud sepulcrum eius deponunt. Eodem temporis puncto puer reualescit, ac deincèps mansit incolumis. Vir quidam nefarius de admisso crimine se purgaturus, non dubitauit ad sepulcrum beati viri falsum iurare. Sed simulatquè iurauit, iusto Dei iudicio, venter eius crepuit, effusisque in terram visceribus, indignam vitam digna morte finiuit in terrorem multorum.

Præclarum miraculū.

Terribilis mors peierantis ad sepulcrum S. Eligij.

De vltione illius, qui agrum ecclesiæ S. Eligij sibi vendicauit. Cap. 51.

VIr quidam agrum ecclesiæ sancti Episcopi apud Caluomontem situm, sibi rapaci cupiditate vendicare voluit, sed obsistebat ei Sparnus, eius ecclesiæ Abbas. Res ad palatium regis relata est, pronunciatumque à rege, vt si Abbas in sacro loco iurare vellet, agrum esse ecclesiæ, cum ipse retineret. Sed Abbas maluit virum illum pertinacem iurare suum esse agrum, & non ecclesiæ. Lata igitur sententia est, vt vir ille cum multis alijs iuraret. Sic enim apud Francos in more positum est. Verùm Abbas alijs omnibus remisit iuramentum, nè alterius flagitio implicarentur: solus ille agri vsurpator, procerum sententia iurare iussus est. Itur ergò ad ecclesiam B. Eligij, venitur ad sepulcrum eius, expectatur ab omnibus rei euentus. Vir temerarius rem paruipendens, importuna audacia imponit manum loco sacro, sed cùm vix medium expressisset iuramẽtum, toto corpore contremiscit, caput retrorsùm in ceruicem curuatur, diductoque ore, & magno indè fumo erumpente, cùm hoc solum dixisset, Abba Sparne, recipe terram tuam: repentè humì prosternitur, & infelicem animam exhalat. Alius quidam cùm illic peierâsset, & domum ceu victor lætus rediret, priusquàm limen domûs suæ attigisset, extinctus est. Vndè tantus omnes inuasit timor, vt nullus hodiè etiam in causa iustissima ad sepulcrum eius iureiurando se obstringere ausit: sed si iuramentum faciendum sit, ad ostij circulum non sine magno timore id fiat.

Mos Francorum iurare volentium.

Horrenda vltio periuri.

Itèm alterius.

De quodam dæmoniaco, itemque morbida fœmina, curatis. *Cap.* 52.

DAemoniacus quidam, importunissimo correptus dæmone, incredibili furore & amentia rumpebat catenas, compedes, & claustra ostiorum, quorundam nares, aliorum aures mordicùs appræhensas lacerabat. Eius parentes summoperè cupiebant eum ad beati Eligij memoriam adducere: sed qua id possent via, propter hominis rabiem, non videbant. Tandèm reperto consilio, miro quodam ligneo instrumento constrictum, ægrè septem viri eò perducere potuerunt. Perductus autem, paulò pòst, beato Eligio orante, & Christi gratia largiente, sanatus est, & ibidèm in clerum ascitus, admodùm religiosè vixit. Modoleni cuiusdam ciuis Nouiomensis vxor pia valdè, toto corpore intumuit: sensimque morbo ingrauescente, vir eius, homo centenarius, de sepultura iam cogitabat. Ei obuiàm factus Abbas ecclesiæ beati Eligij, discit ex eo periculum vxoris eius: simulque rogatur, vt in basilica eam sinat sepeliri. Abbas, his auditis, celerrimè contendit ad sepulcrum beati antistitis, tollensque de oleo illic manante, ad fœminam moribundam se confert. sic enim per visum iusserat ei beatus Eligius. Ingressus, videt inter lachrymantes cognatos & amicos fœminam decumbere inflato valdè corpore, & iam planè frigido: mox illud vngens oleo, ità ait: Hæc mandat S. Eligius, vt in virtute nominis Christi sana consurgas. Dixit sic, & oleo sancto viscera fœminæ penetrante, illa palpebras commouet, & tanquàm è somno grauissimo euigilans suspirat. Indè mira celeritate detumescente corpore, auctisque viribus, residet: statimque dolore omni euanescente, nec vllo remanente tumore, faciei quoquè restituto decore, è lectulo se proripit, laudans & prædicans Deum, qui ipsam à morte reuocâsset: Deindè compellit omnes mensæ assidere, ipsaque illis accuratè ministrat.

Dæmoniacus immanis curatur.

Mira vis olei sepulcri eius.

De fure indicato. *Cap.* 53.

IN rure Nouiomensi furtum perpetratum fuit, sed fur ignorabatur. Iuuenis autem quidam suspectus de furto, cùm eo nomine compellaretur, in patrem suum crimen conferre conatus est. Habebat enim quiddam cum illo controuersiæ, eique insidias molliebatur. Vterque igitur sistitur coram Episcopo & Comite: filius multis modis studet patrem reum efficere: pater verò, vti erat, se innoxium demonstrare. Alij fauebant filio: alij iniquum dicebant, fidem adhibere filio patrem insimulanti. Cùm sic autem longa fieret altercatio, nec facilè quisquam ausus esset ferre sententiam, Episcopus tandèm communicato cum Comite consilio, rem statuit beati Eligij iudicio permittendam. Ducuntur ergò ambo ad beati viri monumentum & iuramentum facere iubentur. Iuuenis simulatquè iurare cœpit, arreptus à dæmone, magna vi in terram eliditur, atque illic miserè seipsum discerpens, tremensq; & spumans volutatur. Ità prodito iam fure, ab ecclesia recedunt omnes. Tandèm diù malè mulctato iuuene, cum multi pro eo orarent beatum Eligium, curatus est.

Cælestis vindicta in periurum.

De alijs miraculis. *Cap.* 54.

Lepro-

LEprosus quidam ad sepulcrũ beati viri mirabili modo sanatus est, radio quodam indè exeunte, & in eius horrida vulnera se infundente. Quem secutus est multus hominis sudor, & cum sudore omni putredine abeunte, relicta est cutis mũdissima, atque adeò restitutus est homo, vt nulla lepræ vestigia in eo cernerentur. Claudus quoquè curatus est à beato viro, illi per visum apparente. Contrà autem fur quidam sacrilegus, aliquandò è templo egressis custodibus, aurea quædam ornamenta beati antistitis monumẽto subducere volens, catenam auream vi attrahens confregit: vndè tantus excitatus est sonus, vt extra templum procùl audiretur à custodibus: simulque homo nefarius ità diuinitùs ad limen ecclesiæ detentus est, vt loco mouere se non posset. Itaque accurrentibus custodibus, depræhenditur in sacrilegio, profert res ablatas, petit veniam sacrilegij, humaniter ignoscunt custodes, abscedit liberè, nullo iam eius gressum retardante. Vir quidam nobilis ob culpam non magnam prorsùs infensum habuit principem. Adducitur ergò in palatium, & capite damnatur. Interìm seruãdus traditur Amalberto Comiti Nouiomẽsi. Post aliquot dies audit è famulis eius, proxima luce se capite plectendum. Valdè ea re consternatus, omni spe euadendi sublata, hoc solo se consolabatur, si posset obtinere, vt eam noctem apud S. Eligium duceret peruigilem. Eo igitur impetrato, ardentissimo animi desiderio properat ad sancti mausoleum, tota penè nocte in lachrymis & gemitu est, orans sanctum Episcopum, vt in crastinum suo ipsi velit patrocinio adesse. Post absolutos à Clero nocturnos hymnos, nimio mœrore depressus, obdormit: & eccè mox adest S. Eligius, humanissimoque vultu blandè eum consolans, pollicetur se futurum apud principem, nec ipsum vllas daturum pœnas, sed cum principe in gratiam rediturum. Eodem die accitus à principe, liber dimissus est.

Nota hanc leprosi curationem.

Fur deprænditur in sacrilegio.

S. Eligius apparet cuidam.

De capillis beati viri quædam admiranda. *Cap.* 55.

CVm beatus Eligius apud Turones adhuc laicus sancti Martini thecam fabricaret, cuiusdam matronæ hospitio vtebatur. Ea cernens virum sanctum iugiter eximijs operibus intẽtum, (vt erat reuerà promptus ad omne opus bonum, creber in precibus, largissimus erga pauperes) non temerè sibi persuasit eum esse Dei seruum. Cumque aliquandò tonderentur pili capitis & barbę eius, illa pannum lineum, quo exceperat pilos, & quicquid ex pilis ipsis colligere potuit, ei linteo inuolutum in arca reposuit. Permultis indè labentibus annis, fœmina eius rei penitùs oblita fuit. Post obitum autem beati Eligij sæpè noctibus audiebat in cubiculo suo suauissimam psalmorum melodiam. Curiosè itaque explorare volens, quid agatur, videt per foramina quædam miram radiare lucem. Cumque id crebrò fieret, admodùm perterrita, non audebat noctibus manere in ædibus suis: nec tamen recordabatur pilorum, quos illic olìm ex fide condiderat. Accito autem ad se Agerico, ecclesiæ S. Martini Abbate, rem ei exponit: dicit lachrymabunda, se non posse securam cubare in domo sua. Ille sciscitatur ex ea, an'ne aliquis seruus Dei illic quandoquè manserit, vel num quod à sanctis viris munusculum acceperit, aut certè an non ipsa aliquandò quasdam sanctorum reliquias abstulerit. Tum illa veluti per somnium, pilorum beati Eligij reminiscens, pectus crebrò verberat, indicatque Abbati se olìm pilorum S. Eligij segmina collegisse, & fideliter illic reposuisse. Mox igitur ad locum accedentes, inueniunt pilos illos admodùm suaueolentes, prorsùsque incorruptos. Indè ergò facilè colligi potuit, & quanti apud Deum meriti esset beatus Eligius, & quàm grata fuisset Deo fides mulieris, cùm post tot annorum curricula eo in loco diuinitùs tam admiranda fierent. Audiui autem posteà, illic elegans constructum oratorium. Quiddam simile huic contigit in monasterio Nouiomensi, à beato viro constructo. Sanati sunt etiam quidam contactu earum rerum, quibus vir Dei, adhuc viuens, aliquandò vsus esset.

Vide vt Deo cohonestet etiam extremas reliquas sanctorum suorum.

Vt punitus sit, qui pro reliquijs eius precium à quodam extorsit. *Cap.* 56.

VIr quidam non longè à Rhemis habitans, religiosæ mentis studio voluit in prædio suo in beati Eligij honorem basilicam construere. Ea autem iam absoluta, reliquijs eiusdem sancti viri ornari eam cupiens, ad Nouiomenses profectus est, & ab illis optatum munus impetrauit. Sed cùm indè recedere vellet, clericus quidam cupiditatis œstro percitus, vi eum detinuit, dicens se non passurum vt cum reliquijs abeat, nisi priùs aliquo dato munere. Ille vt posset ex eius manibus euadere, munusculum quoddam tristis ei largitus est. Quod

Basilica in honorem S. Eligij.

Vide vltionem cælestem.

clericus auidissimè complectens, mox in sinu abscondit. Et eccè repentè immisso diuinitùs igne, pectus cum vestimentis ardere cœpit, ità vt alta voce exclamans diceret: Parce sancte Eligi: miser ego nihil tale deincèps faciam. Mox illi, qui aderant, properè ei vestimenta fumantia detrahunt, munusque acceptum reddūt ei, qui dederat, ilum iam dolentem & multùm lachrymantem ad beati Eligij monumentum adducunt: vbi oleo vnctus, vix tandèm ab incendio illo liberatus est. Equidem nihil dubito idcircò hoc ei accidisse, vt pudefiat & reprimatur similium improba cupiditas, qui non verentur exacta pecunia sanctorum reliquias venundare. Cesset igitur, obsecro, locis omnibus hæc contagio, nè simile quid accidat similia facientibus.

De hominis cuiusdam temeritate punita. *Cap.* 57.

* villam

Pœna irreuerenter tractantis lectum sancti viri.

SOlebat vir sanctus, adhuc in corpore manens, crebrò venire Compendium, regale * oppidum, & trans fluuium propinquum Isaram apud Vualdolenum habere hospitium. Postquàm autem desijt esse in humanis, ille eius hospes lectulum eius absque vlla tanti viri reuerentia demolitus est, & è sponda, quam sæpè sua manu triuerat vir beatus, limen effecit, atque cum sua coniuge eo locó, quo vir Dei cubare solebat, se reposuit. Eccè autem eádem nocte acerrima febre correptus, nauseat, tremit, sudat, pallescit: pedes, quibus spondam calcauerat, dolent, & magno ardore æstuant, ità vt ingredi non posset. Interim dum ille sic cruciatur, vxori per visum præcipitur, vt quamprimùm ab eo loco recedant, spōdam instaurent, totumque lectum, vtì priùs erat, diligenter restituant atque componant. Sed illa negligenter visionem obliuiscente, maritus acrioribus vrgetur dolorum stimulis. Proxima nocte etiam ipse admonetur, nisì ocyùs ex illo lecto recedat, fore vt seueriùs castigetur. Post eam visionem nonnihil se remittente febre, vt potuit, celeriter surrexit, spondam ilicò collegit, diligenter ablutam in locum pristinum restituit, lectumque instaurauit, & ab illo deincèps se abstinens, temeritatem suam pœnitentiæ multa satisfactione expiauit, atque ità demùm curatus est. Eo miraculo posteà diuulgató, cœperunt vndiquè aduentantes ad eum locum munuscula inferre, cœperunt etiam crebra fieri miracula, & multi eò frequentes aduenire. Id non multa sine admiratione cernens Vualdolenus, domo illa relicta, & beato Eligio æternùm dedicata, in propinquas ædes commigrauit. Indè ea domus diruta est, & basilica illic constructa, atque in ea lectus ille repositus, mirificè ornatus cernitur. Locus ille in ditione est Clementis Episcopi Bellouacensis, multaque illic miracula fiunt: è quibus, breuitatis studio, non nisì duo commemorabimus.

Miracula ad lectum eius.

Clemens Episcopus Bellouacēs.

De duobus miraculis, ad lectum beatissimi viri editis *Cap.* 58.

Clotarium Regē febris vexat.

Ilicò sanatur.

Vide exemplum terribile.

Lāpas oleo cælitùs impletur.

DVo Reges, germani fratres Clotarius & Theodoricus, quandoquè è palatio egressi, orandi causa ad eam basilicam accesserunt. Absolutis precibus exeuntes illos quidam proceres admonuerunt, vt aliquam eleemosynam pro sancti Eligij veneratione illi loco tribuerent. Sed Rex senior contempsit: iunior verò aliquot solidos ex radianti metallo ibì reliquit. Vbì ad palatium reuersi sunt, Rex senior Clotarius molesta confestìm febre vexatur: totoque corporis ardore ad caput tendente, secutus est vehementissimus dolor dentium. Nocte igitur illa in summis cruciamentis transacta, manè recordatur, quid hesterno die neglexerit, seque confert ad beatum Eligium deprecandum, cui etiam per hominem fidelem multos misit solidos: qui simulatquè illati sunt in templum, dolor omnis repentè sopitus est. Puella quædam eodem ferè tempore desponsa, malo dæmone instigante, ab alio turpiter vitiata est. Sponsus id suspicatus accidisse, vrget eam, vt iureiurando se probet innocentem. Illa, vtpotè adultera, incunctanter offert iuramētum, nihil prorsùs periculi metuens. Iubet ergò sponsus, vt ad beati Eligij lectum hunc, de quo paulò suprà diximus, sola iuret. Eunt pariter in ecclesiam: puella proterua & insolens sine vllo metu ad lectum accurrit: sed mox vt illi iuratura manum imposuit, viribus destituta corruit: cumque eam circunstantes alij leuare vellent, tremens & spumans inter manus illorum animam expirauit. Sponsus id cernens, multùm quidem expauescit: at tamen Christi potentiam & beati Eligij iudicium laudans, non sine metu recedit. Multa alia ibidèm, Domino iubente, miracula fiunt, in quibus est etiam illud, quòd lampas oleo abundè cælitùs impletur: quo sancto liquore multi illic peruncti, varijs liberantur incommodis & morbis. Et hæc quidem omnia apud

apud Compendium fiunt. Consimilia autem perpetrantur miracula apud alium quendam lectum eius, qui in quodam monasterij eius prædio, quod Victuriacum vocant, asseruatur: quæ omnia si commemorare pergamus, onerosi erimus. Nos verò iam summoperè ad finem properamus.

Generalis quædam miraculorum commemoratio. Cap. 59.

AD sepulcrum beati viri multæ catenæ diruptæ, multæ compedes fractæ, cippi dissipati, multaque alia visuntur certissima argumenta miraculorum, quæ illic facta sunt & fiunt: è quibus tamen nos vel pauca, vel potiùs nulla retulimus, quòd omnium oculis exposita sint. Neque verò, vt in plerisque solet, hæc miracula illic fieri cessant, sed quotidiè vndiquè aduentant morbidi, & sanantur, ferro vincti absoluuntur, claudi carrucis aducti, suis pedibus recedunt: periuri aut arripiuntur à dæmone, aut moriuntur, dæmoniaci liberantur, cæci illuminantur. Multi quoquè sanantur morbi oleo illic succrescente: immò quisquis eo perungitur, quacunque laborat infirmitate, statìm fugiente morbo, curari potest. Sed quia iam vtcunquè absoluimus optatum opus, lectorem rogamus, nè vilitatem sermonis nostri planè despiciat. Fortassis potuissent dici à nobis pleraque elegantiùs: sed studio sic stylum temperauimus, vt res potiùs, quàm verba, lectori commendaremus. Maximè verò ab hoc opere cothurnus tumentis eloquij remoueri debuit, quod de tanti antistitis humilitate manauit. Me quoquè deuotum potiùs, quàm temerarium fuisse, præsens pagina testabitur. Neque enim confidentia viriū mearum, tantam in me prouinciam recepi, cùm scirem absurdum esse, tantæ historiæ tantillum adhiberi authorem: sed cùm sim debitor decem millium talentorum, vel parùm aliquid ei, à quo accepi, reddere volui: planè dignum & iustum arbitratus, vt exiguum talentum in laudem sancti viri & gloriam omnipotentis Dei expenderem: & quod ab illo indignus percepi, eidem subiectus impénderem. Tibi nunc, Christe, librum hunc contra æmulos omnes defendēdum commendó: tibi deuotionis meæ dicta supplex committo: tibi in his omnibus & per hæc omnia pio, vt possum, affectu persoluo laudem & præconium, qui tulisti adiutorium, quó posset cōfici opus optatum. Tibi ergò laus, tibi gloria, tibi honor creatori & recreatori hominum Iesu Christe, qui cum Deo patre & spiritu sancto viuis & regnas Deus per infinita secula seculorum, Amen.

Oleū ad sepulcrū eius nascēs morbidos sanat.

*Epistola beati Audoëni ad * Robertum Episcopum Parisiensem de vita S. Eligij.*

* Rodobertum

DOmino sancto, & à nobis in charitatis vinculo iugiter amplectendo Rodoberto papæ, Dado salutem. Vitam beati Eligij, quam nuper, frater charissime, descripsimus, per præsentem latorem strenuitati argutiæque vestrę * emendandam direximus. Quæsumus ergò, vt sepositis paululùm curis exterioribus, studium illic adhibeas quantocyùs: &, si quid fortè aut mea, aut notariorum incuria in verbis, vel syllabis incompositum, aut minùs aptum depręhenderis, iuxta prudentiam tibi collatam studiosè emendes, nobisque demùm emendata restaures.

* concertādam

Vide sancti Audoeni humilitatem.

Epistola Roberti Episcopi Parisiensis, qua beato Audoëno respondet.

DOmino verè sancto, culmine Apostolico sublimato, mihique modis omnibus venerabiliter præferendo, domino & patri Dadoni, * Rodobertus peccator. Decreueram quidem gratificæ iussioni vestræ, venerabilis pater, obtemperare, nisi imperitiæ meę prudentia vestra in dictandi studio tantoperè obuiâsset. Totum itaque volumen, quo vita sancti continetur Eligij, à summis ad ima vsque solerti, vt iusseras, cura quidem percurrēs, nihil omninò, quod adijcere emendareque deberem, vsquàm potui reperire: sed magìs potiùs, quod admirarer, venerarer, præferrem & prædicarem. Et vt vera fatear, pinxisse mihi illic videris sanctitatis tuæ, immò beatissimi antistitis Eligij integerrimam formam, ità vt nihil prorsùs defuerit ex cunctis sancti virtutibus, quod non potentatu verborum per singula inuestigaueris, ventilaueris, celsoque in sublime phaëo sustuleris. Vndè equidem animo iam meo ex eius vbertate refoto, exemplari etiam integerrimi voluminis fratribus mihique cōfecto, toto demùm volumine sanctitati vestræ remisso, orationum vestrarum supplex quæso suffragium domine semper Dado.

* Robertus

F. Laur.

F. Laur. Surius pio Lectori.

EQuidem libentissimè, propter authoris reuerentiam, beatissimi Eligij vitam, sicutì ab illo edita est, integram nihilq; mutatã edidissem, candide Lector: sed cùm eam ex quodã MS. codice describerem manu mea, & iam aliquousquè progressus, viderem eam valdè prolixam, nonnulla etiam subindè repeti, quædam etiam multis verbis fusè & copiosè dici, quæ possent paucis compræhendi: temporis angustijs exclusus, & nè opus nimiùm excresceret, coactus sum nonnulla aliquot locis omittere, quædam contrahere, quibusdam etiam aliquam lucem afferre. Quæ cùm sine styli mutatione commodè fieri non possent, inuitus pleraque reddidi verbis meis, sed ità tamen, vt æquus lector facilè id boni consulturus sit, cùm nihil historiæ integritati detractum aut diminutum sit. Est autem ab eodem authore Audoëno etiam tertius liber scriptus de vita S. Eligij, sed illum omisi, quòd non nisi Epitome sit eorum, quæ duobus hisce libris à nobis editis, continentur. Vale.

DE S. NATALIA, cuius festum occurrit prima Decembris, quærat Lector in Vita S. Adriani octaua Septembris, tomo 5.

DE S. AGERICO VIRDVNENSI EPISCOPO CARMEN FORTVNATI PRESBYTERI, QVEM QVAEdam historia commemorat ab illo humaniter hospitio exceptum fuisse.

Decembr. 1.



VRBS Virduna breui quanuis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.
Maior in angusto præfulget gratia gyro,
Agerice tuus quam magis auxit honor.
Plurima magnarum fudisti semina laudum,
Quæ matura operis fertilitate metes.
Tempore præsenti victum largiris egenis. (S. Agerici liberalitas in inopes.)
Vndè futura dies centuplicabit opes.
Dogmatis arcani reseras penetralia pastor:
Non solùm dapibus, pascis & ore greges.
Templa vetusta nouas preciosiùs, & noua condis, (Instaurat & condit templa.)
Cultior est Domini, te famulante, domus.
Egregios fontes sacri baptismatis exples:
Tam pia diuino fonte repletus agis.
Candida syncero radiat hæc aula sereno,
Etsì sol fugiat, hìc manet alta dies.
Ad noua templa auidè concurrunt vndiquè plebes,
Et tribuis populis plus in amore Deum.
Te solamen inops meruit, te nudus amictum,
Et solus cunctis potus & esca manes.
Felix qui meritis æternæ lucis amator,
Tempore tam modico non moritura paras.

Aliud eiusdem carmen.

PHœbus vt elatum suspendit in æthera cursum,
Purus & igniferum spargit vbiquè iubar:
Effusis radijs totum sibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenens:
Sic præsul splendore animi cum sole coruscas:
Ille suis radijs fulget, & ipse tuis
Agerice sacer, cuius sermone colente,
Ecclesiæ segetes fertilitate placent.
Terrenis rebus sterilis, fœcunde supernis: (Rebus pauper, diues virtutibus.)
Cuncta caduca negans, diues itur e polis.
Illecebris mundus, mundi lasciua repellens:
Nil cui subripuit carnis amarus amor. (Carnis amarus amor.)

Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cùm tua delictis libera membra vides.
In templis habitando pijs sic purus haberis,
Vt tua corda, pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali se Christus vase recondi:
Quam sibi purgauit, possidet ipse domum.
Non dolus in labijs, non sunt fera nubila mentis:
Synceris animis vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen salienti fonte refundis,
Et sensus steriles voce rigante foues. Doctrina eius.
Ardua cælorum pandis mysteria terræ,
Per quem plùs Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate diuino præsul facunde triumphas:
Das pastor monitis, nè premat error oues.
Delicijs reficis, quas cælum, arua, vnda ministrant,
Et satiat populos hinc cibus, indè fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum:
Omnia, quicquid habes, omnibus esse facis.
Sic tibi longa salus maneat, licèt indè futura,
Atque diù pastor pro grege vota feras.

VITA SANCTI PETRI, COGNOMENTO CHRYSOLOGI, RAVENNATIS ARCHIEPISCOPI, EX *Hieronymi Rubei libro secundo historiarum Rauennatum, collecta.*



SVCCESSOR Iohannis Rauennatum Archiepiscopi qui vidit Angelum, numeratur Petrus Rauennas vocatus, cognomento Chrysologus, quòd ea fuerit suauitate sermonis, vt aureum orationis flumen funderet. Blondus hunc patria Rauennatem fuisse scribit, & Fori Cornelij Episcopum, sed fallitur, cùm ex Foro Cornelij, vbi natus erat, in Archiepiscopum Rauennatē fuerit electus. Nam Rauennates, vt moris erat, cùm Archiepiscopum ab eis creatum, Romam ad Xystum tertium Pontificem, qui Cælestino successerat, vnà cùm Cornelio, Fori Cornelij Episcopo misissent, vt confirmaretur electio, Xysto ferunt per quietem Petrum Apostolum atque Apollinarem se ostendisse, qui medium sibi adolescentem haberent, prædicerentque illum Archiepiscopum Rauennatem vt crearet: ab Rauennatibus electum non confirmaret. Quapropter cùm postridiè Rauennates adessent, primò reijcit quem elegerant: iubet deindè omnes ad se accedere qui illic essent, vt eum Archiepiscopum faceret, quem Petrus & Apollinaris præmonstrâssent. Sed cùm ex Rauennatibus neminem illius similem fuisset conspicatus, Cornelio Episcopo mandat, vtì suos in medium proferat. Eminebat inter cæteros, vitæ innocentia ac doctrina Petrus, Cornelij Diaconus. Hunc cum illius similem cognouisset Xystus quem in somno viderat, Archiepiscopum Rauennatibus pręficit. Rauennatibus autem id ægrè ferentibus, rem omnem aperit: vndè maxima reuerentia apud omnes Petro conflata est. Petrus inuitus & non absque ingenti molestia Archiepiscopus factus, Rauennam reuersus, summa gratulatione ab Valentiniano primùm & Galla Placidia, mox ab omnibus Rauennatibus excipitur. Ille ab eis id vnum petere dixit, vt, quandò tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusauit, studerent ipsi monitis suis obtemperare: præceptisque diuinis non obsisterent.

3. Decembr.

S. Petr' hic, cur Chrysolog' cognominetur.

Diuinitùs eligitur in Episcopum Rauennatē.

Sūmo gaudio à Rauēnatibus excipitur.

Intereà Galla Placidia D. Iohanni Baptistæ egregiam ædem, iuxta domum suam, extruendam curauit, vniuersæ ædificationis negocio demandato Baduario Patricio Rauennati. In eo templo Barbatianus Deo seruiens, multis prodigijs innotescebat in dies magìs ac magìs: ex quibus illud maximè commendatur, quo Iuliani Rauennatis nobilissimi viri filium, strumis ità laborantem, vt ab omnibus iam esset desperatus,

Extat de S. Barbatiano sermo beati Petri Damiani. quære

31. Decemb. præsenti tomo, post eius Vitam. tus, sanauit: cùm sacris peractis cubiculum ingressus, mox ex cera emplastrum, imminutumque panem cum oleo mixtum, vlceribus imposuisset, signoque Crucis obsignâsset, repentè enim disruptis illis vermes egressi sunt, & puer ingenti miraculo in sanitatem restitutus.

Pari felicitate ac prodigio, Theodoram primariam mulierem, refractario sanguinis fluxu ad desperationem laborantem, sanauit. Cùm enim vir sanctus, deductus ad eam, in qua expressa mortis effigies videbatur, eam intuens dixisset: Christus, qui hoc morbi genere laborantem liberauit mulierem, te sanet: Quamobrèm eius nomine tibi prædico, surge & ambula, Theodora statìm ad sanitatem reducta est, cuius beneficij magnitudine commota, frequēs deinde virum sanctum conueniebat, ab eoque de Christi religione docebatur. Verùm Vrsicius Theodoræ maritus, intantùm ob id zelotypiæ cæco furore exarsit, vt quadam die sub auroram in Barbatianum, qui orabat in templo Deum, districto ense impetum fecerit: sed continuò aruit manus, immobilisque permanens, viro sancto orante, Deus illi restituit sanitatem.

Matt. 9. Luc. 8. S. Barbatianus mulierē à sanguinis profluuio liberat. Miraculū.

Per idem tempus Petrus Archiepiscopus, ad Ecclesiæ administrationem conuersus, Tricollim aggressus est, quod ædificium, ad trium collium simulacrū extructum, sacerdotibus Vrsiani templi, stationem tutam assiduamque præbebat. Id à successoribus admirabili ædificatione absolutum, nunc non extat. Eius vicem reddunt horti, qui circa Vrsianam ædem conspiciuntur. Templum præterea sacrauit, quod diuo Iohanni Baptistæ Baduarius iussu Placidię ædificauerat. Cumque Placidia Ariminum se contulisset, incumbens in ędificationem templi D. Stephano, haud procùl ab vrbis mœnibus, dedicati, incidissetque Barbatianus in leuem quidem morbum, sed pertinacem qui illi postremus fuit, Petrus certiorem fecit Placidiam, quæ omnibus repentè relictis, Rauennam conuolauit, vbì non multò pòst Barbatianus tranquillè & placidè animam exhalauit. Ab Petro Archiepiscopo ablutus, & aromate conditus, sepultus est in monumento iuxta aram maximam diui Iohannis Baptistæ. Temporum successu, cùm eius nomini erectum fuisset templum, haud procùl ab D. Zachariæ, illuc cadauer importatum fuit. Cæterùm tandèm corruente templo, ac potiùs ædicula, in Vrsianam ædem est translatum.

S. Chrysologus Tricollim ædificat. Templū D. Iohan. Baptistæ consecrat. S. Barbatianum sepulturæ tradit.

Intereà cùm Eutyches Byzantius Abbas, factiosorum ope, disseminaret falsam doctrinam, asseuerans in Christo diuinam naturam cum humana in idem recidisse, Leoque Pontifex, qui Xysto successerat, tricentorum & sexaginta Episcoporum ad Chalcedonem conuocato Concilio, eam pestem restinguendam summa ope niteretur, Petrum Chrysologum iussit ad Concilium aduersùs Eutychen quæ viderentur scribere. Quod & Petrus fecit adeò luculenter, grauiterque & piè, vt ad hanc vsque ætatem eas literas quæ extant, viri omnes docti mirentur, & primo loco habeant.

Concilium Chalcedonense. Chrysologus aduersùs Eutychen scribit doctissimè.

Accessit Rauennam hoc tempore, ad Valentinianum, Germanus Altissiodorensis Antistes, eximia vir sanctitate, ab eo, Placidiaque matre honorificè exceptus, vbì cùm in argenteo vase ad eum misisset aliquandò Placidia lautissimos cibos, quibus cœnaret, ità munus accepit, vt seruis præbuerit cibos: vas autem argenteū voluerit apud se esse, egenis viris distribuendum: Ipse Placidiæ panem ex hordeo in scutella lignea remisit, quod illa viri sancti munus venerabunda acceptum, summa semper apud se veneratione habuit, scutellamque ligneam argento circundedit. Cùm verò semèl ad cœnam Germanum inuitâsset, ille benignè assensus, vectus asello ob id quòd vix pedem mouere posset, confectus inedia & castigatione corporis, contigit vt asellus, qui nihilo, quàm Germanus, firmiori valetudine erat, inter cœnandum moreretur. Quod cùm resciuisset Placidia, iussit generosum equum maximæ mansuetudinis afferri. Sed Germanus, cùm suum se velle asinum diceret, peteretque, vt sibi locus in quo cadauer esset indicaretur, ad illum productus, Surge, inquit, reuertamur ad hospitium: statimque & asellus rediuiuus surrexit, & Germanum reuexit vndè discesserat. Verùm non multò pòst, Germanus multò antè ab se præuisam atque prænunciatam mortem Rauennæ cum vita commutauit, septimo postquàm laborare ex febre cœperat die. Eius cadauer à Petro Chrysologo Rauennatum Archiepiscopo ità conditum, vt in Galliam importari, quemadmodùm moriens Germanus petierat, posset: quod & Valentinianus curauit faciendum. Petrus sancti viri cucullam & cilicium sibi habuit, ac nè quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, sibi vendicauit.

Illius Germani Episcopi vita habetur 4. tomo, Iulij 31. Abstinentia eius & corporis mortificatio. Asellum suū mortuū resuscitat. S. Chrysologus Germanum Episcopum sepelit.

Aedificationi posteà intentus, in Classe extruxit mirabilis magnitudinis fontem, duplici

duplici alto muro extructo. Diuo etiam Andreæ Apostolo, iuxtà Vrsianam ędem, haud procùl ab Posterula, quam Vincilionis appellant, ædificauit egregium templum, ligneis tamen columnis suffultum: supra valuas, eius imago, emblematico vermiculatoque opere picta conspiciebatur. Cùm verò hoc tempore, Rauennates ad deorum commentitiorum simulacrum, quos antiquitas, ante partum Virginis, errore delusa, coluerat, personati Calendis Ianuarij, tota vrbe, per ludum, discurrere consuêssent, ipse multis concionibus habitis, eam perniciosam consuetudinem tollere conatus est. His absolutis, Chrysologus cùm imminere sibi extremum vitæ diem, diuinitùs intelligeret, decimumque iam annum Rauēnati Ecclesiæ præfuisset, contulit se ad Forum Cornelij, vbi diui Cassiani martyris templum ingressus, muneribus tributis, Deum precatus atque ipsum Cassianum martyrem, qui benignè eius animam exciperent: hortatusque Rauennates, qui illum fuerant insecuti, vt in deligendo optimo pastore inuigilarent, nec discederent ab diuinis mandatis, initio Pontificatûs Leonis primi placidè ac trāquillè ex hac vita migrauit tertio Nonas Decembris annum Domini circiter quadragesimum supra quadringentesimum. Sepultus est ibidèm iuxta aram D. Cassiani, vbì & nunc quiescit. Eius tamen brachium auro ac gemmis ornatum, in Vrsiana æde veneramur. Inter alia, quæ reliquit, doctrinæ monumenta, eius ad populum conciones, diuino spiritu & eximia pietate religioneque illustres, ab omnibus bonis & doctis iudicantur. Communi omnium consensu in Diuos relatus est, eique anniuersarij honores ob id decreti.

S. Andreæ Apostolo templu ędificat, & cultum falsorū deorum tollit.

Feliciter obit.

Sanctorum catalogo ascribitur.

VITA SANCTI ELOQVII ABBATIS LATINIACENSIS, VT VIDETVR, A MONACHO VVALciodorensi conscripta, habetur in peruetusto MS. codice Ecclesiæ Traiectensis.



REGNANTE Clodoueo Christianissimo Rege, venit beatus Eloquius ad Galliarum litora ex Hyberniæ regione, cum aliquibus venerabilibus viris, videlicet Furseo, Vltano, Foillano, Boëtio, Ettone, & cæteris confratribus. Cumque plura monasteria, per insulas maris cōstruxissent, & per Britanniam ac Saxoniam transuecti essent, plurimum ibì populum Domino acquisierunt. Tunc quibusdam causis ingruentibus, relictis ibidèm monasterijs expulsi à populo & Rege, causa visendi Romam profecti sunt, atque à Clodoueo memorato perhumaniter excepti, in loco qui dicitur Latiniacus monasterium extruxerunt: ibique fratribus ordinatis, S. Furseus cœptum volens prosequi iter, nō multò pòst apud villam Peronam defunctus est, beato Eloquio monasterij Latiniacēsis & animarum curam relinquēns. Post multos verò dies, S. Eloquius sciens discipulorum animos diaboli instinctu contra se excitatos, relictis omnibus, cum paucis fratribus super fluuium Isaram nominatum, in loco qui antiquo vocabulo * Girimacus dicitur, ibidèm eremiticam vitam duxit. Vbi & à viris religiosis honorificè susceptus, atque ab Eligio Nouiomi Episcopo, viro venerabili, vndiquè per suam diœcesim licentiam prædicandi accipiens, multos oratione ægros pristinæ sanitati restituit: ac sanos & incolumes in viam veritatis induxit.

3. Decemb.

Saxonia hęc pars Anglię est, à Saxonibus olim occupata.

De his omnibus lege vitam S. Fursei, 16. Ianuarij, & eius finem.

Extat S. Eligij vita 1. Decemb.

Quadam autem die, dum ad eius cellulam quidam æger eleemosynam peteret, vir Domini quod ad manum porrigeret non inuenit: iam enim cætera in vsus pauperum expenderat: tantæque eius inopiæ condolens, in oratione prostratus, profusis lachrymis Domino supplicare cœpit, vt qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum resuscitauit, ipse pristinam ei conferre dignaretur sanitatem. Statimque pro foribus Domino gratias agens profectus est ab infirmitate plenissimè curatus. Cumque fama longè lateque diuulgaretur, quòd vir Domini precibus apud Deum, multis incolumitatem impetraret, cœperunt in grabbatis ægros plurimos offerre, quos ille tangens sancti olei liquore, post susceptam be-

Iohan. 9.

Iohan. 11.

Ægrū oratione sanat S. Eloquius.

Eccè vim sacri olei. nedictionem sanos dimisit. Viri itaque religiosi circuniacentis loci, magno gaudio replebantur, quòd apud eos talis vir habitandi moram elegerat, atque eius oratorium, ex agris, vineis, & pratis omnes magnificè honorauerunt.

Quadam verò die cùm operarios in vineam cōduceret, ac operantibus adstaret, venit quidam eiulans & clamans: Heu me miserum, eccè filium meum vnicum, quem ex sacro fonte aqua baptismatis abluisti, in domo mea semiuiuum reliqui: succurre illi, obsecro, serue Dei, & eum adiuua. Cumque eum leniter cōsolaretur, quòd ex hac infirmitate non esset moriturus, eccè mater pueri occurrens, dixit: Noli molestare virum Dei, iam enim filius noster mortuus est. Quod vir Dei audiens, Euangelica verba profudit, dicens: Docuit nos Dominus spe obtinendi orare, dum ait: Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis. Credite igitur, & fundamus ad Deum preces, & recipiet puer sanitatem. Cumque orationi simul incumberent, eccè puer sanus effectus, seu potiùs rediuiuus, venit ad locum, vbi sanctus Dei orabat. Quem cùm viderunt parētes eius, gratias Deo egerunt, qui saluat sperantes in se. Multa quidem & alia sunt, quæ per eum Dominus dignatus est operari, quæ breuitatis ergò missa facimus.

Matt. 18. Mar. 11. Mortuum resuscitat.

Igitur sanctissimus Dei famulus Eloquius, vitæ cursu fideliter peracto, repletus omnium bonorum operum fructu, ad cæli gaudia, tertia die Decembris ascendit. Cuius corpus sepultum fuit à fidelibus in quodam monticulo, iuxta aggerem publicum super fluuiolum nomine Sommeron. vbi posteà ædificata est ædicula super tumbam eius, propter crebra miracula ibidèm ostensa.

Feliciter obit.

Tempore Ludouici Imperatoris mulier quædam Richildis nomine, diù cæca, ad ecclesiam eius veniens, statim ad sepulcrum eius illuminata est. Alia nomine Herlefreda cæca, & totis neruorum compagibus dissoluta, illuc deportata, ipsa die videns, & sana, est regressa. Alia nomine Germuara, per annum contractam habens manum dexteram, ibidèm est curata. Alia nomine Gertrudis de pago Hasbanico, dextro lumine priuata, ibidèm illuminata fuit.

Miracula ad sepulcrū eius.

Translatio eius.

CVm ergò temporibus Regis Francorum Odonis, plurimæ fierent circunquaquè strages Christianorum ex crudelitate Danorum, ac multa incendia ecclesiarum ac villarum agerentur: sancti Eloquij pariter cremata est ecclesia. Posteà sæpiùs in eo loco à transeuntibus auditæ sunt voces suauiter psallentium, & luminaria ardentia de nocte conspiciebantur. Cùm verò huiusmodi signorum fama circunquaquè percrebuisset, ac maximè quòd sanctus Dei absque ecclesiastico cultu sub dio & in deserto loco solus iaceret: Hardericus venerandus Comes cum Heresinde coniuge sua clarissima, accesserunt ad Rodohardum tunc temporis Laudunensem Episcopum, petentes vt licentiam daret aliorsùm corpus illud sanctum transferre, vbì honorabiliùs possit custodiri. Quo concesso, delatū est sancti viri corpus ad hāc præsentem ecclesiam Vualciodorensem. Vbì cùm intrâsset, multi hac die ex varijs infirmitatibus, antequàm Missarum solennia complerentur, sanati sunt.

Odo Caroli Simplicis tutor & regni gubernator, Aimonius lib. 5. cap. 41. Papirius Massonus lib. 2. Annalium, in Carolo Simplice. Transfertur corpus eius in monasterium Vualciodorense.

Presbyter huius ecclesiæ nomine Dendinus, febricitans, statìm vt huius limen ecclesiæ trāsiuit, sanatus est. Alius per xvj. annos cæcus, illuminatus est. Paralyticus in porticu huius ecclesiæ solitus eleemosynā petere, sanatus est. Posteà quidam à dæmone grauiter obsessus, vbì ad sepulcrum eius obdormiuisset prostratus, statìm surrexit, & sanus in domum propriam est reuersus. Illius itaque translationis ac sepulturæ decus, tertio Nonarum Decembrium celebratur cum honore ad laudem nominis Dei, qui viuit in omnia secula Amen.

Alia permulta miracula.

VITA

VITA S. BIRINI EPISCOPI DORCESTRIENSIS ET CONFESSORIS, INCERTO QVIDEM *authore, sed fide digna.*



SANCTVS Birinus à Papa Honorio ad prædicandum verba salutis genti Anglorum directus est. In præsentia autem eiusdem Pontificis Honorij, in intimis vltrà Anglorum partibus, quò nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina se sparsurum promisit. Vndè etiam iussu eiusdem Pontificis per Asterium Genuensem Episcopum in Episcopatûs consecratus est gradum. Porrò ad litus Britannici freti arrepto itinere perueniens, ascensurus nauem, diuina celebrat mysteria: sibi suisque viaticum parans, salutaris hostiæ pia libamina Deo obtulit. Vrgente verò nauigationis articulo, ad nauem festinans introducitur: & insurgente vento, dum alta sulcarent pelagi, reminiscitur Birinus se rem præcipuè charam amisisse, & nautis vrgentibus impeditum, in litore, vndè ascenderat, reliquisse. Dederat enim ei Honorius Papa pallā, super quam corpus Christi consecrabat, & in qua corpus Dominicum inuolutum, & ad collum suspensum, semper secum ferebat, atque inter sacranda sacrosancta mysteria super sanctum altare ponere consueuit.

Decemb. 3.

S. Birinus proficiscitur in Britanniam.

Viaticū spirituale peregrināribus necessariū, ob pericula.

Fide igitur armatus, in mare descendit: Deum authorem habens, per mare securus incedit: & recepto quod reliquerat, ad nauē regreditur. Offendit autem illam quasi immobilem stantem, cùm paulò antè per vndas maris velociter currentem reliquisset. Vt autem in eam ingressus est, nec vna quidem in vestimento eius aquę gutta deprӕhensa est. Id nautæ videntes, flexis genibus tanquàm Deum eum adorauerunt, & complures ex eis ad fidem Christi, prædicante illo verbum Dei, conuersi sunt. Intrante porrò illo in portum apud Occidentalium Saxonum gentem, qui antiquitùs Geuissæ vocabantur, cùm omnes ibidèm paganissimos inueniret, vtilius esse ratus est ibi potiùs verbū Dei prædicare, quàm vltrà progrediendo, eos, quibus Christum annunciaret, inquirere: maximè cùm populi cateruatim irruerent, audire cupientes beatum antistitem, & tum corporis, tum cordis auribus, quę ab illo dicebantur, humiliter complectentes.

Ambulat siccis pedibus super mare.

Erat verò in ea prouincia mulier quædam annosa, quæ longo tempore nec videre, nec audire poterat. Ei per visionem dictum est, vt ad beatum antistitem, receptura sanitatem, ire festinaret. Surgens igitur mulier, ducem parat, qui gressus eius regat. Episcopus autem visa illa motus pietate, auribus & oculis eius signum Crucis impressit: & mox depulsa cæcitate, visus redditur, & surditatis excluso vitio, auditus reparatur.

Signo crucis sanat surdam & cæcam.

Euangelizante porrò illo in ea prouincia, cùm Rex Cinigilsus catechesi instructus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, sanctus Nordanhumbrorum Rex Osuualdus eum de lauacro exeuntem suscepit: sicque pulcherrimo prorsùs Deoque digno consortio, cuius erat filiam habiturus coniugem, eum priùs secunda regeneratione Deo dedicatum, sibi filium accepit. Donauerunt autem ambo Reges eidem Episcopo ciuitatem, quæ vocatur Dorcic, id est, Dorcestra, ad cōstituendam illic sedem Episcopalem. Anno autem tricesimooctauo ab ingressu S. Augustini in Angliam, prædicare cœpit S. Birinus Vuestsaxonibus, & eos baptizare. Porrò anno Domini sexcentesimo tricesimoquinto, tempore Regis Cinigilsi, canonicos regulares instituit apud Dorcestram, ab Oxonia milliaribus septem distantem: vbi ipse & successores eius viginti & septem Episcopi, annis circiter quadringentis & quinquagintaseptem, fuère: sed Vuilhelmo Conquæstore regnante, Remigius Episcopus eam sedem in Lincolniam transtulit. Stephano autem regni gubernacula moderante, Alexander Episcopus canonicos regulares Dorcestræ instituit.

Vuestsaxonibus, id est, occidentalibus Saxonibus.

Anno 1067 is regnauit.

Beda venerabilis de gestis Anglorum libro 3. cap. 7. scripsit, beatum Birinum factis dedicatisq; ecclesijs, multisque ad Dominum pio eius labore populis aduocatis, migrâsse ad Dominum, & in eádem ciuitate sepultum esse: & post multos annos, Hedda Episcopatum agente, eum indè in Vuentam ciuitatem, id est, Vuintoniam, translatum, & in ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli honori-

ficè collocatum. Sed Dorcestrenses canonici in hoc Bedæ non assentientes, ad Honorium Pontificem scripserunt, quibus ille hunc in modum respondit: Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri Stephano Archiepiscopo Cantuariensi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & dilectis filijs Archidiacono & Officiali Cantuariens. salutem & Apostolicam benedictionem: Ex parte dilectorum filiorum Abbatis & cõuentûs de Dorcestria, fuit nobis humiliter supplicatum, vt corpus sancti Birini, qui olìm à felicis recordationis Honorio Papa prædecessore nostro in Angliam destinatus, claræ memoriæ Regem Angliæ ab idolatria cum gente sua conuersum baptizauit, & multis coruscans virtutibus, feliciter officio legationis impleto, defunctus & sepultus in suo monasterio in loco humili extitit, cùm nomen eius in sanctorum catalogo habeatur, faceremus in loco magìs idoneo collocari. Nos igitur de vestra discretione plenam fidutiam obtinentes, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs si rem inueneritis ità esse, præfatis Abbati & conuentui, vt corpus sancti prædicti ad locum transferant digniorem, authoritate nostra licentiam concedatis. Datum Lateran. septimo Idus Martij, Pontificatûs nostri anno octauo.

Literæ Honorij III.

Archiepiscopo autem Stephano prædictis Archidiacono & Officiali vices suas committente, pluribus conuocatis anno Domini millesimo ducentesimo vicesimoquarto, inter multos testes, quidam canonicus iuratus dixit crebrò se audijsse Vuilhelmum canonicum dicentem, quẽdam ipsi in visu sæpiùs apparuisse, iussisseque sepulcrum quoddam inquirere in ecclesia Dorcestrẽsi ante altare sanctæ Crucis, vbi inuenturus esset corpus S. Birini: factaque ab Abbate potestate, quæsito sepulcro & aperto, præsentibus Abbate & canonicis, inuenisse corpus Episcopi integrum cum duplici stola, & infula rubra è panno serico, atque cum Cruce è metallo confecta, pectori eius imposita: deniquè cum calice ad vmbilicũ eius posito. Post hanc autem corporis inuentionem, quidam septennij cæcitate laborans eò venit, & visum recepit. Adolescens à natiuitate surdus & mutus, & audiendi & loquendi sibi sensit redditam facultatem: qui quidem ait, in visu iussum se ire Dorcestram, sanitatem illic consecuturum. Cùm autem respondisset nescire se locum, eum qui apparuit, dixisse, se ipsum velle ducere. Atque ità expergefactum se ab eodem perductum esse ad locum. Vbi cùm curatus esset, & Anglicè loqueretur, canonicum quendam ioco dixisse ipsi: Qui te loqui docuit, non fuit aulicus: nam alioquì potuisset docere te aliud idioma. Tum verò intra triduum ità perfectè Gallicè, vt Anglicè, se loqui cœpisse. Est illic etiam quidam excitatus mortuus, leprosus mundatus, rursusque duo alij à morte ad vitam reuocati, & ab ipso ortu mutus, loquendi beneficio donatus.

S. Birinus iubet corpus suum inquiri.

Eius corpus inuenitur.

Miracula post corporis eius inuentionem.

Quæ quidem omnia, & plura alia cùm ab Abbate & cõuentu proposita fuissent, quæsitum est ex eis, num qua scriptura cum corpore reperta esset. Abbate id negante, cunctis consentientibus, apertum est sepulcrum: inuentaq; sunt ossa omnia naturali situ & ordine collocata, sed carne in cineres redacta. Inuentus quoquè est annulus, itemque Crux plumbea super pectus eius, calix paruus, particulæ vestimentorum eius, duæ stolæ, sed nõ integræ. Inuenta est etiam crumena quædam serica super pectus eius, itemque pera ex vna parte auro contexta: in qua omnes asserebant pallam suprà memoratam, cum Christi corpore fuisse, cuius causa, vt dictum est, supra mare siccis pedibus ambulauit. Exclamauit autem Abbas quidam: Certus equidem sum, isthuc corpus esse sancti Bertini. Audiui enim hac nocte quasì cuiusdam magnæ personæ vocem eiusmodi: Nè dubiteris de inuentione corporis beati Birini. Totum corpus reperietis, sed redactum in cinerem. Quæsitum deindè est ex Abbate, quid responderet ad id, quod Beda scriptum reliquit, beatum Birinum sepultum quidem fuisse in ecclesia Dorcestrensi, sed post multos annos ad ecclesiam Vuentanam translatum. Ille verò non negauit ità scriptum esse, sed addebat, in Chronicis non solùm visa, sed etiam audita annotari. Tum prætereà aiebat, corpus cuiusdam Episcopi, in angulo retrò ostium ecclesiæ sepultum, Vuentanam siue Vuintoniam translatum fuisse, ossibus quibusdam in ea ecclesia relictis, nec credendum esse, talem Episcopum atque Legatum, tam vili loco humatum esse. Deniquè addebat, post primam beati Birini inuentionem quendam sanctæ vitæ virum, inclusum apud Haliuuelle extra Oxoniam, Matthæum nomine, audiuisse vocem dicentem sibi: Birinus in pauimento, Bertinus retrò ostium:

Bertini, non Birini, corpus Vuintoniã translatum.

ostium: qui quidem Bertinus decimus à Birino Episcopus fuit. Ad extremum affirmabat, multa Dorcestræ miracula fieri, Vuintoniæ nulla.

De ijs autem certior redditus summus Pontifex, ità rescripsit: Honorius Episcopus, &c. Venerabili fratri Stephano Cantuarien. Archiepiscopo, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, & dilecto filio magistro Othoni subdiacono nostro, salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectis filijs Abbate & conuentu de Dorcestre olim nobis insinuantibus, quòd corpus beati Birini Episcopi in eorum ecclesia in loco humili requiescit: & humiliter supplicantibus, vt illud faceremus in loco magis idoneo collocari: tibi frater Archiepiscope, ac dilectis filijs Archidiacono & Officiali Cantuar. per nostras dedimus literas in mandatis, vt si inueneritis rē taliter se habere, concederetis ipsi Abbati & conuentui authoritate nostra licētiam corpus ipsum ad locum magis idoneum transferendi. Nupèr autem recepimus tuas, & eorum Archidiaconi & Officialis literas, continentes quòd ipse Archidiaconus vice tua & Officialis prędicti, personaliter ad locum ipsum accessit, & accitis viris vita & fama conspicuis, super hoc veritatem quanta potuit diligentia inquisiuit. Licèt autem per ea, quæ inuénit super inuentione sepulcri, vbi prædicti sancti corpus requiescere dicitur, ac super miraculis, quibus diuina dignatio locum ipsum ad inuocationem nominis præfati gloriosissimi Sancti, tam misericorditer, quàm mirabiliter modernis temporibus illustrauit, necnon per indicia in sepulcro ipso, quod fecit aperiri, reperta, * nobis fuit verisimile visum, quòd eiusdem sancti corpus in loco requiescit eodem: quia tamen in libro Bedæ de Gestis Anglorum, legitur, corpus ipsum apud Vuintoniensem ecclesiam olim fuisse translatum: verentes procedere in negocio, contra tanti viri dicta nè argueremini aliquid præsumpsisse, negocium ipsum ad Apostolicum iudicium remisistis, processum ipsius Archidiaconi nobis sub sigillis vestris fideliter transmittendo. Quanquàm igitur ex ipso processu appareat euidenter, locum ipsum tot & tantis, tamque claris per sæpedicti sancti merita gloriosa coruscare miraculis, ac verisimile sit, & meritò credi possit, quòd ipse gloriosissimus sanctus locum ipsum sua præsentia corporali nobilitat, quem ad inuocationem nominis eius diuina potentia tot & tantorum miraculorum attestatione illustrauit: nè tamen in tali negocio aliquid de contingentibus omittatur, processum ipsum vobis sub bulla nostra duximus remittendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandantes, quatenùs ad Vuintoniensem ecclesiam personaliter accedatis, & inquiratis solicitè, si per miracula facta in ipsa Vuintoniensi ecclesia mirificauit Dominus sanctum suum. Et si vobis constiterit, miracula paria vel maiora his, quæ continentur in processu prædicto, ad inuocationem nominis dicti sancti facta esse in ipsa Vuintoniensi ecclesia, negocio supersedeatis eodem, nobis, quod inueneritis, literis vestris fideliter intimantes. Alioquin cùm verisimile sit, immò dubitari non debeat, quin ipse Beda in Anglorum historia multa retulerit de auditu: & etiam esse potuerit, vt cùm duorum sanctorum pontificum, Birini scilicet & Bertini, corpora in præfata ecclesia de Dorcestre, sicut ex ipso processu colligitur, fuerūt tumulata, quod Beda de Bertino scripsit, fuerit de Birino receptum, nomine Scriptorum negligentia viriato: sæpedicti sancti gloriosissimum corpus pronuncietis requiescere in sępedicta Dorcestre ecclesia, quæ ipsius sancti meritis tot tantorumque miraculorum fulgore noscitur illustrata, ipsi Abbati & conuentui tribuatis authoritate nostra licentiam ipsum corpus in locum magis idoneum transferendi. Datum Reatine Nonis Augusti, Pontificatûs nostri anno decimo.

Aliæ literæ Honorij III.

for. * vobis

Nota de authoritate Bedæ.

Miracula S. Birini meritis facta.

Executionem huius Bullę nusquàm reperire potui: nóui tamen, sicut in illo loco didici, corpus S. Birini gloriosum de loco, vbi in memorata ecclesia antiquitùs fuerat sepultum, cum magno honore, sicut intuentibus liquet, esse translatum. Obijt autem tertio Nonas Decembris.

DE SS. CLAVDIO & HILARIA ac filijs eorum, quære in Vita Chrysanthi & Dariæ 25. Octobris, Tom. 5. cap. 12. & 13.

DE TRANSLATIONE verò SS. Gutuualdi & Bertulphi, quæ in tertium diem Decembris incidit, quære in Vita eiusdem Bertulphi, quinta Februarij cap. 30. in primo Tomo.

S. BARBARÆ VIRGINIS ET MARTYRIS VITA, A PETRO GALESINIO, PROTONOTARIO APOSTOLICO, *viro insigniter docto, contexta ex Græcis authoribus Iohanne Damasceno & Arsenio.*

Decemb. 4.



ARBARA virgo & martyr, Maximiano Imperatore, Christiani nominis infensissimo hoste, multis & virtutibus & miraculis insignis fuit. Patrem habuit Dioscorũ, Græcum hominem, nobilem quidem virum, diuitijsque affluentem: at impium, & idolorum cultui vel maximè deditum. Huic patri filia planè dissimilis, æternæ salutis appetens, in assidua Dei diuinarumque rerum contemplatione versabatur. Nam ab incũte ætate ità seà rerum humilium & caducarum cogitatione abduxit, vt cùm mundi fabricam sæpè intentoque animo consideraret, tum magnitudine eius & pulchritudine animaduersa, perpetuam constantiam, & certum rerum ordinem admiraretur: facilè indè perspexit, tanti operis laudẽ fortunę ac falsis idolis non esse tribuendam: sed aliquem præesse, qui hæc omnia fabricatus, summa sapientia moderetur atque conseruet. Hacque contemplatione summum rerum opificem colligens, in idolorum, quæ pater venerabatur, os conspuit, ac dixit prætereà: Vestrî similes sunt, & qui vos fingunt, & qui vos colunt. Atq; ità quidem puella Barbara, spiritussancti lumine duce, progrediebatur in fide, & sapientia, & ætate, & gratia.

S. Barbaræ pater. *Ad Dei cognitionem vt peruenerit.* *Psal. 113. & 134.*

Eam vnicam filiam pater Dioscorus habuit, egregia forma & morum sanctitate præstantem: quæ nè ab hominibus videretur, turrim altam ędificauit, in quam virginem inclusit. Qua in turri cùm illa, vtpotè quæ initio ætatis contemplationi rerum cælestium dedita fuit, vitam traduceret, multa secum piè & religiosè meditabatur: sæpeque idolorum nefarium cultum detestata, Christianæ religionis fidem non modò intimis animi sensibus, sed apertè colens, zelo Dei accensa, cùm de diuinis cæteris rebus, tum de animæ immortalitate, de cælestibus præmijs, de supplicio æterno, ac de caducis huius mundi rebus sermonem habebat: in ijsque solis animi exercitationibus virgo conquiescebat: cuius voluntas in lege Dei fuit, & in eius præceptis meditabatur die ac nocte. Quibus meditationibus cùm animũ virgo excoleret, pater impulsus à multis, ijsque nobilibus & potentibus viris, qui sibi illam in matrimonium dari contendebant, hoc multis verbis ei suadere conatur. At illa præcisè negat se velle nubere. Stultum enim fore duxit, se iam semèl cælesti sponso dicatam, terrenas nuptias inire, hocque pacto à contemplatione rerum diuinarum abduci: qua vna suauissima cogitatione, tanquàm saluberrimo cibo, eius anima alebatur ad æternitatem.

Degit in turri sanctissimè. *Psal. 1.* *Respuit sponsos omnes.*

Itaque pater cùm id impetrare nulla ratione potuerit, perspecta constanti filiæ voluntate, ab eius oculis longè peregrinari statuit, id certè sperans, vt patris desiderio victa filia, eius voluntati cederet. Sed ex cælestibus illis delicijs, quas pura mentis cogitatione virgo concipiebat, tantum roboris accepit, vt nullis minis perterrita, nuptijs vnquàm consenserit, quas terrenas pater appetebat. Iste porrò cùm peregrinari statuisset, hoc ab eo filia petit, vt balneum sibi ędificetur. Consentit pater, fenestrasque duas, quibus lumen exciperetur, in eo fieri iubet. Hoc ædificium, patre absente, contemplata virgo Barbara, vt fidei, quam religiosè colebat, posteris monimentum relinqueret, sanctæ Trinitatis exemplar in eo exprimendum curauit. Itaque pro duabus fenestris, quas pater præscripserat, tres fieri, & labri pauimentum Crucis imagine ornari iussit: sicque magna cum fidei suæ significatione, ædificium illud obscurum & antri simile, sanctimoniæ & spiritûs plenum demonstrauit. Pater reuersus, ædificij rationem mutatam dolet, * idque propterea furenter irascitur. Fabri culpam in filiam reijciunt: quæ opportunam hanc nacta occasionem, apertè de sacrosanctæ Trinitatis gloria diuinitùs multa dixit. Deindè pluribus verbis ad salutarem Christi Iesu fidem cohortata est patrem: qui graui filiæ oratione iratior factus, vt is, qui omni impietate imbutus erat, è charitatis finibus egressus, stricto ense vnicam filiam aggreditur.

Balneum ei pater construit. *f.* isque* *Patri fidem suã explicat*

At

At ea ſcelerati patris impetum cùm potiùs miſeraretur, quàm timeret, ob eam cauſam, nè ille ſe filiæ cæde nefaria inquinaret, vt irruentis in ſe patris crudelem conatum animaduertit, ſtatim fuga ſalutem quæſiuit: Deique ope tunc è periculo liberata, quòd ingens ſaxum mirabiliter ſe patefaciens, fugienti viam aperuit, in ſummum montem ſe recepit, vbi in ſpecu occultata, patri lateret. O rem verè omni admiratione dignam: ſaxum diſcinditur, vt ſuo complexu virginem tueatur. Pater ea re admirabili conſpecta non commotus, filiam inſequitur, vt occidat. Itaque illam diligenter dum inueſtigat, in duos paſtores incidit: quorum alter ſe puellam vidiſſe negauit, alter digito oſtendit, quo loco lateret. Pater inhumanus filiam vbi inuenit, eius latera pedibus, dorſum pugnis fœdè percutit, crinibus raptatam, via aſpera ac difficili illam trahit. His cruciatibus virgo, tanquàm domus in ſaxo fundata, quæ neque fluminum, neque ventorum vi concutitur, à fidei Chriſtianæ propoſito non remouetur: immò firmior & conſtantior facta, in tetrum carcerem includitur: vbi ab omnibus deſtituta, fame & ſiti afflicta, paſſis ad cælum manibus, à Chriſto ſponſo, cuius deſiderio tenebatur, auxilium implorat, clamitans: Demonſtra mihi, quem dilexit anima mea, vbi gregem paſcis, vbi meridiè recubas. Ruſùs: Vnguentum eſt effuſum nomen tuum, propterea dilexerunt te puellæ, te proſecutæ ſunt, dicentes: Curramus in odorem vnguentorum tuorum.

Magno miraculo euadit mortē.

Crudeliter eam cædit pater.

Matt. 7.

Cant. 1.

Ibidem.

Barbaræ virginis conſtantiam pater ægrè ferens, vehementiori ira exardeſcit: eamque propterea Præſidi prouinciæ Martiano tradit: à quo id magnoperè petit, vt niſi Barbara filia, Chriſtiana repudiata fide, patrium deorum cultum ſuſcipere velit, exquiſitis torqueatur ſupplicijs. Præſes autem, nè ira aut perturbatione vlla commotus videretur, primùm verborum blanditijs, & laudum illecebris, quibus armis ad fallendum ſatanas vtitur, virginem attentat: cumque de eius pulchritudine, generis ſplendore, paternisque opibus, tum de alijs rebus, quibus illa facilè allectari poſſet, multa admodùm dixiſſet, poſtremò oſtendit, ſe, vt eius ſtatui conſuleret, depoſita magiſtratûs, quem gerebat, ſeueritate, leniter ac benignè ſecum egiſſe. Proindè ipſa daret operam, vt benè monenti pareret, paternamque religionem amplecteretur, tempore & legibus confirmatam. Vbi ea, quæ Præſes locutus eſt, virgo audiuit, graui ac pia oratione declarauit, ſe, quæ terrena ſunt, quæque caduca, aliaque eiuſmodi, contemnere, ac pro nihilo putare: eaque toto animo ſolùm appetere, quæ cæleſtia ſunt, & quæ ſempiterna. Propterea non eſſe dixit, cur eius conſilio pareret: immò verò voce, vultu & animo conſtanti ac libero ſanctam Ieſu Chriſti fidem confeſſa, Præſidem, qui idolorum impietatem malitioſis blanditijs ſuadere ei conabatur, vehementer repræhendit ijs verbis: Ego, inquit, ſacrificare parata ſum Domino meo Ieſu Chriſto, qui creauit cælum & terram, & omnia quæcunque cæli & terræ ambitu continentur. Veſtros autem deos deteſtor, quos Propheta optimè ſic deſcripſit: Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt: manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non erit vox in gutture eorum. Similes illis ſunt, qui faciunt, & omnes qui confidunt in eis.

Præſidi Martiano crucianda traditur.

Præſes ei blanditur.

Nihil efficit.

Conſtantia eius.

Pſal. 113. & 134.

Præſes igitur cùm allicere blanditijs virginem non potuiſſet ad falſum idolorum cultum, tum etiam eius oratione grauiùs commotus, depoſita omni ſimulatione, vultu triſti ac ſeuero tormenta, quibus illa crucietur, apparari iubet, id aliquandò ſperans fore, vt hac via ſibi ſuccederet, quod aſſequi vehementer conabatur. Itaque virgini veſtimenta primùm eripiuntur: deindè nuda neruis bubulis cæditur: & quò acrior ei dolor inureretur, præacutis teſtulis vulnera perfricantur. His tamen cruciamentis virgo & martyr Barbara non fracta, neque debilitata, à Chriſtiana religione abduci non poteſt. Quam animi conſtantiam in ea Præſes expertus, in carcerem tandiù illam includi iubet, quoàd ſtatueret, quæ grauiora ei in poſterum adhiberet ſupplicia. In cuſtodia cùm illa eſſet, media nocte carcer, vbi erat, clariſſima luce colluſtratur, in conſpectumque ei ſe gloriæ Dominus dedit: qui & præſentem dolorem conſolatus eſt, & ad reliquas pugnas atque pœnas cohortatione confirmauit: tum vulnera, quæ ei grauia iniuſta erant, ſanauit.

Nuda neruis flagellatur.

Chriſtus in carcere eam confirmat.

Quæ miracula cernens Iuliana religioſa fœmina, ſecum ipſa mirata eſt, quo modo in ipſo ætatis flore illa præ paterno timore & obſeruantia antiquius duxerit ſe

Conuersio S. Iulianæ matronæ.

per tormenta Deo conciliari, quàm paternas, quæ ab Præside ei propositæ erant, delicias persequi. Hæc igitur non sine summa admiratione animo illa reputans, in idem certamen, quod forti inuictoque animo Barbara virgo sustinebat, se spontè coniecit. Sic admirabiliter sanata virgo, maxima fiducia esse cœpit, ità vt tormenta vel grauissima non timeret. Itaque postridiè eius diei manè in iudicium cùm ducta esset, neque vllum plagarum, quas acceperat, signum apparéret: Præses admirabili ea curatione perspecta, Vides, inquit, puella, quantam tuî curam dij gerant, qui te verberibus grauiter cæsam, sanauerunt? Est igitur, cur illis & gratiam habeas, & cultum tribuas, quorum singulari bneficio incolumis & salua es. At illa, quæ à Christo sponso, non vllis verborum insidijs, non minis, non cæde, non supplicijs diuelli poterat, summa vocis & orationis grauitate in hanc, quæ sequitur, sententiam, respondit: Dij tui sunt tuî similes, muti, cæci, & sensûs omnis expertes, qui cæcis non videndi, claudis non ambulandi, mutis non loquendi facultatem tribuere queunt, non ægros sanare, nō mortuos ad vitam reuocare possunt. Qui hæc omnia præstitit, & præstare potest, is Christus est Iesus filius Dei viui. Hic ipse est, qui me sanauit, quem tu prophanis oculis, & mente tenebris obducta videre non potes: neque enim tanta dignus es gratia.

Constanter Præsidi respondet.

Dirissimè cruciatur.

Hac oratione Præses vehementiùs commotus, virginem ferreis vnguibus dilaniari, eius lateribus faces accensas admoueri, tum demùm caput malleolis quibusdam pertundi iubet. Illa verò, coniectis in cælum oculis: Domine, inquit, qui scrutator es cordium, nôsti quanto tuî desiderio tenear: nè me derelinquas, quæso, vsque in finem. Strenua Christi martyr Barbara iterùm grauissimis supplicijs cùm torqueretur, ea fortiùs tulit, quàm non solùm mulieris imbecillitas, sed humana natura postularet. At Iuliana, religiosa & pia mulier, cùm teterrima, quibus illa afficiebatur, supplicia cerneret, non potuit lachrymas & gemitus continere: non destitit tamen in his lamentis eam ad fidei constantiam cohortari.

Iuliana fit socia pœnarum horribilium.
Psal. 50.

Quod cùm Præses animaduerteret, iisdem tormentis ipsam cruciari imperat. Itaque vni, & itèm alteri vbera præciduntur, idque ad inurendam sexui grauiorem contumeliam. Hoc autem ipso in cruciatu beata Barbara ità precabatur: Nè projicias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum nè auferas à me. Vberibus præcisis, tum vtraque nuda, direptis vestibus, per loca publica passìm perducitur. Num vllum aliud commentum hoc scelere fœdius excogitari potuit? num aliud contumeliæ genus tam insigne ad muliebris sexûs infamiam? At illæ Deo gratias agebant. Nam quo plures impius Præses & iniurias & cruciatus adhibuit, eo plures coronas vtrique imposuit: sibi autem plus dedecoris accessit: ideoque grauiores pœnas, & plures carbones ardentes capiti suo congessit.

Posteaquàm verò ità fœdè in omnes vrbis partes ambæ perductæ sunt, fertur sententia: capitis damnatæ, gladio feriri iubentur. Tum verò lætæ incedunt, non tanquàm ad necem, sed sicut athletæ ad ludorum magistrum, victoriæ palma proposita, quam à Domino accepturæ erant in cælis. Cædis minister non aliquis alius fuit, sed pater ipse martyris & virginis Barbaræ: qui omnis humanitatis expers, & in filiæ nece nullum sentiens dolorem, triste expleuit ministerium. Cuius feram crudelitatem non diù tulit impunem diuina iustitia. nam statìm eoipso loco, quo filiæ caput ábscidit, fulminibus de cælo iactis comburitur. Atque hoc quidem victricis Barbarę virginis fuit stadium, hoc nouum certamen, quod illa forti inuictoque animo, & summa fidei constantia confecit. Hæc est victoria, quam vicit in Christo, & redmita est non oleastro, sed illustri corona gloriæ: quam laudauerunt Angeli, quam Dominus descripsit in cælis, quam admirati sunt homines, & admirantur, plaudentesque prædicant in Ecclesijs. In memoriam enim sempiternam erit iustus, & iustitia eius manet in seculum seculi, Amen.

Pater eam interficit.

Fulmine propterea perit.

MIRA-

MIRACVLVM SANE MEMORABILE, DIVINITVS DECLARATVM IN HOMINE QVODAM FLAMMIS *misere exusto, & tamen in vita conseruato admirabiliter, donec confeßione & Eucharistia munitus esset meritis sanctißimæ martyris Barbaræ, à Theodorico Pauli Gorcomensi, qui præsens interfuit, conscriptum. Contigit miraculum hoc, anno Christi* 1448.

POst mortem domini Frederici de Blanckenheim, Traiectensis Ecclesiæ Episcopi, propter electionis dissidium duos accidit pro Episcopatu cõtendere: è quibus alter, quanuis canonicè electus, & à subditis receptus, paulò pòst tamen vi denuò est extrusus atque fugatus. Eam ob rem Martino Papa in rebelles schismaticosque excommunicationis censura animaduertente, accidit, multos tum Ecclesiasticos, tum plebeios Deum timentes, à Traiecto, propterea quòd Apostolica ibi censura contemnebatur, discedere: quippè qui inobedientiæ exilium præferre mallent. Inter hos lanius quidam, non minus pius quàm diues, nè peccatis consentiret alienis, néve anathema contemneret, in Gorcum, quod est Hollandiæ oppidum, exul sese continuit. Nomen viro erat Henrico Kock. Hic diuam virginem ac martyrem Barbaram quotidiè consueuerat venerari. Audierat nanque, quisquis hanc in honore habuisset in vita, absque confessione & Eucharistiæ sacramento non mori.

Fredericus Episcopus Traiectẽsis.

S. Barbara quid impetret suis cultoribus.

Agebat vitæ suæ annum fermè septuagesimum, qui diuinæ incarnationis erat millesimus quadringentesimus quadragesimus octauus, dum ex agro redeunti hęc accidit calamitas. Siquidem in nocte, qua festum agitur diui Augustini, quando labore rurali fatigatus dormiebat, candela ardens in stramina, quorum fortè ingens tum copia aderat, cecidit. Vndè domus accensa, ilicò tota conflagrauit. Euigilârunt prædictus Henricus & Andreas filius eius, & pariter territi, vix incendium vel nudi euasêre. Nam Andreas inter fugiendum ab igne circa genitalia læditur: Henrico verò patri indusium, quo caput inuoluerat, duobus in locis ardere cœpit. Verùm corpore liberatus, pro pecuniæ amissione maiori solicitudine cœpit vrgeri. Quarè in domũ redire statuit extracturus nũmos. Itaque signo Crucis se muniens, vbi in domum flammis relictam cucurrit, hæc antè super corpus eius nudum corruit, quàm ad conclaue, in quo pecunia recõdita iacebat, perueniret. Hinc cùm certa iam mors instaret, tametsì vrentibus flammis grauiter torqueretur, maiori tamen dolore afficiebatur, quòd sacramentis Ecclesiasticis non esset præmunitus. Eapropter, desperata corporis salute, pro animæ duntaxàt remedijs ad diuam Barbaram, qua tunc potuit deuotione, se contulit. Orans igitur: Sancta, inquit, Barbara, quod per sponsum tuum nunc potes, succurre misero, & in peccatis morienti. Fiat tuis precibus in me, quod olìm pro Christo tibi morienti cælitùs est promissum. Memor sit sponsus tuus sanguinis tui rosei atque virginei: memor sit castissimi atque feruentis amoris tui, nè de corpore meo egrediatur anima, nisi confessionis sacramento antè purgata, & saluifico viatico præmunita.

Inuocat sanctam Barbaram in medijs flãmis Henricus quidam.

Vix orationem finiêrat, & ecce virgo adstat decora sanctissima Barbara, eo scilicet schemate, quo in templo picta cernebatur. Hæc pallio suo mox ignium globos restinguens, per stramineum tectum candida sua manu illum eduxit, atque tuto in loco statuens, sic illi locuta est: Quia grata mihi sæpenumerò deuotionis obsequia obtulisti, & modò diuinam misericordiam per meum patrociniũ implorâsti, meo scias interuentu tibi ad auroram vsque vitam prorogatã: quo viuendi spatio, confessionis, Eucharistiæ atque extremæ Vnctionis sacramenta recipias. His dictis, ad superna rediens Barbara virgo, disparuit. Sæuiebat intereà ignis, & vicinas domos absorbere festinabat. Clamant vigiles, & pulsatis campanis ciues excitari, accurrũt. Cæterùm Henricus ille prædictus, sanctissimæ Barbaræ præsidio flammis ereptus, ab imo pedum vsque ad verticẽ capitis fuerat adustus, nec minùs intùs, quàm extrà, in corpore torridus. Vndè assati cadaueris speciem magìs, quàm hominis, præferebat. Siquidem verenda eius ignis edax adeò absumpserat, vt hiantibus in inguine vulneribus, etiam extra nudarentur cremata. Nates & clunes eius flamma vorauit: hypochondria, venter, pectus, ascellæ, collum ac scapulæ non modò adusta, sed inflexi-

S. Barbara extrahit hominem è flammis.

Hypochondria, Latinè præcordia.

flexibilia quoquè,& vt ferrum rigida erant. A vertice deniquè capitis, capilli cum carnibus defluentes,& ossa nudantes,in genis hærebant.Quid multa recenseo? Adeò fuit crematus, vt ossibus vix modica adhæreret caro, tanquàm Aethiopis nigra. Nam præter oculos, linguam & cor, quæ per beatæ Barbaræ subuentionem ex diuina miseratione adhuc suo in vigore viuebant, nihil in eo manebat reliquum.

Eccè miraculum admiratione dignissimũ.

Hic itaque, quanuìs nihil in eo cerneretur præter admirabile horrendumque cunctis simulacrum,per duos longos vicos,& plateam dictam die Molenstraet,de incendij loco ad filiæ suæ dilectæ Dietuardæ,quæ viro honorabili Neudoni filio Arnoldi dudùm nupserat,domum solus iuit: vbì arentes pedicæ inter eundum à corpore eius decidentes,combustionis pariter ac miraculi euidens testimonium præbuêre.Hæ tamen altera die collectæ,humando eius corpori sociatæ sunt.Itaque ad filiæ domum postquàm aduénit,præmortuum eius corpus lecto impositũ est: ipse verò nihil aliud, quàm sacramenta Ecclesiastica, paulopòst moriturus expetijt, omnibus interìm manifestans,quanta sit Dei misericordia,beatæ Barbaræ precibus ac meritis in se collata. Quippè cuius mortuo atq; cremato corpori,nè sacramentorum expers moreretur,vita seruabatur.

Itemque aliud.

Percrebuit intereà per ciuitatẽ stupendi huius miraculi rumor: & licèt incendium interìm omni ferè momento seipso fieret maius,adeò vt ad templum vsq; diuę Agnetis,tunc aliquotiès etiã accensum,multas domos absumeret,ad spectaculum tamẽ hoc mirabile cadaueris,vt ità dixerim, morituri,plures, quàm ad restinguendum ignem,confluebant.Idcircò vt maius fieret miraculũ,confortatus à Deo Henricus,perindè àc sanus & incolumis,populo aduẽtanti prædicabat.Noscebat oẽs,& ad terrenorũ contemptum cælestiumq; amorẽ,quoscunq; poterat,inuitabat.Flentes pro se,propterea arguebat,quòd pro se nõ vltrà dolendũ sentiebat:quippè cum quo Deus misericordiã fecerat. Hortabatur quoq; eos, qui aderant, vt Deũ in cunctis eius operibus laudarẽt,casta ac feruenti deuotione colerent,& eius matrẽ virginem Mariã pia veneratione diligerent,sanctissimã quoquè Christi sponsam Barbaram præcipua deuotione honorarent. Hæc enim,inquit,vt cernitis nunc oculis vestris,honorãtibus se sacramenta cõfessionis & Eucharistiæ ante mortẽ impetrat. Ad hæc miraculi huius in se facti narrans ordinẽ atque modum replicat,addens; illucescente aurora quantocyùs in testimonium veritatis è seculo se migraturum.

Mira profectò sunt hęc

Nè verò de miraculi adhuc veritate quis dubitaret,aut quod diuinæ erat miserationis, naturæ aut fortunæ adscriberet, rogabat honestissimos quosque vtriusque sexûs senes,vt accederent, & exploratis visu,tactuq; probatis singulis & membris, & locis,discerent non virtutis humanę,quòd viueret,sed potestatis esse diuinæ. Accedentibus ad lectum multis,& cum trepidatione tangẽtibus: Non sentio,inquit, vestro ex tactu læsionem.Tangite securi adusta membra,& hiantia vulnera,corporisque rimas, quoniam gloriam Dei loquuntur,etiam oculis explorate. Videbitis quidem combusta ac præmortua omnia,nec sine admirabili Dei virtute mihi adesse vitam. Ad hæc humana curiositate permoti,cùm multi omnia lustrâssent, Dei omnipotentiam,& sanctæ Barbaræ merita benedixerunt.

O verè impios, qui sanctorũ meritis & inuocationi derogant.

His ità peractis,cùm omnium peccatorum suorum ab infantia confessionem fecisset,& sumptis sacramentis,tèr adhuc denuò cõfessionem repetisset, S.Barbaram electã suam patronã diuumq; Laurentiũ inuocauit,orans vt hæc assatio corporalis,& temporalis,quã sustinuerat,incendij pœna,sibi in omnium cederet expiationem peccatorũ.Postremò illucescente aurora,confessori & adstantibus dixit: O pater amãde cõfessor,cęterique omnes amici,adest iam hora,qua moriens à vobis recedam.Quapropter hoc temporis breui spatio à me,quæso, nolite recedere, sed orationibus me vestris iuuate.Hæc dicens,ad Deum orando se conuertit,atq; beatissimæ virgini Mariæ,B.Barbaræ atque omnium Dei electorum precibus se commendans,suorum veniam peccatorũ iterùm orauit.Post hæc sonora voce: Domine,inquit,Iesu Christe misericordissime Deus,qui me in ara sanctæ Crucis preciosissimo sanguine & acerbissimã morte redemisti,miserere meî.Eccè in manus tuas commendo spiritum meum.Hæc dicens,emisit spiritum.Ad laudem igitur Dei,& honorem beatæ virginis ac gloriosæ Barbaræ,crematum eius corpus oculis omnium intra domũ contuendum exponitur,& tandèm in templo Gorcomensi iuxta suggestum,ciuibus omnibus pro amore viri accurrentibus,vesperè sepelitur.

Tàdèm moritur homo, sacramẽtis munitus.

His

His ego Theodoricus Pauli de Gorcum quia interfui,& prædicti Henrici confessionem quatèr audiui,sacramenta administraui,vulnera eius ac membra tractaui,tractandaque alijs obtuli, ipsum prætereà tenui inter brachia mea morientem, & ne modico quidem tempore, vt rogatus quoquè à filiabus & amicis, ab eodem recessi,non potui tam glorioso miraculo testimonium non præstare,& hæc ad Dei gloriam scribere.

ITEM CERTAMEN EIVSDEM SANCTÆ ET GLORIOSAE MARTYRIS CHRISTI

Barbaræ, Authore Simeone Metaphraste.

Habetur apud Aloysium.



MAXIMIANO impio Imperatori,qui studij plurimum conferebat in errorem idolorum, hoc maximè perpetuò erat curæ, vt dæmones quidem coleret,& impietatem omnibus opibus & viribus confirmaret: ij autem, qui Christi diuinum nomen colebant, aut piam fidem abiurarent,aut varijs traditi supplicijs,cum bonis omnibus quæ aderant, vita quoquè violenter priuarentur. Quædam autem regio, quæ vocatur Heliopolis, virum habebat insignem, religione quidem gentilem, valdè verò diuitem,& huius mundi splendore clarissimum.Is vocabatur quidem Dioscorus: vnius autem puellę erat pater, cui nomen erat Barbara. Eius verò in illam is erat amor,qui debebat esse eius,qui in illam solam omnem suam spem defixerat. Eam cùm,vt quæ esset vultu admodùm formosa,& pulchritudine eximia,vellet conseruare integram,& nulla labe pollutam,& ideò nec sineret quidem adspici ab ijs,qui foris erant,excelsa turre constructa, & domo in ea artificiosè ædificata,illic beatam ità collocauit habitandum,vt nec vlli ad eam pateret aditus,nec vir vllus eam attingeret oculis. Erat autem hoc opus diuinæ prouidentiæ,quæ futurũ diù antè considerabat.In ea enim paracleti gratia latentes eius oculos latenter attingens,& illuminauit luce diuinæ cognitionis,& verum Deum notũ ei fecit admirabiliter. Habebat ergò turris virginem,quæ ædificata erat super fundamentum fidei,& conseruabatur ad hoc,vt esset salus multorum. Decemb.4. Cap.1. Dioscorus pater S.Barbaræ. S.Barbara in turri cõmoratur.

Cùm autem iam esset nubilis, pater erat valdè solicitus,quisnam esset eam accepturus vxorem : & multi quidem & genere & opibus præstantes,de eius coniugio cum eo sermones contulerunt. Eius enim pulchritudo,etsi non conspecta,auditione tamen accepta, faciebat vt eius nuptiæ magna contentione peterentur. Verumenimuerò patri videbatur esse indecorum & planè illiberale,si quod ipse magno agebat studio,filiæ non notum existeret,& eius scopo minimè assentiretur.Ad eam quidem certè veniens,de matrimonio cum ea communicat,& quanto studio & quanta cura ei prouidere cuperet,significat. Illa autem cùm non modò corde, sed ne summis quidem auribus eam rem vellet admittere: sed tanquàm absonum & absurdum aliquid id reiecisset,& ipsum patrem iratè repulit : &, Nè de ea re,dixit,mecum iterùm verba feceris. Nam tu pater deincèps non vocaberis, & efficies, vt ego mihi manus afferam. Pater autem statuens longè esse honestius persuadere, quàm cogere, ratusque eius constantiam non esse pertinaciam, nec inobedientiam, sed vehemens desiderium castitatis : & alioquì ei præbens tempus deliberandi, sperans fore, vt fortasè mutaretur, & ei morem gereret, cùm nihil dixisset ampliùs, ex turre quidem descendit protinùs: veniens verò ad lauacrum, quod tunc ædificabat, totus ei vacabat. cuius vrgens ædificationem, & magnam artificum adducit multitudinem : & cùm, vt quamprimùm effectum redderent ædificium, mandâsset, & eis integram mercedem præbuisset, ipse in longinquam profectus est regionem. Cap.2. Omninò recusat nuptias. Lauacrũ ei conditur.

Cùm diù autem esset moratus in ea peregrinatione,Dei ancilla Barbara descendit ex turre, visura quemadmodùm fieret lauacrum. Deindè cùm illic fuisset, & contemplata esset partem,quæ vergit ad meridiem,duas habere fenestras, quæ lucem Cap.3.

cem præbeant, repræhendit artifices, dicens: Cur duabus fenestris tertiam non adiecistis, cùm sic & maius lumen posset accipi, & id simul esset futurum elegantius & magìs decorum? Cùm ij autem dixissent, Pater tuus sic iussit: instabat Barbara, vt aliam adijcerent. Cùm ij verò alteram vererentur addere, patris metum adducentes tanquàm honestam excusationem, beata Barbara tres simul ostendens cum digitis, Vobis, inquit, tres sunt constituendæ fenestræ. Si pater autem ægrè ferat, ipsa reddam rationem. Cedunt artifices, & implent id quod eis imperatum fuerat.

S. Barbara iubet tertiam adijci fenestram in lauacro.

Postquàm verò fuit effectum totum lauacri ornamentum, sæpiùs accedens sancta ad id contemplandum, quoniam cor eius possidebat diuini spiritûs gratia, & per fidem impletum erat fiducia in Christum, stans ad piscinam, & adspiciens ad Orientem ijs, quæ erant in ipsa, marmoribus digito impressit figuram diuinæ Crucis. & vt posteris quoquè notum esset id, quod factum fuerat, & Christi virtus prædicaretur, Crucis figura, quæ digito erat signata, tanquàm ferro insculpta, in hodiernum vsque diem signata ostenditur in marmore, non ad tactûs solùm admirationem, sed etiam ad maiorem fidem adducens spectatores. Verumenimuerò in hodiernum vsque diem hoc quoquè lauacrum conseruatur, quod ijs, qui sunt Christi amantes, curat omnem dolorem. Quod quidem si quis velit comparare cum fluentis Iordanis, aut cum fonte Siloë, aut etiam cum piscina Probatica, à veritate minimè aberrauerit. Etenim per illud similiter Christi virtus ostenditur multa efficere admirabilia. Per hoc ergò lauacrum martyr aliquandò transiens, cùm in simulacra iniecisset oculos, quæ ab eius patre colebantur, & dij malè existimabantur, eorum quidem adspectũ ægrè tulit: grauia autem edens suspiria propter eius, qui ea colebat, animam planè nullo sensu præditam, deindè illorum quoquè vultus conspuit, dicens: Similes vobis fiant, qui vos adorant, & omnes qui vestro indigent auxilio. Sic dixit, & cùm in turrem rursùs redijsset, orationibus vacabat & ieiunijs, & tota dependebat à bonis cælestibus.

Nota signũ Crucis, & in eo factũ diuinitùs miraculum.

4. Reg. 5. Ioan. 9. Ioan. 5.

Psal. 113. Vide sanctę virginis exercitia.

Cap. 4.

Non multum temporis intercessit, & iam pater ad eam reuersus, & quæcunque erant domì, considerans, postquàm in lauacrum iniecit oculos, visa tertia, quæ duabus adiecta erat, fenestra, rogauit quonam modo hoc factum fuisset præter eius iussum. Cùm autem illi ei exposuissent, quæ innouâsset filia, eam accersijt & rogauit. Illa verò nullo modo negauit: sed dixit oportere sic fieri, & rectè factum esse asseuerauit. Ille verò statìm motus ad iram, Dic mihi, inquit, quomodò & quanam ratione ità se habet meliùs? Illa autem, Quatenùs, inquit, tres multùm differunt à duobus. Nam tres, inquit, fenestræ illuminant omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc verò dixit omninò, sanctæ Trinitatis significans maiestatem. Deindè pater conturbatus nouitate sermonis planè admirabilis, cùm eam seorsùm assumpsisset, & venisset ad ipsam lauacri piscinam, Quonam modo, inquit, lumen trium fenestrarum illuminat omnem hominem? Illa autem, Attende, inquit, pater, & intelliges id quod dictum est: & simul ei ostendit signũ Crucis. Deindè etiam ostendens digitis, Vide, inquit, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ab hac luce omnis creata natura illuminatur intelligenter. Hunc itaque verum sermonem cùm malæ & ad mendacium exercitatæ aures minimè tulissent, ira fuêre repletæ; & pater oblitus se esse patrem, tyrannus properauit esse & parricida, & qui pendebat ab humeris, stricto ense pater aggressus est sua manu occidere Barbaram. Illa autem cùm manus simul & oculos & mentem in cælum sustulisset, eum qui potest dare salutem, vocabat ad auxilium. Ille verò non neglexit ea facere, quæ consueuerat: sed quomodò Teclam protómartyrem conseruauit ab ijs, qui persequebantur, petræ quæ occurrerat, iubens, vt disrumperetur, & eam sinu exciperet: ità hanc quoquè gloriosam simili conseruat miraculo. Nam cùm ille carnifex (neque enim parricidam fas est vocare patrem) ense sublato procederet in filiam, petra scissa in duas partes, eam excepit diuino & omnipotente nutu, &, nè à manibus cædem spirantibus caperetur, conseruauit, transmittens ad loca magis montana. Sed nec sic quidem poterat intelligere, qui ipsis lapidibus erat magìs impatibilis, & minùs sensu præditus. Adhuc enim eodem incitabatur impetu, & desiderabat accipere filiam: non vt qui esset pater, sed potiùs filius eius, qui fuit homicida ab initio, vt dicam cum diuina scriptura: vt, cùm inuenerit, simul mactet & perdat.

Pater ægrè fert tertiam adiectam fenestram.

Patri prædicat S. Trinitatem.

Ille cædem ei afferre vult.

Insigne miraculum.

Ioan. 8. Ioan. 10.

Cap. 5.

Cùm verò in duos incidisset pastores, rogauit an de ea scirent aliquid. Ex his autem

autem alter quidem, qui erat animo misericors, & cui displicebat, eam quam pater persequebatur, prodere, statìm negauit, & se simulauit ignorare, mendacium salutare pro veritate, quæ læderet, éligens. Cæterùm hîc apertè erubescat Herodes, qui non rectè seruabat iusiurandum, vt etiam aliquid inseram narrationi, & qui, vt malam defenderet voluptatem, stabat iusiurando. Alter verò nequaquàm quidem lingua, sed digito, quod est sceleratius, indicans, ostendebat viam, quæ ad ipsam ducebat. Quod factum est itaque, non tulit iustitia, sed statìm sceleris intulit supplicium: & cùm eius oues execrata esset martyr, non ampliùs erant oues, sed mutatæ fuerant in scarabeos, qui ad perpetuam sceleris accusationem, sanctæ Barbaræ sepulcrum perpetuò circunuolant. Hæc ergò dolosi pastoris vestigia secutus amens Dioscorus, cùm sanctam in monte compræhendisset, primùm quidem ità vt erat ira pércitus, conscindit verberibus. Deindè eam coma appræhendens & vi trahens, tunc quidem includit in parua domuncula, imponens custodes, & ostium obserans & obsignans. Deindè etiam magna celeritate veniens ad Præsidem Martianum, qui tunc illic gerebat magistratum, refert ei rem omnem. Summa autem erat, quòd deos quidem negâsset filia: res verò Christianorum elegisset præter spem honorare. Hæc dixit, & adductam tradit in manus illius, cùm eum priùs adegisset sacramento, nō parsurum esse filiæ, (ô paterna viscera, pater) sed violentissimè eam esse tractaturum, & esse grauissimis consumpturum supplicijs.

Mendaciū salutare, putà virgini. Matt. 14.

Crudeliter in S. Barbaram sæuit pater.

Martianus ergò cùm sedere protinùs fecisset iudicium, & sanctam curâsset sistendam: tunc morum contemplatus honestatem, & formæ pulchritudinem, patris sacramenti oblítus, eam paratus erat magìs mirari, quàm castigare. Sic ergò & verbis benignioribus, Miserere tuî, dicebat, ô Barbara, promptoque & alacri animo nobiscum dijs sacrifica. Nam ego quidem tuî curam gero, & parco tormentis talem subijcere pulchritudinem. Sin autem non parueris, me deincèps coges te vti, vt volo. Martyr autem, Ego sacrificium, inquit, laudis Deo meo offero, qui creauit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt. De tuis verò, inquit, vanis dijs, prædictum quidem est à Dauide in diuino spiritu: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. &, Omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit. Ei verò ego quoquè assentior, esse vanam, quæ est in eis, spem, & inanem apertè confiteor. Hæc cùm dixisset martyr, iudex ira accensus, iubet eam exuï, & crudelibus boum neruis crudeliter cædi. Deindè cùm vellet ei efficere sensum acerbiorem, iubet plagas cilicio atteri. Cùm puniretur ergò tam inhumanè, aperiebantur graues fontes corporis, adeò vt totum solum irrigaretur sanguine virginis. Deindè post verbera eam carcer excipit, dum occupatus esset Præses in deliberando, cuinam supplicio eam posteà traderet.

Cap. 6. S. Barbara sistitur ad tribunal.

Psal. 113.

Psal. 95.

Cùm autem iam esset nox media, lux ipsam circuncircà illuminat à superis, & Christus appáret, qui & ei addebat animum, & iubebat vt nullo modo timeret mala hominum. Ego enim, inquit, sum tecum, & seruaberis sub vmbra alarum mearum. Nondùm finem acceperant verba, quæ fiebant martyri, & quod ab Esaia dictum est, in ea est consummatum. Nam cùm citò ei exortæ essent curationes, & plagæ, tanquàm non fuissent ab initio, à corpore expulsæ essent, gaudium tenuit sanctam & exultatio, & lætitia æterna super caput eius, vt rursùs dicam, quod dicit Esaias. Mulier autem quædam pia, & timens Dominum, nomine Iuliana, tunc conuersans cum martyre, postquàm admirabilia, quæ in ea facta sunt, est intuita, & quemadmodùm continuò plagæ euanuerunt, Deo dans gloriam, & instàr sororis cum martyre consentiens, seipsam præparabat ad plagas & flagella. Deindè cùm Præses ad secundam sedisset examinationem, adducta ad eum sancta, & viso admirabili omnibus spectaculo, quòd nec leuis quidem in eius corpore laceratio, neque vllus vibex apparebat, Iudex ad veritatem apertè cæcutiens, mittens magnæ Dei potentiæ asscribere id, quod factum fuerat, & prioris vitæ & erroris duci pœnitentia, ille potiùs omnem exuit pudorem, & dijs suis impudenter eam attribuens sanationem: Vides, dixit, ô Barbara, quemadmodùm te dij tuentur, & tuî curam gerunt, qui tuas plagas curârunt. Cui martyr Christi: Qui similiter, inquit, atquè tu, cæcutiunt, & humana manu indigent ad hoc, vt perducantur ad essentiam, quemadmodùm tale quid potuerunt facere? Sed si vis scire quisnam sit, qui me sanauit, est Iesus Christus filius Dei viui: quem fieri non potest vt contuearis, cùm profundis tenebris impietatis orbatus sis oculis animæ.

Cap. 7. Christus ei in carcere appáret.

Esa. 35.

Iuliana mulier, martyri se associat.

Constans vox martyris.

Cap.8. His verbis Præses ad maiorem accensus iracundiam,& non valens se continere, iubet ijs,qui aderant,ferreis pectinibus latera virginis scindere,& tedis ignis membra iam lacerata vrere. Deindè etiam malleo percutere venerandum eius caput. Quæ quidem cùm celerrimè fierent, ea videns pia Iuliana, & animo ægrè ferens, cùm non posset opem ferre,faciebat quod poterat,& suum in eam amorem ostendebat,nihil curans eos qui aderant,nec Præsidem: sed vberes lachrymas effundens ex oculis. Cùm eam ergò adspexisset Martianus, & quænam esset didicisset, postquàm eam quoquè audiuit esse Christianam,& Barbaræ misericordia motam, animo perturbari, iubet eam quoquè comprædhendi,& ligno suspendi, & similiter atquè martyri,pectinibus ferreis latera discerpi. Atque varijs quidem certaminibus exercita Barbara,cùm acerbè laniaretur,oculis in cælum sublatis, Tu nôsti, inquit, Deus cognitor cordium,quòd te desiderans,& tuas amans leges,me totam tibi obtuli,& à tua pendeo dextera. Tu ergò Domine,nè me derelinquas: sed me per tuam suscipias misericordiam, & nos ambas confirma & corrobora, vt cursum præsentem peragamus. Sed sic quidem martyr Christi Dominum, propter quem hæc sustinebat, rogabat, vt eius auxilio roboraretur naturæ imbecillitas. Sciebat enim eum esse veracem, qui dixerat: Spiritus quidem promptus,caro verò infirma.

Immaniter cruciatur.

Itèm S.Iuliana.

Matt.26.

Cap.9. Tyrannus autem,vt qui ei se omninò opposuisset aduersarium,vt animi superaret fortitudinem malorum copia, conuertitur ad aliud supplicium: & iubet earum vbera scalpello effodi.Scio vos ad solum perpessionis auditum caligâsse.Quid ergò effecturum erat vt hoc paterentur,idque fœminæ,nisi amor quo tenebantur, Christi,inquam,amor inexpugnabilis? Sed enim Christi ancillam Barbaram minimè latebat,quodnam esset eis medicamentum aduersùs dolorem tam vehementem. Proptereà rursùs inuocabat supernum auxilium: Nè auertas à nobis,dicens, faciem tuam Christe, & spiritum sanctum tuum nè auferas à nobis. Redde nobis, Domine, exultationem tui salutaris,& spiritu principali confirma nos in tuo timore. Cùm verò ad hoc supplicium ambabus esset vnus animus, & vna & eadem constantia ac tolerantia, Præses aliquid callidius, vel potiùs malignius excogitans,eas disiungit à se inuicèm: & Iulianam quidem tradi in custodiam, Barbaram autem iubet nudam traduci per regionem, & prætereà flagris cædi. Martyr ergò tam turpiter & tam indecorè circumacta,rursùs faciebat ea quæ consueuerat, & in cælum defixis oculis, Qui cælum,aiebat,circundas nubibus,& terram tanquàm fascijs contegis caligine,ipse quoquè ô Rex,meam operi nuditatem: & effice, vt mea membra non cernantur ab oculis infidelium: nè tua ancilla subsannetur & irrideatur ab ijs,qui nos circunsistunt. Audiuit extemplò sancto suo velox Deus ad defensionem: & statim apparens,cor quidem eius implet gaudio: quæ sub visum autem non cadebat,eam stola induit. & cùm sic peregisset transuectionem,rursùs eam ad sceleratum adducunt Martianum.

Vbera earũ exscinduntur

Psal.50.

Grauè supplicium pudicissimæ virginis.

Cap.10. Postquàm ergò cognouit eam,& quæ idem sentiebat,pulcherrimam Iulianam, neque bonorum promissis, nec malis intentatis vel tantillùm persuaderi, cauens nè maiori afficeretur dedecore, vt quod esset apertè stultum ea tentare,quæ fieri non possent,fert in ambas sententiam,vtrique iubens caput amputari. Præsens aũt filiæ occisor pater,cùm esset spectator eorum quæ fiebant,non hoc satis habuit,neque contentus fuit tam magna calamitate, quòd paternis scilicet videret oculis filiam,eamque tam pulchram, manibus perimi lictorum: sed nisi ipse sua manu ictum inferret, hoc iudicabat esse imbecillitatem & animi mollitiem, perindè àc nisi ille quoquè cerneretur malus,arbitraretur esse manifestum dedecus. Proptereà ergò iam prolata sententia, assumit martyrem, facturus cædem proprijs manibus. Cùm ergò abduceretur in montem, & ipsam consequeretur Iuliana,Barbara iam vitæ exitum acceptura,curam gessit sibi charæ orationis,& genibus flexis: Principij expers,inquit,Deus, qui cælum extendisti,tanquàm fornicem: terram autem fundâsti super aquas: Qui nubibus iubes vt pluant, & produxisti Solem,vt lucem præberet omnibus: & communiter hæc & iustis & iniustis,& bonis & malis simul suppeditas,tu quoquè nunc me precantem exaudi,ô Rex,vt qui tui nominis & meę meminerit decertationis,nè pestilens morbus in eius domum ingruat: neq; vllum aliud ex ijs,quæ possunt corporibus afferre damnum & molestiam. Scis enim,Domine,nos esse carnes & sanguinem,opera intemeratarum tuarum manuum,& honora-

Precatio S. Barbaræ.

norata tua imagine & similitudine. Dixit, & vox de cælis audita est admirabiliter, ad cælum vocans ipsam & Iulianam sociam certaminis: & simul pollicens implenda ea, quæ petiërat. Hanc iucundam vocem cùm audijsset Barbara, iter ingredi perrexit: & ducta est ad locum sui decessûs.

Cùm eò autem peruenisset, inclinato capite, paternis manibus, paterno ense accipit consummationem, bonus fructus ex mala arbore, appárens manifestè: Iuliana quoquè simul cum ea ibidèm consummata à quodam ex ijs, qui illic erant militibus. In eo autem loco, vbi hæc facta sunt, impiū quoquè patrem diuina persequitur iustitia, cùm nec modicùm quidem hic expectâsset bonitas, propter insigne vitium, & quòd nulla esset spes curationis. E monte enim reuertens feritur fulmine, & vita omninò priuatur, non hac solùm fluxa, sed ea etiam, quę manet, ille verè miser & vtrisque indignus. Transijt autem ad Præsidem quoquè Martianum huius diuinitùs immissi ignis impetus, planè initium & certum signum illius ignis immaterialis, qui ipsum æternùm est puniturus. Valentianus verò vir quidam pius & religiosus, cùm martyrum sacra sustulisset corpora, & sacris, vt oportebat, honorâsset canticis, ea piè & honorificè deponit in loco, qui dicitur Gelassus, qui abest duodecim milliaribus ab Euchaitis, morborū medelam, animarū exultationem, piorum virorū amabilē delectationem: Ad gloriam Christi veri Dei nostri, Quē decet honor, potentia, maiestas & magnificentia, nunc & semper, in secula seculorū, Amen.

Cap. II. Patris sui manib⁹ virgo sanctissima decollatur.

Vltio diuina in parricidam.

DE MELETIO Archiepiscopo Antiocheno, cuius memoria habetur quarta Decembris, extat Sermo D. Iohannis Chrysostomi Tomo primo, quærat eum Lector 12. Februarij.

DE SYMPHRONIO verò & OLYMPIO, habetur in actis S. Stephani Papæ, quærat Lector in Tom. 4. secunda die Augusti, cap. 7. & deincèps vsque ad vndecimum exclusiuè.

VITA S. ANNONIS ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, SCRIPTA GRAVITER IVSSV REGINHARDI, *Sigebergensis cœnobij Abbatis, à quodam, qui tamen nomen suppressit suum: satis autem indicat, se Sigebergensis cœnobij monachum fuisse.*

Is Reginhardus fuit beati Annonis ęqualis.

PROLOGVS AVTHORIS.



CVm nonnullis id consuetudinis sit, repræhensioni magis, quàm emendationi fraternæ operam dare: cumquè sint & alij, partim inuidi, partim rerum ignari, qui contraria sentiant ijs, quæ propositi operis series pollicetur: ea nobis vtiquè consolatio est in descriptione vitæ sancti patris Annonis, quòd obedientiæ non leuis necessitas ad hoc nos impulit: & quòd is laudes eius declamaturus in medio testis habetur, quem & deuotionis puritas, & rerum notitia vrgent in idipsum: quem & authoritas tanta roborat, vt etiā sit idoneus per se fidem facere eorum, quæ aliundè testibus vacant. Hic est, inquam, pater Reginhardus, cœnobij Sibergensis venerabilis procurator: qui formam scribendorum tradens, ità me suorum vltimum huic operi subiugauit, vt cùm verbis proprijs vtar, eius omninò sensum sequar: sicutì moris est puerulis, elementa prima tentantibus, id sonare, quod priùs vox monitoris præmiserit. Eius est impositi laboris merces, ipse legentium profectibus singulariter coronabitur: nobis nihil hîc debetur, præter quod dum obedientiæ voto præcipienti concordauimus, suis participari præmijs, aliquod spei patrocinium habemus. Quisquis ergò non immemor animalis bruti, quondàm in nostra verba diuinitùs prorumpentis, hanc vel auribus dignatus fuerit historiam, credo, non valdè personæ, vel verborum vilitate mouebitur, dummodò narratio tota illi seruiat, quem in sanctis suis laudare iuuenes & virgines, senes cum iunioribus per Psalmistam & monemur, & præcipimur. Cæterùm de prolixitate nemo causetur. Quem diligimus & veneramur, cuius eleemosynis & patrocinijs die noctuquè sustentamur & regimur, honore digno nunquàm à nobis recompensabitur. Quod & ipsum de suo quenque patrono, si deuotus est, sentire non dubitamus.

Fides historiæ huius.

Procurator, pro, Abbas.

Num. 22.

Psal. 148.

LIBER PRIMVS.

Vbi & quibus parentibus ortus sit S. Anno, vtq́ ab auunculo literis adhibitus sit, cùm esset à patre militiæ destinatus. Cap. I.

Decemb. 4. S. Annonis parentes.



NNO generis & patriæ suæ decus, sideribus ipsis meritis altior, ex Alemannorum populis duxit originem. Pater eius Vualterus, mater Engela dicebatur: ambo studio religionis insignes, illamque, qua secundùm seculum non adeò celebrabantur, claritatem, cùm essent tamen ex ingenuis ingenui, nobilitate quę est ad Deum, valdè transcendentes. Horum in filios & filias fusa fœcunditas, posteritatis suæ satis inclytam produxit familiam, alijs eorum in Ecclesiasticas, alijs in seculares sublimiter transeuntibus disciplinas. Ampliùs autem bonæ suæ indolis generositatem Anno moribus, ingenio formaque commendans, cunctorum oculis gratiosus, omnium animis amabilis cœpit haberi. Vndè pater magnis exhilaratus gaudijs, licèt admodùm religiosus esset, dum tamen, vt vir secularis animi, pro terreno nomine satagit, eum per exercitia militaria mundo nutrire cœpit. Datusque puer ad huiusmodi studia, didicit hinc interim fortitudinem moralium disciplinarum nobilissimam, dum crebras asperitates patitur algoris, dum inedia, sitique, super hæc & vigilijs æstuat: quæ cuncta in eo futuræ constructioni necessariò parabantur. Sed cælestis pater, qui quos prædestinat, hos & vocat: quod ante tempora secularia misericorditer in Annone disposuit, in fine temporum immutabiliter adimpleuit. De illo quippè veridica voce dicitur: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Eo itaque adspirante, auunculus præfati pueri, Babinbergensis Ecclesiæ canonicus, patriam, propinquos & notos inuisere veniens, vbi conscius esse cœpit erga Annonem deliberati patris consilij, protinùs indoluit, ægrè ferens tam egregiæ indolis infantiam mundanis primitùs conficiendam negocijs, ac non potiùs, quod futurum erat * ad multorum profectum, Ecclesiasticis informandam disciplinis. Quapropter explorata opportunitate, secretiùs conueniēs puerum, & blādè complexans, sic interrogat: Quibus studijs, quibus've occupationibus, Anno fili, inseruis? Eo dulciter & innocenter arridente, auunculus sermone, tantillo satis congruo puerulo, de cælestis regni gloria, vel pœnis inferorū, breuiter præmisso, subsequenter intulit: Placet'ne tibi seruitus omnipotentis, & clericalis ordinis disciplina vel habitus? Quod cùm ille libenter annueret, auunculus exabundanti lætitia gratiarum vota corde & ore Deo persoluens, sic demùm conuersus ad eum, ait: En ego proxima luce recessurus, professionis & ordinis mei locum, Deo prosperante, quantocyùs adibo: tu verò fili, domesticis abiectis impedimentis, clā patre tuo discedens, in itinere me transeuntem præstolare, hoc certum mēte habens, nunquàm te ab illo deserendum, sub cuius protectionis alas nunc confugis, quoadusquè in spem & gloriam totius generis tui, nō modò temporalibus, sed & ęternis in cælo commodis & dignitatibus amplificeris. Quid plura? Anno puer non pueriliter aufugiens, vt præmonitus fuerat, inter fruteta salicum delituit, donèc à prætereunte furtìm sublatus auunculo, in schola Babinbergensium, qui tunc temporis disciplinæ, religionis ac studij feruore cunctis in Germania præpollebant, succiduis temporibus magnum Ecclesiæ documentum futurus, ad literas positus est. In quo studio per incrementa temporum, accrescente simul ardore discendi, ope & gratia comite illius intimi magistri, de quo veritas testatur, Spiritus vbì vult spirat: maximas humanorum diuinorumq; voluminum acris ingenij adolescens hausit diuitias, vndè posteà suo tempore creditis sibi populis eructaret noua & vetera. Quicquid ad exercendum ingenium, quicquid ad nobilitandos mores competens, & iucundum auribus vel oculis sese offerebat, statìm vt apis prudentissima ingeniosè perlustrans, alueolo cordis intulit, & suis quandoquè armis Goliath infandissimum iugulaturus, iugi meditatione torrentes eloquentiæ secularis, quasi per naturam victor obtinuit.

S. Anno puer studijs militaribus adhibetur.

Rom. 8.

Prou. 21.

* ob

Auunculus eius persuadet ei, vt fiat clericus.

Documentum, id est lumen & doctor.

Ioan. 3.

Mirè proficit in literis

1. Reg. 17.

Vt factus sit magister scholæ Babinbergensis, & deindè in aulam ascitus. Cap. 2.

His

HIs & huiusmodi profectibus in altum velut cedrus Libani succrescēs, vbi robur virilis ętatis ingressus est, magister scholarum inibì effectus, probitatis suæ & virtutum ramos longè lateque per ora multorum cœpit extendere. Episcopos accersitus adijt, nec latuit principes: à quibus pro sua reuerentia in amicitiam admissus, Henrico tertio Romanorum Augusto facilè innotuit. A quo in palatium assumptus, breui apud eum præ omnibus clericis, qui in foribus palatij excubabant, primum gratiæ & familiaritatis locum obtinuit: hoc prę-cipuè diligentibus in eo omnibus bonis, quòd iusti ac recti admodùm tenax esset, atque in causis omnibus pro suo tum statu, non adulando, vt cęteri, sed cum magna libertate obloquendo, iustitiæ patrocinabatur. Erat autem præter virtutes animi & morum gloriam, corporis quoquè bonis ornatissimus, statura procerus, vultu venerandus, lingua promptus, vigiliarum & inediæ patientissimus, postremò ad omne boni operis exercitium naturæ muneribus affatìm instructus. Cui de virtute in virtutem, instàr auroræ in assensu suo, procedenti, sicut apud Deum creuit sanctitas, sic itèm de gloria in gloriam, de honore ad honorem in dies proficienti, apud homines accessit authoritas. Actum est hoc non humano * arbitratu, sed consueta Dei prouidentia, qui sciens lucernam suam celeberrimo in candelabro ponendam, vt luceret omnibus Ecclesiæ filijs, nè repentina exaltationis eius nouitas miraculum duntaxàt gigneret, non lætitiam, meritorum eius lucem antè voluit mundo declarare, quatenùs eo fructuosior eius fieret promotio, quo & gratior: quod & factum est.

In hoc capite quadā ad verbum accepta sūt ex Liberto Schafnaburgensi.

AbHenrico Imperatore in palatiū asciscitur.

Forma corporis eius.

*libitu

Matt. 5.

Quid Hermannus Coloniensis Episcopus, ad quem ab Imperatore legatus missus erat, de eo prædixerit. Cap. 3.

DEniquè exactis in palatio haud multis annis, magna Imperatoris, magna omnium, qui eum nouerant, expectatione adeptus est Agrippinæ, quæ & Colonia, nobilem sedem, Hermanno nominis huius præsule secundo, ante paucos dies ex hac luce subtracto. Ad quem in lecto mortis iacentem cùm idem venerabilis vir Imperatoria legatione transmissus, post salutationem mandata Regis absoluisset, & iam ad hospitium remeàsset, testantibus qui aderant, idem pontifex dixisse fertur, & se ocyùs mortis iura subiturum, & Annonem vice sua Coloniam suscepturum. Atque illo post hæc verba obeunte, tametsi iam Annonem velociùs regredi necessitas regalis negocij perurgeret, non immemor ille tamen bonæ suæ consuetudinis, funeri eius, quousquè terræ mandaretur, magna cordis contritione, obsequebatur. Legerat enim, & opere, quoàd vixit, semper impleuit: Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum conuiuij: laudabile satis, immò necessarium cunctis inculcans exemplum: quoniam, sicut illic scriptum est, in illa finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurus sit.

Fit Coloniensis Episcopus.

Eccles. 7.

Ibidem.

Vt sit Coloniensis Ecclesiæ Episcopus institutus. Cap. 4.

PEr id tempus Imperator apud Confluentiam morabatur, & eccè adsunt optimates & capita populi Coloniensis, baculū Episcopalē Regi restituentes, inque locum defuncti idoneum successorē supplici prece vnanimiter postulantes. Tunc, vt in his rebus fieri certum est, alijs atque alijs hac vel illac pro libitu suo vel commodo, promissis, consilijs, seu precibus Regem solicitantibus, Deus arbiter summus, in cuius manu cor Regis est, & quocunquè voluērit, vertit illud, non in alium, quàm in solum Annonem, sententiam Regis & voluntatem deduxit, laudantibus alijs, alijs non sine felle reclamantibus. Suscepit itaque regijs ex manibus virgam pastoralem, patris & magistri figuram prætendentem: suscepit & annulum in dotem fidei, conseruandæ ad Deum & ad sponsam suam sanctam Ecclesiam. Nec mora, in similitudinem Moysi, dux saluandorum populorum Coloniam ingressus, protinùs caninis rictibus oblatrantes audiuit: Quis iste est, vel quis eum constituit principem & iudicem super nos? Simulque pollutis & nefarijs labijs clarū nomen diuæ memoriæ Brunonis Archiepiscopi pręferentes, eiusq; facta quasì in ipsius laudem, re autem vera in derogationē Annonis sinistro corde iactantes, iterùm iterumq; tumultuosè vociferabātur, Quis iste est, & vbi sunt illa, quibus amplificaturus est Coloniam? Hoc illi dixerint, genimina & sequaces eorum, qui viperea lingua Dominum Saluatorem fabri filiū conuiciabantur:

Prou. 21.

Exod. 2.

Coloniēses ægrè eum suscipiunt.

Matt. 13.

Coloniēsis Ecclesia quantùm sub illo creuerit.

nobis autem & cunctis deincèps seculis luce clariùs constat, ex quo Colonia fundata est, vnius nūquàm Episcopi studio (saluo Brunonis, vt ità dixerim, priuilegio) tantùm opes & gloriam creuisse Coloniensis Ecclesiæ. Sed his in locis suis pleniùs dicendis, nos historiæ vestigia insequentes, cœptæ narrationi operam demus.

Vt sit ordinatus Episcopus, & qualem se deindè præbuerit. Cap. 5.

IGitur authoritate simul & metu regiæ maiestatis pressi, qui quasi contra montem seu impetum fluminis niti frustrà proposuerant, tandèm necessitatem in voluntatē vertentes, in consecrationem electi pontificis communiter cōsenserunt. Fit conuentus Episcoporum, ac totius Ecclesiastici ordinis virorū, procerum quoquè frequentia cum ambitione nimia, diuersi etiā sexûs & ætatis ingens populositas: quos omnes sua benedictione, sua gratia per seruū suum Annonem Christus Dominus ea die releuaturus, cum Angelis aduenerat, sanctis omnibus pro conciue cælitùs destinato congaudentibus.

Ordinatur Episcopus.

Producitur intereà ordinādus ante altare, vestibus sacris induitur, olei sacri liquore perfunditur, & verè larga sancti spiritûs infusione repētè mutatus in virū aliū, anno Dominicæ incarnationis millesimo quinquagesimoquinto, quinto Nonas Martij ponitur in cathedra Episcopali, ad regendā sanctam Ecclesiā & plebem vniuersam. Iamq; instabat hora sacrificij singularis, cùm eccè pontificalibus insignitus ornamētis, accessit ad altare pontifex summus, verè sacerdos & hostia Christi.

Pontifex summus, id est, Archiepiscopus.

Vbi quanta compūctione, quāta cordis contritione ministerium illud peregerit, quis sufficiat explicare? Totus enim in lachrymas fusus, tanti sacramenti vim in seipsum excepit, mirantibus nonnullis immensitatem lachrymarum, & cum gemitu quodam & suspirio, simulq; pectoris tunsione, cordis illius secreta per hoc rimantibus. Ad cuius preces cælum tunc patuisse nulli dubium, cùm & ob hocipsum misericors & miserator Dominus eum posuerit, vt pro sui gregis excessibus intercedens, in tempore iracundiæ fieret reconciliatio. Postquàm verò Missarum solennijs cum benedictione pontificali finitis, conuentus ille solutus est, ipse deincèps in omnibus tam Ecclesiasticis, quàm reipublicæ negocijs haud imparem se acceptæ dignitati gerebat, & sicut editioris loci insignibus, ità cunctis virtutum generibus inter cæteros regni principes conspicuus incedebat. Reddebat solicitus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: quia Coloniensis nominis maiestatem & secularem pompam ambitiosiùs penè, quàm aliquis ex præcessoribus eius, ostentabat ad populum: nec propterea tamen inuictum inter tātas occupationum procellas spiritum, vnquàm relaxabat à studio diuinarum rerum. Ieiunijs non adeò, quàm legitimis, se macerabat, sciens scriptum, Omnia munda mundis, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Pernoctabat plerunquè in orationibus, & per ecclesias, paucis ac certis comitibus, interdùm vno tantùm puero cōtentus, discurrens nudis pedibus, nonnunquàm etiam cilicio ad carnem indutus, flens procedebat. Et diem quidem in disponendis priuatis seu publicis negocijs, noctem verò totam in Dei opere expendebat.

Hæc ferè ad verbum ex Lamberto Schafnaburg.

Matt. 22.

Tit. 1.

1. Tim. 4.

Noctibus quid fecerit

Nam tunc pœnitentiam agere, errata cōfiteri, commissa deflere, ob corporalis quoquè flagelli castigationem, inferioris personæ manibus tantus pontifex humiliare se non erubuit. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in clericos, in monachos benignitas, mira liberalitas erat. Nullam intra diœcesim suam congregationem prætermisit, quam non aut prædijs, aut ædificijs, aut stipendijs sua specialiter donatione auctam vita decedens reliquerit. In iudicandis causis subditorum nec odio, nec gratia cuiusquam à vero abducebatur: sed semper in omnibus propositam indeclinabiliter sequens æquitatis lineam, ad euertendum iudicium nec considerabat persouam pauperis, nec honorabat vultum potentis. Cuius rei idoneum satis & euidens subijcimus exemplum.

Multa eius in pauperes liberalitas.

Leuit. 19.

Quàm durè & verbis & verberibus Regem Henricum castigârit. Cap. 6.

REx Henricus, Romanorum patritius, sceptra regalia moribus, prudentia & gloria regaliter obtinens, ac iustissimis legibus tam in diuinis, quàm in humanis administrans, ità se exteriùs agebat ad populnm, vt suî tamen non obliuisceretur interiùs. Cōsiderans enim tanti nominis maiestatem longè suis præcellere meritis, nunquàm insignia regalia sibi præsumpsit imponere, nisì clàm confessionis ac pœnitentiæ, verberum insupèr satisfactione, licentiam à quolibet sacerdotum suppliciter mereretur. Ergò tempore quodam magna

En quātùm ille Rex detulit sacerdotibus.

immi-

imminente festiuitate, cùm pontifices, Duces ac Comites, & cuiuscunque alius dignitatis seu ordinis viri, regiam vndiquè properarēt ad curiam, cùm & ipsum mos & honor impositus trabeatum exigeret procedere, non inscius sanctitatis & vitæ probatissimi inter præsules Annonis, vt suæ cōsuetudinis seruaret institutum, supplex & pœnitēs eum cœpit adire. Mox sacer antistes authoritate plenus, tali in negocio Imperialem paruipendens magnificentiam, sicut parcere solitus erat inopi & pauperi, sic opportunitatem adeptus, misericors sine misericordia sæuire cœpit in principem. Nam vehementissimis illum inuadēs correptionibus, quicquid animo pro iustitia concitato se obtulit, liberè & cōstanter effabatur, illumque durissimis verberum plagis afflictum, non aliter ea die coronatum incedere consensit, quàm priùs manibus suis trigintatres argenti libras in pauperes expendisset. Nec abnuit Imperator, sed cuncta eo ordine, quo dicta sunt, superni iudicis respectu & passus est, & fecit: sicque demùm more suo indutus processit. Miranda sanè constantia præsulis, nec minùs laudanda humilitas principis: porrò in vtroque timoris Dei imitanda perfectio. Et quia se occasio præbuit, licèt per digressionem, de eiusdem Regis morte, in qua omnis iniustitiæ frena laxata sunt, inferre libet mentionem, ob id præcipuè, quoniam virtus non minima hîc occurrit Annonis, quem prophetiæ spiritu subindè floruisse veritas ipsa diffamauit. Præclaram eximiæ humilitatis & virtutis in Imperatore exemplum.

Vt prædixerit mortē Henrici Imperatoris, & eius filiū educandum susceperit. Cap. 7.

QVibusdam simultatibus inter ipsum & Regem fraude malignantiū obortis, cùm Rex mentem, quam conceperat in Archiepiscopum, mandatis solito durioribus detexisset: præsul ad audientiam veniens, ratione & iustitia pro causa sua agere laborauit. Cui facultate erepta hac progrediendi via, tandèm in hæc verba prorupit: Rex excellentissime, cælestis Regis intuitu, cuiuscunque discordiæ aut odij malum vel hoc anno non præualeat inter nos, quandoquidem anno proximo quid nos maneat, mentium nostrarum nunc penetralia latet. Quæ dicens, Regem, quem præsciebat hoc ipso anno moriturum, emendatioris vitæ nisus est ad semitam reducere. Sed crescentibus pèr dies alijs atque alijs ex causis discordiarū spinis, iterùm curiam adijt in Goslaria, quò per idem tempus, magna totius regni principum expectatione, venerabilis Papa Victor, qui & Gebehardus, conuenerat. Illic compositis vtrorunque animis in prioris amicitiæ statum, discessurus Archipræsul, sic sciscitatus est Regem: Nunquid dilectionis & gratiæ vestræ recedens amodò certus ero? Id Rege haud aliter se habere testante, subiunxit atque ait: Scio, scio non nos mutuis in hoc corpore deincèps fruituros adspectibus, quorum alter in mortem citò rapietur, alter adhuc in certamine relinquetur. Idcircò valere vos optans, quia satis fructuosè satisque salubriter animæ vestræ Coloniam disposueritis, ipse qualiscunque pastor eius hoc in Deo præsumens polliceor. Rex protinùs metum, quem conceperat, pallore vultûs insinuans, in quem ista dicerentur, vehemens perquisitor fuit. Vos, ait, hæc tam tristis expectatio manet. Quod vtiquè Rex ipse, velociter finiens vitam, verum fuisse declarauit. Eo autem viam vniuersæ carnis ingresso, fidei & deuotionis affectu non minùs defuncto, quàm viuenti, sacer præsul assistens, ieiunijs, vigilijs, orationibus & eleemosynis, spiritualibus videlicet remedijs, animam diuinæ bonitati reconciliare non cessauit. Instituit præterea annualem eius memoriam agi Coloniæ, ipse quandiù vixit, nunquàm illius specialiter immemor. Eius quoquè filium, nominis & regni hæredem, ad honorem Imperij & Ecclesię profectum suscepit nutriēdum, multorum propter hoc inuidiam contra se accendens. Sed nō destitit in laborando spe fructûs percipiendi, regaliter puerum nutriens, sublimiter erudiens, adeò vt ipsius posteà testimonio, vir in toto regno profundioris animi illo non inueniretur. Fecit & hoc olim Ioiada pontifex sanctus in Rege Ioas: sed non dissimilem bonitatis suæ retributionem, vt ille, sic & hic prohdolor consecutus est. Verùm his sepositis, ad vitæ eius instituta describenda stylum vertamus.

Præuidet Regis mortem.

Victor Pontifex venit Goslariam, quæ est Saxoniæ vrbs.

Obitus Hērici Imperatoris.

S. Anno nutrit filium eius.

2. Par. 24.

Quotidiana vitæ eius institutio. Cap. 8.

A Primis ordinationis suæ temporibus, congruum & verè dignum officio suo opus arripiens, iuxta docentis Apostoli monita, In omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministeriū tuum imple: omnē Episcopatûs sui parochiā perlustrauit, homines fidei ac penè totius religionis ignaros, solo

2. Tim. 4.

Crebrò cōcionatur. autem nomine Christianos, assiduis prædicationibus ad catholicæ pietatis cultum informans, breuiter & apertè complexus, quid credi, quid sperari, quidve amari oporteat. Imperauit dein authoritate pontificali, suasitque pietate paterna, singulos auditores hæc eadem domi suæ euangelizare, bonam illis pro hoc à Deo vicissitudinem pollicens. In quo cousquè profecit, vt pueri quoquè, teneros infantiæ annos necdùm egressi, fidem, vt asserunt, beati Annonis inuicèm discerent, inuicem docerēt, & ex ipsa boni studij assiduitate, singulis eorum eam manè vel vesperè coram Deo pronunciandi quasi lex inoleuerit. Habebat autem hoc insigne meritorum suorū apud homines indicium, quòd quotiès prædicaturus in publicum processisset, tantis subitò lachrymis immaduit, vt omniū corda ad miserationem commouisset. Tum melliflua, & compunctione plena verba profundere, clementiam Dei proponere, iustitiam non tacere: hortari bonos, vt ad meliora proficerent: malos, vt ad perpetrata cessarent, omnes in commune, vt se reos clamarent, ac pro totius mundi necessitatibus communem Dominum inuocarent. Quis vnquàm vel saxei cordis Annonem in ecclesia loquentem audiens, à lachrymis valuit temperare? Deniquè ab exteris etiam & remotioribus prouincijs, ob solam indulgentiæ & doctrinæ eius famam, plurimi confluxerunt, omnibus delicijs præferentes Annonem audire, diuitias incomparabiles æstimantes, eius indulgentia relaxari, eius benedictione præmuniri. Prætereà pietatis & misericordiæ operibus nullo erat inferior. Nam agricolas & debitores reddituum, antecessorum suorum nimietate vel superfluitate grauatos & propè nudatos intelligens, exactoribus vt parcerent iussit, singulis vel totum, vel ex parte, prout opùs erat, remittens. Pauperum, peregrinorum & infirmorum prima illi & perpes erat solicitudo, imitanti eum, qui dixit: Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est. Illucescente enim primo surgentis diei crepusculo, eccè velut examen apum, turba egenorum vndecunquè conuolans, eius quotidiè fores obsedit, sufficientia alimenta hora statuta singuli percepturi. Inter quos omnes miserrimi quique numero vigintiquatuor perscrutati, seorsùm congregabantur. Ante quorum pedes humilimè procumbens pontifex summus, postquàm lauit ac tersit, osculum quoquè cordis & oris impressit, necnon manibus aquam infudit. Cōsummato ministerio humilitatis, versus est ad opus charitatis, cum cibo & potu vnicuiq; nummum porrigens. Iam verò imminente hora & necessitate, vbì & ipse consedit ad mensam, more solito, quotquot superuenerant, introducebātur ante eum ad conuescendum peregrini. Tum ex singulis, quæ mensæ erant imposita, partem propè decimam colligens, pro reficiendis hac & illac per vrbem ægrotis in locum vnum separauit. Postremò mensa submota, surrexit verè pater orphanorum, verè iudex viduarum, & tanquàm diceret, Sinite paruulos venire ad me: talium est enim regnum cælorū: acclinans se, manu propria cibauit pupillos, refecit orphanos, aluit filios pauperū, delicatioribus escis ex mensa per seipsum in hoc reseruatis: prætereà matribus eorum, familiariùs suas illi miserias conquerentibus, necessaria misericorditer impendens. Cùm enim esset erga cunctos inopes misericors & compatiens, erga pauperculas tamen & earum infantulos speciali quadam miseratione ducebatur. Quod huiusmodi fœminę experimento cognoscentes, explorato nonnunquàm tempore, in plateis sese gregatìm obtulerunt, paruulos ei suos cum clamore supplices obijcientes. Interdùm trāsiens, & præ lassitudine diutinæ expectationis in soporem versos conspiciens eiusmodi puerulos exesos & seminudos, aliquem eorum, quem nec dignum oculis quis arbitraretur, piè se adhibens, materna vice exosculari cœpit. Quædam etiam proprios non habentes, alienos infantulos expetièrunt, indubium habentes, Annonem erga ipsas misericordia motum iri, si talibus onustæ sarcinulis, eius conspectui præsentarentur. Inter hæc solennis ei mos erat, vertente semper anno, à vigilia natalis Domini vsque ad intactæ genitricis eius purificationem, per continuos quadraginta dies quanlibet lactantem habere, cuius manibus aquam præbens, ipsemet pedes ac manus paruuli lauit, moxque datis alimentis, solidum vnum porrexit. Super hæc & xenodochium Coloniæ construxit, languidos, & debiles, & omni destitutos solatio illuc inferens, deputatis ad eorum subsidia quotidianis stipendijs. Nunquàm pauperem se inclamantem absque misericordia præteriuit, nūquàm veniens ad inuisendum egenos, monachos vel canonicos, absque charitatis larga manu remeauit. Sanè in

[Margin notes: Eccè fructū concionis eius. — Multi confluūt ad audiendas cōciones eius. — Benignitas in pauperes. — Luc. 6. — Obserua lector. — Et hic pontifex summus, pro Archiepiscopo dicitur. — Matth. 19. — Humanitas erga pauperculas fœminas & filiolos earum. — Xenodochium Coloniæ condit.]

ne in cœna Dominica quàm prodigus fuerit, superfluum est memorare, cùm nec parcus quilibet ea die manum retrahat ab eleemosyna. His omnibus antecellunt numero & admiratione, quæ per nocturnas tenebras, solo Deo teste, rarissimis secretalium suorum duntaxàt exceptis, operatus est: cum quibus, vt dictum est, noctù sanctorum limina circuiens, peregrinos & quibus non erat tectum, in porticibus, in angulis vasisque vinarijs per plateas expositis, scrutatus est: quos inuentos pauit atque vestiuit, allato secum pro hoc ipso victu & vestitu. Nocte sanctorum limina circuit.

Vt tractârit fœminam, noctù è partu in platea periclitantem. *Cap.* 9.

CVmque more consueto per cuiusdam noctis silentia pro negocio simili esset egressus, lamentabile & omni miseratione plenum in itinere offendit spectaculũ, mulierem, quam ob inopiam nullus hospitio dignabatur, recentis & ipsa hora editi infantis partu periclitatam, super nudam humum sese lachrymabiliter volutantem. Erat ergò videre miseriam. Nox tenebris densis vagantem occupauerat, fatigatam tellus cœnosa ac petrosa seminudam exceperat, fame & siti confectam frigus ampliùs vexabat, nullus mortalium aderat: & ecce vrgente natura, cœpit cruciari, voces emittere, suspiria crebra trahere: tandemque enixam prolem in puluerem fundens, ipsa disiectis hac & illac miserabiliter membris, nil vltrà præter mortem expectabat. Hac ergò miseria quid miserius? Superuenit igitur, vt dictum est, sacer præsul, ac protinùs velut ictu sagittæ trãsuerberatus, represso gradu, præ horrore & miseria substitit attonitus: cùm ecce grauitate pontificali postposita, instàr velocissimi cursoris reproperauit, impositoque humeris suis grabato cum stramentis, celeritate qua venerat, recurrit. Mox abiecto à ceruicibus onere, incuruauit se quantocyùs ad iacentem, puerulum pannis obuoluit, ipsam à terra sublatam in lectulum collocauit, ac proprijs extractis vestibus, vtrosque diligenter contexit. In eodem loco dispositis pro sustentatione eius, quousquè conualesceret, necessarijs, processit verè precum suarum consecuturus effectum, qui tam humili & pio ministerio per horrorem cæcæ noctis in minimis membris suis illi obsecutus est, quem quondàm pro nobis incarnatum, virgo mater vilibus obuolutum pannis, reclinauit in præsepium. Lamentabile cuiusdã parturiẽtis spectaculũ. Vide in tãto Episcopo exemplum memorabile. Luc. 2.

Vt vagientem paruulum nocte inuentum, secum absportârit. *Cap.* 10.

ALia quædam subierat nox, & vir Deo deuotus, æstimationis humanæ fugiens oculos, venerandos sanctarum virginum cineres supplex cœpit adire. Quod vna ex consuetis mulierculis solicitè præuidens, necessitate simul & arte instructa, nescienti hac fraude obuiauit. Scilicet præter mendicitatem nil ad indigentiam corpoream certi habens, filiolum suum in lacte recenti positum, ante venientis vestigia clàm media deposuit in via, seseque indè proripiens, cum festinatione in latebras immersit. Nec mora, sacerdos approximans, vbi primam vagientis infantuli vocem aure percepit, præ dolore totus intremuit, varias animo gerens passiones, vndè puer huiusmodi ea hora noctis illic haberetur. Intereà velut ad obsequium Christi, sub fœno cubantis, impiger accurrens, flexo corpore puerulum à terra suscepit, memor sancti Simeonis, qualiter olìm infantiam Saluatoris pijs vlnis amplexus, pacem & salutem sibimet imprecaretur & populo. A cuius deuotione in re dissimili non dissimilia sentiens, tali gratulabundus onere ibat cubiculum repetens: illum imitatus, qui relictam pijs humeris ad ouilia reportauit ouiculam. Confestìm autem paterna solicitudine nutricem paruulo procurans, quem carne non genuit, spiritali regeneratione per baptismum meliùs regenerauit: quem & à fonte sacro suscipiens, Annonem post se nominauit, singularis patrocinij spem ante Deum in illo sibi prouidens. S. Vrsulam & socias virgines inuisit. Luc. 2. Luc. 15.

Vt nocte quadam pugnis cæsus sit à malignis. *Cap.* 11.

HAec igitur quotidiana viro Dei institutio, hæc incessabilis solicitudo, hic labor, hoc studium. Cumque talis esset, qui verbis beati Iob dicere posset, Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum, & cor viduæ cõsolatus sum: & cùm sederẽ quasi rex circunstante exercitu, eram tamẽ mœrentium consolator: quia ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero egressa est mecum: conspirantibus quibusdam æmulis iustitiæ, quorum nequitiæ complices hodieque fidem derogant Annonis sanctitati, quadam nocte ad similia deuotionis Iob 29. Iob 31.

tionis suæ opera progressus, insidias perpessus est. Furioso enim impetu venientem inuadentes, furem criminabantur, obijcientes & alia, quorum ipsi sibimet conscij, in alienam sugillationem sine difficultate poterant erumpere. At socijs Episcopi hæc refellentibus, & sacrilegium esse dicentibus, clericum orationis gratia transeuntem his conuicijs agi: illi procacissimo responso fictum arguentes, ac prioribus peiora subijcientes, linguis venenatis manus sanguine plenas mox adiunxerunt: non sine retractione ceu bestiæ ferocissimæ in innocentem sæuientes, cùm eum birro violenter spoliâssent, correptum crinibus in cœnum protraxerunt, pugnis grauiter insistentes. Eius quoquè comites cùm insania simili non minùs affecissent, furore satiati alacres recesserunt, illorum participes effecti, de quibus scriptum est, Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Sed concepta semèl inuidia, modum nescit imponere malitiæ. Vndè supradicti malefici maiorem vesaniam spirantes, horreo dicere, necem Archiepiscopo moliebantur, insidijs ei non semèl, nec bìs compositis, facinus execrabile, nec minùs lamentabile, si copia daretur, perfecturi: quippè qui nec ipsi bonorum omnium capiti parcerent. Quod cùm familiaribus & amicis Episcopi certiùs innotuisset, nunc quidem gaudium de eius adhuc ereptione gerentes, nunc verò horrorem consideratione tanti periculi non ferentes, cum sacramento testati sunt, se minimè sinere illum ampliùs taliter egredi, nè fortè extingueret lucernam Israël. Eorum verò consilijs & precibus persuasus, numerum orationum singulis in locis habendarũ, deinceps in lecto recubans, vel in vnaqualibet ecclesia consistens, nihilominùs persoluebat. Abhinc quoquè tale quid excogitauit, vndè non iniuriæ suæ, sed iusti zeli solicitis pastoribus esset imitatio.

Birrum, pro pileo, vel capitis tegmine.

Prou. 2.

Quidam ei necem moliuntur.

Vt castigârit scortationi & libidini deditos. Cap. 12.

Animaduertit in homines flagitiosos.

SCiens quorundam profanos & incestuosos ad opera libidinis per noctem discursus, zelo iustitiæ inflammatus, nefariæ commixtionis homines depræhensos, ad exemplum omnium decaluari ac decoriari publicè mandauit, presbytero cuidam ex familiaribus suis huiuscemodi potestate concessa: cui iugis imminebat ex obedientia necessitas, ab incipientibus noctis tenebris ad sequentis exordia lucis tales excursus obseruare. Nonnullas tamen illarum, quibus proh pudor castitas venalis erat, ad se accersitas verbis castigans, donis quoquè demulcens, vel ad continentiæ propositum, vel ad honestæ copulæ coniunctionem deduxit, animas earum à morte saluans per charitatem, quæ operit multitudinem peccatorum.

Prou. 10. 1. Pet. 4.

Vt quandam prolapsam, humanissimè ab infamia liberârit. Cap. 13.

Matth. 23.

SVnt quamplurimi sepulcris dealbatis similimi, qui pharisæorum more de sanctitatis munditia forìs tumentes, cùm sint ossibus mortuorum intùs pleni, erga peccantes vel infirmiores quoslibet non compassione, sed conuiciosa quadam dedignatione feruntur: qua profectò peste Anno, suis in oculis humilis, nunquàm laborauit. Siquidem nocte quadam, profundis tenebris omnia circundantibus, ipse more suo sanctarum virginum limen ingressus, aliquem secessit in angulum, quô secretiùs stans, precibus obnixiùs inseruiret. Illic vna ex consororibus in facie iacens, crebris singultuum & internorum gemituum vocibus, diuinæ miserationis aures feriebat, amarissimis lachrymis ac pectoris tunsione, perpetratam nupèr carnis delectationem grauiter deplorans. Cumque immanitas piaculi stimulos compunctionis ei excitâsset, acriores tamen reddidit iam iamque intumescentis vteri conceptus: quoniam etsì per emendationem vitæ sequẽtis, de benignitate pij Saluatoris præsumebat, humani tamen improperij confusionem per secula se habituram, querelis miserrimis non tacebat. Hac itaque gemina tribulatione inenarrabiliter angustata, spe collecta, viribusq; resumptis, solum humanæ miseriæ perfugium, eum scilicet, quem & offenderat, misericordem Dominũ nostrum corde & ore, lachrymis instàr riui currentibus, pulsabat: vt qui quõdàm pro peccatoribus natus, & pro peccatoribus mori dignatus fuerat, etiam suæ solita bonitate succurrẽs infelicitati, sic facinus admissum remitteret, vt ignominię publicę derisionẽ euaderet. O bonitas authoris, ô clementia Saluatoris: qui natura bonus, & potestate immensus, cùm nunq̃ humani cordis lachrymas absque misericordia valeat intueri, consolationem quoquè iuxta suam magnificentiam despe-

Aedem vndecim millium virginum dicit.

desperatis subministrat. Cùm enim talibus incûberet mulier afflicta clamoribus, ea inscia, pius sacerdos, quasi missus à Deo, retrò consistens, aure diligentiùs adhibita, omnia plangentis ac deprecantis verba percepit: nec erat difficile, tantæ contritionis causam cõijcere. Tandèm signorum pulsatione nocturnales ad hymnos inuitata, surrexit è terra, chorumque petijt: quam diuinæ bonitatis minister clàm è uestigiò insecutus, ex ordine loci, quem in choro adijt, eius personam solicitiùs inuestigauit, moxque recessit. Vt verò dies redditus est, volens comprobare, quoniam iuxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde: qui etiam se per seipsum obligauit, dicens: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat: mittens ad consorores, euocauit eandem, illa metum, quem conscientia suggerebat, præ oculis habente. Sed venientem præter spem filius misericordiæ blandè suscipiens, iuxta se sedere fecit, de vitæ eius qualitate inter alia colloquia quasi per ambages conquirens, ac causam mœroris, quem vultu prætendebat, quasi nescius sciscitans. At ea vulnus lethale spiritualis medici manibus, nè ferirer, offerre detrectante, ille non inscius morbi, ferrum apposuit, asserens se scire causam tristitiæ, nec ignorare, quas, admissi pœnitens, illo in loco nocte proxima preces emisisset: eam confiteri tantùm debere reatum, cæterùm ex diuina miseratione in promptu esse & veniam, & euadendi opprobrij possibilitatem. Sed vt rem fine concludam, illa confessionis viam flebiliter ingrediens, diuinæ bonitatis beneficium in suorum casuum ærumnis inopinatò experta est. Deniquè mœrentium consolator, & suæ memor fragilitatis, secûdùm Apostolum præmonentem, Considerans teipsum, nè & tu tenteris: eam postquàm in spiritu lenitatis sufficienter instruxit, militi cuidam è Saxonia, gratiæ eius largitate præ cæteris domesticis vso, sub sacramentis fidei debitæ commendauit, imponens illi, vt sub prætextu familiaritatis eam secum abducens, donèc illicito conceptu liberaretur, ad quascunque necessitates ei diligenter assisteret, nec vnquàm, si sua gratia priuari nollet, huius rei cognitio domatis eius limen excederet. Expletis verò diebus partûs, cùm & ipsa iam incolumis priorem recuperâsset statum, eam itidèm cum paruulo suæ præsentiæ reconsignaret. Is protinùs imperatis obediens, negocium hoc, præter se & Episcopum, nulli cognitum, fideliter executus est, post omnia mulierem cum infantulo ipsi repræsentans. Mox pius pastor alibì delegato paruulo, ouem quæ errauerat, alacriter ad consororum suarum domicilia destinauit, laudis transitoriæ nil appetens, vt cælesti mercede dignus inueniretur.

Psal. 33. Ezech. 33. Cõfessio sacramentalis quid præstet. Gal. 6. Tuetur mira humanitate famam lapsæ cuiusdam.

Vt cuiusdam fœminæ conceptus euanuerit. Cap. 14.

HVic historiæ res non valdè dispar Coloniæ similiter accidit, quam exempli causa venerabilis pontifex referre solitus erat: res planè memoria digna, & omnium bonorum ore celebranda & frequentanda. Cùm enim lapsos magno desperationis malo liberare queat, non minùs stantibus ingerit formidinem, nè præsumptione sanctioris vitæ, ruinæ pateant irreparabili. Omnes igitur hæc audientes, aures cordis arrigamus, & quàm sit terribilis in consilijs super filios hominum misericors & iustus Dominus noster, cum spe & metu consideremus. In monasterio Dominæ nostræ pijssimæ Dei genitricis Mariæ quædam sanctimonialis, omni morum honestate, omniquè vitæ sanctitate inter consodales suas à primo succreuerat tempore, eiq; speciale munus omnipotens gloriam virginitatis, velut quoddam diadema capitis, concesserat. Sed cùm instinctu superbientis angeli quædam de castitate ei subreperet elatio, aliasq; iam dedignaretur consorores, virorumque consortia, quasi nunquàm casura, incautiùs admitteret, iuxta quod scriptum est, Ante ruinã exaltatur cor: magno blandientis inimici plausu prohdolor in foueam corruptionis incidit. Sed miseræ cõmixtionis opere perfecto, in se rediens, ingentis tristitiæ fluctibus penè in amentiam versa est, reputans & quasi per somni ludificationem hæsitãs, quæ esset, vel quid fecisset. Inter hæc vbi anterioris vitæ puritas animũ eius tetigit, velut ictu fulminis in corde perculsa, gemitus & suspiria traxit amarissima, & instàr repentini imbris cum eiulatu miserrimæ vocis tota ruit in lachrymas. Verùm cùm degustata semèl mortifera carnis delectatio, conquiescente parũ fletu, vehementioribus incendijs eius mentem stimularet, metuens nè pòst, etiam ruptis publicæ verecundiæ frenis, in omnẽ præceps raperetur impudicitiam, cælum suspiciens, altè ingemuit, orans, vt quia iam confu-

Psal. 65. Ante ruinã exaltatur cor. Prou. 16. Degustata semel carnis delectatio, post fletum, vehemẽtiùs mentem incendit.

confusionem animæ clàm induerat, in apertam quoquè ignominiam per conceptum partumq; criminosæ prolis veniret, quatenùs publicis subiacens opprobrijs, superbiam cum luxuria humilis & pœnitens deincèps effugeret. Id cùm exorâsset, aluusque intumescens indicia violatæ castitatis oculis proderet alienis, illa omnis consilij expers, quid faceret, quò se verteret, ignorans, omnium præ confusione declinabat adspectus: non somno, non esca, non potu, deniquè non ipsa vita delectabatur, quoniam incomparabilis tristitię profunditatibus operta erat. Nihil iam de peccati satisfactione meditabatur, nil de pœnis inferni cogitabat: solo, quo tabescebat, rubore liberari votis omnibus exoptabat. Hinc factū est, vt cùm nullum consolationis occurreret suffragium, secundùm illud Propheticum præsagium, Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: de Christi clementia spem tota mente cōciperet. Ante eius ergò imaginem pro nobis crucifixi corruens, templum sanctæ genitricis eius ingressa, his precum querimonijs flebiliter vsa est: Domine clementissime, mearum miseriarum calamitas tuę pietatis penetret aures, nec meis offensus prauitatibus, tui plasmatis cōditor pius immemor existas. Heu me coinquinatam, heu me professæ castitatis præuaricatricem, heu me confusionis æternæ inuentricem. Meritò nūc me cum maximo salutis meæ detrimento infra omnes conspicio, quæ dudùm meipsam nesciens, cùm sim puluis & cinis, supra omnes in immensum gloriata sum. Quid congruentiùs tantam decebat præsumptionē, quàm huius turpissimi volutabri detestabilis impuritas? Nihil mihi iam aduersùs tuam bonitatem, Deus, querelæ remansit iustæ, cùm hæc omnia propria patiar voluntate, cœno me tradens libidinis incestuosæ, dein ore proprio imminentem publicam exprobrationem petens, & quidem audientia indigna, sed vtinàm in hac parte. Vt audirer, nō indicium sanctitatis, sed pœna flagitij præcedentis fuit. Vę miseræ mihi, quæ cælestis Agni perdidi sectatum, quę virginei cantici gloriam iam ampliùs non sperabo. Sufficiat mihi vel sola indulgentiæ via, & his, te miserante, Iesu benignissime, confusionibus ērui. Eccè piæ genitricis tuæ pedibus rea & gemens aduoluta, per eius suffragia tuæ consolationis gratiam humiliter quæro, conuersionis omnimodæ veritatem promittens, & perpetrati sceleris amodò continentiam & pœnitentiam. Hæc ea fletu maximo prosequente, qui respexit Petrum flentem, respexit & illam misericors Dominus noster, & quantùm miserijs condoleat nostris, euidētissimo maiestatis suæ dignatus est monstrare miraculo. Nam postquàm clamare desijt, & à terra surrexit, vterus illius detumuit, malè conceptus fœtus euanuit, ipsa præ gaudio largiùs flens, debitam conuertendi sponsionem implere non distulit. Annis siquidem non paucis iugiter in pœnitentia perseuérans, corpus vigilijs & orationibus attenuatum, panis & aquæ tantùm sustentabat edulio, sine cessatione lachrymas in humilitate fundens, & ex occasione sceleris admissi, priori vitæ sequentem longè anteponens. Quantæ verò fuerit contritionis, hinc datur intelligi, quòd exceptis alijs extrinsecùs orationibus, Psalterium inter diem & noctem ter semper percurrebat, primò humì strata, secundò genibus affixa, tertiò stans: vt meritò deficiente spiritu, membra quoquè lassarentur. Faciem cum macie pallor obduxerat, & diuturnitas inediæ atque vigiliarum, viribus penè exhaustis, miraculum cæteris sororibus ingerebat, nil extrà suspicantibus, quàm desiderio sponsi cælestis sponsam suam charitatis languore tabescentem: quippè quibus culpæ eius nullum patebat vestigium. Non enim tanti reatûs confessionem humanæ cōmittebat fidei, quæ interdùm nulla est, vbì maximè speratur, soli Domino fiducialiter clamans, Miserere meî Deus, miserere meî: quoniam in te confidit anima mea. Talibus cùm, sicut dictum est, annis aliquantis insistens operibus, diuinam quæreret propitiationem, vbi iam de spe veniæ quid hausisset, eccè pestis antiqua superbiæ sub pedibus iacens, contra eam denuò caput attollere cœpit. Quod illa cautè præuidens, & hanc esse causam ruinæ prioris animaduertens, quanuis lapsa, salubriter tamen edocta, suggestionis huius initia non, vt antè, negligenda duxit: sed festina sancti patris Annonis præsentiam adiens, omnem suorum casuum ordinem subtiliter enarrauit, consilij & precum eius iuuamina magno cordis mœrore petens, nè ea rursùs in similia proruēte, tanti temporis pœnitentia deperîsset. Tunc sanctus pontifex secundùm datam sibi sapientiam consolationis verbum multipliciter proferens, eam non in proprijs viribus, sed in Deo confidere docuit secundùm illud: Sine me nihil potestis facere: nil ità dæmones

Marginal notes: Psal. 82. — Professio castitatis. — Apoc. 14. — Luc. 22. — Admirandū sanè miraculum. — Nō sunt hęc accipienda de sacramētali cōfessione, quæ fit sacerdoti: sed quòd nō fuerit ausa extra hanc confessionē cuiquā aperire crimen suum. — Iohan. 14.

dæmones atterere, quàm in humilitatis fundamento consistere, nulli se vel in cogitatione præferre, præ omnibus humilia de se sentire: cæterùm peccati transacti noxa non teneri, si lugenda non præsumat iterare. Mentis quoquè eius qualitate intima consideratione perspecta, cùm didicisset in elationis arma verti, quicquid præ cæteris quasì sanctior specialiùs attentâsset: salutarem sanctamque dixit esse viam, communis vitæ limitem non excedere: se mandare, si nollet in interitum ire, nè consororibus contraria, singularis vitæ aliquid vsurparet, cum comedētibus comederet, cum dormientibus dormiret, itemque cum abstinentibus abstinens, cum vigilantibus quoquè vigilaret. Hanc prorsùs esse regiam viam, quæ nullam declinans in partem, per se gradientes in æternæ salutis patriam inducat. His doctrinæ fluentis ancilla Dei salubriter infusa, benedictione percepta, monasterium repetijt, matremquè virtutum temperantiam mox ingrediens, totius honestatis & religionis prorupit in fructus, communis vitæ lege contenta: nec vllam se virtutibus superiorem, ità decedens, in illa congregatione reliquit. Hactenùs nobis in descriptione vitæ vel morum Deo dilecti pontificis occupatis, iam tempus est aperire, qualiter quantumque per eum profecerit in augmento diuinæ seruitutis Ecclesia Coloniensis. Id cùm ingenij nostri tarditas vtcunquè præsumat attentare, quis tamen ipso quoquè carnis intuitu non videat, omnem hîc eloquentiam magnitudini rerum imparem inueniri? Et primò quidem mentis eius erga Deum & proximum ardorem plenè prosequi, laboris est non minimi. Quod nè falsò iactitare videamur, hinc historiæ sequentis sumamus exordia.

Temperantiam hic dicit, quā alij discretionē vocant.

Vt omnes diœcesis seu Episcopatûs sui congregationes reformârit. Cap. 15.

CVm per omnes curæ suæ congregationes, cuiuscunque professionis essent, regularis disciplinæ tramitem licentia deperîsse doleret, alijs pro vitæ necessitatibus, alijs pro mundi cupiditatibus extrà vagantibus: vniuersorum Præbendas pro supputatione annualium redditruum largè disposuit, nonnullas ex suis adaugens: vt occasione libertatis erepta, necessitatem iugi claustralis cunctis induceret. In his exequendis Apostolicis vtebatur præceptis, obsecrans vt pater, increpans vt magister: interdùm stimulos exorbitantibus ac recalcitrantibus addens, & eatenùs neglectam disciplinæ cælestis scholam temporibus suis mundo reformans. Quibus studijs quo plùs charitate feruebat, eo solicitiùs insistens, ad maiora diuinæ laudis opera magìs inflammatus accessit, quinque monasteriorum structuras ab ipsis fundamentorum initijs ad perfectum deductas, non animam tantùm, sed & corpus omne, quinis à conditore sensibus institutum, ipsius addicens seruitijs.

S. Anno reformat monasteria.

2.Tim.4.

Quinq; monasteria è fundamētis extruit.

Vt primum monasterium suum, ad Gradus S. Mariæ, condiderit. Cap. 16.

ITaque quod primum erat monasterium, quod dicitur, ad Gradus, in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, iactis fundamentis erexit, omnique varij decoris elegantia pulchrè distinctum consecrauit, prædijs ad triginta Canonicorum sufficientiam copiosè delegatis: quos vndiquè scientia, vita vel moribus exquisitos, illuc adunauerat. Ipse verò speciali deuotione dilectæ sibi Dominæ totus inhærens, cùm eius patrocinijs animam credidisset, etiam sepulturam in eodem sibi monasterio, adhuc futurorum nescius, extruxit, & quasì iamiamque migraturus, locum frequentabat, pernox in orationibus, sua suorumque peccata lachrymarum fluminibus expians. Cumque noctem totam sæpè duxisset insomnem, sub ipso lucis exortu super mattulam, vel super nudam humum aliquotiès super gradus in ingressu capitolij se reclinans, vix puncto temporis oculis in soporem clausis, surrexit. Cuius contritionis & abiectionis virtus non facilè credebatur in eo, quandoquidem familiarissimis suis non semper innotuerit, & ipse publicis obsequijs vallatus incedens, adspectu ipso tremendus & gloriosus seculi dignitatibus fuerit: qui tamen inter pauperes Christi degens, mitis & humilis semper extitit. Nam vt à fratribus nostris accepimus, cum eis residens, nonnunquàm subridendo intulit: Quàm magnum, quamque terribilem omnibus aulicis, veniens ad eos, me ingero? quomodò caput erecto collo circunducens, sæuos oculos in vnumquenque retorqueo, totum me componens illi, sub cuius vestigia sint omnia ruitura? cùm tamen inter hæc pauidus atque timidus, longè deiectior intùs incedam, quàm vlli patescat fidei. Hæc suis ipse de se confessus est. Cęterùm quotiès curię necdùm pręsens adesse nūciabatur, non laicus, non clericus, non Comes, non alius quis potens, non Episcopus, non ipse deniquè

Monasteriū S. Mariæ ad Gradus, cōstruit.

Capitoliū, dicit domū Capitularē, vt vocant vulgò.

Rex exceptus est, qui non habitum suum aliter excoleret, comam æquaret, gestus quoquè suos eo præsente temperaret.

Vt S. Georgij ecclesiam extruxerit, & quæ mira illic euenerint. Cap. 17.

PRosperis igitur successibus in consummatione templi, quod cœperat, visus, vbì magìs magisque desiderio supernæ iucunditatis æstuabat, exiguos deputans præteriti temporis labores, eminentioris meriti arcem cupiebat apprehendere. Vndè secundò copijs contractis, S. Georgij martyrijs ecclesiam extra murum construxit, annuis redditibus abundantem, iuxa quod exigebat illic congregatio facta clericorum. Ad cuius dedicationem votis omnibus inhians, reliquijs beati martyris adhuc acquirendis præpediebatur: & eccè, sicut ipso referente compertum est, noctе quadam sopore pressus, eundem martyrem ex interioribus oratorij S. Pantaleonis cum ingenti luminis frequentia procedere conspexit. Quem in amictu splendidissimo vultu roseo perfusum, cùm mirantibus oculis ad nouam suæ deuotionis fabricam gradum direxisse specularetur, illo iam ingresso, mox euigilauit. Ilicò diuinæ inspirationis gratia tactus, aliquid suis votis consonum in illo persensit somno: tenebrisque finitis, omnis impatiens moræ, sancti Pantaleonis adiens sacrarium, auspice Deo, brachium præclari martyris Georgij sibi præsentatum, maxima cum veneratione suscepit: idque comitante multitudine, cùm & processio solennis fieret per vestigia, quæ noctu martyr calcare visus est, ad locum, vbi ingressus est, baiulauit. Tunc secundùm consecrationis ritum insistente clero cum pontifice, opportunitatem sermonis habendi tempus & locus expetijt. Repentè igitur tumultu concitato, discursus hincindè fiebat, nemine alium expectante, sed singulis præoccupantibus locum, qui voci prædicantis Episcopi vicinior æstimaretur. Alijs verò parietes, alijs domos & arbores conscendentibus, plurimi duas per grandes trabes, per quas ad ædificium muri dispositus erat ascensus, circuniacebant, innumeris subtus eas conglobatis. Igitur omnibus arrectis auribus & oculis in ora loquentis Episcopi defixis, trabes pressuræ nimietatem non ferentes, cum fragore magno corruerunt, ijs qui super eas erant, pariter ad inferiora labentibus. Cumque molem ruentium turba subtùs stans excepisset, clamor & concursus ingens exortus est, nullo dubitante, magnitudinem periculi mortes plurimorum peregisse. Sed postquàm facto silentio, nullius læsionis vestigium in aliquo repertum est, maior laudis & admirationum vox ab omnibus insonuit: quibus diuinæ virtutis potentia meritum martyris ac sacerdotis tanto gloriosiùs, quanto iucundiùs patefecit. Huius itaque lætitiæ suauitate perfusus sacer antistes, brachium sanctum manibus sumens, ecclesiam ingressus est, resonantibus in hymnis & supplicationum vocibus hinc clero, illinc populo. Intereà splendor igneus cælitùs adueniens, ingredientem cum sanctis sanctum pontificem prosecutus est, visibiliter in templum descendens, perpaucis eorum, qui foris erant, & propè nullis ab hac exceptis visione. Qua de re plùs in exultationis voce cunctis perstrepentibus, ipse tot diuinæ præsentiæ signis exhilaratus, magna cum securitate, magna cum deuotione totius ecclesiastici ministerij cultum peregit.

[Margin: Hodiè intra murũ est. — Ecclesiam S. Georgij condit. — Ingressus est, nos addidimus: videtur enim in exẽplari deesse. — Egregiũ sanè miraculum.]

Vt à quodam ignoto sene admonitus sit Sigebergensis monasterij accelerare structuram. Cap. 55.

DEindè cùm totus in anteriora respiceret, eorum quæ retrò sunt, oblitus, in secreto cuiusdam noctis profunda quiete resolutis omnibus, more suo cœnobium S. Martini transiens, vigilijs nocturnis monachos insistentes aure cordis & corporis audiuit, grauiterque suspirans, ad presbyterum quẽdam occultorum suorum scientissimum, ait: Nunquìd cordis tui ianuam non pulsat, quòd in tota Colonia sopitis omnibus, hi soli diuinę seruitutis solicitudinem habentes, hoc tempore noctis ad psallendum Deo consistunt? Et me quidem nihil dignũ ministris eius exhibentem, cùm in omnibus negligentem mea tulerit infelicitas, quàm maximè monachis hactenùs inutilis vixi. Et cùm pectus feriens hæc dixisset, oculis ad sidera leuatis cum expansione manuum, corde & ore subiunxit: Te precor, vitæ mortisque dominator, & summe pater, te precor, vt huius lucis inducias mihi concedas, donèc tuo munere proficuum quid & in huius religionis viros elaborem. Qua voce cælos penetrante, domũ regressus, primo manè limen beati Petri adijt: vbi residens in crypta secretiùs & psallens, à quodam superueniẽte sene his verbis est admonitus:

[Margin: Cœnobiũ S. Martini Coloniæ. — Ignotus quidam senex hortatur eũ,]

Nè

Nè mora sit, venerande præsul, in extruendo requiei tuæ loco, quem Deo prædestinante in monte, qui à præterfluēte fluuio Sigeberg cognominatur, habebis. Dixerat, & ab adstantibus quasi delusor citiùs repulsus est, Episcopo vim verbi profundiùs, quàm dici possit, excipiente. Cuius abhinc intentio non aliud, quàm id, die noctuque voluens, qualiter ad finem peruenerit, expediendum est. Vt codat Sigebergense cœnobium.

Quo pacto obtinuerit montem Sigebergensem. Cap. 19.

PAlatinus Comes Henricus, vir potentiæ secularis & gloriȩ, tunc temporis inimicitias aduersùs innocentiam Deo dilecti pontificis exercens, cædibus, rapinis & incendijs per omne ferebatur Episcopium, ad deuastationem patriæ præsidio fretus in prædicti montis vertice. Hunc iustis exigentibus causis, anathematis sententia feriens Archiepiscopus, tandem ad satisfactionem coactum captiuumq; traxit. Qui Coloniam veniens, ad eius vestigia ruit supplex & pœnitens, & accepto communionis & indulgentiæ loco, pro gratia se reconciliantis Episcopi, beato Petro montem Sigebergensem dono contradidit. Tunc diù desideratum cernens sibi præsul patére negocium, portentis quibusdam, quæ de monte rumor inuexerat, quasi iam currens, accepto stimulo reddebatur incitatior. E quibus hoc, multis adstipulantibus, non improbabiliter fertur. Palatinus Comes dat S. Petro mōtem Sigebergensem.

Vt signum Crucis multi in eo monte conspexerint cælitùs apparens. Cap. 20.

INteriacente propè milliario, vicus quidam Stieldorp dictus, memorato distat à monte. Huius incolæ Dominicæ diei festo tracti, sub iisdem diebus ecclesiam petentes, cùm licentia populari varia conferentes, liberum quaquauersùm dirigerent intuitum, contra montem prospicientes, repentè signum Crucis cȩlo contiguum, quasi dependens vertici eius imminere cernebant. Quod dum pulchrè ceu colorum varietate distinctum singuli mirarentur, qui prudentiores erant, ingens dicebant esse ostentum, per quod portenderetur, triumphum Crucis inibi digna veneratione frequentandum, cultoribus loci fide Crucis, non armis visibilibus, semper triumphantibus. Signū Crucis in aëre conspicitur.

De visione duobus Græcis oblata, & monasterij in eodem monte ædificatione. Cap. 21.

DVobus quoquè peregrinis ex Grȩcia per idem tempus apud Veronam, quȩ etiam Bonna dicitur, hospitantibus apparuit in visu magnȩ claritatis scala, à vertice montis in cælum vsque subrecta, per quam miri candoris agniculi lætis gestibus asscendētes, ætheris alta penetrabant. Et hoc in bonam partem cunctis interpretantibus, ad ædificium montis, diuersis vallatus artificibus, pontifex accessit: quorum alij arbores succidentes, alij succisas abigentes, alij terram effodientes, alij lapides aduehentes, omnes verò varijs in artibus pari studio feruentes, opus accelerabant, instante desupèr Episcopo & exactoribus eius. Quid multa? De cælis auxilio præstito, consummatio templi prosperata est: quod anno Dominicæ incarnationis millesimo sexagesimosexto, decimo Calendas Octobris, nomini sancti Michaëlis Archangeli specialiter assignans, in honore omnium cælestium Virtutum sub patrocinio gloriosi ducis Mauricij sociorumq; eius consecrauit. Cumque sanctæ Crucis aram sanctificaret, & in eam reliquias imponeret, lux igneo cælitùs radians fulgore, pariter introire visa est. Visio duorū peregrinorū è Græcia. Templū Sigebergensis cœnobij cōsecratur.

Vt visio cælestis ignis inter sacramenta, S. Annoni apparuerit. Cap. 22.

EX quo lætum sumens auspicium, cùm in occidentali plaga monasterij versùs Septentrionem, S. Martini dedicaret * sacellum, post peractum cōsecrationis officium ad altaris ministerium palliatus stetit. Vbi cùm in contritione spiritûs & compunctione cordis seipsum mactans, corporis & sanguinis Christi conficeret sacramentum, inter oculos & manus repentè globus igneus emicans, tremenda voluebatur visione. Isque paulatìm se colligens, totus est illapsus calici. Expauit sacerdos, & vt ipse retulit, præ timore extra se penè factus, hærebat quid ageret. Temerarium iudicabat vltrà manus ad benedictionem calicis extēdere, quem tantæ maiestatis prȩsentia repleuerat: & ediuersò culpam formidabat, si desistens, vniuersalis Ecclesiæ ritum infringeret. Tandèm occurrit animo, spiritusancto reuelante, quod sui erat officij, benedictiones solitas percurrere: cæterùm diuinæ dignationis fuisse, quod visum est, quæ etiam inuisibiliter id quotidiè operaretur. His & similibus

* capellam

Visio S. Annonis sub Missæ sacrificio.

electionem supernam suis arridere cœptis gratanter accipiens, locum augustissimis ædificijs excoluit, & exquisitissimis ecclesiæ ornamentis illustrauit, & amplissimis atque in multorum fratrum vsus sufficientibus prædijs locupletauit.

Vt monachos quosdam ex Italia in Sigebergense cœnobium adduxerit, quantóque studio eos complexus sit. Cap. 23.

Hæc ex Schafnaburgensi, penè ad verbum.

CVm autem in omnibus Teutonici regni monasterijs cerneret antiquum illum regularis disciplinæ feruorem admodùm refrixisse, & monachos à vita communi ad rem familiarem curam omnem studiumque cōuertisse, graui tædio angebatur animus eius, quòd ingentibus expensis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Intereà contigit, vt pro causa Reipublicæ Romam proficisceretur: cumq; nonnullas Italię regiones peragraret, principes eius regni, nè à Rege deficerent, suis exhortationibus confortaturus, ad monasterium quoddam, cui Fructuaria nomē est, causa orationis diuertit. Ibì admiratus monachorum arctissimam, & secundùm Regulæ instituta conuersationem, duodecim ex eis in opere Dei probatissimos secum rediens abduxit, & eos ad tradendum Gallijs eiusdem disciplinæ formulam, in Sigeberg constituit, prioribus monachis, quos aliundè asciuerat, honorificè in locum suum remissis. Quod eius factum imitati cæteri Galliarum Episcopi, alij ex Gorzia, alij ex Cluniaco, alij ex Sigeberg, alij ex alijs monasterijs monachos euocantes, diuini seruitij scholam in suis singuli monasterijs instituerunt: adeoque breuì conualuit felicis huius facti æmulatio, vt pauca intra Galliam monasteria videamus, quæ non iam nouæ huius institutionis iugū subacta receperint. Ipse verò monachos suos, iuxta quod in Fructuaria compererat, cernens arctissimis viuere disciplinis, & conuersationis eorum opinione longè latéque vulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, & eorum magisterio se in via Dei erudiendos tradere, magnas Deo gratias referebat, quòd non confudisset eum ab expectatione sua. Omnem quoquè diligentiam adhibebat, nè quam earum rerum, quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent. Honorabat ac venerabatur eos, vt dominos suos: nec solùm Abbati, sed decanis etiam monasterij ita subditus dictoque obtemperans erat, vt ad primum eorum imperium, quantunlibèt grauibus publicę seu priuatæ rei negocijs implicitus teneretur, ilicò exoccupatis manibus surgeret, & omne quod iussissent, instàr vilis mancipij exequeretur. Cibos summa industria confectos quotidiè, dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potum miscebat, ipse quasì diuinas inter hæc singulorum exosculabatur manus, ipse reficiētibus ad omne obsequium quolibet famulo promptior paratiorque assistebat: intentusque lectori, postquàm omne ministerium peregisset, in ascensu graduum, satis humili contentus sede, quiescebat. Silentium quoquè ac cæteras monasterij consuetudines, dum inter eos versaretur, ità attentus solicitusque seruabat, acsì pro excessibus suis ipse quoquè quotidiè in capitulo eorum causam dicturus, & sententiam accepturus foret. Nullus vnquàm pater tali erga filios ducebatur affectu, nulla mater. Omnes vt se diligens, singulis compatiebatur, & animam suam pro vnoquoque paratus impéndere. Hoc eius in Sigeberg, hoc in Saleuelt, hoc in Grascaf, locis scilicet pòst ab eo constructis, studium erat, hic mos, hæc institutio.

Ex Italia adducit monachos in Sigeberg.

Quàm reuerēter eos habuerit.

Silentiū seruat vt monachus, & cęteras monasterij cōsuetudines

Quanta à Rege perpessus sit iustitiæ causa, quantíque fecerit Sigebergensium monachorum preces. Cap. 24.

Modò charissimus, modò planè inuisus est Imperatori

POrrò à Rege grauissimis sæpenumerò dissidens inimicitijs, nunc quidem in summam familiaritatem, & penè in regni consortium ab illo assumebatur: nunc verò, quoniam ea quæ in regno pręter æquum & bonum perperàm gerebantur, vehementer detestaretur, & acerrimè impugnaret, cum cōtumelia de palatio eijciebatur, & ad extinguendum nomen eius, totum regni robur concitabatur. His vicissitudinibus per plures annos cum Rege concertationem habens, semper velut ad turrim fortitudinis recurrens, Sigebergensium fratrū preces in auxilium asciuit. Vndè quodam tempore Rege pessimis aduersùm se consilijs inflammato, pergens ad curiam, fratribus in horti cultura generaliter repertis, ait: Commotionis & indignationis regiæ non inscius, iturus ad palatium, Deo me vobisque cōmendo. Vos clypeus meus estis; vos præsidiū meum estis: vos inquam, filij dilectissimi, omnia mea estis. Nulla mihi spes in militibus meis, nil præsumptionis est in armis eorum.

In periculis ad monachorum preces recurrit.

In

In fide loquor: maior mihi fiducia est in vobis, quàm in omnibus illis. Itaque sit in benignitate Saluatoris, & in potestate vestræ dilectionis, quemadmodùm à Rege vel à suis excipiar. His dictis, profectus est, & plerunquè per imperium eius, qui ponit terminum mari, Rex à feruore cordis sui desistens, cùm paulò antè necem, vltimumque, si copia fieret, exterminium Annoni & omnibus, quæ eius essent, minaretur, eo veniente, quasì diuinitùs impulsus surgens, osculum pacis ei cum magna dilectione porrexit. Quapropter in stuporem versi quique circunstantes, inter se susurrabant: Vbì nunc iræ? vbì minæ? vbì tot insultationes paulò antè habitæ? In his omnibus Dominica vox consideranda est, quæ sic promittit: Ego me glorificantes glorificabo. Et reuerà non modò nostris, sed & retrò temporibus difficilè inuentus est, qui tantam præ se ferret maiestatem ad seculum, tantam humilitatem erga Deum.

Ierem. 5. Hæc mutatio dexteræ excelsi. 1. Reg. 2.

Quæ priuilegia Sigebergensi monasterio attribuerit. Cap. 25.

IGitur postquàm voti sui compos, monachos suos in diuinis rebus ad omnium imitationem singulariter florere conspexit, omnem pro eis solicitudinem in futurum extendens, publicæ excommunicationis & æternæ damnationis vindictam protulit in omnem hominem, quicunque eis ad nocendum pertinax & malitiosus incumberet. Deindè authoritatis suæ sigillo roboratam paginam fecit, in qua sub eadem contestatione decreuit, nè quis primam monachorum illorum consuetudinem immutare præsumat: nè quis Abbatem ad aliquod curiale seruitium, aut non regulare officium constringat: nè quis Episcopus, vel suorum quisquam eo loco standi potestatem habeat sine licentia Abbatis: nè quis aduocatus aut subdefensor, nisì quem voluërit Abbas, eidem monasterio vel bonis eius constituatur. Et vt maior his constitutionibus inesset authoritas, priuilegium Apostolicæ sedis Romam pergens expetijt, quod adhuc in pace & concordia agente Ecclesia, in hæc verba rescriptum accepit.

De Sigebergēsibus quæ statuerit.

Literæ Alexandri Pontificis. Cap. 26.

ALexander Episcopus, seruus seruorum Dei, Annoni Archiepiscopo sanctæ Coloniensis Ecclesiæ, in Christo Iesu fratri charissimo. Quod à nobis, Deo dilecte frater, expetis, ex officio suscepto & auctoritate Apostolica vniuersis debemus ecclesijs. At mihi tecum, in Deo dilecte frater, aliter agendum est, quippè apud virum religiosum, & reuerà tam operibus, quàm nomine Episcopum. Itaque ex parte Domini nostri Iesu Christi, & sanctæ Dei genitricis Mariæ, sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli, omniumque sanctorum & electorum Dei, confirmamus & coroboramus Abbatiam illam in perpetuum: nè qua persona magna vel parua, non aliquis successorum tuorum, non Rex aut comes, nullus, inquam, hominum ex ea quicquam ad destructionem loci demoliri audeat: verùm omnibus inibì collatis atque conferendis, pax sit permanens & inconuulsa: & prima ista, qua modò instituuntur, apud monachos permaneat consuetudo, sitque illis de Abbate libera electio. Si quis huius nostri priuilegij temerè violator extiterit, perpetui anathematis vinculis se innodandum nouerit, nisì fortè resipiscens, dignè satisfecerit. Qui verò pia deuotione obseruator esse studuerit, peccatorum suorum omnium consequatur veniam, & æternæ beatitudinis gloriam mereatur. In quibus Papæ dictis facilè datur aduertere, quantæ sanctitatis & venerationis iste nostrorum temporum singularis præsul in pectore tanti Pontificis habitus sit, quem virum religiosum, & reuerà tam operibus quàm nomine Episcopum, sic vigilãter appellauit. Exemplar quoquè regalis decreti ponimus ex parte, nè lateat lectorem, legitima præfati cœnobij non leuiter infringenda.

Vide quid Pontifex de illo testetur

Habes hic ætatem Authoris huius historiæ.

Item scriptum Imperatoris. Cap. 27.

HEnricus diuina fauente clemẽtia Rex. Cunctis Christi cultoribus, nostrique fidelibus, tam gignendis, quàm modernis innotescat, qualiter charissimus nobis Anno Archiepiscopus monasterium, quod in monte Sigeberg construxit, nostræ tutelæ & defensioni subdidit, & mercatum, telonium, monetam atque prædia, cum omnigenis ad hoc quæsitis & datis, siue quærẽdis & dandis vtilitatibus, nostra regali authoritate firmari & corroborari postulauit. & post aliqua: Itaque monasterium & omnia, ad hoc pertinentia, in nostram accipimus defensionem, & regio more hanc indè conscriptã chartam, propria manu corroborauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Imperator idẽ monasteriũ in suã defensionẽ accipit.

Vt alia duo monasteria S. Anno condiderit. Cap. 28.

Apoc. 22. Alia duo extruit monasteria.

POst hæc prudentissimus pontifex, adhuc huius vitę dies sibi concessos videns, ob id quod scriptum est, Iustus iustificetur adhuc: duas monachorum congregationes addidit: vnam in regione Vuestfalorum, loco qui dicitur Grafcaf: aliam in confinio Turingorum & Sclauorum, loco qui dicitur Saleuelt. quarum prior in honorem S. Alexandri martyris & sex fratrum eius: sequens, in honorem principis Apostolorum ab ipso consecrata est. Has structuris & prædiorum sumptibus abundè ditatas, ad normam Sigebergēsium viuere instituit, adductis illuc eiusdem cœnobij fratribus. Tunc demùm numero quinque virginum prudentium perfectè admissus, non in visu, non in auditu, non in gustu, non in odoratu, non in tactu sponsi venientis offendere dignus erat vultum, per singulos sensus deputatis, qui perpetuis orationibus, vigilijs & eleemosynis, digno cælestis Regis conspectibus ornatu, & viuentem eum & mortuum excolerent. O verè felix, nimiumque felix, qui tantorum fultus intercessionibus, si quid per quinque sensus deliquisset, venia poterat aboleri facili. Cuius dilectioni quam vicem debeant sui alumni, magnoperè singulis curandum est: qui totus in ipsis, vt vnica mater vnico pendens in filio, nonnunquàm corporis debilitatē sustinuit ex compassione, qua erga illos afficiebatur. quod vno satis elucebit exemplo.

Matt. 25.

Vt quandoquè febri laborans, nihilominùs in cœna Domini pedes suorum abluerit, & paulò pòst mirè curatus sit. Cap. 29.

INstabat aliquandò Paschalis festi singularis & iucunda celebritas, & confluentibus Coloniam non solùm ex omnibus prope Rhenum ciuitatibus, sed & de transmarinis, & adhuc remotioribus prouincijs absque numero populis ad nundinas toto orbe celeberrimas, fiebat vt ex ipsa frequentia geminum Coloniensibus immineret tripudium. Verùm, quod huius lætitiæ pulchritudinem magna poterat ex parte fuscare, vehemens febrium ignis inuasit Episcopum: qui & decidit in lectum. Cumque Dominicæ cœnæ dies illuxisset, & ipse membris omnibus defatigatus, ministerium sacri mandati se desperaret implere posse, quod speciali semper deuotione suo tempore frequentare solebat, maior ex tristitia morbus cordis eius intima penetrauit. Cœpit enim varijs intùs æstuare cogitationibus, qui foris ęstuabat febribus: & nunc quidem, nè fructu tam pij priuaretur obsequij ad id exequendum modis omnibus surgere definiuit: nunc verò perpensis imbecillitatis suæ viribus, vix ad primum motum sufficiētibus, stultitiæ proximum iudicauit id conari velle, quod, nullo dubitante, facultatem excederet. Hoc gemino cordis conflictu die cōsumpto, aderat hora, qua Rex summus, trementibus Angelis, seruorum vestigia petens, humilitatis suæ exemplum factis & dictis fidelibus suis ingessit. Quod piùs vir intimo mentis oculo considerans, in maximam afflictionem incidit, dum timuit ab eius excludi consortio, quem in hoc facto non imitaretur & infirmus. Tum verò totus versus ad preces, petijt vt omnium Dominus, cui præstò est, cùm voluerit, posse, suis adesse dignaretur desiderijs, concessis viribus, quas intentio pia supplex exigeret: præmissoque puero, fratribus mandatum direxit, vt breuissimo temporis interuallo, se, sine dubio venturum, sustinerent. Illis inopinato nuncio retentis ab officio sacro, postquàm cunctantiùs Episcopi præsentia offerri cœpit, priores expectationis tædio exacerbati, miserunt ad eum, dicentes: Nobis quid expectemus ignorantibus, hora pertransijt, & iam nocte vicina, hodierni diei reuerentiæ in imminutione diuini cultûs, non sine dolore plus iusto certè detrahemus. Mox igne charitatis, febrium ignes mitigante, lectum relinquens pontifex, fratres adijt, & ex more linteo præcinctus, ad ablutionis mysticæ ministeriū præter spem omnium processit. Hic quàm humiliter, quàm piè, quàm deuotè velut ad ipsius Domini vestigia procubuerit, quomodò per singulorum pedes lachrymans, eos capillis venerādi capitis sui terserit, & osculo suppliciter honorauerit, illam quondàm pœnitentem Mariam in oculis cordis semper habens, lectoris prudentię derelinquo. Sedentibus autem singulis in ordine suo, congregatio beatę Mariæ semper virginis, ipsius olìm studijs elaborata, iuxta suam dispositionem vna nihilominùs tenebatur in parte. Ad quam, consummato in cæteris charitatis suæ & deuotionis opere, veniens, intimo dilectionis oculo defixus in illam, recordabatur & aliarum in Christo per se cōgregatarum. Interim & prior ad animum redijt infirmitas. Hinc factū est, vt suorum quādoquè desolatio cor eius pulsans, tanta

Nundinæ Coloniēses.

Ardenti febre laborat vir sanctissimus.

Obserua sancti viri piū animū.

Ioan. 13.

Charitas vincit morbi vim.

Nota lector

Luc. 7.

subitò

subitò miseratione eum commouerit, vt dolore correptus, in terram rueret, iamque moribundus, & omni membrorum officio destitutus, gestantium manibus ad lectum reportaretur. In eádem infirmitate triduò iacens, respiciente Domino piam eius solicitudinem, qua timebat nè grex suus sacri verbi pabulo per sancta solennia careret, in ipsis Dominicæ resurrectionis vigilijs mirabiliter sanatus est. Cùm enim matutinalia signa insonuissent, repentè quasi diuino tractus instinctu, prosilijt è lecto, & à reclamante puero cubiculario, qui eum doloris insania suspicabatur agitari, calceamenta cum vestimentis vix extorquens, ad ecclesiam lætus processit. Porrò cunctis in admirationem versis, ipse cum alijs cantans, & psalmum dicens ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi: ad tertiæ quoquè lectionis enunciationem accessit, solito iucundiùs & hilariùs eam perlegens. Ex hoc pastor bonus ouium, pulchris & paschali cultui condignis alludens tripudijs, generale gaudium suis extulit & cumulauit gaudijs, totam solennitatis illius instātiam tam iucundè, tam deuotè, tamque studiosè peragens, vt nulli dubium esset, quin ad hæc peragenda, dextera Christi resurgentis eum à lecto doloris erexerit.

Subitò mirabiliter reualescit.

Psal. 67.

De eius fama celeberrima, & studio erga monasterium Saleueldense. Cap. 30.

PRætereà cuius famæ vel nominis vir tantarum inter suos virtutum, apud exteras quoquè barbarasque nationes fuerit, hinc æstimari potest, quòd Anglorum Danorumque Regibus amicitia iunctus, donis & legationibus eorum crebrò honoratus est: quòd Henricum Imperatorem in Pannoniam persecutus cùm regno patriaque pulsum, & ad se profugum Hungarorum Regem reduceret, ipse per industriam suam in subiugandis hostium castris, cunctis illic armis plus præstitit & effecit: quòd cum epistolis legatos suos ad Græciæ Regem direxit: qui reuersi, Dominici ligni partem non modicam, aliaque regalium donorum insignia Rege transmittente, ipsi præsentârunt: quodque Regina Polonorum, ex Teutonicis oriunda, fama nominis eius ducta, ad inuisendum eum properauit, eiusque ditioni Saleuelt, & quæque cohærentia concessit, acceptis ab eo variarum specierum & precarij condignis precijs. In quo loco, sicut paulò superiùs commemoratum est, cœnobium construxit, quod speciali quadam veneratione semper dilexit, tum propter expertam inibì cælestis gratiæ præsentiam, tum etiam ob lucrum paganæ gentis, in circuitu commorantis. Nam frequenter tumultum Coloniæ declinans, illuc secessit, vbì spiritualibus studijs occupatus, quædam diuinæ laudis carmina vel hymnos composuit, quibusdam etiam reuelationibus interfuit, & contemplationi vacans, futuræ quietis dulcedinem prægustauit.

Exteri quoquè Reges eũ venerantur.

Componit hymnos quosdā.

Vt crebrò testatus sit, sibi nec nummum vnum reliquum esse. Cap. 31.

CVm autē diuitijs & gloria cunctos in regno præcederet, quod forsitan fidem excedit, sæpè nec nummū, & propè nec nummi precium sub sui iuris custodia reperit. Quicquid enim ab huius mundi diuitibus vel emendo, vel in precariā accipiendo, vel aliter acquisierat, mox in pauperes, vel ecclesiarum ministros expendit: hoc propositū habens, nè minimam saltem rem in omni proprietatis suæ iure moriens post se relinqueret. Deniquè nunc multis, nunc paucioribus, aut certè singulis è fratribus nostris, coram eo positis, Quid, inquit, hominum æstimatio me quasi magnum diuitemq; celebrat? En exceptis vtensilibus capellulæ, ministerijque pontificalis & hoc annulo, nescio me saltem vnum hodiè possidere denarium. Nec enim inexplebilis auaritiæ thesauros meis congrego claustris, vndè vel Regis, vel suorum vita periclitetur, aut ingluuies satietur, eorum edacitati me satis in hoc obuiante, vt nec assem vnum oculos claudens, inter illorum vngues relinquam. Cuius verbi quis finis fuerit, patet ex eo, quòd in ægritudine, qua mortuus est, alienis fouebatur operimentis: quotiesque manibus ferebatur in occursum sanctorum, quos iam infirmus in suis liminibus ipse visitare non præualens, ad se visitandum plerunque deferri voluit, habitu proprio carens, interim ab aliquo canonicorum contegi necesse habuit. O quantus Ecclesiarum defensor ille extitit, quàm impenetrabilis inimicis Christi murus: non ex illis, in quos prophetia dirigitur, Non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini: qui summi pastoris imitator bonus, animam suam pro ouibus suis obtulit, dum nunquàm more mercenarij lupis ingruentibus cessit: sed semper eos aut verbo seuerissimæ increpationis, aut gladio iustissimæ excommunicationis

Omnia sua ecclesiarum ministris & pauperibus elargitur.

Ecce paupertate voluntariam tanti principis.

Ezech. 13.

Ioan. 10.

insecutus est, interdùm etiam impudentiores quasi militari manu deterrens, porrò contra omnes orationis inuictæ scutum arripiens. Extant eius innumerabiles pro Ecclesia sudores, nec possint cõmemorari omnia, quæ pertulit ab impijs. vnum duntaxàt, in quo potissimùm orationis eius vis & efficacia cognoscitur, ad terrorem eorum, qui nunc quoquè cælis inuecto impudenter obloquuntur, inserimus: vt vel serò resipiscentes, quid, cùm Christo viuens, possit, attendant; quem carne tectum, tantum potuisse forsitan mirabuntur.

Quæ à Comite Palatino perpessus sit, & quid illi Comiti tandẽ acciderit. Cap. 32.

Sigeberg, Latinè Victorius vel Victoriæ mons.

POstquàm mons Sigebergensis, qui vertitur in victoriam, victor vtiquè vitiorum, tradente Palatino Comite, ditioni S. Petri cessit, idem magnæ tyrannidis vir, quasi sopito peruersitatis igne, Gorziam venit: vbi deposito pompæ secularis cingulo, monachicæ paupertatis habitum sumpsit. Egit hoc arte sua diabolus, qui substantiæ spiritualis & angelicæ dignitatis creatura, per subtilitatem naturæ suæ nonnunquàm ex anterioribus futura perpendit, & semèl obnoxios gehennæ, mille circunueniens dolis, dupliciter filios eius efficit. Hac vsus fraude circa virum hunc, eum post aliquod tempus à professione fallaciter vsurpata deturbans, amplexus coniugales resque familiares repetere suasit, & coniunctis sibi nequitiæ suæ septem spiritibus, cor eius intrans, in omnem deincèps flagitiorum voraginem præcipitauit. Is exosos habens omnes Dei seruos, vtpotè refuga, bella mouit, seditiones concitauit, & ad suæ perditionis cumulum, ad extinguendum nomen celeberrimi tunc pontificis Annonis, Agrippinensem vrbem post rapinas & incendia, post cædes & detruncationes plurimorum, hostiliter aggressus est. Ibì cominùs cum armatorum multitudine sedens, omnia per circuitum quasi sæuus aper deuastauit, ignem pariter & ferrum miscens. Interìm sacer pontifex intrinsecùs cilicio tectus, minori pro se, maxima verò pro commisso sibi grege solicitudine æstuans, die quadam cùm processisset ad murum, vidit procùl ignem micantem, & vicorum nupèr incensorum flammam fumumque in sublime conscendere, incolis ex vno latere fugientibus hostes, ex altero ignes. Ad quod spectaculum pastor pius intimo dolore traiectus, non aliter, quàm si gladijs omnium confoderetur hostium, ingemuit, & miserabilem emittens vocem: O me miserum, inquit, ô me peccatorem, & ô nimìs infelicem, quem tanti mali, tanti doloris, proh dolor, inspectorem ætas ingrata protraxit in hanc horam. Moxque loco cedens, intra matricis Ecclesiæ limen sese recepit, & ante protectoris sui sancti Petri memoriam ruens, has lugens & eiulans edidit voces: Heu heu Domine, quid commeruit grex & ouile tuum, vt sic rabidis luporum dentibus expositus, eorum morsibus attrectetur, eorum faucibus deuoretur? Se lædentes non læserunt: læsi vicem non rependunt, gratìs iugulantur, sine causa sedibus pelluntur, & quicquid pœnarum pessimus quisque dictante iustitia luit, hi, sola imperante crudelitate, longè duriùs exoluunt. Eccè qualis clamor viduarum, quantæ pupillorum & orphanorum miseriæ, quot pauperum contritiones te susceptorem eorum, te iudicem eorum, iamiam necessariò prouocant ad iudicium. Miserere, pacisque nobis serenum adspira diem, in eum, cuiuscunque causa talis Ecclesiæ tuæ tempestas imminet, tuæ vindictæ determinans sententiam. At verò Coloniensibus ad arma conclamantibus, ac pro defensione ciuitatis hostiles impetus bellicis apparatibus hac illac per murũ obseruantibus, tyrannus quidem velut dissimulans, in castrum suum, quod Cochomo dicunt, se contulit: magìs autem, vt viribus & multitudine se sequentium illic adunatis, iudicium sanguinis cum Episcopo eiusque administris publicè committeret. Contra quem cùm Episcopi milites nihilominùs omnibus armarentur viribus, & studio partium quidam consanguinei cum Palatino, quidam cum Episcopo ordinarentur, essetque ciuilis belli periculosissima cunctis suspicio, sanctus pontifex graui pressus angustia mentis, quod è duobus tolerabilius eligeret, ignorabat. Si superbiam hostis armis humiliare decerneret, occurrebat inhumana crudelitas, & miserabile scelus, cùm frater fratrem, gener socerum, socer generum hostiliter prosternerent. Si verò aliter vellet, imaginarijs oculis expugnandæ vrbis miserias, ecclesiarum destructiones, clericorum vel monachorum contumelias, viduarum pauperumque necessitates, postremò iuuenum & senum indiscretas cædes attendebat. In huius articulo necessitatis quod primum, quod maximum, quodque certissimum erat solatium, totum se contulit ad Dominum, cum ieiunijs litanias ordinans, & diuersa sanctorum oratoria lustrans.

Comes Palatinus fit monachus.

Deserit monasterium.

Vastat ditionẽ S. Annonis.

Episcopus se munit cõtra eũ precibus, ieiunijs &c.

lustrans. Iamq; futurus quasi præsens timebatur hostis, & sacerdos cum populo circuiens, tristes meditabatur causas, nec tamen à psalmorum modulatione cessabat. Cumque ordine venisset ad * tricesimumquintum psalmum, cuius est initium, Iudica Domine nocentes me, atque in eum altiùs intenderet, ex ipsa psalmi conuenientia dolor cordis eius increscebat. Vbi autem ad versiculum illum, Veniat illi laqueus, quem ignorat: ventum est, quasi præsagio quodam de aduersario tactus, infremuit spiritu, lachrymisque cum voce prorumpentibus, eundem, diacono stupente, denuò repetiuit, dicens: Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio quam abscondit, apprehendat eum. Hoc quomodò protulerit, orantis'ne affectu, an potiùs spiritu prophetantis, vel, vt meliùs reor, vtroque modo, historiæ nil obest: quandoquidem paucis euolutis diebus, laqueus, quem prædixit, incomprehensibili superni arbitri iudicio tam terribiliter hostem ipsum irretiuit, vt inaudito seculis furore, vxorem suam, propter cuius mortiferam dulcedinē apostatauerat, proprijs manibus interficeret. Nam militum præfectis bellantium acies foris instruentibus ad futuram, quæ sperabatur, cum Episcopo congressionem, ipse residens in cubiculo iuxta suæ cupidinis sociam, irascente Domino, nec diutiùs calamitates innocentium sustinente, in amentiam versus est, ac mox dependentem arripiens bipennem, dilectæ coniugis Adelheidis caput feriens amputauit, cursuq; fores egressus, plausu manuum & cachinno, quid egisset, insanientis, vt erat, more exposuit. Exhorruit ad tam triste piaculum omnis ætas, omnisque conditio, cessauitque tam operosa bellicæ conuentionis apparatio, singulis ad propria recedentibus. Ipse verò princeps & author seditionis captus, vinculisque à suis iniectus, quandiù superuixit, furiosus & impos suî mansit, proprijsque calamitatibus contentus, in alienam cladem ampliùs grassandi nec copiam, nec voluntatem habuit. Tunc pius sacerdos, vnicum cælestis magisterij suis temporibus exemplar, opere complens illud Dominicum, Orate pro persequentibus vos, & benefacite his, qui oderunt vos: mulierem miserabiliter interemptam, officiosè ac nimis flebiliter terrę commendauit, filium eius in sua suscipiens, affectu benignissimo nutriuit, multisque beneficijs indulgentissimè remunerauit. Exindè Colonia pace repleta, pastoris sui iucundabatur in operibus: qui non solùm diuersis misericordię deditus erat officijs, alens egentes, vestiens nudos: sed & ecclesiasticæ religionis decus amplificauit, monasteria construens, ministris Dei necessaria procurans, & semper in perquirendis & honorandis sanctorum cineribus infatigabili satagens studio.

*34. | Palatinus suā vxorem interficit. | Mente captus. | Vide iudicium Dei, & time. | Matt.5. | Studiū eius erga sanctas reliquias.

Vt beati Innocentij Thebæi martyris corpus in Sigeberg adduxerit. *Cap.* 33.

CVius rei desiderio tempore quodam Romam ingressus est, Romanorum Archicancellarius, suæ deuotioni pariter & Ecclesiæ consulturus vtilitatibus. In quo negocio non paruò illic tempore insumpto, Apostolicæ benedictionis impetrato commeatu, se cum suis ad regrediendum ocyùs absoluit. In eo autem positus itinere, precibus contendit ab Adelheida, tunc Alpium Cottiarum Marchionissa, vt Thebęæ regionis reliquias, eius authoritatis iussu mereretur ab Agaunensibus. eius quippè ditionis erat locus ille. Quò perueniens, licèt splendè ac populariter, vt non solùm Archiepiscopum Coloniensium, sed & Archicancellarium totius Italiæ decebat, exciperetur, consilio tamen & prudentia magis, quàm potestate, sibi censuit illic agendum. Proindè donis & promissionibus ad voluntatem suam flexum habens sacratum ædium custodem, remotis aliarum personarum impedimentis, in secreto noctis paucis suorum admissis, ecclesiam ingressus est: vbi sacratissimum beati martyris Innocentij corpus vnà cum capite sancti Vitalis, reuerenter extulit, & tam sui voti prosperitate, quàm etiam suspicione alicuius in populo perturbationis actus, profectionem maturiùs imperauit. Christo ergò viæ prædūce, post emensum peregrinationis suę pelagus, mœnia Sigebergensis cœnobij contingens, sanctarum reliquiarum thesaurum aurò preciosiorem, cum magno populorum tripudio, qui eo die confluxerant, illuc intulit tertio Idus Maij, qui dies Dominicæ ascensionis tunc gaudijs illustrabatur, ab incarnatione Domini post millesimum sexagesimumnonum anno septuagesimo vertente, fratribus cunctis & de patrocinio cælitùs collato, & de præsentia diù desiderati patris pio gaudio solenniter sese agentibus.

Infert in Sigebergense monasteriū corp' S. Innocētij martyris.

Vt sancti Cæsarij brachium ab Vrbe Coloniam attulerit. *Cap.* 34.

Hoc

HOc rumore Colonienses quoquè tacti, frequentia magna Cleri simulque plebis, cum ciuitatem sanctum post hæc ingredientem, susceperunt. At ille, nè quas ex Italiæ diuitijs opes aduexerat, suæ sedis conciuibus minùs communicâsset, elegantis artificij * sacellum, templo S. Georgij contiguum, instruxit, reponens in eo, quod à Roma detulerat, dignum veneratione martyris Cæsarij brachium. Quod vt Apostolici nominis dignitas celebrius redderet, in honorem S. Iacobi sacraturus illud venerabilis pontifex, cum populo processit: & eccè vorax incendium eo iam, vt mos exigit, infulato, repentè ciuitatem versùs Orientem inuasit minaciter. Tunc turbis ad eius extinctionem sese certatim subtrahentibus, & Episcopum vix paucis ex tam nimia, quæ confluxerat, multitudine septum relinquentibus, ille tanto mœrens impedimento, cùm caput intra manus deponens, paululùm resedisset, quasi respōso diuinitùs accepto, Non, inquit, suæ virtutis vim ignis, qui fraude malitiosi serpentis emersit, in periculum aliquod huius vrbis hodiè exeret: tantùm plebs de hoc secura redeat, vt in consecratione filiæ matris nostræ, sanctę scilicet Ecclesiæ, beneplacitum Domino ministerij nostri persoluamus obsequium. Protinùs reuerso populo, flamma nihilominùs emoriens defecit. Itaque iuxta ritum institutionis Ecclesiasticæ, cunctis in dedicādo sacerdotem prosequentibus alacriter, vbì tempus expetijt, eminentioris loci petens apicem, mellifluis & compunctione plenis exhortationibus circunstantes alloqui cœpit: cùm repentè per insidias inuidiosi hostis, edax denuò consurgens ignis, turbationem non minimam sacri verbi auditoribus incussit. Quos forti commonitione, nè loco mouerentur, retinens Episcopus, omnibus in periculis primum asseruit præsidium, laudibus Christi nullum præponere periculum: ipsos oculis inspecturos, si tantùm stare deliberâssent, quàm velox, nemine obsistente, furentis incendij fieret interitus. Adhuc eo talia prosequente, cùm nonnullis contrà facientibus, cæteri pro verbi Dei reuerentia gradum fixissent, adspicientibus cunctis, velut inundatione desupèr fusa, momento temporis totus oppressus est ignis, & ad maiorem Christi gloriam, regnāte non minimùm super eos incendio, quos ardor auaritię non passus est in audiendo sacerdote perdurare, ij, qui verbis eius assensi fuerant, ne leuis quidem scintillæ vestigium in omni supellectili sua repererunt. Vndè materiam dicendi sumens Episcopus, in longum protraxit sermonem, multa de dæmonum insidijs, multa de Dei clementia differens: finem, non initia, in Christianis quæri: cæterùm cœpisse bonum, nec perfecisse, non modò nulli mercedi, sed & supplicijs obnoxium affirmans. Postremò in extollendis sanctorum laudibus immorans, hoc relatione dignum, cunctis suspirantibus, annexuit.

* Capellam

Hodiè est ecclesia parochialis S. Iacobi.

Sētētia memorabilis.

Ignis miro modo extinguitur.

Relatio eius de quodam Andrea mortuo, sed paululùm reuiuiscente. *Cap.* 35.

IN vrbe Roma vir quidam Andreas nomine, non opere, diuitijs & vitæ delicijs affluens laxæ conuersationis amplam terebat viam, animam oneri, corpus habens voluptati: cui præter nomen Christianitatis & emortuam fidem, Christianę religionis nihil videbatur inesse: excepto, quòd beato Cæsario martyri deuotus, ecclesiam eius cum cereis frequentare solebat. Hic generali mortis conditione pręuentus, serò suî pœnitens, vltimum efflauit spiritum. Nec mora, corpus in feretro compositum, flentium & plangentium amicorum tristi ambiebatur obsequio, sepulturam eius ob quædam impedimenta in diem alterum differentium. Itaque protractis ad medium noctis excubijs, alto silentio cunctis, altoque stupore perfusis, repentè feretrum moueri cœpit: eleuansq; caput, qui iacebat exanimis, cùm vndiquè circunspiciens, ampliorem videntibus terrorem incussisset, fugæ præsidium nonnullis arripientibus, omnibus verò pariter mente consternatis, in feretro resedit. Interim prudentiores fiducia nonnihil resumpta, procùl quibusdam subsistentibus, propiùs accesserunt, & inspecto diligenter homine, quid rei contigisset, sciscitati sunt, vtrùm phantasijs diaboli luderentur, an insueta mortalibus lege ab inferis rediuiuus emersisset, vel, quod magìs erat in suspicione, languoris immanitate pro mortuo habitus, oculos tantùm intuentium fefellisset, cæterùm vitam non planè amisisset. Ad hæc ille grauiter suspirans, Non, inquit, simulatè, sed verè mortis incidi sortem: at verò perpetuæ mortis sententiam & in anima & in corpore, proh dolor, luerem, si Cæsarij martyris Deo digna non intercessisset supplicatio. Subiungensque secundùm tenorem interrogantium, vbì fuisset, quid vidisset, & vt redijsset, ità ait: E corpore violenter eiectus, ad terribile nimisque pauendum Christi solium ducębar. Ibi circunstantibus cum tremore millibus Angelorum, ego miserrimus conscientiæ reus,

Homo mortuus reuiuiscit.

Vide quid conferant sanctorum patrocinia.

reus,nec oculos in quenquam illorum supplex attollere præsumebam: solum modò districti iudicis tristem sententiam accipiens, à teterrimis & horrore plenis dæmonibus ad æternæ damnationis loca trahebar absque misericordia. Pectusque feriens, ac nimis flebiliter ingemiscens, Illius, inquit, horæ miseria nullis dignè exponenda verbis, mei cordis memoria nunquàm elabitur. Cumque me flentem procacissimi dæmones cachinnantes, meisque casibus insultantes, ad perditionem atrociter impellerent, preciosus martyr Cęsarius, meis calamitatibus piè commotus, cum fauore sanctæ Dei genitricis, sanctorumque Apostolorum & martyrum, prócidit ante Dominum, vulnerum suorum stigmata demonstrans, & dicens: O clementissime Domine, tremendi nominis tui causa hæc quondàm libẽter excepi, nec erat in his perferendis, licèt caro gemeret, vlla reluctatio mentis: dummodò temporalium tormentorũ asperitate corpus semèl enecatum, nullis deincèps tristitię stimulis vel animam, vel carnem, te præside, afficeret. Quid itaq; te, qui pius es, inspiciente nouis in corde doloribus denuò premor? Eccè qui meo credulus patrocinio, vitam suam mihi commisit ex integro, præceps impellitur ad inferos, iamque meritò stultitiæ arguitur, qui vana spe seductus, me coluerit vt vitæ suæ gubernatorem, quem in alleuandis saltem supplicijs habere non possit intercessorem. In his vocibus eo coram Christo Rege iacente, pijssima Dei genitrix virgo Maria, cum reliquis sanctis se adiungens, filium & Dominum suum ad voluntatem martyris sui flexit: per cuius imperium pessimis dæmonibus ereptus, iam veniæ securus & vitæ, corpus ad hoc reinduere iussus sum, vt his cognitis, vnusquisque suæ salutis solicitior reddatur. Hæc homine perorante, cùm adstantes stupor inuaderet, collegit se super feretrum, & obijt. Tali conclusione rem doctor egregius finiens, omnes suspirijs & compunctione, quod audierant commendantes, mox allocutus est: Et vos fratres, vosque sorores, huius considerationem facti in cordiũ vestrorum secreta admittentes, ad quemcunque deuotionis & seruitij cultum vosipsos sanctis Dei offerte, vt extremæ tribulationis angustijs arctati, quemlibet sanctorum tanto lætior quisque vestrûm illic patronum experiatur, quanto deuotior hìc in eius vixit obsequio. His ab eo dictis, nos ob id, quod paulò antè attigimus, docuisse scilicet eum, omnibus in periculis primum esse præsidium, laudibus Christi nullum præponere periculum, memorabile quiddam, ipsius ore celebratum, subijcimus, vndè possit adstrui, quod eum proposuisse non falsò testati sumus.

Intercessio Sanctorum.

Sancti honorandi & inuocandi.

Alia eius relatio de puella, quæ moriens dæmonum turbas vidit. *Cap.* 36.

Antiquę structurę monasterium, titulo S. Cęcilię virginis & martyris, Colonię frequens habetur, in quo sacrarum fœminarũ exemplo, puellaris innocentiæ & ætatis infans quędam dulcissimo nutriebatur affectu, omnibus, & pręcipuè matri congregationis, vnicè chara. Verùm immatura superueniens mors, tam læta principia simplicis & iucundæ indolis, amarissima sorte turbauit, iacebatque iam omnium oculis onerosa, quæ fuerat antè gratissima. Lugenda sanè conditio nostra, quæ non solùm nos in nobisipsis vltimę separationis ineuitabilẽ necessitatem cogit pati, sed & in amissione charorum quotidiana, proh dolor, strage mortificat. Sic omnes homines quotidiè patimur: sic & tunc prędictæ sorores passæ, puellam in extremo spiritu constitutam ocyùs amissuræ, post vespertinos hymnos hora Completorij iam instante, chorum petiêrunt, vt sua Domino redderent, mœstæ de suis. Necdùm verò primorũ modulatio psalmorum inchoatione sequentium plenè perfecta est, cùm subitò tactu signi notissimi sorores ad egressionẽ animæ migrantis euocatæ, non sine magnæ præuaricationis audacia singulę chorum relinquẽtes, diuinæ laudis opere neglecto, ad morientem quasi suffragium, magis autem periculum ex hoc allaturę, concurrebant. Ad quarum introitum oculos, mortis sopore clausos, puella violenter aperiens, impetu magno, quasi nil aduersi passa, prosilijt è lecto, cursu petens Abbatissam, eiusque apprehensa regminis parte, stridens dentibus & toto corpore tremens, illa se tenaciter obuoluit, clamans & dicens: Fer præsidium, domina mî, fer præsidium. At cunctis insolitæ rei nouitate non minùs, quàm clamoribus puellæ, more fœminarum, cum emissione confusæ vocis angustatis, mater tremebunda, Quid habes, inquit, filia? Illa respondit: Monstrosorum dæmonum ingens & horrenda multitudo cum sororibus fores ingredientibus irrumpens, ad inferos me secum abducere velle minantur. Cumque causam huius mali mater infusa lachrymis sciscitaretur, Nullas, inquit illa, alias ob culpas id patior, nisi quòd propter me

Monasteriũ S. Cæciliæ perantiquũ Coloniæ.

En quàm ingratum est Deo diuini cultûs officia negligere.

me detrimentum seruitij sui Christus habet: cuius laudes, si mihi sorores aliquid conferre vellent, oportebat priùs debito fine concludi. Protinùs ad imperium matris cunctæ sorores ad monasterium regressæ, tanto deuotiùs, tantoque obnixiùs diuinis cœperunt laudibus insistere, quanto manifestiùs intellexerunt, propter illas neglectas & puellam esse periclitatam, & se non contemnendæ transgressionis offensam incurrisse. Quibus cubiculi limen excedentibus, puella lectulum repetens, ibì se strauit, & sororibus ad psallendum Deo chorum tenentibus, ipsa nullius horroris gestus præ se ferens, paulatim, vt solent morientes, deficiens, vita functa est.

Vt beati Agilolfi corpus in ecclesiam suam ad Gradus transtulerit, & duos Euualdos eleuârit. Cap. 37.

S.Agilolfũ Episcopum Coloniẽsem transfert in ecclesiã ad Gradus.

SEd vt ad priora redeamus, Anno beatissimus in terris excolens, quibus in cælis associari totis nisibus festinabat, Coloniensem vrbem diù fraudatam corpore martyris & Episcopi sui Agilolfi, membrorum eius restitutione lętificauit: quę Malmundariensibus præripiens, in monasterium suum, quod est ad Gradus, cum magna ciuitatis exultantis ambitione transtulit. Inter hæc & duorum Euualdorum preciosa corpora, reuelatione eorundem martyrum instructus, de tumulis subleuauit: quos olìm in Saxonia passos, Rhenus amne refluo Coloniam sepeliendos aduexerat.

Vt beati Benigni corpus in Sigebergense monasterium adduxerit. Cap. 38.

REstat nunc commemorare, quemadmodùm corpus beatissimi martyris & sacerdotis Benigni temporibus eius ad perpetuam Sigebergensium gloriam & salutem vel inuentum sit, vel translatum. In Sueuia loco, qui dicitur Cella S.Viti, quidam Alemannorum atque Burgundionum Dux olìm ecclesiam constituens, suis eam hæreditarijs bonis ad sustentationem monachorum illic Deo militantium abundare fecit. Qui deuotione pariter & fide instructus, cùm sanctarum reliquiarum studio Diuionem venisset, indè rediens, corpus Deo dilectissimi martyris Benigni secum exportauit: qui diuinitùs ab Oriente Gallijs destinatus, post multos agones tandèm sub Aureliano Cæsare lancea militis percussus, in specie niueæ columbæ cælos penetrauit. Illos quoquè tergeminos fratres Speusippum, Eleusippum & Meleusippum, à prædicto martyre baptizatos, & apud Lingones egregiè coronatos, vnà cum corpore S.Mamerti, ciuitatis illius Episcopi, Dux idem concedente Christo emeruit, lętusque cum tanto cælestis patrocinij pignore fines Alemanniæ repetens, ecclesiæ quam construxit, desiderabilem consignauit thesaurum, sanctis corporibus, ob metum futurorum, in sacrario cum attitulatione nominum, terræ altiùs immersis. Post multos annos omnibus generationis illius hinc sublatis, cùm locus idem regali cœnobio, quod Eleuuange nuncupant, in proprietatẽ cessisset, & tantarum lucernarum fulgor incognitus mundo, puluere vilis sepulturæ tegeretur, ordinante Deo, qui producit Luciferum in tempore suo, cuiusdam operis intentione pauimentum sanctis corporibus imminens, à fossoribus apertum est. Proscindentibus autem illis humum, eamque certatìm egerentibus, eximprouisò sanctarum reliquiarum sarcophagi discretis nominibus reperti sunt. Illic magni meriti martyr & sacerdos verè meritis & nomine Benignus, cæteris nominatior inuentus ac subleuatus est, per idem tempus Abbate Renigero, qui beati Annonis consanguineus fuit, cœnobium illud administrante. Proximè dehinc Dominici natalis gaudia Rex Babinbergæ celebrauit: vbì cùm multorum procerum & dignitate pollentium conuentus esset, etiam Abbas idem aduenit. Propinquus ergò cùm esset Annonis Archiepiscopi, quasi gratulaturo Benignum, qui mittente S.Polycarpo discipulo beati Iohannis Euangelistæ, venit ex Asia, se testatus est inuenisse. Rapiens autem pontifex nomen ipsum ex ore eius, Benignum, inquit, te affirmas habere? Hic meorum specialis intercessor est monachorum: hunc meis petitionibus oportet vt indulgeas, si te delectat ex hoc iam vllum dilectionis meæ beneficium. Ille, vt qui in persoluendo non parui ponderis argento Regi obnoxius esset, ità respondit: Eccè vt pecuniæ, quam debeo, cura me leues, desiderijs tuis, vt vis, satisfaciam, mittens tibi non alium, sed eundem reuerà Benignum, qui in Diuionensi castro sub Aureliano martyrium duxit. Huic sponsioni præsul gratanter annuens, quippèqui nullas opes haberet, quas non libenter in huiuscemodi commercium insumeret, cùm sibi mutuò fidem dantes, vtrique recessissent ad propria, post mensem & dimidium monachos

Videat hinc Lector Tomo I. Historiã SS. Speusippi, Eleusippi & Meleusippi.

Iob 38.

S. Benigni martyris corpus inuenitur.

Hæc piè accipiẽda sunt Nõ enim licet vendere sacras reliquias.

chos preciosi corporis glebam ferẽtes, Coloniæ cum gaudio suscepit. Quibus fidem adstruere nitentibus publicis sacramentis, quòd non alius, quàm qui rogabatur, Benignus esset, non permisit, dicens in eius veneratione, de quo agebatur, hunc se indubitanter habiturum. Præmissoq; in Sigeberg huius lætitiæ nuncio, ipse cum suis conscensis equis, comitantibus pariter ex Colonia non exiguæ multitudinis viris & fœminis, in ipso vespere Dominicæ noctis, quæ ieiunij Quadragesimalis initium erat, ad radices mõtis applicuit: & descendentibus ad eum debita cum reuerentia processionibus fratrum, ossa sacra cum laudibus recepta sunt per noctem in ecclesia, quæ adiacet monti. Manè verò Dominici diei, quod tertiodecimo Calendas Martij expectatione omnium illuxit, omni conuentu solenniter induto, diuersis etiam ornamentis, multisque luminaribus templo resplendente, sacer antistes, ac sanctæ memoriç Erpho Abbas, pios humeros sanctarum reliquiarum feretro subijcientes, resonante populo, signisque concrepantibus, cum magnæ deuotionis carmine præcedentium monachorum, martyrem & sacerdotem suum Christo in odorem suauitatis ad altare præsentârunt. Indè sermonem ad populum habiturus, altiora præsul conscendit, & totus præ gaudio lachrymis fluens, nunquàm sibi iucundiorem illuxisse diem testatus est. Exponensque quis vel cuius meriti esset, qui portabatur, quòd Benignus appellaretur, indicauit, dicens: Benignus, inquit, beneuolus dicitur. & meritò: Apertas enim aures ad omnium nostrûm preces habet, & libentissimè exaudiens, per seipsum accedit ad Deum ad interpellandum pro nobis. Nunc igitur, dilectissimi, tanti patroni præsentiam habentes, erigite corda, & singuli, quid vobis expediat, illi suppliciter intimate. Mihi credite, si tantùm fides non desit, quia Benignus est & nominatur, benignissimè quodcunque petitis, annuens accelerabit. Annus Dominicæ incarnationis, quo hæc translatio celebrata est, millesimus septuagesimus tertius erat. Post hæc duobus loculis nouis altrinsecùs post altare compositis, medio inter eos vacante loco, in dextero beatum Innocentium, in sinistro verò beatum Benignum pontifex collocauit, & lætitia perfusus, quasi ludens, vt plerunquè solebat, loquebatur: Erit ad libitum meum rei processus, si quandoquè dignus altario, medius inter vos recipiar. Alioquì ex me speranda vobis gratiarum actio profectò non erit. Quæ vox quanuis leuiter dicta, quàm seriò sit ab eis accepta, nos oculis fidei iam contemplamur: qui etsi corpore necdùm viderimus, merito tamen credimus eum inter eos locum iam accepisse. De cuius vita & operibus pauca pro numero, non vt debuimus, sed vt potuimus auxiliante Deo, hoc fine terminantes, ocio interim indulgemus, vt ijs, quæ de virtutibus eius prædicantur, elucidandis, leuiores assurgamus.

S. Benignus transfertur in Sigeberg.

Sancti audiũt preces nostras, & orant pro nobis.

LIBER SECVNDVS.

Vt sine claue thecam, qua S. Gregorij brachium continebatur, aperuerit. Cap. I.

INtentionem huius operis diuinæ laudis intuitu præ manibus habens, fictis narrationibus incumbere vehementer & ipse detestor: quandoquidem vndè mihi spes est aliquantulùm exhauriendi peccata, indè grauior accederet iniquitas, si, præterquàm veritas est, vel à me verum æstimatur, quicquam impudenter exprimerem. Deus enim nostro mendacio non eget: nihilominùs & is, quem hoc opere mundo declarare voluimus, ad hoc deuotionis nostræ beneuolentia non delectatur, vt falsis laudibus per nos coloretur, qui veris, etiam nobis tacentibus, quousquè mundus voluitur, semper adornabitur. Hæc diximus, vt conueniremus eos, qui iuxta voluntatem cordis sui metientes sanctum virum, non credunt eum huius meriti, per quem talia, qualia dicuntur, possent fieri: quippè quibus in signum contradictionis & ipse Saluator positus est. At nos scientes sanctitatem hominis Dei, nec potentiæ Christi quicquam detrahentes, ad ea, quæ vel auditu, vel scripto probabilia de eo reperimus in signis & reuelationibus, atque ijs, quæ prophetice prælocutus est, spiritussancti gratia sensum & linguam regente, ob posterorum notitiam hoc exordio colligenda accedamus. In cœnobio suo, quod in monte situm est, frater quidam accedente molestia, in morbum aliquandò incidit, nec vllum oc-

Iob 13.

Luc. 2.

currebat remedium, vndè ſpes eſſet meliorationis ægroto. Quod cùm auribus viri Dei, qui tunc præſens aderat, inſonuiſſet, curſorem velociſſimum cum mandatis Coloniam direxit, vt brachium ſancti martyris Georgij ſibi quamcelerrimè mitteretur, aſſerens in hoc ægroto certiſſimè ſubueniendum, ſi liquorem, quo perfunderetur os ſacratiſſimum, fide plenus in potum ſumpſiſſet languidus. Cumque ità, vt iuſſerat, brachium in capſula delatum ſibi præſentaretur, clauim ad reſerandum petijt: tuncque primùm reminiſcens nuncius, eam ſe, nemine illius mentionem faciente, Coloniæ reliquiſſe conqueſtus eſt. Pontifex verò, cùm quaſi tentans aperire, duobus digitulis ſeram leuiter concuſſiſſet, teſtantibus nobis qui aderant, ad primam digitorum eius appulſionem reſiliente repagulo, ſonitus tinniens, vt ex violentis clauibus fieri ſolet, exortus eſt intantùm, vt præſentium aures acutiſſimè feriens, ſtuporem non minimum eis ingereret, cernentibus hominem Dei clauis officium abſque claue in apertione capſulæ paratiſſimè peregiſſe.

Vide quid viri tantus ſenſerit de ſacris reliquijs.

Nota rem miram.

Vt ad tactum veſtis eius, cæcus illuminatus ſit. *Cap.* 2.

Qvidam oculorum lumine deſtitutus, in ſacrario beati Petri die quadã ſuppliciter eum interpellans, cùm ad eius veſtigia quaſi ſpe cuiuſcunque conſolationis ſe induſtriè inclinâſſet, à parte lateris ſancti viri veſtem manu colligens, vno duntaxàt ex officialibus Epiſcopi rem conſiderante, oculorum loca fideliter defricauit, & mox exterſa caligine, quantùm fides valeat, in exortu nouæ lucis, ſe non ferens ipſe prę gaudio & admiratione, ſalubriter expertus eſt. Quæſitor ergò ſtipis exiguæ, nullis terrenis precijs adęquandas diuitias in reſtitutione luminum adeptus, diſſimulans quod acciderat, ad accipiendum quodlibet eleemoſynæ munuſculum decætero pietatem Epiſcopi nec implorauit, nec expectauit: ſed recedens, vti meminimus, facti cognitionem vni miniſtrorum eius dereliquit. Is ad menſam pontifice cum non parua virorum frequentia recumbente pariter recumbens, ſciſcitante illo, vbì cæcus idem haberetur, reſpondit eum impetrato illo, quod optauerat, ilicò receſſiſſe. Quid hoc eſſet, viro Dei vt ediceret imperãte, Satis, inquit, & vltra conſuetam mortalibus largitatem homini reuerà contuliſtis. Nam ad veſtræ ſanctitatis genua cæcus proruit, indè ſurgens, abſceſſit videns. Quid hoc munere pręſtantius? Meritò magnus tanti largitor doni, meritò beatus & ad iſta munera vocatus, qui profectò, tametsì conceſſis non ſimilia petere videretur, ad promerenda ſola, quæ & accepit, fidei greſſus creditur attuliſſe, cùm poſt acceptos oculos aliud quid accipere non quæſiuit. Expalluit ad iſta ſacerdos, & totus ſubitò exanguis effectus, euidens ex ſe præſentibus indicium dedit, quàm inuitus hæc audiens, exiſtimationis huius in populo libenter aura careret. Imitator etenim eius, qui potentia ſua ſigna faciens, quibuſdam hæc occultandi præceptum impoſuit: quod cum, in quem peccatum cadere non potuit, feciſſe non ignorabat, multò magìs ſibi faciendum neceſſariò cenſebat, qui purus homo tanto procliuior eſſet ad ruinam, quãto contra hoc, quod Deus & homo ſuaſit exemplo, ipſe improuidus aliquandò vel leuiter animo peccâſſet. Hinc accidit, vt quamuìs diuinæ gratiæ donum expertus, non adeò tamen infirmitatis ſuæ menſuram in his rebus tranſgrederetur: ſed etsì quid horum fortè eo neſcio, vel occaſione magnæ neceſſitatis contigiſſet, modis omnibus id humanis auribus ſubtrahere, quantùm in ipſo fuit, non negligebat. Quæ res & materiam nobis hanc rationem effecit, & inuidis illi obloquendi fomitem prętitit, quaſi qui de mortuo finxerimus, quæ de viuo nec in ſuſpicione verſabantur. Sed hoc ideò, quia ſecundùm viri ſecularis ſententiam, quæ ſibi quiſque facilia factu putat, æquo animo accipit: ſupra ea, velutì ficta, pro falſis ducit. Non tamen his territi, ab reliquis aliquatenùs deuocabimur.

Cęcus tactu veſtis eius illuminatur

Moleſtè fert ſe laudari.

Matt. 8.

Vt alius quidam cæcus lumen receperit ex aqua, qua manus ſuas Epiſcopus abluerat. *Cap.* 3.

Venerabilis pontifex die quadam Miſſarum ſolennia celebraturus, cryptam Sigebergenſis eccleſię, miniſtris proſequentibus, adire cœpit. Et hîc homo, luminis æquè carens officio, ſuis votis opportunum tempus & locum ratus, eius conſpectibus ſe ſuppliciter exhibuit, fidem ex viſione ſe collegiſſe teſtatus, quòd ea, qua damnatus erat, cæcitate liberari poſſet, ſi quam vſui manuum ſuarum exhibitam proieciſſet aquam, hanc duntaxàt ipſe mereretur, vndè malè vacantes humidos redderet orbes. Non hæc æquanimiter humilitatis cuſtos accipiens, magìs

magis præsentium existimationem veritus, quàm diuinæ bonitati diffisus, hominem asperrima abiecit inuectione, fallacē eum & impostorem causatus, qui respectu paruissimæ stipis, odiosæ fraudulentiæ, quæ necat animam, se subdidisset: reuerà fictæ visionis eum ex corde suo verba protulisse, cùm si quid de beneficio diuinę miserationis eius miseria exegisset, potiùs hoc illis patrocinantibus agendum foret, quorum probata sanctitas omni mundo iam olìm enituisset: non eius, qui quotidianis sordens piaculis, futuræ discussionis metu & ipse pro quolibet reperiendo suffragio anxius staret. Sic pauperem confusione plenum ad ianuas relinquens, cryptam intrauit. Ab eius verò facie miser declinans, in angulum cryptæ sese contulit, supernæ pietatis aures crebris feriens precibus, non incredulus visioni suæ, nec minùs arrogans fidem Euangelicis dictis: Omnis qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Diù igitur gemitus & suspiria suppliciter eo trahente, quidam ministrantiū clericorū, hæc ipsa posteà testatus, miserationis intuitu peluim cum aqua desideranti clàm porrexit, quam à manibus sacerdotis ad sacrificium accedentis suscipiens, non sine diuinæ voluntatis instinctu pro hocipso reseruauerat. Qua mox faciem totam cæcus fideliter abluens, expectationis suæ moras iam nulli ampliùs conquestus est: quippè qui, fugatis tenebris, serenissimæ lucis diem sibi tunc primùm illuxisse magnis plausibus exultaret. Aestimans prætereà mentis acrimoniam in Episcopo tandèm leniendam, si is, qui cæcus antè, iam videns eius præsentiæ redderetur, post Missas exeunti quasì congratulaturo prosternitur, voces gratiarum congeminans, & cęleritatem salutis impensæ palàm, & vt erat, ab initio recitans. Ad quæ verba præsul, quasì totus iam commotus, quod ratione minimè conuincere quibat, saltem procaciori inflammati pectoris impetu circunstantibus ingratum efficere visus est, frequenti iteratione minaciter inquirens, Vndè præsumptionis huius vanissimus attentator emersit, qui reuerentiam authoritatis nostræ vilipendens, huic * iniussus aquam illam administrauit, & quid vel ego, nil hac in re habens, mererer, vel diuina dignatio concedere vellet, ausu improbissimo explorare veritus non est, cùm lex dicat, Non tentabis Dominum Deum tuum? Tremefactus his inquisitionibus clericus, cominùs stans, quod dissimulare non poterat, se simpliciter egisse verbis vtcunquè collectis satisfecit, simul & veniam admissi non segniter petens. Cui pontifex leniter alapam dans, Hunc, inquit, de me rumorem per populum disseminare vis, vt leuitate vulgari nouorum mirabilium effector pasṡim celebrer, & instàr antiquorum patrum ego quoquè meis temporibus, longè meritis infrà iacens, operum eorum specimen in signis & prodigijs mundo repræsentâsse dicar? Hac'ne vanæ laudis aura transitoriè tumens, inter eos nouissimè reperiar, quibus ad Deum dicentibus, Nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, respondebitur, Nescio vos: discedite à me operarij iniquitatis? Tremenda sanè comminatio, nec secundùm multitudinem doloris illius hæc consolatio temporalis. Idcircò te, vosque presentes omnes, & te quammaximè, non nostris, sed diuinis illuminatum beneficijs, inuocatione cuncta cernentis semèl atque iterùm iterumque obtestor, nè, me mortalitatis huius tenebris adhuc circundato, res hæc alienis auribus aliquod suî vestigium, vobis prodentibus, vnquàm generet. Factum est hoc, & quod interìm silentio tectum latuit, Episcopo claustra carnis egresso, relatione clerici memorati, tam nobis, quàm & aliorum fidelium cordibus commendatum est.

[Margin: Fert indignissimè à se expectari miraculum, idque modestiæ causa.]
[Margin: Luc. 11.]
[Margin: Cęco redditus lumen.]
[Margin: Aduerti hîc potest candor animi eius, laudes sui planè abominantis.]
[Margin: *inuisus]
[Margin: Deut. 6.]
[Margin: Matt. 7.]

Itèm de cæca fœmina sanata. *Cap.* 4.

SEd & mulier egestate pariter & cæcitate diuinis obnoxia flagellis, per reuelationem directis ad idē cœnobium gressibus, procedenti post Missas ab ecclesia summo sacerdoti prona aduoluitur, supplex & gemebunda. Qui suspensò gradu, sicut semper infirmiori sexui solebat, & huic piè condescēdens, blandis appellationibus causas querimoniarum eius percontatus est. Illa respondente, se præmonitam in visu, nec vllo dubietatis scrupulo teneri, si suæ dignationis manus oculos eius lauando contrectaret, tenebras pellendas: propter adstantes se commotum simulans, vt custodiæ traderetur, mox imperauit, in suspicione relinquens, verbera quidem sęei multiplicaturum: aliâs autem ostentationem fugiens, curam in secretis adhibiturus. Cumque sedens ad mensam prandium inisset, lautiora quæq; ciborum ex suis manibus ad refectionem eius transmisit, eamque, finitis epulis, in cubiculum suum latenter iussit adduci. Quò intrans, duobus clericis & vno duntaxàt puero

[Margin: Mirè vitat omnē ostētationem.]

cubiculario arbitris, cæteris hac illac defluentibus, non, vt illa petierat, oculos eius tanquàm præsumptor miraculi, sed humilis magistri & Domini exemplo, poplite flexo, pedes eius lauit, manibus aquam infudit: post hæc & alimentorum copiam administrans: nimirùm per hanc humilitatis viam & sibi & mulieri plùs apud Deum profuturus. Nec hæsitandum, inter hæc pietatis & abiectionis officia cum in superna animum leuâsse, & opem cælestis medici pro ea implorâsse. Nam residens, obsequio peracto, velut qui responsum orationis admissæ cælitùs meruerit, monuit eam benedictionis oblatæ perparùm degustare. Quæ vbi vix eiuscemodi edulio palatum imbuisset, cæleste sensit antidotum, & restitutis plenè luminibus, cum immensis gratiarum actionibus humì prostrata, Deum in seruo suo Annone suppliciter venerata est. Tum oculis eius, experimenti gratia, hæc & illa proponebantur: cumque absolutissimè singula quæque discreuisse visa est, quinque solidos ei pro eleemosyna vir beatus impendens, vt sibi non charam harum rerum opinionem de se nè circunferret obtestatus est. At tamen minùs ei credulus, abeuntem ad propria, donèc villa digrederetur, ab vno clerico comite deducendam curauit.

Vide humilitatem. Iohan. 13.

Cæca mulier videt.

Vt iuuenis cuiusdam hydropem aqua à se benedicta curârit. Cap. 5.

INter hæc adolescens quidam, vicinorum locorum indigena, toto ventre deformiter intumescens, sibi suisque factus erat inutilis. Hic meritis beati Annonis ex fama cognitis, vehiculo ductus, montem in quo Deo placitum est habitare, conscendit, præsentiam eius adijt, aliquod tanti doloris remedium miserabiliter quæsiuit: quod, etsì lingua cessaret, ipsa fœditas & miseria hominis oculis obiecta, facilè extorsisset. Exhorruit languoris immanitatem ponti fex sanctus, iuuenemque miseratus. aquam benedixit, & ipsa moribundum potauit & adspersit. Indè Crucis signo ventri impresso, cum ad propria celeriter remeare iussit, spem integerrimæ sanitatis abeunti cum fidutia promittens: eius vsus exemplo, qui leprosos mundaturus, ad sacerdotes eos direxit. Siquidem in ipsa, quæ iam imminebat, nocte humor ille subcutaneus, in perniciem longo tempore malè congestus, fluxu ventris salubriter ad plenum est egestus: homoque pristinæ sanitati restitutus, proxima luce pedibus suis ad montem recurrit, Deo eiusque seruo Annoni, gratiarum voces magnis lætitiæ laudibus persoluens.

Aqua benedicta & crucis signo pellit hydropé. Matt. 8. Luc. 17.

De cuiusdam fœminæ curatione. Cap. 6.

EXigentibus aliquandò negocijs publicæ administrationis, sua cuique principum regni parabatur in Saxoniam profectio, tendentibus singulis ad curiam Imperatoris, quę per id tempus Goslarię habebatur. Necessariò itaq; summus hic Coloniensium pręsul idem carpebat iter. Mansiones autem, prout opportunitas viæ poscebat, diuersas habens, ex itineris & horæ decliuioris necessitate quadam die Corbeiense monasterium adijt, illic pernoctaturus. Needùm verò mœnibus ipsis successerat, tantùm proximus habebatur: & eccè conspicit ex aduerso duos pauperes carrum vice iumentorum trahentes, in quo mulier membris omnibus debilis decumbens, causa stipis emendicandæ, hoc ductu circunquaquè ferebatur. Hæc famosi nominis antistitem Coloniensem transire comperiens, eleuata voce petijt, vt in Christi nomine respectu S. Viti martyris, suis succurreret ærumnis, datis subsidijs ad coemptionem asini quo subuecta, conuiatorum suorum iniurioso labori consulere posset. Pijssimus sacerdos ad eius vocem retentis habenis, quinque solidos vni è clericis & cubiculario tradidit, mandans vt dilatione prorsùs remota, dignum tantis precijs animal vbiuis inuentum mulieri festinatò adducerent: atque ijs dictis, quod supererat viæ, celeriter percurrit. Porrò ministris ad imperata satagentibus, asinus tandèm votis eorum aptus obuénit: quem illi pauperculæ præsentantes, miraculi sequentis testes postmodùm extiterunt. Nam illa cùm in gratiarum vocibus iumentum suscipiens, nomen Annonis Deo digni pontificis ore frequentaret, mercedem illi pro beneficijs imprecans, nullius antè roboris, subitò conquiescentibus dolorum stimulis, tantæ se sensit fortitudinis, vt prosiliens ad terram, solidis gressibus sanissima, quomodò vellet, vteretur. Eam currentem, vocesque dantem exultationis, sed & obuijs quibusque exponentem, hæc se meritis & pietate Annonis Episcopi percepisse, ijdem memorati duo stupentes, concitatis equis, post vestigia sociorum dominum suum Corbeiam persecuti sunt: sed certi commotionis eius & indignationis in talium rerum semper obiectu, nullis ausibus eò ducti sunt, vt hinc quicquam

Cōmiseratio eius in debiles & claudos.

Miraculum illustre.

quam eius auribus intimarent, cùm tamen eis interdùm mutuò indè colloquentibus, apertè claruerit, eum isthuc minimè ignorare. & meritò: Ex illis enim maximis Ecclesiæ luminaribus erat, quibus per spiritum datur vel sermo sapientiæ, vel gratia sanitatum, vel operatio virtutum, siue prophetia, vel aliud quid cælestium charismatum: quæ singula singulis diuidens spiritussanctus, prout vult, in hunc propè generaliter mirificè contulit. Quorum omnium mentionem locis suis pro viribus nostris exaratam lector habens, hîc, quomodò præscius futurorum, per spiritum nonnulla prædixerit, paucis relationibus accipiet, tametsì totũ voluminis huius corpus idem sparsim loquatur. 1. Cor. 12.

Vt prædixerit Hildulphum sibi successurum. Cap. 7.

Ergò sicut ad nos vsque veris assertionibus propagatum est, omni veneratione plenus Anno beatissimus, cùm in Goslaria, villa scilicet regia, publicis maiorum conuentibus interesset, quidam ex latere Regis clericus, Hildulphus nomine, pro familiaritate petijt, vt codicem sacramentorum, qui vulgò Missalis dicitur, quem pontifex non parui decoris habebat, sibi dono daret. At præsul, Hac, inquit, interim postulatione carebis, donèc iuri tuo conferatur omne ministerium, quod capellulæ meæ claustris debetur. Prædicit Hildulphũ sibi successurum.

Vt idem prædixerit de Sigeuuino. Cap. 8.

Nec minori reuerentia excipiẽdum reor, quod in Gradibus, qui Coloniæ insignes habentur, quodam die cum venerabili viro Bennone, Osnaburgensis Ecclesiæ præsule residens, de Archidiacono suo Sigeuuino cominùs veniente, dixisse fertur: Eccè verè Israëlita, in quo dolus non est. Quod ex ore tanti viri non leuiter erupisse prædictus Episcopus reputans, ausu dilectionis & amicitię imminebat, vt vim prolati sermonis eius participaret notitiæ. Quẽ ille respiciens, primò, qua super eum existimatione moueretur, inquit, ac deindè subiunxit, Hunc profectò nóueris in sede Coloniensium, meo iure quandoquè recipiendum. Sed cùm & hoc, sicut & illud superius, humano sensu dictum crederetur, & ob id negligentia quadam præteriretur, ipso tenebras has egresso, successit in cathedram eius primus Hildulphus, secundus Sigeuuinus: quorum testimonio sanctissimus prędecessor eorum, vera de eis prænunciâsse agnitus est. Benno Episcopus Osnaburgẽsis. Idẽ de Sigeuuino prædicit.

Vt literis Episcopo Mindensi scriptis suum obitum significârit. Cap. 9.

At verò quibus exemplar epistolę præ manibus est, quam olìm dilectionis indicem Egilberto magistro suo direxerat eo tempore, quo Mindonensi præficiendus Ecclesię, annulum & insignia reliqua, Rege transmittente, susceperat, in hanc facilè fidem adducentur, nè dubitent eum in multis futurorum scientia claruisse. Nam finem scriptorum faciens, in hęc vltima verba digressus est: Et tu me terræ commendes. Hoc Egilbertus legens, sed inuitus accipiens, cùm post tempus ambo conuenissent, in medium literas illas proferens, quam earum conclusioni fidem deberet, se sine difficultate dixit inuenire non posse: maximè, inquiens, cùm progressior ætas vires mihi iam denegans, hoc quod posuisti, me à te sperare cogat. Ad hæc Anno beatissimus: Minimè, inquit. verbis enim tuis rei finis, te superstite, refragabitur: & quod tibi litera sonuit, viua vox denuò confirmat: Tu me terræ commendes. Egilbertus Episcopus Mindensis. Prophetia S. Annonis.

Vt iurauerit cuiusdam locum munitum euersum iri. Cap. 10.

Nunc Iudæ proditoris exemplo, de ministris eius nõnulli, quos copiosissimis ad omnem libitum eorum ornauit beneficijs, pro bonis mala nequiter reddentes, prorsùs ab illo defecerunt. Horum vnus hodieque, quandò hęc scribuntur, Solis huius particeps, in eius contemptum vehementiùs insaniens, quasì liber. nec vllis cuiquam obnoxius seruitijs, ab illo propè milliari remotus, minaciter residebat, fretus firmitate munitionis suæ, quam pridèm sacer præsul eidem temerario, pij patris indulgentia construxerat. Eam verò eius pręsumptionem multis indignè ferentibus, die quadam procedens ab ecclesia Christi sacerdos, in partes, vndè huius mali superbia sese erexerat, oculorum aciem direxit, mouensque caput, ità locutus est: En ille meus, vt sibi iam videtur, dominus regaliter tumens, suis securus fouetur tectis, nec vlla futurorum formidine compungitur. Sed ego per illam, quam in sancto Petro possideo, fiduciam iuro, totum illud præsidium, quo nunc Quidã eius ministri, Iudæ proditoris more, ab illo deficiũt.

ia eius ophetia. superbè gloriatur, non arietibus, non hasta, non clypeo brachiorum virilium: quin potiùs ab ignauis & nullius constantiæ turbis expugnabitur ac destruetur. Idem post hæc animositate plenus, in necem militis cuiusdam Coloniensis deuolutus est. Vndè concitati Colonienses, ex agris & villis plebeia contracta manu, munitiunculam illam circundederunt, captamque subuerterunt, iuxta præsagium Annonis Episcopi, hæc ipsa prædicentis.

Quæ ad fratres Sigebergenses prophetice dixerit. Cap. 11.

QVis autem huius infidelitatis inuenietur, qui neget eum spiritu prophetico sermones, quos subiungimus, habuisse, cùm opere completos in sequentibus audierit? Quos in Sigeberg ad fratres familiariter habitos, authoritate narrantium inducti, nefas credimus subducere. Cum illis enim in hilaritate sedens, quasi pater cum filijs, secretorum suorum conscios eos semper habebat, nec erat aliquod cordis eius arcanum, quod non eis credidisset. Quæ res, secundùm illud Apostoli, Charitas foràs mittit timorem, ausum eis subministrabat & respondendi, & quælibet ex ipso percontandi. In hunc ergò modum, quasi postpositis serijs, frequenter eos allocutus est: Simeon ille nominatissimus, quo Treueris inclyto gloriatur patrono, sed & Bardo sanctissimus, vrbis Moguntinæ decus, reuerà sanctitatis suæ meritum plurimis indicijs commendantes, omni quidem reuerentia iure sunt colendi: verùm quia magni prædicantur & sunt, donarijs amplis honorari satagunt. At mihi meritis eorum non æquè consociando, post depositionem huius corporalis sarcinæ, non erit ingrata quantumlibèt parui xenij deuotio, suscipiamq; breuissimę cerę linique munusculum. Ad quod eius dictum arridentibus, qui assederant, senioribus, & an etiam ipse post mortem signis crebrescere vellet insistentibus, cum magna fiducia respondit: Voluntatis huius magnitudinem profectò verbis aperire non sufficio: tamen nè secretorum meorum aliquid vestris inquisitionibus negetur, huius me desiderij semper & esse sciatis, & fuisse, vt in eorum oculis, qui me vitamque meam insectantur, adhuc aliqua signa per me dignetur exhibere Christus, tum & pro sui nominis augenda gloria, tum & pro meo auferendo opprobrio, dum illi placens apparuero, qui nunc in omnium repræhensione sum positus. Id verò signorum meorum erit initium: Ad litus Rheni fluminis, flentium & plangentium humeris exanimis adductus, ante memoriam sanctæ martyris Afræ luctuosis obsequijs in nauim exponar: quæ circumacta, nil vltra solitum agente remigum instantia, rectò cursu contra sanctum Heribertum applicabitur, altiorem in vlterioribus, quàm in anterioribus ripis stationem habens. Vos autem vnici filij mei & fratres dilectissimi, cùm me semper lætis gestibus susceperitis, audite quo ordine mihi tunc occurretis. Pro cantu fletus incomparabiles offeretis, ad psalmos & hymnos ora aperientes, planctuum & singultuum voces potiùs emittetis, quotiesque repressis virtute lachrymis immanissimi doloris, psallere tentaueritis, totiès in ipso conatu nouis fletibus deficientes, imperfecta saltem verba vix exprimere sufficietis. Inter hæc omnes & iuniores & prouectiores circa feretrum meum cum eiulatu miserabili ruentes, horrorem & miseriam maximam, non hominibus tantùm, sed & angelis ingeretis. Hic mihi sepeliendi cultus à vobis exhibebitur, hęc dilectionis vicissitudo, hęc erunt exequiarum mearum insignia. Post hæc membris terræ matri consignatis, vos operti tristitia, tumulum relinquetis: ingredientur verò cuncti milites mei, vocesque cum gemitu dantes, orationis Dominicæ supplicem precem ob requiem meam singuli Deo fundent. Quibus recedentibus, vniuersi ministri mei & mihi seruientes, in ianuam irrumpentes, clamores & suspiria congeminabunt, & ipsi quoquè simili modo Deo me commendantes, ad sua quique conuertentur, vobis in tristitia & luctu perseuerantibus. At ego præsentiæ cælestis Regis exhibitus, primo quidem conspectu tremebundus, nimiumque timidus adstabo: sed accepta paululùm fiducia, qua mo importunitate, qua scilicet precum instantia pro meis monachis agere contendam vobis iam exprimere potero? Nec deerunt minæ terroresque venenatarum linguarum, quibus tristitia vobis inducatur. Destructio loci, vobisque dispersio prædicabitur: passìm quisque, prout animo collibuerit de loco, de rebus eius, & de vobis sermones agitabit: quæ cuncta dæmonum instinctu fient, vt feruor studij vestri hac occasione quoquo modo infirmetur. Sed nihil horum vos pertimescatis. Patris vestri dictis fidem adhibete: cuncta vobis ad abundantiam & omne commodum, ampliùs me mortuo, quàm viuo, seruient, ità duntaxàt, si vos Domino seruientes,

Plurimùm fidit Sigebergẽsibus. 1. Ioan. 4.

Vir sanctus multa de seipso verissimè prędicit.

tes, cœptæ conuersationis tramitem infatigabiliter curratis. Quòd si subterfugiẽtes, regularis disciplinæ iugum excusseritis, animumque leuitati subiugantes, iocos & ocia sectati fueritis, pigritiam & vitæ delicias amaueritis, contentionibus, murmurationibus, & detractioni operam dederitis, iamnunc scitote, quot monachi estis, mâlle me tot ethnicos eleemosynæ meæ deuoratores existere. Hæc dicta beatissimi præsulis Annonis equidem omnibus generaliter admiranda, quia rerum veritate iam præcesserunt: specialiter autem nobis non minùs metuenda, quàm amplectenda, quia nos potissimùm respicit, quicquid in eis vel dulce sonat, vel amarum. Eô autem hîc inserta sunt, vt sciatur gratia viri sancti in præscientia futurorum, & nè contemnenda videantur, quæ quasi leuiter interdùm dixisse perhibetur. Nam vt sciamus pondus & vim eorum, quædam subiungenda sunt, è quibus idem adhuc probari possit. Monachis fugienda summoperè

Vt per meritum fidei eius, contractus ad S. Bardonis tumulum sanatus sit. Cap. 21.

Apud Moguntiam, Germaniæ nobilissimam & populosam ciuitatem, magnam cuiusdam nominatæ festiuitatis celebritatem regni principibus, & Ecclesiarum præsulibus iussio regalis effecerat, qui diuersis ex prouincijs illic adunati, curiæ præsidebant. In eo cõuentu sicut meritis intùs, sic & authoritate foris singularis præminens Anno, summus Coloniensium præsul, quadam die populorum frequentia densissimè circunfusus, ad immolationem immortalium sacramentorum ex more stetit in atrio principalis ecclesiæ, prope tumulum sancti Bardonis Archiepiscopi, eius nimirùm sanctitate delectatus, quæ recentibus interìm miraculis commendabatur. Cumque multam cordis contritionem habens, totus lachrymis flueret, (nam quotiès idem exequebatur ministerium, non, vt plerique, coactis, sed spontè currentibus infundebatur lachrymis, vt crederes ex aliquo fonte venas viuas prosilire) mundissimis labijs orationes solitas complens, ab altari descendit. Cernens autem quendam toto corpore miserabiliter contractum, adhærere tumbæ beati præsulis, isque quis esset non ignorans, (fuerat enim à progenitoribus mancipium, super hæc & eleemosynarius illius, cuius cineribus ob custodiam assidebat) suo more visus, contra sepulcrum stans loquebatur: Ignotos, & propè nullius deuotionis, ope celerrima respicis: hunc verò tuis innitentem semper obsequijs, tui iuris famulum, te diligentem, te precibus assiduis inquietantem, tanta hactenùs obstinatione contemnere potuisti? Si nos tuis meritis adscribere vis, quod in aliorum curationibus hîc actum esse fama confirmat, in huius reparatione contracti, nobis cernentibus, declara tuæ virtutis efficaciam. Hæc multis audientibus cùm dixisset, nulla intercipiẽte mora, æger in pedes repentè constitit, incolumitatem suam & alio memorabili signo comitante, quòd absq; fluore sanguinis, absque dolore neruorum, integræ sospitati momento redditus est. Quod factum Anno Dei seruus mira lætitia suscipiens, magnoque prçconio S. Bardonis nomen & meritum extollens, hymnum Te Deum laudamus, altæ vocis modulatione inchoauit, tam populo quàm clero pariter eadem deuotione consonante, signisque solenniter concrepantibus. Rumor totam mox ciuitatem peruolauit, çdes regias intrauit: vnum proceres, vnum reliquç multitudines personabant, Annonis fide, virtutem Bardonis emicuisse, meritis vtrorunque sanitatem homini applausisse: quam tamen si lingua conticuisset Annonis, nec tunc quoquè sanctitas annuisset Bardonis.

S. Bardo claret miraculis.

Præclarum miraculum in paralytici curatione.

Vt serenitas redierit ad minas, ab eo S. Seuerino piè intentatas. Cap. 27.

Non inferiora dicturi sumus. Sanctissimus vir multa deuotione cælestes patronos excolens, speciali dilectione beatũ Seuerinum, suæ sedis antistitem, semper in ore, semper in corde tenebat, id habens studij, vt qui sibi dulcis & charus ex animo constabat, is & in veneratione non à suis tantùm, sed ab exteris quoquè populis haberetur. Qua feruens intentione, tempore quodã gratum sibi viç laborem cum suis assumpsit ad illam opibus, omniq; probitate tunc insignem Babinbergensium ciuitatem, vt sui iuris domum, in qua puer olìm nutritus fuerat, filiam matris Ecclesiæ constituens, eius eam nomini consecraret & honori. Hoc per oppidum cùm innotuisset, die qua sperabatur ipsa dedicatio, tantis pluuijs ab hora prima surgentis aurorç tota cçli facies obducta est, vt vehementiam imbrium nullius tecturç operimenum arcere sufficeret. Cunctis itaque, quibus animo erat accurrere, tectis suis se tuentibus, pontifex à proposito suo violenter impeditus, tacitis precibus

S. Annonis singulare studiũ & deuotio erga S. Seuerinũ.

intra cubiculum cordis incubuit, vt imminens vel ad modicum interciperetur elementum, quantũ in his negocijs exigeret mora Ecclesiastici instituti. Sed vltra mentis suæ placitum hac prece nil proficiente, velut ex magna iam commotione vocem concipiens, ipsi beato Seuerino charitatis minas intulit, dicens: Si me tuis auxilijs in hac pellenda inundatione quamcelerrimè prosecutus non fueris, certè tantis irritatus aduersitatibus, ad tui nominis reuerentiam ecclesiam prorsùs refugio consecrare. Mira res. Adhuc fragili carne pressus, sudabat in terris, qui talia loquebatur: alter verò, cui minæ intentabantur, vnũ cum Deo iam effectus erat, cuncti terroris expers, æternæ autem securitatis hæres: & tamen ad motum eius, qui videbatur inferior, quoniam & infirmior, expauit eminentior. Nam vt putaretur irato velle reconciliari, mox vt dictorum finem Anno fecit, conquieuerunt venti, disparuerunt nubes, cessauerunt imbres, repentini solis radij, roseo lumine micantes, oculos subitam aëris immutationem stupentes crebris ictibus reuerberabant, & regnante serenissimi diei luce, omnis qui vel deuotione, vel curiositate illectus erat, cursu prosequebatur antistitem, ad nouæ dedicationis gaudia procedentem. Igitur arridente votis suis serenitate cælitùs præstita, cum exultatione vniuersorum, qui aduenerant, tanto lætiùs consummauit illam, quam conceperat, consecrationem, quanto liquidiùs intellexit in hoc se nutui deseruire diuino, quandoquidem testimonijs elementorum idem vellet & Seuerinus.

Repentina serenitas reddit non sine magno miraculo.

De miraculo, in musca sub sacrificio perpetrato. Cap. 14.

POst hæc omnia frustrà quæritur, eius ori quàm propinquus fuerit ipse Dominus, cuius oculi super iustos, cuius aures in preces eorũ, qui propè est omnibus inuocantibus eum in veritate. Non deerit tamen huic inquisitioni documentum satis egregium. Adstabat quandoquè sacro circundatus amictu conspectibus omnipotentis, offerens nostræ redemptionis singularem hostiã super altare, quod attitulatione S. Michaëlis præcipuum habetur in monte, qui nunc preciosi corporis eius gloria illustratur. Oculi cordis in illam cælestium secretorum speculationem intendebant, exteriores lachrymarum riuos emanabant, & cùm visibilis rei substantiam manibus contrectaret, hunc fidei complexibus dulciter adstringebat, qui Crucem pro nobis ascendit, ipsemet sacerdos, ipsemet & hostia: cui preces suppliciter fundens, pro Episcopis, pro Regibus, & omnibus in sublimitate positis, ac pro cunctis Ecclesiæ catholicæ cultoribus, eiusque pace instanter laborabat. Foris silentium agebatur, sed magnos clamores interior homo dabat, qui cælos penetrantes, ad summæ maiestatis thronum admittebantur. Interca toto sacramentorum ritu consummato, quod adhuc restabat, fractio panis fiebat. Pars in calicem mittebatur, residuum digitis sacerdos venerabiliter tenebat: in quod intendens, ab initio lachrymis replebatur, se protestatus indignum eius perceptione, quod nullus vnquàm sanctorum sine metu sumere præsumpsisset. Currebant lachrymæ super lachrymas, crescebant gemitus, augebantur & suspiria: nihil aliud in corde, nihil in ore voluebatur præter hoc solùm: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Nec verò quasi nouæ compunctionis tunc in eum subierant stimuli: quotidianus iste mos eius erat ad sacrificium stantis. Interim oratione longiùs protracta, imago dæmoniorum, musca videlicet spurcissima, visu quoquè nauseam generans, impetu super Dominicum corpus ruit, ereptamque mortiu particulam, cum maximo dolore sacerdotis auolans exportauit. Cerneres eum subitò colore mutato mortui similitudinem expressisse. Horruit ausum animalis immundissimi, nec minùs pro se pauidus, ob augendas culpas id sibi reputabat euenisse. Sed ex maxima tristitia, maxima mox lætitia creata est, & vndè credebatur satanas insultaturus, indè quammaximè confusus est, ordinante clementia Saluatoris: vt quo esset ignobilius in creaturis, quod viro sancto tantũ intulit luctum, eo gloriosius esset miraculum, per quod ad meritorum eius declarationẽ de eodem triumpharet. Siquidẽ venerabilis pontifex his angustijs vltra styli nostri facultatem grauiter obstrictus, tandèm cor & oculos in Deum fixit, nullis quidem indicijs rem alicui circunstantium prodens, auxilium verò non labiorum motu, sed animi contritione & humilitate lachrymarum ab omnipotente instantissimè flagitans. Quid multa? Omnis impuritatis amica, quasi violenter impulsa, præcipiti volatu redijt, murmure suo & sibilo quodammodò vim, quam patiebatur, aperiens, illudque quod raptu nefandissimo fragmen sustulerat, in oculis sacer-

Psal. 33. Psal. 144.

Matt. 8.

Sacrificium quàm deuotus semper obtulerit.

Obserua rē notatu dignam.

Ecce miraculũ admiratione dignissimum.

sacerdotis patenæ restituit. Indè se velut auolatura leuans, seorsùm super altare ruit exanimis, dignam tanti flagitij pœnã luens. Tum verò mœror, qui pectus sancti viri sauciauerat, totus in gaudiũ versus est, nec puto quenquam tantæ facundiæ, qui plenè possit exprimere illas gratiarum voces, illudque diuinæ laudis iubilum, quod omnia personabant interiora, tantam Domini pietatem admirante sacerdote, quòd eius lachrymis, qui puluis futurus erat, adeò flexus est ad misericordiam, vt in tam vili animante suæ potentiæ non dedignaretur exercere magnalia, quodque non minori prouidentiæ suæ miraculo res tam exigua, quanuìs preciosa, per illas moras, nè periret, reseruata sit, quam vtiquè præscierat modis omnibus restituẽdam. Ad clericum deindè conuersus, qui sibi proximus assistebat, innuit vt incendio musca consumeretur: ipse verò sanctam communionem magna cum securitate suscipiens, sancti spiritûs gaudio comitante, ministerium illud debito fine terminauit. Hoc nè in dubium alicui veniat, sciat qui eiusmodi est, patris Reginhardi relatione nobis id innotuisse, cui ore suo sanctus pontifex idem affirmauit: nisì fortè tantæ perfidiæ sit, vt conetur adstruere, beatum virum de seipso non vera finxisse. Testis huius miraculi P. Reginhardus.

De duobus à suspendio, miro quodam modo liberatis. Cap. 15.

QVicquid tamen eorum, quæ dicuntur, in dubium venit, cùm non dubia, sed certa certis fulta testibus ediderimus, facilè suî fidem capit ex vno, quod ad eius comprobanda merita, mirabilis in sanctis suis Dominus, mirabiliter operari dignatus est. Res verò tali teste defenditur, vt veritatem eius grauitas morum verborumque, ipsaque canities hominis, etiam incredulis loquãtur, hoc principio editi miraculi tenorem exequentis. Erat regalium obsequiorum in vrbe Moguntia tempore quodam celebritas agẽda, primisque de regno iuxta morem ad curiam euocatis, Anno venerabilis, & famosi inter omnes nominis, à Rege curam & administrationem huiusce tripudij tunc acceperat. Cumque, vt iusserat Rex, festinaretur à cunctis ad metropolim iam dictam, & ipse nihilominùs idem cum suis iter accelerans, in quadã terræ partes pernoctaturus deuenit, vbì sermone celebri rumor circunquaquè ferebatur, & Regem cum suis inibì nocte proxima mãsiones accepturum. Ea die concilio prouincialium facto, duo iuuenes, vt ex consequentibus intelligi datur, sententiam damnationis innocentes exceperant, furentibusque crudelitate bestiarum exactoribus, statìm ad ceruicem positis restibus, ad suspendium vrgebantur. Non erat eis excusationis vel veniæ locus, nulla contra eos defensio, qui iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo: solummodò cor & oculos ad eum habebãt, cuius omnia iudicia iusta sunt, cuius vniuersæ viæ misericordia & veritas. Iam gelidus per ossa pauor fundebatur, iam expectatione sola mortis exanimes stabant, cùm inter angustias ipsas ad exorandum Dominum animati, clamores validos ab intimis dabant, eius omnipotentiam, eius inuocando clementiam, vt per interuentũ cuiuscunque serui sui, quomodò vellet, fieret eis à morte liberatio: quandoquidem à cunctis exclusa pietate, nemo de præsentibus parceret, nec esset, quem naturæ propinquitas ad misericordiã traheret. Audiuit Dominus, & misertus est, inuisibilemque visibiliter adesse, iubens potestatem, ad declarandum mortalibus suæ diuinitatis de Annone testimonium, in eius eam effigie potissimùm apparére voluit. Nam illi cùm ad patibulum manibus retrò ligatis traherentur, in ipso mortis eorum articulo, quandò duello sæuo mors vitaque confligunt, circunstantes omnes iuxta famam superiorem de Rege mentionem inferentes, eorum auribus eiusmodi confabulationis strepitum ingerebant. Protinùs ambo tracti corporalibus oculis ad similitudinem quandam percepti sermonis, sicut eis pòst referentibus innotuit, quasi Regem ipsum imperiali comitatu circunfusum aduentare conspexerunt, magnæ dignitatis clericum quendam in illa frequentia secum habentem, cuius habitudo faciei totam, in qua pius agnitus Anno est, effigiem exprimeret. Isque vniuersis prætereuntibus, solus in miseros pios defigens obtutus, locum ocyùs adijt, seque medium vtrisque supponens, hac manu dextrum, altera verò sinistrum ad medias noctis tenebras singulis in pedibus sustentabat. Nulla deindè in liberandis illis morarũ obluctatio: pariter ab eo depositi, pariter manuũ & vitæ libertati ab eo redditi, hac hortantis eos ad fugam voce sunt commoniti: Cursu, qua placet, viam arripientes, hinc miserandi secedite: liberator vester, Deus potẽs & clemẽs. Eo cum his verbis euanescente, manifestam diuinæ bonitatis virtutẽ in se iuuenes admirati, quanlibet è villis adia-

Psal. 67.
Conuentus Principum Moguntiæ.
Duo innocẽtes iuuenes sententiam mortis excipiunt.
Esa. 5.
Dan. 3.
Psal. 24.
Dominus in forma Annonis eos à suspẽdio cõseruat & liberat.

adiacentibus, effugiendi spe petere statuerunt: secutiq; iam non tam sui cordis, quàm cælitùs propositum callem, in eam, vbi minister gratiæ cælestis Anno stationem ea nocte metatus erat, ingressi sunt: & mirum in modum, cùm vbiquè numerosæ ædes se offerrent obuias, solam Annone hospite tunc insignem, ceu eorum animis inscriptam, recto itinere domum petiêrunt, cùm tamen nulla ad eos vel nominis, vel præsentiæ eius notitia peruenisset: illo nimirùm ducente eos, qui se viam testatur & vitam. At vbì primùm insperatam viri Dei faciem inter curiosorum orbium species offenderunt, membris omnibus concussi, ad eius vestigia velociter proruerunt, illum lachrymis, illum gratiarum actionibus summæ maiestatis seruum & amicum clamantes, per quem Christus se diem cum nocte facientes in ligno, per tot moras, nè suffocarentur, ad vitam seruauerit. Credendi maximum indè sumebatur argumentum, quòd fœda totam faciem operiente macie, nodorum ad colla adhibitorum vestigia cernerentur. Sed præsul ab humilitate sua prorsùs animum non mutans, homines à se iniuriosè repulit, dicens eos cupiditate lucri nequiter illectos, hanc fallaciæ plenam excogitâsse fabulam. Nonnullis tamen ex clericis innuit, vt seorsùm illis assumptis, rem inquisitione subtili pleniùs inuestigarēt, mandans & de causis, vndè damnati essent, quæstionem mouere: vt innocentia sua vel defenderent, vel improbarent, quod actum erga se cælitùs affirmabant. Sicque factum est, vt cùm nullis instructi fraudibus, ad omnem interrogationem simplicibus responsis occurrerent, & diuinitùs operata per pontificem virtus innotesceret, & culpa vacantes iuuenes, iniustè damnati inuenirentur. Tum verò mox in laudem creatoris brachia sacer antistes & oculos attollens, Non, inquit, hæc meritis meis adscribere fas est: tua, Christe, sunt hæc opera, tuę profectò benignitatis in his declarantur exempla: qui verus innocentiæ restitutor & amator, quomodò voluïsti, nè perirent, misertus es innocentibus. Aliquantis dein ex eleemosyna sua solidis in viros expensis, ipse cœptę viæ se cum suis dans, ibat, sicut dicitur, de virtute in virtutem, habens & gratiam reuelationum multam. Hinc iam aliqua dicturum, copia per singula non patitur ire: paucis tantùm partìm hîc, partìm in posterioribus, lectoris erunt studia concilianda.

Ioan. 14.

Obserua, vt vir beatus semper odit se prędicari.

Nō suis meritis ascribit hoc miraculum, sed misericordiæ Dei.

Psal. 83.

Quid S. Petrus in visione ei mandârit. *Cap.* 16.

Accidit, vt ecclesiolam quandam nouæ cōstructionis, intra partes regiminis sui sitam, die quadam sanctificaturus, cum suis conueniret. Dos autem, vndè legitima nominis ecclesiæ fieret articulatio, nusquàm reperiebatur ad manus, prędijs, quæ acquisierat, alijs ecclesijs in eleemosynam ab eo distributis. Hac pro re multis æstuans cogitationibus, diem ad noctis ingressum protraxit, Ecclesiastica sanctione sciens inhiberi, sine dotis priuilegio talibus inseruire negocijs. Porrò nè diuinū officium qualibet dilatione deincèps illic postponeretur, tunc quidem deliberabat insistendum consecrationi, pòst autem & pro dote solicitiùs satagēdum. Huiusmodi definitionem post varias retractationes animo concipiens, in somnum resolutus est: & eccè per visum contemplabatur se prope quoddam altare cōsedisse, pontificali cultu splendidè circundatum: eam verò speciem prætendentem, vt putaretur iamiamque processurus ad quandam dedicationis celebritatem. Cui protinùs assistens vir canitie angelicus, vultu roseus, claritate simul & authoritate suspiciēdus, cùm se Petrum esse dixisset, quęrere cœpit, quid illic expectaret. Sanctus vir, tanquàm notissimam cerneret personam, manens imperterritus, se respondit ad ædiculæ cuiusdam consecrationem eò venisse. statimque subiunxit Apostolus: Dotem, quæ competit, assignatam habens, id quod cupis, legitimè poteris exequi? Qua præsul inquisitione conscientiam suam cōuentam intelligens, id se dixit ex animi deliberatione proposuisse, licèt ad præsens dotis suffragio destitueretur, nè benedictionem, pro qua venerat, diutiùs suspenderet: quandoquidem in procrastinatione dotis diuinis nil obesset seruitijs, quam se, vita comite, sciret breuì reperturum, & ex more traditurum. Hoc, inquit Apostolus, Ecclesiastica iura non habent, vt sine dotis commendatione, sponsa Christi thalamis admisceatur. Vndè nè transgressionis huius occasione grauiùs peccetur, ex nostræ potestatis authoritate tibi concedimus, vt quotiès necessitas exegerit, ab his, quæ matris Ecclesiæ sunt, dos filiæ præstetur. Euigilauit cōtinuò pontifex, ordinemque visionis suæ, rationis oculo crebriùs examinans, nè fortè deceptionis ministra fuerit, à Deo se præmonitum euidenter agnouit. Sic tenebris ad ingressum diei recedentibus, ipse certus ex visione quid faceret, ad consecrationis officium

Visio eius.

Nō est consecrāda ecclesia sine dote.

officium lætus processit, ex prædijs metropolitanæ sedis eam, quam sine damno matris inuénit, filiæ dotem tradens.

Vt in ecstasi à sanctis Mauris flagellatus sit. Cap. 16.

VT autem antecedenti narratione comprahensum est, eius in diuinis rebus studium omnis etiamnùm Colonia testatur: quæ multis sanctorum congregationibus repleta, habet in singulis, quod monimentorum eius posteris reseruet. Verùm inter multas antiquitatis structuras, quibus ipsa ciuitas nobiliter excellit, beati Gereonis olim eximia celebrabatur fabrica, quam Helena Christianissima matrona, Constantini mater, regijs sumptibus in rotũdum erexit, ita marmorea pulchritudine, aurique luce foris & intùs resplendentem, vt ad Aureos sanctos appellaretur. In hoc sanctorum ambitu, sicut fama loquitur, post beati Gereonis & sociorum eius interfectionem, milites ex Mauritania numero trecenti sexaginta, pro fide pariter trucidati, eandem cum beato Gereone, sicut animarum, ità & corporum requiem meruerunt: sed in negligentiori veneratione habebantur à populo, eò quòd in Australi látere templi, suæ memoriæ cryptam satìs humilem, & paucorum receptioni propter angustias habilem, obtinentes, ex accessu rariori per ætatum successiones è memoria penè sublati essent. Quæ negligentia multis increscens annis, sic & Annonis sancti durabat temporibus, donèc nocte quadam eo quiescẽte, reuelationis huiusmodi salutari correptus est verbere. Sublatus in excessum mentis, eorundem Christi martyrum, sanctorum scilicet Maurorum, multitudinem cum magna luminis gloria velut ad concilium vno in loco congregari videbat. In quos cùm mirãtibus defixus oculis, quem visio ipsa finem esset habitura, summa sustineret expectatione, raptus continuò, locum, qui congregatæ multitudinis medius erat, vt examinandus accepit, toruis adspectibus in eum cunctis respicientibus. Cumque discussio subtilis ageretur vel operum illius, vel meritorum, ab illa sancta concione magnarum querimoniarum generalis clamor exortus est, conquerentibus eis, antecessorum eius incuria se tanti temporis contemptum pertulisse, nec vllius venerationis cultum à conciuibus vrbis suæ catenùs accepisse: in hoc se ampliùs permoueri, quòd qualitercunquè à superioribus Episcopis erga ipsos actum sit, eius, de quo spes melioris studij habebatur, non minor in eos neglectus existeret. Post has sanctorum interpellationes, vbi per increpationem districtè requisitus est, quia temeritate tot veritatis testes in tanta vilitate habuisset, non inuento excusationis loco, cunctorum sententia iustæ vltionis flagellum subire iussus est. Itaque veste spoliatus, verberibus grauiter attrectatus est. Suspirijs autem, & omnis emendationis sponsione suppliciter in tormentis, vt parceretur, laborans, hac eádem conditione tandèm dimissus, à somno grauissimo, magno pauore æstuans, euigilauit, ità tremens, & totius corporis habitu ità se gerens, quasì sub flagellis etiamnùm palpitaret. Mox in se reuersus, intelligentiam somni non aliundè, sed ex illatis plagis in ipso corpore sensibiliter habens, necessariò placandos dixit, quibus iratis tantæ acerbitatis animus inesset: satisque metuendum, nè denuò concitatis eis, non, vt antè, aliqua respirandi copia sibi concederetur. Collectis ergò viris industrijs & ingeniosis, ad eandem rotundi schematis basilicam, ab orientali parte rupto muro veteri, nouum continuauit ædificium, quod dispositis in longum parietibus, per adscensus adspectu decentissimos in chorum spectabilem, turresque geminas operosè superiùs consurgens, cryptam in inferioribus magnæ capacitatis explicabat. Addens prẹtereà hunc vel illum ex coloribus siue metallis ornatum, egregiæ laudis titulum, in eisdem picturis versibus appositis, ità promeruit:

Multæ antiquę structurę Coloniæ.

Mauri martyres 360. Coloniæ cæsi.

Visio alia S. Annonis.

Quid igitur fiet illis, qui dedita opera sanctorũ reliquias planè contemnunt?

Crypta apud S. Gereonẽ fit auctior.

Ex Domini monito compunctus Episcopus Anno,
Quicquid habere potest, diuinis cultibus offert.
Iussit & adstantes appingier ordine patres
Vrbis Agrippinæ, sanctę virtutis amicæ.
Pro quibus in cælis lætabitur ipse fidelis.

His omnibus, vt hodiè cernitur, pulchrè perfectis, deincèps in exquirendis sanctarum reliquiarum corporibus immorabatur. Huius autem intentione spei, stratam marmoribus terram intra templi septa detegens, principem sanctæ sodalitatis illius, beatorum scilicet Maurorum, Georgium nomine, socijs in circuitu quiescentibus, accuratiùs præ cæteris humatũ reperit, chlamyde purpurea circundatum, orarũ eius extremitatibus in insignem auri texturam desinentibus. Hunc cum nonnullis alijs

S. Gregorius Maur' martyr inuenitur.

de se-

de sepulcro super altare debita reuerentia exaltans, in eius laudem, qui talium thesaurorum author & largitor erat, erupit: & exindè nomen & memoria sanctorum Maurorum, per omnes Coloniæ angulos celebrior inoleuit.

Sanctus Eliphius martyr quid ei in somnis improperârit. Cap. 18.

S. Eliphius apparet S. Annoni.

ELiphius quoquè magni meriti martyr, qui post abscisionem capitis, cum eodem viæ longissimæ spatiū percurrit, in visione beato viro assistens, eius erga se negligentiam redarguit, improperans quòd eam, quam vt religiosus in cæteros vrbis suæ patronos mentis deuotionem ostentabat, in eo multùm obfuscaret, quòd sciens ipsum nulli meritis secundum, hac extremitate post omnes habuerit, vt ne minimis quidem indicijs suam vnquàm beneuolentiam in eius ecclesiæ amplificatione prodiderit. Eo respondente, iactis quibuslibet nouis fundamētis, inundationem Rheni fluminis in subuersionem totius monasterij sine dubio mox incubituram: perstitit ille, quanlibèt vel paruam eius deuotionis exigens operam, sicque disparuit. At sacerdos à toro se post quietem excutiens, cœnobium S. Martini, in quo martyr idem patrocinabatur, adijt inspecturus loci situm, habitoque consilio, duas turres, à fronte sanctuarij consurgentes, in aërem subrigi præcipit, laudem meritumque viduæ, duo minuta offerentis, proculdubiò obtinens.

Luc. 21.

Vt in visione de sacrosanctæ Trinitatis gloria institutus sit. Cap. 19.

MVltis in hunc modum reuelationibus proficiens, ad meliora in dies incitabatur, Diaconum boni magistri æmulatorem secum habens: cum quo iugis illi erat consuetudo, cessante strepitu publicæ dispositionis, ad psalmos & orationes recurrere semper. Porrò sicut per imbecillitatis humanæ defectum nonnunquàm accidere solet, idem clericus in decātatione psalmorum cum Episcopo per vices tædio superatus, ex negligentioribus & præproperis alternorum versuum enunciationibus in eam décidit consuetudinem, vt in ijs canticis, quæ patris & filij & spiritussancti gloriam per discretas personarum appellationes resonant, mediam semper, id est, filij, transiliret personam. Quam fidei contrariam, & omninò fugiendam negligentiam cùm nemine attendente nulla per longum tempus corrigeret emendatio, venerabilis pontifex in secretissimo noctis cuiusdam silentio quiescendi gratia iacens in lecto, palpebris necdùm plenè sopore depressis, ex ea desupèr parte, quam vertice respiciebat, sonum aure percepit negligenter & corruptè percurrentis, Gloria patri & spirituisancto, ac denuò repetentis idipsum, media per celeritatem intermissa dictione: factusque repentè tanquàm in ecstasi, quendam, cuius claritas & habitus humanum excedebat modum, in maiestate, qua filium Dei decebat, contra se stantem adspexit: qui radiantibus oculis in ora stupentis comem & placidum se ingerens, protensis coram eo tribus sinistræ manûs digitis, primum eorum dextro tetigit indice, dicens: Eccè Pater: moxque secundum, Eccè Filius: post hæc & tertium, Eccè Spiritussanctus. & vocem intra fauces paululùm cohibens, Eccè tres, ait, in vna Deitate similiter adorandæ personæ, quibus gloria par dicitur ab vniuersali semper Ecclesia. Mediam inter patris & spiritussancti personam filius habet, nec vllam recipit diuisionem à duobus in vlla diminutione maiestatis eiusdem & gloriæ. His ità catholica veritate se habentibus, vt quid clerici tui blasphemias sine correptione pręteris? Eam, quam cum patre & spiritusancto communem possideo, gloriam mihi subtrahit, in duarum vocabulis personarum me, qui media Trinitatis persona sum, ad omnem gloriæ decantationem transiliens. Protinùs excitato sacerdote, imago quæ videbatur, euanuit. Admirans autem in consideratione visionis tam perspicuæ, moras quas interìm patiebatur, donèc ad consuetos hymnos veniretur, annorum instàr putabat, summoperè festinās corporis auribus discernere, quod intelligibili sensu per excessum iam acceperat. Obseruans itaque diligentissimè psallentis Diaconi os, solito festinantiùs vltimum psalmi versiculum ipse terminauit. Mox gloriam trini numinis clericus adiungens, mediam solita acceleratione intercepit personam, duas tantùm dicens. Nec vltrà sequentium psalmorum modulatio processit, donèc ab Episcopo repræhensus, ex ordine visionis iam dictæ, non negligendam tanto tempore se contraxisse didicit offensam, habens decæterò non emendationis tantùm, sed & proficiendi salubrem occasionem. Sed iam stylum mutare rerum Dominus iubet: plena sunt lachrymis, plena miserijs & ærumnis, quæ sequuntur: & forsitan eo digniora tanto viro, quo & grauiora: quoniam vbi durior pugna, ibi

Negligētia Diaconi in decantatione psalmorum.

Visio S. Annonis.

Meminerint hoc exemplo clerici, suas horas integrè persoluere.

ibi gloriosior & victoria. Si Iob recipitur flagellatus, & hinc Annonem beatificabimus, qui post multas tribulationes meruit introire in regnum Dei. Iob 1. & 2.

Quod eius persecutionum fuerit initium. *Cap.* 20.

PLus enim Dominus, qui, quos amat, arguit & castigat, hãc quoquè dilectam sibi animam ante diem vocationis eius multis tentari permisit incommodis: vt scilicet ab ea omnem scoriam terrenæ conuersationis excoqueret caminus transitoriæ tribulationis. Primùm moto Saxonico bello, fratrem eius Vuesselum Magdaburgensem Archiepiscopum, & consobrinum eius Bucconem Halberstadensem Episcopum, tempestas inuoluit grauissimæ persecutionis. Contra hos cùm Regi, totius Saxonicæ gentis exterminium anhelanti, opem non satis impigrè ferret, naturę profectò legibus & carnali affectione inhibitus, inuisus ei suspectusque efficitur, periurij ac perfidiæ insimulatur. Apoc. 3.

Quæ à Coloniensibus perpessus sit. *Cap.* 21.

Hoc caput ferè ad verbum descriptum est ex Chronico Lamberti Schafnaburgensis.

HInc inter eum & Regem quotidiè discordijs incrementa accipientibus, ciues quoquè Colonienses, quibus paulò antè vnicè charus acceptusque fuerat, ad interficiendum eum pròh dolor solicitantur: quibus ad patrandum, quod nefariè machinabantur, casus idoneam attulit occasionem. Archiepiscopus Pascha Coloniæ celebrauit, eratque cum eo Episcopus * Mimigardeuordensis, ad communicanda tantæ solennitatis gaudia, familiaris amicitiæ obtentu euocatus. Cumque exactis ex parte ferijs Paschalibus, abscedere pararet, ij qui Archiepiscopi domestica negocia curabant, iubētur ad euectionem eius nauim idoneam prouidere. Qui lustratis perspectisque omnibus, vnam mercatoris cuiusdam prædiuitis nauim, quia in eos vsus competens videbatur, occupant, eamque in ministerium Archiepiscopi, eiectis mercibus quas habebat, ocyùs expediri iubent. Negantibus famulis, qui nauim seruandam susceperant, vim, nisi maturè iussa capessant, minitantur. Illi verò, quantùm poterant, citato cursu ad dominum nauis rem deferunt: quid facto opùs sit, consulunt. Habebat ille filium adulta ætate, non minùs audacia, quàm viribus, excellentem, & cùm propter generis affinitatem, tum ob merita sua primoribus ciuitatis maximè charū & acceptum. Is assumptis famulis suis, & iuuenibus ex ciuitate, quantos in ea trepidatione, in auxilium suum consciscere potuit, concitus ad nauem euolat, & ministros Archiepiscopi, acriter, vt nauis exoccuparetur, insistentes, cum iniuria proturbat. Dehinc aduocatum vrbis in idem opus succedentem, tumultusque instaurantem similiter repellit, fundit & fugat. Iamque & his & illis, sui singulis amici armati subsidio accurrūt, & ad magnum discrimen pugnamque ancipitem res spectare videbatur. Perlato mox nuncio ad Archiepiscopum, quòd atrocissima seditione cōfunderetur ciuitas, misit festinanter ad sedandos motus populi, irarumque plenus minabatur se proxima sessione seditiosos iuuenes merita pœna coërciturum. Erat quippè vir omni genere virtutum florentissimus, & in causis tam reipublicæ, quàm Ecclesiæ, spectatæ sæpiùs probitatis. Vix ad modicum dirempta est concertatio: sed ferox animis, & elatus primo successu iuuenis, non cessabat interturbare omnia: percurrensque ciuitatem, varios sermones per populum serebat de insolentia & austeritate Archiepiscopi, qui totiès iniusta præciperet, totiès innocētibus sua adimeret, totiès honestissimos ciues procacissimis verbis incesseret. Nec difficile fuit, id hominum genus in omne, quod velles, tanquàm folium quod vento rapitur, trāsformare. Præterea in mentem veniebat Vuormatiensium insigne præclarumque facinus, quòd Episcopum suum insolentiùs agere incipientem, vrbe expulissent, & cùm ipsi multitudine, opibus armisque instructiores sint, dedignantur quòd inferiores æstimentur audacia, & Archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem, tandiù muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta consilia, sæuit vulgus intemperans nouarum rerum studio, & per totam ciuitatem spiritu diabolico raptatum, ad arma cōclamat: nec iam Archiepiscopum vrbe expellere, sicut Vuormatienses, sed per omnes cruciatus trucidare, si copia detur, conspirant. Natalis erat beati Georgij martyris, qui eo anno feria quarta hebdomadæ Paschalis obuenerat, & Archiepiscopus celebrata Missarum solēnitate apud beatum Georgium, cùm sermonem faceret ad populum, præsagio quodam futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audiētibus, quòd ciuitas diabolo in potestatem

Id est, * Monasteriēsis.

Ministri Episcopi malè accipiuntur à quodā mercatore.

Ironia est.

Seditio Coloniæ.

testatem tradita esset, & propediem peritura, nisi iamiam impendentem iram Dei per pœnitentiam inflectere maturarent. Auxit huiusmodi suspicionem omnibus, quædam in hunc modum visio celebris: Quidam bonæ vitæ vir ante dies aliquot huius turbulentiæ, vidit per somnum coruum quendam horrendæ magnitudinis per totam volitare Coloniam, & terribiliter crocitando, populum tali spectaculo attonitum huc & illuc agitare: superuenire post hæc virum, tam veste quàm forma præcellentem, qui & coruum horrifico sonitu perstrepentem vrbe expelleret, & populum mente consternatum, iamq; extrema omnia formidantem, cassa formidine absolueret. Cumque à circunstantibus interpretationem somnij horrore concussus quæreret, audiuit quòd ciuitas propter peccata populi diabolo in potestatem tradita fuisset, sed interuentu Georgij martyris liberata, instantis iam atque à Deo prædestinati interitûs necessitatem euasisset. Igitur post meridiem, inclinata iam die in vesperum, cùm igni oleum, iracundiæ accessisset ebrietas, subitò ciuium cõiurata manus erupit: ac primò portæ ciuitatis omnes custodijs vallatæ sunt: dein ex omnibus vrbis partibus ruunt ad * curtim Archiepiscopi, & eum celebri quodam loco cum Episcopo Monasteriensi cœnantem adorti, tela contorquent, saxa iaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, cæteros plagis & vulneribus confectos, in fugam vertunt. Inter hæc conspicantur quamplurimi, ipsum talium furiarum incentorem dæmonem præcurrere insanienti populo galeatum, loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurãtem, nec vlli, quàm sibi, similiorem. Cumque militari quodam classico cunctantes, vt se in pugnam sequerentur, concitaret, in ipso impetu, quo portarum seras effracturus vociferando irruebat, repentè ab oculis sequentium disparuit. Tunc Archiepiscopum sui inter cuneos hostium, nubemque iaculorum vix & ægrè expeditum, in templum S. Petri abripiunt, foresque non modò seris & vectibus, sed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Sæuiunt forìs, & instàr inundantis aquæ rugiunt vasa diaboli, plena vino furoris Dei, & per omnia Episcopij penetralia discurrentes, fores infringunt, thesauros diripiũt, vasa vinaria concidunt, & dum vina in diutinos vsus summa ope congesta, præcipitantiùs effundũt, repletum subitò cellarium, ipsos, quod dictu quoquè ridiculum sit, inopinis fluctibus periclitatos penè suffocauerat. Alij capellam Archiepiscopi irrumpentes, altare spoliant, sacra vasa pollutis manibus contrectant, vestimenta pontificalia diripiunt: dumque omnem supellectilem sacri ministerij curiosa, immò furiosa diligentia euertunt, reperientes illic quendam clericum, præ timore se in angulo altaris occultantem, & putantes quòd Archiepiscopus esset, interficiũt, non sine gratulabunda exprobratione, quòd petulantissimæ linguæ tandèm aliquandò modum imposuerint. Sed cognito, quòd decepti similitudine essent, & Episcopus intra templum S. Petri & loci religione, & murorum firmitate se tutatetur, vndiquè conglobati ipsũ templũ obsident, muros perfringere dedita opera moliuntur: postremò, nisi ocyùs sibi tradatur Archiepiscopus, ignem quoquè se abhibituros minitantur. Tum ij, qui intùs erant, videntes obstinatos esse omnes ad necem eius animos populi, nec ebrietate sola, quæ tempore digeri solet, sed etiam odijs & phrenetico quodam furore homines agitari, suadẽt ei, vt mutato habitu effugere conetur de ecclesia, & fallere obsidẽtes, hoc facto, & sacras ædes incendio, & se mortis periculo liberaturus. Opportunũ fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Nam seditione in mediam noctem protracta, horrebãt omnia tenebris & caligine, vt haud facile cuiquã esset, vultus occursantium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium, itemque de dormitorio in atrium domumque canonici cuiusdam adhærentem muro ciuitatis: isque ante paucos dies ortæ seditionis impetrauerat ab Archiepiscopo, Deo ad salutẽ Archiepiscopi hoc ipsum misericorditer prouidẽte, vt rupto muro ciuitatis, paruulum sibi posticum facere sineretur. Ibi eductus Archiepiscopus, applicitis in euectionẽ eius & comitum eius quatuor equis, abijt, opacæ noctis tenebris, nè ab obuiantibus agnosceretur, cõmodissimè vsus: repertoq; post modicum Episcopo Mimigardeuordensi, socijs iam pulchrè pro ea tum calamitate constipatus, in locum, cui Nussia nomen est, peruenit. Interim ij, qui circa templũ erant, crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratq; confusa vox tumultuantiũ, & fidem omnipotentis Dei testantium, quòd non euasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiamsi in minima terræ reptilia se transfiguraret. Econtrà ij, qui obsidebantur, nũc suppli-

Visio cuiusdam boni viri.

Interpretatio eius.

* chortem, pro domo vel ædibus.

Diabolus incentor seditionis.

S. Anno ægrè à suis in templum S. Petri infertur.

Homicidium.

Oppugnatur templũ.

Sanctus Episcopus aufugit.

Venit Nouesium.

supplicando, nunc pollicendo, quòd diligentissimè quæsitum, si inueniretur, ipsis tradituri essent, callidè ludebant operam perurgentium, vsquequò Archiepiscopum longiùs euectum, atque in tuta loca progressum esse arbitrarentur. Tum demùm reclusis foribus, ipsos ingredi, & pro libitu suo quærere sinunt: adijciuntque, frustrà eum quæri intra septa templi, quem certò cōperissent primo incursu concitatæ multitudinis, clara adhuc die vrbe egressum, iam in longinquas partes trāsire potuisse: idque magìs suspicandum, quòd contractis vndiq; per moram nocturni temporis copijs, primo manè ad occupandam armis ciuitatem sit aduenturus. Igitur ingressi, cùm omnia templi penetralia diligentiùs inuestigando euertissent, vix tandem admissa fide, quòd falli potuissent, deincèps ab inquisitionis studio ad tuendam vrbem animos vertunt, armatamq; multitudinem circunquaq; per propugnacula dispertiunt. Inter hæc arreptum quendam de turba, super portam vrbis ad ignominiam Episcopi suspendūt, magìs in hoc furori suo, quo præcipites raptabantur, satisfacientes, q̃ quòd crimen vllum suspendio dignum, misero obtendere possent. Alteri crura succiderunt. Mulierem etiam quandam de summitate murorum præcipitant, fractisq; ceruicibus interficiūt, hoc ei crimini dantes, quòd homines plerunq; magicis artibus dementare infamata fuisset. Sed hoc scelus cōmodiori tempore, & pacatiore animo vindicare debuerant. Induxerāt etiā in animum, si non fuga vix euasisset, Abbatissam perimere de S. Cæcilia, solam mortis eius caussam habentes, quòd Archiepiscopo consanguinitate iungebatur: adhuc & sceleratiora aggredi statuentes, nisì Deus Coloniæ misertus, breuiâsset dies amētiæ eorum. Præterea iuuenes impigros citato, quantùm possent, gradu ad Regem ire iubent, nunciare ei quæ gesta fuerant, & suggerere vt quantocyùs veniat, vacantem, expulso Archiepiscopo, ciuitatem occupare: in eo verti salutem ciuitatis, & ipsius vtilitatem maximam, vt grandia molientem de vindicanda iniuria Archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furijs toto triduo agitabātur. Postquàm auditum est per prouinciam, & celebri rumore vulgatū, quòd Coloniēses sua Archiepiscopum probris & cōtumelijs affectum, vrbe fugâssent, exhorruit omnis populus nouitatem rei, atrocitatem sceleris, spectaculum humanarum rerum, quòd vir tantarum in Christo virtutum, tam indigna perpeti, Deo adspiciente, potuisset. Magna eius in pauperes liberalitas, multa in diuinis rebus deuotio, multa in humanis moderatio, vehemens in corrigendis legibus studium, libera in corrigendis qui malè agerent seueritas, omnium ore celebrabantur, earumq; rerum cōmemoratio non minimum ei gratiæ apud populares conciliabat. Exclamant omnes, ad suam magìs iniuriam pertinere violatam pontificalis nominis maiestatem, & mori sibi satiùs esse, quàm vt tantum flagitium suorum temporum inultum patiantur. Igitur per quatuor vel quinq; milliaria circunquaq; ad arma conclamant, multa hominum millia dicto citiùs concurrūt, nullo qui per ætatem arma ferre posset, tam religiosam militiam detrectante: conglobatiq; in vnum, rogāt Archiepiscopum, & cunctantem vi impellunt, vt ad recuperandam ciuitatē quantocyùs festinet: se pro eo dimicaturos, & si ea necessitas incumbat, oues pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos: ac nisì Coloniēses maturent venientē suscipere, & pro ipsius arbitratu satisfacere offenso, se aut ingesto igne populū cum ciuitate consumpturos, aut dissipato muro, eum super congeriem occisorum in cathedram pontificalem reducturos. Ità Archiepiscopus quarto die pòst, quàm exiērat, magno vallatus agmine, ad vrbem accessit. Quod vbì Coloniēsibus compertum est, & se tantæ tamque efferatæ multitudinis impetū nec muro, nec acie sustinere posse animaduertunt, tum primùm furor deflagrare, ebrietas euanescere cœpit: magnoque terrore concussi, obuiàm legatos de pace miserunt, se reos confitentes, & omnē, quam vita incolumi iuberētur, pœnam péndere paratos. At Archiepiscopus dignè pœnitentibus se veniam non negaturum respondit. Tum celebrata Missarum solennitate apud S. Georgium, eos, qui pontificem sede propria expulissent, qui ecclesiam homicidio polluissent, qui templum S. Petri hostiliter impetissent, qui cętera religionis iura ausu barbaro temerâssent, Episcopali banno ad satisfactionē vocauit. Protinùs omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt, vix & ægrè impetrata pace multitudinis, quæ circa Episcopum erat, vt hoc tutò facere sinerētur. Nam & vehementer ei succensebāt, quòd dum immoderatiùs clementiam ostentando, popularis fieri vellet, nefarios homines ad audēda nequiora, huius sceleris

Egregiè illuduntur tumultuosi.

Suspenditur homo innoxius à furēte populo.

Prouinciales statuunt vlcisci iniuriam S. Annonis.

Colonienses pacē & veniam petunt.

impunitate, animaret. At verò Archiepiscopus eos postero die ad suscipiēdam secundùm canonum scita pœnitētiam tam immanis flagitij, ad S. Petrum præstò esset iubet: ipse progressus ad S. Gereonem, ibì extra vrbem pernoctare statuit: veritusque quòd tradita ciuitate, vis concitatæ multitudinis inhiberi non posset, sed partìm iniuria, partìm cupidine prædæ accensi, acerbiùs sæuirent in populum, obnixè rogat prouinciales, qui secum erant, vt singuli in sua cum pace recederēt: satìs se opera eorum vsum, & euidens tulisse documentum, quid animi oues erga pastorem, filij erga patrem gererent: asperrimam partem negocij multa eorum virtute exactam esse: cætera quæ restent, facilè iam priuata ac domestica manu posse confici. Proindè, quod bonum, felix, faustumque esset, abirent in domos suas, hanc reportātes spem, quòd huius beneficij gratia apud eum, seu viuum seu defunctum, perpetuò mansura foret. Hoc vix impetrato, milites suos, quantos ad comprimendos vrbanos motus, si qui fortè leuitate vulgi instaurarentur, sufficere putabat, præcedere in ciuitatem iubet, secuturus ipse proxima luce, cùm eorum, qui præcessissent, diligentia, nè quid fortè insidiarum lateret in ciuitate, præcauisset. Ea nocte sexcenti, aut eo ampliùs mercatores opulentissimi ex vrbe profugi, ad Regem se contulerunt, intercessionis eius opem aduersùs Episcopi sæuitiam imploraturi. Cæteri ingresso Archiepiscopo ciuitatem, & toto triduo iuxta condictum expectanti, minimè se præsentârunt ad proponēdum aliquod satisfactionis genus. Vndè indignitatem rei non ferentes Episcopi milites, inscio, vt plurimi asserunt, atque inconsulto Archiepiscopo, arma rapiunt, domos incursant, possessiones diripiūt, occursantes partìm sternunt, partìm captos in vincula conijciunt, & prorsùs, vt veritati vel coacti assentiamur, multò ferociùs, quàm tanti pontificis existimationi competeret, iustæ vltionis negocium exequūtur. Sed grauior morbus acriori indigebat antidoto. Filius suprà memorati mercatoris, qui primus seditione inflammauerat populum, & pauci alij luminibus sunt orbati, nonnulli virgis cæsi ac detonsi, omnes grauissimo rei familiaris damno mulctati, atque iusiurandum dare compulsi, quòd deincèps Archiepiscopo ciuitatem contra omnium hominū violentiam, quantùm consilio & armis possent, vindicaturi essent, & eos, qui ex vrbe profugerāt, quoàd dignè Archiepiscopo satisfecissent, semper pro infestissimis hostibus habituri. Ità ciuitatem pro diuersitate partium, & luctus pariter & lætitia tenuerunt, alijs in regressu pontificis eiecti iustas audaciæ suæ pœnas luentibus, alijs dignos consolationis suæ choros instituentibus. Siquidem nō in vrbe tantùm, sed & vbicunquè locus exhibendæ processionis offerebatur, ibì post istam famā Christi confessor in hymnis & canticis velut Angelus exceptus est. nec immeritò: Quis nanque neget eum vnum ex illis angelis fuisse, de quibus per Malachiam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirūt ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est? Cuius post hæc lachrymas in assensu vel descensu dilecti sibi montis effusas, illi, quibus ibì seruitur, & viderunt, & miserati sunt sancti: quorum pietati conquestus eam, quam à suis tulerat, contumeliam, omnes ad fletum traxit, quos vel ex clero, vel ex populo contigit adesse. Leuauerunt autem & monachi pariter voces suas, & vt rediuiuam desiderabilem faciem eius contemplantes, vniuersi personabant: Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebāt lamenta: tu factus es spes desperatis, magna consolatio in tormentis. Audiebantur hæc in excelsis, & vtiquè credendum est tam eorum, quæ canebantur, dulcedine, quàm sacrificio lachrymarum oblectatum, reuerà ibì Christum adfuisse, sicut & ipse promisit, cùm ait: Vbì sunt duò vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Cæterùm quia nonnullis etiam bonis scandalum ingerit, quòd in vltionem tanti viri, tam sæua dicitur redundâsse castigatio, à grauissimis fideque dignis personis testimonium habemus, eum cum sacramentis multotiès affirmâsse, suam conscientiam ab hac tyrannide prorsùs immunem: quippè cuius nec officij, nec voluntatis esset vnquàm, vltra legis Ecclesiasticæ iura vindictam suarum iniuriarum extendere. Qua de re contrahat os suum inuidus: cui cùm sermo fit, ab eius tumulo cæcos plerunquè redire cum lumine, solet obijcere, magìs ereptos, quàm redditos per eum oculos. Nec mirum, cùm & Moysen sanctum, homicidam nonnulli blasphement.

[Margin: Nota sancti viri erga rebelles ciues humanitatem. — Colonien. sium res, inscio Episcopo, diripiūtur. — Hucusque ferè ex Lamberto Schafnaburgensi. — Malac. 2. — Matth. 18. — Nota hæc Lector. — Exod. 2. Num. 16.]

Vt apud Imperatorem falsò delatus sit, & quid ab eo pertulerit. Cap. 22.

Post hæc

POst hæc cùm Imperator celebrata Paschali solennitate in Babinberg, Ratisponam ire dispofuisset, à nuncio fictæ legationis audiuit, Vuilhelmum cognomento Bastardum, Regem Anglorũ, ab Archiepiscopo Coloniensi vana pollicitatione illectum, cum magno exercitu aduẽtare, regni sedem Aquisgrani occupare paratum. Tunc Rex territus tam atroci nuncio, ad Rhenum concitus remeauit, celebritatem Pentecosten in Moguntia ciuitate splendidè peragens. Indè cùm Coloniam ire instituisset, multum spirans irarum & comminationis in Archiepiscopum Coloniensem, ille missis in occursum eius nuncijs, mandauit falsam omninò, ac scenicis figmentis similẽ esse fabulam, quam in eum æmuli sui composuissent: ij nimirùm, qui eum paulò antè vrbe expulissent, & nunc ad opprimendum eum, quoniam armis non possent, mendacijs grassarentur: se non ità rationis expertem, vel communis commodi negligentem esse, vt in vltionẽ priuatæ iniuriæ, patriam suam barbaris prodere velit: nec ea leuitate vitam à puero instituisse, vt quisquam sanum aliquid sapiens, tam inepta de se suspicari possit. Impetrata dein per legatos coràm veniendi copia, in Andernaco villa Regi occurrit: cumque Rex de ijs, quæ comperérat, seuerissimè quæstionem promulgaret, proditæ quidem reipublicæ crimen, quod obijciebatur, sacramẽto purgauit: cætera quæ delata fuerant, ait Rex se veteri amicitiæ ac pontificali nomini condonare, nec pro iure suo expostulare velle. Ità non extincto, sed interim cohibito furore, Coloniam processit. Ibi postero die ad iudicandum populo assedit, sperans per accusationem eorum, quos Archiepiscopus propter iniurias suas pœna affecerat, occasionem sibi futuram, vt eum seditione cõcitata rursùs ciuitate exturbaret, vel propter oppressos per calumniam innocentes, saltem reum maiestatis faceret. Sed ille omnes accusationum strophas, responsi veritate ac sententiarum grauitate, tanquàm aranearum telas dirupit. Postquàm autem Rex innocentia eius ac vitæ integritate, consilijs quoquè omnia septa vidit, nec vllum patére locum calumniæ, ad aliud se vertit genus iniuriarum. Exegit ab eo, non precibus quidem, vt oportuit, sed imperiosa quadam authoritate, vt Coloniensibus admissæ in se temeritatis veniam daret, excommunicatosque Ecclesiæ reconciliaret: prætereà vt ad firmamentum conseruandæ erga se in perpetuum fidei, sex sibi ex militibus suis obsides daret. Vtrunque ille cum magna constantia negauit: obsides quidem, quòd nullus Regum priorum tale quid ab aliquo præcessore suo postulâsset: excommunicatorum autem reconciliationem, quòd sine digna pœnitentiæ satisfactione excommunicatos in Ecclesiam recipi, leges Ecclesiasticæ vetarent. Imminebat ille vehementer, comminans omnia incommoda se illaturum, & cuncta quæ illius sint, ferro & igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidem paratum, si ipse cum Coloniensibus conspirâssent ad eum interficiendum: sed nunquàm retinendæ vitæ studio, ab iure ad iniuriam declinaturum. Diù anceps erat pugna, & vtrorunque milites magna concusserat solicitudo, expectatione tam tristis spectaculi. Tandèm euictus Rex ab ijs, quorum consilijs plurimùm tribuebat, flexit sententiam, & ait mâlle se cum eo beneficijs certare, quàm damnis aut inimicitijs: & si eum fidum sibi deuotumque in causis reipublicæ experiretur, primum deincèps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus Archiepiscopo, * Aquasgrani perrexit, & aduersùs ea, quæ de irruptione barbarorum fama vulgauerat, eam regni partem, quantùm poterat, communiuit.

In hoc quoquè capite multa ad verbũ ferè descripta sunt ex Schafnaburgensi.

Imperator venit Coloniam.

Præclarum S. Annonis encomium

Constantia eius.

* Aquisgranum

Aliarum calamitatum eius commemoratio. *Cap.* 23.

INterìm insurgente satana contra virum Dei, duo ministri eius, qui in laribus eius familiarissimè obuersabantur, insidias ei tendunt, & nisi Dei misericordia malum hoc præuertisset, nihil tale suspicantem trucidâssent. Alij cuidam, quem beneficijs suis maximè fidum sibi obnoxiumque fecerat, familiares literas à seipso in tabulis, propter maiorem secreti cautelam, cõscriptas dedit Episcopo Halberstadensi perferendas, quibus nepotem suũ, tantis vndiquè aduersitatum procellis iactatum, & penè naufragantẽ, consolaretur & instrueret. At ille ex ipsa tam operosa secreti communitone conijciens aliquid Regi, reique publicæ aduersum, ijs literis contineri, Regi eas detulit. Quas ille cõtra spem suam nulla videns infidelitatis indicia dare, tamẽ ad terrendum eum, exemplar earum Archiepiscopo misit: vt experimento colligeret, non raram apud se suorum secretorum proditionem.

Hic quoquè multa sunt Schafnaburgensis.

Superiùs vocatur consobrinus.

 ditionem.

ditionem. Itèm alius quidam ex ministris eius, quem Coloniensi Ecclesiæ propria industria ipse acquisierat, quemque ob hoc indulgentissimo semper affectu coluerat, & bonis omnibus etiam supra natales suos locupletauerat, repentè insolentia seruili elatus, iugum Ecclesiasticæ seruitutis cœpit detrectare, seque in libertatem violento quodam iure fori, cum magna Archiepiscopi contumelia, velut equus effrenis excussit. Tum verò crebris mortibus charorum suorum ità amaricatus est, & vulnere concisus super vulnus, vt saxeum quoquè pectus, & supra petram fundatum ędificiū concutere posset tam vehemens ille turbo tentationis. Ad omnem autem doloris & mœroris plenitudinem, illa nouæ confusionis miseria, quæ per omnes angulos regni se dilatare iam incipiebat, tanto acerbiùs cordis eius intima tetigit, quanto res ad generale totius Ecclesiæ discrimen spectabat. Nam feritate barbarica confligentibus inter se Francis & Saxonibus, immiscebant se fide dubia nunc his, nunc illis Sueui, gensque Baioariorum: fiebantque cædes, incēdia simul & rapinæ per omne regnum Teutonicum. Harum calamitatum incētrix, & quoddam in præsens durandi solidamentum exurrexit intereà illa lugenda semper omnibus Ecclesiæ membris inter Regem & dominum Apostolicum controuersia, quæ schismatis horrendi lue sanctam mirabiliter confundens Ecclesiam, multorum millium animas inferis pròh dolor destinauit, pacis vnanimitatem è terris prorsùs exturbauit, fœda monachos altercatione dissoluit, clericos in contemptum adduxit, Ecclesiastica iudicia laicis subiugauit, omnem æquitatis regulam subuertit: nec cessat hodiè tanti mali lachrymosa pernicies. His angoribus vir, cui nil Deo charius, adeò coarctatus & excoctus est vndiquè, vt etiam tæderet eum viuere. Itaque voces huiusmodi cum Psalmista dabat ad cælos: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea. Cupiensq; dissolui, & esse cum Christo, dicebat: Quādò veniam, & apparebo ante faciem Dei? Graue iam ei erat terrenum omne: necessitate, non voluntate, sub onere carnis adhuc æstuabat. Tabescebat corpus, nihilominùs & animus infirmabatur. More turturis viduatæ, solo luctu pascebatur, publicas frequētationes declinabat, singularitate delectabatur, assiduè flens, assiduè mœrens. Nec diù militis sui sudores bonus Dominus irremuneratos prætériuit, neque passus est eum tētari supra id, quod sufferre poterat: verùm hinc eum erepturus, antè per altam contemplationis vim, futurorum malorū inspectorem esse voluit: nè ignoraret, quantis à Deo beneficijs donaretur, si necessitatem talibus communicādi moriens euaderet. Id subiecta pagina loquitur, sola sufficiens meritum viri declarare, qui in hac mortalitatis adhuc degens substantia, secretorū cælestiū particeps fuit.

Multa patitur aduersa vir sanctissimus.

Franci & Saxones inter se digladiantur.

Psal. 119.

Phil. 1.

Psal. 41.

1. Cor. 10.

De quadam illius admiranda visione. *Cap. 24.*

POst eam superiùs descriptam Coloniensium nefariam conspirationem, hyberni temporis aderant dies, & beatus antistes pro quodam leuamine sauciati cordis vrbem egrediens, Saleuelt deuénit: vt visis illic filiorū suorum spiritalibus exercitijs, quasi salutaris antidoti haustu recreatus, sui mœroris amaritudinem temperaret. Indè exacto visitationis officio discedens, festum illud, quod Hypapante Domini dicitur, in Heresfeldia solenniter egit: imperataque profectione, viam quæ tendentibus in Sigeberg peruia est, curru subuectus, cum suis incessit. Cumque die quadam psalmis & orationibus vacās, animum in superna leuâsset, instante iam hora nona, non in ecstasi, nec in visione somni, sed sicut carneis oculis adspici solet, cælos super se aperiri vidit: &, vt olim prophetarum eximius Daniel, horrore concussus ac tremore, membris omnibus dissolutus est: animi quoquè robur omne cóncidit. Transmissis viæ propositæ interuallis, per biduum nil incommodi pertulit, in monte degens, præter quòd nonnullis, quasi qui sese excessisset, in verbis subindè admirationi esset. Tertia verò post hoc die cœnantē valida infirmitas tam atrociter inuasit, vt spes omnis auferretur, noctem illam eum superuicturū. Erat autē crepusculum vespertinum, fratresque, finitis Completorijs, sese receperant in dormitorium. Mox igitur vt huiusmodi nuncius Abbatis aures perculit, eo perturbatione concusso, res per omnes angulos cœnobij diffundebatur, fiebatque concursus hincindè fratrum, signo, quo colligerentur, vehementiùs perurgente. Angebat omnes pauor intolerabilis, & tanq̃ vniuersorū vita penderet in ancipiti, monasteriū petiērūt, illud corde meditātes, illud ore ruminātes: Domine, salua nos: perimus. His verò, quibus egrediēdi claustrum vnde-

Stupenda S. Annonis visio.

Dan. 10.

Grauissimo morbo corripitur.

Matth. 8.

vndecunq; licentia offerebatur, cubiculũ Episcopi certatim adeũtibus, cęteri chorum irrumpentes, septem psalmos cum litanijs luctuosè prosequebantur, omnes pectora tũdentes, omnes fletus & suspiria emittẽtes, & quanta charitate erga patrẽ amantissimum filij afficerentur, sibijpsis singuli testimoniũ existentes. Inter hęc ille dolore graui laborans, clamores insolitos magis ac magis edebat. Sed cùm postera die doloris vehementia non adeò iacentẽ crucians, recuperandi vires mentis aliquantulã ei facultatẽ indulsisset, Abbas tres probæ vitæ fratres ad eũ misit, qui, sicut in ea necessitate expedit, ad confessionem, & ad rerum suarum dispositionem eum hortarentur, vtq; nouellæ suæ constructioni, inquantùm tunc licuisset, prospicere non negligeret. Quibus iuxta sensum hunc, cùm lectulo assiderent, hortamẽtis suis eum mulcentibus, idq; quærentibus vnicè, cur filijs suis, quibus alia post Deũ pręter eum spes non esset, minimè loqueretur: ille tenuissimam vocem, vt poterat, exprimens ait: Vndè loquendi sumam exordia fratres, vel quas mœstitiam vestram releuaturas triste cor meum dictabit sententias? Væ misero mundo: væ cunctis humanæ sortis angulis ab ijs, qui dicũtur Episcopi, meî, peccatoris vtiquè, similitudinem præferentibus, quibus nomen, non vita, sacerdotum est. Et graue suspiriũ à pectore trahens, attonitis & ardentiùs huius verbi radicem inuestigantibus, respondit: Sol in nonã iamiamq; vergebat horam, & ego in curru meo residens, iter accelerabam. In aërẽ me visum expandẽte, scissis ex improuisò cælis, omnia desupèr aperta, oculisq; meis non modò mentis, sed & corporis, peruia remanserunt: expauitque cor meum, & dissolutus sum, nec remansit in me quicquã virium: certusq; sum, lãguoris huius immanitatẽ indè me collegisse. At verò non aliter illam terribilem visionem intuitus sum, quàm vos modò contemplor, corporales in vos dirigens acies: nec reor quicquam eorũ malorum, quæ terris imminent per omnes secuturas ętates, & per ipsum æuum, oculorum meorũ acumina latuisse. præcordijsque palpitantibus, altiùs ingemiscens, denuò replicabat: Væ misero mundo: væ cunctis humanæ sortis angulis ab ijs, qui dicuntur Episcopi. Nec poterat vlla precantium importunitate ad hoc adduci, vt eorum quæ viderat, vel minimum eis cõmunicaret. Hoc solùm ad omnem inquisitionem eorum dolens protulit: Væ væ misero mundo, væ misero mundo. Porrò crescente per dies infirmitate, cùm esset sibi mortis suspicio quotidiana, primates cleri Coloniensis ad se accersiens, postulauit, & sub testificatione diuini nominis terribiliter adiurauit, nè consensum suũ ijs vnquàm accommodarent, quibus conueniret alibì, quàm in Sigeberg corporis eius repositio, dicens: Si desiderij mei vobis insistentibus processerit effectus, hicq; mihi sepultura cesserit, tametsi meritorũ meorũ pensa reluctetur, per misericordiam nostri redẽptoris excedentẽ omnia, vestræ, vt spero, de me haurient adhuc aures, quod in magnæ cõsolationis, in magnæ spei patrociniũ vobis & Coloniæ vestræ ante Deum proficiat. Fidei suæ sponsionẽ super hac re singulis ei dantibus, discesserũt. Ille verò sensim recolligens vires, debilitatem illã corporis euasit: memoriã autem mentis non eam, quam antè, per longũ tempus assequi valuit: ità ad visionis illius maiestatem exterritus, & extra se factus erat. Id ex eo innuitur, quòd cùm olim ab Egilberto Mindonensium Episcopo quandam perpetuò dicendam confessor ei factus acceptisset orationem, ad eius notitiam nullo poterat ingenio pertingere, donèc directis ad eum literis, ordinem eius ex rescriptorum annotatione colligeret.

Exponit quibusdam generatim visionem suam.

Memoria eius multũ debilitata ex illa visione.

De alia quadam eius visione. *Cap. 25.*

IAm Septuagesimæ diebus, in quibus hæc obtigit reuelatio, Quadragesimales feriæ successerãt, & dilectus Domini præteritæ valetudinis defectum necdùm plenè superauerat: cùm eccè positus in quiete noctis cuiusdam, somniũ suę felicissimæ dissolutionis præsagum, in hunc modum adspexit: Visus est sibi domum quandam, omni decore intùs & foris resplendentem, intrare: & eccè in subsellijs iudicialibus, tanquàm ad concilium solenniter euocati, residebant Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Bardo Moguntinus Archiepiscopus, Boppo & Euerhardus Treuirẽses Archiepiscopi, Arnulphus Vuormatiẽsis Episcopus, & alij quamplures Galliarum Episcopi, quorum alios ipse in carne nouerat, alios fama tantùm vel lectione compererat: amicti omnes stolis pontificalibus, & habentes vestem instàr niuis candidam. Ipse quoquè candidis admodùm atq; preciosis vestibus indutus sibi videbatur: sed partem candentis vestimẽti, eam scilicet, qua pectus tegebatur, sordida quędã ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultûs eius splen-

Hęc ferè ad verbum ex Schafnaburgensi.

dorem sua fœditate plurimùm obfuscabat: quam tamen ipse nimio rubore perfusus, obiecta manu tegere ac celare, nè inspicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit prętereà inter eos sibi quoq; sedem miri decoris paratam: quam cùm occupare, gaudio & exultatione æstuans, properaret, surgens * Arnoldus Vuormatiensis Episcopus, modesta voce eum prohibuit, dicens reuerendos patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, propterea quòd vestē eius hęc turpis macula fœdaret. Cumq; iussus loco cedere, flens confectoque nimiùm animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus, Aequo animo, ait, esto pater. Maculam tantùm hanc, quæ vestem tuam infecit, maturiùs ablui præcipe: quia non post multos dies beatæ huius mansionis consortium, & sanctorum patrum, quos adspexisti, consessum, voti compos percipies. Manè facto, cùm familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem conijciens: Macula, inquit, hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est, vt æstimo, quàm memoria iniuriæ ciuium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te diuinæ pietatis respectu iam olìm oportuerat admissi huius veniam dedisse. Hæc, quod bona venia dixerim, pectori tuo tenaciùs, quàm æquum sit, residens, amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquēs, cæteram sanctissimæ cōuersationis tuę claritatem molesta quadam caligine obducit & obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio conuictus, nè inficiaretur quod audiebat, reatum suum humiliter agnouit: statimque destinatis circunquaquè nuncijs, ciues omnes Coloniæ, qui eius iniurię participes, vrbe cesserant, ad se reuocauit, eisque proxima festiuitate Paschali omnia sua, quæ direpta fuerant, benignissimè restituit. Sic grauis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata, totam concusserat Coloniam, conquieuit: pater filios, filij patrem recognouerunt: Archiepiscopus amaritudine, populus metu & solicitudine, ciuitas liberata est solitudine.

*Arnulphus

Visionē cuidam suo familiari exponit.

Expositio eius.

Amaritudinem, pro quodā animi dolore accipe.

LIBER TERTIVS.

Vt extremo vitæ anno, solito crebriùs fuerit in Sigeberg. *Cap. 1.*

IGitur dilectissimus Deo præsul vltimum agens annum, dilectum sibi montem plùs solito frequentabat, singulis diebus, singulisque noctibus frequentans altaria singula, se prosternens in faciem coram singulis, flens & orans pro statu periclitantis Ecclesiæ, suamque animam creatori commendans. Et Septuagesimam quidem partemque Quadragesimæ infirmus ibì peregit. Cùm autem Pentecosten festiuo celebraturus gaudio, denuò aduenisset, Anno puer, filius sororis eius, vnicè dilectus ab eo, immaturæ mortis violentia repentè prostratus, nouum ei dolorem, nouum intulit luctum. Intererat tamen communis festi publicis conuentibus, præcedentes in lætitiæ carminibus & vestium decore monachorum choros lugubri vultu prosequebatur, memorans illud, quod & sanctus Tobias, Dies festi vestri conuertentur in luctum. Vulnerabatur autem mente omnis, qui in faciem eius intendisset. Denigrata enim erat valdè, coloremque pristinum prorsùs immutauerat, horrorem quendam præferens, per quem interni doloris eius adspicientes testimonium caperent.

Tob. 2.
Amos 8.

De obitu Hermanni Prioris, Episcopo charissimi. *Cap. 2.*

PAucis pòst diebus Hermannus cœnobij Sigebergensis Prior, vir strenuus, & regularis disciplinæ obseruantissimus, vita functus est: cuius obitus tantum animi mœrorem beato Episcopo attulit, vt multa illa acerba, quæ anteà perpessus erat, huius comparatione pro nihilo putarentur. Valdè enim amauerat virum illum, tantaque eum veneratione prosecutus fuerat, vt quicquid Ille amoris fidutia non tam rogare, quàm præcipere voluisset, id minimè negligendum sibi existimaret: haud secùs eius dicta accipiens, quàm si spiritussanctus eius ore eà expressisset. Illo ergò viro mortis sæuitia destitutum se sentiens, cùm eius sobrietatem & vitæ integritatem mœstissimo animo commemoraret, sumptis sacramentis, stans post feretrum, hanc orationem admodùm luctuosè habuit:

Ab hoc capite vsque ad finem libri F. Laur. Surius suo stylo pleraque contraxit ob vitā dam nimiā prolixitatē.

Oratio Episcopi ad fratres Sigebergenses. *Cap. 3.*

Miseri-

MIseriarum nostrarum negocium præ manibus habemus, & quis sit finis conditionis humanæ, oculis ipsis hîc iam contemplari licet. Admonemur hoc exemplo verissimè dixisse Apostolum, Dies Domini sicut fur in nocte, ità veniet. Cùm enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient. Quicquid hinc vel animo cogitari, vel verbis dici potest, totum hîc nostris obtutibus expositum est. Itaque sermonem generalem in pauca conferens, speciatim meos acerbos casus perstringam. En pròh dolor Anno puer, quo nemo mihi in hac vita charior fuit, ante dies decem abijt è vita: & cùm dolor ille, quem indè accepi, necdùm vel ad momentum quieuerit, ecce illi hodiè funus celebro, qui mihi lõgè aliter, quàm cæteri amici, plangendus est. Maiorem vir iste lachrymarum mearum vim reposcit: quandoquidem talis ipse est, vt locus hic non immeritò luctu perpetuo eum prosequi debeat. Quæ verò spes conseruandi statûs loci huius deincèps reliqua esse potest, quandò exanimis hic iacet, cuius industria disciplina monastica hactenùs hîc suos habuit progressus? Erat aliquo modo tolerabile, quicquid hactenùs, Deo permittente, me infestauit: at quæ nunc patior, prorsùs intima sunt, nec potest manus Domini duriùs me attrectare, quàm dum offertur occasio inimico grassandi in locum hunc meum. Restat igitur, vt me quoquè omnibus debita absumat mors, potestque ex me scire, quisquis hodiè adest hîc, antistitem Annonem non multos superuicturum dies. Ad eam vocem multis lachrymantibus, corpus ex more humatum est.

1. Thes. 5.

Hermanni Prioris cõmendatio.

Prædicit obitu suum S. Anno.

De postremo eius in Sigeberg aduentu, vtq; sepulcrum suum ipse dimensus sit, & quæ militi cuidam prophetice dixerit. *Cap.* 4.

CVm deindè dedicationis ecclesiæ & beatissimi Michaëlis agerentur solennia, postremò ad Sigebergenses venit. Quæ duo sibi cohærentia festa tantò maiori animi pietate & deuotione illic celebrauit, quòd spiritu iam cognouerat, se ad illum locum in corpore minimè rediturum. Recessurus, fratribus paterno affectu valedixit, petensque monasterium, intentissimis precibus, adiunctis præsentium illic sanctorum patrocinijs, Deum obsecrabat pro defension e corporis & animæ suæ, pro Ecclesiæ pace, pro loci conseruatione. Precabatur illis filijs suis animarum salutem, ad singulas preces humì se prosternens, tum genua flectens, tum in cælum manus & oculos attollens, lachrymis perpetim manantibus, vt ad tantæ deuotionis instantiam meritò cæli patescere crederentur. Tandèm sancta illis Cruce consignatis, dum vult exire ostium, catenula quædam ferrea ei oblata est non absque nutu diuino. Nam etsi ea iussu illius confecta erat, non tamen nisi Deo disponente ea hora exhibita est. Eodem enim momento præsul intrò reuertens, locum sepulcri sui baculo designauit eo loco, vbì nunc est, & catenulam illam iussit per tabulata submitti ad lucernam subuehendam. Porrò Suithardo milite non sine admiratione sciscitante ex eo, quid tam accurata dimensione sepulcri sibi vellet, respondit se suam illic designare sepulturam. Illo rursùs inquirente, quænam corporis necessitas eum, id vt faceret, perurgeret? Ea, ait beatus vir, quæ vtiquè summa est, nempe mors ineuitabilis. non enim posthàc viuum me locus hic recipiet. Tum mox expalluit miles, crebroque se Cruce signauit: iterumque percontari ex Episcopo cœpit, cur non in choro, sacratiori templi loco, humari potiùs vellet. Respondit Episcopus: Id ego ea causa nolo, nè tu, tuique similes ad sepulcrum meum orandi causa venturi, fratribus diuina officia persoluentibus molestiam exhibeatis. Tum etiam, vt pateat ad sepulcrum meũ aditus pauperculis fœminis, ex rure pro deuotione sua poma vel oua, aut quodlibet aliud sanctæ simplicitatis munusculũ allaturis: quarum cùm deuotio tanto sit gratior Deo, quanto vita simplicior, non parùm detraheretur honori meo, si illarum reiectis lachrymis & querimonijs, solis nobilibus pateret accessus ad monumentũ meum. Igitur exemplo Domini mei, duo viduæ minuta accipientis, ego quoq; harum & munuscula complexurus, & preces admissurus, omnibus expositum habere volo sepulturæ meæ locum. Ità ille more suo quasi per iocum militi aperiens secreta pectoris sui, foràs egressus est. Indè cõscenso equo, mœstus identidèm animo redibat ad monasterium illud, multùm id deplorans, quòd vltrà non visurus locum illum vnicè sibi charum, filijs suis copiosissimam lugendi materiam præberet. Ecquis

Salutifera oratio eius.

Designat locu sepulturæ suæ.

Cur noluerit in choro sepeliri.

Luc. 21.

quis autem tanti viri mortem, etiamsi saxeo esset pectore, siccis posset ferre oculis? Meritò eum & posteritas lugebit, qui, vt scriptura ait, in diebus suis non pertimuit principem, nec superauit eum verbum aliquod: qui in omni opere suo dedit confessionem Deo: qui curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione: cuius bona stabilita sunt in Domino, & eleemosynas eius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum. Vir magnus, vir catholicus, Ecclesiæ propugnator, tyrannorum persecutor, verbo, opere & moribus dignus summo sacerdotio: post quem non extitit pastor illi similis in finibus nostris. Nec illi tamen pepercit vltrix primæ præuaricationis: immò solito crudelior, vitam eius longo cruciatu cæteris inclementiùs attriuit, vt non dubitârint insipientes quidam etiam illi obijcere illud ex Tobia: Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò paruerunt.

Eccli. 48. Eccli. 47. Eccli. 50. Eccli. 31. Tob. 2.

Vt grauißimos podagræ dolores pertulerit. *Cap. 5.*

Podagra dirè cruciatur vir sanctiss.

NAm cùm esset Coloniam reuersus, dolor podagræ dextrũ eius pedem inuasit, quo nouem plùs minùs hebdomadibus miserabiliter discruciatus, tandèm ad extrema perductus est. Sed enim initio quadam animi cõstantia dolores illos hebdomadam vnam vtcunquè dissimulare visus est, donèc in ferijs sancti Gereonis martyris Missarum solennia in eius ecclesia celebrans, intantùm viribus fractus est, vt omissa, quam habiturus erat, concione, vix sacramentis consummandis sufficeret. Atque illud extremum fuit eius sacrificium: quo peracto, décidit in lectum mortis, omnibus suis dolorem & mœrorem afferens. Longum esset persequi, quas miserias, quæ tormenta toto illo tempore ægritudinis tum à medicis, tum à morbo ipso perpessus sit: nec minùs difficile perscribere, quæ spiritu prædixerit, quæ in ecstasi viderit: è quibus vel pauca adferemus, quatenùs historiæ opportunitas admittet.

Multa in spiritu præuidet & vaticinatur.

Vt S. Euualdum nigrum in visione viderit. *Cap. 6.*

CVm iam exesis carnibus, pellis ossibus adhæreret, quandoquè somno correptus, atque indè expergefactus, in has ferè voces lachrymabundus prorupit: O Euualde martyr, qua ego iniuria te affeci, aut quid in te admisi miser? Sciscitantibus alijs, quid in his verbis sibi vellet, respondit: Equidem vidi sanctissimum martyrem Euualdum, quem nigrum vocãt, sanctis assistentem altaribus: cumque ego sacrificanti ministrarem, ille absoluto sacrificio, in casula purpurea, vesteque candidissima speciosus valdè, ceu nupèr ex lauacro veniens, in cælos receptus est. Ego verò sequebar abeuntem, & vbi ad fores cæli ventum est, sperabam me pariter ingressurum: sed ab eo heu violenter repulsus, video me in hanc caliginem reuolutum. Hæc dicens, tantas fudit lachrymas, vt qui aderant, miseratione permoti, simul cum illo flerent.

Visio eius.

Quæ cum domino Reginhardo propheticè locutus sit. *Cap. 7.*

HAbuit in illa aduersa valetudine, quoàd vixit, quosdã apud se fratres Sigebergenses, interdùm etiã Abbatẽ ipsum: qui per vices aduentãtes, & recedentes, pręsentia sua nonnullã ei recreationem afferebant. Cumq; recessuri alij, alijs succedentibus, ab eo benedictionem peterent, ille magno eos eiulatu prosequebatur, tanquàm nunquàm reuersuros. Venit autem ad eum etiam Reginhardus Prior, vnus ex senioribus, qui inter cætera cum illo secretiùs colloquens, ità ait: Eheu pater & domine, quæ nobis deincèps spes relicta erit? quæ nostrarum consolatio lachrymarum? Quis instaurabit futuram desolationem loci nostri? Eccè iam solum tibi præmortuo sepulcrum superest, nec immeritò formidamus, nè qui viuum te retinere indigni fuimus, vita functo quoquè priuemur. Vndè id consecuturum creditur, vt nostra ædificia omnia veniant in desolationem, & nos, qui Dei & tua causa montem illum incolimus, rebus omnibus nudati, miserandum in modum dispergamur. Ad hæc vir Dei, collecto spiritu, celeriter respondit: Facessat prorsùs timor iste. Testor ego veritatem illam, quæ Deus est, corpus meum exanime, vtì optâram, ad vos allatum iri: tametsi multis contrà nitentibus, sed nihil tamen effecturis, magnã adhuc videtur habere difficultatẽ, quemadmodùm & quãdò id fiat. Sit interim modus dolori vestro: certa prorsùs spes est, me apud vos sepulturã habiturũ. Aderit bonus Dominus, aderit gratia eius: veniamq; locũ cõseruaturus, & per locũ ipse quoq; conseruandus. Vos tantùm in ijs quæ benè cœ-

Is Reginhard⁹ posteà factus est Abbas.

Multa prædicit futura S. Anno.

nè cœpistis, perseuerate, immò inchoata melioribus studijs augete, laboris vestri fructum & hîc, & in futura vita centuplum habituri. Nihil vos terreat suspicio de successoribus meis: pauci in ijs erunt, qui non ad adspectum tumuli mei, pro meî reuerentia caput inclinent, cùm etiam bruta animantia, si cominùs transeant, sensu quodam honoris exhibendi prædita videri queant. Si quis autem ea fuerit peruersitate, vt me contemptu & contumelia afficiat, illum eiusmodi manebit interitus, vt satiùs fuerit, nunquàm illum natum fuisse. His dictis, abiturus pater Reginhardus, rogauit, ecquidnam filijs suis per se mandari vellet. Ille mox sublata voce cum multis lachrymis dixit: Animam & corpus meum. Iamque Reginhardo fores egredi volente, ità eum compellauit: Vt tuipse iam vidisti, res meæ finem habent. Itaque ego te, dilecte frater, per Christum oro, nè singulare spei meæ præsidium, montem illum meum deseras, sed me defuncto, integritate & constantia tua foueas atque sustentes. Magnorum illi periculorum materiam subtraxeris, si peccandi licentiam, quæ religionem omnem euertit, in fratribus regulari seueritate coërceas, conuenienter illi sententiæ sapientis cuiusdam: Filiæ tibi sunt: serua corpus earum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad eas. Nôueris autem non deesse iam illic, posthàc verò etiam plures futuros, quorum animi & actiones spectabunt ad loci destructionem, si tu, quod absit, cœperis esse remissior. Vide igitur, vt regulæ authoritate constanter armatus, prauorum cœptis occurras, nè tua negligentia locus ille meus collabatur. Hæc tum quidem senior ille Reginhardus, quid sibi vellent, non assequebatur: sed paucis post beati viri obitum mensibus, electus à fratribus, coactus est totius Sigebergensis monasterij curam suscipere, quam hodieque, memor beati Annonis singularis intercessoris sui, multa fide & solicitudine gerit, annis iam vigintinouem non suis, sed Christi viribus sustentatus.

Peccãdi licentia oẽm religionem euertit.

Eccli. 7.

Vt primos è clero & senatu adiurârit, nè impedimento essent, quô minùs in Sigeberg sepeliretur, &c. *Cap.* 8.

PAucis post hæc diebus primarios viros, quorum sententiam reliquos è clero & populo sequi certum erat, ad se acciuit: sedensque in lecto, vt maius accederet dictis eius pondus, stolam pontificiam ad collum adhibuit, ac deindè terribiliter eos adiurans, simul etiam excommunicationis minas intentans omnibus, qui vel consilio, vel facto secùs facerent, impensè illos rogauit, nè corporis sui in Sigebergense cœnobium translationem impediri paterentur. Quarta autem ante decessum suum hebdomada, Erphonem Sigebergensem Abbatem, quem pro canitie veneranda patrem semper appellabat, aliorumque monasteriorum patres & fratres non minùs duodecim iuxta se assidere voluit, & cordis oculis perlustrans omnem vitæ suæ decursum, confessione publica se reum, se peccatorem proclamabat, indignum planè, qui hactenùs tanti sacerdotij titulis ornaretur. moxque stolam pontificiam à ceruice remouens, eis offerebat cum his ferè verbis: Ab hac ego meritis longè alienus, vobis eam pœnitens & confitens restituo. non enim elata ceruix mea illa diutiùs abuteretur, qua meo iudicio nũquàm dignè vsus sum. Reclamantibus verò vniuersis, tandèm Erpho Abbas victus ab offerente, eam recepit: authoritatem autem ex fiducia vsurpans, ità ait: Magna est humilitas tua, non possunt non commendare boni omnes hoc factum tuum: quòd causa timoris Dei nobis, & meritis & ordine longè inferioribus, intantùm te submisisti, vt excellentiæ Episcopalis nos præceptores habere velis. Nos igitur per filij Dei sanctam obedientiam tibi mandamus, vt stolæ tuæ authoritatem & priuilegium incunctanter recipias. Nam tametsì proprio iudicio indignum te fateris eius eminentia, non tamen idcircò perijt apud Deum, si quid boni, & quod Episcopo dignum sit, in summi iudicis oculis obtines: immò verò, cùm sit iustus in principio accusator suî, & per prophetam Dominus loquatur, Dic tu iniquitates tuas prior, vt iustificeris: non mediocriter illud cumulâsti & auxisti. Non ausus resistere illi sanctus Episcopus, id solum agebat, vt certus Missarum aliarumque precum numerus designaretur, quem singuli pro peccatis, quæ cõfessus esset, persoluerent. Factumque est ità, & oratio humiliantis se, vt ait scriptura, nubes penetrauit, & non discedet, donèc adspiciat altissimus.

Valdè vrget, vt apud Sigebergẽses sepeliatur.

Vide humilitatẽ tanti viri.

Prou. 18.

Esa. 43. iuxta 70.

Eccli. 35.

Quàm

Quàm reuerenter occurrerit sacris reliquijs. Cap. 9.

CVm iam autem acrioribus ad finem doloribus vrgeretur, non immemor quibus iam olìm patronis cælestis obtinendæ patriæ spem hausisset, eos ad matrem ecclesiam voluit deportari, seque sellæ impositum obuiàm eis perferri, habitu sanè eleganti primarij Decani indutus, cùm proprium non haberet. Valdè tum madebat humus recentibus pluuijs, locusque quem sub diuo æger occupârat, sustinens reliquiarum transitum, lutulentus & humidus erat ex aquis hincindè collectis. Ad singulas autem reliquias prætereuntes caput reuerenter inclinans, vbì postremò sanctum Seuerinum cominùs adesse vidit, in lachrymas ingentes prorupit coram venerabili theca eius, & de sella pronum se deiecit in cœnum, vt vestis illa candida & magni precij maxima ex parte luto fœdaretur. Id verò cernens populus frequens vtriusque sexûs, qui sacras reliquias sequebatur, rugitus quosdam edidit miserabiles, tantisque cum lachrymis prosequebatur, vt hodieque plerique ex eis testentur, eiusmodi luctum se nunquàm sensisse. Mouebat enim omnes, quòd tantus antistes, tam in imperio celebris, in eas se luti sordes præ deuotione & humilitate abijceret flens & eiulans, etiam splendidè vestitus, quas despectissimus quisque etiam vilissimo habitu contingere nollet. Facilè autem indè conijciebant, quanta esset erga beatum Seuerinum animi deuotione, & plerique minimè diffidendum censebant, pares illos futuros in gloria, quorum essent merita tam præclara. Postquàm autem sacræ reliquiæ in summam beati Petri principis Apostolorum ædem importatæ sunt, nox illa ad cælestes thesauros cum laudibus exacta est, & vir Dei eò perductus, ob expianda peccata rogauit accelerari Missarum celebrationem. Deindè cùm honorem multum sacris reliquijs impendisset, & illæ iam in sua loca reducēdæ essent, cum lachrymis eis valedicens, Scio scio, inquit, quicquid hactenùs in hac lachrymarũ valle de vestris auxilijs mihi pollicebar, id iam finem habere, quòd ad hanc vitam conseruandam attinet: sed certa mihi de vobis spes est & consolatio, tametsì corpori succurrere non vultis, semper vos salutem animæ meæ curaturos.

En sancti viri multã reuerẽtiam erga sacras reliquias.

Reliquiæ sunt cælestes thesauri.

Vt dæmonem ad lectum suum stantem viderit. Cap. 10.

POrrò autem dolor pedis omne crus & partem femoris occupãs, crebrò vitalia ipsa infestabat, cumque ad vicinam mortem iacéret anxius, quandoquè vidit ex aduerso diabolum stantem, aitque ad eum: Quid tu hîc agis scelestissimè? quanquàm non mirum est, si nos exiguos & nullis fretos meritis attentes, quandò nec beatissimi Martini sanctitate absterritus es, quô minùs eius quoquè extremis tu insidiareris. Deindè exclamans, num quis opem sibi ferre vellet, vbì omnes paratissimos comperit, aquam benedictam petijt. Qua celerrimè exhibita, asspergillo eam cum impetu coniecit in dæmonem, isque continuò disparuit.

Aqua benedicta abigit dæmonem.

Vt omnibus condonârit, & ab omnibus condonari sibi petiërit, &c. Cap. 11.

AD extremum stolam suam accipiens, quascunque ob causas quenquam ligâsset, absoluit, & ab omnibus humiliter veniam petijt, omnes contestans, nè se celarent, si quid in his ab ipso esset prætermissum. Accitis quoquè rerum Episcopalium procuratoribus, ea fide, quã ipsi dedissent, eos obstrinxit, vt in persoluendo ære suo alieno, quod non exiguum contraxerat, sine personarũ acceptione suas vices implerent, & tam Iudæis quàm Christianis iustè omnia redderent, certam eis pecuniam assignans, quam in hos vsus & exequiarum suarum eleemosynas mensę suæ cautè prudenterque subtraxerat. Et potuisset ille sanè auri & argenti immensa pondera inferre in thesauros suos, vndè alijs & corporum & animarum pericula crearentur: sed non id illi studio aut curæ fuit. Dispersit autem, sicut scriptum est, & dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Deniquè eo defuncto, nec teruncius vnus repertus est, qui illius esset, & neque Rex, neque vllus auarus eius satelles gloriari potuit, ex Annonis amplis marsupijs hæc vel illa sibi post eius obitum obtigisse. Nec tamen quisquam ex ijs, à quibus mutuò pecuniam acceperat, solutione frustratus est, nec tam largas eleemosynas nostra vel vidit, vel audiuit ætas, quales octiduo in eius exequijs præstitæ fuêre: Deo id agente, nè quid ab ijs, quibus harum curam demandârat, aut negligentia, aut dolo malo prætermitteretur.

Contemnit diuitias, pauperibus omnia distribuens. Psal. 111.

Quæ

Quæ Comiti Gerlaco mandârit atque prædixerit. Cap. 12.

TErtio ante obitũ suum die, quem ipse non ignorabat, Comitem Gerlacum, dominũ castri Vuichinrodensis, ad se accersiuit, eiq; dixit: In hoc iam certum dabis tuæ erga me fidei documentũ, si extremis domini tui iussis obsecundans, strenuè in id incubueris, vt ante crastini solis occasum Dux Godefridus mihi locuturus, Coloniã adducatur. Comite autẽ respondente, nulla id ratione fieri posse, vt intra biduũ ille adsit, qui tum procùl abesse ferebatur: magnum fore, si vel ad diem tertium possit adesse: sanctus pontifex ilicò adiecit: Frustrà tertius quæritur dies, quandò ante illũ diem finem habebunt sermones mei, spiritu redeunte ad creatorem, qui dedit illum. Ijs verbis territus Comes, Facessat, inquit, domine, hæc oratio: Deo propitio, certa aderit salus. Rectè ais, respondit Episcopus, stabilem breuì salutem adfuturam mihi, quem beati Seuerini cingunt merita, pro quo Coloniẽsium patroni communiter intercedunt, in quos ego semper totis viribus suspensus, iamiam ingrediar requiem sempiternã, ab illis mihi prouisam. Tu verò, quem à priori mandato excusat impossibilitas, fidem fefellisse cẽseberis, si me defuncto, neglexeris mandata mea perferre ad Ducẽ Godefridum. Iurante Comite, se id diligenter curaturum, Episcopus benè confidens, ait: Quæ pro Saxonũ pace & venia apud Regis efferatum animum mandata persequatur, ea tuæ fidei committo. Tu ea Duci perferes ex me, ille porrò apud Regem ea conficiet. Admonebis autem ad singula Ducem eius amoris & fidei, quæ me & illum arctissimè coniunxerit: tum quoquè addes, etiam ipsum intra annum è vita decessurum. Sic quidẽ sanctus Episcopus: at verò eodem anno per insidias Dux Godefridus occisus est. Altera ab hinc die vir sanctus circa nonam ad extrema deductus, repentina desperatione Coloniam vniuersam consternauit. Aderant mox primi è Clero, in exequias eius toto pectore incumbentes: atque cum clero communicatis consilijs tractantes, quidnam ei honoris & deuotionis migranti posset impendi, ad cuncta Coloniensis vrbis monasteria celeres mittendos nuncios designâruut, qui dato signo obitûs eius, cursìm adirent singuli singula ipsis assignata monasteria, & quæ illis obuiæ essent, parochias, iuberentque in animæ eius obsequium signa omnia compulsari. Illo interìm in extremis agente, aderant ei lectores quatuor, duo à dextris, & à sinistris totidem: qui per vices legentes, si inter legendum nonnihil errâssent, ab illo manum agitante ilicò corrigebantur: &, si vel parùm à legendo cessâssent, oculos ille vi quadam aperiens, cogebat eos progredi. Ità vsque ad extrema sensus illi mansit viuax & incolumis.

Iterùm prædicit obitũ suum.

Ecce quid tribuat sanctorum patrocinijs.

Prædicit obitũ ducis Godefridi.

Vt sub mortẽ S. Mariã & alios sanctos inuocârit: & de felici eius decessu. Cap. 13.

CVmque in agone noctem cum die continuaret, illam pestem, quam nos iam cernimus, qua miser mũdus, omnis honestatis & religionis expers, iacet oppressus, spiritalibus ille oculis intuens, repentè manus, vt poterat, in alta sustulit, & miserandum in modum exclamauit: Sancta Maria, succurre miseris, succurre Coloniç, succurre ciuitati iamiã periturç. fessaq; brachia paululùm deponens, rursùs ad sidera sublatis illis, Quænam sunt, inquit, ô Domina, quæ se meis offerunt oculis, horrenda spectacula? Per singularem misericordiã tuam te obsecro, vt mihi ianua fias, per quam hinc emigrem, nè tanta mala cogar videre oculis meis. deficientemq; spiritum breui silentio recreans, ad succurrendum Coloniæ etiam S. Petrum inuocauit, interdùm etiam alios sanctos appellans. Tãdèm cum multo gemitu in hanc prorupit vocem: O amici omnes summi Regis, in eius notitiam admissi, subuenite Coloniæ intercessionibus vestris. His dictis, vltimum trahens spiritum, die illucescente, ad ipsum lucis fontem feliciter emigrauit, mundo luctum, cælis gaudium morte sua afferens. Ità post diuturnum morbum, quo illum Dominus tanquàm in camino ad purum excoxit, anno Saluatoris millesimo septuagesimoquinto, Episcopatûs sui vicesimoprimo, pridiè Nonas Decembris, illucescente sexta sabbati, ab hominibus ad Angelos profectus est.

Visio eius in extremis

Multùm orat pro Colonia.

Feliciter migrat ad Dominum.

De visione cuiusdam fratris, & Coloniensium mærore. Cap. 14.

QVidam tum monasterij eius frater in hospitio quiescens, eiusmodi audiuit vocem: Quid tu ità nunc stertis, quandò ad obitum Archiepiscopi domos omnes luctus occupat? Ilicò expergefactus frater, cum multo tremore surgit, & dum se induit, audit crebra campanarum signa, mor-

tem Episcopi significantia, vt erat anteà constitutum. Paulò pòst, concrepantibus
Multũ eius decessu mœrẽt Colonienses. passim campanis, dici non queat, quantus vrbem vniuersam luctus & mœror occupârit. Omnis ætas, & sexus omnis è lecto exiliens, complodendo, pectus tundendo, diuersis edendis vocibus se plangere declarabat: tantusque tota vrbe clamor extitit, quantus ad alicuius exequias nec anteà illic compertus est, nec facilè deincèps comperietur. Mirè plorabant permulti è populo homines pij, Clericorum dolorem testabantur immutati vultus: monachis, viduis & virginibus vna erat plangendi ratio: specialis autem luctus nostra obtinebat hospitia, qui Annoni similem nunquàm sumus habituri. Videre licebat omni ex parte ruere pauperum, orphanorum, ægrorum miseranda profecta examina, atque in ijs mulierculas paruulos suos gestantes, præcurrere, ferire pectus, lacerare crines. Quo spectaculo ni-
Matt.25. hil possit gloriosius videri illi, qui non ignoret illud dictum Saluatoris, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. In horum enim sinibus absconderat eleemosynas suas, ijque cum ramusculis oliuarum & precibus præcedentes & subsequentes in eius obsequium, ad ipsam maiestatis sedem cum illo appropinquârunt.
Luc.16. Felicem sanè, qui sibi tales parauit amicos de mammona iniquitatis, qui eum reciperent in æterna tabernacula. Parua autem sunt hæc. In ipsis etiam hostium Chri-
Etiã Iudæi lugent. sti Iudæorum synagogis, primo manè tumultus, & clamor ortus est, Annonis nomen, Annonis probitatem & integritatem prædicantium, mortemque eius complorantium. Interìm tamen non sumus nescij, plures eius obitu partìm palàm, par-
Ioan.3. Galat.1. tìm occultè lætatos, in quos rectè quadret illud, Omnis qui mala agit, odit lucem: de quibus etiam Apostolus dicit, Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Facit hoc potiùs ad laudem beati viri, vt qui talibus displicere voluerit, quibus nulla placet Ecclesiastica disciplina. Satisque mirum videri queat, quòd cùm plerique Colonienses, qui eum vrbe eiecerant, eum odio habuerint, ità tamen ad exequias eius ciuitas omnis propensa fuit, vt in ea ciuitate nullæ vnquàm
Celeberrimæ eius exequiæ. similes vel fuerint, vel futuræ sint exequiæ. Non enim vel ipse totius Ecclesiæ pastor Petrus Apostolus, si vrbem illam corporali præsentia inuiseret, maiori posset gloria & celebritate excipi, quàm funus illud diebus septem frequentatum est: si tamen funus dici debeat, & nō potiùs cæleste munus, quod Colonia in protectionem suî, filiorumque suorum sanctificationem, diebus sex circunduxit, & septimo tandèm die cum ingenti comitatu tam honorificè, quàm luctuosè, ad montem Sigebergensem transmisit.

Quales fuerint beati viri exequiæ. *Cap. 15.*

Exequiarũ eius descriptio. Corpus exanime lotum, & vt Episcopum decebat, in feretro compositum, adhuc ab horum ministris tractabatur, & eccè needùm orto sole Clerus totius Coloniæ cum Crucibus aduentans in curiam regiam, cum frequentissima tam vrbana, quàm suburbana plebe, ædes Episcopi circunstiterunt, non vt mortuum excepturi, sed tanquàm viuentem ad insignem aliquam celebritatem cum triumpho prosecuturi. Mox in humeros receperunt onus sacratissimum quidam viri venerabiles, Clerici & monachi, plangentibus ministris, qui eos sequebantur, exportâruntque illud ad Episcopum Mindonensem & Cleri frequentiam, duobus cum pedo Episcopi & Crucis vexillo præeuntibus. Vbi autem in conspectum hominum venit, dictu incredibile est, quæ tum illic lachrymæ & gemitus extiterint. Indè cum psalmis & canticis, cum magno campanarum fragore & clangore in summæ ædis atrium illatum est, depositumque sub corona quadam magni operis illic pendente, multis in ea cereis ardentibus. Adfuêre mox frequentes monachi, & Deo sacratæ fœminæ: celebratum est defunctorum officium, quod vigilias vocant, templum omne cantantium vocibus complebatur. Hora sacrificij cunctis congregatis, inprimìs reuerenter & deuotè Mindensis Episcopus cum sacris ministris accessit ad aram, eumque omnes secuti sunt, permixtìm psallentes atque lachrymantes. Peracto sacrificio,
Nota mirabilem luctũ omnium. sacerdotes omnes cum stolis suis post feretrum steterunt. Ibì tum luctus & gemitus, dolor & lachrymæ increuerunt, magisque affectu, quàm voce, dicebant omnes: In paradisum deducant te Angeli, in tuo aduentu suscipiant te martyres, & perducant te in ciuitatem sanctam Hierusalem. Cui vel tenuis pietatis scintilla inesset, non poterat non compungi, si vidisset officia, quæ illo die beato viro persoluebantur. Ipsæ canentium voces, ipsę carminum suauitates, ipsi verborum sen-

ſenſus,atque adeò ipſi offerentium ordines & multitudo teſtari videbantur,iam in cælis eius feſta celebrari.Omnia compunctionis plena erant,digna tali funere. Interìm totus Eccleſiæ Colonienſis magiſtratus vna animi ſententia in id ſummoperè incubuit,vt ſacrum corpus Coloniæ ſuam haberet ſepulturam. Et alijs quidem bona animi voluntate,alijs ex inuidia id connitentibus,Clerici illi,qui olim à beato viro in eccleſia ad Gradus in honorem matris Dei conſtituti fuerant, publicæ iuſtitiæ detractum iri aiebant,ſi præter illud ſepulcrum, quod ipſe apud eos ſibi menſus eſſet,aliud,quanuìs ab eodem ipſo,tamen poſteriùs deſignatum,iam mortuus obtineret. Huic ſententiæ cùm etiam proceres plerique omnes ſubſcriberent,ſoli tres, Sigeuuinus Decanus ſummæ ædis, Hermannus Vicedominus,qui ambo poſteà ei ſucceſsêre,& Gerlacus Comes,acerrimè ſeſe oppoſuêre,& nunc precibus,nunc conuicijs cum alijs agebant,præter perfidiæ crimen, quo ſe obſtringerent,qui eam ſententiam ſequerentur, etiam anathemate plexos eos aſſerentes. Et triduò quidem nihil impetratum eſt. Quarto autem die obſtinatioribus animis vtraque parte ſuum propoſitum vrgente, tandèm Gerlacus Comes in medio conuentu ſtans,ità ait: Eſſet meritò tantorum virorum ſententiæ cedendum,ſi non publica iuſtitia ſtaret à nobis,quæ,ſi ſcire vultis, æquè vos atquè nos,domino noſtro adhuc liberam habente ſepulturæ deligendæ facultatem, obſtringit, ità vt ſine magno ſalutis noſtræ diſcrimine ſecùs,quàm ille iuſſerit,hac in parte facere nequeamus. Nôſtis quæ ille,veſtræ pertinaciæ præſcius, vobis dira imprecatus ſit, vt quiſquis ſapit, vitam hanc perdere mâlit, quàm eam excipere maledictionem. Et tamen appetitur tanta animarum pernicies. Etsì verò nihil iſthæc vos permouent, non mihi certè integrum eſt veſtro exemplo adiurationem domini mei, cui fidem obſtrinxi meam, negligere, cùm certum ſit, eoipſo in excommunicationis mucronem me ruiturum. Quòd ſi etiam diuina vltio non vrgeret,at certè leges humanæ eam à me fidem repoſcerent, vt priùs velim nobiliter occumbere, quàm iniuriam cuiuſcunque domini mei, cui ſacramento obligatus ſim, ignobiliter negligere. Quòd ſi ea fides cuilibet domino debetur, quanta illi præſtanda eſt, qui à cæleſti ſenatu iam medio conſeſſu receptus eſt,cuius dignitas & vrbis huius nobilitate, & ſummi ſacerdotij culmine illuſtris eſt? Cuius tanta fuit vitæ ſanctitas, vt beatus meritò prædicetur, qui pro eius defenſione vel afficiatur contumelijs, vel ſanguinem fundere cogatur. Id igitur omnibus vobis notum ſit, hac me eſſe ſententia,ob conſeruandam domino meo fidem,vt,ſi aliter non liceat,opera commilitonum meorum eius corpus conſtanter tollam,& armata manu mihi vindicem, donèc ius cuique ſuum victorum mortes aſſerant. Hæc illo Comite magno animo proſequente, cæteri metu abſterriti ſiluerunt: ſolus Rudolphus Præpoſitus Graduum,cum ſuis necdùm deſtitit ſuam tueri ſententiam: ſed eum Comes coram omnibus ità compellauit: Ridiculum ſanè fuerit,ſi putes nos impudenti oratione tua adeò frangi poſſe,vt ignauia victi, imbelles vos patiamur occupare depoſitum noſtrum, pro quo etiam ferro dimicare velimus? Itaque planè id tibi perſuadeas,nunquàm fore, vt quauis arte id, quod cupis,aſſequaris. Nam etiamsì, dubio adhuc rei huius euentu, neceſſitas eò nos adigat, vt abſque noſtra quidem culpa in hac vrbe corpus hoc ſepeliendum ſit,tamen etiam tunc pudebit vos inutilem ſuſcepiſſe laborem,quandoquidem neceſſè erit humari illud in ipſo B.Petri choro ſiue adyto,vbì nullus antehàc, quanuìs ſanctiſſimus, terra conditus eſt. Ità Præpoſito illo cum ſuis quoquè remoto,controuerſia omnis ſopita eſt, reſpiciente Deo pauperes ſuos, qui in preces,vigilias & ieiunia non ceſsârunt incumbere, donèc optato illo theſauro potirentur. Porrò autem exactis primæ noctis excubijs ad corpus beati viri,altera luce apparente, rursùs populus & clerus frequens ad beati Petri ædem conuénit, nouusque planctus,noua lamenta extitêre, & ſalutaris hoſtiæ feruebat miniſterium. Indè quidam ſacrum corpus tanquàm diuinæ propitiationis arcam in ſuos humeros ſuſtollentes cum lachrymis & eiulatu multo, ad portam illam contendebant, quæ meridiem reſpiciens,ituris ad S. Martinum per chortem regiam iter præbet. Concrepuerunt mox ſigna campanarum, pſallenſque chorus antecedebat ſacrum corpus,magiſtratu cum populo à tergo ſequente. Incredibilis etiam tunc dolor & planctus fuit,nec minor deuotio: mireque alij alios excludebant à ferendo feretro,dum ſinguli illud onus ſibi imponi peroptarent: omnes verò certatìm vel ad ſolum feretri contactũ inhiabant, magnæ cuiuſ-

Plurimi conantur eius ſacrum corpus Coloniæ retinere.

Gerlac' Comes acerrimè ſe oppoſuit.

Nouus planctus & nouæ lachrymæ alterius diei.

dam benedictionis opes indè sibi pollicentes. Stabant in ostijs domorum suarum pudicæ matronæ, qua transitus erat, & passim videre licebat homines manus in cælum tollentes, caput mouentes, oculis prosequentes illud sacrũ corpus. Vbi autem in monasteria quoquè introductum est, eximij sanè illi habiti sunt honores. Templa enim cereorum & lampadarum illustrabant lumina, auro gemmisque radiabant altaria, parietes tapetis multicoloribus ornabantur, sanctorum quoquè corpora suis locis mota, quod nunquàm anteà in exequijs visum fuerat, cum processionibus educebantur. Neque id absque occultioris cuiusdam inspirationis vi factum arbitror: sed quemadmodùm beatus Anno, dum esset in humanis, quicquid potuit animo, ore & manibus atque pedibus, beatis illis cæli ciuibus honoris impéndere, haudquaquàm prætermisit: ità ei quoquè id specialiter collatum est, vt, ad tumulum deportandus, sacrarum reliquiarum comitatu frueretur. Ecquis autem parem illi se in sanctorum veneratione existimare ausus erit? Quis vnquàm tanto flagrauit auri studio & amore, quanto ille vel minimis sacrarum reliquiarum portiunculis delectabatur? Feruebant interìm studia omnium erga beatas exequias, & tanto se quisque gloriosiorem arbitrabatur, si noui quippiam aut præ cæteris amplius aliquid in earum apparatum expendisset. Vbiquè offerebantur sacrificia, & alia religionis officia præstabantur, nec in ijs aliquid vnquàm occurrit impedimenti, vt ipsi quoquè prosperi successus, Annonis sanctitati gratulari viderentur. Et primò quidem è summa æde deportatum est eius corpus ad beati Martini cœnobium, indè ad sanctæ Mariæ monasterium, quod nouum vocant: tum ad beatam Cæciliam, postremò ad sanctum Georgium, vbì ea nocte ad illud vigiliæ celebratæ sunt. Tertio die post oblatum sacrificium, ad iucundissimi intercessoris eius Seuerini templum pastor exanimis adductus est: vbì singulari priuilegio obuiàm ei prolatæ sunt tanti pontificis sacræ reliquiæ. Postquàm autem ibì quoquè oblatum est sacrificium, ad S. Pantaleonis religione & censu præstantissimum cœnobium itum est, indè ad ecclesiam Apostolorum, pòst ad sancti Gereonis. Excipiebatur autem apud sanctum Gereonem honorificentissimè. Nam extra fores basilicæ, sancti cum multa reuerentia obuiàm proferebantur, micabant intùs luminaria, resplendebant diuersæ metallorum species, campanarum permixtus clangor perstrepebat, totiusque templi facies non alia erat, quàm solet esse in solennitate præcipua. Atque ea quidem nocte ibì cum psalmis vigilatum est ad sacrum funus. Quarto die post Missas celebratas, deportatus est vir sanctus ad monasterium sancti Andreæ, ad sacras Virgines, ad sanctum Cunibertum, vbì inter duos Euualdos medius est collocatus. Tandèm ad Gradus ventum est, vbì innouatus est dolor, inerceuerunt lachrymæ, nec admittebatur consolatio, quòd in omnium oculis extinctum iacéret Coloniæ decus & ornamentum. Ibì deliberatum est à proceribus de maioribus impendendis honoribus beato antistiti, tanquàm nihil dignum hactenùs præstitum esset. Statutum est igitur, vt proxima luce generalis illic celebraretur conuentus, sanctorum reliquiæ ex omnibus ecclesijs eò adducerentur, singulis congregationibus suos patronos honorificè sequentibus. Factumque est ità, non sine multorum summa admiratione. Prædicanda sanè omnibus seculis Coloniensium fides & deuotio, qui sui pastoris funus tam splendidè cohonestârunt. Postquàm autem sacræ illæ reliquiæ in templum illatæ sunt, in medio earum positum est corpus exanime beati viri, vt quasì illis antecellere videretur, quibus vel æquari non nisì summorum sit. Equidem quid alij sentiant, ignoro: me quidem præ admiratione vix capio, dum non memini vlli vnquàm funeri illos exhibitos, quibus præ timore sanctitatis eorum, vix quisquam propinquare ausus est. Quinto die leuati sunt sacrorum corporum æterni magnique thesauri, beatissimum funus tanquàm singulare patrocinium fertur in eorum medio, commixtim lachrymæ & cantus immolantur, itur ad ædem sancti Petri, atque in eam tanta celebritate & gloria infertur sacrum corpus, vt vix vnquàm clarior illic regum triumphus celebratus sit. Innumeræ illic splendebant lampades & cerei, amplissimum templum præ nimia hominum multitudine angustum videbatur, baculus sancti Petri, ornamentum insigne, obuiàm proferebatur cum multis reliquijs alijs & crucibus. Et vt paucis expediamus, quod multis compræhendi non potest, nihil neque digniùs, neque celebriùs excogitari potuit, quàm sit illic præstitum. Sequenti indè die ad solis ortum dici non

Vide studium & deuotionem.

S. Anno quanto studio sanctos veneratus sit.

Tertiæ diei exequiæ.

Cœnobium S. Pantaleonis, religione & censu præstantissimum.

Quartæ diei exequiæ.

Coloniensium fides & deuotio.

Quintæ diei exequiæ.

Itèm sextæ diei.

non poteſt, quanta vi in ianuas ſeſe intulerint, & clerus & populus, quantoque ſtudio ſacrificium & commendationes peractæ ſint, aut quemadmodùm deindè ad Rhenum ſit inſtituta proceſſio. Cantabatur Reſponſorium illud inprimis lugubriter, Adſpice Domine, quia facta eſt deſolata, ciuitas plena diuitijs &c. vndè vtcunquè colligi licet, quo animi mœrore paſtorem illum ſuum Colonia tum proſecuta ſit. Cùm autem iam naui impoſitum eſſet beati viri corpus, & litora Rheni plangentium luctu perſonarent, adeſſent etiam illic quidam ex ijs, qui virum Dei odiſſent, euidentiſſimo miraculo declaratum eſt, cuius apud Deum meriti ille eſſet. Nauis enim in alteram Rheni ripam tranſmiſſura, contrà fluminis impetum aſſcendens, inſtàr ſagittæ litus aliud feliciter occupauit, fortaſsis etiam eádem vi contra nautarum conatum altiùs itura, niſì ſancti Heriberti ædes impediuiſſet. Eratque ea res tanto admirabilior, quòd nautæ præ frigore vix manus mouere viderentur, Rhenuſque & pluuijs & glacie plùs ſolito intumuiſſet. Iam antè, vt ſuprà meminimus, id ità fore prædixerat vir ſanctus, cùm adhuc eſſet in humanis. Vbi autem id conſpicati ſunt, qui in citeriori litore ſtabant, nauem ſcilicet illam contra naturæ vim, altiorem in ripa vlteriori attigiſſe locum, quàm quò ipſi ſtarent, valdè attoniti laudabant Deum: alij, qui odio beati viri conflagrârant, ſuſpirantes tundebant pectora, domumque abiêrunt. Completum eſt tum, quod in Pſalmo dicitur: Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Illatum deindè eſt ſacrum corpus in templum matris Dei, vbì ſanctus Heribertus miraculis coruſcat, & nox illa cum hymnis & pſalmis exacta eſt. Poſtridiè manè, vt ſeptimo quoquè die Colonienſes ſuam & fidem & deuotionem ſeculis omnibus teſtatam efficerent, frequentes clerici, monachi, ſanctimoniales & ciues tranſmiſſo Rheno, ante lucem eò peruenerunt. Multis autem in templo ardentibus cereis, ſacrificium & commendationes celebratæ ſunt, idque ea, qua par erat, reuerentia. Aderant Epiſcopi duo, Fridericus Monaſterienſis & Egilbertus Mindenſis, vterque decus ſui temporis, & tanti funeris procuratione dignus. Aderant etiam primores Colonienſes, permulti nobiles, monachorum greges, populus innumerus, parati omnes proſequi cæleſte pignus ad montem vſque Sigebergenſem. Per hos omnes medium ducebatur funus venerabile, pſallentium choris vallatum: ferentibus illud viciſsìm modò manibus, modò humeris ſuis per quatuor ferè milliaria non niſì nobiliſſimis viris pedeſtri itinere, quod tum reſoluta glacie admodùm lutoſum & permoleſtum erat: nec quiſquam ſeruilis conditionis, aut qui equo veheretur, permiſſus eſt ad iactum lapidis feretro propinquare. Interim donèc conſpici poſſet, Coloniæ ſigna campanarum omnia aërem ſono complebant. Poſtquàm ad montis conſpectum ventum eſt, rurſùs tantus ortus eſt omnium planctus & luctus, vt nullis verbis explicari queat. Irruebant ſuper feretrum monachi, & miſerandum in modum plorabant obitum tanti viri, donèc deficerent in eis lachrymæ: nec poterant abſoluere inchoatam Antiphonã illam, In Paradiſum &c. Miri quiddam ibì tũ accidit. Ab Occidente aduolabant aues frequentiſſimæ, noui cuiuſdam generis, montem operientes, & ſua denſitate plerunquè cæli conſpectum intercipientes, illicque permanentes, donèc humato corpore, homines indè recederent. Eas vel Angelos, vel animas ſanctas exiſtimabant, qui eas cernerent. Rectiùs autem fortaſsis interpretabimur, ſignificâſſe eas concurſus futuros hominum. Tandèm ſepulturæ mandatum eſt corpus ſancti Epiſcopi, volenſq; hominum lachrymas & eiulatus ſedare Hermannus Vicedominus, Faceſſant iam, inquit, dolores omnes. Habet iam pater & pontifex noſter, quod optauit, pſallitq; & dicit: Eccè quod concupiui, iam video: quod ſperaui, iam teneo. Illi ſum iũctus in cælis, quem in terris poſitus tota deuotione dilexi.. auditque illam iucũdiſſimam vocem Domini ſui: Eugè ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudiũ Domini tui. Nonnihil tum ceſſatum eſt à lachrymis. At nõ diù pòſt, primùm nobiles omnes, indè miniſtri Epiſcopi, poſtremò pauperes intrò ingreſſi, luctũ inſtaurârunt toto die. Conferat iam qui poteſt, harum exequiarum gloriam & celebritatem, cum quibuſlibet regum & principum pompis atque triumphis. Cœpit autem Dominus illuſtrare ſeruũ ſuum etiam miraculorum ſignis ad confutandam illorum impudentiam, qui paulò antè ſanctiſſimam eius vitam dente rodebant canino, & precioſam margaritam, cæleſtis regis diademati deſtinatam, falſis rumoribus obfuſcare nitebantur.

Illuſtre miraculum, quòd vir ſanctus viuens prædixerat.

Pſal. 106.

Septimæ diei exequiæ.

Obſerua hæc lector.

Luctus ingens apud Sigebergẽſes.

Res mira.

Matt. 25.

Hæc viuẽs prædixit vir ſanctiſſim⁹.

De visionibus fratrum duorum. Cap. 16.

Post obitum beati viri Abbas Sigebergensis, veritus nè deessent fratribus res necessariæ, parciùs administrare cœpit alimēta. Qui tum legumina coquebat, quodam hebdomadæ suæ die in somnis vidit se anxium & fessum stare in culina, mox verò ad se ingredi beatum Annonem, & more suo degustare cibum qui coquebatur: sciscitari quoquè, cur tam parcè, tamque viliter tot fratribus cibus ministraretur. se verò respōdere: Te mortuo, pater, nobis alumnis tuis & mendicis spes nulla est, cogitque metus futuræ inopiæ hac vti parsimonia. Tum autem sic, non absque repræhensione, dicere Episcopum: Itáne mortuum tu me arbitraris? Facessat hæc opinio. Illa enim vita ego nunc fruor felicissimè, quæ summi boni, summæ beatitudinis æternitate tota fluit: ad quā si conferar, qualis eram, cùm à vobis dicerer viuere, quasi qui non essem, meritò putari deberem. Ocyùs igitur ex me dicito Abbati, vt certus de rerum copia, non sit ausus fratrum minuere portiones. Nam paucos post dies efficiam, vt tanta vos rerum abundantia affluatis, vt præ admiratione nec ipsi capere id possitis. Magna tum illic quoquè cereorum penuria erat, ità vt ad Missas priuatas vix, & ne vix quidem interdùm sufficerēt fratribus. Apparuit igitur sanctus Episcopus alteri cuidam fratri quiescenti, aitque ad eum: Demiror custodis vestri tenaciam, tam parcè cereos fratribus suppeditantis. Velim huius ex te causam nôsse. Respondit frater: Non est culpa custodis, amantissime pater, quippè quem penuria cogit ità facere. Tum arridēs beatus vir, Si non alia, inquit, huius ratio est, tu mihi iam eris prōmissionis meę nuncius ad fratres, dicesque eis, intra paucos dies tantam ipsos ceræ copiam habituros, vt etiam colligere sine fastidio non possint.

Visio fratris cuiusdam.

Non sunt mortui sancti, sed viuunt.

Alterius fratris visio

Vt arida manus fœminæ cuiusdam curata sit, & de monasterio per Reginhardum Abbatem aucto. Cap. 17.

Cum itaque his & id genus alijs fratres animati essent ad quædam magna de beato viro speranda, fœmina quædam contractos habens digitos, ceram palmæ effigie ad tumulum eius attulit, flexis genibus orauit, ceram cum manu debili protulit, & simulatquè sepulcrū attigit, ilicò sanata est, primum miraculum in sanctitatis eius testimonium indè reportans. Factum est hoc octauo Calendas Aprilis, quo die tum fuit Parasceue & Dominica Annunciatio. Mox circuncircà res diuulgata est. stupebant omnes, & difficulter volebant credere ob rei nouitatem, sed mulier & genere & nomine notissima, vel inuitis fidem fecit. Abijt autem fama miraculi etiā in exteras regiones, turbisque vndiquè confluentibus, copia quam promiserat vir sanctus, adesse cœpit. Memor autem futurorum Reginhardus, sciensque assiduitate sæpè vilescere, quod tam splendida ex vulgi concursu initia haberet, construendis ædificijs, acquirendis prædijs, templo ornando operam dedit. Deniquè ex ijs rebus, quibus tum ille sacri corporis locus die noctuque plenus inueniebatur, tanta effecit, vt cùm vix quadraginta illic monachi essent, ipso Abbate primùm creato, breui ampliùs septuaginta vel octoginta inuenti sint. Condidit etiam mausoleum beati viri, in cuius vertice literis aureis hoc scriptum est Epitaphium:

Arida fœminæ manus sanatur

Multū augetur Sigebergense monasterium.

Epitaphiū S. Annonis.

Patribus egregijs ornata Colonia multis,
　Ecclesiæ speculum misit ad hunc tumulum.
Emicuit mundo noua lux Annone secundo,
　Qui per cuncta suo par erat officio.
Mensibus hoc denis, annis actoque vicenis,
　Quarta Decembris eum lux tulit è medio.

De aliquot miraculis alijs. Cap. 18.

Intereà populo magìs magisque eò aduentante, faber quidam Coloniensis ex candente ferro cæcatus, itidèm accessit, ad tumulum eius preces fudit, & antè quàm surgeret, curatus, coëgit omnes sublatis vocibus tam repentinum beneficiū laude & prædicatione efferre. Adducta est puella paruula, arido brachio misera, & ipsa quoq; sanata est. Placuit tum omnibus circuncircà commorantibus, vt pridiè Nonas Maij cum Crucibus & reliquijs ecclesiarum suarum eò se conferrent, & noui patroni suffragia communi supplicatione ambirent. Aderat dies, accurrit populus infinitus, curatus est in medio turbæ claudus, incredibili vocum strepitu miraculum ab omnibus celebratum est. Quantus deincèps illo in monte homi-

Cæcus videt.

hominum concursus fuerit, vel indè satìs constare potest, quòd Sigefridus Archiepiscopus Moguntinus per id tempus deuotionis studio eò adueniens, nec dignitate functionis, nec famulorum satellitio impetrare aditum potuit ad sepulcrum, diù à turbis irruentibus exclusus, donèc Abbatis opera, per loca clandestina introductus est. Singula commemorare miracula neque nobis possibile est, neq; lectori gratum fuerit. Præcipua quædam, optima fide annotabimus. Plurimi ad eius sepulcrum confluunt.

De monacho claudo sanato. *Cap.* 18.

VIuente etiamnùm beato Annone, quidam monachus Sigebergensis ab excelso templi loco corruens, dissolutis & confractis membris, in linteo sublatus est, propemodùm animam expirans. Postquàm verò in lectulo repositus est, diù decubuit, multisque adhibitis curationibus, cōtra spem omnium eousquè perductus est, vt cum scipione posset, licèt claudicans, vtcunquè ingredi. Ei iam ætate & religione prouecto, quandoquè more suo iocosè dixit beatus Episcopus: Tantispèr huic innitèris scipioni, donèc à me curatus, illum abijcias. Id quidem nemo tum nisi facetè dictum, interpretabatur. At vbì cœpit ille iam viuere in cælis, & crebrescentibus ad tumulum eius miraculis, ei custodiendo hic frater inuigilaret, quodam die vis inuisibilis eum è sede expellens, totum humì coram tumulo strauit. Scire ille volens, cuius impulsu id pateretur, dum circūfert oculos, conaturque surgere, toto corpore se sentit incolumē, neruis laxatis, membrorumque iuncturis diù confusis, suo loco restitutis. Itaque è templo properat ad domum capitularem, abijcit scipionem, flectit genua, iterùm atque iterùm tentat num possit porrecto corpore osculari humum, siue venias capere, quod anteà impossibile fuerat, nec vllam sentit difficultatem. Currit auidissimè ad Abbatem Reginhardum, tradit illi scipionem in testimonium curationis suæ seruandum. Abit citò tanti miraculi fama per omne monasterium, locaque vicina, conueniunt ad ecclesiam monachi & populus frequens, promuntur Deo laudes & carmina, festum inprimis celebre ab omnibus peragitur. Per iocū futura prædicit S. Anno. Sanatur frater claudus.

De quodam homine miserrimo curato. *Cap.* 19.

FVit Bonnæ homo quidā vsqueadeò calamitosus & miser, vt credi non possit, nisi coram intuitus sis. Toto tremebat corpore, idque perpetuò: stridebat dentibus, voces edebat horridissimas, & quas nemo crederet humano ore effici posse. Ad huiusmodi autem edendos clamores vires ei addente dolore, cæterùm adeò vi morbi frangebatur, vt prorsùs nihil loqui posset. Nec iacère poterat, nec sedere, multo minùs stare. Quotiès mouebat pedē vltrà progressurus, mox retrorsùm agebatur: hominemque videre, miseria erat. Aiebant ei quidam, rectè eum cōsulturum sibi, si in Sigeberg' proficisceretur, vbì noua iactitarentur miracula. Sic illi loquebantur, non homini cōsulentes, sed beato Annoni suo more insultantes. Et tamen quia præpotēs Deus etiam malis nouit benè vti, eis insistentibus adducitur asinus: eo vectus miser, venit in Sigebergense monasterium: prosternit se miserandum in modum coram sacro corpore: omnes eum & mirantur, & miserantur. Paulò pòst tanquàm ad se reuersus, vertit crebrò oculos, appellat circunstantes, surgit à terra, ruit in ipsam preciosi corporis thecam siue loculum, identidèm osculatur, vota nuncupat, & abit sanissimus, Angelis hominibusque lætantibus. Subijcimus nunc aliud insigne, soliusque Dei miraculum, quod quanuìs difficile sit credere, tamen tanta eius veritas est, vt vltrò velim diuino esse iudicio obnoxius, si secùs est, quàm à me referetur. Legant & credant, qui nôrunt omnia posse Deum: &, si quidem pij & religiosi sunt, gaudeant se in beato Annone magnum habere patronum: sin aliter, timeant obtrectatorum suorum potentissimum persecutorem. Homo miserrimus mirè restitutus. Matth. 19.

De blasphemo quodam oculis orbato, rursùsque dum agit pœnitentiam, restituto. *Cap.* 20.

ARnoldus vir strenuus & diues, Dollindorpensis castri dominus, cùm aliquandò sederet ad audiendas suorum causas & lites, iram quidem præ se ferre videbatur in noxios homines, at tamen mitiùs agebat, si non criminis grauitas obsisteret. Erat enim pro suo instituto pius, & magna prorsùs in Deum fide. Accusabatur tum coram illo Volebertus homo nequissimus, quòd non persoluisset æs alienum. At ille animo ferox & lingua procacissimus, nihil

modestum aut sanum respondit, immò ipsum quoquè iudicem criminari cœpit. Querebatur se ab illo & ab omnibus præter meritum opprimi, absque vlla noxa rapi ad tribunal, prorumpensque in voces impias, Quandoquidem, inquit, frustrà à Deo speraui iustam sententiam, alius mihi iudex & patronus quærendus est. Horrebant omnes, & miser ille diabolum inuocans, Tu, inquit, mihi præsidio sis: ego verò tibi me seruum vtráque manu trado & addico. Vlciscere iniurias meas, quod à Deo non obtinui. Ferebat Deus impij hominis blasphemiā: sed vbi ille nequam etiam in sanctos eius iniurius esse cœpit, vltio inaudita consecuta est, vt perspicuè liceret animaduerti, verissimè dixisse eum, Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi eius. Surgebat iudex & cum eo maiores omnes, tantam non ferentes blasphemiam: agebant cum insano nunc minis, nunc blandimentis, vt ad sanitatem rediret, sed ille tanto furebat magis. Iam sol ibat ad occasum, & malignus ille in pascuis quærebat equum suum: veniensq; ad syluam propinquam, inter vmbras arborum vidit hominis horrendam speciem, sicque prior appellat eum: Quisnam es tu, aut qua causa hîc subsistis? Respondit diabolus: Equidem huc véni misertus tuî. Scis enim, quem plenus amaritudine paulò antè inuocaueris, cuiq; te seruum deuoueris. Ego ille ipse sum diabolus. Me ergò protectore felix semper futurus, redi domū, sic tamen, vt à meo famulatu minimè te subducas. Abscedit miser, & altera luce sedens equo cum commilitonibus suis sequitur iudicem aliò tendentem. Rursùs iudex cum suis tanquàm nocturna cogitatione mutatum inuitat ad satisfactionem: promittit veniam pridiè perperàm gestorū, modò persoluat debitum. Ille redit ad contumelias & conuicia, ait se iam inuenisse meliorem patronum, qui & possit tueri suos, & aduersarios opprimere: cui nō sit alius similis. Percontantibus alijs, ecquisnam ille sit, incunctanter respondet diabolum esse, nec dubitat in Christum & sanctos eius blasphemias & nefanda multa iactare. Tum iudex religioso mœrore affectus: O miser, inquit, ô prȩda satanæ, itáne insanis in creatorem tuum? Nisì plenus esses eo, quem iactitas, nunquàm tot probra conijceres in mundi Dominum & sanctos eius. Impietate etiam dæmones vincere videris. Illi credunt, & contremiscunt: tu verò totus amens, nihil metuis Dei potestatem, nec credis miraculis, quibus terra marique sancti illustrantur. Et vt alios omittam, de beatissimo Annone, præter alia eius miracula, constat, magnam eius in cæcis illuminandis esse efficaciam: nec dubium, quin possit etiam videntes luminibus priuare. Vide ergò, nè percussus cæcitate, vel serò cogaris eum deprecari. Ad hæc ille erecta ceruice, cachinnans & subsannans: Istum verò, inquit, signis clarescere credere quisquam, nisì delirus, potest? Nóui ego hominem adhuc viuentem, & certè alienum à fide est, mortuum eum iam facere miracula, quæ viuus non potuerit. Si vanus sum, quid ità ille cunctatur vlcisci opprobrium suum? Si ille quenquam vnquàm cæcum sanauit, radicitùs excidat mihi oculus vterque. Vix elocutus erat hæc, cùm eccè repentè sinister oculus eius sensìm instàr aquæ totus diffluere cœpit, foramine ad horrendum spectaculum vacuo relicto. Accurrūt ilicò milites, certatìm cupiunt inspicere virum, nec possunt admirari satìs, celebrant omnes beati Annonis nomen: solus miser ille manet incredulus. Hortantur eum omnes, vt vel experientia cautus fiat, & beatum Annonem precibus sibi conciliet. Ille verò seipso deterior, rursùs exclamat: Donèc vlla mihi luminis portio relicta erit, absit vt ei supplex fieri velim. Sit erroris vestri, sanctum eum dicere: mihi, si potest, priùs etiā alterum excutiet oculum, quàm hoc ego fateri velim. Dixit, & cunctis cernentibus, tāquàm fulminis iaculum in caput eius vibrari visum est, cuius ictu reliquus oculus radicitùs euulsus est. Mox equo fugam capessente, infelix ab illo excussus, humì corruit: sed pede altero inhærente vni è stapedibus, longiùs ab equo miserè raptatus est. Sequuti illum equites velocissimi, moribundum, equo compræhēso, soluerunt. Confluebant ad eum omnes horrore concussi: ille verò præ dolore clamitabat & eiulabat, in puluere sese volutans. Tum omnes pauore & stupore correpti, appellabant sanctum Annonem, sese in terram prosternentes, identidèm clamabant Kyrie eleeson. Ijs clamoribus per nemora & agros sese diffundentibus, ex locis propinquis magna hominum turba cum sacerdotibus aduolauit: qui cùm rem totam didicissent, non mediocriter obstupuêre. Sustinebant verò omnes, quid porrò euenturum esset misero illi. Propiùs autem ad eum accedens iudex & quidam religiosi viri, sciscitabantur ex eo, quînā haberet. Respondit ille tantis se discruciari doloribus, vt spem viuendi

Homo nequam mendacio iungit blasphemiam.

Zach. 2.

Diabolus ei apparet.

Iacob. 2.

Impiè conuiciatur S. Annoni.

Eccè tibi diuinam vltionem.

Itèm alia vltio hominis blasphemi.

viuendi omnem abiecerit. Hortabantur eum illi, vt dum adhuc tempus pœnitentiæ adesset, colligeret sese: quod si faceret, & beatum Annonem ex animo deprecaretur, & veniam & sanitatem ei pollicebantur. Tum ille dolore vrgente exclamauit: Fateor sanctum Annonem posse, si velit, mihi restituere oculos ablatos: manusque tremulas in cælum porrigens, cunctis audientibus, lachrymabundus ità orauit: Parce, sacratissime pontifex, parce misero mihi iurè castigato, nec neges conuerso misericordiam, quam Dominus cunctis resipiscere volētibus offert, vbi ait: Viuo ego: nolo mortem peccatoris, sed vt magìs conuertatur, & viuat. Si reddideris mihi lumina, quod te posse credo, toto corde tibi semper subditus ero, & quod hactenùs impiè negaui, per totum orbem annunciabo, te prioribus sanctis æquatum esse meritis & factis. Hæc cùm ille diceret, & omnes miseratione afficerentur, Arnoldus iudex hortabatur eos, vt communibus votis & precibus homini misero diuinam misericordiam conciliarent, sublatisque manibus, Kyrie eleeson vna voce clamitarent. Impietatis enim notam se non posse effugere dicebat, si naturæ consortem in ea calamitate desererent. Itaque primus ipse humì se abijciens, omnes vt idem facerent permouit. Postquàm autem à terra surrexerunt, sanctum Annonem iteratis vocibus inuocātes, inaudito miraculo noui in hominis capite oculi repentè extiterunt, solito clariores: & tanquàm nihil passus esset, sanus & incolumis homo surrexit: populus circūstans præ gaudio lachrymas fundens, immensis vocibus ità vt par erat laudes diutissimè depromebat. Posteà ille ad beati Annonis tumulum venit, exposuitque quid ipsi accidisset. Sed cùm nemo crederet, Abbas Reginhardus curauit eum adducendum ad synodum, quæ tum, Hildulpho Archiepiscopo præsidente, Coloniæ habebatur. Ibi ille coram omnibus totam huius rei pertexuit historiam, multis eius dicta suis verbis confirmantibus. Tandèm etiam, cùm missis nuncijs id exigeret Episcopus Hildulphus, vir fide dignissimus Arnoldus ille, cuius crebrò iam meminimus, grauissimum dixit testimonium, iuramento illud confirmans.

Vexatio dat intellectum auditui.

Ezech. 33.

Ad inuocationem S. Annonis fit insigne miraculū.

De alio quodam blasphemo punito. Cap. 21.

QVidam ex diœcesi Treuerensi Romam ad beati Petri Apostolorū principis limina, vsitata iam seculis deuotione proficiscentes, Confluentinum quēdam clericum itineris comitem habuêre. Cum quo varia conferentes, vt fit, leuandi laboris, animosque oblectandi causa, tandèm in mentionem beatissimi Annonis inciderunt, omissisque alijs sermonibus, multùm & diù de vitæ eius sanctitate & virtutum prestantia loquebantur, eiusque res gestas vicissìm alij post alios commemorabant. Iam in vesperam propè perductus erat dies id genus sermonibus, cùm eccè clericus ille incredulum pectus suum prodēs, Vos, inquit, perditum illum vanis in cælum vsque laudibus effertis, quem ego nihil extra communiter mortuos habere existimo: quippè virum, vt aiunt, suis malum, sibijpsi pessimum. Hæc ille execrabilis effutiens, socijs suis & pallorem & silentium præ horrore attulit. Cumque paululùm substitissent, cœpto pergentes itinere, ità aiunt ad eum: Ecquis vel amentissimus eiusmodi ausus sit proferre sermonem? quem cùm à nemine magìs, quàm à clerico pro authoritate officij coërceri oporteret, ex clerici ore proficiscitur. At ille peiora euomens, Si me, inquit, etsì à vestra fide, non tamen à veritate aliena dicentem, idcircò repræhendēdum putatis, quòd è clero sim: audite hominis finem, cui sanctitatem arrogare vultis. Vehementissimus dolor pedum, & hactenùs incognitus podagræ morbus animam ei, vt audistis, infeliciter extorsit. Crudelissimum autem fuerit, vllius bonitatis hominem eà pœna diuinitùs consumi, quam nec sceleratissimus facilè meretur. Non benè eum vixisse, vltio testis est: immò quàm malè obierit, & vita, & vitæ testis vltio docet. O linguam meritò præcidendam, cùm scriptura diuina tam multis testetur locis, quem diligit Deus, eum quoquè arguere & castigare. Quanta verò & quàm indigna & immania passus est etiam ipse filius Dei? quanta Apostoli & martyres? quorum quo fuit vita celsior, eo mors despectior: immò preciosior. Preciosa enim in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Absit ergò à fidelium animis, vt putēt beatum Annonem vllam meritorū suorum iacturā mortis acerbitate fecisse. Immò, vt nôrint potiùs indè illi auctā gloriā: audiant, quę blasphemū hunc vltio consecuta sit. Monebāt illum satis superq; comites eius, vt finem faceret tam peruersè loquendi, nec tamen cessabat miser. Itaque cunctis iam exacerbatis, & tantæ temeritatis

Peregrinatio ad sanctum Petrū

Clericus quidā proscindit S. Annonem.

Prou. 3. Heb. 12. Apoc. 3.

Psal. 115.

Punitur maledicus sancti viri obtrectator.

ritatis vindictam expetentibus, repentè alijs liberè progredientibus, immotus ille substitit, & qui Christi confessori dolores pedum improperauit, tanquàm ferreis ad talos constrictus vinculis, loco hæsit, interim graues pedum sentiens cruciatus. Mox igitur tremere, pallescere, miserè quiritari & eiulari cœpit. Respiciunt alij, mirantur clamantem, aspernantur subsistentem, iratis vultibus perquirunt, quid ità hæreat ipsis properantibus. Aperit ille cum multo gemitu quid patiatur, non ambigunt illi id accidere meritis eius, cui detraxerat: dolent quidem præ commiseratione, at tamen lætantur euenisse. Tandèm communes pro eo preces fundunt, ille veneratur in eis fidem, quam antè culpauerat: valdè pœnitet cum temerè esse locutum, preces & vota offert beato Annoni pro suî liberatione. Tandiù oratum est ab omnibus, donèc laxatus, susceptum incolumis expleret iter. Indè domum reuersus, nihil habuit antiquius, quàm vt sacratissimi præsulis venerabiles cineres inuiseret. Hoc enim & voti necessitas, & amicorum consilia hortabantur. Vbi autem eò venit, cum multis lachrymis totam historiam verissimè enarrauit, nobisque scribendam reliquit.

Curatur inuocans S. Annonem.

De muliere contracta sanata. Cap. 22.

Vide miraculum.

Contracta quædam fœmina, ad beati viri tumulum cereum paruum attulit. Indè recessura, mira velocitate se sentit erigi. Turbata igitur exclamat: O summe sacerdos Anno, quid mihi infelicissimæ necopinanti accidit? Tanto enim fragore spina dorsi & costæ adhærētes restitutæ sunt, vt quercus frangi videretur. Aduolabant multi, & fœminæ clamore, & ossium strepitu inuitati: videbantque erectam stantem ad illam felicis thesauri arcam, gratiasque agentem, quam hactenùs curuam semper viderant. Referunt rem ad alios, multique vtriusque sexùs in ecclesiam irruentes, vna voce summæ Trinitati laudes gratesque agunt.

De puerulo contracto, itidèm curato. Cap. 23.

Festum Assumptionis S. Mariæ toto orbe celebre.

Totius orbis commune celebrabatur festum, in cælos assumptæ beatissimæ virginis & matris Dei: qui dies est venerabilis, dies sanctus, dies præclarus, cui comparari non possint vllæ sanctorum solennitates: fratribusque nocturnas vigilias hymnis & psalmis solēniter agentibus, puerulus quidam, & nomine & facie omnibus notus, (quippè quem pater Reginhardus miserè contractum, studio misericordiæ alendum, à Rheno adduxerat) ad beati Annonis sepulcrum manibus reptans venit. Aderant tunc ibì quidam, pro honore sacratissimæ Virginis, Reginæ cælestis vigilijs intenti. Viderunt illi puerum semèl atque iterùm appræhendentem tumuli summitatem, conantemque surgere, sed totiès relabentem, tertiò tandèm idem tentantem, in pedes erigi. Et stabat ille quidem, sed ruinam minari videbatur. Obtinuit tamen, vt aliquandiù scipioni innixus posset ambulare. Sed illo tandèm reiecto, saluus & incolumis, integram gradiendi facultatem adeptus est. Multam ea res illo die lætitiam peperit, ad tam præclaram illustrissimæ virginis solennitatem, tam insigni accedente miraculo. Sunt verò etiam permulta alia lectu dignissima beati Annonis miracula, quę tamen cuncta prętermittens, ità paucissimis istis ad optatum laboris mei peruéni portũ, vt & clarissimum meritis & sanctitate virum, satis (vt reor) expresserim, & necessariam propter fastidiosos breuitatem non valdè tamen excesserim. Præstet omnipotēs Deus, vt in illa vita prosit animæ, si quid in hoc opere dignum suis laudibus elaboraui: sitque migranti patronus, qui scribenti materia fuit, Anno terque quaterque beatus, per Iesum Christum Dominum nostrũ, qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat Deus in secula seculorum, Amen.

Puer contractus curatur.

In pedo seu baculo pastorali S. Annonis ligneo, qui adhuc in monasterio Sibergensi religiosè asseruatur, in superiori parte in cupro, incisi sunt versus sequentes:

Tityre coge pecus, cæcus nè ducito cæcos.
Moribus esto grauis, rector fore disce suauis.
Astu serpentis, volucris tege simpla gementis.

VITA

VITA SAPIENTIS ET DIVINI PATRIS NOSTRI SABAE, AVTHORE CYRILLO MONACHO: *fortaßis autem à Metaphraste reddita paraphrasticôs. Habetur enim in Metaphraste, & quinto tomo Aloysij. Nos capita margini adiecimus.*



NIHIL est æquè vtile ad commouendos animos ad desiderium virtutis, atquè vita optimorum & præstantissimorum virorum, tradita piorum auribus. Illius enim viam licèt asperam, non tamen esse eiusmodi, vt adiri non possit, nec esse omninò desperatam, ostendit: sed rectè factis eorum, qui præcesserunt, inducit ad imitationem: & narratione donorum, quæ illi acceperũt tanquàm arrhas futurorũ bonorum, in animos auditorum immittit prõptum & alacre animi studium: & persuadet despicere omnem laborem & difficultatem, & ea postponere acquisitioni eius, quod est bonum & honéstum. cuiusmodi est vita magni Sabæ, & Dei amor ineffabilis, & qui propter ipsum suscepti sunt sudores: & rursùs innumerabiles donorũ largitiones, quæ eam, quæ illic est futura, confirmant beatitudinem. Sed satiùs fuerit deincèps virum ab altè petito principio persequi, resq; eius sedulò ac diligenter tractare, nihil prętermittendo eorum, quæ sunt magis opportuna. quod quidem apertè maximũ damnum & est, & existimatur ijs, qui amant res eiusmodi. Decemb. 5. Cap. 1. Vitæ Sanctorum cognitæ quid conferant.

Huic ergò beato patria quidem erat Cappadocia. Natus est autem in vico Mutalasca, (hoc est enim ei nomẽ) quæ priùs quidẽ erat vilis & ignobilis, & sita sub metropoli Cæsareensium: ex eo autem posteà euasit insignis, & longè clarior illa Armathen, quæ olìm tulit diuinum Samuelem. Oportebat verò ei omninò meritas referre gratias, quòd eum in lucem produxisset. Pater Iohannes, mater Sophia: qui erant ambo clari genere & pietate. Natus est autẽ decimoseptimo consulatu Theodosij. Cùm verò iam quintum ætatis annum ageret hic vir admirabilis, eius autem parentes migrâssent Alexandriam, (nam necessariò eos vocabat tunc futura quædam expeditio) ipse in Cappadocia diuina quadam prouidentia, apud auunculum, cui nomen erat Hermias, cum paternis relinquitur facultatibus: partìm quidem, nè nimìs tenera pueri ætas defatigaretur itineris longitudine: partìm autem, vt si parentes vitam illic finijssent, pulchrum illic semen & eius, quæ illic erat, hæreditatis successorem relinquerent. Sic ergò apud auunculum manens Sabas, iam ætate proficiens, cùm vxoris illius malignitas molestia afficeret adolescentem, (Erat enim reuerà mulier impudens & difficilis) illinc recedens, accedit ad quendam Gregorium, qui ipse quoquè erat patruus, in quodam vico nomine Scandos, statìm ab initio ostendens, quanto odio haberet malos, & se maiorem curam gerere virtutis, quàm cognationis. Cap. 2. Patria S. Sabæ. 1. Reg. 1. Item parentes. Affligitur ab vxore auunculi sui adhuc puer.

Postquàm autem, cùm ageret apud Gregorium, vidit hoc patruo & auunculo magnam afferre dissensionem ac discordiam, (Contendebat enim vterque & ipsius Sabæ, & rerum eius esse dominus) ille omnem offensionis auferens occasionem, & statuens difficultates esse, veluti quandam viam vitæ, quæ ducit ad philosophiam, rectè non secùs àc boni imperatores, vsus est difficultate temporum, & repentè despiciens diuitias, cognatos, pecunias, & quęcunque maximè solent adolescentum animos delinire, seipsum tradit cuidam monasterio, quod vocabatur Flauianæ, quod distabat viginti stadijs à Mutalasca: ostendens labores, qui ferunt ad virtutem, esse à sapientibus præferendos quieti & relaxationi, quæ ducit ad vitium. Benignè itaque acceptus ab eo, qui tunc præerat monasterio, & cooptatus in numerum monachorum, illic deincèps se exercet in doctrina sacrorum psalmorum, & accuratè instituitur in omni regula monastica. Ità beato Sabæ patrui & auunculi contentio, & vita accliuis & ardua, maxima fit causa, vt proficiat in vita, quæ est ex Deo. Cap. 3. Petit monasterium, relictis omnibus. Regula monastica.

Postquàm autem ij, cùm diù seditionem inter se agitâssent, vix tandèm composita inter se discordia, tentârunt sacrum Sabam auellere à monasterio, & à pulchro illo Cap. 4.

illo vitæ instituto, volentes eum & paterna frui hæreditate, & suis facultatibus, & coniungi matrimonio, (quæ quidem sunt paruis magna & iucũda, & ea puerorum potiùs optiones, quàm virorum esse significant) ipse diuino Dauide vtens tanquàm consiliario, iudicauit esse optabilius, abiectum esse in domo Dei, quàm talium tabernaculorum frui diuitijs & alia prosperitate. Videbat enim illa quidẽ ipsorum amatorem diuitem transmittere ad gehennam, & ostendere vel sola egere gutta, quod quidem est paruum linguæ, quæ ardet, solatium: angustias autẽ & malorum perpessionem dignos efficere beato sinu Abrahæ, & recreatione ac delectatione, quæ in eo nunquàm desinit. Et alioqui iudicabat esse longè stultissimum, voluptatem quæ est ad tempus permutare æterno supplicio. Atque sic quidem beati Sabæ propositum, vel ab ipsis, vt dicitur, cognitum est carceribus, & talem ab ineunte ætate ostendit philosophiam. Etenim ipse super seniores intellexit, quoniã mandata Domini exquisiuit. Seipsum verò exercuit cùm in alia omni abstinentia, tum vel maximè in ea, quæ ad gulæ pertinet compescendas delicias, & ventris nimiam curationem, vt sigillatìm declarabunt, quæ deincèps sequuntur.

Psal. 83. Luc. 16. Psal. 118.

Cap. 5. Operabatur aliquandò hortum monasterij. Mála autem quæ pendebant ab ijs, quæ illic erant, arboribus, eius incitabant appetitionẽ, & mouebant ad vescendum ante tempus. Atque fuit quidem victus ab adspectu pomorum, (erant enim pulchra visu) vt qui ipse quoquè esset homo, & humanis deliniretur cupiditatibus. Victus est autem vsqueadeò, vt málum manu caperet. Deindè cùm intellexisset esse tales maligni insidias, & solere eum latenter attrahere, semper voluptatem obijciendo tanquàm escam, & posteà suspicatus esset in fructu latére serpentem, & cogitâsset primos parentes à voluptate & cibo eiectos fuisse ex paradiso, quæ eos confixêre malis innumerabilibus. Hæc cùm ille mente pulchrè agitâsset, & iuueniliùs ipse seipsum increpâsset, málum statìm iecit humì: & cùm id pedibus conculcâsset, cum málo etiam conculcat cupiditatem, & eam, quæ eius vicerat oculos, per probrum & contumeliam proterit suis pedibus: hanc in posterum sibi legem imponens, vt toto vitæ tempore, málo non vescatur ampliùs, neque indulgeat ventris appetitioni. Ab illo ergò tempore perpetuò in summa omnium rerum vixit abstinentia, somni tantum capiens, quantum satìs erat ad eius corpus continendum, quod erat continuis defessum laboribus. Manus verò beato Sabæ nunquàm quiescebant: sed quandò non eas ad Deum extensas habebat oratio, eæ perpetuò versabantur in opere aliquo faciendo: nè, si vel parumpèr relaxaretur cogitatio, clàm non animaduersus sensìm irreperet inimicus. Hinc virtutis fit ei penna leuior, & omnem quæ erat Flauianis fraternitatẽ (erat autem circiter septuaginta fratrum) obedientia, & humilitate, & omnibus alijs Euangelicis rectè factis superabat.

Gen. 3. Fortiter vincit gulæ appetentiã.

Cap. 6. Porrò autẽ hoc quoquè dicitur de conuersatione eius in hoc monasterio. Cùm pistor hyeme aliquandò vestes haberet madefactas, nec eas posset exiccare ad Solem, relinquit in clibano. Deindè oblitus se eas illic reliquisse, vt exiccarẽtur, cùm, vt repentè panis fieret, esset opùs, ipse Sabas & alij monachi vnà cũ pistore fermentum commiscebant, & clibanum accendebant, intùs relictis, vt diximus, vestibus. Flamma verò iam sublata, recordatus pistor, quãdò nihil poterat efficere, flamma iam minante terribiliter, cor eius sauciabat tristitia, & angebatur animo. Non ferens autem Sabas videre fratrem, qui ità angebatur, & ipse quoquè internis nõ minùs ardens visceribus, corpus quidem contemnit, & ignem despicit: munitus verò signo Crucis, continuò ità vt erat ingreditur clibanum: flammaque conculcata, sicut priùs voluptate, seruat ex igne vestimenta, & ipse egreditur illæsus: non propter pietatem quidem ac religionem, sicut olìm adolescentes, sed potiùs propter amorem in fratrem, cum flamma optimè reuerita. Hoc non solùm eos, qui aderãt, obstupefecit: sed Pauli quoquè discipulum Sabam apertè ostẽdit. Nam si propter solum fratris dolorem, nec carni parsit, & aduersùs ignem suam ostendit audaciam, quomodò is recusâsset esse à Christo anathema, vt possent alij esse salui? Qui ergò aderant, cùm vidissent id quod factum fuerat, & ex ijsipsis ij, qui ad maiorem gratiæ mensuram peruenerant, & ea accuratè dijudicare poterant, quanta procedente tempore futura erat Sabæ virtus, cogitãtes, illi quidem decæterò magìs animum adhibebant, quàm eius postularet adolescentia: iurè autem Deo agebant gratias. Sed sunt hæ quidem narrationes conuersationis eius in Flauianis, vt ipse posteà Gregorius patruelis illius mihi tradidit, non leuis aliquis & ei sola necessitudine

Vide Crucis signaculo maximũ patratum miraculum. Dan. 3. Rom. 9.

tudine

tudine coniunctus, sed etiam ex vita satis magnum afferens argumentum veritatis.

Quædam autem in corde agitans, cùm diuini desiderij nullum modum nôsset, nec satietatem, in animo habebat ire in sanctam ciuitatem, & contemplari loca sancta, lustrareque & visere patres, qui erant in solitudine: & ea frui, quæ ex ipsis percipitur, vtilitate, aut etiam incitatione eorum vitæ institutionis, ostendere acriorem impetum ad virtutem. Si enim malæ consuetudines & congressiones possunt bonos mores corrumpere: quanto magìs bonos mores bonæ adiuuabũt, & pulchrè deducent ad viam, quæ fert ad virtutem? Accedit itaque ad Præfectum monasterij, & animum aperit, & ab eo petit, vt liceat secedere. Ille verò non permittens, sed volens imperare iuuentuti tam moderatæ, & quæ admodùm pulchram habebat animam, non audiebat obsecrantem, & peregrè proficisci properantem non dimittebat, & ipsum omninò conabatur detinere. Deindè cùm ad eum è superis diuina quędam aduenisset visio, mãdat vt Sabam dimittat, nec prohibeat, quô minùs peregrè proficiscatur. Ille ergò persuasus visione, eum dimisit, & inuitus volenti permittit, vt exeat. Ille autem id, quod desiderabat, consecutus, & cum precibus illinc dimissus, Deo duce pulchri illius itineris, tendit Hierosolyma: cùm in hoc quidem monasterio annos decem transegisset, ætatis verò ageret annum octauumdecimum: quo Marcianus & Iuuenalis ambo pij ac religiosi, ille quidem ab Imperio, hic autem à Pontificatu, morte desistunt.

Cap. 7.

Abbas eius per visum iubetur cũ dimittere, peregrè iturum ad loca sancta.

Cùm verò hyeme venisset Hierosolyma, & à quodam sene Cappadoce in monasterio sancti Pasarionis hospitio esset exceptus, tunc quidem apud ipsum hyemat. Posteà autem alijs aliò beatum trahentibus, & vim afferentibus, vt qui ab illius virtute multo magìs vicissìm attraherẽtur, & vt apud se maneret, vnoquoque rogante, eo autem sene, qui ipsum primò hospitio acceperat, rogante, nè recederet à monasterio: ille tanquàm eius, quæ Deo conuenienter agitur, vitæ matrẽ quietem amans & silentium, non induxit in animum, vt cum vllo quidem eorum cohabitaret: sed cùm de magno accepisset Euthymio, (virtus enim eius vbiquè prædicabatur) captus est vehemẽti desiderio cum eo congrediendi. est enim simile semper amicum simili. Et quoniam ille non secùs àc Hesperus, in solitudine quæ est ad Orientem, clarus erat miraculis & doctrina, desiderabat Sabas frui luce bonorum Euthymij, & cum eo lætari, & ali radijs illius virtutum, & non secùs atquè generosæ plantæ, in anima & spiritaliter augeri. Atque ei quidem, quod dictum est, monasterio diuinus præerat Elpidius. Cùm hoc autem desiderio teneretur beatus Sabas, accedit, & id enunciat beato Elpidio. Cùm verò inuenisset eum quoquè esse in eádem sententia, diuinis illius precibus acceptis pro alio viatico, ad magnum Euthymium tanquàm filius ad patrem, non ex sanguine, sed ex virtute potiùs trahens cognationem, accedit.

Cap. 8.

Huius vitã habes Tomo I. die 20. Ianuarij.

Cùm ergò aliquot illic dies mansisset, ad synaxim de more eunte Euthymio, ad eius pedes prócidit, rogans, supplicans & obsecrans, vt fieret eius ouis rationis particeps, & ab ipso pastore pasceretur cum alijs. Magnus autem Euthymius, qui in exercendis pueris erat præstantissimus, vt qui omnium certaminum spiritualium fecerat periculum, cùm vidisset Sabam adhuc iuuenem, dubitans nè ardor esset solùm, non habens rationis iudicium & grauitatem, quæ ex ea proficiscitur, non priùs permisit vt habitaret cum monachis, qui erant in Laura, quàm totam monasticam persecutus esset vitæ institutionem, quæ est in cœnobio, & ostendisset eam, quæ exigebatur, absolutionem. Quinetiam ei dixit: Non cónuenit omninò, ô fili, vt qui est iuuenis, Lauram habitet. Hoc enim neque Lauræ vllam affert vtilitatem, neque tibi expedit. Sed si me audias, ibis nunc in inferius monasterium ad Abbatem Theoctistum, apud quem scio fore, vt tu maximam accipias vtilitatem. Cùm beatus his acquieuisset Sabas, (nam præter alia didicerat etiam obedientiam) & quęcunque ipse mandãsset, se prompto & alacri animo facturum promisisset, (ideò enim, aiebat, ad te confugi, vt per te salutem assequar) eum continuò illuc mittit ad beatum Theoctistum, iubens vt eius magnam curam gereret. Dicebat enim se reuerà videre in eo infusam spiritûs copiosam gratiam, & eum non multo interiecto tempore sua gloria esse impleturum vniuersum orbem terræ: vera, inquam, gloria, & quæ nullum finem sit habitura. Quæ quidem talem finem sunt consecuta, & ostenderunt esse veram illius prædictionem. Nam & ipse plurimam partem solitudinis effecit habitabilem, & Lauram extruxit maximam earum, quæ sunt in Palæstina, & ab omnibus, qui vitam elegerant anachoreticam, tãquàm pastor est agnitus, eis effectus regula ad sanctitatem.

Cap. 9.

S. Sabas cupit esse cum Euthymio, sed is eum non admittit.

Euthymij de Saba prophetia.

Nam & mores eis tradidit, & legem imposuit, doctus ab Euthymio, & seipso vtens exemplari, vt nullum imberbem in Lauram admitterent: quod quidem & apud patres veteres fiebat, & diligenter ab illis obseruabatur.

Cap. 10. Cùm sic ergò diuinus Sabas fuisset in beati Theoctisti potestate, seipsum totum purè Deo tradit, & totus in illius versatur desiderio. Cùm autem sciret esse duplicem suí constitutionem, ex anima, inquam, & corpore, duplicem excogitauit etiam exercitationem: nunc quidem corpore laborans, nunc autem anima. & nunc quidē dies transigens in laboribus corporis, nunc verò integras noctes insomnis peragens in precibus. Nunc aquam portans, nunc ligna ferens, & omnibus, quibus fuerat creditum aliquod ministerium, sustinens illorum operationes. Erat enim cum animi fortitudine, procera quoquè corporis magnitudine, & admodùm robustus. Et ipse quidem aliâs alia subibat ministeria, & ipsam etiam malorum curam: & ante omnes quidem veniebat ad synaxim: post omnes autem rursùs recedebat, promptoque & alacri animo diuino seruiebat ministerio: & his omnibus velutì sacram imponebat summam, obedientiam scilicet & moderationem. Quocircà hoc mirabatur vniuersa multitudo monachorum, quòd ætatem tam teneram virtutū ornaret corona & perfectio. Cùm verò quæ est ex Deo, semita æquabiliter & inoffensè ab eo dirigeretur, cum aliquo modo supplātare, & nè progrederetur, sistere conabatur malignus: etiamsì ille eum dolosè aggrediens & malitiosè, ab eo rursùs est repulsus generoso & valdè forti animo. Quisnam autem fuit modus insidiarum?

Exercitia corporis & animæ.

S. Sabæ magna perfectio in ætate tenera.

Cap. 11. Erat quidam monachus genere Alexandrinus, nomine Iohannes. Is iam longo tempore molestus erat beato Theoctisto, vt ei permitteret ire Alexandriam, vt paterna bona illic disponeret: (resciuerat enim parentes paulò antè esse mortuos) Atque ille quidem, vt volebat, dimissus, petebat vt sanctus Sabas esset sibi socius itineris, vt quem sciret esse generosum ac strenuum, & qui cuperet & posset esse particeps laborum aliorum. Cùm beatus ergò Theoctistus annuisset Iohanni petitionem, Sabam quoquè emisit. Hoc autem, vt diximus, fiebat arte maligni, vt ab eo qui est ex Deo, cursu eum reprimeret, & in mundo, & in ijs quæ ad hunc mundum pertinent, eum occuparet. Sed qui profunda & occulta aperit, non permisit vt eius laterent insidiæ. Nam cùm ex Palæstina profecti agerent Alexandriæ, & ambo occupati essent in quærendis rebus Iohannis, agnoscitur à parentibus Sabas admirabilis, qui nupèr illuc migrârant propter expeditionem, sicut iam antè ostendimus. Cùm autem sic euasisset notus paternis oculis, fuit rursùs Sabæ principium secundum certaminum: & cum maiori tunc luctatus fuit necessitate, quàm quæ fuerat cum patruo & auunculo. Instabant enim parentes, quid non facientes, aut à qua arte & machinatione abstinentes, vt Sabæ persuaderent, vt vellet cum eis habitare, & decæterò apud eos degens, patris susciperet militiam, & pro illo * habitaret? Ille verò cùm esset celeris & acris ingenij, cognoscit hoc fuisse excogitatum à maligno, vt parentum misericordia relaxaret contentam eius exercitationem, & spiritalium rerum desiderium redderet frigidius. & eorum quidem amori sapienter opponit Dei desiderium, dicens se timere illud præceptum, quod illos statuit eo esse indignos, qui desiderium parētum ei præferunt, & non crucem sustulerunt, & eum sunt secuti: Mundanæ autem huic militiæ, verè angelicam & diuinam: Si terrestris Regis miles, dicens, qui conspectus fuit ordinem deserere, magnas luit pœnas: quantum est periculum, si quis eius, qui est verè Rex, miles effectus, & in numeros illius adscriptus, proprium ordinem reliquerit, & tam paruam militiam ea permutauerit? Illud tandèm adiecit ijs, quæ dicta fuerant. quòd nec eos quidem decæterò parentes vocare sustinuerit, si eos ampliùs viderit rogantes & contendentes, vt à pulchra illa deficiat militia.

Insidiæ diaboli.

Agnoscitur S. Saba à parentibus.

*for. * militaret?*

Egregiè illis respodet Matt. 10.

Nota monache apostata.

Cap. 12. Cùm nescirent ergò parentes, quid agerent, cesserunt filij constantiæ, & tandèm vel inuiti concesserunt quidem, vt abiret: cum autem vehementer rogârunt, vt suæ pecuniæ acciperet aliquid ad parandum viaticum, quo opùs habet peregrinatio. Atque illi quidem prompto & alacri animo Sabæ præbebant viginti aureos: ipse vix tribus acceptis, eisque, quòd rogarent parentes, nè eos despiceret, soluit Alexandria vnà cum Iohanne. Quòd autem propter parentes eos tres aureos acceperit, non est procùl quærenda probatio. Cùm enim iam venisset in monasterium, eos ferens dat in manus Theoctistó, ipse nihil volēs habere proprium: & alioquì nè malignus hinc acciperet occasionem suggerendi ei cogitationem auaritiæ. Iam verò decem annos illic diuinus transegerat Sabas, & beatus è viuis excesserat Theoctistus: quem cùm sanctè

Monachi non debent habere proprium.

sanctè magnus sepelijsset Euthymius, pro illo quendam Marin, virum non paruifaciendum, elegit præfectum monasterij. Cùm autem is duos annos vixisset post susceptam præfecturam monasterij, è vita excedit. post quem diuinus Euthymius cuidam Longino viro bono monasterij cõmittit rectionem. Illo autem tempore admirabilis Sabas iam triginta annos natus, cùm resplenduisset in vniuersa monasticæ vitæ institutione, & obijsset omnem rationem exercitationis, capitur amore solitudinis: & cùm non posset ferre vim desiderij, accedit ad Lõginum, petens quem desiderabat secessum. Ille verò (nesciebat enim, quomodò hoc ei ex se permitteret) de eo refert ad magnum Euthymium.. Is autem cùm oppletas haberet aures Sabæ virtutibus, quinetiã ipse quoquè rectè sciret viri perfectionem, & in rebus spiritalibus ardorem & constantiam, continuò rescribit ad Longinum, nè ei esset impedimẽto, quò minùs suum exequeretur institutum: sed ei permitteret vti quiete & silentio quinque dies hebdomadæ. Sciebat enim fore, vt omninò rectè vteretur solitudine, & haberet occasionem ad Deum ascensionis. Sic ergò ei permisso silentio, compos iam effectus eius, quod desiderabat, ingressus est monasterij speluncam, quæ vergit ad austrum, quinque quidem dies hebdomadæ intùs degens, & nihil cibi sumens, sed solùm vacans precationi, & labori manuum: Sabbato autem egrediens, & seipsum superans in accessione eius, quod est melius, & quinquaginta numero cõfectas sportas, quas solent vocare Μαλάκια, afferens: Die autem Dominico cùm collegisset tot ramos palmarum, quot sciebat sibi in hebdomada sufficere ad operandum, ingrediebatur speluncam. Et hoc modo perpetuos quinque annos se exercuit. S. Saba degit in speluñca mirè abstinens &c.

Deindè diuinus Euthymius cùm eum vidisset sic viuentem, eum sumpsit cum Domitiano socium decertationis ad certamina, quæ suscipiẽda erant in solitudine, cùm de eius mẽte factus esset certior, & eum vocaret παιδαριογέροντα, id est, puerum senem, & vt qui exercitationis esset præceptor optimus, ad sublimiores eum virtutes exerceret. Et quoniam consueuerat admirabilis Euthymius decimoquarto mensis Ianuarij egredi cum Domitiano in vastam solitudinem Rubæ, & illic transigere sanctissimos dies ieiuniorum, egressus quidem est, vt consueuerat: Ei autem aderant Domitianus & Sabas: ingrediebantur verò per solitudinem, quæ vergit ad meridiem, vltra mare mortuum: & cùm iter diù produceretur, ipsa solitudo, quæ est & arida & aquæ expers, & re ipsa ab omni re deserta, Sabæ sitim accendebat vehementem: & viæ prolixitate & siccitate efficiebat, vt iam defatigaretur & deficeret, neque pedibus vti posset ad ingrediendum. Atque ille quidem cùm defecisset, humì iacebat, nescio an naturali aliqua ratione, vt solet fieri ijs, quæ sunt huiusmodi, propter magnam calidi frequentiam consumpto humido: an quòd Deus vellet ostendere Sabæ adhuc opùs esse maiori fortitudine. Iacebat verò parua, vt ità dicam, viuens parte animæ, & iam apertè ostendens se deficere. Cùm eum autem sic affectum magnus vidisset Euthymius, & ipse non minùs esset animo perturbatus, parùm quidem ab eo recedit: humì verò prócidit, & cùm cor ad Deum sustulisset: Domine Deus, inquit, da aquam in terra sitienti, iam deficientem iuuenis huius consolans animam. Sic dixit, & cùm Sabam protinùs accersiuisset, ter fodit ligone, & terra vim sensit diuiniorem, & paruit nutibus, qui sub adspectum non cadebant: & quæ erat deserta & aquæ expers, aquam genuit, & protinùs aquam emisit limpidissimam, & maximè potabilem. Sabas autẽ cùm illam bibisset, tunc restinxit sitim, & satìs est recreatus: & latenter vim accepit diuinam, adeò vt decætero alacriter ferre posset difficultatem solitudinis. Cap. 13. S. Euthymius suis precibus impetrat aquã à Deo

Cùm sic ergò S. Sabas se gereret in solitudine, & magnum imitari Euthymium, & tanquàm ad exemplar archetypum, ad illius vitam intueri studeret diligentissimè, parùm temporis intercessit, & cùm ille magnus virtute Euthymius ibidèm obdormijsset, verè beatam quietem est assecutus. Sed cùm post illius decessum monasterium ocio & socordiæ paulatìm se dedisset, longo tempore aufugit beatus Sabas, & habitabat in solitudine, cùm Gerasimus eam, quæ est circa Iordanem, solitudinem non secùs atquè stella illuminaret. Sabas verò tunc attigerat tricesimumquintum annum suæ ætatis: iam autem aduersùs eum cœpit bellum dæmonum, non obscurè nec latenter, sed apertè & ità, vt oculis cernerentur, eum inuadentium. Nam cùm illam Deo gratam moram traheret in solitudine, esset autem nox media, humì verò accumbebat, vt labores parumpèr remitteret, videt quosdam dæmones, qui scorpionum & serpentum speciem erant imitati, & eum inuadebant, & omnibus modis tentabant eum perterrefacere. Atque primùm quidem parùm veretur: deindè cùm Cap. 14. S. Euthymij obitus. Gerasimus monachus. Dæmones infestant S. Sabam.

citò intellexiſſet cuiuſnam eſſet machinatio, audacter ſurgit ad precationem, & in
Pſal.90. eius lingua verſatur pſalmus: Hoc autem erat quod canebatur, Non timebis à timore nocturno: ſed ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis. Talibus armis vtebatur Sabas aduersùs dæmones. Solummodò ergò ſic locutus eſt Sabas,& venenata illa animalia, tanquàm fumus,ſtatìm euanuerunt, & diſſolutum eſt viſum in aërem.

Cap.15. Cùm aliquot autem dies deincèps interceſſiſſent,rursùs eum adoritur ſatanas, leonis formam ſuſcipiens, toruéque & furioſè intuens, & tanquàm qui impetum eſſet in eum facturus: impetum verò rursùs ſuſtinens,& vitans congreſſionem. Ille autem cùm cognouiſſet eſſe maligni inſultum, & ideò viſione minimè eſſet conturbatus: Si accepiſti, inquit, contra me poteſtatem, cur reprimis impetum? Ego ſum paratus, Dei cedens nutibus, & non inuitum me offerens, vt deuorer. Sin minùs, cur fremis & exultas inaniter? Ambulabo enim, & conculcabo te leonem,munitus Chriſti virtute. Hæc dixit diuinus Sabas: & protinùs aufugit belua, quæ latebat ſub ſpecie leonis: omnes autem feræ ab illo tempore fuerũt magìs manſuetæ & obedientes: adeò vt ipſe vnà cum eis verſaretur,& nihil omninò læderetur à cohabitatione. Cùm verò ſic ſe gereret Sabas, ei prætereunti in via quatuor occurrunt Agareni,qui fame valdè laborabant, & indigentia vehemẽter erant afflicti. Cùm autem iam propiùs acceſſiſſent, illi quidem qui fame vrgebantur,eum diligenter circunſpiciebant,& ſcrutabantur,& naribus quodammodò odorabantur, an aliquid cibi afferret. Ille verò (ô miſericordiam & paternum animum) placidis eos intuens oculis, cùm nihil haberet aliud,quo ipſos aleret eſurientes, ea quibus ipſe alebatur in commune propoſuit: & extenſa ſtatìm pelle ouilla,meleagriorum radicibus & arundinum * cordibus eos excepit. Mirati autem barbari eius promptum & liberalem animum, tunc quidem vrgentem famem, vt licuit, ſedârunt. Poſteà verò remunerantes eius hoſpitalitatem, (ad talem enim ſimplicitatem & benignitatem vel feræ ipſæ placidè adſpexiſſent,non ſolùm animi hominum, quibus eſt à natura inſita manſuetudo) venerunt afferentes caſeos & dactylos.Ille autem,qui ſicut apes laborioſæ,ſciebat ex omni parte colligere id quod eſt vtile,ex eo cepit occaſionem maioris modeſtiæ,&ad ſuî condemnationem & compunctionem deuénit vehementiorem: Hei mihi, dicens, ô anima: eccè enim hi quidem barbari vel parui illius noſtri fuêre memores beneficij,& referre gratiam ſtuduerunt tam præclarè & munificè. Nos autem, qui quotidiè fruimur bonis creatoris,nullam ei ſtudemus viciſsìm referre gratiam per mandatorum obſeruationem. Quænam ergò decæterò excuſatio,quænam nobis dabitur venia? & ſic multos dies compungebatur animo. Sed hæc quidem facta ſunt à Saba admirabili, cùm degeret ſolus in ſolitudine.

Contemnit terriculamẽta dæmonis.

Illæſus viuit inter feras.

* corticibus legendum opinor.

Cap.16. Poſteà autem accedit ad eum quidam monachus, nomine Anthus, vir amicus virtutis, qui ipſe quoquè longo tempore verſatus fuerat cum beato Theodoſio. Is cum Saba vinculis ſpiritûs tunc colligatus,permanſit decæterò ab illo inſeparabilis. Cùm verò ſic eſſent inter ſe coniuncti,eos inuadunt quidam Agareni planè barbari,& animo maligniſſimi: qui quidem volentes honeſtam accipere occaſionem, vt perindè àc iniuria affecti, ſe viderentur vlciſci, non autem priores facere iniuriam,mittunt ad ſanctos vnum ex ſuis velutì quandam eſcam, vt ſi illi vel ninimum impetum feciſſent in eum, qui miſſus fuerat, ipſi ambos inuaderent & interficerẽt. Non enim ex animo illorum, ſed ex ſeipſis vniuerſum iudicabant, ſimiliter eſſe moribus barbaris ſanctos exiſtimantes. Illi verò cùm periculum protinùs præuidiſſent, nulla re alia, quàm ea, in qua ſola poterant cõfidere,nempe precatione, aduersùs eos armabantur: & cùm ſimul inclinâſſent & genua & animos, Deum rogabant ardentiſſimè, vt liberarentur
Pſal.19. ab illorum inſidijs: Hi in curribus, Domine,dicentes,& hi in equis: nos autem in no-
Pſal.146. mine tuo magnificabimur. Quoniam non in fortitudine equorũ, nec in tibijs virorum delectaris: ſed in contritione cordis & humilitate nomen tuum inuocantibus. Sic finem acceperunt eorum preces,& terra dehiſcens, quomodò olìm Dathan, ità etiam tentatorem illum, qui ad eos miſſus fuerat, in aliorum conſpectu deuorauit.
Num.16. Cùm autem illud nouum vidiſſent miraculum, ſtatìm magno timore afficiũtur, & ſe conijcientes in pedes, longè recedunt. Ab illo verò tempore diuina à ſuperis ad Sabam adueniens gratia,ità eum affecit,vt deincèps nihili faceret barbarorum inſidias: & non ſolùm ab eis non vinceretur, ſed ne terreretur quidem penitùs.

Anthus monach' degit apud S. Sabam.

Nota terribile Dei iudicium.

Cap.17. Sed tunc quidem primùm diuinus hic Sabas euadit notus beato Theodoſio, cùm eis ad hanc cognitionem Anthus pulchrè interceſſiſſet. Deindè autem etiam ſolitudinem

dinem facit Sabas habitabilem, & Lauram in ea construit: quam omnium clarissimam & maximam, & virtus & multitudo eorum, qui in ipsa habitabant, breui tempore effecerunt. Verumenimuerò operæpretium est repetere, vndenàm & quemadmodùm constituta sit Laura, & quisnam locum ostenderit, & mandauerit illic iaci fundamentum. Iam quatuor annos transegerat hic admirabilis Sabas in solitudine. Cùm fuisset autem aliquandò in excelso illo colle, in quo celeberrimi Theodosij doctrinæ fructum percepisse dicitur beata Imperatrix Eudocia, in consueta precatione pernoctans, videt visionem quandam admirabilem, splendore coruscantem & veste lucida, ei ostendentem torrentem, qui à Silöe defluit ad austrum: & denunciantem, vt habitaret torrentis speluncam, quæ vergit ad Orientem: & ei pollicentem auxilium ex sancto, & alimentum ab eo, qui vel ipsis iumentis producit fœnum. Et fuit quidem visio eiusmodi. Ipse autem magna ex visione affectus lætitia, cùm statìm è colle descendisset, quadam diuina & sapiente prouidentia, tanquàm ab aliqua dextera, deducitur vsque ad speluncam. Quadragesimo itaque anno suæ ætatis cœpit habitare hanc spelũcam, quandò Anastasius quidem Archiepiscopus Hierosolymitanus, cùm implesset decimum annum sui patriarchatûs, cum eo vita quoquè excessit, sui pontificatûs successore relicto Martyrio. Zeno verò Imperator Romanorum, interempto tyranno Basilisco, cùm is viginti menses obtinuisset tyrannidem, rursùs accepit imperium.

Laurã condit S.Saba.

Psal.146.

S. Sabas in spelunca moratur.

Cùm hanc ergò speluncam habitâsset magnus Sabas, quoniam ea in ascensu magnam habebat difficultatem, quandò vellet egredi aquatum, (fons enim distabat quinquaginta stadia, qui nominatur Heptastomus) ab eo desupèr appendens funem, sic suum ascẽsum & descensum effecit faciliorem. Cùm is autẽ rerum necessariarum nullam aliam curam gereret, sed contentus esset herbis, quæ nascebantur proptèr speluncam, Deus qui mandauit Sabæ, vt subiret speluncam, ipse ea quæ promissa fuerant, deducit ad exitum. Quomodò enim Eliæ prophetæ, qui olìm ingressus erat montem Sidoniæ & seipsum abscondebat: ità nunc quoquè mittit ad iustum eos, qui res necessarias erant suppeditaturi, nisi quòd ad illum quidem coruum: ad hunc autem, quosdam homines, licèt barbaros, mites tamen & moderatos, & qui nihil aliud æquè sciebant, àc virtutem habere in honore. qui ipsi quoquè tanquàm ab aliquo quem non videbant manu ducti, rectà perueniunt ad speluncam: & cùm per quendam funiculum ascendissent ad Sanctum, vbi viderunt illic vitam planè illaboratam, & nulla omninò supellectile instructam, nec vllis ornatam vtensilibus, virtutem adeò iurè sunt admirati, vt magnifacerent vel illius solùm seruire ministerijs. Sibijpsis quidem certè imponunt velutì voluntaria quædam vectigalia, vt certis quibusdam diebus illuc venientes, ad illum afferrent caseum & panem & dactylos, & si quid erat aliud ad vsum necessarium. Deo hæc sapienter contexẽte & admirabiliter, vt Sabæ minimè deessent necessaria, & ijs, qui ea afferebant, magnam cõciliaret mercedem ea suppeditatio. Atque quinque quidem annos sic Saba transegit in spelunca, solus cum solo Deo conuersans, & fruens bono quietis ac silentij. Quinto verò anno iam desinente, simul etiam desiêrunt in eum maligni artes & machinationes: qui verso tergo turpiter fugiebat cum suis satellitibus & dæmonibus, & nec virum quidem ampliùs intueri poterat.

Cap.18.

ἑπτάστομος, septẽ habẽs ostia.

3.Reg.17.

Barbari quidam alunt eum.

Victus ab illo dæmon, turpiter fugit.

Cùm autẽ iam sic esset securus à dæmonibus, nec ei molestia afferretur ab hominibus, quietisque & silentij esset amator vehemens, attamen cùm non solùm quæreret quod suum erat, sed etiã curam gereret salutis aliorum, immò verò cùm hoc etiã ei iussisset Deus, dedit se solicitudinibus, & priuatus fuit silentio, re ipsa implens id, quod dictum fuerat à propheta: Conscindite gladios vestros in aratra, & lanceas in falces: iubens ijs, qui ad perfectum boni habitum peruenerant, & iam hostes fugârant ac profligârant, transire ad colẽdos agros animæ fratrum, nimiùm sylueścentes, eosque mundandos & reddendos fertiles * fructus spiritûs. Agebat autẽ tunc ætatis annum quadragesimumquintum. Multis verò ex multis locis illuc confluentibus, & maximè quicunque à mundo, & ab omnibus, quæ sunt mundi, recedentes, in monte versari elegerant, admirabilis ille grex celeriter augebatur: beato Saba cum alia spiritali eorum cura, aptum quoque locum vnicuique deputante ad cellarum ædificationem. Quãobrèm videre licebat viros circiter septuaginta numero, omnes breuì ad ipsum conuenisse, omnes diuinos & à Deo inspiratos, & qui Christi mandata accuratè seruabant, implentes quendam secundũ chorum septuagenarij numeri Apostolorum,

Cap.19.

Esa.2.

* fructûs

Plurimi ad eũ se adiungũt, mundo cõtempto.

aut Angelorum ecclesiam Dominum laudantium. Inter quos erat quidem Iohãnes, qui nouæ posteà Lauræ præfuit. erat autem Iacobus quoquè, qui Lauram Pyrgiorum ædificauit in Iordane, Firminusque & Seuerianus. Ex quibus alter quidem ædificauit Lauram, quæ est in Malischa: alter verò monasterium, quod est in Maricha: & Iulianus opifex Lauræ, quæ est in Iordane, quæ nominatur Eleeraba. & reliquorum sanctorum catalogus, quorum singulorum meminisse, & eos nominatìm persequi, propter multitudinem recusat oratio.

Cap.20. Cùm eos ergò omnes diuini Sabæ virtus quauis tuba acutiùs clariusque procùl inuocâsset, illic quoquè statuit maximam Lauram constituere, vt per hanc solitudinem eis compararet supernam Hierusalem. Et primùm quidem in colle, qui est in fontibus torrentis, qui sunt ad boream, turrim ædificat. Deindè verò inter torrentem domum excitat oratoriam: & cùm in ea sacram mensam statuisset, & templum dedicâsset, cùm videret ex sacratis aliquem ad eum accedentem, cum faciebat in eo diuinum celebrare mysterium: ipse propter magnam in Deum reuerentiam, modestiamque insignem & humilitatem, rem fugiens, & omnibus modis differens sacerdotium. Cùm templum autẽ sic excitâsset, & Lauram illic cõstituisset, in cura gerenda fratrum deincèps studiũ & operam ponebat. At verò, vt qui esset acuto & subtili ingenio, & peruasisset omnem formam & rationem exercitationis, in illos se admodùm aptè gerebat & congruenter: alios quidem adhortans, alios verò admonens, alios autẽ increpans, & omnes, vt semèl dicam, generosè ac strenuè resistere maligni artibus efficiens, & non pusillo & abiecto animo ferre labores solitudinis: neque in animi cadere angorem, quod quidem apertè est ars maligni: sed spe futurorum confirmari ac roborari. ab angore enim vinci & tristitia, & defatigari in laboribus, est animi planè mollis & effœminati, & qui non habet viriles & generosos spiritus. His & similibus vtens ad eos admonendos, effecit discipulos superiores quauis difficultate, quicquid intercedebat asperum, & vllam afferebat offensionem, dissoluẽs, & faciens eos maligni tela superuolare, & leues eis pennas faciens ad virtutem: in rebus autem necessarijs, & quæ vsum requirebant ineuitabilem, & precibus eos sæpè adiuuabat, & clanculùm eis opem ferebat: nè, si plus, quàm possent, ferre tentâssent, tandèm defatigarentur. quod quidem euestigiò declarabit oratio.

Missæ celebratio.

Præclarè instituit monachos suos

Cap.21. Nam procùl quidem à spelunca, vt iam priùs diximus, fluebat aqua. Hoc verò malè habebat monachos, & in ea importanda magna afficiebantur molestia. Ille ergò beatus non sustinens eos videre id tam molestè ferre, se tunc noctù dedẽs precationi, Deum orauit vehementissimè, dicens: Domine Deus noster, si res est tuæ ineffabilis sapientiæ prouidentia, si hoc est omninò tuæ bonæ voluntatis & gratiæ, vt præsens locus habitetur, & floreat hominibus sanctum tuum nomen ferentibus, ipse nunc quoquè nos intuere propitius, & alicundè nobis aqua scaturiat ad nos reficiendos & refrigerandos. Sic precatus est, & quidam sonus statìm eius pulsat aures. Videbatur autem sonus infernè emitti ex torrente: & cùm despexisset, luna iam illustrante terram plenissimo lumine, videt quendam onagrum vngula pulsantem solum & fodiẽtem: Deindè postquàm terram satis fodisset & cauâsset, ore fossæ imposito bibentem. Ille itaque id, quod erat consentaneum, reputans, Deum ipsos visitâsse, statìm descendit, vbi vidit onagrum fodientem. Cùm autẽ ipse quoque parùm fodisset (ô ineffabilem tuam, Christe, gratiam) inuenit aquam, quæ emittebatur ex terræ visceribus: quæ ab illo tempore vsque in hodiernum diem fluit per mediam Lauram, & neque crescit hyeme, nec deficit æstate: idque cùm hauriatur ferè ab omnibus, qui sunt in regione.

Precib' imperrat aquã à Deo.

Cap.22. Rursùs verò cùm is aliquandò solus noctù deambularet circa torrentem, & psalmos caneret Dauidicos, ei apparet columna ignis apud ipsum præcipitium, quod erat diruptum ad Occidentem torrentis. Videbatur autem columna in terra quidem fixa, capite verò cælos tangere. Cùm ille ergò hoc vidisset, scalæ quæ olìm apparuit Iacob, & illius terribilis recordatur visionis: & statìm eum inuasit timor commixtus lætitia, vt qui dignus esset habitus rebus tam magnis & tam arcanis. Cùm ergò perseuerâsset in oratione, donèc luceret lux diei, pergit versùs Orientem, vbi ab eo visa fuerat columna ignis, & offendit quoddam magnum & diuinum antrum, quod seruabat effigiem templi Dei. Ad Orientem enim erat quædam concha, quæ non humanæ, sed diuinæ manùs videbatur esse opus. In eo autem à tergo erat apertus latus quidam ingressus. Solis verò radius illinc influens, implebat domum copioso lumine, & suauem intùs præbebat aërem, & valdè benè temperatũ, vsum implens Diaconici.

Visio eius.

Gen.28.

κόγχη videtur templũ diuinitùs fabricatum.

Cùm

Cùm sic ergò ædem illam inuenisset diuinam, non manufacta ornatam pulchritudine, & ipse quoquè pro viribus in eo artificiosè fuisset fabricatus, & naturali pulchritudini adiecisset artis elegantiam, constituit Sabas, vt sabbatis & diebus Dominicis in eo consueta fieret glorificatio. Cùm autem vidisset quandam petram, quæ templum supereminebat, ipse quidem eam delegit ad habitandum. Cùm verò vellet semper manere in hoc diuino templo, & rursùs nè eius quies & silentium conturbaretur, prouideret, illud sua sponte constructum tectum Diaconici insculpit, & quandam illinc cochleam, quæ sub turre latebat, ædificat vsque ad petram: per quam assiduè cum grata quiete & silentio latens veniebat ad ecclesiam. Templum autem consecrare, vt par erat, differebat, vt qui nec ipse auderet suscipere dignitatem sacerdotij, nec alicui alij ex ijs, quibus præerat, rem permittebat. Ità enim statuebat sacerdotium esse semper monachis causam ambitionis. Atque talis quidem fuit visio: & sic diuinum illud templum Sabæ est reuelatum. Seipsum & suos indignos sacerdotio iudicat.

Cùm autem multitudo monachorum quotidianis cresceret accessionibus, & breuì peruenisset ad numerum centum & quinquaginta, aucta quoquè est ex vtráque parte torrentis cellarum ædificatio, & Sabæ cura & diligentia perfectum est, vt & iumenta ad ministerium, & alia quæ sunt apta ad vsum corporis, possiderent monachi: nè necessariarum rerum indigentia, eis sæpè specie pulchra & honesta esset occasio pergendi ad mundum, neglecta quiete & silentio. Cùm ergò eius fama breui tempore in omnem partem peruasisset, multi ad eum veniebant cum multis pecunijs, quod illi præbuissent, hoc solum lucrifacere arbitrantes, & id tutò se habere reputantes. Has autem diuinus accipiens Sabas, non immisit in crumenas, nec abscondit in penetralibus: sed consumpsit ad fabricanda ædificia monachis conuenientia, & ad suppeditanda alia, quæ erant eis vsui: maximè cùm etiã Martyrius, qui tunc sedem obtinebat pontificiam, esset in eum optimè affectus, & ei familiaritate coniunctus, eumq; & reuereretur, & in magno honore haberet. Sed cùm Patriarcha octauo anno sui Põtificatûs è vita excessisset, & Salustius sedẽ post illum accepisset, iam quadragesimum octauũ ętatis annũ agente B. Saba, quidam ex Laura prauis animis, menteq; peruersa & illiberali, qui planè erant carnes, & vt cum diuina dicã scriptura, spiritum non habebant: qui parùm curantes exercere linguam ad canendũ cantica Dauidica, eam diligenter exercuerunt, vt mouerent aduersùs Pręfectum, & pacifica apud eũ dicentes, (nam hoc quoq; est Dauidis) ad iram dolos cogitabãt. Nam cũ frumento sępè etiam nascuntur zizania, sicut rubus in vinea, & ex discipulis cernitur vnus proditor, & Elisei discipulus erat Giezi, & Esau constat fuisse fratrem Iacob, & Cain Abelis. Cap. 23. 150 Monachi sub Abbate Saba. Multa ei pecunia donatur. Iudæ 1. g Psal. 34. 4. Reg. 4. Gen. 25 & 4.

Seditiosi ergò isti (oportet enim non ex nominibus sed ex studijs potiùs illos vocare) mala meditantes aduersùs diuinum Sabam, veniunt in sanctam ciuitatem, & ad Salustium Episcopum linguis dolosis, aut, vt meliùs dicam, cordibus accedentes, eum quærebant, qui esset præfuturus. Ille autem cùm esset sapiens, & aures non haberet faciles, nec ea admitteret, nisì priùs examinata, accuratè rogauit, quinam essent & vndè. Illi verò dicebant se habitare proptèr quendam torrentem, & illic peragere certamina exercitationis, celantes nomen Sabæ. Sciebant enim eum ex virtute notum esse omnibus: quomodò ipsi studium ponebant, vt ex vitio cognoscerentur ab omnibus. Cùm ij autem sæpè rogarentur, vt dicerent cuiusnam esset torrens, & quomodò vocaretur, cùm non possent effugere interrogationem: Qui ab aliquibus, dixerunt, vocatur torrens Sabæ. Ille autem, cùm intellexisset eum esse Præfectum, aduersùs quem isti struebant calumniam, rogauit rursùs, Vbì est hic Sabas? Illi verò mittentes respondere ad propositum, (ô arrogantiam & amentiam) dixerunt eum non posse sufficere curæ de tam multis suscipiendæ, propter simplicitatem nimiam & rusticitatem: lenitatem illius & moderationem, simplicitatem vocantes improbi, eò quòd nollet hic populus, vt admirandus dixit Esaias, aquam Siloë, quæ fluit silentio. Porrò autem illud quoquè addiderunt accusationi, nempe nimiam in suscipiendo sacerdotio cautionem, dicentes neque ipsum velle esse sacerdotem, neque alteri, vt fiat sacerdos, concedere. Sed hæc quidem illi. Cap. 24. Calumniãtur quidã S. Saba apud Episcopum Hierosolymæ. Esa. 8.

Quiricus verò quidam sacerdos, & virtutis amator ardentissimus, cùm tunc adesset apud Episcopum, & quæ dicta sunt audiuisset, Quid verò, inquit, vos primi Sabam suscepistis, an ille vos? Cùm illi autem respondissent, illum quidem ipsos suscepisse & congregâsse, eis verò regendis eum minimè nunc sufficere, qui in magnam creuissent multitudinem, cùm esset agrestior & simplex: Excipiens rursùs Quiricus: Si Cap. 25. Defendit partes S. Sabę Quiricus sacerdos.

ille, inquit, vos ab initio congregauit, & locum qui erat desertus, construxit ad habitandum: quanto magis & ipsum locum iam constructum & habitatum, & vos qui in vnum estis congregati, erit is aptus ad regendum? Cui enim in ijs, quæ erant magis difficilia, opem tulit Deus, ipse etiam omninò adiuuabit in ijs, quæ sunt minùs laboriosa, & facilem ei reddet præfecturam & administrationem. Ad hæc illos, qui pacem oderant, cum quibus erat Sabas pacificus, & clàm de proximo illiberaliter detrahebant, cùm nihil possent respondere, tunc dimisit Episcopus, Considerate, inquit, in præsentia: crastino autem die accuratiùs de his inquiremus. Et statìm quidem accersit beatum Sabam, nescientem cur esset accersitus. Porrò verò eos quoquè adducit, ad probandum quidem, vt putabant, suam accusationem, & ad expellendum Sabam à rectione: vt autem rei ostendit exitus, ad ora potiùs eis obstruenda, & omnem auferendam sermonis occasionem. Nam postquàm adstiterunt, rectus ille & incorruptus iudex, nihil illis omninò dicens, non arguens, neque alio egens testimonio, vt qui de virtute Sabæ optimè esset certior factus, & ab ea iam esset satis persuasus, eum quidem ordinat sacerdotem in conspectu omnium: hac autem apud eos vtitur admonitione: Eccè, inquit, habetis vestrum patrem, & Lauræ vestræ Præfectum, quem Deus desupèr, & non homo, elegit. Nos verò solùm spirituisancto manus commodauimus, non ipsum, sed nos potiùs ipsos afficientes beneficio. Sic dixit: & cùm statìm assumpsisset beatum Sabam, & ipsos seditiosos, & pium ac religiosum, qui tunc aderat, Quiricum, cum eis in Lauram proficiscitur: & primùm quidem sanctum illud templum consecrat: Deindè etiam aram in eo constituit, & gloriosorum Christi martyrum illic multas recondit reliquias.

S. Sabas ordinatur sacerdos.

Obserua de consecratione templi cũ reliquijs.

Cap. 26.

Atque tunc quidem agebat Sabas quinquagesimumtertium annum suæ ætatis, quo tempore Anastasius quidem sedem tenebat imperatoriam, cùm è viuis iam excessisset Zeno. Eodem autem anno ad Lauram accedit vir quidam diuinus, quem dona decorabant spiritalia, genere Armenius, nomine Hieremias: quem duo quoquè sequebantur discipuli, qui vocabantur Petrus & Paulus, qui cognoscebantur eius vitam apertè referre & exprimere. Ex his verò Paulus cùm longo tempore in Laura fuisset superstes, & admirabilis Sabæ rerum gestarum accuratam accepisset experientiam ijs quoquè, qui sunt eum secuti, multa narrauit: quorum plurima sita sunt in præsenti Sabæ vita. Cùm hi ergò ad Lauram accessissent, magnam ex ijs voluptatem accepit B. Sabas: & tunc paruam cellam ad borealem speluncæ partem, in qua ille priùs versabatur in exercitatione, quandò solus torrentem incolebat, eis tribuit, & eis paruũ reliquit oratorium, vt diebus Dominicis & sabbatis sua lingua consuetam peragerent glorificationem: ex quibus etiam auctum est in Laura genus Armeniorum. Cùm itaque Hieremias & qui cum ipso erant, ità ventitâssent ad Lauram, diuinus quoquè Episcopus & silentiarius Iohannes, eorum vestigia sequens, eodèm accedit, iam agens tricesimumoctauum annum ætatis: cuius angelicam in carne vitam, in suum tempus reseruat oratio: in præsentia autem immorabor in bonis beati Sabæ. Hæc enim de eo dicit insignis ille virtute Iohannes, qui fuit ipse quoquè vnus ex monachis Lauræ, quòd illi quidem magno esset studio, vt se in omnibus gereret sicut magnus Euthymius, & eius vteretur vita tanquàm exemplari aliquo.

Eccè quanti viri secuti sunt eius vitę institutũ.

Cap. 27.

Quadragesimalium ieiuniorũ diuinis dies.

Festũ S. Euthymij.

Cùm itaq; soleret Euthymius quartodecimo Ianuarij semper proficisci in vastam solitudinem, & illic versari in diuinis diebus ieiuniorum, nulli se videndum præbens, & neminem alloquens, hoc quoquè solebat B. Sabas facere consequenter, tempore solùm parùm mutato: quandoquidem ille quartodecimo, sicut diximus, hic autem vicesimo die mensis secedebat. Nam post diuini Antonij memoriam, magni Euthymij diem festum vicesimo die mensis celebrans Sabas, sic se conferebat ad solitudinem, & illic morabatur vsque ad festum Palmarum, non secùs atquè ille, se purum conseruans ab omni humana congressione. Et sic quidem semper faciebat vnoquoque anno vertente. Cùm mortuum autem mare aliquandò obiret, & in eo paruam quandam vidisset insulam admodùm desertam & horridam, eius quidem statìm captus fuit amore: animum verò induxit, in ea perferre dies ieiuniorum. Inter eundum autem dęmonis inuidia cecidit in quandam fossam, quæ ex fornace cum igne emittebat caliginem: fuitque ei vultus & barba exusta, & multæ aliæ partes corporis, adeo vt cùm multis pòst diebus redijsset ad Lauram, signis tantùm suorum morũ & voce, ijsque valde exiliter & obscurè, agnosceretur, eius forma omninò mutata, barbaque effecta rariore. Nam nec loqui quidem omninò poterat, donèc vis

Inuidia maligni dæmonis.

quædam

quædam diuina eum visitans à superis, ei vires immisit aduersùs malos spiritus, infirmumque & languentem renouauit ac recreauit. Propter barbæ autem rarefactionem Deo quoquè Sabas egit gratias, vt qui modestię ei causam prębuerit, nè proptet barbæ densitatem sibi nimìs placeret.

Porrò autem hoc quoquè de eo dictum est à beato Iohanne, quòd rursùs quidem vertisset annus: ille verò cùm assumpsisset vnum ex discipulis, cui nomen erat Agapetus, pro more exibât in solitudinem. Non multi itaque dies prætericrant, & Agapetus quidem cùm se somno dedisset, supinus iacebat, confectus labore & inedia: Vigilans autem Sabas, & vacans orationi, videt quendam leonem iacenti discipulo adstantem, & occulti leonis imaginem quodammodò referentem, & deindè ipsum in orbem obeuntem, & omni ex parte odorantem. Ille verò cùm hoc vidisset, valdè suo timuit discipulo, & cor eius cœpit vehementer trepidare, & pro eo ardentem fudit precationem: & statìm * fuit leo trophæum orationis, & se proripuit in fugam, discipulo nihil læso, nisi quòd cauda solùm sensim eius vultum percussit, & eum à somno excitauit. Atque ille quidem apertis oculis cùm vidisset leonem, caligans, confugit ad Sabam: Is autem primùm quidem eum metu liberat: deindè etiam admonet, nè tam facilè vincatur à somno & socordia, nè capiatur ab his feris, & multò magis ab ijs, quæ sub obtutum non cadunt.

Cap. 18.

* Fugit

Oratione fugat leonē à discipulo S. Sabas.

Iam verò hoc quoquè rebus Sabæ addit præclarus Iohannes, quòd cùm de more esset iturus in vastam solitudinem, Agapeto pellem tradit ouillam, & panes siccos ad eius vsum. Nam ipse Sabas toto ieiuniorum tempore erat ieiunus, nihil omninò cibi attingens, nisi quòd sabbatis & diebus Dominicis diuina sumebat sacramēta. Ineuntes autem viam, quæ ducit ad Iordanem, & eius eam partem, quæ vergit ad Septentrionem, inueniunt locum quendam prærupturn & præcipitem, in cuius cacumine erat quædam spelunca aditu difficilis: ad quam cùm non sine maxima difficultate peruenissent, Deo vtiquè Sabam ad hanc latenter attrahente, inueniunt quendam monachum, qui vtebatur vita ab omni præparatione aliena, & planè anachoretica. erat verò is dignus habitus gratia perspiciendi. De more ergò factis precibus, cùm sermones cœpissent conferre, rogauit, inquit, Sabam anachoreta cum admiratione, etiam nomen adijciens: Vndenàm, dicens, motus, ô admirande Saba, aut quonam tibi locum indicante, ad nos venisti? Eccè enim iam Dei gratia hîc annos egi quadraginta, duobus solùm demptis, & cum nullo homine non modò sum locutus, sed ne vllum quidem adspexi: quod me quidem magna afficit admiratione, quonam modo ipse, aut vndè motus, huc véneris. Beatus autem Sabas excipiens, Deus, inquit, qui meum nomen tibi notum reddidit, is quoquè me in eam, quæ huc fert, viam, quomodò ipse scit, deduxit. Cùm hi ergò sermones inter eos essent habiti, & anachoretæ dixissent ea, quæ consueuerunt, egressi sunt. Cùm autem se satis longo tempore contulissent ad lustrandam solitudinem, reuertuntur vt visant anachoretam, & rursùs benedictionem ab illo consequantur. Ingressi itaque speluncam, vident eum genibus flexis iacentem ad Orientem. Existimantes verò eū vacare solitæ orationi, diù expectauerunt. Cùm autem iam esset tempus vespertinum, & ipse adhuc humì iaceret, dicit beatum Sabam accedentem dixisse, Commenda nos Christo, pater. Cùm verò ne sic quidem respondisset, sed longum illud silentium in aliam adduxisset opinionem, accedens Sabas & tangens, inuenit eum iam expirâsse & excessisse. Conuersus itaque ad eum, qui sequebatur, discipulum: Adesdùm, inquit, ô fili, sancti componamus reliquias. Ad hoc enim fortassè nos Deus conuocauit. Hæc Sabas quidem dixit discipulo, & cùm iusta fecissent mortuo, & quæ de more cani solent cecinissent, & eum sanctè & honorificè composuissent, deposuerunt in quadam parte speluncæ, magnis lapidibus aditum obstruentes. Deindè illinc recesserunt, & pridiè Palmarum, vt solebant, ad Lauram sunt reuersi.

Cap. 19.

Vide sancti viri admirādam inediā.

Anachoreta 38. annis nullum vidit hominē.

Eū vitā functū Sabas ritu Ecclesiastico sepelit.

Sed hæc quidem sunt, quæ à beato Saba facta esse in solitudine, tradidit hic pręclarus Iohannes. Eodem autem anno, in quo & aucta est Laura, & diuinum illud templum fuit consecratum, & Sabę fama manabat in omnē partem: accidit vt ex parentibus, qui, vt priùs à me dictum fuit, erant Alexandriæ, pater quidem è vita præclarè excederet in insigni numero Isaurorum: mater verò Sophia cùm ante oculos vidisset mortem mariti, & alioquì eam valdè traheret fama filij, venditis facultatibus, continuò venerit ad filium, magnam vim auri afferens. Quæ quidem cùm eum lubenter adspexisset, & lubentissimè apud eum diuersata esset, ei persuadet filius, vt omnibus

Cap. 20.

quæ

quæ sunt mundi renunciet,& velutì magnā & filio dignam, quòd illum in mundum produxerit,ab eo accipiat mercedem,nempe ab hoc mundo separationem. Deindè paulopòst mater quoquè decedit in filij suauissimis manibus,iam prouecta ætate, & vitæ ex Deo agendæ institutionem studiosè & acriter persequens. Sed eam quidem sepelit sanctus Sabas,& in communi omnium matre condit venerabiliter: illius autem pecunias omnes Deo consecrat,eas opportunè & vt par erat expendens. Lauræ enim hortos & habitacula ac diuersoria per eas comparat. Quorum alterum quidem construxit apud Hiericho,alterum verò apud ipsam Lauram ædificauit ex ipsis fundamentis: vt illud quidem viatores, hoc autem monachos reficeret & recrearet.

Mater eius decedit.

Cap.31. Operæprecium est autem, ne illud quidē prætermittere, quod accidit in ædificando illo in Laura diuersorio. Vnum enim ex monachis miserat Hiericho Sabas admirabilis,vt illinc quandam exportaret materiam Lauræ iumentis. Ille verò feruente Sole torrefactus,laborabat siti vehementissima, & iacebat in via iam deficiens. est enim via admodùm deserta, & planè aquæ expers. Cùm tandèm autem illi venisset in mentē beatus Sabas,diuinas illius preces tanquàm aliquod sitis medicamentum implorabat: & statim, qui in columna nubis deduxit Israëlem, ei quoquè expandit nubem aquam parturientem,& eum quodammodò tegentem, & instàr roris refrigerantem,& ei vires addentem. Sicque desupèr nubem habens sequentem, venit in Lauram. Sed hoc quidem vel ab absente Saba factum est miraculum: persequamur autem,quam cœpimus,narrationem.

Exod.13. Miraculum haud vulgare.

Cap.32. Cùm solitus esset magnus Sabas ijs, qui à viris bonis desiderantur, diebus ieiuniorum peregrinari,sicut diximus,venit ei aliquandò in mentem collem quoquè habitare,qui dicitur Castellium: qui quidem distat à Laura viginti stadijs: ad eum autem hominibus propemodùm nullus patet aditus,tam propter multitudinē dæmonum, qui eum incolunt,quàm productà,quòd sit locus valdè asper & agrestis. Cùm in eo itaque colle fuisset,& Crucis oleum tanquàm terrorem aliquem inexpugnabilem in omnem partem diffudisset, & altissimum esse suum statuisset refugium, collem habitauit toto vertente tempore ieiuniorum. Sed primùm quidem graue bellum quotidiè in eum excitabatur,& tam vehementer eum aggrediebantur dæmones, & tanta in eum mouebatur tempestas, vt continentibus malis propemodùm fractus & defessus esset exercitator, & iam consideraret, quomodò è colle excederet. Sed qui olìm magno apparuit Antonio,ipse quoquè Sabæ nunc apparens, & eum bono iussit esse animo, & aduersùs malignam illam cateruam tantum ei dedit audaciæ, vt nec possent quidem illum ampliùs videre orantem: sed hoc satis esset ad eos fugandos,si se ille solummodò conuerteret ad orationem,& hymnos ad Deum lingua sua attingeret. Hinc factum est,vt iusto Sabæ cor esset hilare, & tranquillitate impleretur animus.

Dæmonum improbitas.

Mira vis precum S. Sabæ.

Cap.33. Itaq; circa finē ieiuniorum cùm vir diuinus noctù aliquandò vacaret orationi, rursùs illuc aduentat maligna illa caterua,vltimā afferens tentationem. Et repentè quidem strepitus faciebant,& terrores intentabant: & partìm quidem in serpentum & ferarum,partìm autem in coruorū figuram mutabantur,& sic conturbare sanctum, & ei terrorem incutere conabantur. Cùm is autē fortiter & constanter perseueraret in oratione,neq; illi quicquā omninò possent efficere, tunc vel inuiti se fatentur esse victos: & (ô violentiam)humana vt poterant voce exclamantes,deindè hæc quoquè vociferantes: Quid,dicebant,ô Saba,non sufficit tibi torrens? Non satis est tibi spelunca,& petra,& alia solitudo,quam obijsti & reddidisti habitabilem? sed nunc quoquè ascendisti nostros fines,& ex ijs,quæ sunt nobis propria, nos contendis expellere? Eccè & monte,& tuis tibi moribus cedimus,cùm talem, vt videmus, adiutorem habeas,nempe Deum. Vbì hæc cum magno eiulatu inuerecunda illa & impudens visio, & alia eiusmodi deincèps dixisset, & quodammodò suam cladem deplorâsset & calamitatem,cum magno tumultu circa mediam noctem è monte exiêrunt, coruis similes, & absonum & grauem quendam strepitum edentes. Hoc ipsos quoquè obstupefecit pastores, qui pascebant greges circuncircà in montibus: sic, vt ego quidem existimo, diuina dispensante gratia,nè sine teste essent, quæ sunt huiusmodi. Nam cùm ij sensissent strepitum coruorum, & illorum clamores, & repleti essent timore,manè congregantur ad collem, vt scirent quænam essent ea, quæ facta fuerant: trepidiq́ue & timore affecti Sabam conuenientes, ei renunciant omnia, quæ

Dæmones se ab illo victos fatêtur

Vident dæmones in forma coruorum pastores ouiū.

quæ noctù viderant & audierant. Ille autem cùm eos vidisset tanto metu affectos, & adeò perturbatos, illam ab eis expulit timiditatem & animi anxietatem, & eorum, qui conciderat, animum recreauit. Deindè cùm eos iussisset esse bono animo, eisque benedixisset, & pro eis esset precatus, eos dimisit in pace.

Cùm iam autem prętereijsset tempus ieiuniorum, reuertitur quidem diuinus Sabas in Lauram, vt solebat: Cùm præclarum verò Paschatis festum præclarè in ea celebrâsset, quibusdam secum assumptis fratribus, venit in Castellium, collemque repurgauit, & quæ erat in eo materia, vsus est ad cellas ædificandas. Interim autem dum cum fratribus intentus erat operi, inuenitur domus cuiusdam in mundo splendidi, ex pulcherrimo lapide constructa, tecto excelsa, magnitudine ampla, ornata copiosis gratijs & elegantijs. Cùm eam ergò inuenisset diuinus Sabas, & ipse quoquè eam reddidisset elegantiorem, ex ea diuinum templum effecit. Hinc arbitratus fore, vt res ei succederet ex Dei voluntate, statuit plura ædificare habitacula, & locum redigere in cœnobium. Cùm is autem sic cum suis laboraret in ijs ædificandis habitaculis, eorum verò quæ sunt necessaria, nullam curam gereret, & quorum est hominibus vsus ineuitabilis, Deus cui gratum erat locum ædificari, & cuius est præceptum, nè soliciti simus quid comedamus & quid bibamus: qui est vel ipsa matre nostrî amantior, & maiorem nostrî curam gerit, quàm ipse pater: ipse viro longè optimo Marciano, etiam ad id ferentem, immittit visionem, qui ipse quoquè præerat ijs, quæ sunt in * Betheleem cœnobijs, & rursùs curam gerebat eorum, quæ erant vbiquè, cœnobiorum.

Cap. 34. Paschatis præclarum festum.

Matt. 6.

Videt ergò is noctù veluti angelicam & alienam formam, quæ suauissimum & pulcherrimum emittebat splendorem. Videbatur autem hæc quoque ei dicere: Tu quidem, ô Marciane, sine molestia & labore pernoctas, vt qui nullo indigeas ex ijs, quæ ad corpus conferunt: Dei verò seruo Sabæ, qui propter multam in Deum charitatem in Castellio cum fratribus multos labores sustinet, rerum necessariarum magna est inopia, nec est vllus, qui sit vel paucis eos imperititurus ex ijs, quæ ad vsum pertinent. Eum ergò imperti ijs quæ habes, nihil omninò differens, nè adhuc maiore premantur indigentia. Et hæc quidem visio: Marcianus autem protinùs nihil cunctatus, mittit ad Sabam multa necessaria, ijs quæ monasterio seruiebant, iumentis vtens ad ea exportanda. Ille verò, cùm ea quæ missa fuerant accepisset, & quænam missionis esset causa, didicisset, hoc quoquè duxit esse signum, quòd ædificationi & habitationi loci Deus faueret: & simul quidem vehementiùs Domino egit gratias, & cœnobij ædificationem vrsit vehementiùs. Deindè postquàm fuit finitum, in monasterio collocat multitudinem electorum monachorum, Paulum quendam, qui anachoreta fuerat longo tempore, cum Theodoro discipulo præficiens eorum administrationi. Sed cùm Paulus paulopòst è vita excessisset, Theodorus suscipit omnem rerum administrationem, & fratrem Sergium, & Paulum auunculum cooprat in monasterium, qui & ipsi Castellio posteà præfuerunt: eisque commissus fuit pontificatus Ailæ & Amathuntis.

Cap. 35. Visio Marciani cuiusdam.

Congregat multitudinem monachorum in recens extructo suo cœnobio S. Sabas.

Atq; Sabæ quidem magnæ erat curę, vt, quos esset plantaturus in cœnobio Castellij, & prouectæ essent ætatis, & monasticam viuendi formā accuratè teneret. Nulli autem ex mundanis, & ijs, qui recèns aduenerant, concedebat habitare in Castellio: sed paruo cœnobio ad Lauræ borealem partem extructo, cùm ei pręfecisset viros industrios & sobrios, & quorū fidei credi possent fratrum animę, hoc habitandum tribuit ijs, qui è mundo recèns ventitabant, donèc ipsum Psalterium didicissent, & se exercuissent in alia monachorum vitæ institutione. Dicebat enim oportere monachum, qui degit in cella, esse studiosum, discernendi potestate præditum, sobrium, moderatum, temperantem, aptum ad docendum: non autem indigentem doctrina aliorum, qui posset & sua membra refrenare, & mentem tutò custodire. De eo enim dicebat dictum fuisse à Dauide: Dominus habitare facit vnius moris in domo. Cùm autem vidisset hic diuinus pater, eum qui renunciauerat, & regulam monasticæ institutionis accuratè didicisse, & mentem suam rectè posse custodire, & aduersùs contrarias depugnare cogitationes, & è mente sua expulisse omnem rerum mundanarum memoriam, ei præbebat cellam in Laura, si corpus haberet infirmū & imbecillum. Si verò esset fortis & robustus, ei iubebat cellā ædificare, hoc dicens & asserens, quòd si quis in eo loco cellam ædificaret, aut superędificaret, is templum Dei esset ædificaturus, illique & ipsi par futura esset merces. Nulli autem imberbi omninò licebat

Cap. 36.

Monachus solitarius qualis esse debeat.

Psal. 67.

for.* patribus licebat Lauram ingredi, propter eas quæ ex maligno oriebantur offensiones, sicut iam antè declarauimus. Dicebat enim diuinus Sabas, hoc ab initio traditum fuisse à * parentibus: & propter illud ipsum, parem modum ab eo esse seruatum: Quoniam quandò, inquit, véni ipse ad magnum Euthymium adhuc imberbis, volens in Laura habitare, non fui admissus, sed missus fui ad beatum Theoctistum. Dicebat enim esse valdè periculosum, adolescentes & pueros simul habitare cum viris solitarijs.

Periculosum est adolescentes & pueros habitare cum solitarijs.

Cap. 37. Eandem ergò formam seruans diuinus quoquè Sabas, si quē ex ijs, qui mundo renunciabant, videret eiusmodi, cui scilicet facies nondùm esset tecta pilis, eum mittebat ad illum, qui mihi dictus est superiùs Theodosius: qui quidē iam recesserat ab ecclesia, quæ dicta est Cathismatis, & in parte Lauræ, quæ vergit ad Occidentem, constituerat monasterium, quod vitæ communiter degendæ conueniebat, distans à Laura trigintaquinq; stadijs: qui eos, qui mittebantur, lubenter admodùm excipiens, omnibus modis studebat eorum curam gerere, ei qui miserat, gratificans. erant enim magno inter se amore coniuncti diuinus Sabas & hic beatus Theodosius: & vterque alterius voluntatem præferebat voluntati suæ, immò verò voluntatem alterius putabat esse suam: cùm Christi amor sic eos coniunxisset, & vt idem sentirent, eis persuasisset. Hoc autem erat omnium sermone celebratum, & aliud par Apostolicum ab Hierosolymitanis iudicabantur atque nominabantur. Eis ab Archiepiscopo, à Salustio, inquam, qui erat in Christo consummandus, mandata fuit præfectura vniuersi cœtûs monachorum, non quòd ipsi eam rem concupijssent, sed potiùs electi fuissent à monachis, & præmium virtutis eam accepissent præfecturam. Quonam modo autem ad hanc administrationem peruenerint, dicam paucis.

Theodosius S. Sabæ maxima charitate coniunctus.

Cap. 38. Cùm Elpidius & Elias, successores magni Pasarionis, è vita excessissent, consequenter ad Lazarum transit administratio. Sic etiam ad Gerontium. Qui cùm decessisset, Anastasio cura fratrum cōmittitur. Cùm ij ergò, Lazarus, inquam, & Anastasius, præessent administrationi, res monachorū erant admodùm turbulentæ, & maximis agitabātur fluctibus. Cùm hi ergò, quos diximus, Lazarus, inquam, & Anastasius, monasticę perfectionis paruam aut nullam curam gererent, ad quasdam autem mundanas curas & pecuniæ * euolumenta tota mente & anima conuersi essent, maximè cùm Anastasius tunc post Zenonem suscepisset imperiū, & schismata cum summa impudentia & licentia loquerentur aduersùs Ecclesiam: Cùm tunc ergò diuinus Salustius (erat autem is Patriarcha Hierosolymitanus) statuisset liberare fratres ab illa tempestate, primùm quidem constituit, vt qui iam à me dictus est, Marcianus eis præesset, & eorum susciperet rectionem. Cùm autem intercessisset aliquantum temporis, ægrotabat quidem diuinus Salustius, & corpore erat malè affectus: ad eum verò conueniunt omnes, qui erant in solitudine: ipse autem communi suffragio eorum, qui simul conuenerant, statuit vt monasterijs, quæ erant circa sanctam ciuitatem, pręessent Sabas & Theodosius, ij quos præsens vobis ostendit narratio. Ab illo ergò tempore Theodosius quidem ijs, qui communiter viuebant: Sabas autem ijs, qui cum nemine congrediebantur, & erant omninò separati, præerant.

Salustius patriarcha Hierosolymitan⁹ qd præfiterit monachis.

Cap. 39. Postquàm autem Salustius migrauit ex hac vita, Elias quidē, cuius sæpè memini in vita magni Euthymij, in sedem illius euehitur. Statìm verò omni studio contendit, vt circa se congreget bonos monachos sanctæ resurrectionis, circa turrim Dauid dispersos in aliquibus cellis. Monasterium quidem certè construit apud Episcopatum, & cellas ædificat ad illos excipiendos, & vnicuiq; eorum, qui conueniebant, abundè suppeditat ea, quę erant necessaria. Cùm hi ergò omnes monachi illic congregarentur, diuinissimus Sabas rursùs emens multas cellas, in quibus illi priùs habitabant, adiecit eas ad illos hospitio excipiendos, qui veniebant ad Lauram. erant enim ei proximę. Cùm in his autem occupatus esset Sabas, & alias quidem haberet, alias verò esset habiturus, in eo fit quoddam miraculum, magnum quidem, & quod est consentaneum esse incredibile, & admirabile quidem & contra opinionem, sed ab eius virtute minimè alienum. Nam emerat quidem, vt diximus, multas cellas: volebat autē alias quoquè emere, quæ erant etiam propinquæ Lauræ, & suo instituto vtiles: sed auri indigentia obstabat voluntati: & cùm earum acquirendarum ardentissimo teneretur desiderio, non habebat tamen manum, quæ ei opem ferret. Nihil enim ei reliquum fuerat, nisì dimidium numismatis. Sed ille, vt qui Dei sciret copias sapientiamque, & ad omnia fortitudinem, & illi permisisset vniuersum, id quod tunc habebat cellarum dominis dedit tanquàm arrham, pactus quòd nisì die sequenti solueret reliquum, id

Elias Episcopus Hierosolymæ.

Magna Sabæ fiducia in Deum.

etiam

etiam perderet, quod soluerat. Atque ille quidem cùm sic conuenisset cum monachis, solùm ad illam intuebatur dexteram, quæ non potest * examinari. Venit autem manè quidam hospes omninò ignotus: & cùm nihil dixisset, aut ab eo rursùs audiuisset, dat ei centum & septuaginta aureos. Quos cùm dedisset, continuò recessit, nec quo nomine quidem vocaretur, ei significans. Cùm verò statim coniecisset Sabas, vndenàm & quàm prompta fuisset eorum quæ data erant, suppeditatio, & eam à Deo esse profectam apertè cognouisset, protinùs & precium soluit cellarum, & alteram domum ædificauit ad excipiendos monachos, qui veniebant peregrè. Quinetiam Castellio duo præterea acquisiuit habitacula, vnum quidem in sancta ciuitate, non multùm distans à turre Dauid: alterum autem in Hiericho. for. * exinaniri Obserua rẽ admirandã.

Acrem itaque eius in his rebus zelũ adhuc magìs amplificans Dominus è superis, duos quosdam secundùm carnem fratres, genere Isauros, nomine Theodúlum & Gelasium, qui ipsi quoquè erant iuuenes, sicut ille Beseleel & Eliab, architectos noui tabernaculi, mittit ad nouum hunc Mosem. Quibus ille vtens opificibus ædificiorum, adstruxit quidem quæcunque in Laura adhuc deerant: construxit verò circa eam quoquè monasteria. Deindè ædificat etiam domum ad panem faciendum. Fabricatur etiam nosocomium, & aquarum quoquè receptacula construit proptèr torrentem. Quoniam autem neque quod ei priùs apparuerat à Deo conditum templum, synaxi fratrum sufficiebat: & rursùs multitudo Armeniorum, oratorij exuperabat magnitudinem, alteram ædem excitat diuinus Sabas ab ipsis fundamentis, quæ ornatu & magnitudine nulla erat altera inferior: eamque Deo consecrat. quæ quidem cùm ab Elia, qui tunc Ecclesiæ præerat, de more fuisset dedicata, illas quidem sacras fratrum synaxes illic iubet deincèps peragi: Armeniorum autem multitudinem transfert in illud diuinum templum, adeò vt Christianis quidem consueta glorificatio, & ipsa Euangelij lectio, quæ fit ijs qui sunt præsentes, proprio eorum sermone impleretur: simul verò cum alijs diuina sumerent sacramenta, & fieret omnibus communis eorum participatio. Quoniam autem quidam, sequentes inanem vocem Petri cognomine Fullonis, (qui eadem sentiens, quæ Eutyches, cùm Antiochenam sedem impiè inuasisset, sæpè fuit expulsus à sacris vestibulis) angelico ter sancti hymno inserebant, Qui propter nos fuit crucifixus, diuinus Sabas adulterinam hanc tollens nouitatem, aliam quidem sacrorum hymnorum consequentiam, (quandoquidem sciebat eam rectè prosequi Armenios) permisit eis solita voce canere: solum verò hymnum trisagium sanxit canere lingua Græca. hoc quoquè prætereà præcipiens, vt die quidem sabbati in templo speluncæ, diebus autem Dominicis fierent synaxes in templo Deiparæ: in alijs autem ecclesijs, & Dominicis & insignioribus festis magìs solennibus, à vespera vsque ad manè producerent vigilias. Cap. 40. Exod. 31. Multa ædificat S. Sabas in vsus monachorum. Petrus Fullonis sectator Eutychetis. Vigiliæ in festis solennibus.

Cùm sic ergò se gereret Sabas, & Lauram & Castellium quotidiè augeret ædificijs, & fratrum accessionibus, ij qui fuerant priùs eius discipuli, deindè, vt iam antè diximus, calumniatores, non ferentes Lauram videre sic florentem: sed etiam adhuc maiore inuidia flagrantes, & cum alijs fratribus conspirantes, & mala synagoga effecti circiter quadraginta, dolos aduersùs sanctum consuèbant, & ei omnibus modis parabant insidias. Hæc autem cùm cognouisset ille mitis ac mansuetus, & eius qui verè est pacis author & legislator germanus discipulus, quod priùs in diuinis, hoc in hac re quoquè facit: & nè esset fratribus causa offensionis, non solùm despicit cibum, vt vult Apostolus, sed etiam ab illa ipsa Laura recedit. Didicerat enim Sabas pugnare quidem cum dæmonibus: hominibus autem facilè cedere. Hoc verò faciebat, tum improbos quidem pudore afficiens lenitatis suæ exuperantia: tum autem illo discessu inuidiam consumens & tabefaciens: ostendensque nullam rem propriam esse ei curæ: sed Dei causa omnem laborem suscipere, & fratrum vtilitatis. Hac de causa facilè quidem recedit, & venit ad partes Scythopolis: manet verò in quodam loco, qui erat quidem desertus, vocabatur autem fluuius Gadarorum. Cap. 41. 1. Cor. 8. S. Sabas cedit quorundam fratrũ [illegible]entiæ.

Deus autẽ, cuius causa hæc Sabæ acciderant, Sabam non habuit despicatui: & ipse quidem subit speluncam quandam, sitam proptèr flumen: in ea autem habitabat leo insigni magnitudine. Cùm in ea ergò versaretur, & post preces se sopori parùm dedisset, ad eum media nocte accedit fera illa terribilis: & cùm eum sensìm veste appræhendisset, eum foràs trahebat, & quodammodò iubebat eum exire è spelunca. Ille ergò excitatus, & illius conspectu minimè conturbatus, nocturnos hymnos protinùs est aggressus. Leo verò (ó magnam in Saba operationem spiritûs) statìm extrà Cap. 42. Habitat in spelunca. Nota Lector.

recedens, dum preces fierent, expectabat. Peractis autem precibus, ille quidem humì sedens, vbì solebat leo decumbere, paululùm requieuit. Is autem adueniens, eum trahebat similiter, & tentabat eum è spelunca expellere. Quid deindè consequitur? Non ampliùs obscurè gratia cum Saba versabatur, sed apertè ostendebatur: quomodò olìm Abrahæ, eum quauis calamitate reddens superiorem, regibusque & tyrannis ipsis insigniorem, etsì esset erro, & hospes, & nullam haberet ciuitatem. Sic in hoc quoquè loco Sabam, non solùm dæmonibus, vt vobis sæpè ostendit oratio, sed etiam belluæ maximè horrendæ, venerabilem reddidit & terribilem. Nam cùm leo sic eum contenderet expellere, & vehementer instaret, & Sabam vi traheret, ille labris sensìm apertis, O fera, inquit, hæc quidem spelunca ambobus, si velis, sufficit ad habitandum. Tibi verò si hoc non videtur, at tu mihi potiùs cede spelunca. ego enim Dei manu sum formatus, & eius sum honoratus imagine. Hæc admodùm leniter & placidè dixit Sabas, & fera perindè àc sermonem reuerita, statìm abijt, Sabæ cedens spelunca & cubili.

Gen. 13. 14. 20. & 21.

Vide vt se gerat erga ferã bestiã.

Cap. 43. Cùm is ergò illic versaretur, multi ex finitimis ad eum ventitabant, & maximè quicunque habitabant Scythopolim & Gadara. eos enim vndiquè vocabat illius fama, non secùs atquè clara tuba, virum velutì præconio prædicans. Quo quidem in loco quidam ex Scythopolitanis genere clarus, iuuenis ætate, nomine Basilius, à Deo motus ad ea quæ sunt honesta, cùm humana omnia iussisset valere, ad ipsum accedit & Deum. Et ille quidem versabatur cum Saba, & apud ipsum viuebat, & eo vtebatur præceptore. Quidam autem latrones, pecunijs abundare arbitrati Basilium, circa mediam noctem spe pleni ad eos accesserunt. Postquàm verò nihil inuenissent eorum quæ sperârant, recesserunt, & pro alio lucro sibi parârunt animę vtilitatem. Nam cùm vidissent vitam adeò tenuem & frugalem, & cui deerant etiam quæ sunt necessaria, obstupuerunt, & magni Sabæ copias sunt admirati: quæ in eo erant, quòd nihil possideret. Suum itaque facinus animo versantes, & nè aliquo graui malo à Deo afficerentur dubitantes, recesserunt, audacis sui cœpti magna ducti pœnitentia. Tale etiam aliquid, quod contigerat, iniecit eorum animis maiorem eius, quod bonum & honestum est, æmulationem. Cùm enim iam essent in medio itinere, in eos incidunt leones ingenti magnitudine, & visu terribiles. Quorum adspectu timore perterriti, & vitæ bonam spem non habentes ampliùs, vnam solam prospexêre salutem, si ad Sabam & illius orationis virtutem confugissent. Res enim sapiens est anima ad videndum, quod est conducibile, cùm ceciderit in necessitatem. Bestias ergò per illum adiurârunt, dicentes: Per preces monachi Sabæ, via nobis cedite. & statìm leones, tanquàm graui aliqua plaga, percussi nomine Sabæ, in pedes se coniecerunt. Latrones autem insigni miraculo obstupefacti, & vt qui persuasum haberent Sabam multùm posse apud Deum, ad ipsum reuertuntur. Vide verò, quàm ex metu acceperunt vtilitatem, & ineffabilis Dei prouidentiæ bonitatem & sapientiam. Ipsi enim statìm seipsos accusant, & per se ea annunciant, quæ eis in via contigerant: & cùm Deo promisissent, eiusmodi furtis & latrocinijs se non esse ampliùs implicandos, abeunt ad Sabam, quòd à bestijs non essent læsi, hanc ei velutì referentes gratiam, nempe suam in melius mutationem. Decætero enim latrones non fuerunt ampliùs latrones: sed dimissa omni iniusta & iniqua actione, operam dabant agriculturæ, & occupati erant in terræ laboribus.

Basili⁹ adolescens nobilis fit monachus.

Opes S. Sabæ.

Res mira profectò.

Latrões resipiût se ad bonam frugem.

Cap. 44. Cùm hoc autem miraculum ad multorum aures breuì peruenisset, & omnes ad eum conuocaret, vexatus ille multitudine eorum, qui confluebant, desiderabat rursùs priorem quietem & silentium. Cùm Deo ergò commendâsset fratres, qui illic erant congregati, & eis tradidisset cellam, quam nupèr construxerat, facilè tanquàm passer aliquis, vt cum diuino psalmo dicam, transmigrat, & ad desideratum reuertitur silentium. Cùm illi autem aliquot pòst annis ex hac vita migrâssent, Eumathius quidam genere Isaurus, cùm cellam accepisset ex successione, fecit cœnobium, & in eo collegit monachorum multitudinem: quorum vnus est etiam Tarasius, cui post Eumathium fuit commissa præfectura, vir qui fuit ipse quoquè genere Isaurus, moribus verò laudabilis, & virtute insignis. Sabas autem cùm longo pòst tempore reuertisset ad Lauram, existimabat se inuenturum quidem esse eos, qui priùs erant seditiosi ex fratribus, ira remissiore, vtpotè quòd tempus, quod intercesserat, inuidiæ vigorem multùm tabefecisset, & cum eius è Laura peregrinatione vnà quoquè eorum de ipso abiret cogitatio. Hoc autem non ità habebat. magìs enim vigebat & amplificata erat

Psal. 10.

erat perturbatio,& erat acrior inuidia. Hoc verò hinc fuit manifestum. Non enim ipsi soli aduersùs sanctum parturiebant iniquitatem: sed cùm alijs quoquè viginti persuasissent,& eo quod est sub labris veneno eos impertijssent, tota die bellicam aciem aduersùs eum instruebant. Quid ergò ille ad hæc? Dolebat quidem, videns fratrum procedere interitum: & eius grauiter scindebantur viscera: eorum,qui surrepti fuerant,prolapsionem perindè deplorabat,atquè suorum membrorum amputationem. Deindè etiam hunc à ratione alienum volens motum eorum sustinere, opponebat iræ illorum lenitatem, odio dilectionem, rerum malarum meditationi benignitatem:vt reueriti eius mansuetudinem,ducerentur pœnitentia,& suam salutem lucrifacerent.

Inuidia quorundā recrudescit aduersùs S. Sabam.

Cùm autem,vt est in prouerbio,conaretur lauare Aethiopem, & efficere vt cancer rectus ingrediatur, (nihil enim difficiliùs dediſci poteſt,quàm improbitas) & videret eos vitio effici magìs viriles, & nulli rei magìs fidere, quàm impudentiæ, &, vt dicit admirabilis Esaias, spem posuisse mendacium,& sperâsse fore vt eo protegerentur: quoniam non poterat eis aliter mederi, rursùs recedit ad partes Nicopolis: & diuertit ad quandam arborem,quæ fert siliquas,alimento quidem vtens illius fructu, tegumento verò ramis. Sed Deus,propter quem hæc rursùs sustinere æquum censebat Sabas,tunc quoquè rem suæ curationis sapienter contexit Sabæ, & quæ viro bono & virtutis amanti mercedem conciliauit. Nam cùm hoc curâsset, vt veniret ad cognitionem domini agri, (erat autem is quoquè, vt est consentaneum, amicus virtutis) efficit vt is mox ad eum accederet, & tum in cæteris eius curam gereret, ac ei prouideret,tum cellam quoquè ei excitaret: quæ posteà, Deo opem ferente, constructa fuit cœnobium. Sed cùm Sabas quidem in eo loco sic degeret,scelesti illi homunculi,& maligni scilicet figmenta, illi, inquam, seditiosi & Iudæ planè discipuli, tempus sibi dari opportunum ad illum calumniandum, arbitrati propter longam illam viri peregrinationem: cùm de ipso talem in Laura famam confinxissent, Abbas noster,dicentes,obiens solitudines,captus fuit à fera: & sic induxissent eos,qui erant minùs præditi ratione,& accessissent ad Patriarcham,etiam vbinàm grauis hic casus accidisset falsò adijciunt. In solitudine enim,aiebant, mortui maris fuit deuoratus à leone. Hoc verò sic dicebant, vt quod ab eis fictum erat, videretur probabilius. Deindè etiam quærebant aliquem,qui esset eis præfuturus. Ille autem, qui nihil temerè & inconsideratè neque dicere didicerat, neque alios audire: & alioquì Sabæ vita qualis esset à puero, non ignorabat, & quod dictum fuerat mentis iudicio permittebat: Sed non possum, inquit, ego facilè credere, quod dictum est. Scio enim, quòd cùm sit Deus iustus, & iustitiam diligat, vt dicit diuinus Dauid, non sic dimisit seruum suum deuorari à bestijs. Abite ergò vos potiùs ad illum quærendum: aut si vobis videtur,expectate aliquantulum temporis, donèc Deus nobis de eo aperiat. Cùm illi ergò sic à scopo excidissent, & vacuis manibus reuertissent, quieuerunt in præsentia.

Cap.45.

Esa.28.

Vide cibi & vestitùs austeritatem.

Aemuli eū fingūt eum deuoratū à fera.

Psal.10.

Cùm autē aduenisset dies festus dedicationis,venit quidem,vt solebat,diuinus Sabas in sanctam ciuitatem cum quibusdam alijs fratribus monasterij,quod ab eo constitutū fuerat Nicopoli. Cùm verò eum vidisset Episcopus,& quòd eum præter spem vidisset,fuisset gaudio repletus,& de illo longo & insperato reditu esset cum eo locutus, eum deindè accepit seorsùm, & rogauit vt ad suam rursùs rediret Lauram, & non sic rectore destitutam eam derelinqueret. Eo autem rogante vt ignosceret, (neque enim se posse tam multorum virorum curam gerere) ille non cessabat instare & obsecrare. Cùm verò videret Sabam magìs resistere,& nequaquàm cedere,ille hæc ægrè ferens, & nonnihil etiam ex suo commotus officio: Sed si non, inquit, audiueris hanc meam petitionem, non venies mihi ampliùs in conspectum. Non possum enim ferre,alios frui tuis laboribus. Cùm sic autem dixisset Patriarcha, pollicitus quidem est se iussui illius esse cessurum: nè verò in negocia & turbas se rursùs conijceret,malam seditiosorum mentem cogitur aperire. Patriarcha autem protinùs excitatus ad ei ferendum auxilium, hæc scribit monachis Lauræ: Vos, qui estis fratres in Christo,scire volo,patrem nostrum,non vt à vobis auditum fuerat,fuisse à bestijs consumptum: sed eum adhuc viuere, & esse superstitem, & ad nos venisse ad festum. Ego verò eum detinui,non æquum esse censens,vt ipse Lauram relinquat, quam suis construxit laboribus. Prompto ergò & alacri animo vos eum eo, quo par est,honore suscipite, & ei omnibus modis cedite. Sin autem sunt aliqui apud vos

Cap.46.

Festum dedicationis Ecclesiæ.

Literæ Episcopi Hierosol. ad fratres Lauræ.

arrogantes, contumacesque & superbi, & se ei nolentes submittere, nos eos iubemus quamprimùm à Laura recedere. Neque enim est permittendum, eum, locum suum non recipere.

Cap.47. Acceptis itaque literis, diuinus Sabas descendit ad Lauram, cùm quendam constituisset Seuerum, vt præesset monasterio Nicopolis: cui, cùm post aliquot annos fuisset consummatus, successit Dom nus, & illi rursùs Sabaron, qui ad mea vsque tempora fuit perpetuò Præfectus huius monasterij, cùm iam ad profundissimam peruenisset senectutem. Cùm venisset autem ad Lauram beatus Sabas, & omnibus audientibus lectæ essent literæ in ecclesia, illi qui nihil non audebant, vbì quæ lecta fuerant, audiuissent, suo impetu incitati, & occulto eorum præfecto egregiè parentes, alij quidem secures, alij verò dolabras & ligones sumentes in manus, & ad eam, quæ à Saba ædificata fuerat, turrem cum ira ascendentes, eam euertunt ab ipsis fundamentis, nihilo tolerabiliùs affecti, quàm dæmones. Et alij quidem ligna & lapides iaciebant in torrentem: alij verò monachorum indumenta, & quicquid aliud habebant, rapientes, sic egressi sunt è Laura: & ad Sucæ Lauram protinùs venientes, rogabant vt in eorum numerum referrentur. Sed Lauræ præfectus Aquilinus, vir diuinus, cùm non esset ignarus eorum, quæ ipsi fecerant, ne passus quidem est, vt qui erant tam improbi, Lauræ hospitio omninò exciperentur. Cùm itaque ad Thecoum, qui dicitur, torrentem peruenissent, & quasdam cellas proptèr eum inuenissent, quæ olìm factæ fuerant ab ijs, qui desciuerant, & se ab alijs separauerant, & alias quidem instruxissent, alias verò ædificâssent ipsi à fundamentis, in eis habitabant, eas nouam Lauram nominantes.

Homines importuni euertũt turrim S. Sabæ.

Cap.48. Cùm illi quidem sic è Laura excessissent, alij fratres tanquàm frumentum, ablatis zizanijs, fuerunt fructus Deo vtilissimus & purissimus. Cùm interìm autem effluxisset aliquantum temporis, quoniam huic amanti patri viscera non quiescebant, sed de ijs, qui se ab illo abruperant, grauem dolorem conceperat, &, vt Apostolicè dicam, corde vrebatur, postquàm resciuisset vbinàm degerent, & Lauræ & Castellij iumenta multis onerâsset rebus necessarijs, abit ad ipsos: partìm quidem volens sedare eorum maleuolentiam, partìm autem volens succurrere egentibus. Et ille quidem sic. Nonnulli verò ex ijs, & maximè ij, quos acrior inuaserat inuidia, cùm eum procùl adspexissent venientem, sic sensìm inter se susurrabant, Videte, dicẽtes, quòd ne hic quidem malum effugimus: sed rursùs ad nos venit ille Strabo: & quæcunq; eis alia subijciebat inuidia. Sed cùm ab ijs non fuisset illius retardatus cursus, ad eos venit, & placidis eos adspexit oculis, & eos impertijt rebus necessarijs. Cùm autem vidisset eos magna vndiquè premi inopia, quòd neque haberent qui eorum curam gereret, neque eis diuinum esset templum ad orandum: sed in propheticam ædem, quæ est Thecois, singulis ascenderent Dominicis, participaturi diuina sacramenta: & eos deindè inter se decertare, implerique tumultu & perturbatione, quòd essent sine duce, & nulli parérent pastori & Præfecto, refert omnia ad Patriarcham, & vehementer rogat, vt eos congreget & conciliet, & eis omnia præbeat, quibus indigent. Ille verò datis Sabæ septuaginta aureis, ei concedit dominium & res monachorum.

2.Cor.11. Insignis charitas Sabæ erga æmulos suos.

Cap.49. Is autem cùm rerum, quæ illic erant, sic factus esset dominus, primùm quidem eis prouidet res necessarias, vt nihil eis deficeret, sed omnia eis suppeterent. Deindè templum quoquè eis magnificè ædificat, & id eis consecrat & dedicat. Deindè eis quoquè domum construit ad panem faciendum. Quæ cùm fecisset, tractabilesque & mansuetos reddidisset, qui priùs erant seditiosi & inobedientes, accersit Iohannem, qui iam à me dictus est, & ei nouæ Lauræ committit præfecturam: qui ortus quidem fuerat ex Græcia: ante mortem autem suam ea, quæ multis pòst annis in Laura euenerunt, prædixit & apertissimè enunciauit. Cùm enim è præsenti vita iam esset migraturus, & extremum iam traheret spiritum, & extrema verba emitteret, quoniàm multi eum circunsidebant ex ijs, qui erant è Laura, cum profundis suspirijs lachrymisque & animi perturbatione: Eccè, inquit, veniunt dies, in quibus qui præsentem locum habitant, desciscent à recta fide: & extollentur quidem in seipsis, vt cum diuino Dauid dicam, qui exacerbant: in audacia verò sua destruentur, & altitudo eorũ repentè decidet. Et cùm hæc dixisset, migrauit, cùm septem annos implêsset in præfectura Lauræ. Deindè post illum consilio diuini patris Sabæ, qui illic erant monachi, cuidam Paulo committunt administrationem: qui erat quidem Romanus genere, sed simplicissi-

Bonitate tãdem vincit obtrectatores suos.

Psal 65. Prophetia Iohannis Abbatis iã morituri.

plicissimus & ab omnibus negocijs alienissimus: veras solas diuitias cognoscens, nil possidere. Ipse autem cùm sex solùm menses admodùm inuitus permansisset in Laura, nihil sibi volens exhiberi molestiæ, aufugit in Arabiam: & cùm illinc venisset ad Seuerianum, excedit è vita: Seuerianum, inquam, illum, quem superiùs ostendimus construxisse monasterium in Barichā. Sed cùm diuino Sabæ fuisset eius fuga significata, ille Agapetum suum discipulum iussit præesse monachis, non magis honorans eius virtutem, quàm satisfaciens illorum petitioni. Ipsum enim, vt præesset, communiter vocabat totius simul Lauræ legatio. Neque ipse quidem hoc lubens suscipiebat: sed euectus fuit illorum iudicio & sententia. S. Agapetus præficitur nouæ Lauræ.

Cùm ei ergò commissa fuisset præfectura, inuénit quosdam ex fratribus, (erant autem ij quatuor à Paulo admissi, qui fuit simplicissimus, neq; accuratè examinati) tanquàm virus sub labris quædam Origenis occultantes. Inter quos primas partes obtinebat quidam Nonnus Palæstinus: qui videbatur quidem esse Christianus, & pietatis præ se ferebat speciem, laborabat autem morbo gentilium & Manichæorum, Didymique & Euagrij & Origenis, qui nugati sunt de præexistentia. Cùm eos ergò ità se habere deprehendisset Agapetus, timens nè malum manaret ad alios, & omnes communiter inficerentur, eam rem communicat Patriarchæ: eoque in eius, quod statuerat, adhibito societatem, illos è Laura expellit. Non multum temporis intercessit, & cùm è vita excessisset Elias, vt deinceps apertiùs ostendet oratio, accedens Nonnus cum suis ad eum, qui illi successit, Patriarcham, rogabant vt rursùs restituerentur Lauræ, à qua dicebant se non iustè nec rectè fuisse expulsos. Ille verò cùm alia quidem nondùm sciret, sed solùm eos fuisse expulsos à Deo dilecto Agapeto, & existimâsset illum virum nihil fecisse nec dixisse aut gratia aut odio commotum, eum statìm accersit, rogatque num fieri posset, vt illi rursùs admitterentur. Cùm is autem dixisset non licere, & se mâlle illinc recedere, quàm videre illos in suum gregem relatos, qui sunt pleni tali contagione, ipse quoquè eos abominandos amandat Patriarcha. Sed cùm Agapetus quoquè post hæc, quinto anno susceptæ administrationis, migrâsset ad Dominum, & cuidam Mæmanti commissa fuisset fratrum præfectura, Nonnus cum suis tanquàm morte Agapeti ansam accepissent libertatis, reuertuntur ad Lauram, & in ea clanculùm subijciuntur Mæmantis administrationi, malignum quidem morbum adhuc in animis inhabitantem circunferentes, sed quem metu Sabæ non proferebant, nec ad aliorum aures audebant transmittere. Sed hæc quidem de ijs, quæ in Laura posteà acciderunt, vt ostendamus ea euenisse, quæ Iohannes prædixerat. Nunc illa quoquè necesse est persequi, quæ sunt delectatura aures virtutis amantes, & animum sic affectum exuscitatura ad æmulationem. Cap. 50. Quidā monachi Originistæ. Expelluntur è Laura. Redeūt fallaciter ad eam.

Cùm fratres, qui defecerant, Sabas sic recōciliâsset, & nouā Lauram sic ædificâsset, & rectè constituisset, & ad suā Lauram sic rursùs redijsset, non satis habuit tam multa tam præclarè gessisse in cōstituendis monasterijs, & effecisse, vt, de qua priùs diximus, habitaretur solitudo: sed adhuc vehementer spirans aduersùs dæmones, & diuino zelo motus contendebat efficere, vt reliqua solitudo fieret habitabilis, & fertilis monachorum multitudinis, vt per ora multorū, aut vitam potiùs & virtutem, laudaretur Dominus. Ea de causa tempore ieiuniorum, accedit ad quendam torrentem, qui à maxima Laura distabat decem stadijs, cum quodā Paulo, ætate quidem sene, florenti verò virtute: & cùm offendisset quandam speluncam in torrentis parte, quæ est ad boream, in ea quidem totam transegit Quadragesimam. Cùm vidisset autem locum omni ex parte tranquillum, silentioque & quieti valdè aptum, & esset velutì quadam percitus æmulatione, si non is quoquè opem ferret ad fratrum exercitationem & salutem animarum: postquàm illinc reuersus fuit ad Lauram, & ad præclarum & diuinum festum resurrectionis, cùm & alios fratres & Paulum quoquè assumpsisset, illuc rursùs reuertitur: & ex spelunca quidem construit ecclesiam: circa ecclesiam autem insigne cœnobium. Et speluncam quidem nominat monasterium: Paulo verò mandat eius curam, ei adiungens socios solicitudinis Quiricum quendam & Eustathium. Sed de monasterio quidem hæc, Deo fauente, dicta sint. Creuit autem posteà & monachorum multitudine, & copijs rerum necessariarum: & qui illic primùm relicti sunt à diuino Saba, cùm fuissent alterius successores & morum & rectionis, illic quoquè è vita emigrant. Cùm multi autem ad eum accederent, & multa quidem ei offerrent, & magnam quoquè ei suis manibus opem ferrent ad ædificationem, nullus fuit, qui vel aquæ frigidæ solùm dedisset calicem: vt vel hinc possis conijcere de ijs, qui Cap. 51. S. Sabas totam Quadragesimā agit in spelunca. Præclarū & diuinum festum resurrectionis.

maiora contulerant beneficia, qui non euestigiò sit à superis maximã & magnificam consecutus remunerationem. Sed hoc quidẽ ostendemus per multa, quæ sunt deincèps dicenda. Potest autem hoc quoquè hinc cognosci. Erat quidam Marcianus, qui erat quidem relatus in numerum sacerdotum diuinæ resurrectionis: præerat autem sanctæ Sion. Is crebrò veniebat ad beatum Sabam cum suis filijs, ex ijs, quæ habebat, multa ad eum afferens, & ad ea quæ suscepta erant ædificia, cum filijs non parùm adiuuans: qui priùs ne in conspectum quidẽ veniebant Elię Patriarchæ: tantum abest, vt amicitiæ & fiduciæ esset eis apud illum vllum pignus. Diuina verò gratia, pro continuo illo ad Sabam aduentu, & oblatione eorum quæ habebant, & auxilio quod dederant ad ædificationem, eos desupèr remunerans, eos & admirabiliter ac præter opinionem conciliauit Patriarchæ, & perindè atquè suos filios effecit familiares. Vndè etiam Marcianus quidem ab eo prouehitur ad excelsam sedem Sebastes: Antonius autem primus eius filiorum, creatur ipse quoquè Episcopus Ascalonitanus: Iohannes verò, qui erat ætate secundus, adsciscitur in sortem Diaconorum. Sic is, qui vel parua Deo dedit, hìc quoquè omninò accepit centuplum.

Marcianus sacerdos S. Sabæ multũ familiaris.

Cap. 52. Diuinus autem Sabas (ad illum enim rursùs festinat oratio) cùm duos quosdam monachos in turre, quæ imminebat capiti eorum, quæ ipse ædificârat, monasteriorum, extructa autem fuerat à beata Eudocia, videret eadem sentire quæ Nestorius, & neque Dominum nostrum Iesum Christum vnum esse sanctę Trinitatis, neque rursùs Virginem confiteri Deiparam, valdè angebatur, & intra viscera magnam habebat perturbationem. Ad eum ergò sic affectum accedens quædam visio, efficiebat dolorem magìs intolerabilem, & maiore, quàm priùs, mœrore ei afflictabantur viscera. Videbatur enim videre quidem fratres de more venientes ad sacram synaxim: in templum autem ipsos quoquè vnà cum illis accedentes, & simul ingressos. Deindè cùm diuini quidem mysterij perageretur celebratio, alios quidem liberè & securè veneranda frui mensa: ipsos verò, duos, inquam, illos vi expelli velutì à quibusdam satellitibus & lictoribus, & è templo exturbari: Se quoquè præsentem rogâsse satellites, nè eos tam iracundè expellerent: sed eis permitterent, vt sacramentorum sumerent communionem: eos autem in ipsum efferatos, dixisse voce aspera, non oportere eos communicare, qui apertè erant Iudæi, & neque Christum verum Deum, neque virginem Mariam esse censerent Deiparam. Hæc beneuolo Sabæ animo dolorem magìs auxerunt, & ab illo tempore vehementiores fudit ad Deum preces, vt eis immitteret aliquem purum radium cognitionis. Sed nec ipse fuit negligens in eo faciendo, quod potuit pro viribus: sed assiduè ad eos ventitabat, docens, rogans, & admonens, increpans, supplicans, nihilnon faciens, donèc Dei auxilio eos à graui morbo liberauit, & effecit vt rectè saperent.

Duo monachi Nestoriani.

Visio S. Sabæ de illis.

Eos S. Sabas reducit in viam.

Cap. 53. Deindè cùm à turri deduxisset, illos quidem refert in numerum conuentûs, qui erat apud beatum Theodosium: vnum autem ex eius discipulis, nomine Iohannem, genere Byzãtinum, moribus admirabilem, qui ex primo ordine scholariũ vitam elegerat monasticam, & exercebat Deo gratum viuendi institutum, turris præficit curationi, alios quoquè fratres ei tradens ad ferendum auxilium, & ei præthereà, quantum satis erat, suppeditans res necessarias. Sed nec ipse eos, vt solet fieri, negligebat: sed ad eos visitandos frequenter veniebat, & vehementer laborabat, & ad res eorum gerendas eis opem ferebat, donèc ipsam turrem fecit cœnobium, alijs nihil inferius. In quo cùm hic quidem Iohannes tanquàm quædam stella in omnibus fulsisset, & magnam congregâsset monachorum multitudinem, ex quibus vnus quoquè est Cratias insignis Habramius Episcopus, postquàm trigintaquinque annos vixisset in præfectura, excedit è vita.

Cap. 54. Sed nobis rursùs venit tempus ieiunij, beatũ Sabam vocans ad consuetum secessum solitudinis. Operæprecium est autẽ nec illud prætermittere, quod contigit fieri in ea peregrinatione. Nam è Laura quidem egreditur hic vir diuinissimus, vt optandum ieiunij stadium peragat in solitudine: Iacobus verò quidam ex discipulis, genere Hierosolymitanus, moribus arrogans, mente vsus sinistra, inita societate cum aliquot alijs monachis pari arrogantia, apud eum lacũ, qui septem habet ostia, de quo à me priùs dictum est, aggressus est propriam Lauram constituere, cellas fabricans, & ædem excitans oratoriam: & alia construens, quæ ad Lauram pertinent. Valdè verò irascentibus fratribus, & ædificium vlteriùs progredi non sinentibus, ille rei iniquitati adijciens mendacium, dixit hæc fieri de sententia Sabæ patris. Quod quidem cùm audijssent

Iacobus monachus arrogans & temerarius.

audiissent monachi, destiterunt quidem prohibere eum ædificare, sed non desierunt angi animo, cùm viderēt ante oculos suos eum non paruam Lauræ partē præcidere. Sed existimantes verum dixisse Iacobum, tacebant, patris expectantes reditum. Post completos autem illos dies ieiunij, ipse quoquè diuinus Sabas ad Lauram reuersus, cùm vidisset ea, quæ facta fuerant, continuò quidē accersit Iacobum: paternè autem admonet, vt à cœpto abstineat. Neque enim id ex Deo esse, neque placere fratribus: quinetiam illi ipsi quoquè esse valdè periculosum, priusquàm seipsum rectè instituerit & castigârit, illius fidei committi aliorum animas. Et sic quidem diuinus pater eum priùs benignè & paternè admonet.

Postquàm autem vidit resistere Iacobum, & minimè cedere, paululùm mutata sua consueta lenitate, Ego quidem, ô fili, inquit, quod tibi existimo conferre, consului. Quoniam verò non vis parére, vide nè magno tuo damno discas eligere id, quod est vtile. Hæc cùm ille quidem dixisset, profectus est in turriculam: Iacobus autem protinùs sustinens tremorem totius corporis, & vehementi febre correptus euestigiò, cùm sex totos menses decubuisset, eo morbo vexabatur & premebatur. Interìm verò cùm omnem spem vitæ amisisset, recordatus est suæ in patrem Sabam inobedientiæ: & vehementer rogat eos, qui aderant, vt & eum ità, vt erat in lecto, tollant, portentque & ponant ad sacros beati Sabæ pedes, vt eum roget, vt det ei veniam suæ inobedientiæ: & non data venia, eum non sinat sic è vita excedere. Cùm hoc autem factum esset, & in lecto decumbens illuc translatus esset Iacobus, eū placidè intuens, qui erat verè mitis & misericors Sabas: Nôsti, inquit, ô frater, quis sit fructus arrogantiæ. Satis didicisti, quænam sit merces inobedientiæ. Ille verò cùm vix potuisset aperire labra, (erant enim illa quoquè morbo vincta & præpedita) Ignosce, inquit, mihi ó veneran de pater, qui iam sum excessurus. Ille verò protinùs, Deus, inquit, tibi condonabit, ó frater. Cùm sic dixisset, porrexit manum. & manus illa ei vires attulit: quinetiam, ipse (ô miraculum) surrexit. Deindè eum sanctus intemeratis impertijt sanctificatis, & diuinum illud nutrimentum rursùs est consecutum corporis nutrimentum, alebaturque & conualescebat, fortisque & robustus mirandum in modum cernebatur ab omnibus, & miraculum erat propemodùm oculis incredibile. Homo, qui tam graui & diuturno erat morbo maceratus, & qui ne labris quidem vti poterat, tantum abest vt pedibus, tantillo momento temporis & cibum sumpsit, & verba fecit, & è lecto faciliùs surrexit, quàm qui erant sani. Ille autem hanc sibi imponit pœnam suæ inobedientiæ, quòd ad noua illa ædificia non sit ampliùs reuersurus.

Cap. 55. — Punitur diuinitùs eius temeritas & inobedientia. — Illustre miraculum.

Cùm ea autem res venisset ad aures Eliæ Patriarchæ, non visum est ei ferendum sinere, vt illæ manerēt ampliùs: sed statìm mittēs, eas euertit funditùs, & humì deijcit. Diuinus autē Sabas cùm quosdam è Laura posteà assumpsisset, & circa quinque stadia recessisset ab ædificijs, quæ euersa fuerant, nouas cellas fabricatur, & domum excitat oratoriam. Erat verò nomē Zagranon ei, qui locum ipsi præbuit ad illarum ædificationem. Quo quidē in loco Andream quendā & Paulum fratres secundùm carnem, & ambos genus ducētes è Græcia, illarum rectioni præficit & curationi: & cum effecisset, vt quidam fratres simul cum eis habitarent, Lauram constituit, & eam eodem nomine vocat, quo lacum. Porrò autem Iacobum quoquè (ei enim, quod de eo dicitur, necesse est hoc quoquè addere) volens ostendere filium obedientiæ, tradit ei ministerium eorum, qui hospitio excipiebantur in Laura. Accidit autem aliquandò, vt cùm fabas coqueret, &, vt qui in eis esset omninò inexercitatus, nimium & plus, quàm opùs esset, pararet, vt, quæ remanserant sufficerent ad tertium diem. Sed ille quidem secundo die quæcunq; fabę erant plusquàm opùs esset, eas tanquàm stercora proiecit in riuum propinquum. Quod quidem diuinum Sabam nequaquàm latuit. Sapientis enim oculi super caput eius. Abit itaque latenter, & collectis, quæ effusæ fuerant, fabis, cùm eas parùm extendisset ad solem, ipsas rursùs tollit. Deindè cùm aliquantū intercessisset temporis, solum Iacobum vocat ad conuiuium: & cùm rectè parâsset illas fabas, quas ipse nupèr in torrentem iecerat, ei suaue apponit obsonium. Postquàm autem comedissent, diuinus Sabas velutì tentans Iacobum, Ignosce, inquit, mihi frater. fortè enim non te ità excepi obsonio, vt volebam. condiendi enim artem non satìs teneo. Cùm is verò dixisset id sibi valdè placuisse, & iam longo tempore tam suauem cibum non comedisse: excipiens magnus Sabas, Scias, ô fili, illas esse fabas, quas paulò antè, tanquàm inutiles, in riuum proiecisti. Oportet ergò te consi-

Cap. 56. — Nouas cellas extruit S. Sabas. — Eccles. 2. — Obserua sancti viri erga fratrē moderationem & prudentiam.

considerare,quomodò qui ne ollam quidem leguminis ità potest dispensare, vt cum vsu debitam proportionem habeat, & non redundet,poterit is fratribus regendis sufficere? Quamobrèm nec ad testimonium quidem, inquit, huic rei ferendum, valdè
1.Tim.2. discrepat illud Apostolicum: Si quis domui suæ nescit præesse, quomodò is Dei præerit Ecclesiæ? Cùm hęc & similia dixisset Iacobo, & simul quidē œconomiam paternè correxisset,& illius priorem arguisset temeritatem, & nè ei tale quid rursùs eueniret, præmunijsset,tunc eum quidem cum precatione dimisit & benedictione.

Cap.57. Aliquanto autem pòst tempore in cella silentium agens Iacobus,grauiter vexatus fuit à fœdis carnis cogitationibus, & eum opprimebant magni fluctus libidinis. Is verò cùm eis diù fortiter restitisset, deindè adspexisset ad vastum pelagus tentationum, nec putâsset fieri posse, vt vnquàm sedarentur fluctus, à maligno indutus & insidiosis illius machinationibus & suggestionibus, & animo incensus, fortaßè verò sacrorum quoquè canonum oblitus, stricto gladio amputauit sibi genitalia, malum malè medicans. Cùm dolorem autem ferre non posset & fluxum sanguinis, eos qui propè erant implorauit, & conuocauit eos, qui erant opem laturi. Illi verò cùm accurrissent, & hoc graue malum ab eo sua sponte susceptum adspexissent, arte medendi, vt potuerunt, opem tulerunt, & dolorem sedauerunt. Cæterùm res peruenit vsque ad aures sacri Sabæ: & cùm conualuisset Iacobus, expellit eum è Laura, vt qui sibijpsi esset insidiatus, & manus improbè attulisset. Hinc cùm grauis quædam pœnitētia Iacobum subijsset, ea acerbè eius percussit animum, effecitque, vt calidas profunderet lachrymas, & ex imo pectore acerba traheret suspiria: & ad summā, erat visu miserabilis, & eoipso eos, qui videbant, incitabat ad misericordiā. Cùm sic ergò esset affectus, accedit ad beatum Theodosium, grauia illa bella carnis enuncians, & à se sibi allatas manus exponens, & Lauræ deflens alienationem. Ille ergò ab eo flexus, cum ipso venit ad beatū Sabam, & fit ei supplex, & rogat vt fratri ignoscat, & eum rursùs in Lauram admittat, ijs pœnis, quas par est, impositis. Amici itaque precibus motus Sabas, proprijs quoquè visceribus ei opis plurimum ferentibus, admittit Iacobum: hoc inter cætera ei præcipiens, vt cum nemine sermonē conferret, neque aliquem adspiceret, præter eum, qui illi ministrabat necessaria. Quiescentem ergò & silentium agentem Iacobum rursùs habebat cella, & plurimam ostendentem pœnitentiam, & Deum vehementer rogantem, donèc ei desupèr remissum fuit crimen, & data est delicti venia. Quomodò autem, statìm dicetur.

Præposterus zelus Iacobi monachi. *S. Sabas eū expellit.* *Ab eo rursùs admittitur.* *Pœnitentia Iacobi monachi.*

Cap.58. Visus est aliquandò huic diuino Sabæ vir quidam visu splendidus, & vndiquè emittens dulcem radium lucis, propè stare, & ante pedes Iacobi iacētem ostendere mortuum; Iacobum verò orantem pro mortuo. Deindè vox quædam desupèr audiebatur, Iacobe, dicens: Preces tuæ sunt exauditæ. Tange ergò mortuum, & resurget. Deindè cùm Iacobus quidem tetigisset, vt iussus fuerat, mortuus resurrexit. Vir autem ille luminosus dixit Sabæ: Eccè surrexit mortuus. Tu quoquè decæterò relaxa à vinculis eum, qui suscitauit. Hæc cùm vidisset Sabas, & celerrimè cōiecisset, quidnam sibi vellet illa visio, protinùs egressus est è cella: & cùm vocâsset Iacobum, iussit vt deincèps accederet ad diuinam synaxim. Cùm ille ergò venisset in ecclesiam, & fratres impertijsset eo, quod est ex Christo, osculo, & deindè descendisset ad beatum Theodosium, & ille similiter in Christo salutâsset, septimo die post visionem, è præsenti vita lætus emigrat.

Visio S. Sabæ. *Feliciter obit, Iacobus monachus.*

Cap.59. Post hæc autem duo quoquè quidam ex ijs, qui erant in Laura, cùm in ijs, quæ ad Deum pertinent, esset fraternus inter eos consensus & cōcordia, (vocabantur autem Zanus & Beniamin) petunt à beato Saba cellam, quę quinque stadijs à Laura distabat versùs meridiem. Ille autem, vt qui sciret eorum in virtute studium & diligentiam, concessit quod petebant: & dat eis cellam, quam postulabant. Cùm illi ergò eam accepissent, Saba quoquè eis magnam opem ferente & præbente impensas, ipsum cœnobium construxêre. Cùm multi autem illuc conuenissent, ecclesia ædificata, & ara fixa, & ea vt par erat consecrata, statuit vt ij quoquè eádem regula & lege viuerēt, qua alij, qui eius parebant imperio. & sic locus ab initio erectus in monasterium, floret vsque in hodiernum diem: & denominatur à beati Zani nomine.

Nouū monasteriū cōstruitur.

Cap.60. Quidam autem senex, qui ortus quidem erat in Bethania, vocabatur verò Anthimus, cùm multis ex Deo sudoribus vitam suam ornâsset, erat vltra torrentem ad Orientem, ex aduersò turris, quæ à beato Saba fuerat extructa, cella ædificata, & triginta annis illic peractis. Deindè cùm morbo quodam postremò fuisset implicatus,

iacebat

iacebat senex in lecto doloris. Cùm ergò Saba admirabilis, eum & morbo & longa senectute sic vidisset omninò resolutum, rogauit vt transferretur ad aliquam cellam ex iis, quæ sunt iuxta ecclesiam: vt sic possent fratres eum visitare, & seruire ei minori labore. Hæc ille quidem rogabat: senex autem non patiebatur, dicens debere eum in Deo confidere: fore, vt illic consumeretur, vbi habitauit ab initio. Deindè cùm noctu aliquandò surrexisset Sabas, ante eam, quæ fit manè, congregationem, visus est audire quandam symphoniam & modulationem tanquàm multorum canentium. Arbitratus itaque cani ea, quæ cantari solebant in matutino cantica, apud se dubitabat, quomodò non, vt consueuerant, præter eius sententiam peragerentur cantica matutina. Cùm ocyssimè itaque venisset in templum, & portas inuenisset pulchrè clausas, reuertitur, & rursùs videbatur audire priores voces, quæ canebantur cum maxima voluptate. Erat autem hoc quod canebatur: S. Sabas audit cantica cælestia.

Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domũ Dei, In voce exultationis & confessionis, soni eorum, qui festum celebrant. Cùm ergò didicisset, vndenàm sit sonus canticorum illorum admirabilium, è somno repentè excitat eum, qui sub eo erat ordinatus: & iubet, vt ligni pulsu conuocet fratres. Qui cùm repentè fuissent congregati, assumens aliquos Sabas, venit ad cellam senis cum suffitibus & lampadibus. (illinc enim audiebatur canticum) & cùm fuissent intra cellam, nullum quidem alium inueniunt, nisì solum senem, eumque iam consummatum. Quem cùm reuerenter complexi essent, & ei iusta fecissent, sacrum illius corpus mandant sepulturæ. Cap. 61. Psal. 41. Vide catholicum sepeliendi modum.

Fit autem post hæc aliud quoquè à Saba miraculum, quod est cum iis, quæ præcedũt, conferendum. Erat in beati Theodosii monasterio quidam monachus, nomine Aphrodisius, genere Asianus, corpore maximo, & cui robore nullus poterat cõferri. Pondus enim frumenti duodecim modiorum è terra tollens, imponebat humeris, nemine id attingente. Huic ergò Aphrodisio, cui fuerat commissum multorum ministerium, accidit aliquandò, vt cùm manu asinũ percussisset in maxilla, faciem ipsam contereret, & sic ex hac causa mulum interficeret. Ille verò & onere & mulo humeris imposito, venit in monasterium. Deinde illinc expulsus propter iumentum interfectum, abit ad Iordanem, conuenturus Iohannem, qui resplendebat in Chuziba: & narrat ei calamitatem. Is autem ei consulit, vt eat ad beatum Sabam, & quæcunque ille iusserit, faciat prompto & alacri animo. Sic enim fore & non aliter, vt salutẽ consequatur. Is verò cùm obedire constituisset, ad Sabam rectà proficiscitur, deplorans id quod acciderat, & suam deflens alienationem: & si non aliud possit facilè cõsequi, at interim breuem aliquem ab eo quærens audire sermonem, vt sciat quidnam faciens, inuenire possit salutem animæ. Aphrodisius monachus maximi roboris.

Cùm hæc verba audiisset Sabas, & vidisset animæ agrum ad suscipienda semina spiritualia aptum, eum excipit prompto & alacri animo. Iubet autem eum in hac cella manere, & ad nullũ alium accedere, neque è Laura egredi, linguæque & ventri moderari. Hoc cùm ille accepisset mandatum, apparuit magnus in operibus, & maximum potiùs & generosum animum, quàm tale esse corpus consecutus. Perpetuos enim triginta annos nunquàm est è Laura egressus, nec ad aliam vnquàm accessit cellam: & neque æris aliquid, neque vllam habuit ollam: non vsus est igne, non fuit particeps olei, non vinum bibit, non mulsum, non duas possedit tunicas: sed dormiebat super stoream: perpetuoque fletui & operi manuum erat intentus. Id autẽ erat contextura sportarum, quas multi solẽt appellare Μαλάκια. Is enim nonaginta texens suis manibus singulis mensibus, eas præbebat cuidam ex iis, qui ministrabant in Laura: & ipse rursùs vicissìm ab illo accipiebat ea, quæ ad vsum pertinebant. Quænam autem ea erant? Mensæ fratrum reliquiæ, siue olera essent, siue legumina. Hæc enim ab illo accipiens, reponebat in quadam pelui: & parùm illinc sumens, quotidiè alebatur, & eo erat contentus. Quòd si contigisset ea vermes parere, & si tetro essent odore referta, nihil erat ei reiiciendum: sed implebant omnia vsum nutrimenti. Cap. 62. Excipitur à S. Saba, expulsus è suo monasterio. Egregia virtus eius. Magna eius abstinentia

In hac vitæ ratione ille triginta annos transegit, vt dictum est: & nec ægrotauit, nec vlla affectus est tristitia, neque vnquàm ei doluit stomachus. Præuidendi quoquè donum consecutus, septem diebus antè mortem suam præcognouit, cùm illa ei vltima fuisset reuelata. Petit ergò à diuino Saba, vt sibi liceat descendere ad Theodosium, vt ab eo quoquè consequatur remissionem: deindè reuertatur ad cellam. Annuit itaque Sabas petitioni. Nam ei quoquè nota erat mors Aphrodisii. & cum eo mittens discipulum Theodulum, per ipsum significat beato Theodosio: Eccè commu- Cap. 63.

nem fratrem Aphrodisium, quem aliquandò accepi hominem, nunc Dei gratia eum ad te misi Angelum. Quem cùm lubenter diuinus excepisset Theodosius, & eum communi mensa impertijsset & salutatione, cum Theodulo rursùs dimittit in pace. Is autem statìm reuersus ad cellam, cùm parùm ægrotâsset, migrat ex hac vita ad iucundam illam vitam, & in quam nulla cadit perturbatio. Eius verò diuinas & sacras reliquias, cum conuenientibus hymnis & lampadibus tollens conuentus fratrum, deponit cum alijs sanctis patribus in quodam loco, qui erat ex trãsuerso Lauræ, cùm hoc quoquè mandâsset beatus Sabas: vt cùm ab ijs, qui accedebant, cognosceretur eius capsa, vtpotè insignis, eius virtuti conuenientes haberet etiam post mortem honores. Talis fuit hic magnus pater noster in virtutis exercitatione, & tam pulchros collegit fructus suorum laborum.

Felix obit' eius.

En q̃ præclarè antiquitas senfit de sacris reliquijs.

Cap. 64. Sed cùm talia & tanta sint, quę dicta sunt, nempe in multis locis deserti constructa ædificia monasteriorum, continua trophæa contra dæmones, correctio fratrum, qui fuerant supplantati, ipsos facere Angelos ex hominibus, gratia præuidendi futura: Cùm talia ergò sint & tam digna admiratione, quæ dicta sunt, habent ea, quæ consequuntur, nihilo pauciora, si non etiam plura, quæ non sunt minùs admiranda. Dicantur autem ea quoquè. Est quædam ciuitas ad Orientem, quæ vocatur * Medapa, sita trans Iordanem, subiecta nonnullis Arabum. Qui eam ergò habitabant * Madapeni, frequenter euntes ab beatum Sabam, & quandam ab eo magnam percipientes vtilitatem, ipsi rursùs multa suppeditabãt necessaria illius monasterijs, ea velutì quandam mercedem reddentes spiritalis illius vtilitatis. Ex ijs erat etiam vnus Gerontius: quem cùm inuasisset quædam corporalis infirmitas, & longo tempore decubuisset in sancta ciuitate, omnium iucundissimam desiderabat profectionem, nempe vt veniret in montem Olíueti, & illic oraret, vbì dicunt diuina eloquia meum moratum esse Christum, & peregisse magnum miraculum assumptionis. Cùm ergò iumentum ascendisset Gerontius, statìm init viam, quæ fert ad montem. Interìm autem, seu casu, seu maligni potiùs dæmonis improbitate, conturbatum iumentum, deijcit vectorem: & repentè deturbatus Gerontius, talem subijt ossium confractionem, vt vel earum rerum periti medici desperarent de curatione. Erat verò Gerontio frater iunior: is cùm vidisset fratrem confractum tam miserabiliter, & magno fuisset dolore affectus, alia quidem parua esse reputans, & quæ longo tempore indigent, nempe medicorum euocationem, oleum & ligamenta, & quæcunque sunt artibus illorum consequentia, statuit ei adhibere medicamentum vtilissimum. & continuò currens ad Lauram, accedit ad diuinum Sabam, miserabiliter eiulans, & fratris deflens calamitatem, & ad ipsum visitandum, eum vocans. Ille autem (eius enim doloris valdè fuit misertus: erat enim corde propensissimo ad misericordiã) vadit ad Gerontium, & cùm eum offendisset tam malè affectum, primùm quidem vtitur efficaci auxilio orationis. Deindè cùm etiam salutari vnxisset oleo Crucis, sanum protinùs reddit eum, qui fuerat confractus, adeò vt nullo opùs ei fuerit tempore ad recreationem. quod maximo stupore affecit eos, qui aderant, & admirati sunt magnum & præclarum opus Sabæ, & eius ad Deum fiduciam.

Luc. 21.
Act. 1.

Gerõtij casus miserabilis.

Eum precibus & oleo Crucis sanat S. Sabas

Cap. 65. Posteà autem Thomas quoquè (eo enim nomine vocabatur filius Gerontij) propter vsum quendam venit ad habitaculum, quod est in Hiericho. Cùm tunc autem fame laboraret ciuitas, conuenit magnum Sabam, & Paulum & Theodorum, qui administrabant Castellium & speluncam. Cùm diuinus autem Sabas eum lubenter & iucundè vidisset, ingenuè & spiritaliter eum alloquitur, viro valdè delectatus. Volebat verò eum quoquè corporali conuiuio excipere, eumque mẽsa & sale impertire. Sed cœna quidem erat parata. Minister enim hospitij, quãdò vidit Thomam accessisse, non neglexit statìm facere id, quod erat solitus: sed hospitem excepit ijs, quę habebat in promptu. Interìm autem dum comederent, ministrum rogat Sabas, an posset vinum quoquè præbere. Cùm is verò respondisset, se vix habere acetũ in vase cucurbitæ, idque admodùm acre, vt magìs condiret olera, ille excipiens, Afferatur, inquit, ad me vas cucurbitæ. Benedictus enim Deus: nos vinum ex eo faciemus. Est enim perspicuum, quòd qui omninò aquam mutauit in vinum, eius etiã mutabit acorem. Hæc dixit diuinum illiud os & mellifluum: & allata protinùs cucurbita, inuentum est in ea vinum, & vinum reuerà lætificans cor hominis. Cùm ij autẽ qui aderant, vt par erat, affecti fuissent admiratione, suffitũ & ignẽ iussit ille beatus afferri. Diuina enim, inquit, visitatio facta est in hac hora. Sed non eousquè solùm constitit miraculum, sed

Ioan. 2.

Acetũ mutatur in vinum, multumque augetur.

sed eousquè processit, vt multitudini quoquè daretur vinũ: & enim ad tertium vsque diem ab illo tempore ad satietatem suffecit bibentibus. Thomas itaque ipse quoquè admiratus insigne miraculum, à beato Saba petit cucurbitã: & cùm accepisset, illam quidem habuit tanquàm thesaurum: quod in ea autem remanserat vinum, ei suffecit domum vsque. Hæc mihi narrauit Gerontius, Gerontius, inquam, Gerontij quidem nepos, cuius membra iam confracta fuerant, & à diuino Saba fuerat admirabiliter in integrum restitutus: filius autem Thomę, de quo dixi paulò antè: cui nunc quoquè propter insignem virtutem obtigit præfectura monasterij magni Euthymij.

Porrò verò illud quoquè adiecit ijs, quæ dicta sunt, quòd multis posteà annis fuit cucurbita compluribus occasio salutis. Si quandò enim contigisset aliquem morbo opprimi, nos, aiebat, eam aqua implentes, ei qui laborabat, infundebamus: & aqua illa morbum soluebat protinùs. Sed hæc quidem Gerontius. Mihi autem se offert narranda res lepida & amœna. Nam cùm aliquandò ad Iordanem beatus iter ingrederetur, secum autem quendam adduceret ex suis discipulis ætate iuuenem, eis fit obuiàm multitudo mundanorum: inter quos erat etiam adolescentula specie venusta, vagis & lasciuis oculis: laqueus, qui non poterat facilè superari. Postquàm verò illi præterijssent, Sabas velutì tentans discipulum, Tibi, inquit, qualis visa est puella? Mihi enim visa est vnum solùm habere oculum. Nequaquàm, inquit, ô pater: sed duos habebat oculos. Ille verò, Falsus es, ó fili. erat enim reuerà orbata altero oculo. Discipulus autem ignorans hanc fieri interrogationem à sapiente Saba, vt ipsum tentaret: dum quærit, vt rectè cognosceretur, quod non ab ipso rectè cognitum fuerat: Nequaquàm, inquit, ó pater: sed vel valdè lucidos habebat oculos, & visu iucundissimos. Sabas autem, Quî factũ est, inquit, vt hoc scires tam accuratè, vt hoc etiam tam constanter audeas asseuerare? Ego, inquit, eam pulchrè attendi, & apertè nóui eam habere ambos oculos. Cùm verò iam esset discipulus laqueis implicatus, tunc diuinus eum apertè arguens, Vbi, inquit, tibi positum est illud præceptum, Nè ad eam attraharis tuis superciliis? Decæterò ergò, inquit, non ampliùs mecum versaberis, neque mecum in cella manebis, donèc assuefeceris oculum non sic vagari, sed in loco manere. Cùm sic dixisset, illum statìm mittit in Castellium. Deindè cùm illic satìs longo tempore esset versatus, & pulchrè castigatus, & pro oculis satìs luisset supplicij, non fallaci pœnitentia, sed cordis doloribus, eum rursùs suscipit beatus, & refert in numerum suæ cellæ.

Sed quod in cucurbita factũ est miraculũ, me propemodùm effugit, nisì quę de altera cucurbita à me paulò antè dicta sunt, id reuocâssent in memoriã. Nam ab athleta hîc quoquè fit aliquid simile ijs, quæ priùs fecerat Moses in fluentis Marræ. Lauræ enim coquus aliquandò quidem coquebat cucurbitas, & eas parabat obsonium operarijs ędificatorum. Cùm autẽ iam tempore prandij gustâsset obsonium, inuénit id felle amarius. Cùm ergò ægrè ferret id quod acciderat, (neque enim erat aliud, quod illius vsum impleret) diuino Sabæ annunciat id quod factum fuerat. Is autem statìm veniens in culinam, cùm in ollam iniecisset signum Crucis, iussit coquo eam accipere, ac securè apponere. Is verò sic fecit, & lubenter comederunt artifices, sic admirabiliter mutata qualitate. Eius enim volũtatem diuina sequebatur gratia, quæ sola potest fidem facere eorum, quæ deincèps sequũtur. Nam aliquandò quidem veniebat beatus ea via, quæ fert à Ruba ad Iordanem. In via autem íncidit in leonem ingenti magnitudine, cui pes erat paxillo transfixus, & magnum sentiebat dolorem. Sic ergò affecta fera, quandò vidit sanctum Sabam prætereuntem, ad eum accedit protinùs, pedem tollens sublimem, & paxillum quodammodò ostendens, & rogans vt misereretur, & eum illa liberaret molestia. Ille ergò cùm rem statìm intellexisset, & leonis doloris esset misertus, (mansuetus enim & rerum honestarum amantibus animis, etiam ad eos vsque pertinet misericordia) illum quidem humì facit sedere: cùm pedem autem sensìm appræhendisset, eximit paxillum, & sic leonem liberat à dolore. Verumenimuerò ipse quoquè beneficio affectus, & quasì magno & excelso animo volens referre gratiam, ferinæ quidem naturæ obliuiscitur: ei autem adhæret tanquàm gratus & beneuolus famulus, studiosè in omnibus inseruire desiderans.

Nam erat quidem huic venerando patri discipulus quoquè, nomine Phlais. aderat autem quidam quoquè asinus, per quem inseruiebat Phlais magni ministerijs. Si quandò verò contigisset discipulum emitti ad aliquod ministerium, leoni asini custodiam, & aliam etiam eius curam pater leoni committebat. Cernebatur itaque leo asini

[Margin notes: Cap. 66. — Nota hæc miracula. — Prou. 6. iuxta 70. — S. Sabas monachũ oculos nõ cõtinentẽ acriter castigat. — Cap. 67. — Exod. 15. — Obseruãda magnã vim signi Crucis. — Leo curatus à S. Saba, ei studiosè inseruit. — Cap. 68.]

Vide rem stupendam. asini capistrum ore accipiens, & manè ad vesperam vsque ipsum ducens ad pascua: vespere autē ducens ad aquam, & sic domum reducens, & discipuli implens omnem curam in asinū. Dies aliquot interim transiêrunt, & leo sic assiduo fungebatur ministerio. Deindè quid accidit, & quid efficit inuidia? Phlais missus ad aliquod ministeriū, & à diuina gratia desertus, fortè propter aliquam mentis elationem, ex qua multa delicta procedunt, cadit in lapsum fornicationis. Illo verò die, asini quoquè custos leo, ferociter insurgit in eum, quem custodiebat, & eum deuorat. Cùm hoc autem intellexisset Phlais, & animaduertisset peccatum suum causam fuisse, vt deuoraretur asinus à leone, non ausus est ampliùs venire in conspectum senis: sed reuersus in locum, vndè trahebat genus, tristitia afficiebatur, & seipsum affligebat. Non tamen despexit eum diuinus senex: sed cùm eum diù quæsijsset, inuenit, & ad se rursùs reuocat. Deindè admonitionibus eum ducit ad pœnitentiā ex animo agendam, & efficit, vt abluat peccatū multis & calidis lachrymis, & sic vita laudabili Deo rursùs placeat. Atque sufficiunt quidem ea, quæ iam dicta sunt, ad ostendendam huius viri virtutis magnitudinem, & quanta Dei gratia esset locupletatus. Operæprecium tamen est, se oblectare in ijs bonis narrandis, quæ fecit Byzantij: & quidnam eum impulerit, vt relicta Palęstina, ad vrbem venerit regiam.

Fratrē lapsū S. Saba reuo. at ad pœnitentiam.

Cap 69. Anastasio & Elia, illo quidē imperij, hoc verò Ecclesiæ, quæ est in Palæstina, sedem administrante, oritur interim quoddam scandalum, quod Imperatorem & aduersùs multos alios, & aduersùs Eliam adeò irritauit, vt eum damnârit exilio. Dicatur autem primùm, quidnam eum ad iram incitauit, vt sic, quæ sunt deincèps dicenda, faciliùs intelligantur. Tertio anno imperij Anastasij, incidit grauis seditio inter eos, qui præerant Ecclesijs: Romanis quidem Pontificibus dissidentibus à Byzantinis, quòd Acacium, qui Constantinopolitanus quidem fuit Episcopus, de rebus autem Christianis non rectè sentiebat, inscriptum haberet in sacris diptychis: Byzantinis verò rursùs infensis Alexandrinis, qui Chalcedonensem quidem synodum feriebant anathemate, Dioscori autem admittebant communionem. Cùm ergò inter eos inuicem magna esset dissensio, qui priùs dictus est Elias, qui præerat Palęstinæ Ecclesiæ, solius Euphemij, qui erat Constantinopoli, amplectebatur communionem, Occidentalibus quidem, vt diximus, depugnantibus: Palladio verò Antiocheno ad gratiam intuente Imperatoriam: & ideò Chalcedonensem quidem synodum feriente anathemate, ea autem amplectente, quæ tenebant Alexandrini: vtpotè quòd Anastasius eadem quæ Alexandrini sentiret. Cùm sic ergò se haberet Elias, & statuisset soli communicare Euphemio, Euphemius quidem, propter rectam de fide sententiam ab Imperatore (ó iustitia) impiè pellitur à sedis rectione: & in eius locum euehitur Macedonius.

Elias Episcopus Hierosolymæ damnatur exilio.

Cap.70. Cùm in his autem esset Ecclesia, ijs quidem, qui Euphemium sede expulerant, assentiri non sustinuit Elias, vt qui eum expulissent præter regulam: Macedonio verò non dubitauit communicare, & cum eo conuenire, vt qui ipse quoquè rectam fidem amplecteretur. Quod quidem non parùm ab initio conturbauit Imperatorem. Postquàm autem Flauianus quoquè, qui post mortem Palladij Antiochenæ præfuit Ecclesiæ, eadem quæ ij sentiebat, & in vera & recta ratione ingrediebatur, non poterat ampliùs contineri ira Imperatoris, qui aduersùs pietatem solam erat fortissimus: nec ferre poterat eorum concordiam: sed efferatus & acri ira pércitus, vtrosque damnat exilio. Solum autem in præsentia quidem Macedonium, cùm innumerabilibus imperijsset calumnijs, eijcit Episcopatu: Timotheo verò, illius loco tradit administrationem. Studium autem & curam ponebat, vt Flauianus & Elias assentirentur Timotheo. Illi verò Timothei quidem susceperunt communionem, vtpotè quòd ipse quoquè conueniret verbo rectæ fidei: Macedonij autem admodùm ægrè ferebant exterminationem, vt quæ non tam iure ac legibus, quàm vi & potestate fuisset facta. Hoc aduersùs ambos magno furore ciet Imperatorem, & efficitur Ecclesijs causa magnæ tempestatis. Quod quidem cùm nescio vndè resciuisset Elias, qui Palæstinæ præerat Ecclesiæ, missis legatis, diligenter agit de reconciliatione. Legati autē erant & multi alij patres, & ipse Sabas, cuius nunc vita est argumentum nostræ huius orationis, iam septuaginta annos natus. Prætereà verò mittit etiam Elias epistolam, in qua hęc scripserat. Habitatores eremi, & Sabam cum eis, qui est caput eremi, ad tuam potentiam mittimus legatos pro Ecclesijs. Tu autem eorum laborem reueritus, & eos qui sunt ex Deo sudores, ô Imperator, fac vt cesset bellum aduersùs Ecclesias, & nè

Anastasius Imperator taxatur.

Epistola Eliæ patriarchæ ad Anastasium Imperatore

ne sinas malum progredi vlteriùs. Scimus enim tibi curæ esse, vt ea agas, quæ Deo grata sunt, qui tibi concessit diadema.

Cùm hi ergò diuini patres iam ingressi essent viam, quæ ferebat ad Imperatorē, erat Sidone quædam synodus Episcoporum Orientis & Palæstinæ tunc congregata aduersùs Flauianum & Eliam, quæ prætextum quidem habebat iussa Imperatoris: acceperat autem duces, Soterichum Cæsareæ Cappadociæ, & Philoxenū Hierapolis Episcopum: qui Chalcedonensem synodum abrogantes, Eutychis & Dioscori studebant confirmare dogmata. Cùm ergò legati venissent Constantinopolim, arcana & quæ comprehendi non potest Dei sapientia, quæ eminùs rerum magnarum præbet occasiones, & ijs, qui eum glorificant, semper aliquādò tribuit gloriam, hîc quoque certo consilio aliquid gerit, per quod beatum Sabam, qui indutus erat cilicio, & vili habitu amictus, omni imperatoria purpura reddit splendidiorem: & eam, quæ in eo habitabat, aperit gratiam spiritûs, quæ operta erat multis velis moderationis & humilitatis. Nam cùm ij, qui cum ipso erant, deducerentur ad Imperatorem, & fuissent iam omnes intra aulam imperatoriam, ille solus à custodibus arcetur ab ingressu, seu propter vilissimam & contritam tunicam, seu Deo potiùs eum sic volente facere insignem & gloriosum. Cùm illos ergò benignè esset intuitus Imperator, & ea dixisset, quæ dici solent in aduentu: & deindè requireret, quisnam esset is, qui erat præcipuè in literis positus Sabas. Cùm monachi autem in omnem partem circuncursarent, (neque enim sciebant, quonam modo ille esset ab eis disiunctus, & vbinàm mansisset) statimque Imperatoris satellitibus ad eum quærendum quoquouersùs obirēt, inuenitur stans in quodam angulo ante aditum regiæ, & psalmos canens Dauidicos. Cùm illinc ergò eum diripuissent satellites, & per regiam eum festinanter introducerent, cùm iam esset ascensurus limen, vbi præsidebat Imperator: videt ille circa eum insignem quandam & planè admirabilem visionem, non vt qui dignus esset talia videre: sed vt ei fieret manifestum, quantum honorem sit Sabas apud Deum consecutus. Visio autem erat huiusmodi.

Cap. 71. — 1. Reg. 2. — S. Sabas nō admittitur in palatium Imperat.

Quidam specie angelicus, veste splendidus, eum in orbem circumiens, & ingressus illum præcedens. Hæc cùm vidisset Imperator, & virum verè esse diuinum censuisset, & ei assurgit, seque in eum ostendit valdè officiosum, & magno eum habet in honore. Deindè iussit omnes sedere: reuerà enim erat ei magna in monachos reuerentia, etsi quidam scelerati efficerent, vt conturbaret rectam fidei rationem. Aures ergò præbens omnibus, iussit vt vnusquisq; diceret, de quo vellet. Illi autem veluti obliti communis Ecclesiarum legationis, & cuius causa missi fuerant, vnusquisque proprias proponebat petitiones. Imperator verò cùm eorum postulata benignè concedens, quæ volebant impleuisset, quoniam petentibus omnibus silebat Sabas, nec omninò quicquam rogabat, ad eum vultum conuertens Imperator, Tibi autem, ô pater, inquit, quid sibi vult tantus labor itineris, cùm nihil omninò roges, nec postules? Ad hæc ille respondēs, Hac de causa, inquit, véni ô Imperator, primùm quidem, vt tuam adorem pietatem, donèc sum adhuc in hoc corpore. Deindè, vt rogem pro sancta Dei ciuitate, & eo qui illi est præfectus, vt nullam tuæ potentiæ subeat indignationem, sed pax concilietur potiùs Ecclesijs. Ità enim & ipse Deum habebis propitium, & tibi præclaras præbebit victorias aduersùs inimicos. Eius ergò libertatem admiratus Imperator, & quòd nihil peteret ex terrenis, & ijs quæ ad victum pertinent: sed quæ ferunt ad Dei cultū, & Ecclesiæ constitutionem, alijs quidem concessit, vt recederent: ei autem largitur munus mille aureorum, dicens ea esse distribuenda monasterijs, quæ fuerunt ab ipso constituta: & simul iussit eum manere, statuens vt ad se posset ingredi citra vllum impedimentum. Cùm verò non sustineret sedare iram, quam iampridèm conceperat aduersùs Palæstinæ Pontificem, aliquandò dicit magno Sabæ: Qui vestræ præest Ecclesiæ, ô venerande pater, nos, vt videtur, magnæ damnans leuitatis, non solùm synodi Chalcedonensis suscepit patrocinium, quæ confirmauit dogmata Nestorij: sed etiam effecit, vt Flauianus Pontifex Antiochenus eandem etiam viam iniret: & nunc solus restitit synodo Sidóne congregatæ, Flauiano consentiens, vt non feriantur anathemate, qui improbè tutantur dogmata Nestorij. Vndè etiam nos putans ludificari, per epistolas nostris iussis fert leges contrarias, iubens eijci, quicquid in nostram fidem sentitur recèns excogitatum. Sed non ampliùs tali nostra

Cap. 72. — Visio Imperatoris circa S. Sabam — Eius reuerentia erga monachos. — Adorem, id est, venerer. — Vide falsam & impiam de Synodo Chalcedonensi opinionem Imperatoris.

fruetur lenitate. Sed eccè decernimus, vt vides, illum quidem sede expelli: eius autem loco eum suffici, qui sit dignè præfuturus Ecclesiæ: quoniam non cónuenit sacra illa loca profanari sceleratis decretis Nestorij.

Cap.73. S.Sabas cõciliat eum Eliæ Episcopo.

Hæc cùm dixisset Imperator, & adeò graui ira ferretur in Eliam, incipiens diuinus Sabas Eliam defendere Patriarcham, eius iram ità compressit, vt non solùm illam latam rescinderet sententiam: sed etiam Patriarchæ magis caueret, & iuberet ei decætero remanere sedem minimè auferendam. Illinc autem cùm ad Imperatricem venisset Ariadnam, eam multùm rogauit, vt patris Leonis tueretur sententiam, & leges conseruaret pietatis. Hinc exercitatorem subijt amor vehementior quietis & silentij, & valdè desiderabat reditum. Quoniam verò menti eius tempus minimè congruebat, (tunc enim vigebat hyems) statuit vrbanos tumultus in præsentia declinare: & egressus in quendam locum, non procùl ab vrbe remotum, qui dicebatur suburbanum Ruffini, hyemauit illic reliquo tempore. Quem quidem in locum & alij quidam ad ipsum ventitabant, maximè autem Valentiniani Imperatoris neptis Iuliana, & Pompeij coniux Anastasia, quæ in hodiernum vsque diem floret multis rectè factis in monte Oliuarum. Cùm post hæc autem ver aduentâsset, ille quidem, vt qui iamdiù teneretur magno amore quietis & silentij, paratus erat decætero proficisci in solitudinem. Contigit verò aliquid in pagis, qui sunt Hierosolymis, quod eius repressit impetum, & fecit eum rursùs venire ad Imperatorem. Deindè paulopòst magno cum desiderio ingressus est viam, quæ ducit ad solitudinem. Verumenimuerò non ingratum fuerit hoc quoquè addere ijs, quæ dicta sunt, quod magnam iusti illius significat misericordiam in pauperes, quibus fiebat iniuria: & zelum aduersùs eum, qui improba mente contendebat prohibere misericordiam, & admirabilem in eum prædictionem.

S.Saba Cõstantinopoli redit ad suos.

Cap.74.

Fames simul & pestis, duo mala, & quæ similiter possunt tollere de medio, cùm inuasissent nonnulla loca ex ijs, quæ sunt sita sub imperio Romanorũ, multas quidem domos exinaniērũt hominibus: totos autem pagos, & habitationes, & agros reddiderunt vacuos habitatoribus. Porrò autem malum quoquè procedebat vlteriùs, & adhuc pluribus afferebat interitum. Cùm ergò considerâssent communium curatores, quinetiam ipse Imperator, quanam ratione commune non pateretur damnum vectigalium annuorum, decernunt vtà finitimis, qui attriti fuerant & perierant, ea exigerentur. & hoc locum habuit per vniuersam regionem, quæ parebat eorum imperio: & quicunque habitabat in locis vicinis, cogebatur etiam péndere vicinorum vectigalia, siue perijssent fame & inopia, siue etiam essent suis bonis euersi propter necessitatem. Beatus ergò Sabas pro re tam iniqua ciuitatibus, & tam impia, & maximè quòd etiam Hierosolymis executioni mandabatur hoc iniquum & tyrannicum decretum, accedit ad Imperatorem, annuncians rei absurditatem, ostendens pauperum interitum, dicens commune nihil hinc lucrifacere, sed extremo potiùs damno affici, omnibus, qui grauem illam famem & inopiam effugere potuerunt, afflictis ab hac graui exactione, & quæ essent in posterum soluturi, eorum iactura commune afficientibus. Deindè fit etiam supplex, & vnam ab eo petijt gratiam, nempe vt pauperibus iniustum illud vectigal remitteret, & duplici exactione miseros illos non ampliùs opprimeret. Cùm is autem & iustum esset reueritus, & propter illius viri preces motus esset pudore, & nesciret quid ageret, & pauperibus vellet præbere immunitatem à crudeli illo munere, Marinus quidam agrestis moribus, qui linguam cohibere nõ poterat, tunc verò magnam habebat potentiam, agebat autem & ferebat, quò volebat, leuitatem Imperatoris, se in pedes erigens, honestam illam & verè regiam euertit sententiam, dicens esse Nestorianos, qui erant in sancta ciuitate, & tali dono minimè dignos.

Decretum valdè iniquum.

S.Sabæ in pauperes & oppressos cõmiseratio

Cap.75. Prophetia S.Sabæ.

Cùm eum autẽ increpâsset beatus Sabas, & iussisset eum cessare desupèr bellum excitare aduersùs Imperatorem: in fine autem illa quoquè adiecisset, Nisi te velox propter ea, quæ dixisti, subierit pœnitentia, tibi monimentum peribit cum sonitu: Marinus quidem nihilo se euadit melior: Ille verò cùm Imperatori statim vale dixisset, & alias ab eo drachmas accepisset, vt distribueret ijs, quæ sub eo erant, monasterijs, proficiscitur statim in Palæstinam & eas, quæ sunt in ea, solitudines. hæc autem magna in pauperes iniustitia, mansit incorrecta tempore Anastasij: cuius partem quidem curauit Iustinus, cùm diuinus quoquè Sabas tũc literis apud illum

illum intercessisset: perfectam verò illius curationem postremò effecit Iustinianus. Non multum intercessit temporis, & finem acceperunt venerandi huius viri ad Marinum prædictiones. Nam cùm quædam rerum innouatio occupâsset ciuitatem, & mota esset popularis seditio, facultates omnes Marini raptæ sunt à seditiosis, & domus fuit igne exusta: & parùm abfuit, quin ipse periret. Neque verò mortem, quæ imminebat, potuisset effugere, si non citò ad conuersionem adspexisset & pœnitentiam. Hoc autem & alij plurimi renunciârunt, & Pompeius quoquè consobrinus Imperatoris: multùm quidem deflens Marini calamitatem, multùm autem admirans beati Sabæ certam & veridicam prædictionē. narrauit etiam posteà Anastasia, vxor huius Pompeij, quam in monte Oliueti omni florere virtute, vobis superior tradidit oratio. Marini hominis sæui facultates diripiūtur, &c.

Diuinus autem Sabas cùm emisisset quidem partem auri sibi datam ab Imperatore, paternam domum, quæ erat in Mutalasca, extruxit in templum martyribus Cosmæ & Damiano: quod reliquum verò erat, ex æquo diuisit & ijs, qui simul erāt, fratribus, & quæ sub ipso erant, monasterijs. Quoniam autem quidam ex monachis, qui cum ipso ascenderant Constantinopolim, sordidi & illiberalis animi notam subeuntes in auri diuisione, dicebant maiorem ad se partem pertinere, vt qui plùs, quàm alij, laborâssent, & cum magno Saba venissent vsque ad Constantinopolim, non permisit, vt diù conturbarentur, & essent adeò parci & sordidi: partim quidem ex historia adducens, & ostendēs eis, regem Dauid æqualem partem vtrisque tribuisse, nempe & exercitui, qui in bello cum eo adijt certamina, & ijs, qui remanserant ad castrorum custodiam: partim verò etiam ostendens eis à cōtrario, quòd illis maior pars debebatur: quandoquidem illi, inquit, pro nobis & corpore & animis decertauerunt: ipsi autem solis corporibus in via laborauimus. Et hæc quidem sic. Cap.76. S. Sabas cōdit templū SS. Cosmæ & Damiani. 1. Reg 30.

Diuinus autem Sabas Mamantem quoquè quendam, qui præerat monachis in Eleutheropoli, qui laborabant morbo Seueri: & priùs quidem apud tribunal Imperatoris liberè & cum magna confidentia locutus erat aduersùs fidem orthodoxam, posteà autem ab ipso Seuero vehementer dissensit, assumens Hierosolyma, ab acerba illa hæresi blandis verbis abducit, & vt Eliæ adiungeretur, efficit. Deindè multos quoquè alios hæreticos suo exemplo Mamas illaqueat, & deducit ad fidem orthodoxam. Venit autem deincèps oratio ad id, quod fuit caput certaminum, quæ suscepit Sabas pro recta in fide sententia. Iam enim Soterichus & Philoxenus cum suis improbè ascenderunt in Sidona, vt anathemati quidem subijcerent Chalcedonensem synodum, Flauianum autem & Eliam de sede deponerent. Sed illi eas, quæ in se struebantur insidias, supplicibus literis missis ad Imperatorem, tunc quidem depulerunt. Posteà verò Soterichiani maiore in illos inuidia accensi, magno furore in eos incitant Imperatorem, vt qui maledictis ab eis appeteretur & irrideretur. Certè cùm à mente deprauato Imperatore sceleratis istis tradita fuisset potestas in Alexandrinos, auro subeunt & corrumpunt populum Antiochenum. Quæ autem sunt consecuta, sunt potiùs lachrymis scribenda, quàm literis. Nam cùm Flauiano quidem omnem adhibuissent necessitatem, & quid non graue & molestum in eum intulissent, cogunt eum anathemate notare synodum Chalcedonensem: deindè è sede & ciuitate simul turpiter eijciunt: Seuerum verò profanum caput Acephalorum, habentes etiam Imperatorem, maximam ad id opem ferentem, eius loco sufficiunt. qui, cùm appræhendisset sedem Antiochenam, innumerabilia quidem mala fecit ijs, qui non ei communicauerant. Mittit autem sua quoquè synodalia ad Eliam Patriarcham. Quibus minimè admissis, non mediocriter ad iram accendit Imperatorem: & hæc synodalia rursùs mittuntur Hierosolyma, simul missis etiam quibusdam Clericis, & non parua manu militari, vt ijs, quibus non persuadebatur eadem tenere, quæ ipsi, vim etiam afferrent. Cap.77. Mamātem hæreticum conuertit. Flauianus eijcitur à sede Antiochena, & ei Seuerus impius substituitur.

Cùm hæc autem ità se haberent, & tam acerba in fidem orthodoxam exercere-tur tyrannis, & iam Eliæ graue immineret periculum, & eius capiti malum impenderet, & nusquàm auxilium, cùm cōgregâsset diuinus Sabas eximios omnes & electos monachos, & cum illis accedens, & illam, quæ circunsistebat Eliam, perrumpens multitudinem, (ô generosam animam) regis satellites & Seueri ministros illinc fugat tanquàm quædam mancipia. Deindè alia quoquè vndiq; confluentium Cap.78. Fides catholica infestatur.

monachorum multitudo, eos qui Seuero communicabant, in illorum ipsorũ conspectu anathemati fidenter subijciunt. Hoc dedecus & hanc ignominiam volens delere Imperator, contra eos mittit Olympium quendam Cæsareensem, ei traditis copijs, quæ erant in Palæstina, regia vtens authoritate, non legibus nec iudicijs. Qui cùm primùm ascendit Hierosolyma, Eliam quidem de sede deponit, ac eum damnat exilio: Iohannem autem filium Marciani, qui Seueri quidem confessus fuerat communionem, anathemati verò subiecerat Synodum Chalcedonensem, reponit in illius sedem. Quod quidem cùm didicisset beatus Sabas, non licuit ei cunctari: sed cùm rursùs assumpsisset sacrum illum exercitum monachorum, tanquàm præstantissimus quispiam Imperator, irruit in certamen: & Olympium quidem non offendit: (iam enim ille, tanquàm res ei rectè successissent, reuersus est in ciuitatem) in Iohannem autem incidens nouum Patriarcham, testificatur & denunciat, nè Seuerum admittat in communionem: sed tueatur potiùs synodum Chalcedonẽsem, & pro ea ad sanguinem vsque periclitetur. Quod quidem facit ille, reueritus patrum protestationem, omninò oblitus conuentorum cum Olympio.

Elias Episcopus agitur in exiliũ

Cap. 79. Propter quæ iratus Imperator, Olympium magnæ condemnans stultitiæ, illum quidem statìm deponit de magistratu. Cùm eum autem tradidisset Anastasio, & cum constituisset Ducem totius Palæstinæ, illuc mittit. Ille verò cùm quamcelerrimè venisset Hierosolyma, & ne solo quidem verbo impertijsset Patriarcham, sed solùm spectaret gratiam Imperatoris, & pro honore ei dato sine ratione, ei vicissim præstaret officium magis expers rationis, eum statìm conijcit in carcerem, impudenter vim afferens, & in difficilem adducẽs necessitatem, vt synodum quidem Chalcedonensem seu abrogaret & confirmaret, amplecteretur autem & defenderet Seueri communionem. Sed ille cùm rem communicâsset Zachariæ, qui præerat Cęsareensibus, latenter consulendo de ijs, quæ erant proposita, callida arte subterfugit necessitatem. Ea autem erat: Pollicitus se omnia facturum, quæcunque Dux iuberet, prompto & alacri animo, si relaxaretur à custodia, postquàm duo soli dies præterijssent: Nè vi, inquit, videamur parére iussis Imperatoris, itá dimittitur è carcere. Deindè vna nocte multitudo eorum, qui erant circuncircà monachorum, conuocatur in templum Stephani primi martyris, specie quidem, vt qui esset manè celebraturus commune festum primo martyri: re vera autem eos aduocãs ad auxilium orthodoxæ fidei: vt sic magis hæreticorum coërceret arrogantiam. Diluculò ergò congregata fuerat multitudo monachorum, partim quidem ex ijs, qui fuerant illic cõgregati monachi, sicut dictum est: partim autem de more veniens ad synaxim: partim verò, quæ concurrerat ad videndũ Hypatium, qui erat consobrinus Anastasij Imperatoris, modò seruatus ex captiuitate. erat enim templum quoquè capacissimum multitudinis. Aderat autem ipse quoquè Dux, vt eo teste abrogaretur & abdicaretur synodus Chalcedonensis.

Impius Imperator qd exegerit ab Episcopo Hierosolymæ.

Cap. 80. Protinùs ergò ascendit suggestum Iohannes, vtráque manu tenens Sabam & Theodosium pietatis propugnatores. Cùm se autem sustinuisset aliquantulùm, visus est sensìm susurrantem audire multitudinem, & dicentem oportere ferire anathemate eos, qui non rectè sentiunt. Hoc ergò ille cùm tanquàm diuinum aliquod signum accepisset, & cor habuisset repletum audacia, vnam emittit vocem cum multitudine: Si quis ea sentiat, quæ Eutyches, Nestorius, Seuerus & Soterichus Cęsareæ Cappadociæ Episcopus, sit anathema. Tunc sentit Dux fraudem, & veritus populi consensum vnanimem, satis habuit, si se subducens silentio fugeret: & abijt Cæsaream. Qui autem remanserat consobrinus Imperatoris, iureiurando affirmauit diuinis patribus, se non venisse, vt communicaret malæ Seueri opinioni: sed vt loca adoraret veneranda, seque velle potiùs communicare eorum sanctitati. Dat itaque Sabæ magnã vim pecuniæ, & iubet eam distribuere omnibus, qui illic erant, monachis: simul quidem ostendens suam in Deum fidem, & quam erga illum habebat pietatem & reuerentiam, efficiens manifestam.

Iohannis Episcopi anathema in hæreticos.

Hypatius cõsobrinus Imperatoris, suã declarat fidẽ.

Cap. 81. Cùm autem beato Sabæ sic processisset è sententia certamen, quod pro recta fide susceptum fuerat, sciens ille Imperatorem hæc non esse passurum, sed pro ignominia & dedecore id habiturum, & ægrè laturum, & omnibus modis operam daturum, vt se vlcisceatur, congregato toto cœtu monachorum, vbi cum eis rem contulisset, simul scribit epistolam ad Imperatorẽ, quæ hoc modo habebat: Dominus noster

noster Iesus Christus, omnium rex æternus & Deus, excelsi post illum regni sceptra piæ vestræ potestati sua benignitate tradidit: re vera volens omnibus quidem sanctissimis Ecclesijs, præcipuè autem matri Ecclesiarum, bonum pacis conciliare per vestram in Deum pietatem. Sciunt verò omnes, quòd cùm ab hac Ecclesia cœpisset verè magnum veræ religionis mysterium, peruasit vsque ad fines orbis terræ: quod quidem nos horum diuinorum locorum habitatores, ab alto à sacrosanctis acceptum Apostolis, sanum & integrum in hodiernum vsque diem conseruauimus, & in æternum Christi gratia conseruabimus, à recta verbi semita minimè deducti ab aduersarijs, aut corrupti profanis & vanis eorum vocibus. In hac ergò intemerata, & in quam nulla cadit repræhensio, fide, cùm nutritum & eductum ab ineunte ætate fuerit vestrum imperium, venit nobis in mentem admirari, quemadmodùm in diebus vestræ pietatis tantus tumultus & tanta perturbatio inuaserit matrem harum ecclesiarum, vt ne parcatur quidem ijs, qui Deo ministrant: sed sacerdotes & monachi, qui virtutem sequuntur à pueris, modesteque & silentio vitam transigere delegerunt, in conspectu Iudæorum & quorundam aliorum gentilium, ab ipsa sancta Sion, per mediam ciuitatem, turpiter trahantur & intemperanter, & in profana quædam loca expellantur: quin etiam cogantur nonnulla facere ad rectæ fidei labem & repræhensionem, adeò vt qui huc veniunt voti causa, pro vtilitate animæ recedant repleti scandalis & offensione. Rogamus ergò vestram potentiam, vt nos quoquè aliquandò à tantis malis relaxemur, quorũ omnium author & origo est Seuerus, cui, vt in Antiochena præsideat Ecclesia, mandatum est ad pœnam nostrorum peccatorum, ad malum quidem priùs suæ animæ, & totius Ecclesiæ multitudinis. Quomodò enim non est absurdum, nos qui sumus Hierosolymitani, modò doceri de fide, & qui fuimus omnium patres ad verbum pietatis, tam serò videri didicisse veram religionem? Quomodò non est hinc manifestum, quòd hæc, quæ recenter apparet & videtur esse correctio rectæ & sanæ fidei, quæ fuit tradita à patribus, non est reuerà correctio, sed peruersio & adulteratio potiùs eius, quod rectè habet, eius susceptæ mercedem ijs, qui persuadẽtur, procurãs animæ interitum? * Non ergò nec patiemur aliquid aliud addere præter ea, quæ decreta sunt à trecentis & decem & octo patribus, qui fuerunt Nicææ, & tribus quæ posteà consecutæ sunt synodis: neque quicquam aliter innouare: sed pro eo etiam animas profundere, & innumerabiles, si fieri possit, mortes parati sumus suscipere. Pax autem Dei, quæ superat omnem intelligentiam, fidem nostram custodiet sanctam, & sedabit tempestatẽ, quæ est aduersùs eam excitata, nutu vestræ potentiæ, ad eius gloriam, & decus pij vestri & religiosi imperij.

Epistola S. Sabæ ad Imperatorem. *Sacerdotes & monachos hæretici persequuntur.* *Seuerus, à quo Acephali hæretici orti.* *Pulchrè hęc quadrant etiã in horũ temporum nouatores.* *Philip. 4.*

Cęterùm Imperator quidem cùm hãc accepisset epistolam, in aliud tempus distulit respondere. eum enim tunc vocabat quędam barbarica expeditio. Nobis autem sunt reliqua adijcienda huius viri narrationibus. Post iniustum illud Eliæ Palæstinæ Antistitis exilium, fames quædam & penuria rerum necessariarum, siccitas quoquè & locusta, & graues quædam plagæ, integris quinq; annis oppresserunt Palæstinam. Cùm verò essent septem, quæ ab ipso constituta fuerant, monasteria, & quorum ipse curam gerebat, nulli eorum redditum ac prouentum prouidit: sed cùm Deo eorum omnem mandâsset curam, & ea similiter premerentur rerum omnium inopia, ille nõ modò nihil vile & abiectum est locutus: sed etiam conuocans Præfectos monasteriorũ, suadebat vt propter hęc nihil angerentur animo, neque de corpore quicquam essent soliciti: sed fidem haberent patri, qui sciebat eos his indigere, & omnipotente sua dextera ea suppeditabit. Cùm sic ergò statuisset Sabas, magnoque & excelso esset animo præditus, in ea, quæ ei parebat, Laura adeò defecerant necessaria, vt ne suppeteret quidem panis ad Dẽo sacrificandum & offerendum. Accedit ergò is, cui commissum fuerat ministerium, significans ei calamitatem: & simul appropinquare diem Dominicum ei in memoriam reuocans: & quòd non poterit vtiquè celebrari diuinum mysterium, cùm nẽque panis sit in Laura ad oblationem, neque aliquid aliud ex rebus necessarijs. Sed hæc quidem ille.

Cap. 82. *7. monasteria S. Sabæ.* *Matth. 6.* *Magna penuria in Laura eius.*

Magna autẽ illa reuerà & admirabilis anima, ne sic quidem desperauit de Dei curatione, & arcanis & ineffabilibus vijs prouidentiæ: Sed ego, inquit, nequaquàm prohibebo sacrum Dei ministerium. Tanta verò rerum necessariarũ indigentia, præbebit nobis aliquem sacrarum rerum thesaurum ad sacrum celebrandum mini-

Cap. 83.

Matth.6. nisterium: sed est fidelis, inquit, qui iubet crastinum manere liberum à solicitudine, quod attinet ad vsum corporis. Et cùm nondùm aduenisset dies Dominicus, veniunt quidam ad ipsum tanquàm consultò missi à prouidentia, simul ferentes onus triginta iumentorum. Onus autem erat frumentū & vinum & oleum, & alia monachis apta ad alimentū: adeò vt Laura propemodùm esset angusta ad capiendum res esculentas. Statim ergò diuinus Sabas ei, qui indigentiam parcè & sordidè ei obiecerat, Quid ais, inquit, sacrúmne dimittemus ministerium? Ille autem intelligens interrogationem esse repræhensionem cogitationum, quæ non satis erant validæ ad sperandum in Deo, prócidit ad eius pedes, petens veniam, & pro tam illiberali parcitate vehementem inferens pœnitentiam: & ille citò eam dat discipulo, & ea quæ oportebat suadet, dicens non oportere esse tam paruo & abiecto animo: sed à spe diuina firmiter dependére, & quod dicit diuinus Dauid, curam iactare in Dominum: cui nos longè magis, quàm parentibus, curæ sumus. Cùm in his esset beatus Sabas, accedunt quidam monachi ex ijs, qui erant in spelunca, dicentes: Modò quidam pastores non solùm securè immittunt pecora agris Lauræ: sed ipsi quoquè crebrò sine pudore ad Lauram ventitant, illinc magna licentia alimenta exigentes, tumultuque & strepitu fratres implentes quotidiè. Ille verò præcepit pastoribus admodùm placidè & benignè (vt erant eius mores humani & mansueti) vt decætero abstinerent à via, quæ ducit ad Lauram, & nè talia ampliùs aggrederentur. Illi autem, quæ dicta fuerant, nihilifacientes, cùm nihil omninò cessissent, re ipsa docentur non contemnere mansuetudinem, quæ in Deo multa potest. Protinùs enim admirabiliter quidem & præter opinionem arcetur lac vberibus gregum: intereunt autem nupèr geniti fœtus pecorum, cùm eis esset miserè exclusum nutrimentum. Cùm ergò sensissent pastores se luere pœnas suæ in Sabam inobedientiæ, ad ipsum veniunt, casum miserabiliter deflentes, peccatum suum acriter confitentes, neque se deincèps ingressuros esse viam, quæ ducit ad Lauram, constanter affirmantes. Ille autem tam celeri pœnitentiæ veniam concedit celeriorem, & protinùs benedictione soluit calamitatem, & eos liberat à supplicio. Nam simulatquè ille benedixit, mox solutæ sunt vberum pedicæ, & lac profusè manabat, & agni alebantur & crescebant, & pastoribus in gaudium mutata est tristitia. Hinc magnus ille à superna motus prouidentia, venit ad visitandum Eliam Patriarcham, annos iam natus octoginta. erat autem, vt iam diximus, Elias in exilio. Secum verò duxit Stephanum & Euthalium, qui ipsi quoquè præerant aliquibus monachis. Cùm ergò cum eis Sabam vidisset Patriarcha, qui erat in exilio, & gaudio fuit repletus, & omnium præsentium malorum quodammodò est oblitus. Eiusmodi res est anima, quæ luctatur cum calamitatibus, & condemnata est alienam domum habitare pro sua, si solummodò notos adspexerit oculos, hoc minuit molestias, & affert magnum solatium calamitatis.

Mira Dei prouidētia res necessariæ ei suppeditantur abundè.

Psal.54.

Vltio diuina in proteruos pastores pecorum.

Mira vis benedictionis S.Sabæ.

Cap.84. Cùm illos ergò adeò lubenter vidisset Patriarcha, eum multos dies apud se retinuit, neque eum volebat omninò dimittere: sed quotidiè circa horam nonam iam è domo procedens (toto enim alio tempore in grato permanebat silentio) sermone & alimēto eos impertiebat, amicè & syncerè cum eis vitam agens. Cùm vno itaque die illi venissent, vt consueuerant, (is autem erat nonus Iulij) cunctabatur egredi Patriarcha. Et illi quidem expectabant, cibum minimè tangentes: Patriarcha verò media iam nocte egressus, lachrymosos habēs oculos, Vos, inquit, cibum sumite. Non est enim mihi ocium. Illis autem diligenter sciscitantibus, quidnam ei accidisset, quòd tam tardè esset egressus, & cur tristis esset, & essent eius oculi suffusi lachrymis, ille acerbè eiulans, O beate pater, inquit, ad Sabam intuens, Heu, inquit, hac hora mortuus est Imperator Anastasius: & oportet me quoquè omninò decimo die post eum excedere, vt causam nostram agamus ante horribile tribunal. Hoc ipsum quoquè apertum fuit beato Sabæ, & illa nocte, qua visione dignatus est Patriarcha, dicitur ipsum quoquè vidisse fulmina, quæ desupèr immittebantur in Imperatorem, & eum veluti persequebantur, vt interimerent: eum autem fugientem in regiæ penetralia, turpiter effudisse animam. Sed mors quidem Imperatoris, vt quæ apparuerant visiones significabant, statìm fuit audita. Deindè vita quoquè excessit Elias Patriarcha, sicut ab ipso prædictum fuerat.

Elias patriarcha in exilio diuinitùs discit obitū Anastasij Imperatoris.

Cùm

Cùm ergò post Anastasium Iustinus piè assumpsisset imperiū, & per vniuersum orbem terræ misisset edictum, vt Orthodoxi quidem remitterētur ab exilio: Chalcedonensis autem synodus scriberetur in sacris tabulis, & veteres honores redderentur Orthodoxis, & rursùs tranquilla fruerentur Ecclesia. His sic factis, & Iustino Imperatore reuersa rursùs fide orthodoxa, erat quidem beatus Sabas natus plusquàm octoginta annos ætatis, & corporis imbecillitate & senectute, & longa illa & intensa virtutum exercitatione afflictus & maceratus. Verumenimuerò etsi ità se haberet, prompto tamē & alacri animi studio florebat ac vigebat: & quos propter Christum suscipiebat labores, præferebat omni quieti & animi relaxationi. Vndè etiam omnia postponēs zelo, quo ducebatur pro fide orthodoxa, statim profectus est per Cæsaream & Scythopolim, vbiquè prædicans pium illud edictum Imperatoris, & in tabulis ecclesiarum inscribens quatuor synodos: & alios quidem ex eis, suasionibus & admonitionibus, alios autem etiam reprehensionibus reuocans: & omnes perfundens suaui melle suæ doctrinæ, & optimè inducens ad fidem orthodoxam. Erat autem Scythopoli vir Scholasticus, nomine Iohannes, bonus animo, & vitam suam virtute exornans: qui de quodam Syluano, genere quidèm Samaritano, authoritate autem insigni, & multam aliam narrabat improbitatem & animi vitium, & dicebat etiam eum maximè insectari Christianos. Hæc cùm magnus ille audiuisset, quædam prædixit de Syluano, quæ non ità multò pòst effectū sunt consecuta: quomodò etiam paulopòst ostendet oratio, nempe igne in media vrbe accenso malum malè esse periturum. Quid ergò? Sufficiunt' ne hęc ex viri miraculis, an adhuc sitiunt vestræ aures & sunt arrectæ, & nondùm sunt satiatæ tam pulchris & pijs narrationibus? Conuertenda est ergò oratio ad ea, quæ deincèps sequūtur. Nam in his quoquè est gratia similis, & operatio miraculorum.

Cap. 85. Iustinus succedit Anastasio Imperatori. — Zelus S. Sabæ in conuertendis hæreticis. — Prædictio S. Sabæ de Syluano impio.

Versabatur vir quidam in quodā monasterio ex ijs, quæ sunt Scythopoli, nomine Iohannes, qui à congressione hominum separatam quietamq; in silentio vitam ab ineunte ætate susceperat. Is animæ quidem oculos valentes habebat & sanos, & per ipsos sæpè præuidebat futura: corporis autem oculi luce carebant, & nec minimum quidem splendorem admittebant. Causa verò erat eius per totam noctem assiduæ vigiliæ, & fontes lachrymarum, & senectus iam profundissima. Dicebatur enim vixisse plusquàm centum annos: quorum octoginta quidem transegit in eodem monasterio: quinquaginta autem permansit nusquàm progrediēs. Cùm eius multo sermone vbiquè fama celebraretur, peruēnit etiam vsque ad ipsum Sabam. Qui, cùm eius conueniendi teneretur desiderio, iter ad eum est ingressus. Mulier autem quædam in illa via iacens, laborabat iam multos annos fluxu sanguinis: neque poterat malum omninò comprimi, vincebatque artem medicinā, & manum. Emittebat verò tetrum quoquè quendam fœtorem, minimè tolerabilem: adeò vt propter hoc ipsum afficeretur maiori animi ægritudine, vt quam fugerent omnes & auersarentur. Ea ergò postquàm sanctum solùm sensit transire, supplicationibus & eiulatibus eum prouocabat ad morbi curationem. Ille autē acribus illis cedens clamoribus, velociter ei opitulatur: & solo tactu manûs morbum cōprimit. Deindè cùm huius rei fama permanâsset ad multorum aures, vir quidam ad sanctum accedit cum sua filia. Luctabatur verò illa cum tetro dæmone, & patri vitam faciebat acerbam, & planè non vitalem. Ea ergò cum magno * calore allata, valdè miserabiliter rogabat pater sanctum, aut, vt idipsum meliùs dicam, paternè. Quamobrèm misertus Sabas, & respiciens preces miserabiles, vt qui erat re vera clementissimus, & apud se paratam habebat consolationem, puellam vngit oleo Crucis, & cùm eius, qui in eam actus est, nomen dixisset, eam statim liberat à morbo, parentique eam tradit sanam & mente & corpore.

*Cap. 86. Iohannes monachus assiduis vigilijs & lachrymis amisit lumen. — Præclarum miraculum. — for. *clamore, vel labore. — Aliud miraculum.*

Atque sic quidem Sabæ animæ diuina quædam insidebat gratia, quæcunque ipse petijsset, operans admirabiliter: & corpus quidem semper habebat cedens eius voluntati, vt neque defatigaretur laborum assiduitate, neque voluptate rursùs remitteretur. Nam toto quidem tempore ieiuniorum permanebat ieiunus. Solebat autem semèl tantùm vesci in hebdomada. Si verò aliquandò ab aliquo vocatus esset ad cœnam, aut ipse rursùs aliquos conuiuio exciperet, bis sæpè vescens in die, nihil damni ac detrimēti sentiebat stomachus. Deindè postquàm redijsset Scythopoli, admodùm iucundus autem & optatus appárens Iohanni Hierosolymitano Pontifici, (quod intercesserat enim tempus, auxerat desideriū, vt solet amicorum)

Cap. 87. Nota singularē gratiam abstinendi.

ab ipso vocatus esset ad conuiuium, quoniam vnà etiam aderat Antonius Episcopus Ascalonitanus, qui erat frater Archiepiscopi, cùm illi Sabam medium intercepissent, illi amicè propinabant, & pro viribus eum inuitabant & accipiebant. Sed neque rursùs sancto erant manus ociosæ: sed vt par erat, remota omni fictione & simulatione, vescebatur appositis. Aderat autem diuinus quoquè Theodosius, qui erat ei valdè amicus & familiaris, vt iam à me sæpè dictũ est: qui cùm veluti quoddam condimentum, vellet mensæ speciosam aliquam & gratam inijcere orationem, vrbanè admodùm & lepidè inferens, dixit diuinum Sabam ità esurire, vt ne vos quidem ambo, aiebat, qui sufficitis ad totam simul alendam Palæstinam, possitis eius ventrem alere ad satietatem. Tale & tam validum ac robustum corpus beati Sabæ generosæ contigerat animæ. Erat autem summa modestia præditus, & moribus lenis ac facilis. Et ad eum quidem conueniendum facilis patebat aditus: erat verò in sermone iucundus, & moribus quidem simplicissimus: prudentia autem constantissimus, charitatem non fictam & synceram apud omnes conseruans. Erat verò valdè affectus in Theodosium, adeò vt quotidiè ad se inuicèm ventitarent, & inter se de virtute conferrent, & essent ambo instàr luminarium omnibus, qui vitam amplectebantur monasticam. Sed ille quidem eorum, qui vitam exercebant communem: hic autem, Sabas, inquam, eorum qui à congressione separatam & quietam, susceperat præfecturam. Dicitur certè, beatum Sabam vrbanè sæpè dixisse diuino Theodosio, illum quidem puerorum, se autem esse præfectum præfectorum.

Amicitia ingẽs inter Sabam & Theodosiũ Abbates.

Cap. 88. Sed eò reuertendum est, vndè digressi sumus, & ijs, quæ dicta sunt, addenda sunt quæ sequuntur. Appetente iam fine anni quarti, quo aquæ penuria & siccitas, & alia mala his cognata, Palæstinam inuaserant, accedunt ad Sabam monachi speluncæ, petentes vt illinc recederent. Neque enim se posse ampliùs manere, neque resistere tantæ aquæ inopiæ. Quocircà ille qnidem partìm adhortatus, vt forti & excelso animo ferrent quæ ingruebant: partìm autem eos paternè admonens, persuasit vt rursùs permanerent in Laura. Ad vos enim, inquit, veniet Dei misericordia, & ros citò ab eo descendet. Tertio deincèps die finem acceperunt, quæ promissa fuerant. Repentè enim erumpens vehemens pluuia, eis impleuit aquarum receptacula: & quod est maximè incredibile, illis solìs delapsa est pluuia, qui cogitârant à Laura recedere. In omnibus autem illius, quæ circuncircà erant, monasterijs, ne minima quidem gutta descendit. Hinc factum est, vt monasteriorum, quæ erant circuncircà, præfecti ad eum confluerent, deflentes & lamentantes, & dicentes: Quid peccauimus Pater, quòd non ad nos quoquè per tuas preces aqua cecidit, qui æquè laboramus siccitate, & valdè desideramus benignitatem & refrigerationem? Ille autem paucis verbis eos liberauit à magna illa animi afflictione, sic dicens: Nunc quidem misit Deus benedictionem ad eos, qui egent maximè: sed neque vos diù despiciet. Neque vos aqua deficiet, donèc dederit pluuiam super terram. Iam verò instabat Dominica dedicationis, & cùm aquæ penuria diutiùs produceretur, omnis autem fons propemodùm deficeret, & nec in se quidem paruum seruaret aquæ vestigium, sed multi ideò miserè perirent: Iohannes Antistes Hierosolymitanus, valdè suspectam habens multitudinem, (solet enim, cùm laborauerit inopia alicuius rei necessariæ, seditionem protinùs agitare, & aliorum facultatibus parare insidias) omnes partes obibat, loca locis mutans, & puteos fodiens, humidiora loca proscindens, & fossas perscrutans, & à nullo abstinens, quod ei occurreret. Sed hoc nihil proficiebat. Omni itaque spe abiecta, sedebat decæterò mœstus, & apud se deflens communem vrbis calamitatem.

Insigne miraculum.

Cap. 89. Cùm is ergò ità esset affectus, & communem casum, suum luctum esse duceret, quidã ex eius amicis, Summus nomine, volens esse particeps solicitudinis, & quoàd eius fieri posset, illius consolari ægritudinem: quoniam aliundè inuenire non poterat mali solutionem, accedit ad eum, narrans de pluuia quæ eruperat, & de diuinis illis signis, quę facta fuerant Sabæ precibus: & consulit, vt eum ad se accersat, & vehementer roget, vt hanc eis alleuet calamitatẽ, & cessare faciat plagam, quę tam grauiter infligitur. Ille aũt persuasus, cùm eũ accersijsset, & ad eius pedes procidisset, oẽs adhibuit preces, vt sanctas manus ad Deũ tolleret, quas ipse solet respicere, & eius misericordiæ viscera in mentem reuocaret, & efficeret, vt qui est bonus, eos

benignè adspiceret, & eis reconciliaretur, & solueret calamitatem siccitatis, quæ eos opprimebat. Cùm is autem differret, & rem suas vires superare diceret, Episcopus non cessat obsecrare, & genua prensare, & nullum prætermittere modum supplicationis: (Quid enim ad deprimendum & deijciendum animum est calamitate vehementius, & maximè ea, quæ tam multos tandiù affligebat?) nesciens deincèps, quid ageret mitissimus Sabas, se includit in domuncula, iubens illos quoquè simul preces fundere. Deindè ille quidem intensæ vacabat orationi, & pro eis fundebat preces. Tertius iam dies præterierat, & circa primam noctis vigiliam repentè conuertuntur nubes, & ex serenitate mutato aëre in profundam caliginem, vehemens erumpens pluuia, replet quidem aqua fontes: torrentibus autem sua reddit fluenta, & vniuersam simul ciuitatem ad vno animo & vno ore gratias Deo agendum excitat. Et hæc quidem sic.

Modestia S. Sabæ.

Oratione sanctus pluuiam impetrat à Deo.

Cùm autem multum temporis intercessisset, & magno Sabæ ad octoginta & sex annos ætas prouecta esset, decedit quidem Iohannes, relicto successore Petro, viro virtute insigni. Tertio autem deincèps anno Imperator quoquè Iustinus valdè iam prouectæ ætatis, & alioquì oppressus morbo corporis, cùm ad administrandam rempublicam non ampliùs sufficeret, deponit imperium, Iustiniano patruele suo constituto pro se Imperatore, qui erat patricius, consul & dux exercitûs, & qui iam fortiter rempublicam gerere erat aggressus. Sed de Iustiniano quidem dicere interìm differamus: immoremur autem in ijs, quæ admirabiliter à sancto Saba facta sunt in Petrum successorem Iohannis: quæ quidem velim nolim ad se trahũt orationem, & sunt alijs longè iucundiora & gratiora. Nam is quidem veniebat assiduè in solitudinem ad diuinum Sabam, & eandem in eum seruabat reuerentiam, quam priores Patriarchæ. Interìm verò cùm morbus inuasisset sororem, (erat enim ei soror nomine Hesychia, non vulgaris virtutis) & cùm omnis ars medicorum abiecisset spem eius curationis, ipse non minùs, quàm illa, animi mœrore confectus, & nullum inueniens medicamentum calamitatis, ad diuinum Sabam statuit confugere, vt videret an aliquam assequeretur clementiam. Ipse autem cùm accessisset ad ægrotantem morbo incurabili, & tèr manu fecisset signum Crucis, non differendo, sed continuò eam sanam reddit fratri. Talem ergò Episcopus inuenit remunerationem sui in Sabam honoris.

Cap. 90.

Petrus Hierosolymæ Episcopus.

Iustino abdicanti succedit Iustinianus.

Signo Crucis tèr edito repentè sanat morbũ incurabilẽ S. Sabas.

Tunc verò, cùm &, quæ à me superiùs dicta est, Iuliana è vita excessisset, eorum qui apud ipsam erant Eunuchorum fidelissimi, qui iam longo antè tempore erant beato Sabæ amici & familiares, accedunt ad ipsum, afferentes cumulos pecuniæ: pro quibus nullam aliam petebant remunerationem, quàm solùm, vt referrentur in numerum suorum monachorum. Ille autem cùm non posset suam legem soluere, neque Eunuchorum & imberbium aliquem in suam Lauram admittere, cùm multis admonitionibus & sermonibus apud eos esset vsus, & eos confirmâsset ad futurum, ipsos emittit ad B. Theodosium. Illi verò paulopòst Patriarcham conuenientes, petunt ab ipso quendam locum, volentes in eo degere separatìm, & sibi solìs & Deo vacare. Ille autem cùm Alexandro Eliæ monasteriorum præfecto eos commendatos, apud ipsum aliquo breui tempore deposuisset, apud se consultabat, quemnam eis locum tribueret, & quemadmodùm finem imponeret eorum voluntati. Interìm verò pecunijs illectus Alexander, non stans pactis illis conuentis, quæ cum Elia inierat, diuidit Eunuchis monasteria, cùm ad ea nullum laborem nec operam priùs contulisset, quæ ille multis laboribus & sudoribus construxerat. A quibus vnum ex monasterijs in hodiernum vsque diem nominatum est Eunuchorum. Sed de his quidem satìs.

Cap. 91.

S. Sabas eunuchos & imberbes in suã non recipit Lauram.

Cùm iam autem imperium assumpsisset Iustinianus, & rerum suscepisset administrationem, agebat quidem beatus Sabas nonagesimum & vnum annum: finem verò vitæ acceperat diuinus Theodosius: qui in Palæstina quidem erat populus Samaritanorum, cùm Iulianum quendam, qui ipse quoquè erat Samaritanus, sibi regem creâssent, multas iniurias faciebant Christianis, ecclesias depopulantes & exurentes, Christianos afficientes supplicijs innumerabilibus, & deindè etiam occidentes: & in vicos finitimos facientes incursiones, & capsas sanctorum rumpentes, & igni mandantes. Quæ quidem maximè fecerunt in locis, quæ erant circa Neapolim: vt qui Episcopum quidem gladio interemerint: quosdam autem presbyteros comprehenderint: & primùm quidẽ membratìm & frustatìm eos dissecuẽrint,

Cap. 92.

Samaritani Iulianũ regẽ sibi constituunt, & affligunt Christianos.

Nota quos hodiè imitentur hæretici.

rint,& deindè eos cum martyrum reliquijs frixerint in sartagine,& nulli probro & contumeliæ parserint in Christianos. Hæc postquàm renunciata fuerunt Imperatori, aduersùs illos magnas emittit copias: quæ cum eis manus confligentes,& multos alios interimunt,& ipsum etiam Iulianum. A quibus Syluanus quoquè tunc Scythopoli compræhensus,in ignem inijcitur,& ità acerbum accipit vitę exitum, vir qui multis probris & contumelijs affecerat Christianos, & ideò,vt arbitror,pulchrè ad hocà diuina reseruatus erat iustitia,vt sic lueret supplicium sufficiens,& finem acciperet: quod non multis antè diebus de ipso dictum fuerat à Saba. Deindè quidam ex eius comitibus,nomine Arsenius,illustris dignitate,ad falsa fingenda,& confundendam veritatem omnium callidissimus. Is cùm post tetrum Iuliani interitum venisset Cõstantinopolim,& accessisset ad Imperatorem,& cum ipso & eius cõiuge,nescio vndè,ei magna intercessisset familiaritas,multa quidem dicit, ad magnam autem iram eos accendit aduersùs Christianos, qui erant in Palæstina,dicens eos vel maximè fuisse authores & causas seditionis Samaritanorum, & dignos grauissimo supplicio.

Arsenij cuiusdam calumniæ.

Cap. 93. Hæc postquàm in Palæstina renunciata fuêre Patriarchæ,eum statim subit misericordia eorum, qui falsò accusabantur: & accedens ad beatum Sabam,eum vehementer rogauit,vt abiret & fungeretur legatione apud Imperatorem, & excogitatam refelleret calumniam,& Christianos liberaret à tantis periculis, nihil aliud futuros,nisi diaboli linguæ trophæum & improbitatis. Ille autem paruit, & nullo interiecto spatio,iter statìm arripuit: eratque reuerà præter fidem id, quod cernebatur,nempe hominem, qui in tam imbecilla lababat senectute,& quem par erat in lecto se quieti dedere,citra moram tantum iter inire,minimè cedentem,neque senile quippiam aut languidum,remissum've sustinentem: sed perindè atquè ætate adhuc vigentem,& magnam corporis imbecillitatem vincentem copia prompti & alacris animi. Cùm iam autem peruenisset ad suburbia Constantinopolis,Imperatori quidem significatur aduentus: & ipse statìm mittit vnum ex iuuenibus Imperatorijs,& quosdam ex suis satellitibus,aduentum illius maximè honorans. Deindè eo,quo par erat,comitatu stipatus,Sabas ad ipsum deducitur. Deindè Patriarcham quoque Epiphanium,& quicquid erat apud se clarũ & illustre,emittit, vt ei procederent obuiàm. Neque enim terrenum & mundanum aliquem,sed tanquàm vnum ex angelis, & ciuem supernæ Hierusalem se censebat accipere. Quem postquàm adhuc procùl procedentẽ agnouit Imperator,ille quoquè cernebat aliquid simile ei,quod viderat Anastasius. Videbat enim quandam coronã eius capiti impositam,eleganti quodam splendore decoratam, & micantem luce omnis generis gratiarum. Visione ergò Rex obstupefactus,è cathedra surrexit,& sacrum illud caput reuerenter & iucundè est complexus. Deindè cùm ille ab eo accepisset benedictionem,orauit vt sua quoquè cõiux esset eius particeps. Cùm ea autem adfuisset,adorauit & rogauit,vt solueretur vitium eius matricis,(erat enim petra sterilior) & vt ex se natum posset videre filium: quod quidẽ illa pluris faciebat,quàm ipsum imperium. Ille autem ad hæc tacens,solùm illi precabatur,vt sospes & salua esset eius potentia. Illa verò rursùs instabat,petens preces liberorũ procreationis. Ille autem pergebat easdem rursùs preces dicere,& apertè præ se ferebat se recusare petere,nè ipsa fieret mater filiorum. Vbi verò cùm illa hoc sæpè petijsset,ipse nihilo magìs annuit orationi,neque edidit preces conuenientes eius desiderio, tandèm abijt Imperatrix magna affecta tristitia, quòd id quod volebat, non esset assecuta. Deindè cùm qui in preces incidissent,& maximè quicunque solent principum gratificari cupiditati, etiamsì sint inutiles & nihil iusti habeant,eum criminarẽtur,quòd preces recusâsset,& dicerent id,quod Imperatricem maiori molestia afficeret, ille ægrè ferens, causam apertè protulit: Sinite, dicens, ô beati. Non enim sinet aliquem fructum ex ea edi, nè ipse quoquè gustet Seueri dogmata, & deteriores, quàm priùs ab Anastasio, tumultus Dei conturbent Ecclesiam.

S. Sabas valdè grandæuus, it legatus ad Imperatorem.

Admodùm honorificè accipitur ab Imperatore.

Imperator eius petit benedictionem.

Diuinitùs edoctus Sabas nõ vult soluere vinculum sterilitatis ab Imperatrice

Cap. 94. Imperator aũt Iustinianus in sanctum tantam ostendit pietatem & reuerẽtiam, vt cùm eum conuenisset, non solùm remiserit iram, quam iam olìm conceperat aduersùs Christianos,qui erant in Palæstina,sed etiam Samaritanos * plenè expulerit è ciuitate,& eorũ synagogas deincèps prohibuerit: & de illis hanc legem tulerit,nè essent alter alterius hæredes,nè per successionem opes eorũ crescerent & am-

for. *planè

amplificarentur. Quinetiam vt interficerentur, quicunque eorum fuissent authores seditionis. Quamobrèm timore affectus Arsenius, qui erat ipse quoquè vnus ex Samaritanis, cum humano, metu quoquè diuino concurrente, supplex à Saba contendit, vt ab ipso baptismum accipiat: & tam piam impetrat petitionem. Sed hæc quidem posteà. Imperator autem cùm talem sanxisset legem aduersùs Samaritanos, & sic ea propter quæ venerat, sancto esset gratificatus, nō hucusquè sistit promptum & alacrem animum: sed se extremum damnum accipere existimabat, si non eum regalibus & splendidis afficeret beneficijs, & fidei esse abundantiam ostenderet suam in eum munificentiam. Cum eo certè assiduè colloquens, & eum honorans, sicut priùs Anastasius, vehementer instabat, vt aliquod pecuniæ vectigal subiectis ei monachis constitueret. Ille autem, Vectigalium quidem, inquit, & pecuniæ, quantum satìs est ad vsus necessarios, ille nobis prouidebit, qui populum non obedientem copiosè aliquandò aluit in deserto, & aquam eduxit è petra: & qui non solùm necessaria, sed etiam sæpè quæ redundant, suppeditat. Tibi autem, ô Imperator, si tantæ est curæ, vt nobis gratificeris, adsunt aliæ quoquè non paruæ, & non contemnendæ occasiones, per quas poteris in nos tuam exercere liberalitatem. Nam & Palæstini, qui malè sunt affecti à Samaritanis, & quorum magnæ quidem prædæ sunt abactæ, multa verò ædificia & diuina templa, & mancipia præterea & greges, frumentumque & alios fructus viderunt exuri ante oculos, & nunc non habent, vndenàm sibi victum quotidianum comparent: supplices petunt aliquam ad tempus immunitatem, vt se parùm recreent ac reficiant, & rursùs possint sufficere annuis soluendis muneribus: & qui ad adorandum viuificum sepulcrum veniunt in sanctam ciuitatem, ipsi tecto opùs habent, vt se parùm recreent à labore itineris: & maximè si quis eorum aliquandò in morbum inciderit, postulant necessariam corporis curationem. Quinetiam quod à Patriarcha Elia priùs cœptum est ædificari Deiparæ Virgini templum, multis adhuc indiget, nec satis est instructum ornamentis: & quæ sunt meis constructa manibus monasteria, cùm nullum in propinquo habeant præsidium, in quod se recipiant, nullo negocio capi possunt ab inimicis, & prima incursione venire possunt in manus hostium. Ante omnia autem, Arrij, Nestorij & Origenis dogmata conturbant Ecclesias, nec sinunt eas pura frui tranquillitate: & ideò à tua potentia magnum est adhibendum studium, vt omnibus viribus ea tollas de medio, & tantum malum procùl expellas. Hæc si feceris, bonam spem concipio, & in Deo confido, fore vt mox diues sequatur remuneratio, Romaque vniuersa & Carthago, & quæcunque amiserunt, qui ante te imperârunt, cernentur rursùs partes tui imperij. Et fuerunt hę quidem piæ & in commune vtiles beati Sabæ petitiones apud Iustinianum.

Iustiniani multa erga S. Sabā beneuolentia.

Exod. 16. & 17.

S. Sabas orat Iustinianū pro Palæstinis.

Arrij, Nestorij, & Origenis dogmata conturbant Ecclesiam.

Operæprecium autem est quærere, cur prætermissis alijs hæresibus, Arrij solùm meminit, Nestorij & Origenis. Fortasse enim quibusdam simplicioribus videbitur eis assentiri, & ideò harum trium solùm meminisse. Quanam ergò de causa harum meminit? Quòd aliæ quidem hæreses non valdè tunc vexabant Ecclesias. Secta enim Arriana cùm Gotthos occupâsset, & Vandalos, & Gepidas, & comprehendisset totum ferè Occidentem, omnes ferè ex æquo pestifero repleuit exitio: Nestorij verò & Origenis hæresis morbo multi monachi laborabant, & timendum erat, nè alios attraherent ad malorum societatem. Nam cùm quidam nupèr conuenissent monachi Byzantium, visi sunt quidam tenere dogmata Theodori Mopsuestiæ: rursùs autem Origenis dogmata defendere, Leontius, qui erat ipse quoquè monachus, genere Byzantinus, qui erat vnus ex ijs, qui cum Nonno ingressi fuerant nouam Lauram, quos postquàm cognouit magnus Sabas, à suorū statìm expulit conuersatione. Sed nobis reuertendum est ad seriem narrationis. Cùm diuinus Sabas proposuisset tales apud Imperatorem petitiones, ille perindè àc iamdiù sitiēs gratificari sancto, statìm scribebat, imperabat, decretum in omnem partem mittebat, omnia faciebat, nè hęc differrentur & in longū protraherentur: nè eorum quæ fiebant dilatio, tam pulchrorum beneficiorum obtunderet splendorem. Hæc quidem Imperator. Qui autem ei, qui frigidum solum aquæ calicem dedisset in nomine suo, pollicitus est, scilicet se daturum centuplum, non distulit remunerari & referre gratiam: neque promissum suum produxit in longum: sed vt magnus pollicitus est Sabas, simul atquè Imperator per Præsides prouinciarum impleuit, quæ fuerat pollicitus, Aphrica vniuersa & Roma eius accesserunt imperio: & qui erant in

Cap. 95.

Arriani, Nestoriani & Origenistæ multi.

Matt. 10.

Iustinianus recuperat Asiam & Romam.

in vtraque tyranni, Vittigis Romæ, & Gelimer Carthagine, eos pro liberis seruos, & pro regibus captiuos, & supplices accepit pro inimicis.

Cap. 96. Sed cùm huc deducta sit oratio, venit mihi in mentem huius viri constantia & animi generositas, quòd nulla cum temporis necessitas coëgerit ad illiberalem adspicere adulationem, aut se aliqua in re gerere seruiliter: (quod quidem difficiliter obseruari potest à viris bonis, & est factu admodùm difficile) sed vsus est conuenienti aduersùs omnes moderatione, honestatisque & philosophiæ magnam ducebat rationem. Hoc autem facilè potest ostendi. Nam cùm in eius petitionibus occupatus esset Imperator simul cum Tribuniano Quæstore circa eam, quæ vocabatur Magnaura, & in consilium eum adhibuisset, ille, cùm iam venisset hora tertia, relicto Imperatore, Deo seorsùm reddebat preces solitas, vacans sacris diuini Dauid psalmis. Cùm Hieremias verò vnus ex discipulis ad eum accessisset, & dixisset, Quid hoc sibi vult, pater? Cùm Imperator tantum adhibet studium, & vt tuas impleat petitiones vehementer laborat, tu, eo relicto, nunc agis alibi: ille admodùm ingenuè respondens, Non est hoc alienum, inquit, ô fili. Nam & ipse facit, quod ei cõuenit: & nos omninò id, quod debemus. Sed redeat nobis oratio ad ea, quæ proposuimus.

S. Sabas stato tempore relicto Imperatore persoluit preces solitas.

Cap. 97. Imperator ergò tanto studio affectus aduersùs huius viri petitiones, per vniuersum orbem terræ mittit decretũ: & statim Episcopis, Antonio Ascalonitano, & Zachariæ Pellæ, literis præcipit Imperatorijs, vt visant loca Palæstinæ, quæ fuerunt exusta à Samaritanis, & habita ratione eorum, tributa alleuent. Visant autem templa quoq; Sanctorum, & quantum ipsa damnum acceperint à scelerata & audaci manu Samaritanorum, per illorum ipsorum facultates, aut publicas reparent pecunias, & in sancta ciuitate extruant nosocomium, & annuos ei dent redditus mille octingentorum & quinquaginta aureorum. Quinetiam aliam quoquè domum, vt in ea habitarent, qui procùl illuc veniebant, & Deiparæ templum eleganter extruant & exornent, & præsidium prope Lauram muniant, vt in inimicorum insultibus esset tutum monachis refugium. Præter hæc verò nominatìm quoquè declaratas hæreses tollant de medio, & præclaro subijciant anathemati. De his autem ferè omnibus Procopius quoquè Cæsareẽsis in quinto libro de Iustiniani ædificijs, ab eo constructis, hæc sigillatim refert, ipsumq; constructum Deiparæ templum accuratè exponens, eiusque pulchritudinem & magnitudinem nulli dicens esse similem, & id nouam vocari ecclesiam: cum Cyrillo conueniens, qui diuini Sabæ vitam conscripsit ab initio. Præterea autem de duabus quoquè ædibus cõstructis illi suffragatur: quarum vna quidem est ad excipiendos hospites: altera verò ad recreandos eos, qui morbo affliguntur. Quinetiam illic constitutos multos pecuniæ redditus, & templorum renouationes, quæ exusta fuerant à Samaritanis, & propter inimicorum incursiones extructum præsidium, ei congruenter persequitur.

Imperator mira facit ad preces eius.

Hinc appàret, Metaphrastẽ hãc Sabæ historiã ornâsse stylo suo.

Cap. 98. Cùm has ergò cõstitutiones diuinus Sabas ab Imperatore accepisset in literis, & recessisset Cõstantinopoli, venit Hierosolyma. Cùm aũt illuc venisset, & magistratibus tradidisset literas, quas habebat imperatorias, illinc venit Scythopolim, vbiquè prædicãs decreta Imperatoris, docẽs ciuitates, compouensq; & instruẽs ad fidẽ orthodoxã. Deindè eos quoquè, qui grauia illa passi fuerant à Samaritanis, & alijs modis recreãs, & tributorũ immunitate consolãs. Hieremias aũt monachus, cuius iam feci mentionem, cùm nescio quo pusillo & abiecto animo motus, à Laura maximã recessisset, in quodã deserto torrente statuit habitare, qui quinq; stadijs aberat à spelunca boreali. Cùm illic verò fuisset magnus Sabas, & locũ vidisset valdè aptũ, vt qui in rebus honestis nõ soleret cunctari, paruã quandam aram & oratorium, & diuersas cellas intra paucos dies ædificat: & statuens, vt quidã monachi eas habitarent, eorũ curam tradit Hieremiæ: & sic Dei gratia fuit locus in Laurã constructus, quæ floret vsq; in hodiernũ diem, Hieremiæ sortita appellationẽ. Cùm Scythopoli autem, vt diximus, esset sanctus, ad eum accedunt Cyrilli parentes, qui fuerãt olim sancto noti, & ei legibus amicitiæ coniuncti, qui ei commendant Cyrillum adhuc valdè iuuenem: & efficiunt, vt ab eo impertiatur puer benedictione. Hic est verò Cyrillus, qui magni Sabæ vitam nobis conscriptam tradidit. Dicit ergò ille ipse Cyrillus: Cùm me, inquit, magnus Sabas adspexisset, & salutâsset, & sua dignatus esset benedictione, Hic exhinc, inquit patri, est meus discipulus. Doceatur ergò psalterium: eo enim opùs habeo. Sed enim redeundum est, vndè digressi sumus.

Laura Hieremiæ conditur.

Cùm

Cùm ergò regiæ literæ fuissent ostensæ Episcopis,& quæ factæ fuerant ecclesiarum euersiones,subiectæ fuissent eorum oculis,primæ quidẽ Palæstinæ, vt quæ perfectam sustinuisset vastitatem,duodecim * centariorum publicorum fecit remissionem: Scythopoli autem, quæ minus damnum acceperat,non plusquàm vnius. Postquàm verò hæc rectè gesta fuissent à magno Saba,reuersus Hierosolyma, adoratis sanctis locis,& ijs dictis,quæ quodammodò dici solent in exitu,venit ad maximam suam Lauram.In qua cùm parùm esset moratus,morbus quidam ingruens,illum verè fortem adamantem lecto tradit.Quod quidem cùm significatum fuisset Patriarchæ,repentè venit ad illum visendum.Cùm verò venisset,& sic vidisset eum in cella iacentem, egenum rerum omnium necessariarum, quandò oportet ea etiam suppetere, quæ redundant,& circa corpus omnem excogitare curationem, vtpotè quod & morbus & senectus & longi labores possint vehementer cruciare: supplex ab eo contendit, vt exportetur ad sibi subiectam ecclesiã, vt possit illic frui aliquo ex ijs,quæ pertinent ad remissionẽ ac recreationem. Ille autem Patriarchæ reueritus supplicationẽ,& illuc exportatus,iacebat cum ipso morbo luctans,& ab eo similiter confectus.Cùm verò aliquantũ tẽporis intercessisset,ad eũ diuina quædam aduenit visio,significãs illius hinc futurũ excessum. Statim ergò reportatus in cellam,cùm vltima verba dixisset fratribus, & postremum eis dedisset osculum, & cuidam Melitæ illorum commisisset præfecturam,viro idoneo cui id crederetur, à terrenis migrat ad cælestia,suam animam in manu Dei deponens,iam natus nonagesimumquartum annum.Erat verò quintus dies Decembris, quo mortuus est vir ille inclytus,& ad vitam quæ illic est,migrauit,comitatus ab angelis & martyribus, vt paulopòst ostendet oratio.Nunc autem per seriem procedat narratio.

Ca. 99. | * for. centenariorum, vel centuriarum | Visio S. Sabæ. | Obitus felicissimus.

Cùm ergò mors Sancti,breui tempore in omnem partem peruasisset,concurrit quidem ad sacrum illius corpus multitudo innumerabilis. Concurrit autem vniuersus quoquè ordo monachorum,& quicunque erant Episcopi: qui cùm quo par erat ornatu corpus composuissent,hymnos & cantica ei de more canentes,piè admodùm & sanctè inter duas ecclesias in media Laura deponunt: vbi cùm ille esset superstes,vidit columnam lucis. Atque talis quidem fuit vita beati Sabæ,& eius tam admiranda,& quæ naturam superabant rectefacta.Nobis autem eundum est ad miracula,quæ facta sunt post mortem,quæ sunt & numero multa, & insignia magnitudine.

Cap. 100. | Honorifica sepultura.

Dicatur verò primùm quidem id, quod se paulopòst esse dicturam pollicita est oratio. Romulus quidam,genere Damascenus,illiberalis artis opifex, primas partes tenens in choro Diaconorum, qui erant Gethsemane. Is domo sua perfossa eo tempore,quo obdormijt B.Sabas,& multa surrepta pecunia,sicut ipse narrauit,angebatur,& perplexo erat animo,nesciens quid ageret. Accedit autem ad templum martyris Theodori,vt qui sciret sanctum esse feruentissimum, & qui posset efficere,vt depræhenderentur malefici.Cùm verò in templo perseueraret orare, & iam quintus dies aduenisset,martyr noctù apparens ante eius oculos, Cur, inquit, tam acerbè affligeris & lamentaris? Postquàm autem is dixit,se ipsi suam exposuisse calamitatem,ille benignè pro se respondens: Sed scias,inquit,me hîc non adesse. Iussi enim sumus omnes martyres concurrere,& beati Sabæ animam, quæ modò est exoluta à corpore, ad loca quietis deducere.Sed noli,inquit,flere. Cùm enim, inquit,in hunc locum veneris,inuenies fures & pecuniam. Romulus autem cùm statim secum assumpsisset alios,venit quamprimùm ad locum, & inuenit, sicut vidit, veram esse visionem. Et hoc quidem est huiusmodi,quod testatur Sabæ in Domino multam fuisse fiduciam. Quod autem iam deincèps aggreditur dicere oratio,nihil videbitur minùs,si non etiam magìs,admirabile,& magìs gratum ac iucundum.

Cap. 101. | Vide quid possint Sancti.

Erant quidam fratres,genus ducentes ex campestri regionẽ,sanctum semper colentes,& in eum adhuc superstitem, magnam fidem ostendentes. Hi in agro viuentes,& eum suis colentes manibus, in ipso tempore vindemiarum quodam malo morbo feriuntur,& spem omnem vitæ abijciunt. Atque illi quidem graui morbo iacebant oppressi: fructus autem egebat manu,quæ eum colligeret. Cùm hi ergò bifariàm diuisum haberent animum,& propter metum mortis, & propter fructuum interitum,nec possent inuenire vllam mali solutionem, Sancti vix tandèm recordantur,& eum inuocant,vt malo ferat auxilium. Ille verò eis præter spem citò subuenit,& vtrique eorum apparens separatim, hæc significat,se Deum quidẽ pro

Cap. 102. | S. Sabas & inuocatur, & exaudit.

Eeee eis

eis rogâsse,& oportere eos manè venire in agrum & in vineas. Illi autem cùm surrexissent, vsi sunt statìm pedibus firmis & valentibus,& facilè confecerunt viã, quæ ducebat ad vineam: & erant decætero præclari præcones miraculi: & eo die, quo fuêre curati, festum publicum celebrabant. Illi post hæc adijciatur tertium, quod ipsum quoquè est paris gratiæ & potentiæ.

Cap.103. Mulier quædam Palæstina, nomine Ginarusa, quæ erat pia & amans virtutis, promiserat, se duo templa sancti ornaturam esse duobus velis: speluncæ, inquam,& Castellij. Vbì autem ad illa conficienda fuissent parata omnia, quæ se ea esse texturas cum illa conuenerant, nescio quanam de causa differebant. Cùm animo ergò angeretur, & ægrè ferret Ginarusa, si propter illarum dilationem videretur fidem fallere, & non stare promissis, quæ fecerat sancto, ille ei in somnis placidus appárens, eius sedauit molestiam: & rogauit, nè eam conturbaret mulierum negligentia. Manè enim, inquit, tibi parentes, opus aggredientur. Hæc simul quidem piè mulieri significat: & ijs, quæ se contexturas opus erant pollicitæ, appárens valdè terribilis, efferabatur,& se vltima eis mala allaturum minabatur, si decætero vel tantillùm opus differrent. Manè ergò mulieres sibi inuicèm renunciabant ea, quæ visa fuerant: & statim, quæ se operaturas fuerant pollicitæ, manus operi diligenter admouerunt: & sic pia Ginarusæ promissa finem accepère. Nobis autem deincèps fuerit consequens illud persequi, quod vulgò iactatur de camelo. Frumentum à mari mortuo per camelos mercede portabatur ad Lauram. Camelorum autem dominus erat Saracenus. Postquàm verò cameli fuissent prope Lauram, vna ex ijs, quæ à via declinauerat, (ea est autẽ præceps,& admodùm alta) labitur nescio quomodò,& cum ipso onere defertur in torrentem. Hoc autem vbì vidisset Saracenus, clamauit protinùs: Abba Saba, preces tuæ meæ camelo opem ferant. Nondùm finiêrat sermonem, & visus est, vt ille dicebat, videre quendam canis capillis, camelo insidentem: ipse verò cursu processit per aliam viam,& camelum omninò illęsam suscepit ex præcipitio: gratias autem veluti reddens sancto pro beneficio, quotannis accedit ad capsam,& mercedis, quam suis colligit laboribus, ei cõsecrat tertiam partem numismatis, paruam gratiam egregio proposito. Porrò verò hoc quoquè ex ijs, quæ post mortem ab eo gesta sunt,& iucundissimum simul, & maximè admirabile: quod cùm pro multis veluti quoddam signaculum adiecero orationi, imponam finem narrationibus.

Appáret cuidã fœminæ religiosæ. Itèm alijs.

Saracenus Sanctu inuocat,& is statim adest, opemque fert.

Cap.104. Laura laborabat aquæ penuria, sicut iam antè diximus: & cùm sæpè produceretur defectus pluuiæ, grauiter affligebantur monachi: & eò apertè redigebantur, vt nescirent quid consilij caperent. Cùm itaque aliquandò apud se consideràssent, quemadmodùm aqua eos deficeret, cogitârunt aliquod supra petram construere ædificium, & fodere inferiùs cisternam: vt aquæ quidem pluuiæ congregarentur in ædificium, illinc autem paulatìm confluentes in cisternam, eorum supplerent inopiam. Ad opus quidem certè conducunt quendam Mamantem cum filio, qui erat eiusdem artis: ambos, inquam, ędificandi peritos. Qui postquàm supra petram construxissent ædificium, sub qua iacebat illud beatum corpus Sabæ,& aquam contendebant inducere,& eam excauabant,& faciebant aquæductum, vt per eum ferretur aqua in cisternam,& non per obliquum subiens efflueret. Interìm verò cùm imber vehemens erupisset, rumpitur quidem repentè ædificium, aqua supra modum repletum. Cùm autem vix potuisset Mamas effugerę periculum, filius Auxentius (sic enim vocabatur) præoccupatus à materia & ab impetu aquæ, detractus fuit à præcipitio,& delatus in vestibulum duarum ecclesiarum: vbì etiam diximus beatum iacère corpus patris, non minùs quàm decem vlnas distante altitudine. Deindè cùm cessâsset pluuia, inuentus est puer sub lapidibus illæsus & integer, & nec sæuus ille aquæ impetus, neque lapidum pondus, ei detrimenti aliquid attulerunt.

Insigne sanè miraculum.

Cap.105. Sed diuini quidem Sabæ omnia enumerare, non est tutum, nè ipsi fugientes socordiam, à multis arguamur crimine immoderationis. Conuerti autem oportet ad ea, quæ deincèps sequuntur: & narrandum est bellum, quod deincèps exortum est in Ecclesijs. Postquàm enim fuit Ecclesia recèns liberata ab hæresibus,& respirauit à longis illis tumultibus & perturbationibus,& fuit in ea quies & tranquillitas, malignus in eam rursùs inuidum inijciens oculum, mouet aduersùs eam quosdam Nonni assèclas: Domitianum, inquam,& Theodorum. Qui cùm iam olim sentirent ea, quæ Origenes, vbì etiam assumpserunt auxilium temporis, & eorum alter

quidem

quidem Galatarũ, Theodorus autem Cæsareæ Cappadociæ creati sunt Antistites, magnam suam ostentârunt potestatem. Hinc Nonni quoquè asseclæ per classes in omnem partem proficiscentes, & in omnia Orthodoxorum monasteria & ecclesias securè facientes incursiones, aduersùs ipsam quoquè maximam Sabæ Lauram militant cum securibus & dolabris, & quibusdam alijs instrumentis, aptis ad diruendum & euertendum, vt vel eam funditùs euerterent, vel eam etiam sua peste implerent. Sed magni Sabæ Deus nunc quoquè magnum operatur miraculum, & eos, sicut olìm Aegyptum, densis tegit tenebris & profunda caligine: & cùm esset hora secunda diei, illi cùm perindè àc noctù per totum diem ambulâssent, & nec vbi quidem essent scirent, vt illud Esaiæ in eis impleretur, qui dicit: Contritio & infelicitas in vijs eorum, & viam pacis nesciuerunt. Palpabunt vt cæcus murum, & tanquàm non sint oculi palpabunt. Cùm sic ergò nihil scirent, sed in viam asperam, & accliuem, & omninò minimè tritam incidissent, vix tandèm die sequenti inuenti sunt circa monasterium beati Marciani: & sic cùm lucem adspexissent cõmunem, pudore sunt repleti, & re infecta redièrerunt.

Disce hinc mores & studia hæreticorum, nempe vastare monasteria &c.

Exod. 10.

Esa. 59.

Pudefiunt impij.

Hoc sapientibus & non mente captis hominibus suffecisset, si vel paruã honesti curam gessissent, vt scirent se ea aggredi, quæ non essent Deo grata. Sed nõ illis: verùm eis magìs crescebat vitium, & bellum excitabatur vehementius & tetrius: Dolis enim quibusdam compositis, & sceleratis instructis insidijs, mittunt quendam paulopòst, nomine Theodorum, ad Petrum Episcopum Hierosolymitanũ, & egregio illi viro (hei mihi) persuadent ijs, quæ improbè confinxerũt, vt Petri Alexandrini, & Iohannis, cui erat cognomen Strongylus, id est, rotundus, susciperet communionem. Quod quidem Nonni asseclis maiorem addidit animum, & plus dedit fiduciæ, & suam hæresim non latenter, sed apertè circuncirca obeuntes, tanquàm legem ferẽtes, promulgabant. Quinetiam si aliquem ex orthodoxis monachis depræhendissent in sancta ciuitate, impia manu ferientes, & Sabaitem vocantes, illinc cum turpiter expellebant. Multos quoquè cùm grauissimis tradidissent supplicijs, quoniam non potuerunt latére, apertum eis bellum indicunt. Cùm autem rem sensissent viri, qui circa Iordanem habitabant, Eliæ zelum, vt par erat, spirantes, veniunt ad eis opem ferendam, & communiter cum eis, tanquàm ad aliquod præsidium, confugiunt ad Lauram diuini Sabæ. Postquàm verò hæc renunciata fuerunt Origenistis, in eos maximo impetu irruunt: & cùm portarum confregissent cataractas, Lauram ingressi sunt, & vulnerantur multi ex orthodoxis & ex socijs, Deo hìc quoquè permittente arcanis rationibus, & minimè prohibente, vt fieret manifestior furor hæreticorum, & suis athletis splendidior contexeretur corona.

Cap. 106.

3. Reg. 19.

Furor hæreticorum.

Cùm hæc autem sic processissent, mittitur patrum communi suffragio Gelasius, cuius fidei commissa fuerat Lauræ præfectura, Byzantium, vt significaret Imperatori ea, quæ facta fuerant. Qui cùm interim tantum terræ & maris obijsset, ei tamen excluso omni aditu ad Imperatorem & Patriarcham (omnes enim aditus præoccupauerat vitij colophon, qui Nonni sectatorum erat præcipuus, Theodorus, eis diligentibus impositis custodibus & speculatoribus, nè per aliquem eorum eis inscientibus ingrederetur monachus ex Hierosolymis, & Patriarchæ & Imperatoris aures ad se attraheret) Cùm sic ergò omni aditu exclusus fuisset Gelasius, post tantam viæ longitudinem, quam propter Christum pro fide orthodoxa sustinuit, post tantam afflictionem vacuis manibus reuertitur: & cùm fuisset Amorij, (quæ est ciuitas clara & illustris) propria morte è vita excedit. Cùm hoc autem resciuissent Nonnus, Theodorus & Domitianus, & quicunque erant eiusdem vitij æmulatores, Georgiũ, qui ipse quoquè sectam sequebatur Origenis, eius loco præfectum & ducem constituunt, & in diuinissimi Sabæ throno improbè (ô iustitia & Dei tolerantia) collocant. Rei absurditate meus intumescit animus, iraque disrumpor & suffocor. Hinc enim miserabiliter accidit, vt patres, qui erant in Laura, alius aliò dispergerentur, non secùs atquè agni quidam lupo aduentante.

Cap. 107.

Obseruæ artes hæreticorum.

Etiam S. Sabæ Lauram occupant hæretici.

Sed non diù admodùm permisit Deus hanc superare tempestatem, neque diuini Sabæ preces passæ sunt eum ampliùs tacere, & vti lenitate: sed mox diuinam iustitiam excitant ad vindictam. Et ideò Nonnus quidem, malorum illorum studiorum opifex, vitam euertit miserrimè. Euestigiò Georgius quoquè accusatus cuiusdam libidinis, cuius vel meminisse solùm, linguam polluit, ab illa Laura turpiter expellitur, cùm septem solùm menses ei præfuisset. Deincèps autem rectionem suscipit

Cap. 108.

Diuina vltio in sceleratos hæreticos.

Caſſianus, vir qui ab infantia fuerat educatus apud diuinum Sabam,& in pulchra illius diſciplina pulcherrimè inſtitutus,& factus ſacerdos maximę Lauræ. Qui cùm decimum menſem implêſſet in adminiſtratione,& deindè ex hac vita exceſſiſſet, Cononi poſt ipſum mandant monachi Præfecturam. Mandant verò Deo, vt arbitror, monachorum animos ad hoc mouente. Fuit enim vir ille ſummè reſplēdens, & rectis dogmatibus,& omni virtute & rectefactis. Qui etiam in præfectura vſus eſt magna cura & diligentia. Nam & eos, qui illinc receſſerant eiecti ab Origeniſtis, patres rursùs collegit,& Lauram, quæ à frequentibus illis tumultibus & bellis hæreticorum iam inclinata fuerat in genua, mox erexit,& veluti renouauit.

Cap.109. V.Synodus œcumenica. Poſt hæc cùm ſancta & œcumenica quinta ſynodus congregata fuiſſet Byzantij, Theodorus Mopſueſtiæ, & Origenes,& vnà cum his impia de præexiſtentia & reſtitutione dogmata, generali fuerunt ſubiecta anathemati:& ſic hęreticis deincèps omni ablata libertate loquendi, diuini Sabæ Lauræ,& vniuerſa ferè cum eis Palæſtina, viceſimotertio anno poſt illius mortem, à grauibus hæreſibus,& temporis acerbitate & iniquitate reſpirârunt,& quietam deincèps & tranquillam vitam egérunt, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cum quo patri ſimul cum ſancto ſpiritu ſit gloria & potentia, nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum, Amen.

MARTYRIVM GLORIOSI MARTYRIS DALMATII EPISCOPI, PER HIERONYMVM VIDAM CREmonenſem, *Albæ Epiſcopum, Heroico carmine conſcriptum. Habetur in operibus eius.*

5.Decēbris.



NEC te nos tacitum, indictúmve relinquere fas eſt,
Nec ſinere ire tuos ſine carmine Dalmati honores,
Quos tibi ritè die memores redeunte nouamus.
Huc ades, ô quondàm clarum iubar, addite cælo
Poſt tantas vitæ ærumnas, poſt mille labores,
Et quos inſigni es perpeſſus morte dolores
Pro Chriſti decore,& veræ pietatis amore.
Huc ades,& feſtas quas læti ereximus aras
Inter & Eridani ripas,& fluminis Ollij,
Dexter adi, populíque tua prece vota ſecunda,
Seu Rhodani te gens halantibus inuocat aris
Accola, quam quondàm in tenebris,& nocte iacentem
Erexti, verumque dediſti cernere lumen,
Omnem luce noua, radijsque recentibus oram
Perfundens, dictisque hominum fera pectora luſtrans,
Seu Ligurum extremis tenet inclyta finibus Alba.
Quandoquidem haud procùl indè ferunt te lucis iniſſe
Limina,& in Tanari ripa vagiſſe ſonantis.
Mox charam implêſti meritis ingentibus vrbem
Celſa docens rectas ad ſidera tollere menteis:
Nec potiùs te Ticini liquidiſſimus amnis
Detineat, ſedésve iuuet cognominis vrbis,
Quam pater imperijs ſacris placidiſſimus olìm
Rexiſti gentis cuſtos, templique ſacerdos.
Illic, credo equidem, fumant maioribus aris
Templa tibi, quæ quondàm ataui eduxêre ſub aſtra
Indigenæ tua mirati immortalia facta.
Illi iure quidem hæc memores, viſuque coacti:
Nos verò, quos longè alia regione remotos
Vix tantorum operum tenuis famæ attigit aura,
Ad nomen tibi præcipuos largimur honores.
Spontè autem: non diues opum, non æris abundans
Stat pagus, ſed enim pietate in teque, fideque
Nulla faſellifero certauerit ora Paderno.
Nulla tuas tendat meliùs gens dicere laudes.

S.Dalmatius permultos in Italię, Germaniæ,& Galliæ finibus conuertit.

S.Dalmatius eccleſiæ Papienſis olìm Antiſtes.

Nam

Nam ſimul àc lætum in cœtum conuenimus omnes,
Fœmina, virque choros agimus, tuaque inclyta facta
Aequamus cælo. Reſponſant denſa ſalicta
Vndiquè, & aërea recinit de turre Cremona

Turris ciuitatis Cremonæ totius Italiæ altiſsima.

Armipotens, gaudetque procùl pietate ſuorum.
Primus ego ante aras vates, viciique ſacerdos
Carmina mille cano, totidem plebs conſona reddit.
Primò ipſam vt meritis præſens deuinxeris Albam,
Expulerisque adytis mentitos numina diuos

Prædicat Albenſibus S. Dalmatius fidem Chriſtianā.

Indigetes, verumque Deum detexeris vrbi
Implentem maria, ac terras, cęlumque profundum
Concinimus. tum vt tota tuis vltroque citroque
Gallia præbuerit faciles hortatibus aures
Admirata hominem ſupra te plurima vbiquè
Poſſe Deo plenum, vanasque reliquerit aras,
Et ſimulacra, Deûm falſos reddentia vultus,
Sparſeris vt veri diuinos numinis hauſtus
Per populos in corda, animosque in nube iacentis
Obſcura illuſtrans monitis erexeris aureis
Ad ſanctum iubar, immenſique ad luminis ignes,
Omnia per terras quæ latè fama canebat.
Hoc te Ticini gens accola nomine tanto
Præfecit diuumque adytis, morumque magiſtrum
Haud vrbi indecorem ſummo inſigniuit honore,
Multa vbì mira olìm ſuperûm regnator ab alto

Multis claret miraculis.

Te poſcente hominum ſolitas ſuperantia vires
Edidit. obſtupuit regio ad miracula rerum.
Tu varijs ope diuina de caſibus ægros
Mortales nulla eripuiſti præditus arte.
Tu vocem ſurdis, tu lucem lumine caſſis
Reddis, & in media poſitos iam morte, relictosque
Erigis. elatos tu priſcæ ad munera vitæ
Reſtituis, animasque in frigida membra reponis,
Tu ductori Italo, cùm te miſer implorat um

Rauennatis cuiuſdam filium priſtinę ſanitati reſtituit.

Finibus æquoreæ veniſſet ab vſque Rauennæ,
Incolumem ac validum prædixti viuere natum,
Quem modò diſcedens ægrum, mortique propinquæ
Luctantem, & ſuperis propè functum liquerat auris.
Addimus innumeros, quos nocte dieque labores

Multa pro Chriſto patitur aduerſa.

Pro ſuperûm decore, & vera pietate tuliſti:
Quot caſus, quot per mortes, per quanta pericla
Iueris, aut diros quotiès euaſeris enſes.
Ipſe aderat pater omnipotens, teque ocyùs vſque
Ceu fuluarum auium ſubuectum inſignibus alis
Omnibus eripiens ſeruabat caſibus vltrò.
Huius ope inſtantem fugeres cùm protinùs hoſtem,

Tranſit flumen per aërem Dei auxilio, ſiccis pedibus.

Ticinum, pleno tibi qui ſe obiecerat alueo,
Tranâſti ſuſpenſus, iterque impunè tuliſti
Aëra per, fluctusque ſupra ſine ponte, ſine vllis
Nauigijs rapidę correptus turbine nubis
Ocyor aut Euri pennis, aut fulminis igni,
Nec te oculis potuêre ſequi trans flumina, donèc
Conſpexêre amnis ripa vlteriore canentem
Cœlicolûm tanto grates pro munere Regi.
Talia fruſtrati viderunt multa, nec vnquàm
Gens infeſta tuum potuit contingere corpus,
Donèc purpurea emeritum inſignire corona
Omnipotens ſtatuit pater, è tenebrisque vocare

Iucundam ad lucem semper florentis Olympi.
Tum demùm ipsius Ticini in littore captum
Spontè ferunt gladio colla obiecisse secanda,
Et nil mutato lætum isse ad funera vultu.
Nec commune tamen fuit, aut sine numine lethum.
Nam caput exectum penitùs ceruice cadendo
Blandum nomen adhuc seruantis cuncta sonabat,
Et longo erectus tenuit se tempore truncus,
Viuus adhuc veluti vigor & vis pristina adesset:
Quo monstro attoniti crudeli cæde madentes
Agnouêre Deum, veniamque immanibus ausis
Orantes verum tenebris hausêre fugatis,
Omnia quæ in numerum memores altaria circum
Dicimus. hic nullus, qui non mihi succinat, ordo est,
Nulla tuis quæ non titulis indulgeat ætas.
Nempe tibi primos pueri, mixtæque puellæ
Semper vere legunt flores, & cerea cantu
Dona ferunt, varijsque onerant altaria frugum
Primitijs de more, viri, matresque, suorum
Ipsę etiam tibi dant operum testantia fructum
Munera, bombycum folles, liniq́ue maniplos
Enodis, albumque oculo nigrante fasellum.
Tu populi præsens vota audis ritè vocatus,
Auertisque tuis precibus mala plurima genti,
Concilians nobis auersum crimine nostro
Cælestûm Regem, & quodcunque piacula pubis
Infecêre, tuo tu diluis ipse fauore,
Et tua, qua multùm polles, nos gratia seruat.
Nunc verò si nostræ vnquàm fuit vlla salutis
Cura tibi, aut nostri si te mouêre labores,
Nunc, ô nunc pater, auxilio, nunc munere nobis,
Est opùs alme tuo, tantis occurre periclis,
Quæ nostris, nisì pulsa vetes, ceruicibus instant.
Inter se Reges aduersi bella lacessunt:
Militis ipsi inopes nos semper prętereuntis
Præda sumus: nostros manus est externa labores.
Adspice nos, & tanta tuis dispendia pelle.
Vitam inopem nostro liceat tolerare labore,
Solarique famem, paruasque educere natos.
Si quid prætereà in nostris fraudísve, dolíve est,
Corrige tu, & meliorem animum prece suffice genti.
Nos furto nihil inter nos carpamus auari
Diues quisque suo: pateant noctesque, diesque
Prædia nostra: domus nullo custode relictæ
Nullos nocturno metuant neque tempore fures.
Ipsi iam culmis sint tuti arentibus agri,
Prataque, siluæque, & pictis vineta racemis.
Surripiant nec iusta auidi plus parte coloni.
Assuescantque satìs dominorum inhibere iuuencos,
Spontè sua pactos nec agro subducere sulcos.

Ab infidelibus Papiæ capitur & detruncatur.

Post cędem lógo tépore mãsit viuus truncus corporis ei⁹ quo signo multi conuertebãtur


Mos Italicus, in exornandis altaribus, & Sanctorũ imaginibus.

Inuocat Sanctum author, pro sua & patrię salute.

De hoc martyre plura habentur, vel certè eadem, infrà in Vita SS. Valentini, Concordij & sociorum, quære 16. Decembris.

VITA

VITA S. NICOLAI MYRENSIS EPISCOPI, E GRAECIS IDONEIS AVTHORIBVS, PRAESERTIM *Simeone Metaphraste, collecta & conscripta per Leonardum Iustinianum Patricium Venetum, fratrem S. Laurentij Iustiniani Venetorũ Patriarchæ. Habetur in 1. Tomo Aloysij Lipomani cũ Authoris Præfatione, quam breuitatis studio omisimus.*



PATARAM rerum scriptores tradunt, vrbem fuisse in terra Lycia nobilem inter primas: Eique si cætera defuissent ornaměta, quibus tamen plurimis affluebat, poterat sanè vel hoc vno nobilitari præcipuè, quòd magnũ Nicolaum Myrarum Episcopum tulit, virum profectò, quem in Republica Christiana nemo propè sanctorum omnium in omni virtutum laude facilè anteiret. Nam Pataræ natum illum constat, & claro quidem genere. Mater eius fœmina fuit sanctissima, atque grauis: Patri verò non tam vitæ splendor, quàm integritas: non tam populi, quàm Dei cultus: non tam diuitiæ, quàm eleemosyna, fuerunt in precio. Mundi itaque relictis illecebris, nullum erat illis, nisi bonarum actionum studium, atq; voluptas. Hi tanquàm lignum plantatum secus decursus aquarum, in tempore suo speciosissimum edidêre fructum, infantem videlicet hunc, cuiùs cælestis indoles futuræ virtutis præsagium præ se ferret. Illum autem primum mater pariter atque postremũ tulit. Infœcunda posthàc cum charissimo coniuge perseuerans, siue desperante natura per illos posse huic similem alterum in lucem producere, siue vt puer hic multifariàm Baptistæ similis, in hoc quoquè cum illo quodammodò conueniret. Ille enim infœcũdæ matris dissoluit vterum, atque sterilitatem: Iste fœcundæ matris vterum obstruxit. Sic itaq; parentum diligentia omnis, studia & voluptates, in hunc vnum diuinè ornandum instituendumq; sunt collectę, vt quẽ carnaliter genuerant, spiritualiter educandũ, & omnibus sanctissimarum institutionum ornamentis exultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent.

Decẽbris 6. Cap. 1. Patria S. Nicolai. Parẽtes eius quales fuerunt. Psal. 1. Luc. 1.

Infantem autem hunc quis dubitet, in ipso statìm natiuitatis exordio, diuino fuisse numine afflatum, sanctificatumque, quî non priùs viuere, quàm Deum venerari: nõ priùs comedere, quàm ieiunare cœpit? Compertum enim habemus, illum, cùm reliquos dies, noctesque omnes, nutricis vbera sugeret crebrò, quarta tamen, sextaque feria nisi semèl duntaxàt, & id vesperì quidem, lac voluisse gustare. Atq; hoc semper certo, immotoque seruauit ordine, vt nullis posset blanditijs, nullo nutricis lenocinio, nulla naturæ necessitate à ieiunio cœpto deflecti. Quãobrèm vel improbum quenq; bonarũ rerum interpretem planè fateri oporteat, non fortuitò illud, aut intemperie stomachi factum esse, sed quasì consultò, & Dei afflante spiritu. O miraculum singulare, & inter rara omnium seculorum spectacula per Ecclesias meritò decantatum, & dignum viuendi principium, cui tam excellens vita succederet: quandoquidem crescentibus annis, debebat eius quoquè virtutibus, tum natura, tum studio & gratia patris, fieri accessio admiranda.

Cap. 2. Nota rem mirã in infantulo Nicolao.

Posteà enim, quàm è pueritia excessisset, castissimos mores, & disciplinam ab optimis acceptam parentibus, in melius redigens, ipse quoquè suapte natura & ingenio non desinebat, velut generosa quædam & fertilis gleba, nouos quotidiè honestatis & pietatis fructus edere. Indè ætate poscẽte, ad capiendum animi cultum, traditur studio literarum. Vbi tum ingenij magnitudine, tum velocitate discendi, breui admodùm æuo multa ingenuarum disciplinarum scientia imbutus, ab omni humanæ laudis cura abhorrebat. Aequalium verò sodalitates, cõuiuia, consuetudines vitabat omninò, quia in illis cerneret sicut festiuitatis multum, ità plurimum esse intemperantiæ atque periculi. Mulierum nõ modò colloquia, verumetiam conspectum, tanquàm iuuenilis animi pestilentissimam labem fugiens, totum se honestati pudicitiæque addixit. Libidinum verò & carnis incendia, quibus æstuare plerunquè omnes adolescentes solent, quotidiani labores, ieiunia, vigiliæ extinguebant. Talibus instructum artibus, totum sese accepimus ad Christi serui-

Cap. 3. Proficit in pietate. Adhibetur puer discẽdis literis. Mulieres fugit. Domat libidinem.

tium contulisse. Schola illi erat ac diuersorium, Dei templum, vt se dignum pararet templum, in quo Deus ipse pernox & perdius habitaret. Neque bonarum disciplinarum studia aut legendo, aut audiendo, aut meditando intermittebat. In quibus tantùm excelluit, quantùm magno futuro Antistiti opùs erat. Sed quo vita recta doctrinis omnibus longè maximè præstabilior est, eo plus in componẽdis formandisque moribus nauabat operæ ac laboris, quo iuuenilis, fluctuantisque ætatis inconstãtiam senili quadam firmaret grauitate. Quem enim ad modum non illud senium laudamus, in quo non emineat par senio & annis modestia: sic etiam solemus iucundè admirari, multaque laude dignam existimare adolescẽtiam, quæ planè didicerit eiusce ætatis compescere motus, & senectutis grauitatẽ ac modestiam retinere. Est enim sicut iuuentus in sene turpis, ità pulcherrima quidem in adolescente senectus.

Senilis modestia in puero Nicolaum.

Cap. 4. S. Nicolai auunculus Nicolaus.

Habuit autem Nicolaus auunculum, nomine Nicolaum, à quo hunc nostrum arbitror id nominis vsurpâsse. Is cùm nepotem animaduerteret religioni & sanctimoniæ deditum, mundo se penitùs abdicâsse, parentes hortatur, vt adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittant. Illi in sentẽtiam venêre faciles. Cur enim gratos homines pigeat reddidisse, quod gratìs acceperint, & fidelium more debitorum, æs alienum cum ipsa etiam vsura persoluere? Nam in veteribus memorijs scriptum inuenimus, Nicolai nostri parentes aliquandiù steriles, & propemodùm de sobole desperantes, multa prece & lachrymis à Deo hunc filium impetrâsse, atque illum propterea Deo, qui dederat, reddidisse libentiùs. Perhibent autẽ auunculum, sancto afflatum spiritu, de nepote vaticinantem, præcinisse in illo cælestium donorum redundantiam. Cùm enim initiaretur, ad adstantes conuersus: Nouum, inquit, fratres, terris Solem oriri video, & humano generi grande solatium comparari: O gregem felicem, qui hũc sibi pastorem sit habiturus. Hunc enim videbitis errantes oues ad pietatis pascua reuocantẽ: hunc periclitantibus salutem, calamitosis opem, laborantibus præbere quietem. Neque secùs, atquè iste prędixit, omnia euenisse insequens sermo docebit. Nulli autem mortalium admirabile videri debet, vel nepotis præclara facinora vsqueadeò mundũ illustratura, sui splendoris vatem aliquem habuisse, vel auunculum prophetãdi spiritũ meruisse, quem admirandæ vitæ integritas, Ecclesiæ iudicio, inter cæli sidera collocauit. Nam duos fuisse Nicolaos constat, auunculum illum, hunc nepotem: sanctos ambos, Episcopos ambos, illustres ambos: quanquàm longè illustrior quidem nepos est habitus, is, cuius nunc vitam & facta conscribimus, cuique propterea Magno cognomen fuit. Igitur factus sacerdos, morum & vitæ seueritatem pariter cum dignitate augendam putauit, naturæ sapientiam imitatus, quæ arbores ipsas, quo se celsiùs in cælum tollunt, eo altiùs demissis in terrã radicibus, firmiores reddit. Sacerdotij aũt quis dubitet solidissimas esse radices, integritatem vitæ, misericordiam, pietatem, continentiam, sobrietatem, reliquasq; virtutes id genus, quibus potissimùm propiùs ad Deum acceditur? Itaq; corpori suo bellum indicit, non quod illud necaret, aut contereret, sed quod domitum & omni petulantia exutum, redigeret in seruitutem. Igitur somno, & quotidiano cibo, quantùm ratio permittebat, detrahit, ieiunijs, nocturnisq; vigilijs solito plùs indulgens, vino parcissimo vtebatur, sæpiùs aqua sola contentus: Veste si non sordida, vt hypocrita & vanus ostentator, nullo tamen conspicua luxu deincèps est vsus. Crebrior illi fuit ad delubra aditus. Nulla penitùs, nisi sacrarum literarum, lectio. In vultu & gestu modestia maior. Sermo rarior, & grauis quidem, & qui nihil haberet inanitatis & fuci: vt his præditus ornamentis, videretur in corpore mortali immortalium vitam degere.

Propheteia eius de S. Nicolao.

Solidissimæ sacerdotij radices.

Nicolai abstinentia, ieiunia & vigiliæ.

Vestiũ eius modestia & humilitas.

Cap. 5. Præficitur monasterio, ab auũculo constructo.

Per id aũt temporis Nicolaus auunculus templũ nobile, sub sacræ Sion nomine struit, eique pari dignitate monasteriũ addit. Cui cùm de pręficiendo gubernatore pro rei amplitudine cogitaret, visum est, id negocij nepotis curę sapiẽtiæq; cõmittere, tum vt admirabiles eius virtutes vsu & exercitatione vegetiores redderet, tum quia nemo erat in prõptu, qui rem illã aut sapientiùs, aut sanctiùs, aut diligentiùs gubernaret. Nepotẽ itaq; præfecit, eiq; plurimos præstantes adiungit monachos, vt velut in re militari, & Imperatorẽ exercitus, & exercitũ Imperator pari virtutum cultu & volũtate haberet. Hoc itaq; munus ità Nicolaus administrauit, vt dignitatem monasterij gubernatoris prẽstãtia facilè superaret. In eoq; perstitit, quoàd ipse visendorum sacrorũ locorum gratia in Palęstinam est profectus. Quod iter paulo-

pòst

post plusculis attingemus. Sed me iam video de narrationis semita declinâsse. Prius enim, quàm de monasterio dicerem, erat de parētum interitu, & hæreditatis distributione dicendum. Quem locum nunc paucis absoluamus. Parentes eius in illius pestilentiæ vastitate, quæ Lyciam ea tempestate depopulata est, intra triduum morientes, hæredem illum testamento instituunt. Quorum mortem omni officio ac pietate ità est prosecutus, vt nihil omitteret, quod ab amantissimo filio parentibus optimis præstari par sit. Hæreditatem igitur adiens, & non tam possessorem se, quàm hæreditatis dispensatorem relictum intelligens, cœpit, non quomodò patrimonium augeret, (id quod plerique omnes mortales factitant) cogitare, sed quo pacto patrimonium seminando, vberiorem sibi frugem in cælo colligeret. Quid enim aliud agat vir constans & sapiens, qui ab ineunte ætate funditùs ex animo terrenas eiecerat cupiditates, nisi vt duriore iam ætate contemnat, quod teneris annis animo magno & excelso contempserit, nè vitæ præclara exordia à succedentis ætatis actionibus dissentirent? Itaque non ad congregandas diuitias, sed ad congestas dispertiēdas, animum appulit, vt nil aliud patula manus, quàm egenum & pauperem cogitaret. Cæterùm quemadmodùm tellus ipsa omnium longè liberalissima, herbis, frugibus, arboribúsve sic alimenta atque vitæ præsidia porrigit, vt nemo quidē omninò id sentiat: ità noster hic egenorum alumnus, clàm quidem, & nullo sciēte mortalium, misericordiam suam incredibili studio in pauperes exercebat. Cuius reliquas eleemosynas intelligemus faciliùs, si hoc vnum è pluribus celebre illius factum subijciemus.

Parētes eius peste obiēt.

Liberalis est in pauperes, sed clàm.

Cap. 6.

Fuit Pataræ vir genere nobili, qui (vt fert humanæ felicitatis fragilitas) ab honoribus in contemptum, à diuitijs in egestatem deciderat. Ei erant tres filiæ, corporis formæque venustate, & morum elegātia longè præstantes, virgines omnes, & quarum ætas (si patris calamitas non obsistat) nuptias flagitaret. Has inops pater, omni rerum egestate calcatus, non modò viro tradere, sed ne alere quidem quoquo pacto poterat: neque spes vlla miserum hominem solabatur, qua quotidiè crescentis inopiæ vim perferret. Heu rem dictu fœdam, heu quò mortalium mentes insuperabilis vis egestatis impellit? Tetrum, atrox, immane facinus patrem (paternæ pietatis memorem'ne, an immemorem potiùs dixerim?) exagitat filiarum decus, ac pudicitiam deserentem, vt natis esurientibus nō deesset. Cœpit enim de illarum virginitate alienę prostituenda libidini cogitare, vt turpissimo & flagitioso quęstu vitam pereuntis familiæ tueretur. Iam vesana fames reluctantem patris animum ægrè perfregerat. Iam crudele, & humanis indignum luminibus, spectaculum parabatur. Quid enim tam validum est, tamq; munitum, quod necessitas nō prosternat? Sed affuit de cælo miserator Dominus, qui escam daret timentibus se: qui patris in filias inuitam crudelitatem non pateretur: qui virginum castissimas lachrymas miseratus, à tam fœtido flagitio liberaret. Sed quo pacto id facies, dulcissime Deus, vniuersæ misericordiæ pater & fons, aut quo ministro auxilium tuum oppressæ familiæ porriges? Angelū profectò tute tibi Nicolaum delegisti, quo nemo mortalium esset, qui tua iussa meliori aut studio, aut cōsilio, aut pietate perficeret. Tua igitur miseratione factū est, vt crudele cōsilium famulus tuus, nescio quo, nisi te volēte, sentiret: cuius animus tum rei atrocitate, tum insita pietate commotus, in auxilium periclitantium totus accingitur. Stimulabant misericordem animum esurientis familiæ lachrymæ. Stimulabat castarū puellarū prostituenda virginitas. Stimulabat amātis patris misericordia, qui in pudicitiam inuitus agebat, nè in ventrem crudeliter agere videretur. Sed seruus tuus, qua ratione Deus impleat præcepta, non videt. Cùm enim iubeas misericordes nos esse, vetas tamen sinistram scire, quid faciat dextera nostra. Ardet animus misericordiæ faciendæ studio, sed humanum sui beneficij testimoniū refugit: quippè qui tibi soli, benefactorum gratissime retributor, placere conetur. Tantùm enim vir Dei ab omni humanæ laudis desiderio abhorrebat, vt quantùm cæteri sua maleficia, tantùm ipse *iste beneficia sua celare studeret. His agitatus stimulis impiger animus, credo, te, Domine, inspirante, intempestæ noctis silentio è strato prosiliens, auri haud mediocre pondus sacculo bellè insutum sumit, domo egreditur clanculùm, miserandę familiæ domū tacitus adit, circunspectat sagaciter omnia: animaduertit tādèm, luna ipsa adiuuāte, fenestram apertā paululùm: Ea cubili inseruiebat, in quo infelix pater membra quieti tradiderat. Tunc Nicolaus pulcherrimam sibi à Deo oblatam occasionē ratus, auro per

Nobilis quidā pressus inopia, vult prostituere filias.

Psal. 110.

Luc. 6.

Matth. 6.

Mirè odit suū ostentationem & laudes humanas S. Nicolaus.

Leuat inopiam nobilis viri.

ro per fenestram immisso, domum se statim proripit. Manè pater, auri comperto miraculo, stupens, cùm tanti muneris datorem suspicari non posset, dæmonũ eam esse, aut callidi cuiuspiam hominis fallaciam putat, adulterinoque credit se lusum auro. Indè cùm aurum digitis contrectaret, iamque rei cognosceret veritatem, incredibili lætitia gestiens, lachrymas vbertim effundit. Miratur rem, animo versat omnia. Et cùm humanum benefactorem coniectare non posset, in Deum hoc muneris transferens: Quid faciam nũc miser, inquit, nè tanti beneficij ingratus arguar? Certum est, peccatum meum diluëre, & impio me ac nefario scelere expiate. Filiam, in cuius pudicitiam crudelissimè sęuiebã, à fœdo periculo * emam. Aurum virginem redimat, quæ meo scelere auri gratia perdenda erat. Hæc itaque secum reputans, primam ex tribus filiam honesto marito locat. Nicolaus nõ minùs dato, quàm ille accepto munere gaudẽs, vbi virginem videt à periculo liberatam: Liberabo, inquit, & reliquas. aurique tantundem noctù, vt anteà, per patentem fenestram immittit. Diluculò pater cùm secundum aurum inuenisset, vix suî compos, humì supplex sese prosternit. Tum ora pectusque largis irrigans fletibus: Deus, inquit, misericors, esurientium liberalis alumne, fac (quæso) Domine, vt sciam, quo ministro tu flagitiorum meorum periculum sustulisti, vt te, Domine, in illo laudem, te in illo magnificem, te in illo contempler, Domine, qui me iampridèm sanguine tuo redemisti, & nunc auro pereuntem familiam redimis. Ostende mihi dispensatorem hunc tuum, & Angelum profectò in terris, cuius ope eccè secũdam quoquè filiam, diabolo crudeliter maritandam, sancto cõnubio honestabo. Hæc cùm dixisset, nõ priùs destitit, quàm alterum quoquè generum sibi asciuit, nec minore certè gaudio duplicis coniugij celebrati, quàm spe tertij quoquè propedièm celebrandi. Iam enim tantum sibi de Dei misericordia pollicetur, vt sese putaret tertiæ quoquè filiæ dotem tenere manibus. Ità ab inferno ereptus homo, noctes diesque perpetuos ereptoris sui desiderio æstuabat. Statuitq; noctes insomnes per excubias ducere, quoàd, quisnam esset hic, exploratum haberet. Nec minùs admirabilis noster, tertiam quoquè filiam nuptijs tradi cupiebat. Profunda itaq; nocte veniens tacito (vt assolet) pede, per eandem fenestram tertiam introiecit dotem. Ac peruigil pater decidentis auri strepitu monitus, quanta potest pedum velocitate prosiliens, Nicolaum tandèm fugientem assequitur, compræhendit, tenet, atque illius pedibus aduolutus, redemptorem suum, adiutorem, saluatorem pereũtium animarum flens gaudensq; compellat. Nisì enim miserationes tuas, inquit, misericors excitâsset Dominus, dudùm iam periërat infelix cum tribus infelicioribus natis pater: sed clementissimus Dominus per te saluauit nos, & à crudeli peccati casu liberauit Dominus, suscitans inopem è terra, & de stercore erigens pauperem. Talia lachrymantem, beatosq; osculãtem pedes, Nicolaus ægrè compescuit: qui cùm beneficium suum quanta potuit humilitate attenuâsset, multis tandèm adiurationibus, vt rem nulli mortalium patefaceret, frustrà precatus est. Vna igitur hæc ex innumeris propè misericordis hominis huius eleemosynis. Quòd si reliquas quoquè recensere pergemus, quotiès indigentibus opem tulit, quotiès pauit esuriẽtes, quotiès alieno grauatos ære leuauit, immensi propemodùm laboris id fuerit.

for.* eruam

Fornicationis crimen S. Nicolaus sua eleemosyna impedit.

Psal. 112.

Multa S. Nicolai in egenos benignitas.

Cap. 7.

Posteà verò quàm perfecta iam & absoluta viri virtus illum maiore Dei familiaritate dignum effecit, cepit eum solitudinis cupiditas ingens: in eoque desiderio diutiùs immoratus, statuit tandèm ab omni hominum cœtu secedentem, in abditam aliquam eremum sese recondere, vt remotior mundo, Deo fieret propior. Eremus enim quietis atque tranquillitatis animi optima parens & nutrix: comes verò atque tranquillitas cogitationum, diuinæq; cõtemplationis fructifera radix, certaq; pronuba cum Deo coniugij spiritualis. Itaq; cùm veteri visendæ Palæstinæ desiderio teneretur, vbì Saluator noster ante Crucẽ inter mortales versatus est, nauim in Aegyptũ redituram conscendit, vt indè ad loca sancta profectus, solitudini se deindè dicaret. Sed Palæstina & eremo intermissis, nauigationi ipsi paululùm indulgeamus. Igitur è portu tranquillo cælo soluentes, rectà in Aegyptũ enauigant. Cùm autẽ docti nautæ nihil aduersi suspicarẽtur, quos tamen diuturnus vsus futurarum tempestatum pręscios solet facere, Nicolaus illis horrendas ventorum, turbinumq; procellas imminere prænũciat. Etenim videre se, ait, humani generis hostem iratum, nauim stricto gladio ingressum, atq; rudentes, omniaq; simul máli & claui retinacula concidere cupientẽ, molientemq; nauim, quasi rapidis vorticibus circum-

Eremi encomium.

Nicolaus peregrinationem ad sancta loca suscipit.

circumactam, in profundum cum viris ipsis demergere. Vix ea fatus erat, cùm derepentè, quasi signo dato, vehemens atraque vis tempestatum exoritur, vndiquè horrendo fragore erumpunt turbines, mare vertitur funditùs, tolluntur fluctus in cælum, trepidi nautæ subito metu perterriti, ad genua se Nicolai prosternunt: orant, miserè periclitantibus opem ferat, Dei auxiliũ pro se imploret, quibus nulla reliqua sit spes salutis. Tunc vir Dei confidere illos iubet, ac breuì hoc periculo liberatum iri, modò iactent spem suam in Domino, qui saluos facit sperantes in se. Psal. 16. Pòst cùm paululùm oràsset, (mirabile dictu) sedantur fluctus, turbines in leuem auram dissoluuntur, lux atram caliginem dissipat, & iam vndiquè læta tranquillaque pereuntibus dies redit. Precibus suis sedat tempestatem. Tum nautæ à lachrymis in gaudiũ versi, ex animo gratias cùm Deo, tum admirabili famulo eius habere fatentur, duplici viri admiratione commoti, quòd & futurum prædixisset periculum, & præsens tam facilè sustulisset. Auxit autem illorum admirationem insequẽtis quoquè rei miraculũ. Conscenderat nauta supremum antennæ cornu, vt solutos carbasi funiculos religaret. Isdum incautior descẽdere pergit, & manus illum falleret, magno lapsu super nauis tabulata corruit, contusum corpus iacet exanime, & sine dubio è vita migràrat. Tum Nicolaus misericordia vehementer motus, defixis in cælum luminibus, orauit intentiùs. Indè rediens, vt primùm cœpit illum lachrymans contractare, mortuus quasì è leuissimo somno excitatus resurgit, & corpore vt priùs integro, ad obeunda munera nauis redit. Excitat mortuum. Post hæc vir Dei pandere illos vela iubet. Illi toto sinu flantem à tergo Corum accipiunt, nec priùs illos felix deseruit aura, quàm Alexandriam adducti sunt. Ibì nautæ peruulgatis, quæ viderãt, miraculis, ciuitatem incredibili huius viri visendi studio excitant. Hic, bone Deus, multa per seruũ tuum mirabilia Aegyptijs ostendisti. Et erat operæprecium, magnalia illa tua, Domine virtutum, singula recensere, nisì hoc esset negocij nimìs longi. Multa Alexandriæ facit miracula. Magnus etenim factus ægrotantium hominum ad eum concursus, magnus calamitosorum opem petentium, magnus ab immundis spiritibus vexatorum, magnus mœrentium, & infestis fortunæ casibus laborantium. Sed quis, donorum largitor Deus, quis, inquam, æger non sanus abscessit? Quis mœrens non lætus? Quis arreptitius non mundatus? Sed quid hæc ad te, Domine, qui fecisti cælum & terram in intellectu? Non tuam igitur, incompræhensibilis Deus, omnipotentiam admirantur, sed ministrum hunc tuum, quem suæ virtutis merito, viuentem mortuumque per omnia secula nouis quotidiè signis clarescere voluisti. Hũc iurè miramur, hũc vniuersus orbis immortali gloria dignum laudat & extollit. Tua tamen hæc laus est, Domine, quia sine te laus ista non esset. Sed iam reliquum itineris absoluamus.

Cap. 8. Ex Aegypto itaque soluens, & in Palstinam, vt constituerat, veniens, ascendit in Golgotha, vbi pro salute generis humani Christi patibulum fuit. Venit in terram sanctam. Indè cùm ad diuinæ Crucis lignum venerandum incederet, & nox illum intercepisset, ferunt templi fores tunc clausas venienti vltrò cum fractis vectibus patuisse. Nec mirum id quidem, quippè cui cæli ipsius patebant portæ. Non enim caruit cumulata mercede ista profectio: vberiorem enim spiritûs sancti gratiam, maioraque deinceps omnium virtutum atque signorum dona perpetuò eum habuisse accepimus. Nota fructum peregrinationis ad terram sanctam. In Palæstina igitur, quantùm par fuit, moratus, in solitudinẽ sese colligere parat. Cæterùm Dominns, qui ciuitatem supra montem positam abscondi vetat, & ardẽtem lucernam poni sub modio, illi per visum semèl atque iterùm imperat, vt ad oues, quas reliquerat in Sion, confestìm redeat. Matth. 5. Quod vbì diuinum id esse mandatũ manifestè deprehendit, seipsum abnegans, colla impiger diuino iugo submittit. Nauẽ Alexandrinam cõduxit precio, cum qua è Palæstina in Lyciam remearet. Ast cum improbi nautæ dolo fallere aggressi, suæ propè dederũt pœnas improbitatis. Nam sumpta mercede, cùm è portu soluissent, non quò pepigerant, sed Alexandriæ proras obuertunt. Iam erat in conspectu patria illorum tellus, cùm repèns exorta procella, clauo antennaq; cõfractis, vltimum illis exitiũ minabatur. Tunc nautæ conscij perfidiæ suæ, ignosci sibi postulant, & supplices, vt deindè pro sua exoret salute, magno flagitant studio. Miram dictu rem. Vix illi sermonem compleuerant, cùm subitò vis omnis tam sæuæ tẽpestatis compressa resedit, & nauis, nouis surgentibus austris, in Lyciam pulsa applicuit. Miré sedatur tempestas. Descendens itaq; Nicolaus, sese ad monasterium confert, quod auũculus eius, vt paulò antè dicebamus, sub nomine sacræ Sion, magnis ædificàrat sumptibus. Eum fratres incredibili gaudio excipiunt, amplectũtur, osculan-

osculantur, & quasi Angelum à Deo sibi redditum, venerantur. Hunc sibi locum Nicolaus, quasi trãquillum aliquem portum delegerat, in quo à turbulentis mundi actionibus ad contemplandam futuræ vitæ felicitatem conuersus, deinceps quieturum sese sperabat. Sed breuis admodùm ea spes, eaque quies fuit. Non enim passus est, qui omnia sapienter gubernat, Deus, vt locupletissimus iste omnium virtutum thesaurus humì lateret defossus, ex quo erat futura secula innumeris beneficijs ditaturus. Voluit enim, vt magnum hoc lumen, quod ipse immensa sua accenderat prouidentia, super magnum erectumque candelabrum suis radijs vniuersum orbem per secula illustraret. Itaque dum in secretiorem aliquãdò locum sese orandi cõtemplandique gratia, vtì insueuerat, recepisset, vox eum de cælo alloquitur: Nicolae, ad mundi, inquit, palæstram tibi redeundum est, si meam coronam expetis. His verbis exterrito, cogitantique, quidnam vox ista portenderet, iterùm vox eadem acriùs intonans: Nicolae, inquit, non hic est ager, in quo fructum, quem ex te flagito, proferas. Ad homines redi, vt in te nomen clarificetur meum. Tunc hac voce Nicolaus planè sibi imperatum à Deo intelligit, vt, relicto otio, ad deferendum miseris mortalibus, quam possit, opem redeat. Hic cùm Deo parendum existimaret, diuque secum versâsset animo, in patriámne, ac inter notós, an alio terrarum orbe sese habitaturus reciperet, fecit tandèm humanæ laudis odium atque contemptus, vt neglecta Patara, & suis, Myras, vbì nemo quisquam illum nouerat, commigraret.

Audit cæli-tùs vocẽ S. Nicolaus.

Itẽ secũdò.

Cap. 9.

Myra, Lyciæ metropolis.

Fortè autẽ fortuna per eos dies Myrensis pontifex è vita migrârat, cuius rei gratia (quoniam ea ciuitas Lyciæ metropolis erat) prouinciales Episcopi, quos suffraganeos vocant, frequentes illò conuenerant. Ibi de sufficiẽdo antistite actum est. Tum diuino operante spiritu, incredibilis quædam cupiditas cepit non Episcopos modò, verumetiam vniuersum clerum, vt sanctissimum atque ornatissimum aliquem præsulem sedes illa pro sua dignitate, amplitudine atque gloria, consequeretur. Quod tametsì multi præstantes viri nominabantur, non tamen vnusquisque facilè ostendebatur, in quem huius concilij suffragia consentirent. Ità cùm varia (vt in conuentibus hominum fit) studia eorum essent, variæque sententiæ, placuit tandèm precibus, omnique supplicationum genere orari Deum, vt reuelaret, quisnam esset huic obeundo muneri deligendus. Magno studio diutiùs oratum est, nec ieiunia etiam, nec pleraque pietatis opera defuerunt. Tandèm de cælo Dominus, non tam precantium meritis, aut sedis dignitate, quàm huius immensi luminis patefaciendi gratia, voces eorum exaudiuit, præficiendumque antistitem vni ex suffraganeis Episcopis venerando senio & vita præstabili reuelauit hoc pacto. Huic enim antelucanam cum cæteris Episcopis orationem faciẽti, apparuisse quendam ferunt habitu augustiore, quàm humano, eique imperâsse, vt ab oratione confestìm ad templi excubias se conferret, & quem primum in templum venientem depræhendisset, illum esse, ad quem diuino cõsilio Episcopatus & Ecclesiæ gubernacula deferantur, hominique Nicolao nomen esse. Hæc iste cùm cæteris Episcopis nunciâsset, visum est omnibus ità fieri, quemadmodùm Episcopo sanctissimo reuelatum fuerat. At nè qua posset humana suspicio Dei voluntatem labefactare, omnisque tolleretur huius rei in fraudem nunciandæ occasio, decretum est, vt nemo quisquam omninò de templo ante rei finẽ egrederetur. Tum omnibus ad orationem conuersis, hic vnus ad exequenda Dei mandata pro templi foribus excubat. Habebat suspensos omnes (vt est humanus animus solicitus futurorum) huius tantæ rei, diuinique iudicij expectatio. At Nicolaus media nocte ad confitendum tibi, clementissime Deus, de more surrexerat, ignarus certè voluntatis tuæ, cui tamen se totum addixerat. Et cùm in tuis laudibus, vt solebat, nocturna silentia absumpsisset, antequàm primos radios rutilans aurora diffunderet, ortumque solis ægris mortalibus nunciaret, in templum, te inspirante, Domine, securus ire pergit. Quò cùm primus omnium aduenisset, explorator iste diuinorum iudiciorum ingredienti Nicolao templi vestibulum, Siste gradum, inquit, fili mi: dic, quæso, quis es, quóve nomine vociteris. Tum vas istud electionis nil tale suspicans, mansuetè, verecundeque, Peccator, inquit, sum, & seruus inutilis, nomine Nicolaus. Tum ille vultus & morum grauitatem, verborumque modestiam conspicatus, & viri præterea nomen sibi cælitùs designatum, non dubitauit hunc illum esse, quem diuina visio futurum Episcopum prædixisset. Non erat enim nescius, in quos soleat Deus respicere,

S. Nicolaus diuinitùs declaratur Myrarum Episcopus.

Media nocte orare consueuit S. Nicolaus.

respicere, in mansuetos videlicet, & humiles corde. Itaque incredibili plenus gaudio, sicut qui inuenit spolia multa, aut in abscōditum agri thesaurum incidit, Sequere me, inquit, fili mi: & appræhensum dextera, ad reliquos introducit Episcopos. Illi audita re, nouum Episcopum non humano certè, sed planè diuino suffragio declaratum, insolita quadam veneratione excipiunt, venerantur, Deoque laudem & gloriam decantantes, in medium templi statuunt, non tam reluctantem, quàm noui huius velut prodigij stupore vix compotem sui. His continuò promulgatis, (Quid enim est ocyus fama rerum præsertim admirabilium?) ad tantæ rei spectaculum innumerabilis propè confluit multitudo. Tum surgens Episcopus ille, qui visum habuerat, docet, quàm chari habendi sunt, quámve à populis honorandi rectores animarum, illi præsertim, à quibus iustè, sanctè, humaneque gubernarentur, nihilque propemodùm felicius esse illa ciuitate, cui istiusmodi antistitem habere contigisset: proptereà lætari oportere Myrensem populū, & Deo perquammaximas habere gratias, qui eum esset præsulem consecutus, à quo planè sperare liceat, quicquid ab optimo atque sanctissimo pontifice expectari par sit. Neminem enim dubitare oportere, hunc virum esse omnium virtutum arcam atque thesaurum, & iucundissimum spiritûs sancti diuersorium: qui non humano consilio, non Episcoporum suffragijs, non cleri, aut populi electione, sed sola Dei miseratione sit pontifex declaratus. Indè omnibus, quemadmodùm euenerāt, accuratè expositis, abire illos lęto animo iubet, & gratias vnumquenque Deo pro immortali ac inæstimabili beneficio reddere: se cum cæteris Episcopis ad vnctionem nouitij pastoris iturum, quem spiritûs sancti digitis inunctum manifestè iam perspiciant. Cùm dicendi Episcopus finem fecisset, vniuersus hominum cœtus in lætitiam lachrymasque profusus discedit, synodus frequens ad noui præsulis vnctionem cónuenit. A quo magno tandèm labore impetratum est, vt se pateretur inungi, tum magistratûs magnitudine, tum virium suarum, vt ipse putabat, imbecillitate deterritum: quanquàm Dei hoc esse imperium, multifariàm planè cognouerat. Quo igitur die Myrensem thronum conscendit, secum ait: Hic dies, Nicolae, hic locus mores alios affert: iam non tibi, sed alijs est viuendum, quandoquidem alijs viuere, hoc est profectò sibijpsi perquammaximè viuere. Iste cùm sibi videretur cleri populique vitia partìm corrigenda, partìm tollenda esse, non soli Deo, vt antè, sed hominibus quoque vitam suam palàm faciendam esse putauit, vt illi exemplo suî facerent, quod prece, aut imperio, aut ratione fortassis facere noluissent. Erant eius pristini mores, vt iam expressimus, absolutæ virtutis & formæ, atque accurata quadam castigatione compositi. At quoniam alia est priuati hominis ratio, alia magistratum gerentis, vitam omnem, moresque pro magistratûs dignitate transformandos esse putauit. Igitur in omni corporis cultu maiore, quàm antè, incuria & negligentia fuit. Nihil erat in eo venustum, nihil elegans, nihil accuratum, præter mores, viuendique disciplinam. Vestis plùs solito vilis atque neglecta, in qua nullus esset omninò nitor, aut fastus, sed castigatæ potiùs humilitatis & modestiæ significatio. nec enim alio quouis pacto poterat sapientiùs, aut faciliùs sacerdotum in vestitu luxuriem amputare. Nam quis tam impudens fuerit, qui priuatus preciosam & nitidam vestem non erubescat, cùm magistratum amplissimum viderit vulgariter & negligenter indutum? Ego prætereà sic arbitror, indumentorum splendorem hunc, & plusquàm regium luxum, quo nostri antistites nunc vtuntur, aut nullis ecclesiasticis, aut his solummodò magistratibus conuenire, quibus nulla excellens virtus authoritatem vendicet, aut venerationem: vt quod propria luce non possunt, externo fulgore oculos vulgi perstringant. At in quo vniuersæ honestatis ac modestiæ eluceat species, maior certè gloria est, atque hominum admiratio ex veste vulgari. Semèl edebat quotidiè, & vesperì quidem, vt publicis negocijs, quæ pro magistratûs amplitudine magna erant, multaque, diem licentiùs commodaret. Nec cœna tamen publico vacabat munere, quandoquidem triclinium eius, suo consilio aut ope indigentibus patebat semper, & cœna sæpiùs pro negociorum opportinitate intercidebatur. Cibus erat eiusmodi, qui ad ieiunitatem & abstinentiam, quàm ad saturitatem, potiùs inuitaret. Carnes ab ineunte ætate ità dimisit, vt illas nunquàm in omni reliqua vita resumpserit. Non plus vno ferculo cœnauit vnquàm, nisì hospitum gratia, quorum dignitas aut affluentiorem escam, aut delicatiorem expeteret. Nunquàm sine sacrorum librorum lectione cœnatum est. Post epulas verò grauis aliquis sermo, sanctissimo atque doctissimo conuentu dignus, inducebatur.

Esa. 66.

Myrēsi populo S. Nicolaus commendatur.

Vngitur & ordinatur Episcopus.

In Episcopatu quales eius vestes fuerint.

Semèl tantùm vescitur quotidiè.

batur. Nam sacerdotes aliquot eruditione & vita probatos, perpetuos sibi conuiuas delegit, à quibus suauiore aliquo animi cibo aleretur. A mensa in cubile semisatur sese recipiens, totus in cælestium contemplationum campum diffundebatur, & animum diurnis alienisque curis distractum, nocturna meditatione collectum refouebat. Cumque inter has delicias aliquantum noctis assumpsisset, membra tandem humi demissa, somno tantum indulgebat, quantum ad perferendum diei labores sat putabat. Indè surgens, socios aduocabat, quibuscum antelucana oratione resumpta, inter psalmos & hymnos aurora expectabatur. Tum vnà cum sole in templum prodiens, diuina exoluebat officia: A quibus ad pascendum curandumque gregem, reliquum lucis accommodabat. O Antistitem admirandum, & ab Ecclesia meritò Magnum cognominatum: qui vtranque vitam ità complexus est, vt nunquàm à diuinarum rerum contemplatione negocium, aut à negocio contemplatio læderetur.

Humi cubat.

Vtrique vacat vitæ, cõtemplatiuæ scilicet & actiuæ.

Cap. 10. Quales pastores suis præfecerit.

Vt autem suorum morbi faciliùs sanarentur, medicos ad eam rem præstantes magno studio vndiquè conquisiuit. Nam primùm omnium id curauit, vt vnaquæque ex suis ecclesia eius generis rectorem haberet, à quo, exemplo, atque doctrina, atque studio vitia populi tollerentur, praui corrigerentur mores, virtutum atque religionis cultus induceretur. Ijs medicis vtebatur, ab ijs discebat quotidiè, si quid insigne in animis, corporibúsve vspiàm locorum suorum esset, quod suum auxilium, aut præsentiam flagitaret. Incredibile autem est, quanto studio & charitate opem suam quoquo modo laborantibus impartiebat. Non labores vlli hominem fatigabant, non sumptus deerat, quo oppressos aliqua siue corporis, sine animi mole leuaret: animo grauiùs laboranti medendo erat impiger iste, & longo, si oportebat, confecto itinere, accurrebat. Iacebat quispiam ægroto corpore pauper & egenus, nunquàm, quantum necessè fuerat, rerum & pecuniarum in hominis auxilium defuit. Non enim à Myrensibus tantùm, verùm & à vicinis vrbibus, haud parùm argenti, in eleemosynas dispertiendi, quotidiè ferebatur. Quòd si necessitas aliqua occurrisset maior, quàm vt ei posset præsenti pecunia subueniri, ab diuite aliquo misericorde, quos multos habebat in promptu, pecuniam vel mutuò, vel dono accipiebat. Nam præter necessaria corporis operimenta, & supellectilem tenui vitæ peropportuna, nihil ei reliquum erat, quod vel pignori, vel venum posset dari. Nam etiam, quos legebat libros, mutuò petebantur. Ità semper voluntariam paupertatem omnibus diuitijs facilè antetulit. Hoc autem elegans in eo, atque præcipuum fuit, quòd cùm perfacilis eius ad omnes, & omnium itèm ad eum accessus esset, amplitudinem tamen & dignitatem magistratûs ità retinuit, vt dignus pro sua grauitate videretur, qui non modò Lyciam, sed multas quoquè prouincias gubernaret. Habebant Myrę nobiles quasdam matronas, vita, moribus & religione præstantes, quæ se totas ad misericordiæ contulerant studia. Ijs Nicolaus (quoniam sexus iste ad eiusmodi obeunda munera videtur impigrior) quasi exploratoribus & ministris vtebatur, quibus vinctis, ægrotantibus, egenis, indigentibus omnibus opem ferret. Nec ei deerant graues aliquot ciues, à quibus disceret, si quid in ciuitate fieret tum publicè, tum priuatim, quod sua suique magistratûs cognoscere interesset: vt ea cogitatione posset aut nascentibus malis occurrere, aut iam natis remedium adhibere. Haud multo autem posteà, quàm Episcopatum iniuit, prouincialem habuit synodum, in qua pleraque multa, tum ad Dei templorumque cultum, tum ad vitam moresque cleri, decreta præclarè & sapienter instituit, partìm vetera corrigendo, antiquandóve: partim noua condendo, quibus vniuersa prouincia Lycia vteretur. Atque quotannis prouincialia concilia, quoàd vixit, Calendis Septembribus conuenère, in quibus de institutis ac disciplina cleri, deque omni Ecclesiarum statu accuratissimè agebatur: nec improbis censuræ ac pœnæ deerant, nec bonis faces, quibus ad meliorem vitam accenderentur. Initio autem magistratûs sui ferunt, cùm exoluendi officij, debitique reddendi magnitudinem formidaret, cum lachrymis & gemitu Deum sæpiùs intentissimè deprecatum, vt ab se intolerabilem hanc molem tolleret. Nam cùm hinc animaduerteret, de singulis sibi subiectis, qui innumerabiles propè erant, sibi reddendum esse rationem, illinc vires suas (quanquàm erant magnæ, validæque) nihil pro sua humilitate existimaret, in desperationem satisfactionis adductus, animo incredibiliter angebatur, atque sæpiùs ob id cùm vberes lachry-

Erga subditos mira humanitas.

Pro dandis eleemosynis accipit mutuas pecunias.

Magna paupertas eius.

Synodus ei' prouincialis.

Petit à Deo absolui onere pastorali

lachrymas effudisset, vocem tandèm audiuit de cælo in hæc ferè verba: Nè timeas, Nicolae, vt à me, mea negocia fideliter gerens, ingratè destituaris. Hac voce maximè recreatus, & spem suam omnem in Deum conijciens, opem sibi à Deo pollicebatur: sed ità pollicebatur, vt omnia tamen à seipso petenda putaret, quæcunque opera & consilio præstare potuisset. Sciebat enim Deum eos non iuuare solitum, qui seipsos negligenter deseruissent. Itaque vires suas omnes tum animi, tum corporis, ad gerendum id negocij explicauit. Quas cùm (vt dicebamus) imbecillas existimaret, duos sibi quasi consiliarios adiungit, Paulum videlicet Rhodium, & Theodorum Ascalonitam, viros in omni Græcia celebres, & quibus explorata virtus, atque doctrina, & diuturnus prætereà rerum vsus, authoritatem pepererat. Horum fide atque consilio priuatìm, publiceque plurimùm vtebatur, à quibus ità sciebat se diligi, vt nihil illi magis in eo cuperent, quàm vt Deo placeret quammaximè. Ad eorum itaq; sententiam quasi ad fidele aliquod speculum, proprios ornabat mores, & ad magistratum aptos accommodabat. In obeundis insupèr Episcopatûs negocijs, si quid paulò difficiliùs iudicandum, agendúmve accidisset, hos sibi continuò adhibebat, cum quibus de re ipsa statueretur.

Diuinitùs cōfirmatur.

Quorū cōsilijs plurimùm vsus fit.

Intereà vetus humani generis hostis, ira crescentis Christianæ religionis feroces animos Diocletiani Maximianique solito atrociùs instigat, crudelioremque, quàm anteà, persecutionē parat. Veniunt itaque ab Imperatore edicta in omnes, qui Christianā fidem profiterentur, quibus carceres, tormenta, vincula, postremò truculenta mors indicebatur. Hæc cùm Myris publicè legerentur, aderant pariter Imperatorij carnifices, Christianis non obtemperantibus extrema omnia minitantes. At contrà Nicolaus pastor intrepidus, acerrimusque Christiani gregis propugnator, fidelibus omnibus clypeum sese præstat, & Christi fidem, quanto potest ardore, vbiquè intonat, liberi profectò atque sanctissimi pastoris officio fungēs. Tum vrbis Præfecti ægrè ferentes contemni ab eo regia mandata, illi, nisi desistat, decernunt supplicia. At Nicolaus (perquàm enim erat martyrij cupidus) cōtemptis minis, acriùs tum insurgens, tandèm vinctus in lōginquas custodias abducitur, in quas & Christiani multi ex varijs ciuitatibus erant coniecti. Vbi non parùm æui omnibus incommodis captiuitatis affectus, tanta mentis constantia ac firmitate fuit, vt cum inter delicias vitam degere arbitrareris. Nec exemplo modò, verumetiam assiduis cohortationibus imbecilliores adiuuabat socios: & velut agricola bonus teneras plantas religionis & pietatis riuulis irrigabat, vt eorum radices in fertili stabilique solo defigeret. Robustiora verò pectora ad martyrium inflammare, ardorem illis & spiritum addere, quàm * preciosa esset in conspectu Domini mors sanctorum eius, disserere, & prædicare quotidiè, nilque omittere, quô illi celso firmoque animo breuem hanc miseramque vitam pro beata illa & immortali contemnerent, non cessabat.

Cap. 11.

Persecutio sæuissima Ecclesiæ.

S. Nicolaus ducitur in custodiam.

Animat cōcaptiuos suos.

Psal. 115.

** speciosa*

Intereà verò benignus Dominus de cælo suum populum miseratus, qui solem post tenebras, & post tempestates tranquillitatem solet seruis suis inducere, dissipare protinùs, ac perdere crudelia sceptra parat, ac sui nominis inimicos de medio tollere, Diocletianos scilicet, & Maximianos, & quotquot cum eis suo populo impiè præfuerunt. Erigit autem cornu salutis plebi suæ, & cælesti Crucis signo Constantinum, Constantij & Helenæ filium, aduocat ad Romanum Imperium. Ille non ignarus, quisnam hic esset, à quo cælitùs vocaretur, omnem spem suam in eum conijciens, Maxentio confestim exacto, dignitatem nominis Christiani in propriæ maiestatis solium exaltauit, vertitque priorū lætitiam Imperatorum in luctum. Tum per orbem edicta profert, quibus iubet, idola & gentium delubra euerti, solui eos, qui pro Christi nomine vincti essent, instaurari Christianorum sacra, templa refici, & pristinum ornatum resumere. His Constantini edictis vbiquè promulgatis, Christi confessores soluti, vnusquisque in patriam suam redit. Sicque Myrensis populus pontificem suum recipiunt, martyrem profectò voluntate ac desiderio, atque incruentū athletam & bellatorem. A quo cùm cælitùs collata sibi dona miris modis exercerentur, tanta creuit apud populum de illius virtute opinio, vt iam planè miraculo omnibus esset. Hic cùm videret dæmonum delubra quædam, nonnullasque gentilium aras adhuc superstites, non exiguamque impiorum, ac varij generis hominum multitudinem ad eas confluere, atque id mali serpere quotidiè latiùs, incredibili ardore succensus insurgit: & vndiquè Dei verbum prædicans, vbì idolorum aram quampiam conspexisset, funditùs euertebat, nulli parcens, neminem metuens, nihil nisì de Dei gloria,

Cap. 12.

Constantinus restituit nobis rem.

S. Nicolaus redit ad suos.

Eius virtus omnib' miraculo est.

hominumque salute solicitus. Sic itaque omni dæmonum cultu eiecto, puram gregi suo tranquillitatem & requiem comparauit.

Cap.13. Hæc cùm Christi miles, immò Imperator & dux, aduersùs principes tenebrarum non minùs feliciter, quàm fortiter auderet, cepit continuò illum libido, quatenùs ne ab ipso Dianæ templo abstineret: facinus siquidem desiderandum potiùs, quàm sperandum. Erat enim ædes hæc admirabili pulchritudine, & magnitudine singulari, & quæ à Myrensi populo inter primaria vrbis ornamenta præcipuè coleretur. In hanc igitur cum robustissima iuuenum manu impetum faciens, non solo illam, vt cæteras, æquâsse contentus, fundamēta quoquè radicitùs euulsa disiecit, nullo prorsùs ciuium obsistente. Horrenda res erat, profligatorum dæmonum audire vlulatus, immurmurantium, terribilique stridore inclamantium: Nunc se per iniuriam è sedibus proprijs eijci, atque fugari. Hic itaque triumphus armis eius & militiæ aduersùs infideles finem fecit, non autem animo, corporique in alienum auxilium exercendo, aut mirabilibus faciendis. Quæ quoniam multa sunt, non omnia idcircò silentio patiemur obrui & obliuione: sed strictim pauca attingemus, si priùs ostenderimus, qualem se ipse præstitit in illo celebri, & omnium nobilissimo Christianorum conuentu, qui tum Niceæ est habitus. Constantino igitur, qui primus Christianorum cultum in vniuersam suam ditionem induxit, Romanum Imperium gubernante, * Iulius, qui summus tunc erat Pontifex, non modò Constantinum, verumetiam cæteros omnes, quibus præerat Imperator, ad orthodoxæ, rectæque fidei ritum & disciplinam assiduè inflammabat. Et cùm Arrianus error haud paruam orbis partem occupâsset, Pontifex tandèm effecit, vt suo, Imperatorisque iussu vniuersale Christicolarum concilium Niceam conuocaretur: vbi dogma incorruptæ fidei Christianorum comitiorum firmaretur authoritate, pariterque vt Arrius, Arrianæque stultitiæ sectatores damnati, è Republica Christiana abigerentur. Ei concilio affuerunt trecenti decem & octo Episcopi, inter quos Nicolaus non minor doctrina, quàm vita: neque sermone, quàm opere, in refellendis Arrianis fallacijs iudicatus est. Hæresim illam acutissima ingenia tuebantur, & viri omnium doctrinarum cultu & elegantijs expoliti, quos contra non modò disputationibus & lingua, verùm multo maximè supplicationibus & assiduis ad Deum precibus Nicolaus pugnabat. Ità cùm illorum tandèm argutias & errores ipse cum cæteris veritatis defensoribus dissoluisset, canonemque ipse & reliqui synodi patres orthodoxæ fidei præscripsissent, homousion videlicet, hoc est, consubstantialem patri & æqualem credendum esse Christum, resarcita scissura Ecclesiæ, indè discedens, ad proprium gregem regressus est: cui neque doctrina, neq; exemplo, neque assidua exhortatione defuit, quò magis omnes ad virtutem, ad mores, ad animi cultum, ad pietatem, religionemque perpetuò concitaret.

Euertit funditùs Dianæ templum.

for. * Syluester

Nicenum Concilium sub Syluestro habitū est.

Ei interest S. Nicolaus

Contra Arrianos non lingua tantum sed orationib^9 pugnat.

Cap.14. Accidit autem ea tempestate, vt terram Lyciam valida vexaret fames, tantaque Myris, alibique tritici egestas esset, vt iam ad interitum hominum res spectaret. Tum Nicolaus ad horrea Dei, hoc est, ad orationem confugit. Per id autem temporis mercator quidam in terra Sicilia magnam frumenti vim in nauim intulerat, exportandi in Hispaniam, dandique venum causa. Huic noctù dormienti Nicolai simulacrum sese per visum offert: imperat, vt Myras triticum primo statìm tempore aduehat, ex eo grande precium relaturus, fidemque verbis, tribus datis aureis, facit. Excitatus ille cùm aureos propè, & cubile clausum inuenisset, admonitum se diuino numine ratus, Myras sine mora frumentum vehir, preciumque accipit, quod dormienti sibi spoponderat Nicolaus. Eo pacto Myræ sæuientis iam inediæ vim repulere. Ità cùm mercator rem omnem, vt sibi euenerat, cunctis palàm fecisset, Myrenses suum præsulem maiori deincèps, quàm hominem venerari par sit, honore & laude sunt prosecuti.

En vt famis horum medetur.

Cap.15. Ea tempestate Constantino nunciatum est, ab nonnullis rerum nouarum cupidis, seditionem haud negligendam, in superiori Phrygia excitatam. Tunc Constantinus tres ad eos reprimēdos motus legatos mittit: Nepotianum videlicet, Vrsum, & Herpilionem. Hi celerè cum armis ad negocium sibi datum profecti, Andriaciama appulère. Id erat in terra Lycia oppidum, subiectum Myrensibus. Ibi milites aliquandiù aduersa maris tempestate detenti, emēdorum ciborum gratia in terram egressi, tandèm (vt est eiusmodi genus hominum rapax, & alieni appetens) ad prædam incolarum sese vertunt: multa rapiunt per vim, plurima temerè deuastant. Quorum improbitas cùm in dies augeretur, vicit tandèm incolarum patientiam effrenata licentia mili-

militum. Igitur agrum omnem armat iniuria: seditio & tumultus exoritur: & iam in mutuam cædem vtrinquè ruebatur: cùm Nicolaus (is enim rem perspiciens, citato pede ad locum venerat) adesse nunciatur. Tum oppidum omne, necnon & ipsi Imperatoris legati, ac milites (tanta erat in omni Lycia Nicolai authoritas atque nomen) depositis armis, venientem Episcopum obuiàm progressi incredibili quadam veneratione ità excipiunt, vt nullum penitùs tumultûs, aut irarum vestigium apparéret. Nicolaus rem sedatam animaduertens, benignè legatos congressus, in vrbem honorificè perhumaneque inductos hospitatus est. Dùm illi se placatis ventis ad nauigandum expediunt, adsunt Myrenses aliquot anxij flentesque: hi ad sancti viri pedes prouoluti, celeritatem & auxilium conclamant contra nequissimi hominis vim atque iniuriam. Eustachium enim Præfectum vrbis auro victum, tres innocentissimos ciues capite damnâsse, ciuitatem omnem in luctu esse, vnam reliquam superesse in Nicolao spem: qui si affuisset, ille nunquàm tam immane facinus in animum induxisset: opus esse maturato: nî citò accurrerit, de capite & fortunis insontium actum esse. Hæc illi cùm flentes lamentarentur, vir Dei, diuinæque misericordiæ imitator, rei crudelitate vehementer pércitus, iter arripit, Constantinique legatos contra Præfecti vim, si oporteat, sibi comites & adiutores adiungit. Itaque cùm in locum, cui Leo nomen est, aduolâsset, obuios quosdam rogat, si quid de tribus his damnatis ciuibus exploratum haberent. Illi reliquisse eos aiunt, in Castoris & Pollucis campo tractos, vt mactarentur. Tum Nicolaus ad locum velox contendit, vt illorum præueniat necem. Iam miseros illos crudelis carnifex tyranni iussu ad portam loci pertraxerat, vbì capite damnatos plecti mos erat. Quò Nicolaus incredibili ardore flagrans cùm irrupisset, videt magnam mortalium vim vndiquè circunfusam, & tres (miserum dictu) manus post terga vinctos, & lumina linteolo velatos, nuda colla carnificis securi præbentes. O miserum spectaculum, & indignum profectò, quod humanos oculos suæ immanitatis testes haberet. Iam carnifex securim erexerat, & furenti similis, truculentos oculos in miseras ceruices defixerat, nihil aliud quàm crudelitatem atque cruorem gestu, vultu, fœdaque voce significans. At diuinus hic noster, vt primùm pia lumina nefario iniecit spectaculo, non tumultuans quidem, aut temerarius, sed grauiter admodùm, & cum seueritate carnificem compellat: Quid agis scelestè? securim contine. simulque accedens intrepidus, & fidutiæ plenus, cum regia quadam authoritate, securim è manibus extortā abijcit: tribus damnatis lumina & manus reddit, bonoque animo esse iubet. Hæc cùm ità fierent, nemo tamen quisquam ausus est ex omni apparitorum turba, non modò Nicolao obsistere, sed ne in eum quidem vel attollere oculos: tanta erat moribus authoritas, gratia atque maiestas, tantaque de illius virtute omnium mortaliū existimatio. Rei prætereà indignitas illis (vt arbitror) manus & linguam ademerat. Tum tres illi, sanctissimi viri beneficio in lucē restituti, quanta poterant voce cum lachrymis beneficium extollebant, simulque vniuersus campus, in quem facti misericordia ciuitatem propè omnem conciuerat, in eius laudes resonabat. Inter hæc Præfectus vrbis cùm aduenisset, ei Nicolaus neque obuiàm ire, neque venientem inspicere passus est. Tum ille, siue sceleris sui conscientia, siue pœnæ metu, si Constantinus factum resciscat, in pœnitentiam versus, Episcopum benignè congreditur. Ille repulsum seuera increpat voce: Affirmat, hanc se publicam iniuriam non passurum, imploraturumq; non modò vltoris Dei, verumetiam Constantini iustitiam in eum, qui auro corruptus, magistratum sibi traditum fœdè & crudeliter administrâsset. Cumque illi extrema minaretur supplicia, Præfectus vehementiùs sibi timens, iam non verbis modò, verùm & lachrymis supplex sibi veniam postulat, omniq; pœnitentię significatione Nicolaum sibi conciliare studet, in Simonidem & Eudoxium Myrensium principes, iniuriæ culpam falsò transferens. Tum incredibile est, quàm ea res charum omnibus hunc virum reddiderit, vt in eius laudes fusa multitudine, confestim ea res tota Lycia celebraretur.

Suo aduentu sedat tumultum.

Eustachius præfectus auro victus tres viros capitali sententia damnat.

Liberat tres insontes homines capite dānatos Nicolaus.

Seuerè obiurgat præfectum crudelem.

Sed iam Constantini legati, confecta re, abeundum rati, Nicolai benedictionem efflagitant, pulcherrimum tutissimumque itineris sui viaticum. Ea accepta, benignè dimissi, proficiscuntur in Phrygiam. vbi cùm motus illos sapienter composuissent, Byzantium ad Imperatorem regressi, honorificè & perhumanè excipiuntur, nouis honoribus atque donis aucti: quippè quorum opera atque consilio id incendij tutè matureque extinctū esset. Iamque inter primos Constantino chari, & cæteris omnibus illustres & conspicui habebantur. Cæterùm hanc eorum felicitatem non diutiùs

Cap. 16.

Vide quid pariat liuor

pertulit laudum semper & gloriæ hostis inuidia. Ij enim, quibus erat cum tribus istis de honore contentio, Byzantij prætorem clàm adeunt, conficta in illos crimina afferunt, quòd scilicet illi pecunia victi, in authores seditionis non animaduertissent, seminaque eiusce mali reliquissent, breuì maius periculum paritura. Cæterùm accusationem hanc per se infirmam atque suspectam, grandi pecunia prætori data communiunt. Prætor corruptus, ad Constantinum omnia defert, comperta se habere horum peccata affirmans. Tum opinionem Imperatoris de legatorum fide & integritate vicit suspicio, quæ Regum animos facilè occupat, ac dominatur. Prætori itaque ab Imperatore datur potestas, Nepotianum, Vrsum, Herpilionem huius accusationis ignaros, vinculis & custodia coërcendi. Tum prætor se satìs accusatoribus fecisse arbitratus, quòd illos coërcuisset, pariter intelligens ficta illa contra insontes crimina fuisse: neque ad quæstiones, neque ad crimina quouis pacto discutienda accedit. Sic ergò cùm aliquantulum æui effluxisset, veriti accusatores, nè, si vincti inopinatò dissoluerentur, periculum patratæ fraudis in suam redundaret ceruicem, ad prætorem redeunt: eum perquàm multo concitant studio, vt negocium reorum intermissum resumat, efficiatque vt illi factorum suorum pœnas luant: neque sibi, neque prætori conducere, vt illi liberati, acceptam iniuriam vlciscantur. Prætor & ipse sibi pro auro ab accusatoribus sumpto metuens, ad Imperatorem redit, vultu, gestu, oculis se malæ rei nuncium venire dissimulat. Tum vbì fandi copia data est: Legatos, ait, nondùm odium suum satìs expleuisse ex his, quæ contra Imperij maiestatem gessissent in Phrygia: à quibus tantum aberat priorum flagitiorum pœnitentia, vt etiam vincti & custoditi, noua non desinant pericula moliri: quibus nisi occurratur, antequàm veniant, frustrà, cùm venerint, occursurum. Cùm itaque suam fraudē prætor lachrymis contexisset, Imperator vera atque comperta sibi afferri putans, simulque motus, tum ira ob illorum ingratitudinem, tum metu sui periculi, mortem reis in crastinum decernit. Erat custos carceris vir, tum humanitate præditus, tum veteri consuetudine cum tribus his legatis coniunctus, quorum calamitatem ægrè admodùm & molliter semper tulerat. Ad eum igitur cùm tristis crastinæ cædis nuncius aduenisset, exclamans: Me miserum, inquit, & hominum longè infelicissimum, quem tam funesti ludi spectatorem fortuna delegit: Quàm noluissem vnquàm hos carceres conspexisse: Quàm præstabat in vltimis terrarum finibus nunc abesse. His vocibus custos omnem compleuerat carcerem: neque largi fletus lamentis deerant. At tres illi, quibus vitæ factorumque innocentia dudùm & mortis, & pœnæ metum ademerat, ad subitum nuncium consternati: Quæ nos, inquiunt, aduersa fortuna in hoc miseriarū atque calamitatis impulit? Quæ tanta in nos falsa suspicio potuit, vt insontes sceleratorum hominum supplicio damnaremur? Tum amicis cognatisque, qui aderant frustrà imploratis, Quandoquidem, aiunt, nihil præsidij innocentibus in terris est. Deum ipsum, & integritatis nostrę testem, & iniuriæ atque necis vltorem inuocamus. Inter hęc Dei miseratione effectum est, vt Nepotianus in memoriam Nicolai veniret, iamque versaret animo, quo pacto ille damnatis Myrensibus succurrisset, qua vi atque misericordia eos ab interitu vindicâsset. Hæc cùm socijs in memoriam reuocâsset: Et quid, inquit, spei nostræ saluti superest, nisì vt huncipsum innocentiæ nostræ patronum ex animo imploremus, qui pulchrè didicit insontes ab omni mortis periculo liberare? Tum & duo reliqui ad orationem lachrymis & mente conuersi, sanctissimi viri patrocinium inuocant. Exaudiuit autem eos Dominus de excelso sancto suo, & de cælo in terram adspexit: Audiuitque gemitus compeditorum mirabilis Dominus in sancto suo, cuius non est passus frustrà patrocinium implorari. Voluit enim, vt discerent Reges, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, Regum Regem in cælis esse, qui non spernat iniurias pauperum, qui soluat iniustè compeditos. & elisos erigat. Noctù enim per quietem Imperatori Nicolaus apparuit, ore profectò sicutì venerando, irà & terribili, formidolosoque: atque illi imminens: Surge confestìm, Imperator, inquit, & Nepotianum, Vrsum, & Herpilionem vinculis & custodia solue. Falsò enim & per inuidiam accusati sunt, & iniuria abs te damnati. Id nisì feceris, intolerabile tibi bellū indico, & fœdam insupèr stragem, turpissimumq; tibi, domuique tuæ interitum, verus Dei præco denuncio. Tum Imperator rei nouitate perculsus, miratusq; (vt sæpè in somnis solet) cùm viri maiestatem & verba, tum quòd intempesta nocte in regiam, Regisq; penetrâsset cubile: Et, quis tu es, inquit, qui hæc mihi denuncias, & minaris? At ille, Nicolaus sum, Myrarum Dei miseratione antistes.

Quo

Viri innoxij falsò apud Imp. deferuntur.

Verè dona & xenia offuscát oculos iudicū.

Damnantur ab Imperatore malè persuaso.

Implorāt S. Nicolai patrocinium

Psal. 101.

Psal 145.

Apparet S. Nicolaus Imperatori, iubens absolui insontes viros.

Quo dicto, ab eo euanuit, & Alabio prætori tunc quoquè dormienti sese per visum offert, eodem oris habitu, ijsdemque verbis, quibus Constantinum terruerat. Tum Constantinum somni terrore excitatum, secumque tum minas horrendas, tum minantis speciem reputantem pauor non mediocris occupat, idque visum minimè negligendum ducit. Eodem pauore, eademque animi cogitatione cùm teneretur prętor, ab Imperatore aduenniunt nuncij, qui visa ab eo per quietem accuratè exponant. Tum prætor metu adaucto, ad Imperatorem confestim venit, quæ vidisset, quæque audîsset, quantùm potest, verissimè explicat. Ità cum singula vtriusque somni conuenirent, & velut ab eodem imperante, quasi signo dato, in vtraque cubicula irruptum esset, tandèm visum est, reos ipsos è vinculis accersiri. Qui cùm coràm constitissent, rogantur, num disciplinam magicam didicissent? Cùm negarent illi, & studia eorum omnibus manifesta esse contenderent: Rex, Num, inquit, de interpretandis, aùt inducendis somnijs exploratum habetis aliquid? Cùm illi negarent, Constantinus se per vim (quandoquidem voluntariè non licet) veritatem ab illis extorturum minatur. Illi Regis iustitia implorata, neque magicam, neque vllam somniorum disciplinam vsquàm attigisse affirmant: sed à parētibus ab ineunte ætate ità educatos, institutosque, vt nihil didicerint, nisi Imperatorem venerari, illum colere, illum rebus anteferre omnibus, quas mortalium animus solet concupiscere. Hoc institutū ità constanter & perpetuò tenuisse, vt nihil nisi pro augenda Imperij maiestate dixerint, fecerint've: si secùs compertum habuerit, nulla se prorsùs misericordia dignos putet. At si nonnihil quandoquè tuendi, extollendique Romani Imperi causa fecerint, si vitam sępenumerò minimi prę illius dignitate æstimârunt: si data sibi ab eo negocia, castè integreq; gesserūt, iam non pręmia, quibus amplissimis eiuscemodi facinora donari solent, sed fama tantùm, nomenq; vt sibi restituatur suū, supplices postulare. His verbis cùm vultus, gestus, lachrymę oculis obortę, fidē facerent, cœpit Constantinus de illorum innocentia cogitare, & suæ pœnitere sententiæ, quippè qui Dei iustitiam formidaret, verereturque, nè si ipse innocentes damnaret, nocens ipse diuino iudicio damnaretur. Iam itaq; benignus illos inspicit, benignus alloquitur, vt vultus verbaq; pœnitentiā animi sui facilè indicarēt. Tum illi paulo fidētiùs Constantinū intuiti, Nicolai simulacrū continuò vident assidentis Imperatori, & nutu sibi veniam & misericordiam pollicentis. Tum Nepotianus, & duo reliqui deincèps vehementiore animi exultatione permoti, sublatis in cęlū oculis, conclamāt: Deus misericors, Deus Nicolai, qui tres innoxios olìm Myris ab interitu liberâsti, libera innocētes sperantes in te, nè angelus hic tuus frustrà videatur nostrum patrociniū suscepisse. Miratus hunc sermonē Constantinus, quid sibi hęc verba velint, rogat, quíve hic Nicolaus sit, quósve tres ab interitu liberârit. Tum Nepotianus ordine exponit omnia, & quid ipsi Myris vidissent, & quo pacto in vinculis illius auxiliū implorâssent, quem penè assidentem conspexerint. Constantinus (vt par erat) miraculo rei cōmotus, neque immemor domesticæ clementiæ ac lenitatis, quam à maioribus acceptam, magno ipse semper studio auxerat, vtroq; somnio cum istorū narratione collato, solui cōfestìm tres vinctos iubet, & pristinę dignitati restitui. Atq; ad illos conuersus: Abite ad eū, inquit, qui me de fortunis & capite vestro solicitus territat dormientem, & gratiam illi reddite, eique meo nomine nunciate, quid suî gratia fecerim. Hæc cùm dixisset, Euangelium aureis literis proferri iubet, aureumque thuribulum gemmis & arte insigne, & duo prætereà puro ex auro candelabra. ea omnia imperat, vt Nicolao offerant, quibus inter sacrificandum vtatur, suę pietatis perpetuum monimentum. His atque alijs admirabilibus viri factis eousquè nomen eius diffusum est, vt iam vel remotas orbis terrarum plagas attingeret, essetque calamitosis & periclitantibus certissima spes atque profugium, quibus ille vocatus deesset nunquàm. Qua verò misericordia atque pietate nauigantes olìm è faucibus mortis extraxerit, operæprecium arbitror enarrare.

Mandat accersiri vinctos Imperator.

Res admiratione digna.

Absoluūtur viri innocentes.

Constantinus Imperator mittit S. Nicolao præclara munera.

Ferunt enim, nautas quosdam horrenda disiectos tempestate, furentique pelago propè absorptos, Nicolai, quem nunquàm viderant, auxilium inuocâsse. Audierant enim, quàm multos sæpè è summis periculis liberâsset. Itaq; iam non manibus fidere, non clauo, non viribus vllis, aut arte nauigandi: sed toti in sanctissimi viri inuocationem proiecti, contra procellarum rabiem hoc quasi tutissimo scuto sese tueri, illum inuocare, illi manus tendere, illi tota mentis cogitatione inniti. Tum hic noster impiger humanarum calamitatum adiutor, inclinante iam naui, & pelagus imbibente,

Adhuc viuens S. Nicola⁹, appáret ipsum inuocátib⁹. oculis omnium manifestus, Eccè, inquit, adsum, quem inuocatis, opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cuius ego minister aduéni: simulque clauo, cernentibus cunctis, arrepto, nauim erigit, gubernatque: indè mare minaciter increpans, fluctus confestìm, sæuientesque procellas placat, vt nautæ dicerent: Quis est hic, quia mare & venti obediunt ei? Et ipse Christi promissis fidem faceret, dicentis: Amen dico vobis, qui credit in me, signa, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ità cùm procellarum omnis illa superbia resedisset, eisque placidam reddidisset nauigationem, ex oculis eorum euanuit. At nautæ, vt primùm illos optata tellus excepit, Myras, quę stadia viginti à mari aberant, rectà contendunt, saluatoris sui visendi cupiditate incensi. Vbì cùm sciscitantes didicissent, beatum hunc in templo cum reliquo clero diuina officia exoluentem, templum ipsi anxij petunt. Erat sanctissimus hic noster sacerdotum choro immixtus, nihilque habebat insigne, quod à cæteris secerneret. In quem simulatquè nautæ oculos coniecerunt, quasì bacchantes per confertam turbam ad illũ irrumpũt: prostratique, Hic est, inquiunt, hic est, cui vitam planè debemus: hic est, cuius ope ab interitu erepti sumus: hic est, qui inuocatus, vt parens misericors laborantibus præstò fuit. His vocibus cùm in se circunfusos Myrenses conuertissent, rem omnem, vt ab initio gesta fuerat, edixerunt. At Nicolaus ora ingenuo quodam rubore suffusus: Date, inquit, gloriam Deo, filij. Ego peccator sum, & seruus profectò inutilis: ipse est, qui facit mirabilia magna solus. Indè illos seorsùm euocatos cum placida quadam seueritate admonet, vt post acceptam corporis salutem, animi quoquè salutem non negligant. Habebat enim ex spiritusancto, quem in illum Deus vbertìm effuderat, vt alieni cognosceret cordis arcana. Ex quo nautas istos sciebat peccatis quibusdam, & diabolo esse obnoxios: Cognoscite igitur, inquit, cognoscite filij, errata vestra, & corda, motusq; vestros in tutiorē portum traducite, Deumque horrendum iudicem formidate. Estis enim (vt inquit Paulus) Dei templum: qui verò Dei templũ corruperit, vt corrumpat & destruat illum Dominus, æquum est. Ego (vt dicitis) vestræ corporalis salutis adiutor, spiritualis nunc periculi nuncius venio. Et cùm post hæc secretiora quædam illorũ peccata proferret, eos iusta admiratione & pœnitentia repletos dimisit. O medicum expetendum, & omnium mortaliũ linguis per secula celebrandum: qui cùm corpora omni periculo liberaret, animos quoq; sanctificare non neglexisset: vt totum hominem sanũ redderet, eius nullam omninò partem incuratam prætermisisset. Quamobrèm verè putandum est, Deum ipsum hoc tantum terrarũ cæliq; ornamentum, suis plasmâsse digitis, & inter primas suas delicias habuisse, dedisseq; animo illi profectò cęlesti habitaculum, pari omniũ elegãtiarum ornatu prędìtum. Sic enim inter veterum memorias literis Gręcis mandatũ inuenimus, beatissimum hunc cælesti quadam oris & vultùs venustate fuisse, moribusq; senili ac venerãda grauitate iucundis, & veluti sanctificationem quandã & gratiam ex se spirantibus: in cuius intuitu ea esset vniuersę honestatis species & exemplum, vt sibi congressos adspectu solo à vitijs ad virtutē facilè reuocaret. Si quem autē nactus esset vlla animi molestia laborantem, nunquàm non abundè consolatum atq; lenitũ abs se misisset. Tradunt præterea, ex eius vultu velut coruscantia fulgura micare solita: faciemq; super humanũ eluxisse splendorem. Sermo erat admirabili quodã lenocinio & suauitate suffusus, grauis, modestus, & in sententiam facilè etiam reluctantes trahens. Compertum enim habemus, multos illum de veritatis curriculo declinantes, & in hæreticam foueam delapsos, ad catholicæ fidei semitam reuocâsse, vt in opere atque sermone iustè sit habitus efficax.

Ioan. 14.

Psal. 135.

Corda hominũ nouit singulari Dei dono.

1. Cor. 3.

Singularis gratia vultùs eius.

Multos ab hæresi reducit.

Cap. 18. Hic itaq; tantis præditus ornamentis, sic inter mortales versatus est, vt cælo semper & immortalitate omnium consensu dignissimus videretur. Qui cùm diutiùs, quasì lilium intra Myrenses hortos iucundissimè redoleuisset, & veluti vnguentum fragrans, diuinarum virtutum odorem atque suauitatem ex se spirâsset, tandèm dierum sanctorum plenus, in viridem senectutem inducitur. Iamque cùm communi hominum lege litandum esset naturæ, in breuem, eamque leuem, ægritudinem incidit. Ità cùm intelligeret, hinc sibi migrandum esse, beatus iste superioris Hierusalem veteri desiderio flagrans, in hymnos & gratiarum actiones totus diffunditur, omnique lætitiæ significatione vale dicto, in cælum, quod sibi apertum cernebat, euolat, longæuam illic & sempiternam acturus vitam, angelorum splendoribus consors, diuinæque pulchritudinis perpetuus contemplator. At venerabile corpus, singulare orbis terrarum ornamentũ, Episcoporum, vniuersiq; cleri & populi laudibus & lachrymis decoratum,

Abit è corpore in cælum.

decoratum, humatur in templo, quod Myris maximum ac pulcherrimum ea tempestate fuit.

Ex purissimis autem illis & redolentibus membris per anteacta secula in hunc vsq; diem nectareus distillat liquor, certissima spiritualium ac corporalium ægritudinum medicina. Eius itaque fama cùm ad remotissimas quoque prouincias subitò penetrâsset, ad eius venerabilem tumulum incredibilis continuò factus est hominum ex omni plaga concursus. Neque illis multorum licèt dierum itinera visendi busti desiderium adimebant, vt & sacro vngerentur liquore, & tumuli ipsius complexu & veneratione consecrarentur. Cap. 19. Liquor ex eius mēbris distillat mirè efficax.

Sed antequàm finem faciamus, primum saltem eius post mortem admirandum in nautas facinus exponamus: reliqua, quoniam propè innumerabilia sunt, & hominum linguis vndiquè celebrata, prætermittamus. Compertum habemus, quosdam amplexandi tumuli desiderio à Tanai ostio soluisse, vt Myras contenderent. Cùm autem in nauim sarcinas & viaticum intulissent, inuidus ille dæmon, qui in eo Dianæ colebatur templo, quod pauloantè dicebamus à Nicolao deiectum, huius nauigationis causa cognita, ad impediendos homines, si posset, sese dolo & fraude exornat. Nondùm enim exciderat animo ædis illius à fundamentis euersio: non violenta, ignominiosaque cùm sui, tum ministrorum suorum è Myris expulsio: non cultus hominum ad se confluentium sibi ademptus. Hæ faces ad vltionem dæmonem inflammabant, præter insitam nocendi libidinem, & alienæ virtutis odium immortale, quo in expulsorem suum iam toto illustrem orbe flagrabat. Igitur mulieris formam induit, vas olei plenum humero gestantis: & nauim conscendens, se ait magno teneri desiderio eiusce tumuli adorandi, sed imbecillam corpore, stomachoque, maris & nauseæ crudelitatem non posse perferre, missuram se (quandò proficisci non licet) oleum illud, quo tumuli lampades accendantur: rogat itaque, vt oleum ipsi suo nominè sanctissimo monumento offerant. Illi facilè persuasi, quippè quibus nulla inerat suspicio fraudis, dolium accipiunt. Erat in eo prophanum nescio quid, diabolica execratum arte, & dignum profectò, quod à dæmone nocendi causa præberetur. Soluentes ergò, cùm diem vnum prosperè sulcâssent marè, cœpit insequens aurora zephyros in proram mittere, & noctes diesque deinceps plurimos sic pertinaciter aduersi erant, vt nautæ tædio diuturnæ procellæ, infecto itinere, de reditu cogitarent. Iamque proras obuerterant, cùm infatigatus hic noster omnium laborantium adiutor, lembo se redeuntibus offert: Quò, viri, tenditis? inquit. Quid constitutum iter deseritis? Vestrum est, viri, ventos in puppim conuertere, & aduersæ nauigationis tollere impedimenta: diabolica hæc fallacia est: non enim fœmina dolium, sed infernus vobis dæmon commendauit. Liberate nauim hac peste, & vas in mare abijcite, eruntque deincèps omnia vobis secunda. Nauigantes, imperantis veneratione permoti, (inerat enim homini diuina quædam maiestas) vas ipsum in pelagus repentè contorquent: ex quo tetra quædam exiliens flamma, fumo & caligine aërem totum obnubilat, intolerabilique fœtore complet omnia: tantoque stridore vas ipsum mari excipitur, vt è damnatorum officinis exîsse nemo ambigeret. Tum Nicolaus, cùm sese, quisnam esset, patefecisset, ex oculis eorum euanuit. Indè nunquàm cōstituto itineri clementes auræ defuere. Cap. 20. Diabolus sanctas peregrinatiōnes impedire conatur. Lampades ad sanctorū tumulos etiam antiquitùs arserūt. Maligni dæmonis fraus detegitur à S. Nicolao.

Hæc sunt, sanctissime pater, pietatis tuæ à Deo collata præmia. Hæ sunt laborum retributiones. Hæ certaminum tuorum coronæ, ad te in hoc mundo delatæ. Nam quæ apud immortales spiritus es consecutus, illa eiusmodi sunt, quæ nec vllo corporis sensu, neque vlla mentis cogitatione percipiantur. Ego verò minimè dubitauerim, te fortissimum martyrem, & incruentum appellare bellatorem. Siquidem non tam mors ipsa per se, & cruoris effusio, quàm moriendi pro Christi nomine ardor †efficit. Nam Christiani nominis sæuos oppugnatores (quandoquidem corpore volens non potuisti) vita, moribus, doctrina, oratione deniquè contriuisti, piè credentibus validissimum auxilium præstitisti, vltima minantes supplicia contempsisti, vincula lætus subijsti: nihilque præter carnificis crudelitatem tuo defuisse martyrio intrepidus affirmârim. Sed tua vita, beatissime pater, Deus rerum sapientissimus dispensator plùs, quàm morte, delectatus est, vt te genus humanum quamdiutissimè clementissimo, & super omnes impigerrimo frueretur patrono in terris: tuque rogatus, de diabolo pro innumeris ciuibus Christianis abs te saluatis, gloriosissimè triumphares cum Christo in gloria per immortalia secula seculorum, Amen. Cap. 21. videtur deesse † martyrem

SERMO

SERMO BEATI PETRI DAMIANI DE EODEM SANCTO NICOLAO EPISCOPO. HABETVR *octauo Tomo Aloysij Lipomani.*

Festiuitas S. Nicolai Episcopi.



Nicolaus iste meus, immò & vester, electus ab vtero, sanctus à puero, iuuenum gloria, reuerentia senum, sacerdotum honor, splendor pontificum, conuentum vestrum sua lætificat festiuitate. Hic est Nicolaus, cuius miracula per totam mundi latitudinem diffunduntur, quem laudat orbis terræ, & qui habitāt in eo. Tot enim & tanta miracula cumulantur, vt omnes literatorum argutiæ, vix ad scribendum sufficiant, nos ad legendum. Et licèt scholarium numerus in incude Rhetorica, sub Quintiliani vel Ciceronis malleis, tenuissimas orationum laminas extendat, superat tamen gloria Confessoris vocem, mentem, linguam, & conscientiam. Crebrescunt enim quotidiè mirabilia, nec requiescit spiritus Dei, ad memoriam militis sui, sua continuare miracula. Glorificatur in mari, laudatur in terra, in omnibus periculis inuocatur. Deniq; qui descendunt mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo: ipsi viderunt opera Domini, & Nicolai per Deū, miracula in profundo.

Deus per inuocationẽ sanctorum miracula facit, siue illi per Deum. Psal. 106.

Nónne post memoriam virginis, tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obuersatur, vt in die tribulationis, Nicolai nomen teneatur in ore, requiescat in corde? Si coruscationes fulgurant, & procellis detonantibus à supernis vindicta procedit, Nicolaus in patronum assumitur, Nicolaus dulciter inclamatur. Si tempestas sæuiens, & crudelitas maris nauigantibus mortem intentant, Nicolaus flebiliter exoratur vt audiat, suppliciter inuocatur vt veniat, vt eruat misericorditer acclamatur. Si pulsamur incommodis, vel offendiculis indolemus, statim sanctum nomen prosilit in os nostrum: Nicolaus ingeminatur, patrocinium quęritur Nicolai. Nè putetis autem me declamatoriè loqui, vel venustate Rhetorica verborum aggerare splendorem, cùm totus mundus beneficia sentiat Confessoris, nec sit, qui se abscondat ab amore eius. In testimonium sunt peregrinationes ad sanctum illius corpus, à finibus terræ susceptæ, vt videantur, quæ per eum fiunt mirabilia. Non solùm autem Christianis, sed & paganis in tantam reuerentiam sancti nominis aduolauit authoritas, vt certatim confluant ad laudandum & glorificandum nomen sanctum eius. Precipuè sacerdotum & clericorum turba tanta deuotione circa cultum eius afficitur, vt in toto terrarum orbe quicunque vndecunquè se contradant ad obsequendum tantæ solennitati. Lætantur pueri, iuuenes gratulantur, ornantur virgines, senes exhilarantur, & omnis ætas personanter alludit. Vnusquisque autem habet materiam gaudiorum, vt laudent pueri puerum ieiunantem, iuuenes iuuenem iuuenes liberantem, virgines virginum infamiam redimentem, senes senis inopiam miserantem. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudant nomen domini huius.

Vide quomodo etiā olim ad sanctorum visenda sepulcra peregrinabantur homines.

Psal. 148.

Sed nunc post actus eius Græcorum linguis excellentibus insigniter diffamatos, quid audeat sermo pauperculus balbutire? Veruntamen nè videar excusatorias tergiuersationes inducere, recurro ad Euangelicam lectionem, & quod de communi accepi, profero in commune. Ait enim: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, & ait seruis suis: Negociamini, dum venio. Securè negociabor, præcipiente Domino meo, nec timebo Psalmistam dicentem: Quia non cognoui negociationem, introibo in potentias Domini. Non enim paruum mihi fiduciæ robur præstat, quòd ille summus Imperator factus est negociator meus, & negocium meum sine ocio egit, quandiù fuit in terris, & preciosarum mercium sarcinulas portans ad Patrem, ipsi vultui Dei, & quid emit, & quid redemit, & vndè redemerit, ostendit. Tu ergò, illo negocioso, ociosus esse disponis? illo laborante, quiescere? Ipse venit negociari in regionem longinquam, & tu ad regiones proximas ambulare contemnis? Aggredere, & ingredere regionem dissimilitudinis, videlicet mundum istum, & vide quàm frequentes ibi nundinæ, quantæ germinent & regerminent vanitates: prorsùs dissimilitudinis, quia regionem similitudinis, vbi ad similitudinem Dei facti nos fuimus, amisisse nos constat. Nunquid non magna dissimilitudo, de Paradiso ad infernum, de Angelo ad iumentum, ad diabolum de Deo? Vade ergò per forenses tumultus, & hîc decertantes circunspice. Quantùm verò colligo, in tribus causis natat omnis voluntas. Alij diuitijs, alij honoribus, alij gloriæ innituntur.

Luc. 15. & 19.

Psal. 70.

Cum Domino negociari debemus in hac mortali vita.

In tribus causis natat omnis voluntas.

Curris

Curris ad Indiam, Aethiopiam circuis, maria transis, & alium orbem tibi aperis nauigando, vt diuitias congreges. Fugis patriam, ignoras filios, diuelleris ab vxore, & omnium necessitudinum oblitus, quæris vt acquiras, acquiris vt perdas, perdis vt doleas, thesaurizas, & ignoras cui. Filij hominum, vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Et hoc quidem pro diuitijs. Audi & breuiter de honoribus. Ducem te constituerunt, & data est tibi facultas, vt miser sis, & ampliùs non quiescas. Cumulatur materia solicitudinum, & inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est vultum inducere gaudiorum. Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Miseri, iuxta Philosophum, mercedem miseriarum amamus, ipsas execramur. Regum nobis animos induimus, & quicquid nobis ex voluntate non respondet, statim euocat iram, nec communis recogitatur humanitas, & tamen est vermis arrodens, qui conscientiam iugiter torqueat, timor potentiæ superioris. Hæc est iustissima lex, vt sic viuas cum inferiori, quemadmodùm superiorem vis viuere tecum. Audi & de gloria. Si quæris gloriam, omnibus inuidiæ semina præbuisti. Inflatus es, & ventilatorio spiritu plenus disrumperis, nec attendis quot te sequantur, sed quot præcedant. Conglomerantur omnes ad detrahendum tibi, ad maledicendum linguas acuunt, & argutissimus es, si vel linguam, vel manum inuidorum possis euadere. Ecce vndè gloriosus esse volebas, inglorius esse conuinceris. Nullum enim inexorabiliùs persequitur multitudo, quàm illum qui sibi multitudinis arrogat principatum. Iunge his tribus potentiam, & voluptatem, quæ & ipsa tenui & perfusorio gaudio rapiuntur, & videbis quia copia pauper est, honor humilis, vilis gratia, potentia debilis, & laboriosa voluptas, vt, iuxta Apostolum, omnem intellectum in Christi obsequium redigamus. Relege maximum illum Latinorum Philosophorum, & in illius verbis meam inuenies esse sententiam. Contemne igitur hæc omnia, quia omnia contemnenda, & de his omnibus fac sarcinam tuam, contemptum mundi.

Psal. 4.

Diuites miseri sunt.

Nullus honor sine dolore.

2. Cor. 10.

Mundus cũ omnib' pōpis suis contemnendus

Decursa verò hac regione, & quod preciosius est indè sublato, transi ad secundam, quæ est Paradisus claustralis. Verè claustrum est Paradisus. Hîc prata virentia scripturarum, præterfluens lachrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus amor ille cælestis eliquat. Hîc sunt arbores erectissimæ, chori sanctorum, nullaque est, quæ non multa fructûs gaudeat vbertate. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est, & cibans & cibus, munerans & munus, offerens & oblatum, conuiua & conuiuium. Hîc aggestæ sunt omnipotentis diuitiæ, hîc refusa est gloria Angelorum. Putasne nullas hîc esse nundinas, & ociari illos, qui habitant vnius moris in domo? Videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lachrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem, ieiunantem illum, & officia pietatis sibi adinuicèm inuidere. Nocte consurgunt ad confitendum Deo: vespere, manè, & meridie narrant & annunciant laudem eius: & omnis illorum sedulitas in orbem diuini rotatur obsequij. Curre ergò per omnes, curre per singulos, & de vniuersis & singulis fac sarcinam tuam, formam viuendi.

Monasteria paradisi terrestres.

Monachorum exercitia & forma viuendi.

Relicto ergò mundo, & modo viuendi suscepto, transi ad tertiam, quæ est regio expiationis. In hac regione benignus Pater examinat filios rubiginosos, sicut examinatur argentum, ducit per ignem & aquam, vt inducat in refrigerium. Trinæ sunt distinctiones locorum, quas pro diuersitate meritorum animæ sortiuntur. Ad cælum nanque statim euolant, qui domicilio corporis vsi sunt tanquàm carcere, qui defæcatam puramque substantiam vtriusque hominis seruauerunt. Econtrariò qui fecerunt vsque ad mortem, quæ digna sunt morte, locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui verò neutrum sunt, sed sunt inter vtrunque, qui mortalia quidem commiserunt, sed circa mortem pœnituerunt pœnitentiam non explentes, indigni vt statim gaudeant, nec digni vt semper ardeant, loca purgatoria sortiuntur, in quibus flagellantur, sed non ad insipientiam sibi, vt extorti transferantur ad Regnum. Pro his, qui in cælo sunt, non orandum, quia eos, non pro eis orare debemus. Pro his, qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces, quibus clausa est misericordiæ ianua, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantùm vigilandum est in orationibus, subueniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitẽtiam eorũ in satisfactionem, satisfactionem in glorificationem, citò conuertat. Curre iterùm per istos intuitu pietatis, & fac sarcinã tuam, affectum compatiendi.

Psal. 65.

Trinæ sunt distinctiones locorũ, Cæli, Inferni & Purgatorij.

Pro detentis in purgatorio orandum & sacrificandũ.

Quartã

Quarta regio, est regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda, terra afflictionis, terra obliuionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis & caliginis, terra maledictionis & mortis, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Totus tremo atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis qui non succenditur, vermis qui non moritur, frigus horrendum. Ibì fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, obfusæ tenebræ cumulatiùs indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibì fletus & stridor dentium, planctus & gemitus, & alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm istorum memoria, & recordatio vulnerum Domini mei, qui stetit ante iudicem, qui alapas accepit, qui flagellatus est, cõsputus, qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, cui pendenti insultatum est, qui mortuus in Cruce, qui lancea percussus, qui sepultus, qui resurrexit, qui ascendit ad cælos, qui fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri. Curre per has tumultuantes nundinas, vt viuens descendas in infernum, & fac sarcinam tuam, odium peccati.

Esa. vltim. Infernalis regio qualis. Matt. 25. Luc. 13. Ex inferni memoria nascitur odium peccati

Quinta regio, est Paradisus supercælestis, regio beata & gloriosa, plena voluptatis & gloriæ, suauitatis & lætitiæ, gratiæ & benignitatis. Ibì requies à labore, iucunditas de nouitate, de æternitate securitas. Ibì est ciuitas Regis magni, cuius plateæ constratæ sunt auro purissimo, quæ fœcundata est in saphiris, in qua iaspidis propugnacula præuirescunt, & per ordinem lapides insternuntur. Nam lapides preciosi omnes muri eius. Illic omnes viuunt, nullus moritur, omnes exultant in voce exultationis. Intrauerat Dauid in sanctuarium eius, & mente excesserat Deo, nec tamen aliquid aliud potuit absportare, nisi, Quia gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei: & illud, Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Nescio quid magnum promittitur, videre Deum, & laudare. Lætatus sum & ego in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Iam stamus in atrijs Hierusalem, iam è vestibulo magnæ ciuitatis gaudia somniamus. Curre igitur & per regionem istam, & fac sarcinam tuam, amorem Dei.

Cæli regio qualis. Apoc. 21. Psal. 86. & 83. Psal. 121.

Negociamini ergò, donèc veniat homo ille nobilis, qui abijt in longinquam regionem accipere sibi regnum, & reuerti. Reuertetur planè, & tunc cum vsuris exiget pecuniam, quam tradidit nobis. Nihil perdit, nihil obliuiscitur, nihil impunitum relinquit. Supplicemus igitur Confessori, vt Redemptori nostro, amico suo pro nobis hodiè supplicare dignetur, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

Luc. 19.

DE SS. DIONYSIA, DATIVA, LEONTIA, ITEMQVE TERTIO, BONIFACIO, ET ALIIS QVIBUSDAM, *ex libro 3. sancti Victoris Episcopi Vticensis, De persecutione Vandalica.*

Decẽbris 6



ADDIDIT bestia illa (Hunnericus vel Honoricus Vandalorum Rex) sanguinem sitiens innocentum, Episcopis necdùm adhuc in exilium directis, per vniuersas Africanæ terræ prouincias vno tempore tortores crudelissimos destinare: vt nulla remansisset domus & locus, vbì non fuisset eiulatus & luctus: vt nulli ætati, nulli parceretur sexui, nisì illis, qui eorum succumberent voluntati. Hos fustibus, illos suspendio, alios ignibus concremabant. Mulieres, & præcipuè nobiles, contra ius naturæ nudas omninò in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam nostram Dionysiam cursìm ac breuiter nominabo. Cùm viderent eam non solum audacem, sed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipsam primò nisi sunt fustibus expoliatam aptare. Quæ cùm peteret, diceretque, de Domino suo secura, Qualiter libet, cruciate: verecunda tamen membra nolite nudare: ampliùs illi magìs furentes, celsiori loco, vestimentis exutam, * constituũt, spectaculum eam omnibus facientes. Quę inter ictus virgarum, dum riuuli sanguinis toto iam corpore fluitarẽt, libera voce dicebat: Ministri diaboli, quod ad opprobriũ meum facere compu-

*consistũt, S Dionysia crudelissimè cęditur.

computatis, ipsa est laus mea. Et quia erat scripturarum diuinarum scientia plena, arctata pœnis, & ipsa iam martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ suo sancto exemplo vniuersam suam patriam liberauit.

Quæ cùm suum vnicum filium, admodùm adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarum formidolosum conspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna ità confortauit, vt matre multò fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto ità dicebat: Memento, fili mî, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati sumus: non perdamus indumentum nostræ salutis, nè veniens inuitator, vestem non inueniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium. Illa pœna timenda est, quæ nunquàm finitur: illa desideranda vita, quæ semper habetur. Talibus itaque filium solidans verbis, velociter martyrem fecit. Venerabilis verò adolescens, Maioricus nomine, in certamine confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit: amplexansque illam hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in sua domo mâluit sepelire: vt quotiès super sepulcrum eius Trinitati preces effundit, alienam se à filio nunquàm esse confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate, vt fati sumus, acquisiti sunt Deo, longum est narrare.

Præclara vox S Dionysiæ, filium suû confirmantis.

Matt. 22.

Nam & eius germana, nomine Datiua, atque Leontia filia sancti Germani Episcopi, cognatusque Datiuæ venerabilis * Emelius medicus, religiosus quoquè Tertius, Trinitatis confessione præclarus, vel Sibidensis Bonifacius quanta pertulerint, qualibusque cruciatibus euisceratæ vel euiscerati sint, qui valet, ordine dicat.

* Vsuardus hunc Aemilianû vocat

VITA SANCTÆ ASELLÆ VIRGINIS, PER DIVVM HIERONYMVM AD MARCELLAM SCRIPTA,

habetur Tomo primo Epistolarum eius.



NEMO reprehendat, quòd in epistolis aliquos aut laudamus, aut carpimus: cùm & in arguẽdis malis, sit correctio cæterorum: & in optimis prædicandis, bonorum ad virtutem studia concitentur. Nudiustertiùs de beatæ memoriæ Lea aliqua dixeramus. Ilicò pupugit animum, & mihi venit in mentem, non debere nos tacere de virgine, qui de secundo ordine castitatis loquuti sumus. Igitur Asellæ nostræ vita breuiter explicanda est: cui quæso nè hanc epistolam legas: grauatur quippè laudibus suis: sed ijs potiùs, quæ adolescentulæ sunt, legere dignare: vt ad exemplum eius se instituentes, conuersationem illius, perfectæ vitæ normam arbitrentur.

6. Decẽbris.

Leç vita habetur 2. Tó. 22. Martij.

Prętermitto, quòd in matris vtero benedicitur ei, antequàm nascatur: quòd in phiala nitentis vitri, & omni speculo purioris, patri virgo traditur per quietem: quòd adhuc infantiæ inuoluta pannis, & vix annum decimum ætatis excedens, honore futuræ beatitudinis consecratur. Sit gratiæ omne, quod ante laborem fuit: licèt Deus pręscius futurorum, & Hieremiam sanctificet in vtero, & Iohannem in aluo matris faciat exultare, & Paulum ante constitutionem mundi separet in euangelium filij sui. Ad ea venio, quæ post duodecimum annum sudore proprio elegit, arripuit, tenuit, cœpit, impleuit. Vnius cellulæ clausa angustijs, latitudine paradisi fruebatur. Idem terræ solum, & orationis locus extitit & quietis. Ieiunium pro ludo habuit, inediam pro refectione. Et cùm eam non vescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret: pane & sale, & aqua frigida concitabat magìs esuriem, quàm restinguebat.

Asella benedicitur in matris vtero, & decẽnis Domino cósecratur.

Hier. 1.

Luc. 1.

Rom. 1.

Mira abstinentia eius.

Et quia penè oblitus sum, quod in principio debui dicere: Cùm primùm hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidem murenulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, absque parentibus vendidit, & tunicam fusciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta, pio negociationis auspicio, se repentè Domino consecrauit: vt intelligeret vniuersa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ iam seculum damnâsset in vestibus. Sed, vt dicere cœperamus, ità se semper moderatè habuit, & intra cubiculi

Voluntaria paupertas.

Solitudo & silentium. sui secreta custodiuit, vt nunquàm pedem proferret in publicum, nunquàm viri nôsset alloquium: &, quod magis sit admirandum, sororem virginem amaret potiùs quàm videret. Operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui non operatur, non manducet. Sponso aut orans loquebatur, aut psallens. Ad martyrum limina penè inuisa properabat. Et cùm gauderet proposito suo, in eo vehementiùs exultabat, quòd se nullus cognosceret. Cumque per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduò triduoque sic permanens, tum verò in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes penè hebdomadas vultu lætante coniungens. &, quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante possibile est, ità ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur iniuria, non sicca humus iacentia membra confringeret, non sacco asperata cutis, fœtorem aliquem situmque contraheret: sed sana corpore, anima sanior, solitudinem putaret esse delicias, & in vrbe turbida inueniret eremum monachorum. Et hæc quidem tu melius nôsti à qua pauca didicimus, & cuius oculis durities de genubus camelorũ in illo sancto corpusculo præ orandi frequentia obcalluisse perspecta est. Nos, quod scire possumus, explicamus. Nihil illius seueritate iucundius, nihil iucunditate seuerius, nihil suauitate tristius, nihil tristitia suauius. Ità pallor in facie est, vt, cùm continentiam indicet, non redoleat ostentationem. Sermo silens, & silentium loquens. Nec citus, nec tardus incessus: idem semper habitus. Neglecta munditie, & in culta veste, cultus ipse, sine cultu. Sola vitæ suæ æqualitate promeruit, vt in vrbe pompæ, lasciuiæ, deliciarum, in qua humilem esse miseria est, & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant: viduæ eam imitentur, & virgines: maritatæ colant, noxiæ timeant, suspiciant sacerdotes.

[Margin: 2. Thes. 3. — Solitudinẽ delicias reputat. — Eius genua in camelorũ duritiẽ obcalluerunt. — Vestitus eius.]

DE S. MARTINO ABBATE SANTONICORVM, EX D. GREGORII ARCHIEPISCOPI *Turonensis De gloria Confessorum capitulo 57.*

[Margin: 7. Decẽbris. — S. Martinus monasteriũ extruit. — Multa ad sepulcrũ eius miracula.]



MARTINVS Santonicæ vrbis Abbas, Martini, vt ferunt, nostri discipulus, apud vicum vrbis ipsius in monasterio, quod ipse post magistri dogmata ædificauit, in pace quiescit. Ad cuius tumulum quædam è pagensibus manus contractas deferens, retulit sanas. Alius qui exustis febre neruis, poplitibusque intortis gressu caruerat, vt ad sepulcrum sanctum prostratus est, nouum robur sumens, ariditate sublata, incolumis relatus est, multos ipsi deincèps seruiens annos. Huius sepulcrum Palladius Episcopus cùm non valuisset cum multis, opitulante adiutorio confessoris, cum quinque Abbatibus mouit, composuitque quomodò voluit.

DE

DE CONCEPTIONE BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE, QVAM CATHOLICA ECCLESIA CELEbrat *octauo Decembris die, multa præclara extant doctißimorum virorum scripta, ad quæ Lectorem remittimus. Interim in laudem tantæ virginis libuit huc adscribere Sermonem B. Epiphanij Episcopi Cypri, authoris perantiqui, quem è Græcis conuertit vir doctißimus Iohannes Picus Canonicus Parisiensis. Potest autem hinc facilè colligere Lector, quanti fecerint hanc singularem Virginem patres antiqui.*



MISER ego sum, qui effulgentes splẽdores Deiparę, radios terribiles & incompręhensas facultates, cęli & terrę inhabitatæ mysterium, admirandumq; propitiatorium verbis consequi tentaui. Gestiebat quidẽ interioris animi cogitatio ad exactiorem intelligentiam, quę exprimere conabatur profundæ memoriæ, & altissimę speculationis miraculum: veruntamen, charissimi, & timor multus & grauis cõtinuit me. Nam memoria contemplationis horrendæ exagitans tremebundã animam meam, & cor exhorrescens non mediocriter afflixit, sed & grauiter vexauit. Concutit enim mentem meam maximæ contemplationis, ac velut incompræhensi mysterij memoria, nempe quæ illud eloqui minimè possit. Quis enim huiusmodi mysterio exprimendo queat sufficere? Quale verò os pronunciare, quæ've lingua proferre? Nequaquàm potest dicere, quod latet. Iam verò audebo. Dicam de sola Deipara, quatenùs assequor. denuò tamen vereor, vtpotè qui lingua non sim præditus idonea ad ea dicenda, quæ sunt valdè magna. Sum enim exili voce, tardaque lingua, & minimè disertus, vt sic verba facere possim de percelebri, sancta, innupta & Deipara Maria, matre Domini, de qua leuiter loqui non debet humana lingua. Pertenuem enim habet vocem, illius habita ratione, & imminuta est lingua, quæ pro dignitate facultatem dicendi non habeat. ità siquidem vel cælorum Virtutes in stuporem conuertit. Obstupuerunt omnes Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Throni, Dominationes, Cherubim ac Seraphim, & Angelorum vniuersus exercitus, timore tremoreque graui detenti: quia cernebant illum, qui habitat in cælis, per eam versari in terra, & exhorrescebant. Spectabant Virginem, cęlum & thronum, & formidabant dum conspicerent eum, qui principio caret, descendentem à throno Cherubico, in vtero virgineo sedere. O beata radix, quæ hanc produxit. de hac Esaias propheta turturis more gemendo submurmurat, ignea lingua exclamans: Exurget virga de radice Iesse, & flos de radice ascendet, & requiescet super * eum spiritus timoris Dei. De radice Iesse ortus est Rex Dauid, & de tribu Regis Dauidis sancta Virgo: sancta, inquam, & sanctorum virorum filia, cuius parentes fuerunt Ioachim & Anna: qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum eiusmodi germinârunt, sanctam virginem Mariam, templum simul & matrem Dei. Ioachim porrò, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palàm sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eò quòd ex illo pręparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursùm similiter gratia interpretatur: propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, vt, accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti. Ioachim siquidem precabatur in monte, & Anna in horto suo. Anna verò grauida effecta, cęlũ & thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam. Illa enim reperitur esse cælum, templum & thronus: quia Mariam, interpretari solemus Dominam, atque etiam spem. Peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum. Rursùm nomen illud, Maria, interpretatur myrrha maris. Myrrham verò dicet aliquis (quod ego etiam aio) de immortalitate, eò quòd paritura esset gemmam immortalem, in mari, hoc est, in mundo. Mare autem dicet vniuersum mundum, cui Virgo serenitatem & tranquillitatem contulit, dum portum peperit Christum. Rursùm itaque præclaræ puellæ Mariæ beatum nomen, interpretatur illustrata, vtpotè quæ illustrata sit à filio Dei, & cunctos vsque ad terminos terræ credentes Trinitati, illuminauerit. Sancta enim puella virgo Maria, est sponsa Trinitatis, & thesaurus dispensationis planè arcanus. cui Gabriel inquit: Aue gratia plena: Dominus tecum. subiunxit Gabriel. Et

8. Decẽbris. En quàm reuerenter loquitur vir tantus de matre Domini.

De matre Domini leuiter loqui non debet humana lingua.

Esa. 11.

* Codex habet, ἐπ' αὐτὴν, i. super eã.

Ioachim & Anna parentes Deiparę

Maria quid significet.

S. Maria sponsa Trinitatis.

Luc. 1.

pater misit arrhabonem de cælo spiritum sanctum, præparauit Virginem vnigenito filio, cælesti sponso: quam pater dilexit, filius inhabitauit, spiritus sanctus percupiuit. Ipsa est enim sponsa & thalamus, & ex ea sponsus procedit Christus, virgineum indumentum, iuxta suauem Dauidis prophetæ cantionem: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo. O sponsi desiderium summæ puritatis: propriam ancillam propensiore affectu constituit sponsam & matrem. Gabriel effectus hospes Virginis, cæli & terræ incensum atque suffimentum vnà copulauit: quam quidem Virginem prophetæ clarè descripserunt, dum prædicârunt seriem nuptiarum. Quomodò Virgo inuenitur esse cælestis sponsa & mater, quæ donorum antenuptialium nomine, spiritum sanctum accepit: dotis verò gratia, cælum vnà cum paradiso? Quærebat igitur Virgo conspicere, quem desiderabat, inquiens: Vbi est sponsus, cuius pulchritudinem exopto? Vbi est pulchritudo sole splendidior? vbi totius formæ gloria ineffabilis? vbi lumen, quod extingui nequit, quod ego summo cum desiderio requiro? vbi sol, qui radium exquirit? vbi ipsorum Cherubim cithara? vbi oculus Seraphim, nunquàm dormiens, Christus? vbi angelorum adoratio, quam Gabriel indicauit? vbi solus ac solius patris vnigenitus filius, quem Virgo exoptans redamat, perquirens salutat? Cui Gabriel ait: Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue gratia plena. Gratia sanctæ Virginis est immensa. Aue gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, sole splendidiorem. Aue gratia plena, hami esca spiritalis. in te siquidem hamus diuinitas. Aue gratia plena, gloriæ arca spiritalis. Aue gratia plena, quæ es vrna aurea, continens manna cæleste. Aue gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias. Aue gratia plena, mare spiritale, habens gemmam cælestem Christum. Aue gratia plena, splendidum cælum, quæ in cælis incomprahensum contines Deum. Aue gratia plena, quæ Cherubicum thronum diuinitatis fulgore superas. Aue gratia plena, quæ cæli circulum habes, & Deum incomprahensum angusto potissimùm loco in teipsa contines. Aue gratia plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dico? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existit: naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu angelico: cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua minimè sufficit, immò verò nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt, non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt. Lætabantur verò Angeli, tanquàm ipsi duntaxàt Deum haberent, quibus sanctissima Virgo superior nata, Deum habitantem in cælis, concepit in terra, vt hac ratione exercitus angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus. Ipsa enim est cæli & terræ mediatrix, quæ vnionem naturaliter peregit. O beata Virgo, columba pura, & sponsa cælestis Maria, cælum, templum, & thronus diuinitatis, quæ coruscantem in cælo & terra solem habes Christum: nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum, ad illuminandum mundum, deduxisti Christum. Nubes cælestis, quæ tonitruum spiritussancti in seipsa reconditum, deduxit in mundum, & imbrem spiritussancti in vniuersam terram ad producendum fidei fructum cum impeditu demisit. Aue gratia plena, porta cælorum, de qua propheta vociferatus est his verbis: Eccè porta clausa, & nullus ingredietur per eam, nec egredietur, præterquàm Dominus Deus solus: & erit porta clausa duci: quia dux ipse vocabitur, & in ipsum sperabunt omnes gentes. De hac porta etiam in Canticis propheta in discursu orationis planè & apertè proloquitur, inclamans: Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Mansit in virginitate sancta & præclara puella Maria, quæ est nubes lucida, habens intus Deum verbum: ad quam vocalissimus Esaias, Eccè nubes leuis, & veniet in Aegyptum: mons nullatenùs incisus, prçruptam habens petram Christum. De qua sapientissimus Daniel ait: Abscissus est lapis de monte sine manibus: hoc est, Absque viro solidam petram Christum Virgo peperit. Ipsa templum minimè compositum, quæ lapidem cçlestem habet Christum. Ipsa nubes tonitrui formis, quæ fulgur interiùs in vtero gestat: sermonique meo attestatur diuina scriptura, dum ait: Venter tuus aceruus frumenti, vallatus in lilijs. Ipsa est ager minimè cultus, quæ verbum velut granum frumenti suscipiens, etiam manipulum germinauit. Ipsa clibanus intellectualis, quæ ignem & vitæ panem habebat. Ipsa es sancta mater Saluatoris, quæ verbum patris, ex te incarnatum, peperisti. Ad quam Esaias: Eccè Virgo in

Psal.18. | Quàtoperè Christu desiderarit B. Maria. | Luc.1. | Gratia S. Mariæ est immensa. | Exod.17. | Heb.9. | Psal.135. | Creaturis omnibus celsior virgo Maria. | Cant.5. | Ezech.46. | Cant.4. | Esa.19. | Dan.2. | Cant.7. | Esa.7.

in vtero habebit,& pariet filium,& vocabunt nomen eius Emmanuel. O Virgo pura, sancta mater Domini, beata sponsa Trinitatis indiuiduæ: beata tu inter mulieres, quæ Deum & hominem omnium creatorem, velut infantem in terra peperisti. Beata tu inter mulieres, quæ sola in terra Deum cælestem concepisti. Beata tu inter mulieres, cuius vbera suxit is, qui alit vniuersa. Sancta Maria, Virgo Deipara, beata tu inter mulieres, quæ nunc genuisti eum, qui olim in paradiso formauit Adam è luto. Tu enim es Deipara, quæ verbum ex te incarnatum peperisti. Deipara existis, quæ Deum verbum in forma serui concepisti. Deipara existis, quia Deum verbum suscipiens, incarnatum peperisti. Deipara existis, quæ sola solius Dei vnigenitum filium genuisti. Non temporaneum Deum genuisti ex te incarnatum, sed æternum, qui ante te est, & ante omnia. Ouis immaculata, quæ peperit agnum Christum. Iuuenca nunquàm iugum experta, quæ vitulum genuit. Fidei mensa intellectualis, quæ panem vitæ mundo suppeditauit. Quid dicam? & quibus verbis explicabo gloriam radicitùs fundatam? De hac sancta puella, semper, inquam, puella & virgine, Deus per prophetam ait: Ex te mihi exibit dux, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis: propterea dabit eos vsque ad tempus parientis. pariet, & reliqui filiorum eius conuertentur ad filios Israël. & stabit, & videbit, & pascet ouile suum in potentia Dominus. O Virgo sancta, lucis æternæ mater: lucis, inquam, quæ in cælis illuminat copias angelorum: lucis, quæ illuminat ipsorum Seraphim incompræhensum oculum: lucis, quæ illuminat solem splendidis facibus: lucis, quæ fines terræ illuminat ad credendum Trinitati: lucis, quæ dixit: Ego sum lux mundi. lucis, quæ dixit: Ego lux in mundum véni. lucis, quæ assumpta est, & illuminauit cuncta, quæ sunt in cælis & in terra. O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti. Stupendum enim est miraculum in cælis, mulier amicta sole. Stupendum miraculum in cælis, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cælis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cælis, mulieris filius, qui & ipsius & seculorum est pater. Stupendum miraculum in cælis, thalamus Virginis, habens filium Dei, Deum sponsum Christum. Stupendum miraculum in cælis, Dominus Angelorum, infans Virginis effectus est. O sanctissima Virgo, mater Saluatoris, quæ genuisti principio carens verbum, filium scilicet eundem cum patre habentem thronum, consubstantialem patri & spiritui sancto: qui cum patre & spiritu sancto est ante secula: qui concamerauit cælos, & terram condidit. Aue sanctissima Virgo, quæ velut rubus intellectualis, absque combustione diuinitatis ignem tenes. Clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo saluator mundi Christus ait: Accipite, comedite: hoc est corpus meum. quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Locuples est, charissimi, virtutibus plena mensa Virginea, optimis quibuscunque cibis abundans, quibus terra fruatur. Largita est sancta Virgo & mater Christi, quæ splendidam lucernam relucentem in cælo & terra Christum gestauit, ad quam propheta Zacharias: Eccè candelabrum aureum, & facula super ipsum. Quinetiam Dauid canticum hoc suauissimum inclamat: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. O candelabrum Virgineum, quod illustrauit tenebris inuolutos. O candelabrum Virgineum, repellens tenebras, & lucem splendere faciens. O candelabrum Virgineum, quod ignem & oleum inseparabile ad illuminandum intulit. O candelabrum Virgineum, quod ab altissimo throno accepit tèr lucidum ignem, vnum inextinguibilem, consubstantialem, & ad illustrandam terram resplenduit. O candelabrum Virgineum, de quo per prophetam Deus inquit: Illuc producam cornu Dauid, parauì lucernam Christo meo. Corona regia, preciosissimum habens lapidem, & gemmis similem Christum. Purpura regia, quæ cæli terræque Regem induit vniuersale corporis indumentum, purpuram referens, constantissima Christianorum fides, liber incompræhensus, quæ verbum & filium patris mundo legendum exhibuisti. Beata inter mulieres, quæ verbum ex te incarnatum peperisti: verbum, inquam, patris, filium verbum, ante secula Deum, verbum initio carens & æternum, verbum cum patre & spiritu sancto vnitum, verbum, eundem cum patre habens thronum: verbum, sedens super Cherubim: verbum, quod glorificant animalia, quadruplicem faciem habentia: verbum, quod creauit angelos: verbum, quod fecit, vt principatus & potestates essent: verbum, quod extendit cælos, & terram condidit: verbum, verum Deum, ipsum Christum Dominum nostrum, quem sanctissima Virgo perperisti, &

[Margin notes: S. Mariæ Encomiū. — Mich. 5. — Ioan. 8. — Ioan. 9. — Apoc. 12. — Exod. 3. — 1. Cor. 11. — Zach. 4. — Psal. 118. — Psal. 131. — Ezech. 1. Apoc. 4.]

denuò post partum virgo, quæ gemmam produxisti, & coronam regiam plexuisti. O beata Virgo, quæ gloriam cælestem portâsti, & ex multis floribus paradisi, mundum odore bono replêsti. Virgo est lilium immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum: vitis veritatis fertilissima, & quòd ad virginitatem, minimè vindemiata: quæ licèt non fossa, vuarum tamen feracissima, nempe quæ maturam vuam germinauit Christum. Quamobrèm, sanctissima Virgo, fac nobis fidem, qua ratione germinaueris, quo pacto suscipiens verbum, quod est ante secula, mater Dei visa sis super terram. Ego Virgo incorrupta, quæ in vtero gestaui, effecta sum templum impollutum habitantis in me verbi Dei, nuptiarum expertis. Emmanuelem gestaui in vtero incorrupto, in ventre impolluto, similis effecta throno Cherubico: in qua caro factum est verbum patris, qui Deus est initio carens: & licèt inuisibilis, spectabilis tamen per dispensationem assumptæ carnis factus est. Non experta, nec cognoscens virum, peperi Deum, qui est ante secula, ipsum Christum. Nam etiam nunc sum virgo, post partū purior (si dicere liceat) quàm anteà: sine labore peperi, non vt omnes mulieres. dissimiles enim fuerunt res meæ ac illarum inter pariendum. Non nouit natura humana partum meum, excepto solo Deo, qui in me habitauit. O Virginem, stupendum Ecclesiæ thesaurum, qui adeptus est ingens mysterium. Virginem appellat, velut sacerdotem pariter & altare: quæ quidem mensam ferens, dedit nobis cælestem panem Christum in remissionem peccatorum. O vterum impollutum, habentem circulum cælorum, qui Deum incompræhensum, in te verò compræhensum, portâsti. O vterum cælo ampliorem, qui Deum in te non coarctâsti. O vterum, qui cælum es septem circulis constans, & capacior illis existis. O vterum septem cælis sublimiorem atque latiorem. O vterum, qui es octauum cælum, septem firmamentis celsiorem. O vterum habentem inextinguibile lumen septiès lucentis gratiæ. Quid dicam, aut quid loquar de præclara & sancta Virgine? Desiderium me trahit, vt de Deipara verba faciam: & formido me retinet in silentio, vt qui non habeam facultatem dicendi pro dignitate. Animus hortatur, & metus deterret: ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cùm ergò ab vtroque distinear, expedit mihi, vt sermonem habeam de percelebri & sancta Virgine. Dico enim illam esse cælum, thronum, simul & crucem. extendens enim sanctas vlnas, Dominum portauit. Thronus Cherubicus, cruciformis, & cælestis: de qua per scripturas in cælos incumbo & conspicio illam ab angelis adorari. Hinc Gabriel in primis salutat Virginem: Aue gratia plena, quæ es splendidum cælum. Aue gratia plena, quę habes radium de cælo, lucidis facibus coruscantem, vtpotè solem Christum. Virgo plurium nominum & multocula, effecta est Seraphim incompræhensæ visionis: quæ inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis, Cherubim transcendens. Illa enim auertuntur, cùm nequeant spiritalem ignem diuinitatis fixis oculis intueri: hæc autem apertis oculis fixè intuens incompræhensibilem & somni expertem oculum Christi, cum desiderio & osculo salutabat. Exercitus Angelorum (qui sunt scabellum pedum Christi) procidentes, nec videre possunt, nec contingere: hæc verò labia labris coniungens, incompræhensum salutabat. O Virgo incompræhensi mysterij ferens miraculum, quæ fidem tèr optatam orbi prædicâsti. Virgo sublimior Angelis facta est, superior ipsis Cherubim & Seraphim, placens Christo Regi, à Deo in honore habita, tanquàm ancilla digna & mater. Sancta mater immaculata, quæ genuisti Christum, qui est ante te, & dixit: Priùs quàm Abraham fieret, ego sum. quæ stabulum gloria exornâsti, & præsepe illustrâsti. Virgo siquidem, spelunca & præsepe, cæli circulum, præ se ferentes, Deum incompræhensum gestabant, vtpotè tres, Trinitati apertè ministrantes. quandò Virgo in spelunca citra laborem prægnans, cæli & terræ Dominum deposuit in præsepio, tunc etiam ordines Angelorum circunstabant Virginem, cum clamore dicentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Quapropter etiam pastores, qui rurì pernoctabant, huiusmodi glorificationem Angelorum audièrunt de Saluatore, & celeri cursu properantes, lucem adorauerunt, spectantes miraculum insolens, ancillam Domini & Virginem in terra versantem, euasisse sponsam cælestem. Ipsa enim & sponsa, & thalamus, & Dei mater visa est in stabulo, quandò peperit infantem Christum, iuxta propheticam Esaiæ vocem, nempe, Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: cuius imperium super humerum eius, & vocatur nomen eius, magni consilij angelus, Deus fortis,

Marginal notes: Virgineum partum non norunt homines. — Vir sanctus reformidat dicere de matre Domini. — Adorare, pro venerari, frequens apud scriptores. — Ioan. 8. — Luc. 2. — Esa. 9.

fortis, potestate pollens, princeps pacis, pater futuri seculi. Tum post hæc & Magi à partibus Orientis, à stella splendida illustrati & deducti, peracta itineris ab Oriente longitudine, venerunt Bethleem ad adorandum partum. Vndè cùm ad ciuitatem Hierusalem peruenissent, occultari cœpit stella: illi verò tumultuantes, eò quòd viæ ducem perdidissent, necessitate cogente, interrogabant incolas ciuitatis, & sciscitabantur ab eis, vbi natus esset Christus. quod quidem miraculum inauditum omnes existimabant. De quo cùm audîsset Herodes, turbabatur vehementer: & vocatis sacerdotibus, percontabatur eos, vbi Christus nasceretur. Illi autem dixerunt, & non negauerunt: confessi sunt, & non sunt mentiti. Solis radios abscondere non poterant, vocem scilicet per prophetam de Saluatore clarè pronunciatam, testatò dixerunt, in Bethleem nasci Christum. Hunc enim in modum per prophetam clamat: Et tu Bethleem, nequaquàm es minima in principibus Iuda. ex te enim exiet dux, qui sit dominator in Israël. O infidelem Israëlem. confessus est legis effectum, & legislatorem denegauit. testificati sunt ipsi, vbi nasceretur Christus, & hi rursùs Christum natum abnegârunt. Cur igitur Magi, quorum vis animi propria immutata erat, quorum cor admodùm turbabatur, & extinguebatur præ dolore, quorum suspiria fluctuum violentorum instàr nauem submergebant: quorum oculi lachrymis, gemmas præ se ferentibus, terram irrigabant: quorum afflictio intolerabilis erat, ductorem ab Oriente requirentes, quam non habebant, habentes quæritabant, vbi esset Magorum dux stella. At verò perpende veritatem, quonam pacto occultatur eis stella, & intuere miraculum, & eius significationem. Hac de causa absconditur eis stella, vt dum percontarentur incredulos sacerdotes, manifestum redderetur omnibus cæli & terræ mysterium. quapropter vbi cognouerunt omnes, rursùm apparet stella Magìs, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potiùs in cælo. (Vbi enim Christus, ibi & cælum) Nam stabulum, visum est esse cælum in terra. Illi verò cùm vidissent stellam, immò potiùs Saluatorem, gauisi sunt gaudio magno: & incuruantes se, adorauerunt, obtuleruntque dona, aurum, thus, & myrrham: aurum quidem velut Regi, thus autem tanquàm Deo, & myrrham tanquàm mortali. vel potiùs, vt indicarent sepulturam creatoris & opificis omnium Christi, quem peperit sponsa cęlestis Maria, quæ est cælum, templum & thronus diuinitatis, inexplicabile paradisi monile. Angeli accusabant Euam: nunc verò Mariam gloria prosequuntur, quæ mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit, quæ lapsam Euam erexit, & Adamũ è paradiso deiectum, in cælos misit, quæ paradisum clausum aperuit, & per latronem rursùm Adamum complantauit. Per te enim, ô sancta Virgo, medius obstructionis paries, inimicitias dissoluit, per te pax cælestis donata est mundo, per te illuminati sunt fines terræ, per te homines facti sunt Angeli, per te homines appellati sunt amici, serui, & filij Dei: per te homines meruerunt esse conserui Angelorum, & cum eis familiariter conuersari: per te notitia cælestis, à terra transmittitur in cælos: per te homines fiduciam habent in cælo erga altissimum: per te Crux resplenduit per vniuersam terram, in qua quidem Cruce pependit filius tuus Christus Deus noster: per te mors conculcatur, & spoliatur infernus: per te ceciderunt idola, & excitata est notitia cælestis: per te cognouimus vnigenitum filium Dei, quem sanctissima Virgo peperisti, Dominum nostrum Iesum Christum, quem omnes Angeli atque homines adorantes, dicimus principio carentem patrem, carentem principio filium, & principio carentem spiritum sanctum, Trinitatem indiuiduam & consubstantialem glorificantes in secula seculorum, Amen.

[Margin notes: Matt. 2. — Mich. 5. — Iudæorum cæcitas & perfidia. — Stella cur abscondita sit Magis. — Munera Magorum. — Per S. Mariã homines facti sunt Angeli & filij Dei.]

MARTYRIVM SANCTORVM MARTYRVM ALEXANDRINORVM SVB DECIO IMPERATORE PASsorum, *Macaris scilicet, Epimachi, Alexandri, Ammonarij virginis, & sodalium eius: Heronis, Isidori, & Dioscori, ac sociorum eorum, vt habetur apud S. Dionysium Alexandrinum, Ecclesiasticæ historiæ Eusebij Cæsareensis libro sexto cap. 34. Iohanne Christophorsono interprete.*

8. Decēbris



SANCTVS Dionysius Alexandrinus Antistes, ad Fabium Episcopū scribens certamina & dimicationes eorum qui sub Decij imperio martyrium pertulerunt, cæteris martyribus præmissis, isto modo persequitur: Alius quidam genere Afer, qui & appellatione Macar (& ob vitam beatam, quā diuinæ gratiæ subsidio degisset, verè Macar, id est, beatus fuit) cùm ad fidei negationē, iudice eum ad eam rem magnoperè cohortante, adduci non posset, viuus crematus est.

S. Macarius viuus crematur.

12. Decēbris Itèm Epimachus & Alexander.

Epimachus etiam & Alexander, non longo pòst tempore quàm vincti tenebantur, post horum martyrium multos dolores perpessi, dilaniati nouaculis, & flagellis lacerati, ad extremum ardentissimis flammis circuniectis absumpti fuerunt. Quibus quatuor mulieres martyres adiungebantur: quarum prima fuit Ammonarium, sancta virgo, quæ, cùm iudex diù illam admodùm torsisset, vtpotè constanter asserentem se nihil eorum aliquandò dicturam, quæ ille iussisset, eaque in sententia firmè perstaret, ad supplicium abducitur. Mercuria, secunda erat, anus inprimìs veneranda. Tertia, Dionysia: quæ quanquàm erat multorum liberorum parens, illos tamē Domino in amore minimè prætulit. Quarta, Ammonarium altera: quæ tres, cùm præses vereretur nè incassum tormenta illis infligeret, & quodammodò euinceretur à mulieribus, nullum cruciamentorum genus ampliùs subire cogebātur: sed statìm capite obtruncato, mortem oppetunt. Pro omnibus enim prior Ammonarium, tanquàm in prima dimicationis acie locata, satìs tormentorum exceperat.

Sancta Ammonarium cum tribus sodalibus decollatur.

14 Decēbris Heron intereà, Ater, & Isidorus, Aegyptij: & Dioscorus vnà cum illis, adolescens quindecim annos natus, iudici traduntur. Et primum iudex adolescentem, tanquàm facilem ad persuadendum, blandis verbis in fraudem inducere, tum velut remissum & flexibilem ad fidem negandam, tormentis impellere tentat. Sed Dioscorus neque persuasione quicquam cōmotus est, neque iudicis omninò cessit sententiæ. Cæteros acerbissimè crudelissimeque verberibus dilacerat: quos cùm tormenta magno & fidenti animo, pro fide tolerare cerneret, rogo cremandos tradit. Dioscorum autem, cùm propter singularem animi magnitudinem, quam palàm ostenderat, tum propter prudentissima responsa, quæ ad singula rogata dederat, iudex magnoperè admiratus, dimisit: affirmans, se propter ætatem certos dies illi velle concedere, quibus resipiscendi haberet facultatem. Iam ergò Dioscorus summa pietate eximius, nobiscum est, expectās cùm certamen prolixius, grauiusque, tum amplius præmium & diuturnius.

Dioscori adolescētis constantia.

Herō, Ater, & Isidorus igne cōcremantur.

19. Decēbris Porrò Nemesis quidam, & ille etiam Aegyptius, falsò in crimen vocabatur, quòd cum latronibus societatē coiuissiset: sed istam calumniæ notam ab eo alienissimam quidem, cùm coram centurione diluisset, iterùm per iudicem fuit delatus, quòd Christianus esset, vinculisque constrictus ad præsidem venit. Iste iniustissimus præses, beatum martyrem tormentis & verberibus duplo grauioribus, quàm latrones ipsos, affligens, exemplo Christi inter latrones interiectum (vndè non parum honoris adeptus est) feruido ignis exurit incendio.

S. Nemesis exēplo Christi inter latrones igne exuritur.

20. Decēbris Quædam porrò militum turma derepentè accedit: nimirùm Ammon, Zeno, Ptolomæus, Ingenes, & pariter cum illis senex Theophilus: qui pro tribunali se ipsi stiterunt. Cùm igitur quidam, quòd Christianus esset, in quæstione versaretur, & iam ad fidei negationem propenderet: isti assistentes, præ rei indignitate dentibus frendere, vultum mutare, manus extendere, toto deniquè corpore gestus quosdam

quosdam agere cœperunt. In quos cùm omnium ora essent conuersa, priusquàm vlli alij in eos iniecerũt manus, illi ipsi ad subsellia accurrere, se Christianos profiteri: sic, vt cùm præfectus, & assessores qui aderant ei in concilio, timore obstupescerent. tum Christiani, in quos iam inquirebatur, ad ea tormenta quæ pòst essent perpessuri, toleranter sufferenda maximè confirmarentur: tum deniquè iudices, qui essent contra eos sententiam pronunciaturi, maximo metu exhorrescerent: isti verò è foro gloriantes abscedere, & præ testimonio quod Christo perhibuerant, summo gaudio exultare, Deo per illos gloriosos triumphos agente. Alij prętereà complures in vrbibus & pagis, à gentibus distracti erant, & quasi membratim discerpti: ex quibus vnum exempli gratia commemorabo. SS. Ammonis, Zenonis, & sociorum, gloriosum martyrium.

Ischyrion cuiusdam magistratûs negocia, mercede conductus, procurat. is qui eum conduxerat, iubet idolis sacrificare: quem, cùm mandato minimè obsequeretur, cœpit conuicijs lacerare: ac cùm constanter fidei adhærescèret, grauibus affecit contumelijs. atque vbi vidit eum pacatè & tranquillè omnia sufferentem, arrepto fuste præacuto, intestina ac viscera illius transfodit, crudeliterque interemit. Quid attinet percensere multitudinem eorum, qui in solitudine & montibus vagi, errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestijs fuerunt extincti? Quorum electionis beatæ & eximiæ victoriæ quanquàm testes sunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat: tamen vnum aliquod facinus proferam, quo res istæ sint exploratiùs cognitæ, perspectæque. 22. Decẽbr. S. Ischyrion prǽacuta sude per viscera transfoditur. Multi martyres diuersis supplicijs interimũtur.

Chæremon Episcopus ciuitatis quæ Nilus dicitur, cùm iam planè grandis esset, & ætate propè exacta, vnà cum vxore sua ad montem Arabiæ confugiens, neque pòst reuersus est, neque vsquàm eos quispiam videre potuit. Et licèt fratres iam aliquotiès eum cum vxore quærerent, tamen neque ipsos, neque corpora eorum vspiàm reperire potuerunt. Permulti certè in eo Arabico monte erant, à barbaris Sarracenis facti captiui: quorum alij ægrè quidem, & vix ingenti pecuniæ summa redimi poterant: alij hactenùs nullo modo. Atque ista, mî frater, non frustrà equidem dicendo persecutus sum: sed vt cognoscas quantæ & quàm acerbæ calamitates apud nos obtigerint: quas qui fuerint magìs experti, plura de illis & sciunt & dicere possunt. Chæremonis Episcopi cum vxore fuga.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI PATAPII, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE.

Habetur in Tomis Aloysij.



NON multos parit Aegyptus: sed quandò parit, magnum parit. Hoc dictum quidem est de quodam alio ex antiquis Philosophis: euentum autem accipit in Patapio. Vir enim ille, & vita, & miraculis, non solùm pro multis, sed etiam pro omnibus sufficit patriæ ad ornatum: adeò vt illa non magìs pudore suffundatur propter eas, quæ olìm in ea fuerant, impietates, quàm quòd hunc post gratiam produxerit, gloriatur. Is patriam quidem habuit clarissimas Thebas: Thebas illas, quas pulcherrimus fluuiorum Nilus circunfluit quidem semper: irrigat autem in tempore: præbet verò iucundissimum fluentum & ad videndum, & ad bibendum. In his ergò natus, & per aquam & spiritum renatus, (ortus enim erat ex fidelibus parentibus) honestè quidem alitur: diligenter autem eruditur, & sic in moribus componitur, vt virtutis rami paulopòst ostendent. Decẽbris 8. Cap. 1. Patria S. Patapij.

Cùm sic ætate & vera sapientia magnus ille cresceret, philosophus factis, non sermonibus, res humanas despiciens, & res solùm diuinas persequens, propter hæc alijs quoquè omnibus despicatui habitis, patria, parentibus, amicis, familiaribus & cognatis, Aegyptum quidem illam & illum Nilum iubet valere, vt quæ terrenorum solùm fructuum profiteretur fertilitatem. Ille autem sciebat solitudinem esse maximè accommodatam ad virtutum exercitationem. In eam ergò profectus, ei se tradidit: in qua cum multis laboribus longo tempore versatus, non solùm quicquid erat pulcherrimum & produxit & aluit, sed etiam perfecit, vt in ipso radices ageret, vt propemodùm secundùm naturam virtus ad eum pertineret. Sic cùm * sufficientem Cap. 2. Verè se probet philosophum. Degit in solitudine. for. * sufficienter

cientem illum diuinum percepisset radium, & lux totus esset effectus, non sub modio, sed super candelabrum à Deo ponitur. Illud autem maximè omnium, velle multos latére, vel maxima causa fuit ei vt non lateret. Nam ille quidē postquàm mons cum celare non potuit, (erat enim ille reuerà ciuitas multis ornata bonis) claraque voce clamabant, & omnes conuocabant, partim quidem eius rectefacta, partim autem etiam miracula.

Cap.3. Multi ad eū se adiūgūt: at ille fugit. Cùm ergò multi confluerent, & propter multitudinem eorum, qui accedebant, præberet solitudo speciem ciuitatis, ab illa quidē se fuga subducit, & ab ijs, qui ipsum rectè nôrant: ignotus verò venit Constantinopolim, & cùm ad murum, qui est in Blachernis, fixisset sedem suæ habitationis, soli sibi & Deo vacabat, hospes solitarius, & qui neque cum multis vllam habebat congressionem, neque ab eis adspiciebatur: & quæ alius finem statuisset certaminum, ea arbitratus ille esse principium, præcedentia, inquam, & quæ ipse iam rectè gesserat, acriter tendebat ad anteriora, maiora velutì certamina aggrediens, & se totum arcens à cōsensione affectionum corporis. Negligit curam corporis. Nihil erat ei curæ vestitus, nihil alimentum, nihil somnus: vt qui exercitatoriam quidem, seu quæ in agendo consistit, vitam superauerat: angelicam autem æmulabatur etiam cum corpore, & in alijs, & quòd intelligenter versaretur cum intelligentia, & illam diuinam visione appræhenderet pulchritudinem. Sic cum actione concurrens contemplatio, erectum & sublimem tenebat exercitatorem, & ad ipsum vsque cælum extollebat. Multa verò & admirabilium rerum effectrix, mirandum in modum vigebat & florebat gratia, vtpotè quòd non posset virtus suum celare operarium, & Deus simul glorificaret eos, qui elegerunt ipsum glorificare. Sed quod (1.Reg 2.) iam mihi dicere aggressa fuerat oratio, gloriam quidem minimè admirans, latére autem maximè cupiens, hîc quoquè euadit manifestus miraculorum & virtutis thesaurus.

Cap.4. Adolescens quidam, qui oculorum quidem splēdorem ab ortu amiserat, fidei autem lumine resplendebat, cum desupèr ad id mouente prouidentia, ad hunc magnū accedit, & imitatur cæcum, qui dicitur in Euangelijs: (Luc.18.) nisì quòd ille quidem ad Christum: hic verò accedit ad Christi famulum, & loquitur eadem quę ille, & cum eodem ardore & affectione, dicens: Miserere meî, & præbe lumen meis oculis, qui es veræ lucis filius & gratiæ: vt ego quoquè effectus contemplator horum, quæ videntur, admirer quidem eorum excellentiam: per res autem creatas, celebrem creatorem. Et hæc quidem cæcus: Ille verò homo misericordiæ, videns oculos quidem nullius omninò splendoris participes, tantam autem fidem, quam dicit diuina scriptura efficere etiam, vt montes transferantur, (1.Cor.13.) frangitur quidem: (Quidnì enim, cùm esset animo clementissimo & mansuetissimo?) & simul mentem illius examinans: Quid ad me, inquit, accedens, ô adolescens, quæris vt ea donem, quæ meas vires superant? Quid in me vidisti eiusmodi, vt id à me postules, quod solus potest efficere vniuersorum opifex? Ille enim hæc, vbì, & quandò, & ijs quibus vult, dat admirabiliter. His sensìm verbis abigens adolescentem, nihilo minùs cum aliquid inuenit de fide remittentem, neque à sua petitione & desiderio desistentem: sed voces adhuc flebiles emittebat & miserabiles. Et miserandus quidem eius videbatur habitus: admiranda autem prudentia & oratio, persuadens verbis, lachrymis rogans, se in omnem speciem mutans, & postremò affirmans, se non esse abscessurum, vt qui sciat fore, vt ab illo accipiat curationem. Tunc ergò cùm certam & minimè dubiam fidem apud eum inuenisset, impertit ei magnus gratiam: (Solo verbo cæco restituit lumen.) & quoniam ad curationem ei sermo sufficiebat: In nomine Iesu Christi, qui & cæcis, inquit, lucem, & spiritum largitur mortuis, in quo etiam credens accessisti, esto videns. Ille quidem dixit: hic autem vidit, & ità se habere est conspectus, & ibat omnia faciens, gaudens, glorificans, gratias agens, oculos omnium ad se conuertens, adeò vt nonnulli significarent digito, dicentes: Hic est, qui erat aliquandò cæcus. Hoc fuit principium magni Patapij miraculorum, & hic modus, nè magnum lumen illius gratiæ esset sine teste, & nè non cerneretur à multis. Vult autem oratio ei quoquè alterum addere, quod ad miraculi rationem non est priori inferius.

Cap.5. Vir quidam inter Byzantinos insignis, laborabat hydrope, & ei erat corpus valdè inflatum: quæcunq; autem habebat, effundens in manus medicorum, illos quidem iuuit, reddens locupletiores: se autem præter sanitatem, priuauit etiam facultatibus. Is de illis quidem spe abiecta, in superno verò auxilio, & magni Patapij precibus spem

ſpem ſuæ ſalutis collocans, venit ad eum, & morbi oſtendit grauitatem, & dolorum enunciat acerbitatem. Ille autem rem nouam vidẽs & miſerabilem, pellem quidem illam inflatam & tumefactam: tumorem verò, qui totum corpus peruaſerat, & veluti quoddam ſepulcrum animatum, calamitatis mouetur miſericordia, & his tribus vtitur ad eius curationem, nempe oratione, & Cruce, & lachrymis: oratione quidem, tanquàm medicamẽto: Cruce autem, tanquàm inſtrumento, qua etiã ſignat omnia circa ventrem: lachrymis verò, tanquàm pecunijs. Eas cùm commiſcuiſſet oleo, vnxit corpus. Deindè etiam ei nomen óccinens Dominicum, & dicens: Ieſus Chriſtus, qui ei, qui priùs laborabat hydrope, præbuit ſanitatem, ipſe te nunc curat, & liberat à plaga, quæ te premit. Hoc cùm ipſe dixiſſet, ſtatìm quidem ſoluta ſunt vincula humidarum ventris obſtructionum: meatus autem naturales emiſerunt quicquid erat humidum & ſanioſum: & purgata fuit interna viſcerum vniuerſorum ſtructura, & homo conualuit. *Oratione, Cruce & lachrymis hydropẽ ſanat* *Luc.14.*

Tertium vult his adijcere oratio, quod eſt & dictu maius, & narratu admirabilius. Quidam alius ętate iuuenis, miſer autem animo, à ſęuo dæmone agitatus, aliquandò veſte rupta nudus errabat: aliquãdò verò per præcipitia & foſſas ferebatur: aliquandò autem vagabatur in montibus & ſolitudinibus: aliquandò etiam ſe in aquam iaciens, ſibi mortem minabatur miſerabilem. Hic ergò cùm à conſueta & dæmoniaca plaga aliquandò agitaretur, in mare, pròh dolor, maximo impetu ferebatur. Sed Deus à ſuperis eius ſiſtit impetum, præter opinionem ad eum magnum adducens Patapium. Nam cùm ei exinopinatò occurriſſet dæmoniacus, incipit quidem conturbari, & miſerè in orbem ſaltare: ſpumam autem ex ore expuere, & oculos peruertere, dentibus verò ſtridere, & ad ſanctum minaci & cædem ſpiranti intueri obtutu. Poſtquàm autem fuiſſet propiùs, dæmonium voces emittebat miſerabiles, dicens: O calamitatem. Quid hoc eſt? hîc quoquè rursùs eſt Patapius? Quid agam? Quò me vertam? Vbinàm deincèps habitabo, qui iam multùm laboraui, & vix inuéni habitaculum, & ex eo nunc per vim expellor? Verè terribilis es, ô Nazarene, verè terribilis, & vbiquè in omnes obtines imperium. Quò ergò proficiſcar? Si in deſertum, ſi in ciuitates, ſi vbicunquè dixerit aliquis, ipſe illuc præuenis, ſola Crucis figura, ſolo tuo nomine nos expellens. Victus ſum, ſuperatus ſum: cogor recedere. Hæc malignus loquebatur ſpiritus, & iuuenem in medium aërem excutiebat ſaltibus. Magnus autem ille Dei athleta cùm in aëre Crucem formâſſet digito, & eum eo modo, quo Dominus, increpâſſet: Egredere, inquit, immunde ſpiritus, egredere: abi procùl in ſolitudines. Chriſtus hæc tibi per me præcipit, cuius potentiam vel inuitus es confeſſus. Hæc cùm iuſſiſſet Patapius, adoleſcentem diſcerpens ſpiritus, terræ alliſit, & per os tanquàm quidam fumus exijt & effugit. Cùm autem ad ſe redijſſet adoleſcẽs, lachrymabatur præ gaudio: & primùm quidem Deo, ſecundò verò Patapio adſcribebat ſalutem. *Cap.6.* *Adoleſcens à dæmone miſerè vexatur.* *Nota vim ſigni S. Crucis.* *S. Patapius expellit dæmonem.*

Suffecerint hæc quidem, vt ſint ſigna illius gratiæ, & in Deum fiduciæ: ſed tamen cùm his vnum adhuc addidero, (non eſt enim iniucunda narratio) finem imponam orationi. Mulier quædam in grauem morbum inciderat. Affectio autem quomodò erat maior, quàm vt eam vlla manus humana medicaretur: ità maior eſt etiã, quàm vt eam vlla lingua dicat. Eius enim mamilla in ſe, pròh dolor, producens morbum, quem medici vocant cancrum, exedebatur cum magnis doloribus. Nihiloſeciùs autem reliqua quoquè membra corporis, cum vno per conſenſum affecta, tabeſcebant. Procedente tempore, tota quidem ferè pars fuerat conſumpta: dolores autem cor acriùs attingebant, & mors appropinquabat. Periti verò medicinæ, callidè tractãtes mulierculam, & ipſi facultates, & morbus nihiloſeciùs attondebat mamillam. Ea, cùm magni Patapij fama in omnem locum peruaderet, prudenter & vtiliter faciens, ad eum accedit, & terræ caput allidit, & tangit eius genua, & flens miſerabiliter: Cura, ſerue Dei, cura me miſeram, clamabat lamentabiliter: cuius ante ſepulturam vermis corpus depauit, & dolores exederunt, & mortem omnibus fugiendam, mihi reddiderunt optabilem. Ille autẽ cùm ante corpus priùs adſpexiſſet ad animam: Si puram, inquit, fidem offers Deo, qui hæc poteſt, & nihil dubitas de curatione, conſequens fidei ſequetur exitus tuæ petitionis. Audiuit mulier, & cùm ex imo miſerabiliter ingemuiſſet, Credo Domine, magna voce exclamauit, cui ſunt omnia aperta & manifeſta, medere graui meæ ærumnæ: Credo Domine: huic malo medere: non fero dolores, qui cor meum penetrant, & mortem parturiunt. Cùm eam vidiſſet adeò crucia- *Cap.7.*

cruciatam, iubet eam ei ostēdere locum morbi: & cùm manum admouisset vulneri, & eam Cruce signâsset, O mulier, inquit: scio morbum tuum esse grauem, & curatu difficilem: cæterùm fides vincit affectionem, & spes percipit curationem. Abi ergò in pace: sanatum est vlcus tuum, & sopitus est dolor. Simul atquè hæc dixit, & mulieri cessauit affectio, & mamilla euasit omninò sana. Cùm illa esset talem consecuta gratiam, fuit apud omnes testis & prædicatrix diuinæ & admirabilis magni Patapij virtutis curationum.

Crucis signo sanat morbu incurabilem.

Cap.8. Ex quibus cognitus sit Patapi⁹ virtutibus.

Ex vnguibus leo, ex his nobis cognitus fuerit Patapius. Nam qualia quidem fuerint, quæ ab illo fiebant, hæc possunt ostendere. Si quàm multa autem vellem dicere, opùs esset longa oratione & tempore. Sed quomodò in signaculo, quod est vnum & idem, nihil oportet anxiè inquirere de ea, quam habet, potestate, seu sint plura, seu pauciora ea, quæ imprimuntur: ità hîc quoquè non oportet nimìs curiosè scrutari multitudinem. Similis enim est gratia, & eadem potestas. Conuertenda est ergò oratio ad illius decessum: & eius vitæ finis, sit nobis quoquè finis orationis.

Cap.9.

Sic magnus ille homo Dei, & re vera virtutis exemplar animatum, cùm vitam suam ornâsset bonis factis & miraculis, cùm esset excessurus, immò verò in suam ciuitatem profecturus, & sublatum esset è cælo signum, apud eum quidem aderant, quicunque se dediderant exercitationi, & erant amantes virtutis, mœrore affecti & lachrymantes, illius migrationem cōmunem existimantes orbitatem: sine illo viuere, mortem communem nominantes: dolore vincentes rationem, & in apertas erumpentes lachrymas, & conquerentes de separatione: Pater, dicentes, charissime, pater suauissime: cur nos filios diligens, apparuisti sic decessum accelerans? Cur patris orbitatem filijs concilias? Cur migras in aliam patriam? Cur non nos quoquè priùs eò amandâsti, si potest fieri? Quis est, qui post te sit quidem sedaturus dolorem, corpus verò curaturus, animam autem medicaturus oratione, vita & miraculis? Quænam est spes decæterò? Quænam filijs tuis consolatio? Heu quomodò feremus calamitatem?

Multi eius decessu valdè mœrent.

Cap.10.

Hæc illi quidem, casum, vt poterat vnusquisque, tragicè deplorantes. Ille verò se aduersùs mortem fortem ostendens, & vitæ minimè cupidum, ad eos qui circunstabant se amanter inclinans, sensìm oculos attollens, & ad eos intuens: Nè sic, ô charissimi, nè sic vestrum patrem lachrymis prosequimini: sed potiùs precibus. Nam illud quidem & vos & me lædit: hoc autem præbet auxilium. Sic cùm eorum luctum sedâsset & fletum, & de anima, & de futura illic vita multa esset philosophatus, & omnibus, prout vnuscuiusque ætati conueniebat & dignitati, monita dedisset, & deindè esset precatus, tanquàm in somnum resolutus, puram illam emisit animam. In virtute autem exercitatæ & sacræ illius reliquiæ, sanctis manibus compositæ, deponuntur in sacro templo Præcursoris, multis eas prosequentibus, & glorificantibus patrem & filium & spiritum sanctum, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Obdormit in Domino

VITA BREVIS SANCTI CYPRIANI PETROCORICI ABBATIS, PER S. GREGORIVM

Archiepiscopum Turonensem conscripta, De gloria Confessorum capitulo centesimo.

9. Decēbris. Deus S. Cypriani meritis multa operatur miracula.



CYPRIANVS Abbas Petrocorici oppidi, magnificæ sanctitatis vir fuit, per quem Deus multa miracula in hoc mundo operari dignatus est. Nam manus debiles frequenter reintegrauit, paralyticis gressum, cæcis restituit visum, tresque leprosos inunctos oleo pristinæ reddidit sanitati. Sed & nunc crebrò super infirmos sanitates ostendit, si fideliter eius tumulum expetant, aut illum exorent.

MAR-

MARTYRIVM S. EVLALIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS, AVTHORE PRVDENTIO

Hymno 3. Peri Stephanōn.

10. Decēb.

Patria S. Eulaliæ, quam ipsa ornat reliquijs suis.

GErmine nobilis Eulalia,
Mortis at indole nobilior.
Emeritā sacra virgo suam,
Cui⁹ ab vbere ꝓgenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Vrbe potens, populis locuples:
Sed magè sanguine martyrij,
Virgineoque potens titulo.

Aetas, qua passa est.

Curriculis tribus atque nouem,
Tres hyemes quatèr attigerat,
Cùm crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Iam dederat priùs indicium,
Tendere se patris ad solium,
Nec sua membra dicata toro:
Ipsa crepundia reppulerat,
Ludere nescia pusiola.
Spernere succina, flere rosas,

In teneris annis senilis morum grauitas.

Fulua monilia respuere:
Ore seuera, modesta gradu,
Moribus & nimiùm teneris,
Canitiem meditata senum.
Ast vbi se furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis:
Infremuit sacer Eulaliæ
Spiritus, ingenijque ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
Fœmina, prouocat arma virûm.
Sed pia cura parentis agit,

Mater eam sitientem martyrium cupit abscondere.

Virgo animosa domì vt lateat,
Abdita rure, & ab vrbe procùl,
Nè fera sanguinis in precium
Mortis amore puella ruat.
Illa perosa, quietis opem
Degeneri tolerare mora,

Illa verò fugit, & ad martyrium properat.

Nocte fores sine teste mouet,
Septaque claustra fugax aperit:
Indè per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris,
Per loca senta situ & vepribus,
Angelico comitata choro:
Et licèt horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.

Exod. 13. Num. 4.

Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium:
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte chao.
Non aliter pia virgo viam
Nocte secuta, diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cùm fugeret,
Et super astra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
Millia multa priùs peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum:
Manè superba tribunal adit,

Fidenter se offert crudeli tyrãno, cumque reprehendit.

Fascibus adstat & in medijs,
Vociferans, Rogo, quis furor est,
Perdere præcipites animas,
Et malè prodiga corda suî
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare Deum?
Quæritis, ó miseranda manus,
Christicolûm genus? en ego sum
Dæmonicis inimica sacris:
Idola protero sub pedibus,
Pectore & ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus & ipse nihil:
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum quia facta colit:
Friuola vtraque, & vtraque nihil.
Maximianus opum dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voueatque suis
Numinibus caput ipse suum:
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius,
Sanguine pascitur innocuo,
Corporibusque pijs inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.

Vide constantiam.

Ergò agè tortor, adure, seca,
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem, facile est:
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait: Rape præcipitem
Lictor, & obrue supplicijs:
Sentiat esse deos patrios,
Nec leue principis imperium.
Quàm cuperē tamē ante necem,
Si potis es, reuocare * viam,
Torua puellula, * nequitiæ:

*tuam *nequitiam

Tyrannus ei primùm blanditur.

Respice gaudia quanta metas,
Quæ tibi fert genialis honor.
Te lachrymis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,

Flore quòd óccidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.
Non mouet aurea pompa tori,
Non pietas veneranda senum,
Quos temeraria debilitas.
Minas intentat. Eccè parata ministeria
Excruciabilis exitij.
Aut gladio feriére caput,
Aut laniabere membra feris;
Aut facibus data fumificis,
Flebiliterque vlulanda tuis,
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo, quis labor est, fugere?
Si modicum salis eminulis
Thuris & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis:
Pœna grauis procùl abfuerit.
Martyr ad ista nihil: sed enim
Sancta virgo eũ conspuit. Infremit, inque tyranni oculos
Sputa iacit: simulacra dehinc
Dissipat, impositamque molam
Thuribulis, pede prosubigit.
Nec mora, carnifices gemini
Dirè vngulis laceratur Iuncea pectora dilacerant,
Et latus vngula virgineum
Pulsat vtrinquè, & ad ossa secat,
Eulalia numerante notas.
Scriberis eccè mihi, Domine:
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Christe trophæa notant?
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Gaudet in tormentis, & Deo laudes decantat. Hæc sine fletibus & gemitu
Læta canebat & intrepida.
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore nouo
Fonte cutem recalente lauant.
Vltima carnificina dehinc,
Non laceratio vulnifica
Crate tenùs, nec arata cutis:
Ignibus crematur. Flamma sed vndiquè lampadibus
In latera stomachumque furit.
Crinis odorus & in iugulos
Fluxerat, inuolitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia,
Virgineusque lateret honos,
Tegmine verticis opposito.
Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata, caput
Occupat, exuperatque apicem:
Hausto igne expirat animã, in columbæ specie ex Virgo citum cupiens obitum,
Appetit, & bibit ore rogum.
Emicat indè columba repèns,
Martyris os niue candidior
Visa relinquere, & astra sequi: eius ore euolãtem.
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur:
Pax datur artubus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ouans,
Templaque celsa petit volucer.
Vidit & ipse satelles auem
Fœminæ ab ore meare palàm:
Obstupefactus & attonitus
Prosilit, & sua gesta fugit,
Lictor & ipse fugit pauidus.
Eccè niuem glacialis hyems
Ingerit, & tegit omne forum:
Membra tegit simul Eulaliæ, Nix operit corpus eius.
Axe iacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lachrymantũ hoĩm,
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat & officium:
Ipsa elementa, iubente Deo,
Exequias tibi, virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo
Clara colonia Vectoniæ:
Quam memorabilis amnis Ana
Præterit, & viridante rapax
Gurgite mœnia pulchra lauat.
Hîc, vbi marmore perspicuo
Atria luminat * alta nitor * alma
Et peregrinus, & indigena:
Relliquias, cineresque sacros Sacros eius cineres habet Emerita.
Seruat humus veneranda sinu.
Tecta corusca superrutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque cæsa solum variant,
Floribus vt rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite:
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus vt cumulet calathos.
Ista comantibus è folijs
Munera virgo, puerque date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen,
Sic venerarier ossa libet,
Ossibus altar & impositum:
Illa Dei sita sub pedibus,
Prospicit hæc, populosque suos Vident nos sancti, & tuentur.
Carmine propitiata fouet.

MAR-

MARTYRIVM SANCTORVM CHRISTI MARTYRVM MENAE, HERMOGENIS, ET EVGRAPHI: *authore Simeone Metaphraste. Habetur in Tomis Aloysij.*

Decēb 10.
Cap. 1.



OST Seruatoris Christi in terram aduētum, multi quidem etiam alij se ad martyrica certamina exuērunt: cum omnibus autem se quoque magnus exuit Menas. Postquàm enim Diocletianus simul & Maximianus magnum quidem habuerunt imperium, fuerunt omnibus terribiles. Cùm autem voluissent repugnare pietati, & fidem in Christum expugnare, quam vel portis inferi validiorem mansuram ipse pronunciauit: postquàm magnum ad hoc adhibuēre studium, & omnem mouēre lapidem, quādò cognouerunt se ea aggredi, quæ non possent fieri, & vt dicitur, iaculari in aërem, & conari mouere, quæ sunt immobilia, vterque eorum deposuit imperium: apud alios quidem prætexentes fortunæ satietatem, & amorem mutationis: ijs autem, quibus poterant secreta communicare, & animum aperire, dicentes Christi virtutem, & quæ ex signis proficiscebatur, persuasionem: & quòd cùm hoc non potuissent efficere, alia posthabentes & parua existimantes, nec imperare quidem volebant.

Matth. 16.

Diocletianus & Maximianus cur se imperio abdicātint.

Cap. 2.

Cùm sic ergò illi imperium deposuissent, Maxentius quidem ab eis Romæ, Constantius autem Gallijs, Maximinus verò Orienti præficiuntur Imperatores. Fuit ergò protinùs in Oriente magna persecutio aduersùs Christianos, & rerum communium confusio, & vt semèl dicam, magna quædam perturbatio & seditio in terra & in mari, Maximino studente quidem cōfirmare maiorum suorum deceptionem, & falsam religionem: è terra autem, si fieri posset, tollere res Christianorum, & omninò auferre de medio. Cùm verò ei relatum esset, totam Alexandriam (ea est autem ciuitas illustris in Aegypto) & per se quidem seditionem agitare causa reipublicæ, & seditionem etiam agitare, cùm Christi ad eam venisset prædicatio, vbi deliberâsset & considerâsset, visum est (quoniam non poterat per se præsens ciuitatem conciliare) edictis intereà reprimere quidem prædicationem, componere autem controuersias publicas & ciuiles. Cùm verò edicta videretur superare eorum, qui seditionem agitabant, controuersia, & ratio prædicationis, relata sunt hæc quoque rursùs ad Imperatorem. Ille autem continuò non parùm quidem ægre ferebat suarum contemptionem constitutionum: irascebatur verò, quòd dij patrij abolerentur.

Maximinus sæuus hostis Christianorum.

Cap. 3.

Iræ itaque hunc prætextum præ se ferens, quòd tanta defecisset ciuitas, tunc quidem suum retinuit impetum, eos qui erant in Ecclesia, vt qui essent ex magistratibus, reueritus: Posteà autem cùm in hoc totum suum conuertisset studium, & cognouisset sibi quidem necesse esse reipublicæ gratia adhuc versari Byzantij, non expedire verò, eo relicto, proficisci Alexandriam, mittit ad eos virum, qui vocabatur quidem Menas, & erat genere Atheniensis, & vnus ex senatu, & ex Græcorum processerat disciplina: vt qui cùm in alia esset doctrina summè exercitatus, tum etiam in arte rhetorica, quæ in disceptationibus versatur & contentionibus, erat inexpugnabilis: & vt paucis dicam, ad dicendum quidem erat promptissimus, ad audiendum verò prudentissimus: tunc autem celabat religionem, & occultè sectabatur res Christianorum: vsque ad hoc tempus autem se simulabat sequi volūtatem Imperatoris. Verebatur enim, quoniam sunt certamina periculosa, sua sponte venire ad martyrium. Atque Imperator quidem maxima celeritate eum mittit Alexandriam, vt rerum quidem ciuilium componat controuersias, & eos reconciliet, qui propter eas processerunt ad seditiones: maximè verò & præcipuè, vt zelo patriæ religionis, & dicendi arte, & animi celsitudine, Christi prædicationem expelleret è ciuitate, & rursùs imperatoriam doceret religionem, eos subiungens, qui illam abiurauerant.

Menas senator & egregiè doctus orator, occultè verò Christianus.

Cap. 4.

Ille autem potestatem & tantarum rerum molem suscipiens, cum breui tempo-

In sedat tumultus Alexādrinos. re fuisset in ciuitate, artis necessitate & ingenij præstantia cōtrouersias facilè composuit: & ciuibus quidem antiquam pacem, ciuitati verò potentiam & tranquillitatem omninò restituit, adeò vt rarò quidem tribunali, plagis autem ne semel quidem opùs fuerit. Cùm autem in alijs quidem vidisset conuenire ciuitatem, in noui verò dogmatis sententia nondùm conuenire, & omnia sigillatim scripsisset ad Imperatorem, conuersus est ipse ad prædicationem: & intelligens esse facile, si modò velit, totam per se ciuitatem conuertere ad veram religionem: & quòd si in alio quidem tempore subijsset martyrium, pro se solùm accepisset coronam: hodie autem pro ijs, qui decertant, accipiet mercedem: intuens ad coronas, statuit & magis arguere deceptionem, & traducere ciuitatem ab errore gentilium, & persuadere omnibus, vt discant pietatem, & seipsum reddere manifestum, & certaminum occasiones ipse tanquàm ansas præbere alijs. Quoniam verò perspiciebat multitudinem nequaquàm quidem nudas admittere adhortationes, sed eas potiùs habere suspectas: faciliùs autem capi à fide, quæ proficiscitur ex operibus, pauca docens, idque solum, quandò videbat interrogantes, & cupientes discere: magna ex parte autem eos per signa inducens, adeò breui ad eam, quæ latebat, traduxit veritatem, vt fuerint omnes parati dæmonum statuas & aras deijcere: &, si quandò liceret, pro Christo pati mortem prompto & alacri animo. Nam cùm ille quidem cum rebus publicis ipso quoquè dignitatis fastu exutus, totum forum obiret honesto & moderato incessu, & totus quoquè ferè populus ipsum consequeretur, propter reuerentiam magistratûs & signorum & curationum: accideret autem fortè fortuna, vt ipse incideret in ægrotos, aut illis occurreret, quibus erat corpus aliqua parte mutilum, ille quidem protinùs cernebatur animo perturbatus, & manus eis imponebat, & Christum inuocabat, & signo Crucis obsignabat. Illi verò cùm essent claudi, statim saltabant omnibus videntibus: surdi autem & cæci, protinùs videbant & audiebant, mutique loquebantur, & dæmoniaci curabantur.

Conuertit Alexandrinos ad Christum.

Multos curat languidos signo Crucis, &c.

Cap. 5. Cùm hæc ergò fierent, & precaretur quidem beatus Mēnas: ad inuocationes autem concurrerent omne genus miracula, (manifestum enim erat ijs, qui simul aderant, quis solùm nominatus faceret miracula, & quòd non erat alius, nisi Christus Deus) erumpens repentè vniuersa ciuitas à maiorum, in qua enutriti fuerant, deceptione, & patrios quidem deos multùm ludificans, multa verò dicēs aduersùs Imperatorem, & grauissimè execrans tam eos, qui colunt, quàm ea quæ coluntur, & toto animo abiurans parentum impietatem, à martyris lingua & mente omnes simul pependerunt, & sua ei anima adhæserunt, sacras voces arbitrantes, & verba vitæ, illius solius verba agnoscentes: paucis ad signa cōniuentibus, & ad agnitionem eorum obsurdescentibus. Quinam autem erant isti? Ij, à quibus magni quidem fiebat festum dæmonum, quod peragebatur ad aras, propter comessationem, & ebrietatem, & cubilia, & intemperantiam: contemptui verò habebantur res honestæ & venerandæ Christianorum, propter vitam continentem & impatibilem, & quæ erat cum corpore, vitam incorpoream. Cùm autem isti tenebrarum filij & interitûs, derelictum errorem & suorum simulacrorum dedecus non ferentes, sanctum quærerent vlcisci pro facta eis iniuria, & populum pro eius in deos cōtumelia, cauerent autem impetum multitudinis, hæc quoquè clàm referūt ad Imperatorem. Vt verò eius iram maximè accenderent, & ad pœnas sumendas eum totum inducerent, & à dubitatione & ira obsessum, efficerēt celerem vltorem audacis facinoris, hoc nomen Galilæus, seminârunt per totam epistolam: eiusque dominatûs, & deorum contemptionem & abolitionem: & aduersùs ambos scommata & irrisionem, & vniuersam ciuitatis defectionem.

Nota qbus Christi doctrina displiceat.

Accusatur S. Menas apud Imperatorem.

Cap. 6. Maximinus autem statim eis lectis literis, pudore & dolore fuit repletus. Dolebat enim propter damnum ciuitatis, cùm considerâsset, quàm mutilatum sibi esset imperium, & quanta pars potestatis esset sibi ablata: Pudore verò afficiebatur, videns se esse victum, & suos deos esse affectos contumelia. Cùm autem præ se tulisset eam, quæ ipsum inuaserat, animi perturbationem, & vultûs tristitiam, esse solummodò intensam cogitationem, & eius quod expediebat, meditationem, quoniam huic tempestati diù non potuit resistere, fit protinùs manifestus, & arguitur ab animi perturbatione, & apertè erumpit in iram. Cùm itaque multis maledictis Christum esset insectatus, & beatum Menam condemnâsset erroris: & adiecisset, fieri quidem non posse, vt homines hominem discernant: peccare autem peccatum

Maximinus Christum proscindit.

tum minimè ignoscendum eos, qui cùm nihil habeāt, cuius insimulent benefactores, efficiunt vt illorum in eis spes cernatur inanis: surrexit, interim rerum vrgentium prætermissa solutione. Manè autem die sequenti conuocatis magistratibus, cùm communiter cum eis considerâsset, & vidisset omnes consentientes in quendam Hermogenem, virum quidem honestum & clarum, & alioqui non malum, (erat enim temperans & bonus in pauperes, &, vt dicit Apostolus, legem non habens, naturâ faciebat, quæ sunt legis: ignorabat vero tunc Christi virtutem, & nec eius erat baptismo consummatus: etiamsi imprudens ingrediebatur via, quæ est ex Christo: & erat quidem eius ouis, sed non signata: & coniunctionis ac familiaritatis nondùm acceperat signaculum) Cùm ergò hæc ei adessent, & esset quidem ipse quoquè genere Atheniensis, & in Græca eruditione summè exercitatus, tam experientia, quàm natura valeret prudentia: & ad dicendum ità accederet, vt videretur ad hoc venire meditatus: & ideò censeretur esse aptus implicatis & perplexis, quæ tunc orta erant, negocijs, & ad eum adiecit animum Imperator: & cùm vidisset vniuersum ad hoc consensisse senatum, statim quidem tanquàm probri & ignominiæ causa vel absentem beatum Menam remouit à rectione: misit autem Hermogenem, qui tunc erat Præfectus vrbis, iubens eū & magnū Menam examinare, & ciuitatē ab errore, vt ei quidem videbatur, liberare: non modica quidē ei data manu ex Byzātio, quę cū eo versaretur, & maiore ex Alexādria, quę ei inseruiret. Rom. 2. Multæ Christi oues necdùm signatæ. Hermogenes vir egregius, mittitur ab eo Alexandriā.

Hermogenes ergo iam nauigans in Aegyptum, cùm vndiquè circunflueret ministris & satellitibus, videt tres viros luminosos, ei dicentes: Vide, Hermogenes, quod nec breue quidem studium Deus despicit. Cùm ille autem interrogâsset, Et quod est hoc breue studium? Imperfectum tuum, dixerūt, suscipiens propositum, viam tuam, quæ ad multorum spectabat naufragium, effecit tibi gloriæ conciliatricem, & honorum immortalium. Vide ergò, vt hæc bona nuncia apud te cōserues, & nè ea mandes obliuioni. etenim per hoc tuum iter, mox habebis verum Regem & æternum. Porrò autem à nobis quoquè ipsis eum virum consequêris, per quem & huic beato Regi fias amicus, & eum accipias profectum, quem qui hodiè regnat, tibi dare non potest. Cùm vero ad extremum gallicantum nox iam peruenisset, excusso simul somno, &, quam ex nocturna visione acceperat, perturbatione, nō valens conijcere ea, quæ visa fuerant, suspicatus est solummodò somnium esse visionem illam, quod illi necopinatam e vestigiò rerum annunciabat mutationem, & gloriam fortassè constantiorem quidem, sed tamen terrenam. Cùm autem paucis pòst diebus longam illam confecisset nauigationem, & placido fluctu in portum appulisset Alexandriæ, descendit de naui, & continuò se totū dedebat exequendis Imperatoris monitis atq; iussis. Nam cùm Imperator quidē multa Præfecto mandâsset aduersùs beatum Menam: ei vero vniuersa ciuitas obuiàm processisset in litore: tympana autem & laudes & tubæ in occursu circunsonarēt: & vna vox esset laudantium, eum extollens, qui missus fuerat ab Imperatore; cùm ipse Præfectus suos tanquàm in phalāgis ordinem direxisset satellites, & iussisset præcedere lictores & apparitores, cum tanto stupore & admiratione omnium ascendit in ciuitatem, cum quanta ijs, qui tūc erant, potuisset videri vel ipsam terram mouere, & negociorum meditatione, & in rebus omnibus studio diligentissimo, constantiq; & inflexibili habitu animi, sperās se & ab Imperatore mandatum honorem rectè administraturum, & eorum, qui non erant firmi, gressus supplantaturum. Cap. 7. Visio eius. Intrat Alexandriā cū multo satellitio.

Cùm autē vesperè solus per se esset, dimissa turba, quæ eum deduxerat, animaduertens magnus Menas, quod cùm seorsùm quidem sunt homines, & maximè viri clari & insignes, ferunt reprehensiones, & cùm ea, quæ eis sæpè visa fuerant, refelluntur, sustinent: in concione verò & congregata multitudine, ægrè ferunt se redargui, & constanter permanent in ijs, quæ sibi visa fuerint. Hoc ille optimè considerans, & quod eruditissimus quidem vir erat Hermogenes, nondùm autem poterat comprehendere tantam dogmatis altitudinem: & quòd si sic ascenderet tribunal, cùm de pietatis institutione nihil anteà audiuisset, non priùs discussis malis, quas anticipauerat, notionibus, dicendi scientia, & vehemens ingenium, & cōtentio animi, ingentes spiritus excitante authoritate magistratus, non solùm erūt impedimento ad tradendam pietatem, sed satis etiam erunt ad tantam corrumpendam ciuitatem, quæ in fide nupèr est plantata, & ad eius pia euellenda semina: moderato & honesto habitu ingreditur ad Præfectum. Quem cùm compellâsset, dixit: Cap. 8. Magna sancti Menæ prouidētia. S. Menas ad eum venit.

xit: Gratia vni & magno Deo. eius enim, vt videtur, prouidentia nunc primùm tu excelsus & clarus, magna illa & prima regia vrbe relicta, ad hanc vltimam & paruam accessisti. & cùm iam esset sanctus de pietate sermonem inchoaturus, vel potiùs malas de Deo anticipatas notiones priùs labefactaturus, Præfectus cùm & vnū Deum audiuisset, & nè à calumniatoribus vocaretur in inuidiam, vt qui admitteret inimicos Imperatoris, & eos sermone impertiret, & alioqui morum grauitate, & in sanctum acerbitate, Imperatoris captans beneuolentiam, & ad emolumenta adspirans, interrupto sermone, eum iubet comprehendi & conseruari in custodia, tantùm dicens assistētibus, Si venerit dies crastinus, sciet hic solidus mysta Galilæi, qualis ego sum amicus inimicis Imperatorū & deorū, & an sit vnus Deus, an multi.

Sed ab illo iubetur abduci in carcerem.

Cap. 9. Sistitur ad tribunal.

Crastino autem die ei proposito tribunali, & spectante toto populo, & assistentibus satellitibus, ipse præsidens, iussit sanctum assistere. Cùm hoc autem factum esset, & læto vultu & interrito animo martyr adstitisset, dixit Præfectus: Aequū est, ô Mena, omnē hominē honorare Reges, & Regum deos colere, & præterea grato esse animo in benefactores: ac tu ipse apertè doce, quid ad hæc facere oporteat. Sanctus verò, Eatenùs, inquit, ô Præfecte, grato esse animo oportet in benefactores, quatenùs & ei, qui est gratus, & ei in quem hoc fit, id fuerit vtile. Quandò autē contrà magnum vtrisque affert damnum, tunc oportet reiecta ea, quæ est cum damno, beneuolentia, ea præferre quæ conferunt. Reges verò honorare quidem sanctū est propter potestatem & principatum. Quandò autem ij non sunt rectè & sanè affecti in Deum, qui est primus principatus, neque ei, vt par est, honorem tribuerint, non dixerim eos esse honorandos. Quinetiam eorum dij non sunt temerè colendi, nisi priùs examinauerimus, an verè possint, quæcunque oportet Deum posse: & num, cùm & ortum habeant & principium, fine quoquè careant & sint immortales. Sin autem eis horum desit aliquid, eos quidē oportet despicere. Quomodò enim fuerit Deus imperfectus? feruenti autem desiderio & mundo corde quærēdus est Deus, qui est verè Deus.

Reges quādo honorādi, & quandò non.

Cap. 10.

Ego igitur, vt ipse scis, ô Præfecte, cùm & essem Atheniensis, & patriam legem iamdiù honorarem, & in tenera adhuc ætate amissis parentibus essem nescio quomodò studiosus & valdè laboriosus, statui percurrere omnem Græcorum fabulosam doctrinam. Hoc verò à me breui est confectum, omnemq; eorum scientiam & artem accuratè percurri. Cùm vix tandem autē accepissem, esse apud Christianos quoquè quasdā scripturas, fuit mihi studio eas legere. Cùm verò legissem, animaduertebam in eis tantam latére vtilitatem, quanta ne dici quidem potest: & eas conferens cum Græca disciplina, inueniebam magnam differentiam, easque inter se pugnare quasi ex diametro. In illis quidem virtutem & veritatem, in hac autē errorem & improbitatem. Nam quæ sunt apud Christianos quidem scripturæ, inducunt Christi virtutes Deo conuenientes, & alioqui simplices, diuinæq; naturæ, & sibi consequentes: Græcorū autem scripturæ, inducunt Deum præditum humanis affectionibus & perturbationibus: & sunt quidem plenæ mendacio, plenæ etiam turbulentis animi motibus: repletæ quoq; intemperantia & immoderatione, habentes deos inter se pugnātes, victosq; & sauciatos ab hominibus, in quos cadit interitus: & innumerabilibus alijs malis refertæ & fabulis. Et vt semel dicam, illarum quidē finis est salus, ex veri cognitione: harum autē apertus interitus, & deductio ad turpes probrosasq; affectiones, & inuentionē erroris. Quamuis verò ità se haberent scripturæ Christianorū, non continuò decreui eas sequi: sed etiam Christi virtutis quærebam experientiam, vt facto doceret veritatem: & cùm incidissem in quendam, cui erant mutila membra corporis, & cùm hoc dixissem esse bonæ fortunæ, inuéni verbis diuinis factum quoquè esse consequens. Postquàm ergò solùm Christi nomen dixissem super illa membra mutilata, illa, protinùs amissa mutilatione, perindè àc rursùs transformata, ad eam, quæ erat in principio, traducta sunt sanitatem. Cùm ergò re ipsa & facto agnouissem Opificem, & Græcorum ac gentilium abiurâssem vanitatem, baptizatus sum, & me soli Christo dedicaui. Ab illo autem tempore in hodiernum vsque diem, ô Præfecte, morbos difficiles, & affectiones incurabiles, & quas solus poterat curare Deus, citò & facilè curo, solùm Christi nomen inuocans. Eorum verò, quæ dico, testis est mihi vniuersus populus, & hoc quod circunsistit theatrum: nec potest dicere hæc esse falsa, & verba inania. Nam nunc quoquè licet ea, quæ dicuntur, facto ipso comprobare.

Christi doctrina lōgè diuersa à Philosophica.

Refert S. Menas Hermogeni cōuersionis suæ modum & ordinē.

Menas vt cognouerit Deum, & baptizatus sit.

Cùm

Cùm sic veritatem apertè explicauisset martyr, totus populus & vniuersum theatrum ab hora tertia vsque ad septimam, à lingua martyris quodammodò dependebant, & illius magìs sermonem desiderabant, quàm contumeliam. Et postremò cùm vidissent ipsum simul & deos Imperatoris refellisse & arguisse, & verum Deum demonstrâsse, & simul illos producere testes suorum miraculorum, vno ore omnes, Nè labores, dicebant, ô bone Præfecte. Nam nos ipsi fuimus testes prodigiorum: ipsi fructum sensimus eius miraculorum. Nullum serpit mēdacium, neque vlla fraus subest in ijs, quæ ab ipso fiunt. cognouisses ipse quoquè veritatem, si simul adfuisses, & quòd non oportet alium existimare & adorare Deum, quàm eius Deum. Reueritus autem Præfectus ciuitatis fidentiam, & loquendi libertatem, & videns omnem ferè populum ad Christum declinâsse, & iuisse in athletæ sententiam, & seruare, nè quid noui in eum audeatur: & partim quidem non potens dicere contra veritatem, partim verò etiam erubescens eum punire, qui veritatis verbum tam rectè tractabat, vt omnes qui aderant, ei parérent & crederent, perturbatione plenus & tristitia, iubet sanctum rursùs includi. Surrexit ergò protinùs à tribunali, & dimisit theatrum: & à certamine simul effluxit populus, & vniuersum theatrum: & eorum omnium emanabat quidam susurrus, martyrem laudibus prosequentium. Atque sanctus quidem erat inclusus: linguam autem ne sic quidem habebat tacentem, & ab hymnis in Christū abstinentem. Liberâsti nos Domine ab affligentibus nos, & eos qui nos oderunt, pudore affecisti. Aperuisti in parabolis os nostrum, & locuti sumus propositiones ab initio. Cap. 11. Menas in custodiam reducitur. Psal. 43. Psal. 77.

Præfectus autem reputans, quantùm ex prima quidem experientia eum condemnâsset ciuitas, quantùm verò sit eum etiam condemnaturus Imperator, cùm acceperit, & non parùm se affligans, propemodùm sibi indicebat inediam. Cùm tamen apud se cogitaret somnia, & tota nocte ea mente versaret, postquàm illuxit, audiuit verò congregatum rursùs esse theatrum, & hesternam superare hominum frequentiam desiderio communis in dicendo contentionis, & athletæ probabilitatis, reliquarum rerum curam dicens esse posthabēdam, sedit in tribunali. circunsistebat omnes satellites attoniti, & subijciebatur eius oculis quodlibet instrumentum factum ad torquendos homines. (ità enim iusserat Hermogenes, vt metum afferret martyri.) Postquàm ergò hæc facta sunt, & introductus est sanctus vinctus funibus, dicit Præfectus: Dic mihi tu execrande: Quanam fortuna fretus, eò processisti audaciæ, vt populo quidem persuaderes, vt à potestate deficeret Imperatoris: impudenter autem dijs detraheret, & tuam teneret sententiam, & sic repentè tuæ linguæ mentique adhæresceret: & conuictus es criminis peregrinæ à te introductæ religionis, & affectatæ tyrannidis? Ad hæc sanctus: Quòd tyrannidem quidem, inquit, non affectem, moderatus hic, in quo me inuenisti, habitus ante me pro me respondit. Populum verò non ipse persuasi deficere, sed zelus Dei, qui per signa ab eis fuit agnitus. De tuis autem & Imperatoris dijs malè dixi, quòd oportet omnem hominem, cùm ratione & iudicio falsum depræhenderit, ipsum quidem execrari, adorare autem veritatem. Veritas verò, ô Præfecte, apud homines, de qua non est dubitandum, est ipse Christus. Cap. 12. Sistitur coram Hermogene. Veritas adoranda, quę est Christus.

Præfectus verò dixit: Hoc tibi ità videtur, ô demens. Quòd enim non oportet colere & adorare Crucifixum, & quòd nugæ erant & inanes sermones, quæcunque à te herì dicta sunt, ex hoc patebit. Quandò enim, cùm ego aliquod tuū membrum execuero, aut exussero, tu qui Christum adoras, non potueris id restituere, quomodò hæc visus fueris alijs re vera dedisse, quæ non potuisti tibijpsi largiri? Ad hoc annuit vniuersus populus. Sanctus verò dixit: Opto, ô Præfecte, vt tu in me Christi facias periculum. Confido enim fore, vt ea deposita, quam nunc sustines, dignitate, ipse quoquè cernaris vnus ex ijs, quibus Christus imperat. Præfectus itaque & suam volens iram vlcisci: sperans autem fore, vt propter ea, quæ dixerat, sanctum in omnibus conuinceret, iubet carnosam illam partem plantæ pedum, super quam collocata est vtraque basis, gladijs excoriari, & sic denudatis ossibus, stare ipsum ad rogata de dijs ei proponenda: vt sic maximè laborum dolorumque acerbitate perculsus, ad danda responsa & soluendas quæstiones facilè impediretur. Sanctus autem, cùm ei immisericorditer caro gladijs scinderetur, & vniuersæ, quæ circuncircà sitæ erant, venæ ei rumperentur, & quicunque nerui motum administrantes congenerati erant, diuellerentur, parùm quidem ingemiscebat, gratia quodam- Cap. 13. Vide crudele supplicij genus.

modò cedente, & athletam probante, quinetiam ei coronarum præbente occasionem.(apertè enim fructus laborum, sunt coronæ) Se enim fortiter gerebat aduersùs dolores, tanquàm ipsa magìs adesset, & ipsum sustentaret, & leuaret sensum dolorum. Postquàm autem fuit dimissus e tormentis, protinùs exiliens sanctus, stetit rectus super sola ossa. Pes meus, psallens, stetit in rectitudine: in ecclesijs benedicam te Domine. Effluebat autem vndiquè ex eius vestigijs magna vis sanguinis: & ipse quidem lætum habebat vultum: florentem verò & vigentem habebat animam aduersùs pericula: liberam autem linguam ad vehementiùs arguendum, quàm priùs. Nullum autem eum omninò terrebat instrumentum tormentorum. Statìm ergò manibus plausit theatrum, tanquàm parta victoria.

Insignis martyris virtus. Psal. 25.

Cap. 14. Præfectus autem simul & cogitans vitare repræhensiones, & aduersarium reddere veluti inermem & inutilem, iubet ei statim amputari linguam ex ipso gutture. Sanctus verò, Etiamsì, inquit, extinxeris pupillas meorum oculorum, ne sic quidem ego offendam. Est enim lucerna meis pedibus lex Christi. Confido autem, dicens, quòd postquàm ipse linguam amisero, tunc tu linguam suscipies, clara voce canentem Christi magnalia. Postquàm verò quadam machina & studio lictorum, lingua martyri crudeliter euulsa fuit ex ore sacro, & ipsi ferri aciem deorsùm inijcientes, eam iam excindebant, patiebatur vir generosus, & angore plenus erat eius animus. Fortem tamen se præbebat, & ad Christum totam suam dirigebat cogitationem. Postquàm autem finem accepit tormentum, defessum quidem erat sancto robur corporis: ipse verò Christi desiderio animo confirmatus, sensìm sublato capite, & multùm sanguinem expuens, & defluxionibus totus effectus purpureus, confidenter omnes fixis adspiciebat oculis: & nutu Præfecto suum in rebus asperis animum, & populo suam significabat fortitudinem: & se non modò non cedere, sed eam rem etiam delicias putare, & mortem sitire. Præfectus autem furore correptus, quòd etiam ludificans supplicium, populum suis nutibus testem faceret suæ magni animi virtutis, iussit protinùs eius quoque excindi oculos. Postquàm verò ministri ad hoc magnam adhibuêre diligentiam, & statim, nulla communis naturæ moti misericordia, tenentes athletam, crudeliter eius sacros effodiebant oculos, dolentis quidem, (Quidnì enim?) & significantis humanæ naturæ imbecillitatem: ferentis autem hoc quoquè fortiter, & caput, quotiès id ab eis remittebatur, inclinantis, & quodammodò Domino gratias agentis, quòd talia sit bona consequi dignus habitus: Prefectus repentè animo affectus, & tristitia motus ob ea, quæ videbat, cùm hoc solùm dixisset, Cràs reliquum corporis erit tradendum auibus, vt nullæ ad memoriam supersint reliquiæ, & cum sic iussisset seruari, surrexit è tribunali.

Psal. 118. Lingua sancto martyri euellitur. Oculi quoquè effodiuntur.

Cap. 15. Milites verò sanctum adhuc modicùm spirantem abducunt, & conijciunt in carcerem. Noctù autem hora circitèr tertia, cùm quasì fulgur illustrâsset carcerem, accedit Christus ad locum, in quo proiectus fuerat sanctus: & primùm quidē eum complet fiducia & animi alacritate: Deindè linguam quoquè & oculos reformat, vt priùs. Deindè cùm pedes quoquè sanâsset, & vt semèl dicam, eum veluti mortuum totum denuò viuificâsset, Attende, inquit, tibijpsi, ô Mena. Ego enim, inquit, sum Iesus Christus, propter quem es passus, qui neque priùs à te aberam, neque longè eram à tuis certaminibus: sed expectabam, vt tuus in me amor cognosceretur à magistratibus & potestatibus. Quoniam autem est cognitus, decæterò ero tecum, apertè te defendens. Hermogenem autem Præfectum, qui meo est infestus nomini, cràs quidem habebis supplicem, paulopòst etiam socium certaminis, vt tibi erit manifestum, & qui pro me vnà tecum feret testimonium, promptoque & alacri animo tecum patietur, & simul coronabitur. Est enim mea indignum clementia, propter ignorationem, eius in cognitione bonitatem, & bonorum operum effectionem præterire. Hæc cùm dixisset, & sanctum ei afflâsset spiritum, eum replet omni lætitia.

Christus ei apparēs, totum illum sanat. Christus ei suum afflat spiritum.

Cap. 16. Prefectus autem quoniam & ipse erat solerti ingenio, & vir bonus: & beatū quidem Menam sciebat esse & doctum, & genere clarum, & ex eadem prætereà ortum patria, media nocte cùm somnum excussisset, & ab ira, quæ tenebras offundit, ad se redijsset, & animo reputâsset, qualia quidē sancto Menæ intulisset supplicia: quantam verò ipse contrà attulisset fortitudinē & animi constātiam, nihil quod pusillū & ab-

& abiectum ostenderet animum, aut passus, aut locutus: & quòd is perijsset, cuius sapientiæ & studio sunt omnes inferiores, (cum enim iam existimabat mortuum, vt qui ad tanta non sufficeisset supplicia) & seipsum damnans, quòd non blanditijs eum potiùs induxerit (benè enim actum esset, si vel sic eum cepisset) oculos suffundit lachrymis, & deplorat iacturam. Decreuit ergò veluti viri tantam reueritus virtutem, cùm manè surrexisset, illius corpus publicè honorare, vt mortuos honorant, qui sunt eis proximi genere: & sic martyri pro iniuria, quam ei fecerat, satisfacere. Orto autem iam die, quoniam erat theatrum plenum Alexandrinis, (fuerat enim congregatum à præconibus, cùm sic iussisset Præfectus) præsidens ipse, iussit maximo honore è carcere ad tribunal deferri corpus martyris.

Dolet Hermogenes, quòd S. martyri tam crudele intulisset supplicium.

Cùm verò qui missi erant, ingressi fuissent carcerem, viderunt miraculum, quod erat superius ratione & cogitatione: luce quidem plenum, obscurum alioquì carcerem: duos autem viros, quorum forma non potest verbis exprimi, qui assistebãt quidem tanquàm satellites: vt milites verò, erant parati ad defendendum: Martyrem autem non solùm viuum, & conseruantem illæsam corporis integritatem: sed placidè etiam intuentem, & linguam mouentem, & iucundè psallentem. Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es Domine. Protinùs ergò visione obstupefacti, stetére muti. Cùm breui autem perspexissent non esse fraudem & somnium ea, quæ videtur, sed vigiliam & veritatem, & diuinam quandam potestatem, mutati exclamauerunt: Magnus Deus Christianorum. Protinùs ergò procùl abiectis illis ensibus militaribus, iudicis autem iram nihili facientes, & Præsides quidem ac Præfectos damnantes: damnantes verò etiã ipsum Imperatorem, crediderũt in Christum, & statuerunt deincèps manere apud sanctum. Cùm autem ex eo contigisset diutiùs tardare milites: desiderabat autem ciuitas quidem videre corpus fortissimi athletæ: videre verò etiam, quid esset euenturum, stabat theatrum, aduersùs ipsum Præfectum & milites indignans & tumultuans. Præfectus autem volens gratificari populo, postquàm cognouit nihil aliud esse, quod eis afferret molestiam, nisi militum moram diuturniorẽ, pluribus alijs diligentioribus militibus iubet, vt afferant martyrem. Cùm autem illi ipsi quoquè venissent in carcerem, & illas res omnes vidissent admirabiles: audiuissent verò martyrem apertissimè & expeditissimè disserentem, & linguam disertè mouentem: Viderunt autem milites quoquè ei, tanquàm Deo alicui animum adhibentes, admiratione pleni & spectaculo propemodùm resoluti, ipsi quoquè statim cognouerunt rem esse diuinæ virtutis, & toto animo crediderunt, nihil Præfecti curantes potestatem, & reliquis accesserunt.

Cap. 17. In carcere luce & duos Angelos conspiciũt satellites Præfecti. Psal. 22. Credunt in Christum. Alij quoquè milites credunt.

Sanctus verò postquàm audiuit à militibus, iam totam adesse ciuitatem, magnifacientem eum videre, & paratos esse omnes credere illius Deo, si, quæ in eum facta sunt, tantùm viderint miracula: nihil cunctatus egreditur, habens etiam simul cum eo futuros milites. Cùm autem eum ad theatrum accedentem vidit populus adeò sanum & integrum, atquè si nihil asperum & molestum esset passus: audiuit verò eum quoquè canentem: Si constiterint aduersùs me castra, non timebit cor meum: simulatum & scenicum quendam esse actum suspicabantur ea, quæ videbantur. Postquàm autem curiosiùs oculos conijcientes, agnouerunt illum esse Menam, oculis videntem, & lingua loquentem, & ingredietem pedibus, statim omnes vna voce: Fortis fuit, dixerunt, fortis fuit Christi virtus, etiam aduersùs ipsam mortem. Felix ciuitas Alexandrina, quæ per vnum hunc virum hodiè tantam fraudem depræhendit, & pulchrè didicit veritatem. Dei solius citra controuersiam est hæc potestas & virtus. Gloriare, ô orator, athleta veri Dei & Seruatoris, gloriare. Præfectus autem obstupefactus rei nouitate & admirabilitate, & veritus, ne præter spem aliquid noui facere cogitaret theatrum, statuit surgere. Postquàm verò vidit totum populum ferri quodam magno motu & impetu, & audiuit omnes clamantes: Mane, ô venerande Præfecte. Noli inuidere tantæ ciuitati rem maximam, nempe vt verum Deum agnoscat hodiè, & rectà ingrediatur ad lucem veritatis: ipse quoquè totus versatur in contemplanda re admirabili, quæ acciderat martyri, & populo denunciat silentium. Cùm autem sanctum iussisset ad se venire, vbì proximè fuit, eum animaduertit & cognouit. Nam ei quidem anteà videbantur somnia ea, quæ apparebant, vt qui Christi nondùm habuisset experientiam. Postquàm autem & qui aderant lictores, & omnis alia satellitum cater-

Cap. 18. Psal. 26. Populus Alexandrinus mire celebrat Christi virtutem.

terua, quinetiam ipse Præfectus, proprijs manibus singula examinantes, cui contradici non potest, fidem cognouère miraculi, tunc omnes circunsistentes, & ipse quoquè Præfectus obmutuit.

Cap. 19. Cùm autem permultum transijsset temporis, multum verò stuporis excussisset Præfectus, & ad se redijsset, dixit sancto: Dic mihi ô homo verè per Deum tuum. Quid hæc sibi volunt? & quæ hæc sunt, quæ videntur admirabiliter & præter opinionem? Potest enim hæc Deus solus facere, & non alius. Sanctus autem cùm breui & principij expers Dei principium eos, qui aderant, docuisset, & quàm esset Crux necessaria & maximè salutaris, esset elocutus, & ad summam, vniuersum susceptæ carnis œconomiæ explicâsset mysterium, subiunxit in fine: Deus ergò, ô Præfecte, cùm sit bonus atque benignus, & propter salutem hominum in terram descenderit, nullum vult omninò perire ex omnibus, & à bonis æternis excidere: sed quomodò mater post partum omninò quidem curam gerit filij: sustinet autem, proptereà quòd sit imperfectus, eius etiam contumelias, non ideò malè volens infanti: (vincitur enim à visceribus, & valdè potiùs cupit videre eum, cùm peruenerit ad perfectionem, gloria aliqua & splendore insignem) ità etiam Deus nostrî quidem curam gerit post creationem, & tanquàm pater sustinet ea, quæ in ipsum admittuntur delicta propter ignorationem: & à suis potiùs victus visceribus, beneuolè se gerit & clementer: nihil aliud desiderans, quàm vt eius gloriam cõsequamur, cùm in virum perfectũ creuerimus ad mensurã ætatis spiritalis, sicut nos docet Paulus, plenitudinis ipsius Christi. Postquàm ergò vidit vos Seruator à dæmonibus inescatos, tardare venire ad eius cognitionem, & ad æmulationem ipsum prouocantes in non deis, & ad iram concitantes in vestris simulacris, & non formidantes eius vires & potentiam, vestrî curam gerens tanquàm filiorum, in me hodiè conuicit, & errorem vestrorum cultuum, & zelum qui non est ex cognitione, vt ipsi quoquè præsentes mihi confitemini. Discat ergò vnusquisque vestrûm, in me Christi reputans potentiam, quòd homo, qui iam spectabam ad senectutem, & magnã quidem corporis partem, omnes autem vires tormentis amiseram, & perindè ac mortuus eram coniectus in carcerem, adsum nunc coram vobis integer, illæsus, nihil diminutus, tanquàm rursùs in lucem editus, & iterùm natus valentior. & si quis velit inuenire eum, qui est verè Deus, cùm agnouerit eum, qui mihi hodiè dedit linguam, & pedes, & oculos, eum quoquè esse credat, qui ab initio & alia, & ipsam lucem, & rationem, & motum rebus donauit mobilibus. Cùm sis ergò intelligens, ô Præfecte, nè sustineas ignorare eum, qui tuî curam gerit, & tuam expectat cõuersionem. Oportet enim te quoquè ipsum ad Christum accedere, sicut etiam ab ipso mihi fuit significatum. Lætare autem, quòd ad bonum & æternum sis Regem accessurus, & ad martyrij stadium te mecum exuturus.

Menas docet Hermogenẽ & alios, quæ nostræ fidei sunt.

Ephes. 4.

Præclara sunt hæc Christi miracula.

Cap. 20. Præfectus autem, vt qui bonam haberet animam & gratiæ capacem, maximè verò cùm etiã gratia eius animæ oculos attigisset, cœpit intelligere, & partim quidem ex verbis, partim aũt etiam ex miraculo, verũ Deum & splendorem pietatis paulatìm admittere. Cõiectans verò eam quoquè, quã priùs in nauigando adspexerat visionem, & queadmodùm Deus, qui apparuerat, vult eum cõnumerari cum suis ministris & amicis, lætabatur quidẽ tanquàm de re magna: dubitabat aũt, quemadmodùm qui tanto tẽpore errori adhæserat, repentè dignus fuerit habitus, qui tali Deo fieret familiaris. Cùm ergò hęc apud se versaret, diuina gratia eum adhuc magis vocans ad agnitionẽ, ei illustriora præbet signa veritatis: & videt ille cum quibusdam paucis, duos viros sanctũ circunsistentes, fulguri forma similes, alatosque, & ijs qui videbant, magnũ afferentes terrorẽ, vt qui essent parati ad eum defendendũ: caput autẽ corona redimibãt. Postquàm verò alijs quoquè cõmunicauit id, quod cernebat, & inuenit eos eandẽ, quam ipse adspexerat, vidisse visionẽ, cùm nihil esset quod dubitaret, constitit repentè, cùm è sede exilijsset, & clamauit ad populum: Est hic reuerà veri Dei famulus, manu sanctum ostendens: & magnus est is, quem nos docet colere Deum verum: qui adeò quidem admirabiliter & contra opinionem proprios refingit athletas: è cælis autem eis, vt videtis, tribuit victorias: & intelligentem eis opem ferens, eos defendit. Imprudens verò eram malis deditus dæmonibus, & volebam idipsum vobis persuadere, qui rectè Christo volebatis parere.

Visio Hermogenis.

Hermogenes diuinitùs illuminatus, credit in Christum.

Cap. 21. Hæc dicens, paratus quidem erat currere, & prensare pedes martyris: diù autem

eum retinuit terror & spectaculum Angelorum. Atque repentè quidem euanuerunt Angeli: Ille verò accurrens, & sancti pedes appræhendens, suauiter deosculabatur, & ei dicebat: Ora vere Dei serue: ora, quæso per ipsam, quam prædicas, veritatem: Ora, vt ego quoquè indignus fiam seruus, & Deo tuo seruiam. Nunc sensi ex ijs, quæ in te facta sunt, spectaculis, quibusnam vtantur satellitibus, qui germanè ad Christum accedunt, & vndenàm eis & quales sint laborũ remunerationes: & quòd sunt quibusdam alienis & terribilibus stipati satellitibus, vt tu quoquè. Qui nos etiam tanquàm sceleratos & profanos, visu aliquandiù repellebant & amouebãt. Tandèm autem vsi humanitate, tua nobis cesserunt sanctitate & puritate: & vereor, nè me accedentem Christus repulerit, rogantem, & hoc magnum, & quod nostra merita superat, postulãtem, vt referar in numerum infimorum suorum famulorum. Verumenimuerò sic quoquè præclarè mecum agi existimo, si talem Deum assecutus, luam pœnas pristini erroris & amentiæ. Osculatur pedes S. Menæ.

Sanctus autem: Bono animo esto, inquit, clarissime Præfecte: neque quicquam de clementia Dei dubitaueris. Ego enim, qui ex meipso Dei feci periculum, & scio eum esse benignum & misericordem, & qui ob vitia hominum mouetur misericordia, confido quòd te non solùm non repellet accedentem: sed hac etiam tua syncera suscepta fide, scripsit iam nomen tuum in libro vitæ: & quantùm ego possum scire, statuit vt tu per martyrium, diuinũ eius nomen mecum glorifices. Cùm sic dixisset, & intellexisset populum toto die manere ieiunum, & vidisset eum stare erectum præ admiratione eorum, quæ cernebãtur, & velle adhuc manere, & eius vultum cernere, & sermones audire, pollicitus eum manè affuturum, statim abijt, & dimisit theatrum. Sed Præfectus ne sic quidem sustinuit discedere à martyre: sed cum eo vacante tota nocte est versatus, accuratiùs per catechesim ab eo institutus in verbo veritatis. Cùm autem esset manè, & tanta frequentia congregatus esset populus, vt nec eum caperet quidem locus theatri, vnà verò cum Præfecto assensurus esset sanctus in concionem, magna multitudo gentilium sancto dedita opera occurrens, tanquàm vno ore, Omnes nos, dicebat, credimus Deo, qui à te prædicatur, & iam omnia negamus, & ei soli militare & seruire constituimus. Cùm Deo autem gratias egisset sanctus, & laudâsset multitudinem propter celerem conuersionem, & dixisset, quòd nec protinùs quidem credidisse cùm audiuerint, neque esse cunctatos animo dubitantes, apud Deum caret mercede: & quòd mox baptizati, futuri sint participes donorum Christi, cùm vnà cum Præfecto ascendisset, constitit. Cap. 22. Tota nocte discit à S. Mena fidẽ nostram. Multi gentiles credunt.

Postquàm autem intuens ad populum, Deus, dixit, vos suo perficiat signaculo, & reddat sibi ad omne opus vtiles, iussit vnumquenque rogare & discere de Deo, quod vellet. Præfectus verò cum toto populo, De tuo, inquit, Deo nulla est nobis dubitatio, ô sanctissime. Omnia apertè cognouimus, & omnibus, quæ à te dicta sunt, credidimus. Vnum solùm petimus, vt Deo coniungamur, & familiares reddamur per baptismum. Cùm itaque consensisse Præfectum vidisset populus: Reuerà, dixerunt, non est Deus acceptor personarum, vt qui propter moderationem & curam quam gessit pauperum, reddiderit Præfecto suî cognitionem, & vero Dei cultu eum sit remuneratus. Postquàm autem ex ijs, quæ circuncircà erant, ciuitatibus affuerunt Episcopi quidam pij & religiosi, qui erant omnes tredecim: qui alij quidem solùm vt viderent certamina martyris: alij autem ideò è deserto descenderant, vt visitarent fideles, qui erant in ciuitate, & allata quoquè esset aqua, cùm ità iussisset sanctus, ipse sanctus cùm è loco excelso descendisset, & Præfectum quidem inclinare caput Dei amantissimis fecisset Episcopis, illos verò eius capiti aquam infundere, & dicere: Suscipit lauacrum regenerationis Hermogenes in nomine patris & filij & spiritûs sancti, sic eum fecit baptizari coram toto populo. Eo autem nomine populus Christum multis laudibus est prosecutus. Cap. 23. Act. 10. 13. Episcopi adsunt. Hermogenes baptizatur.

Quoniam verò & Præfecti regeneratio cogebat festum celebrare, nec facilè poterat satisfieri tantæ multitudini, tunc quidem sanctus dimittit theatrum. Deindè etiã conuersus ad Episcopos: Non iustũ est, inquit, vt Ecclesia tanto viro priuetur, qui est tam studiosus, & modestus, & tam sublimi ingenio. Ea de causa propter multam in sanctum reuerentiam, cùm accepissent Hermogenem nihil contradicentem, illi eum referunt in cleri numerum. Deindè cùm per ordinem ecclesiasticos Cap. 24. Refertur in Clerum.

fitque deinde Episcopus. sticos omnes gradus transiuisset, eum constituunt Episcopum ciuitatis. Qui etiam cùm post electionem die septimo coegisset quicquid habebat auri & aliarum facultatum, & valere iussisset delicias & lautitias, & alia quibus delectantur eorum animæ, qui mundo delectantur, omnia dedit in manus pauperum. Deindè cùm etiam alia omnia paruifecisset, cum vniuersa multitudine se armauit ad bellū gerendum contra dæmones, vt aduersùs quos gereret inimicitias propter priorem vitam, & eorum errorem vehementer persequeretur: & cùm breuì eorum fana & aras euertisset, & simulacra deiecisset, vbiquè Crucem fixit, & in Christi nomine construxit altaria. Atque turbas quidem posteà ad eius pedes procidentes, & rogantes baptizari, baptizabat, tam multos quotidiè, vt nec facilè posset eorum numerus compræhendi: dęmoniacos autem, aut qui ab alijs premebantur ægritudinibus, sola Christi inuocatione, repentè liberabat à dæmone, & ab ægritudine: & docebat semper amplecti castitatem, & pium Dei cultum, humilitatemque & charitatem, mansuetudinemque, & nil possidendi virtutem, & cæteras similiter virtutes: seipsum proponens exemplar ijs, qui docebantur.

Vbiquè figit Crucem

Multa facit miracula.

Cap. 25. Cùm autem non multi dies præterijssent, & tota ciuitate in vnam conueniente sententiam, effecti sunt omnes vnus grex Christi, vir quidam deditus falsæ religioni dæmonum, vnus ex Senatu, nomine Rusticius, ciuitati inuidens & nobis Christianis: & simul ebrietatem, qua vti solebant ad aras, & reliquam intemperantiam pluris faciens, quàm eam, quæ est apud Christianos, abstinentiam & moderationem, ità vt erat ira percitus, magna celeritate currens ad Imperatorem, paucis narrat omnia: Abolitum est, dicens, omne sacrificium: contumelia est affecta deorum magnificētia: euersa sunt templa: diruta sunt omnia deorū altaria: & ad summam, refert deorū deletionem, & Præfecti mutationē: & quòd Præfectus Hermogenes, vetere beneuolentia & lucro ciuili inductus ab eloquente Mena, vniuerso ferè persuasit imperio, vt declinaret ad Crucifixum: & iam quidem vbiquè securè adoratur Christus: eum autem secuta est tota Alexandria. Hęc cùm dixisset, vt eum magìs prouocaret ad iracundiam, & ad pœnas de Christianis sumendas acriùs iritaret, adijcit: Nisì hoc tibi magnæ fuerit curæ, & à te quidem euertantur res Christianorum, in pristinum verò statum restituantur res deorum, scio fore, vt tuum quidem imperium citissimè euertatur: confirmetur autem regnum eius, qui dicitur Christus.

Nota Christianorum veterū abstinentiam.

Cap. 26. Hoc cùm audiuisset Maximinus, fore quidem, vt suum corrueret imperium, Christi autem regnum erigeretur: laudato quidem & honorato Rusticio propter eius in ipsum & in deos beneuolentiam, efferatus aduersùs Præfectum & vniuersam ciuitatem, & magìs quàm expediret indignatus, statuit illeipse continuò proficisci Alexandriam, magno studio & apparatu, cùm bellicosorum hominum decem millia ad hoc iussisset sequi, dicens: Vel sola Imperatorum reuerentia motus populus, eos deos honore afficiet, quos illi censent colendos, & se ab alia reprimet improbitate. Nam nisì ità esset, vt ipse rerum status arguit, citra vllum ruborem mala fierent, & nec studeret quidem latére aliquis. Attamen cùm deorum prouidentia fuero Alexandriæ, & hos ipsos vlciscar, & meam corrigam ignorationem, procùl amandans errorem in Crucifixum. Dixit, neque multum temporis permisit intercedere: sed rebus omnibus publicis posthabitis, magna celeritate venit Alexandriam: & statim iubet sanctos compræhendi, & manè, tota vidente ciuitate, & manu assistente militari, sedens pro tribunali, eos iussit nudos introduci.

Rusticius delator ac proditor magno honore afficitur.

Maximinus Imperator venit Alexandriam.

Cap. 27. Postquàm autem eos solùm vidit introductos, magna voce exclamans, O dij, inquit, quid hoc futurum est, quòd iste, cuius tantam curam gessi, & ei primos magistratus, quos nulli alij ex ijs, qui nobis párent, mandaui, sua sponte omnia despexerit, & ad tam obscuram & abiectam fortunam transfugerit, & comam etiam capitis sibi ademerit, & nihilo meliùs sit affectus, quàm mimi & scurræ, qui in scena risum mouent. Propiùs verò accedens ad Hermogenem, Dic mihi, inquit, ô infelix, quanam de causa tibi commisi totius terræ & maris imperium, & decreui, vt absque successore gereres magistratum: non vt dijs quidem futurum beneuolum, & nullo modo eos abnegaturum, & beneuolum quoquè nobis futurum, & vt hunc doctum & sapientem virum, qui prospero fortunæ afflatu præter æquum inflatus, & hinc lapsus est in errorem, arte & experientia & verborum persuasione ad patriam reduceres religionem? Quidnam ergò te mouit,

SS. Menas & Hermogenes, nudi coram illo sistuntur.

uit, aut quidnam spectâsti, vt sineres eum diutiùs versari in vanitate, & non solùm eum ab errorre non reduceres, sed eiusdem malæ opinionis ei fieres socius: & tibi præterea caput, ô stolide, tonderes, & reputareris esse vnus ex ijs, qui sunt in theatro, histrionibus? Cùm eò iræ & acerbitatis processisset Imperator, iracundeque & furiosè eos esset intuitus, benignè Deus adspexit marryres: & repentè eis apparent Angeli, eos audacia replentes & viribus, & vngentes ad certamina: iubentes, nè timerent iram Imperatoris, vtpotè quòd victoria sit cum eis futura. Nota quorum similes sint, qui eiusmodi tonsuram irrident.

Hermogenes autem statim respondit: Si sustines me patienter audire, Imperator sapientissime, quanam de causa & quid spectans, primas quæ apud te reputantur felicitates lubens abiecerim, promptoque & alacri animo ad hanc fortunam descenderim, vt velim videri stultus, & pauper, & ridiculus, & inglorius, & dici potiùs Christi: & ideò lubenter accusari erroris & ignorationis, & paratus esse & ensem, & ignem, & bestias propter Christum despicere: & pro illo potiùs mortem sitire quàm vitam, toto meo testimonium ferente concilio, maximè verò re ipsa subiecta oculis, magnam veritatis curam gerens, & nè quid, quod sit opportunum, prætermittam, dicam id quod quæsiuisti. Imperator autem, Ego, inquit, hoc omninò, & nihil aliud cupio, si non ipse falsum præfers veritati, hoc in maiori honore habens propter necessitatem. Hermogenes autem: Mihi, ô optime Imperator, me aduersùs Christum audacter & insolenter gerenti, & volenti quidem quos olim deos colere, tuam autem obseruare potentiam, studio fuit, vt ipse quoquè scis, cum tanta ad ciuitatem venire pompa & apparatu: & virum quidem partìm blanditijs, partìm verò metu ad hanc, quæ vigebat, patriam reducere impietatem: vt te ne cum maiore quidem dixerim ad nos accessisse, & ne tu quidem, si affuisses, desperâsses virum posse vincere. Mihi autem feret testimonium vniuersus hic populus, quàm eram ab initio varius, blandiens, minans, terrens, in omnes deniquè species me transformans, vt virum abducerem à pietate. Ego enim stultus ignorabam, in qualem virum incidissem, quàm interritum & valentem, & qui liberam quidem habebat linguam ad responsa, animum verò ad ferenda intentata supplicia, & omnia deniquè perpetienda paratum, potiùs quàm ad Christum abnegandum. Sed vt alia omittam, cùm vidissem eum recusare deos colere, & neque potestatem curare, neque suppliciorum aut tormentorum vllam ducere rationem: sed tam probabiliter quidem, & ad persuadendum aptè contradicere, vt ego quidem ab eius ingenio vincerer: dij autem arguerentur: & ei vniuersus suffragaretur populus, & eadem, quæ ipse, sentiret de religione: cogitaui eum paulopòst talibus cruciare supplicijs, vt, si possem quidem, eum perfectè vincerem: sin minùs, eius quidem certè reprimerem promptum & alacrem animum, & dicendi facultatem impedirem. Visum est ergò mihi, plantas pedum eius gladijs excindere vsque ad ossa: quinetiam eius quoquè linguam excindere eloquentem, à qua omnia superabantur: prætereà verò eius quoquè oculos effodere: vt propter oculorum quidem tenebras ocio deditus, fractus autem dolorum cruciatu, tardiòr quidem fieret ad respondendum, imbecillior verò ad contendendum. Atque lictores quidem cùm primùm iubentem audiuissent, fecerunt vniuersum. Ille autem homo continuò esse conuictus, & nihil ampliùs ferens, quàm communis possit natura, missus in carcerem, erat planè mortuus. Viri tamen misertus, (verum enim fatebor) vt docti & mei ciuis, & ægrè ferens, quòd vir perijsset tanta sapientia præditus & eloquentia, summo manè afferri iussi corpus eius exanime, volens videre, quonàm eius redijsset constantia. Cap. 28. Hermogenes respondet tyranno. Narrat ei totam S. Menæ historiam.

Postquàm autem eum vidi accersitum rectè ingredi, & purè intueri: deindè etiam cum audiui apertè disserentem, videbar mihi videre spectrũ & inane somnium: & statim clausi oculos, deorum inimici vel ipsum simulacrum abhorrens. Cùm autem de sede descendissem, & visionem simul cum alijs curiosè indagâssem: & non solìs credens oculis, sed etiam manibus examinans & contrectans, illum ipsum didici esse Menam, protinùs victus sum à veritate, non falsum testem habens conscientiam. Verumenimuerò adest ipse quoquè, ô Imperator: & dicat quidem populus cruciatus: curiosè autem ipse quoquè inquire, vt voluèris, cùm miraculum sit tibi ante oculos. Dic verò mihi per tuos deos, ô Imperator, Si quis vidisset Christum, sicut ego ipse vidi, repentè totum hominem reformantem & Cap. 29.

 ani-

animantem,& ex hoc quidem suam potestatem confirmantem, nempe quòd hæc quidem non sunt alterius, quàm Dei, & quòd ipse sit,qui primum creauit hominem: pollicetur autem ijs, qui illum secuti fuerint, in cælis quidem regnum æternum,hîc verò tantum posse,quantum ipse solus. Si quis,cùm hæc & didicisset & vidisset, despiceret quidem talis Dei esse & dici amicus: despiceret autem posse omnia agere & mutare,quæ solus ipse Deus: & cæcos quidem facere videre, claudos autem saltare, & montes mouere, & mortuos suscitare: & vt semèl dicam, rem omnem mouere creatam solo verbo & nutu: Deindè etiam pignus habere, quòd lætabitur,& regnabit in æternum: Qui cum reliquisset, & clausisset oculos ad tantam beatitudinem: elegisset autem vestros deos colere,& esse Consul & Imperator,quisnam is tibi videretur? Non verè stultus,non emotæ mentis,& qui longè abest,vt intelligat quod sit conducibile?

Gen. 1. Matth. 16. Iohan. 14.

Cap. 30. Proptereà igitur,ô Imperator,ego errorem,& fabulas vestras,& deos abominatus,& abnegata hac omni,quæ videtur,felicitate,ad solum Deum accessi, & mâlui, vt ipse dixisti, esse infelix: potiùs videri stultus, quàm esse,eligens. Atque nostra quidem ex ijs quæ audijsti, iam didicisti: Res autem Christi si velis experientia discere,nè cuncteris. Excogita citò in nos magnum aliquod & graue supplicium: &, si tibi fortè deest aliquid ad excogitanda supplicia,ego qui magna in his exercitatione ad summam processi experientiam, ea quoque quæ restant reuocabo in memoriam. Obijce bestijs,deturba è præcipitio,mari obrue,terra infode, gladio scinde, igni combure, vnicuique membro appositum excogita supplicium. Sic enim ego quoquè paulò antè cæcutiens, feci meo luminari, & qui me deduxit ad veritatem, Menæ. Atque populus quidem, cùm tam artificiosè & liberè dixisset Hermogenes,admiratus est eius animi virtutem,& dicendi facultatem: Imperator autem cùm nec aduersùs quæ dicta fuerant,posset aliquid dicere, (nam & populus testificabatur,& in conspectu eius erat miraculum) & simul cogitans, quòd si ad dicendi veniret contentionem, ipse quidem pudore afficeretur, eius verò dij refellerentur: animi dubius & dolore affectus,iussit sancti manus & pedes, illas quidem ex humeris, hos autem ex genibus ense amputatos,ipso vidente, iaci in focum ignis. Deindè cùm ventrem conto percussissent, & omnia effecissent fluere, id quod restabat adhuc spirans iacere eos iussit in fluuium,qui præterfluit ciuitatem. Lictores ergò nudos † enses,& crudeliter intuentes,cùm essent vel solo adspectu terribiles, sanctum statìm circunsistentes, primùm quidem crudeliter manus, deindè rursùs quoquè pedes immaniter amputauerunt. Ille autem laborabat quidem frequentibus confectus doloribus: adeò verò se fortem præbebat, acsi non ipse pateretur, sed alios potiùs videret affectos supplicijs.

Magna cōstantia & dicendi libertas S. Hermogenis.

Eius manus & pedes amputantur.

Videtur deesse † tenentes, aut quippiam simile.

Cap. 31. Postquàm autem vidit sua membra igne redacta in cinerem,caput parùm attollens,& ad focum adspiciens, Quàm felix sum, inquit,quòd manus meas,quas aliquandò extendi ad deos alienos, & pedes, qui ambulauerunt in errore, Deus hodiè accipit vt oblata ei in sacrificium. Protinùs autem milites, postquàm abscissæ fuerunt manus & pedes,ad ventrem se contulerunt: & conto quidem eum verberârunt,fluxerunt autem intestina. Ipse verò iam quidem deficiebat,& imbecillum adhuc conseruabat spiritum: tam generoso autem erat & forti animo, quàm si modò cœpisset decertare. Cùm eum ergò adhuc spirantem accepissent milites, sicut iussi fuerant, in fluuio demerserunt. Postquàm autem Maximinus de martyre Hermogene vix tandèm deposuit solicitudinem, protinùs de beato Mena cœpit deliberare. Cùm verò timeret, nè, si cum eo disseruisset, (quoniam & miraculis & dicendi facultate existimabatur esse supra hominem) ipse quidem victus dedecoraretur: & eos etiam perderet, quos adhuc habebat errore implicatos, sancti miraculis inductos ad veritatem: omnibus prætermissis, iubet vt cùm eum in obscuro & tenebricoso carcere inclusissent, primùm quidem vinctum manibus à tecto suspenderent: Deindè etiam ab eius pedibus lapidem appénderent adeò grauem, vt vehiculo impositus,vix posset ferri: Deindè eum relinquerent, vt diuulsus violenter moreretur.

Præclara eius fortitudo.

Dirè cæditur.

In flumen mergitur.

Atrocia in S. Menam supplicia statuuntur.

Cap. 32. Protinùs ergò ij, quorum est hoc munus, fecerunt quod eis fuerat imperatum: & sic ipsum dimittunt suspensum, nullū omninò sinentes eum videre ad consolationem. Sanctus autem cùm & capiti impositis vinculis,& deorsùm trahente pondere lapidis extenderetur,& ei propemodùm dissoluerentur compages, nerui verò

rò

rò conuellerentur, & carnes dilacerarentur, & vt semèl dicam, omnis ei alia grauiter abrumperetur cōmissura, quandiù quidem vires corporis suffecerunt ad animi constantiam, grauiter quidem patiebatur, psallebat autem assiduè: Vide humilitatem meam, & laborem meum. & illud, Non sunt cōdignę passiones huius temporis ad futuram gloriam. Postquàm autem planè ei consumptis viribus, suā coniunctionem omninò negauit natura, cùm dixisset, Gratias ago tibi, Domine, quòd tua bona perceperim: tanquàm pondere supplicij repentè ei voce repressa, in soporem resolutus, tacuit. Psal.24. Rom.8.

Postquàm verò vtrique athletæ tanta constantia & fortitudine desijt certamen martyrij, repentè affuerunt amantes & socij Angeli ad eos defendendos: & primùm quidem cùm martyris Hermogenis corpus è fluuij profundo sustulissent, & repentè eum totum integrum restituissent, & deindè etiam animâssent, & dixissent se proficisci ad Menam athletam, & ipsum hortati essent, vt consequeretur, vbì parùm ingressi venerunt ad custodiam, intrò statìm perrexerunt, viribus, quæ sub adspectum non cadunt, dissolutis eis claustris. Hermogenes verò seipsum quidem mente agitans, & totum actum tacitè considerans, obstupescebat: beatum autem Menam etiam suspensum adspiciens, & iam non spirantem ampliùs, & tormentum cernens intolerabile, tristitia afficiebatur. Vt verò esset attētus & videret, hortati Angeli, statim cum quodam honore & reuerentia ad sanctum accedunt. Relaxatis autem vtrisque vinculis, cùm, quam sustinuerat, membrorum iuncturā compegissent & sanâssent, & eum magno gaudio & alacri animi studio repleuissent, statim quidem soluunt Hermogenis mœrorem propter magnū Menam. Cùm autem vsque ad matutinum cum eis essent versati, & ad pericula subeunda eos magis acuissent, & iussissent eos festinare ad mox eis mittendas coronas, & polliciti essent se simul adfuturos, & certamina vnà esse adituros vsque ad tempus coronarum & victoriæ renunciationem: & deindè etiam eis pacem dedissent, & faustum victoriæ nuncium eis significâssent, statìm ab eis recesserunt. Cap.33. S. Angeli vtrunque restituunt.

Imperator autem cùm summo manè iussisset aperiri theatrum, & ad eū omnem conuenire populum, sedit pro tribunali. Quoniam autem acceperat totam ciuitatem credidisse Christo: deliberando verò & consultando statuerat esse quidem inutile eam relinquere impunitam: rursùs autem inconsideratum & à ratione alienum, condemnare omnes, vt puniantur: simulans se totum ignorare, dixit: Quòd vos quidem qui adestis, deos quidem sacrificijs & alijs libaminibus, nos autem Imperatores reuerentia & timore & in alijs rebus obedientia colere statueritis, ex multis alijs intellexi. Quòd autem non statìm repugnâstis &, restitistis illis execrandis, qui Crucifixi res ausi sunt docere, & non ipsos ante nos lapidibus obrueritis, existimo deos ex hoc iram non leuem concepisse. Ego igitur, qui & ipsos deos cupio vlcisci, & nullum vestrùm in diuinitùs immissam incidere calamitatem, iubeo ciuitatem & vos omnes priuari ijs, qui vtrisque olìm fuerunt attributi, honoribus: vt sciatis & ex his pœnis vobis impositis, & stultorum illorum supplicijs, quòd quandò Iudex, qui non fuerit ipse præoccupatus, non vult suam prodere sententiam, & prodigia facere cum his histrionibus, nunquàm potest opem ferre Crucifixus, aut liberare à malis: solùm autem hoc potest, certam mortem & extremam infelicitatem procurare ijs, qui párent. Eorum quæ dico, fidem vobis possunt facere deceptores illi & præstigiatores Hermogenes & Menas, vterq; ipsorum ante tormenta pollicentes se esse alios à mortuis suscitaturos: à me autem breuì, vt oportebat, graui morte vita priuati, ne sibijpsis quidem possunt opem ferre. Vbì autem nunc est plani illius Christi virtus? Cap.34. Impia & blasphema Tyranni ad Alexandrinos oratio. Plani, id est impostoris.

Postquàm ergò ad tantam blasphemiam processisset Imperator, multo tumultu plenum erat theatrum, eius maledicta omnibus ægrè ferentibus, & iam res nouas moliri statuentibus. Cæterùm cùm à præconibus factum esset silentium, & rursùs dicturus esset Imperator, quæ erant ex sui animi sententia, repentè totum adspiciens theatrum, cùm vidisset sanctos, qui in medium tribunal descenderant, (exinopinatò enim apparuerant) vna velutì lingua & vno ore omnes exclamauerunt: Vnus verè est Deus, Deus Christianorum. Hoc facto, quidam Eugraphus, qui ipse quoquè in Græcorum doctrina erat exercitatus, rempublicam autem adhuc gerentis Menæ fuerat minister: Is ergò cùm tunc esset vnus ex ijs, qui erant in theatro, & videret quæ fiebant, cùm vidisset miraculum, & esset velutì zelo accensus, & Cap.35.

Vsitatissimum semper Christianis fuit signate se Cruce.

ſe diuinæ Crucis ſignâſſet ſignaculo,& animi fortitudine & audacia eſſet repletus, in medium proſiluit,& audacter Imperatori, Ego, ô Imperator, inquit, ſum Chriſtianus,& tua iuſſa reſpuo & execror,& non abiuro religionem,& iam tibi ſum propter Chriſtum propoſitus, nulla mearum carnium motus miſericordia. Nè exiſtimes autem fore, vt minis vel blanditijs me ſis omninò ſuperaturus, ſed neque vllum Chriſtianorum. Nobis enim mors quidem eſt vita, quæ cum vobis agitur impijs. Verè autem vita eſt mors, quæ pro Chriſto ſuſcipitur. Et ſcio quidem, quòd tanquàm leo rugiens in hanc aſſcendiſti ciuitatem, quærens ira corripere,& cultu ſimulacrorum Chriſti gregem diſcerpere: & quòd hodiè quoquè ad nos proſiluiſti cum eâdem ſpe & armis. Sed te auerſabimur,& audacia, qua impellimur ad mortem lubenter ſuſcipiendam, & pietate immutabili, tãquàm doloſam aliquam vulpem, quæ ludit maximè ridiculè.

Cap. 36. Tyrannus non ferens libertatem Eugraphi, eum ſuis manibus interficit.

Hæc cùm audijſſet Imperator, & eſſet ei cor ira accenſum, & iam eſſet emotæ mentis ex ſtupore miraculi, veluti oblitus ſe eſſe Imperatorem, è ſede deſiliens, cùm inſana manu cuiuſdam eorum, qui propè erant, ſtrinxiſſet enſem, multa & certa vulnera affert Eugrapho: & ſic per ſe interimit prope tribunal virum fortem & martyrem: primùm quidem ſtantem citra vllum timorem, & ferentem plagas,& vel in ipſis arguentem Imperatorem: poſteà autem in terra iacentem firmo & conſtanti animo, & Deo agentem gratias, quòd primus aliorum ad eum ingrederetur: & non vno ictu, ſed multis finem acciperet, vt dignus pluribus haberetur coronis. Qui cùm & has plagas acciperet,& has voces ederet, expirauit. Temulentam autem adhuc habens animam Imperator, quòd ira victus, ſic ad militare deſcendiſſet miniſterium, cùm rurſùs reuertiſſet ad ſedem, aliquandiù manens cogitabundus, cognouit ſe per impudentiam dubitationi attuliſſe remedium, & ſpecie oppugnâſſe veritatem. Cùm repentè ergò ad ſe rediſſet, & ſe ad ſanctos conuertiſſet, Iuro, inquit, deorum potentiam, me multa quidem alia ſperâſſe videre inopinata: tales autem me viſurum eſſe magos, nunquàm ſum opinatus. Sed quid noui facere videmini, arte magica & præſtigijs populum à ſe facientes diſcedere, & ſimpliciores abducentes à deorum poteſtate,& mori pro Crucifixo tam facilè perſuadentes? Ego itaque, qui vos miſeros ſum optimè expertus, mox apertè oſtendam vel vos eſſe ſpectra, vel hanc ementitam membrorum veſtrorum reformationem, eſſe fraudem oculorum,& apertas præſtigias.

Imperator virtutem diuinã magicæ adſcribit arti.

Cap. 37.

Sancti autem dixerunt: Conſequentia dixiſti, ô Imperator. Nam quoniam mens quidem tua eſt infatuata, cæcutit autem anima, cor verò eſt excæcatum: meritò rei quoquè admirabilis veritas, præſtigiæ eſſe videtur & deceptio. An non enim apertè cæcutis, qui ijs non credis, quæ ſunt vel luce clariora? Quòd ſi quid etiam de ijs, quæ vides, dubitas, in nobis adhuc ipſis diligenter inquire veritatẽ. Sin autem ſæuis minis, vel bonorum promiſſis, etiamſi ipſum dixeris imperium, quod res eſt apud vos maxima & beatiſſima, exiſtimas nos à noſtra traducere ſententia, falleris, ô Imperator. Nam tu priùs, mutato errore, Chriſtum confiteberis, quàm nos à veritate deficientes, falſo ſimus adhæſuri. In nos ergò pronuncia ſententiam, rectè ſciens, quòd quicquid decæterò dixeris aut feceris, à te fiet inaniter, & ab eo, quem tibi proponis, ſcopo longè cadet. Imperator autem cùm & ex ſe quidem intellexiſſet veritatem, maximè verò eam cognouiſſet ex ſtupore & admiratione eorum, qui adſtabant, (Sanctos enim tangentes, & manibus contrectantes obſtupeſcebant) timens nè populus, cuius iam erant animi perſuaſi à rei euidentia, illo reſiſtente manifeſtæ veritati, aliquid noui in eum agerent, cùm hoc ſolùm iuſſiſſet eis amputari capita, ſurrexit è tribunali. Poſtquàm autem ſancti cum ijs, qui eos ducebant militibus,& toto populo ad locum venerunt, ſtantes & manus ſimul & oculos in cęlum tollentes, in conſpectu omnium ſatìs diù ſunt precati ciuitati,& Chriſtianis omnibus,& Eccleſijs quietem & tranquillitatem,& vt nemo, qui eorum eguiſſet auxilio, reuerteretur inanis. Deindè poſt precationem ſe inuicèm amplexi, dataque pace & ſalutatione, porrectis collis, vterque eorum à milite, cui id obtigerat, beatum finem accepit.

Imperator manifeſtæ reſiſtit veritati.

Decollantur ſancti martyres.

Cap. 38.

Quoniam autem magnus Menas adhuc viuus petierat ab Imperatore, vt eius corpus deponeretur Byzantij, (De eo autem mandauit etiam ijs, qui tunc erant fideles, & erant ei alioquì familiares, dicens eam ciuitatem ſibi eſſe attributam ad habi-

habitandum) ei inuidens Maximinus vel ipsam sepulturam, iussit capsam construi ferream, & in ea imponi corpora martyrum: deindè etiam in maris profundum transmittere: nè fortè, dicens, aliquid de iustis faciendis Galilæis prædixerit: & vt sic eius excideret prædictio. Qui ad hoc ergò inseruiebant, cùm essent vniuersum diligenter executi, in arca ferrea sanctorum corpora in mari demerserunt. Imperator autem, cùm nec ciuitatis ferre posset scommata, & simul intellexisset populum in eum efferri audacia, & dubitaret, nè temerè & periculosè aliquid in eum iniretur, ex ea iter ingressus est versùs Byzantium, metu & pudore affectus. Cùm hic ergò fuisset rerum exitus, fit rursùs etiam aliquid, non minus prioribus. *Tyrannus timet sibi ab Alexandrinis.*

Imperatorem equitantem præuenit capsa, quæ ferebat corpora martyrum, quæ & tanta erat, & ferrea, & per mare nauigabat. Nam cùm diuina quadam virtute celerrimè è fundo emersisset, & fluctus marinos peruasisset, secunda aqua nauigabat, & celeritate par volucribus currebat Byzantium: & eum, qui condemnauerat nè habitaret ciuitatem, ea quæ fuerat condemnata, magna præuenit celeritate. Postquàm autem diuina quædam apparitio ciuitatis Episcopo facta est media nocte, quæ significabat & mox affuturos martyres, & iubebat eum properare ad litora, quæ sunt in arce, vt eos descendentes è mari statim exciperet: cùm hac ipsa hora noctis congregâsset eos, qui ex clero simul aderant, & quosdam pios & fideles, cum eis perrexit ad litora, quæ ei ostenderat is qui apparuerat. Cùm autem versùs mare intenderent oculos, repentè vident lucem, tanquàm columnam è cælo vsque ad mare peruadentem, & in quadam cymba quodammodò fundatam: duos verò viros adspectu præclaros, ex vtraque parte honorificè & venerabiliter appropinquantes. Idipsum autem quod videbatur, appellere ad portus, in quibus illi stabant. *Cap. 39.* *Insigne profectò miraculum.* *Visio.*

Postquàm verò paulatim fuit propiùs, & iam cognitum fuit, eam esse arcam & non nauem, considerantes eam, neque cùm vndæ erant conuexæ, resilire: neque cùm rursùs concauæ, delabi: & sine remis & clauo ingredi, & ex aduerso virorum illorum nauigare: lucemque esse multam & splendidam, & tantam, vt non minùs quàm Sol locum illustraret: & viros illos in se ferre quidem signa cuiusdam diuinæ & admirabilis naturæ, qui ipsi quoquè quodammodò pedibus ingrediebantur per aquam, & deducebant capsam cum quadam reuerentia: omnes metus & horror inuaserat. Atque Angeli quidem capsæ ductores, cùm iam fuissent in conspectu eorum qui adstabant, cùm tantùm visi essent & appropinquâssent, quantum satìs erat ad mandandum, vbì nunc quidem martyres ponere oporteat, propter Imperatoris amentiam, & vbì paulò pòst propter eorum voluntatem, & quę, & quemadmodùm facere oporteat, repètè ex eorum oculis recesserunt. Episcopus autem, & qui cum eo aderant, primùm quidem arcæ circunfusi, eam amplectebãtur: postquàm verò intellexerunt eam esse totam ferream, eos stupor inuasit, considerantes quonam modo supra tam tenuem nauigauerit superficiem, non omninò obruta. & tunc quidem, cùm eam suprà in arcem detulissent, in occulto quodam templo absconderunt, sicut iussi fuerant. *Cap. 40.* *Episcopus Byzantinus cum Clero corpora Sãctorum honorificè cõdit.*

Postquàm autem statìm reuersus Maximinus, & e uestigiò plaga diuinitùs immissa percussus, priuatus fuit oculis, & simul ab Angelis flagellatus, vt ipse suis dixit familiaribus, paucis pòst diebus expirauit: cùm post plagam & flagella tantum vixisset temporis, quantum satìs erat ad aperiendum arcanum ijs, qui ad ipsum genere attinebant: nè lateret Dominus iudicia faciens, & diuina iustitia etiam hîc malos puniens: adhibita audacia Episcopus, considerans solam fidem sufficere ad auxilium, magno studio & honore transferens fortissimorum martyrum Christi corpora, proptèr mœnia arcis ea deposuit, custodes quidem ciuitatis, nauigantium autem conseruatores: eorum, qui sunt in morbis & calamitatibus, certissimum solatium, ad gloriam magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, nunc & semper & in secula seculorum, Amen. *Cap. 41.* *Nota quid antiquitas senserit de martyribus.*

SERMO DIVI EPHRÆM, DIACONI ECCLESIAE EDISSENAE, DE LAVDIBVS SANCTI IOSEPH

Patriarchæ, Ambrosio Camaldulensi interprete. Extat in operibus eius. Nos eum in capita distinximus.

Decemb. 11. vt quibusdã placet. Cap. 1.



DEVS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus magne atque admirabilis, qui etiam elegisti semen sanctorum seruorum tuorum diligentium te, largire, clementissime, vt fluant in me gratiæ tuæ fluenta largissima, quò dignè valeam præclarum ac maximum præbere spectaculum pulcherrimi atque castissimi Ioseph: qui semper baculus fuit, cui inniteretur patriarchæ Iacob profunda & veneranda senectus. Hic enim profectò, hic sanctus puer à prima statim ætate, Christi & primum, quo ad nos ex Virgine prodijt: & secundum, quo summo pauore concutiet omnia, signauit aduentum. Itaque, charissimi mei, à Christo dilecti fratres, constantes & alacres animo simus, vt honestissimi pueri facta tam grandia, suspensis mentibus inspicere atque audire possimus. Equidem, fratres mei, hunc adolescentulum non modò honestissimum dixerim, sed omni dignissimum admiratione, pudicitiæ fontem, victoremque libidinum, ac trophæum mirabile de hoste referentem. Vndè & futuri illius Saluatoris aduentûs figura præcessit. Quisque igitur abijciat ex animo omnem terrenarum rerum curam, & cum desiderio suscipiat dulcia carmina. Sunt enim spiritalia cantica, quæ lætificant animam. Sicut enim Dominus noster de sinu Patris, vt nos omnes redimeret, missus est: ità & puer Ioseph à patre directus est, vt suos reuiseret fratres. Et quemadmodùm illi, simul atquè inspexerunt appropinquãtem Ioseph, cœperunt aduersùs eum cogitare nequitiam, & quidem cùm illis pacem à patre perferret: ità & Iudæi duro semper corde, mox vt Saluatorem viderunt, dixerunt: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & nostra erunt omnia. Et sicut fratres Ioseph dicebant: Occidamus eum, & euademus somnia ipsius: ità & Iudæi: Venite, inquiunt, occidamus eum, & obtineamus ipsius hæreditatem. Ioseph fratres comedentes vendiderunt, quem proposito & voluntate necauerant: eodem modo Iudæi execrabiles, Pascha manducantes, Saluatorem occiderunt. Descensus in Aegyptum Ioseph, Saluatoris signat ad nostra descensum. Sicut autem Ioseph intra thalamum inclusus, omnem peccati vim magno vigore calcauit, atque aduersùs Aegyptiam dominam suam, coronas victoriæ clarissimas retulit: ità & Dominus ac Saluator animarum nostrarum ad inferni claustra descendens, dextera sua omnem illic atrocissimæ mortis, & catenùs inuicti tyranni potentiam strauit, atque destruxit. Quoniam verò peccatum superauerat, Ioseph in carcerem seruandus includitur, donèc tempus coronæ percipiendæ veniret: ità & Dominus, vt peccata mundi omnia tolleret, in monumento reponitur. Ioseph biennij tempus egit in carcere, magna ibi cum requie ac libertate versatus: & Dominus noster triduum in inferno permansit, vt potens, & corruptione intactus. Iussu Pharaonis Ioseph placidè ex carcere, vt verissimus Christi typus, educitur, ac somniorum fidelis interpres futuram frugum vbertatem facilè signat: at verò Dominus noster ex mortuis propria virtute surrexit, inferni spolijs captis, reconciliationem nostram Patri offerens suo, resurrectionemque prædicans, & ęternam vitam. Ioseph, accepta super omnem Aegyptum potestate, in curru Pharaonis sedit: Rex autem noster ante secula, atque Saluator, ascendens in nube lucida in cælum, ad dexteram Patris cum gloria sedet, vtpotè vnigenitus filius. Cùm verò in Aegypto regnaret Ioseph, accepta contra inimicos suos potestate, adducuntur spontè illius fratres ante eius solium, quem addixerant neci: ingrediunturque cum metu ac tremore, vt adorent in conspectu eius, qui ab illis in mortem venditus fuerat: & cum timore procidunt coram Ioseph, quem super se regnare noluerant. Agnitis verò ille fratribus suis, vno verbo ostendit homicidas. Quod illi audiẽtes, attoniti, & pauore perterriti steterũt, obtutibus humi depressis, confusione pleni, & loqui minimè audentes, neq; omninò quicquã habentes, quod in excusa-

Ioseph, typus Christi.

Item pudicitiæ fons & victor libidinis, is dicitur.

Gen. 37. Ibidem. Matt. 21. Gen. 37. Ibidem. Ibidem. Gen. 41. Ibidem. Act. 1. Gen. 42.

cusationem sui sceleris afferre possent, recognoscentesq; apertè peccatum suum. Putârant infelices, qua illum hora vendiderant, eum esse iam mortuũ, dum repentè is, qui fuerat ab eis peremptus, magna fretus potestate, super illos regnare deprehensus est. Ità & in die illa terribili, cùm venerit Dominus in nubibus aëris, sedebit super sedem regni sui, adducenturq; vincti corã illo ab Angelis terribilibus omnes inimici eius, qui eum super se regnare noluerunt. Arbitrati enim tunc sunt impij Iudæi, illum, si crucifixus esset, quasi hominem esse moriturum, non intelligentes miseri, Deum illum esse, qui, vt saluaret animas nostras, aduenerat. Ac sicuti Ioseph dicebat palàm fratribus suis, terrens eos, ac pudore suffundens: Ego sum Ioseph, quem vos vendidistis: eccè nunc regno etiam nolentibus vobis: ità & Dominus Crucem ostendet lucentem ipsis crucifixoribus suis, recognoscentq; ipsam Crucem, & filium Dei à se crucifixũ. Vidistis, vt Ioseph in carne figura certa fuerit Domini sui? Quoniam verò à puero effloruit ipsius virtus, agè hinc iam initiũ sumentes, ipsius gesta enarrare pergamus. Luc.19. Gen.45. Matt.24. Zach.12.

Hic nempe beatissimus, decem & septem annorum tempus in domo patris gratia sublimis virtutis enituit, proficiens quotidiè in timore Dei, in honestate propositi, & honore parentum. Cùm verò in fratribus suis deprehenderet iniquitatem, modicè illam annunciauit patri. Re enim vera virtus semper ab iniquitate dissentit, neque illi congruere potest. Huius rei gratia illum oderant fratres, quòd ab eorum scelere alienus esset, virtutique puer operam daret. Habens autem habitantem in se Deum sanctum, cernebat in somnis, quæ sibi ex dispositione summi Dei euentura erant. At pater Iacob cùm ignoraret fratrum odium clandestinum aduersùm Ioseph, simplici animo diligebat Ioseph, virtutum flore ab ipsa prima ætate vernantem. Pascentibus autẽ illis oues in Sichem, contigit Ioseph esse cum patre domi. Pater autem Iacob absentium filiorum affectu patrio curam gerebat. Dixit ergò ad Ioseph dilectissimum filium suum: Veni, fili, perge ad fratres tuos, & diligenter addisce, an rectè valeant ipsi, & greges: citoque rediens, renuncia mihi. Accepto patris mandato, Ioseph pergebat gaudens ad fratres suos, deferens pacem ex persona patris, nullaque eum de illis mordebat suspicio. Profectus igitur, oberrabat in solitudine, fratribus suis, eorumque pastoribus minimè inuentis. Cùm verò mœrens ac tristis incederet, occurrit illi homo, viamque monstrauit, quæ ducebat ad fratres. Vbi autem eos procùl adspexit Ioseph, lætior aduolat, amplecti omnes nimio amore desiderans. Illi autem postquàm eum appropinquare viderunt, quasi feroces bestiæ, de occidendo eum tractare cœperunt. Ibat igitur Ioseph, velut innocens agnus, manibus atrocium luporum discerpendus. At vbi ad eos peruenit, placidè illos ac blandè salutauit, vt sese haberent, ex persona patris interrogans. Verùm illi insurgentes continuò, tunica illum, qua indutus erat, exuerunt, & singuli stridebant dentibus in eum, viuum absorbere cupientes, trucesque & immites, vt odio suo satisfacerent, honestissimum illum ac sanctum puerum, varia cæde affligebant. Cernens autem Ioseph seipsum tot malis expositum, (nullus enim prorsùs erat, qui misereretur) ad preces se & lachrymas, gemitusque conuertit, & extollens vocem, obsecrabat eos, dicens: Vt quid, fratres mei, ità irascimini? Deprecor vos omnes, sustinete modicùm, dum loquar. Mater mea defuncta est, & pater Iacob eam nunc vsque quotidiè luget, & vultis luctum alium afferre patri nostro, priore adhuc vigente, & necdùm sedato? Obsecro vos omnes, nè me à Iacob patre meo separetis, nè descendat senectus eius cum mœrore ad infernum. Adiuro vos per Deum Abraham, Isaac & Iacob, qui ab initio vocauit Abraham, & dixit ei: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram bonam, quam ego ostendam tibi: & multiplicabo semen tuum sicut stellas cęli, & sicut arenam maris, quę est innumerabilis: per Deum excelsum, qui dedit Abrahæ tolerantiam promptè offerendi in sacrificium filium suum vnigenitum Isaac, vt reputaretur ipsi Abrahæ in gloriam: per Deũ, qui eruit Isaac de morte, dans pro illo arietem in holocaustũ acceptabile: per Deum sanctum, qui dedit benedictionẽ Iacob ex ore patris sui Isaac: per Deũ, qui descendit cum Iacob in Charran in Mesopotamiam, vndè exierat Abraham: per Deum, qui liberauit Iacob ex omni angustia, & dixit se daturũ ei benedictionẽ: nè, quæso, destituar patre Iacob, nè ità me lugeat, sicut luxit Rachel: neq; rursùs cõtenebrẽtur oculi eius, qui horis singulis opperitur reditum meum, & ingredi ad se expectat. Cap.2. Gen.37. Ibidem. Ibidem. Ibidem. Ioseph à fratribus inhumanè tractatur. Oratio S. Ioseph ad fratres suos. Gen.12. Gen.22. Ibidem. Gen.27. Gen.28. Gen.32.

Remittite me ad Iacob patrem meum. Nolite, obsecro, spernerē lachrymas meas, sed patri me restituite.

Cap. 3. Gen. 37. In lacum à fratribus inijcitur. Hæc illo per Deum patrum adiurante, feræ illæ belluæ continuò in lacum eum iniecerunt, neque Deum metuentes, neque eius adiuratione ad reuerentiam moti, & quidem cùm ille singulorum vestigia stringeret manibus, & fratrum pedes rigaret affatim lachrymis, clamans, ac dicens: Fratres mei, misereminí meî. Iniecto autem Ioseph in lacum solitudinis, amarissimis lachrymis, miserabilibusq; lamentis atque gemitibus, seipsum vnà & Iacob patrem deflebat, lachrymansque & trahens ex alto corde longa suspiria, dicebat: Inspice, pater Iacob, quæ filio tuo contigêre. Eccè enim in lacum missus sum velutì mortuus. En ipse præstolaris meum ad te reditum, pater, & ego nūc in lacu iaceo tanquàm homicida. Dixisti mihi, pater: Perge ad visitādos fratres tuos cum pastoribus, & ad me cum celeritate reuertere: Sed eccè isti velut immanissimi lupi effecti sunt, & me abs te separârunt, honestissime atque amabilis pater. Non iam adspicis faciem meam, neque vocem audis, neque vltrà super me innititur tua sancta & veneranda senectus. Non iam ego vicissim intueor sacram dulcemq; canitiem tuam, quoniam sepulto mortuo melior non est conditio mea. Defle, pater, filium tuum, & te filius vicissim deploret, quia ità à puero separatus sum à facie tua. Quis dabit mihi loquentem columbam, vt profecta hinc annunciet senectuti tuæ gemitum meum? Defecerunt, dulcis pater, & lachrymæ, & gemitus, voxque ipsa penitùs elanguit, nec est qui adiuuet. O terra, ô terra, quæ clamâsti ad Deum sanctum pro Abel iusto iniustè perempto, sicut tradiderunt nobis aui, ac parentes, quòd scilicet terra clamauerit propter sanguinem iusti: ipsa nunc quoque clama ad Iacob patrem meum, apertè illi indicans, quæ mihi à fratribus acciderunt.

(Deflet se & patrem suū.) (Gen. 4.)

Cap. 4. Vt autem iniecerunt Ioseph in lacum funesti illi, sederunt vt comederēt ouantes, ac biberent: ac velutì exultant victores fugatis hostibus, & capta præda, ità illi nimio cum gaudio discubuêre. Cùm verò læti atque gestientes manducarent ac biberent, leuantes oculos, viderunt negociatores Ismaëlitas venientes, qui pergebant in Aegyptum, camelos ducentes, qui aromata ferrent, dixeruntq; adinuicem: Multo nobis melius est, venundare Ioseph peregrinis negociatoribus istis, vt profectus hinc, in aliena regione moriatur, nec sit manus nostra super fratrē nostrum. Eduxeruntque Ioseph de lacu fratrem suum, tanquàm feræ belluæ, acceptoq; precio vendiderunt mercatoribus, non patris sui mœrores considerantes, cui curam ingentem angoremque inijciebant. Illis verò iter agentibus, contigit vt deuenirent in locum Hippodromi, vbi sepulta est Rachel. Illic enim defuncta erat, cùm rediret Iacob de Mesopotamia. Vbi autem vidit Ioseph sepulcrum Rachel matris suæ, accurrens cecidit supra monumentum, extollensque vocem suam, ingemuit lachrymans, & clamauit in amaritudine animæ suæ, dicens: Rachel, Rachel mater mea, exurge de puluere, & inspice Ioseph filium tuum, quem dilexisti, ac vide quid illi contigit. En ipse captiuus in Aegyptum abducitur, traditus quasì maleficus in alienorum manus. Fratres mei omninò nudatum vendiderunt in seruum, & pater Iacob ignorat, quomodò proditus sum. Aperi mihi, mater mea, & suscipe me in sepulcro tuo. Fiat tumulus tuus, vnus mihi ac tibi lectulus. Suscipe, mater, filiū tuum, nè violenta pereat nece. Accipe me, mater, qui subitò Iacob patre destitutus sum, sicutì & tuo mater cōtubernio à puero priuatus sum. Audi, mater dulcis, gemitum cordis mei, grauemque eiulatum, & me in tuo monumēto suscipe. Non enim iam sustinent oculi mei lachrymarum imbres, neq; anima mea gemitibus sufficit. Rachel, Rachel, non audis vocem Ioseph filij tui? En vi abducor, & me suscipere non vis? Iacob vocaui, nec audiuit vocem meā. Eccè rursùs & te voco, & ne tu quidem audis me. Hîc, hîc supra tuum tumulū moriar, nè in alienam regionem quasì malefactor aliquis ducar.

(Gen. 37.) (Diuenditur mercatoribus Ismaëlitis.) (Gen. 35.) (Deflet casum suū S. Iosephus super tumulū matris suæ Rachel.)

Cap. 5. Vbi verò omnes simul adspexerunt Ismaëlitæ, qui emerant Ioseph, illum ità cucurrisse, ac super tumulū Rachel matris suæ in faciem corruisse, dixerunt adinuicèm: Adolescens iste prestigias artis magicæ in nos exercere vult, vt manus nostras possit effugere, nobisque ignorantibus euanescere. Compræhendamus eum igitur, & fortibus nexibus constringamus, nè nobis magijs suis auferat visum. Accedentes itaque ad illum, frementesq; dixerunt: Surge iam, atque magicam exercere desiste, nè te supra tumulum hunc percutientes, auri, quod pro te dedimus, iacturam

(Ismaëlitæ suspicantur eum artem magicam exercere.)

iacturam patiamur. Postquàm verò surrexit, viderunt omnes illius faciem lachrymis ac gemitibus nimijs adustam, cœperuntque singuli modestè illum rogare, dicentes: Cur fles? Quid lachrymis manas? Magno enim mœrore detineris, ex quo sepulcrum istud vidisti, cùm esses in huius Hippodromi via. Itaque abiecto metu, confidenter nobis eloquere, quod sit opus tuum, cur itèm venditus sis. Pastores enim illi, cùm te venderent, nobis ità dixerunt: Cautè illum obseruate, nè fortè in via diffugiat à vobis: insontes sumus nos: eccè enim prædiximus vobis. Itaque diligenter expone, cuiusnam sis seruus, pastorum'ne illorum, an liberi alicuius: causamque edicito, cur ità flebiliter, tantoque cum affectu ac studio supra tumulum istum cecidisti. Nos nempe te emimus, dominiq; tui sumus: vt seruus igitur noster tua omnia nobis edissere. Nam cui ea magìs pandere debes? Nostri iuris cùm sis, effugere vis, negligentibus nobis, vt pastores illi prædixerunt? Verùm dic nobis apertè, oramus, quisnam sis, quod sit opus tuũ, bonoque esto animo: vidéris enim liber. Non te vtemur vt seruo, sed tanquàm fratre, aut charissimo filio. Nanq; cernimus in te maximam libertatem, atque in statu honesto ingentem disciplinam: dignusque profectò es etiam Regi adstare, & cùm magnatibus honorari, ô iuuenis. Quippè hic decor tuus te & nunc honestissimum reddit, paulò pòst liberum, ac tui iuris faciet esse, erisq; noster amicus, & inprimis familiaris in terra, ad quam te ducimus, vt læteris & gaudeas. Quis enim huiusmodi non cupiat puerum, oculorum specie insignem, & ingenuitate sapientiaque præstantem?

Respondens autem Ioseph, inter suspiria & gemitus, dixit eis: Neque seruus vnquàm fui, neq; fur, neque magus, nec vllo quidem scelere meo in manibus vestris venũdatus sum: sed filius vnicè dilectus patri meo fui. Porrò pastores illi fratres mei sunt, misitque me pater videre eos, vt sese haberent: quippè indulgentissimus pater illorum cura macerabatur. Aliquanto enim diutiùs illic inter montes morati erant: cuius rei gratia me ad videndum illos miserat pater. At illi zelo magno, inuidiaque contra me concitati, me vobis in seruum vendiderunt, auulsum à finibus & visceribus patris, minimè ferentes tanta in me paternæ dilectionis indicia. Sepulcrum verò istud, matris meæ est. Nam cùm ex Charran migraret pater meus, vt abiret in locum, vbì nunc habitat, hinc transitum habuit, atque in eo itinere mortua est mater mea, & in hoc tumulo, quem cernitis, sepulta. Ista cùm illi audîssent, lachrymati sunt, vicem illius miserantes, dixeruntque ei: Noli timere, adolescens: ad summum enim honoris prouehendus, modò proficisceris, Aegyptum ingrediens: nempe enim effigies tua, tuæ ingenuitatis index est: immò nunc meliore esto animo, fratrum insidijs atque inuidia liber, qui te vendiderunt nobis.

Cap. 6. Ioseph illis sapiẽter respondet.

Gen. 35.

Ismaëlitæ eius vicem miserantur, eumque cõsolantur.

At verò fratres Ioseph, vbì illum vendiderũt, allato hirco, ac mactato, tunicam eius fœdantes sanguine, miserunt patri, dicentes: Hanc in montibus iacentem inuénimus, ac continuò cognouimus Ioseph fratris nostri esse vestem, omnesque in mœrore sumus illius gratia. Quamobrèm hanc ad te mittimus tunicam Ioseph variam, pater, cùm fratrem nostrum minimè inuenerimus. Agnosce igitur & ipse, si filij tui est: omnibus quippè visum est, hanc esse Ioseph. Cùm vidisset autem Iacob tunicam Ioseph, amaro cum gemitu & eiulatu exclamauit, dicens: Tunica Ioseph filij mei est, fera pessima deuorauit filium meum: amaroque animo inter luctus & intolerabiles gemitus dicebat: Cur ego pro te, fili, magis deuoratus non sum? Vt quid mihi non continuò occurrit bellua, vt satiata carnibus meis, te, fili dulcissime, reliquisset illæsum? Quarè me magìs non discerpsit & dilaniauit, cibusque illi factus non sum, miser? Væ mihi, væ mihi: disrumpuntur viscera mea propter Ioseph. Deficite plorantes oculi mei, & caliginem obducite semper: eccè enim tunica tua in alium me impellit gemitum, fili. est enim integra. Itaque non te fera, puto, deuorauit, dulcis fili, sed humanis profectò manibus & exutus, & occisus es. Nam si, vt fratres tui aiunt, cõsumptus à bestia fuisses, tunica vtiquè tua per partes discissa esset. Neq; enim fera priùs exuère sustinuisset, ac tũc demùm exatiari carnibus tuis, fili. Rursùm si priùs exuisset, ac demùm deuorâsset, tunica tua sanguine infecta non esset. Non scissuræ vnguium in tunica, non dentium sunt vlla vestigia. Vndè igitur sanguis? Si autem fera, quæ comedit Ioseph, ità sola fuit, quo pacto hæc omnia perpetrare potuit? Hic igitur mihi deserto ac destituto luctus, hic gemitus est. Ioseph lugeo, & tunicam defleo. Duo hi lùctus, duo gemitus, acerbissimique ploratus, Ioseph, atque tunicæ. Quomodò enim ille exutus est? Moriar eccè,

Cap. 7. Gen 37.

S. Iacob lugет filium suum.

Facilè conijcit non à fera, deuoratum esse.

Ioseph fili mî, mea lux, meumque firmamentum, & tunica tua mecum descendet in infernum. Nolo enim iam Solis radios absque te cernere, fili mî Ioseph. Deficiat anima mea cum anima tua, Ioseph lux mea.

Cap. 8. Intereà Ismaëlitæ sumentes Ioseph, magno studio illum in Aegyptum deduxerunt, existimantes ob eximiam adolescentis formam pecunias plurimas à quouis ex principibus sibi conferendas. Ipsis autem per medium ciuitatis prætereuntibus, eccè Phutiphar illis continuò occurrit, intuitusque Ioseph, percontatus est eos, dicens: Dicite, negociatores, vndè est hic adolescens? Non enim vobis similis est: omnes nanque vos Ismaëlitæ estis: hic autem formæ honestate præcellit. Qui responderunt: Nobilissimus omninò, plenusque prudentiæ est. Dato igitur precio, quantum illi postulauerant, summo affectu emit ab eis Ioseph. Et cùm introduxisset domum, inuestigabat, quænam fuisset eius educatio. At verò ille à sancto semine iusti Abraham, Isaac & Iacob nihil degenerans, proficiebat virtute, magnaque constantia in domo domini sui, ac de die in diem pudicitiæ virtutem, adspectu ac verbo magìs magisque tuebatur, habens ante oculos iugiter Deum sanctum, cuncta supernè inspectantem, Deum patrum suorum, qui illum ex lacu & morte, atque ex fratrum eripuerat scelere. Verùm ipsius cor iugiter contristabatur, ac mœrebat pro sancto patre suo Iacob. Animaduertens autem dominus eius constantiam iuuenis, atque grauitatem, summamque disciplinam & gratitudinem, omnia, quæ possidebat, Ioseph pulcherrimo, tanquàm charissimo filio, tradidit gubernanda: neque quicquam aliud nouerat dominus, nisi panem solummodò, quo vescebatur. Sciebat enim Ioseph esse fidelissimum, expertusque erat rem suam ac omnem substantiam, sub manibus illius in dies augeri. Porrò domina ipsius cùm vidisset Ioseph singulari pulchritudine præditum, vulnerata est acri amoris iaculo, vesaniaque diaboli, & vehementi cupidine dormire cum illo cupiebat, honestissimumque adolescentem, ac pudicitiæ fontem, in foueam turpitudinis ardebat impellere, innumeras artes, variosque ornatus excogitans, ac nullis omninò sumptibus parcens. Nam horis singulis mutabat amictum, faciemque stibio ac fucis varijs pingens, & crinibus aurum inserens, atque impudicis nutibus subridens, castissimos tentabat iuuenis oculos. Putabat nimirùm infelix, hisce illecebris sancti animum facilè illaqueari posse. At verò Ioseph, timore Dei vndiquè septus, ne simplici quidem adspectu in illam intuebatur. Postquàm verò illa animaduertit artes suas & ornatus insignes nihil iusto præualere, maiore flagrabat cupiditatis ardore, ac solicitudine anxia, quid ageret ignorabat. Cogitabat procacibus verbis illum ad ignominiæ opus hortari, obseruans tempus, quo illi, velut aspis insaniens, impudicitiæ virus infunderet: impudentique facie dicebat ad Ioseph: Dormi mecum, nihil omninò formidans. Audacter mecum congredere, vt & ego specie tua affatìm fruar, & tu vicissìm mea satieris pulchritudine. Cubilia multa nobis ad hoc opitulantur. Habes tu liberam totius domûs potestatem: nullus omninò ingredi præsumet ad nos, neque nostrum impedire secretum. Itaque accede ad me, mecumque imple desiderium: valdè enim vror concupiscentia tuî.

Gen. 39.

Insigne studium pudicitiæ S. Ioseph.

Gen. 39.

Ibidem.

Hera eius insidiatur pudicitiæ illius.

Cap. 9. Ad hæc lapis ille adamantinus, & animo, & corpore inuiolabilis perstit, atque in tanta procella immobilis mansit. Cæterùm timore Dei cuncta repellens ignea libidinis iacula, decora congruaque sibi honestate ab se illam diuinis verbis arcebat, ità illi dicēs: O mulier, istud quidem scelus implere minimè cōuenit tecum, quæ domina mea es. Deum enim quidem timeo. Eccè autem & dominus meus omnia tradidit mihi, quæ sibi & domì, & foris sunt: neque est aliquid, quod sub manu mea non sit, præter te. Quàm igitur iniquum esset, tātam vim dilectionis talis domini prodere, qui me ità dilexit? Quomodò possum coram Deo, qui scrutatur corda & renes, huiusmodi facinus exequi? Hæc sancta verba dicebat Ioseph horis singulis ad dominam suam, corripiens, admonens, increpans, culpans. Verùm nihil diuinum mulieris auris admittebat, maioreque turpitudinis flagrabat ardore, & insita magìs vrebatur obscœnitate libidinis, obseruabatque per momenta tempus reperire idoneum, quo castissimum iuuenem impudicè violare posset. Videns autem Ioseph mulierem àdeò impudēter atque immaniter, ceu feram, super se irruere, vt animum suum, corpusq; corrumperet, leuauit oculos suos ad Deum patrum suorum, assidueque orabat altissimum, dicens ità: Deus Abraham, Isaac & Iacob

Eam fortiter à se repellit castissimus iuuenis.

Psal. 7.
Heb. 4.

Precatio eius ad Deū.

Iacob, Deus magne atque terribilis, ërue me ab hac fera pessima. Eccè enim ipse adspicis, Domine, mulieris insaniã, quomodò me in occulto occidere per flagitium cupit, vt vnà secum moriar in peccatis, & prorsùs separer à Iacob patre meo. Liberâsti me, Domine, de morte, & ab iniustis fratribus meis: libera me nunc quoquè ab insaniente fera ista, nè operibus nequam alienus efficiar à patribus meis, qui vehementer ac piè dilexerunt te, Domine. Atque ex alto corde trahens longa suspiria, Iacob iterùm appellabat, cum lachrymis dicens: Ora, pater, ipse pro filio tuo Ioseph: quoniam vehemens aduersùm me concitatur bellum, quod me à Deo separare possit. Istud mulieris bellum longè atrocius est, quàm quod mihi fratres mei inferre voluërunt. Illud necabat corpus, hoc separat à Deo animã. Scio equidem, dulcissime mî pater, quoniam orationes tuæ pro me ad Deum sanctum ascenderunt, atque ideò ex lacu mortis ereptus sum. Et nunc rursùs exora altissimum, vt me ab hac ëruat fera, quæ filium tuum perdere nititur: cui neque in oculis verecundia, neque in corde timor Dei est: nè, sicuti sinibus tuis destitutus corporaliter sum, ità & ab animo alienus efficiar. Profectus sum ad fratres meos, factique sunt vt belluæ, & vt grauissimi lupi abs te auulserunt, pater sancte: & in Aegyptum deductus sum in manibus aliorũ, & eccè rursùs fera alia occurrit mihi. Fratres quidem in deserto interimere me voluërunt: hæc autem in cubiculo me discerpere inquirit. Ora, pater dulcissime, pro me filio tuo, nè coram Deo & patribus meis moriar.

Cùm autem verbis dominæ suæ parére noluisset, quæ illum singulis horis vrgebat, ac veluti aspis immitis illi, omni pudore abiecto, imminebat, obseruauit ipsa tempus, quo illum in thalamo solum inueniret, sicque peccatum consummaret. Vbi vero illum in lectulo suo, vt cupiebat, depræhendit, accedens impudenter, ipsum ad se conabatur attrahere, nequitiamque perpetrare. Ille autem admiratus mulieris impudentiam singularem, continuò extra domum cursu exilijt: ac sicuti aquila, cùm aucupes viderit, alis cæli celsitudinem penetrat: ità & Ioseph ex his retibus fugit, nè vel dicto, vel facto vulnus exciperet: inque illius manibus pallium linquens, diaboli laqueos fugit. Videns autem mulier illum ità effugisse, magno in mœrore erat: iamque plectere iustum cogitabat, accusare illum turpitudinis apud virum volens, vt eo comperto, vir eius zelotypo furore succensus, interimeret Ioseph, illud simul secum reputans: Multò mihi melius est, vt Ioseph moriatur, vt vel sic requie fruar. Non enim fero tantum pulchritudinis in domo mea per momenta conspicere, cùm frui ipsa vel clàm, aut palàm eximia iuuenis specie nequeam. Vocatis itaque seruis & ancillis suis, ait: Scitis quid admiserit in me puer Hebræus, quem constituit vir meus super domum suam? Voluit mecum impudenter congredi. Non sufficit illi potestas omnis domûs nostræ, nisì me quoquè separare à viro meo conaretur. Sumptamque Ioseph tunicam ostendit viro, probro illi dicens: Adduxisti eccè puerum istum Hebræum, vt contumeliam inferret, illuderetq; mihi vxori tuæ. Scis tu, domine mî, quòd pudica sum: atque ideò annunciaui tibi. Auditis huiusce calumnijs vir eius, vxoris verbis protinùs credidit, ità esse asserentis: iratusque iussit continuò vinciri Ioseph, & in domum carceris mitti, maximas intentans minas, verborum illius ac benedictionum, quæ sibi tum domi, tum foris propter Ioseph obuenerant, penitùs immemor. Neq; crimen obiectum diligenter inquisiuit, sed statìm aduersùs eum iniustam protulit sententiam, dicẽs: Ioseph in carcerem conijci iubeo, nullaque prorsùs requie frui. Deus autem Abraham, Isaac, & Iacob, qui scrutatur omnium corda, cum ipso erat, deditque illi misericordiam in oculis principis carceris, ac permisit illum in carcere liberum à vinculis viuere. Neque enim vnquàm discedit benignissimus Deus noster ab his, qui metuunt illum corde perfecto.

Cap. 10. Gen. 39. Fugit Ioseph relicto pallio in manibus adulteræ. S. Ioseph falsò delatus, mittitur in carcerem. Gen. 39. Ibidem.

Post hæc peccauerunt Pharaoni pincernarum princeps, ac magister pistorũ, iussitque Rex vtrunq; in carcerem trudi. Porrò Ioseph ministrabat illis. Cùm autem illi clausi detinerẽtur, post dies aliquot viderunt ambo somnia, qd eis breuì euenturum esset, presignantia. Ioseph aũt sanctus, minister cùm esset, consuetò ingressus ad eos, animaduertit ambos mœstos ac tristes: & cùm mœstitię causam percontaretur, dixerunt: Somnia vidimus, nec est qui ea nobis exponat: ideoq; in mœrore sumus. Dixit autem eis: Istud quidẽ Dei est, obscura quæq; reserare timẽtibus eum. Dicite mihi somnia vestra, vt ea vobis per me Deus meus aperiat. His auditis, pincerna-

Cap. 11. Gen. 40.

Exponit pincernarũ & pistorum præfectis sua somnia.

cernarum & pistorum principes dixerunt somnia Ioseph, quæ viderant ambo. Ioseph autem paucis verbis exposuit eis exactissima fide, quæcunq; illis à Rege euentura erant, vt postmodùm rei probauit euentus. Nanque pincernarum principem honori suo, officioq; restituit: pistorum verò magistrum tradidit morti. Cumque pincernæ ventura prædiceret, orabat eum, dicens: Memento meî coram Pharaone, Regique de me celeriter suggere, vt me hinc educat. nihil enim peccaui, neque mali quippiam feci: sed absque causa iniectus in domum carceris sum. O semen electum atque beatissimum, quid à mortali homine subsidiũ quæris? Omisso Deo, hominem rogas? Certè expertus es auxilium Dei, quãdò etiam pudicitiæ tunicam intactam, inuiolatamq; seruâsti. Cur, oro, castitatis lilium, deficis animo, cùm Deus tibi regnum gloriamque prouideat? Quo autem tentationem fortiùs toleras, eo illustrior tibi corona victoriæ contexitur. Vt autem, iuxta quod prædixerat Ioseph, impleretur somniorum vtriusque solutio, post triduum fecit Pharao conuiuium omnibus optimatibus suis, recordatusque inter epulas pistorum magistri, & pincernarum principis, alterum quidem in priorem restituit gradum, alterum verò tradidit morti.

Ibidem.

Cap.12. Gen.41.

Cùm verò oblitus esset pincerna interpretis sui, per Dei prouidentiam post duos annos vidit Pharao somnia magna, quæ sapientum omnium Aegyptiorum, omniumque magorum artem omnem, intelligentiamque transcenderent. Experrectus autem Pharao, sapientes omnes accersiri iussit: quibus cùm somnium annunciâsset, nemo vim somnij explicare valuit. Rege itaque mœrente, curisque confecto, nunciauit ei pincernarum princeps omnia de Ioseph. Eis auditis, Pharao gauisus est gaudio magno, iussitque continuò illum ad se adduci. Et cùm processisset ex carcere, dixit illi Pharao coram optimatibus suis: Audiui de te, quòd vir sapiens, & prudentissimus sis, & qui somnia obscura interpretari nôueris. Respondit autem Ioseph Pharaoni: Indultoris sapientiæ Dei est exponere somnia. Dixit autem Pharao somnia sua coram Ioseph, & omnibus magnatibus suis: audiuitque continuò somniorum expositionem ex ore Ioseph, veluti ex ore Dei. Stupefactus Pharao ad tantam adolescentis sapientiam, excellensque consilium, (siquidem illi consuluerat, virum vnum constituere sapientem atque intelligẽtem, vt Aegypti frumenta colligeret: futuram quippè famem ingentem dicebat: vt haberentur fruges plurimæ in tempus pressuræ seruatæ) ait ad illũ: Teipsum constituam hodiè super omnem Aegyptum, qui tale consilium reperisti: atque ad tui oris imperium & Aegyptus, & omnis domus mea disponetur. Tunc imposuit illum in currum suum, omnesque magnates partim antecedebant currum, partim circundabant eum, vnà pergentes, maximè cùm ex ore Pharaonis accepissent, secundum esse illum Aegypti Regem. Videns autem Phutiphar, qui Ioseph priùs in carcerem miserat, mirandum spectaculum, quòd sedisset Ioseph in Pharaonis curru, timuit valdè, sensimque se ex medio principum subducens, cursu in domum suam cum metu maximo se recepit, & aperiens os suum, ait vxori: Vidisti, ô mulier, signum mirabile & insperatum, ex quo timor nobis magnus incumbit? Ioseph enim ille, qui quondàm noster fuerat seruus, dominus noster effectus est, totiusq; Aegypti. Et eccè cum gloria Pharaonis inuehitur curru, & tanquàm Rex honoratur ab omnibus. Ego autem cùm illius ferre nequirem adspectus, sensìm me subripui, clamque discessi.

Educitur è carcere, & Regi somnia exponit

Ibidem.

Fit princeps totius Aegypti.

Cap.13.

His compertis, vxor viro rem aperuit, ità dicens: Notum sit tibi hodiè peccatum meum, quod ego admisi. Ego sum, quæ pulcherrimũ Ioseph, pudicissimum illum adamaui: cumque per singula momenta blanditijs plurimis, & ornatibus varijs castissimo insidiarer adolescenti, vt illo frui possem, eiusque eximia pulchritudine satiari, neque omninò efficere id quirem, vt vel verbo pudicitiam proderet, vi illum tenere contendi, vt me vel modicè toleraret. Verùm ille, dimisso pallio in manibus meis, aufugit. Ego enim eram, quæ vim illi inferre voluëram, quandò tibi pallium eius ostendi. Cæterùm author sum illi bonorum, quæ ipsi & regnum præstiti, & maximam gloriam. Nisì enim ego ità amâssem Ioseph, in carcerem coniectus non fuisset. Immò verò & gratias mihi habere debet, quę fui gloriæ ipsius causa. Iustus ac pius & sanctus est Ioseph, qui etiam calumniam passus, nemini prodidit. Exurge itaque, ac perge gaudens, & eum vnà cum magnatibus alijs adora securus. Surgens autem Phutiphar, studiosè cucurrit, & Ioseph sanctum reuerenter adorauit.

Turpis mulier fatetur scelus suum marito suo.

adorauit. Inter hæc impletis iam annis illius vbertatis maximæ, inualuit fames in tota terra Chanaan, mœstusque erat Iacob cum filijs suis. Audiens autem, quòd alimenta venderentur in Aegypto ad omnem copiam, dixit liberis suis: Audiui quòd in Aegypto frumenti plurimum sit. pergite igitur illuc, & emite nobis escas, nè omnes fame moriamur. Acceptis mandatis patris, filij Iacob descenderunt omnes emere sibi cibos. Cumque in Aegyptum peruenissent, accesserunt ad Ioseph cum reliquis, vt triticum emerent: non autem agnoscebāt illum, quòd esset frater suus. Vt autem vidit Ioseph fratres suos, protinùs agnouit omnes, & ait fremens: Hi decem viri, exploratores pessimi sunt, atque ideò ingressi sunt Aegyptum. Compræhendite illos igitur, & in vincula conijcite: profecti enim sunt ad explorandam terram. Hoc illi adspicientes, contremuerunt, & cum metu ingenti responderunt ei, dicentes: Absit hoc à nobis, domine: omnes fratres vnanimes sumus, filijque dilecti patris vnius viri iusti. Fuimus aliquandò duodecim numero, ex his vnus pulcherrimus & charissimus patri, à bestia mala peremptus est, lugetque illum pater vsque in hanc diem. Frater autem alius cum patre nostro est in terra Chanaan, relictus in solatium patris. Respondit illis rursùs Ioseph cum iracundia, dicens: Quoniam quidem ego Deum sanctum timeo & colo, istud vobis condono. Sumite igitur escas, & cōtinuò ad patrem vestrum pergite, ac, si vera dicitis, fratrem vestrum minimum, quem ille amat, adducite ad me huc: sicque demùm credam vobis. Sumentes autem triticum, ad patrem suum cum mœrore profecti sunt in terram Chanaan, nunciaueruntque ei suspicionem pessimam, & iracundiam viri. Vehementer autem hac illorum relatione tristatus est pater, aitque cum gemitu: Quid hoc fecistis? Vt quid domino Aegypti alium vos habere fratrem dixistis? Qui respondentes, dixerunt ei: Ipse interrogauit nos, cognationemque nostram scire diligentissimè voluit. Dicit eis Iacob: Moriar magis, quàm Beniamin ex sinu tollatis meo.

Gen. 42. & 43. Fratres Ioseph veniūt in Aegyptū vt emāt frumentum. Is durè accipit fratres suos. Gen. 43.

Cùm verò fames vrgeret, dixit eis Iacob: Si ego filijs ex Rachel penitùs orbari, meisque charissimis liberis priuari debeo, vt dicitis, surgite: tollentesque munera in manibus vestris, pergite simul. Fecerunt autem sicut præceperat eis Iacob: cumque venissent in Aegyptum, omnes cum timore magno adorauerunt coram Ioseph. Qui postquàm vidit fratrem suum Beniamin cum metu ac formidine adstantem, cōmota sunt viscera eius, cupiebatque eum amplecti, atque osculari, & interrogabat eum summo affectu, dicens: Viuit pater? Qui ait: Viuit seruus tuus pater noster. Dicit ei rursum: Num habet adhuc Ioseph in corde? Et ille: Vehementer, inquit, illum habet fixum in animo, consumiturque ipsius desiderio. Cùm verò illum amplecti non posset, neque vltrà interrogare, ingressus in cubiculum suum, copiosas profudit lachrymas. Qua enim hora vidit fratrē suum, continuò recordatus est patris sui Iacob, dicebatque cum lachrymis: Beati qui videre merentur diuinam sanctæ tuæ senectutis effigiem, dulcissime pater: neque enim totum regnum, omnisque gloria conferri potest canis tuis, ó nimiùm dilecte Deo. Optaui addiscere ex ore Beniamin, an me gestares in corde, sicut & ego te. Idcircò fratres meos arte coëgi secum adducere Beniamin fratrē meum. non enim illis credidi dicentibus mihi de te, quòd haberent patrem, & minimum fratrem, putabamq; illos inuidia concitatos, etiam filium tuum minorem Beniamin occidisse, atque in maiorem luctum animum tuum iniecisse: quemadmodùm & me proposito malæ voluntatis occiderunt. Oderant quippè nos duos, quòd vterini essemus, ego & Beniamin. Scio, pater, quia nostrî gratia vehementer angeris, & solicitudine cumularis, & nūc maximè cruciatur senectus tua propter fratrem meum Beniamin: & ipse enim magno cruciatu afficior, dum considero neminem nostrûm tuæ senectuti inpræsentiarùm assistere. Non sufficiebat tibi luctus meus: adiectus est tibi, pater, & hic. Ego gemituum tuorum atque singultuum sum auctor. Durè nimìs ac crudeliter feci, Beniamin ad me venire præcipiens, dum addiscere cupio, an verè viueret pater meus. Quis mihi dabit tuam sanctam rursùs effigiem cernere, & insatiabiliter intendere in Angelicam faciem tuam? Deindè cùm amarissimè in cubiculo fleuisset, lota iterùm facie, prodijt hilaris, iubetque introduci omnes in domum suam, vt cum illo conuiuium inirent.

Cap. 14. Ibidem. Lachrymatur S. Ioseph viso Beniamin.

Audite, quæso, fratres, quomodò illos vndiquè in formidinem impellit Ioseph. Iubet illos accumbere, singulos nominatim vocans, & per ordinem, sicut fuerant geniti, statuens, vtebaturque per vnumquenque quodam quasi diuinationis modo. Propositus erat illi scyphus argenteus, quem tenens ille manu, atque in læuam transferens,

Cap. 15. Prandet cū fratrib' suis.

rens, pulsabat eum dexteræ digito manûs. Cumque pulsaretur scyphus, magnum sonitum edebat in aures omnium assistentium. Semel igitur pulsans, ait: Horum omnium primus Ruben est: primus ipse in honore discumbat. Pulsauit secundò, & secundi nomen edixit: Simeon, inquiens, secundus natu est: ipse quoquè secundo discumbat loco. Tertiò dehinc tinnitum digito expromens: Leui, ait, discumbat,& tertio honoretur loco. Atque ità singulos accumbere fecit, nomine illos per ordinem vocans. Quamobrèm eos in stuporem conuertit, maiorique formidine impleuit, adeò vt putarent ipsum omnia scire, dicerentque ad inuicèm: Putas'ne agnouit ex calice, nos sibi anteà esse mentitos, cùm diximus Ioseph à fera pessima deuoratum esse? Magna igitur cogitationum tempestare fluctuabant. Vt autem hac eos suspicione leuaret, ex mensa sua partes eis tradit, ampliorem quem partem fratri suo Beniamin, ità vt maiorem quincuplo, quàm cæteris, miserit. Cur itaque hoc Ioseph fratribus fecit, vt ex scypho nomina diceret singulorum? Vt scilicet illorum crimen augeret. Tunc iubet dispensatori suo, vt frumenti copiam fratribus absque precio daret, atque in sacco Beniamin clàm deponeret scyphum, eosque gaudentes continuò à se dimitteret. Haud longè à ciuitate discesserant hilares, cùm illos ille cursu insecutus, obiurgare cœpit, atque insectari, grauesque intentare minas, fures eos appellans,& collati sibi honoris indignos. Respondentes autem dispensatori Ioseph fratres, dixerunt: Aurum etiam, quod altera vice inuénimus in marsupijs nostris, retulimus domino nostrò, nunc scyphum domini tui qua ratione furati essemus? Absit hoc à seruis tuis. Dixit autem eis: Sacculos vestros deponite, scrutandosque permittite. Festinatò illi saccos deposuêre ex iumentis, inuentusque est scyphus in sacco Beniamin. Quod illi cùm vidissent, sciderunt vestimenta sua, cœperuntque minas multas,& probra,& iniurias inferre ei: neque ipsum solum, verùm & Rachel simul & Ioseph cum patre insimulabant, dicentes: Vos scandalum fuistis patri nostro, tu & Ioseph, filij Rachel. Ioseph enim regnare super nos voluit,& meritò à fera comestus est. Tu autem rursùs frater eius in ignominia & probro nos esse fecisti. Nonne vos estis filij Rachel, quæ patris sui idola furata, se ea furatam esse negauit? Extollens autem vocem Beniamin cum gemitu & lachrymis, satisfacere singulis cœpit, ac dicere: Deus ipse patrum nostrorum scit, qui assumpsit Rachel, quemadmodùm ipse voluit; qui pulcherrimi Ioseph mortem minimè ignorat, ipsumque modò consolatur inuisibiliter, qui videt nostra omnia. qui scrutatur corda & renes: ipse, inquam, scit quia non hunc scyphum, vt dicitis, furatus sum, neque tale aliquid cogitaui: ità videam patris Iacob sanctam, venerandamque canitiem, vt cum gaudio sancta illius osculer genua, vt scyphum istum furatus non sum. Heu, heu, Rachel, quid contigit filijs tuis? Ioseph pulcher à fera, vt aiunt, occisus est. Eccè ego nunc, mater, fur repentè, dum nescio, factus sum, & ignoro, quo pacto in terra aliena seruus detineor. Ioseph in eremo cùm discerperetur à bestia, clamauit vt inueniret qui se liberaret, & non inuénit: En ego rursùs, ô dulcis mater, apud fratres meos me expurgo, nec est qui audiat me, credatque mihi filio tuo.

Sumpto itaque Beniamin, regressi sunt in ciuitatem ad Ioseph, nihil habentes, quod respondere possent. Respondens autem Ioseph, irato similis, ait eis: Hæccine est beneficiorum meorum retributio? Idcircò honoraui vos, vt mihi scyphum meum, in quo vaticinor, auferretis? Non'ne dixi vobis, quòd non estis pacifici, sed exploratores? Propter timorem Dei hoc agam vobiscum: eum solum, qui furatus est calicem meum, seruum meum esse iubeo. Accedens autem vnus ex eis, Iudas nomine, posito genu, orabat eum, dicens: Nè, quæso, irascaris, domine, si loquar. Interrogâsti nos seruos tuos, dicens: Habetis patrem, aut fratrem? Diximus domino nostro: Est nobis pater seruus tuus, qui duos filios habuit, quos super omnes nos diligit. Vnum ex his fera pessima discerpsit in montibus, lugetque illum horis singulis pater, & in dolore ac gemitu nuncusque persistit, atque adeò, vt terra (fermè dixerim) ad voces eius lugere videatur. Alterum secum detinet domi in solarium prioris filij. Nunc autem, sicut iussisti, adduximus fratrem hunc nostrum, & inuenti sumus serui tui grauissimi sceleris rei. Oro autem, vt ipse seruus tuus sim pro puero isto, modò puer cum fratribus reuertatur ad patrem. Ipsum enim ego suscepi à patre meo, & sine ipso ad eum redire non possum, nè videam patris mei amarissimam mortem.

Cùm audisset Ioseph verba Iudæ, videretque eos omnes vultibus in humū demissis assistere,

Margin notes: Simulat se diuinatiōe vti S. Ioseph vt fratres suos probet. — Gen.43. — Gen.44. — Fratres criminantur Beniamin & Ioseph. — Gen.31. — Ierem.17. Apoc.2. — Cap.16. — Iudas se loco Bēiamin seruū facit. — Cap.17.

assistere, adspiceret itèm Beniamin scissa tunica cum gemitu procidentem adstantium genibus, vt ipsi Ioseph exorarent, quò ad patrem cum fratribus eum redire permitteret, nimis omninò turbatus est, commotisque visceribus, adstantes omnes protinùs abire iussit. Quibus abeuntibus, leuauit vocem suam Ioseph cum fletu, dicens fratribus, quos retinuerat: Ego sum Ioseph frater vester: non sum comestus à fera, vt modò dixistis. Ego sum, qui à vobis in lacum proiectus sum nudus. Ego sum, quem Ismaëlitis vendidistis: qui cùm omnium vestrûm genibus vestigijsque prouolueret, nemo fuit ex vobis, qui tunc in illa pressura misereretur meî, sed vt feræ belluæ in me inuasistis. Veruntamen, fratres mei, nemo vestrûm timore turbetur: magis autem gaudete mecum, & exultate. Et quemadmodùm dixistis patri nostro priùs, quòd ego in montibus à fera interfectus essem, ità rursùs læti renũciate Iacob, dicentes: Ioseph filius tuus viuit, & eccè sedet in curru Regis, sceptrum regni Aegypti manu tenens. Cùm verò vocem Ioseph audissent fratres eius, præ pauore ac formidine facti sunt velut mortui. Accedens autem Ioseph, verus sanctæ propaginis palmes, osculabatur vnumquenque eorum magno affectu, nihil prioris iniuriæ memor, vt sibi congruum erat: eosque & donis, & honoribus lętiores fecit, magnoque cum gaudio remisit omnes ad patrem, dicens: Nolite in via contendere omninò: sed magis festinanter properate ad patrem nostrum, & dicite illi: Hęc dicit filius tuus Ioseph: Fecit me Deus Regem totius Aegypti: accede cum gaudio, pater, & adspice filium tuum. Veni, pater, in lætitia cordis, vt videam sanctæ senectutis tuæ Angelicam faciem.


Gen 45. Gen. 37. Prodit se fratribus suis S. Ioseph. Humanissimè consolatur fratres suos S. Ioseph.

Abeuntes verò cum festinatione, renunciauerunt Iacob verba Ioseph. Audito Ioseph nomine, suspirauit Iacob, lachrymasque profundens, ait eis: Quarè conturbatis spiritum meum, vt rursùs recolam effigiem Ioseph, pulcherrimi & optimi filij mei, dolorisque flammam, iam sensìm extinctam, denuò vultis accendere? Accedens autem Beniamin, deosculatus est illius genua & mentum, dicens: Vera sunt, quæ audisti, pater optime & honestissime. Ostenderuntque illi omnia, quæ miserat Ioseph. Tunc autem credidit verbis Beniamin: surgensque cum omni domo festinus & gaudens, perrexit in Aegyptum ad Ioseph filium suum. Vt autem audiuit Ioseph aduenisse Iacob patrem suum, processit ex vrbe cum optimatibus Pharaonis, magnoque obsequentium stipatus cuneo, occurrit illi. Cùm vidisset autem Iacob filium suum, cecidit super collum eius, magno cum gemitu & affectu dicens: Iam nunc lætus moriar, ex quo vidi faciẽ tuam, dulcissime fili, adhuc enim tu veraciter viuis. Amboque fleuerunt pariter, & glorificauerunt Deum. Et nos igitur pro his omnibus referamus gloriam Patri & Filio & Spiritui sancto nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Cap. 18. Gen 46. Iacob cum omni domo sua venit in Aegyptum.

DE S. THARSONE martyre, cuius festum hîc occurrit, habetur in gestis Marcelli Papæ, quærat Lector in primo Tomo, 16. Ianuarij in initio historiæ.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI DANIELIS STYLITAE, VT HABETVR IN SIMEONE *Metaphraste, & in Tomis Aloysij. Nos numerum capitum margini apposuimus.*



QVEMADMODVM viris fortibus vsuuenit, vt quandò quis de bellis & certaminibus disserit & trophæis, eis statìm excitetur animus, & quærat instructas acies, & manus conserere cupiant cum hostibus: & quo plura de his verba fieri audiuerint, eo magis eis crescit desiderium, & talia facinora statìm aggredi cupiunt: ità etiam virtutis amatoribus, si quis eis narret vitas, quæ in monastica versantur exercitatione, & per omnem peruadunt virtutem, quæ Deo conciliat, simul inflãmantur, & ea cupiunt, quæ sunt sibi conuenientia? & ad summam, ijs quæ dicuntur, vt quæ sint sibi propria, afficiuntur, & se parant ad imitationem. Admirabilis itaque vita huius Danielis, quemadmodùm vel non solùm maximè sufficit ad animum, qui captus est amore virtutis, maiore zelo accendẽdum, & ipsum omninò mouendum & demulcendum, & suauissimorum laborum exercitationis afferendam

Decemb. 11. Cap. 1. Vita sanctorum studiose imitãda.

dam voluptatem, quę non habet satietatem? Quo est enim admirabilior, eo est etiam vtilior: & si quis eum voluerit æmulari, in modico multam, & quæ cum paucis conferri potest, inueniet virtutem.

Cap. 2. S. Danielis patria. Huic ergò beato patria quidem erat, quæ inter Euphratem & Tigrim sita, & est, & nominatur Mesopotamia. Natus est autē in quodam vico, vicino vrbi Samosatorum: eorum, qui illic habitant, lingua eum vocat Maratha. Ei pater quidem erat Eliu: mater verò Martha: fuit autem hic modus conceptionis. Matris eius vterus erat admodùm mancus ac mutilus. erat enim sterilis ad liberorū procreationem. Cùm itaque mille probris eam in dies insectarentur maritus, noti, cognati, & omnes alij, & liberorum egestatem ei acerbè obijcerent, illa ab eis malè affecta & corde cruciata, quid facit? Confugit ad eum, qui hæc potest curare: & clàm domo media nocte egressa, manus in cælum tollens, & terram lachrymis irrigans, Domine Rex, inquit, qui ab initio masculum & fœminam fecisti, qui dixisti, Crescite & multiplicamini: qui dedisti in sterilitate Saræ quidem Isaac, Annæ autem Samuelem, Elisabethæ verò Ioannem: tu quoquè meæ similis miserere calamitatis, & me misericorditer intuere, & solue sterilitatem, & aufer opprobriū, & sterilis vteri da mihi fructum: vt eum quoquè tibi offeram, qui dederis, quomodò prisca anna Samuelem. Cùm tam acerbè fleuisset in contritione spiritûs, domum rursùs ingreditur: & cùm parùm dormitâsset, videt in somnis duo luminaria, præclara pulchritudine, ingentia magnitudine: figura autem disco similia. Ea videbatur videre cælo relicto sensìm descendentia, desupèr eius imminere capiti. Cùm manè autem surrexisset, & marito visionem & suis cognatis communicâsset, alius quidem aliquid aliud dicebat euenturum: illud verò erat præsignificatio eius, quod ex ea erat processurum vel ipsis stellis lucidius.

Parentes.

Gen. 1. Gen. 21. 1. Reg. 1. Luc. 1.

1 Reg. 1. Visio matris eius.

Cap. 3. S. Daniel nascitur. Non multum temporis intercessit, & cùm concepisset, peperit beatū Danielem, & partu, vtrisque mox liberatur, nempe & sterilitate, & animi ægritudine. Hæc beato Danieli vitę fuêre prooemia: sic prodijt in lucem is, qui erat reuerà fœtus luminis. Atque puer quidem quintum annum iam attigerat: nondùm autem ei vllum nomen fuerat impositum à parentibus, vt qui hoc quoquè ei vellent dari à Deo, quomodò eius quoquè in vitam productio ab eo processerat. Duxerunt ergò parentes puerum in quoddam monasterium. Simul autem tulerunt quoquè, quæcunque piæ manus Deo solēt offerre, vt hic verè sacer etiā in sacro loco susciperet appellationem. Cùm verò accessissent, & dicerent Præfecto mandræ spiritalis: Quodnam nomen est imponendum puero? Ille vir diuinus, diuino velutì instinctu afflatus, dicit id esse imponendum, quod Dominus omninò reuelauerit. & simul ad puerum intuens, ad hunc, inquam, ipsum intuens, iussit afferre vnum ex ijs libris, qui erant supra mensam. (mos enim erat eis ponere libros super aram sacram, propter communem monachorum vtilitatem.) Protinùs ergò facit puer id, quod ei fuerat imperatum: & affert librum, non fortè fortuna, sed diuina voluntate & ductu Dei, librum illum, qui prophetę Danielis habebat eloquia. Cùm ille ergò vir iudicâsset è cælo datum esse hoc signum, eodem statìm nomine, quo prophetam, vocat eum, qui erat ei moribus similis: & vt Deo placuit, puerum vocat Danielem.

Danielis nomen ei imponitur.

Cap. 4. Atque si parētum quidem verbis acquieuisset hic vir diuinus, tunc fuisset Deo Daniel continuò dedicatus, & ab infantia fuisset cooptatus in numerum monachorum. Cùm is autem non posset persuaderi: sed teneram causaretur ætatem & nimiam infantiam, tunc quidem reuersi sunt domum cum Daniele, cùm ità visum esset ei, qui est superior: vt non aliorum, sed sua, sententia puer bonū eligeret. Atque protinùs quidem primum germen significabat, qualis futura esset arbor: & virtutum vmbræ iam sequebantur eum, qui per lucem ambulabat. Paulatìm autem ei procedente ætate, apertè ostendit, quantum incrementum spiritûs accepisset præter ætatem. Nam iam quidem attigerat Daniel annum duodecimum, & cùm nemini quicquam dixisset, neque voluntatē animi protulisset, despicit quidem parentes propter Christum, despicit & cognatos, mundumque & quæ sunt in mundo: omnibusque relictis, amicis, æqualibus, vico illo, qui eum tulit, cùm procùl ab eo abfuisset circiter duodecim stadia, venit quidem in quoddam cœnobium monachorum. Prócidens autem ad pedes Præfecti sacri gregis, rogabat vt ipse quoquè cooptaretur in numerum illorum, & eum monastico amictu indueret. Cùm autem ille & corporis imbecillitatem, & teneram ætatem obijciens, dixisset non posse eum ea subire, quæ subeunt monachi: fore enim, vt breui defatigetur laboribus, qui sunt multi & vel ipsis viris difficiles: vigiliæ, humicuba-

Duodennis petit monasterium.

Labores & exercitia monastica.

cubationes, ieiunia, corporis & eius voluntatũ perfecta mortificatio: & ideò suaderet, vt aliquantum temporis maneret apud parẽtes, & non tantos susciperet labores in ætate tam immatura, & corpore non satis robusto & adulto: Ego quidem, inquit Daniel, ideò accessi, vt sic quidem Christo viuam, moriar autem carni. Quòd si dum hos pulchros suscipiam labores, mors sequetur, melius erit mihi mori, quàm abire vacuum, & mittentẽ manum ad aratrum, vt cum Euangelio dicam, retrò conuerti. Luc. 9.

Cùm ergò multa quidem dixisset, multa autem etiam audiuisset Præfectus sacræ mandræ, nec potuisset eius vehementẽ retardare impetum, & acrem hunc amorem, fratres adhibet in consilium, an oporteat eum in ipsorum admitti monasterium. Illis verò pueri magnam mirantibus constantiam, alacreque & intensum eius animi studium, & existimantibus esse Deum, qui eum moueret, & vt admitteretur, lubenter assentientibus, decætero est cum eis quoquè Daniel, immò verò supra ipsos, quòd ad vitam ex Deo agẽdam attinet, & ardorem ad virtutem. Intercessit parùm temporis, & cùm cognouissent parentes, vbinàm sit, & apud quos, illi quidem ad eum accedũt cum admiratione. Cùm vidissent autẽ puerum seipsum dedicâsse, & Deo consecrâsse, nequaquàm eis accidit, quod solet hominibus & parentibus: neque petiẽrunt charissimum filium, vt eum acciperent, & domũ reducerent: idque cùm nondùm esset monastico habitu consummatus: sed reuerà volentes ostendere se esse illius parẽtes, valdè lætati sunt de eo quod factum fuerat, & multis precibus à monasterij Præfecto contenderunt, vt ante suos oculos monastico eum amictu induerent. Ille verò hanc rem rursus communicat monachis: & postquàm illos quoque vidit assentiri, cùm iussisset omnes congregari in Dominico, & Danieli sacram recitâsset regulam, & tondet ei capillos, & monastico eum induit habitu, qui iam sicut monachi viuebat, & viuere statuerat. Cùm eius autem præcepisset parentibus, nè ad filium frequenter accederent, lætos emittit, quod quidem est valdè nouum, parentes priuatos filio.

Cap. 5.

Duodennis fit monach' egregius.

Tondetur, & accipit habitũ monasticum.

Erat ergò illic beatus Daniel proficiens, & inualescens spiritu: & ei crescenti simul quoquè crescebant omnia semina virtutis, & alia quoquè haud ità multò pòst accesserunt. Quod autem excellentioris ei fuit vitę principium, & radix fructuũ, qui posteà pronenerunt, hoc iam sum dicturus. Cor eius accendit amor diuinus, & in eo vehemens excitat desiderium videndi loca illa, in quibus Christus pro nobis est passus, & vbì est sepultus, & vndè, cùm surrexisset, ascendit in cælos. Simul autem diuina quoquè quædam cupiditas eius inflammabat animum, videndi virum illum magnum in exercitatione, Simeonem, inquam, qui erat in columna: & accedens ad Præfectum monasterij, id quod volebat, ei cõmunicauit: & rogauit, nè, quod petebat, sibi denegaretur. Ille verò tunc quidem sua sponte non concessit: paulopòst autẽ vel inuitus dimisit. Nam cùm ei necessè esset venire Antiochiam, propter curas ecclesiasticas, tunc cùm secum assumpsisset Danielem, & quosdam alios fratres, incipit iter ingredi. Et postquàm fuissent in illo vico, qui nominatur Telada, vbì magnus ille in sanctitate Simeon, magnos illos peragebat labores exercitationis, cùm ad ipsam iam venissent columnam, contemplabantur & columnæ altitudinẽ, & loci asperitatem, & quemadmodùm vir ille generosus & hyemis ferebat algorem, & æstatis calorem, & minas imbrium, & vim ventorum, & omnem aliam corporis tolerantiam. Cùm hæc viderunt, alij quidem insipientiores, existimabant sanctum vana gloria adductum, tanta sustinere certamina: Beatus autem Daniel non solùm ea stupebat & mirabatur, sed etiam incitabatur ad imitationem, & boni zeli stimulum accepit animo. Cùm verò, vbì infernè clamâssent, magnus ille desupèr prospiciens, dixisset oportere admouere scalas, & ad ipsum ascendere: tunc pulchrè licuit videre animorum probationem: alius quidem causatus pedum imbecillitatem, alius renum, alius senectutem, alius aliquid aliud, recusabat ascendere: Daniel verò cùm cucurrisset, & magistrum rogâsset, & ab eo iussus esset, ascendit prompto & alacri animo, & magnum salutat Simeonem cum gaudio & admiratione.

Cap. 6.

Simeõ Styl ites, cuius Vita est 1. Tomo, 5. Ia nuarij.

Ei loquitur S. Daniel.

Neque verò fuit hic labor Danieli inutilis, & ad eum ascẽsio: sed primùm quidem ad virtutem excitatur & instruitur, & redditur vehementius eius desiderium. Deindè autem ab eo quoquè, vt oportebat, consequitur benedictionem manùs impositione, & futuri suscipit prædictionem. cum enim audiuit dicentem vel maximè propheticè: Esto fortis, fili, & confirmetur cor tuum. Multos enim & difficiles labores propter Christum es suscepturus, qui & sufficiens erit tibi consolatio, & ad eos fortiter ferendos tuum roborabit animum. Descẽdit ergò Daniel post hanc suauem cum eo congressio-

Cap. 7.

Prophetia illius de Daniele.

gressionem, & rursùs ad sacrum redit monasterium. Postquàm autem monasterij Præfectum ad se vocauit Deus: egregius verò hic Daniel, qui pasci pulchrè didicerat, modò rectè posse pascere putabatur, & vi ad hoc trahebatur à suis condiscipulis: ipse qui gratam consectabatur quietem & silentium, & hoc ambibat, vt esset remotus ab omnibus negocijs: & sciens, quantùm ea possit conferre ad virtutem, minimè statuit cedere: sed alium adduxit, qui esset eis vtiliter præfuturus: sibi autem optime consuluit: Eccè, dicens, liber factus est Daniel, nemini obnoxius. Eccè tempus, quod antè desiderâsti. Tuum ergo persequere scopum, & viæ institutum: & quod proposuisti, perge exequi. Cùm sic ergò omnia reliquisset, & nulli animi sui arcanum aperuisset, egreditur clàm è monasterio, & venit ad mandram illam, in qua erat sita columna beati Simeonis. Infrà enim circa eam erat quoddā monasterium: in quo cùm totos quatuordecim dies transegisset, volebat Simeon Danielem adhuc apud se manere: (Simile enim simili delectatur) ille autē non sustinuit, cùm alio teneretur desiderio. Desiderabat enim videre sacra loca, & interiorem quærebat solitudinem: sed viam, quæ vergit ad Palæstinam, audiens esse difficilem, & propè inuiam, vtpote quòd Samaritani bello inuaderent Christianos, ipse non ferens de hoc suo prompto & alacri animi studio aliquid remittere, cùm se confirmâsset, & sibi mortem cōtemnere persuasisset, paratus erat exequi id, cuius studio tenebatur.

Eligitur præfectus monasterij S. Daniel, sed respuit præfecturam.

Proficiscitur in terrā sanctam.

Cap. 8.

Cùm verò iter esset ingressus, ei in via occurrit vir quidam, cui erat ætas senis, monachi vestitus: cana autem coma, & qui erat in omnibus similis Simeoni, qui erat in columna. Syra verò lingua allocutus Danielem, & eum complexus, rogauit, quonam iter suum dirigeret. Ille autem, Si Deo, inquit, videtur, vado ad loca sancta. Is verò excipiens: Rectè dixisti, inquit, si Deo videtur. Nunc autem certò scias, id quod est tibi propositum, non esse ex Dei sententia. Non enim audiuisti seditionem & tumultum, qui est in Palæstina? Ille verò, Audiui, inquit, sed in Deo confido eum mihi futurum adiutorem: & maximè quidem spero omninò fore, vt nec mali aliquid nobis omninò accidat. Sin autem aliquid tale acciderit, seu viuamus, seu moriamur, sumus Domini. Illo autem hoc propheticum proferente responsum, Nè dederis in cōmotionem pedem tuum, & non dormitabit, qui te custodit, angelus: cùm ad hoc prompto & alacri animo respōdisset Daniel, dicens, omninò bonū esse mori propter Christum, id ægrè ferens canus, auertit faciem, &, Non fero, dixit. Non enim permisit Deus, vt nos intempestiuè in mortem conijciamus, & vt per vim interficiamur, procuremus. Ille est enim, qui dixit: Si persequantur vos ex hac ciuitate, fugite in aliam. Cùm autem concessisset sanctus obiectioni, & dixisset, Si tibi ità videtur, nihil moror reditū: Non consulo, inquit ille, tibi, vt ab hoc cœpto omninò desistas: stultus enim essem. sed si mihi credas, iubens multùm valere regiones Orientales, conuersus, vade Byzantium, quæ, quòd attinet ad sanctificationem, est secunda Hierusalem: immò verò est prima. Illius enim priuilegia ei nunc à Deo data sunt. in qua multis quidem tibi licebit frui templis: multis verò sacris spectaculis: & si tibi cordi fuerit viuere in quiete & silentio, aut in superiore Thracia, aut in ipso ore Ponti, eius rei tibi erit magna facultas: & Deus hac in re tuum implebit desiderium. Præterea non oportet existimare te Deum quidem esse conuenturum Hierosolymis, Byzantij autem minimè. Deus enim nequaquàm loco circunscribitur, ô dilecte.

Reuocatur à cœpto itinere.

Rom. 14.

Psal. 120.

Math. 10.

Stulti sunt, q dehortantur à peregrinatione ad loca sacra.

Cap. 9.

Hos sermones cano illo conferente cum Daniele, Sol erat in occasu: & accidit, vt diuerterēt ad quoddam monasterium. Cùm audiuisset autem Daniel hîc esse diuersandum, Tu quidem, inquit senex, prior ingredere: ego autem te sequar e vestigiò. Existimans itaque sanctus eum vrgere aliquam corporis necessitatem, portam ingressus, expectabat. Postquàm verò ille non ampliùs aderat, ratus Daniel eum in aliquo alio loco diuersari, solus accedens ad Præfectum monasterij, & ad eos qui erant sub ipso fratres, honestū dedit osculum, signum dilectionis. Deindè etiam sumpsit cibum sibi appositum. Postquàm autē somni tempus esse cognouit, ei rursus assistens senex, suadebat illa facere, quæ priùs dicebat, & quamprimùm proficisci Byzantium. Atque ille quidem excitatus, cogitabat quisnam is esset, & an esset homo aliquis, an vnus Angelus. Is verò erat magnus ille Simeon, qui iubebat eum frequentissimam & ciuitatum reginam adire ciuitatem, vt hæc esset multis via ad salutem. Cùm ergò sic ei visum esset facere, neque vlli quicquam dixisset, postquàm nocturna cecinit cantica, omnibus valere iussis egressus, properè contendebat Constantinopolim: & cùm in ostium Ponti esset ingressus, eum excipit templum Michaëlis militiæ principis, quod illic

Simeō Styliites appāret Danieli.

Templū S. Michaelis.

illic pulchrè est positum: & septem illic dies est versatus. Cùm autem audiuisset aliquos dicentes de alio templo, quod situm quidē erat supra id, quod dicitur Hieron: locus verò ab ijs, qui incolebant, nominabatur Philemporus: & cùm accepisset in eo malos habitare spiritus, & nonnunquàm submergere nauigantes, & inuadere eos qui transeunt, & malos esse vicinos accolis, & non posse aliquem eum transmittere illæsum, non manè, non meridie, non vesperè, reuocans in memoriam magnum Antoniū & res illius, & quàm multas ille quoquè à dæmonibus sustinuerit tentationes, & quòd eos tandèm virtute Domini omninò superauerit, & quàm multos illis superatis honores sit assecutus: ipse quoquè se ad aggredienda exuit certamina: & cùm iussisset eos, qui aderant ei, templum ostendere, & venisset in atrium, medium templum ingreditur, Christi Crucem tanquàm arma inferens inexpugnabilia, & simul psallens: Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Quamobrèm vel ante conflictum perterrita ipsa phalange dæmonum, obibat omnes angulos, quærens fugientes dæmones, & in vnoquoque eorum flectens genua. Crux Christi arma inexpugnabilia. Psal.26.

Atque iam quidem erat vespera, & aderat princeps tenebrarum, & iaciebantur lapides in Danielem, & sonus audiebatur, & confusa vociferatio & strepitus excitabatur. Ille autem rursùs perseuērans in oratione, stabat quietus. Deindè ad eos, Si aduersùs me, dicebat, structa constiterit acies, non timebit cor meum. Primam ergò illam noctem, & secundam, quæ posteà est consecuta, sic transmisit. Tertia autem vidit homines magnitudine maximos, forma alienos, crudelitate, quantùm licebat conijcere, carniuoros, horribiliter stridentes, & minantes Danieli, & metui admiscentes suæ causæ defensionē, & dicentes: Quis tibi, ô infelix, vt huc venires, persuasit, quandò etsi nihil aliud, tempus quidem certè, quo hîc fuimus, nos loci dominos vtiquè effecit? Et ex ijs alij quidē minabantur se eum in mare esse iacturos: alij autem rursùs maximos lapides immittebant. Nemo verò audebat ad eum accedere propiùs. Quid ergo facit? Credit Domino, qui dixit hoc genus expelli solo ieiunio & precatione. Et sic quidem facit, & eos minantes, atque etiam iacientes parùm aut nihil curans, primùm quidē ipse quoquè contrà minabatur: tantùm enim in Christi virtute confidebat. Deindè cùm eos adhuc videret se magìs impudenter gerere & tumultuari, ipsis omninò despectis, obstruit omnē templi aditum, ostendens se solum velle cum eis luctari, & nec fuga quidem egére, si ipsi irruperint: solam autem aperit fenestram, vt videret accedentes, & vt corpore exiguum acciperet nutrimentum. Non multum intercessit temporis, & Christi quidem virtute deleta est omnis illa mala dæmonum operatio: redditus est autem vniuersus locus liber ab illorum insultibus: & deincèps liberè, & sine vllis insidijs ambulabant, & mare nauigabant. Cap.10. Psal.26. Dæmones terrére nituntur S. Danielem. Mar.9. Ille verò contemnit ineptos. Profligat eos penitùs

Huius verò rei fama manauit in omnes partes: & licebat videre viros simul & mulieres, iuuenes & senes, pauperes & diuites, & qui habitabant circuncircà in locis finitimis, tanquàm fluentum aliquod, continuo tractu ad eum ferri, & admirari, quonam modo, vbi nupèr quidē erat exitium, illic sit salus: vbi autem dæmonum vociferationes, illic noctù & diù canantur ad Deum cantica. Inuidus verò satan, & hominum inimicus, neque de se partā victoriam, neque sancti patientiam, neque * priorem videre sustinens vtilitatem, ad secundum aggreditur callidū commentum: & quibusdam ex ijs, qui in templo cooptati erant in clerum, tales immittit cogitationes, quales olim Iudæis aduersùs Christum, non bonum esse permittere homini hîc habitare, quem ignoretis, vndè sit. Ille autem & fama omnes ad se attrahit, & illius honor est omninò diminutio vestrorum vectigalium. Sed significate, dicebat, hæc Episcopo, & eum citò * expellit. Et sator quidem hic est: tale est autem semen. Qui verò acceperant, non ex alio noti, quàm quòd hæc continuò produxerint. Cùm primum semen acceperunt, fructum produxerunt: & accedunt ad Episcopum, & de sancto renunciant. Episcopus autem Constantinopolitanus: (is erat Anatolius) Et quomodò, inquit, de homine malè dicitis, & expellere aggredimini, quem, vndè sit, nescitis, neque quænam sit eius vitæ ratio: cùm contrà oporteat quidem eum illic sinere, vt, si sit quidem bonus, nos quoquè faciat participes vtilitatis: sin autem contrà, ipse quidem hinc iure expelletur, vos verò & ego hac in re vacabimus reprehensione. Sic illi à seipsis capti. (Res enim est eiusmodi vitium: ipsum quidem in seipsum cadit, & à rebus suis capitur) præ pudore vultus tegentes, cessârunt ab improbitate. Cap.11. Cantica ad Deum nocturna & diurna. for.* piorū Clerici S. Danielem accusant apud Episcopū Constantinop.

Postquàm autem eorū insidias sic vidit malignus esse irritas, longum esset dicere, quàm multas quidē rursùs visiones prioribus grauiores beato intulerit: quàm mul- Cap.12.

Multis eum modis infestat satan.

tas autem molestias & vexationes, nunc quidem minans se eum interempturum: nunc verò in mari submersurum: nunc autem aliquid aliud facturum eorum, quæ nollet, etiamsi maximè & ipse & malus eius exercitus ab ipso hæc erant passuri. Nam postquàm ille surgens orauit, & audacter est locutus, dicēs: Dominus Iesus Christus, in quem * credidistis & credo, ipse vos in vltimum abyssum demerserit: illi tunc acerbè vlulantes, & flebiliter clamantes, & suas facies, vt videbantur, pulsantes, assimilati vespertilionibus, illo ipso hæc adspiciente sancto, egressi sunt & abiêrunt. Ille autem nunquàm cessans iniuriam facere, existimans quòd si eum sæpè tanquàm in vrbis obsidione inuaderet, tandèm poterit beati spiritus & generosum animum deprimere ac frangere: accedit ad maleficij tertiam probationem, & aduersùs eum rursùs commouet priores calumniatores. Qui cùm accessissent ad Episcopum, perindè ac iam maximis affecti iniurijs, sanctum vocabant maleficum, simulatoremque & deceptorem: dicebantque eius consuetudinem esse eis intolerabilem, vt qui vel solo adspectu sit molestus & importunus. Ille verò iam victus à tot vexationibus, ad se accersit Danielem: & rogat quisnam sit, & vndè, & quibusnam rebus opùs habens: & postremò, quamnam in Deum tenens opinionem, in has partes venerit. Ille autē cùm eius, quod est maximum & primum, nempe orthodoxæ in Christum fidei, primùm meminisset, alia deindè contexuit, patriam, & genus, & finem: nempe quòd eum diuina mouerit reuelatio, vt videret Byzantium, & in hæc loca veniret. Hæc cùm audiuisset Episcopus, assurrexit, & eum est amplexus: & eum tanquàm virum reuerà diuinum honorauit. Atque hæc quidem sic rectè gesta fuerant à magno Daniele. Fieri autem omninò non poterat, vt qui Christi vitæ institutum susceperat, non etiam eius vitæ agendæ ordinem pro viribus videretur imitari. Quomodò ergò eius Dominus cum tentationibus signa videtur inchoâsse, ità hic quoquè, nisi quatenùs ille hunc mouebat, & hic illius virtute faciebat miracula.

* credidi, legendum videtur: aut intelligendum, vt Iacobus ait, dæmones credunt, & contremiscunt.

Episcopus Byzantinus S. Danielem magno afficit honore.

Cap. 13.

Non multi dies præteriêrunt, & vehemens morbus inuadit Patriarcham: qui etiam efficit, vt is fieret sancto supplex, & eum continuò accerseret, vt pro ipso Christum rogaret, vt laboranti opem ferret. Cùm is autem solùm genua flexisset ad orationem, adfuit Christus exaudiens, propemodùm anteuertens petitionem: conualuitque & sanus euasit Patriarcha. Et sic quidem miraculum: non magìs autem est admirandus propter curationem, quàm propter benignitatem in curatione. Nam postquàm eum sanauit, petijt mercedem sanationis: ea verò erat, vt ijs, qui calumniati fuerant, remitteretur debitum. Pontifex autem ei lubenter concessit petitionem: &, Quomodò enim, inquit, non remittam, quibus parùm abest, quinetiam agam gratias, quòd effecerint, vt te viderem, qui mihi dedisti salutem, & fuerunt causa, vt tu ad nos venires? Cùm autem apud eum & monasterij, & donorum, & vt cum eo perpetuò esset, meminisset: Si vis me, inquit ille magnus, magno studio prosequi, sine me ea facere, quæ Deo & mihi videntur. Et sic ad templum missus cum magno & preclaro comitatu, cùm eadem fecisset quæ priùs, & aditum obstruxisset, per paruum quoddam foramen colloquebatur cum ijs, qui accedebant. Nouem interìm anni præterierant, & eum ad vitā perfectiorem vocans prouidentia, apertè ostendit futura. Cùm enim fuisset in ecstasi, videt columnam nubis, & ea admodùm sublimè erat sublata, & ex aduerso eius pendebat in aëre: & admirabilis Simeon stabat super caput columnæ. Simul autem cum eo duo adstabant adolescentes: eratque eis vestis clara & refulgens. Desupèr verò ex capite columnæ audit vocem dicentem: Huc ad me ascende Daniel. Cùm is autem respondisset, Et quomodò potero ego, Domine, in tantam extolli altitudinem? iussit Simeon ijs, qui cum ipso erant, adolescentibus, vt descenderent, & assumptum ad se deducerent. Qui cùm imperata fecissent, eum tollunt, & prope ipsum statuunt. Ille autem eum statim amplexus, simul in cælum eum tollebat, & magna voce clamabat: Esto fortis, Daniel: te strenuum ac robustum præbe, & sta pulchrè ac generosè. Postquàm verò vox admodùm clara eum circunsonabat, (visa est enim terribilis, & tonitrui similis) Daniel, cui percussæ & conturbatæ erant aures, ex somnio quodammodò ad se redijt.

S. Daniel celeriter sanat Episcopū Constantinop.

Reddit bonum pro malo.

Visio eius.

Cap. 14.

Hoc futurum eius vitæ institutum, Simeonis instituto conueniens, priùs significauit, & quòd oportebat eum & columnam ascendere, & transire ad locum, columna longè excelsiorē. Sic sententia & voluntate omnipotentis, ab eo effecta sunt omnia, & ad eum paulopòst missa est pellis ouilla ab Elia, ad eum, inquam, qui moribus erat Elisæo similis. Sic autē missa est. A Simeone ad Imperatorem missus quidem erat Sergius,

gius, eius discipulus, ad eum deferēs donum, omnia mala depellens, nempe tegmen quod habebat in capite. solent autē id vocare cucullam. Cùm autem Imperator haberet animum alijs intentum, & esset in curis publicis occupatus, Deo hæc omnia prouidente & dispensante, hic, quem diximus, Sergius statuit nauigare & redire: & contendebat peruenire ad monasterium, quod nominant Acœmetorū, id est, non dormientium. Cùm ergò ipse reuertens cum quibusdā alijs accessisset prope locum Danielis, statim tanquàm signo dato, beatus erat in ore omnium: Et alij quidem meminerāt eius tolerantiæ, alij autem precum, alij verò curationū: alij verò, quòd mansuefecit locum, qui possidebatur à dæmonibus: & nunc quidem qui sunt in mari, sine periculo nauigant: illæsi autē iter obeunt ij, qui sunt in via pedites. Hæc intelligit Sergius, cui commissum fuerat donum preciosissimum: & cùm eius desiderio motus fuisset animus, rogat quisnam hic sit, & vbi, & an liceat eum conuenire. Illi verò & locum alacriter ostenderunt, & cùm in terram appulisset, ipsi accedunt ad sanctum, & vnà cum eis Sergius. Qui cùm benignè admodùm beatum salutâsset, alia quidē ipse exponit, Simeonis, inquam, hinc decessum, & quod ab ipso donum ferret ad Imperatorem, dicens Danieli, id ad eum potiùs esse missum, quàm ad illum, ad quem ipse id mitti opinaretur. Alia autem rursùs audit à Daniele, quæ ei Deus significauit de Simeone, & de vita, eius vitæ instituto congruenter agenda. Quæ quidem cùm audijsset Sergius, sacrum statìm donum eijciens, id donat Danieli, à patre Simeone dicens migrare ad patrem Danielem. Et hæc quidem sic fiebant.

Monasteriū non dormientium.

Deus autem rursùs consueta faciens, incitabat Danielem visione quadam diuiniore, vt aggrederetur viuendi rationem maiorem & sublimiorem, vas eum electionis, quomodò Paulum, præsciens futurum. Apparuit verò visio non Danieli, sed potiùs Sergio. Videbantur enim tres ad eum venisse adolescentes, & dixisse: Surge Sergi, dic Abbati Danieli: Expletum est tempus tuæ in templo habitationis. Adesto deinceps, & ad maiora parare certamina. Cùm ergò ei Sergius diuinam aperuisset visionem, quoniam is statuerat non repugnare omnibus nutibus omnipotentis, & alioqui priori quoquè visioni secunda consentiebat: & prætereà Simeonis etiam indumentum erat arrha talis vitæ degendæ, mittitur Sergius, vt disceret loca magìs solitaria, quæ illic sunt, vbi opórteat ponere columnam, & aptum ad agendam vitam in quiete & silentio. Qui cùm partes quasdam fastigij montis pulchrè esset perscrutatus, postquàm venisset in illum locum, in quo oportebat stare columnam, tu Deus omnium hoc quoquè ostendis. Videt ergò protinùs dictus Sergius albam columbam: quæ alas frequenter expandens, & parùm rursùs subuolans, iterùm decidebat. Arbitratus ergò eam esse captam & vinctam laqueis, ad eam festinat, & contendit eam capere manibus. Illa verò cùm statìm euolâsset, ne oculis quidem poterat appræhendi. Cùm tam euidens accepisset signū statuendæ columnæ, & ipse quoq; satìs intellexisset, quàm esset aptus locus, descendit ad sanctum, & omnia sigillatim renunciat cum ea, quam viderat, visione. Ille autē & lætatus est, cùm audiuisset, & ad locum venire cupiebat. Dat verò Marcus quidē ei amicus & alioquì familiaris columnam. Cùm autē factus esset is quoquè, qui solet vocari modius, & capiti colūnæ fuisset adaptatus, iubet circa mediam noctem perforari sibi templi parietem: & ità, omnes latens, ascendit. Deindè etiam cum gaudio concipit preces, quæ ità habebant: Gloria tibi, Christe Deus, quòd me talibus bonis & tali vitæ instituto es dignatus. Sed tu scis, ó Domine, quòd te solo fretus hanc ascendo columnam, & hoc certamen subeo. Suscipe meū propositum: confirma me ad cursum: cœptum meū absolue. Sic beatus ille non spiritu solùm esse cælestis, sed etiam, quoàd eius fieri poterat, corpore esse contendebat: & decæterò solus erat in columna, seipsum collocans in cæli & terræ confinio: ab hac quidem recedens carne & spiritu, ad illud autem contendens.

Cap. 15.
Actor. 9.
Visio Sergij, discipuli S. Simeonis.
Alia eius visio.
S. Daniel ascendit in columnam.

Hæc autē non poterat inuidus ferre oculus: neq; patri inuidiæ erant illa tolerabilia. Sed cùm loci dominus ad horum venisset cognitionem, (erat autē illi nomen Gelasius) inconsideratè ira animo perturbatus, aut potiùs dæmonis importunitate commotus, & aduersùs sanctum virum furore percitus, (causa autem prætexebatur, quòd eam posuisset voluntate illius) Imperatori quidem renunciat id, quod factum fuerat. Renunciat autē etiam Gennadio. (is enim constitutus fuerat Episcopus Constantinopolitanus post decessum Anatolij.) Atque ab Imperatore quidem dicens non fuit exauditus: Episcopus verò inuidia motus, seu ei qui rogârat concedens, non solùm censebat sanctum è columna deijciendum, sed etiam pœnæ subijciendum.

Cap. 16.
Gennadius Episcopus Constantinop. malè statuit de illo.

Redit

Redit ergò Gelasius totus ira percitus, alios quoquè multos secum assumens, & è columna sanctũ volens detrahere. Sed qui semper in sanctis suis est admirabilis Dominus, qualia nunc quoquè fecit, illum audacter insultantem reprimens, & eius seruum, qui erat occultus, gloriosum efficiens. Nam cùm esset maxima serenitas, essetque aër purus & limpidus, nubes repentè concurrerunt, & orta est caligo, & vehemens pluuia & grando deorsùm ferebatur. Tantusque erat eius impetus, & tam ingentes minæ iræ supernæ, vt etiam vitium caderent folia & pampini, non solùm fructus. erat enim tunc tempus vindemiæ. Sed nec hæc quidem reprimebant amentis stultitiam. Sed cùm non multùm abfuisset, quin ille periret, ne sic quidem discebat sapere, & se moderatè gerere: neque volebat scire, quanta superna gratia locupletatus esset Daniel. Sed anhelans, & madefactus, cum ijs qui circa eum erant, aggressus, indignabatur, minabatur, clamabat, & deijcere sanctum aggrediebatur.

Psal.67. Deus cum mirè tuetur.

Cap.17. Sed postquàm qui cum eo erant, ei quæ erant optima, suggesserunt, dicentes nec esse columnam agro propinquam, & hinc ei nullam futuram molestiam: immò verò eum percepturum fructum multarum orationum, & ei futurum valdè vtilem, cùm sit bonus vicinus: Postquàm hæc dixerunt, persuaserunt. & tunc quidem iussit descendere, pudore, vt arbitror, motus propter eos, qui aderant, nè videretur frustrà venisse: posteà autem ei rursus pollicebatur ascensum: & cùm rursùs ascendisset, quantùm voluisset, mansurum. Cùm autem, columnæ admotis scalis, sanctus descenderet, & iam in sexto gradu pedem figeret, eum qui erat inflexibilis, cepit misericordia, dum illos videret pedes tanquàm alias columnas: quos per totas noctes & dies stationes reddiderant tumidos & vlceratos, & vulneribus plenos. Quæ ille cum stupore contemplatus, & sanctum adiurauit, vt rursùs rediret, & audacis sui cœpti petijt veniam. Posteà verò ei quoquè columnam posuit excelsiorem, & crassitudine validiorem, basique & cæteris magnificentiorem, & de illius patientia & tolerantia Imperatorem reddidit certiorem. Atque hæc quidem sufficerent, quæ sunt plurima & maxima, ad sancti vitam ostendendam, & gratiam, quam ipse à Deo erat assecutus. Oratio autem hæc parua esse considerans, & tanquàm elementa ac principia, quæ sunt his longè maiora, properat declarare.

En voluntarium sancti viri martyrium in columnæ statione.

Cap.18. Venit paulopòst quidam ad sanctum, Thrax quidem genere, ætate autem senex, qui ex scribendis contractibus sibi victum parabat: νομικὸν, id est, legis peritum, vocant Græci. Is filium ferens vnigenam, qui à maligno detinebatur spiritu, cùm eum posuisset ad columnam, & ei lachrymæ fluebant ex oculis, & adiunxit verba, lachrymis magis miserabilia. Vide enim, quàm multas fletûs habebat occasiones: naturam, canitiem, filij adolescentiam, quòd propter eum solum laboraret, quòd longè esset profectus, & magni itineris labores esset perpessus, idque cùm esset puer dæmoniacus, & tanta esset eius vexatio & immoderatio. Et cùm postremò addidisset, esse iam tricesimum diem, ex quo nomen illius malignus clamaret spiritus: eius animus, qui facilè mouebatur misericordia, ipsius statim est misertus. Quidnì enim misericordia mouendus erat Christi discipulus? Si tu ergò, inquit, credis fore, vt per me sanetur tuus filius, dabitur tibi secundùm fidem tuam. & simul cum iussit potari oleo à sanctis, qui illic erant. Quod cùm factum esset, statim quidem eum humi iacit sæuum dæmonium, eumque valdè laniat ac lacerat. Deindè magna voce cum luctu clamans, Egredior heu, inquit, egredior. Cùm dies iam adesset octauus, vbi dæmoniacus nigrum & concretum euomuisset sanguinem, gloriosi patris sanatus est precibus, & sanus & rectè se habens, suo patri est traditus. Ille autem cùm accepisset filium, lingua quidem vtebatur ad agendas gratias: lachrymis verò, ad lætitiam. Sunt enim etiam lætitiæ lachrymæ, quandò summam animi ægritudinem summæ excipientes lætitiæ, nubem quæ premebat, protinùs depulerint, & naturali fluxione lachrymarum visæ fuerint cum voluptate. Sic puer non solùm curatur à malo dæmone: sed etiam continuò armatur aduersùs dæmones, cùm pater post curationem eum Deo consecrâsset, & vt monasticum amictum & vitam susciperet, effecisset, & medico corporis eum tradidisset, & rogâsset, vt esset etiam medicus animæ: qui etiam purus ad purum accessit, omni mundanæ vitæ relicta vanitate. Hoc quidem fuit vnum eiusmodi: alterum autem, eo non inferius.

Curat dæmoniacum.

Is curatus, monachi habitum & vitam amplectitur.

Cap.19. Cuidam Cyro, qui priùs quidẽ fuit Præses, posteà autem ascendit etiam ad sedem Episcopalem ciuitatis in Phrygia, cui nomen erat Cotyaium, & ab illo posteà discesserat propter quandam motam aduersùs eum calumniam, erat filia nomine Alexandria.

dria. Ea eodem modo erat affecta, quo ille quem priùs diximus, & grauiter vexabatur à dæmone. Eius ergò pater, cùm sanctus ei venisset in mentem, ad ipsum ducit filiam, naturali beneuolentiæ alium commiscens ardorem, nempe fidei. Simul atquè ergò sancti manus eius capiti fuerunt impositæ, fugatus est spiritus: & quæ laborabat, statim conspecta est sana. Porrò autem huic quoquè miraculo fuit alterũ coniunctum. Iam enim Cyrus sancto valdè confidens, eius vtebatur gratia. Vndè etiam vxorem eius, cui suorum agrorum fuerat mandata cura, quæ ipsa quoquè erat dæmoniaca, duxit ad ipsum. Neque eum sua fefellit fiducia: sed ea quoquè cum filia mundata fuit à rabie dęmonis. Pro quibus is vtiquè magnas ei habens & agens gratias, (erat enim vir doctus, & humanis literis eruditus) in posita illic columna epigramma posteà insculpsit, quod sic habet: Hic stat vir, qui vndiquè imperitur, & ventos non timet: Ambrosio autem vtitur alimento, & siti experte sanguinis: Actis verò radicibus, fundatur ædificium columna duplici. Est autem radix Simeon, filium prædicans matris, quę non est experta nuptias. Sed hæc quidem sic. Manus impositione sanat dæmoniacam.

Deinceps verò erat quidẽ dies, omnium dierum pręcipuus. Vir autem quidam ex ijs, qui prope Euxinum pontum habitabant, venit afferens filiũ, qui ipse quoquè possidebatur quidem à dæmone: sed erat alioqui & surdus & mutus, & qualem curâsse Christum docent Euangelia. Cùm autem columnæ iam appropinquarent filius cum patre, excutiens puerum dęmon, & auęllens eum ab ijs, qui ipsum tenebant, impulit eum ad scalas, quæ tunc quidem fuerant admotæ columnæ: & ille quidem protinùs ascendebat scalas: sanctus verò desupèr adspiciens, Deũ rogabat. Quomodò enim non à dæmone è scalis proiectus, fuisset confractus, nisì is retinuisset dæmonem precatione? Non ergò ei manus imposuit, neque fecit, quæ alijs facere consueuerat: sed ille quidem precabatur superiùs: puer autem cùm esset adhuc inferiùs, & ad medias scalas nondùm peruenisset, sanitatem est assecutus. Cùm vnius tantùm fecero mentionem, aliorum suo tempore meminero. Cap. 20. Mat. 7. Liberat puerum à dæmone.

Magnus Leo, qui Romanum quidem regebat imperium: naturam autem regere non poterat, sed proles ei deerat mascula, quid facit? Confugit ad Deum omnium Dominum, apud ipsum Daniele vsus intercessore. Ille verò paruit, & anno sequenti parituram esse vxorem protinùs significauit. Res ergò, vt dixerat, successit, & natura cessit precibus, non solùm ad hoc, vt daret filium: sed ad hoc etiam, vt daret illo tempore, quo sancti os diuinum prædixerat. Sic ille non solùm erat filius precationis: sed etiam per preces dabat alijs, vt haberent filios. Idcircò eum remunerans Imperator, tertiæ columnæ ei iecit fundamentum. Cap. 21. Leoni Imperat. prolẽ impetrat precibus.

Cùm fama ergo sanctũ vbiquè prædicaret, ad eum venit etiã Imperatrix Eudocia, quę nupèr seruata ex Aphrica: & magnam quidẽ ei reuerentiam, multum autem tribuens honorem, & rogans ipsum, vt de columna quidẽ descenderet, ad sua verò loca veniret, & ea habitaret: Sunt autẽ, dicebat ea, mihi multa, & simul quidẽ amica silentio, & quę possint aliã prębere consolationem. Ille verò bonam eius mentẽ accipiens & laudãs, statuit non trãsmigrare, sed in eo loco perseuerare, in quo fuerat à Christo plantatus: & virtutis radices in eo agere, & fructum conuenientẽ dare suo tempore. Cùm hęc & alia dixisset eiusmodi, & benedictione eã impertijsset, emittit. Tũc autem trãsit ad columnã Gelasij, & simul cum columna (erat enim excelsior) ei quoq; aucta est virtus: & vitę institutum aggressus est excelsius. Non erant autẽ futura hæc tolerabilia neque diabolo, neque illius asseclis. Propterea ipse quidẽ ei rursùs accendit fornacem tentationũ: vsus est verò ministris hæreticis, qui erant Byzantij. Isti cùm quandam sumpsissent mulierem ex meretricibus, quę erat quidẽ genere Asiana, ei autem erat nomẽ Basiana: cùm nauigâsset verò Byzantiũ, improbum, pròh dolor, quęstum faciebat suo corpore. Eam cùm verbis decepissent, & promissa pecunia, totam ad id quod volebant, incitâssent, efficiùnt vt vadat ad sanctum, & vel illum, vel vnũ ex suis discipulis, ad amorẽ illiciat, & ad fœdã prouocet libidinem. Proficiscitur ergò impudica ad pudicũ, impura anima ad mundam, comitum secum ducens multitudinem, splendida externa vtens specie, & libidinosis gestibus, aureoque amictu & alio intertexto ornatu, arbitrata se allecturam & inescaturam illos oculos, qui nihil terrenum, nihil ex materia concretum dilexerunt. Manens autem in quodam agro, qui erat ex aduerso columnæ, & mandræ rationis compotum pecorum huius egregij pastoris Danielis, simulabat se ægrotare: vt, si fieri posset, vel ipsi quidem sancto ægrotationis animi causa esset: sin minus, illius saltem discipulis afferret perniciem. Cap. 22. Eudocia Imperatrix venit ad eum. Vide malignitatem hæreticorũ.

Cùm

Cap.23. Cùm autem poſtquàm longo tempore manſiſſet, inane & irritum erat callidum eius cœptum, deſcendit quidē ad eos, qui miſerant: dicit verò execranda, & ea mentitur de ſancto, quę non ſolùm magno illi nunquàm in mentem venerunt, (hoc enim ne qui valde quidem à mente diſceſſit, crediderit) ſed nec vlli ex illius diſcipulis, multùm quidem abeſt. Hæc autem erant: Meî amore, dicebat, valdè quidem captus erat Daniel: animo verò telum acceperat: & tandèm cùm iuſſiſſet ſuis diſcipulis, vt me ſursùm ad ipſum per ſcalas deducerent: ego autem, inquit, paſſa non eſſem, me occidendi conſilium ceperunt, vt hæc laterct intemperantia. Et eccè vix manus eorum effugiens, mihi fuga conſului. Sic mentiente Mænade, & ea dicente, quę probari non poterant, hæc verba illi attendentes, arripuerunt perindè àc veriſſima, (Quæ enim volebant, ea etiam vera putabantur) & ea ad alios tranſmittebant. Verumenimuerò hîc quoquè erat idem Deus, & iuſtitia, quæ neque poteſt vitari, nec obliuioni mandari. Quid ergò accidit? & quomodò hæc diſpenſantur? Malus ſpiritus ſtatìm mittitur ad malam & mendacē fœminam, & inuitus inuitam cogit effari fraudem hæreticorum in illam, & ſuum rursùs mendacium & machinationem. Cùm eam ergò accepiſſent ciues, & ad ſanctum duxiſſent, rogabant ſanctum vt curaret. Ille autem verus Chriſti diſcipulus, qui dixit ſeptuageſieſſeptiès oportere fratribus remittere debita, & diligere inimicos, ambo ſimul præcepta vna executus eſt actione: illud quidem, condonando iniuriam: hoc verò, miſerendo calamitatis: immò verò eam plenè erigendo, & ſanitati reſtituendo. Nam cùm oratione vſus, eam oleo ſanctorū tanquàm ſalutari aliquo potâſſet medicamento, malum quidē ſpiritum, tanquàm aliquid venenatum, ſtatìm expellit: eam autem, quę laborabat, ſuis ſanam reddit. Quæ etiam illius complexa columnam, magnas quidē agens gratias, & deincèps multa Deo promittens, vt quæ duplicem morbum effugiſſet: non ſolùm eum, qui apparebat, & damnum afferebat rei, quæ videbatur: ſed multo magìs eum, qui latebat, eratque voluntarius, & ſua ſponte ſuſceptus, & animam immortalem punire poterat immortaliter.

Impudens ſcortū incredibilia fingit de illo.

Vltio cæleſtis perſequitur fœminā mendacem.

Mat.18. & 5.

Oleo ſancto duplicē pellit morbum.

Cap.24. Non ſolùm autem morbum, qui modò inciderat, poterat curare ſanctus: ſed etiā ritu bonorum medicorum, & futurum nôſſe, & quod erat euenturum, propheticè & videre & dicere certiſſima poterat coniectura. Magnam quidem certè vrbem magnas adorturas eſſe minas, cùm à ſuperis accepiſſet reuelationem, eam Epiſcopo ſignificat Gennadio, iubens contentiore vti precatione. Quinetiam Imperatori Leoni prædicit ſimilia, & bis in hebdomada iubet communes fieri ſupplicationes. Sic enim eis pollicetur iram Dei futuram mitiorem. Atque ij quidem ſancti præceptis contemptui habitis, erant ipſa intellecturi experientia, ea quæ multitudo peccatorum effecit, vt ad effectum deducerentur. Procedens autem id declarabit oratio. Quoniam autem diuini quoquè agni ſacrificatorem oportebat eſſe Danielem, qui iam ei priùs ſacrificauerat & corpus & animam, è ſuperis quidem mouet Imperatorem ſpiritus: mouet autem Gennadium quoquè Imperator, & ad eum ſcribit, vt acceptis multis ex eccleſia, veniat ad magnum Danielem, & eum conſummet ordine ſacerdotali. Cùm is verò hæc feciſſet, qui præuidendi quidē futura magnam habebat poteſtatem, primùm quidem ſpiritu præcognoſcit futurum ad ſe aduentum: Deindè cùm ille iam veniſſet ad columnam, dixit ſe iampridèm deſiderâſſe ad eum aſſcendere: ſed curas prohibuiſſe eccleſiaſticas, nè finem imponeret ſuo deſiderio: nunc autem venire, vt & ipſum videret, eiusque precibus frueretur & ſermonibus. Rogabat verò, vt ſcalæ quoquè adhiberentur. Fruſtrà, inquit ei prædicendi magna vi præditus Daniel, hunc laborem vt ſuſciperes, procurauit, qui te ad nos mouit. Hoc ſimul & ſtuporem & metum affert ſacerdoti: Stuporem quidem, quonam modo ſic eius cognouit aduentum: timorem autem, quòd mens eius magno erat Danieli manifeſta. Neque enim, niſi coactus fuiſſet ab Imperatore, ad eum vnquàm venire annuiſſet.

Prædicit cladē imminentē Conſtantinopoli.

Cap.25. Cùm autem & Epiſcopus, & qui ſequebantur Epiſcopum, multùm rogauiſſent, vt admouerentur ſcalæ, & ad eum aſſcenderet: prohibebat verò inuictus Daniel: imminebat autem iam Sol medijs eorum capitibus, calidis eos feriens radijs, & videbat Epiſcopus multitudinem ſiti & æſtu torreri, iubet inferiùs quidem Archidiacono preces dicere conſuetas. Ipſe autem cùm eſſet precatus, ordinat magnum Danielem etiam non præſentem, presbyterum, & ſimul multitudo dē eo, qui erat verè dignus, clamabat, Dignus. Cùm ſic Patriarcha Gennadius Danielem nominâſſet ſacerdotem, & eccè dixiſſet, & tibi populus iuſtam de more propterea emiſit vocem, & Deus deſupèr tibi per me manum impoſuit: & omnia, vt ſemèl dicam, ſuſcepiſti ſigna

Obſerua q̄ hîc dicitur de presbyteri ordinatione.

sacerdotij. Restat ergò, vt scalæ admoueantur columnæ, vt sis etiam sacri particeps sacrificij. & Deo vocanti omninò cedas. Tunc cùm beatus cognouisset Daniel hæc nō fieri sine Dei numine, sed ei quoquè grata esse & accepta, quæ facta sunt, iubet poni scalas, & cælestem margaritam, diuinam, inquam, cōmunionem, & dat & accipit. Deindè cùm etiā fecisset alia omnia, quæ solent fieri à sacerdotibus, & precatus esset pro multitudine, eos dimisit lætantes simul & admirantes: partim quidem propter præscientiam & verè laudabilem timiditatem: partim autem, quòd vix quidem, persuadetur tamē ipse quidem accipere sacerdotium, illis verò præbere preces & benedictionem. Hæc Imperatori quoquè significantur, & simili eum replent lætitia & admiratione.

Cùm non ergò ingentes, qui sunt imperij proprij, sumpsisset spiritus, sed didicisset quantùm sit virtus imperio præstantior, ipse quoquè ad eum ascendit, & perindè ac si regium fastum & supercilium reliquisset inferiùs, & se exuisset, se quidem humì prosternit: tangit autem sacros illius pedes, quasì hæc faciendo magis honoraretur, quàm quòd esset Imperator. Quos cùm tetigisset, impletur admiratione, sicut priùs Gelasius. erant enim illi pedes valdè tumentes, & omninò scatentes vlceribus: eratque simul horribile & miserabile illos videre & tangere. Tunc ergò Imperator donat eum basi geminarum columnarum, quas ipse posuit, duplicem eam columnam nominans. Quam ascendens lætabatur Daniel. Nam & illa erat sublimior altitudine, & hæc etiam extendebatur ad exercitationem, æstate quidē, ardentiùs eum sole feriente: hyeme autem, aëre frigidiùs. Cùm verò & vis ventorum, niuisque & grandinis vehementer impeteret, & violentiam ostenderent minimè tolerabilem, certè multa consequebantur miracula: quæ quidem mihi, vitanti prolixitatem orationis, non sunt omnia dictu facilia: sed solùm, quæ sunt præcipua, vt sum pollicitus. Quod autem nec si velim quidem, possum præterire, hoc nunc, quantùm potero assequi oratione, conabor narrare. Cap. 26. Imperator ad ei⁹ pedes se abijcit.

Iampridèm quidem principium habebat anni ambitus, & mensis instabat, quem Romani vocant Septembrem, in quo magni martyris Mamantis festū pij celebrant. Vespere ergò, quandò festum à pijs preparatur, & tota nocte agitur vigilia, finē accipit magni Danielis prophetia: & repentè in maxima & regia ciuitate incipit incendium, quod vsqueadeò est excitatū, & adeò inualuit, vt ferè vniuersam cōtriuerit ciuitatem. Nam cœpit quidem à muro, qui est proptèr mare, quē etiam nominant nauale: peruénit autem vsque ad forum Constantini, & pertigit ad portū Iuliani, quasì mediam cinxisset ciuitatem. Quo in loco & comprehensa sunt vniuersa corpora: quæcunque verò fuēre comprehensa, facilè periērunt: & sic pastus ignis, in maximam creuit flammam: eratque malum inexpugnabile: quippè cùm quicquid ad opem ferendam afferebatur, argueretur nihil proficere. Quapropter multas quidem domos, multa autem templa, virorumque & mulierum proserpsit depascens multitudinem: multi verò, partibus & membris corporis, quæ inuaserat ignis, statim mutilabantur: erantque semiustulati, & media parte cæsi: miserabiliores ijs, qui omninò cum suis periērant. Erat ergò periculum, nè, quod vulgò celebratur orbis terræ miraculum, Constantini, inquam, ciuitas, cerneretur pati similia incendio Sodomorum. Vix tandèm, vt in tanto malo, eis venit in mentem sancti Danielis prædictio, & credunt fore, vt illius solùm precibus malum vincatur. Hinc factum est, vt ad eum magna celeritate currerent, ille quidem pecuniæ deflens priuationem: hic seruorum, alius domûs, alius amicorum: & hic quidem cognatorum, ille verò vxoris & suorum filiorum, alius autem omnium facultatum. Propter quæ sanctum tanto dolore affecēre, vt totus repletus lachrymis, eos damnaret negligentiæ, quòd ipso eis multùm testificante, & prædicente, malum pœnitentia vitare non curàrint: vt qui in patiendo solùm fuerint Niniuitæ, non etiam in pœnitendo. Hæc dicens, illis quidem sic suadebat curam gerere orationis & ieiunij. Quinetiam ipse quoquè manus in cælum tollens, illinc implorabat auxilium: & post orationem, cùm eis dixisset finem calamitatis, eos dimisit. Post septem, inquit, dies cessabunt minæ ignis. Sic ille dixit, & res est consecuta. Septimo enim die non erat ampliùs ignis. Tunc & alios, & eos qui gerebant magistratus, quinetiam ipsum Imperatorem incessit metus: & secum assumpta Imperatrice, fit supplex beato Danieli, pro eo quidem, quod præteriērat, misericordiam: securitatem autem in futurum postulans. Cap. 27. Festu S. Mamantis. Eius festi vigilia. Constantinopolis ardet. Gen. 19. Ionæ 3. Vir sanctus hortatur Constantinopolitanos ad orationem & ieiunium.

Atque iam quidem post autumnalem conuersionē mutato tempore erat hyems, Cap. 28.

 & hy-

Vide quanta patitur inuicto animo. & hyems maior, quàm vt eam possit explicare oratio, quæ tamen superabatur ab inuicto generosi animo. Cadebant autem imbres plurimi, & vētorum erat procella vehemens. Venti verò etiam inter se agitabant seditionem, & multi simul spirabant, & adeò violenti & immanes, vt ferreas ansas columnarum, quæ duas columnas inter se committebant & coniungebant, & Danielem in alto ferebant, violenter auellerent: ille autem in parua sola contineretur columnella, quæ inter eas erat iniecta. Simul ergò & procella irruebat, & conquassabantur columnæ: & iustus supernè, tanquàm ramus arboris, huc & illuc circunferebatur, & flatu circumagebatur. Inferiùs autem vociferabantur discipuli lachrymantes: & in illum solum conuertebant oculos, & vna eis erat acerba expectatio, patris eorum priuatio. Sed non itidèm lababat Virtus orationis eius. spes Danielis in Dominum: sed super hanc firmam petram fundatus beatus, nemini quicquam loquens, neque si hoc euenerit pertimescens, (Quid enim ei graue erat Psal.141. mori, cui hic manere, Dauidi congruenter, erat carcer?) perseuerabat mentem sursùm erigere, & orare. Clamauit ergò iustus, & Dominus statìm exaudiuit eum, & de-Matt.8. supèr è cælo, sicut è naui priùs, ventos increpat, & repentè tranquillitas fuit & serenitas. Et ventorum quidem res ità habuit.

Cap.29. Cùm autem non spiritus solùm, sed etiam quosdam ex ijs, qui Arriana laborabant insania, coërceri oporteret à perturbatione: hoc quoquè prudentissimè, vt consueuerat, per illum prouidetur. Et videte, quàm vario vti consilio & multiplici dispensatione, & alia per alia contexere sæpè scit prouidentia. Nouerat Imperator, quæ iusto Danieli acciderant: & contendit ad videndam columnam, partìm quidem pœnas sumpturus de ijs, qui ansas non effecerant firmas & validas: partìm verò, vt eas tutò decæterò committeret. Sed illos quidem magni Danielis mansuetudo eripit à minis Imperatoris, mortem eis minantis. Descendenti autem de monte Imperatori Ingens Imperatoris periculum. non paruum accidit periculum. Nam cùm quidam metus equum fortè fortuna perturbâsset, quem ipse ascenderat, isque conterritus, pedes erexisset anteriores, supinus quidem statìm humì iacebat equus, supinus autem etiam cum eo Imperator: id verò, quod antè stabat super sellam regiam, frontem contriuit Imperatori, & quæ erat in capite, coronam procùl expellit. Quo tempore contingit, eas, quæ erant in ipsa, margaritas, aliam aliò, dispergi. Sed Daniel quoquè cùm oratione præuenisset S. Daniel cum liberat precibus suis. malignum, à mala morte seruat Imperatorem: & sic reuersus fuit sine periculo. Sed hoc in loco est caput narrationis, & quomodò nouit prouidentia admirabili vti consilio & dispensatione.

Cap.30. Equiso Imperatoris, aut, vt eum vulgaris & consueta lingua vocat, Comes equorum, omni quidem anteriori tempore laborabat nefaria Arrij insania. Tunc autem & Imperatoris timens periculum, & nè, quod acciderat, ei iram conciliaret, cursu venit ad sanctum. Ille verò non solùm cum metu ab Imperatore, sed etiam mala est pollicitus se esse liberaturum opinione, quæ est quouis alio periculo grauior. Hæc Arrianum liberat ab hæresi. audiuit Equiso, & cùm mitibus ac placidis eius suasionibus opinionem Arrij abiurâsset, ea sentit, quæ Orthodoxi. Atque sanctus quidem scribit ad Imperatorem, quòd & Iordanes, abnegata deceptione, in rectis incedit dogmatibus: & quòd vel propter hoc ipsum est iustissimus: quinetiam huc ad me venit, vt à te veniam consequeretur. Literæ Imperatoris ad eum. Ille autem contrà rescribit: Periculi quidem mei causa non alius fuit, quàm ipse mihi, qui sic ausus sim ascendere ante tuos oculos, & non pedes procùl abij à sacra columna. Hoc autem deincèps diligenter cauebo. Iordani verò non modò non irascor, vt etiam valdè læter, quòd meus ex equo casus, ei causa fuerit, vt, qui iacebat, surgeret. Decæterò autem tanta erat Imperatoris in sanctum reuerentia, vt non solùm ipse honoraret eum ijs, quæ oportebat: sed etiam alijs eum, tanquàm rem cælestem, ostenderet.

Cap.31. Itaque cùm paulopòst contigisset, Regem Lazorum venire ad Imperatorem Romanorum, causa faciendi fœderis, alijs quidem prætermissis, eum verò accipiens & ducens ad sanctum: Hoc est, inquit, mei imperij miraculum. Ille autem vsqueadeò obstupuit, eius videns tolerantiam atque fortitudinem, vt non solùm sanctum, sed etiam columnã, in qua erat positus, cum lachrymis adorans, multas voces emitteret barbarus valdè eruditæ mentis, & quæ multa didicerat: Ago tibi gratias, dicens, Rex cælestis, quòd mihi, qui ad terrenũ Regem veneram, cælestem huius viri vitam ostén-En quãtum ei deferunt etiã Reges. deris, & dignum me censueris, qui essem spectator talium mysteriorum. Adeò autem vtrisque magnus ille visus est dignus admiratione, vt ambo illum ad definienda fœdera

dera arbitrum constituerent. Porrò autem cùm domum reuertisset Gubazius Rex Lazorum,& subiectis sibi populis narrabat miraculum,& sancti semper meminerat: neque vnquàm mittebat Byzantium,quin ad eum quoquè scriberet literas: quę non terminabantur solis salutationibus, sed etiam plurimi faciebant eius meminisse,& rogabant,vt oraret pro suo regno. Adeò stupebant omnes,iusti tolerantiam,& propinqui & hospites,& priuati & Reges,& Romani & barbari: & accedentes, accedebant tanquàm ad Angelum: & abeuntes,eius inuocabant auxilium: & precibus ab eo aliquid petebant,& impetrabant. Itemque alij omnes.

Atque sufficiunt quidem ea,quæ nupèr dicta sunt ad significandam illius fortitudinem: & quòd quæ ab eo suscipiebantur certamina, erant maiora, quàm vt homini conuenirent. Quoniam autem hoc maximè studeo,nihil prætermittere eorum, quæ sunt præcipua,adijciam ijs,quæ dicta sunt, maius quiddam,quod attinet ad fortitudinem & tolerantiam,& ad eum admirandum,qui dedit illi vires. Erat hyems,eaque glacialis,& valdè aspera: vehementes verò rursùs ventorum procellæ, & grauiores præcedentibus: simul autem cum vento densa quoquè nix decidebat. Venti itaque vehementiùs ingruentes,ei ex pelle confectam cucullam flando expellunt, & in vallem quandam subiectam iaculantur. Cum ventis autem multa quoquè nix & frigida eius faciem impetebat. Ille autem (neque enim habebat tectum, ad quod confugeret) tota nocte (ô inuictam animam) omnia suffert vinculis corporis, temporis acerbitatem,niuem,ventos,asperam circa auroram concretionem & conglaciationem. Apparebat dies,& malũ non cessabat,sed magis inualescebat, & hyems intendebatur. Discipuli autem nullo modo poterant è porta prospicere, neque erat vllus, qui ei opem ferret. Totum ergò illũ diem & sequentem noctem,quę fuit multo acerbior, hic vir generosus fortiter & constanter pertulit. Iam tertius quidem erat dies tempestatis: desiẽrat verò effera glacies:& cùm scalas admouissent,qui erant feruentiores ex discipulis,& properè ascendissent,vident,ô Domine Deus,horrendum spectaculum,& quod antequàm vidissent quidẽ,ab eis expectabatur, ipso tamẽ adspectu visum est terribilius: sanctum amictu quidẽ iam nudatum, glacie verò omni ex parte comprehensum,& capite,& facie, & reliquis partibus corporis: neq; hoc solùm, sed etiam ipso corpore omninò concretũ, & in glaciẽ, si frigus spectes & concretionem, conuersum. eum quis glacialem hominẽ nominauerit, (Quid enim aliud?) aut mortuum,quòd existimaretur ne posse quidem spirare. Cùm calidis ergò aquis soluissent glaciem,quinetiam corpus adspersissent,& spongijs abstersissent: postquàm ille ad se redijsset,& tanquàm à morte suscitatus, spiritum recepisset, vocem quoquè accepit, & dixit: Cur mihi vultis exhibere negocium, & suauiter dormientem vexatis? Nam cùm modò Domini inuocarem auxilium,accidit mihi,vt parùm dormitarem. Cæterùm benè sit vobis,ô filij,qui patris tantam curam geritis. Date autem mihi, inquit, quo me induam: erubescens,vt arbitror,propter nuditatem,non autem calore indigens. Illi verò alium amictum ad eum attulerunt,& eum induerunt,tunica diuinę lętitiæ indutum,vt dicam cum propheta.

Cap.32. — Rursùs mirè infestatur à ventis &c. — Mira eius patientia. — Horrendũ in corpore viri Dei spectaculum. — Esa.61.iuxta 70.

Posteà autem multùm eum rogante & obsecrante Christi amante Imperatore, (hæc enim ad eum vsque peruenerunt)& dicente: Si non tua causa, at nostra & nostræ vtilitatis,parce istis nimis præcipitibus & proiectis periculis: & nè tibi ipsi mortem propemodùm consciscens, & nos orbos relinquas,& ipse te ante tempus videaris è vita educere: Hæc & his plura dicente Imperatore & rogante, & pedes simul pręhensante,vix sustinuit,vt sibi paruũ saltem fieret tectum, reueritus lachrymas Imperatoris. Hoc quidẽ iam à me dictum est, nihilominùs tamen nunc quoquè dicam. Nullum erat,nec videbatur Imperatori maius miraculum magni Danielis tolerantia, & vita. Omnes ergò,qui apud eum fungebantur legatione, siue essent reges, siue legati,aliquos quidem per alios,alios verò etiã per se deduxit ad sanctum. Illi verò magis stupebant videntes,quàm audientes; & sic redibant benedicentes, & anima effecti meliores. Quòd autem vt futura quoquè videret,tanquàm iam præsentia,à superis acceperat,à me quidẽ iam sæpè superiùs ostensum est. Est verò huius quoquè rei manifestum indicium. Quædam fama in omnes partes manabat, Gensericum regem Vandalorum,bellũ gerere aduersùs Romanos magno apparatu & maiore audacia: & quòd iam cum magna manu peruenit Alexandriam, eam sibi volens belli facere præmium. Non parùm ergò animo angebantur magistratus, & ipse Imperator: qui etiam citò currit ad consuetum medicamentum animi ægritudinis, & sancto famam

Cap.33. — Vita eius & patiẽtia,maximum miraculum.

 signifi-

significat. Ille verò tanquàm non præuidens, sed iam videns oculis ea, quæ erant euentura, dixit protinùs, non solùm Gensērichum Alexandriam non esse occupaturum: sed in omnibus etiam alijs, re infecta, domum esse reuersurum. Omninò nihil opùs est adijcere id, quod euenit ijs, qui virum nôrunt. Factum est enim non multò pòst, sicut diuina Danielis lingua prædixit.

De Genserico Vandalo quid prædixerit.

Cap. 34.

Propter hæc ergò, & multa alia his admirabiliora, volens Imperator magnum remunerari Danielem, quoniam alia ratione non licebat, rogat vt fiat saltem domuncula illius discipulis: Vt habeant, inquit, suo corpori habitationem. Sanctus verò, Si dixisti quidem, inquit, de extruendo ædificio, non potest id mihi esse gratum. Neque enim beato Simeoni hoc vnquàm adfuit. Tu autem si velis facere mihi rem gratam, festina huc adducere illius reliquias: & rem mihi gratissimam, acceptamque tibi feram. Tunc lubens iubet Imperator: tum vt sacro domus ædificetur Simeoni, ante columnam Danielis ad boream: tum verò, vt domus quoquè fierent hospitibus, qui ad montem ascendebant, & magni Danielis discipulis, etsi ei sanctus tunc multùm prohiberet. Cùm autem qui missi fuerant Antiochiam, sic iubente Imperatore, reliquias attulissent, significat quidem magnus Daniel Episcopo vrbis, vt prædicet & publicè annunciet exportationem tabernaculi, & vt ipse sedeat in vehiculo Imperatoris, sinu tenens reliquias: & sic iter faciat cum psalmis & hymnis: & cùm eas deduxerit ad templū militiæ principis Michaëlis, illic diuinam celebrent mystagogiam. Quæ cùm peragerentur, & magno & splendidissimo comitatu deducerentur, multa per ipsa in transitu facere miracula conspectus est Dominus: quæ quidem sigillatìm omninò narrare, non est præsentis temporis. Postquàm autem finem acceperunt ea, quæ pertinebant ad reliquias, & ipse sacerdos, & omnes qui simul consequebantur, cum gaudio ad sanctum ascenderunt, maximas suauissima anima in eos verbis effudit gratias, & mellis plurimum reuerà scatere fecit in illorum animis, de amore in pauperes & in fratres, de charitate, & iudicio, & remuneratione, & de alijs huiusmodi apud eos verba faciens.

Petit reliquias S. Simeonis.

Obseruale ctor, quam reuerenter antiquitas habuerit sacras reliqas.

Cap. 35.

Non solùm autem in ijs, quæ ipse faciebat, ostendebat præstantiam suæ virtutis: sed etiam in ijs, quæ patiebantur ij, qui non erubescebant eum maledictis insequi. Cùm quidam certè aliquandò ex ijs, qui ad eum accedebant, (fuerat verò is lapsus in vera religione) sanctum maledictis incesseret, & qui aderant & audiebant, eum increparent, ipse cùm manū intra indumentum iniecisset, & piscem assatum eduxisset: Eccè, inquit, hūc & alios multos comedebat, qui vestro iudiciò est abstinens. Statìm autem, iustitia virū est persecuta. Postquàm enim & ipse paulopòst re vera de pisce comedit, vxoriq; eum dedit & liberis comedendū, eos inuadit furor, & à dæmone possessi conspecti sunt ab omnibus. Qui ergò aderant, cùm causam sensissent, duplicem furorem miserati, eos accipiunt & ducūt ad sanctum. Ille verò cùm non solùm esset mitis ergà peccatores, sed etiam calamitates conuerteret in contrarium: postquàm vidit confitentes, precatus, eos liberauit à furore, & à grauiore dæmone, nempe à mala opinione. Qui etiam posteà tantum fructum acceperunt ex eius curatione, vt volentes esse descriptam suam gratiarum actionem, ex argento illius figuram effinxerint, & seipsos sub eius pedibus posuerint, & nomen scripserint, & gratiarum actionem adscripserint, & militiæ principis templo dedicauerint. In beati autem Danielis labris tanta erat salutaris persuasio, & eius oratio propemodùm æquè, ac vita, poterat demulcere animum, & persuadere, vt viam angustam eligerent: vt non solùm eos, qui ad hoc ipsum ad eum ascendebant, aut erant alioquì mites & mansueti, sibi & eius magno amore capi persuaderet: sed eosipsos, qui erant etiam impudentes & agrestes, similiter afficeret. Huius autem rei apertum est indicium.

Calumniatore sancti viri Deus punit.

Nota hæc contra Iconomachos.

Cap. 36.

Quidam nomine Edranus, genere Galata, fortis alioquì & manu strenuus, in sanguine & bellis educatus, qui etiam in multis locis se præclarissimè gesserat, & suo imperio parentes habebat multos, & eos omnes in bello fortes. Eius fama peruenit vsq; ad aures Imperatoris. Is autem cùm illum, & eos qui eius parebant imperio, accersiuisset, eos quidem alijs afficit honoribus: illi verò tradit curam suorum equorum, solet is vocari Comes, sicut superiùs diximus. Porrò autem ipsum quoquè mittit, vt solebat, ad magnū videndum Danielem, & accipiendam eius benedictionem. Cùm verò ad eum venisset, & eius vitam didicisset, & sermonibus ea, quæ verè erant vtilia, doctus esset, & diuina quadā mutatus esset mutatione, & ex lupo in ouem esset conuersus, militias quidem & bella & honores Imperatoris multum valere iussit, & qui toto

Hæc est vera mutatio dexteræ excelsi.

toto antè tempore ad sanguinem & cædem erat exercitatus, & quid aliud, quàm miles, idque barbarus, is repentè philosophus, & mitis Christi erat discipulus: & rogabat, vt referretur in numerum eius discipulorum. Postquàm autem vidit magnum Danielem suis precibus annuere, illius discipulus fit doctor multorum aliorum: & cùm omnes, qui erāt cum ipso, aduocâsset, familiares & notos, & qui alioqui ad eum attinebant, suadet illis, vt eadē, qua ipse, via ingrederetur. Adhortatio verò fuit eiusmodi, quæ posset vel cum lingua certare oratorum, & ferre victoriam. Eius ego memoriæ mandabo, quæ sunt iucundissima, & scio fore, vt ea quoquè vobis placeant.

Ego, inquit, statui deincèps Regi militare cælesti. Mihi enim persuasi nihil profuturum homini, si totum mundum lucrifaciat, & damnum suæ animæ patiatur. Quodnam autem ad nos ex bello lucrum redit, nisì omninò gladij, cædes, sanguis & strages? Quænam verò in his non inest calamitas, & præterea detrimentum animæ? In quibus, & qui cecidit, iustè cecidit. Quid enim bellum gerebat cum ijs, qui sunt eiusdem generis? & qui interficit, est omninò parricida & execrandus. Cur enim propter pecuniam aut inanem gloriam tantū facinus ausus est suscipere? Sed leones quidem, ô homines, & pardi, & lupi, & si quid est his agrestius, nunquàm cōmune inter se bellum gerunt. Nobis autē quibus naturâ adest mansuetudo, & oratio quæ comprimit feritatem, quę est pręter naturam: quinetiam mouet misericordiam, & communem naturam reuocat in memoriam: ante omnia verò, quibus, vt neque iniuriā faciamus, neque cōtradicamus omninò, si nobis fiat iniuria, est maximū præceptū: idque cùm propè habeamus exemplar, illūipsum scilicet nostrū Dominum, qui cùm traheretur ad cædē, sequebatur: (atquì quanta est differentia inter Dominū & seruū?) quomodò hęc se rectè habent, quādò & si hęc non faciamus, multas habemus remunerationes: si faciamus autem, multa supplicia? Quòd si etiam oportet vicissim inuadere eos, qui nos inuadunt, oportet omninò magnam manū & excelsam inuocare ad nos defendendos ac vindicandos: vt sic nos potiùs facientes ea, quæ ille præcipit, vehementiores plagas imponamus inimicis. Hæc ergò si vultis, finire: mecum autem manete: & vitam quæ est ex Deo, eligamus. Sin minùs, vnusquisque viam suā ineat. Nullam ego maiorem imponam necessitatem, in hoc quoquè Christum sequens: qui cùm nos multis quoquè alijs honorâsset, primùm honorauit libero arbitrio.

Cap. 37.
Luc. 9.
Hoīes feras bellúas crudelitate vincunt.
Matt. 5.
Liberum arbitrium.

Hæc etsì non videantur esse barbari hominis, si quis tamen reputauerit gratiam diuini spiritûs, & quòd is dignus esset eā assequi, inueniet omninò eum potuisse hæc dicere, & his excelsiora. Mox autē ostensa est etiā vis suasionis. Duobus enim barbaris, qui diuinam doctrinam ne auditione quidē acceperant, persuasit, vt omnibus dimissis, simul cum eo viuerent: alijs verò cùm dedisset pecunias ex ijs, quas habebat, & eos valere iussisset, permisit vt irent quò vellent. Ille autem & qui cum eo erant, renunciationis sacram sequentes regulam, habitum monachorū sancti manibus accipiunt, & Edranus mutato nomine piè vocatur Titus. Neque verò ipse Imperator ignorauit id, quod factum fuerat: sed cùm resciuisset, id ęgrè ferebat: & mittit, qui Edrano exprobret eius recessum. Postquàm autem, qui missus fuerat, cognouit illum immutabilem, & fuit hoc etiam sancti literis confirmatum, desperato reditu, statuit nihil ampliùs addere. Ipsum verò Titum tantus subijt magni zelus & imitatio, vt illius etiam nutrimentum curiosè inquireret, & magnifaceret scire quidnam comederet. & quoniam non videbat, alijs fratribus post cantica vespertina se ad quietē conferentibus, ipse clàm egrediens è dormitorio, latebat post columnas, & sanctū curiosè indagans, prębuit fratribus speciem quandam & opinionem socordiæ. Sed cùm totis septem diebus nihil ampliùs resciuit, cogitationem suam sancto aperit, & rogat, vt dicat an quid comedat & bibat. Cùm is autem se comedere quidem & bibere affirmâsset, sed adiecisset: Tanto vtor alimento, quantum sufficit ad vinculum corporis continendum. Non enim viuimus gratiā deliciarum: sed potiùs nutrimur, vt possimus viuere: ille quidem adoratione suam significans submissionem, abijt: decætero autem in cibo & somno tanta cautione vsus est & obseruatione, vt cibi quidem tantum sumeret, quantum sufficit ad viuendum.

Cap. 38.
Vir insignis in bellis nutritus, cum quibusdam alijs fit monachus.
Non viuimus gratia deliciarum, sed nutrimur vt possimus viuere.

Aduersùs somnum autē qualem ostendit generosus hic vir decertationem? Cùm se funibus ab axillis medium suspendisset in aere, ad pectus extendit tabulam, & librum imponit tabulæ, vt vtrunque faceret, nempe vt & sic suspensus posset legere, & si à labore aliquandò oporteret ad somnum conuerti, tabula caput exciperet, parùm consolans vim naturæ. Atque erat ipse quoquè Titus Imperatori charus propter vir-

Cap. 39.
Titi monachi lucta aduersùs somnum.

tutem: & quandò ad sanctum ascendebat Imperator, ad ipsum quoquè ibat & redibat, ex eo magnam capiens vtilitatem. Atque ille quidem cùm sic vitam instituisset, in pace ibidem obdormiuit. Non solùm autem ipse sic adspexit ad virtutem, sed vnus quoquè ex eius famulis, nomine Anatolius: qui illo viuente, vnà cum eo ferebat iugum vitæ ex Christo agendæ: & eo abscedente, adhuc magis virtutem exercuit, & multos alios participes fecit vtilitatis. Sic spiritalis patris in triplici prole conseruabatur gloria, & sic fuit genus fertile, quòd ad virtutem attinet, Anatolio. Duodecim discipuli ei chorum implebant, parem illi zelum spirantes ad ea, quæ sunt pulchra & honesta: & ei posteà sacra ædes constituitur & monasterium, & vir erat clarus & insignis. Sed hæc quidem hactenùs.

Anatolij monachi egregij, 12. discipuli.

Cap. 40.

Nobis autem reuertendum est, vndè digressi sumus. Quænam sunt ea, quæ posteà facta sunt ab admirabili Daniele? & quibusnam miraculis vitæ conuenienter effectus est gloriosus? Imperator quidem Leo suam filiam Ariadnam iam nubilem coniungit matrimonio Zenoni Isaurico: & nuptiali † eum honore consulatûs afficit. Deindè etiam eum mittit aduersùs barbaros, qui populabantur Thraciam. Ille autem simul cum ijs, qui eius imperio parebant, principibus ad velox auxilium, nempe beatum ascendit Danielem. Ille verò prophetice effatur & prædicit illæsum reuersurum Zenonem: & aliquos quidem esse ei posteà structuros insidias: eum autem insidijs fore superiorem. Sufficiebant hæc quidem, & nihil ampliùs dicere oportebat, sed ex ijs, quæ præcesserunt, quòd hæc quoquè ità, vt dixit, facta sunt, certò scire. Dicentur tamen hæc quoquè sigillatim. apud pias enim aures habetur oratio, & quæ omnia scire sitiunt. Iam quidem ex hominibus Leo excesserat Imperator: & filius ex Zenone susceptus, paruus, inquam, Leo, qui etiam ab auo fuerat renunciatus Imperator, quoniam propter nimis teneram ætatem non erat omninò aptus ad tantum administrandum imperium, Zeno pater pueri, à senatu ad sceptrum est perductus. Huic ergò Zenoni, eius quidem in imperio collega filius statim decessit: imperium autem ad solum patrem redit. Omnibus verò rebus Romanis quietis ac tranquillis, grauis in eum exarsit inuidia à cognatis: &, vt dicam cum Propheta, iniquo odio oderant ipsum. Insidiatores autem erant Armatus & Basiliscus. Cùm ergò sæpè Zeno sensisset insidias, omne quidem aliud despicit auxilium: ascendit autem ad sanctum, & ei renunciat vniuersum. Ille verò quid non ei prædixit eorum, quæ erant euentura? Quid verò non factum est eorum, quæ prædicta fuerant? Prædixit quidem fore, vt ex imperio expelleretur, & in exilio aleretur, & præ cibi inopia herba vesceretur: & ab ijs, qui ipsum oderant, posteà reuocaretur, & ad imperium reuerteretur, & in eo vitæ finem acciperet. Ille autem cùm primùm quidem prædicti, ab Imperatrice Verina incitati, ei struebant insidias, lubens cessit imperio, sciens fieri non posse aliter, ei ad fugam opem ferente nocte & multo imbre: & cùm Ponti fretum clàm transmisisset, cum vxore venit in Isauriam.

† videtur deesse, die, aut aliud quippiam.

Zeno obtinet imperiū.

Psal. 24.

Ei euentura prædicit S. Daniel.

Cap. 41.

Sed cùm ad hunc locū peruenit oratio, nescio quò me vertam, cùm me multa simul vocent & vicissim trahant, quæ sunt & vtilitate paria, & ordine æqualia. Multa enim à magno Daniele simul præclarè gerebantur. & simul effecta reddebantur ea, quæ prædixerat: & ipse in acie stabat pro veritate. Vtrùm ergò sunt illa, an hæc, narranda? Existimo prædictionum vos quidē iam cepisse satietatem, neque plures cupere: eius autē zelum pro pietate, requirere. Sceptra quidem, vt dictum est, arripit Basiliscus: horribiliter verò statim sibilat aduersùs Dei Ecclesiam, & de carnis à Christo susceptæ dispensatione nugatur quædam blasphema & adulterina. Acacium autem, qui tunc sedem tenebat pontificalem, qui rectam quidē defendebat rationem, illius autem dogmatum tempestati, spiritûs feruore, & dicendi libertate vehementer resistebat, vult iniqua morte mulctare. Hoc cùm multos quidem congregâsset ex ijs, qui vitam agunt solitariam, & ex ijs, qui promiscuè viuunt & communiter, & grex concurrisset vniuersus, seruauit pastorem, qui, nè periret, veniebat in periculum. Decretum fuerat magnum quoquè Danielem vocare in auxilium, & viro mitti Sacerdos Imperatoris rabiem significat. Cùm autem, qui erat sapiens ad malefaciendum, hoc cognouisset Imperator, ipse quoquè Danieli significat, huncipsum potiùs Sacerdotem fuisse causam huius tumultus. Nam & facit ciuitatem aduersùs me insurgere, & milites corrumpit ac peruertit, & in me maledicta congerit, & probra inurit: & aduersùs me facit innumerabilia. Quocircà oportet te, aiebat, precibus tuis Imperatori potiùs opem ferre contra Episcopum.

Basiliscus arripit imperium, de Christo malè sentiens.

Sed

Sed hîc mihi consideret aliquis, admirabilis Danielis & in discernendo summam sapientiam,& in dimicando pro Christo fortitudinem & generositatem. Quorum illud quidē ostendit in depræhendēdo maleficio: hoc verò, quòd non solùm probro affecerit eum, qui susceptam à vero Deo humanitatem probro afficiebat: sed etiam maximas minas in eum intenderit, & propheticè ei effatus sit: Disrumpens, inquit, disrumpet Deus regnum tuum: & alia adiecerit, quæ cor eius vsqueadeò poterant mordere & tangere, vt nec ille quidem, qui minister erat futurus verborum, ausus fuerit hęc ore renunciare Imperatori: sed à magno pecierit, vt literis, ijsque obsignatis, hæc significarentur Imperatori. Et sic ille quidem recessit. Pontifex autē cùm omnes ferè eximios congregâsset Episcopos, mittit ad magnum Danielem, eum adhortans, vt suum pro Christo daret auxilium: dicens illius esse solius linguæ & virtutis aduersùs adeò absurdam depugnare blasphemiam, & suscipere bellū pro Ecclesia. Atque isti quidem profecti, hæc significârunt. Quoniam verò sancto erat valdè difficile è columna descendere, & renuebat, quid rursùs machinatur Patriarcha, volens eum ad id flectere? Rursùs mittit Episcopos, iubens eos ei apparere mœstos, vtique miserabilibus & verbis & gestibus: & profundere lachrymas, validissimū medicamentum ad persuasionem, & omni ratione conari eum flectere. Imitare, dicentes, primum magistrum & præceptorem. In ijs enim, quæ sunt facienda pro Christo, pulchrum est Christum imitari. Declinauit ille quoquè è cælis & descendit, procurans salutem hominum. Quid ergò absurdi fuerit, si tu quoquè aliquantispèr è columna descenderis, & quæ venit in periculū, nè pereat, seruâris Ecclesiam, pro qua ipse eam amans proprio non pepercit sanguini? Existima tibi ipsam adstare Ecclesiam, & vocē emittere, & extendere manus ad auxilium.

Cap. 41. — Ei quoque quæ prædixerit S. Daniel. — Aegrè descēdit de sua columna S. Daniel.

Cùm his & alijs pluribus Episcopos priùs instruxisset Patriarcha, & omninò exercuisset, vt aptissimè ad mouendam misericordiam, & maximè miserabiliter ad proponendam accederent petitionem: illis autem imperata facientibus, & infernè supplicum ritu cum lachrymis clamantibus, primùm quidem ea quæ fiebant, ægrè ferebat sanctus, & angebatur animo. Deindè cùm videret magis perseuerantes, & vehementiùs precantes, & cum miserabili clamore calidas lachrymas emittentes, nesciebat quid ageret illa misericors anima, ad vtrasq; distracta cogitationes. Quandò enim ad Sacerdotes, & ad Sacerdotum intuebatur lachrymas, mouebatur: quandò autem ad columnam, & eos qui sunt in ea labores, & optabilissimam quietem, erat inflexibilis. Sic ergò inter se cōtendentibus cogitationibus, & in æquilibrio quodammodò positis, quærit momentum superni iudicij: & eo stante ad orationem, vox statìm è cælo existit, quæ iubet ei, vt & descendat, & rursùs reuertatur ad columnam. Sic eum cum gaudio excipientes Episcopi, deduxerunt ad Pontificem: qui, dici non potest, quanta rursùs fuerit plenus lætitia, & quanto eum honore exceperit. Atque statìm quidem Christi miles vertit aduersarium, etsì ei in conspectum non venerit: verbis autem solùm, tanquàm eminùs emissis iaculis, vsus sit, sicut etiam per eam, quam priùs miserat, epistolam, nouum appellans Diocletianum: & cùm per vtraque eum terruisset, nempe & præsentis seculi, & futuri supplicia, tanquàm improbum mancipium, persuasit vt fugeret. Minarum enim timore affectus cùm respondisset, Ecce tibi concedo ciuitatem, & omnes qui sunt in ea, ipse prætextu exercitationis processit extra terminos ciuitatis.

Cap. 43. — S. Daniel diuinitùs iubetur à columna descēdere, & pugnare aduersùs hęreticū Imperatorē. — Imperator fugit.

Sed ne sic quidē eum dimisit vir fortissimus: sed fugientem, tanquàm qui clypeum abiecisset, persequebatur militem, & contendebat eum appręhendere, vt argueret, & cum eo singulari certaret certamine. Init ergò viam, quæ illuc ferebat. Vide autem mihi zelum athletæ. Nam cùm ei pedes laborâssent exercitatione, & non possent ingredi, cōmodato accipit alios pedes, & ducebatur portatus ab alijs. Fuit'ne verò eius iter inane & absque miraculis? Nequaquàm. & lubentissimè quidem omniū meminissem: sed cùm tria prohibeant, nempe & prolixitas narrationis, dicendi facultatis imbecillitas, & nè, si velim omnia dicere, cùm vos exatiauero, sitis socordiores in ijs, quæ sunt præcipua, multis pretermissis, paucorum meminero. Quidam leprosus ad eum in via accedens, emisit vocem, quam olim etiam ad Christum, nisi quòd ille quidem filium, hic autem seruum Dei vocabat, & rogabat, vt ab eo assequeretur curationem. Ille verò, Quid tibi vis, inquit, quòd eo relicto qui hęc potest curare, accessisti ad hominem, qui est similibus obnoxius affectionibus, ea postulans, quę eius vires superant? Verumenimuerò si quidem credis, non illum solùm, sed etiā eius ministros

Cap. 44. — Matt. 8.

Etiā sancti curāt morbos virtute Christi.

posse hæc curare, erit tibi per nos quoquè, vt credidisti, sanatio. Cùm autem ille hæc confitebatur, & adhuc magìs rogabat vt sanaretur, misericordia simul & admiratio magnū subijt Danielem: misericordia quidem, propter morbum: admiratio autem, propter feruorem fidei. & conuersus, significat ijs, qui sequebantur, vt & manus tollant in cælum, & Deum placent lachrymis. Deindè cùm illius iussu is mari corpus

Leprosus mundatur.

lauisset, & fuisset mundatus, (non procùl enim aberat) ostensus est totus sanus ijs, qui aderant. Qui cùm adspexissent id, quod factum fuerat, & nudum accepissent eum, qui fuerat curatus, quid non faciebant? quid non dicebant? quo non animi motu afficiebantur? Admirabantur, clamabant, glorificabant, obstupescebant: mouebat quidem fides eis linguam ad gratiarū actionem: verba autem sustinebat admiratio, & efficiebat, vt præ stupore obmutescerent. Quinetiā dicentes, nesciebant quidnam dicturi essent, huius'ne fidem, an illius gratiam, an Dei potentiam. Oculi autē omnium in illum solum erant coniecti: voxque vna erat & narratio, leprosus & illius mundatio. Vt ergò essent plures testes huius rei admirabilis, veniunt ad maximum Dei

Luc.19.

templum, & virum illum in suggesto statuūt, facientes sicut Zacchæus. Nam illi quoquè persuasit fides, vt ascenderet sycomorum: & his rursùs, vt in alto statuerēt eum, qui curatus fuerat, persuasit similis feruor spiritûs. Quis, quæ tunc propter magnum Danielem fiebant, narrauerit?

Cap.45.

Confluit ad eum vniuersa ferè ciuitas, ægrotantes quidem, desiderio sanationis, propè habentes exemplar, leprosum qui fuerat curatus: sani autem, vt viderent eos qui curabantur, & spectaculo miraculorum minimè priuarentur. Quæ verò eorum, qui accedebant, fidem sequebantur miracula, sunt maiora, quàm vt verbis exprimi possint, & auribus percipi. Cùm autem sic splendidè comitatus magnus ille Daniel ad locum, in quo erat Imperator, fuit propè palatia Septimi, vir quidam Gotthus genere, desuper prospiciēs per fenestram, cùm sanctum vidisset sic deduci & portari,

Statim punitur à Deo Gotthus S. Danielem irridens.

eius irridet mollitiem, & ironicè eloquitur: Eccè, inquit, nouus consul. Hæc dixit, & statim accepit fructum suarum nugarum. illinc enim deturbatus, humi iacebat mortuus. Vident quod factum fuerat satellites: & dolore simul & ira repleti, & alioquì timore correpti, nè vel alius ex suis, vel ipse Imperator simile quid aduersùs magnum illum locutus, in eadem incideret, non sinebant sanctum ingredi regiam. Cùm verò ijs, qui cum eo erant, conantibus ingredi, alioquì magna erat perturba-

Matt.10.

tio, tunc cùm Euangelicè pedum suorum excutere puluerem, eos qui cum ipso erant, hortatus esset sanctus, & ipse hoc fecisset, reuersus est: sed neque tunc vacuus.

Multi milites eum sequuntur.

Multi enim milites, qui cùm eum parùm solùm vidissent, mores & habitum stupuissent Euangelicum, eum statim sunt consecuti. Et sic quidem vadit Byzantium homo Dei.

Cap.46.

Imperator autem viri reueritus virtutem, & veritus nè quid ei graue accideret propter illius contemptionem, mittit ad eum quamprimùm, & rogat vt reuertatur. Ille verò non modò flexus, sed etiam magìs irritatus, cùm dixisset, quòd qui cælestem Regem conatur exacerbare, ipse multò magìs malorum thesaurum sibi recōdit: & deindè adiecisset etiam fore, vt hic breui excidat ab imperio, & eas, quæ illic sunt, minas non effugiat: Hæc cùm dixisset, & si quis in tunica remanserat puluis, eum excussis-

Eius iniuriā vlciscitur Deus.

set, processit fidenti animo. Cùm hæc annunciarentur Imperatori, simul etiam sua sponte cecidit turris palatij, perindè àc si per res inanimas arrogantem & insolentem hominem Deus vellet erudire. Quænam autem ab accedente sancto facta sunt miracula, (quomodò enim ex vrbe cum eis est egressus, ità etiam ingredientem ipsa rursùs sequebantur, quodammodò ipsa, vt ità dicam, Dei virtute famulum deducente) cùm ex his pauca, eaque propter satietatem, veluti cursìm adduxero, transibo ad ea, quæ supersunt.

Cap.47. Quædā eius miracula.

Duo quidem ab ipso adolescentes primùm sanantur, qui vexabātur à dæmonibus. Deindè mulier quædam alia fide Chananæa, quæ habebat filiam, & veluti æstuantis

Matt.15.

animi testes lachrymas profundebāt ex oculis, & per eas quærebat curationem, sanam quidem accipit filiam: lætitiam autem referens pro mœrore, domum redijt. Deindè cùm sanctus per mediam procederet ciuitatem, patricius quidam ex senatu,

Luc.19.

qui ipse quoquè Zacchæum est imitatus, cùm eum feruenti fide domo sua accepisset, Zacchæo quoquè similem consecutus fuit benedictionem. Postquàm autem fuit in ipso maximo Dei templo, & simul versatus fuit cum Patriarcha, qui ipsum cum magna simul lætitia accepit & honore, hîc quoquè alijs quidem noua, sibi verò

solita

solita facit miracula. Serpens, qui alicundè prorepserat, & se magni Danielis pedibus per spiras inuoluerat, erat terribile spectaculum: & cùm ad eum defendendum, qui aderant, accurrissent, illos quidem insimulat timiditatis: ipse autem serpenti audacter ac fidenter minatus, cùm ei tanquàm ministro magna imperâsset authoritate, Vade, inquit, & tuas latebras repete, & specus subterraneos. Ille verò perindè vt qui non posset contradicere, statim repit ad parietem, & in conspectu omnium disrumpitur. Vide sancto tum magnâ authoritatē

Hæc cùm de magno Daniele didicisset mulier Rais, fide quidem feruentissima & maximè pia, gloria aut èualdè insignis, prompto & alacri animo ad eum accurrens, & similiter atquè illa meretrix, illius pedes rigans lachrymis, precibus ab eo contendit vt sibi nasceretur filius. Cùm autem humi deiecta, vidisset eius pedis soleam, exercitatione à tendine discissam, stupet tolerãtiam, & emittit voces Chananeæ similes. dãs enim funiculum, rogat vt cùm circa illius pedem inuolucrit, ei rursus reddat. hæc est, inquiens, summa meæ petitionis. Ille verò primùm quidem non sustinebat. Deindè motus etiam illius lachrymis, & prætereà Episcopi & cæterorum verbis flexus, non solùm cùm funem circũuoluisset, ei reddidit: sed etiam significauit fore, vt ipsa pareret filium, & prædixit etiam nomen filij, Zenonem, dicens, ô mulier, vocabis filium. Et sic quidem sanctus: ego autem nihil dicam ampliùs. Clarum est enim ità euenisse. nihil enim excidebat ex ijs, quæ ab illo prædicebantur. Proptereà sanctum quoquè timens Imperator, & ei omninò repugnare declinans, eum aggreditur arte & blanditijs: & cùm ipse sæpè eum, & per multos, vt ad ipsum veniret precatus, non persuadebat, ipse ad eum venit, & ritu supplicis adorat, & illius pedes præhensat, rogans vt sibi detur venia. Ille autem (Quis enim ad ea videnda erat ipso perspicacior) illum quidem multis tunc probris insequitur. Deindè etiam aperit id, quod multos latebat: Humilitas illa, dicens, & contritio est artificiosa simulatio, densa pelle tegens importunitatem eius & immanitatem: sed citò videbitis, qui omnia perspicit Dei oculum, & validam manum, quæ etiam potentes deijcit. Atque cùm sic quidem sanctus tam multa fecisset miracula, Deique vertisset & profligâsset hostem, & res Ecclesiæ benè constituisset, quinetiam futura prædixisset, reuertitur ad columnam, & certamina ac labores magno & forti animo suscipit. Cap. 48. Luc. 7. Matt. 15. Prædicit fœminę partũ. En vt illum veretur eũ impius Imperator. Reuertitur ad suam columnam.

Non multum interfluxit temporis, & Basiliscus quidem, vt à magno prædictum fuerat Daniele, à regia expellitur, & Zeno rursùs sceptra tenet: & finē acceperunt eius prædictiones: & ad magnum Danielem venit Zeno cum vxore, videns quidem conuenientes exitus prædictionum: euentu autem dignas redditurus gratias. Iam verò finem quærente oratione, & cum magni Danielis vita volente simul requiescere, in illius miraculis adhuc parumpèr iucundè immorabimur. Vir quidam artificio aurifex, habebat puerum, qui septimum quidem iam annum attingebat, nondùm autem poterat ingredi: sed serpentium ritu ventre vtens, se mouendo reptabat. Sumpserũt eum parentes, & posuerunt ante columnam: ipsi autem infrà miserabiliter & flebiliter eiulantes, ipsos quoquè qui videbant, prouocabant ad lachrymas. Sanctus verò ex alto despiciens, cùm partim quidem increpando, partim autem admonendo eorum luctum sedâsset, iubet vt perseuerent in sacra æde Simeonis, & venerandis vtantur reliquijs, & ea tanquàm aliquod soluens medicamentũ, morbo vinctis imponant pedibus. Dixit, & facta sunt: & septimo die cùm de more precatio fieret à beato, (ô admirabilium operum opifex Domine) vident statim puerum salientem, & gradus ascendentem, & columnam amplectentem. Cap. 49. Basilisco pulso, Zeno redit ad imperium. Obserua quo pacto sanetur puer claudus.

Quidam alius iter faciēs ab Oriente, incidit in latrones: qui cùm ei plagas, vt cum sacra dicam scriptura, imposuissent, quæ secum habebat, auferunt: quinetiam cùm eius genuum neruos execuissent, relinquunt semimortuum. Eum quidam viatores cùm vidissent sic iacentem, & benignè sustulissent, ferunt in propinquam ciuitatem Ancyram, & id ciuitatis Episcopo significant: à quo multorum medicorum traditus manibus, cùm ad eum curandum ab eis adhibitum esset omne studium, sanatur quidem vulnera, sed nequaquàm restituitur ad hoc, vt posset ingredi. Nondùm enim is reuerà sacram anchorã appræhenderat Danielem. Cùm multis ergò lachrymis persuasisset Episcopo, vt ipsum ad magnum mitteret Danielem, (hac enim de causa iurabat se iter esse ingressum) tanquàm onus inanimum impositum iumentis, ducitur ad sanctum. Deindè columnæ impositus, quid non ad mouẽdam dicebat misericordiam? quas non vel maximas afferebat lamentationes? Clamabat, lachrymabatur, mani- Cap. 50. Luc. 10.

manibus petebat, oculis reuocabat in memoriā iter propter eum susceptum, ostendebat mala, quæ acceperat à latronibus. Sed hîc mihi considera, quàm esset hic magnus à fastu alienus, & quantùm oderat gloriam: & quemadmodùm in fugiendo honore tantum posuerit studij, quantùm alij ad gloriam consequendam feruntur cupiditate. Vt enim alij adscriberent curationem, eos transmittebat ad Simeonis oratorium: etiamsi maior ad ipsum ex eo rediret gloria. Sed reuertendum est, vndè digressi sumus. Postquàm enim ille portatus fuit ad templum Simeonis, ad quod iussus fuerat, & quod ex reliquijs sumitur, oleo quotidiè vngebatur, iam quidem erat sextus dies circa auroram, cùm staret magnus Daniel ad cantica matutina, idem huic quoquè accidit, quod priori: nam & repentè consistit supra pedes, & cursìm gradus ascendit, & columnam amplexus, Deo & eius ministro agebat gratias. Sed cur non dico id, quod est maius? Quidam Hippasius, & authoritate & fide Centurio, sicut erat is, qui celebratur in Euangelijs: Hic ergò si quandò vidisset aliquem ex familiaribus, aut cognatis, aut filijs, aut seruis morbo implicatum, à sancto scriptis verbum solùm requirebat, & ægrotanti imponens epistolam, statìm morbum tanquàm aliquem fugitiuum fugabat. Cùm vnius adhuc meminero, accedam, ad magni Danielis migrationem.

Egregia sancti viri humilitas & modestia.

Debilis ab infirmitate curatur.

Matt. 8.

Mira vis epistolæ à B. viro scriptæ.

Cap. 51.

Mulier quædam habens filium, duodecim annos natum, ab ortu mutum: ea, inquam, cùm latenter accessisset, & in sancti mandra charissimum posuisset, cum bona spe recedit. Vident itaque monachi puerum, & cùm eum sumpsissent, ducunt ad sanctum. Ille verò cùm eum solùm vidisset, iussit vt cum eis versaretur, futurus ipse Dei minister. Postquàm autem significârunt beato puerum esse mutum, iubet illius linguam vngi oleo sanctorum. Quis præterierit ea, quæ sunt posteà consecuta? Suspicantur matrem propter paupertatem mentiendo dixisse filium esse mutum, vt ex eo aleretur filius: & accedentes, alij quidem ei incutiebant terrorem, vt sic conturbatus loqueretur: alij autē telis pungebant dormientem, aut lignis acutis, & repentè è somnis excitabant, vt clamâsse, & aliquid interìm dixisse deprǽhenderetur. Is verò cùm vellet ipse quidem multa dicere præ dolore: valido autem morbi vinculo linguam haberet præpeditam, erat mutus, ore cordis multa loquens ad Deum. Venit dierum primus & præcipuus: & cùm Diaconus Christi Euangelium esset de more lecturus, cùm primùm nomen Euangelistæ effatus est populis, omnes puer præueniens, dixit pura & maxima voce, Gloria tibi Domine: & sic deincèps per totū sacrum ministerium perseuerauit simul cum populo canere & respondere. Atque multa quidem alia à magno Daniele gesta sunt, quæ neque verbis explicari possunt, neque propter satietatem capi auribus.

Puer mutus loquitur.

Cap. 52.

Verumenimuerò sufficient hæc ad ostendendū, quāta ille fiducia esset diues apud Deum, & quanta ei cum illo intercederet coniunctio. Hoc autem solùm dicam, & ea quæ dicta sunt, veluti obsignabo, quòd cum multis & maximis miraculis, tanta erat ei lenitas & moderatio: & nō solùm moderatio, sed vt cum diuino Dauid dicam, contritio & summa humilitas, vt non magìs eum quis admiretur propter operationem miraculorum, quàm quòd cùm talia operaretur, nihil existimaret se plus habere alijs. Quinetiam cùm virtute tantum præstaret, in iudicio de alijs ferendo erat admodùm cautus & parcus. Quàm verò esset in omni re à fastu & superbia alienus, quis dixerit? Eorum autem, quæ supra nos sunt, adeò timebat & cauebat docere aliquid, vt cùm quidam, qui de Theologia lubenter sciscitabantur, quædam etiam absurda proponerent, quæ audebant facere sacerdotes, & ei exhiberent molestiam: Si à vobis quidem, inquit, de Deo disceptant, vobis sufficit chorus Apostolorum, & quæ de Deo disserunt patrum voces: neque opùs est curiosè vlteriùs inquirere. Quòd si de rebus humanis & Sacerdotibus vobis est controuersia, sunt hæc omnia Dei iudicio relinquenda, & ijs, qui ab illo talem acceperunt administrationem. nobis verò satis esse debet, si ab alijs pascamur, & ea consideremus & inquiramus, quæ ad nos pertinent: non autem has superuacaneas & noxias persequamur quæstiones. Et hæc quidem sic habent.

Psal. 50.

S. Daniel ab omni superbia & fastu alienissimus.

Cap. 53.

Oratio autem, cùm iam veniat sanctus ad finem, desitura est ipsa quoquè in silentium. Verumenimuerò cùm hîc quoquè pauca quædam ante finem dixerimus, sic sistemus orationem. Cognouit quidem vir ille propheticus cum reliquis omnibus, suam quoquè ad Dominū migrationem: idque apertè suis prædixit discipulis. Cùm autem præstitutus dies iam appropinquaret, benedictionem eis relinquit in scriptis. sicut

S. Daniel prædicit obitū suum.

ſicut quidam alij facultates: eique deſeruijt ſcriba, & tale fuit eius teſtamentum: Ego, inquit, ô filij & fratres, (ambo enim vos eſtis, tum quòd vos genui ſpiritaliter: tum verò, quòd Deus eſt communis pater omnium) Ad hunc communem patrem iam vado: ſed non orbos relinquam mihi dilectos, deflentes patris ſolitudinem: ſed illi patri veſtri relinquo curam, qui cum vobis omnibus me creauit. Ipſe ergò, qui omnia fabricatus eſt ratione & ſapientia, & deindè cælos quoquè inclinauit, & deſcendit in terram, & mortuus eſt, & reſurrexit pro nobis, ipſe erit vobiſcum. Vt ſapiens quidem, vos ſeruans à maligno: vt Dominus autem, ad ſuam conſeruans voluntatem: vt pater verò, ſi fortè aberretis, benignè reuocans, & ſpiritaliter vlnas vobis extendens. Vt autem qui ſe pro nobis ad mortem tradiderit, vos etiam inter vos inuicèm cõiunget concordia, & efficiet, vt ſitis vnum patri. Sectemini humilitatem, ſeruite obedientiæ, amate hoſpitalitatem, ieiunium, vigiliam, paupertatem, & quod eſt primum & maximum præceptum, charitatem. Quæ ad pietatem pertinent, rectè tenete. Hæreticorum zizania cauete: à matre veſtra Eccleſia minimè ſeparemini. Si hæc omnia feceritis, eritis virtute perfecti.

Teſtamentum eius. *Pſal. 17.* *Matt. 22.* *Præclara inſtitutio.*

Hæc p:js labris dictauit, & iuſſit legi ab omnibus monachis, ſtantibus ad ſcalarum gradus, & deflentibus illius ſeparationem. Dicitur autem hoc viſum eſſe circa eum: nempe tribus diebus ante mortem, iam media nocte concurriſſe & ad eum conueniſſe ſanctos, qui fuerunt à ſeculo, Prophetas, Apoſtolos, martyres, & omnes deniquè ſanctos, qui & magnum benignè ſalutârunt, & iuſſerunt eum diuinum celebrare myſterium. Quod quidem celebrauit, & intemerata ipſa ſumpſit ſacramenta, & ijs quibus par erat impertijt. Atque iam quidem magnus extremum agebat ſpiritum, & ipſe Antiſtes Epiſcoporum (is erat Euphemius) iam enim mortuus erat Acacius, cum alijs veniebat ad emigrationem. Aderat autem Rais quoquè fideliſſima: & vir quidam, qui poſſidebatur à dæmone, pergebat ad columnam: qui & ſanctorum ad ſanctum aduentum clamando apertè ſignificabat, & eos ſuis appellabat nominibus: & ipſorum, vt qui conueniſſent, meminerat Angelorum. Deindè etiam adijciebat, fore vt tertia hora huius diei ipſe Daniel excedat ad Dominum, & à diuturna habitatione immundus expellatur ſpiritus. Quæ vtraque ſuo tempore euenerunt. Quæ prius dicta eſt autem Rais, magnificè parabat ea, quæ pertinebant ad ſepulturam: & cùm multos adduxiſſet artifices, & iuſſiſſet fieri tumulum in inferiori parte baſis columnæ, & vſque ad faſtigium, ſtatuit ex vtráque parte tumuli homines, qui faces ferrent, & lampades tenerent manibus, & ea canerent, quæ cani ſolent in deceſſu. Cumque illa corpus infrà detuliſſet, in plumbeo id ponit loculo: in hoc quoquè ſeruans magni Danielis teſtamentum. Ille enim mandauit diſcipulis, ſeu Imperatores, ſeu reges, aut vlli alij, ſe inuicèm ſuperare cõtendant in loculi ſumptu & magnificentia, nolite ſuſcipere: ſed illic & ſic corpus deponi ſinite, vbi & quomodò voluërit Rais fideliſſima. Hæc ergò peracta ſunt, & expulſus eſt immundus dæmon, cùm multùm hominem diſcerpſiſſet.

Cap. 54. *Sancti inuiſunt deceſſurum.* *Feliciſſimè exit è corpore.* *Honorificè admodùm ſepelitur.*

Porrò autem quædam quoquè alia effecta ſunt miracula. Tres enim per ſtellas Cruces, cùm dies eſſet, & Sol luceret clariſſimus, cum ſumma pulchritudine & ſplendore dicuntur apparuiſſe, & ſtetiſſe ſuper precioſum illum loculum. Quinetiam volâſſe columbæ candidiſſimæ, quæ cum eo ſemper eſt, gratiam ſpiritûs ſignificantes. Sic ergò ſacrum illud corpus Danielis, depoſitum fuit manibus primi pontificis. Rurſùs illi quoquè fuerunt impoſitæ reliquiæ trium puerorum, qui erant Babylone, cùm ſic iuſſiſſet ſanctus, nè tam illius reliquias, quàm eos, qui erant ei impoſiti, adorarent accedentes. Sic ſanctus ab humana gloria ſtuduit oſtendi alienus etiam poſt deceſſum. Talis fuit vita magni Danielis ab ortu vſque ad deceſſum: Talia eius ſunt benefacta. Qui cùm obijſſet omnem exercitationem, & omne genus certaminis, & tam multis clarus fuiſſet operibus, effectus plenus dierum, tam humanorum, quàm ſpirltûs, in ſenectute bona excedit è vita, cùm ad octogeſimum annum perueniſſet & menſes tres.

Cap. 55. *Tres Cruces apparent.* *Magna ætas eius in tãta vitæ duritia.*

Aiunt autem eum quoquè capillis capitis proceſſu temporis adeò euaſiſſe comatum, vt quadruplici quidem coma diſcriminarentur: longitudo autẽ eorum, ad quatuor cubitos produceretur. Barba quoquè erat ei denſa, quæ ipſa quoquè bifariàm diſcriminabatur. Atque ille quidem cùm ſic vixiſſet, requieuit: nobis autẽ pulchrum exemplar ſuam reliquit vitam, non ſolùm vt laudemus, aut etiam vt admiremur: ſed vt pro viribus quoquè imitemur. Laus enim ad eum fertur ſolum: Imitatio autem

Cap. 56.

autem facit, vt simus etiam participes bonorum, quæ ei debentur: gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria & potentia cum patre eius, qui caret principio, & sanctissimo & bono & viuifico eius spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

DE SS. Epimacho & Alexandro, necnon Ammonario virgine & sociabus, quærat Lector suprà 8. Decembris in historia sanctorum martyrum Alexandrinorum.

VITA ET CERTAMINA SANCTI PATRIS NOSTRI SPIRIDONIS ARCHIEPISCOPI TRIMMY-*thuntis, authore Simeone Metaphraste. Habetur in Tomis Aloysij. Nos capita margini adiecimus.*



Decẽbr. 12. vt in Metaphraste habetur. Latini autẽ habent eũ 14 Decembris. Cap. 1. AD vtilitatem animæ res est maxima, vita generosorum & piorum virorum, & quæ potest parare magnas opes virtutis. Non solùm enim resecat id, quod est deterius: sed etiam magnam efficit mutationẽ ad id, quod est melius. Siue enim fuerit aliquis vitijs præoccupatus, talibus fruens narrationibus, faciliùs ab eis se continet. Siue sit aliquis virtutis studiosus, audita historia, exurgit alacrior: & amore eius, quod est simile, incitatur ad imitationem. Imitatio autem & ęmulatio magnorum & admirabilium virorum quantùm possit, & alij quidem ostenderunt, eorum qui præcesserunt præclarũ virtutis studium imitati: maximè verò omnium, vita admirabilis Spiridonis: qui Iacob simul & diuinum Dauid summè est æmulatus: & sicut illi, amplexus est lenitatem ac mansuetudinem, & à simulatione alienam simplicitatem: similiter verò ad Abrahami adspexit hospitalitatem, & suas facultates effecit communes indigẽtibus. Hincque factum est, vt non terræ, propter mansuetudinem, vt habet promissio, sed ipsorum cælorum assequeretur hæreditatem: & propter diuitias, quas despexit, * Christum planè diuinas comparârit diuitias: miraculorum autem dilatatus sit fluuijs, qui semper quidem hauriuntur, nunquàm verò desinunt.

Gen. 25. Psal. 131. Gen. 18. Psal. 36. Matt. 5. for. * Christi

Cap. 2. Patria S. Spiridonis. Eum tulit quidem insula Cyprus: erat autem non garrulus aliquis, neque vrbanus & elegans moribus: neque qui multitudine & foro delectabatur: sed simplex & quietus, & à negocijs curisq; remotionem colens, si vllus alius. Quocircà ad Patriarchę Iacob vitam se omninò effingens, sicut diximus, fuit ipse quoquè pastor ouium: non tamen omninò pastor, aut nimia simplicitate, aut feris & agrestibus moribus: sed commodis & valdè facilibus, & qui à vulgi quidem se abducebat congressione: pauperibus autem & hospitibus tam facilis ad eum patebat aditus, & se eis tam præbebat affabilem, vt esset omnibus hominibus in sermone iucundior, & ad facultates suas cõmunicandas longè liberalissimus. Præterijsse certè aliquem ex ijs, qui accedebant, qui non fuisset ab eo hospitio acceptus, erat ei longè molestissimum, perindè acsi re aliqua maxima & quæstuosissima esset fraudatus. Et erat quidem alioquì ei liber animus, & alienus ab omni illiberali assentatione & humilitate: ad eorũ autem, qui iter ingrediebantur, labores recreandos, & ad pedes qui erant fatigati, abluendos, & ad mensam apponẽdam, & alia administranda iure amicitiæ & moderationis, erat adeò dexter & officiosus, vt ipse solus hoc magìs præstaret, quàm famuli, qui sunt in suos dominos maxima præditi beneuolentia. Erat enim ei contemperata cum grauitate quidem simplicitas: cum animi verò magnitudine, lenitas: cum intensa autem & ardenti charitate, grata florebat temperantia: quam non minùs dilexit, & ardenter est amplexus, quàm reliqua omnia: vt qui cum legitima quidem & pudica vxore non diù versatus, & liberorum pater ex ea effectus, deincèps voluptate & omni alia mundana cupiditate permansit superior. Hinc mel virtutis conficiens diligentiùs, & in lege Domini studiosè meditans, benignissimus euasit & clementissimus. Et vt semèl dicam, erat Spiridon diuinum virtutũ exemplar archetypum: habens quidem omnes in se scriptas, sed ad quarum imitationem pauci poterant accedere.

Mira eius affabilitas & liberalitas. Insignis hospitalitas. Egregiæ ei⁹ animi dotes

Cap. 3. Cùm sic ille resplenderet benefactis, magnamque vitam & insignem attulisset, multa

multa quoquè dona maiora consequitur, tam quæ sunt hîc, inquam, quàm quæ futurorum describunt magnitudinem. Hæc autem erant: Morbo cōfecta confirmabat corpora, membrorum mutilationes sanabat incurabiles, malignos increpabat spiritus: quos cùm primùm increpâsset, nulla mora interiecta fugiebant, & statim recedebant: alia quoquè ab eo fiebant his maiora, virtute diuina ei opem ferente. Quamobrèm ex pastore constituitur pastor, loco ouium cura gregis ei commissa, quo tempore magnus Constantinus Romanorum tenebat imperium, Trimmythuntinorum creatus Episcopus. Quantam autem, postquàm perductus fuit ad sedem, virtutis curam gesserit, ostendent, quæ similiter à sedem adepto facta sunt miracula. Verumenimuerò omnia illius persequi, stulti & inerudititi fuerit hominis: neque verò id quis assequi potuerit: quomodò etiam omnia prætermittere, nimìs magnum damnum attulerit. Quæcunque autem & dici possunt, & auditu valdè sunt vtilia, ea dicam.

Miraculis coruscat.

Fit Episcopus Trimmythuntis.

Castigabat Deus insulā pluuię egestate, & grauis premebat siccitas: & siccitatem quidem consequebatur fames: famem autem pestis. & populi quidem magna pars iam interiërat: altera verò id mox credebatur passura. Opùs autem habebat illud malum omninò aliquò Elia, aut alio illi simili, qui cælum aperiret oratione. is verò erat Spiridon. Nam cùm plaga grauiter vrgeret, & populum valdè persequeretur, ipse pro grege magnum capiens angorem, & paternis inflammatus visceribus, rogat quidem vt clemens Deum clementem. Ille autem statim implet cælum nubibus ex extremo terræ: & quod est mirabile, nè aliquem motum elementorum existimaret consequi pluuiam, Deus eas procùl ostendit. Sistit autē, non priùs permittens eas ascendere insulam, quàm sanctus eum rursùs oraret. Nondùm enim ille guttam emiserat lachrymarum, & protinùs multa erupit pluuia: & pinguescit quidem terra: aluntur autem fructus, & crescunt segetes, & omnia simul mala soluuntur. In hoc Spiridon fuit ipso Elia, vt aliquid dicam audacter, benignior. Nam Elias quidem cùm pluuiam retinuisset, deindè rursùs remisit: Ille verò primum non imitatus, existit ei par in secundo. Et hoc quidē est eiusmodi. Alterum autem est illo nihilo inferius.

Cap. 4. Siccitas, Fames, Pestis in Cypro.

3. Reg. 18.

Efficacia precū S. Spiridonis.

3. Reg. 17. & 18.

Affligebat rursùs communis calamitas, & fructum non ferebat insula. Frumentarij autem & frumenti cauponatores, in tantis Dei minis volentes frui delicijs, & tempore callidè & malitiosè vtentes, magis augebant calamitatem, frumēti, vt dicit scriptura, trahentes & augentes precium: & è propinquorum malis impium sibi lucrum parantes. Ad vnum ergò horum diuitum cùm quidam pauper accessisset, & pecunias quidem non haberet, quibus emeret, quæ erant sibi ad vsum necessaria: lachrymas autem, quas pròh dolor habebat, euolueret, & flebiles voces miserabili habitu & obtutu emitteret, illum inflexibilem conabatur flectere, pedes prensans, totam domum complens eiulatu: Quid non faciens, quid non dicens, quod posset attrahere ad misericordiam? Postquàm autem nihil horum omninò lapideam illam animam mouit ad miseratione, vnum refugium inuenit pauper, nempe sanctum. Ad quem cùm accessisset, & suam inopiam, & summam diuitis refert egestatem misericordiæ. Cùm is autem hoc audijsset, misertus quidem est calamitatis: diuitis verò odio habuit inmanitatem: & velutì à Deo afflatus, prædixit inprimìs propheticè: Tu autē nec gemas, nec lachrymeris. Tua enim domus cràs abundabit bonis: qui autem nunc est diues, simul erit & miserabilis, & irridebitur, & inuitus tibi cedet ijs, quibus eges: promptoque & alacri animo rogabit, vt accipias. Hæc pauper putabat sanctum quidem solùm dicere ad consolandam, qua premebatur, calamitatem. Vndè etiam abibat tristis, vt qui sacram anchoram, nempe eam, quam in magno Spiridone spem habebat, inuenisset inanem & irritam.

Cap. 5.

Amos 5.

Prophetia eius.

Cùm nox autem iam aduentâsset, Deus quidem annuit: repentè verò cælum aquam effundit in terram, tanta copia & tanto impetu, vt diuitis vna attraherentur horrea: frumentum autem & omnis alius fructus sparsìm eijceretur, & iacéret paratus ad rapiendum volentibus. Orto autem die, diues quidem miser, & luctu plenus, & huc & illuc circuncursans, & iustam deflens calamitatem, rogabat eos, qui accedebant, vt sibi opem ferrent ad fructus colligendos. Cùm multi verò, vtpotè esurientes, ad rapiendum concurrissent, accedit etiam ille pauper, miraculo quidem obstupefactus: pauperem autē irridens suauissimè & meritissimè, & domum

Cap 6. Vide admirabile Dei iudiciū in diuitem inhumanum.

replēs fructibus,& omnia nullo negocio habens, vt dicitur, nec seminata, nec arata. Deindè cùm confluentem videret multitudinem sæuus ille & immisericors, (oportebat enim nihil manere imperfectum eorum, quæ prædicta fuerant à Spiridone) & res omnes illius securè ambabus haurire manibus, & eum quoque, qui heri fuerat supplex, vnà cum reliquo populo abundè, sicut diximus, frui ijs, quæ iacebant, perindè àc ei sua sponte dare volens, liberalisque esse & munificus, qui sordidissimus erat & parcissimus, iubebat eum ad satietatem accipere ex ijs, quæ aderat. Ille autem satis irrisa eius ignorantia, domum est reuersus, Deo præcipuè, deindè etiā Spiridoni id accepto ferens. Sic sciebat Spiridon, non solùm propter multos, sed etiam propter vnum supernos sæpè aperire fontes: & simul quidem prædicere tempus, quo hoc esset futurum: simul autem pauperibus quoque prodesse, & castigare diuites. Nam etsi parcus ille nihilo melior euasit, vt iam dicetur: multis tamē similibus fuit occasio, vt emendarentur. Hæc quis ex præsentibus non lubenter audijt? Quis autem cùm audiuisset, non fuit alia quoque audiendi auidior, & cupijt scire? quisnam erat adeò ignauus aut inuidus, vt sitientem animam tali priuaret alimento?

Diuitis istius castigatio, multis præbet emēdatiõis occasionem.

Cap.7.

Alius autem agricola, viro sancto familiaris, cùm fame valdè premeretur, abijt is quoquè ad inopem illum diuitem, adhuc habētem alia multa horrea plena frumento, existimans illam priorem eum omninò castigâsse calamitatem. Visus est autem ille frumētum quidem amisisse: parcitatis verò, & quæ in diuite inerat, crudelitatis nihil omninò dimisisse, neq; omninò seipso euasisse melior: etsi polliceretur se tempore æstiuo id, quod datum fuisset, redditurum cum accessione. sed ille dicebat id, quod dicitur, spem pascere insipientes. Tu autem, inquit, absque pecunia non granum vnum, immò ne vnius quidem grani vmbrā accipies. Cùm itaque hic quoquè pauper desperâsset, imitatur præcedentem, & tanquam ad comunem thesaurum confugit Spiridonem, & ei renunciat quæ esset passus, & quæ diuitem rogans, ab eo audijsset. Ille autem cùm tunc quidem eum satis esset consolatus, domum dimittit. Neque tamen verbis tenùs sistit consolationem: sed sequenti die magnus Pontifex venit ipse ad pauperem, auream quandam secum afferens speciem non leuis ponderis: quæ quænam esset & vndè, & quomodò inuenta sit à sancto, declarabit paulò pòst oratio. Cùm tunc autē magnus Spiridon eam immisisset in manus pauperis, Accipe, inquit, & cùm diuiti gratum hoc pignus præbueris, quæ tibi sunt necessaria ad vsum, ab eo accipe. Hoc cùm accepisset pauper, lætatus est, & quanta maxima potuit celeritate contendit ad diuitem. Deindè cùm vidisset ille id, quod erat in manibus, qui paulò antè erat durus & inexorabilis, & cuius aures ad preces obsurduerant, statìm flectitur ab oculis, euaditque iucundus & benignus: cumque id accepisset, eum tam copioso frumento impertitur, vt & domum suam impleret, & ad deijcienda semina in ijs, quos habebat, agris datū sufficeret. Quod autem deiectum fuerat, fructum produxit tam multiplicem, vt & ei qui dederat, debitum reddiderit, & aurum ei datum pignori, receperit: & ad sanctum rursùs grato animo retulerit.

Diues inhumanus, licèt castigatus, sui similis manet.

Attēde auri sacram famem in diuite isto.

Cap.8.

Sed sic quidem pauper debitū: vult autem oratio quoquè id, quod debet, exoluere, & ostendere id, quod erat pollicita, quidnam erat priùs aurum, & vnde etiam fuit sumptum. Cùm eum recepisset sanctus id, quod datum fuerat, Adesdum, ô frater, ait pauperi: & reddamus, inquit, communiter ei, qui benignè commodauerat. Sic inquit, & cùm eum accepisset, ducit ad quendam hortum, qui magni inediam quibusdam paruis recreabat oleribus. Qui cùm in ipso aggere cōstitisset, ac sepem attigisset, in cælum sublatis oculis, Domine mî Iesu Christe, effatus est, eo audiente, qui aderat, qui sola voluntate omnia creas & transmutas: qui aliquandò Mosi virgam, vidente Rege Aegypti, in serpentem conuertisti: ipse hoc quoquè aurū, quomodò ex animante priùs in hanc mutâsti formā, ità nunc quoquè annue, vt reuertatur in eam formam, in qua erat ab initio: vt hic quoquè sciat, quàm tu nostri curam geras: & rebus ipsis discat id, quod est in diuina scriptura, quòd quæcunq; vult Deus, fecit omnia. Cùm ità esset precatus, (Quis, ô Domine, dixerit magnitudinem miraculorum tuorum?) aurum erat serpens, spirans & repens, & circà sepem mouebatur & voluebatur: ex qua primū sumptus sancti manibus, admirabiliter mutatus fuit in illud aurum. Hoc cùm præter omnem humanam cogitationem adspexisset agricola, tremore correptus, pronus cadit in faciem, & capiti adspergit

Exod.7.

Psal.134.

Vade rē admiratione dignam.

pulue-

puluerem, lachrymas emittens ex oculis, & se esse indignum non solùm tali dono & gratia, sed vel solo spectaculo, immò verò auditione. Verumenimuerò eũ quidem sanctus erigit, & ei animum simul & corpus corroborat. Serpens autem interìm per sepem transiens, subijt cauernam, quam habebat ab initio. Miraculum omninò nulla opùs habet oratione ad amplificationem. ex ipso enim satìs ostenditur, quale sit: & arte omninò non indiget natura, quæ propriam habet exuperationem. Dicatur autem id quoquè, quod consequitur, quod est cognatum prioribus, & eiusdem gratiæ & potentiæ.

Alius, qui erat ipse quoquè sancto amicus, (erat autem virtutis studiosus, & ideò improbos homines mouerat ad inuidiam, & aliquorũ criminum accusabatur per calumniam) compræhensus à Præside ciuitatis, conijcitur in carcerem: protinùs verò damnatur capitis. Cùm autem propè esset dies pręstitutus, præuenit sanctus, qui hoc præsciuerat, & festinat liberare amicum à calamitate: erat verò tunc hyems vehementissima: & qui præterfluebat torrens, cùm valdè inundâsset, & è suis esset effusus limitibus, ei valdè fluebat in transitu: neq; poterat omninò transmitti. Ille autem Iesum Naue, & quæ ille fecerat, mente versans, & arcæ transitum reputans, & credens eundem esse sicut erat, Deum: & perindè atquè seruo vtens torrente: Sta, inquit: communis hoc tibi imperat Dominus: & ego transibo: Vir autem seruabitur, pro quo properamus, & multas Deo preces fudimus. Sic dixit, & quod dictum fuerat, protinùs fit compos fluuio, & sistit fluentum: cedit verò via non solùm Spiridoni, sed alijs etiam viatoribus. Decætero nihil ampliùs illis malum occurrit & dubium. Quod ergò ab eo factum est transeundo, non fuit minùs admirabile, quàm id, quod instituerat facere. ex hoc autem illud quoquè faciliùs & meliùs est perfectum. Nam cùm qui cum eo ambulabant, vidissent quod factum fuerat, eum præcurrentes, & venientes quamprimùm in ciuitatem, fiunt præclari præcones eius, quod factum fuerat: & Præses partim quidem stupefactus, partìm autem timore correptus, nè virum qui talia potest, cerneretur offendere, repentè eius amicum relaxat è vinculis, & cum sancto largitur. Is autem eo accepto est reuersus, cùm ex vna causa duo effecisset: nempe fluenti quidem repressisset impetum, hominem verò benignè liberâsset à calamitate. Atque quòd ad prophetiam quidem attinet, aut miracula, aut in ęrumnis commiserationem, nihil arbitror esse maius ijs, quæ dicta sunt.

Cap. 9. *Vir bonus falsò delat damnatur capite.* *Iosu. 3.* *S. Spiridon cogit fluuiũ sibi præbere iter.* *Liberat suo aduentu damnatũ capite.*

Oratio autem adhuc ampliùs ijs, quæ dicta sunt, parata est ostendere, quod spectat ad prophetiam simul & commiserationem: quòd, inquam, peccata hominum videret ex occulto, & ea remitteret, animi benignitate & gratiæ abundãtia. Vbiquè suos mores seruabat magnus ille Spiridon: delectabatur maximè tenuitate & frugalitate, vt qui vellet suum imitari Dominum. Neque enim equo vtebatur iter ingrediendo, neque se remouebat ab omnium sermone & congressione, tanquàm qui ex eo videri vellet grauior & seuerior. Cùm ergò aliquandò vehementer ambulâsset, & defatigati essent pedes itineris longitudine: & à quodam suorum amicorum, & bona sui gregis pecude hospitio esset exceptus, ipse tanquàm ouis boni pastoris, & qui ad illius vitam tanquàm pulcherrimum exemplar intueretur, magistri, vel potiùs Domini & primi magistri Christi, ostendit moderationem. Nam cùm accepisset aquam, & eam in lauacrum immisisset, paratus erat sancto lauare pedes. Qui autem erant in vicinia, cùm sensissent sanctum accessisse, ipsi quoquè concurrerunt, & volebant nihilosecciùs hocipsum facere illius pedibus: eamque rem ducebant huiusmodi, vt de ea re esset inter eos decertandum, & inter se contendebant de benedictione.

Cap. 10. *Tenuitate & frugalitate admodũ delectatur.* *Obseruãtia subditorum eius erga ipsum.*

Inter eos autem erat etiam quædam mulier, quæ complures in hoc certamine superabat, vrgebatque, & hoc maximè volebat facere. Ea verò fuerat haud ità pridem capta carnali amore, & victa, pròh dolor, à peccato. Ipse autem reuerà in cor intuens, & vt qui sciret, quemadmodùm res eius se haberet, sensim quidem auertit mãsuetam illam & suauem suam faciem: sensìm verò ei quoquè dicit, Nè me tangas, mulier: Non, vt dixerit quispiam, sibi placens & se magnificè circunspiciẽs, aut mulierem abominans, (Quomodò enim, qui erat illius discipulus, qui vescebatur cum publicanis, meretricibus, & peccatoribus?) sed eam pudore afficiẽs, & turpem ei actionem reuocans in memoriam, & sic eam placidè vocans ad pœnitentiam: quod quidem est ab eo perfectum, & scopum est assecutus. Quo enim illa magis

Cap. 11. *Nouit occulta hominũ peccata.* *Matth. 9.*

 conten-

cōtēdebat facere,quod ſtudebat,magiſque vrgebat & inſtabat, ille eo acriùs eam tetigit,apertè dicens id,quod illa fecerat. Tunc ipſa ſapienti quidem repræhenſione animo ſauciata,obſtupefacta autem,quòd qui ſub oculos non cadebant,animæ liuores adſpexiſſet,non ampliùs quidem aquis,lachrymis autem pedes emundat, & contrito corde enunciat id,quod factum fuerat. Quid ergò? illa quidem ei ea, quæ meretrix: ipſe autem ea,quæ Dominus, ei dicit liberrimè: Confide,filia: dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Et rursùs: Eccè ſana facta es: noli ampliùs peccare: ſimul & morbum curans,ſicut ſapientes medici,& prouidens nè rursùs in eadem incidat. Atque ſic illa quidem curationem aſſequitur pulcherrimè & vtiliſſimè, vt non ſolùm ei eſſet ſanitas immutabilis: ſed etiam alijs narrās, multis eſſet occaſio conſequendæ ſalutis.

Luc.7. Ioan.5.

Cap.12. Quoniam autem ex miraculis quidem ſumitur de vita coniectura, oportet verò declarare, qualis eſſet ei zelus circa fidē, hoc indicabit id, quod eſt propoſitum. Quandò Romanis imperabat magnus ille Conſtantinus, & primus inter Imperatores Chriſtianus, conſul autem erat Paulinus & Iulianus: à regno verò Alexādri Philippi filij agebatur ſexcenteſimus triceſimus & ſextus annus, tunc Niceæ congregata fuit inſignis illa patrum ſynodus: vt Arrium quidem deponerent, qui rem creatam impiè nominabat filium: decerneret verò filium eſſe eiuſdem eſſentiæ cum patre. Erant autem ex ijs quidem, qui eius ſuffragabantur blaſphemiæ, primi & maximè inſignes, Euſebius Nicomediæ,& cum illo Maris & Theognis: quorum hic quidem Niceæ, Maris autem erat Epiſcopus Chalcedonenſis. Iſti, Arrio duce illius inſaniæ, Dei filium & Deum, creatum eſſe (ô inſaniam) improbi & ſcelerati homines decernebant. Eorum autem,qui pro pietate decertabant principes, quorum & doctrina ſimul & vita erat præſtantiſſima, erant hi: Magnus inter ſanctos Alexander, qui erat presbyter, tunc verò vicem gerebat beati illius Metrophanis, vt qui ipſe non adeſſet: quòd abeſſet autem, cauſa erat morbus: & clariſſimus ille Athanaſius, qui nondùm ſacerdotali ſede erat decoratus: ſed in Eccleſia Alexandrina munus obibat Diaconi. Quocircà nō parua in eos irrepſit inuidia,quòd cùm nondùm dignitate præſtarent, in ratione fidei alios ſuperarent. Erat autē cum eis quoquè magnus ille Spiridon: cuius vita & quæ cum eo habitabat gratia, erat vtilior ad perſuadendum,quàm linguæ aliorum, & ineuitabiles anſæ ſyllogiſmorum, ſplendidæque & elegantes periodi orationum.

Synodus I. Nicena quādò habita.

Arrij fautores.

Catholici Epiſcopi præcipui.

Cap.13. Cùm autem hic adeſſet,(hic enim iam res eſt iucundiſſima) intereſſent autē ſynodo etiam Philoſophi,cùm ità videretur Imperatori, qui ab ambulando ſe iactabant,& in animos inducente ſophiſtica arte erant ſummè eruditi. Quidam verò vnus inter eos primas partes tenebat in agendo, qui habebat perſuadendi vim inexpugnabilem, & cuius eloquentia linguis celebrabatur omnium. Is congreſſus cum Epiſcopis, fortiter defendebat Arrium, & valdè reſiſtebat, ſuſcipiens eius patrocinium, adeò vt magnam partem populi attraheret ad audiendum, auentem ſcire, vtri ex contradicentibus futuri eſſent ſuperiores. Nihil enim erat adeò ſolutu difficile, quod non ille redderet facilè ſolubile ſua dicendi copia & facultate. Cùm autem ſæpè in arctum cogeretur reſponſio, inſtàr anguillæ elabebatur, furtis perſuaſionis & eſcis ſophiſticis. Erat ergò veritatis & artis contentio: illis quidem, qui veram tuebantur rationem,ſententijs non artificioſè & callidè excogitatis, ſophiſtam ferientibus: hoc autem, tanquàm arma, obijciente varietatem orationis,fallacemque & ſubdolam ratiocinationem, & ea ſe magìs arbitrante poſſe vincere.

Peripatetici, dicti ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, quod eſt ambulare.

Cap.14. Sed nè dicēdi facultatis eſſet victoria, verùm Chriſti & veritatis, alijs viris doctis prætermiſſis, ea fuit Spiridonis viri ſimplicis: qui cùm nihil aliud ſciret, niſi Chriſtum,eumque crucifixum,ſicut ait Paulus: cùm vidiſſet Philoſophum ſe iactātem ſophiſmatibus,& linguam maledicam mouentem contra Chriſtum, & noſtra conantem ſubſannare,accedens petijt, vt ſibi liceret parumpèr cum eo colloqui. Qui autem erant earundem partium,cùm ſcirent quàm eſſet ei ſimplex & priſca pietas, & prætereà quòd Græcorum doctrinam ne ſummis quidem labris guſtâſſet, prohibebant nè veniret in medium,& congrederetur cum ſophiſta. Is verò ab eis minimè perſuaſus, (ſciebat enim quid ſuperna quidem eſſet ſapiētia, quid autem humanæ vires,& quæ inanes redduntur & abolentur) ad virum acceſſit, & dixit: In nomine Ieſu Chriſti, ô Philoſophe, mihi iam quoq; animum adhibe, & audi ipſe quæ volo

1.Cor.2.

volo dicere. Cùm is autem dixiſſet: Tu quidem dic, ego verò audiam. Vnus eſt Deus, inquit Spiridon, cæli & terræ & aliorum omnium quæ intercedũt, opifex. Is eſt, qui cæleſtes produxit virtutes. Is eſt, qui è terra formauit hominem, & omnia conſtituit tam quæ ſub adſpectum cadunt, quàm quæ non cadunt. Huius verbo & ſpiritu productum quidem eſt cælum: producta eſt autem terra, diffuſum eſt mare, extenſus eſt aër, generata ſunt animalia, homo formatus eſt, magnum hoc animal & opus admirabile: omnia facta ſunt, aſtra, luminaria, dies, nox, reliqua omnia. Hoc ergò verbum Dei nos ſcientes eſſe filium & Deũ, ex Virgine propter nos credimus eſſe natum, & crucifixum, & fuiſſe poſtremò ſepultum, deindè etiam reſurrexiſſe. Deindè cùm reſurrexerit, & nos ſimul fecerit reſurgere, & ab interitu alienam & æternam nobis vitam præbuerit, eum dicimus etiam rursùs venturum iudicem omnium: noſtrorumq; factorum, ſermonũ, & cogitationum incorruptum, & qui falli minimè poteſt, iudicem: eum eſſe eiuſdem cum patre eſſentiæ, & ſimul conſidére, & eſſe ei honore æqualem. Non hæc quoquè ità tibi eſſe videntur, ô Philoſophe?

S Spiridon Chriſti virtute ſ[e]ctus, pugnat cu ſophiſta loquaciſſimo.

Ille quidem interrogauit: Philoſophus verò, vt qui non eandem, quam priùs, haberet animam, nec eandem mentem & linguam, quæ tam facilè opponeret & contenderet, auribus quidem fuit attonitus, animo verò obſtupefactus: ei autem vox eſt extincta: & cùm aliquandiù conticuiſſet, nihil aliud habuit quod reſponderet, niſì: Hæc quoquè ità mihi ſe habere videntur. Sanctus autem, Agè ergò, inquit, quoniam hæc tu mecum confiteris, nec factis velis diſcrepare: ſed cùm ſcias, quis ſit Deus, & quis hoc fecerit vniuerſum, ſurge & accede ad eccleſiam, & accipe ſignum rectæ fidei. Hæc poſtquàm audiuit Philoſophus, ſtatim quidẽ mutatus fuit ad accuratam ac perfectam religionem. Conuerſus autem ad diſcipulos & alios auditores eorum, quæ dicebantur: Quandiù quidem, inquit, ô viri, certatum eſt verbis, ego quoquè arte reſtiti. Quandò verò non ampliùs quidem verba, ſed diuina virtus fuit oppoſita, & in verborum ſimplicitate arcanam quandam & ineffabilem oſtendit virtutem, tunc me non pudet eſſe victum. Quinetiam & mihijpſi, & alijs libenter conſuluerim, ſi non ſit aliquis nimìs ſiniſter & peruerſus, aut qui ſe in veritatẽ velit improbè gerere, vt credat Chriſto, & hunc ſenem ſequatur: cui lingua quidẽ omninò eſt hominis, verba autẽ ſunt Dei. Quantũ putatis hoc Arrianis quidem dedecus, pijs autem honorem attuliſſe & voluptatem? Illi autem fuêre ſuperati, cùm omnes ferè quidem rectæ aſſenſi eſſent ſententiæ: ſex verò ſoli relicti eſſent Arrio, futuri mala pars & improba patris mendacij, & ab initio implacabilis inimici veritatis. Tam apertè confutatis ijs, quorum mala erat opinio, reuerſi ſunt Epiſcopi, victoria quidem læti, miraculo autem obſtupefacti, & propter hæc ambo Deum laudantes: nempe quòd & adſpexiſſent admirabilia, & quæ erant præter opinionem: & quòd viciſſent Arrij inſaniam. Porrò autem ipſe quoquè Imperator miraculo omninò obſtupefactus, Spiridonem omni honore proſequitur: & cùm poſtulâſſet, vt per ipſum, Deum haberet propitium, eum domum dimiſit.

Cap. 15. Vide ſtupẽdam vim ſermonum beati viri.

Philoſoph[us] repentè fit Chriſtian[us].

Arriani victi.

Ioan. 8.

Interìm verò dum hæc agitarentur, moritur quidem ſancto filia: quæ nata ei fuerat ex honorabili coniugio, & florenti ætate longè ſpecioſiorẽm oſtendens temperantiam, permanſit virgo toto tempore, res quæ puro ſponſo digna eſt thalamis cæleſtibus. Reuerſus autem magnus Spiridon, cùm eam ità tuliſſet calamitatem, vt par eſt virum talem: ad eum verò, qui paulò antè aduenerat, acceſſiſſet quædam mulier, triſtis admodùm & deflens mirabiliter, quòd apud filiam eius adhuc ſuperſtitem ornamentum quoddam aureum depoſuiſſet: cumque illa celeri morte prærepta eſſet, quod eius fidei creditum fuerat, apud eam manſiſſet, fuit hoc ſancto curæ, (Quidni enim, cùm eſſet animo tam benigno?) & niſì reſtitueretur depoſitum, violatum ius eſſe iudicabat, & ei putabat fieri iniuriam. Cùm ergò totã ſuam domum diligenter ſcrutatus, nuſquàm id, quod quærebatur, poterat inuenire, quidnam fit, & quemnam affert exitum multiplex Dei ſapiẽtia? Accedit ad loculum, ſicut meus Chriſtus priùs ad Lazarum, vt qui omninò eſſet eius diſcipulus, &, quoàd eius fieri poſſet, res illius imitaretur. Multi autem eum ſequebantur ex ijs, qui cum illo verſabantur. Deindè perindè acsì non in ſepulcro, ſed in thalamo adhuc eſſet viua, conueniens filiam, ea ſuo nomine vocata, omnibus qui cum eo aderant audientibus, Filia Irene, inquit, Vbi eſt ornamentum, quod apud te fuit depoſitum?

Cap. 16. Ante Epiſcopatum obijt eius vxor, cuius hæc fuit filia.

Ioan. 11.

 ſitum?

situm? Illa tanquàm ex molli aliquo somno expergefacta, simul sanum seruans & spiritum & vocem: Domine mi, inquit, in hac parte domûs fuit à me repositum autem illud ornamentum. Inuasit post hæc stupor eos, qui aderant. Deindè miraculum etiam sequitur aliud miraculum. Nam perindè acsi ille esset vitæ & mortis dominus, & hoc dono à Christo quē desiderabat honoratus, qui ad breue tempus propter vsum eam viuificauerat, iubet rursùs mori. Dormi deceterò, inquit, filia, donèc communis Dominus te cum omnibus communiter excitauerit. Ipse autem cùm accessisset ad illam filiæ domunculam, &, vt dixerat filia, ornamētum inuenisset & sustulisset, id tradit mulieri, sic & augens miraculum, & eius maiorem fidem faciens. Et hæc quidem in insula.

Obserua stupendũ miraculum.

Cap.17. Vt autem Antiochia quoquè posset videre Spiridonis virtutem & gratiam, & de ea ferre testimonium, hoc quoquè fit valdè mirabiliter, & cōtra opinionem. Quomodò verò, iam ostendet oratio. Nupèr quidem magnus Constantinus, relicto imperio, è viuis excesserat: id autem filij diuiserāt. Et Constantius quidem, cui sorte obtigerat, vt teneret imperium Orientis, in magna vrbe Cœlesyriæ, nempe Antiochia, versabatur. Eum autem grauis morbus inuadit, qui medicorum manus & artem reprobabat. Hac de causa aliorum omnium spe abiecta, eum precabatur solum, qui potest curare animas & corpora. Cùm verò precatione vteretur intensiùs, noctù in visione ei appáret angelus, ostendens ei chorum sanctorum multorum Episcoporum. In quos cùm Imperator defixisset oculos, in medio quidem eorum videt quosdam duos stantes, qui erant ipsi quoquè Episcopis similes: videbantur autem esse duces & præsides aliorum. Cùm eos ipsi ostendisset angelus, solos eos esse dicebat eius morbi curatores. Cùm eum verò dimisisset somnus, considerabat quidem, quinam ij essent: non poterat autem somnium conijcere. Quomodò enim, cùm eorum nec nomen, nec patria ei esset nota? maximè cùm alter eorum, qui apparuerat vt Episcopus, nondùm re vera erat factus: sed quod futurum erat, tanquàm quod iam factum fuerat, apparuerat. Cùm propter hæc ergò esset animi dubius Imperator: & simul quidem visione moueretur, cruciaretur autem doloribus, nesciebat quidnam ageret. Feruor verò fidei illum optimè admonebat, non adeò temerè illam apparuisse visionem. Vndè etiam ei persuadet, vt præclarum & Imperatore dignum, & in præsentia quidem sapientia minimè vacuum, caperet consilium. Quotquot enim Episcopi per vniuersum Romanorum Imperium vitæ ex virtute agendæ curam gerebant, iussit conuenire: vt cùm simul conuenissent, duo quoquè, qui ei apparuerant, ei noti euaderent.

Angelus appáret Constantio Imperatori, grauissimo morbo laboranti.

Cap.18. Missæ sunt ergò literæ per vniuersam regionem, quæ parebat Romanis, & vocabant Episcopos: & quoniam cùm alij accessissent, ij qui quærebantur, nequaquàm agnoscerentur, mittit etiam in Cyprum insulam, accersens Spiridonem, & illius gratiam. Ille autem omnia quidem spiritu præuiderat de Imperatore. In somnis enim ei singula significabat gratia. Cùm verò Imperatoris quoquè verba ei consentirent, non inuitus ad eum proficiscitur, illum quoquè virum secum ducens, qui in ea, quæ priùs apparuerat, visione cum illo adstiterat Imperatori. Ei nomen erat Triphyllius: qui nondùm quidem erat adeptus sacerdotium: à superis autem, antequàm eligeretur ab hominibus, fuerat designatus. Cum eo ergò simul ingreditur Spiridon in regiam, tenuiter admodùm ornatus & simpliciter. Nam vestis quidem erat admodùm vilis: In manu autem habebat virgam ex palma, & tiaram gestabat in capite. Prætereà verò vasculum quoquè quoddam fictile ei pendebat ex collo, vt qui, sicut mos erat, ijs qui sanctam habitabant ciuitatem, statuisset ferre oleum sanctæ Crucis.

Constãtius ad se accersit Episcopos plurimos.

Vilis habitus S. Spiridonis.

Cap.19. Quoniam autem non satìs erat tenuitate, & à rebus superfluis aliena simplicitate, sed etiam in ferendis iniurijs moderatione suum imitari Dominum: quidam in regia, eius irridens tenuitatem, & indecorum esse arbitrans, eum ingredi in regiam qui ità esset vestitus, illi sacræ maxillæ incussit colaphum. Fulmen autem non fuit è cælo missum in eum qui percusserat: sed id omninò passus est, qui ipse quoquè in seipso diuinè id erat passus. Ille verò (ô generosum animum, & ad patiendũ ambitiosissimũ) ei qui ipsum afficiebat iniuria, præbuit & alteram, promptus ad Dominicam legem implendam: & se promptũ exhibendo ad patiendũ, vincens illam nimiam celeritatem manûs & impudentiam. Hoc illũ insolentē & iniuriosum cœpit hominē, & magno pudore affecit: & maximè, quòd acceperat eũ esse Episcopum, qui

Ioan.18. Insignis ei⁹ patientia. Matth.5.

qui affectus fuerat iniuria. Vndè etiam mutatus, fit ei supplex: & petit veniam, inconsideratæ lapsum audaciæ curare contendens calore pœnitentiæ. Ille autem (dixerat enim, sicut ferre iniurias, ità debita remittere: immò verò eum, qui ipsi molestiam attulerat, remunerari bonis) verbis quibus potuit, eum affecit beneficio, paternè consulens, & meliorem eius reddens animam. Quo factum est, vt qui apud Imperatorem primos honores obtinebant, eum reuerenter prosequerentur, &, vt par erat, ducerent ad Imperatorem.

Cap. 10.

Triphyllius sancti viri discipulus, posteà Episcopus.

Non sunt autem prætermittenda, quæ interìm euenerunt, quę sunt studio digna, & quæ possunt magnam afferre vtilitatem animis studiosis sapientiæ. Videns ille magnus suum discipulum Triphyllium perfectum mox futurum, & ei similem: in præsentia verò ea, quæ in mundo sunt magna, & pro quibus multi esse contendendum existimant, magna esse existimantem, vt qui esset adhuc ætate iuuenis, & haberet ætatem ad hoc opitulantem, & ea quidem admirantem, quæ erant in regia: vestes, inquam, splendidas, & auri nitorem: & ante omnia quidem ipsum Imperatorem, qui in excelso quidem præsidebat, conspiciebatur verò terribilis, & specie insignis: Cùm propter hæc omnia videret eum stare sublimem & erectum, & quasi à se discessisse, ei veluti somnum soluens, & quæ verè habebat somnia, manu palpans & depellens: Sed mihi, inquit, Triphylli, illum ipsum ostende Imperatorem: neque enim possum scire, quisnam sit. Is autem non intelligens, quid magnus sibi vellet Spiridon, Hic est, inquit, manu ostendens Imperatorem. Quid est ergò, inquit Spiridon, hic alijs admirabilior, nisì eum etiam dixeris iustiorem ob fastū & splendorem? Non æquè àc quiuis pauper ignotus morietur: similiter verò sepulturæ mandabitur & interibit: similiter quoquè sistetur ante incorruptum iudicem? Cur quæ fluunt, tanquàm quæ sunt stabilia, honoras: & quæ nihil sunt, habes in admiratione, cùm licet potiùs ea, quæ sunt materiæ expertia & æterna, quærere, & gloriam amare cælestem, in quam non cadit interitus?

En vt sancti viri paruipendunt ea, quæ mundus admiratur.

Cap. 11.

Cùm hæc autem diceret Triphyllio, Imperator ex excelso tribunali in sanctum conijcit oculos: & primùm quidem eum attrahebat habitus & amictus, formæ, quę visa fuerat, conueniens. Sic enim visus fuerat ei adesse in somnis, & erant omnia eadem, virga, tiara, vas è collo dependens, & vestis. Eum ergò statìm cognouit ex alto: Triphyllium autem non poterat conijcere. neque enim curabat eius speciem curiosè inquirere, quoniam eum non videbat Episcopum, sicut somnus ei significabat. Quamobrèm statìm surgens è sede, vadit ad magnum Spiridonem. Desiderium enim recuperandæ sanitatis faciebat eum alia contemnere. Splendorem certè imperatorium & imperij magnitudinem postponens honori magni Spiridonis, se admodùm humiliter & abiectè in eum gerit, humilitate captans misericordiam, & ostendens quantum intersit inter Rēgem, qui est ad tempus: & eum, qui seruit Regi æterno. Ille ergò inclinato capite, placabat eum lachrymis, & eius petebat preces, tanquàm validissimum aliquod medicamētum, quod omnem molestiam potest facilè soluere. Postquàm ergò manus illius tetigit caput Imperatoris, statìm fugatus est morbus, & conualuit Imperator.

Imperatoris erga S. Spiridonem reuerentia.

Solo tactu capitis Imperatorem curat.

Cap. 12.

Quis, quæ posteà consecuta sunt, narrabit, eorum qui aderant, & ipsius Imperatoris, quemadmodùm toto die festum agebant, & propemodùm exiliebant, & neque se præ gaudio poterant continere? Solus Spiridon erat in labris omnium: adspiciebatur Spiridon: Spiridon erat id, quod studio erat omnibus. Imperatori itaque fuit quidem corpus restitutum sanitati: vt autem sana esset eius anima, nunquìd vt paruum & à medico contemnendum, fuit despectum? Vbinàm verò hoc fecit sacrosancta illa anima? Sed ei quoquè omninò conueniens adhibuit medicamentum: vt qui suaserit quidem, vt meminisset Dei beneficij: in eos autem, qui eius parebant imperio, ijs quidem qui offendebant, & aliquam attulerant molestiam, clementem se præberet & misericordem: ijs verò, qui secùs se gesserant, benignum & liberalem: ijs autem, qui priuati erant rebus necessarijs, patris & curatoris munus obeuntem, manumque & viscera ijs benignissimè aperientem. Quantùm enim, inquit, præstas cæteris, tantùm te esse oportet virtute excelsiorem. Qui enim non sic est affectus in subiectos, Tyrannum oportet eum potiùs vocare, quàm Imperatorem: qui non est censendus beatus propter potestatem, sed qui censetur miser & odio habetur propter superbiam. Postremò adhortatus est, vt accuratè teneret & obseruaret ea, quæ pertinent ad pietatem, & nè tantillum

Optimè eũ instituit.

quidem admitteret, quod non Dei videretur Ecclesiæ. Et hæc quidem magnus.

Cap.23. •Imperator autem volẽs eum remunerari propter acceptam ab eo curationem, dabat ei vim auri innumerabilẽ. Ille verò ei dixit lepidè: Non sic oportebat, ô Imperator, odio remunerari amicitiam. Quæ enim à me propter te facta sunt, sunt reuerà amantis, domum relinquere, & tantum maris transmittere, & hyemis ferre difficultatem, & ventorũ in aqua immanitatẽ. Pro horum ergò remuneratione aurum accipiã, quod est omnis mali causa, & facilè perdit, quicquid est iustũ? Quomodò non meipsum apertè accusarẽ, & summæ damnarem improbitatis? Hæc illo dicente, & se nihil accepturum affirmante, violentiùs instabat Imperator, vt daret: dedecus quodammodò existimans, vt, qui beneficio esset affectus, beneficium non remuneraretur: sed expulso morbo corporis, vinceretur in animi probitate. Quocircà magis instabat, vt vinceret sic affectus eum, qui vinci nõ poterat. Et persuadet quidem illi, vt accipiat: non autem, vt quod datum fuerat, apud eum maneat. Cùm enim valere iussisset Imperatorem, distribuit omnia ijs, qui erant in regia: re ipsa docens, quomodò oporteat eos affectos esse ad opes & pecunias, si velint esse liberi. Magna enim ad eas propensio, & nimis victum esse ab earum possessione, quid est apertè aliud, quàm voluntaria seruitus? Hoc cùm audijsset Imperator, dixit se non ampliùs mirari, si hic vir, qui ità viuit, tam magna faciat miracula. Quantũ itaque fructum percepit Imperator ex verbis Spiridonis? vsque adeò & benignitatem adspexit & humanitatem, vt omnibus quidem egentibus, & viduis, & orphanis, illis quidem viduitatem, his verò orbitatem, his autem etiam inopiam, magno & excelso animo recrearet & sustentaret. Porrò autem omnibus quoquè, qui sunt partium ecclesiasticarum, Sacerdotibus, inquam, & Diaconis, primus lege decernit immunitatem: absurdum esse iudicans, eos qui Regi immortali attributi sunt ad ministerium, Regi mortali soluere vectigalia. Et hæc quidem ità se habebant.

Vide perfectum rerum labentium contemptũ

Quid apud Imperatorẽ effecerit S. Spiridon.

Constãtius Imper. Ecclesiasticos statuit esse immunes.

Cap.24. Vult autem oratio etiam aliorum meminisse miraculorum, quæ sunt ornata læto flore gratiarum, & cum* vtilitate magnam spirant vtilitatem. E regia sanctus egrediens, hospitio excipitur à quodam Christi amante. Ad eum autẽ accedit mulier barbara, & linguæ Græcæ imperita: quæ suum filium mortuum ferens in manibus, eum deponit ad sancti pedes: quinetiam ipsa quoquè prona cecidit, deflẽs miserabiliter: & ijs quidem, qui aderant, ea dicens, quæ non poterant intelligi propter barbariem, solis loquebatur lachrymis, significans se flere propter filium, & petere à Pontifice, vt eum suscitaret. His frangitur vir animi misericordis, & duabus rebus, moderatione scilicet, & commiseratione mulieris, distrahitur. Quandò enim ad eius dolorem & viscerum ardorem adspiciebat, aggrediebatur miraculum, & incitabatur ad orandum Deum, vt puer reuiuisceret. Quandò verò rursùs intuebatur ad magnitudinem petitionis, cùm esset modestus ac moderatus, cordeque pius & cautus, cedebat & differebat, & esse iudicabat conatum impudentem. Quocircà statuit adhibere in consilium vnum ex ijs, qui erant secum. is autem erat Artemidotus, qui iam erat Diaconus, vir qui omnia quidem diligenter exercuerat, quæ pertinent ad virtutem. Vnus verò veluti communis quidam color erat contemperatus omnibus, vt rectè gerẽs, nulli esset omninò manifestus. Eum ergò rogauit Sanctus, quid eis esset faciendum. Ille autem ei dixit, quod illum omninò oportebat dicere, & hunc audire, Quid enim, ô pater, inquit, interrogâsti? Quid est autem aliud faciendum, & tibi maximè, nisi Christus vitæ dator inuocandus, quem iam in multis fuit euidens tuas exaudire orationes? & alioqui si per te saluus euasit Imperator, pauperes & inglorij iudicabuntur esse despiciendi.

for. veritate*

Pugna humilitatis & charitatis.

Cap.25. Pulcherrimo consilio páret Põtifex: & corde accensus misericordia, & oculos habens plenos lachrymis, genibus in terram flexis, & eam rigans fletibus, ardenter admodùm clamat & miserabiliter: & bonum Christum benignè rogat, vt miseræ mulieri infantem viuificet, & matrem reddat, congruenter scripturæ sacræ, propter filium lætantem. Qui ergò per Eliseum & Eliam Sareptanæ filio & Sunamitidis immisit spiritum, & vitam est largitus, ipse rursùs etiam audiuit Spiridonem: & puer qui mortuus iacebat, conspectus est veluti plorans ante oculos matris. Lachrymis mihi sunt suffusi oculi præ gaudio. Sic enim meum affecit animum id, quod dicetur, reuocatum in memoriam. Vos quoquè id audite. Cùm enim viuum vidit mater suum charissimum, (ô arcana tua, ô Christe, iudicia) nimi-

Psal.112. 3 Reg.17. 4.Reg.4.

S. Spiridon puerũ mortuũ resuscitat.

nimiam non ferens lætitiam, in terram cadens expirauit. Ostendit id quod factum est, nihil nimis, esse longè optimũ. Eccè enim non mortalẽ solùm esse doloris exuperationem, sed etiã gaudij nouimus immoderationẽ. Vos quoquè, sat scio, affecti estis animo, ex lætitia mutati in dolorẽ. Sunt enim homines natura misericordes: sed propè adest magnus Spiridon, qui vestrã tristitiam mutabit in gaudiũ. Rursùs enim morem gerit Artemidoro, & ad hoc, vt det matrẽ filio, vir modestus inducitur. Ad cælũ ergò intuens, & Dominũ, qui in eis habitat, mente agitans, illũ precatus, qui vitam inspirat mortuis, & sola voluntate omnia transmutat ac trãsformat, dicit ei, quæ iacebat: Surge, & sta supra pedes tuos. Illa aũt repentè, vt quam somnus potiùs, quàm mors, oppresserat, surrexit & ei adstitit, & infantẽ in vlnis accepit. Ille verò, vt diximus, erat viuus, & in vlnis maternis exiliebat. Hęc ille quidem magnus, propter insignem, vt dixi, moderationem nolebat efferri in vulgus. Artemidoro certè, & mulieri per eum, indicit silentium. Sed Artemidorus post eius mortem nefariũ esse iudicans, fraudare viros pios tam pulchra auditione, immò verò tam magno miraculo, id aperit, & tradit auribus fidelium. Et hæc quidem sic habent. *Itèm matrẽ eius admirabiliter.*

Postquàm aũt magnus Spiridon Antiochia reuersus est in Cyprũ, quispiam ad eum accedens, volens emere capras gregis, numero centũ, iussus à sancto priùs precium soluere, deindè accipere, ipse cùm nonaginta & nouem solùm soluisset precium, vnius retinuit, lucrum, vt dicitur, melius dedecore existimans: aut etiã opinans fore, vt lateret illius simplicitatem, remotam ab omnium negociorum solicitudine. Cùm ergò ambo fuissent intra mandrã, ille quidem iussit, quantum soluerat precium, tot capras accipere. Ille autem ne sic quidem intelligens, centum exigebat è mandra. Vna verò ex capris, tanquàm bona ancilla, cùm sensisset se non fuisse venditam à domino, citò rursùs est reuersa, & perrexit ad mandrã. Ille autẽ rursùs abduxit, & per vim retraxit impudẽs. Hoc bìs iam vel tèr factũ erat, quod est mirabile: & capra quidem reuertebatur: ille verò retrahebat manu violenta & animo. Quid ergò? cùm sic nihil proficeret, eam humo sublatã, & humeris impositam, abducebat. Illa aũt maxima & asperrima voce clamãs, & cum cornibus feriens, & in illius caput impingens, vim illius apertè prædicabat, & auari hominis quodammodò puniebat iniuriam: adeò vt qui aderant, fuerint hac re obstupefacti, causam non valentes cõijcere. Magnus aũt Spiridon nolens eum apertè arguere, sensim dixit ei, qui faciebat iniuriam: Vide, fili, nè non frustrà hæc faciat animal, & non sine causa ægrè ferat se abduci: sed quòd fortè imprudẽs eius non soluisti precium. Sic ille piscator animo sauciatus id tulit: & cùm sensum eius, quod fecerat, accepisset, id & confessus est, & eius petijt veniã. Deindè etiã cùm pro vna soluisset preciũ, ea non ampliùs clamabat & resistebat, sed tacitè alias sequebatur. Et hic quidẽ sic. *Cap. 26.* *Hominis fraudulenti malus dol' arguitur mi ro modo.*

Alius autem: sed hoc dicam superius. In insula est quidam vicus, qui dicitur Erythra, non procùl à metropoli Constantia. Non distat enim ab ea plusquàm triginta stadia. Huc cùm venisset magnus Spiridon propter aliquẽ vsum, ingreditur templum gratia orationis: & iubet cuidã Diacono ex ijs, qui erãt in eo loco, vt breuem aliquam sacram perageret precationẽ. Via enim, quæ fuerat longa, erat defessus, & maximè cùm esset tẽpus æstiuũ, & ei æstus magnus tunc afferret laborẽ. Ille autem erat admodùm tardus, & consultò preces ambitiosè producebat, inanem, vt videtur, ex hoc sibi captãs gloriam. Toruè itaque eũ intuitus, qui erat alioquì natura lenissimus, increpando dixit: Tace. Ille verò perindè àc linguæ aliquo vinctus cõpede, & sermone priuatus, erat mutus, repentè interrupta serie orationis, quæ tũc ab eo canebatur. Sed cùm sanctus id quod deerat, adimplesset, procidit ad eius pedes miserabilis, qui paulò antè apud se erat excelsus: mutus, qui verbis anteà abundabat, & mora delectabatur intẽpestiua. Ex ijs verò, qui vicũ habitabant, eos quidem, qui aderant, inuasit metus: eos autẽ, qui aberant, fama fecit concurrere: & multis continuò confluentibus, tum motis sancti admiratione, tum etiam eius qui passus fuerat, misericordia, & maximè eius cognatis & necessarijs, qui etiam generosam illam rogabant animam, vt ei ignosceret, qui damnatus fuerat vt esset mutus, & ei relaxaret vinculum, vide quid facit vir ille aptus virtute & concinnus, cùm precibus quidem flecteretur: quòd castigatione autem adhuc egeret Diaconus retraheretur: (nam hoc quoquè videbat per spiritum) pœnam scitè partitur: & permittit quidem, vt lingua vtatur ad omnem sermonem, non tamen omninò liberè, nec vt priùs clara & canora: sed hebete & imbecilla, & parùm cæspitante & balbutiente, eru- *Cap. 27.* *Solo verbo cripit diacono impor tuno loquẽdi facultatẽ* *Vide mirã sancti viri potestatem.*

te, erudiens, nè ampliùs propter linguam sibi placeret, nec se de verbis iactaret, cùm nec de rebus quidem ipsis se iactare, viro bono sit honestum.

Cap.28. Volebam nunc imponere finem orationi, & amplecti silentium, vt qui nec habeam linguam, quæ cum tantis possit extolli miraculis. Sed quoniã & ipse propter meam in hunc sanctũ beneuolentiã parturio expositionẽ, & vos video nihilominùs ore hiante ad audiendũ attentos, adijciam rursùs alia miracula: melius esse ducens, ea quomodò potero persequi, quàm si ea memoriæ non mandauero, vos illa fraudare vtilitate. Ingressus erat aliquandò quoddam templũ suæ ciuitatis hîc vir diuinus, de more vespertina peracturus cantica. Ità autem contigerat, vt populus (Visus antiquissimus in templis accensorũ luminum.) non esset in tẽplo. Cùm ergò nullus esset alius, nisì æditui tantùm & ministri, iubet solito plura accendi lumina: & ipse quidẽ lætus stabat ex aduerso aræ, pacẽ acclamans consuetã. Cùm autem non esset, vt solebat, populus responsurus, auditur desupèr vox quædam multarum myriadum acclamantium, Et cum spiritu tuo. Erat (Nota hæc.) verò vox quædã modulata & numerosa, & quæ erat præstantior, quàm vt humana esse cõijceretur. Postquàm autem preces peregit Diaconus, timore correptus rursùs audiuit, (ô miraculum) Kyrie eleeson, diuinè acclamatum. Et quoniam hęc vox se manifestam reddebat ijs etiam, qui erant foris, concurrebant omnes simul admirantes. Nam priusquàm portas ingrederentur, aures voce percutiebantur. Cùm autem ingressi essent, nullum ampliùs audiebant, neque vllum videbant, prętèr iustum, & paucos ex ijs, qui ei ministrabant: qui ipsi quoquè dicebant se neminẽ quidem hucusque videre, audire verò emittentes vocem diuinæ exultationis.

Cap.29. Nec hoc quoquè est silentio prætermittendũ, & quòd id dicere conueniat, scietis cùm audieritis. Nam cùm vespertinũ canticum aliquandò esset perductũ ad medium, iam quidẽ lucernæ deficiebat oleũ: aliud aũt non esse tunc contigerat: parùm verò aberat, quin lucerna extingueretur. Ille autem angebatur animo, vt qui (Diuinitùs lucerna scatet oleo.) nollet impefectum relinquere ministerium. Protinùs autem virtute quadam, quæ non cadebat sub oculos, lucerna quidem scatet oleo: superfunditur verò oleum instàr fontis: & cùm vasa subiecissent æditui, excipiebant id quod defluebat. Tam copiosam habebat ille magnus vim scatentis gratiæ in sua anima, non minùs quàm illud sensile oleum in lucerna. Atque quòd ea quidem, quæ erant in profundo animæ, videre poterat sine impedimento, priùs iam declarauit oratio: declarabit autem nunc quoquè.

Cap 30. (Triphyllius Episcopus Callinicen.) Est ciuitas in Cypro eiusdẽ nominis, cuius Cyrene in Lybia. Ad eam ex Trimmythunte, cùm vsus ità vocaret, abibat magnus Spiridon. Eum autem sequebatur Triphyllius quoquè discipulus, qui iam Callinicensiũ ciuitatis (vt visum fuerat in somnis) factus erat Antistes. Cùm verò visum esset ei venire per montem, qui dicitur Pentadactylus, vbì fuit in loco, qui dicitur Parymne, (est autem is locus bonus & amœnus, & multis rebus iucundis affluens) Triphyllius eo loco delectatus, desiderat ipse quoquè fieri dominus alicuius agri in Parymna, & eum suæ consecrare Ecclesiæ. Hæc magnifaciebat Triphyllius, & animo versabat, quæ neque effugiebant (S. Spiridon videt arcanas Triphyllij cogitationes.) conspectum internorum oculorum Spiridonis: sed & ille pulchrè vidit, & placidè repræhendit discipulum: O curnam, dicens, ô Triphylli, hæc vana & inania assiduè mente versas? agros cupiens & vineas, quæ reuerà quidem sunt nullius precij: solùm autem videntur, & nomine demulcent. Habemus possessionem in cælis, quę (2.Cor.5.) non potest auferri. Habemus domum non manufactam. Illa persequere: illis vel ante tempus spe fruere, quæ non possunt ab alio transferri ad alterum: sed qui eorum semèl fuerit dominus, manet habens hæreditatem, quæ minimè aufertur. Hæc cùm audijsset Triphyllius, non temerè audijt: sed melior euasit animo, & ea celauit in cordis penetralibus, & rogauit sanctum, vt ei ignosceret: & posteà vitam egit (Actor.9.) accuratam & perfectam, adeò vt fieret vas electionis Christi, sicut Paulus, & innumerabilia dona sit assecutus. Sic magnus Spiridon alios quidem corrigebat volentes: ijs autem, qui correctionem nolebãt admittere, malus eueniebat exitus: cuiusmodi est hoc, quod sequitur.

Cap.31. Quidam nauta eiusdem ciuitatis, cuius sanctus, cùm peregrè fuisset profectus, & tempus duorũ annorũ cõsumpsisset in peregrinatione, reuersus est: & cùm ad charam redijsset patriam, domum suam inuenit inimicam. apertè enim ei fuerat adulterata mulier. Nam & certus erat testis tumor vteri, & fœtus, qui in eo gestabatur.
(Prouer.6.) Ille ergò continuò vxorem propemodùm interfecit. Plenus enim, inquit, ira est zelus

zelus viri eius. Cùm vix autem iram cohibuisset,& considerâsset quòd neque esset ei honestum cum ea ampliùs habitare,neque bonum eam interficere: (hoc enim, illius esset exitium: illud verò,perpetuum ei in vita probrum, & cordis cruciatus, qui finem non haberet)eam quidem relinquit: protinùs verò venit ad sanctum, & omnia sigillatim aperit, peregrinationem,tempus,adulterium, & omni exceptione maius vteri eius testimonium.Deindè quid ageret,quomodò ferret,quid de hac re sentiret sciscitatur: & dicit se velle quidem dimittere vxorem: cupere autem scire,an hoc quoquè ei ità videatur.Ille verò illius quidem mentem admiratur:deplorat autem & miseratur calamitatem: accersit verò mulierem, & non interrogat quidem, num id fecisset, (esset enim superuacanea interrogatio: quis enim id meliùs renunciet, quàm vterus, cùm sit res manifesta?)sed cur sic virum affecisset probro & dedecore? Illa autem(est enim mulier res impudens & temeraria) cùm pudorem semèl exuisset,nequaquàm mentiri apertè erubescebat: & constanter affirmabat,se cum nullo alio rem habuisse. Illo verò contrà tempus afferente absentiæ, vtpotè quòd per eam posset argui mendacium,ea ne sic quidem quicquam remisit de impudentia: sed tumultuabatur execrāda,& contradicere conabatur mulier audacissima, adeò vt qui audiebant, eius responsionem ægriùs ferrent,quàm adulterium. Quandiù enim, aiebat, fuit maritus meus, tandiù fuit mihi infans in vtero, vt simul & ille ex aliena,& hic ex meo vtero prodiret.Cùm hæc & his maiora magno impudenter diceret Spiridoni: quinetiam tumultum excitaret, & vociferatione compleret ciuitatem,& tanquàm grauissima affecta iniuria,eos qui aderant, vocaret ad opem ferendam,vir ille mitissimus ne sic quidem eam iudicio subijciens, sed eam metu potiùs attrahens ad pœnitentiam: Si quidem,ó mulier, inquit, sicut in magnum prolapsa es peccatum, ità etiam magnam induxisses pœnitentiam,fortasse etiam tibi magna relinqueretur spes salutis. Nulla est enim tanta vis peccati,quæ non à Dei superetur clemētia. Quoniam autem adulterio quidem desperationem,desperatione verò impudentiam etiam parturijsti,iustum quidem erat,vt tu horum præmia agnosceres,& velox subires supplicium. Verumenimuerò adhuc tibi præbentes locum pœnitentiæ,hoc dilucidè prædicimus,hunc fœtum non esse tibi in lucem exiturum,donec ipsa lucem veritatis sub profundis mendacij tenebris celare destiteris, ea volens tegere, quæ vel ab ipsis cæcis videntur, vt aiunt.Hæc verba ad rem paulopòst rediguntur mulieri, & ante tempus partûs graues eam inuadentes dolores,acriter quidem torquebant vterum,fœtum autem nihilosecius intùs retinebant: & quod est malorum omnium extremum, cùm ne sic quidem quicquam de sua remitteret peruicacia,eam transmittunt ad mortem maximè miserabilem. Eius calamitatis alius quidē misereretur: egò verò malæ mentis, & cui non potuit vllum adhiberi remedium. Quamobrèm dicunt Sanctū magnum dolorem accepisse,& lachrymas emisisse ex oculis, & adiecisse, Nō ampliùs iudicabo inter homines, cùm tam citò eos inuadat prolata sententia. Hæc quæ visa & audita fuerant, effecerunt vt esset magna in Sanctum reuerentia: & ideò piè & cautè eum attendebant,& cum timore ad eum adspiciebant,sicut etiam olim ad Apostolos,qui in Ananiam & Sapphiram modò fecerant miraculum.

Mulier in adulterio deprehensa.

Mulier res est impudēs & temeraria.

Vir mitissimus suspendit quidem, sed tamen prædicit adulteræ vltionem.

Act. 5.

Sed hæc quidem est narratio improbæ & scelestæ mulieris. Adijciatur autem narratio quoquè de ea,quæ rectè & vt oportet,amabat maritum. Mulier quædam nomine Sophronia,quæ moribus erat moderata & pia,non habebat maritum, qui esset eiusdem cuius ipsa in fide sententiæ: sed ille errorem tenebat gentilium. Illa verò non intermittebat ad sanctum ventitare,& eum vehementer rogare,vt maritum liberaret ab insania. Sed nec eius maritus prohibebat, quò minùs veniret ad sanctum: partìm quidem, vt qui ignoraret quanam de causa ad eum accederet: partìm verò,quòd apud eum quoquè sanctus in magna haberetur reuerentia. Nam ipse quoque ad illum ventitabat,& eo tanquàm amico vtebatur, & illum honorare,proprium suum ducebat honorem. Præterea autem magnus quoquè Spiridon ad eum veniebat. Cùm ergò sic se inuicèm hospitio acciperent & acciperentur, conuiuium quandoquè simul ineuntes, sanctus opportunè volens captare amicum suum gentilem, conuersus, eis audientibus, dicit cuidam ex ijs,qui ministrabant: Puer,inquit,paruus,qui meæ fidei fuit commissus,vt gregem pasceret, grauiori somno oppressus,pecudes perdiderat. Cùm eum autem dimisisset somnus, diligenter scrutatus,inuenit omnes simul absconsas in quadam spelunca. Priusquàm verò

Cap. 5.

Etiam vir gentilis S. Spiridonē in multa habet reuerentia.

Nouit vir Dei quid agatur in eius absentia.

verò eas inuenisset, ad nos misit nunciū, qui significaret quod euenerat. Ille autem accessit, & stat pro foribus. Tu verò descende, & ei nuncio significa, omnes esse inuentas, & nec vnam quidem deesse gregi. Audiuit minister, & abiens maxima celeritate, ei significauit, qui stabat pro foribus. Mensa nondùm sublata, alius rursùs veniens nuncius, renunciat omnia similiter, inuētas pecudes, & locum, & ne vnam quidem deesse numero. Hæc dicta ijs, quæ sanctus dixerat, omninò conuenientia, magnum stuporem iniecerunt illi idololatræ, & sanctum pro Deo habebat, & obseruabat: & volebat eadem facere, quæ Lycaones aliquandò faciebant Barnabæ & Paulo, nempe ei tauros sacrificare, & in vestibulo coronas suspendere. Ille verò sicut illi, ei dixit: Non ego sum Deus: sed seruus Dei potiùs, homo qui sum obnoxius eisdem, quibus tu, affectionibus. Vt autem rectè sciam, largitur is: quem si tu quoquè Dominum fueris confessus, accuratè omninò scies, quàm sit apud illum inexpugnabilis potentia, & quantæ vires. Illa verò Christi magis amans, quàm viri, hac re tanquàm opportuna aliqua arrepta occasione, ex se quoquè ea afferens, quę ei conueniebant, marito persuadet, vt omnem quidem vanum abiuret errorem, & cultum irrideat simulacrorum: rectè autem discat veram pietatem, & Christum induat per baptismum.

Act. 14.

Gentilis ille credit in Christum.

Cap. 33.

Si eam, quæ deincèps sequitur, narrationem silentio texerimus, quomodò non priuabimus auditores maxima vtilitate, cùm simul cum vtili, multum etiam inducat iucunditatis? Dicatur ergò hæc quoquè. Ferunt magnum Spiridonem, prout erat modestissimùs, & ab omni fastu & superbia alienus, præclarè quidem & sanctè Episcopatum suum administrâsse, nihilo seciùs autem ouium quoquè curam gessisse. Intempesta verò nocte stabulum adorti latrones, suffurabantur quasdam ex eius pecudibus. Deus autem, qui curam gerebat pastoris, ne oues quidem quas pascebat, neglexit. Sed fures isti ineuitabilibus, quæ sub adspectum non cadebant, vinculis comprænhensi, & vinctis erant manibus, & non poterant omninò recedere. Iam manè aderat, & cùm magnus cognouisset Spiridon, quod factum fuerat, videns eis manus ponè adductas & vinctas, precibus quidem eis relaxauit vinculum: cùm plurimùm autem eos admonuisset, vt ex iustis laboribus pararent, quæ erant sibi necessaria, eis etiam præbet arietem, lepidè elocutus: Nè frustrà vigilaueritis. Cæterùm aliud quoquè se offert, volens sequi id, quod dictum est, quod illi nihil cedit iucunditate.

Fures diuinitùs ligantur.

S. Spiridonis erga eos humanitas.

Cap. 34.

Vir quidam Trimmythuntinus erat nauis dominus: & cùm auro opùs haberet ad mercaturam, accedit ad sanctum, ab eo accepturus. Ille autem huius quoquè præcepti cum alijs adimpletor, quod dicit, Eum, qui à te voluërit mutuò accipere, nè auerseris: id paucum quod habebat, idque paratum propter necessarium vsum Episcopatûs, ei tradit prompto & alacri animo. Ille verò, qui id acceperat, cùm ei fausta & felix successisset nauigatio, & cum lucro esset reuersus, accedit ad sanctum, debitum soluturus. Ille autem non curiosè scrutatus, nec multis ratiocinatus, iubet illum ipsum qui attulerat, reponere in illo ipso vase, ex quo id priùs sumpserat. Et tunc quidem eius, qui mutuò dederat, reueritus mercator bonitatem, & à negociorum solicitudine remotionem, illic aurum deposuit, sicut iussus fuerat. Cùm autem vsu eum rursùs vrgente, sic quidem promptè acciperet, & sic ipse rursùs sine dolo reponeret, & hoc modo sæpè fieret, subit mercatorem vitium auaritiæ, infideliterque & malignè se gerit in eum, qui credebat, & violat veritatem: & cùm maleficij materiam inuenisset libertatem, fingit quidem se reponere. Cùm verò nihil reposuisset, sed vas vacuum clausisset, recessit. Sed sanctum non sic permisit decipi, qui comprænhendit sapientes in malitia eorum, vt sacra dicunt eloquia: & nè simplicitas & liberalitas facilè posset decipi, & facilè despiceretur, & contemptui haberetur ab astutioribus, vide quemadmodùm sapiens & iusta Dei prouidentia eum, qui iniuriam facere erat aggressus, vt sibi potiùs malè faciat, efficit. Nam cùm in sumptibus aurum consumpsisset, non ad lucrum, & deindè redactus esset ad inopiam, prioris viæ meminit: & veniens ad magnum Spiridonem, aurum, quod non reposuerat, quærebat, vt qui reposuisset. Illum verò non latuit quidem maleficium: placidè autem, vt solebat, iussit vt iret, & acciperet. Ille verò, tanquàm qui nihil turpe fecisset & illiberale, abijt, accepturus id, quod repositum fuerat. Cumque aperuisset, & vas inane reperijsset, quomodò etiam reliquerat, hoc quidem sancto renunciat, eum existimans id latère. Ille autem iubet eum quærere dili-

Fraus mercatoris cuiusdam.

1. Cor. 3.

Vide quàm placidè fert maligni hominis fraudem.

diligentiùs : Ex quo enim, inquit, tu reposuisti, nullius alterius manus, quod depositum fuerat, acceperunt. Ille verò simulat se rursùs scrutari : Cùm autem inueniri non posset, quod reuerà non erat, & præ se ferens ignorantiam, dixit illi rursùs, se nihil inuenire : vir ille bonus & mitis, Si verè, inquit, reposuisses, quod reposuisses, facilè inuenires. Sin verò, quod apud te mansit, id nunc quæris à nobis, scias teipsum potiùs, quàm nos, decipi. Hoc cùm ille audiuisset, & simul haberet conscientiam eum tacitè repræhendentem, minimè tulit : sed humì statìm procidit, & sacros illius pedes præhensàns, petit veniam. Sanctus autem promptiùs remisit, quàm ille petijt : decætero verò est adhortatus, nè aliena sic concupisceret, neque dolis & mendacijs pollueret conscientiam. Nam quod ex eiusmodi, inquit, rebus paratur lucrum, non est omninò lucrum, sed damnum manifestum.

Cùm vnius adhuc ex sancti miraculis meminerit oratio, vadet ad eius decessum. Cap 35. Aiunt, quòd cùm sanctus esset adhuc superstes, & præesset Episcopatui, Patriarcha Alexandrinus indicta synodo omnium, qui ei subiecti erant, Episcoporum, volebat gentiles statuas & imagines communibus precibus euertere, & eas in terram deijcere. Rebus enim eiusmodi adhuc plena erat ciuitas : & quomodò Paulus, ipse Actor. 17. quoquè inflammabatur spiritu, & ardenter spirabat aduersùs impietatem. Cùm omnes ergò concurrissent, & se dedissent precibus, aliæ quidem statuæ Dei nutu & viribus deuolutæ fuerunt & in terram deiectæ. ex ijs autem vna sola, etsi & separatìm, & simul cum illo Patriarcha multas preces fudissent, manebat in suo loco : non quòd Deus non attenderet, aut despiceret sacras illorum preces : sed hoc sapienti consilio vellet suo famulo gloriam tribuere, & ostendere id, quod à multis ignorabatur, qualis esset inter Episcopos Spiridon. Cùm nox ergò iam aduentâsset, ipse quidem Patriarcha adhuc vacabat orationi : quædam verò diuina ei apparens visio, iussit eum non angi animo, quòd non caderet simulacrum. reseruatum enim esse Spiridoni, vt id ab eo solo deturbatum caderet : sed cùm eum quamprimùm è Cypro accerseret. Is enim est, aiebat, Episcopus Trimmythuntinus. Fecit, vt ei imperatum fuerat, Patriarcha : & literis ad eum missis, accersit sanctum : & literæ significabant causam, cur accerseretur, & eam, quæ apparuerat, visionem : & nequaquàm esse recusandum aduentum. Ille autem páret continuò. Simul atquè enim desijt legere, quæ scripta fuerant, iter inijt, & nauem conscendens, nauigauit Alexandriam. Atque nauis quidem appellit Neapolim, (est autem hic insignis portus Alexandriæ) ipse verò de naue descendens, execrandam imaginem, cum multis templis, precibus nondùm peractis, euertit, & in puluerem comminuit. Hoc sancti aduentum, qui nondùm erat manifestus, Papæ significat. Cùm enim qui illud simulacrum sua sponte cecidisse viderant, ei renunciâssent, Papa continuò, O amici, inquit, adest Spiridon ex Trimmythunte. Illi autem præparantes (eos enim iusserat ei ire obuiàm) offenderunt magnum, qui adhuc descendebat. Quis adeò remotos habitat orbis fines, qui non hoc miraculum acceperit auditione? Nouerunt quidem Byzantini : nouit autem ipse Imperator. Senserunt omnes quoquè vrbes, quæ intercedunt : & vniuersum ferè orbem terræ peruadens miraculum, dici non potest, quantam parârit vtilitatem tam fidelibus, quàm infidelibus : his quidem conuersis ad pietatem, & sacrum baptismum accipientibus : illis autem stabiliùs fundatis super eius petram. Hæc non quædam nuda & minimè probata auditio, sed etiam imago loquitur & testatur, quæ stat inter * porticum, qui dicitur Archonticus, & templum Trimmythuntis, vbì sunt sacræ reliquiæ Spiridonis. Atque his quidem cum alijs dimissis, accedendum est, vt sumus polliciti, ad diuinam illius mortem.

Mira res: precibus Episcoporũ communibus statuæ Gentilium corruunt.

Obserua sancti viri promptissimam obedientiam. Item vim precũ eius.

for, * portũ

Tempus erat æstatis, & vberes segetes, fructusque copiosus & multiplex erat Cap. 36. sancto. Ipse autem, vt qui suis manibus plurimùm vteretur in opere faciendo; dextra accipit falcem, & incipit metere : repentè verò admodùm tenues guttæ roris, Deo tunc minimè pluente, solum sacrum illius caput petunt : Deo hoc ei ostendente, quòd ille quoquè florens virtutibus, tanquàm pulchra aliqua seges, rore appetitur, & quòd ilicò hic quoquè fructus portatur ad Dominum & agricolam. Hanc rem admirabilem alia quoquè consecuta fuit admirabilior. Cùm enim ille suum caput tenens dextera, ijs qui aderant, ostendebat roscidum, continuò capilli effloruerunt simul flaui, nigri & albi : nescimus, quidnam Deo per hæc signifi-

Vide humilitatẽ tanti viri.

Res planè miranda.

cante. Ille autem cùm, vt videtur, cognouisset, Sciatis, ô amici, dixit præsentibus, quòd ego quidem iam excedo è corpore: magna verò gloria Dominus mei excessûs circundabit memoriam, & multis hominibus dies mei aduentûs erit festi argumentum: idque omnis ætas peraget splendidè & magnificè, tam puerorum, quàm iuuenum & senum. Cùm hæc & multa alia dixisset & prædixisset, & alia, quæ oportebat, admonuisset, & quicquid erat bonum & salutare apud eos, qui aderant, oratione, vt semèl dicam, esset persecutus, & maximè de generali & omnium aliarum virtutum maxima, de charitate, inquam, in Deum & proximum, disseruisset, non multò pòst, vt dixerat, castam illam & sacram emisit animam, in Angelorum quidem chorum meritò admissus: neque tamen omninò discedens ab hominibus: sed nunc quoquè maximam curam gerens, quandò & Deo est propinquior, & maiori apud eum fiducia vtitur & libertate. Atque multa quidem post eius decessum & facta sunt ab illo, & adhuc fiunt: Nos autem, nè & fine vitæ protinùs etiam circunscribamus miracula, neque rursùs scriptionem nimiùm extendamus, cùm vnius aut duorum meminerimus, Deo volente, finem imponemus orationi.

Sancti nostri curam gerunt.

Cap. 37. Festum S. Spiridonis.

Dixit quidam ex ijs, qui sunt Christi amantes, & sanctum quidem ardēter amant: amant autem nihilominùs etiam veritatem: quòd cùm eius dies festus celebraretur, (celebratur autem duodecimo mensis Decembris) accessit ipse quoquè ad sepulcrum, tanquàm viuum allocuturus, magnam in eum vultu significans reuerentiam & venerationem. Cùm autem propè fuisset, & oculos esset admoturus, dicebat se tantam diuinam sensisse visitationem intùs operantem, & cor eius adeò penetrâsse, vt sublimè quidem fuerit raptus spiritu, & solas, quæ illic sunt, visione perciperet pulchritudines: oblitus quidem omnium terrenorum: oblitus verò ipsius quoquè corporis, vocisque & sermonis propè expers: ieiunus quoquè, & neque apud vllum vocem emittens, neque cibum aut potum toto illo die admittens, nisì solùm, quòd sumpsit diuinum corpus & sanguinem Dominicum. Porrò autem aliâs quoquè ei extitit miraculum euidentius: est verò modus ad narrandum iucundissimus. Ille quidem, vt dixit, cùm eum rursùs eius dies festus inuitaret, accessit Trimmythuntem: & capsam, quæ sancti continebat reliquias, adorans & amplectens, similiter quidem habuit cor repletum lumine: impletus est autem ei quoquè animus voluptate, & quænam bona expectant sanctos, per præsentia, quoàd eius fieri potuit, coniecit. Deindè iuit ad nundinas, vt supellectilem quandā emeret, & vestimenta, vt ijs indueret pauperes & egenos, vtpotè quòd tempus anni ad id vocaret. erat enim frigus. Cùm ea ergò adornâsset, & domum eundum esset, vsu ità poscente, erat quidem nubium concursus, vt solet hyeme: intentabantur autem minæ vehementis futuræ pluuiæ: & non parùm erat solicitus, num ità afflictus, cùm onus tradidisset pluuiæ, deberet compēdiò domum iter ingredi. Bonam itaque spem sibi proponit: & cùm supellectilem, & quicquid erat vestium, iumentis imposuisset, ipse currit ad templum Domini, & loculo circùnfusus, & tanquàm viuum ardenter amplexus, rogat, vt sit ei viæ comes & bonus dux, eique & suis omnibus faustum & felix iter præbeat, imbriū minas & vim reprimens ventorum. Ille quidem hæc precatus, exit è Trimmythunte. Sanctus autē, sicut ipse fuerat precatus, non solùm fugiens obtutū, sed etiam cadens sub oculos, per totam viā simul aderat, tanquàm vnus ex viatoribus. Pluuia verò ex confusione aëris, & concursu nubium, vt semèl dicam, impendebat: eius autem virtute cohibebatur, & reprimebatur illius impetus. Quandò verò is peruenit domum, ille quidem protinùs euanescit: eius autem cor rursùs ineffabili luce illustrabatur, & gaudio diffundebatur: perindè àc si sanctus id tetigisset, & ipsum impertijsset sua lætitia & voluptate. Cùm autem sanctus quidem euanuisset, vir verò domum esset ingressus, statìm quidē admodùm vehemens pluuia est consecuta: quæ tandiù durauit, vt tres totos dies non defecerit. Et tunc quidem sic viæ difficultatem, aliâs autem ei etiam aliam depulit animi ægritudinem.

Visio cuiusdam.

Inuocatur S. Spiridon.

Vide quid illa effecerit inuocatio.

Cap. 38. Dies festus S. Spiridonis.

Agebatur quidem dies festus magni Spiridonis: non licebat autem huic viro cò venire: & ea res ei quædam grauis videbatur calamitas, rogabatque, nè consueta visitatione priuaretur & gratia. Quid igitur? Nondùm finitæ erant preces, & visus est sibi ire ad templum, & simul illius sensit aduentum, illuminationisque & dulcedinis de more fuit particeps: & sibi visus est templum ingredi: & cùm ipse esset

pre-

precatus,fuiſſe cum eo per totam glorificationem.Qui cùm omnibus,qui aderant, benedixiſſet,tandèm receſſit.

Mihi quidem oratio,ſi non res omnes illius, at eas quidem certè dixit, quæ viris bonis & virtutis ſtudioſis ſufficiunt. Quomodò autem quotidiè eorũ, qui eum rogant,curam gerat,& eos protegat, non alij,vt par eſt,dixerint,quàm ij ſoli, qui eius miraculis ſingulis horis fruuntur & gratia. Oportet verò ne hoc quidem fraudare viros pios. ſi quis dubitans quærat, vndenàm ſit Spiridoni tantum mare miraculorum : & quibuſnam benefactis effectũ eſt, vt eſſet tam gratus Domino:ſciat omnia quidem bona & honeſta, tanquàm ex conſenſu in eum concurriſſe, & eum fuiſſe præſtantiſſimæ vitæ exemplar definitum. Vnum autem ſignum,quo cognoſceretur Spiridon,& inſigne aliorum prȩſtantiſſimum,erat ſumma humilitas & inſignis moderatio : & quòd cùm omnes ferè alios ſuperaret,qui ſunt miraculorum gratiam conſecuti,ſe nihil exiſtimaret,neque putaret ſe præſtare alicui ex vilibus & abiectis & grauatis peccatorum multitudine.Talia quidem ſunt eius vitæ benefacta, talia autem miracula. Concedatur verò nobis quoquè,vt illius aliqua (vix enim fieri poteſt,vt omnia) eius auxilio imitemur : vt efficiamur etiam cum eo participes paratorum bonorum, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti : Cum quo patri ſimul cum ſancto ſpiritu, gloria, honor, potentia & adoratio : nunc & ſemper,& in ſecula ſeculorum, Amen.

Cap.39. — Nota, Sanctum eorũ curam gerere, qui eũ rogant. — Sũma eius humilitas.

DE S. VVALERICO videat Lector Tomo 2. primo die Aprilis.

MARTYRIVM SANCTORVM ET GLORIOSORVM CHRISTI MARTYRVM, EVSTRATII, AVXENTIJ, *Eugenij, Mardarij & Oreſtis : Authore Simeone Metaphraſte.*

Habetur in Tomis Aloyſij.



IMPERANTE Diocletiano & Maximiano, vniuerſum Romanorum Imperium completum fuerat cultu ſimulacrorũ,& omnes homines pérciti mutua quadam inter ſe inuicèm æmulatione, proficiebant in hac falſa religione : maximè cùm edicta imperatoria quotidiè,vt ſemèl dicam,mitterentur ad loci magiſtratus,quæ iubebant, vt Calendis magnificè offerrentur dijs ſacrificia : & fore,vt ab Imperatoribus honorem conſequerentur, eiſque noti euaderent,qui ad hæc ſuum ſtudium contuliſſent, ſignificabant : ij autem, qui in eis colendis eſſent aliquo modo ſocordes, & ad aliam inclinarent religionem,priuati ijs bonis,quæ habebant, poſt multos cruciatus ſubijcerentur mortis extremæ ſententiæ. Erat itaque magna perſecutio in toto orbe terrarũ, cùm quotquot erant vbiquè magiſtratus & Præſides,magnam curam gererent,vt de medio tollerent vniuerſum †.

Decemb.13. Cap.1. — Cultus dæmonũ maximè ferueт ſub Diocletiano.

† Deeſt hic, Chriſtianiſmum, vel, Chriſti cultũ, aut aliquid tale.

Accidit autem, vt cùm illo tempore ad hos tyrannos eſſet delatum,quòd tota magna Armenia & Cappadocia illorum edicto repugnarent, & iam vnanimes ſpectarent omnes ad defectionem,immutabilem habẽtes animum in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum : propter hæc fuit conturbatus Cæſar Diocletianus, & cùm omnes ſuos acceerſiuiſſet proceres,& tribus diebus à manè vſque ad veſperam cum eis conſultâſſet,depoſuit eos,quibus commiſſȩ fuerant rectiones vtrarunque harum gentium,eos ſimplicitatis damnans & ſtultitiæ : miſit verò duos viros,qui è Græcia ducebant originem : patriæ autem doctrinæ magnam conſecuti fuerant cognitionem : erant verò ingentis & immanis ſpiritûs,* aures ad cogitandum, & ad dicendum promptiſſimi : & qui mores habebant & calliditatem, quæ non poterant indagando & perſcrutando cognoſci.Ex quibus cùm vnum quidem, nomine Lyſiam,iuſſiſſet curam gerere omnium limitaneorum : alterum,qui vocabatur Agricolaus,iuſſit totius Prȩfecturæ adminiſtrare imperium : decernens,vt non ſolùm eis deſeruiret manus limitaneorum,ſed etiam quicunque milites erant collocati in propinquis ciuitatibus.

Cap.2. — for. * acres

Cùm hi ergò in has veniſſent prouincias,protinùs omnis ætas hominum immiſeri- Cap.3.

Crudelissimi duo viri mittuntur ad vexandos Christianos.

sericorditer & absque vlla venia excindebatur: cùm neque vlla inueniretur opportuna occasio: parua autem & quælibet calumnia, aut ab inimicis, aut à maleuolis hominibus sequeretur. Innumerabilis verò multitudo Christianorum indagabatur, & quotidiè compræhendebatur, & his sanguiuoris bestijs tradebatur ad interitum. Dux ergò Lysias versans in Satelcon, si huius regionis inueniebat aliquos sanctos viros & sanctas fœminas, post multas interrogationes & tormenta, sub tutissima custodia transmittebat vinctos ad Agricolaum in metropolim Sebastenorum: vt ab illo de medio tollerentur, & non sinerentur in sua regione, & nec eorum cognati & necessarij vllam eorum curam gererent, nec iusta fierent eorum corporibus: Prouinciæ quoquè Præside similiter transmittente eos, qui apud Sebastenos orti erant, Satelcon, hoc improbo diù antè inter se inito consilio. Impia enim sua mente cognouerant, Christi athletis non futurum hoc paruam partem supplicij.

Cap. 4. Eustratij magna pietas.

Cùm hæc sic fierent, quidam Eustratius, qui erat Ducalis ordinis scriniarius, & eo tempore primas partes in ea obtinebat, vir pius & Deum timens, & qui vitam agebat citra vllam reprehensionem, angebatur animo propter ea, quę fiebant quotidiè: suppliciterque & miserabiliter vociferabatur ad Dominum nostrum Iesum Christum, in ieiunio perseuérans & oratione, vt propitius esset suis famulis, & intueretur populum suum in salute, & in malorum cōsolatione. Cupiebat autem ipse quoquè idem, quod sancti, subire certamen, & assequi martyrium: sed varias minas & sæuitiam insuperabilem, multiplicemque molitionem & machinationem Præsidis pertimescebat. Sui tamen scopi & instituti periclitationem faciebat hoc modo: Nam cùm zonā suam accepisset, dedit famulo suo fidelissimo: & iussit eam portare in ecclesiam * Araucenorum, ex qua processerat, & in ara deponere: eum ipsum autem, cùm eam latenter occultauerit, seruare: & si viderit quidem quendam Auxentium Dei seruum, cui ferunt omnes pietatis testimonium, qui eo tempore erat presbyter huius ecclesiæ, ingressum ad orandum, eam sustulisse, vt habeat zonam, sinere, & ad ipsum reuerti. Si aliquis autem alius hoc faciat, nequàquàm ei permittere, sed eam zonam repetere: hoc in mente iudicans, quòd si presbyter zonam abstulerit, futurum sit id diuinum consilium & prouidentia, quæ significet felicem successum martyrij, quod desiderat. Sin verò hoc nō euenerit, debere eum latére, nec audere vti fiducia & dicendi libertate.

for. *Arabraciuorum

Auxentius presbyter optimi testimonij.

Cap. 5.

Cùm hoc ergò factum esset, & famulus paucis pòst diebus reuertisset, & dixisset quòd eaipsa hora, qua zonam in ara posuerat, sicut iussus fuerat, presbyter Auxentius, tanquàm ab aliquo missus, ingressus sit ecclesiam, & zonam acceperit. His auditis, lætatus est vir pius, & ex Prætorio accipiens omnes suos amicos hora prandij, venit lætus, & magnam vultûs alacritatem, quantam nunquàm anteà, ostendens in conuiuio: adeò vt propter insuetum hoc spectaculum adducerentur omnes in admirationem, & scire causam, magnifacerent. Vnus autem ex ijs, qui simul accumbebant, ætate iunior, eius charus amicus & ciuis, nomine Eugenius, fidenter eum percontatur, dicens: Nunquid, ô maxime Eustrati, propterea quòd à nostro Præside in crastinum diem sunt parata, & publicè producenda omnia tormentorum instrumenta aduersùs Christianos, accessit tibi profusus hic risus, vt qui ex eo speres aliquid lucrari? Hoc verò dixit, propterea quòd in illum annum esset ipse Commentariensis. Sanctus autem respondit Eustratius: Rectè existimâsti, ó amice. Spero enim ego quoquè die sequenti ex hac re consequi thesaurum, qui auferri non potest. Sequenti verò die Lysias, ei erecto excelso tribunali in media ciuitate in signostasio, iussit omnes, qui erant in custodia, produci vt interrogarentur. Sanctus autem Eustratius profectus in carcerem, rogauit omnes sanctos, vt pro eo orarent. Dixit enim, se illo die futurum paris socium certaminis. Cùm omnes autem orâssent, & genua flexissent, & extremum Amen dixissent, secuti sunt sanctum Eustratium, cùm eos tenerent milites.

En vt lætatur Eustratius ob futurum martyrium.

Cap. 6. Eustratij egregia coram iudice dicendi libertas.

Cùm autem cohors, vt consueuerat, adstitisset ante Iudicem, iussit Lysias sigillatìm adduci ad suum tribunal eos, qui priùs fuerant interrogati. Eustratius dixit Commentariensis: Literis imperatorijs pridiè rursùs lectis in iudicio, quæ decernebant, vt omnes qui vbiquè inueniebantur Christiani, cuiuscunque essent dignitatis, iudicio tuo subijcerentur, Auxentius, qui olìm quidem fuit opibus & vita acta insignis, probatior autem & ornatior ex ea, quæ nunc ei inuenta est generositate &

tate & animi fortitudine, vt qui sit seruus Christi Regis cælestis, paucis his antè diebus assistens in hoc tribunali, transegit certamen immortalitatis, tuam, ó Iudex, arguens impietatem, verborum sapientia & operum tolerantia: & quoniam ab illo die cum inclusum in publica custodia iussisti adduci hodiè examinandum cum cœtu, qui cum eo erat, stant mecum omnes forti & robusto animo, tuas machinas, quæ à patre tuo diabolo sunt tibi suggestæ, dedecore affecturi, & omninò deleturi. His auditis Lysias, hanc inopinatam viri admiratus libertatem, & cædem spirantibus oculis eum intuitus, ex imo pectore & iracundo eius animo emisso suspirio, voce intonuit, sic dicens: Acerbius mihi, quàm vnquàm anteà, extitit hoc iudicium, & Græca patria austeritate repletum, oratore mihi proposito scelerato hoc carnifice. Ab eo ergò stante tollatur, qua indutus est, læna & zona: & ex his signis ostendat omnibus, se alienum ab ea, quæ ad ipsum pertinebat hucusquè, militia. Deindè nudus corpore, funibusque expansis manibus & pedibus, humi extensus, pergat exequi eam, qua se defendit, concionem. In eum sæuit iudex.

Hoc autem facto maxima celeritate, dixit Dux: Nulla, ó Eustrati, dúceris pœnitentia ob ea, quæ à te sunt inchoata perniciosè, vt, quæ mihi inest clementia, effugias supplicium? sed exordire, & dic ante tormenta, cum tuo nomine, patriam quoquè quæ te tulit: & aperi nobis nouitatem eius, quæ in te latebat, religionis. Dixit sanctus Eustratius: Natus sum in oppidulo * Araucenorum, nomine Eustratius, cognomine Cyrisices paterno sermone. Sum autem seruus Dei, Domini vniuersorum, & adorandi eius filij Iesu Christi, & sancti spiritus. Ex maternis fasceijs didici, quam colo, religionem. Dux dixit: Deponat cohors: quot annos transegit in hac militia? Cohors dixit: Vicesimusseptimus annus completur hoc anno, ex quo, cùm esset adhuc paruus ætate, functus est munere Exceptoris. Dux dixit: Nunc, ó Eustrati, videns quòd ex tua inobedientia tibi imminet periculum, & resipiscens ex eo, qui tibi accidit furore, sapienti vtens ratiocinatione, nè relinquas eam, quæ à te tot annis rectè & ordine gesta est militiam, propitiam deorum inuocans potentiam, & Imperatorum beneuolentiam, & iudicij clementiam. Dixit sanctus Eustratius: Execrandos dæmones, & surda simulacra ab hominibus constructa, nullus vnquàm homo, qui compos esset mentis, censuit adoranda. Dictum est enim alicubi in nostris scripturis: Dij, qui cælum & terram non fecerunt, pereant. Dux dixit: Sed est'ne is compos mentis, qui Deum adorat Crucifixum, sicut vos pleni superstitione? Sanctus Eustratius dixit: Si tibi non essent mutati sensus mentis, & perturbationum conspersione non esset ad res terrenas tibi transmutatus animus, ostenderem tibi hunc Crucifixum, verum esse seruatorem & Dominum, & vniuersæ creatæ naturæ opificem, qui est cum patre ante secula, & ineffabili sapientia per regenerationem suscitauit nostram mortificationem. Cap 7. for. *Arabracinorũ. Liberrimè respondet S. Eustratius. Ierem. 10.

Cùm autem vellet adhuc sanctus contexere orationem, interrumpens dixit Dux sceleratus: Funibus in aërem feratur hic vir generosus: ignis autem congeries accensa admoueatur eius pectoribus ad hoc, vt comburantur. Supra humeros verò tripliciter vno impetu virgis verberetur, vt oratione nobiscum decertet elegantiùs. Cùm hoc autem factum esset, & multis horis sancti infernè viscera & venter ab igne substrato combureretur, & acerbissimis plagis eius tergum virgis flagellaretur, nulla vox emittebatur: sed neque vlla vultûs apparebat mutatio, cernique poterat & conijci, quòd in alieno corpore subibat supplicium. Propterea obstupefactus sceleratus Iudex, vix tandem iussit eum relaxari à tormento, & vultu subridens, dixit: Quisnam tuus est sensus, ó Eustrati? Vis paruam aliquam aliam tibi impositis plagis excogitem delectationem? Sanctus ait Eustratius: Maximè. Dux dixit: Quoniam ergò quæ nobis placent, à tacente illo sunt approbata, iubeo muriam aceto contemperatam magno fluento infundi membris igne combustis, & acutis testis fortiter ei affricari, donèc ex nostro ministerio eorum, quæ sunt iucunda, plurimo sensu percepto satiatus fuerit. Cap. 8. Vide crudelissimum iudicem. Et martyrẽ fortissimũ. Immane suppliciũ.

Cùm magna autem celeritate eo quoquè ei allato tormento, eâdem vsus est constantia & animi fortitudine, & neque vllus, quantunuis leuis, gemitus audiebatur emitti. Dux dixit: Tanquàm in scena superstitionem ostentat & iactat hic, sicut dicit, athleta Crucifixi. Nunc ergò dicat, si per hæc castigatus, sibi persuaserit ad sa- Cap. 9. Inuicta patientia.

cras deorum aras accedere adoraturus. Sanctus dixit Eustratius: Propter eam,quę est in te, superstitionem & falsam religionem hæc, sicut existimas, mihi inferens supplicia,imprudens & insciens me hodiè multis affecisti bonis,quæ mihi maximè erant in votis,ô Iudex. Circunfusam enim caliginem & obscuritatem,quæ ex crassitie corporis meo inerat animo,his à me tormentis depulisti: & quæ principatum obtinet,rationem,earum, quæ longo tempore intentabantur,tentationum victricem conseruâsti: & effecisti,vt funderem ac profligarem eas,quæ in me magno impetu insurgebant, animi perturbationes, nullo tumultu oppugnandum mihi largitus præsidium interni spiritûs, qui mihi vitam regit in immortalitate: in quo sunt mihi reconditæ diuitiæ incorruptionis: & ostendisti viam compendiosam & ab afflictione remotam,per quam potero in fictili hoc corpore degens, vitam amplecti angelicam,& cælesti frui æternitate. Nunc scio me esse templum Dei, & sanctum eius in me habitare spiritum. Discedite ergò à me omnes,qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletûs mei, Dominus deprecationem meam suscepit. Exultabit reuerà anima mea in Domino,delectabitur in salutari eius. Omnia ossa mea dicent: Domine Domine,quis similis tibi? liberans inopem à manu potentiorum eo,& à diripientibus eum. Festina ergò & decerta, minister aduersarij,& quòd in te est,nihil remitte: & proba me sicut aurum in fornace magis magisque: & in me non inuenies sordem,quæ est tibi amabilis, & re vera quæritur. Tui enim dij sunt abominationes,quæ tuæ & tui Imperatoris dominantur egestati rationis.

Supplicia S. martyri sunt deliciosa. *Psal. 6.* *Psal. 34.*

Cap. 10. Dux dixit: Mentis fortaſsè,vt videtur,emotio consecuta est corporis imbecillitatem: quo factum est,vt multis verbis vsus sis obscuris & superuacaneis. Si enim posset ille tuus,vt dicis, Deus te participem reddere immortalitatis, à præsenti vtiquè te plaga liberâsset. Mittens ergò vanæ spei agitari somnijs,propera ad salutem, quæ à me ostenditur. Dixit Eustratius: Vis persuaderi, ô tu qui es orbus omnibus sensibus, nihil esse quod meus non possit Deus? Attende,& me intuere, quem tuis tormentis existimas morte esse mulctatum. Cumque omnes in eum defixissent oculos,repentè veluti quædam squammæ eiectæ sunt ex eius corpore: & stetit sanctus totus sanus,corpus nihil habēs omninò laceratum. Cùm propter miraculum autem,quod factum fuerat,omnes Deum glorificâssent,quidā Eugenius vir Arauracenus,qui erat ipse quoquè oppiduli officialis eiusdem cohortis, & permanebat apud sanctum Eustratium,magna voce exclamauit,dicens: Lysia, Ego quoquè sum Christianus, & tuam anathematizo religionem,& iussui Imperatorum & tuæ resisto voluntati, sicut etiam dominus meus Eustratius. Dux ergò propter hæc indignatus, & eum execratus,ipsum quoquè comprehensum iussit duci in medium,& sic est effatus:

O prædicādā Christi virtutem & potentiam. *Eugenius se Christianū profitetur.*

Cap. 11. Cùm horum,quos punire est difficile,interrogatio tempore & ocio opùs habeat opportuno,nunc autem vrgear ad suscipiendam consuetam rerumpublicarum defensionem, hunc præstigiatorem & incantationibus miraculorum effectorem Eustratium & Eugenium, quem nupèr apparuit idem quod ipse sentire,toto corpore ferro vinctos iubeo conijci in carcerem cum reliquis,qui sunt mihi seruandi ad aliam examinationem. Hęc cùm pronunciâsset,descendit è tribunali. Sancti verò ducebantur omnes læti & exultantes propter tantam tolerantiam sancti Eustratij, constansque testimonium,& propter salutare,quod in ipso factum est,miraculum Domini nostri Iesu Christi. Postquàm autem ingressi sunt custodiam, psallebant omnes vna voce: Eccè quid æquè bonum & iucundum,atquè habitare fratres in vnum? & quæ sequuntur. & postquàm preces implêssent,sedentes docebantur à sancto Eustratio,promptique & alacres ab eo reddebantur ad propositam eis decertationem.

Martyres ducuntur in carcerem. *Psal. 132.*

Cap. 12. Die illo in his trāsacto,sequenti nocte Dux cùm surrexisset,professus est se velle ire ad ciuitatē Nicopolitanam: & interim dum soliti ad iter se parabant ministri, prosilijt ipse in custodiā,vbi erant sancti,& solum beatū Eustratium iubet trahi foràs. Cùm autem esset adductus,vultu ridenti dixit ei: Lætare charissime Eustrati. Sanctus verò respōdit: Deus omnipotēs,cui ego seruio,te vicissim dignè salutet,ô Iudex. Dux dicit: De Deo sit tibi curę: in pręsentia aūt cape & gesta hāc,quę tibi datur,crepidā, vt lubens nobiscum iter facias. erat verò crepida longis & acutis clauis transfixa,vt tanquàm fibulis perforaretur quælibet pars pedum eius. Cùm hac ergò

O immanē tyrannum.

ergò crepida cum induisset, & loris adstrinxisset, suo obsignauit annulo: & iussit eum, dum duceretur, per totam viam verberari & trahi cum reliquis sanctis. Ipse autem cum toto, qui cum eo erat, exercitu iter persequebatur, & post duos dies peruenerũt ad castellum, quod est prope Arauracos. Cùm sancti autem accessissent, quotquot erant illius regionis, egressi sunt ad spectaculũ, desiderantes videre beatum Eustratium. Nullus verò cognatus nec amicus audebat ei appropinquare, nè ipsi quoquè comprehenderentur. hoc enim à scelerato Duce quibusdam iam imperatum fuerat.

Quidam autem Mardarius, vir quidem sorte priuatus & suo contentus, cùm illis diebus domum sibi cõstruxisset, tegebat domum. Cùm in omnes autem sanctos defixisset oculos, vidit medium eorum tanquàm stellam insignem Eustratium: & cùm citò è domo descendisset, dixit vxori suæ sermone Armenio: Vides, ó vxor, eum qui erat dominus eius, quæ est circuncircà regionis, qui & genere & opibus erat tam insignis, & tandiù fuerat militiæ clarus, quemadmodùm omnia despexerit, & abit, vt Deo fiat grata hostia, & regnum cæleste cõsequatur? Beatus ille, quod & in hac vita fuerit gloriosus, & apud Dominum nostrum sit magnam habiturus fiduciam, & cum Angelis ineffabili voluptate fruiturus. Egregia autem illius vxor respondit: Dulcissime marite, quid obstat, quó minùs tu quoquè eò venias, & eandem, quam ipse, viam ineas, & sanctam consequaris cum ipso consummationem, vt sis meî defensor, & horum puerorum infantium, & totius tui generis? Dixit eius maritus: Da mihi calceos, & ingrediar viam à me desideratam. Illa verò hoc fecit velociter, & læta eum dimisit. Qui cùm accepisset calceos, & se veste induisset, & duos quos habebat filios vlnis esset amplexus, stetit ad Orientem, & Dominum inuocauit, & dixit: Domine Deus pater omnipotens, & Domine Iesu Christe, & sancte spiritus, vna diuinitas, vna virtus, miserere meî peccatoris: miserere ancillæ tuæ, & eam suscipe & hos duos infantes, qui es defensor viduarum, & pater orphanorum. Ego enim, Domine, cum magno & alacri animi studio ad te venio. Hæc cùm dixisset, osculatus est suos filios, & dixit: Salua sis mulier, & noli affici tristitia, nec flere: sed gaude & exulta. Te enim & filios meos & animam meam depono in manu boni Dei nostri, qui potest omnia.

Et cùm hæc dixisset, cursim est egressus: & venit ad quendam nomine Mucarorem, qui in regione Auracenorum habebat habitationem, & in ea obtinebat primas partes, & erat vir valdè clarus & diues: & cùm eum salutâsset, dixit: Ecce ego vado ad amicum tuum & cognatum Cyrisicem, & Deo volente, ero ei comes in via, & cum eo subibo discrimen certaminis. Tu ergò esto post Deum defensor meę vxoris, & meorum filiorum in hac vita: & pro hac gratia ego quoquè tibi operam nauabo in illo die, quandò coram Deo sistemur, vt mercedem accipias. Dixit verò vir ille pius: Abi in pace, fili mi, & pulchrum hoc iter confice: & nè de eo sis solicitus: satisfaciam tuo desiderio. ero enim spiritali affectione vxoris tuæ maritus, & pater tuorum filiorum. His auditis, Mardarius cùm ei valedixisset, iam decætero prope castellum venit ad sanctos: & sic vocauit sanctum Eustratiũ: Domine Cyrisice, quomodò ouis simplex ad proprium currit pastorem, ità ego quoquè ad te, volens esse vobis in via comes. Me ergò suscipe, & refer, licèt indignum, in numerum sancti tui cœtûs, & adduc me, etsì indignum, testem Christo Domino. Et hæc cùm dixisset, clamauit voce magna, dicens: Ego quoquè sum Christianus, sicut etiam dominus meus Eustratius. Audite ministri diaboli, audite. Tunc cùm ipsum milites comprehendissent, colligârunt cum reliquis sanctis: & cùm in castello eum coniecissent in publicam custodiam, de eo quoquè ad Ducem retulerunt.

Hac ipsa autem hora, tanquàm leo rugiens, sedit ad examinationem: & pro more adducente cohorte lictorum, adductus est nudus, funibus manus habens vinctas sanctus Auxentius, sanctis adstantibus, & singula videntibus: & adhuc vultu læto Dux inquit: Auxenti, nos quidem liberans à laboribus, te autem salute dignũ censens, nunc saltem doce, an à vana illa & tibi perniciosa destiteris peruicacia, & cum dijs redieris in gratiã. Sanctus dixit Auxentius: Paucis audi, ó Lysia. iuro tibi eam, quæ præest & omnia adspicit, iustitiam, esse mihi mẽtem immutabilem: vnumque Deum me nôsse, & ipsum colere: etiamsì innumerabiles alias mihi plagas imposueris & cruciatus, maiores ijs, qui iampridèm mihi sunt illati: etiamsì me ferro,

Cap. 13.

Vide feruõrẽ Mardarij, ad martyrium properantis.

Is cõmendat Deo vxorem & filios.

Cap. 14.

Adiungit se sanctis martyribus.

Præclara Mardarij virtus.

Cap. 15.

Auxẽtij mira cõstãtia.

etiamsi me igne consumpseris, nūquàm poteris meam flectere cogitationem. Decæterò fac quod velis. Tunc Dux pronunciauit sententiam: Auxentius, qui post multa tormenta & cruciatus, etiamnunc permanet in sua perniciosa ignorantia, per ei paratam gladij amputationem, ferream suam, & quæ molliri nō potest, perdat animam, in loco aliquo nemoroso & deserto finem huius sententiæ accipiens, vt iusta sepultura infelix eius corpus careat. Qui autem ausus est se nupèr reliquorum cœtui adiungere, perducatur in medium, celeriter consecuturus honorem, qui ab eo requiritur.

Cap.16. Sanctum verò Mardarium soluentibus militibus ab ei impositis collaribus, hic beatus dicebat: Domine mî Cyrisices, ora pro me, rogo te: & doce me, quid sum responsurus huic exitioso & pestifero homini: nè me tanquàm agrestem & illiteratum hominem irrideat immanis iste lupus. Sanctus autē ei dixit Eustratius: Dic solùm constanter, frater mî Mardari, Sum Christianus, Sum Christi seruus: & nihil aliud respondeas, si quid contrà dicat aut faciat. Cùm verò esset adductus, dixit cohors: Adest Mardarius. Dux dixit: Qui se nupèr tradidit interrogationi, is nomen doceat, studiū, quæ eum tulit patriam, conditionem, & quænam sit ei religio. Mardarius dixit: Sum Christianus. Cùm autem rogaretur ab apparitoribus, vt diceret nomen, & cōditionem, & patriam, perseuerauit clamare, Sum Christianus. Et cùm diù rogaretur, nihil aliud dixit nisi solū, Sum Christianus, Sum Christi seruus. Cùm eius itaque simplicitatem & puritatem vidisset Dux sceleratus, dixit: Terebra terebrentur calcanei pedum eius, & funibus traiecti, ab orbe rotæ pendeāt: candentes autem obelisci, eius tergo admoueantur, vt ex hoc ambitu fiat sanæ mentis, & ad danda responsa idoneus. Cùm hoc autem factum esset, & ipse diù pēderet à calcaneis, & vreretur subulis, emisit vocem, dicens: Domine, ago tibi gratias, quòd me his bonis sis dignatus. Desideraui salutare tuum, & amaui ipsum valdè. Suscipe animam meam in pace. & cùm hæc dixisset, tradidit spiritum.

Mardarius offertur iudici. *Mira eius simplicitas.* *En crudele supplicium.* *Felicissimè Mardarius expirat.*

Cap.17. Demissis verò sancti eius reliquijs, Dux dixit: Nudo corpore adducatur etiam is, qui est ex Satalcorū regione Eugenius, qui, cùm de Eustratio haberetur quæstio, ausus est subire, quem non dico Christianum, vt ipsi errantes dicunt, sed planè achreston, hoc est, inutilem. Cùm ipse autem adstitisset, dixerunt apparitores: Adest Eugenius. Dux dixit: Dic mihi sceleratissime, quis malus dæmon te malis fatis actum ad tantam impulit audaciam, vt cum tanta te ingereres impudentia, & nihili faceres iudicij austeritatem? Dixit sanctus Eugenius: Deus meus, qui, quos tu colis, dæmones abolet, ipse dedit mihi virtutem, & largitus est mihi fiduciam & dicendi libertatem, vt tuam conspuam infelicitatem, sordide canis, thesaure satanæ, qui tecum traditur in interitum. Dux dixit: Contumeliosa eius lingua excindatur: ense verò priuetur vtrisque manibus, & baculis confringantur eius tibiæ, vt in nos se gerat temperantiùs. His autem factis, ipse quoquè tradidit spiritum.

Eugenius constanter respondet tyranno. *Discerucia tur, & abit ad Christū.*

Cap.18. Hæc cùm fecisset Dux sceleratus, exijt in campum, vt exerceret exercitum. Cùm autem recenserentur, vnusquisque ostentabat suam in armis experientiam, Duce contemplante. Quidam verò Orestes nomine, vir procerus & forma decorus, ad nomen vocatus & ordinem, adstitit Lysiæ. Cùm Lysias autem eius laudâsset speciem, & verum appellâsset militem, iussit pilum torquere ad scopum. Cùm is verò manum direxisset, & arma concussisset, quę ab eo in pectore ferebatur Crux aurea, è veste eius excussa, extrinsecùs apparuit, ità vt omnes eam cernerent, & ipse etiam Lysias. Statìm autem adductus, stetit prope Ducem: & cùm manu Crucem accepisset Lysias, rogauit quidnam hoc esset: Nunquid tu quoquè es, inquit, ex ijs, qui sunt partium Crucifixi? Ille verò dixit: Sum seruus Crucifixi Domini mei Dei: & hoc gesto amuletum ad omnia mala auertenda, quæ mihi ingruunt. Dux dixit: Hic quoquè egregius miles, vinctus cum illo carnifice Eustratio, sit ei comes in via, cùm opportunè sit de eis habenda quæstio in ciuitate Nicopolitana. Cùm venisset autem Lysias in ciuitatem Nicopolitanam, magna multitudo legionis militum, quæ erat in ciuitate, ad eum accesserunt, & omnes vna voce clamabant: Lysia, nos quoquè sumus milites Domini nostri Iesu Christi: fac quod velis. Ille verò primùm quidem fuit obstupefactus, timens nè aliquid noui aduersùs eum innouarent. Deindè cùm cognouisset, quòd sicut oues seipsos tradiderunt, solutis zonis suis, iussit ipsos compræhendi, & vinctos conijci in carcerem: apud se autem consi-

Orestes miles Crucem auream ad pectus gestauit. *Multi milites vltrò Christum cōfitentur.*

considerabat, quemadmodùm in sanctis perdendis se gereret, & non esset à Nicopolitanis, aut ab eorum cognatis aliqua confusio. Præcipuè autem timebat S. Eustratium, nè si rursùs ei inferrentur torméta, faceret similiter aliquod miraculum: & non solùm in fide confirmaret eos, qui iam erãt Christiani: sed gentiles quoquè traduceret à cultu simulacrorũ. Visum est ergò ei, cùm manè surrexisset, transmittere ad Agricolaum in ciuitatem Sebastenorum, sanctum Eustratium & sanctum Orestem. Cùm esset itaque dies, iussit hoc fieri, publicam scribens epistolã ad Agricolaum hoc modo:

Magnificentissimo Agricolao Dux Lysias: Cùm in vniuersa terra, quæ est sub Sole, neminem nôssent diuinissimi nostri Imperatores, qui meliùs scrutari posset arcana orbis terræ, regendæ prouinciæ tibi dederunt potestatem. Apertè enim sciunt, te posse noctes, sicut dies, ad rempublicam defendendam cõsumere. Quæ dormire non possunt itaque stellas priùs somnus domuërit, quàm tuos oculos sopiërit, donèc effectum fuerit id, quod studes ad vtilitatem vniuersorum: & vt semèl dicam, cùm apud te solum summam inesse vidissent vnamquanque partem, meritò huius, quam nunc obtines, administrationis, quæ nihil habet contemnendum, dignitatem permiserunt. Quocircà ego quoquè testis tam multarum, quæ in te insunt, rerum præstantiæ, hunc ad te vinctum mitto Eustratium, qui eorum qui dicuntur Christianorum magno morbo laborat: maximè cùm nihil possim inuenire, quod sufficiat ad auertendum audacia eius cœpta: sed etsi eius, quæ mihi seruit, militiæ honorem esset assecutus, maiori superbia animo erectus, desijt in contumeliam. Quòd si intentarem metum, sua arrogantia circunscripsit futurum, vim suę superstitionis reddens potentiorem: & licèt videret alios eisdem affectos supplicijs, neque propter minas, quæ in eos intendebantur, suã repressit audaciam: sed quod euenerat, existimabat esse potiùs fortunę insultũ, quàm supplicium. Eum ergò, & qui cum eo est Orestem, qui est eiusdem sententiæ, ad tuam mitto sapientiam, sequens edicta Imperatoria. Cùm has ergò literas accepissent milites, & sanctos haberent vinctos, viam persequebantur. Sanctus autem Eustratius simul cum Oreste sic canebat in via: Viam iustificationũ tuarum elegi: instrue me, & discam mandata tua.

Cap. 19. Literæ Lysiæ ad Agricolaum.

Locus obscurus.

Psal. 118.

Impletis verò precibus, dixit: Frater Orestes, narra mihi, qua animi alacritate consummatus fuit sanctus Auxentius, & in quo loco. Sanctus autem Orestes dixit: Postquàm Dux pronunciauit in eum sententiam, rogauit milites, qui eum abducebant, vt veniret ad videndam tuam virtutẽ, & te iuberet valere. Nemo verò eum audire sustinuit: erat enim tempus prandij: & festinabant illi, ventri seruientes, implere id quod eis imperatum fuerat, & duxerũt eum in quandam vallem, quam nos vocamus Ororiam. Veniens autem, in via canebat sanctus: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: & vsq; ad ipsum locum impleuit Psalmum, & flexis genibus orauit. Cùm manus verò sustulisset, accepit tãquàm oblationem, & dixit, Amen: & cùm circunspexisset, vidit me prope eum stantem: & cùm me vocâsset, dixit mihi acriter: Frater Orestes, alloquere Dominum Eustratium, & dic ei, vt oret pro me: & eum citò ad me venturum: eum enim expecto. & sic fuit ei caput amputatum, omnibus, quos suspicio erat esse Christianos, passis persecutionem. Sanctæ autem eius reliquiæ noctù furto sublatæ sunt à presbyteris, qui erant in Arabracis. Eius verò capite non inuento, cœperunt flere & Deum rogare, vt eis aperiret sanctum caput martyris. Dei autem prouidẽtia stans cornix super ramum arboris, in qua erat caput, cœpit clamare. Cùm adspexissent verò ad ramum arboris presbyteri, in qua cornix stabat clamans, vident id iacens prope cornicem: & cùm ipsum honorificè sustulissent, sustulerunt etiam sanctas eius reliquias, & eas transtulerunt in locum purum & insignem. Hæc cùm sanctus audiuisset Eustratius, fleuit, & Deum inuocauit, & dixit Orestæ: Pergamus nos quoquè, & ad eum venire festinemus.

Cap. 20. S. Eustrati[9] cu S. Oreste iucundé colloquitur.

Psal. 118.

Sanctæ Auxentij reliquiæ insigni loco reponuntur.

Quinque autem pòst diebus sancti adducti sunt Sebasteam, & traditi sunt à militibus & : accepta Lysię epistola, Agricolaus iussit eos seruari in tutissima custodia: & die sequẽti cùm publicè sedisset in foro pro tribunali in ciuitate Sebastenorum, iussit Agricolaus duci sanctos. Vniuersa autem ciuitate congregata ad eos videndos, dixit Agricolaus: Epistola missa ab illustri Lysia, & quæ est consecuta scriptis mandata examinatio, priùs legatur. Quæ postquàm fuit lecta, sic locutus

Cap. 21. S. Martyres sistuntur ad tribunal Agricolai iudicis.

est

est Agricolaus: Nè existimes, ô Eustrati, similiter cessurum hîc tibi esse supplicium. Priusquàm ergò eius facias periculum, submitte te edictis Imperatorum: & accedens, sacrifica dijs. Dixit verò sanctus Eustratius: O Iudex, imperant' ne leges etiam Imperatoribus, an non? Dixit Præses: Maximè. Nam eæ ab illis seruantur. Sanctus dixit Eustratius: Tibi ergò ante omnes, & eos etiam, qui tecum sunt, in scriptis solìs sitæ sunt leges. Dixit Præses: Curnàm hoc dicis, ó caput impium? Quis vnquàm ausus est facere contra leges? Dixit sanctus Eustratius: Quoniam sic continetur in legibus Cæsaris: Vis quidem absit in omni sermone & facto: persuasione autem potiùs administretur respublica: & alterum duorum oportet, vt aut qui imperat, persuadeat ei, qui páret eius imperio, vt assequatur ea quæ cupit: aut qui páret, persuasus, sua sponte faciat quod iubetur. Et rursùs hoc continet post eũdem versum: Statuimus autem, vt Præses iudicet, miscens metum lenitati: vt neque alicui propter metum sint infensi, neque péccent propter lenitatem. Hæc, ó Iudex, ità scripta sunt, an non? Dixit Præses: Sunt. Te ergò rogo, idem ordo in me quoquè seruetur. Dixit Pręses: Et in te, & in omnibus leges cum ea, qua par est, reuerentia necessè est custodire. Sanctus dixit Eustratius: Sit ergò, rogo, tuus metus lenitate contemperatus, vt qui cùm sis omnium experientissimus, velis potiùs persuaderi, quàm persuadere, iudicans singula ratione. Sin autem hoc non licet, absque vlla ratione & constitutionibus, puni, occide, fac quod velis. Præses dixit: Quod velis, dic audacter & liberè, cùm gaudeat iudicium hoc potiùs efficere persuasione.

S. Eustratius ipsis legibus arguit Agricolaum.

Cap. 22.

Sanctus dixit Eustratius: Quibusnam dijs iubes me sacrificare, maioribus an minoribus? Dixit Præses: Ioui primùm, & tunc Apollini, & Neptuno. Sanctus dixit Eustratius: Quibusnam párens sapientibus, aut interpretibus, aut prophetis, inuenistis eos esse adorandos? Dixit Præses: Platoni, Aristoteli, Hermeti, & alijs sapientibus: quos si tu esses expertus, eorum coleres memoriam, ô Eustrati, cùm sint diuini viri & admirabiles. Sanctus dixit Eustratius: Nullius horum mihi sunt ignota mysteria: sed ab ineunte ætate eorum habui experientiam. Quinetiam in musica pulchrè sum versatus, vt cui obtigerit pater virtutis studiosus: &, si iubes, incipiamus primùm à Platone. Dixit Præses: Inuenimus Platonem in libro, qui inscribitur Timæus, descendisse in Pyræum, & precatum esse deam. Tibíne videtur hic esse sapiens, an non? Sanctus dixit Eustratius: Valdè condemnat Plato Iouem deum tuum. Audi autem verba Platonis. Quoniam verò incepisti à Timæo, & ciuilibus eius orationibus, audi in secundo eius libro ea, quæ sic sunt posita: Deus quoniam est bonus, omnium bonorum fuerit causa, sicut velutì dicimus: malorum autem nequaquàm causa. Et bonorum quidem nullum alium dicemus esse causam, nisi Deum: malorum autem non esse causam. Sed quid opùs est ab alio quærere? Non est ergò admittendus Homerus & alij Poëtæ, qui dicunt Iouem esse authorem bonorum & malorum. Violati ergò iurisiurãdi & confusi fœderis à Pandoro aduersùs Græcos rationem, non hic Iupiter, vt dicit Poëta, procurauit per Mineruam. Non laudabimus autem optionem, ad quam ipse duxit eos, quos tu deos existimas. Dixit verò Aeschylus, Deum causam producere mortalibus, quandò vult domos affligere, & euertere funditùs: Plato autem in sua ciuitate neminem vult hæc dicere aut audire, neque iuuenem, neque senem. Nefarium enim est, Deum fuisse parricidam, sicut hic Iupiter, qui nunc colitur à vobis, fecit, qui suum patrem Saturnum deiecit de cælis, & eum contriuit: aut factum esse cygnum, vt mortalem deciperet mulierem, & eam vitiaret. Pręterea verò rursùs ægrè fert Plato, quòd fletu & muliebri insania correptus deus tuus, ó Iudex, defleat inconsolabiliter mortem Sarpedonis. An non ità est? An non sunt scripta in libris vestris omnia fabulosa? Si ipse autem sapiens Plato vester scriptor, eum deum esse denegat, & iubet neminem hominẽ, cui virtus est curæ, imitari tales animi perturbationes: cur vosipsos submittitis, quarũ ipsi cõuicti fuerũt, actionibus, & nos eos hodiè adorare cogitis?

Sapienter cum illo in disputationem ingreditur.

Iouem ex ipsis ethnicorũ libris proscindit.

Cap. 23.

Dixit Præses: Tuam fero audaciã propter eam, quæ in me inest, philosophiam. Sed tu quoquè dic mihi, Quem tu colis Deum, quomodò cùm esset homo, ductusque fuerit ad iudicium, & in crucem actus, Deus esse est à vobis putatus? Sanctus dixit Eustratius: Si me patienter audias, primùm te interrogabo ea, quæ cogitationi meæ sunt proposita: & tunc dicã ordine id, quod à me quæsisti. Dixit Præses: Dabitur omninò tibi potestas & opportunè & importunè dicendi quod vis. Dic nobis quod velis. Dixit Eustratius: Omnem hominẽ, qui est sanæ mentis, conuenit Deum existimare

Libera ei fit dicendi potestas a

existimare iustum, qui compræhendi non potest, neque effingi, neque verbis explicari: estque immutabilis, & diuinis suis bonis omnem superat potestatem. an non ità tibi videtur, Iudex sapientissime? Dixit Præses: Ità arbitror. Dixit sanctus Eustratius: Hoc quoquè adijciemus, ei omninò nihil deesse. Præses dixit, Omninò. Sanctus dixit Eustratius: Quid ergò? dabimus'ne aliquos etiam alios esse deos, & eos consistere intra hanc, quam dicimus, ab interitu alienam essentiam? Sed est absurdum quod dicitur. Quòd si vel parùm quid eis desit huius beatæ conditionis, non arbitror, eos existimari deos ab hominibus. Deo enim nihil deest, vt priùs dictum est: cui credere, & quem adorare oportet omnes homines. Dicit Præses: Ità habet. Sanctus dicit Eustratius: Quid ergò, multi tui dij consistunt'ne intra hæc intemerata bona & immortalia, & pares inter se vires habent? Qui sunt in vna distincti essentia, & tanquàm in vnum verticem, conueniunt in virtutem diuinitatis, dicantur non dij maiores & minores, sed Deus vnus: qui in virtute incomparabili est vnicus, & nomen habet diuinitatis: & nè à vobis existimetur alius quidem cælum habitare, alius verò mare, alius autem terram. An non tibi sic videtur? crudeli iudice. Probat vnũ tantùm esse Deum.

Cùm non posset autem Præses ad hæc respondere, diù siluit. vix tandèm verò respondit, dicens: Mittens hos syllogismos, & multùm valere iubens rationum tuarum probabilitatem, hoc doce, de quo fueras interrogatus: Quomodò vos Deum colitis Crucifixum? Sanctus dixit: Incipiam, quomodò tuus poëta Hesiodus: In principio erat Erebus & Chaos, hoc est, caligo & profunditas aquarum. Deus ergò cùm tunc mundum in hunc ornatum distinxisset, & non ex subiecta, aut quæ priùs existebat, materia, sed omnia ex eo, quod non erat, ad essentiam produxisset, fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Malus ergò angelus, qui ipse quoquè obtinebat principatum in ordine Angelorum, cùm sua sponte rebellâsset aduersùs eum qui ipsum fecerat, & elatus fuisset superbia, à suo ordine fuit expulsus, & à Deo assidendi potestate: & meritò à Deo accepit sententiam, quæ eius puniret audaciam: & tunc propter eam eius inobedientiam, proiecit eum Deus à superna potestate, & Angelica eum priuauit gloria: hominem autem posuit in paradiso, dans ei mandatum quod exercebat ad obedientiam. vt vescerettur quidem omnibus bonis, quæ erant in paradiso: vnam verò non tangeret arborem: hoc ei instituto certamine, vt si ei insidiante malo, non ampliùs Angelo, sed dæmone, qui defecerat, & omnia contra eum machinante, posset primus homo non transilire ei datum à Deo præceptum, & dedecore afficere aduersarium, qui ei inuidebat propter insignem honorem: si hoc, inquam, factum esset, homo esset immortalis, degens incorruptione. Sin minùs, non sineretur ampliùs esse in paradiso: sed ex eo exterminatus, viueret & moreretur. Malus ergò dæmon, qui inuidia ferebatur in hominem, in eum varijs vsus est præstigijs, & cùm ope serpentis decepisset vxorem primi hominis, per eam ipsum quoquè induxit, vt præceptũ trãsiliret: vt ipse ideò expulsus ex paradiso à Deo omnipotente, deduceretur ad labores sudorum & interitum. Obtinuit itaque malignus victoriam, qui gloriabatur, quòd propter eam sententiam hominẽ accepisset redactum in suam potestatem: & cùm deceterò multiplicatum esset genus hominũ, is tanquàm tyrannus omnem animam redegit in seruitutem. Cap. 23. Præses respondere ei non potest. Gen. 1. Casus Angelorum. Gen. 2. Gen. 3.

Cùm itaque ij in multam lapsi essent impietatem, inundatione Deus mundum perdidit. Conseruauit autem Noë, quendam virum iustum, qui præclarè decertauit aduersùs malignum hunc dæmonem, & non fuit ab eo omninò superatus, in arca lignea cum vxore & liberis. Cùm rursùs verò restituisset omnem terram in pristinum statum, tanquàm ciuem quendam victorem eum in terra posuit. Procedente autem tempore, cùm rursùs multiplicarentur homines, omnis profecit impietas, & omnes vincebantur à peccatis, & morti subijciebantur, & vincti tenebantur apud inferos, ad interitum examinati à maligno dæmone. Misertus autem Deus, qui nos formauit, & non ampliùs volens quod à se factum erat opus despicere, primùm quidem Græcis hanc concessit sapientiam, vt immotis animæ oculis agnoscerent Deum omnipotentem, & superarent dæmonem aduersarium. Hi ergò, etsi visi sunt paululùm resipiscere, & rectum iter pietatis attendere, cùm tamen tanquàm in vmbra verbis solùm apprehendissent visionẽ, rursus cadebant in errorẽ Maiorum, ipsi quoquè superati à falsa religione, & in deteriorem Cap. 24. Gen. 7. Gen. 8. Philosophi cognoscunt Deũ, sed relabuntur in errores maiorum.

riorem prolapsi impietatem,& via inuia aberrantes. Et nec sic quidem passa est insignis & ab omnibus celebranda Dei potestas nos iacére in delictis. vndè etiam dedit legem,& misit Prophetas,& multifariàm multisque modis generi Hebræorum viam ostendit salutarem. Omnes autem retrocedentes, recidebant in Maiorum suorum infirmitatem: & morti subijciebãtur omnes propter peccatum. Aequum itaque censuit æquale nobiscum certamen suscipere Dominus noster, Deus verbum, & nobis ostendere victoriam aduersùs aduersarium, par nobis in omnibus factus præter peccatum: & cùm seipsum humilem reddidisset, & nobis seruis formam similem suscepisset,natus est ex Virgine,non mutatus diuinitate: sed ouis ferens pellem propter lupi progressum. Si enim per supernam diuinã suam potentiam percussisset hunc aduersarium, (poterat enim, vt qui potest omnia, quæ à me non possunt fieri) dedisset ei iustam occasionem defensionis,dicendo: Hominem vici,& à Deo sum victus. Se enim tunc sic facilè potuisset defendere, vt qui sciret, Deum quidem posse omnia efficere: & nec, si corpus quidem induisset, non esse eiusmodi,quod non posset facere.

Cap.25. Accipiamus autem,ô Iudex, aliquam similitudinem, quæ conueniat huic meæ narrationi. Si tu ipse,qui es dominus huius ciuitatis, cùm vidisses lupũ, aut vrsum, aut aliquam aliam bestiam inuadentem tuam ciuitatem, dixeris seruo tuo: Occide illam. Ille autem párens tuo iussui,& sine arte accedens, fuisset à fera deiectus & consumptus,sustineres´ne iterùm alteri seruo tale certamen imperare, aut illum damnare,quòd victus perijsset? Nequaquàm. Sed nè videaris eis imperâsse,quæ fieri non poterant, eos qui tecum sunt, opem tibi laturi, despicis: non vteris autẽ nec equo, nec aliquibus armis, cùm & habeas & possis omnia: sed propter cæteros tuos seruos, effectus similis seruo, cui iusseras, & qui victus fuerat, sicut ille, nudus & omni alio auxilio defectus, ad hanc bestiã accedis: & ea percussa,tunc famuli quidem,qui fuit consumptus,damnabis imbecillitatem coram omnibus: docebis verò cæteros, vt simili animo accedant & experientia, quotiès tale quid occurrerit: & tunc minaberis, si non similiter eis ostensa assiduè vsi fuerint victoria,& se & sua custodiérint. Sin minùs, eos futuros inexcusabiles, & esse ad magnum ducendos supplicium: eos autẽ, qui se fortiter gesserint, & imitati fuerint virtutem eis à domino ostensam,& honorem & libertatem esse consecuturos, vt bonorum custodes,& præclaros Imperatores.

Egregia similitudine erudit iudicem.

Cap.26. Sic ergò Dominus quoquè noster Deus, seruator omnium, cùm sui serui in certamine suscepto aduersùs dæmonem, qui nunc à vobis colitur, ab ipso victi essent & contriti, ipse ineffabili quodam consilio seipsum exinaniuit, descendens ad sanctam & venerandam Virginem,& serui formam accipiens, & in omnibus effectus ijsdem, quibus nos obnoxij, affectionibus præter peccatum. & progressus in hoc vitæ theatrum, volũtaria sua & longè sapientissima & salutari humilitate latuit sceleratum, ipsum dæmonem, qui à vobis, vt dictum est, colitur: & eum, vt consueuerat, tanquàm nudum ac solum hominem inuadentem, vicit, & eius totam profligauit potentiam per suam preciosam & nobis salutarem passionem, quam in Cruce subijt, docens nos, qui fuimus eius victoriæ spectatores, eodem exemplo contra eum pugnare,& eius potentiam deijcere ac prosternere. Ipse ergò nostras accepit affectiones,& suam nobis dedit impatibilitatẽ, cùm tam ijs, qui propè erant, quàm ijs, qui erant apud inferos, largitus esset resurrectionẽ: & docuisset nos in filiorum adoptionem ascitos, in eo manum habere inuictam, & coronari, si decertauerimus. Corpore ergò vincimur, & vincimus spiritu. Cadimus in interitum: & is casus, nempe mortis, eò nobis deducitur, vt efficiamur incorrupti,& ab interitu alieni. Auersamur vestram ebrietatem, qui ritu brutorum vitam agitis, & angelicam quærimus æternitatem. Non terram proni spectamus, sicut pecora: nec cùm simus belluinis moribus, nominamur homines: sed erecti cælum intuemur: & cùm simus in corpore, vitam, quæ illic est, angelicam amplectimur. Scimus animi nostri & corporis esse perpetuum & implacabile bellum, sapientique & moderata vtentes ratiocinatione, auersamur coniunctionem cum hoc mortali corpore, eiusque titillationes & suaues libidinis motiones fortiter recusamus: cogitatione in altum exilire,& membra mortificare, semper exercemur per tolerantiam, & à rebus proprijs abstinentiam. Vtimur verò pura & perspicua Domini nostri memoria,& scaturit nobis sermo minimè perturbatus. In nos citra vllum impedimentum rationales

Cur De⁹ factus homo.

Cur passus in Cruce.

Vide quid agant boni Christiani.

tionales operantur virtutes. Hæc & his plura nobis largitus est Deus, cùm hominem induisset. Vos autem, vt est probabile, corpori estis dediti: & cùm corpori dediti sitis, eos deos appellatis, qui fecerunt probrosa opera ignominiæ: & eorum posita colitis simulacra: & alienati estis à coniunctione virtutum cælestium, & in dies angimini, non solùm propter res aduersas, sed etiam propter insolentes, & quæ in somnis agitantur huius vitæ felicitates. Vos non solùm corpore, sed etiam anima morimini ad eum, qui nunquàm desinit, interitum. Nos autem à Domino nostro Iesu Christo didicimus, viuentem spiritum corpus quoquè, quod omnibus cõmuni soluitur interitu, rursùs animare, & ad immortalitatem ei essentiam præbere. Hæc ergò breuiter sum persecutus, vt & tuo Platoni párens, & à me discens ea, quæ vera sunt, renuncies parricidæ deo tuo & amabili cygno, qui multùm flet propter mortem suorum filiorum.

Dixit Præses Agricolaus: Non potuimus nos diuinorum & magnorum Regum virtutes discernere: sed solùm ijs cedere, quæ iusserunt Imperatores. Quamobrèm cessante omni superuacanea oratione & dilatione, veni, & dijs sacrifica: alioquì periclitaberis multa supplicia, quæ nunquàm audiuisti. Sanctus dixit Eustratius: Cur nos ergò fecisti tantum laboris capere, & non hoc diù antè cœpisti? Tunc iubet lectum afferri ferreum, & multum ignem substerni, vt ipse arderet, & candens euaderet: & sanctum Orestem primùm ei iubet imponi, & dicit sancto Eustratio: Aequum est, vt cùm, quę te manent supplicia, priùs in alijs fueris contemplatus, tunc subeas tormentum, vt constantiorem ostendas fortitudinem. Sanctus verò Orestes cùm ad lectum adduceretur, timuit: & sanctum intuẽs Eustratium, dixit: Ora pro me. laborat enim mihi cogitatio. Sanctus autem respondit Eustratius: Noli animum despondere, frater Oresta. Solus enim adspectus affert timorem & cruciatum: nullus verò eius tibi aderit sensus, si audacter & fidenti animo accesseris. Ipse enim Dominus adest nobis adiutor, & nos defendit. Memento generositatis sancti Auxentij, & reliquorum sanctorum: neque ijs videaris deterior. hæc enim mox deficiunt: manet autem nos thesaurus, qui non potest auferri. Hæc cùm sanctus audiuisset Orestes, audenti & forti animo insiluit, & stetit supra ignitũ grabatum, cùm se signâsset: & statìm accumbens, toto corpore se expandit supra ignem: & magna voce clamans, dixit: Domine Iesu Christe, in manus tuas cõmendo spiritum meum. & Domino sanctam suam tradidit animam. Acclamauit autem S. Eustratius, Amen: & statìm iussit Agricolaus sanctum Eustratium abduci in custodiam. Qui cùm consuetas preces Deo emisisset, & famulum, qui erat cum eo, vocâsset, dicit ei: Agè fili, faciam testamentum. Spero enim fore, vt ego quoquè cràs sistar ante Dominum meum Christum.

Cap. 27. — S. Orestes imponitur candẽti craticulæ. — Timet, sed à S. Eustratio cõfirmatur. — Christo reddit animam

Charta autem ei allata, fecit testamentum, in eo significans, se velle sanctas suas reliquias efferri in oppidulũ Arabracinorum, & illic deponi: nemini verò licere omninò eas tangere: sed saluas esse deponendas in loco, qui vocatur Analicozora, simul cum Auxentio & Oreste & Mardario & Eugenio: quoniam hi sancti sanctum Eustratium sacramento adegerunt, dicentes, vt, postquàm esset consummatus, cum sanctis suis reliquijs, eorum quoquè deponerentur reliquiæ saluæ & integræ. Quas autem Arabracis habebat facultates, assignauit ad eos alendos, qui erant permansuri in ministerio martyrij eorum: reliquorum verò omnium mobilium, dimidium quidem distribuit pauperibus, aliam autẽ suis sororibus. famulos verò suos, donata eis libertate, iussit accipere legata. Hæc cùm decreuisset, toto die ieiunauit: tota autem nocte perseuerauit Deum orare, & ei psallere.

Cap. 28. — Testamentum S. Eustratij.

Episcopus autem ciuitatis Sebastenorum, eo tempore latebat propter persecutionem: qui noctù venit ad eum, & datis custodibus pecunijs, ingressus est ad sanctum Eustratium. audiuerat enim de magna eius sapientia, & quòd Præsidem cum dijs suis pudore affecerat. & cùm fuisset intra custodiam, pronus cecidit in faciem, & sanctum adorauit, dicens: Beatus es, fili Eustrati, quòd Dominus Deus tantam tibi dederit virtutem. Memento autem meî quoquè, te rogo. Respondit verò sanctus Eustratius: Nè sic facias, pater spiritalis: sed ad eam, quæ est tibi data, dignitatem adspiciens, expecta hoc à nobis implendum tibi debitum. Cùm ij ergò sedissent, dixit Eustratius Episcopo: Quoniam Deo volente, cràs hora tertia sum sistendus ante Dominum meum Christum, (irà enim mihi fuit apertè reuelatum) ideò accipe chartam mei testamenti, & lege. Cùm ergò legisset Episcopus chartam eius testamenti, rogauit illum cum ijs, qui cum ipso erant, Clericis, vt testamento subscriberent: & eum adegit iu-

Cap. 29. — S. Blasius Episcopus venit noctè ad eum. — Mãdat Episcopo executionẽ sui

testamenti S. Eustrati*. reiurādo, vt illeipse surreptas eorum ferret reliquias, & deponeret in eorum regione, in loco qui continetur in testamento, & reliqua omnia impleret: dicens, pro eo labore esse ei reddēdam mercedem à Domino nostro Iesu Christo in futura vita. Cùm pollicitus autem esset Episcopus se singula eorum esse facturum, rogauit eum, vt ab ipso sanctam acciperet communionem. Sic enim dicebat sanctus: Ex quo tempore fui compræhensus, non communicaui. Allato ergò eo, quod oportebat, ministerio,

S. Eustrati* ab Episcopo accipit Eucharistiam. & impleto sacrificio, accedens sanctus Eustratius, cælestem accepit margaritam: & repentè tanquàm fulgur illuxit in carcere, & vox venit, dicens: Eustrati, rectè decertâsti. veni deincèps in cælos, & accipe tuam coronam. Hac voce audita, proni in faciem humì ceciderunt. Tota ergò illa nocte mansit Episcopus apud sanctum Eustratium, cum audiens, & voluptatem capiens ex sermone martyris.

Cap. 30. Cùm manè autem factum esset, recessit, iubens eum valere, & promittens se nihil præteriturum eorum, quæ in suo testamento statuerat. Agricolaus verò cùm manè è lecto surrexisset, sedit in tribunali, & iussit sanctum Eustratium adduci. Cùm is autem adstitisset, eum vocauit Præses, & dixit ei in arcano: Testis mihi est, ô Eustrati, quæ omnia intuetur iustitia, me de te valdè angi animo, quòd in animum non inducas, vt

O fallaciã diaboli. parcas edicto Imperatorum. Sed publicè saltem simula, & specie deos adora: apud te autem crede, & adora Deum tuum. is autem tibi ignoscet propter impositam necessitatem. Nec, cùm sis vir tanta doctrina & sapientia, malè pereas tanquàm vnus maleficus. Si hoc enim esset remotum à periculo, ne id quidem à te requirerem. multos enim puniui tuæ religionis, & nullius sum misertus, neque ab vllo sum flexus. Tuî verò magnam curam gero, & propter te tota nocte magno sum dolore cruciatus. Sanctus dixit Eustratius: De hac re nè crucieris, neque propter me venias in periculum: sed quod Imperatorum tuorum continetur edictis, accuratè exequere. Ego enim neque simulatè, neque vllo alio modo dijs tuis sacrificabo: sed semper Deo meo confitebor in omnibus, & in medio multorum laudabò ipsum. Tua verò tormenta me recreant ac iuuant: & huius rei, si velis, fac periculum. Præses autem cùm

Vide insidias satanæ, vt euertat inuictum martyrem. diù manu vultum texisset, est lachrymatus, adeò vt vniuersa quæ circūsistebat turba, cùm cognouisset Præsidem misereri sancti, vocem emiserit lamentabilem: eratque magnus luctus in ciuitate. Dixit verò sanctus Eustratius: Deus altissimus irritas faciet machinas patris tui satanæ. Ille enim hanc quoquè in me excogitat tentationem, vt mihi propositum impediat brauium. fac quod velis: ego enim sum seruus Domini Christi, & aduersor edicto Imperatorum, & auersor eorum abominationes: quoniam sunt execrandi & ipsi, & qui eos colunt. Cùm ergò vidisset Præses tam alacre & promptū eius animi studium, vix tandèm in sanctum Eustratium pronunciauit hanc

Cōdemnatur S. Eustratius. sententiam: Eustratium, qui non paruit iussui Imperatorum, & dijs noluit sacrificare, iubeo, igne combusta ferrea eius anima, finem accipere. Hæc cùm dixisset, cursu recessit in Prætorium.

Cap. 31. Precatio S. Eustratij. Psal. 30. Cùm autem sanctus abduceretur Eustratius, ijs qui audiebant stantibus, sic orauit: Magnificans magnificabo te, Domine, quoniam respexisti humilitatem meam, & non conclusisti me in manibus inimicorum meorum, & ex necessitatibus eripuisti animam meam. Et nunc, Domine, tegat me manus tua, & veniat supra me misericor-

En vt vir sanctus metuit sibi. dia tuá. Quoniam cōturbata est anima mea, & tristis est dum egreditur hoc corpore. Nè fortè mala inimici potestas ei occurrat, & eam impediat in tenebris, propter peccata, quæ à me in vita facta sunt in ignorantia. Sis mihi propitius, Domine, & nè videat anima mea tenebricosum vultum malorum dęmonum: sed eam accipiant Angeli læti & lucidi: & da gloriam nomini tuo sancto, & tua virtute deduc me ad diuinum tribunal, dum iudicor. Nè me compræhendat manus principis mundi huius ad hoc, vt me peccatorem attrahat in profundum inferorum. Sed adsis, & sis mihi ser-

Nota hæc verba. uator, adiutor & defensor. hæc enim corporis tormenta sunt gaudia tuis seruis. Miserere, Domine, animæ meæ, quæ fuit inquinata huius vitæ affectionibus, & eam puram suscipe: quoniam es benedictus in secula, Amen.

Cap. 32. Psallens intrat in fornacem. Hæc cùm ipse esset precatus, iam accensa fornace & valdè ardente, facto Crucis Christi signo, in eam est ingressus sanctus Eustratius, psallens & dicens: Domine Iesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum: & sic cum pace tradidit suum spiritum, cùm ne eius quidem pilum ignis tetigisset. Consummatus autē fuit sanctus Eustratius tertiodecimo Decembris. Sanctissimus verò Episcopus Blasius, cùm sancti accepisset reliquias, easque cum sancti Orestis reliquijs composuisset, ea impleuit, quæ

quæ ipsi mandata fuerant in testamento sancti Eustratij: glorificantes patrem, & filium, & sanctum spiritum: Cui gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

HISTORIA S. LVCIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS, VT HABETVR IN PERANTIQVIS MS.

Codicibus, quibus antiquissima Martyrologia consentiunt.



CVM per vniuersam prouinciã Siciliæ beatissimæ Agathæ fama creuisset, & Syracusanus populus per millia propè quinquaginta ad vrbem Catanensium sitienter pergeret ad sepulcrum S. Agathæ virginis venerandum: contigit Luciam virginem venerabilem, nobilissimam Syracusanorum, simul pergere, festiuitatis gratia inuitante, cum matre Eutychia, quæ annis quatuor fluxum sanguinis patiebatur, & nullo medicorum poterat remedio liberari. Igitur dum processionis mysteria agebantur, hæc Euangelij lectio fuit recitata, qua legitur fimbria vestimenti mulier à sanguinis fluxu liberata. Et dum hæc lectio recitatur, dixit S. Lucia matri suæ: Si credis, mater, his, quæ leguntur, crede Agathen passam pro Christi nomine hoc meruisse, vt semper in præsentia habeat eum, pro cuius nomine passa est. Continge ergò sepulcrum eius credens, & liberaberis. Decemb. 13. Obseruaantiquissimũ morem inuisendi Sãctorum sepulcra. Mar 5. Matt 9.

Igitur cùm peractis omnibus populus abscessisset, prostrauerũt se ante sepulcrum sanctę virginis mater & filia, & cœperunt cum lachrymis flagitare suffragium. Intereà dum orationis prolixitas tenditur, somno Lucia virgo arripitur, & videt in somno beatam Agathen in medio Angelorum gemmis ornatam stantem, & dicentem: Soror mea Lucia, virgo Deo deuota, quid à me petis, quod ipsa poteris præstare continuò? Nam & matri tuæ fides tua subuenit, & eccè saluata est: & sicut per me Catanensium ciuitas sublimatur à Christo, ità per te Syracusana ciuitas decorabitur: quia iucundum Christo in tua virginitate habitaculũ præparâsti. His auditis, expergefacta surrexit tremẽs, & ait matri suæ: Mater mea, mater mea, eccè sana facta es. Per ipsam te deprecor, quæ te saluauit suis orationibus, nè tu mihi aliquandò spõsum nomines, & nè tu velis de corporis mei posteritate fructum mortalitatis inquirere: sed omnia, quæ mihi datura eras eunti ad corruptionis meæ authorem hominem moriturum, da mihi eunti ad integritatis meæ auctorem Dominum Iesum Christum. Visio S. Luciæ. S. Agatha ei predicit Syracusanam ciuitatẽ eius martyrio decorandã.

Cui mater eius Eutychia ait: Omnia quæ sunt patris tui defuncti ante nouẽ annos, incontaminata custodiens, ampliaui potiùs, quàm minui, in patrimonio. Mea verò omnia quę sunt, vel esse possunt, ipsa meliùs nôsti. Tege oculos meos, & quodcunque tibi placuerit, de istis facultatibus facito. Lucia dixit: Audi, mater, consilium meum: Non satis Deo charus est, qui illi hoc dat, quod secum ferre non potest, & quo ipse perfrui non potest. Sed si tu vis gratum esse Deo, hoc illi da, quo poteris tu vti. Moriẽs enim nullo poteris vti: & quod das, ideò das, quia tecum ferre non præuales. Viuens ergò, & salutem tui corporis habens, da Christo, quod possides: & quicquid te mihi daturam spoponderas, vel etiam cogitabas, Christo incipe tradere. Igitur cùm quotidiè de his sermocinaretur virgo cum matre, fiebat rerum distractio, & quotidiè necessitatibus pauperum impendebantur. S. Lucia facultates suas distribuit egenis.

Intereà dum distrahuntur prædia, & gemmæ venduntur, ad sponsi notitiam peruenit: isque solicitus cœpit inquirere à nutrice sanctę Luciæ, quid hoc esset, quòd distractionem repentinam prædiorum & gemmarum audisset. Cui hæc nutrix cauta confinxit: Sponsa tua inuénit possessionem in venalibus, quę millenos & ampliùs solidos præstet. Hanc ea in tuo nomine cupiens comparare, videtur aliquanta distrahere. Credidit stultus carnale mercimonium, & animum ab indagatione reuocans, etiam ipse cœpit author esse vendendi. At vbi vniuersa penè distracta didicit pauperibus, viduis, orphanis, peregrinãtibus & Deo seruientibus erogata, proponit litem in iudicio Paschasij consularis, dicens sponsam suam Christianissimam contra leges viuere Augustorum. Quam Paschasius corripiens, cœpit ad sacrificia dæmonum inuitare. Cui beata Lucia ait: Sacrificium viuum & immaculatum apud Deum & patrem hoc est, visitare viduas & orphanos in tribulatione eorum. Ego per istos tres annos nihil aliud agens, sacrificaui Deo viuo. Iam quia nihil superest, quod sacrificem, meipsam offero A spõso suo accusatur. Iacob. 1.

in sacrificium Deo hostiam viuentem. Quod ipsi placet, de hostia sua faciat. Paschasius dixit: Ista verba cuicunque tibi simili narrare potes Christiano: mihi autem, qui principum decreta custodio, ista frustrà prosequeris. Lucia dixit: Tu principum leges attendis, ego Dei leges attendo. Tu principes times, ego Deum timeo. Tu illos offendere non vis, ego Deum offendere caueo. Tu illis placere desideras: ego, vt Christo soli placeam, concupisco. Tu verò fac, quod tibi vtile videtur: & ego hoc ago, quod mihi vtile esse cognosco.

Sapientissimè respondet iudici.

Paschasius dixit: Patrimonium tuum cum corruptoribus tuis extirpâsti & dilapidâsti, & idcircò quasi meretrix loqueris. Lucia dixit: Patrimonium meum tuto loco constitui: corruptores autem nec mentis, nec corporis mei aliquandò suscepi. Paschasius dixit: Qui sunt corruptores mentis & corporis? Lucia dixit: Corruptores mentis vos estis, de quibus dicit Apostolus, Corrumpũt mores bonos colloquia mala. Suadetis enim animas hominum meretricari, vt dimittant virum suum, id est, creatorem suum: & sequantur diabolum in idolis vanis, & inanibus simulacris. Corruptores verò corporis sunt ij, qui temporalem delectationem præponunt delectationibus sempiternis: & labentem lætitiam perpetuis gaudijs anteponunt. Paschasius dixit: Cessabunt verba, cùm fuerit peruentum ad verbera. Lucia dixit: Verba Dei cessare non poterunt. Paschasius dixit: Tu ergò Deus es? Lucia dixit: Ancilla Dei sum, & ideò dixi verba Dei, quia ipse dixit: Non vos loquimini in cõspectu iudicum, sed spiritussanctus ipse loquitur in vobis. Paschasius dixit: In te ergò est spiritussanctus, & ipse loquitur in te? Lucia dixit: Apostolus dicit, quòd castè viuentes, templum Dei sunt, & spiritus Dei habitat in eis. Paschasius dixit: Ego te faciam ad lupanar duci, vt cùm fueris scortata, fugiat à te spiritussanctus. Lucia dixit: Nunquàm inquinatur corpus nisi de consensu mentis. Nam etsi in manu mea thura ponas, & per manum meam iacias sacrificijs, Deus hæc attẽdit & irridet. De sensibus enim & voluntatibus iudicat. Nam sic patitur violatorem * castitatis, sicut serpentem, sicut latronem, sicut barbarum. Nam si inuitam me violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Paschasius dixit: Ibi te faciam sub turpitudine expirare, nisi modò cæremonijs consenseris Augustorum. Lucia dixit: Iam dixi tibi: tu voluntatem meam nunquàm poteris ad consensum prouocare peccati. Cæterùm quicquid feceris corpori, quod in potestate tua videris habere, hoc ad ancillam Christi pertinere non poterit.

1. Cor. 15.

Matt. 10.

1. Cor. 3.

Peccatũ nõ est, nisi sit voluntariũ.

* castitas

Tunc consularis iussit venire lenones, & tradidit eam illis, dicens: Inuitate populum ad castitatem eius, & facite eam tandiù illudi, donèc mortua nuncietur. At vbi eam cœperunt velle trahere ad lupanar, tanto pondere fixit eam spiritussanctus, vt penitùs moueri non posset. Accedentes autem simul multi ex officio, impellentes & trahentes, deficiebant sudore, & virgo Domini immobilis consistebat. Tunc miserũt funes in manus eius & pedes, & cœperunt omnes pariter trahere, & illa quasi mons immobilis permanebat. Itaque angustari cœpit Paschasius, & mœrore deficere: & vocauit magos, & aruspices, & templorum omnium sacerdotes: qui quidem omnes exercebant superstitiones suas contra eam, vt moueretur: sed ità permanebat fixa corpore, vt penitùs eius vestigia non mouerentur. Tunc Paschasius lotio eam perfundi iussit, credens quòd maleficijs staret immobilis. Itèm adducta sunt multa paria boum, vt ab ipsis traheretur, & omninò moueri nõ poterat. Dicit ergò ei Paschasius: Quæ sunt ista maleficia tua? Lucia dixit: Ista meleficia nõ sunt mea, sed beneficia Dei. Paschasius dixit: Quæ ratio est, quòd puella fragilis, à mille tracta hominibus, non moueris? Lucia dixit: Si alia decem millia adduxeris, audient mihi spiritum sanctum dicentem: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.

Nulla ratione potest virgo sancta loco moueri.

Impius iudex id adscribit arti magicæ.

Psal. 90.

Torquebatur itaque animo Paschasius, & inter cogitationes & viscerum cruciamenta clamabat. Cui beata virgo ait: Quid cruciaris? quid per diuersa mentis tuæ tormenta torqueris? Templum Dei me esse si probâsti, iam crede: si non probâsti, disce magis. Paschasius verò eò magis anhelabat, quòd de seipso risum sibi exhiberi cernebat. Tunc ignem circa ipsam copiosum fecit accendi, ità vt picem, & resinam, & feruens oleum super eam iactarent. At illa in nomine Domini nostri Iesu Christi stetit immobilis, dicens ei: Ego rogaui Dominũ meum Iesum Christum, vt ignis iste non dominetur in me, vt tibi insultent confidentes in Christo. Et ideò petiui inducias martyrij mei, vt credentibus timorem tollerem passionis, & non credentibus vocem insultationis auferrem.

Nihil læditur martyr ab igne.

Tunc angustari Paschasium non ferentes amici eius, gladium in eius viscera mergi fece-

fecerunt. Igitur percussa, quandiù voluit, orauit: quandiù voluit, allocuta est turbam circunstantem, dicens: Annuncio vobis pacem Ecclesiæ Dei redditam, Diocletiano de regno suo deiecto, & Maximiano hodiè mortuo. Et sicut habet Catanēsium ciuitas interuētricem pro se sororem meam Agathen: ità me sciatis huic ciuitati datam à Domino, si voluntatem eius facientes, susceperitis fidem. Hęc loquente famula Dei Lucia, vt diximus, visceribus gladio patefactis, ante oculos eius ferro vinctus ducebatur Paschasius. Cucurrerant enim relationes Siculorum, quòd fuisset prædatus prouinciam. Indè perductus ad vrbem Romam, & ab omni Senatu Romano auditus, accepit sententiam capitalem. Dei autem martyr Lucia virgo sacratissima, de loco, in quo percussa est, penitùs mota non est: neque exijt spiritus eius, donèc viuentibus sacerdotibus, & mysteria ei dantibus, atque omnibus dicētibus, Amen, illa emitteret spiritum. In eodem autem loco fabricata est in suo nomine basilica, in qua orationes eius florent nunc & semper, & quousquè mundus iste steterit, Amen.

Gladio confossa, non moritur statim.

Paschasius iudex plectitur capite.

Sacra Eucharistia percepta, reddit spiritum S. Lucia.

VITA S. AVTBERTI CAMERACENSIS EPISCOPI, AVTHORE, VT EQVIDEM SENTIO, FVLBERTO. *Is enim, teste Chronico Cameracensi, doctor clarissimus, iussu Gerardi Episcopi scripsit eius vitam, tametsì MS. Codex eius nomen non habet.*

PROLOGVS AVTHORIS.



MVltos secularium gloriæ temporalis spes vana sæpè delusit, quos immoderatus laudis appetitus ad subeundos labores & tolerāda pericula accendit: arbitrantes se viuere post mortem, si sui nominis memoriam in posteros vsque dilatarent, dum per triumphales corruptibilis pompæ titulos fabula eos inanis recitaret. Qua rerum specie quidam Philosophorum inaniter excitati, popularis auræ gratiam captantes, dum se infirmos tolerandis laboribus sentirent, non simili labore, sed consorti errore, ad scribenda gesta secularium virorum se studio accinxêre: qui dum vitam aliam nesciebant, hoc sibi ad quendam quasì fructum beatitudinis proficere æstimabant, si scribendi occasione, ingenia suæ solertiæ in memoriam posteris reliquissent. Sed lectorem meum super his obsecro, quid alter alteri, quid sibi vterque præstitit talibus studijs? Quid enim Dardanus ductor, aut Rutulus ferox suo Maroni, aut iste contulit illis, cùm corpora vermibus, animas dedêre sæuis ignibus? Digna planè, sed flenda, errorum suorum remuneratio. Nihil ad veram beatitudinem hæc eorum intentio adspirabat, quos constat suorum fructum laborum quęsisse in rebus, quibus nulla sibi oriretur causa salutis, nec profuturi essent ad memoriā posteritatis. Sed quia scriptum est, In memoria æterna erunt iusti: licèt eis nostra fragilis memoria non sufficiat ad propriam gloriam, quorum nomina iam in libro vitæ sunt scripta: tamen dignū valdè est & summè vtile, eorum ad laudem Domini imitanda gesta recolere, quorum vita sanctitatis profutura est ad ædificationem legentibus, & ad æmulationem virtutum audientibus. Igitur non fretus solertis ope ingenij, sed spiritussancti gratia fidens me posse iuuari, pauca q idem è multis scribere proposui, quæ per beatum Autbertum superna gratia ad laudem suî, & ostensionem fidelis sui confessoris dignata est operari: quæ etiam probatissimorum virorum relatione didici, aut sparsìm in sacris chartulis scripta reperi: vt habeat sanctum eius collegium ad laudem conditoris, quo se die solenni in diuinis cultibus exerceat: & ad æmulationem sancti operis, quo proficiat. Qua in re lectorem meum obsecro, vt si fortasè incultus sermo peritas aures perculerit, discat imperitię veniam dare, cùm sciat in humanis partibus nihil perfectum esse: nec tantum periclitetur apud eum audacia scribentis, quantū valeat dignitas imperantis. Id verò lector à nobis curiosus requirere non debet, vt beati viri gesta cōtinenti ordine scribantur, videlicet quibus oriundus natalibus, quibus initijs sancta infantia, quibus adolescētia miraculis claruit, dum intelligat miraculorum eius summam & maximam partem, à nostra notitia latêre: quod certè dubium est, vtrùm id scriptorum ignauiæ debeat imputari, an iusto Dei iudicio ascribi, qui stellas claudit quasì sub signaculo, dum videlicet exigentibus peccatis malorum, vita absconditur bonorum.

Hic non damnátur studia literarū, sed curiositas, & studiū inanis gloriæ.

Psal. III.

Vitæ sanctorū quid vtilitatis legētibus & audictibus adferant.

Iussu enim Episcopi scripsit Author hanc historiam.

Iob 9.

HISTORIA.

Decēbr. 13. Cap. 1.



GITVR humanę perditionis sortem miseratus Deus & Dominus noster Iesus Christus, peractis paternæ dispositionis sacramētis, ad cælum rediturus, nouamq; victricis carnis gloriam paternis vultibus præsentaturus, nouos nascentis Ecclesiæ cultores, quibus gregis nouelli cura mandaretur, elegit: qui lumine fidei irradiati, spiritussancti munere ditati, mundū ignorantiæ tenebris caligantem, veritatis lumine illustrarent, & virulenta antiqui sęductoris semina de agro Ecclesiæ constanter resecarent. Huius Dominicę institutionis executores primi discipuli, deindè successores eorum, sancti videlicet doctores extiterūt, quos in fine senescentis mundi ad excolendas mentes fidelium, prouidentia diuina præordinauit. Qui spiritualium talenta donorū à summo patrefamiliâs accipientes, & prædicandi negocio ad vsurā animarū expendentes: tanto impensiùs amplificare studuerunt, quanto certiores erant de remuneratione largitoris, & Euangelica sententia conterriti de damnatione torpentis serui. De quorum numero sanctus vir Domini Autbertus & sacerdos Christi probatissimus refulsit temporibus Dagoberti Regis Francorum inclyti. Qui ab ipsis sacræ pueritiæ annis superna gratia adspiratus, annosos viros sanctis præibat moribus. Literalibus deniquè studijs traditus, & Ecclesiasticis sanctionibus decenter informatus, per gradus singulos proficiens succedentibus virtutum incrementis, prouectus est ad culmen sacerdotalis honoris. Exigente itaque sorte mortalis naturæ, contigit Allebertum Cameracensis sedis Episcopum deposito carnis onere, de hoc mundo transisse. Diuina igitur operatione cuncta salubriter disponente, Autbertus vir conspicuus & successor emeritus, proficiens de virtute in virtutem, eiusdem sedis pontificalem sortitus est dignitatem. Porrò humanæ salutis author præscius antiquum hostem tanto ardentiùs gregem Dominicum insecuturum, quanto viciniùs instante fine seculi sciret nihil superesse, quod ad tentandum artibus suis vlteriùs patuisset, aduersùs tyrannidis eius impetum, validum defensionis nobis parauit obstaculum, dans nobis Autbertum, videlicet gregis sui pastorem vigilantissimum, & custodem animarum fidissimum.

Doctores Ecclesię cur dati. Matt. 25. Floret S. Autbertus tēpore Dagoberti Regis Francorum. S. Autbert' fit Episcop' Cameracēs.

Cap. 2. Constitutus autem in sede pontificali, qualis quantusque in ea vixerit, non est nostræ possibilitatis euoluere. altiùs enim eminet, quàm vllo sermone includi valeat. Animalis enim homo percipere non potest, quantus hic fuerit in oculis summi creatoris: cui nihil erat commune cum amatoribus mundi, præter quod curæ pastoralis necessitudine videbatur arctari: quam si inoffensè declinare potuisset, vera fides est, quia eremum potiùs, quàm monasterium delegisset. Frequētabatur igitur à populis, ex vicinis & procùl remotis vrbibus cateruatim ad eum confluentibus: qui eximiæ conuersationis fama excitati, videre eum anxiè sitiebant. Iam verò nisi sexus alternus impediat, cùm personæ dignitati faueat, videas Reginam Austri requirere sapientiam Salomonis, Regem videlicet festinantem ad consulta pontificis. Nam Dagobertus, qui tunc temporis inter Francigenas regni monarchiam regebat, celeberrimę opinionis nuncijs semèl excitatus, deposito fastu regalis excellentiæ, crebrò ad eum veniebat, & licèt terreni regni imperio sublimatus, cupiebat tamen de cælesti acquisitione à viro Dei ædificari. Qui cùm eum de temporalis regni solicitudine, de futuri seculi beatitudine, de iudicij metu, de spe æternitatis familiari colloquio præmoneret, ille eum libenter audiebat, & audito eo multa faciebat: non vt incestus Herodes videbatur audîsse Iohannem arguentem, sed vt Ezechias fidelis Esaiam consolantem. Verùm æstimari non potest, quanto Regis animus resultabat gaudio, quòd tanti viri hospitio recipi, benedictione foueri, collocutione meruisset ædificari. Igitur nè ingratus tantis beneficijs videretur, æstuabat animo, quonam modo vberiùs sancti viri gratiam sibi conciliaret. Tandèm à quodam familiari eius audiuit, hoc nullo alio pacto faciliùs se posse promereri, quàm si res Ecclesiæ beatæ Mariæ, cui ipse pater venerabilis, Deo authore, deseruiebat, de suo iure augendas curaret. Nihil enim in rebus transitorijs Episcopo placere, præter quod expenderetur in vsus Ecclesiæ. Tunc Rex, vt erat hilaris dator, fratribus qui in oratorio beatæ Mariæ famulabantur, vnum

3. Reg. 10. Dagobert' rex sæpè eū inuisit. Marc. 6. 4. Reg. 19.

Vnum regalis munificentiæ fiscũ donauit ad subsidia temporalia fratrum, cui Oueng antiquitas nomen imposuerat.

Sed nos dum Regis mansuetudinem extollendo prędicamus, in viro Dei quanta fuerit humilitatis constantia, non tam æstimare quilibet potest, quàm admirari: qui inter tanta regiæ sedulitatis obsequia, nullo vanitatis tentamine supplantari potuit. Quod vitiũ in multis nimiùm experti sumus, quos ad vnius homunculi salutationem, aut simulatricem adulationem videas facilè iactantię spiritu inflari. Qui si aliqua signa vel falsa hominum æstimatione egisse dicerentur, proculdubiò se prophetas æstimarent, cùm dona non accepissent. Sed nullo impulsu iactantiæ ab arce humilitatis vir iustus deijci poterat, cui etiam ipsa pontificalis honoris sublimitas, quæ plerisq; pompæ fomenta ministrare solet, plùs adiectionis materiam præstabat. Quin etiam cùm aliquandò ex occasione cuiusdam miraculi clamor populi excitaretur, ille altiori consilio vulgi admirationem compescere nitebatur, opus illud dicens, non suæ fuisse fidei, sed diuinæ virtutis: piè secum reputans, meliorem esse infirmitatis conscientiam virtutum vanitate, vt cum Apostolo videatur dicere: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Cap. 3. S. Autberti constans humilitas. 2. Cor. 12.

Vndè nisi hodierna patris nostri solennitas in laudibus Regis superni nos attentiùs adstringi commoneret, eos nimirùm, quos aduersùm sanctum virum requirentes signa scandalizari audiuimus, oportuerat Euangelicæ seueritatis verbere contundi, quæ dicit: Generatio mala & adultera signum quærit: vt pharisaici liuoris vitio ad purum excocto, fidei Euangelicæ verba pensarent: quæ ipse author signorum dixit, Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: vt videlicet cessantibus exterioribus miraculis, quibus olìm carnales oculi, & infirmi auditores indigebant, iam tandèm discerent vitam, & non signa, pensare, quæ longè meliùs proficit ad æmulationem virtutum, quàm ostensio corporalium miraculorum. Visibilibus enim miraculis audientium corda olìm ad inuisibilium fidem pertrahebant, dum per hoc quod mirum foris agebatur, hoc quod intùs operabatur, sentiretur. Nunc autem vita, & non signa quærenda sunt: quia operante Deo, numerositas fidelium excreuit. Sed nè fortè quilibet hoc beatum Autbertum indigere arbitretur, vt ad excusandam signorum inopiam, nos de vita potiùs, quàm de miraculis, loquamur: certè præter illa, quæ, vt iactantiam vitaret, occultauit, neque in hominum notitiam passus est peruenire: multa quidem sunt, quæ hominibus innotuére: neque enim celari potuerunt: ex quibus æstimari potest, quanta illa fuerint, quæ teste nullo solus exercuit. Verumenimuerò cùm scriptura dicat, Gloria patris, est filius sapiens: ea fidelibus auditoribus sufficere poterant de viro Dei ad insigne virtutis, quæ per imitatores suos egisse videtur: quia hoc ab ipso sibi acceperunt, quòd signis & miraculis enituerunt, quòd mundi gloriam calcantes, & carnis illecebras declinantes, spretis rerum possessionibus, soli conditori toto corde adhæserunt. Cap. 4. Matth. 12. Ioan. 14. Gloria patris, filius sapiens.

Sed quia signum de cęlo quærentes à Domino, signũ Ionæ audiêrunt, qui tamen signum Ionæ à mortuis resurgentis non crediderunt, per reuocatum hominem quasì de ventre ceti infernalis, pensanda sunt merita beati pontificis. Erat nanq; in Ecclesia beatæ Mariæ, quæ intra muros Cameracę sedis est constructa, puer quidam nobilis prosapiæ, in villa ortus, quæ ab incolis Vallis nomen accepit, vocabulo Landelinus, quem parentes fonte baptismatis innouandum, & ob suarum salutem animarum, disciplinis sacris imbuendum beato Autberto tradiderunt. Qui, licèt adhuc teneræ ætatis infirmitate detentus, prætendebat moribus quædam signa futuræ sanctitatis. Quamobrèm antiquus humani generis inimicus, qui ab initio bonis actibus resistere contendit, inuidiæ facibus accensus, contra hunc in tentatione se erexit: quatenùs & beato viro laboris sui fructum adimeret, & puerum mortis vulnere sauciaret. Futurum enim metuebat, nè per conuersationis eius exempla multi olìm excitarentur ad normam iusti operis exequendam. Sed vndè hostis impurus aduersùm beatum Autbertum suæ malitiæ ausum excitauit, indè ei victoriæ occasionem inuitus ministrauit. Nam quia sub districta prouidi magistri censura puer adhuc modicus agebatur, ex quo nulla sibi insolentiæ patebat occasio, frustratam sibi malignus spiritus erubescebat victoriam. Vt autem in virilis animi robur adolescens euasit, quæ ætas liberior ad quæque audendum semper videtur, continuò hostis improbus se totis viribus ad rebellionis artes reparauit: cœpit subdola tentatione Cap. 5. Matth. 12. Ionæ 2. Landelinus nobilis puer S. Autberto à parẽtibus commẽdatur.

Eum malignus dęmō multis oppugnat modis.

Vide sibilos serpentis ex ore stultorū

iuuenis animum pulsare,cogitationesq́ue varias & illicitas ingerere: nunc quidem immittens ei memoriam terreni patrimonij, generis nobilitatem, familiæ numerosam dignitatem,rerum gloriam,& reliqua vitæ lasciuioris blandimenta. Verùm quidam cognati contubernales illius,qui eum puriore gratia dilectionis amare videbantur,dum se iuueni consulere putabant, perniciosiùs eum malæ persuasionis ictibus impugnabant. Qui & ipsi eodem spiritu agitati,referebant egregiam iuuentutis formam,indignum esse ecclesiasticis cultibus occupari: debere potiùs virtutem veterum imitari parentum,qui militiæ secularis artibus magnam rerum gloriam acquisiêrunt. Illam autem monasterij regulam duram,intolerabilem,planam ad suscipiendum,arduam ad exequendū, nemini expetendam, nisi quem animus formidolosus, aut ætas debilior,aut nullum decus fortitudinis apta,viuere inglorium cogit & ignotum. Verùm sicut solet fieri,vt omnis sermo malus facilè mentem audientis inficiat, cùm assidua colloquia & diuturnus vsus pestem animis infundere soleant, etiamsi morum tranquillitas sit: tamen sicut stagnum mite, ventis exagitantibus, in æstum assurgit: ità bona natura improbis monitoribus fluctuat. Patet certè fallaciæ ætas iuuenilis & facilè decipitur,cùm fraudulentorum insidijs circunuenitur. Vix etiam resistit dolis ætas senilis. nam & senum prudentia plerunquè versutis circunuenta insidijs irretitur. Ergò si maturior vsus sæpè labefactus,neque sibi prospicere potest: quid mirum,si ætas immaturior sibi adesse non potuit, quæ tantis perurgebatur insidijs? Prouida itaque Dei dispensatione permissum est,ad tempus præualere improbi seductoris malitiam, non tamen ad * fructum * socialis ruinæ: sed vt manifestarentur opera Dei & merita beati Autberti in illo. Sicque factum est, vt hostis impurus non se ab incepto antè compesceret, quàm incautum iuuenem sensìm ad sententiam suam inflecteret.

Locus mendosus: for.* effectum finalis.

Cap.6.

Lādelinus, relicto monasterio, fit raptor.

Qui malesuadæ dilectionis blandimentis mollior factus, concitò ceu equus infrenis, rectore contempto, monasterium deseruit, & secularis militiæ armis intentus, postmodùm se collegit totum ad studia rapinæ: & quos huiusmodi negocijs voluntarios audiuit,his tota familiaritate se non inferiorem dedit, tanto pronior ad scelera,quanto ei de impunitate securitas, & potentis generis adspirabat authoritas. Timens verò, nè de se solicitis parentibus requiri debuisset, néve indicio nominis inueniri potuisset, mutato nomine, quo appellari consuêrat, Maurosum se appellari iubet. Sanè non incongruum talibus studijs agnomen, qui candido ecclesiasticæ munditiæ habitu expoliatus,furtiuam Mauritanæ infidelitatis mentem latrocinandi studio induerat,& perditionis se latebris occultauerat. Qua rerum fama excitatus vir Dei,altiùs quàm dici possit,ruina fratris ingemuit: sed & de præsumptione aduersarij pro indignationis motu infremuit. Quid tamen ageret? Itaque vnum, quod illi semper familiare erat subsidium, adijt orationis remedium, multisq́ue pro errantis iuuenis salute precibus Dominū rogat,quatenùs respectu gratuitæ pietatis animam captiuā de laqueo inimici eruëret, nè hostis immundus Dominici gregis damno insultaret. Non autem inanis esse potuit sancti viri petitio,quia oculi Domini super iustos,& aures eius in preces eorum. Porrò humanæ salutis amator competentem famuli sui causam præuidit,qua & piæ petitionis compleret effectum, & sanctæ matri Ecclesiæ erroneum restitueret filium.

Multū pro eo orat S. Autbertus. Psal.33.

Cap.7.

Contigit quidem,vt cuiusdā diuitis domum diripere cum suis complicibus solito more pararet. Cumq́; iam incumbentibus tenebris nox tetra inhorresceret, qua illi nefarium opus perficere festinabant,pia Dei dispositione contigit, vnū ex supradictis furunculis morte depręhēnsum spiritum exhalâsse,cuius animam corporeo carcere resolutam,peccatis exigentibus,diabolus secum ad infernalia claustra traxerat. Ad cuius exequias dum inani religionis studio socij excubarent, & Maurosus defuncti dolore vehementer afflictus,se ex lassitudine & tristitia paululùm daret quieti,diuina voluntate,& suffragantibus meritis beati Autberti,datū est adolescenti videre, quantis pœnis illa miserrima anima in inferno cruciabatur,quantis vltricis flammæ incendijs vrebatur,àc si erranti iuueni ex diuina voluntate hoc daretur ad exemplum formidinis,vt videlicet ex hac consideratione colligeret,quanta ei reatûs sui pœna instaret,quem ex consortio criminis similis culpa accusaret.

Inane studium dicit, quod nihil esset profuturum animæ damnatæ.

Cap.8.

Consternatus verò tanto terrore visionis iuuenis, animo æstuabat,quēadmodùm tam districtę animaduersionis iudiciū subterfugere valeret: sed ex cōsideratione criminis oriebatur quasi diffidentia recuperationis. Tum verò in terrā corruēs, lachrymabilis

mabilis querimoniæ se vocibus incusabat. Cui assistens Angelus Domini, Quidnam est, inquit, miserande iuuenis? quid innocuas auras infructuosis fletibus fatigas? Quid illum importunis precibus inclamas, quem offendere non timuisti? Hæccine est stola, quam ab ipso fonte regenerationis indueras? Hæccine professionis fides, quam, abrenunciato satana cum suis operibus, te seruaturum promiseras? Quid vultus supernos refugis, quos habiturus eras conciues, si Autbertum audîsses? Eccè quomodò filius Dei factus est mancipium diaboli. Nunquid Maurosus signatus, Maurosus vnctus, Maurosus renatus? Landelinum in libro nobiscum vitæ Autbertus obtinuerat adscribi: Maurosum diabolus secum inserit chirographo perditionis. Scias verò, quia non leuiter apud districtum iudicem actum est, quòd ad iniuriam suam insolentias tuas tam æquanimiter hucusquè portauit, quòd fugitiuus eius aut manus hominum impunè effugerit, aut mortis laqueum declinare potuerit. Diù enim est, quòd tanti pœnam incendij cruciandus subiturus eras, nisì intercessio beati Autberti aduocati tui, iram vltricem iudicis mitigâsset. Tibi paratus ignis cruciatorius accenditur, sed Autberti lachrymis flammæ eius extinguuntur. Vel nunc expertus intellige, quid potiùs eligas: cum tormento duci in barathrum gehennæ, vel cum Autberto frui cælesti mansione. Sed sera ista deliberatio fuisset, nisì Autbertus præuenisset. Relinque igitur execranda consortia latronum, & Christi militiam assumens, ducem tuum imitare Autbertum. Audi beatissimum præsulem, & recognosce tuum spiritualem patrem, tuum protectorem, tuum ab æterno interitu redemptorem. Suscipe verò ab eo monita cælestis doctrinæ: quibus emendatior factus, merearis stolam, quam perdideras, recipere ipso intercessore. His dictis, Angelus continuò disparuit. Nos verò quale quantumque æstimare possumus, quòd Autbertus, testibus Angelis, virtutum gratia nitet, & apud homines debitæ venerationis officio caret. Porrò sunt plena iucunditatis, quòd adhuc in terra homo positus, inter angelicos ciues meritis fulget: sed non sine dolore & formidine recolitur, quòd supernis cœtibus coniunctus, inter homines negligentiùs digno cultu venerationis celebratur.

Precibus S. Autberti euasit gehennæ flãmas Landelinus.

Reuocatur ab Angelo ad pœnitẽtiam.

Cap. 9.

Iam verò Landelinus angelicis affatibus paulispèr recreatus, sed timens sibi subuenire tardiùs, relicto nefandæ societatis collegio, quantocyùs ciuitatem petijt, &, si ibì vir sanctus esset, à custodibus diligenter requisiuit. Qui de præsentia beati viri certior factus, nihilque dissimulandum arbitratus, pœnitentia ductus, pedibus sancti prouolutus, culpam fatetur, errori veniam poscit. Tum verò videres ex longinqua regione prodigum filium redeuntem, & patrem in oscula ruentem. Itaque vir sanctus paterna pietate præstrictus, iuuenem excepit, veniam promittens, si mala præterita melioris vitæ conuersione purgaret. Nihil igitur diffidendũ putaret: se pro illo rationem redditurum: quicquid fuerat offensionis, innocentię vice computandũ, si tamen scelerata consortia penitùs vitanda ęstimâsset. Paratum se iuuenis ad omne satisfactionis genus fatetur, vtpotè quẽ recentis adhuc visionis horror terruerat. At pius pater votis eius congaudens, suscepit eum pœnitentem, quem diù fleuerat à se recedentem, sinumque ei diuinę aperiens misericordiæ, reddidit eum sanctæ matri Ecclesiæ. Qui intantùm sub disciplina venerabilis patris vigilijs se & ieiunijs, præteritorum agens pœnitentiam, constrinxit, vt inferni eum vidisse & pertimuisse tormenta, etiamsi lingua taceret, conuersatio loqueretur. Itaq; sub seculari habitu in monasterio aliquantulùm conuersantem, vir sanctus ad purum hortatur relinquere seculi negocia, vt liberiùs meditaretur cælestia. Paratumque videns ad omnia, abscidit eius comam capitis, à quo depulerat maculas cordis. Adeptum denique hanc dignitatis gratiam, dum animaduerteret in eo sanctitatis vigere virtutem, per singulos gradus promouit ad Diaconatûs officium: ad quod sic apparuit aptus, vt liquidò clarescerer omnibus, quòd Dei gratia ad id electus esset. Paucis verò interpositis diebus, cùm magìs ac magìs semetipsum erigeret in Dei famulatum, beatus pontifex agens gratias Deo, ad presbyteratûs culmen eum euexit.

Landelinus resipiscens, redit ad S. Autbertum.

Luc. 15.

Ab eo in gratiam misericorditer excipitur.

Ponit comam capitis sui.

Ordinatur Diaconus.

Item sacerdos.

Cap. 10.

Sublimatus autem in huius apicem honoris, enarrari non potest, quanto virtutum culmine excreuit. Iam verò magistri moribus informatus, & exercitatæ conuersationis vsu roboratus, conuenticula vrbana fastidiens, se ad remotiora loca contulit in locis desertis secus fluenta Sambræ. Quo in loco solitudinis cùm signis & miraculis, & piæ conuersationis studijs pollere videretur, multi illic ab eo ad seruitium summi conditoris sunt congregati. Ad euacuandam igitur prioris vitæ maculam,

culam, in locis, quæ sibi ad refugium & receptaculum latronum parauerat, monastéria construxit, statuens ministros in executione Ecclesiasticæ institutionis: & quos antè socios habuerat criminum, postmodùm fecit cooperatores diuinorum mysteriorum. Quæ, si quis vitæ eius seriem, textumque conuersationis diligentiùs inspexerit, facilè inueniet: præsertìm cùm monasteriales habitationes, quas ipse construxit, præsentibus potiùs appareant, quàm nostro sermone explicentur. Nam vt de reliquis sileam, quæ fortassè non beneuolis auditoribus fastidio sint, apud Laubias extruxit monasterium in honore beati Petri Apostoli: quod cernentibus quidem ad indicium egregij laboris sufficere potest, quod etiam regijs ditauit muneribus, ac villarum familiæque repleuit copia: cui quicquid priorũ Regum munificentia passìm per Frãcorum acquisiuit regna, delegauit, nè fratrum congregatio ibidèm seruiens, egeret his, quæ monachis feruntur esse congrua. Quo in loco regendæ Ecclesiæ beatum Vrsmarum præfecit, virum moribus ornatum, signis & miraculis coruscum: cuius dotem meritorum vitæ ipsius libellus editus insinuat. In præsentis autem exempli negocio, quis non similem Iohanni arbitraretur Autbertum, dum ille ex latrone tutum Ecclesiæ prouisorem, iste ex æquè latrone, & ex impio raptore, verum fecit Domini sacerdotem? Sed nobis ista interìm replicantibus pensanda occurrit immensa pietas conditoris, qui post lapsum peccatores ad innocentiam venire donauit. Iam ex illius sententia maxillam Leuiathan armilla diuinitatis suæ perforatam & credimus, & gaudemus, dum viro huic semèl in fauces eius lapso, & euadendi aditum aperuit, &, nè vlteriùs relaberetur, custodiuit.

Condit monasteria.

Habetur eius vita Tomo 3. Iunij 15.

Lobiense monasteriũ construitur

Vide Tomũ secundum 18. Aprilis.

Cap. 11.

Athenis verò vrbe Græcorum nobilissima, adolescens quidam inclytis ortus natàlibus, studijsque literarum exercitatus, sed & fidei moribus adornatus, ex inspiratione superni amoris patriam parentesque deserere, cursumque longæ peregrinationis meditabatur assumere: quatenùs impensis temporalis exilij mercaretur æternæ portionem hæreditatis. Igitur Romam veniens, oratoria Apostolorum orationis gratia lustrando, aliquantulum temporis expleuit. Qui nocte quadam lassescentibus ex itinere artubus in somnũ resolutus, diuinæ iussionis voce monetur occiduos Galliarum fines expetere, pagumque Hagnon penetrans, congruum suæ habitationis locum quærere, vbì oratorio constructo, vocationis suæ tempus expectaret. Sciens ergò diuinam prouidentiam sibi semper affuturam, laboriosi cursûs non paueret iniuriam, donèc ad locum perueniret: vbì inueniret, qui sibi peregrinationis portum indulgeret, & rerum adiumenta præstaret. Qua voce diuina beatum portendi Autbertum, sequentia indicant. Sed iussionem Domini explere desiderans vir Dei Gislenus, (sic enim erat nomẽ illi) regionibus diuersis, insulis & vrbibus peragratis, prospero cursu tandèm peruenit ad locum, qui tunc temporis ab incolis Vrsdungus dicebatur, ex consuetudine videlicet vrsæ parturientis: nunc verò Cella vocatur. Qui locus distat trigenis ferè millibus ab vrbe Cameracensi: in qua ipse ex diuino oraculo sanctum pontificem super gregem Christi cura peruigili audièrat insudare. At ille noxijs auulsis arboribus, basilicam in honore Apostolorum cœpit ædificare, & studijs bonorum se operum exercitare. Disseminante verò diabolo zelum inuidiæ per corda malorum, auditum est, aliquos, vt est mos adulantium, sancto Episcopo suasisse, nè sineret illum pseudodoctorem in finibus suis ad iniuriam sui honoris manere, vt qui ad seducendas mentes simplicium, vrbana sapientium conuenticula vitans, in has solitudines deuenisset. Sed vir Domini aduertens suggestionem inuidia potiùs, quàm ratione, compositam: Non est, inquit, nostrum, hominem indiscussum iudicare, neque omni spiritui credere, donèc probetur, si ex Deo sit.

S. Gislenus parentibus ac patria relictis venit Dei voluntate in Gallias.

Huius vitã quærat lector Tomo 5. Octobris nono.

Inuidia diaboli.

1 Ioan. 4.

Cap. 12.

Mittitur itaq; nuncius, qui hominẽ ad conspectum pontificis accersire debeat, hoc interìm proposito, nè vir Dei ex conuentu quouis iniuriȩ motu contristaretur. Euocatus autem beatus Gislenus, cœpit Deo gratias agere, quòd se per suũ pontificem superna gratia visitâsset. Perueniens itaque ad vrbem, sancto prȩsentatur Episcopo: quem ille, vt flagrabat charitatis dulcedine, sic affatus: Dic, inquit, nobis frater charissime, cuiâs es, cuiúsve dignitatis? Cui ille respondens: Græcus, inquit, natione, Christianus verò dignitate. Athenis verò ortus, Christi baptismate renatus, ità Romam adiens, per Dei præceptum hanc peruéni in pariam, super flumen Hagnam, in loco qui dicitur Vrsdungus, operor manibus, ȩdificare gestiens Deo oratoriũ. Desiderabam equidem tuam expetere sanctitatem, petiturus licentiam agendi, quæ sunt cœpta, sed præuénit gratia tua, quæ nos accersiuit. Intuitus autem almus Episcopus viri

S. Gislenus à S. Autberto accersitur.

viri sermones, nihilque repræhensionis depræhendens, dilexit eum: sicque per aliquot dies gratia hospitalitatis retentum, & corporalis alimoniæ subsidio, & sacro spiritualis vitæ colloquio satiauit. Dehinc benedictionis suæ munere donatum, acceptaque regrediendi licentia, cum venerabilis pater hortatur perficere studiosè, quæ cœperat, seque peractis, quæ congruerent, oratorium suæ authoritatis benedictione consecraturum promisit. Qua Episcopi promissione lætus, operi ardentiùs instabat, animaduertens iam ex rerum euentu se illum inuenisse, quem ad ministerium socialis laboris diuinitùs audierat sibi promissum. Expletis verò pro modulo suo, quæ monasticis vsibus congruebant, vir Dei venerandum talibus verbis interpellat Episcopum: Tempus adest, pater, quo seruo suo dominus pontifex promissæ benedictionis munus exoluere debeat. Gaudens igitur venerabilis pater bonis viri studijs, accersito secum beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circunfusæ plebis exultatione, monasterium dictum ad laudem Domini, & honorem Apostolorum Petri & Pauli, consecrauit. S. Autberti hospitalitas. Oratorium S. Gilleni cõsecrat S. Autbertus.

Sed & illud prætereundum non æstimo, quòd cùm superni spiritus in rebus humana solicitudine administrandis, paucis, & illis purioris vitæ munditia præditis, non nisi per visiones aut obscura mysticæ visionis ænigmata se videri permittant: beatum Autbertum angelos corporalibus oculis sæpè vidisse, multi audièrunt. Quod mirum prudentibus videri non debet, cùm internus mentis intuitus, corporei adspectûs lumen ad spiritualia cernenda accenderat, quem ab infimis rebus virtus continentiæ clauserat. Rerum quidem necessitas exigebat, vt venerabilis pater canonicos suos, qui Atrebati in beatæ Mariæ monasterio famulabantur, visitaturus adire deberet: qui locus olim & ambitu murorum, & frequentia ciuium celeberrimus fuerat, sed gentium infestatione à prisco statu deformatus, crebris ruinis hucusquè consistit. Vbì cùm de rebus ecclesiæ satis ad tempus tractâsset, quadam nocte, vt illi semper erat moris, fratribus adhuc quiescentibus, surgens, nocturnæ orationis tempus, vsque in lucis crepusculum continuauit. Necdùm verò cursum orationis expleuerat, cùm se foràs, quasì pro refocillandis aliquo releuamine artubus, suspensa interim oratione, contulit, & stans in mœnibus, cœpit piæ meditationis motibus pulsari, quamobrèm Vedastus, tantorum spatio annorum vilis sepulcri cæspite clausus, debito honore careret, quem iam supernorum ciuium consortio exultantem, cælestis Hierusalem ceu gemmam virtutum fulgore micantem adsciuisset. Etenim à die depositionis eius, vsque ad tempus beati Autberti, sex fuêre Episcopi, quibus ipse septimus ad pontificij culmen successit, cùm tot labentibus annis gemma Dei preciosa subterraneo adhuc specu claudebatur, cuius sepulcrum haud longè à dextro cornu altaris beatæ Mariæ distabat. Cùm verò tot egregios Christi confessores illis fuisse temporibus audiamus, meritis sublimes, virtutibus illustres, minimis in rebus solicitiores: proculdubiò manifestum est, non eorum ignauia negligentiùs iacére tantum thesaurum, sed diuino iudicio & voluntate beati Vedasti, hoc exequendi muneris ministerium beato Autberto reseruatum. Cœpit igitur animo æstuare, quonàm transferri sanctus confessor debuisset, reputans secum, incongruum fore, duo luminaria magna, angusta vnius domûs sede cohiberi: videlicet, nè vbì præclara Dei genitricis memoria, primatum nominis tenebat, tanti patris gloria obscurior videretur: cùm repentè aurora rubente, Orientem versùs intendens, videt eminùs trans fluuiolum, qui Trientio vocatur, virum splendidum, virgam manu tenentem, basilicæ locum metiri: ceu quondàm Ezechiel secus fluenta Babylonis corpore positus, in spiritu venit ad terram Israël, vbì in visionibus Dei templum Domini manu hominis vidit metiri. Quod ille cernens, reuelante spiritu, visionem cognouit angelicam. Intellexit igitur vir Dei, beatum Vedastum illuc, annuente Christo transferendum. Cap. 13. Crebrò videt Angelos. Huius Vedasti Episcopi Vita habetur To. 1. Februarij 6. Visio S. Autberti. Ezech. 40.

Beatus igitur pontifex tali reuelatione certior factus, beatũ Audomarum, qui ea tempestate Taruanensis vrbis gregem cura peruigili regebat, ad tam solenne translationis officium inuitandum æstimauit. Qui licèt senio pressus, & amissione luminum debilior factus, imbecillioris tamen corporis tãtùm non formidabat laborem, quantùm beati Autberti mandato satisfacere gaudebat. Difficultatem igitur corporis superabat charitas mentis, Christoque gressus regente, deuotus ad venerandum peruenit Episcopum. At ille cùm quid animo gereret, & quid sibi diuinitùs esset ostensum, referret, congratulabatur visioni, & se fraternæ sedulitatis studio obedienter accinxit. Cap. 14. S. Audomarus Taruanensis Episcopus. Eius vita est in To. 5. Septembris 9.

accinxit. Iam verò æstimari non potest, quanta confluentis populi turba eo die ad eum locum conuenerit: clerus videlicet, & vtriusque sexûs non ignobile vulgus. Parato igitur feretro, & omnibus, quæ necessaria videbantur, detecto sepulcro, & imposita antiphona, cum magna reuerentia sanctum thesaurum sustulerunt, paratisque Crucibus & cereis, & omnigenis solennis pompæ ornatibus, cum magna plebis exultatione sanctum corpus ad locum destinatum transferre cœperunt. Transeuntes autem prædictum fluuiolum, cùm iam suburbanos fines contingerent, & beatus Audomarus sancti Autberti vestigia pedetentim prosequeretur, statim supernę operationis in se agnouit virtutem: vt ei apertè daretur intelligi, quanti essent meriti, & is qui portabatur, & is, quem portando sequebatur. Nam depulsa longæ cæcitatis nocte, statim oculorum lumen recipit, in loco videlicet, vbi in memoriam beati Autberti ecclesia constructa, à præsentibus adhuc cernitur in testimonium præsentis miraculi. Sed quia venerandus vir Audomarus paruipendebat lumen carnalium oculorum, qui lumen certè ciuium desiderabat supernorum, ilicò precibus eandem quam vltroneus ferebat, rursùs impetrauit cæcitatem. Qua in exhibitione miraculi non latet virtus operantis, sed superest quærere meritum optatæ virtutis. Verùm subtiliùs speculantibus dubium esse non potest, quia præeuntibus meritis sancti Vedasti, fides, vt efficeretur, obtinuit beati Autberti. Stupentibus autem, qui aderant, vario euentu miraculi, beatum corpus ad locum ab angelo designatum honorificè transtulerunt. Quo in loco venerabilis Episcopus monasterium construxit, & ex rebus sui Episcopij in vsum famulantium pro rerum opportunitate donauit: vbi iuxta congruam rerum facultatem fratres in obsequia diuini cultûs deputauit. De obitu verò, quo tempore sancta beati Autberti anima carne soluta, supernam Hierusalem petijt, certum quid ad nostram notitiam non peruénit, nonnullis obsistentibus causis, quæ etiam maximam virtutum eius partem à nostra memoria sustulerunt. Fuit autem sanctum corpus eius tumulatum in ecclesia beati Petri, quæ extra muros ciuitatis tunc erat, nunc verò intra mœnia eius est. In qua requieuit vsque ad tempus Dadilonis Episcopi, qui ei decimusquartus in Episcopatu successit. Hic, cùm Nortmanni Galliam depopulati essent, cum magna diligentia sanctum corpus in ecclesiam beatæ Mariæ transtulit, vbi honorificè collocatum, multo tempore quieuit.

S. Vedasti corpus transfertur reuerenter. *S. Audomarus lumen recipit, sed precibus obtinet, vt redeat cæcitas.* *Monasterium S. Vedasti apud Atrebatenses.* *S. Autberti sepultura.*

Cap. 15. Hæc nostro stylo continuamus.

Porrò Otho Imperator, Henrici Regis filius, à Fulberto Cameracensi Episcopo dari sibi petijt corpora sanctorum præsulum Autberti & Gaugerici. Ille verò quibusdam in consilium adhibitis, Theodorici Cameracensis Episcopi, & alterius sacerdotis corpora ei dedit, quibusdam adiunctis è corpore S. Autberti articulis: prudenter id quidem, nè ciuitas Cameracensis suis patronis orbaretur. Lætus igitur Imperator, præclaras reliquias in monasterio, quod ipse Magdeburgi construxit, reponendas curauit. Porrò autem fama Germaniam omnem occupârat, sanctos Autbertum & Gaugericum è Gallijs in Saxoniam translatos: sed secùs ipsa res habet. Nostris enim temporibus Herluinus pręsul Cameracensis diligenter perscrutatus, beati Gaugerici corpus maxima ex parte reperit. Eius autem successor Gerardus monasterium, in quo sanctus Autbertus quiescit, ab Herluino amplificatum, in memoriam sancti Pauli solenniter consecrauit, sacrumque beati Autberti corpus suis sedibus restituit anno Christi decimoquinto supra millesimum. Qui locus haud procùl abest ab ecclesia sanctissimæ matris Dei, & perpetuæ Virginis Mariæ: in eoque recta fide petentibus, beato Autberto intercedente, beneficia diuina præstantur.

VITA

VITA SANCTI IVDOCI FILII REGIS BRITONVM ET CONFESSORIS, PER FLORENTIVM

Abbatem conscripta. nos eam in capita margini adiecta distinximus. Habetur in MS. codice Guilhelmitarum Brugensium.

PROLOGVS.

VNIVERSIS sacrosanctæ matris Ecclesiæ fidelibus, & præcipuè confratribus gloriosi confessoris Iudoci, per Francorum & Teutonicorum regna constitutis, Florentius diuina miseratione Abbas indignus, totusque cõuentus beati Iudoci de supra mare, salutem mentis & corporis. Frequenti ac deuota nonnullorum de vobis postulatione deuicti, & non minùs charitatis mutuæ dilectione vobis deuincti: deuotioni vestræ compendiosè scribere dignum duximus, cuius nationis, cuius conuersationis, quantique meriti fuerit apud Deum dum adhuc esset in terris, inclytus ille ac gloriosus cõfessor Domini Iudocus, qui sibi seruientibus, & vobis ipsum annuatim requirentibus non desistit quotidiè patrocinari: cum Christo regnans in cælis, & meritò in cælesti regno præ cęteris obtinet principatum, qui pro Christo, patris sui regnum in terris, & terrenum contempsit dominatum.

VITA.

13. Decẽbris. Cap.1. S. Iudoci parentes & patria.

IPSE nanque eximius Christi confessor Iudocus, de illustri procedens genealogia Riouali, qui principabatur in transmarina siue maiori Britannia, quæ modò dicitur Anglia, & postmodùm in copiosa nauium multitudine ac manu valida exteriorem sibi subiecit Britanniam: Filius fuit Rethaëli Regis Britonum, habuitque fratrem maiorem natu beatum Rodichaëlum, qui regnauit post patrem ipsorum Rethaëlum. Isti duo fratres, immò duæ gemmæ cælestes, Rodichaëlus videlicet & Iudocus, contemporanei fuerunt Dagoberti Regis Francorum: cum quo post graues adinuicèm inimicitias, pacificatus est in palatio * Dippiaco amicus Dei Rex Britonum Rodichaëlus, magnisque honoratus muneribus ab ipso Rege Dagoberto. Rogatus tamen à Dagoberto Francorum Rege, vt pranderet cum eo, voluntati eius & voto non acquieuit regio: sed eligens mensam Dadonis, qui & Audoenus, postmodùm Rothomagensis Episcopi, eius dignatus est interesse conuiuio: mâlens inter diuersa fercula sacris eruditionibus ipsius (qui vir erat sanctissimus) informari, quàm ex superfluis enxeniorum diuersitatibus in mensa regia fastidium sibi generari.

for.* Clipiaco. Iudicaelem vocat Papirius Massonus lib.1. Annaliũ, in Dagoberto. Istius Audoeni vita habetur 24. Augusti.

Cap.2.

Regressus consequenter vir Dei Rodichaëlus Rex in Britanniam, & regnum relinquere præmeditatus & patriam, ac vitam ducere monasticam, fratrem suum iuniorem se, beatum scilicet Iudocum, conueniri fecit, de suscipienda regni gubernatione, vt in suo permanere posset proposito, & monachorum fratrum cohabitatione. Frater autẽ eius beatus Iudocus non minùs eo feruens in diuina dilectione, inducijs deliberandi per octo dies à Rege fratre suo vix impetratis: die noctuq; anxia cogitare cœpit intentione, quomodò relinquere posset, immò effugere, & regnũ & patriam, ac fratris sui, qui regnabat, declinare maleuolẽtiam. Ipso igitur in monasterio * Lammailmon (in quo literas didicerat) moram faciente, & orationi frequentiùs hac de causa incumbente, contigit per illud monasteriũ vndecim peregrinos præterire, prætendentes quòd Romã vellent proficisci: Hos itaque insecutus secretò & eis associatus venit Parisius: verùm vtrùm cum ijs vlterius progrederetur in dubio positus, consilium tandèm à spiritu sancto, qui gressus eius dirigebat, in omnibus vtile consequutus, ab itinere, tantum frequentato à populis, & à strata declinauit publica, dimissisq; sibi à Deo transmissis itineris comitibus, ad Pontini festinauit confinia, quæ antiquis plena nemoribus, deserta erant & inuia, & ab hominum cohabitatione remota, bestijs solummodò, feris, & auibus habitabilia.

Spernit terrenum regnũ S. Iudocus.

Latet in cõfinibus Pontinij regionis Franciæ.

Cap.3. Delectatus igitur locorum vasta solitudine, super fluuium * Alteiam disposuit habere habitationē. Sed à Duce Haymone obuiàm ei facto, forsitan ad hoc à Deo misso, retardatus est ab hoc proposito per spatium septem annorum: infra quos, & literas magìs addidicit, & sacros ordines suscepit. Qui tandèm sacerdos effectus, filium iam dicti Ducis, qui eum in maxima habebat veneratione, de sacro suscepit fonte, quem vocauit Vrsinum. Elapso autem septennio, iuxta desiderium iampridèm conceptum, ad vitam transiens solitariam, mansit in loco qui dicitur Brahic, fluminis riuulis vndiquè circundato: ædificatis ibidèm ecclesia & domuncula. Præter plurima quæ per ipsum & propter ipsum Dominus fecit mirabilia, veniebāt volucres, & pisces diuersi generis ad sacram eius manum, palpabiles, & receptis ab eo alimentis recedebant quasì domestici & intelligibiles.

Initiatur sacerdotio.

Extruit ecclesiam & cellam monasticam.

Cap.4. Quadam autem die, cùm ad victum quotidianum non haberet, nisì panem modicum pro se & discipulo suo Vuulmaro: & Dominus in specie pauperis adueniret, eleemosynam petens, vir Domini Iudocus panē diuidi iussit in quadrantes, & petenti de quadrantibus vnum erogari. Iam vir egressus erat, & eccè reuertitur Dominus in forma egeni deficientis inedia, & de secundo panis quadrante satisfactum est eius petitioni. Nec mora, regressus tertiò, quasì esuriens ac deficiens fame, donatus est tertia panis parte. Consequenter visus est aduenire Dominus in altera inopis effigie, rogaturus eleemosynam sicut iam tertiò fecerat antè, nec erat vndè reficeretur, nisì de residuo panis quadrante, eum quoquè vir Domini Iudocus pauperi erogari iussit. Cui ait Vuulmarus: Nihil nobis vis reseruare pater? Volo, inquit vir sanctus, totum tribui esurienti, quia potens est Dominus etiam hodiè nostræ prouidere necessitati. Vix recesserat Dominus, & interìm dum consolaretur verus Dei amicus discipulum, de panis erogatione commotum: eccè per fenestram visæ sunt & inuentæ in alueo fluminis quatuor nauiculæ victualibus onustæ, de quibus quis eas adduxerit, vel quò iam victualibus exoneratas reuexerit, nescitur vsque in hodiernum diem.

Eccè quanta fuerit misericordiæ erga pauperes iste sanctus.

Diuinitùs illi trāsmittuntur victualia.

Cap.5. Hæc & alia quæ erga beatum Iudocum Dominus quotidiè monstrare dignatus est ibidèm miracula, totam longè lateque commouerunt patriam, ad visitationem eius & impetranda ipsius apud Deum suffragia. Quod cùm diutiùs sustinere non posset, iam octo annis ibidèm elapsis, ad vlterius Domino duce processit desertum, vt populi nimiam declinaret frequentiam, construens oratorium in honorem beati Martini, in loco qui dicitur Rimacus super fluuium: vbì plurimas ab hoste antiquo, qui felicibus eius actibus inuidebat, passus est insidias per quatuordecim annos quibus ibidèm commoratus est. Eo in loco, aquilam cum gallo auolantem in sublime, post iniuriam sibi illatam de gallinis vndecim tot vicibus sigillatìm deprædatis, per signum Crucis prostrauit ad pedes suos, gallum autem suum sanum recepit.

Aliud extruit templum in honorem S. Martini Episcopi.

Eccè virtutem signi S. Crucis.

Cap.6. Non longo tempore interlapso, diabolus terribilem mutatus in colubrum, grauiter sanctum Dei momordit in pede: qua læsione accepta, per sanctum edoctus spiritum vt aliò transmigraret, comitante se Duce Haymone, vastam circuibat eremum, vt inueniret in ea habitationis locum. In quærendo autem eo idem Dux post venandi exercitium, quo immanissimū ceperat aprum, graui torquebatur sitis molestia, ac præ sitis lassitudine obdormiuit. Electus interìm Domini Iudocus orationi incubuit, surgensque, baculo quo innitebatur terrę infixo, sicut alter Moyses, aquam produxit & fontem largiùs effluentem, quo exhilarati Dux & eius familia, suæ sitis extinxerunt ardorem: & transeuntibus perindè vsque in hodiernum diem aquam administrat indeficientem.

Oratione fontem oriri facit in loco arido.

Cap.7. Progressus indè versùs mare, in vallicula vmbrosa riuulum offendit paruum, quo delectatus, Hic est, inquit, cathedra, hęc requies mea in seculum seculi. Haymone itaque Duce ad propria reuerso, vir Dei duo ibì lignea manibus proprijs construxit oratoria, vnum S. Petro Apostolorum principi, aliud sancto Paulo gentium doctori. Deindè profectus est Romam ex mandato D. Martini sedis Apostolicæ Pontificis summi, qui longo tempore concupierat conspicere faciem eius, ac sanctissimo ipsius frui colloquio: à quo & receptus est cum honore debito ac multo dignationis obsequio. Verùm ibidèm edoctus est à spiritu sancto, quem in omnibus magistrum habebat & custodem, vt ad eremum suā reuerteretur, quam in terris sibi elegerat habitationem, indè in breui exiturus à corpore, & transmigraturus ad Angelorum collegiū, ac perpetua diuinæ maiestatis fruiturus contemplatione. Post sacra igitur & multa de ęternitate

Iam tertiò locum mutat, & duo construit oratoria.

It Romam.

nitate colloquia, inter ipsum & Pôtificem habita, cum preciosissimis Sanctorum reliquijs à domino Apostolico sibi collatis reuersus est, cum totius patriæ gaudio, ad Pontini confinia. Cui in monte habitationi suæ proximo (vbi modò requiescit sanctum corpus eius) obuia facta est puella quædam, parentum obsequio adducta, non tantùm à natiuitate cæca, sed prorsùs oculorum orbibus carens: Hîc vbi vir sanctus manus de more abluisset, illa vt fuerat visione nocturna præmonita, ex eadem aqua, quæ viri sacras manus attigerat, faciem & concaua oculorum loca lauit: quæ statìm receptis luminibus, maximam vniuersis, qui aderant, cum admiratione lætitiam, & gratiarum actionis materiam subministrauit.

Reuertitur in eremum suam.

Cæca, eius meritis illuminatur.

Duce itaque Haymone præsente cum innumera cleri plebisque caterua in occursum eius congregata, sanctissimas reliquias quas attulerat, cum ea qua decuit deuotione, vir sanctus reuerenter deposuit in noua beati Martini ecclesia, quam præfatus Dux lapidum ornatu iam restaurârat: ipse verò Domini sacerdos præparauit se ad diuina celebranda mysteria, stolam ac casulam candidam indutus. Qui cùm adstaret sacro altari, tertio Idus Iulij, ac diuina cum summa veneratione tractaret sacramenta, manus Domini visibiliter apparuit inter sacrosancta Missarum solennia, suumque sacerdotem consignauit & confirmauit benedictione perpetua, cum subsequente promissione ac voce mirabili cælitùs emissa: Quia contempsisti diuitias, & paterni regni pro me refutâsti culmina, ac elegisti pauper esse, & latére abiectus in terra ista deserta & inuia, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: preparaui tibi coronam inter Angelorum agmina, eroque loci huius, in quo resoluéris, defensor & iugis custos: vniuersique populi locum hunc cum pia deuotione, & pura cordis intentione visitaturi in tuì memoriam, diuina non defraudabuntur gratia in terris, & postmodùm ad gaudia peruenient sempiterna in cælis.

Cap. 8.

Eccè quanti fecerint sanctorum reliquias patres nostri.

Psal. 83.

Merces renunciantiũ diuitijs & honoribus huius seculi quanta sit.

Subsequente verò tempore preciosa Christi margarita Iudocus, in carne præter carnem viuens, Angelus esse videbatur non homo: qui tandèm cupiens dissolui & esse cum Christo, Idibus Decembris obdormiuit in Domino, Angelorum obsequijs & Christo duce (cuius præsentiam indicabant intolerabilis claritas splendoris, & incomparabilis dulcedo diuini odoris) deductus in cælos. Cuius corpus quia virgo fuerat, ac immunis à carnalis commixtionis contagio, itâ saluũ ac integrum permansit in tumulo, ad sexaginta ferè annos, acsì spiritus vitæ foret in eo. Nam à custodibus corporis sui, vngues manuum ipsius ac pedum, & capilli capitis barbæque, quasi viueret excrescentes, præcidebantur & radebantur omni sabbato, quousquè successor Ducis Haymonis, Doctricus nomine, minùs reuerenter ac præsumptuosè (immemor illius scripturę, Non tentabis Dominum) sacrarium violenter irrupit cum satellitibus suis, ac intrauit locum vbi repositum erat corpus sanctissimi confessoris Iudoci. Qui viso miraculo statìm cæcitate percussus, in amentiam incidit, ac miserabiliter exclamans, Hâ sancte Iudoce, surdus permansit ac mutus quoadusquè diem clausit extremum: temeritatisque suę in pręsenti seculo excepit pœnam, nè à Domino, bìs qui non puniri in idipsum, hac de causa damnaretur in futuro.

Cap. 9.

Felix obitus eius.

Eius corpus manet incorruptum 60. annis post mortẽ.

Deut. 6. Matt. 4.

Vltio diuina in præsumptuosum Ducẽ.

Hæc de libro vitæ ac gestorum beati Iudoci breuiter excerpsimus, vt vobis, qui eius estis peregrini & confratres, eiusque sub patrocinio degentes, aliquo modo satisfaceremus. Prolixitatem verò miraculorum, quæ per ipsius merita Dominus operari dignatus est, penitùs pertransire dignum duximus, quia in enumerandis omnibus, nec memoria nec sermo vires suppeditant. Hæc quoquè quæ nostris vidimus temporibus missa facientes, pauca in medium proferemus: vtpotè de pluribus quos Dominus resuscitare voluit à morte ad vitam, partìm suspendio, partìm aqua suffocatis, aut quouis alio mortis genere: quorum vnus Iohannes nomine, per biduum aliquandò submersus, adhuc penès nos est monachus. Et alius quidam Deodatus nomine, quem multi nostrûm hîc viderunt monachum, cùm adhuc infans iaceret in cunabulis, inaudito vsque ad nostra tempora miraculo est saluatus. Pater huius Deodati, de quo loquimur, pro consuetudine habebat visitare annuatìm beatum Iudocum, ac vota sua cum oblationibus offerre pro se ac sua familia. Contigit autem tempore quodam cum redisse à sua peregrinatione, & eccè incendium in castro præualuit. Singulis igitur sedulò occupatis in domorum ac facultatum conseruatione, pater suarum quoquè rerum curam gerens, cunas in quibus iacebat infans, reposuit in quodam latere ecclesiæ, ac ipsum relinquens, beati Iudoci commendauit custodiæ. Tandèm igne conflagratis omnibus, & fastigijs ecclesiæ cum

Cap. 10.

Biduò submersus reuocatur ad vitam.

lateribus incendio dirutis, atque in carbones resolutis, infantis sui memor beati Iudoci peregrinus & cultor, consternatus est mente præ doloris angustia: Sanctumque Dei de morte infantis (quasi cum occiderit) redarguens, filium suum constanter ab eo requirere cœpit: comminans, quòd eum decæterò non vellet visitare, nisi suam ei prolem restitueret. Sed nec ibi defuit diuina misericordia, beato Iudoco in

Dan.3. subsidium fideliter inuocato. nam qui tres Hebræos pueros olim conseruauit illæsos in camino ardenti, ipse quoque modernis temporibus & hunc à tanto conseruauit incendio. Inuentus est enim infans incolumis in carbonum congerie, qui manu sua

Infans in medio igne conseruatur illæsus. tenella tangendo carbones, videbatur cum ipsis ludere. Exportato autem infante à patre eius extra incẽdij locum, & à cunabulis leuato, cum omnium circumadstantium admiratione, tam ipsæ cunæ, quàm fasciæ & panni, quibus inuolutus fuerat, dissoluta sunt ac in cineres redacta: vt omnibus innotesceret euidenter, quòd edacitas flammæ, quæ lapidum ac lignorum duritiam valuit dissoluere, tenerum infantem custodiæ beati Iudoci commendatum non potuit lædere.

Cap.11. Innumera S. Iudoci miracula. De cæteris miraculis à Domino per beatum Iudocum operatis, in claudorum, surdorum, mutorum, cæcorum, paralyticorum, & aliorum diuersis infirmitatibus laborantium curatione, non est qui possit finem facere, aut ea numero colligere. Vnum tamen est, quod de summæ nobilitatis suæ origine, & de regio fastigio, etiam post mortem sibi voluit retinere, nè videlicet in ecclesia ipsius, vel vbicunquè fuerit eius sacrum corpus, aliud ardeat, nisi liquor ceræ. Quod infortunio suo experti sunt quondam tres monachi, qui hæc probare volentes in ecclesia, vbi sacrum corpus eius fuerat delatum, non timuerant lucernas de sepo deferre: sed frustrà, quia nullo

Vltio cælestis in temerarios monachos. modo potuerunt eas accendere. Contigit verò in signum temeritatis suæ, duos ipsorum subitanea morte præoccupari: tertium autem nomine Petrum, qui à quibusdam contemporaneis nostris & visus & cognitus est, oris contractione puniri, qui ità deformis permansit omnibus diebus vitæ suæ, donèc spiritum redderet. Vobis itaque sanctum Iudocum annuatim deuotè visitantibus, ac vniuersis ipsius cultoribus, sit pax, honor, & lætitia cordis: vosque & vestra Dei conseruet gratia, & post hanc vitam sempiterna coronet gloria: quod vobis secundùm suam promissionem præstare dignetur, qui viuit in secula, Amen.

MARTYRIVM SANCTORVM MARTYRVM THYRSI, LVCII, CALLINICI, PHILEMONIS, APOLLONIJ *& reliquorum: Authore Simeone Metaphraste. Habetur in Tomis Aloysij. Nos verò capita margini adiecimus.*

Decẽbr.14. Cap.1. Tit.3. Gal.4.



VM Dominus noster Iesus Christus, carnis inita societate, benignè, vt dicit Paulus, in terra esset versatus, (Misit enim filium suum, factum ex muliere, factum sub lege) vt & nos ad veritatis adduceret agnitionem per prodigia, per signa, per Apostolicum sermonem & doctrinam, per præclaros & admirabiles viros, qui posteà fuerunt: & omnibus modis procuraret, vt reuocaremur à vitio: qui statim ab initio, nostro generi extitit inimicus, hæc videns, & nostram non ferens correctionem, mouit aduersùs nos omnem, vt dicitur, lapidem: & cùm ex se

Quandò nõ valet per se, tunc per homines aduersùm nos bella diabolus excitat. nos non posset aggredi, prioribus rursùs vsus est machinis, & per alios excitauit seditiones, & bella commouit, & molitus est omne genus insidias. Nam cùm artificiosè subijsset Decium, qui tunc Romanis imperabat, vehementer conturbabat, Christianos lacerabat, trahebat ad iudicia, eos maximis afficiens supplicijs, & postremò ipsa morte. Causa autem, quòd non, relicto vero Deo, vanas & inanes deorum abominationes vt adorarent, persuaderi poterant. Quo tempore fortes pietatis athletæ, Lucius, inquam, & Thyrsus, & Callinicus, re vera Callinicus, nempe præclarus victor, mortem propter Christum elegerunt, priùs multis cruciati supplicijs: quæ omnia superârunt tolerantia: & deindè ipsa quoquè corpora, tanquàm sanctum sacrificium, consecrârunt ei, quem desiderabant. Eos

tulit

tulit quidem inclyta regio Bithynorum: cùm essent autem clari & genere & gloria, multo magis studuerunt sibi parare splendorem ex pietate.

Cùm ergò, quæ in Christianos fiebat, persecutio adhuc duraret, atque adeò magis magisque cresceret: & per vniuersum orbem terræ mitterentur decreta impietatis, & permitteretur omnibus punire Christianos, maximè quibus erat commissa aliqua præfectura reipublicæ, adstiterunt hi, opem laturi Dei legibus, in quas exercebatur tyrannis, & pietatis veræque religionis ritibus, quibus fiebat iniuria: & per ea, quæ dixerunt, & quæ passi sunt, plurimum adiumenti attulerunt. Venit enim quidam ex Nicomedia per Niceam ad eam, quæ ipsos aluit, ciuitatem, quæ dicta est Cæsarea à quodam ex veteribus Cæsaribus, nomine Cumbricius: cui magnæ curæ erat templa simulacrorum, aræque & sacrificia, & si quid aliud erat gratum dæmonibus. Non ille autem hæc solus, sed etiam contendebat, vt vniuersus exercitus facti huius nefarij esset cum eo particeps: & alios quidem terrebat minis: alios verò promissis & spe bonorum inducebat. Lucius verò, qui inter ciues erat & prudentia & doctrina insignis, & erat etiam genere clarus, sicut diximus, & ex illustri familia, propter hæc valdè angebatur animo, diuinoque zelo eius inflammabatur animus. Hinc factum est, vt decætero non ampliùs occultam haberet pietatem, neque ampliùs contineret dicendi libertatem: sed illam ostendendi opportunissimum hoc tempus esse ratus, & in lucem proferendi zelum, quem iamdiù parturiebat, ad impietatis defensorem continuò accedens, Cur, inquit, ô Cumbrici, tam miserè & infeliciter in tuam armaris animam, dæmonum insensilia & surda adorans simulacra, & multos assumens ad societatem infaustæ huius superstitionis, vt vel ipsis lapidibus & lignis, videamur homines minus habere sensûs, cùm oporteat potiùs agnoscere Deum verum & Seruatorem, & ambulare in luce veritatis, relicto errore tenebrarum & omni vanitate?

Cap. 2. *Persecutio sub Decio vehemens & atrox.* *Cęsarea vnde dicta.* *Lucij insignis libertas aduersùs Cubricium iudice.*

Hæc cùm in principio dixisset Lucius Præsidi, insipiens ille, & planè amens, animo morsus, & tanquàm impium quid & sinistrum, liberè prolatam odio habens veritatem, eius tergo statìm iussit infligi plagas, & nec eum priùs conueniens, nec tentans, an eum posset à sua traducere sententia: sed indicta causa & citra vllam examinationem, vt qui crederet nullam esse spem mutationis, tradidit cruciandum. Martyr itaque plagas illas lubenter accipiens, & propter eas Dominum laudans, incitauit Præsidem ad longè maiorem & grauiorem furorem. Ipse certè fuit sibi causa maiorum plagarum. Nam hoc etiam omninò volebat propter cupiditatem maiorum remunerationum, donèc & percutientes lictores defessi essent, & defatigatum esset eius corpus, quod plagis iam fuerat contritum. Ipse verò precabatur, vt ad Deum resolueretur, illum conuenire desiderans. Quamobrèm annuentem quoquè habuit Præsidem, vt qui desperaret se eum posse vincere in certamine, & illius linguæ non ferret libertatem. Quoniam ergò, inquit, ô Luci, mors est tibi grata, agè nos quoquè tibi largiamur, quod desideras, quomodò nos scimus esse largitos multis Christianis, qui fallebantur similiter. & statìm iubet sancto ciuitate expulso caput amputari. Ducebatur itaque martyr à lictoribus, non mœstus, nec timens, neque vllum doloris vestigium vultu præ se ferens: sed totus lætus & alacris, perindè acsì abduceretur, non vt caput ei amputaretur, sed potiùs vt coronaretur: quod quidem erat in cælis consecuturus. Procùl ergò abductus à ciuitate, sic piè consummatur, & verè beatum ei caput amputatur. Sed eum quidem iam deincèps habet cælum, quæ non corrumpitur, corona coronatum.

Cap. 3. *Iubetur flagellari.* *Ducitur iucundus ad mortem.* *Decollatur.*

Cùm autem Cumbricij fama peruasisset in omnes partes, & laterent omnes Christiani propter illius crudelitatem, diuino zelo vndiquè armatus Thyrsus, (erat autem is quoquè honesto loco natus) & proficiscens ex regione Bithynorum, venit ei in conspectum, &: Salue, inquit, ô optime Præses. Cùm is verò ipsi quoquè parem reddidisset salutationem, Licétne, dixit Thyrsus. dicere vobis, qui geritis magistratus, ea quę quis velit, an solùm oportet vestris se iussis submittere, & nec vocem quidē omninò emittere? Præses autem, vt videtur, oblitus quemadmodùm ante eum cum Lucio egerit: Licet, inquit, neque vlli in hunc diem adempta fuit hæc libertas: & maximè si ea possit dicere, quæ in commune conferant. Thyrsus autem: Quænam, inquit, dici possunt vtiliora ijs, quæ prosunt animæ? Ego enim videns te multis damnum afferentem in eo, quod est salutis pręcipuum: & à recta quidem abducentem sententia, miserabiliter autem adducentem ad errorem simulacrorum: & planè sciens te totam

Cap. 4. *S. Thyrsus vltrò se offert Cumbricio.*

Insignis ei' dicendi libertas.

ignis gehennam in tuum caput, aut in animam potiùs accendere, duxi expedire cum ea, qua par est, fiducia & libertate liberè tecum agere, tecumque differere, & ex te scire, quanam de causa reiecto cæli & terræ & hominum opifice, opera manuum, quæ facta sunt ab hominibus, statuisti potiùs adorare, dicens, Pater meus es tu, vt dicam cum diuino Ieremia: & lapidi, Tu me genuisti: & ad Deum, qui te genuit, tergum vertens, & non faciem tuam: & omne studium conferens, nullamque vim aut necessitatem prætermittens, vt omnibus hominibus, si fieri possit, persuadeas, vt malæ opinionis sint tecum participes?

Ierem.2.

Cap.5.

Ad hæc Preses: Importuna hæc & nimia dicendi libertas, ostẽdit te laborare morbo eorũ qui dicuntur Christiani. Verumenimuerò inaniũ harum interrogationum & nugarũ solutiones mitte ijs, qui sedent in scholis, qui publicis scilicet sunt curis vacui. Illi enim singula horum apertè tibi soluent. In præsentia autẽ cede iussis Imperatoris & accedens, dijs sacrifica. Sin minùs, importunorum verborũ opportunam inuenies tormentorum remunerationem. Ille verò, Cùm sitis, inquit, Dei figmenta ratione prædita, qua vos ille honorauit, nihil vos stultè facere oportet & contra rationem: sed iudicio & diligenti examinationi omnia permittere. Si autem vis ipse ea scire qui quę citra vllam rationem decreta sunt ab Imperatoribus, cùm mihi nunc non sit persuasum, vt abiurem Christianismum, fac ipse, quod est tibi constitutum. Cumbricius verò. Fortè, inquit, quòd tecum benignè & leniter agamus, ideò te arrogantiorem effecimus & insolentiorem. Sed cùm te videam adeò intelligentem, & tam acuti & solertis ingenij, suadeo vt pâreas antequàm crucieris. Nam pulchra quidẽ res est mutatio in melius, quandocunquè ea facta fuerit. Sed neque ipsum id, quod oportet, intelligere, neque alteri dicenti parére: cùm multa autem priùs passus sis tormenta, deinde discere id, quod est vtile, non existimo id effugere suspicionẽ amentiæ. Vade ergò iam ad templũ, & dijs redde quæ iusta sunt. Sic enim & eorum, quæ præcesserunt, veniam consequéris, & magno Imperatori euades familiaris, & toto vitæ tempore à nobis in honore habeberis. Martyr autem: Ego, inquit, de rebus præsentibus diù deliberaui, neq; me omninò aggressus nunc es minimè premeditatum. Nam cùm rem priùs multis examinâssem ratiocinationibus, & vestra simulacra, immundaq; altaria & sacrificia summè irrisissem, puram & veram fidem elegi Christianorum. Quamobrèm si quid tibi contra nos permissum est ab Imperatore, nè sis negligens.

Rationalis homo, oia quæq; iudicio & diligenti examinatione ponderare debet.

Egregia illius cõstantia.

Cap.6.

Dire pugnis cæditur.

Statim ergò cùm illi iamdiù intumesceret animus, adolescentes aliquot manu valentes, vehementer insultantes, iussit pugnis cædere martyrem. Deindè cùm eum loris è summis manibus & pedibus fortiter alligâssent, vtrinquè violenter trahebant, adeò vt ei soluerentur compages articulorum, membratimque & particulatìm is disperperetur. Ille autem etiamsi hæc pateretur, non modò vultu nullum signum doloris præ se tulit, sed visus est potiùs lætior, florentibusque genis ac purpureis. Qua de causa hoc non sufficere ad cruciatum ille immitis arbitratus, & alioquì inuidens alacritati & flori vultûs, martyrem quidẽ soluit è vinculis: cilia verò & oculos iubet ferro confodi. Hoc autem facto, velutì diuina quadam audacia repletus Thyrsus, Præsidem maiori arguebat libertate, & ijs, quæ ab illo patiebatur, vtebatur ad ea probãda, quæ ab eo dicebantur. Animum ad me attende, dicens, quem, quòd ad te quidẽ attinet, innumerabilibus tradidisti mortibus: & vide ineffabilem Christi mei potentiam, quemadmodùm nos impleat audacia & virtute nos accingat cælitus: & permittat, vt sim particeps propriæ eius formositatis. Nam quo mihi corpus magìs perdis, eo maiorem mihi adijcis pulchritudinem. Quæ enim pro Domino suscipiuntur stigmata, quouis ornamento pulchriùs adornant & animos & corpora: & sanguis, qui pro ipso funditur, velutì nos irrigans, efficit vt simus vultu lęto & alacri.

Vide immane supplicium

Alij cruciatus.

Martyr fit seipso robustior.

Cap.7.

Ad hęc autẽ vir ille pestifer & exitiosus, cùm non haberet quid ageret, aut quomodò viri illius generosi reprimeret loquẽdi libertatem, & illius linguæ vitaret plagas: ei verò cruciaretur animus, & ira ferueret, iubet glãdibus æneis eius verberatas maxillas vnà cum dẽtibus excuti martyri. Sed cùm hunc quoquè sustineret cruciatũ athleta, eadem quę priùs erat ei lætitia & alacritas, & in omni tempore benedicebat Domino, & perpetuò in ore eius canebatur eius laudatio: quæ quidẽ iræ fornacem accendebant, & flammam magìs excitabant Præsidi. Quid ergò? Nè putes, inquit, ô Thyrse, fore vt huculquè tibi sistantur, quæ sunt grauia & aspera. Nam quæ præcesserunt quidẽ, erant parua quædam, & quæ temerè tempus nobis suggessit: quę autem deinceps, ostendet tibi experientia, & scies decætero, qualia sunt præmia eorum, qui non

Alij sæuissimi cruciat'.

non obediunt. Martyr autem, Eugè, inquit, nè hæc maxima nobis bona inuíderis. Non inuidebo, inquit: sed illa tibi pro viribus suppeditabo affatim & munificè. Statìm autem supra ignem liquefactum est plumbum, & lectus fuit propositus, & super eum pronus extensus fuit iustus. Hìc verò mihi considera, quàm esset Præses improbus & peruersus. Interìm ad eum adducit quosdam præstigiatores, & qui erant apti ad persuadendum, tentans martyris dissoluere & eneruare constantiam: qui quidem cum eo iucundè colloquebantur, & consulebant, vt aliquid remitteret de hac nimia pertinacia, & tandem paréret Præsidi. Sic enim, inquiunt, & imminens effugies periculum, & magnorum eris bonorum particeps. ignoscet autem omninò Deus tuus imbecillitati naturæ, & hoc omninò non ægrè feret, cùm sit magna ex parte benignus & clemens, vt audimus. O inuictum martyrem. Fallacia diaboli.

Martyr verò: Propter hoc ipsum, inquit, stabo fortiter, & pro ipso tormenta sustinebo. Si enim vos, cùm auditis nunquàm terminanda, quæ vos manent, supplicia, nequaquàm cõuertimini, neque declinatis apertum animæ periculum: cur non ego hos, qui sunt ad tẽpus, magno & generoso animo sustinuerim cruciatus, qui regnum cælorum habent remunerationem, & bona, quæ sunt post finem nos exceptura, & perpetuò futura? Sed quandiù vos malignè vestra sponte vos geretis, contra tam manifestam contendentes veritatem? adeò vt vel hoc plumbum vestræ malitiæ ferat testimonium, & multos tradat igni, qui non potest extingui, vt impietatem vestram immedicabilem puniat in æternum? Atque ille quidem hæc dicebat, diuina eius corpus implente gratia: Illi autem (vilia enim sunt, ait diuinus Iob, veri viri verba) eum nugari putantes & loqui temerè, feruens adhuc plumbum & valdè candens, in nudum eius tergum effundunt. Plumbum verò in superficie tantùm & leuiter id attingebat, nihil omninò eum offendens. Illinc autem repentè tanquàm fluentum aliquod profluens (opus est hoc, ó Christe, tuæ virtutis) interimit multos ex incredulis. Atque martyr quidem è lecto surgit illæsus: miraculum verò ingenti timore afficit eos, qui aderant: quinetiam ipsum Præsidem valdè obstupefacit. Cap. 8. Feruens plũbum in eius corpus funditur. Nihil eum lædit. Vide miraculum.

Cæterùm quum oporteret intelligere, & agnoscere quisnam esset, qui posset hæc facere, erat ille sua sponte verè cæcus, (Vidistis enim sæpè, inquit Esaias, & non custodijstis: apertas aures vestras, & non audiuistis) & magìs iratus fuit martyri, & eum vocauit præstigiatorẽ & veneficum, & quæ sunt huiusmodi. Deindè etiam eum acerbioribus affecit supplicijs. Sed ille permansit cõseruans adhuc eandẽ animi fortitudinem, & vox quædã ex alto est audita, quæ athletæ magìs addebat animum: & impiorum quidem perturbabat animos, dubiosque reddebat & perplexos: pios autem fidei petra stabiliebat, maiusque & alacrius animi studium afferebat. Non ferẽs itaque Præses dedecus, sanctum statìm vinctum mittit in custodiam, dicens opùs esse maiori deliberatione, & nouis tormentis aduersùs hunc monstrorum effectorem, cuius est insignis amentia & insolentia. Ille verò tunc Domino supplicabat vehementiùs, & rogabat, vt ei fieret coniunctior: precabaturque, vt per baptismum ab eo adoptaretur in filium. Nondùm enim erat mysterijs initiatus, & nondùm absolutus in rebus Christianorum. Ille verò circa mediam noctem ad eum accedit, & baptismum dat ei dupliciter: nunc quidem per aquam: paulopòst autem etiam per martyrium, quo quidem ipse quoquè fuit baptizatus. Cap. 9. Esa. 42. Cælitùs cõsolatur. Iterùm mittitur in carcerem.

Statìm ergò & ianuæ carceris sua sponte sunt apertæ, & solutus fuit martyr à vinculis: & egressus è carcere, venit ad quendam Phileam Cæsareensium Ecclesiæ Episcopum, qui propter terrores impiorum, & sedem & cœtus declinans, seipsum celabat & occultabat. Hic ergò Episcopus, qui olìm de Thyrso, & de eius libertate & animi magnitudine audiuerat, eumque admirabatur, & in honore habebat, cùm eum tunc vidit ad se accedere, protinùs prócidit ad eius pedes. Ille quoquè cùm similiter procidisset ad pedes Episcopi, eum erigit, &, Noli, inquit, ô venerande pater præripere id, quod à nobis tibi debetur. accessimus enim, vt benedictionem assequeremur, non vt benediceremus. Cùm dixisset aũt Episcopus, oportere eum benedicere, vt qui præbuisset satis magnã virtutis probationem, & splendidiorẽ effecisset vestem spiritùs per asperarum & difficilium rerum tolerantiam: Martyr, Propter hoc ipsum, inquit, huc accessi, vt induerer veste incorruptionis, & per aquam & spiritũ sanctum regenerarer. Nondùm enim sum diuinum baptismũ consecutus. Nè cuncteris ergò, sed facias quæ desidero, & quæ pietati conueniunt. Cùm protinùs ergò peracta essent, quæ in eo fiunt, Thyrsus sanctum suscipit baptismum: & deindè adijciẽs, Domine Iesu Christe, Cap. 10. Diuinitùs ei carcer patefcit. Baptizatur à Philea episcopo Cęsareensi.

Deus meus, dicit, qui me dignatus es per aquam cõsummari & spiritum, dignare me, vt ego eodem, quo tu, baptizer baptismo, & bibam tuum calicem, & tuæ morti conformer. Deindè etiam cùm pauca esset locutus cum Episcopo, & se inuicèm impertiti essent benedictionibus, martyr reuertitur in carcerem, prçeunte ei diuino lumine & sequentibus Angelis, vt ij apertè videbant, qui digni erant videre. Quo in loco rursùs consuetis inuigilabat precibus, & cum Deo loquebatur per ocium.

Cap. 11. Syluanus Comes crudelissimus. Alio autem alium studente vincere in vitio, & Imperatori inprimis impio volente gratificari maiore improbitate, Syluanus quoquè quidam, genere quidem Persa, dignitate autem Comes, in supplicijs verò de pijs sumendis crudelis & inexorabilis, petijt ab Imperatore, vt esset examinator eorum, quibus permissum est punire Christianos. Cùm ergò liberam, & reddendæ rationi non obnoxiam in eos accepisset potestatem, venit Niceam, libamina & sacrificia peragens dæmonibus, & eis conuiuia celebrans sanguine Christianorum. Hìc de magno Thyrso ei significatur, quòd & nullis vinci posset tormentis, miraculisque & prodigijs homines obstupefaceret. Statìm autem mittit quosdam ex suis, vt simul quidem & virum seruarent tutiùs, & verbis quoquè ipsi eum adorirentur, & compellerent ad negandam religionem, & terrore Comitis animum eius priùs labefactarent. Deindè ipse quoquè accedit: & primùm quidem magnificè sacrificat maximo, qui est apud eos, Ioui: Sequẽti autem die cùm simul cum Cumbricio sedisset pro tribunali, & Thyrsum sisti curâsset, omnibus audientibus ea iubet legi, quæ fuerant priùs examinata. Quod cùm factum esset: Nè existimes, inquit, ô Thyrse, ea quæ instant fore similia præcedentibus: sed quòd Imperatori futurus es coniunctior, & quo tibi maiores habebuntur honores, si illius decretis parueris: eo rursùs acerbiora senties supplicia, si pergas hanc improbam tenere opinionem. Martyr verò: Qui me tui, inquit, confessoris supplicijs fecit potentiorem, Dominus meus Iesus Christus, ipse mihi quoquè nunc assistet, & à vestris manibus eripiet, qui ipsi soli seruio, & eum solum nôui Deum: simulacra autem & deos gentium apertum ludibrium voco & deceptionem. Sed si mittens vim afferre, mâuis persuasione, & eius quod rectum est, iudicio contendere, dic mihi iam, cuinam & quemadmodùm me vis sacrificare? Ego autem si nihil potero contradicere, parebo omninò, & non aduersùs res validas inaniter decertabo.

Coram eo sistitur S. Thyrsus.

Cap. 12. Excipiens itaque statìm Syluanus: Eamus, inquit, in templum, & tunc tibi erit manifestum, cui sis sacrificaturus. Cùm in proximum ergò templum iuissent, quod erat Apollinis, hìc Comes dixit, ostendens imaginem: Hic est deus, quem colimus: eum cùm placaueris, ô Thyrse, & obtuleris sacrificium, validum habebis custodem, & aliorum deorum parabis tibi beneuolentiam. Martyr autem, Vide, inquit, quodnam offeram sacrificium, & quemadmodùm eum placabo. Cùm omnes verò in eum animum attendissent, ille manus simul & oculos in cęlum tollens, Dei virtutem inuocat ineffabilem: & cùm tonitru repentè erupisset, in terram cecidit statua Apollinis, & resoluta fuit in cinerem. Conuersus ergò martyr ad eos, qui circunsistebant, Videte, inquit, quòd qui sunt apud vos dij, sunt solùm figmenta, qui neć veri Dei possunt vel solam sustinere inuocationem. Ad hæc ira inflammatus Syluanus: Ego tuas, inquit, præstigias omninò conteram & delebo, & ostendam quænam percipiatur ex eis vtilitas. Continuò autem iniectus est martyr in ferream quandam machinam, & eum ferrei discerpebant pectines: & auellebantur quidẽ fibræ corporis: carnes verò continuæ defluebant in terram: promptum autem & alacre eius animi studium non dissoluebant, sed eius zelum & ardorem magìs irritabant.

Vide miram vim precum S. Thyrsi.

Horrendis afficitur cruciamentis.

Cap. 13. Quoniam autem visus erat deficere, & neminimum quidem vitæ ei videbatur esse reliquum, relaxatur quidem è tormentis: Cùm eum autem sistendum curâsset Comes, Vis, inquit, rursùs vti prioribus tuis incantationibus & maleficijs contra deos, vt tibi quoquè rursùs largiamur secundas remunerationes? Atquì totum tuum corpus tormentis est consumptum: propemodùm verò tibi quoquè deficit anima. Ipse autem, quem colis, & quem tuum dicis adiutorem esse Deum, vbì est? Sed quandiù perseuerabis in ijs, quæ sunt inutilia, & non videbis vtile, quod est tibi propositum ante oculos? Martyr verò: Quid non sentis, inquit, Christi, quæ est in me, virtutem, quæ mihi adest manifestissimè, & me aduersùs hos insultus confirmat? Quomodò enim corpus terrenum & adeò imbecillum, posset talibus resistere difficultatibus, si non ei supernè diuinum daretur auxilium? Vt qui ergò certè scias esse immutabilem mihi confessionem, & nulla ratione meum posse animum conuerti, fac quod tibi

Prçclara ei' vox.

tibi visum fuerit, & à nullo abstine eorum, quæ statueris. Tunc cùm iussisset Syluanus maximum afferri lebetem: & eum quidem aqua impleuisset, & vehementer bullire fecisset, è Thyrsi autem pedibus funem alligâsset, eum demisit capite. Ille verò ne in tali quidem periculo constitutus, eguit defensore. Sed ille quidem Christum inuocabat, pro quo hæc pati elegerat: lebes autem protinùs est disruptus, & aqua est effusa: & illæsus conseruatus fuit martyr. Porrò autem Iudex tam apertè videntibus omnibus pudore affectus, arrogantioribus vtiquè & superbioribus verbis tegebat dedecus: In teipsum, dicens, ô Thyrse, vteris præstigijs & incantationibus. Nam quo magis contrà aliquid machinaris, mihi quidem iram magis accēdis: in teipsum verò acerbiora comparas supplicia.

Eccè tyrannum immanissimum.

Martyr diuinitùs liberatur.

Sed tunc quidem cùm esset alijs curis occupatus, martyrem rursùs tradit in custodiam. Posteà autem cùm Apameam maritimam quandam ciuitatem cum illius loci Præside esset profecturus, vinculis Thyrso iniectis, iubet eū per eos, qui ipsum sequebantur, ponè trahi. Cùm verò non procùl essent à ciuitate, arbitratus Syluanus primùm quidem turpe esse eum circunducere: deindè etiam & vinculorum & longæ viæ perpessionem, pietatis constantiam relaxâsse martyri, aliam rursùs ei adhibet periclitationem: & cùm ingressum paululùm sustinuisset, producit Thyrsum in suum conspectum, & dixit: Vel dic te sacrificaturum, vel à vita miserè excedes. Cùm is autem prioribus consequens dedisset responsum: quinetiam subiunxisset, Immò verò vestræ mox erumpent animæ, ad maiorem iram ipsi sunt incitati, & iubent eum cum plagis trahi Apameam vsque: Illic verò cum suis, aiunt, præstigijs in mare iaciatur: in quo malus malè peribit, & nec sepulturam quidem consequetur post mortem. Nondùm peruenerant in ciuitatem, & martyris euénit prędictio. Nam Syluanus quidem repentè fuit membris solutus: Cumbricius autem vehementi febre correptus, ambo miserabiliter vitam quarto die finiêre. Fertur verò, terram non admisisse eorum corpora, donèc martyr precatus, eam prosilientem & se vibrantem placauit, & miseris illis reconciliauit.

Cap. 14.

Prædicit tyrãnis interitum ipsorū.

Tyranni pereunt.

Cùm isti tam infeliciter è vita excessissent, & suæ in martyrem insolentiæ iustas pœnas dedissent, in custodia & vinculis Thyrsus ab illo die vigintitres dies fuerat conseruatus. Deindè venit quidam alius Præses, non solius eius, quam prior habebat, potestatis, sed morum etiam successor: qui barbara lingua nominabatur Pandus. Is cùm venisset Apameam, & in medio concionis, quæ ipsi erat congregata, constitisset, & quę de Imperatore dici solent, dixisset, scrutans deindè quę facta fuerant ab ijs, qui ipsum præcesserunt, & acta illorum perlegens, incidit in ea, quæ de martyre Thyrso decreta fuerant. Et cùm partìm quidem ex actis, partìm autem ex circunstantibus omnia didicisset, publicum in diem sequentem ei theatrum congregat: & cùm examinandū Thyrsum produxisset in medium: Tu es, inquit, Thyrsus, qui Imperatorum iussa, contumelia afficis, & in ea te insolenter geris, & magni dei Apollinis contriuisti statuam? Ille verò, Ego sum, inquit, qui non páreo iniquis edictis, neque operibus manuum hominum offero sacrificium: sed soli Christo sacrifico sacrificium laudis, & eum verum Deum nomino. Ille autem similiter nugans, atquè Iudices qui præcesserant, & putās se posse minis terrere eum, qui terreri non poterat: Tu fortassè, inquit, ideò secure magnificè loqueris, quòd putes te simile nunc quoquè habiturum esse iudicium, & cruciatus adeò tolerabiles: & audacter ac cōfidenter loqueris. Sed hæc te nihil iuuabunt, cùm nostrorum tormentorum feceris periculum. Quamobrèm vanis relictis sermonibus, accede & dijs sacrifica. Sin minùs, cùm passus fueris, scies, & fortassè obliuiscéris omnium præcedentium. Martyr autem: Scio, inquit, vnumquenque vestrûm contendere, vt præcedentes crudelitate & impietate superet. Sed mea est in Christo fiducia, fore vt & vestros insultus facilè feram ac superem, & martyris corona sim redimitus. Et sic quidem admirabilis athleta.

Cap. 15.

Eis succedit Pręses ęquè crudelis, nomine Pandus.

Coram illo exhibetur Thyrsus.

Hæc quidem valdè conturbabant & pungebant communem inimicum, nec ferre poterat pietatem resplendentem in martyre: sed ad eum latenter accedens, ei consulit, & qualia ei, qui eum præcesserat, suggesserat, etiamsì diuina è superis sententia euentum prohibuerat, talia huic quoquè nūc suggerit: & hinc cùm statuisset Iudex, esse laboriosissimum, qui in aquis accipitur, interitum: & hinc rursùs duo contingere grauissima, nempe quòd & martyris corpus careat sepultura, & Christiani hoc damnum patiantur, vt qui sic priuentur reliquijs in cōmune vtilibus: cùm eum tutò ex omni parte ligâsset, & in saccum immisisset, dimittit in mare triginta stadijs procùl à litore.

Cap. 16.

S. martyr in mare iactatur.

litore. Sed ignominiam rursùs, & dedecus rursùs apertè induerunt, qui magnificè & elatè aduersùs eum loquebātur, & incassum visi sunt consilium cepisse. Nam cùm repentè saccus esset disruptus, chorus virorum candidatorum (ô miraculum) excipit martyrem: & tanquàm per siccum solum ingredientem, rursùs deduxerunt in terram. Cùm hoc ergò vidissent, qui eum in profundum iecerant, repentè tremebundi & timore affecti, veniunt ad Præsidem, & quod factum fuerat, renunciant. Ille autem citò venit ad litus, furioso & cædem spirante vultu intuens: & cùm solum stantem vidisset martyrem: Certè miræ sunt, inquit, vestræ præstigiæ & incantationes, per quas sic etiam mare, vt video, frenatis, & elementorum naturæ vim affertis. Sed eæ vobis nihil omninò proderunt: immò verò plures cruciatus afferent, & tandem violentissimam mortem conciliabunt. Martyr autem: Quousquè non intueberis, inquit, tu qui es apertè cęcutiens, & dijs tuis patiens similia? Nam cuiusmodi, inquit, sunt hæ præstigiæ & incantatio, serua facere elementa, & ea accipere cedentia voluntati? Quis autem eorum, qui sunt apud vos præstigiatorum, aut eorum, quos vos deos esse censuistis, quorum sunt præstigiæ & deceptio, quorum visa & dolosa omnia figmenta & artificia: quis eorum omninò tale quid fecit, vt homo qui iacitur in profundum, Angelorum manibus suscipiatur, & pedes mare transmittat, illæsusque & sospes in terram veniat?

Præclara Christi virtus eum eripit.

Cap. 17. Ad hæc Præses: Etiamsi sit planè difficile, ei, qui captus est errore Christianorum, vitam eripere eo modo, quo quis †, propter ea, quæ ipsi contrà callidè excogitāt: at ego tibi simul & difficilem & celerem mortem excogitabo. Inpręsentiarum autē me festinantem Cæsaream, hic quoquè me sequatur, dixit ijs qui adstabant, vi tractus, & virgis validè tergum cæsus: vt illic consequatur ea, quæ desiderat, pręmia & remunerationes. Hoc autem facto, postquàm intellexissent Cæsareenses nouum ad eos aduentare Præsidem, qui Thyrsum adducebat in vinculis, omnes simul exièrunt, specie quidem vt Præsidi irent obuiàm: re vera autem, visuri Thyrsum. Desiderabant enim eum videre, vt qui vel ex hoc solo possent consequi gratiam. Postquàm verò fuerunt in ciuitate, martyr quidem statìm coniectus est in carcerem: consultanti autem Præsidi, quibusnam modis eum consumeret, visum est eum in bestias immittere. hanc enim iudicauit mortem esse acerbissimam, & quæ vitari non poterat. Iubet ergò ad ipsum montē turrem ædificari ligneam, & sæuas feras omnis generis in eam immitti: fame verò multorum dierum iritari eas ad sæuitiam, & deindè in medium earum inijci martyrem. Cùm hæc autē perfecta fuissent triginta diebus, vniuersum populum in concionem congregat Comes ad templum Iouis, splendidumque & magnificum parat sacrificium: & sic è custodia educit Thyrsum tradendū bestijs. Quod verò erat omnium grauissimum, & validum ad eius mouendum animum, & incitandum ad abnegationem, cùm hoc fortè excogitâsset inimicus, eum circunstans multitudo cognatorum & amicorum rogabat, vt sibi parceret, & effugeret horrēdum illud genus supplicij, faciendo quod iubebatur. Sic enim, aiebant, non solùm nulla mala patieris: sed etiam honores consequéris, & eris Imperatori valdè familiaris. Ille autem nequaquàm ad hæc fecit, quod primi parentes: sed potiùs id, quod Dauid, non prębens aures acerbis serpentibus & malis consultoribus: surdus verò erat sicut ille, & mutus, non aures, non os omninò aperiens.

Hic quippiā deesse videtur.

Martyr crudeliter trahitur & flagellatur.

Inimici hominis, domestici eius

Gen. 3.

Psal. 37.

Cap. 18. Adducitur autem ad Præsidem, qui peragebat sacrificium. Ille verò cùm vidisset martyrem: Eccè, inquit, supra modum fuimus in te clementes, qui tibi ad deliberandum tantum temporis concessimus. Si ergò & ipse ea, quæ oportet, tibi consuluisti, & ex te cognouisti id, quod tibi futurum est vtile: cùm & totam patriam videas Ioui maximo deo sacrificantem, sacrifica ipse quoquè accedens, & liberare ab omnibus minis & periculis, & ab acerbo vitæ exitu. Sin minùs, te bestiarum discerpent vngues & dentes propter quæ nullus erit omninò tibi adiutor, & qui te à malis liberet. Martyr verò fingens quandam vtriquè pœnitētiam: Ego quidem, inquit, iampridèm satis mihi consului, & nisi Apollo, vt qui sit despectui habitus, succenseret, cùm solus à me colatur Iupiter, non abscessissem nunc à meis ciuibus: sed de more cum eis sacrificâssem. His auditis, lætatus est Præses, vt qui iam generosum illum cepisset Thyrsum: & statìm cum eo lætus ad templum accedit, &, solùm, dicit ei, sacrifica. Ego enim sum tibi huius rei fideiussor idoneus, quòd tibi nullus deorum irascetur. Cùm ergò attentus esset martyr, & ad verum Deum quasdam fudisset preces, repentè velutì quidam terribilis irruens terræmotus, conterit quidem ipsam Iouis imaginem, & humi

Martyr irridet Præsidē stultum.

Precibus euertit Iouis imaginē

& humì deijcit: metu autem labefecit animos infidelium, qui relicto sacrificio, fugerunt quàm potuêre celerrimè: in templo verò remansit solus athleta. Cùm itaque fraudem intellexisset Præses, suam quidem accusabat benignitatem & clementiam: efferabatur autem magis aduersùs martyrem, vt qui fuisset deceptus, & non solùm non persuasisset, sed etiã tam insigni affectus esset ignominia: & ideò acerba morte eum afficere studebat, qui & ipsum & illius deos tam graui affecisset iniuria.

Cùm ergò sciret fore, vt, quod iuberet, statim effectum redderetur, & turris fuisset ædificata, & fame esset iritata bestiarum feritas, vt nec à lapidea quidem abstinuissent natura, iubet athletam proijci in medium earum. Solus ergò eis fuit martyr dimissus, foris oculis innumerabilibus omnia videntibus. Cæterùm non erat solus: sed quædam ei diuina à superis aderat gratia, quæ quidem faciebat, vt videretur is cum tribus alijs. Cùm eum ergò in orbem circundedissent bestiæ, placidè & mansuetè eum adspiciebant, & martyri amicè blandiebantur, perindè acsi iamdiù fuissent cicures & mansuetæ, & ei familiares. Ipse autẽ manibus in altum sublatis, Ago tibi, inquit, gratias Domine Iesu Christe, quòd in me tuum nomen sanctum effecisti gloriosum, & effecisti admirabiles tuas misericordias, bestiarum ora mihi obstruens, sicut olim Danieli tuo famulo. Tu ergò, qui & tunc & nũc facis res tam admirabiles, & tam præter opinionem, effice, ô Rex, efficaci tuo nutu, qui sub adspectum non cadit, vt hæ feræ agrestes redeant vnaquæque in sua habitacula, ex ijs, qui adsunt, neminem lædentes. Hæc cùm Deum esset precatus, ad bestias conuersus, In nomine, inquit, veri Dei, reuertimini rursùs, vndè vnaquæque venerat, nemini damnum afferentes. Protinùs ergò bestiæ quidem erumpebant: Cùm verò timor inuasisset eos, qui circunstabant, & alij aliò fugere contenderent, illæ magno cursu tendebant ad syluam. Miraculum autem multos induxit infidelium, qui Christi parti se adiunxerunt.

Cap.19.

Bestijs obiectus, blãdissimè ab eis accipitur.

Dan.6.& 14.

Bestiæ ei obediunt.

Multi viso miraculo confitentur Christum.

Cùm autem hæc cognouisset Præses, in dubio erat, quidnam esset sibi faciendum, & quemadmodùm eum vlcisceretur pro meritis. Propterea omnibus corporis partibus ei iniectis vinculis, in præsentia quidem eum conijcit in carcerem. Cùm verò intra paucos dies abiturus esset Apolloniam, (ea autem ciuitas non procùl abest à Cæsarea) iubet Thyrsum sequi tractum à militibus. Cùm venisset ergò in ciuitatem, & res illic ordinasset ex sententia, quoniam de omnibus, quæ in ea erant, volebat erigere trophæum impietatis: vt & sacrificij essent cum eo participes, & ad illius deos animum adiungerent, statuit oportere eos terrefacere per suam in Thyrsum crudelitatem: vt metu, nè eadem eis inferrentur, nemo esset qui non parêret. Nesciebat verò se, vt dicitur, gladium in seipsum acuere. Publicam quidẽ in templo Apollinis, quod omnibus, quæ illic erant, & alta magnificentia, & imaginum multitudine erat maximè insigne, congregat concionem. Iubet autem quosdam iuuenes, mente crudeles, manu valentes, ante illas idolorum imagines martyrem adducentes, grauibus eum virgis conscindere. Ille verò tanquàm in somnis ea patiens, ad ea quæ erant molesta & aspera, nihil se cõuertebat: sed ad verum Deum suam transmittens cogitationem, qui & abyssos exiccat, & montes solo adspectu liquefacit: Veniat manus tua super me, inquit, Domine, & nè procùl abesse velis auxilium tuum à me: sed attende ad defensionem meam, & nè pudore afficiar, quòd te inuocaui. Hæc ille quidem est precatus: Deus autem effecta reddidit è superis. Nam & repentè horribilis strepitus audiebatur in ciuitate: & acutissimis quidem dolorum stimulis Iudex feriebatur: solutæ sunt autem dexteræ martyris tortoribus, & humì deiecta est multitudo imaginum, & humì iacebat turpiter. Diuina ergò voluptate repletus Thyrsus: Cur non dijs tuis manum porrigis, irridens dicebat Præsidi, qui tam turpiter iacent, & tuo indigent auxilio: sed in medio eos despicis theatro, ad irridendum expositos ijs, qui non cæcutiunt? Ille autem etsi grauibus tangeretur doloribus, non erat tamen eius virium curabile. Sed, scelerati Thyrsi, dicebat, præstigiæ grauiorem mihi morte vitam omninò efficiunt.

Cap.20.

Virgis dirissimè cæsus, fere trãquillissimè.

Diuinitùs punitur præses & tortores.

Erat autem Apolloniæ vir quidam, nomine Callinicus, nobilitate clarus & intelligentia, & qui in patrios deos semper magnam ostendebat superstitionem: eratque illorum sacerdos & minister: & ideò æquè, atque dij à Græcis omnibus habebatur in honore. Is iampridèm attendens ea, quæ mirabiliter & prẹter opinionem vi superna fiebant à martyre, cùm etiam imaginum interfuisset euersioni, & vidisset malum, quod ceciderat in Præsidem, deos quidem suos magnẹ condemnabat imbecillitatis: semine autem pietatis in animo suscepto, sensìm apud se, Qui à Thyrso, inquit, prædicaris

Cap.21.

Callinicus vir nobilis ad Christũ cõuertitur. caris Deus, qui tot & tanta per eum admirabiliter fecisti prodigia, tu quoquè me tanquàm recenter electum militem suscipe, & me iam confirma ac corrobora aduersùs inimicos veritatis. Hæc cùm apud se cum vniuersorum Deo disseruisset, accedit Præsidem artificiosè irridens: Clarissime, inquit, Præses, hic homo, qui tormentis miserè conteritur, Iouem supremum deorum in terram deiecit & cõtriuit, Phœbum Apollinem iam tertiò confregit. Quinetiam ipsum Herculem, qui in bellis est inuictus, prostrauit: non manibus, non armis, non ense aduersùs eum indigens: sed solo verbo nudo & Christi inuocatione: idque cùm ille crucem & mortem sustinuerit. Si ergò vestræ videtur potentiæ, accedamus, & Herculē, deum qui in malis fert opem, erigamus: & rogemus, vt respiciens ea, quæ iam olim de ipso iactantur, adsit tyrannide oppressis Ioui patri & diuino Apollini: (ij enim videntur dormire graui somno oppressi) & hoc ei quartumdecimum certamen adscribemus.

Irridet Præsidem.

Cap. 22. Irrisionem autem non intelligens Præses, Cùm ergò, inquit, me malè habeam, & sim infirma valetudine, vade ipse, & nobis placa deos, & aduersùm prodigiorum effectorem hunc Thyrsum citò eos excita. Callinicus verò: Sed arbitror, inquit, esse maximam potentiam Dei, qui eos deiecit: & vereor, nè sibi quidē ipsis possint opem ferre. Tunc Præses dolum intelligit: &, Num tu quoquè, inquit, ô Callinice, viri huius scelerati captus es præstigijs? Ille autem, cùm ne eum quidem ampliùs loqui sustinuisset, (neque enim decæterò pietatem celari patiebatur) statìm excurrens in domunculam, tondet capillos, deponit barbam, exuit vestes: & cùm eas sustulisset manibus, portat vsque ad Præsidem: & cùm illas iecisset ante pedes: Accipe, inquit, pilos meos, ô Præses, & vestem quæ nidor sacrificiorum, & fumus, & torrens sanguinis, & mysteria dæmonum polluerunt. Nam cum eis quoquè priorem abijcio errorem, vt qui nouam viuendi formam acceperim, & iam factus sim Christianus.

Eximi⁹ Callinici feruor.

Cap. 23. Præses autem illa repētina obstupefactus mutatione: Quid verò, inquit, Callinice, tantùm illius præstigiatoris valuerunt prodigia, vt te generosam animam, ministrum deorum, illorumque interpretem & sacerdotem, qui ab illlis magnam assequeris beneuolentiam, abduxerint à patria religione, & ad extremum attraxerint interitum? Callinicus verò: Ex multis quidem, inquit, etiam alijs sum persuasus: maximè autem talis mutationis causa est ipse Hercules, qui tot quidem certamina, vt de eo narrant fabulæ, perfecit: nunc autem ne nudo quidem viri verbo restitit: sed adeò miserè cecidit, & ostendit esse iucundas fabulas, quæ de ipso & alijs dijs iactatæ sunt ab hominibus. Rursùs autem Præses: Nequaquàm, inquit, sed illius præstigiarum, & similium prodigiorum amor id tibi persuasit, existimantem teipsum quoquè posse facere similia. Sed neque præstigiatorem illum & planum, neque te hæc iuuerint, nisì te tuorum pœniteat delictorum, & pristinos honores rursùs dijs reddideris.

Eius repentina cõuersione obstupescit præses.

Obcæcatus iudex, ascribit virtutē diuinā præstigijs.

Cap. 24. Ille verò volens apertè cõuincere ignorantiam Prẹsidis, (Sciebat enim apertè, sciebat ei quoquè adfuturum Thyrsi Deum, & sua in eum ostensurū prodigia) Quoniam, inquit, ô Præses, non rectè tibi se habet corpus, & putas me deceptum esse figmentis, & visis: accedamus, si videtur, ad magnum Aesculapium, & cõmuniter obsecremus, vt morbum tibi sedet, & liberet à doloribus: & tunc scies, nihil omninò fingere, nec visione quicquam apprǽhendere mihi vnquàm venisse in mentem. Eorum ergò, quẹ dicebantur, ille modū non intelligens: sed hæc simpliciter dicta esse arbitrans, & iam Callinicum aliqua duci pœnitentia, eum statìm assumēs, lætus perrexit ad templum. Postquàm autem ingressi sunt execranda illa adyta, mente attenta Callinicus, Domine Iesu Christe, inquit, qui per famulū tuum Thyrsum à me agnitus fuisti verus Deus, qui me, qui milliès te offendi, & legem tuam sum trāsgressus, non repulisti, tu quoquè surge nunc ad auxilium meum, & in me quoquè rursùs tuam ostende potētiam. Hæc dicebat, & eccè vox quædam ex alto audiebatur, quæ & eius animo addebat audaciam, & excitabat ad brauium supernæ vocationis. Ille autem, cùm ex eo esset repletus audacia, & nomen Christi esset effatus, vehemēter & minaciter increpat simulacrum Aesculapij. Tanta verò statua paruam non tulit increpationem: sed statìm cadit ad illius pedes, perindè àc si quædam manus ei vim attulisset. Ad Præsidem itaque intuens Callinicus: Hic, inquit, ne poterit quidem surgere, nisì ei manum præbueris adiutricem. Adspice ergò, & cognosce non esse præstigias nec artem, quæ adsunt: sed Deum aliquem in me operari, qui in te quoquè potest eadem facere miracula, si tantùm in eum credideris. Animo ergò valdè anxius Præses, quòd iam ipsius quoquè Callinici fecisset iacturam, tunc quidem eum includit in carcere.

Callinicus cælitùs cõfirmatur.

Euertit statuā Aesculapij.

Includitur in carcere.

Cùm

Cùm manè autem surrexisset, quoniam malis, quæ infligerentur, eum nouerat fore superiorem, vt qui Thyrsi esset æmulator, in ambos talem pronunciat sententiam: Illum quidem, inquit, qui se à deorum abrupit coniunctione & familiaritate, & horum miserorum fraudi, quos Christianos vocant, se adiunxit, Callinicum iubeo ense mortem subire: Thyrsum verò, qui multis gloriatur prodigijs, & qui etiam procurauit, vt miser peruerteretur Callinicus, in quandã ligneam iniectum capsam, cum ea acutissima serra minutatim dissecari, vt prolixæ illius deceptionis & præstigiarum, dignas etiam post mortem luat pœnas. Atque ille quidem cùm in martyres hanc tulisset sententiam, rursùs cœpit vacare ijs, quæ se ad manum offerebant, negocijs. Cùm eos autem accepissent milites, Callinicum quidem è foro eductum, cùm tempus petijsset & accepisset precationis, per ensem illata deindè morte consummant: Generosum verò Thyrsum cùm in quandam machinam immisissent ligneam, vt improbè iusserat Præses, cuidam Vitali & Sabino mandant, vt tormentum exequantur. Qui cùm sursùm serram trahere aggrederentur, ea quidem eis videbatur valdè grauis & ductu difficilis: in lignum verò descendebat admodùm leuis & sublimis: adeò vt illi quidem pondere laborarent, & multo sudore circunfluerent: lignum autem maneret integrum, id serra minimè attingente. Tandèm autem vrgentibus & instantibus illis vehementiùs, capsa quidem sua sponte aperitur: egreditur verò athleta lætus & alacris, perindè àc si diuinum quoddam gaudium illius inuasisset animum. Atque eos quidem, qui circũstabant, tam qui aderant, vt supplicium sumerent, quàm vt solùm spectarent, cepit omnes stupor & admiratio, & neque poterat vllus eum tangere propter insigne miraculum. Cap. 25. Capite punitur. Vide magnum Dei miraculum in martyris conseruatione.

Martyr autem cùm sensisset cursum sui certaminis iam venire ad finem, & desupèr audiuisset vocem quandam, eum ad brauia vocantem, manus simul & mentem in cælum tollens: Ago tibi gratias, Domine Iesu Christe, inquit, quòd me, qui sum indignus, acceperis, & tua hæreditate & choro eorum, qui tibi placuerunt, dignatus sis. Et nunc accipe animam meam in pace, & eam introduc ad sacrum tuum altare, ineffabilis apud te lætitiæ futuram participem. Hæc dixit, & cùm se vndiquè Christi signâsset signaculo, in manus illius sanctã deponit animam. Tam facilem & tam expeditam in rebus perplexis & dubijs inuenit viam ineffabilis Dei sapientia. Eccè enim qui ab inimicis tam multis fuerat traditus supplicijs, & ex eis nihil graue & molestum senserat, consentanea & naturali morte excedit è vita. Cap. 26. S. Thyrsi precatio. Felicissimè expirat animam.

Multum intercessit temporis: & Diocletianus quidem tyrannicè Romanum inuadit imperium: edictum autem rursùs mittitur in omnes partes, vt vel omnes sint cum eo participes impietatis, aut pœnam mortis subeant. Arrianus ergò, qui tunc erat Præses Thebaidis, nihil cunctatus, cùm mox Asclam & Leonidem accepisset, qui colebant & tuebantur pietatem, eos multis & magnis subijcit tormentis: deindè etiam acerbissimè eos à vita liberat. Postquàm verò fuit peractum ab illis martyrium, iubet etiam omnes comprӕhendi Christianos, qui erant in ciuitate, & maximè, qui erant alijs pietate magis insignes: & ante ipsum quidem poni instrumenta suppliciorum. Deindè ipsos quoquè sisti ante illius faciem. Quæ cùm celerrimè facta essent, ipse superbo quidem vultu, superbiore autem spiritu: Hoc est, inquit, in manu vestra, & hanc rem vestræ potestati permittimus: vt vel sacrificantes, securè viuatis & liberè: aut, si non pareatis, varijs dedamini supplicijs, & deindè etiam ipsi morti. Hæc cùm dixisset Præses, & continuò tormenta eis fuissent ostensa, viri numero triginta & septem, viri & sententijs inuicti & animis, ea quæ dicebantur irridentes, quæ cernebantur, omnia despicientes, & sibi inuicèm animum addentes, cùm hoc solum dixissent: Non solùm, quàm impiè viuere, sed etiã, quàm rectè in pietate vitam degere, pro ipsa mori esse satius, in media prosiliunt pericula, & tempus continuò arripiũt. Sed alij quidem in eodem prompto & alacri animi studio adhuc persistebant, neque quicquam illos conturbabat eorum, quæ aderant. Cap. 27. Asclas & Leonides martyres. Asclæ & Leonidis martyrium. 37. se offerunt cruciamentis.

Quidam autem, nomine quidem Apollonius, ordine verò lector, cùm vidisset tormentorum formam & multitudinem, timore completur eius animus, & dissoluitur promptum eius animi studium. Cùm autem duplex eum inuasisset metus, vnus quidem imminentium suppliciorum: alter autẽ abnegandæ impietatis, mediam inter vtrunque ingreditur: vt neque animam daret dæmonibus, neq; corpus Cap. 28. Apollonius lector perti mescit.

lictoribus: sed ex æquo & illorum effugeret sacrificia, & horum cruciatus. Quemadmodùm autem, iam parata est declarare oratio. Erat vir quidam stans prope illum, religione gentilis, nomine autem Philemon, arte tibicen, qui propter eam ab ijs quidem, qui habitabant in regione, vocabatur Choraules. Delectabat verò is quoquè Arrianum, quandò paululùm laxatus à curis, adspiciebat ad voluptates. Cùm eum autem propè vidisset Apollonius, ad se vocat, & pollicetur ei quatuor aureos, si pro illo sacrificet: & eum quidem liberet à tormentis: eos verò, qui videbant, & ipsum Arrianum deciperet, dicens se Apollonium. Páret his Philemon: & illius quidem vestem induens, & vultum, quoàd eius fieri potuit, operiens, perrexit ad sacrificium: Deus autem erat, qui hæc procurabat admirabiliter: & Philemonem quidem ad se attrahebat per Apollonium: per Philemonem autem Apollonio texebat coronam martyrij: & sic per se inuicèm dans ambobus occasionem, vt ei familiares euaderent.

Mirabilis Deus in operibus suis & in suorum vocatione.

Cap. 29. Nam cùm Philemonem tunc illuminâsset, &, vt eum veste animum quoq; mutaret, effecisset, fecit vt hocipsum esset, quod simulabat. Nam cùm se quidem signo Crucis signâsset tanquàm Christianus, vt in hoc quoquè ostenderet Apollonium, profectus est rectà ad ipsum Præsidem. Ille autem cùm eum vidisset, eos qui aderāt rogabat, quisnam esset. Cùm illi verò dixissent, Est quidem vnus, vt videtur, ex Christianis: ille autem iussisset ilicò eum sacrificare: tunc Philemon, mente faciliùs mutata quàm veste, & perindè ac reueritus esset id, quod imitabatur, aut potiùs ei, quod est videri, vt esset etiam adiecisset, clara voce, quantùm poterat, clamabat: Non sacrifico. Sum enim Christianus, Christi seruus, Christi Dei viui. Præses autē, Non vidisti pauloantè, inquit, qualia & quàm multa perpessi supplicia Asclas & Leonides, deindè etiam morte fuêre condemnati? Hocipsum, inquit, fuit mihi occasio, quæ me impulit ad martyrium, quòd Asclas & Leonides sic pauloantè decertârunt propter Christum: & maximæ tolerantiæ hinc percepi doctrinam, & argumentum fortitudinis. Et alioqui miraculū, quod in * illa tua illi nuper ostenderunt, quam, cùm per medium fluminis alueum ferretur, stiterunt, quos non induxerit, vt se parent ad suscipiendum certamen pro pietate? Cùm desperaret itaque Præses se posse illum à sua traducere sententia, Mihi, inquit, accersite Choraulem Philemonem. fortasse tibiarum illarum dulcedine delinitus, faciliùs mutabitur: ignorans omninò stultus, huncipsum esse Philemonem, & eadem linguâ vtentem: nisi quòd priùs quidem lyra & tibijs, tunc autem diuino loquebatur spiritu.

Philemon miro modo diuinitùs illuminatur.

Christianū se pclamat.

Locus mendosus. for. *naui

Stultus iudex eum nō nouit ob velatam faciē.

Cap. 30. Cùm ergò tota ferè cohors eius apparitorū obiret populum, & nusquàm posset inuenire Philemonē: illius, inquit, frater Theon est accersendus. ipse enim omninò docebit, vbi sit Philemon. Cùm autem adfuisset Theon, ille nihil sciens, qualis esset scopus Philemonis, Hic est, inquit, Philemon, ostendens fratrem. Statim ergò iussit Præses eum aperire faciem: & cùm vidisset, vehementer quidē cœpit & profusè ridere, arbitrans Philemonem hoc omninò facere, vt rideret Christianos: & ideò illam eum induisse personam, vt alios quoquè moueret ad risum. Deindè illum quidem iussit actum deponere & simulationem: accedentem verò cum illo sacrificare. Postquàm autem contrà dixit Philemon, se Christo quidem re vera seruire: illius autem deos habere pro ludo & ridiculo: Iudicem magnus inuasit stupor & dubitatio. Intuens itaque Philemonem, Per ipsam, inquit, Romanorum salutem, vera'ne sunt, quæ in præsentia, ô Philemon, à te fiunt, an comparata ad irridendum & ludificandum Christianos? Ille verò, Non Romanorum, inquit, ego, sed meam ipsius iuro salutem, & Dominum meum & Regem Christum, non esse irrisionem, nec lusionem, nec fictionem quæ videntur: sed veram cordis mutationem, & fidem esse in Christum certissimam: & me pro hac confessione, non vnam solam, sed innumerabiles, si fieri posset, paratum esse subire mortes.

Constanter confitetur Philemon Christum, subitò mutatus.

Cap. 31. Hæc ira impleuêre Præsidem: & conuersus ad eos qui circunstabant, rogabat, an oporteret protinùs occidere Philemonem, qui deos apertè tanta affecerat contumelia, & euasisset tam insigniter impius: an ei tēpus præbere, vt deliberaret, & eius quod fecerat duceretur pœnitentia. Atque populus quidem (Philemonis enim magno tenebatur desiderio, & pendebant omnes ab illius lingua & à tibijs) rogauit protinùs Præsidem, nè perderet communem voluptatem ciuitatis: Ille autem volens eius soluere constantiam, & promptum animi studium: Vides, inquit, ô Philemon,

Philemon, quanto tuî amore tenetur populus, & quemadmodùm communem te vocat voluptatem, communem autem existimat lætitiam? Tu ergò saltem eorum plausûs & laudum memor, & faciens quæ sunt & tibi & ijs cõsueta, sacrifica dijs seruatoribus. Eccè enim maximum festum mox peragitur, in quo tu quidem præclarè canes, & eorum laudibus tibi oblectabitur animus: aures verò nostras cantu tibiæ demulcebis. Ad hæc autem Philemon: Hoc, inquit, festum, ó Præses, mihi in memoriam reuocat festum, quod illic agitur: honor verò & laus musicæ facit, vt visione appræhendam Angelicam hymnodiam. Scias ergò fore, vt frustrà labores, si me coneris à mea dimouere sententia, neq; verò solùm nihil proficies, sed etiam maius mihi in Christum accendes desiderium. Præses autem: Sed etsì omnia, vt dixisti, molesta & grauia propter Christum sustinueris, quid hinc lucrifacies? Neque enim, etsì omnia pati elegeris, res tibi succedet ad martyrium. Nam neque factus es omninò Christianus, neque accepisti baptismum, conuenienter illorum legibus.

En qualia promittit martyri stultus Præses.

Cap. 32. Hoc postquàm audiuit Philemon, exclamauit: O ignem spiritalem, qui accensus es in meis præcordijs. Quantũ tibi debeo, ó Præses, quòd me etiam inuitus maximis affecisti beneficijs, sacrum baptismum in memoriam reuocans. Hæc cùm dixisset Præsidi, stetit in media turba: & rogo vos, vehementer exclamauit, Si quis inter vos præest Christianis, & contemnit tormenta propter pietatem, adsit citò, & me diuino impertiat baptismate. Postquàm autem vidit omnes victos timore, & qui, vt tempus postulabat, nihil poterant facere iuueniliter, dolore animi cruciatus, & continuò in vocem erumpens cum calidis lachrymis: Deus meus Christe, inquit, qui me benignè adspiciens, à profundo errore me reuocâsti, nè sic me despicias, diuinum baptismum minimè assecutum. Sed quo vis modo ostende mihi sacerdotem & aquam, à quo & in qua, similiter atquè alij Christiani, baptizabor. Cùm sic dixisset, nubes desupèr continuò descendens, cùm eum stantem medium in orbem compræhendisset, baptizauit. Deindè nubes quidẽ sursùm ascendit: Ille autem, omnibus videntibus, fluento cælesti baptizatus: Vobis, inquit, omnibus videre licuit, qui Christiani quidem estis, nondùm autẽ vultis manifestam esse vestram pietatem, quemadmodùm cùm nullus vtiquè ad me ausus esset accedere, ipse veniens apertè Dominus, me maximo dono impertijt baptismatis. Videte ergò, & turpi ac illiberali timore liberemini. Quinetiam tu quoquè adspice Præses, relicta, quæ nihil habet vtile, insania: cognosce, cuinam Deo teipsum absque ratione feceris inimicum, & quemadmodùm, eo Iudice, sis luiturus pœnas.

Palàm petit se baptizari S. Philemon.

Fluento cælesti miraculose baptizatur.

Cap. 33. Cùm martyr sic esset locutus, Præses neq; ea quę audijt, neq; ea quæ vidit admirabilia, omninò attendens: (res enim planè cæca, est vitium) Hęc quidem, inquit, mitte, ó Philemon. Nihil est enim aliud, nisi solùm oculorum deceptio & præstigiæ. Tu autem dic, quanam de causa res despicis adeò dulces: vt neq; tuarum tibiarum vllam ducas rationem, neque maximum nostrum festum vel tantillùm tibi veniat in mentem, neque vllum totius populi te capiat desiderium: qui postquàm venerint quidem in theatrum, te autem non adspexerint concinnè & modulatè canentem, sed alium pro te sumentem tibias, quantùm, putas, lugebunt, modorũ tuorum recordantes, & tuæ illicientis suauitatis & gratiæ? Sed hæc quidem Præses, quę magìs fœminis, quàm viris, conueniunt, seruilibus blanditijs volens corrumpere generosum animũ. Philemoni autem tantæ curæ fuerunt ea, quæ dicta sunt, vt postquàm cognouit Præsidem ei tibias tanquàm escas proponẽtem, & sic eum conantem illicere, Deum rogârit ardentissimè, vt ignem immitteret in tibias, & eas in cinerem redigeret & puluerem: Exaudi me nunc quoquè Domine, dicens, Domine Rex, & quomodò supra me aqua, ità etiam supra meas tibias veniat ignis, & eas deuoret, quas, ad tuum currens martyriũ, deposui apud Apollonium. Ità Domine Iesu, vt vani huius mei artificij nullæ remaneant reliquiæ, neque eas videns quispiam ex infidelibus, dicat: Hæ sunt tibiæ Philemonis.

O ineptum præsidẽ, res vanissimas martyri proponentem.

Rogat Deũ Philemon, vt ignem in suas tibias immittat.

Cap. 34. Nondùm finitæ erant preces, & descendit quidẽ fulmen supra manus Apollonij: & à manibus quidem abstinuit admirabiliter: combussit autem tibias, & eas continuò redegit in puluerẽ & cinerem: perindè àc si fulmen circunduceret quispiam, & à quibusnã quidẽ abstinere, quęnã verò tangere oporteat, ostenderet. Hinc vtraq; rectè successerunt. Nam & Philemonis votũ deductũ est ad effectũ: Apollonio autem iam aperta erat ianua ad martyrium. Nam Theon frater Philemonis,

Mirè exauditur à Deo.

tanquàm ab aliquo missus, currens omnem rem gestam significat Præsidi, quemadmodùm Philemonem sua veste induit Apollonius, & quemadmodùm effecerit, vt pro illo adiret ad certamen: & vt fuerit ipse præcipua causa illius exitij. Adducitur ergò mox quoquè Apollonius. Quem toruo & furioso vultu intuens Arrianus: Quid hoc est, inquit, ô omnium hominum sceleratissime, quod fecisti & nobis, & ciuitati, & huic misero: quòd propter arrogantiam quidem deos & leges despiciens, metu autem tormenta declinâns, cum eo mutâsti vestem, & quibusdam maleficijs cor eius peruertisti, priuans ciuitatem maxima voluptate? Oportebat, si sic timebas supplicia, ad me accedere, & tuum animum aperire. Ego verò omninò id tibi remisissem lege humanitatis, & neque tibi fuisset exhibitum negocium, neque tu exhibuisses alijs: sed liberatus à metu & periculis, securè vixisses, & sine vlla molestia.

Apollonius ad Præsidē ducitur.

Cap. 35. Hæc cùm dixisset Præses, excipiens Apollonius: Quòd nos quidem contumelijs & maledictis iure insecteris, ne ipse quidem cōtradixerim, vt qui meipsum primus accusem: verùm non ideò, quòd tantorum bonorum illi causa fuerim, sed quòd non mihi multo priùs: & non quòd ipse meam vestem induerit, sed quòd ego vestem illius induerim. Quoniam tamen per ipsam ambo verè salutari indumento induti sumus, ijs iudicijs, quæ verus nouit Deus, certò scias, neq; posthàc Philemonem, neque Apollonium dijs sacrificaturos. Quòd si priùs timiditatis à te sum accusatus, nunc maximam & apertam ostendam fortitudinē. Propter hæc iram spirans Arrianus, ipsum quidē iubet maioribus reseruari cruciatibus, Philemoni autem à tribus militibus fortiter cædi oculos. Cùm verò populus ea, quę fiebant, ægrè tulisset, & clamaret, vt milites ab eo abstinerent: molestè enim ferebant illum pati, qui eos voluptate affecerat: dicebat Præses, Tuî saltē modò miserere Philemon. Sin minùs, at populi quidem, cuius pro te acerbè discerpuntur viscera. Te enim oportet considerare, quòd si te tam paruum & leue subeunte suppliciū, ostendunt tantam animi perturbationem: quid fiet, si maioribus malis afficiaris? Ego enim, vt tibi quoquè meam mentem aperiam, non temerè possum credere ijs, quæ videntur: sed hoc mihi das conijciendum, quòd populi volens in te amorem experiri, simulâsti te esse Christianum, & dijs sacrificare recusâsti. Si ergò hæc est vera causa tuæ mutationis, & pulchrè nósti, quantùm tibi benè velit populus: & quemadmodùm, cùm tibi cæditur facies, ipsi corde & animo magìs afficiuntur, sacrifica tu quoquè Philemon: & quem ex incussis tibi colaphis acceperunt dolorē, leni per gaudium, quod posteà consequetur: & prandeamus in templo Serapidis, & lætitia maxima fruamur & delicijs.

Apollonius antè timidus, nūc fortissimè se gerit.

Vide subdolam satanæ linguam.

Cap. 36. Philemon autem Iudici: Mihi quidem, inquit, cœna parata est in cælis. Ad populum verò conuersus: Cur, inquit, si ego cædar, vobis est molestum? Atqui quandò eram Choraules, multi nos feriebant adulatores: & nonnunquàm faciebant etiam peiora & grauiora. Vos autem suauiter & profusè ridebatis: eamque rem vos reuerà esse vestras putabatis delicias. Sed nunc consentaneum est, vestrum dolorem esse lætitiam & gaudium Angelorum: quorum lætitia est mihi magnæ curæ, & quos ego volo per me delectare, cùm sim Christianus, & colam pietatē. Hæc cùm audijsset Præses, & de Philemone omnem spem abiecisset, tunc in eum grauiora aggreditur supplicia: & Philemoni & Apollonio iubet perfodi talos, & funes eis alligari: & sic per totam ciuitatem duci martyres. Cùm citò autem factum fuisset, quod iusserat, eos rursùs iubet ad se adduci. Qui cùm essent adducti, propiùs accedēs ad Philemonem: Vides, inquit, ô Philemon, quàm sint grauia & molesta, quæ inferuntur, supplicia? Vbì est autem vobis inuictus ille Deus: & cur non vos à præsenti liberauit calamitate? Ad hæc Philemon: Nondùm nósti, inquit, Arriane, quemadmodùm non verbis solùm, sed etiam factis ostendimus fortitudinem, & tormenta vicimus experientia? Nostri verò Dei virtutis multa quidē etiam alia vidisti in nobis signa: aquam de cælo, ignem de cælo: nè dicam ea, quæ vidisti per Asclam & Leonidam. Quòd si etiam plura quæris, ego tibi alia quoquè ostendam. Priùs autem, quomodò ab ipso custodiar, ego tanquàm figura quadam tibi ostendam. Hæc cùm dixisset, petit vt sibi construatur quidam Ocnus æneus. significat verò apud eos, qui in ea regione habitant, hoc vocabulum, speciem quandam currûs muliebris.

Immani inprimis supplicio afficiūtur martyres.

Cap. 37. Cùm Præses autem annuisset, & currus, vt ille petierat, esset constructus, iubet adduci

adduci puellum,& in eum immitti & diligenter includi: congregari verò omnes, qui erant in ciuitate periti sagittandi,& ad currum iaculari tanquàm ad scopum: & non cessare iaculari,donèc totus currus esset tectus sagittis. Atque illi quidem congregati sic faciebant: Aes autem (erat enim huiusmodi, vt ad resistendum aciei telorum, ictus acciperet extrinsecùs) intùs illæsum conseruabat puerum. Cùm verò & ipsi sagittando essent defessi, & tela eis defecissent, puer educitur illæsus. Et stabat quidem Præses dubius, cur hæc fierent. Dicit autem martyr Arriano: Hoc, inquit, ô Præses, est tibi euidens imago meæ salutis. Quomodò enim hic puer, etiamsì sibi ad nihil possit esse vtilis, nihil tamen graue passus est à tam multis viris & iaculis, ære optimè munitus: eodem modo ego quoquè, etiamsì mihi innumerabilia inflicta fuerint supplicia, nullius horum curam geram. ea enim obtundit & hebetat mei Christi virtus, quæ me circuncircà muro munit adamantino. Propter hæc ira impletur Arrianus: & cùm vellet verba martyris conuincere, facit vt ea pòtiùs deducantur ad effectum. Nam cùm è quadam arbore suspendisset iustum, quæ stabat quidem iuxta tribunal, vocabatur autem Persei, circa eum ex omni parte statuit sagittarios. Et illi quidem fortiter torquebant: ille verò sua ad Dominum oratione omnia tela similiter depellebat. Nam alia quidem cadebant in terram, alia verò figebantur in arbore, alia autem admirabiliter pendebant ex aëre.

Vide quid efficiat feruens Christi amor in sanctis martyribus.

Precibus pellit tela omnia.

Cap. 38. Postquàm verò eis quidem fuerunt exinanitæ pharetræ, martyr autem nihil omninò graue patiebatur, Præses hæc videns, non poterat credere ijs, quæ cernebat: & præ admiratione accurrit ad miraculum. Nam ille quidem studebat scire, an vera essent quæ videbantur. Cùm ad locum autem accessisset, Philemonem vidit apertè in arbore. Interìm autem ex aëreis illis iaculis vnum aduolans, ferit ei dexterum oculum, eumque excæcat. hæc verò excæcatio, fuit Iudici principium illuminationis. Vide enim Dei sapientiam, quæ è longinquo contexit, & admirabiliter variat vtiles rerum dispensationes. Arrianus enim multùm quidem Christum, multùm autem etiam Christianos insectatus est maledictis, vt qui graui dolore irritaretur. A malo tamen victus, iussit deferri martyrem. Deindè etiam rogauit, vt curaret oculum, ex eo quòd passus fuerat stultus, dicens, quòd quomodò admirabiliter fuerat potens ad percutiendum, ità sit etiam ad sanãdum admirabilis. Ille autem: Nunc quidem, inquit, tibi differo sanationẽ, nè beneficium acceptum rursùs voces præstigias, & ipse inconsideratè me tibi reum constituam. Sed quandò è corpore excessero, (iam autem finis appropinquat) veniens ad meum sepulcrum, & ex eo puluerem accipiens, eo vnge oculum, inuocãs tu quoquè Christi nomen: & non diù pòst, sed statìm sequentem habebis sanitatem.

Eccè quo medio æternaliter prædestinatos ad se vocet Christus

Cap. 39. Post hoc non differt Arrianus: sed amborum simul, Philemonis & Apollonij, amputat capita. Nam siue mentiatur Philemon, inquit, iræ medebor: Sin minùs, mihi curabitur oculus. Tales quidem fuêre athletis occasiones martyrij: tales autem etiam exitus. Quoniam verò oportebat Arrianum quoquè non solùm esse oculo occæcatum, sed illum quoquè simul esse animo illuminatum, hoc quoquè consequitur ea, quæ præcesserunt. Nam cùm reliquiæ fuissent, vt par erat, à pijs habitæ in honore, & cum Ascla & Leonida diuinis Christi martyribus depositæ: Arrianus statìm (non sinebat enim oculus eum esse desidem) accedit ad eum, sicut fuerat ei prædictum: & cùm sustulisset puluerem, inungit oculum: In nomine tuo, Iesu Christe, dicens, propter quem isti mortem sua sponte elegerunt, impono puluerem meo oculo: & si rursùs adspexero, ipse quoquè dicam nõ esse alium Deum, præter te. Hæc cùm dixisset, statim duplicem inuenit curationem, nempe & oculi, & animæ. Nam illo quidem videt solem, hac verò veritatem. Egreditur ergò lætus & clamans, Sum Christianus, & coram multis testibus confitens acceptum beneficium. Domum autem reuersus, & omnes qui erant apud se baptizat, & trigintasex Christianos relaxat è vinculis. Tot enim tunc erant propter Christum in vinculis. Deindè cùm preciosas accepisset sindones, cum multis aromatibus, cum multis alijs, & duobus Episcopis, rursùs venit ad thecas sanctorum, & horum venerandas reliquias fideliter simul & piè terra tegit.

Philemon & Apollonius decollantur.

Præclarum miraculum ex puluere sepulcri S. Philemonis

Cap. 40. Cùm de eo autem fama iam fuisset delata ad Diocletianum, quòd Christianus ex Græco factus esset Arrianus, & quòd sacrificare nequaquàm in animum induceret, mittit ille quatuor protectores, iubens vt eum quamprimùm adducerent:

vt accuratè sciret, an vera essent, quæ dicebantur. Atque isti quidem cùm ipsum compræhendissent, vrgebant ad iter ineundum. Ille autem persuadet ijs, qui tantoperè vrgebant, ductoribus, cùm id nummis emisset octingentis, vt paruo tempore sibi liceret accedere ad reliquias martyrum. Cùm ergo ei data facultate accessisset, rogabat, pronus cadebat, supplicabat, puluerem amplectebatur, & precabatur, vt ei opem ferrent in certamine. & vox statim audita est è sepulcro (videbatur autem vox esse Philemonis) dicens: Esto fortis, Arriane, & nullus metus te inuadat. Eccè enim Dominus te ad seipsum accersit, & ducit ad certamina, & incipit tibi contexere coronam martyrij. Habebis verò eos quoquè, qui te ad eam deducunt protectores, laborum simul socios & remunerationis. Illum, cùm hæc audijsset, subijt stupor & admiratio simul cum ijs, qui aderant, & ei potestate data à protectoribus, domum suam est reuersus Quo in loco copiosiorē à superis gratiam consecutus, prædicit suis & tempus sui decessûs & modum. Nam cùm pueros, qui erant domi suæ, vocâsset: Nunc quidem, inquit, venietis nobiscum vsque ad Alexandriam. Deindè ego quidem ducar ad Imperatorem, & Deo à superis ferente auxilium, hoc mihi propositum certamē peragam octauo mensis Phamenoth, in saccum iniectus, & proiectus in mare. Vos autem (sit verò vobis curæ, quod dictum est) vndecimo eiusdem mensis circa horam sextam, venite ad litus: & cùm corpus meum inueneritis, quod vehetur à tergo delphini, id tollite, & deponite cum alijs martyribus.

(Præses conuersus inuocat sanctos, & exauditur.) (Arrianus Præses futura prædicit.)

Cap. 41. Hæc cùm dixisset, ducitur ad Imperatorem Diocletianum: & ipse primùm quidem cum eo agit benignè & placidè. Deindè paratur lauacrum, & ante lauacrum ara: ara autem erat Apollinis. Et simul quidem lauantur Imperator & Arrianus. Egressi autem è lauacro, cùm aræ appropinquâssent: Sacrifica, ó Arriane, inquit Diocletianus, maximo deo Apollini. Sic enim, vt par est, exhilarati, alacri deindè animo veniemus ad cœnam. Ille verò: Et quomodò possem ego, inquit, ó Imperator, post tot & tanta Christi, qui est solus Deus viuus, miracula, quorum non sunt inanes fabulæ & rumores, sed ipsi nobis testimonium præbuerunt oculi: Quomodò ergò ego, qui tot & tanta vidi, eum quidē relinquam, sacrificabo autem his inanimis, & nullo sensu præditis? Hîc fuit depræhensa & conuicta Diocletiani simulatio, & ficta quam induerat persona: & quam sibi illiuerat mansuetudinem exuens & benignitatem, ad suam redijt consuetudinem, & his excepit Arrianum, nempe vinculis manuum, catapultis pedum, profunda in agro fossa, magnorum & molarium lapidum magnitudine. His enim, cùm eum vinctum trusissent in hiatum, desupèr obruebant.

(Constanter apud Diocletianum confitetur Christum.) (Malè accipitur à tyranno.)

Cap. 42. Posteà autem ipse quoquè, vt qui deiecisset inimicum, thronum ponit excelsiorem. Et ille quidem seuerus cum grauitate sedebat & seueritate: iubebat autē milites eum ludificari, irridens miser, & dicens impia & blasphema: Videam, inquit, quid ei proderit Christus, & quēadmodùm liberabit eum è meis manibus: & quæ sunt similia, puluis marcidus insolenter iactitans. Deindè cùm equum superbè & gloriosè ascendisset, ipse quidem tanquàm qui fortia & præclara gessisset, venit in regiam: Dei autem prouidentia quàm sit ineffabilis, & vt ingrediatur per ea, quæ sunt contraria, non multò pòst euadit manifestum. Nam ingreditur quidem Imperator in cubiculum, vt paululùm requiescat: videt verò spectaculum terribile, (ô Domine & Rex omnium Christe, & quod est solùm tuæ infinitæ, & quæ inuestigari non potest potentiæ) nempe illos quidem compedes & lapides, cum quibus in fossam demiserat martyrem, lecto * appræhensus imperatorio: ipsum autē Arrianum iacentem in eodem cubili, & regaliter in eo quiescentem. Hæc cùm vidisset Diocletianus, fuit conturbatus & exterritus, existimans aliquem ex ijs, qui erāt in regia, inuadere tyrannidem. Clamabat itaque & cōuocabat eos, qui essent opem laturi: Arrianus verò ei leniter dixit è lecto: Nè conturberis. nemo ex ijs, qui sunt tuæ subiecti potestati, aduersùs te insurrexit, neque vllæ tibi sunt paratæ insidię: sed ego sum ille Arrianus, quem cùm in vastum illum iecisti hiatum, Videamus, dicebas, an Christus ipsum à meis liberabit manibus.

(* appensos, legendum puto.) (Christus suā declarat potentiam.)

Cap. 43. Propter hæc Diocletianus fuit animo obstupefactus, sermoq; fuit ei impeditus, & neq; vocem quidem omninò poterat emittere. Vix tandèm ad se rediens, forâs processit, timore perturbatus, & clamore impleuit regiam: O improbam artem, dicens, ó præstigias. Nemo hucusquè tale quid fecit: & multas eiusmodi dicens nugas.

nugas. Deindè etiam maiori ira accensus, iussit statim saccum afferri, in quo esset quidem arena, sed non esset ea plenus, immò esset magna ex parte vacuus. Vt pondere quidem, aiebat, arenæ deorsùm trahatur: eo autem, quod est vacuum, suscipiat Arrianum. in quem iniectum, iubet eum dimitti in alto mari. Interim verò Protectores quoquè, vt quorum animi priore miraculo essent moti, confitentur se esse Christianos: & accedentes ad Diocletianum, Quanam de causa, aiebant, hominem, qui nihil mali quidem fecit, immò verò Deo vero est coniunctus & familiaris, & peripsum non pauca fecit miracula, adeò vt omnes qui ei Deo crediderunt, confidant quòd etiamsi quis mortuus fuerit, viuet: etsi in fossam fuerit proiectus, etiamsi lapidibus obrutus, etiamsi sit sub petris, etiamsi omnia simul fuerit passus grauia, possit rursùs seruari ex omnibus: Cur eum tanquàm maleficum quempiam iussisti in mare deijci? Cum ipso ergò nos quoquè nosipsos præbemus, & rogamus, vt eandem mortem, quam ipse, subeamus. Credimus enim Deum Arriani, qui eum eduxit ex profundo terræ, & vinculis, & tantis lapidibus, posse nos quoquè suscitare, & ad optimam vitam traducere, & longè beatissimam. 4. Protectores Christũ liberè confitentur.

Ad hæc ille admodùm ironicè: Ego etiam priùs, inquit, quandò eramus eiusdem sententiæ, & eratis studiosi, vt me obseruaretis, nullam, vt scitis, vestram repuli petitionem: sed semper vos exaudij, & vt pater filiorum, sic vestrî curam gessi. Quinetiam nunc quoquè, etsi in patrios deos impij, & in nos infideles extiteritis, ne sic quidem vos repellam. Sed quoniam sititis eandem mortem, quam Arrianus, ego eam quoquè vobis concedam lubentissimè. Theotychus autem, qui erat primus illorum, excipiens: Deus, inquit, ô Imperator, ad quem migramus, & in quem resoluimur: qui nobis nomen præbuit admirabile, & cui placuit, vt nos mortem pro eo subiremus, ipse te remunerabitur pro meritis tuæ in nos affectionis. Sed si hoc quoquè à te potest impetrari, rogo te, ô Imperator, vt meas facultates liceat in duas partes diuidere: & vna quidem pars aulæ consecretur regiæ: altera verò distribuatur orphanis & viduis. Cùm ipse autem adhuc plura vellet dicere, qui erant cum eo tres, dixerunt: Frater Theotyche, harum quidem rerum curam relinquamus Deo, qui curat res nostras: in præsentia verò nos nostri decessûs curam geramus. Propter quæ diù cogitabundus stetit Diocletianus, vt qui videretur admirari eorum in morte contemnenda magnum & excelsum animum. Cap. 44. Præclara vox martyrum.

Cùm eum aũt sic vidisset affectũ Arrianus: Sed noli, inquit, ô Imperator, nostram ampliùs differre migrationẽ. fortassè enim sunt hæ maligni insidiæ, vt nobis interrumpat cursum decertationis. Tunc cùm de eorum mutatione spem omnem abiecisset Diocletianus, iubet alios quatuor saccos afferri cum arena, & similem Arriano mortem subire Protectores. & sic ad effectum deducta est prædictio Philemonis. Ipsis verò in mare proiectis, statim accedens delphinus maior, quàm soleat esse delphinus, & robore & magnitudine, & ceto magna ex parte similis, & natura planè aliena & admiranda, quinquè simul saccos admirabiliter securè fert humeris, & tanquàm quædam nauis, onus vehit Alexandriam. Pueri autem (expectabant enim adhuc in ipso litore, vt eis prædictum fuerat ab Arriano, & horam accuratè obseruabant) postquàm delphinum viderunt cum onere, stupent quidem rei ipsius magnitudinem: nihilominùs verò †, quòd sacci quoquè tutò fuissent adducti, adeò vt ei nullus caderet ex humeris, cùm natura essent leues & lubrici. Dubitantibus autem pueris, quemadmodùm dominus quidem Arrianus de solo suo corpore dixisset fore, vt id apportaretur à delphino, nunc verò præter ipsum vident alia quatuor, vox quædam diuinior ab eis est audita: Venite vos, dicens, & domini vestri, & Protectorum accepturi corpora. Qui enim illum ad suam vitam euocauit, eos quoquè vocauit cum eo similiter. Cùm ea ergò acceperitis, cum Ascla & Leonida honorificè deponite. Et sic quidem vox. Cap. 45. Martyres in mare proiecti, à delphino exportantur. † videtur deesse, lætantur, aut aliquid tale.

Delphinus autem cùm saccos posuisset in litore, rursùs enatauit in mare. Pueri verò cùm ea honorificè sustulissent, & in nauem immisissent, per fluuiũ portabant. Cùm autem tres dies & totidèm noctes nauigâssent, appropinquant metropoli Antinoëtarum, vbi oportebat eas sacras deponi reliquias. Cùm eos verò somnus oppressisset, nauis plenis velis aduolans, momento temporis stetit in illo loco, & vox exaudita fuit admirabiliter: Theodotion, (Hoc enim erat nomen gubernatoris) hic est locus, qui est sanctorum corpora sortiturus. Ille ergò excitatus, cùm inuenisset nauem velutì vinctam compedibus, descendit quidem de naue: celeriter Cap. 46.

En vt ollim antiquitas exceperit sanctorum reliquias. autem profectus in ciuitatem, significat miraculum. Protinùs verò publicè confluunt omnes, gestantes lampades & coronas, & diuinos hymnos canentes. Et cùm sic eas præclarè & magnificè illic deposuissent, vberes fructus miraculorũ quotidiè colligunt: Ad gloriam patris & filij & spiritussancti, vnius diuinitatis & potentiæ, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

DE S. SPIRIDONE Episcopo quære suprà 12. Decembris.

MARTYRIVM SS. ARIS, PROMI ET ELIÆ, VT HABETVR OCTAVO LIBRO ECCLES. HISTORIÆ *Eusebij Cæsareensis cap. 20 nouæ versionis Iohannis Christophorsoni.*

14. Decẽbr.



DECIMOQVARTO die mensis Apellæi, proximè insequentis, hoc est, ad decimumnonum Calendas Ianuarij, quidam pij viri ex Aegypto profecti (in Ciliciã namque iter susceperant, vt confessores qui ibi versabantur, sua curatione subleuarent Cæsareæ) ab his qui diligenter homines ad portas ciuitatis accedentes perscrutantur, capti sunt. Ex quibus alij eandem cum illis quibus erant inseruituri, sententiam & condemnationem subierunt: vt oculi nempe & pedes cruciatu illis labefactarentur. Tres autem illorum Ascaloni, vbi capti erant, admirabilem fortitudinis vim in fidei suæ confessione ostendentes, varijs martyrij generibus defuncti sunt. Nam vnus illorum in rogum coniectus fuit, cui nomen Ares: reliquis duobus, qui Promus & Elias appellabantur, capita amputata.

Aris, Prom' & Elias, pro Christo occiduntur.

DE SS. ARSENIO, Isidoro, Herone, & Dioscoro puero, quære suprà 8. Decembris in historia sanctorum martyrum Alexandrinorum.

SANCTI PATRIS NOSTRI ET CONFESSORIS THEODORI STVDITAE ORATIO FVNEBRIS IN *S. Platonem patrem spiritualem. Habetur in 7. Tomo Aloysij Lipomani Episcopi Veronensis. Nos eam per capitula margini adiecta distinximus.*

16. Decẽbr. Cap. 1. Rhetorũ & sophistarũ studium.



ORATORVM quidem & sophistarum omne studium est, non vt ad scribendũ se conferentes, quod verum est assequantur, sed vt dictioni splendorem adhibeant, & poetarum versus concidentes, verbis illinc sumptis narrationem suam ornent, ac sublimem reddant, & eorum aures, à quibus audiuntur, orationis suauitate oblectent. Verborum enim concinnitate auditores demulcent, & probabilitate decipiunt, parùm curantes, vt vera dicant: quippè qui opiniones captant, & studio placendi hominibus omninò seruiũt. Quos verò amor veritatis tenet, illi vnum hoc curant, vt, quæ sunt, ea dicant, & veritatem ipsam honorent, quanuis oratio concinnitatem & elegantiam non sit habitura. Cùm enim veritatis pulchritudinem expetant, comptis dictionibus, quæ stragulis quibusdam pictis similes sunt, multam salutem dicunt. id enim veræ sapientiæ proprium est.

Cap. 2. Itá certè & ego, qui mẽte sum exigua, oratione & spiritu valdè tenui patrem meum laudabo, non vt illi hac laudatione gratũ faciam: Quæ enim gratia illi hæc esset, qui nulla re ex his, quæ hîc sunt, delectatur, cùm cælestẽ conditionem sortitus sit, cuius qui compos fuerit, præsentia hæc irridet, cùm nihil in eis stabile sit, neque beatum: sed tanquàm vmbræ prætereant, & vt verni flores corrumpantur? Ad hæc si, cùm in terris esset, indignum se arbitrabatur, qui vel in monachorum numero cense-

Sãcti in cælo terrenis rebus non delectãtur.

censeretur,(quæ res summam eius modestiam atque humilitatem,sanctéque illius animæ præstantiam indicabat) quomodò nunc cùm hinc ad ea migrauerit,quæ incorrupta sunt, quo loco falsæ gloriæ nulla est appetitio, hanc nostram laudationem ille appeteret? Sed hoc mihi faciendū proposui,quòd iustissimè,vt quiuis alius,hoc illi debeo,tum pro alijs ipsius in me officijs,tum maximè pro oratione ipsa, quæ,qualiscunque sit,illius labore ac diligentia in me exorta est,vt tanquàm mercedem quandam orationis parenti hanc referam.

Quanuis autem intelligam paternam laudem ad filij gloriam redundare, (vt est à sapiente illo dictum: Gloria hominis ex honore patris ipsius) non ob id tamen, vt aliquis opinari posset, illum laudabo: cùm sciam vnumquenque, si è domo, & ex seipso gloriam habeat, gloriosiorem quidem esse, à patre etiam ipso splendorem accipientem: sin minùs,paternos honores nihil prodesse illi, qui est inglorius,& honoris expers,qualis ego haberi possim: Sed quòd fas non sit, eius vitā cum virtute actam, velut lucernam quandam semper lucentem, silentio, & tan quàm sub modio aliquo occultari,immò in rationali candelabro effulgentem,non vni, aut alteri, sed omnibus (hoc enim audeo dicere) qui sunt in Dei Ecclesia, proponi debeat. Quoniam igitur ostensum est, orationem ipsam conducibilem esse, ac nobis necessariam, quæ non veritatem solùm, sed vtilitatem etiam magnam in se contineat, agè illinc, vndè conuenientissimum est, laudationem aggrediamur. Cap 5. Eccli.3. Matth.5.

Beati Platonis parentes fuerunt Sergius & Euphemia, quorum nobilitas insignis,& mores non ignobiles extiterunt. ità enim se gesserunt,& diligenti domûs suæ gubernatione rem familiarem præter cæteros ità auxerunt, vt etiam consanguineis æmulationem suî concitârint. Quibus ad alias laudes ea quoquè accessit, quòd bonorum filiorum parentes esse datum illis fuerit. Post duas enim filias, velut germen quoddam rectissimum & illum genuerunt, quem nunc laudamus: quanuis neque filiæ ipsæ sine laude vixerint: illarum enim res gestæ multæ, & præclaræ narrari possunt: è quibus vnà in communi vita, qua vsa est, ità se gessit, vt excelluerit: altera, ex qua & nos geniti sumus,monastico ordine illustrem se præstitit. Cap.4. S.Platonis parentes. Eius nepos fuit author huius vitæ.

Quoniam verò illis temporibus cælestis ira inflicta est,(Res enim me admonet, vt & de hac dicam: quippè quæ publicam intulerit calamitatem,non in paucis aliquibus regionibus ac ciuitatibus versans, sed velut Aegyptiacum quoddam flagellum, ex alia in aliam ciuitatem transiens) ac vel maximè in regia vrbe Byzantio malum illud fuit, hi viri, quos diximus, semper memorabiles, è vita excesserunt. Non alienum autem fortassè fuerit,vtilitatis causa mortis etiam ipsius genus conscribere. Narratio enim hæc talis est, quæ illorum animos terrere possit, qui prudenter eam intellexerint. Repentè in singulorum vestibus salutaris Crucis signum cæruleo colore velut à manu aliqua pulcherrimè pingente,vel Dei potiùs digito, & superna manu expressum cernebatur. Quicunque verò talis depræhensus fuerat, diuulgabatur, ac statim mors illi afferebatur. Eodemque die aliquis mortuum efferebat, & ipse mortuus efferebatur. Duo simul in feretro, quatuor in iumento portabantur, onera corporum miserabilium semper recèns cumulata. Lamentationes vbiquè, & voces miserabiles vndiquè resonantes. Qui mortuorum cadauera efferebant, tam multis oneribus sufficere non poterant. itaque deerant, qui tot mortuos sepelirent. Claudebantur domus, vrbis regiones inanes fiebant, sepulcra ipsa implebantur, cùm intra duos menses vrbs celeberrima, & multis millibus hominum habitata, iam deserta, & talis ferè sit facta, vt si à nullis habitaretur. Hæc illius impij Constantini temporibus acciderunt,à quo imago Christi contumeliosè spreta,& à nefario illo homine, ac populi corruptore, simulacrum erroris nominata: immò verò Christus ipse noster Deus ab eo despectus fuit. Siquidem honor imaginis ad eum refertur, cuius est ipsa imago,vt diuinus Basilius quodam loco ait. Hæc Dei virga, vt aliquis diceret, pœna fuit iustissima,qua peccantes homines instruerentur, nosque à summa nostra malitia reuocati emendaremur: ira, inquam,illa, quæ ad salutis viam his viris dux est, qui eius correctionem prudenter & æquo animo accipiunt. Sed ad Platonem ipsum nostra redeat oratio Cap.5. Crucis signū in vestibus hominū cernitur diuinitùs inscriptum. Vide pœnā Iconomachorum.

Cùm esset ille orbus parentibus,& cum sororibus in ætate valdè puerili relictus, Cap.6.

ab

ab vno quodam consanguineo suo acceptus est, & ad ætatem vsque pubescentem educatus. Ac statim quidem, vigente illius iuuentute, tanquàm rectum quoddam germen optima rerum intelligendarum perspicientia effloruit: quam difficilè præstare possunt, qui sunt in orbitate educati, cùm nèminem habeant, qui tantùm diligentiæ illis educandis, quantum parentes, adhibeat. Suo igitur studio & honesta æmulatione notitiam eius artis, quæ notariorum dicitur, ità fuit assecutus, vt nondùm aliquis eorum, quibus de paterna diligentia prouisum fuit, illam assequi potuit. Cùm enim ponderibus præfectus esset apud auunculum, qui regias pecunias custodiebat, & in ea re tam probatus extitisset, vt auunculus nomen tantùm muneris illius haberet, ipse verò munus illud re ipsa exerceret, ob idque in conseruandis pecunijs regijs valdè insignis esset, tam optimatibus, quàm Cæsari, erat vir ille notus atque optabilis.

Discit artẽ notariorũ Plato.

Cap.7. Cùm igitur talis esset, atque arbitrij libertate vteretur, non incontinentibus iuuentutis affectibus mentem tradidit, vt aliquis licentiosior, & fractæ mentis homo faceret: sed velut optimus quidam equorum domitor ipse sibi existens, ab insipientium virorum consuetudine se abstinebat: cum illis autem, qui eruditi erãt, vnà versabatur, cum honoratioribus, non abiectioribus, viris se coniungens, hisque adhærens, qui ætate præstabant, non qui natu minores erant. Qua diligentia & virtutis exercitatione, animi nobilitatem ab externis honoribus ad honestam virtutis viam dirigebat. Non enim conuiuarum & sodalium communibus compotationibus seipsum tradens, vt aliquis eorum, qui adolescentes sunt, in epulis versari consueuit: neque in talorum ludo & ebrietatibus pecuniam consumebat, vt luxuriosi homines faciunt: sed laboriosis vacationibus ponderandæ pecuniæ dans operam, ex ea re diuitias sibi cumulauit, easque sic auxit, vt, præter paternam hæreditatem satis amplam, sibi alias etiam facultates comparauerit: quæ nunquàm accedere potuissent, nisi vir ille continentia & frugalitate in omni re vsus fuisset. Quarè honesti appetens, iuuenis ille temperantiæ ornamentum assequebatur, & prudentia insignis erat, in quo morum comitas inerat. Iuueniles appetitus à se longiùs remouebat, quibus capti qui fuerint, tantum abest, vt bona, quæ non habent, adipiscantur, vt etiam illa, quæ habent, exinanire soliti sint.

Vitat cõsortia malorũ.

Eius tẽperantia, prudentia, morũ comitas.

Cap.8. Sed quidnam deindè consecutum est? Prudentia tam insignis vir ille, & in his bonis, quæ ad vitæ commoditates pertinent, talis euasit, (quæ res ab eis appetitur, qui terrenis rebus delectantur, & ab his studiosè quæritur, qui filias viris collocant) vt alius aliundè vel ex eorum numero, qui nobiles & locupletes erãt, ad vitæ communionem illum ad se inuitaret. Sed diuinarum rerum appetitio, quam meliori consilio vsus in animo accensam habebat, non permisit, vt in multo vitæ huius cœno infigeretur. Etenim pro ludo diuinas lectiones, quibus attentus erat: pro theatris & spectaculis Ecclesias frequentabat, pro inhonestis diuersorijs honesta collegia: quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes & acta cuidam eorum, qui præerant, sæpiùs cõfitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium: idque, cùm perfectè facere solitus esset, ei, qui confessionem ipsius audiebat, admirationem ac stuporem afferebat.

Confitetur sæpè sacerdoti peccata sua.

Cap.9. Itaque factum est, vt cùm ille mentis oculos ad sempiternarum rerum contemplationem erexisset, & earum desiderio allectus, atque alacrior factus, eorum, quæ in terris sunt, cupiditatem extinxisset, fecit vir ille admirabilis, quod diuinus Antonius antè fecerat. Cùm enim omnia, & paternam etiam domum vendidisset, pauperibusque pecuniam distribuisset, ac seruos ipsos libertate donâsset, & duabus sororibus pauca quædam reliquisset, exijt è loco, in quo erat, eo proposito, quo Abraham olìm exierat: non vt in villis, quæ propè erant, diuinam exercitationem obiret, sed longiùs aufugiens ad Olympi partes, ad eum peruenit locum, ac virum, qui diuinitùs monstratus ei fuerat: ad quendam, inquam, Archimandritam ex eorum numero, qui erant in regione illa. Locus, quem dicimus, Symbolus appellabatur: vir autem, Theoctistus: cuius mores boni, genus perspicuum, & finis sanctus fuit.

Omnia sua dat pauperibus.

Gen.12.

Cap.10. Sed qualẽ eius secessum fuisse putamus? Ille quidẽ & mihi maximè memorabilis est, & auditoribus cõpunctionis occasionem afferre potest. Cùm enim è patria migrâsset, famulo quodã sibi gratissimo vsus comite, & ad eũ locum venisset, qui Regum nomine appellatur, in densam quandam syluæ partem ingressus, eius manu, qui

qui eum sequebatur, comam sibi totondit, & pulla veste, tanquàm purpurea quadam, se induit. Quod verò secutum est, quale spectaculum fuisse putamus, cùm comes ille iussus fuisset ab eo discedere, domumque vnà cum vestibus, quibus seipsum exuerat, redire, ob idque luctibus, quia domino priuatus erat, repleretur: ipse verò solus cum Deo tantum relictus esset, cuius causa & propter quem id ille agebat? Talis est amor diuinus, qui suî amatorem ab omnibus alijs rebus seiungit, eiusque animum suî desiderio inflammatum, ad se vnum contrahit.

Comã sibi tõdeti vult à famulo.

Amor Dei qd efficiat.

Posteà verò, quàm ad magistrum veniens, ab eo interrogatus est, quisnam esset, & vndè veniret, & qua de causa peregrinationem illam suscepisset, singulis interrogationibus apta quædam & iusta responsa reddebat. Ille autem, cùm patriam, genus, & educationem audiuisset: Nondùm, inquit, in hac loci regione, quæ non mediocrem vitæ duritiem in se habet, monachi laborem sustinere poteris. Cui respondit Christi pugil: Omnia tibi, pater, trado, mentem, voluntatem & corpus: vtere famulo tuo, vt vis, in omnibus tibi obtemperante. O admirabilem propositi, & eius voluntatis demonstrationem, sed longè admirabiliorem monasticæ professionis materiam: quarum vna in eo apparuit, quòd in ipso ætatis flore, cùm res prosperæ illi, & ex animo succedebant, ac meliores spes subijciebantur, diuitijs propositis, gloria effulgente, corporis habitudine vigente, atque ad hæc omnia accedente propriæ voluntatis potestate, omnibus tamen his potiorem habuit Dei amorem: altera apparuit in eo, quòd optimè de his rebus deliberauit, neque vt multi ex his, qui nunc in superficie, vel (vt veriùs dicam) aliter quàm professio requirit, profiteri soliti sunt, sed vt vera professionis ratio postulabat, ipse professus est.

Cap. 11.

Vera professio monastica quid sit.

Isti enim nescio quomodò obliti, quod Dominus dicit: Qui non renunciauerit omnibus his, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: itèm alio loco: Vende omnia, quæ possides, & habebis thesaurum in cælis: & veni, & sequere me: horum, inquam, omnium obliti, erigunt sibijpsis templa, & monasteria. Deindè professioni, quam susceperunt, multam salutem dicentes, proprijs bonis potiuntur, ac dominantur, seruos & diuersas materias ad se attrahentes, heri & nudiustertiùs professionis expertes, & hodiè tanquàm in ea veteres aliorum duces: heri tales, qui nescirent prudenter alijs ducendos se præbere, & hodiè aliorum duces esse imperitè sibi proponentes: quibus non virtus, sed eorum, quæ habent, possessio principatum dedit: quique cùm multos annos debuissent discere, quomodò primùm rectè imperio parére, deindè sic ad imperandum alijs ascendere deberent: antequàm illud, quod prius est, experti fuerint, quod posterius est, periculosè sibi assumunt, tales eos, quos sub manu habent, efficientes, quales nimirùm & ipsi sunt.

Cap. 12.
Luc 14.
Matth. 19.

Quibus sit periculosum prælatione fungi.

Non autem sic ille fecit: sed posteaquàm verè terrenis rebus renunciauit, tunc & obedientiam non adulterinam, sed germanam & legitimam præstitit. Illud enim antecedit, hoc sequitur, vt fulgur tonitruo, & vt sole oriente lucifer priùs apparet. Nam qui optimè facultatibus, quas possidet, renunciauerit, optimè videlicet & obedientiam præstabit: at qui non rectè in alterutro se gesserit, in altero videlicet is claudicet necessè est. Multa quidem sunt virtutis exercendæ studia, extenuatio corporis, quæ continentiæ propria est: sobrietas in vigilando, macies, quæ à lachrymis proficiscitur, in precibus alacrem esse, humì cubando se affligere, tenui veste indui, proprijs manibus operari, crebrò genua flectere, mortem meditari, psalmos constanter canere, stationis tolerantiam ferre: sed nihil tale viro illi, qui obedientiam profitetur, quale est confessionis studium, & obedientiæ munus perfectum præstare: quibus rebus anima illuminatur, & propriæ voluntatis affectus extinguitur, perfectaque eius, qui per spiritum nascitur, in eum, à quo gignitur, adoptio efficitur. Nam qui non hæc alijs rebus prætulerit, is ad obedientiam præstandam imbecillis existet, & quibus rebus videtur salutem suam procurare, his deceptus, perniciem & exitium patietur. Continentia enim, vigiliæ & vnaquæque earum rerum, quas suprà diximus, ipsa quidem per se laudabilia esse concedet aliquis: sed nihil tamen expedire, immò verò & ruinæ causam illi esse affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis vtitur, nisì eius, qui præest, ductu & regula dirigatur. Quamobrèm qui confessionem cum obedientia coniunctam exercuerit, alijs, quæ suprà diximus, secundas partes tribuet, duobus his, quæ paulò antè dicta sunt, omnia concludens.

Cap. 13.
S. Plato integrã præstat obedientiam.

Exercitia virtutum.

Obedientiæ effectus.

Propria voluntas etiã bona studia corrumpit.

Hęc cùm beatus ille ità præstitisset, vt nescio si quis alius vnquàm præstitit, bonum

Cap. 14.

num fundamentum sibi iecit, atque in eo firmum ædificium construxit, omnem cogitationem suam subijciens, & in omnibus obedientem se præbens, ob idque (vt illud dicam, quod in literis diuinis scriptum est) dilectus erat in conspectu patris sui. Tanta enim fuit in viro illo tolerantia, vt adamanti ferè similis videretur. Idem in ministerijs obeundis erat admodùm dexter, & inter multos certaminum & laborum socios valdè insignis atque illustris: à quibus nō longè aberat, quòd ad cœnobij vitam pertineret: seorsùm verò cum vno quodam, ijsdem moribus prædito, quietè versabatur: cum Theoctisto, inquam, illo semper memorabili, modò exercitationi domi vacans, modò communiter versans, tum in psalmis canendis, tum in cibo sumendo, & opere perficiendo, atque (vt ità dicam) promiscuè communiterque, & in omnibus modestissimè se gerens. Non enim, quia genere insignis erat, quòd ad corpoream nobilitatem pertinet, propterea vnà cum agrestioribus vitam ducere: neque, quoniam famulorum anteà ministerio vtebatur, propterea ignobiliora officia tractare alienū à se putabat, aut ægrè ferebat. Quamobrèm & fimum humeris portabat, prædiumque stercorare atque irrigare iussus, id facere non grauabatur. Idem farinā patienter subigebat: eaque omnia faciens, multum studij ac diligentiæ libris scribendis adhibebat.

S. Platonis humilitas.

Cap. 15. Gaudet obiurgatione sui.

Vultis dicam & alia illius obedientiæ egregia facinora? Increpabatur quidē à patre ipso, præsentibus hospitibus: ille, inquam, qui ea, quæ suprà diximus, optimè faciebat: sed increpationem ipsam velut laudem quandam accipiens, laudatissimus ille vir nihil mouebatur. Ad hæc cùm fratribus audientibus legeret, idque rectè faceret, increpatus tanquàm perperàm legisset, vir prudentissimus verecundè ac timidè se gerebat: cumque à seruili genere se ortum esse audiret, vrbano quodam more annuens patri assentiebatur, generosus ille tam animo, quàm corpore: qui cùm in manuum suarum opere faciendo esset tolerantissimus, & multum lucrifaceret, erat tamen ità modestus & humilis, vt si nulla in re vtilis fuisset, vir & disciplinæ acquirendæ cupidissimus, & diuinæ pietatis amator ardentissimus.

Cap. 16. Cùm igitur aliquandò ad patris pedes flexis genibus se deiecisset, ab illo ipso corrigebatur, quasi ad idem erratum relapsus fuisset: ille tamen non repugnabat, sed pergebat veniam petere. Itaque defessus erat, qui consultò eum virum increpabat, & conuicia in eum conijciebat: quibus saturabatur, qui per voluntariam illā ignominiam gloriam sibi comparabat sempiternam. Dicam aliquid ex his, quæ professionis propria esse non videntur, consentanea tamen ei rei sunt, si rectè fiant. Idem ille tanto humilitatis desiderio tenebatur, vt precibus ab alijs peteret, vt pugnis & alapis cæderetur. Cumque id imperrâsset, & à quodam viro, cui pater id præceperat, verberaretur, muneris loco accipiens verbera, lætabatur. Quæ res erat valdè admirabilis, cùm alter inuitus id faceret, quod indecorum videbatur: alter læto animo id pateretur propter vtilitatem, quam ex ea re percipiebat. Erat etiā id videntibus & audientibus admodùm vtile, vnum aliquem inueniri, qui voluntariè illa patiens, Christum imitaretur. Num igitur talis ac tantus vir poterat non diligi & amari? Quæso, quomodò rationi consentaneum fuisset, eum, qui totum obedientiæ legibus tanquàm filium se tradiderat, non patri optabilem esse, & ex animo ab eo diligi? Propterea, vt dictum est, valdè amabatur.

Thren. 3.

Vult ab alijs percuti, eoque lætatur.

Ab omnibus amatur.

Cap. 17. Itaque propter virtutis splendorem eius fama peruagata vbiquè celebrabatur, quippè qui patri suo talem se præbebat, vt esset instàr omnium rerum. nam vt oculus dexter omnia videns, vt manus rectè operans, vt pes benè incedens, in omnibus deniquè bonus erat illi consiliarius, & socius admodùm egregius, & in colloquendo suauis, eorum, quæ intùs erant, custos fidelissimus: quæ autem foris erant, ea diligentissimè obseruabat, partìm discipuli, partìm fratris faciens officiū. Illud quoquè addiderim, eum virum etiam patris munere functum fuisse. Deniquè tantus in vtraque re ille fuit, vt si quādo aliqua de causa necesse fuisset, laudatissimum illum Platonem aliquò proficisci, vir semper memorabilis Theoctistus ob eam rem tristis esset, neque recreationem haberet, vt Apostoli sententia vtar, propter eius hominis absentiam, qui tam optabilis illi erat. Quis enim illo ad res futuras prospiciendas, & coniectura colligendas prudentior? Quis ad tristitiam leniendam curandamque accommodatior? Quis ad rès necessarias comparandas expeditior? Quis ad honorem multifariàm impartiendum peritior? Talem deniquè ad perfectam veramque in patrem beneuolentiam ostendendam se præstabat, vt, cùm paterna

Charissim' est patri spirituali.

2. Cor. 2.

terna

terna quidem omnia officia in potestate haberet, animum ipsum à terrenarum rerum amore sic alienũ seruaret, vt ne oboli quidem vnius esset dominus. His autem ipsis quisnam finis, quod've præmium fuit? Paterna scilicet benedictio in spiritualem Iacob profecta, ex quo patriarchæ sacrarum rerum, & gregis duces extiterunt, ex quibus multi Deo grati filij & nunc sunt, & plures erunt, (certè scio) ex semine illo, tanta benedictione prædito. Talis fuit vir ille, qui sanctitatem verè amauit: talemque finem habuit egregia illius obediẽtia, quam velut adumbratione quadam ad perfecti coloris characterem & formam direxit. Gen.27.& 28.

Posteà verò quàm ad cælestem Dominum Theoctistus eius dux transmissus est, ad illius locum ac mores se transtulit, & quietẽ ipsam legitimè amplexus fuit: non quemadmodùm multi ex his, qui nũc sunt, periculosè illam aggredientibus, quippe qui priusquàm carnem spiritui subiecerint, audent cum nequitiæ spiritibus singulari certamine congredi, sed cùm tempus vincendi est, palæstram meditantur. Nam qui non priùs obedientiam didicit, quomodò ille hostiles affectus subijciet? Quique obediendi regulam integram non seruauerit, quomodò ille ad quietis montem ascendet? An non manifestum est eum, qui extra tempus eam rem attigerit, lapidibus feriendum, aut telo in se iacto percussum, animæ interitu periturum, vt aiunt quodam loco diuinæ literæ? Sed non ità fecit is, de quo nunc sermo habetur. Cùm enim obedientiam Deo placentem verbis ac moribus pręstitisset, iure atque aptè ad quietem se contulit: & prope Deum accedens, mentem purgauit, eiusque contemplationibus delectabatur, mente ipsa in rebus sublimibus versans: quandoquidem nihil suauius est, quàm Deum contemplari: qui cùm sit suauitas ipsa, omni ex parte appetendus est his, qui eius gustum, & singularem charitatem aliquo modo senserunt, cuius satietas nulla est, ità vt qui hæc ipsa gustauerunt, vel ipsius cibi appetitum ferè obliuiscantur. Hæc igitur in seipsum attraxit, de virtute in virtutem transiens, & ascensiones in corde suo disponens. Cap.18. Eremus q. bus necdũ expetenda. Exod.19. Psal.83.

Quoniam verò non satis illi erat res suas considerare, cùm charitas ipsa & aliorum vtilitatem requirat, patris loco, vel potiùs tanquàm lumen quoddã, fratrum, quos suprà diximus, societati pręfectus est, quæ virum hunc beati Theoctisti successorem, ac ducem habuit: quam societatem vterque & spiritu, & corpore ad eam conditionem & statum prouexerunt, vt mansio illa sanctissima & esset, & nominaretur. Duorum autem discipulorum dux separatìm fuit, à quibus ministerium ei præstabatur, quosque contubernales quidem, sed non sodales habebat. Eorum verò vnus adhuc superest, Antonius nomine, qui nobiscum vnà vsque ad senectutem obedientiæ subiectus vixit. Ipse nobis suggerat, quæ hoc loco in his, quæ non dicemus, desiderabuntur. Panis erat nostro illi patri esca, vt aiunt, & fabæ cum oleribus, & summis herbis. Talis, inquam, erat illi quotidianus cibus olei expers, ac nona diei hora sumptus, nisi Dominico, & festo aliquo die: his enim diebus solitus erat vnà cum fratrum societate communi mensa vti. Potus erat is, quem fontes emittunt, & quo mens ipsa colligitur, non vinolentiæ copia dispergitur. Neque hic ipse quotidianus semper erat, sed interdùm vltra diem vnum, interdùm in tota hebdomada bis, vel decimo quoque die sumptus, potus sumendi tarditate, vel, vt ità dicam, bibendi ieiunitate cum temperanti appetitu coniuncta, vel ex naturali temperatione ad habitum redacta atque constituta. Vestis erat tenuis ac vilis, calefaciendi corporis causa tantùm adhibita, non tenuibus filis contexta, neque coloribus varijs ac florentibus elaborata, quã, qui nimia elegantia se ornant, non monasticæ vitæ cultores, sectari student. Orationem & lectionem laboriosiùs exercebat, quas certis horis obire consueuerat, & pro delicijs ac suauibus condimentis, eo cibo delectabatur. Flectendorum genuum crebritas à patribus tradita, & callũ, quod eius manus contraxerant, ac terra, in qua genua sua ponebat, hucusquè virtutem illius manifestè prædicant. Stratum, non mollis aut diffluens lectus, sed qui corpus affligere, & ad spiritalia ministeria firmum seruare posset. Ad hæc manibus proprijs aliquid operari studebat: hoc enim ex illius rectè factis præter cæteros, nè dicam omnes homines, insigne admodùm habebatur: vel, vt magìs propriè loquar, cum sacro Apostolo illum id commune habuisse dixerim: Necessitatibus meis, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ: quoniam non gratis panem comedit. Cap.19. Præficitur fratribus S. Plato. Cibus eius. Itẽque potus parcissimus. Vestes illi. Lectus. Actor.20. 2.Thes.3.

Quis enim concinniùs aut rectiùs, quàm eius dextera, literarũ figuras scribebat? Cap.20.

Aut quis laborio siùs, quàm ille, alacriùs ac studiosiùs id, quod dixi, vel quoduis aliud opus accidisset, tractabat? Quomodò posset aliquis eos enumerare, qui eius labores, hoc est, libros, ex diuersis sanctorum Patrum scriptis, tanquàm flores quosdam collectos seruant? Quos qui possident, tantum vtilitatis percipiunt, quantum eis satis esse possit. Nostris autem monasterijs vndenàm tanta librorum abundantia suppeditata est? An non ex illius sanctis manibus & laboribus? quos adeuntes, & animo illustramur, & eius manum admiramur, cùm eam talem fuisse perspicimus. Sed orationis nostræ progressus quædam tacita præterijt. Redeat igitur ad ea, quæ prætermissa sunt, enarranda.

Libros colligit ex diuersis Patrū scriptis.

Cap. 21. Cōstātinus Copronymus pstringitur.

Erat temporibus illis summa quædam impietatis tēpestas. Constantinus ille impijs cogitationibus feruens, malitiæ domiciliū, multorum capitū draco, eius hæresis propugnator, quæ sanctis imaginibus bellum indixit, monastici ordinis acerbissimus persecutor tunc regnabat: à quo quísnam nostrorum Nazaræorum non fuit exterminatus? aut quis latens, non in medium prolatus est? Quisve eorum, qui ei resistebant, non ad impietatis barathrum detractus? ità vt sicubi aliquis eorum, qui insignes erant, relictus fuisset, tanquàm scintilla quædam in occulto & obscuro loco iacens, ità latuerit, vt pro mortuo haberetur apud eos, qui adhuc supererant. Talis fuit noster Elias, à Domino ipso seruatus ijs in locis, in quibus exercitationi monasticæ operam nauabat, non eius manibus captus, qui nouus Achab dici poterat, neque eius impietatis particeps factus, vt post caliginis tanquàm nocturnæ cuiusdam pugnæ tempora, velut lucifer quidā denuò nobis exoriretur: id quod factum vidimus. Dehinc enim necessarijs quibusdam de rebus Byzātium ingressus est. Quo tempore videre licuit monachos ipsos, qui superfuerāt, tanquàm lumina quędam ab ijs, qui in vrbe Byzantio erant, conspectos fuisse.

S. Plato alter Elias.

Cap. 22.

Tunc & beatus ille, qui mortuus anteà putabatur, rediuiuus agnitus est. neque enim à cognatis superesse credebatur, ex eoq; nō solùm cōsanguineis hominibus, sed toti Byzantio celeberrimus factus est, alijs aliundè illum attrahentibus, ac iucūdissimè amplexantibus, & benignè eius dexterā appræhendentibus: deniquè nobili ipsius doctrina libentissimè fruentibus. Erat enim vir ille oratione quidē suaui, ac moribus longè suauioribus, formaque tali, qualem vitæ monasticæ exercitatio commendat. Habebat & multiplicem docendi viam, omnibus omnia factus, vt, quod est ab Apostolo dictum, de illo etiam ipse dicam. Erat idem & coniugatórum hominum moderator, & earum, quæ virginitatem exercebant, propugnator. Quorum manibus imperia tenebantur, eos adhortationibus suis reprimebat. Infirmorum animos, tanquàm bonus medicus, sustentabat. Patribus filios concordes reddebat, patresque filijs reconciliabat. Precabatur seruos, vt dominis suis essent beneuoli: dominos verò, vt seruis se beneficos præberent. Alia deniquè omnia faciebat, quæ qui facit ac dicit, diuinus esse cognoscitur.

1. Cor. 9.

Cap. 23. multū affert fructū Constantinopoli, vitijs pfligādis &c.

Vnum illud addam ad ea comprobanda, quæ dicta sunt, vt orationi fides habeatur. Quandiù cum ijs, qui in vrbe Byzantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam vitæ formam mutauit, & ad virtutis statum conuertit. Quidnam hoc est, quod dico? Suæ, inquam, linguæ admonitionibus iurandi consuetudinem ab eius loci hominibus abstulit. Nimios ornandi corporis cultus modesta sua doctrina repressit. Sæpiùs de morum probitate disserens, vt charitatem in pauperes exercerent, hominibus persuasit. Quarè factum est, vt pecunię abundè conferrentur, & in ea loca, in quibus pietas exercebatur, publicè distribuerentur. Eosdem ad lectionem compositè exercendam instituit, & ad quoduis aliud bonum opus reduxit. Quæ omnia noctes & dies, magno studio, labore, tolerantia ac vigilijs perficiebat: pedibusque iter faciens, amicorum & consanguineorum illecebris labores, quos ipse patiebatur, libenter præferebat, re ac factis illud Apostoli dictum obseruans: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: nè, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

1. Cor. 9.

Cap. 24.

Itaque in vrbe illa regia, tanquàm vexillum quoddam, erexit orationē, spectatæ vitæ testimonio comprobatam. Adde quòd tenui ac modesto habitu indutus, adspectu ipso eos, qui eum videbant, ad virtutem hortabatur. Quòd si cum politico aliquo viro negocium illi fuisset, orationem suauem adhibebat, ad eorum mores, qui eum audiebant, se componens. Neque quisquam hac in re ipsius institutum accuset, sed vtilitatem indè proficiscentem consideret. Et quænam, inquiunt, hæc est?

Peccan-

Peccantium hominum pœnitentia, & vitæ renunciantium multitudo. Primus enim, & solus ferè (vt ità dicam) is apparuit, qui nostri generis homines & alienigenas ad virtutis exercitationem suscipiendam alacres reddidit: primus, inquam, nobis, vt sanctè viueremus, hortator diligens extitit. Quamobrèm & monasterio cuidam, quod in vrbe erat, præesse cogebatur quidem, sed noluit tamen. Quinetiam Nicomediensium Ecclesiæ præsidere eum hortabatur, qui tunc præsidebat: sed assentiri noluit, clerum fugiens is, qui clero erat dignus: & sacerdotij fastigium metuens, qui virtute sublimis & præstans erat. Non vult præesse monasterio neque clero.

Itaque ad iucundam sibi quietem reuersus est, vbì quædã memoratu digna constituit, pauperum se patronum præbens, & eorum, quibus iniuria fieret, propugnatorem. Ad hæc consolabatur eos, qui ærumnis premebantur, & quibus suis angustijs afflictos subleuabat, partìm lingua, partìm scriptis, vbì non habebat, quo alio remedio posset se adeuntes iuuare: (literæ enim ipsæ muneris loco erant, cùm eius viri tanta esset reuerentia, vt ad misericordiam eos flecteret, qui possent misereri) partìm verò quarum rerum facultas ei suppetebat, eas alijs impartiebatur, cùm in eius potestatem multa conferrent ij, qui bona sua benè exhauriebant, vt inexhausta & sempiterna bona participarent. Quòd si eiusmodi rebus alios iuuare non poterat, consolatione saltem mœrorem adimebat, & longiore disquisitione ferociores animos eius, qui tristitia laborabat, mitiores efficiebat. Quid igitur mirum, si & ipse cum celeberrimo illo Iob hæc dicere poterat? Seruaui pauperem de manu potentis, & orphano, cui non erat adiutor, opem tuli. Os verò viduæ mihi benedixit, & causam, quam non noueram, inuestigaui. Quibus de causis patris loco ab eis habebatur, & vt eorum patronus magnifiebat. Deniquè vt hominum curator beatus prædicabatur, à multis visebatur, eidem venienti homines occurrebant, eundem hospitio tam monachi, quàm coniugati accipiebant, cùm eius viri fama vltra eam, in qua versabatur, regionem peruagata esset, ac Platonem illum, velut magnum quempiam & admirabilem virum, omnes in ore haberent: quem certò scio neque in posterum silentio, aut obliuioni traditum iri: siquidem virtus ipsa, immortalis res est. Cap. 25. S. Plato pauperũ & oppressorum propugnator fidelissimus. Iob 29.

Posteà verò quàm cœpit regnare Christi cultrix Irene, quæ pacem ipsam vt cognomento, ità & re attulit, in cuius regno cum alijs bonis, & monasticæ vitæ adeundæ facultas, & ianua patefacta est, quæ olìm ab impio Imperatore clausa fuerat, quemadmodùm ab ijs Imperatoribus, qui Græcorum superstitionem sequebantur, Christianæ fidei aditus præcludebatur: ex eo, inquam, tempore, quo Irene ipsa regnare cœpit, nostra tota eorum, qui rebus terrenis renunciauerant, familia monasticæ vitæ obedientiam profitebatur: cui vno omnium ore laudatus pater ille post solitudinis quietem præfuit, non quòd vellet, aut cuperet dominari, (Quomodò enim rerum minimarum desiderio capi potuisset, qui maximos fugerat principatus?) sed partìm à cognatis hominibus victus, (dicam enim quod verũ est, etsi oratio ipsa inconcinnior videtur) partìm sperans etiam in principatu ipso eandem seruaturum se quietem. Quod nequaquàm fieri potuit: neque enim, quod quæsiuit ac sperauit, illud assecutus est. Ex quo multæ in eum tentationes allatæ sunt: à quibus verò, & per quos homines id factum fuerit, dicere omittam, vt eorum, qui hoc fecerunt, honori consulam. Illud tamen dicam, quòd tristem & inæqualem, suæque institutioni minimè consentaneam vitam ducebat. Cap. 26. Irene Imperatrix. S. Plato monasterij regimẽ suscipit.

Sed quidnam fecit generosus ille, & recti consilij vir? Cùm se captum ad præfecturam illam exercendam vidisset, neque sine periculo eam se fugere posse animaduerteret, quanuis sæpè id cogitâsset, tunc tamen vt prudens aliquis gubernator clauum tenens, in media fluctuatione nimiùm æstuante, segnitie omni ab animo remota, & mentis lumine in altum erecto atque intento, beatorum virorum res gestas ac vitas inuestigare cœpit, non ad recentia exempla, quæ praua & corrupta erant, sed ad exemplar, & Apostolicæ vitæ imaginem oculos erectos habens: id quod facere oportet omnes, qui virtutis sunt imitatores, si vitam patrijs moribus conuenientem, ac salutarem ducere velint. Primùm igitur dedit operam, vt studiosè magni & diuini Basilij constitutiones legeret: ex quibus sui temporis consuetudinem à monastica constitutione alienam esse didicit. Cùm enim fœminarum cœnobia gubernarentur à seruis maribus, atque ex ea re multa absurda gignerentur, & magnæ animarum iacturæ fierent, audite, quæso, quid ille vir egit. Cap. 27. S. Basilij cõstitutiones monasticæ.

Cùm benè peritorum hominum sententias anteà quæsiuisset, vt, quod bonum erat, exploratum haberet: (erat enim ab arrogantiæ studio satìs abhorrens, neque quicquam sine aliorum consilijs faciebat) illegitimas traditiones abscidit, vt pestilentes hæreses, suumque monasterium constituit, remotis seruis ac mulieribus, omnique alio mercaturæ censu: quæ cauponantium lucra idem diuinus Basilius appellans, fugienda esse præcepit. Id autem perfectum est non sine labore: cùm difficile fuerit his, qui eiusmodi exercitationi assueti non erant, alijs etiam extrinsecùs non paucis rebus proposito illi aduersantibus. Neque id mirum est, cùm consuetudo ipsa facilè & sine labore auferri non possit, neque quicquam ex ijs, quæ cum laude fiunt, inuidia careat. An non excelsæ atque erectæ mentis est, à perniciosa consuetudine sese auellere, & rectum exemplar se illis proponere, qui non solùm nomine, sed etiam re monasticam regulam sequuntur, & opus vitæ suæ consentaneum habere cupiunt? Quomodò enim fieri potest, vt ille sit verus monachus, qui seruos habeat, à quibus, tanquàm dominus, timeatur? Quomodò non visu allectus & captus fuerit is, qui exercitationi monasticæ addictus, mulierem aliquam sibi ministrantem contemplatur: cùm illud euenire solitum sit, vt quamuis à muliere aliquis longè absit, intestino tamen bello vexetur, & aliquandò capiatur? Quamobrem factum illud his, qui propè erant, desiderium attulit, vt idem & ipsi facerent, & diuinos homines pietatis studiosos ad eam rem imitandam prouocauit. Vndè sempiternam gloriam pater ipse assecutus est. Quòd si alium quempiam adiutorem, & in ea re socium habuit, eum, inquam, qui hæc dicit, & scribit, totum id patri nostro acceptum referendum est: decet enim filium in omni re patrem imitari, seque totum parenti tradere.

Fœminę prorsùs amouendæ à monachorú consuetudine.

Cap. 18.

Iam verò à societate illorum, qui in vrbe versabantur, & cognatorum congressu, necnon principum consuetudine se disiunxit, intra spiritualem aulam se continens, & gregi rationali præsidens, doctrinæ cibo illum nutriens, & eruditionis potum abundè illi suppeditans. Ex quo factum est, vt Lia ipsa floreret, & grex cresceret, ac celebrior fieret, Deusque gloriosiùs laudaretur, à quo in omnes omne opus perfectum proficiscitur. Sed quale illud est, quod intereà hæc dicens, imprudens ferè præterij? Cùm iam regnaret pia illa fœmina Irene, multaque disceptatio de venerandarum imaginum argumento facta esset, idem pater ante multos alios, & cum paucis quibusdam libera oratione imagines prædicabat, cumque ijs, qui contra eiusmodi venerationem bellum gerebant, quantùm poterat, ipse pugnabat, quandoquidem ad disputandum de dogmatibus idoneus non erat: nam simplicem quidem orationem habebat, at amplam tamen, & nomini suo congruentem, & auditoribus probabilem. Cuius rei argumentum illud fuit, quòd in cathedra vrbis metropolitanæ Epiphanorum in synodo illa, quæ in Apostolorum templo habita fuit, à Præside, qui tempore illo erat, prouocatus est is, qui neque anteà hæreticorum militaris ordinis impetum timuit. Quo tempore ad magnum illud templum festinauit, aduersùs Præsidem clamans, & fallacem illum cœtum contra venerandas imagines coactum vituperans. Et paulò pòst cùm concilium illud falsum dissolutum fuisset, tam cœtus ille veritatis propugnator, quàm regina ipsa è medijs leonibus erepta fuit. Tunc sine sanguine (vt ità dicam) martyr apparuit noster præceptor, Pontificem ipsum sequens, neque quicquam ob ea, quæ ausus fuerat, veritus. Parùm enim est, quòd in ea synodo, quæ iterùm in vrbe Nicea habita est, inuentus fuerit, eò quòd tunc immitis & durus ille populus de medio sublatus fuerat. Posteà verò, quàm hæc ità se habuerunt, & rectæ fidei trophæum erectum est, pater ipse in suum monasterium reuersus est, præsidendi munus exercens. Quo tempore morbo detentus, qui vitæ desperationem significabat, idque pro lucro ducens, atque appetens, præsidendi officium in nos transtulit, qui neque digni eramus, quibus ille præsideret. Inuénit igitur humilitatem illam, quam optabat, & molestiarum velut inducias quasdam accepit, & à vexationibus, quæ illum detinebant, liberatus est, talis existens, qualis olìm fuerat à pecuniæ & possidendi cupiditate alienus, neque curiositatis amator. Non ampliùs autem aliquorum odia locum habebant ad eius virtutis splendorem contegendum. Nam & viri iusti affliguntur, vt, cùm rebus aduersis, velut igne quodam, probati fuerint, eorum animi illustriores fiant, recteque incedentes, minimè delabantur, discantque benè agendi facultatem omnem à Deo se habere.

Iacob. 1.

Côciliabulum Iconoclastarum.

Synodus Nicena 2.

S. Plato à pecuniæ & possidendi cupiditate alienus.

Tem-

Tempus igitur, quo præsidendi munus pater exercuerat, iam absoluimus. Orationem deinceps ad id, quod celebrius est, conuertemus. Sed in mentem mihi venit ingemiscere, quę vera sunt dicere aggredienti quidem, sed harum tamen rerum narrationem recusanti, eorum causa, qui ea fecerunt. Verùm cùm fieri non possit, vt aliter manifesta fiant, quæ occultari non debent, quanuìs vbiquè ea vulgata sint, veniam tamen ad eorum narrationem, non quòd velim his, qui hæc egérunt, obtrectare, sed vt viri beatissimi virtutem monumentis literarum cõsignem. Vę tibi, ciuitas, inquit Salomon, cuius Rex iunior est. Id quidem à literis diuinis olìm audiueram, nunc etiam expertus sum. Constantinus Irenes filius, cuius fides quidem recta fuit, ex materna pietate formata, vita verò peruersa ex imperij potestate, intemperantia, velut stimulo quodam excitabatur. Cùm enim pubescente ætate nupèr imperium habere cœpisset, partìm maternæ reuerentiæ & custodiæ freno abiecto, partìm diuinis legibus pro nihilo habitis, vxorem legitimè sibi copulatam eiecit, & Herodes exemplo mœchus factus est. Sed quorsùm nam hęc spectat historia? Vt nostrum hunc magistrum, Præcursoris illius Iohannis imitatorem quodãmodò fuisse intelligatis. Cùm enim omnes ferè iniquo illi facto assentirentur, solus hic (vt ità dicã) cum suis pueris, hoc est, discipulis, stabilis permansit. Ob idquè quot & qualia per totum annum certamina eum subijsse putamus? Nuncia nuncijs, minæ minis addebantur: flagella, exilia, membrorum mutilationes proponebantur. Cùm verò nihil eorum, quæ Cæsar ipse studebat, perfici posset, (nam verbo quidem alij eum persequebantur, re autem vera Imperatoris manus illi erat infesta.) Nôstis monachos illos, & literas ad eum missas. Postremò cùm ea ipsa inania atque infirma depræhensa essent, viro illo sancto, quod decebat, faciente, & contrarias literas mittente, tunc Imperatoris persona detecta fuit, cùm non ampliùs ficta species locum habere potuisset. Rem enim aperte ostenderunt, quæ à duobus illis exercitûs ducibus ab eo, velut, hostibus quibusdam, ad inermem Christi monachum, sola diuina lege armatum, missis facta sunt. Cap. 29. Eccles. 10. Constantinus Irenes filius taxatur. Matth. 14. Multa minatur S. Platoni.

Pastor igitur è medio sublatus est, & oues gregis dispersæ sunt, alijs verberatis, alijs in exilium missis, alijs persecutores fugientibus. Quodque miserabilius est, regium edictum prohibebat, nè quis eorum, qui Dei causa persecutionem patiebantur, alicubi reciperetur. Eiusmodi edicto monasteriorum Præfecti obtemperauerunt: ac quotusquisque inuentus est, qui virum illum accipere ausus fuerit? Interea Christus dormiebat ob eam, quam ipse nouit, rationem, probans & explorans aliorum animum, num firmior esset: aliorum verò inhumanitatem patientia sua flectens ad misericordiam, & ad pœnitentiam prouocans. Ille igitur Christi athleta sponte à proprijs membris abscinditur, atque omninò solus relinquitur, animam pro ouibus suis exponens, verè bonus pastor, vt in Euangelio dicitur. Idem ad Cæsarem Briarei manu ductus, coram ipso stetit (audeo dicere) velut Præcursor Domini Iohannes, nisi quòd ille vltrò, hic ab alio ductus id fecit. Cap. 30. Expellit virũ sanctum. Iohan. 10.

O fortem illius viri mentem & animum, qui non imperium formidauit, nõ minis cessit, non illecebris fractus est, cùm præsertìm cognata illi esset fœmina, quæ Herodiadis mentem habebat: quinimmò intrepida oratione vsus, ac nihil veritus, id, quod verum erat, confessus fuit. Non licet tibi, inquit Præcursor, habere vxorem Philippi fratris tui. His similia & Præcursoris imitator ei dixit, qui Herodis erat similis. Non ille quidem fuit securi percussus, quoniam noluit Cæsar ipse martyrem eum virum esse, qui animo & proposito iam fuerat, & ijs, quæ dixerat antea, se certâsse satis ostenderat: sed imprudens tamen Christi confessorem eum esse probauit, cùm in cellula quadam, vt maleficum hominem, illum veritatis thesaurũ conclusisset, clauibus alijs alias addens, ac cibum per foramen quoddam ei dari iubens, vt à nullo prorsùs videri posset, qui à Deo ipso videbatur. Hæc vnà cum Cæsare agebant monachorum Præfecti quidam, quos pudet me nominatìm proferre: quodque miserabile est, carcer erat monasterium, Imperatoris palatio adhærens: & eiusmodi custodiæ princeps erat is, qui adulteros coronauerat. Hei mihi, (vt cum Propheta clamem) quoniam perijt vir Deum timens à terra, & qui rectè faciat, in hominibus non est. Cap. 31. Mar. 6. Includit eũ in cellula quadam. Mich. 7.

Quid dicam de illo, qui sanctum virum custodiendum ei tradidit, qui adulteros ipsos coniugauit? Quid de illo, qui mãdato Imperatoris virũ nullis rationibqs red- Cap. 32.

dendis obnoxium, tanquàm reũ conquisiuit? Quid eos in mediũ afferã, quos Cęsar ipse sacrorum ministros insignes in carcerẽ misit, ad persuadendũ iusto illi viro, vt verbo tantùm assentiretur ijs, quæ fiebant, si à carcere dimitti vellet, & omnibus suis dominari? Quid deniq; illos proferã, qui ei valdè illudebant, atq; obtrectabant, tam consanguinei, quàm alieni: tam qui eodẽ, quàm qui diuerso habitu induebãtur? O rem absurdissimã, immò verò ô factum contra veritatem iniuriosum. Insimulabãt generosum hominem adulteriorũ comprobatores, quòd mente delira esset. Falsæ gloriæ studiosum esse iactabãt eũ, qui pro Christi gloria certamẽ subierat. Illi nimirùm homines hęc dicebãt, qui cùm ad Cæsaris voluntatẽ omnia loquerentur & facerent, à Deo ipso Domino exciderant. Eius tẽporis calamitosam inhumanitatem, Christi cultor ferebat, veritatẽ ipsam solùm propositam habens, & quę veritatem defendenti retribuẽda sunt, secum cogitans. Itaque ęrumnas illas ità transegit, vt si cum tranquillitate in aliquibus locis occultis requiesceret. Cuius enim viri studium Deus est, eius religionem & in Deum charitatem nihil superare potest.

Calumniæ in S. Platonem.

Cap. 33. Breue tempus intercessit, & adulterinum illud Imperiũ, quod noluit intelligere vt benè ageret, de medio sublatum fuit, vt & Imperatores ipsi discerent diuinas leges non violare, neque iniquas persecutiones & carceres struere, quanuis purpura nimirùm efferantur. Tunc fidelissimus ille diuinarum legum custos, confessionis brauio recepto, à carcere ipso, tanquàm victor, exijt, multisque laudationibus & carminibus celebratus, felix dicebatur, eorum testimonijs comprobatus, qui anteà ipsi obtrectabant atque illudebant. Solent enim (vt est à Gregorio Theologo dictum) hominis alicuius virtutem vel hostes ipsi admirari, cùm, furore extincto, res ipsa per se probata fuerit. Licèt hoc loco diuerso modo res se habeat, àc dici possit. Cùm enim Regina illa, quę pacis nomen habens, Irene dicta est, rursùs imperare cœpisset, & reuerentia virum hunc, tanquàm martyrem prosequeretur, tunc instàr fluuij retrofluentis, si quis inimicus anteà fuerat, in amicum & laudatorem conuersus est, ità vt custos carceris in terra prostratus, sibi veniam dari supplex petierit. Sed vir ille factis, aut dictis tam motus fuerat, quàm lapis sensûs expers.

Liberatur ex carcere S. Plato.

Irene redit ad imperiũ.

Cap. 34. Posteà verò, quàm ab exilio reuersi sumus, alijque ex alijs locis, tãquàm volucres quædã aduolâssent, factũ illud pijs hominibus admirationi erat, & cum capite ipso membra copulabantur. Diceret fortasse & hoc loco (quanuis verbum hoc audax sit) clarissimus ille vates Esaias: Leua in circuitu oculos tuos, & vide congregatos filios tuos: veniunt omnes filij tui de longè: videbis, & gaudebis, & metues, atque obstupesces corde. Ille quidem propheta hæc diceret: ego verò addiderim, illum etiam, qui sacris præsidebat, & in ea re principem locum tenebat, ità fuisse affectum, vt eum, de quo dicimus, reuerentia prosequeretur: qui cùm se illi purgâsset, ad concordiam etiam ipsum inuitauit. Quod factum fuit, eiecto illo, qui adulteros coniugatos coronauerat, vt dissidium remoueretur, quod beatus ille vir maximè fugiebat. Quo facto, victoriæ præmium apud vniuersos, qui conuenerant, assecutus est. Quid enim aliud Deo ipsi concordia & coniunctione charius, modò coniunctio ipsa hominem à diuinis præceptis non seiungat? Sed quidnam posteà factum fuit?

Esa. 60.

Cap. 35. E priore monasterio gentis illius causa Byzantiũ migrauimus. Quo loco pater ipse virtutis appetens, nè monasterij gubernationem sustineret, intra cellulam se claudens, eam vitam amplexus est. Sed vide etiam hîc admirabilis rei studiũ. Tam multa eius erat humilitas, vt, cùm fratrum societas sub duobus principibus esse non posset, seipsum vir ille Dei studiosus atque imitator, obedientię legibus subiecerit. Idque fecit illis ipsis præsentibus, & eius rei testibus, qui eodem conuenerant. An non peregrinum & alienum hoc est, filium dici eum, qui anteà pater dicebatur, eius, inquam, filium, quem ipse in spiritu genuerat? Quid, quòd ei subiectus erat, cui olìm imperauerat, cùm præsertim tot essent illius egregia facta, vt satis illi ad laudem esse possit, si tãtarum rerum gloria non elatus, modestè se gesserit? Sed admirabilis ille vir facilè & nullo negocio hoc perfecit, non fictè quodammodò & adulterinè, vt verbo tantùm imperanti subiectus esset: sed syncerè, atque eo modo, quo Deus postulat, idipsum faciebat. Vbì enim confessio est, illic & fiducia: vbì fiducia, illic propriæ voluntatis remotio: vbì voluntatis remotio, illic & obedientiæ perfectio esse solet. Rectè factorum testes illi sunt, quorum causa petitiones aliquot extiterunt. Supplicabat pro aliquo propinquo, & cùm petitionem assecutus esset, eius causa, qui petitionem obtinuerat, ipse gaudebat. Quòd si petitionis compos

S. Platonis præclara humilitas.

pos non fuisset, sed re infecta discessisset, nequaquàm id molestè ferebat, vnum illud propositum habens, vt re aliqua egenti vtilitatem afferret, non vt voluntatem suam expleret.

Hei mihi pater, (vt prophetæ voce vtar) quemnam me genuisti? Patrem te vocare non erubesco, qui dignus non sum, qui filius tuus nominari possim. Quorsùm me ad hanc dignitatem extulisti, qui neque imperio parére aptus sum? Nouit Deus, quemadmodùm & tua sancta anima, huius rei rationem, quòd scilicet amicitia ipsa, vel obedientia potiùs, etiã illa, quæ supra vires sunt, ferre potest: vt breui oratione defensionem meam compræhendam, & hoc loco finem faciam. redeundum enim nobis est ad id, quod proposuimus. Clausus erat pater ipse in loco quidem angustissimo, qui æstate ità calefieri solitus erat, vt alter Chaldaicus caminus esse videretur, plumbei tecti inflammatione æstuans. At ille non solùm eam rem non molestè ferebat, sed etiam talem in posterum sibi requiem reseruari votis expetebat, desiderio ipso laborem leuante, & spe difficultatem faciliorem reddente: ex quibus fit, vt magnæ aliquæ virtutes atque institutiones vires habeant. Neque his rebus vir ille laboris studiosus, contentus erat: sed constanter ac diligenter manibus laborabat, multam vim adhibens: diuinæ verò meditationi multo diligentiorem dans operam, & vbiquè aduersùs hostem diabolum pugnans, & fratrum necessitati paratum se præbens, alios tristes consolans, alios animo deficientes recreans ac sustentans, multos lapsos erigens, quique acerbitate aliqua affecti erant, illorum mœrorem leniens. Deniquè multiplex ille animarum medicus ad eorum, qui aliquid patiebantur, habitus se accõmodabat, vt laborantes ipsos optimè curare posset.

Cap. 36. Iere 15. Dan. 3. Item singularis patiẽtia. Veri monachi exercitia.

Non silentio prætereundũ mihi videtur, quod est admodùm memorabile. Cùm ferrea quadam catena valdè graui pedes circũdedisset, eiusmodi laborem fortiter sustinebat. Quàm verò laboriosum fuerit, catena illa indutum dormire, vigilare, & opus facere, licet eam rem considerantem intelligere. Neque id faciebat, vt se clausum ostentaret, neque tanquàm virtutis officinam, instàr Chironis illius, in Thessalonico antro habitantis, factum illud iactitabát: (ab eo enim affectu athleta ille multùm aberat) sed virtutem suam extenuabat, quasi eam non coleret, vt par erat: catenam verò illam submissione quadam artificiosè ità occultabat, vt omnibus ferè ignotum esset, quod diximus, quoàd à cella progressus, rem ipsam vel inuitus patefecit. Sed de his rebus satis diximus, cùm & auditor mediocritatem amet, & scriptor copiosiùs res ipsas enarrandi facultate non abundet.

Cap. 37. Ad pedes fert vltrò grauem catenam.

Cùm verò è vita excessisset diuinus ille vir, qui tunc Episcopatui prǽsidebat, quisnam Patriarcha futurus esset, suffragijs quærebatur: quæ quidẽ de multis ferebantur, cùm plerique alius alium cooptaret, prout beneuolentia aut veritate ducebatur. Quæsitum est & patris nostri suffragium, non solùm ab his, qui sacerdotio insignes erant, sed ab ipso etiam Imperatore. Quid igitur (vos quæso) faciendum illi erat? An non decebat eum, qui bonarum rerum causa certauerat, & accuratæ vitæ legem omnibus se proposuerat, liberè ac verè sententiam suam proferre, id, quod ad communem vtilitatem spectaret, considerantem? Minimè, inquiunt eius irrisores & obtrectatores, sed vel ignorationem simulare, vel ambientibus suffragium illud concedere oportebat: quorum alterum mendacium habet, alterum simulationem: vtrunque certè respuendum. Ille igitur suffragium suum misit. Cui autem illud detulerit, omitto dicere. Misit tamen, Deo ipso teste. Quod & illi libenter acceperunt, nescio quomodò, quod scriptũ fuerat, confirmantes. Qui enim suffragium ipsum accepit, reuoluit calculos ipsos, ac peruertit. Et Plato quidẽ ipse, quoniam necesse erat, vt pro capite proponendo singula membra suo fungerentur officio, ad quendam eorum, qui eodem habitu induti erant, Cæsaris ipsius propinquum, communis vtilitatis causa egredi ex eo loco, in quo erat, nequaquàm veritus, nocte adijt: cui cùm ea dixisset, quæ decebant, in cellam celeriter redijt. Ille verò cùm hæc audiuisset, in furorem versus est, ac paululùm moratus, quantùm ad id, quod consultauerat, perficiendũ satis esset, sanctum illum virum, & nos vnà cum illo compræhendit, & quatuor ac viginti dies munito quodam in carcere detentos, domum posteà redire permisit.

Cap 38. Magnum pondus habet eius suffragium ad creandum Episcopum. In carcerẽ conijcitur.

Quid opùs est dicere, quot iniurijs virum illum, vel potiùs veritatem ipsam, affecerit, fratrum societatem furiosè oppugnans atque conturbans, & alios quidem in carcere

Cap. 39.

carcere seruans, alios ad iudicia, tanquàm reos, trahens, quanuìs in omnibus alijs rebus imbellis & ridiculus existeret? Quæ omnia erant apparatus quidam malitiæ, quam ille meditabatur, & velut iniquitatis cuiusdam exordium, necnon eius hominis nugarum, & apertæ petulantiæ significatio. Propediè̀m vexatio ipsa illata est, eiusque causa fuit Ioseph ille, qui adulteros, quos diximus, coniugauerat, clandestinum, inquam, malum illud, & Ecclesiæ ipsius perturbatio. Cuius quoniam, tanquàm serpentis cuiusdam venenum, canonicè communionem effugimus, à Cæsare ipso minæ nobis proponebantur: quique instabant, parati erant. Sed quî possum paucis verbis compræhendere, quàm multos terrores, quot certamina & tentationes nobis attulerit, quàm sæpè nos abducendo vexârit? Scit hæc, tam qui ea passus fuit, quàm qui prope illum, qui hæc patiebatur, tunc erat. Profectò militaris phalanx locum, in quo manebamus, ità cinxit, vt neque aliquem hiscere, aut omninò caput efferre permitteret. Intùs timores, foris terror ac minæ proponebantur. A quibus autem hæc proposita fuerint, non dicam, eorum, qui hæc fecerunt, personam reueritus. Heu quanta fuit temporis illius calamitas? Nemo ferè impetum illum ferre potuit, nemo fuit qui recta consuleret, & diuinas partes sustineret. Quinimmò optabile erat, nè quis iracundiam principum magìs excitaret. Hæc, & his miserabiliora faciebāt, qui eiusdem ordinis erant participes. Postremò (vt summatìm rem perstringam) fratrum societas noctù abrepta est, & in carcere conclusa. Quo facto, synodi constitutus fuit dies: in quo vir ille sanctissimus à militari manu vnà cum tribus alijs, velut maleficus quispiam, ad ipsam synodum ductus fuit. Miserabile certè spectaculum erat, senem videre, propter imbecillitatem ingredi non valentem, sublatum portari catena vinctum, qua ipsius pedes circundabantur, & ab alijs humeris in alios velut piaculum quoddam indecora traiectione transmitti. Hei mihi: hæc'ne fuit ordinationis synodo congruentis ratio? Hæc'ne Imperij Christiani existimatio? Quæso, qua in re sunt hæc illis inferiora, quæ latrocinantium insidijs, & tyrannicè imperantium violentia, olìm patrata sunt?

Multa patitur.

Fratres eius ducuntur in custodiam, & ipse ad synodum.

Cap. 40. *Damnatur exilio.*

Sed, vt quæ in medio sunt, ea velut ludicra quædam prætermittam, (illa enim historiæ modum implere possunt) exilium iam decretum fuit, & pater ipse circunscriptus est in vna quadam insula ex his, quæ ante vrbem sunt, quemadmodùm & frater noster in alia quadam valdè aspera, munito quodam carcere ad exilium accedente. O rerum mutationem. Monachis ipsis humaniores extiterūt hi, qui communi vita vtuntur, & priuati homines veriti non sunt iustum ferre iudicium, quod iudices debuissent: manifestum enim erat iniquum illud facinus. Missum facio balneum illud, in quo Imperator ipse militari acie omnium fratrum societatem inuadens, cùm ex monasterio illo singulos suæ voluntati subijcere conatus esset, spe deceptus est: suo enim imperio valentiores illos esse cognouit, qui diuina lege nitebantur. Missos facio carceres, in monasterijs constitutos, & monasteriorum Præfectos carceris duces factos, hisque quos clausos tenebant, plura, quàm iussi fuerant, tormenta inferentes. Prætereo, quæ posteà consecuta sunt, quo tempore multi abducti, & in alium locum translati, persecutiones, inquisitiones, disiunctiones atque exterminationes pertulerunt: quo tempore multæ atque ingentes minæ, iræ, interrogationes & responsa, multaque per omnes vrbes inuestigatio facta est, necubì aliquis fratrum lateret, adeò, vt nonnulli timore persequentium in terræ foraminibus sese abdiderint, quò seruari possent. Hæc autem omnia eius rei causa facta sunt, (rursùs enim præ admiratione eadem tractare cogor) vt qui adulteros illos contra Euangelium & præcursorem Ioannem coronauerat, quasi salutarem aliquam dispensationem Ecclesiæ attulisset, impunè rebus sacris præesse posset: quique illum Euangelicis præceptis obtemperantes non admitterent, exleges & à Deo alieni haberentur. O diuinas leges contemptas. O persecutorem acerbissimum, Christiani hominis appellationem habentem, & Christi leges conculcare gestientem. Quid ità insanus factus es, stolidus atque immitis vnà cum Leone tibi compare? An non vides contra inuictas Dei leges te armari, quas nemo ex his Imperatoribus, qui vnquàm fuerunt, superare potuit? Quinimmò quicunque se, vt tu nunc, his ipsis legibus aduersarium ostendit, iure optimo perijt.

Sancti permulta patiuntur ab impio Imperatore.

Cap. 41.

Sed quonam modo Dei seruus abductus est? Ad illum enim ipsum redeo. Rursùs translatus, rursùs distractus, & à duobus hominibus huc atque illuc protrusus,

cò quòd

eò quòd non ampliùs progredi posset, trahebatur & ità distractus vexabatur, vt iniquum illud facinus vel ipsis lapidibus sensûs expertibus lachrymas mouere posset. Huius rei testis est celebris illius martyris Mamantis regio, testis est & abrupta illa insula, quæ post primam fratris iam dicti custodiam, pietatis hûc custodem detinuit. O immites, & doloris sensu carentes illorum animos. Sed nescio certè, quo nomine ipsis congruente illos appellem, qui eâdem opera monachi, & milites, & carceris erant custodes: qui iustum illum virum omninò desertum, tanquàm in lacu profundissimo, in cella quadam concluserunt, hominemque iam senio confectum, & morbo vexatum, sub vnius cuiusdam serui potestate, illi rerum terrenarum & Cæsaris serui reliquerunt, vt sanctus vir semèl in die, vel bìs, à ministro viseretur. Quo tempore senex cum rogabat, vt ad necessarium vsum corporis duceretur, & iniquus ille seruus id ei exprobrabat. Petebat aliquid imbecillitati suæ consentaneum, & peruersus ille fores claudebat. Cumque hæc pateretur, nihilominùs tamen stabilis permansit: quodque coram Deo & hominibus cõfessus fuerat, nunquàm denegauit.

Inhumaniter sanè rapitur in exilium S. Plato.

Includitur in cella.

Posteà verò, quàm eius carceris causa eum in lethalem morbum incidisse Cæsar audiuit, animi duritiam leniorem faciens, in vrbem Byzantium ipsum transtulit: cumque illum eò transtulisset, parabat se ad id, quod malè factum fuerat, corrigendum. Sed quoniam non recto proposito ac sententia mouebatur, quod proposuerat, ad finem non perduxit. Illũ enim diutiùs arrogantia ac temeritate suspensum, cùm fortis Dei manus ad Scythas extermināsset, illic cum toto exercitu perdidit: vt posteris narratio quædam terribilis, & dictu horrenda, Deique iudiciorum, quæ comprahendi non possunt, eiusdemque sapientissimæ prouidentię exemplum relinqueretur. Eum verò, qui anteà nobiscum vnà clausus tenebatur, cùm eorum, qui tunc Imperio potiebantur, & piè se gerebant, gratia proprio gregi restituisset, Confessorem ille seipsum esse probauit: idq; quomodò factum sit, dicemus: neq; enim hoc præterire consentaneum est.

Cap. 42. Sanctus transmittitur Byzantium.

Eorum cura, qui res nostras beneuolo potiùs, quàm inimico, animo disponebāt, de medio sublatum fuit scandalum: quo remoto, & dissidium, quod illi cum Episcopo intercesserat, sublatum fuit, cùm principes ipsi hoc ei persuasissent. Itaq; sanctissimus Patriarcha se purgauit, quòd, quæcunque acciderāt, Imperatoris violentia facta fuissent. Tunc igitur vnà conuenerunt, & vicissìm sibi satisfecerunt, (quandoquidem Deo ipsi nihil ità charum est, vt pax & concordia: modò concordia ipsa non sit fidei dissensio, neque diuini præcepti violatio, non deniquè Canonis alicuius reprobatio, quemadmodùm præsens coniunctio se habuit) quantùm ad nos pertinebat, ea, quæ intereà facta fuerant, prætermittentes, vt illis similia, quæ diuinorum patrũ memoria facta, & similiter dispensatione quadam neglecta fuerant: immò verò perfecta earum rerum examinatione in futuro illo seculo illi iusto atque incorrupto Iudici reseruata.

Cap. 43. Obserua qualis sit admittenda in religione concordia.

Sed quidnam consecutum posteà fuit? Non ampliùs pater ipse clausum se detinebat, quoniam propter infirmitatem non ampliùs corporis necessarium vsum per seipsum explere poterat: sed modò in lectulo recumbens superioris exercitationis & certaminis atque laboris relaxatione: modò in humili aliqua sede requiescens, Dauidis psalmos pronunciabat, & mente Deum ipsum precabatur: quæq; ad fratrum societatem adiuuandam pertinebant, omnia conferebat, salutaria consilia, admonitiones, correctiones, adhortationes pro vetere & paterna beneuolentia, qua vti in eos consueuerat. Non tamen valebat opus facere, neque genuflectere, neque lectionibus vacare, nisi quantùm ministri alicuius prope se legentis opera vtebatur: nihilominùs his rebus dolebat, & tristis erat, quasi animam perdidisset, eò quòd diuina & sacra ministeria non obiret, sed à corporeis laboribus vacaret. Ac si quem cibum sumebat morbo congruentem, vel lauacro, vt iussis paréret, vtebatur, Deo quidem ipsi gratias agebat, sed ægrè ferebat tamen, quòd remissiùs viueret. Itaque verè stadium ipsum celeberrimus ille vir, & diuinum cursum exegit, quod dicitur, cum obediētia exoriens, & in obedientia desinens. Duodecimo enim, ac diurno horarum ambitui cùm parem annorum circulum in singulis certaminibus perfecisset, vitam illam sempiternam, & perenne lumen habiturus hinc migrauit. Numera certamina ipsa, & inuenies annos octo & quadraginta: adde duodecim illos, antequàm terrenis rebus renunciâsset,

Cap. 44. Lõga corporis infirmitate grauatur.

ad

Anni vitæ eius 79. ad illa quatuor certamina, quæ in persecutionibus, decem itèm & nouem annos, quos in infirmitate corporis transegit, & celebrem virum vndeoctogesimo anno hinc migrâsse inuenies.

Cap. 45. Sed quomodò sine lachrymis eius viri finem enarrabo? Iacebat senex ille senio admodùm honorato, ad migrationem ipsam animum habens paratissimum. Illic & fratrum societas circũfusa, sanctarum eius orationum donum postulabat. Cùm igitur singulis benedixisset, eosdem amplexatus, ad sepulcrum abijt admodùm lætus, quod iampridèm videre concupiuerat, quanuìs voti compos anteà factus non fuisset, cùm non pridèm assecutus esset, quod volebat. Cùm igitur valdè hilaris sepulcrum suum vidisset, Deo gratias agens: Hæc, inquit, requies mea in seculum seculi: eamque vocem adiunxit: Voluntatem timentium ipsum faciet Dominus. Psal. 144. Mouit & eorum, qui forìs erant, non paucos: qui nullam temporis rationem habentes, (erat enim sacrorum ieiuniorum periodus) concursu ad eum venerunt, tam monachi, quàm in communi vita versantes. Quibus cùm ille benedixisset, reuersi sunt, sanctam illius commendationem, velut bonum quoddam viaticum accipientes. Quinetiam sanctissimus ille Patriarcha cùm ad eum venisset, eius orationum se participem fieri postulauit: quarum compos factus, amplexus illum fuit. Patriarcha ad eum venit sub mortem eius. Itaque omnis discordiæ suspicio remota est, cùm olìm tristia illa, quæ inter eos acciderant, impedimẽto fuissent, quô minùs id credi posset. Omnes igitur admonuit, pro omnibus Deũ orauit, vniuersis veniam dedit, qui inimicè se in illum gesserant, qui eum persecuti fuerant, & molestijs affecerant. Hæc fecit diuinus ille vir, qui Christum ipsum etiam moriens imitatus est.

Cap. 46. Quoniam verò & testamẽtum disponi oportebat, dicam, quodnam hoc fuerit: Testamentum eius. Orthodoxa, inquam, fides, & legitima vitæ institutio. hæc enim & viuens, & moriens seruauit. Hoc autem, vel illud distribuere, ad eum minimè pertinebat: quoniam neque de amictu ipso quicquam disponere in potestate habebat. Tunc & à me miserabili homine rogatus, an aliquid haberet, quod diceret, manu vestem meam apprændit, eamque concussit, symbolum quoddam, hoc est, obedientię omninò liberæ ac promptę indicium relinquens, vocemque valdè summissam emittens, dixit, se nihil habere. Quo dicto, ad humilitatẽ meam omnia referebat. Minimè autem illud prætermittam, quod prædictionis apertam habet significationem. Ipse funebre canticũ sibi ante mortem modulatus est. Cùm enim thoracis morbo teneretur, & assiduo anhelitu laboraret, labia ipsa ex consueta diuinorum eloquiorum meditatione commouebat, summissaque voce illam præcipuè cantici partem canebat: Resurgent mortui, & exurgent qui sunt in monumentis, & lætabũtur qui sunt in terra. Quem versum hortabatur vt secum vnà canerent, qui præstò erant, quoàd loqui potuit, & vocem tenuissimam emittere. Canticum autem illud eius obitus consecutus est, qui iusti Lazari, eiusque diei festi memoriam aduentantem Festum S. Lazari. antecessit: ad quem Lazarum canticum illud referebatur, quo cum partem habiturus erat pater hic, cuius vitam scribimus. Postremò cùm insusurrâsset, & Deum precatus esset, vt saluus fieret, decoro habitu iacens, caputque ad dexteram inclinans, ità leni & tacito corporis motu, tanquàm in proprium locum migrandũ sibi Migrat ad Dominum. proponeret, cùm oculos ea hora clausisset, qua sol óccidit, sanctam animam Angelis tradidit, qui eam ad iustitiæ solem perducerent.

Cap. 47. Et nunc ille quidem in cælis est, nõ solùm eo ordine ac statu (audeo hoc dicere) dignus habitus, qui viris exercitatione præstantibus assignatus est: sed in eorũ choro numeratus, qui Confessores extiterunt. Quorum enim certamina perpessus est, eorundem sortis manifestum est participem factum fuisse. Vel, si placet, cum ijs, qui terrenis rebus renunciârunt, numeretur: qui ea re probatissimus fuit, & multæ obedientiæ causa coronatus: cum his, qui vitam quietam egérunt, ille, qui legitimam quietem exercuit: cum doctoribus, doctor modestus atq; compositus: cum ijs, qui latentem vitam exercuerunt, ille, qui non solùm clausus mansit, sed tunc etiam obedientię subiectus fuit: quodque admodùm honorandum est, cum Confessoribus certus Confessor, re ipsa orationem comprobante.

Cap. 48. Ego verò miser, bono illo patre orbatus, & animo fluctuans, vbinàm consistam? Quem admonitorem inueniam, extra rationem me gerens? Quomodò praui dæmonis impetum fugiam, cùm eius admonitoris ac doctoris copia mihi non adsit? Author inuocat eum. Sed ô diuinũ & sacrũ caput, tu me ex alto propitiùs respicias, & cadentem erigas

gradi-

gradientem dirigas, incolumem conserues, & vnà mecum gregem hunc agas & pascas, quem multis laboribus & solicitudinibus constituisti, vt vestigia tua sequatur, vt diuinorum mandatorum semitas teneat. Protegas, foueas, & tam magnos, quàm paruos greges tuos defendēs, eorum esto propugnator, sicut tuæ migrationis tempore pollicitus es: (Tui enim greges sunt omnes, quorum duces sunt filij tui, & filiorum progenies) vt te propugnatorem ac defensorem vniuersi coram Deo, & ad Deum habentes, incolumes permanere possimus, nullis hostibus corporeis aut incorporeis nobis nocentibus, vt neque timoris causa nos à recta fide vel paululùm subtrahamus, neque à diuinis mandatis deuiemus, neque ignauiæ, aut perniciosis affectibus aditum patefaciamus, non deniquè exercitationem ipsam, cui studemus, vllo vnquàm tempore negligamus, in Christo Iesu Domino nostro: Cui sit gloria, honor & imperium cum omnipotente Patre, & vitæ auctore, ac sanctissimo Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

MARTYRIVM SS. VALENTINI, CONCORDII, NOVALIS, ET AGRICOLAE, VT HABETVR SE-*cundo libro historiarum Rauennatum Hieronymi Rubei viri doctissimi.*



IN ea calamitate, quam Diocletianus Christianis intulit Rauennæ, Valētinus cum Nouali & Agricola, septimo decimo Calendas Ianuarij, ob Christum acerbissimam necem subiêrunt. De Valentino, in vita diui Dalmatij, Episcopi & martyris Ticinensis, in hanc sententiam legimus. Ad Dalmatium (cùm is esset in vrbe Alba, patre senatore, & occultè primùm Christianus, mox omnibus statìm relictis, palàm Christum Deum prędicare, & miracula edere cœpisset) Valētinus magister militum, cùm ad eius aures fama peruenisset, Rauenna profectus, venit eum rogans, vt filio graui morbo laboranti, ac iam desperato, suppetias ferret. Deum precatus Dalmatius, Valentino renūciat, Concordium filium suum, qui erat Rauennæ, conualuisse: virumq; sanctissimum, itèm Rauennatem, nomine Antoniū, eadem die obijsse. Quæ omnia, cùm Valentinus Rauennam regressus, vera comperisset, denuò ad Dalmatiū rediens, vnà cum Concordio filio, sacra baptismatis vnda ablutus est. Cœpit ab eo die Valentinus, Rauennæ Christum profiteri, multisque ad veram eius religionem adductis, tandèm pariter cum filio Concordio, & Nouali, Agricolaque socijs ob Christum (vti memorauimus) necatus est.

16. Decemb. | Dalmatij vitā quære suprà quinta Decēbris | S. Valētinus cū filio, credit in Christum, & baptizatur. | Cum socijs præmemoratis occiditur.

VITA BREVIS S. GATIANI PRIMI EPISCOPI TVRONENSIS, PER SANCTVM GREGORIVM *æquè Episcopum Turonensem conscripta. Habetur cap. 30. decimi libri historiarum Gallicarum.*



DE Episcopis Turonicis, licèt in superioribus libris quædam scripsisse visus sum, tamen propter ordinationem eorum, & supputationem, quo tempore primùm prædicator ad Turonicam accessit vrbem reciproca repleuit. Primus Gatianus Episcopus anno Imperij Decij primo, à Romanæ Sedis Papa transmissus est: in qua vrbe multitudo paganorum idololatrijs dedita commorabatur: de quibus nonnullos prædicatione sua conuerti fecit ad Dominum. Sed interdùm occulebat se, ob impugnationem potentum, eò quòd sępiùs eum iniurijs & contumelijs cùm reperirent, affecissent: ac per crypta & latibula, cum paucis Christianis, vt diximus, per eundem conuersis, mysterium solennitatis diei Dominicæ clanculò celebrabat.

18. Decemb. | S. Gatianus ad Christū multos paganos conuertit.

Erat autem valdè religiosus, & timens Deum, vt nisi fuisset talis, non vtiquè domos,

mos, parentes, & patriam ob Dominici amoris diligentiam reliquisset. In hac vrbe, sub tali conditione, plures, vt ferūt, annos commoratus, obijt in pace: & sepultus est in ipsius cœmeterio, quod erat Christianorum, & cessauit Episcopatus triginta septem annis.

Felix obitus eius.

S. Littorius ei succedit.

Secundus, anno Imperij Constantis primo, Littorius ordinatur Episcopus. Fuit autem ex ciuibus Turonicis, & his valdè religiosis. Hic ædificauit ecclesiā primam intra vrbem Turonicam, cùm iam multi Christiani essent. Primaque ab eo ex domo cuiusdam senatoris basilica facta est. Huius tempore, sanctus Martinus in Gallijs prædicare exorsus est. Sedit autem annis trigintatribus & obijt in pace, sepultusque est in suprascripta basilica, quæ hodiè quoquè eius nomine vocitatur. Tertius, sanctus Martinus anno nono Valentis, Episcopus fuit. Hic transtulit corpus beati Gatiani: sepeliuitque ipsum iuxta sepulcrum sancti Littorij in illa nominis sui præfata basilica.

S. Martinus Gatiani ossa sepelit iuxta S. Littorium.

DE S. NEMESIO, cuius festum in 19. diem Decembris incidit: ac de Ammone, Zenone & socijs, in 20. diem, Quære suprà in historia martyrum Alexandrinorum, 8. Decembris.

DE B. PHILOGONIO, QVI EX PATRONO CAVSARVM, EPISCOPVS FACTVS EST, D. IOHANnis *Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi Concio, quinque diebus ante natalem Domini ad populum habita. Nos eam in capita distinximus.*

10. Decēb. Cap. 1.



EGO quidem & hodiè destinâram, aduersùs hæreticos luctaturus, vestes exuère, quodque restabat debiti, vobis persoluere: Verùm B. Philogonij dies, cuius hodiè memoriam celebramus, ad ipsius benefactorum enarrationem linguam nostram euocauit. Et omninò parēdum est. Etenim si qui patri matríve maledicit, morte moritur: profectò clarum est, eum, qui benedixerit illis, vitæ præmia recepturum: & si ijs, qui iuxta naturam parentes sunt, tantam debemus præstare beneuolentiam, multo magis id præstandum ijs, qui iuxta spiritum sunt parentes: potissimùm verò, quum iam vita defunctos nostra laudatio nihilo reddat illos gloriosiores: nos verò cōgregatos, tum qui loquimur, tū qui audimus, reddat meliores. Nam ille quidē sublectus in cęlum, haudquaquàm egere potest humanis laudibus, ad feliciorem magisque duraturam quietem profectus. Cæterùm nos, qui hactenùs hîc versamur, multaque opùs habemus exhortatione, illius egemus encomijs, quô videlicet ad eius imitationem excitemur. Quapropter sapiens quidam hortatur, dicens: Memoria iusti cum laudibus. Non perindè quòd laudantur, qui decesserūt, sed quòd ij potiùs, qui res istas egregias laudibus vehunt.

Exod. 21. Leuit. 20.

Tā spiritualibus quàm corporalib⁹ parentibus præstanda beneuolentia.

Prou. 10.

Cap. 2.

Quoniam igitur hac ex re tanta nobis vtilitas proficiscitur, obtemperemus, neque recusemus. Nam & ipsum tempus huic narrationi congruit. Siquidem hodiè beatus ille ad tranquillam, omnisque turbationis expertem vitam translatus est: eoque nauigiū appulit, vbi deincèps non poterit metuere naufragium, nec vllam animi deiectionem aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestia animi, quum Paulus hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens, dicat: Semper gaudete, sine intermissione orate? Quòd si hîc, vbi morbi, vbi insectationes, vbi prǣmaturæ mortes, vbi calumniæ, vbi inuidiæ, vbi desperationes, vbi iræ, vbi cupiditates, vbi innumerabiles insidiæ, vbi quotidianæ solicitudines, vbi perpetua sibique cohærentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores adferentia, Paulus dixit fieri posse, vt semper gaudeamus, si quis paululùm ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque suam rectè moderetur composueritque: multo magis postquàm hinc demigrauerimus, facilè compotes erimus eius boni, quum hæc omnia sublata fuerint, aduersa valetudo, morbi, peccādi materia: vbi non est meum ac tuum, frigidum illud verbū, & quicquid est malorum, in vi-

1. Thess. 5.

Vt possit q̄s semper gaudere.

Meū & tuū, causa malorum omniū

In vitam nostram inuehens, innumeraque gignens bella. Quamobrèm maximoperè gratulor huius sancti felicitati, quòd quanquàm translatus est, atque hanc, quæ apud nos est, ciuitatem reliquit, tamen in alteram transijt ciuitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia, ad illam peruénit, quæ est primogenitorum descriptorum in cælis, ac relictis hisce festis, transijt ad celebritatem angelorum. Etenim quòd & supernè sit ciuitas, Ecclesia ac celebritas, audi Paulum dicentem: Accessistis ad ciuitatem Dei viuentis, ad Hierosolymam cælestem, & ad Ecclesiam descriptorum in cælis, & ad innumerabilem Angelorum frequētiam. Non solùm autem ob multitudinem virtutum cælestium, verumetiam ob abundantiam bonorum, ac iuge gaudium & lætitiam, panegyrim, hoc est, totius multitudinis cœtum, apellat totam illam vitam. Nec enim alia res facere solet panegyrim, quàm mercium venalium copia, quum triticum, hordeum, & omnijugæ frugum species, ouium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur, alijs quidem vendētibus, alijs verò commercantibus. Hebr.12.

Sed quid, inquis, harum rerum est in cęlis? Horum quidem nihil, sed sunt his multo magis præclara. Non enim illic sunt triticum, hordeum, ac frugum variæ species: sed illic vbiquè fructus spiritûs, gaudium, beneuolētia, bonitas, pax, ac mansuetudo summa exuberat copia. Non ouium greges, non boum armenta: sed spiritus iustorum perfectorum, animarum virtutes, vitæque recta facta per omnes cælos videre licet. Non vestes aut amictus, sed coronas quouis auro preciosiores, tum brabia, certaminum præmia, aliaque innumera bona reposita ijs, qui rectè fecerint: adhæc ibì est multitudo congregatorum, longè tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex viris vrbanis indigenisque, sed hîc sunt Angelorum infinita millia, illic sodalia prophetarum, alibì martyrum chori, Apostolorum ordines, cunei iustorum, omniumque qui fortiter rem gesserunt, varij cœtus. Profectò miranda panegyris est. Iamque id sanè maius est omnibus, quòd in media frequentia versatur horum omnium Rex. Etenim vbì dixisset, Ad innumerabilium Angelorum frequentiam, subiecit: Et ad iudicem vniuersorū Deum. Quis vnquàm vidit in panegyrim prodeuntē Regem? Hîc quidem nemo vidit, illic autem, qui adsunt, perpetuò vident, quatenùs illū videre licet, non solum præsentem, verumetiam suæ gloriæ splendore condecorantem vniuersum cœtum. Et nostræ quidem celebritates sub meridiem plerunquè soluuntur: illæ verò non itèm. Neque enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum expectat: sed stat perpetuò, illiusque bona finem non habent: nec senescere, nec marcescere possunt, sed sunt tum senij, tum mortis expertia. Nullus illic tumultus, quemadmodùm hîc: nulla turbatio, sed ingens omnium cum ordine decenti cōpositio, haud secùs atquè in cithara quapiam, modulatissimū concentum & quauis musica suauiorem reddentium vtriusque creaturæ Domino, dum anima illic velut in sacris adytis, diuinisque mysterijs, diuinorum arcanorum celebrationem peragit. Ad hanc beatam requiem transijt beatus Philogonius. Cap.3. Præmia reposita in cęlis ijs, qui rectè fecerint. Hebr.12.

Quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est vlla. Sed agè dic mihi, num idcircò silebimus? Et cuius rei gratia conuenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atquì ob hocipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudū illius pars, quòd factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quòd horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus pręstamus, sed suum imitabitur Dominum: Siquidem & ille viduæ duos tantùm obolos deijcienti in gazophylacium, non tantùm duorum obolorum mercedem reddidit. Quur ità tandèm? Quoniam non perpendebat pecuniæ modum, sed animi diuitias. Nam si pecuniæ modum expendas, magna paupertas est: sin voluntatem explices, ineffabilē videbis excelsi animi mercedem. Proindè quanuìs nostræ facultates exiguæ sint, minimique precij, attamen quæ possumus, offerimus. Ea licèt non respondeant magnitudini meritorum animæ præclari iustique Philogonij, tamen hocipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumētum, quòd nec pusilla repellat, sed idem faciat, quod solent diuites. Siquidem illi quum acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerātes eos, qui quod poterāt obtulerint: Itidèm & hic, quum acceperit à nobis laudem verbis peractam, qua nequaquàm eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper vti possimus. Cap.4. Luc 21. Merces ineffabilis pauperi viduæ reddi. Vide quid sancti præstent nobis.

Cap.5. Vndè igitur laudationem illius auspicabimur? An à magistratu, quem spiritûs illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquàm possunt Christianorum demonstrare virtutes: quin potiùs frequenter habent accusationem malitiæ. Quam ob causam? Quoniam & solicitudines amicorum, & circuncursationes, & adulationes, aliaque permulta his fœdiora, tales magistratus solent conciliare. Cæterùm vbi Deus suo suffragio designârit aliquem, illaque manus sanctũ contigerit caput, incorrupum suffragium, alienum ab omni suspicione iudicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter eius, qui delegit, authoritatem. Porrò quòd elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est: quippè quem ex medio abreptum foro, ad thronum hunc euexerit: adeò castam & insignem priùs egit vitam, quum vxorem haberet ac filiam, & in forensibus negocijs versaretur, adeò solem ipsum splendore vicit, vt protinùs ab illo gesto, hoc magistratu dignus videretur, & à tribunali ad tribunal euectus sit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur aduersùs homines, qui struebant insidias, * ijs qui afficiebantur iniuria, superiores reddens ijs, qui iniuriam inferebant. Hîc autem adest hominibus, patrocinans aduersùs dæmones inuadentes.

S. Philogonius cũ vxore & filia iustissimè vixit.

* eos, legendũ videtur.

Cap.6. Quantum autem sit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magistratu dignum iudicârit, audi. Christus excitatus à morte, quid dicit Petro? Postquàm enim illum interrogâsset, Petre, amas me? Isque respondisset: Tu Domine scis, quòd amo te: Non dixit Christus, Abijce pecunias, ieiunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dæmones abige: nihil vel horum, vel aliorum miraculorum rectéque factorum in medium adduxit: sed omnibus illis prætermissis, dicit illi: Si diligis me, pasce oues meas. Hoc autẽ dicebat, non solùm vt nobis certissimè declararet, quantoperè ipsum diligeret Petrus: verumetiam vt palàm faceret, quantam haberet beneuolẽtiam erga suas oues, exemplum proposuit Petri erga ipsum amoris, tantùm non dicens: Qui diligit oues meas, me diligit. Vide igitur, quàm multa propter hunc gregem passus sit Christus. Homo factus est, serui formam assumpsit, consputus est, alapis cæsus est, postremò ne mortem quidem recusauit, & quidem ignominiosissimam. Quin & ipsum sanguinem suum effudit. Itaque si quis voluerit illi cõmendatus esse, curam habeat ouium illius, publicam quærat vtilitatem, fratrum suorũ saluti prospiciat. Nullum enim officiũ hoc Deo charius est. Et ob id alicubi dicit: Simon Simon, expetiuit te satanas, vt cribraret te tanquàm triticum: sed ego rogaui pro te, nè deficiat fides tua. Quod igitur huius solicitudinis curæque præmium mihi rependis? Sed quam tãdèm poscit repensationem? Eandem curam, quam nobis impẽdit, reposcit. Nam & tu, inquit, aliquandò conuersus, confirma fratres tuos. Sic & Paulus ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quomodò ille factus est Christi imitator? Omnibus per omnia placens, non quærens suam ipsius vtilitatem, sed multorum, vt salui fierent. Rursùs alio loco dicit: Etenim Christus non sibijpsi placuit, sed multis. Neque prorsùs alia res est, quæ perindè declaret doceatque, quis sit fidelis & amans Christi, quàm si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat solicitudinem. Hæc omnes audiant & monachi, qui montium occupârunt cacumina, quiq; modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, quò pro viribus Ecclesiarum præfectos adiuuent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate: scientes, quòd nî modis omnibus opitulentur ijs, qui tot periculis obijciuntur per gratiam Dei, totque negociorum curas sustinent, quibuscunq; possunt rationibus auxilientur, quanquàm procùl habitantes, & victûs sors ipsis perisset, & tota in scopulum impegisset sapiẽtia. Verùm hoc esse maximum amicitiæ erga Christum argumentum, declaratur & hinc.

Ioan.21.

Christi charitas erga homines.

Luc.22.

Ibidem.

1.Cor.4. & 11.

Rom.15.

Monachi quib* rebus iuuare debeant Episcopos.

Cap.7. Videamus autem, quomodò munus hoc Episcopi administrârit. Quin potiùs non est opùs hîc pluribus verbis aut voce nostra, quum vester fauor vestrumque studium hoc vltrò declaret. Quemadmodùm enim aliquis ingressus vineam, vitesque contemplatus, pampinis comantes, fructu grauidas, macerijs ac septis vndiquè munitas, haudquaquàm desiderat orationẽ cuiusquam, qui demonstret vinitoris industriam, & agricolæ virtutem: Itidèm & hîc, si quis ingressus conspiciat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nil opùs habuerit, vt ex cuiusquam oratione discat, qualis sit vester præpositus. Sicut & Paulus scribit alicubi: Epistola mea vos estis, quæ inscripta est, & legitur. Fluuius arguit, qualis sit fons: & fructus indicat, qualis sit radix. Dicendum igitur erat & tempus & initium, quandò vineã hanc suscepit. Neque enim hoc minimum habebit momenti ad absoluẽdam encomij partem, sed omninò satis

2.Cor.3.

fuerit

fuerit ad declarandam hominis virtutem. Res tum erat multæ difficultatis, quum nupèr esset sedata persequutio, manentibus etiamnùm grauissimæ tempestatis illius reliquijs, quumque negocia plurimam desiderarent correctionem. His insupèr illud adiungendum erat, quòd, quemadmodùm dicebam, hæreticorum factio sub illo nata, negocium exhibuit, illius sapientia cuncta prospiciente. S. Philogonius quo tempore fuerit factus Episcopus.

Verùm ad aliam necessariam materiam nobis festinat oratio, eoque communi patri, beatique Philogonij sectatori hæc dicenda relinquentes, vt qui meliùs nobis teneat, quicquid est antiquitatum, ad aliam concionandi rationē transeamus. Appetit enim festum omnium festorum maximè venerandum, adorandumque: quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquàm aberret. Quod autem hoc est? Christi iuxta carnem natiuitas. Ab hoc enim illustratio Dei, festum videlicet Epiphaniorum, ac sacrum Pascha, Assensio & Pentecoste, originem ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundùm carnem natus esset Christus, nequaquàm baptizatus esset. nam id festū Theophaniorum. Nequaquàm fuisset crucifixus. nam hoc festum Paschæ. Nequaquàm misisset spiritum sanctum, quod est festum Pentecostes. Itaque ab hoc ceu fonte quopiam, hi diuersi amnes orti, nata sunt nobis hæc festa. Verùm non ob hoc tantùm par est hunc diem cæteris anteponi, sed etiā ob id, quòd id, quod in hoc natum est, cęteris omnibus est venerabilius. Nam quòd Christus homo factus mortuus est, quum nullum omninò peccatum perpetrâsset, quid huic ampliùs poterat adiungi miraculo? Sed mortale corpus assumpsit. Erat quidem & hoc admirandum. Cęterùm quòd Deus quum esset, voluërit homo fieri, tātumque sese demittere sustinuerit, quantùm ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maximè reuerendum, stuporisque plenum. Quod quidem & Paulus admirans dicebat, sine controuersia magnum pietatis mysterium. Quod magnum? Deus declaratus in carne. Ac rursùm alibi: Non enim Angelos appræhendit Deus: semen Abrahæ appræhendit. Vndè debuit per omnia fratribus assimilari. Propter hoc potissimùm amplector diligoque diem hunc, & amorem eius in medium propono, vt vos huius amatorij pharmaci participes reddam. Eoque rogo vos omnes obsecroque, vt summo studio summaque cum alacritate velitis adesse: sed priùs suam quisque domum repurget, vt videamus Dominum nostrum in cunis iacentem, ac fascijs inuolutum, horrendum ac stupendum spectaculum. Cap.8. Festū natiuitatis Christi celeberrimum &c. 1.Tim.3. Hebr.2.

Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si, quum ipse nostra causa descēderit è cælis, nos ad illum vel ex ædibus ire grauemur? quum alienigenæ barbarique ex Perside accurrant, vt illum videant in præsepi iacentem, tu verò ne breue quidem spatium emetiri sustines, vt hoc felici spectaculo perfruaris? Nam si cum fide accesserimus, proculdubiò videbimus illum in præsepi iacentem. Siquidē hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hîc ponitur corpus Dominicum: non quidem fascijs inuolutum, sicutì tunc, sed vndiquaquè spiritū sancto conuestitum. Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac Magi quidem nihil aliud, quàm adorârunt: tibi verò, si cum pura accesseris cōscientia, permittemus vt sumas, & sumpto, domum abeas. Accede igitur tu quoquè munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multo religiosiora. Obtulerunt illi aurum, offer tu temperantiam ac virtutem. Obtulerunt illi thus, offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia. Obtulerunt illi myrrham, offer tu modestiam, & cor submissum cum eleemosyna. Quòd si hisce cum muneribus accesseris, multa cum fidutia particeps eris huius sacræ mensæ. Nam hæc ideò nunc loquor, quòd sciam certò futurum, quòd in illa die complures accedant, irruantque ad victimam hanc spiritualem. Id igitur nè faciamus ad detrimentum & condemnationem animæ nostræ, sed ad salutem: iam nunc obtestor obsecroque, vt omnibus modis repurgatis animis vestris, ità demùm adeatis mysteria. Cap.9. Matt.2. Corpus Dominicum in altari ponitur. Quæ munera Christo offerre debeamus.

Neque mihi quisquam dixerit, Vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circunfero grauissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus: si sobrius fueris, si attentus, si vigilaueris, multitudinem peccatorum reddes contractiorem. Nec illud perpende, quòd breue tempus est: sed illud cōsidera, quòd benignus est Dominus. Quandoquidem & Niniuitæ tridui spatio tantam iram Dei à se depulerunt, nec obstitit illis temporis angustia: sed animi promptitudo, amplectēs Domini benignitatē, totum peragere valuit. Et meretrix illa breui temporis momento, quum ad Christum accessisset, omnia probra diluit. Quin & calumniantibus Iudæis, quòd illam admisisset, tantamque præbuisset fidutiam, Christus illis quidem silentium im- Cap.10. Ionæ 3. Luc.7. Nunquàm sera est, vera de pecca-

tis cōmissis pœnitētia. posuit: hanc verò malis omnibus liberatam, comprobatoq; illius studio, itá domum remisit. Quid itá tandèm? Quoniam feruenti animo, & flagranti corde, ardentique accessit fide, sanctosque illos ac sacros attigit pedes, solutis capillis, fontibus lachrymarum ex oculis emissis, vnguento profuso. Etenim per quę deceperat homines, per eadem parauit remedia pœnitentiæ: per quæ auocârat oculos intemperantium, per hæc emisit lachrymas: per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes absterfit Iesu. Vnguento multos inescârat: per hoc pedes illius lauit. Proindè & tu quibus rebus prouocâsti Deum, per has rursùm facito propitium; Prouocâsti illum pecuniarum rapina? per easdem illum reconcilia: quumq; & rapta restitueris illis, quos iniuria affeceras, & alia insupèr addideris, dicito iuxta Zacchæū: Reddo, si quid rapui, quadruplum. Prouocâsti linguæ maledicentia, multis contumelia affectis? vicißìm lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens iniuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus annis've, sed solo animi proposito vnico die perficiuntur. Discede à malo, virtutem amplectere, desiste à prauitate. Pollicetor te posthàc ista non commissurum, & istud sufficiet ad excusationem.

Vide, vt sit agenda pœnitentia.

Luc. 19.

Cap. 11. Ego testificor ac fideiubeo fore, vt si nostrûm quisque, qui peccatis obnoxij sumus, recedens à pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo, se posteà nunquàm ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad satisfactionē vlteriorem. Benignus enim est, & quemadmodùm parturiens cupit eniti fœtum, itá & ille cupit effundere suam misericordiam. Sed obstant peccata nostra. Diruamus igitur maceriem, atq; ex hoc iam tempore festum auspicemur, hosce dies quinque negocijs omnibus valere iussis. Valeat forum, valeat curia, facessant mundanæ curæ cum pactis & contractibus: animam meam seruare cupio. Quid lucrifecerit homo, si totum mundum lucrifaciens, animæ suæ iacturam faciat? Egressi sunt à Perside Magi: egredere tu è temporarijs negocijs, ad Iesum proficiscere: non est longum interuallum, si velimus. Non enim necesse est traijcere mare, neque montium superare cacumina: sed domì sedens si pietatem exhibeas, multamq; cordis compunctionem, potes illum videre, potes totam diruere maceriem, totum submouere obstaculum, abbreuiare viæ longitudinem. Deus enim, inquit, appropinquans ego sum, & non Deus procùl. Et Dominus propè est omnibus inuocantibus ipsum in veritate.

Hæc sanè accipienda sunt. Nam paulò antè dicit esse satisfaciendū ꝓ peccatis: hoc est enim dignos pœnitētiæ fructus facere, vt sancti patres docēt.

Matt. 16.

Iere. 23.
Psal. 144.

Cap. 12. Nunc autem multi Christianorum in tantam vecordiam, tantumque venêre contemptum, vt, cùm innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant: sed in diebus festis negligenter ac temerè ad mensam hanc accedāt, haud intelligentes, quòd communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque à peccatis repurgata. Quemadmodùm enim, qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere: sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semèl in anno accedere, liberat nos à peccatis, si indignè accesserimus: quin hocipsum potiùs auget damnationem, quòd, cùm semèl tantùm accedamus, ne tum quidē purè accedimus. Quapropter adhortor vos omnes, nè negligenter, velutì festo die cogente, ad diuina mysteria accedatis: sed si quandò parabitis huius sacræ hostiæ fieri participes, multis antè diebus repurgetis vosipsos per pœnitētiam, precationem & eleemosynam. Deniquè per hoc, vt vacetis spiritualibus, nec denuò conuertamini canis in morem ad proprium vomitum.

Ad sacram synaxim nō est indignè accedendū.

Cap. 13. An non enim absurdum, tantam habere curam rerum corporalium, vt appetente festo, multis antè diebus vestem è scrinijs depromptam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior splēdidiorque paretur, deniquè variam vndiquaquè rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, nitidumque reddas: animæ verò neglectę, sordentis, squallidæ, fame contabescentis nullū habere respectum, quum sola maneat impura: ac corpus quidem nitidum huc adducere, animam verò nudam incultamque? Atquì corpus quidem videt conseruus, neque quicquam est detrimenti, quomodocunquè fuerit habitum: illam autem videt Dominus, qui grauissimè punit negligentiam. An nescitis quòd hæc mensa plena est igni spirituali? Et quemadmodùm fontes aquæ vim exundant: itá hæc flammam quandam habet arcanam. Nè igitur accesseris stipulam adferens, non ligna, non fœnum, nè augeas incendium, exuratque animam ad communionem accedentem: sed accede ferens lapides preciosos, aurum, argentum, quò puriorem reddas materiam, multoque cum

Ad sacram communionem vt accedendum.

1. Cor. 3.

lucro

lucro discedas. Si quid mali est, abigas ab animo. Habet quis inimicum, grauiter læsus, soluat simultatem, coërceat animum exardescentem, intumescentemque, nè quis sit tumultus aut perturbatio. Regem enim excepturus es per communionem: quum autem Rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentium, profundam cogitationum quietem. Sed atrociter læsus es, nec potes iram remittere. Quid igitur? An igitur teipsum magis etiam & grauiùs lædes? Neque enim tantis malis te afficiet inimicus, quæcunque fecerit, quibus teipsum afficis, si non illi reconcilieris, sed Dei leges conculcâris. Ille te contumelia affecit: dic mihi, num tu ideò Deum afficies contumelia? Etenim non recipere in gratiam eum, qui molestiam attulit, non tam est illum vlcisci, quàm Deum afficere contumelia, legis huius authorem, præcipientis vt inimicis reconciliemur, priusquàm accedamus ad altare. Proindè nè respicias ad cõseruum, neque ad magnitudinem iniuriarum, quas intulit ille: sed ad Deum, illiusque timore in animum demisso, illud expende, quòd quo maiorem vim admóueris animo tuo, post innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo, qui molestiam intulit, tanto maius præmium feres à Deo, qui hæc præcepit. Et quemadmodùm hîc Deum excipis multo cum honore, sic & ipse te illic multa cum gloria excipiet, reddetque tibi millecuplam istius obedientię mercedem: quam nobis omnibus assequi contingat, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen. Matt. 5.

PASSIONEM SS. Eugenij & Macarij, quorum festiuitas in vigesimũ diem huius mensis incidit, quærat Lector in Vita S. Artemij 20. Octobris, Tomo 5.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM SANCTI ET GLORIOSI APOSTOLI THOMAE,

Authore Simeone Metaphraste. Habetur 6. Tomo Aloysij.

Nos capita margini apposuimus.



LIM quidem in terra versantes Apostoli, & terram, quæ est sub cælo, obeuntes, ijs, qui impietati inseruiêrunt, prædicârunt libertatem, miraculis ad salutem ab errore abstrahentes, & fidei malagmate medicantes animas, quæ laborabant infidelitate. Postquàm autem migrârunt ad Dominum, pijs reliquerunt corpora, pignora salutis, vt quod cùm aderant faciebant, hoc etiam postquàm migrâssent, efficerent, cælestis illius publicæ celebritatis imagines, eorum memoriæ festa nobis largiẽtes: vt tanquàm cum præsentibus & disserentibus rursùs versantes, percipiamus gratiam Apostolicam. Vndè etiam nunc clarissimus Apostolorum Thomas, per eius memoriam nobiscum rursùm versatur: Thomas, qui est fidei nostræ pater ex incredulitate, & index perfectus veritatis: qui incredulitatis occasionem amputauit incredulis, & fidem Apostolorum per incredulitatem effecit firmiorem. Decemb. 21. Cap. 1. Sanctorum corpora, pignora salutis. Ioan. 20.

Quandò enim vnigenitus Dei filius, qui est in sinu patris, non ferens videre suum figmentum in peccati seruitutem redactum, suis hac in re inflexus visceribus, visus est sicut nos, si peccatum dempseris, tunc hic quoquè magnus Apostolus, post aliorum discipulorum electionem, qui Iesum sunt secuti, iussus est sequi Dominum. Nam cùm in Iudæa à matre esset in lucem editus, habens parentes, qui vitam tenuiter agebant, ab eis alebatur & educabatur, & ad vitam formabatur similem, veluti à quodam optimo pædagogo, paupertate eruditus, & ad Domini suscipiendũ pręceptum aptus redditus. Libros itaque legens Mosaicos, (ij enim diligenter proponebantur filijs Iudæorum) componebat quidem suos mores ad honestatem: doctrina autem formabatur ad res diuiniores, & à puerilibus procùl remotus ludibrijs, instituebatur & crescebat, donèc perueniss et ad perfectam mensuram ætatis Christi. Viuens enim, sicut priùs diximus, in vita paupere, & artem exercẽs piscatoriam, in vtroque potens est cognitus: ex vno quidem formatus ad tenuitatem, quæ sunt superuacanea, minimè admittentem, & doctus esse contentum solis necessarijs: ab altero autem institutus ad patientiam in laboribus, & ad hoc, vt rebus molestis & asperis sua sponte priùs exerceretur. Cap. 2. S. Thomas in Iudæa natus. Fuit piscator.

Cap. 3. Sequitur Christum. Protinùs itaque nulla dilatione vsus est nec cunctatione, nec tardauit ad vocationem: sed adeò celeriter fuit mutatus,& vinctus voce vocantis, vt dicto citiùs ostenderet obedientiam. Atque sic quidem fit Verbo familiaris, & refertur in numerum reliquorum, qui vocati fuerant: fitque discipulus animi studio promptissimus, minister fidelissimus, Apostolusque & œconomus probatissimus Apostolatûs gentium, qui fuit ei creditus. Statim autem & ad Apostolatum fuit corroboratus,& diuina impletus virtute, & miraculorum diues operatione, statuit cum Verbo versari perpetuò. Cum quo quidem degens toto tempore, quo vitam egit in carne, multas quidem cum eo subijt afflictiones, multas autem persecutiones & migrationes. Et aliquandò quidem cùm ipse à Iudæis expelleretur, simul quoquè cum eo expellebatur: & cùm lapidibus appeteretur, ipse quoquè simul appetebatur: aliquandò autem cùm ipsum vellent in suam redigere potestatem, & morte afficere, paratus erat alacriter cum ipso morte affici, desiderio plenam illam vocem emittens ad Dominum: Ioan. 11. Ibidem. Eamus, & moriamur cum ipso. Quandò enim amicum Lazarum à mortuis suscitaturus pergebat Saluator, quandò per absentiam concessit morti superare naturam, quandò voluit ostēdere sepulcrum somni locum, quandò vinctum mortuum voluit efficere ad vocationem viuis celeriorem, tunc accedentes discipuli metum prædicabant Iudæorum, lapides reuocabant in memoriam, dehortabantur nè accederet: Magister, dicentes, nunc quærebant Iudæi te occidere, & rursùs vadis illuc? Cùm autem illi non possent persuadere, (Non enim oportebat infantiam, quæ tunc erat, discipulorum, morti opem ferre aduersùs Lazarum, neque impedimentum liberationis ex sepulcris, illorum cerni timiditatem) metu & desiderio distractis eorum animis, conuertebantur ad animi ægritudinem. Sed Thomas promptè & alacriter soluens Apostolis molestiam: Eamus & nos, inquit, & moriamur cum ipso. Est enim quauis vita melior, quæ cum Domino accipitur, occisio. Atque hæc quidem sic se habebant: & Apostolorum animos detinebat admiratio, cogitantes condiscipuli audaciam ad mortem subeundam. (Ioan. 11. Eius audacia ad mortem cū Christo subeūdam.)

Cap. 4. Sed cùm Crux fixa fuisset,& mors esset suspensa,& infernus traheretur captiuus,& mutata esset lex sepulcri, & mors Christi effecta esset mors mortis, surgens Saluator post erecta apud inferos aduersùs mortem trophæa, appáret suis amicis lugētibus & flentibus, in hoc quoquè fidem faciens victoriæ: qui rerum rectè gestarū illos faciens spectatores, certè nec ipsum quidem permisit esse expertem primorū miraculorum. Ioan. 20. In quadam domuncula discipulos in arctum tunc metus cogebat Iudæorum: quo quidem in loco, periculum præuidentes, manebant. In medium ergò eorum latentium accedit Iesus, non vocē emittens antequàm adspiceretur, non pulsatione ostij Matt. 14. territis eorum animis: sed pedes, qui per mare sunt ingressi, ostijs quoquè non apertis intrârunt: (Negabat enim suas leges natura iussa à Domino) & qui omnia fecerat, in suum templum ingreditur clausis ostijs: & qui per lignum mortem contriuit, nunc vim affert ipsi ligni naturæ. Venit ergò Christus in medium eorum, miraculo ingressûs confirmans miraculū resurrectionis. Et sic quidē discipuli ipsis oculis eius, quem desiderabant, fructum percipientes, lætitia afficiebantur. Solus autem Thomas abfuit à spectaculo: qui diuino quodam, vt videtur, consilio non aderat, vt cùm miraculum magis examinâsset, esset præclarior præco resurrectionis. Sed Saluator quidem cùm sui spectaculo impertijsset Apostolos, recessit protinùs, perfectiorem contemplationis visionem Thomæ amico, vt videtur, reseruans. (Clausis ostijs intrat Christus ad discipulos.)

Cap. 5. Ioan. 20. Cùm autem reuersus esset Thomas, & venisset in mentem discipulis ei dicere, Vidimus dominū: ille propter id, quod audiebat, lętitia affectus, quod fieri desiderabat, hoc factum esse audiens, non credebat. Solent enim ingentis lætitiæ exuperationes, esse tardiores ad ea credenda, quæ dicuntur. Discipulis igitur: Nisi, inquit, videro in manibus eius fissuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manū meam in latus eius, non credam. Ad hęc fortè Apostoli: Quid sibi vult, ô Thoma, sermo incredulitatis? Si nō credit discipulus, quomodò crediderint Iudęi? Si Apostolus & amicus non admittit resurrectionem, quomodò eam admiserint ij, qui cruci affixerunt? Qui Thomæ non persuaserunt, quomodò reputabuntur digni, qui admittantur à gentibus? Non te pudore afficiunt, & ad fidem attrahūt, precedentium ingentes turbæ miraculorum? Leprosus mundatus: Paralyticus integris membrorum cōpagibus restitutus: Cęcus vidēdi facultati redditus: Manus morte affecta, quæ rursùs fuit ad vitam reuocata: Fluctus, per quos inceditur pedibus: & Lazarus (S. Thomę de resurrectiōe Christi dubitatio.)

sepul-

sepulcrū exuens, tanquàm vestem? Quomodò, cuius admiraris opera, eius suspectam habes resurrectionem? Non credat Caiphas: curiosè scrutetur Nicodemus: calumnietur Iudæus. Cur dubitat Thomas de resurrectione? Sed contrà discipulus videtur dicere iustiora: Cur mea dubitatio est à vobis reprehendenda, ô Apostoli? Ad Iudæos emittor præco resurrectionis: sicut vos, proficiscor Apostolus ad docendum gentes resurrectionem. Quomodò ergò, quibus non fui socius spectaculi, suscipiam æquè atquè ipsi legationem? Quomodò, quorum non habeo cognitionem, ea ego docebo alios? Quomodò lingua ea dicet confidenter, quorum testes non habet oculos? Verbis credam solis? Sed Iudæis ero in fide suspectus, meque facilitatis damnabunt & leuitatis. Gentiles quoquè verba non admittent: potiùs autem meum ridebunt testimonium, qui ex solo auditu prædico resurrectionem. Cur Christū rediuiuū videre voluerit.

Non multum intercessit temporis, & rursùs affuit Dominus, ingressûs miraculum nunc quoquè similiter ostendens: vt quæ alijs simul discipulis, ea soli quoquè Thomæ largiatur. Ostēdit ergò ei signa Crucis: ac vulneris, quod accepit in látere, ostendit signaculum. deindè, Quia vidisti me, inquit, credidisti. Beati qui non viderunt, & crediderunt: magnam nobis repositam ostendens beatitudinem, qui credidimus per sermonem discipulorum. Illud ergò diuinum & admirabile spectaculum cùm consecutus esset Thomas, fuit etiam causa Apostolis, vt illa discerent, quæ priùs non nouerant. Suum enim Deum & Dominum confessus est eum, quem adspexerat. Re vera enim Dei est pulchrum facinus resurrectionis. Cùm autem post hæc Christus à discipulis magna ex parte videri non posset, vt qui esset glorificatus incorruptione corporis, & non posset conspici mortalibus oculis, seipsum manifestum reddebat, quandò volebat, & quandò nouerat futurum vtile ijs, qui adspiciebant. Itaque cùm Domini eis deesset conspectus, curam gerebant veteris artis, in qua fuerant educati. Illa autem erat, scapham ascendere, & in profundum maris retia demittere. Quodam verò die, dum ipsi intenti erant piscationi, apparuit eis desideratus Iesus, stans in litore, & iubens ad dexteram partem nauis rete demittere. Capta est autem multitudo piscium innumerabilis: erat enim diuini iussûs operatio. Tunc simul cum ijs aderat etiam Thomas, & simul nauigabat, & simul operabatur, & diligenter curabat retia, & se paratissimum ostendebat ad obediendum. Experientia enim didicerat ijs credere, quæ Deus fuerit operatus: & ideò vnà nauigabat, & simul operabatur cum discipulis.

Cap. 6. Rursùs clausis ostijs, diuina virtute Christus intrat ad suos. Ioan. 21.

Cùm autem iam adesset tempus Assumptionis, quo cum eo, quod ex nobis assumpserat, oportebat Christum ascendere ad patrem, ipse educit mystas extra Bethaniam vsque ad Oliuetum: & illic de se disserens, & ex scripturis coniungens testimonia, cùm & coram eis comedisset, & confirmâsset se non esse spiritum, vt ipsi existimauerant, & deindè sublata manu eis immisisset benedictionem, ille quidem ascendit in cælos: ipsis autem cum magno gaudio fuit reditus in Hierusalem. Quidnì enim gauderet, & cum alijs lætaretur discipulis, sacrosanctus iste, & magnus Apostolus, videns verba deducta esse ad effectum, & susceptæ carnis verum esse mysterium, neque frustrà in eo versatam fuisse incredulitatem? Atque dies quidem ille à Domino præstitutus, iam finem accipiebat conuenienter ijs, quæ ille dixerat: & diuinus spiritus ad eos aduolans, tanquàm sonus quidam flatûs vehementis, statìm in linguas igneas diuidebatur. Qui cùm fuisset super vnumquenque, faciebat eos loqui linguis alienis, adeò vt, qui audiebant, afficerentur magna admiratione. Tunc ergò hic quoquè magnus Apostolus cùm sederet vnà cum reliquis discipulis, ipse quoquè in igneis linguis accepit gratiam: & cùm in suum habitaculum totum intromisisset spiritum, totus fuit illius instrumentum, valdè sapienter & opportunè pulsatum. Sic ergò Thomas ab alto confirmatus, fuit perpetuò accinctus, promptoque & alacri animo ad prædicationem, nihil timens eorum, quæ sunt terribilia, nec stupens aliquid eorum, quæ sunt clara & illustria.

Cap. 7. Luc. 24. Mar. vlt. Act. 2.

Cùm ergò res Apostolis se haberent ex animi sententia, oporteret autē Domini iussum finē accipere, qui quidem erat: Euntes in mundum, docete omnes gētes, alius quidē ex Apostolis aliam orbis terræ partem sortitus est, sicut eis, qui aduenerat, spiritus, fortē definiērat. Thomas igitur missus est in Indiam, quæ erat planè barbara, & in nefarijs versabatur actionibus. Ipsa autem sita est longissimè ab Aegypto: alluitur verò mari valdè nauigabili: & est quidem egena rerum necessariarum: abundat autem rebus preciosis, & ad luxum accommodatis. Eam habitat id genus, quod dictum est,

Cap. 8. Matth. 28. S. Thomas mittitur ad Indos.

est, quod est & frequentissimum, & deditum mercaturę, & magna ex parte nudum, & instàr ferarum, quæ degunt in montibus, vitam agens. Quam ob causam corporum superficiem radij solares inuadunt ardentiùs, valdeque incendunt, & denigrant, & efficiunt visu deformiores. Colebant autem isti simulacra facta ex omne genus materia: & quod in ea conferebatur studium, & cultura, longo tempore confirmata, inducebat consuetudinem, ratione quauis potentiorem. In hanc ergò regionem magnus ingrediens Apostolus, nullum præ se tulit fastum & arrogantiam: neque elatè aut gloriosè quippiam est locutus, neque aliud fecit superbè & insolenter ad ostentationem: sed ornatus Christi moderatione, & pro quouis alio ornamento & lorica, ea indutus, coma sordidus, vultu pallidus, totus aridus & exanguis, & planè succo carens, &, vt semèl dicam, non tam corpus, quàm umbram corporis circunferens, sordido & trito amictus pallio, moribus lenis, sermone vtilis, factis valdè admirabilis, humilioribus se accommodabat, spiritus altiorum deprimens.

Indorum simulacra.

Cap. 9. Qua prudētia vsus sit ad Indos conuertendos.

Cùm talibus moribus & vita præditus ad Indos venisset, visumque ei esset gentis ingredi interiora, postquàm vidit falsam dæmonum religionem eos compręhendisse, & imis eorum animis insedisse, non statìm processit ad eos refellendos, non induxit repræhensiones, non tanquàm medicamento vsus est austeritate: Sciebat enim, quòd quæ longa consuetudine in nostris confirmata sunt animis, non possunt facilè deleri, & persuasione magìs, quàm vi, mutantur. Propterea magìs vtitur mansuetudine, & bonis moribus, & blandis verbis, magnus & dignus, qui in honore haberetur, non ex fastu & tumore, & verbis magnificis, sed ex factis & signis eis apparēs, & insigni Christi, nempe humilitate, valdè ornatus: quo quidem eos magis capiebat, & attrahebat ad agnitionem, quòd esset operibus quidem admirabilis, spiritu autem mitis & moderatus. Itaq; moti admiratione Indi, rogare cœperunt quisnam esset, & cuiâs genere, & quænam esset eius religio, & quod studium. Ille autem (habebat enim in se Christum magistrum) leniter & modestè respondit, quòd esset genere quidem Iudæus, discipulus autem insignis illius Mosis: illius, inquam Mosis, qui cum Deo est collocutus: deindè etiam Christi filij Dei discipulus, qui venit ad mundi salutem, & quòd vitam æternam, & animarum salutem veniret annunciatum: quibus qui crediderint, erunt ineffabilium bonorum participes. Prætereà narrat Christi Dei Verbi demissionem: refertque miracula, quæ fecit, dum in terris in carne ageret: ipsamque passionem, quæ multis videtur probrosa: virtutem resurrectionis, & ad cælos ascensionem. Cuius discipulus inquit, ego & minister admirabilium, quæ ipse fecit, miraculorum, atque œconomiæ, qua fuit Deus & homo, creatus sum præco. Cuius annuncians in homines benignitatem, & immensam in ipsos misericordiam, ad vos vsque accessi. Cuius factus sum Mysta & Apostolus. Et cùm ipsis oculis facta sit mihi fides eorum, quæ dicuntur, non vi eos, qui renuunt: sed omni charitate amplector eos, qui persuadentur.

Christi insigne, humilitas.

Christum prędicat.

Cap. 10. Indi fidem Christi complectuntur. Mar. 16.

His, & pluribus alijs diuinitùs prolatis verbis, Indorum populus ad mysteriū introductus suis animis suscepit verbi semen. Deindè (vt dicam cum diuino Euāgelio) Domino adiuuante, & sermonē confirmante per signa consequentia paulatìm quidem abducti sunt ab idolorum libaminibus & abominationibus: ad veram autem fidem accesserunt: & sic Apostolicis transformati doctrinis, Christo familiares euaserunt per baptismum: adeò, vt etiam vsque ad ipsum Regē peruenerit prædicatio, etiamsi non penetrârit vsque ad profundum eius mentis. Itaque qui genere quidē ad Regem attinebāt, cùm se totos dedidissent sermonibus Apostoli, ab eo auelli non poterant: Rex autem ipse detentus à profunda caligine ignorantiæ, & à quibus miraculis oportebat ad lucem traduci, ab eis voluntaria cæcitate ad maiorem accensus insaniam, consultabat de morte Apostoli. Quamobrèm dicto citiùs in eum fert sententiam: & lanceis de medio tollitur magnus hic Apostolus, qui propter Christum mortem lubenter suscepit. Eum beatum quidem iudicauit chorus eorum, qui per ipsum crediderunt: beatum autem censuit quoquè chorus eorum, qui sunt in excelsis: plausitque iustorum multitudo cum Apostolis, videntes sacram illam & diuinam animam in cælos ascendentem, & stipatam Angelorum ordinibus.

S. Thomas lanceis confoditur.

Cap. 11.

Quid autem deincèps consequitur, & quid è superis prouidet & dispensat bonitas, homines attrahens ad pietatem? Sacrum quidem illud corpus fidelium manibus decenter compositum, sepelitur: Regis autem filius incidit in grauem morbum, & qui erat arte humana validior. Pater ergò (quidnì enim, si pater?) inflectitur à natura fletibusque

busque

busque & lachrymis irrigatur, lamentationibus laniatur. Sed nullam inueniens mali solutionem, miraculorum Apostoli recordatur: & quærebat paruam aliquam partem ex eius reliquijs ad medendum ei, qui laborabat. Postquàm autem resciuit non comparére corpus Apostolicum, saltem puluerem, quem illud tetigit, iussit afferre. Quod quidem cùm factum esset, pater, ægrotanti filio puluere imposito, sanum vidit eum, quem putabat moriturum, etiamsi ille modicam lucem agnitionis, quam acceperat, sua sponte repulerat, & verè erat mortuus, vt qui acerbam mortem suscepisset impietatis. Et hæc quidem quantùm licuit non aberrando à veritate, composita fuerunt, & conscripta, & Apostoli laudi sunt dedicata. Tantæ nobis lætitiæ causa est hodie Thomas. Per quem etiam Indorum barbaræ gentes didicerunt eam viam, quæ fert ad cælos: & quorum corpora erant Solis radijs denigrata, euaserunt candidis lætisque & alacribus animis, qui in intelligentiam cadit, Sole purè ac suauiter eis illucescente: Ad gloriam patris, & filij, & spiritûs sancti, vnius, & quæ diuidi non potest, diuinitatis: Quam decet gloria, honor & adoratio nunc, semper, & in secula seculorum, Amen. *Vide magnam vim pulueris, q tetigit corpus S. Thomæ.*

DE S. MEMMIO CHATALAVNENSI EPISCOPO, PER S. GREGORIVM TVRONENSEM IN *gloriam Confessorum, capitulo 66.*



HATALAVNENSIS verò vrbis proprius extat patronus Memmius antistes, qui cùm adhuc maneret in corpore mortali, mortuum dicitur suscitâsse. Ad cuius nunc sepulcrum sæpiùs confractas miserorum catenas atque compedes vidimus: sed & nos propriè virtutem eius experti sumus. Quodam enim tempore, dum in vrbe illa cõmoraremur, puer vnus ex nostris à febre corripitur, fatigatur vomitu, ac cibum potumque simul exhorret: nobis verò magna molestia generatur, quòd huius pueri infirmitas, itineri nostro moras innecteret. Nec mora, basilicam Sancti adeo, sepulcro prosternor, pro puero effusis lachrymis deprecor, vt qui laborantibus vinctis, disruptis cõpedibus respectu pietatis plerunque consolationem exhibuit, huic febricitanti medelæ refrigeria ministraret. Mirum dictu, in ipsa nocte à Sancti virtute visitatus infirmus: mane facto incolumis surrexit à lectulo. *21. Decẽbr. S. Mẽmius mortuum suscitat. S. Gregorius Turonẽsis à S. Memmio salutẽ ægro puero obtinet.*

DE SCIRIDONE, Cheremone & innumerabilibus socijs, quere suprà 8. Decembris in historia sanctorum martyrum Alexandrinorum, circa finem.

CARMEN *ALTHELMI EPISCOPI OCCIDENTALIVM SAXONVM, VT BEDA AIT, DE S. VICTORIA *virgine & martyre, itemque S. Anatolia, Lib. 2. De Virginitate.*

**Adelmi*



Empore quo Decius mundum ditione tenebat, *23. Decẽbr.*
Militibus Christi mortis discrimina condens:
Extitit in Roma binarum fortè sororum
Fama nitens, validis pulsans rumoribus aures.
Quas nullus poterat tormentis vincere tortor,
Quanlibèt insontes mulctaret cæde cruenta,
Vt vitæ auctorem superata mente negarent.
Altera de geminis felix Anatolia dicta: *S. Anatolia.*
Altera sed renuit verum Victoria nomen. *S. Victoria.*
Has igitur sponsi claris natalibus orti,
Ad prolem generis studuerunt iungere nuptis.
Sed mens virgineis ambarum torrida flammis
Stuppas luxuriæ combussit torre pudoris, *Respuunt nuptias.*
Spurcitias mundi contemnens corde caducas.
Spargebant gazam, simul & patrimonia dantes, *Sua omnia dant pauperibus.*
Aurea calcabant roseis crepundia gemmis,

Cunctaque pauperibus mox ornamenta misellis
Largitæ, sibi nil seruantes, æthera vincunt.
Nuncius è claro pennatus lapsus Olympo,
Flammeus adspectu, niueo splendore coruscus,
Sceptrum qui nitidum dextra gestabat in alma,
Ambas compellans tali cum voce puellas:
Angelus eis apparet.
Nunc procùl à vestro pallorem pellite vultu,
Pectore nec pauido quatiens timor ilia pulset:
Dum vobis thalamus paradisi sede locetur:
In quo perpetui nunquàm consortia sponsi
Deficient penitùs, sed gaudia longa manebunt:
Dum vos virginitas comes indefessa sequetur.
Ambæ seruabant castæ consortia vitæ,
Angelus vt dederat sanctis præcepta pudoris,
Vsque fugam vitæ mors marcida lmen habebat,
Latrans & populans vitali pectora flatu.
His igitur gestis stringuntur sæua procorum
Pectora, lethifero zeli maculata veneno,
Dum cernunt amplum sponsas expendere censum.
S. Victoriæ exilium.
Intereà Romam linquens Victoria virgo,
Exul in exilium Tribulanæ ducitur vrbis,
Quo draco funestus ructabat flamina ventris
Lympida, lethifero corrumpens aëra flatu
Intantùm, vt ciues, vasto crepitante tumultu,
Linquere iam vellent pollutam flatibus vrbem,
Exosi latebras, horrens quas belua tenebat.
His igitur miseris spondet Victoria virgo,
Credula si Domino pandant præcordia Christo,
Lurida pestifero linquentes idola cultu,
for.* dipsam,
Vt dicto citiùs truculentam flamine * Gypsam,
Quæ turmas vulgi mulctabat strage cruenta,
Pelleret è populo, dum vellent credere Christo.
S. Victoria draconem profligat.
Quod dum sponderent concordi voce cateruæ,
Squamigerum proturbauit mox virgo chelydrum,
Et procùl in vacuas iussit se ferre salebras.
Mox draco crudelis sermonum pondere pressus,
Obscurum liquit squamosa pelle tigillum.
Sic virgo felix, æthrali freta triumpho,
Ingentem explosit sancta virtute colubrum,
Vt nunquàm posthàc serpens irrumperet antrum:
Sed procùl abscedens, incultis exulet aruis.
for.* dipsam,
Iusserat vt * Gypsam verbo terrente migrare,
Ciuibus impendens expulso natrice palmam:
Tuńc petijt ciues felix vernacula Christi,
Quatenùs in Crypta sibi, natrix vndè nefandus
Aufugit, pariter dignentur condere cellam.
Mox veneranda Dei supplex vt virgo poposcit:
Hic videtur versus vnus deesse.
Insupèr & deciès senas iunxêre puellas,
60. Virginibus præest S. Victoria.
Quæ precibus crebris laudarent voce tonantem,
Odis Dauidicis modulantes carmina sancta.
Tunc procus Eugenius delubri flamine fretus,
Thurificent iussit, munusque litare Dianæ.
Alma sed imperium spreuit complere nefandum.
Gladio percutitur.
Idcircò gladium stricto mucrone vibrabat
Crudelis tortor, fundendo fluenta cruenta:
Virgineos artus roseo qui rore rigauit.
Vltio diuina in eius percussorē.
Mox interfector sensit discrimina palmæ:
Arida marcescens torpebat dextra lacerti.

Insupèr

Insupèr expertus calloso corpore lepram,
Vermibus atque scatens, efflauit flamen in auras.
Sic quoquè famosis felix Anatolia signis
Claruit, exilium sæui perpessa Tyranni. S. Anatoliæ exilium.
Consulis en sobolem, constrictam nexibus arctis,
Expertem sensûs, cum bruta mente vagando,
Hostibus explosis, reparauit pectus anhelum. Sanat dæmoniacum.
Qui rumor fusus, diuersis pestibus ægros,
Conduci fecit, stipantes agmine sanctam.
Illis optatam reddebat virgo salutem.
Nec non & Marsum, qui toruam carmine * Gypsam * dipsam
Efferet ardebat, sanctos vt belua lacertos
Dentibus horrendis & rictu rodat aperto:
Curauit subitò, disrumpens vincla chelydri,
Qui priùs in spira Marsum sinuârat inertem.
Idcircò cursìm pergebat credere Christo,
Agnoscens propriam tanta virtute salutem.
Insupèr & meritum cumulauit sanguinis ostro,
Quem subijt binis sertis mox candida virgo. Occiditur S. Anatolia.
Integritas nitidam, necnon & passio rubram,
Pingebant variam celsa virtute coronam.

EIVSDEM S. VICTORIÆ HISTORIA BREVIS EX MARTYROLOGIO ADONIS *Treuirensis Episcopi.*



ROMAE natalis sanctæ Victoriæ virginis & martyris, persecutione Decij Cæsaris. Hæc desponsata Eugenio, viro pagano, rogante Tito Aurelio, qui sponsam Anatoliam virginem habebat, ad suadendam eam, vt ei nuberet, perrexit: cui & dixit: Audi me, domina soror Anatolia: & ego Christiana sum, & nóui, quia Deus nuptias non condemnat. Prophetæ & patriarchæ cõiuges habuerunt, & posteritas eorum à Deo benedicta est. Nunc ergò audi me, & accipe virum, qui te non prodat, quòd sis Christiana: sed per maritalē copulam fiat, vt ipse Christianis consentiat. Hæc dicenti Victoriæ virgo Anatolia respondit: O Victoria, vince diabolum, & esto vera Victoria. Tunc quandò tota terra vacua erat, dixit Deus hominibus: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Nunc plena terra, postquàm filius Dei de cælo descendit, quotidiè clamat: Crescite in fide, multiplicamini in charitate, & replete cælos: quia appropinquauit regnum cælorum. 23. Decebr. Gen. 1. 8. & 9. Matth. 4.

Iterùm inter alia & post alia, sancta Anatolia intulit: Ego die, qua explicui precium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum iuuenem aureo diademate splendidum, in vestibus purpureis atque gemmatis: qui grata facie & læto vultu me inspiciens, ait: O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris. Hæc ego audiens, euigilaui, & cœpi flere: & proijciens me in pauimento, rogaui Dominum, vt is, qui mihi loquebatur, dulcissimos sermones iterùm prosequeretur. Sic mihi oranti & prostratę, idem qui antè loquebatur, talia mihi subsequitur: Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est preciosa. Virginitas thesaurus est regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu euigilans solicitè custodi, quantumque te plus habere cognoscis, instantiùs custodi, nè perdas. Visio S. Anatoliæ. Virginitatis encomium.

His & similibus verbis & factis incitata Victoria, omne preciū ornamentorum suorum & ipsa distraxit pauperibus. Sicque factum est, vt agentibus sponsis earum Aurelio & Eugenio, quià nubere illis virgines Christi noluerunt, à Decio Imperatore vrbe Roma pulsæ ad prædia sponsorum ducerentur. Vbì fame & inedia ità afflictæ sunt, vt vix ad vesperū modicus panis cibarius eis daretur: nulloq; pacto efficere sponsi potuerunt, vt vel ad nubendum, vel ad sacrificandum animi illarum inclinarentur. S. Victoria omnia sua dat pauperibus.

Beata igitur Victoria in virginitatis proposito inuincibiliter persistens, post multa facta miracula, inter quę plurimas virgines Domino aggregauerat, percussa est gladio in corde à carnifice Taliarcho, quem rogatu Eugenij sponsi sui Iulianus pontifex Capitolij & comes templorum, ad hoc opus direxerat. Passa est autem decimo Calendas Ianuarij. Corpus eius cum omni reuerentia curatum. Taliarchus verò percussor eius, leprosus factus, intra sex dies consumptus à vermibus, expirauit.

Cæditur gladio in pectore.

MARTYRIVM SANCTORVM DECEM MARTYRVM, QVI IN CRETA SVBIERE MARTYrium: *Authore Simeone Metaphraste. Habetur in Tomis Aloysij.*

Decẽbr. 23.



ALIVS quidem aliquid aliud persequatur oratione, illius quę vulgò iactatur, Cretę: alius quidem pulchritudinem, alius verò magnitudinem, & alius quidem mœnia & portus, alius autem aëris temperationem, & fructuum fertilitatem. Ego verò id, quod alia vincit omnia, & quã solam eius opifice dignam dixerim feracitatem, eam dicam ante alia. Quisnam est hic fructus, & quodnã est tantum insulæ ornamentum? Quid aliud, nisi diuinus chorus martyrum, & qui laudatur numerus, & quod omniũ quidem est spectaculorum iucundissimum, & acroamatum omnium vtilissimum? Decem, inquam, illi pro Christo martyrij coronis redimiti: qui ex ea quidẽ processerunt, fortissimè autem pro Christo subière martyrium. qui eam pro alimentis reuerà pulchrè sunt remunerati, cùm eam tanto honore affecerint, vt in ea per martyrium fuerint consummati. Quomodò verò, paucis iam dicet oratio.

Martyres, ornamentũ patriæ suæ.

Decius ille, qui magno fuit furore percitus, & ad puniendos Christianos omnium fuit violentissimus, is tunc sceptra tenens imperij Romanorũ, huius insulæ constituit Proconsulem virum quendam, qui eodẽ quoquè nomine appellabatur, nempe Decius, non minùs autem, quàm in nomine, conueniebat in moribus. Qui cùm fuisset in Creta, rem paruã existimauit, & quæ nullã haberet immanitatem & sæuitiam, omnes qui sunt in ea Christianos, postquàm subiecisset innumerabilibus generibus tormentorũ, deindè acerbè tollere de medio. Quærebantur ergò omnes, & inueniebantur: & compræhensi, ad ipsum ducebantur. Cum quibus hic quoq; sacer chorus, præstantissimorum virorum denarius, velutì ex optimis eximij selecti ciuitatibus: quorum alios quidem maxima omnium, quæ illic erant, præbuit ciuitas: alij autem orti erant ex alijs: cõmuniter verò simul omnes festinabãt ad vnam, quæ est in cęlis, ciuitatem.

Decem pręstantes viri compræhẽduntur.

Ij cùm tunc stetissent ante Proconsulem, quos non tunc quidem sermones liberè habuerunt? quibusnam autem factis non obscurârunt sermones? & quodnam quidem tormentorum iter non peruaserunt? quodnam autem supplicium non superârunt tolerantia, cæsi, torti, per terram tracti, lapidibus appetiti, irrisi, consputati, & omne genus ferentes subsannationis? Sed erant hæc quidem illis futurorum gymnasia, & velutì quædam præexercitationes. Postquàm autem oportebat eos magna currere Olympia, temporis, inquam, tormentorum: erat verò dies præstitutus decimo Calendas Ianuarias: & paratum quidem erat tribunal, & præsidebat Proconsul: ducebantur autem athletæ: pleni verò erant ambo, hi quidem animi alacritate, ille verò furore & insania. Et ille quidem erat propensus ad puniendum vsque ad mortem, hi verò parati erant sustinere vsque ad extremum spiritum. iracundo & cædem spirante vultu eos intuens, Quænam est, inquit, tanta amentia, quòd neque ratio, neque tempus vos id docuit, quod est futurum conducibile? Deindè perindè àc si sola, quam præ se ferebat, ira eos perterrefecisset, & iam eis, vt parérent, persuasisset, Sacrificate, inquit. Sin minùs, ego quidem nihil dicam ampliùs. Vos autem scietis paulopòst, quisnam sit Decius, cui vos non vultis nunc morem gerere.

Multis excruciantur modis.

Decij proconsulis ferocitas ad inferenda supplicia.

Ad hæc martyres, Nos quidẽ, ô Pręses, responderunt, & verbis & factis, & etiã tempore satis magnam dedimus experientiam, quòd neq; dijs sacrificabimus, neque ad hoc alicuius alterius cedemus sermonibus. Sed neque, interpellans dixit impius, vobis, ô impij, erunt curæ vlla tormenta? Nequaquàm, dixerunt sancti. propemodùm enim

enim hoc nomine tibi habemus gratias, quòd nobis dederis, vt his accipiamur epulis. Sed non sic, inquit Præses, erit deinceps. Sed scietis, quanta sit maximorū deorum potentia, quos vos tam impudenter maledictis insectamini, neque hos qui adsunt, reuerentes, qui simul sunt multi & sapientes: qui inter deos quidem primùm Iouem, deindè Iunonem, & Rheam, & reliquos colunt. Quæ enim primùm sustinuistis, erant veluti solùm vmbræ suppliciorum. Nunc autem tam multis supplicijs cruciabimini, vt non vestra audacia ab eis solùm comprimatur, sed alijs quoquè metum incutiat, qui æquè àc vos sunt inobedientes, si modò vlli sint eiusmodi. *Ecce mirabilem Sanctorum alacritatem ad ferēdas pœnas.*

Ad hæc rursùs viri fortissimi: De Ioue quidem, ô Præses, & illius matre Rhea nihil nobis dixeris. Neque enim apud eos, qui ignorant, verba facis. Scimus enim, vt qui à patribus nostris audiuerimus, genus eius & fortunam & mores. Sepulcrum autem, si vis, etiā præsentes indicabimus. Nam ipse quoquè in Creta ortus est. Fuit verò eorum, qui in ea habitabant, Tyrannus. Erat autem adeò intemperans & procliuis ad libidines, vt non solùm in fœminas, sed etiam insaniret in masculos: præstigijs verò vtebatur & malis artibus, se callidè mutans propter summam intemperantiam, & singulis horis se polluens nefarijs concubitibus. Quidam autem, qui eisdē laborabant vitijs, & imitati fuerant illius abominationem, (Quid est enim tam facile, quàm mali imitatio?) & eum Deum esse pronunciant, & ei templa excitant & sacrificant, vt quod eis placet, Deo quoquè videatur placere: & sic non solùm Deo non inuisum, sed etiam, proh dolor, diuinum existimetur, se libidinosè & intemperanter gerere. *Iouis libido immanis.*

Diuino hæc loquente choro, Proconsul quidē disrumpebatur, vt qui conuinceretur: multo autem magìs furebat etiā populus, & impetu ferebantur ad compræhendendos martyres: & eos manibus propemodùm discerpissent, nisi Decius & voce & manu eos cohibuisset. & cùm iussisset eos quiescere, acerbius illis mortis genus machinabatur. Et sanctos quidē statìm arripuêre tormenta: alios quidem alia, sed acerbitate & magnitudine doloris similia. Nam alius quidem ex ipsis suspensus, ferreis lacerabatur vngulis: nerui verò diuellebantur, carnes autē illius in terram defluebant. Alij verò lapidibus & acutis sudibus sauciabantur latera vsq; ad ossa. Alij quidē graui plumbo verberato dissoluebātur compages, ossaq; confringebantur & conterebantur. Alius item aliter. est enim vel solo auditu miserabilis acerbitas suppliciorum. Etenim quomodò ijs, qui sunt paulò misericordiores, hæc videre est intolerabile: ità etiam sigillatìm persequi & audire, est longè molestissimū. Sed martyres hæc etiā patientes, adeò facilè, aut, vt veriùs dicam, iucundè ferebāt, vt qui aderant, conijcerent eos non tam dolere propter ea, quæ sustinebant, quàm ægrè ferre, quòd non essent plura tormenta. *Sancti martyres dire cruciantur.* *Illorum stupenda fortitudo.*

Omnes itaq; ad eos confluebant, tāquàm ad res nouas & admirabiles, tam fideles, quàm quibus manca erat pietas. Sed illi quidem, vt admirarentur athletarū constantiam, & suam confirmarent pietatem: hi autem, vt irriderent eorum tolerantiam, & eorum plagis quodammodò lætarentur propter insignē crudelitatem. Quamobrèm non modò nulla mouebantur misericordia, sed etiam Præsidem & lictores magìs iritabant ad sæuitiam. Et hi quidem sic incitabant, ille verò iubebat, lictores autem exequebantur. Porrò autem Præco quoquè clamabat: Parcite vobisipsis. Paréte principibus. Sacrificate dijs. Martyres autem etiam in tanta copia rerum asperarum, erant omnibus simul superiores, turba, præcone, tormentis, ipso Præside, & ante eos, omnium principe satana, & vniuersis, quę eis subijciūtur, copijs. Omnes enim, veluti signo dato, vnam simul vocem tollunt: Sumus Christiani, Christi hostiæ, Christi victimæ: etiamsi millies mori oporteat, libenter moriemur. *Præclara martyrum vox.*

Cùm autem martyrū negocio omnia postponerentur, qui erat valdè promptus satanæ minister Decius, desperās fieri posse, vt persuaderet adhuc & cogeret, fert in eos mortis sententiam. Ducebantur itaq; sancti, vt ense interficerentur, ad locum, qui parùm quidē abest à ciuitate: ab incolis verò vocabatur Alonium. Ad eum festinantes martyres, ostenderunt nouum quid & quod videbatur insolitum. In toto enim cursu martyrij, inter se vnanimes & simul conspirātes, in hoc solùm cōtendebant, quisnam eorū primus ensem subiret, & primus coronam acciperet. Hanc autem litem componit Theodulus, qui erat vnus ex hoc diuino choro, dictitans quòd is futurus esset primus, qui omniū vltimus excederet, cùm nihil turpe & indecorum ex spectaculo aliorum sustinuerit, sed sic reuerà multa certamina subierit. Placuit omnibus, quod dixerat: & primùm quidem ad Deum communem hymnum canunt, Benedictus es Domine, *Alij alios ad mortem anteuertere conantur.* *Psal. 119.*

mine, dicentes, qui non dedisti nos in captionem dentibus eorum: & quæ deincèps scribit Psalmographus. Deindè etiam ad locum accedentes, fecerunt vnusquisque orationem: Parce Domine seruis tuis, dicentes, & suscipe sanguinem nostrum pro nobis, pro nostris, pro patria: vt ea liberetur à tenebris ignorationis, & puris oculis contempletur pietatem, & te veram lucem, ô Rex æterne.

Capita eis amputátur. Postquàm sic precati essent vnusquisque, sacra & victoria insignia eis sunt amputata capita, cùm se patriç distribuissent: & sanguinem quidem infernæ, nempe eum qui interit, intereunti: spiritū autē dedissent superne, ei quç semper manet, eum qui est permanens. Cùm verò post consummationē recessissent lictores, quidam ex eorum cognatis, qui in eo loco remanserant, horum sacras venerabiliter componunt & deponunt reliquias. Et tunc quidē mortuos habuit, quæ illos tulerat. Posteà autem, quandò vis veritatis, velutì quædam zona aurea, compræhendit maximam partem orbis terrarum, Paulus mittitur in insulam, vt eas ad nouā Romam deduceret, ad reginam, inquam, vrbium: Paulus ille, cuius est magnum nomen sanctitatis, gloriosæ Romæ Pontifex, & qui moribus magis quàm throno erat insignis, cuius vel sola appellatio erat flagellum ad pellendos dæmones. Is cùm accepisset aliquos delectos ab Imperatore, qui eius cœpto opem ferrent, venit ad gentem Cretensem: & cùm amouisset terram reliquijs impositam, inuenit eas, ô Rex Christe, similes viuentibus, & interitu superiores, perindè acsi inesset adhuc spiritus, & eis humor tanquàm ros insidéret matutinus. Cùm eas ergò illinc sustulisset cum miraculo, eas tradit præclaræ & reginç vrbium: & nunc sunt, vbì sunt repositæ reliquiæ martyrum Infantium, communes seruatores & præsides ciuitatis, & vigilantes custodes in omnibus rebus molestis. Quorum intercessionibus detur nobis consequi bona eis reposita, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi: Cum quo patri & sancto spiritui gloria & potentia, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Eorum sacrę & venerabiles reliquiæ componuntur.

Adhuc integri reperiūtur post annos multos.

DE S. SERVVLO, EX BEATISSIMI GREGORII PAPAE HOMILIA XV. IN EVANGELIA.

Decēbr. 23



TERRA bona fructum per patientiam reddit: quia videlicet nulla sunt bona, quç agimus, si non çquanimiter etiam proximorum mala toleremus. Quanto enim quisq; altiùs profecerit, tanto in hoc mundo inuenit quod duriùs portet: quia cum à præsenti seculo mentis nostrç dilectio deficit, eiusdē seculi aduersitas crescit. Hinc est enim, quòd plerosque cernimus & bona agere, & tamen sub graui tribulationū fasce desudare. Terrena namq; iam desideria fugiunt, & tamen flagellis durioribus fatigantur. Sed iuxta vocem Domini, fructū per patientiam reddunt: quia cùm humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiē sublimiter suscipiūtur. Sic vua calcibus tunditur, & in vini saporē liquatur. Sic oliua contusionibus expressa, amurcam suā deserit, & in olei liquorē pinguescit. Sic per trituram areæ à paleis grana separantur, & ad horreū purgata perueniūt. Quisquis ergò appetit plenè vitia vincere, studeat humiliter purgationis suæ flagella tolerare: vt tāto pòst ad iudicem mundior veniat, quanto nunc eius rubiginē ignis tribulationis purgat.

Optimi quique grauissime affligutur.
Luc. 8.

S. Seruuli breuis historia. In ea porticu, quæ euntibus ad ecclesiam beati Clementis est peruia, fuit quidam, Seruulus nomine, quem multi vestrûm mecum nouerunt: rebus pauper, meritis diues, quem longa ægritudo dissoluerat. Nam à primæua ætate vsque ad finem vitæ paralyticus iacebat. Quid dicam, quia stare non poterat? Nunquàm in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat, nunquàm manū suam ad os ducere, nunquàm se potuit in latus aliud declinare. Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquàm literas nouerat: sed scripturæ sacræ sibimet codices emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est, vt, quantùm ad mensuram propriam attinet, plenè sacram scripturam disceret, cùm, sicut dixi, literas funditùs ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare.

Sed cùm iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediјt. Cumque iam se morti proximum agnouit, peregrinos viros

ros atque in hospitalitatem receptos admonuit vt surgerent, & cum eo Psalmos pro expectatione sui exitûs decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repentè compescuit, cum terrore magni clamoris dicens: Tacete, tacete: nunquid non auditis, quantæ resonant laudes in cælo? Cumque ad easdem laudes, quas intùs audierat, aurem cordis intenderet, sancta illa anima carnis vinculis soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes qui illic aderant, inæstimabili suauitate replerentur: ità vt per hoc patenter agnoscerent, quòd eam laudes in cælo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nuncusque viuit, & cum magno fletu attestari solet, quia quousquè corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. S. Seruulus audit cantica cælestia, & sic expirat animã.

Eccè quo fine ex hac vita migrauit, qui hîc ęquanimiter flagella tolerauit. Iuxta vocem ergò Dominicam, bona terra fructum per patientiã reddidit, quę exarata disciplinæ vómere, ad remunerationis segetem peruénit. Sed vos rogo, fratres charissimi, attendite, quod excusationis argumentũ in illo districto iudicio habituri sumus nos, qui à bono opere torpentes, & res & manus accepimus, si præcepta Domini egenus & sine manibus potuit implere? Non contra nos Dominus tunc Apostolos ostendat, qui ad regnum secum fidelium turbas prædicando traxerunt: non contra nos martyres exhibeat, qui ad cælestem patriam, sanguinem fundendo, peruenerunt. Quid tunc dicturi sumus, cùm hunc, de quo locuti sumus, Seruulum viderimus, cui longus languor brachia tenuit, sed tamen hæc à bono opere non ligauit? Hęc vobiscum, fratres, agite: sic vos ad studiũ boni operis instigate: vt cùm vobis bonos modò ad imitandum proponitis, eorum tunc consortes esse valeatis. In desides, & bonorum operum negligentes.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO IN VIGILIA NATALIS DOMINI: HABETVR IN *Tomo 8. Aloysij Lipomani. Nos eum in capita distinximus.*



TANDEM de mari ad portum, de promisso ad præmium, de labore ad requiem, de desperatione ad spem, de via ad patriam peruénimus. Scripserat quidem nobis frequentibus epistolis calamus scribæ velociter scribentis, Expecta, reexpecta: sed nos, quod subiungitur, dicere poteramus: Modicum ibì, & modicum ibì. Præcurrerant cursores promissione diuites, sed exhibitione pauperrimi. Dicebat alius: Viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum: alter verò: Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet. Pari consilio exierant de sanctuario Dei, nihil secum nisi promissionũ multitudinem reportantes. Vndè & Citharista noster iam dormitauerat præ tædio, & in ipsum Deum tacitis obligationibus totam culpam modis flebilibus intorquebat: Tu verò, inquit, repulisti & despexisti, distulisti Christum tuum. De flebili quoquè ad imperatiuũ conuersus est, exagitante impatientia, quæ mater est impudentię & frontositatis. Qui sedes, inquit, super Cherubin, manifestare. Vt quid tandiù dominatrici sedens in cathedra, circunuolantibus & vallãtibus Angelis, non respicis super filios hominũ, quos absorbuit, & obsorbuit iniquitas, per Adam quidẽ cõmissa, sed à te permissa? Memorare quæ sit mea substantia, ad tuæ substantiæ similitudinẽ fabricata: quia etsi omnis homo viuens est vanitas, in imagine tamen tua pertransiens, vanitas esse non potest. Nunquid ità vanè constituisti omnes filios hominum, de quibus dicis: Et deliciæ meæ cum filijs hominũ: vt eos verberet, & diuerberet à te malignissimus ille deceptor, qui decipere, nisì te permittẽte, non potuit? Inclina cælos tuos, & descende, & illos misericordes oculos miseris inflecte precantibus, nec saltem in perpetuũ obliuiscaris nos. Decẽbr. 24. Cap. 1. Psal. 44. Esa. 28. Psal. 26. Habac. 2. Psal. 88. Psal. 79. Psal. 38. Prouer. 8.

Hæc quidem iste: sed gemitibus & ærumnis intortus, tantæ præsumptionis sententiam abiurabat. Dixi, inquit, custodiã vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Verùm ille vir nobilis, & profundi sermonis vrbanitate perlucidus, affectuosis excessibus incalescens: Propter Sion, inquit, non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donèc egrediatur vt splendor iustus eius. Vtinàm, ait, dirumperes cęlos, & descenderes: & alia multa, quæ fastidiosa prolixitas vetat inserere. Hic etiam morosioris gratię longinquitate suspensus, & nimietate doloris excedens, impatienter oblatrat, dicens: Cap. 2. Psal. 38. Esa 62. Esa. 64.

Esa.40. Eccè gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo: quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei. Ieremias in vocem gratulabundæ laudis, aduerbio demonstrante prorumpens: Iere.31. Eccè, inquit, faciet Dominus nouum super terram, & mulier circundabit virum. Sed tamen repentinæ subuersionis lachrymis edocetur, vt priùs lamentum suscipiens, Dan.10. quàm aduentum, penitùs conticescat. Danieli dicitur: Visio est in dies, & in tempora longa. Et Ezechiel tantis caliginibus inuoluitur, vt vix dignosci possit, vndè veniat, aut quò vadat. Deniquè omnis ille Prophetalis conuentus, longa tardantis gratiæ morositate pertæsus, nunc rogando, nunc conquerendo, variat orationem, & plerunquè sermonibus exoratiuis indignatorios intermiscet. Nos quoquè satis satisque Exod.4. eos audiuimus, & nobis in fastidium releguntur. Iam fugiat Moyses: impeditioris si- Esa.6. quidem linguæ factus est nobis. Esaiæ labia immunda sunt. Ieremias nescit loqui, quia Iere.1. Ezech.4. puer est. Ezechiel polluto pane vescitur. Oseas fornicariam, & adulteram ducit vxorem. Daniel post visionem grauiter infirmatur. Omnes Prophetæ, elingues sunt & muti. Iam lætari & exultare non possumus, nisi osculetur nos osculo oris sui. Auditi, & exauditi estis. Adest benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, quæ vel differri, vel auferri non patiatur ampliùs amorem languentium.

Cap.3. Quid enim audistis? Sanctificamini filij Israël, & estote parati: quia crastina die descendet Dominus. Residuum diei huius, & superuenturæ noctis vix medianda progressio, dirimunt nos à vultu gloriæ, à puero Deo, à puerperio singulari. Currite celeres horæ, & rapidiori passu conficite metas vestras, vt liceat videre filium Dei, vagientem in cunis, & saluatrici natiuitati qualiacunque obsequia præparare. Credo vos esse filios Israël, sanctificatos ab omni inquinamento carnis & spiritûs, paratos ad diei crastinæ sacramenta, & solicita deuotione, & deuota solicitudine. Quid enim aliud his sacris diebus, eius aduentui dedicatis, egistis? Vidi ego senes senectutis oblitos, adstare vigilijs sacris iuuenili alacritate, & iuuenes, iuuentute sepulta, senili grauitate reuerentiæ diuinitatis assistere. Plena erant subsellia continentibus, & concentu parili voces in sublimibus resultabant, vt felici inuidia vos cernerem iubilare Deo in voce exultationis. Psalteria erant præ manibus, psalmi in labijs, in corde deuotio: solennitatem animi indicabāt hilaritas vultûs, discursio corporis, operis solicitudo. Inspexi sacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus subtiliter indagare, sacramētalibus indui vestimentis, introire ad altare Dei, ad sacrificandum corpus & sanguinem redemptoris. Vidi assistentium turbam, ministeriali deuotione nunc flectere genua, nunc osculari manus, & ad imperantium nutum nutu citiùs obedire. Sed & pueros adspexi, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram, sibi adinuicèm psalteria inuidere, & deportare ad lectulos suos, furari somnum ab oculis suis, & in lectulo suo per noctes quærere, quem diligebat anima eorum. Quod licèt contra consuetudinem præsumptum sit, non tamen contra deuotionem.

Sacerdotes Missarū sacrificijs, Domini natiuitatē, solennem faciūt.

Cap.4. Fateor, inter hæc omnia cogitabam: Castra Dei sunt hæc. Non est hîc aliud, nisi Gen.28. domus Dei & porta cæli. Vellem, nollem, vestra deuotione trahebar, & vobis negociantibus, ociari non poteram. Sequebar vos, sed alongè, vel aberrans à via, vel claudicans à semitis meis, lugens & contristatus, quia non poteram æquare currentes. Nouit ille vnus, cum quo vno vnum esse cœpi in Domino, quàm frequentibus querelis impleuerim aures eius, quòd vos in meridie essetis cum sponso, & ego in vespertino frigore commorarer. Eià fratres, si aliquis adhuc influus humor de flumine mortalitatis huius vestras circunrorat affectiones, tergite, & tegite illū niueo confessionis Ephes.6. amictu, & calceate vos in pręparatione Euāgelij pacis, vt sitis de quibus dicit sanctus: Psal.65. In flumine pertransibunt pede. Quid autē post hæc? Ibì lætabimur in ipso. De flumine hoc, immò de fluminibus istis Esaias propheta in nocturnis lectionibus largiùs dis- Esa.11. putauit. Percutiet, inquit, Dominus fluuium Aegypti in septem riuis, ità vt transeant per eum calceati. Volo de fluuio, & riuis eius paulispèr confabulari vobiscum, quomodò & qualiter percutiantur, & quid sit, transire per eum calceatos.

Cap.5. Per Aegyptum figuraliter exprimi mundum istum, diuinorū eloquiorum scrutatores affirmant, qui positus est in maligno, qui tenebris & confusionibus est repletus. Flumen, fluxus humani generis est, qui de primis parentibus infelici vena prorumpēs, imperuosum torrentem per totam mundi latitudinē instagnauit: qui in septem torrētibus deriuatus, valles & cāpestria profunda voragine supersedit, ipsis quoq; monti- Psal.17. um cacuminibus eandē refusionem intentans. vndè vnus de altioribus clamat: Tor- Psal.62. rentes iniquitatis conturbauerunt me, & intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.

Aegyptus mundi typus.

Primus

Primus huius fluminis riuus est, cogitatio mala, riuus exundans, & qui nullis obicibus repellatur. Habet frequentiam pluuiarum, fenestras corporeorum sensuum, qui ei de mundanis cataractis mortiferos imbres infusiùs administrant. Occursat adspectui mentis, quod vidit & audiuit, quod odorauit & gustauit, quod palpauit & tetigit, & plerunquè quod simplici oculo adspeximus, versipellis cōtortor ad offendiculum retorquet & scandalum. Fingit similitudines, imagines pingit, colores aptat, & in thalamo mentis vniuersa conuoluit, si fortè consensum eliciat, & inficiat affectum. Offert horribilia de diuinitate, terribilia de fide, mirabilia de fidei institutione, & in alueolo mentis veneniferas ingerit potiones, quas vel in confessione euomere peccator oneratus exhorret. Venit in oratorium, dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, reuisit officinas, nullam prætermittit artem nocendi: sed vbiquè suæ calliditatis assignat argutias, & in choro quidē inter orandum & psallendum mentem pertrahit in diuersa, præteritorum rememoratione puritatem intellectûs inuoluens. In toro verò multiformes libidinis sensus inuoluit, insidians solitudini vestræ, & telis fortioribus oppugnans: vtinàm non expugnet: pungat, non vulneret. In refectorio autem gulam allicit ad videndum quæ perferantur, & ingenti auiditate onerat distentum ventrem, vt maiore opera ad egerendum egeas, quàm ad ingerendum. In claustro libros reuellit à manibus, memoriam resecat scripturarum, & nunc de illo ad istū cum signis & scurrilitate transuertit. Per officinarum multitudinem te facit excurrere, & vagabundo se comitem facit, donèc taciturnitatis ostium aut aperiat, aut confringat. Quid plura? In choro deuotionem, in toro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionē, in officinis silentij virtutem, virtutis inimicus extirpat. Nec sufficit in vigilando subtilibus spiculis cordis terebrare muralia, sed dormiendo singulari se versat & reuersat astutia: quæ meliùs vestrę consciētiæ, quàm styli scientiæ derelinquo. Sed & ad altare Domini virtutū sequuntur vos spiritus isti, in ipsos mentis oculos inuolantes, & vix aliqua vel nascētis Dei, vel pendentis in Cruce possunt memoria deturbari. Magnus ille Patriarcha vix volucres huiusmodi à suis sacrificijs abigebat. Nos quid sumus, qui fugare præsumimus? Quis in hoc riuo vel mersum, vel submersum se esse negauerit? videtis quàm turbidus torrens, & limosa regurgitans cœnositate, qui vix, aut nunquàm ad hoc ducitur, vt penitùs exiccetur. Non puto quòd ille, qui clausit cælum oratione, clauserit animum à cogitatione: vt facilius sit cælum obserare, quàm animum.

Cap. 6. Cogitatio mala. *Multiplices dæmonum tētationes, præsertim in monasterijs.* *Gen. 15.* *3. Reg. 17.*

Secundus riuus est, locutio peruersa. Linguam nullus hominum domare potest, ait Apostolus: membrum inquietum, membrum mortiferum, facilis ad loquendum, ad obloquendum procliuior. Et notandum, quòd nascitur alter ex altero, cùm malę cogitationi prauæ locutionis ianua sit aperta. Et est verbum, aliud falsum, vndè dicitur: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium: aliud vanum, de quo scriptum est: Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum: aliud maledicum, de quo Apostolus scribit: Neque malediči regnum Dei possidebunt: aliud impudicum, de quo idem: Turpis sermo de ore vestro non procedat: aliud excusatorium, vnde Psalmista: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis: aliud dolosum, de quo Propheta: Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa: aliud ociosum, de quo idem Dominus: De omni verbo ocioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: & si quæ alia sunt genera pestis huius, quę nos breui saltu transilire non possumus.

Cap. 7. Locutio peruersa. Iacob. 3. Psal. 5. Psal. 11. 1. Cor. 6. Ephes. 4. Psal. 140. Psal. 11. Matth. 12.

Tertius est, actio praua. Post cogitationē & locutionem venitur ad opera, quandò exhibemus membra nostra arma iniquitatis peccato, & cōtumelijs afficimus corpora nostra. Quid enim turpius, quàm membra Christi sanguine cōsecrata, & consepulta ei in baptismate, libidinosis ardoribus maculare, nec attendere reuerentiā præsentis Dei minantis pœnam, gloriam promittentis? Absit vt aliquis vestrûm huic idolo substernatur, vt filiū Virginis in Veneris templo suscipiat, vt arcam Dei iuxta Dagon collocet: nè nutritus in croceis, stercora complectatur. Quid Petro cum Mago? Quid Christo cum Antichristo? Quid virgini & libidini? Quid puritati & impuritati? Absit vt quisquā vestrûm ambulet in passione desiderij, sicut & gentes, quę ignorāt Deum, qui corpus Christi aut cōsecratis, aut Christi corpori ministratis, electi seruire Imperatori, vt cū Imperatore sedeatis, cùm sederit in sede maiestatis suę. Qua fronte, quibus oculis videret nos, viueret nobiscum, qui tantis inter nos obscœnitatibus deseruiret? Qua mente, qua conscientia accederet ad sancta sanctorū, immolare sanctum

Cap. 8. Actio praua. 1. Reg. 5. Thre. 4.

sanctorum, cuius fama contemptibilis, vita notabilis, sermo repræhensibilis habeatur? Sed si fortè (humanum loquor) propter infirmitatem carnis nostræ, aliquis nostrûm tale aliquid in cubiculo conscientiæ complicauit, deplicet illud per confessionem & pœnitentiam, & ego ei de misericordia nascentis pueri repromitto, quia si confessus fuerit, & pœnituerit, nascetur in eo lux mundi, vt, dimotis fallacibus tenebris, splendorem veræ lucis accipiat. Quomodò enim miseris misericordia hac nocte negabitur, in qua misericorditer nascitur misericors & miserator Dominus? Adest Deus & homo, mater & virgo, caro & verbum, lux & illuminans, bonus & bonitas, misericordia & veritas, fœcunda virginitas, virginalis fœcunditas, æterna nouitas, noua æternitas, diuina humanitas, humana diuinitas, humilis sublimitas, & in his omnibus misericordia fabricatur. Cohibete igitur extollentiam ab oculis, loquacitatem à lingua, crudelitatem à manibus, voluptatem à lumbis, pedes ab itinere non trito, & venite, & arguite eum, si non hac nocte disrumpit cælos, si non descendit ad vos, & proijcit in profundum maris omnia peccata vestra. Quis enim est, qui huius tertij riuuli non sit mersus, & remersus instantia?

Peccatorū confessio, q̄ sit salutifera.

Quartus riuus est, defensio peccatorum. In veritate dico vobis, quia nihil sic exasperat iram diuinitatis, quàm iniquitatis defensio. Aequo enim certamine nos decertamus cum Domino, cùm defendimus quod odit, cùm nobis placet, quod displicet illi. Magna quippè differentia est inter superbum & humilē peccatorem, cùm illum despiciat, hunc respiciat, quia humilia respicit, & alta alongè cognoscit. Quandò sanari poterit, qui medicum spernit, medicinam conculcat, & infirmam substantiam contrariorum receptione succendit? Tu dicis malum bonum, amarum dulce, tenebras lucem, & in creatorem refundis iniurias, vt quod laudauerit, tu vituperes: quod vituperauerit, tu laudes. Non est hoc palpatiua dissimulatione tacendum, cùm viderim quosdam vestrûm tantis impatientiæ stimulis agitari, vt ad primas correptionis voces, non solùm excusationem, sed defensionē exhibeant: & nisi disciplinaris vigor obuiauerit, ad tumultus & iurgia prosilitur. Hæc est impietas maxima in Deum, delictum maximum, quæ vir simplex & rectus, & puer Domini summa circunspectione deuitat. Elegantissimam super his comparationem inducit propheta, quam de sacrario sancti spiritûs absportauit: Ibì, inquit, habuit foueam hericius. Hericius si appræhendi se sentiat vel cōtingi, ità confertissima spinositate dēsatus est, vt vndiquè compunctionibus & aculeis vestiatur. Cùm verò se solitudinē adeptum putat, caput aperit, exerit pedes, & viuificatorios motus plana deambulatione demonstrat. Si quis superuenerit, statìm celerrima velocitate caput cum pedibus ad interius absconditum reportatur, vt si illum tenere volueris, priùs videas sanguinem tuum, quàm corpus suum. Sic & peccatoris caput cum pedibus, intentio cum actione, à pastorum solicitudine prospectatur, & quòd ferè omniū peccantium vitium est, cùm ab omnibus videatur, à nemine æstimat se videri. Si vitium resecare studeas, & intentionis ingressus cum actionis egressibus, correctiuis manibus deprçhendere, statìm Ciceronis eloquentia renouatur: excusatur & defenditur, quod opponis: accusaris & offenderis, qui proponis. Interrogat de loco, de tempore, quandò factum fuerit, & nouus dialecticus exerta lingua prorumpit: in medium parentes aduocat, patrocinatores quærit, grauari se iudicat, indicat se recessurum, malleque mori, quàm pati talia: & quæ vidisti, negans: & quæ non vidit, in te conuicia retorquens. Sic spinam sentis, & culpam perdis: odium incurris, nec corrigis: & quem totum tenere putabas, totum amittis. Vides quàm multiplici cumulositate riuus iste omni homini, & maximè nostro ordini, se infundit?

Cap. 9. Peccati defensio q̄ inuisa Deo. Psal. 137. Iob 31. Esa. 36. Natura hericij.

Quintus est, exultatio in peccatis. O detestanda lætitia, & in sempiterni doloris tristitiam demutanda, in peccatis sicut in virtutibus exultare. Nónne latrocinantes & facinōrosi quique, cùm votorum plenitudinem assequuntur, non se capiunt prę gaudio, ità etiam, vt audeant ipsi diuinitati gratias immutire? Qui cùm malefecerint, lætantur, & exultant in rebus pessimis, cadent super eos carbones, & in ignem deijcientur. Sed & riuus iste, quàm vndosa refluxione miseros animantes offundat, meliùs conscientia, quàm eloquentia, compræhendit.

Cap. 10. Exultatio in peccatis. Prou. 2. Psal. 139.

Sextus est, alios docere ad malum. Hæc doctrina de cathedra pestilētiæ deriuatur, quam detestatur & reprobat, qui docet hominem scientiam. O quàm in vano accipit animam suam, qui aliorum animas venatur ad mortem, qui trahit peccata sicut longam restem, qui miscet sanguinē sanguini, cui non sufficit vt intereat in seculum seculi,

Cap. 11. Aliorū euersores sceleratissimi.

seculi nisi & alios ad interitum pertrahat sempiternum. Scitis enim, quia multa vitia tenerrimis ætatibus imprimuntur, quę posteà in magno corpore vix mitigare, nedùm extirpare quisquam possit. Infelices magistri, qui huiusmodi plantaria plantauerunt, quæ explantantur ab illa cælesti plantatione, quam plantauit pater ille cælestis. Quis gloriabitur, se huius riui torrentibus non fuisse vallatum?

Septimus est, in his omnibus perseuerare. Hîc peccator submersus est & absorptus, & clausit super eum puteus os suum. Cùm enim non leuat oculos ad cælum, nec recordatur iudiciorum iustorum, mortuus & sepultus est in sepulcro conscientiæ suæ. Tunc à mortuo, tanquàm qui non est, perit confessio. Tunc peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnit. Hîc est in extremo fluminum Aegypti. Hîc multitudo miserationum Domini tollitur ab oculis eius. O flumen malum, riui pessimi, riui exterminantes. Hac nocte Dominus eos calceatus transiuit, cùm in virginali substantia puram carnem, & omnium prætaxatione pestium immunem accepit, illo calceamēto calceatus, quod in Idumæam extendit, cuius corrigiam soluere non potuit magnus ille Baptista. Misit de summo filium suum, & accepit me in vtero Virginis, & sic tandem assumpsit me de aquis multis: quas vobis breuiter prælibauimus. Libera me, inquit, ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum.

Cap. 12. Perseuerantia in peccatis. Eccli. 17. Prou. 18. Psal. 59. Luc. 3. Psal. 68.

Percutiemus eos, si cogitemus pro peccato nostro, si prohibeamus linguam à dolo, si declinemus à malo, & faciamus bonum, si confiteamur aduersùm nos iniustitiam nostram Domino, si dolor noster sit semper in conspectu nostro, si doceamus iniquos vias Domini, & semper laus Dei sit in ore nostro. Et vt de arte sutoria nostris moribus aliquid consuamus, habeamus calceamenta densa, & subtiliter cōsuta, quæ possint aquas obuiantes excludere. Faciamus carnem nostram firmam, & confixam timore Domini, quæ libidinis humorē excludat, & excocta tribulationibus atq; densata, fiat vter nouus ad conseruandum vinum nouum, de quo dicitur: Quia factus sum sicut vter in pruina. Sed iam corda & corpora nostra, ad suscipiendum filium Virginis præparata, dimittamus in pace, & omnes in commune lumen ad reuelationem gentium innocentibus brachijs amplectamur: Qui est Deus benedictus in secula, Amen.

Cap. 13. Exhortatio ad pœnitentiam. Psal. 118.

MARTYRIVM SANCTI GREGORII SPOLETANI, PRESBYTERI ET MARTYRIS, EX QVO-

dam perantiquo MS. codice per F. Laur. Surium, paucis locis modicè correcto stylo, descriptum. Consentiunt vetustissima Martyrologia.



TEMPORIBVS Diocletiani & Maximiani Imperatorum talis furor in sacrilegis per cunctam Italiam exarsit, vt vna esset apud omnes idolorum cultura, & si quis non prostratus idolis immolaret, pœnis diuersis cruciaretur. Erat tum quidam vir impijssimus, Flaccus nomine, quem Maximianus Imperator direxerat, vt omnia idola erigeret. Cumque introîsset is Flaccus in ciuitatē Spoletanam, iussit sibi tribunal collocari, & præcones per omnes plateas ciuitatis mitti, vt omnes simul ciues ante vestigia eius in medio foro consisterent. Cumque congregatus fuisset omnis populus in medio foro, Flaccus dixit Tircano: Isti omnes dijs nostris deseruiunt? Cui Tircanus dixit: Isti omnes, quos conspicit pietas tua, deos colunt, Iouem, Mineruam & Asclepium, deos immortales, qui propitios se exhibent mundo vniuerso. Hæc audiens Flaccus, gauisus est gaudio magno, & continuò iussit turbas omnes dimitti.

Decēbr. 24. Cultus dæmonum mirè feruet sub Diocletiano.

Beatus verò Gregorius erat tum in ciuitate Spoletana, ieiunijs & orationibus die ac nocte vacās. Multos ille precibus suis sanos reddebat, spiritus immūdos eijciebat, lecto decumbentes sanabat, leprosos mundabat, cæcos illuminabat, & corda multorum paganorū ad Dominum Iesum Christum cōuertebat: templa verò paganorum & simulacra in terrā deijciebat. Audiēs hæc Tircanus, quòd beatus Gregorius multa templa idolorum euertisset, & paganorum animos ad Christi amorem conuertisset, iratus nimis, nunciauit hæc Flacco, dicens: Est quidam in vrbe seductor multorum,

S. Gregorius vacat perpetuò ieiunijs & precibus.

Gregorius nomine, aduersùs deos rebellis, & vestra iussa pro nihilo ducens. Hæc cùm audîsset Flaccus, exarsit à diabolo, & iussit quadraginta milites mitti, qui beatum Gregorium vinctum perducerent. Exiêrunt milites, & implentes iussa, beatum Gregorium præsentauerunt. Sedens autem Flaccus cum Tircano, & respiciens in faciem beati Gregorij, in hanc erupit vocem: Túne es Gregorius Spoletanus? Sanctus Gregorius dixit: Ego sum. Rursumque Flaccus: Túne es, inquit, aduersùs deos rebellis, & principum contemptor? Sanctus Gregorius respondit: Si verum scire vis, ego ab infantia mea nunquàm à Deo meo recessi, qui me ex limo terræ formauit. Flaccus dixit: Quis est iste Deus tuus? Sanctus Gregorius respondit: Qui fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam: ipse est Deus fortis, Deus immortalis, qui reddit vnicuiq; secundùm opera sua. Flaccus dixit: Noli esse verbosus, sed quod tibi præcipio, id facias. Sanctus Gregorius respondit: Quod præcipis, iam scio: quod me oportet facere, hoc ago. Flaccus dixit: Ergò si pro salute tua agis, ingredere templum mirabile, & sacrifica dijs magnis, Ioui, Mineruæ & Asclepio honorabili, & multa bona inuictissimorum principum consequéris, & noster amicus eris. Sanctus Gregorius respondit: Ego amicitias vestras non concupisco, nec sacrifico dæmonibus, sed Deo meo Iesu Christo. Flaccus dixit: Quæ est insania ista, miser Gregori, quę te possidet? Scias te tibi pœnas durissimas cumulare. Sanctus Gregorius respondit: Insanus ego nunquàm fui, sed tu potiùs, qui creatorem tuum non agnoscis Dominum Iesum Christum. Nam Iouem, Mineruam & Asclepium, quos dicis, dæmones esse manifestum est.

Sistitur ad tribunal. *Gen.1.* *Rom.2.* *Apoc.22.*

Flaccus dixit: Colaphis contundite maxillas eius, dicentes ei: Noli deos blasphemare, nec contumax esse. Sanctus Gregorius respondit: Contumax nunquàm fui: vos verò ministri estis satanæ, facientes voluntatem eius. Tircanus dixit: Admoneo te, Gregori, immola dijs, antequàm corpus tuum exterminetur. Sanctus Gregorius respondit: Melius est mihi, exterminari corpus meum, quàm animam. Facite, quod vultis. Flaccus cum Tircano dixerunt: Accede, & sacrifica dijs, antequàm pœnis te excruciemus. Sanctus Gregorius respondit: Iam tibi dixi, & dico, non sacrifico dæmonijs vestris, sed Domino meo Iesu Christo, qui fecit cælum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt. Flaccus dixit: Fustes nodosos afferte, & dorsum eius verberibus rumpite, dicentes: Hæc patiuntur, qui sunt dijs rebelles, & principum contemptores. Sanctus Gregorius ait: Hoc scire te volo, Flacce, pro malis, quæ in meo exerces corpore, duplicia mihi bona restitui in cælo. Flaccus dixit: Vertite illum, & ventrem eius fustibus dissipate. Tum S. Gregorius intuens in cælum, ità orabat: Miserere seruo tuo Deus, sanctus Israel: à timore inimici eripe animam meam. Tircanus cum Flacco dixerunt: Miserere tuî, antequàm moriaris. id enim tibi consulimus vt amici. Sanctus Gregorius respondit: Recede à me minister satanæ: vacant oblationes tuæ. Adest mihi Dominus Iesus Christus ad confortandum me in vulneribus meis.

Maxillæ ei⁹ verberátur colaphis. *Nodosis fustibus cæditur.*

Flaccus dixit: Hæc est insania tua, miser, quæ te viuere non permittit. Sanctus Gregorius respondit: Etiamsi totũ corpus meum occídas, Dominus animã meam fouet & viuificat. Flaccus dixit: Ligate illi manus & pedes, & in craticulã igneam imponite, & ligna sub ipso construite. Fecerunt ministri, sicut præcepit illis Flaccus, & parauerunt ignem. Beatus verò Gregorius exclamabat ad Dominũ de medio ignis, dicens: Domine Iesu Christę, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum nostrorum, qui non despicis preces famulorũ tuorum, qui ingressus es cum tribus pueris in camínum flammarum, adsis etiam mihi seruo tuo in medio pręsentium pressurarum. Hæc eo dicente, terræmotus magnus factus est intra ciuitatẽ Spoletanam, & cecidit vna regio, oppressitque plùs quàm quadringẽtas quinquaginta animas paganorum, qui idolis seruiebãt. Quod videns Flaccus, fremuit vt leo, & territus nimìs, fugit indè. Dixit autem Tircanus: Ferrum afferte, & eum stringite, atque in carcerem includite, ibique à militibus diligenter custodiatur. Cùm autẽ ingressus esset beatus Gregorius in carcerem, Angelus Domini apparuit illi, dicens: Pax tecum, Gregori: noli timere. & continuò vincula eius dirupta sunt, & claritas Domini circunfulsit eum. Videns id beatus Gregorius, cecidit in faciem suam, oransque dixit: Gratias tibi ago, Domine Iesu Christe, qui misisti Angelum tuum sanctum ad confortandã animam meam: & ego confitebor tibi in toto corde meo, & honorificabo nomen tuũ in æternum, quia fecisti mecum misericordiam tuam. tu es enim Deus solus. Dixit autem ei Angelus: Eugè

In craticula assatur. *Dan.3.* *Terræmot⁹ multos paganos opprimit.* *Angelus eũ consolatur.*

Eugè serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Et hæc dicens, ablatus est ab oculis eius. Erexit autem se beatus Gregorius, laudans & benedicens Deum. Matt 25.

Die altera subsequente iussit Flaccus in medio foro sedem sibi collocari, & beatum Gregorium coram se repræsentari. Quod cùm factum esset, dixit ei Flaccus: Vel nunc recede ab insania tua, accedensque sacrifica dijs magnis, quos vsque nunc negare cognosceris. Sanctus Gregorius respondit: Nunquàm dæmonibus sacrificaui, nec sacrifico, nisi Domino meo, qui me ad istam coronam iustitiæ perducere dignatus est. Flaccus dixit: Carduos ferreos afferte, & genua eius totis viribus percutite, vt vel sic possimus vincere omnem stultitiam eius. Sanctus Gregorius ait: Vide qualis sis tu, qui dæmonibus seruis, adorasque idola, opera manuum hominum. Nam si scires creatorem tuum Dominum Iesum Christum, ipsum adorares, coram quo omnes Angeli contremiscunt. Flaccus dixit: Ego dæmonibus seruio, furcifer? Sanctus Gregorius respondit: Verè à diabolo excæcatus es. Flaccus dixit: Lampades ardentes afferte, & latera eius inflammate, dicentes, Noli superbus esse. Sanctus Gregorius ait: Etiamsi totum corpus meum perdas, præstò mihi est medicus meus, Dominus Iesus Christus, qui me sanat & corroborat, vt ista omnia mala, quæ in me exercere videris, pro nihilo putem. Flaccus dixit: Accede, maledicte, & fac tibi deos immortales propitios, antequàm te morti tradam. Sanctus Gregorius respondit: Maledicti sunt omnes, qui confidunt in idolis. Audiens hoc Flaccus, exarsit vt ignis, dixitque: Tircanum celeriter accersite. Tircanus dixit: Eccè adsum.

Alia ei dira supplicia adhibentur.

Lampadibus aduritur.

Tum verò impius Flaccus iussit beatum Gregorium, tractum in medium amphitheatrum, capite truncari. Sanctus verò Gregorius orabat ad Dominum in medio amphitheatro, dicens: Benedictus Dominus Deus meus & Rex meus, adiutor meus, & liberator meus, qui me hodiè de hoc seculo ad te vocare dignatus es. Et respiciens ad cælum, audiuit vocem magnam, dicentem sibi: Eccè, Gregori, coronatus es, in numerum sanctorum meorum adscriptus es: ingredere ad me, benedicte Domini: præparata est habitatio tua. Adhuc Angelo loquente, ab Aquilino spathario capite truncatus est. Tircanus verò iussit dimitti feras terribiles, vt corpus beati viri absorberent. At rabidæ feræ vbi ad corpus venerunt, flectentes capita sua, adorauerunt illud. Id turba cernens, voce magna exclamauit: Verè magnus est Deus Christianorum: & multi crediderunt in Dominum. Flaccus verò eodem die percussus ab Angelo, euomens interiora sua, expirauit. Corpus verò beati Gregorij iacebat in medio amphitheatro. Erat autem quædam mulier Christiana, Abundantia nomine. Ea accedens ad Tircanum, petijt corpus beati Gregorij, vt illud colligeret de medio amphitheatro. Tircanus dixit: Da mihi aureos trigintaquinque, & accipe corpus. Abundantia dixit: Quod iubes, libens dabo: hoc tantùm rogo, vt celeriter mihi corpus detur. Tircanus ait: Affer mihi quod dixi, & tolle corpus. Illa, numeratis ei aureis trigintaquinque, accepit corpus, gaudens & benedicens Deo, sicque dicens: Benedictus Dominus, qui non amouit deprecationem meam, & misericordiam suam à me. Et sepeliuit illud conditum balsamo, nardo & aromatibus preciosis, & posuit iuxta pontem lapideum & riuum, qui Sanguinarium appellatur, prope muros ciuitatis nono Calendas Ianuarij, cum hymnis & canticis, ità dicens: Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus. Iustus Dominus in verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: qui dat votum optandi, & benedicit annis iusti. Ipsi honor & gloria, laus & imperium in secula seculorum, Amen.

Caput ei amputatur.

Multi crediderunt in Christum.

Psal. 65.

Psal. 67.

Psal. 144.

Huius sanctißimi martyris reliquias religiosè colit ac seruat hodiè Ecclesia metropolitana Coloniensis summo in templo, collocatas super tumbam trium Regum, cum quibus eò sunt olim simul adductæ.

DE

DE NATIVITATE DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI MVLTAE EXTANT SAN-

ctorum Patrum insignes Conciones, ad quas Lectorem remittimus. Vnam Petri Damiani, vt in 8. Tomo reuerendissimi Aloysij Lipomani habetur, adscribemus, quòd non ità passim omnibus obuia sit: quanquàm ex ipsa satìs constat, non esse Petri Damiani illius, qui Ostiensis fuit Episcopus.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO DE NATIVITATE SALVATORIS, ET PRAE-

claris miraculis in ea factis.

Decēbr. 25. ON poterit explicari sermone, quod mente concepi. Stupor enim miraculorum opprimit me, & dum omnia replico, omnia complicantur. Quis poterit cogitare diem aduentûs eius? (Malac. 3.) Ideò fit elinguis lingua, memoria immemor, insensibilis sensus. Insueta natiuitate relucent omnia, & omnia partui Virginis obsequuntur. Fiunt mirabilia in cælo sursùm, & in terra deorsùm, & vniuersa in nascētis Dei obsequium iurauerunt. Insigniuntur conuexa cælorū stella lucentiori, (Matt. 2.) & multo lumine loca flammantia præstringuntur. Diffunduntur per quadrifidum orbem radij rutilantiores, & pluralitatem stellariorum ignium nouus ignis obtundit. Miratur orbis, cælos nouum peperisse splendorem, & inconuertibilem eorum statum ad signa & prodigia fuisse conuersum. Vident Chaldæi in cælis, quod Balaam reliquit in scriptis: (Num. 24.) Orietur, inquit, stella ex Iacob, & consurget homo ex Israël, & erit omnis terra possessio eius. Nascitur stella in excelsis, & Deus in terris, cuius possessio à mari vsque ad mare. Præparant se Reges Tharsis, vt cum nouitate munerum videant nouam matrem, filij nouam natiuitatem. (Mira quæ cōtigēre nascente Christo.) Fons olei de terra erumpit. Templum Romæ, quod vocabatur æternum, corruit, omnibus impensis & Vrbis, & orbis mirabiliter consummatum. Cùm enim Romani in victoriosæ antiquitatis memoriam templum singulari schemate facere decreuissent, ab omni illa deorum, immò dæmoniorum, multitudine quæsiêrunt, vsquequò durare posset tam excellentis operis operosa constructio. Responsum est: Donec virgo páreret. Illi ad impossibilitatem oraculum retorquentes, templum ęternum solennem illam machinam vocauerunt. Nocte autem ista, cùm de virginali thalamo virgineus flos Mariæ egressus est, ità cecidit & confractum est illud murale, & columnarū opus, vt vix appareant vestigia ruinarum.

O Bethleem ciuitas Dei summi, & in te, & in suburbijs tuis visa sunt mirabilia hodiè. Deus pendet ab vberibus, ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis inuoluitur, & laxatis fasciolis, felices manus & sancta brachiola per cunarum paruitatē expandit. Alludit Virgini matri arridet, & blandientes oculos ad Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cælorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, natiuitatem pueri, & miratur quòd ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subuenire. Adest & Ioseph, sed ab vtroque remotus, & in excessu mentis miratur, & mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ dignationis admissus arcanum. (Luc. 2.) Adest multitudo cælestis exercitûs, & vocibus gloriosis, Gloria in excelsis Deo, auditur. Pastores veniunt, & inueniunt puerū & puellam. Procedit stella: Reges accedunt, (Matt. 2.) adorant filium, matrem venerantur, offerunt munera, deferunt maiestati. Cruciatur Herodes: Hierosolyma turbatur: requiruntur scribæ: locus prædicitur: (Luc. 2.) inducitur simulatio: simulator ad nihilum deducitur: deteguntur commenta fraudum. Magi per aliam viam reuertuntur: (Pax in vniuerso orbe, tempore natiuitatis Domini.) pax inaudita à seculo, regnat: vniuersus orbis ad censum describitur: riuus olei de terra persudat, & in diuitē venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc, nisi quia vera pax in terris apparuit, nisi quia ad supernum

regnum

regnum ciues adscribuntur, nisi quia fons misericordiæ de Virgine emanat, oleum effusum nomẽ tuum? Spiritus sanctus, scripturæ istius vnus & vnicus fabricator, nonnullam suæ pinguedinis dulcedinem sub hoc capitulo dereliquit. Sed vos nocturnis vigilijs ità defatigati estis, vt vix possitis somnũ ab oculis remouere. Euigilate tamen paulisper, & somni torporem excutite. Aderit ille, de cuius natiuitate loquimur, vt illuminet oculos nostros, nè obdormiamus. Totus autem sententiæ sensus ex illius arca mutuabitur, cuius cõsilium est, quasì consilium Dei. Ipse ille est, Dominus videlicet Clareuallensis, cuius religio & discretio, sapientia & eloquentia, vita & fama, per totam Latinitatem non immeritò decucurrit: libenter enim illius sarcinas adoro. Sed ad propositum reuertamur. Cant.1. S. Bernardũ dicit. Vide eius sermonem 15. in Cantica.

Benignus ille spiritus, de cuius secretiori fonte Canticorum flumen euadit, in his tribus verbis tria nobis requirenda reliquit, videlicet nomen sponsi, quarè oleo comparetur, & quomodò effundatur: quia & nomen tacet, de comparatione nil loquitur, nihil dicit de effusione. Primùm de nomine videamus. Multa, vt arbitror, vocabula sponsi per diuinam scripturam sparsa leguntur, sed in duo vobis vniuersa complector. Nullum profectò reperietis, quod non sonet aut maiestatis potentiam, aut gratiam pietatis. Puer Domini, de quo frequentiùs facio mentionem, ad Regis cubiculum introductus, duo quasì sublimiora de ipsius ore diuinitatis audiuit: Potestas Dei est, inquit, & tibi Domine misericordia. Sed & ipse Saluator propheticæ veritati attestans, ait: Vos vocatis me, Magister, & Domine, & benè dicitis. Sum etenim. Dominus, nomen est maiestatis: pietatis, Magister. Si enim pium est, præbere escam corpori: multo misericordius est, escam animę impartiri: quod est propriè magistrorum, qui mentes indisciplinatas sub disciplinæ rigore coërcent. Psal.61. Ioan.13.

Videamus quod horum nominum effundatur, vtrùm nomen potentiæ in nomen gratiæ, vel nomen pietatis in maiestatis vocabulum. Absit, vt misericordia in potentiam includatur, quia miserationes eius super omnia opera eius. Certum est ergò, quia potestas Dei in maiorem hodiè pietatem effusa est, cùm cæli distillauerũt à facie Dei, & de virgineis membris vetustus dierum exoritur. Non est, qui se abscondat à calore isto: quia largior olei effusio à capite descẽdit in barbam: quæ etiam extremam vestimenti fimbriam largiùs irrorauit. Tanta est abundantia miserãtis, vt non solùm sub nomine effusionis, sed & exinanitionis censeatur. Exinaniuit semetipsum, (ait Apostolus) formam serui hodierna die accipiens, & cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosilijt virginali: non enim habuit dulciorem modum ad redimendum nos abyssus illa consiliorũ Dei: quia quicquid in diuinitatis thesauro pietatis inuentum est, totum in vtero Virginis est aggestum. Non me capio præ lætitia, quòd illa maiestas naturam suam exinaniens, in naturam meæ carnis & sanguinis superueniat, & me miserum in diuitias gloriæ suæ non ad horam, sed in sempiternum includat. Fit frater meus, Dominus meus: & timorem Domini, fratris vincit affectus. Domine Iesu, libenter te audio regnantem in cælis, libentiùs nascentem in terris, libentissimè Crucem, clauos & lanceam sustinentem: hæc siquidem effusio rapit affectum meum, & istorum memoria conualescit cor meum, viuentis, & viuidæ potionis asperitate purgatum. Viuens est iste sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad diuisionem animæ, & spiritûs, compagum quoquè, ac medullarum scrutator. Psal.144. Psal.132. Philip.2. Hebr.4.

Vnus illorum, qui prophetalis chori aut magister, aut inter magistros est, sub senaria diuinorum nominum partitione, de hac effusione mirabiliter quidẽ, sed subtiliter prophetauit: Vocabitur, inquit, nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Erat quidem admirabilis Dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ suæ, admirabilis illi mirabili creaturæ, faciẽs mirabilia in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Ego autem in luto fęcis & miseriæ obuolutus, miser & miserabilis, omnem spem emergendi perdideram. Ille in gloria, ego in miseria: ille admirabilis, ego miserabilis. Sanctum & terribile nomen eius, quod vix audeat illa dignior nominare natura. Nomen istud clausum & integrũ quomodò capere poteram, quem vix Angelicus oculus prospicere, nedùm perspicere potest? Sed vide effusionem. Ille qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclinat cælos, & fit cõsiliarius hominum. Maiestatiuum nomen in pietatiuum effunditur: & qui admirabilis est in cælis, consulere venit in terris: abscondit purpuram sub miseriæ vestimentis, & ad lutum, vbì iacebam, inclinatus, non mergitur. Is Esa.9. Psal.110.

Psal.68. (audeo dicere) infixus in limo profundi, operi manuum suarum porrigit dexteram, de profundis aquarum extrahit, extractum abluit, ablutum induit, indutum reportat, reportatum confirmat. Porrigit dexteram cùm nascitur, cùm loquitur extrahit, abluit cùm moritur, induit cùm resurgit, cùm ascendit reportat, cõfirmat cùm spiritum emittit de cælis. Bonus quidem consiliarius, qui consilium, quod voce dederit, & morte defendit. Erat enim docens, ait Euangelista, sicut potestatem habens, non sicut eorum scribæ & pharisæi.

Vide beneficia Dei, homini collata.

Matt.7.

Deus, & fortis, nomina sunt potestatis, sed Deus effunditur in patrem futuri seculi, fortis in principem pacis. Breuiter curro, quia & fatigatis, & scietibus legem loquor. Quid tibi, mussitabunde Lucifer, in tanta diffusione? Clausum est tibi totum itinerarium Dei, & malignans oculus tuus hîc nimiùm caligauit. Sed & Dominus meus admirabilis fuit in natiuitate, consiliarius in prædicatione, Deus in miraculorum coruscatione, fortis in passione, pater futuri seculi in resurrectione, princeps pacis in illa æterna beatitudine. Non terreamini nouitate verborum, quia nihil nouum introducitur. Sic & olìm nomina commutata, & effusa sunt, Abram in Abraham, Sarai in Saram, & si quas alias mutationes in illa veteri officina vos legisse recolitis. Sed & ab ipsis penè mundi principijs, in arcano quodam scripturarum loco, diuini nominis effusionem inuenisse me recolo. Loquitur Deus ad Moysem de liberatione Israëlis, & post multã Dei & Moysi confabulationem, Propheta subtiliter inquirit nomen eius, & Dominus dicit: Ego sum, qui sum: hoc mihi nomen in æternum. Hæc dices filijs Israël: Qui est, misit me ad vos. Perterritus Moyses inextricabilis auctoritate vocabuli, àc si diceret, Hoc excedit intellectum meum, non possum capere, nisi effundatur, audit à maiestate: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Vides effusionem? Eccè Deus Angelorum, vocat se Deum hominum. Curramus ergò, fratres, in odorem vnguentorum istorum. Curramus ad oleum de oliua speciosa in campis expressum, nulla infectum amurca, nulla substantiatũ amaritudine, oleum quod exhilarat faciẽ hominis, quod sanat vulnera, dolorem tollit, reddit suauitatem. Non'ne Samaritanus noster nobis à latrone pessimo vulneratis attulit oleum & vinum, ad purgandum & mitigandum vulneris magnitudinem: Sed multum olei, parùm vini: multum misericordiæ, iustitiæ parùm. Sic quippè decebat miserantem, sic misero expediebat. Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, (ait iustus) quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens: sed corona me in misericordia, & miserationibus. Veniens quippè hodiè, quinque vasa attulit olei, non nisi duo vini. Spiritus enim sapientiæ & intellectûs, consilij, scientiæ & pietatis, non'ne dulcedinem sonat, misericordiam fragrat, eructat abundantiam suauitatis? Fortitudo & timor vinum sunt. Sed hoc vino potatus est potens ille, cùm Christus in spiritu fortitudinis descendit ad inferos, non timidus, sed timendus.

Gen.17.

Exod.3.

Vnus Deus Angelorum qui & hominum.

Psal.103.

Psal.142.

Psal.102.

Esa.11.

Videamus nunc, quarè oleo comparetur oleum. Si vos melius non habetis, lucet, pascit & vngit. Idem facit Christi nomen, & per omnia consonat comparationi. Lucet prędicatum, pascit recogitatum, inuocatum lenit & vngit. Vide quandò pręclara luminaria lumen nominis huius super eloquentiæ candelabrum portauerunt, si non eluxerunt coruscationes Dei orbi terræ, si non in splendore fulguris commota est & cõtremuit terra. In nomine Iesu Christi surge & ambula, dicit claudo princeps Apostolorum. Non'ne quasì fulgur exiliuit ab ore Petri, cùm nominatum est nomẽ, quod os Domini nominauit? Et statìm, inquit, consolidatæ sunt bases eius & plantæ. Vocabulum Iesu (sicut Origenis lingua nobilior diffiniuit) dulce & gloriosum, omni adoratu, cultuque dignissimum, quod non priùs ab hominibus decuit efferri in mundum, sed à quadam sublimiori, excellentiorique natura. Omnes quippè Prophetæ nomen istud aut nesciêrunt, aut penitùs tacuerunt, & reseruata est prærogatiuæ dignitas Archangelo Gabrieli, qui sancto ore sanctissimę Virgini illud primùm euoluit. Non'ne Esaias in excessus mentis raptatus, verbis Archangelicis, eisdem penè syllabis consentit vsque ad sancti nominis nouitatem.

Nomen Iesu quid pręstet.

Act.3.

Nomẽ Iesu ab Angelo decuit mũdo manifestari.

Luc.1.

Esa.7.

Pascit reuerà, nec est felicior pastio in loco pascuæ, vbì nos Dominus collocauit. Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Nomen Iesu mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Omnis cibus, qui non conditur hoc sale, infatuatus est. Scriptura, quæ non fuerit interlita oleo tantæ deuotionis, aut insipida est, aut amara. Olìm mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur carmina poëtarum, philosophi verbis aureis insplendebant, & sirenes vsque in exitium dulces, meum incantauerant intellectũ. Lex, Pro-

Psal.22.

Nomen Iesu in ore melos.

Prophetæ, Euangelium, Epistolæ, & omnis gloria sentẽtiarum Domini mei, & seruorum eius, aut parua videbantur, aut nulla. Nescio modò, quid dulcius immurmurat filius Iessæ, qui vario sermonum & sententiarum cõcentu omnes illos, quos diligere consueueram, ineloquentes reddit & mutos.

Lenit & vngit, quia nihil sic recreat in tribulatione. Deniquè & probare licet. Inuoca me, inquit, in die tribulationis: ĕruam te, & honorificabis me. Hoc est nomen, hoc est oleum, hæc olei effusio. Amen dico vobis, non deficiet hic lecythus olei, nec minuetur, donèc pluuiam voluntariam, quę segregata est hęreditati eius, diffusiùs instillet, donèc faciat cælum nouum, & terram nouam: quia misericordia eius ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum. Psal.49. 3.Reg.17. Psal.67. Psal.102.

Sed iam surgamus, & præparemus nos ad solennioris Missæ iubilationem, nec cordibus parcentes, nec vocibus, ad honorem pueri, qui natus est nobis, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

SANCTI ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI SERMO IN DESCRIPTIONEM SANctissimæ Mariæ & beati Ioseph. *Habetur in Simeone Metaphraste, & septimo Tomo Aloysij. Nos eum in 12. capita distinximus.*



QVEMADMODVM qui terram effodiũt, aurum perscrutantes, cùm venam aliquã inuenerint, auream arenam præ se ferentem, in eam incumbunt, & magìs magisque terram effodiunt, quippè qui venam illam lucri ducem inuenerint: quam prosequentes, non priùs è loco illo discedunt, quàm auri propositi latebram assecuti fuerint: ità & nos, vt Ecclesiasticæ negociationis operarij, beatum Euangelistam Lucam in manu habentes, Dominici ex Mariæ Virginis conceptione thesauri considerationem aggressi, non priùs ab huiusmodi perscrutatione desistemus, quàm propositas diuitias syncerè colligamus. Quamobrèm &, ordine seruato, Euangelistam ità perscrutabimur, vt nihil eorum, quæ vtilitatem afferre possunt, derelinquamus. Nam etsi verba ipsa non sublimia sint, nihilominùs tamen magni gaudij mysterium in se continent. Nemo igitur propterea segnem ac negligentem se præbeat, quòd quæ modò lecta sunt de Iesu, parua quædam esse videantur, si auditu solo percipiantur. Quantùm enim ad geniti Domini potentiam pertinet, parua quidem sunt, & valdè humilia, quæ lecta modò audiuimus, vt fasciæ, præsepe ac locus, qui tantæ maiestati videbatur minimè conuenire. Parua nimirùm sunt hęc, sed mystica & arcana quædam eiusdem Domini ortus nobis proponit, vt Mariæ ventrem, cuius gratia verbis explicari non potest: sinum, quem humana cogitatione compræhendere non valemus: mammas, naturæ consuetæ radicem non habentes: lac, peregrino & nouo modo fluens: vbera, longè à naturali consuetudine ac lege aliena: Matrem Domini descriptam: Ioseph sponsum Mariæ, communionem eius non re, sed nomine habentem.

25.Decẽb. Cap.1. Quę in Christo humilia videntur, nõ sunt paruipendenda.

Audîstis paulò antè Lucam euangelistam, dicẽtem: In illis diebus exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc autem descriptio prima, facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eò quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore, prægnante. Vides quàm exiguis verbis, quàm magna compræhendantur mysteria? Dominus conceptus erat in ventre Virginis, & prima gentium, Augusti edicto, instituebatur descriptio. Qui omnem naturam apud se descriptam habet, quique discipulis suis ait: Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cælo: ille suam ipsius matrem paruis quibusdam Romanis codicibus describi voluit. Quis nõ loquetur, quis non admirabitur dispensationem illam, qua Dominus ad nostram se demisit humilitatem? Cap.2. Luc.2. Luc.10.

Vide humilitatem filij Dei, & erubesce esse superbus.

tatem? Qui in excelsis liber est, in terris describitur. Illic Dei filius, hîc seruus. Illic Rex, hîc subditus. In cælis diues, in terris pauper. In cælis adoratur, in terris vectigal ab eo exigitur, ac soluitur. Illic diuino sedet in throno, hîc in agresti & rustica nascitur spelunca. Illic in paterno est & incompræhensibili sinu, hîc in paruo brutorum reclinatur præsepi. Quis non admiretur superna & sublimia illa, cum humilibus & paruis his collata? Inuoluitur fascijs, qui soluit omnia. Nutritur is, qui nutrit vniuersos. Qui nullo loco potest compræhendi, puer angusto compræhenditur præsepi. Qui emittit fontes, mammam sugit. Qui fert omnia, inexplicabili quodam modo ferebatur. Qui nusquàm non est, in exigua Iudaicæ regionis parte incircunscriptè circũscribitur. O res admirabiles, & omnium hominum cogitationem superantes. Elisabeth in domo illustri Iohannem peperit, & Virgo ipsa in parua spelunca Iesum parit. Iohannes in lecto, & Dominus in præsepi reclinatur.

Luc.2.

Cap.3.

Sed non simpliciter factum credamus, vt gigneretur Dominus Iesus, fascijs inuolueretur, mammam sugeret, in præsepi reclinaretur. Non temerè factum existimemus, vt illa Cæsaris Augusti descriptione numeraretur. Omnia hæc certa de causa, & ad finem aliquem facta sunt, diuina quidem dispensatione, sed obscura. Ex Virgine gignitur, vt ex terra virgine formatum primum illum humani generis parentem Adam reformaret. Fascijs inuoluitur, vt peccatorum nostrorum catenas dissolueret, vinculis scilicet soluens vincula: peccata enim vinculorum nomine appellantur, vt ait scriptura: Vnusquisq; suorum peccatorum catenis constringitur. Suxit mammam, vt diuinum illud gratiæ lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit: nihil enim aliud est lac, nisi sanguis, albus effectus. Reclinatur in præsepi, vt naturæ humanæ deprauatam rationem corrigeret, & duorum animalium esca fieret, Gentilis & Iudaici populi, de quibus scriptum est: In medio duorum animalium cognoscéris. Augusti Cæsaris descriptionem suscépit, vt orbis terrarum confusionem ordinaret. Hæc enim descriptio, fuit ordinationis, quæ in orbe terrarum futura erat, pignus & imago quædam.

Gen.2.

Prouer.5.

Ioan.19.

Haba.3.

Cap.4.

Quòd autem vera sint, quæ dicimus, paucis verbis explicabimus. Antequàm Dominus homo fieret, multa humanum genus tyrannide premebatur, & orbis terrarum homines, temerè ac sine ratione vitam degebant, & regalis dignitas dehonestabatur, cùm multi & copiosi extemplò crearentur Reges. Centum homines aliquis subiectos sibi habebat, & statim regni nomen ac specimen sibi vendicabat. Talis erat gentium concertatio, suarum regionum principatus appetentium, neque ex proprijs locis excedentium, nisi fortè aliquo modo in se vicissim arma sumerent. Cùm eiusmodi confusio diutiùs vigeret, & Dominus Iesus Christus solus ipse virginalem aulam in terris habitare contentus esset, statim multorum principatum extinguens, Romanæ gentis dominatum constituit, vt sub vno Principe, ad militiæ cælestis imitationem, omnes viuerent. Sicut enim in cælis sub vno Rege vniuersi continentur, dæmonibus ipsis more barbarorum imperij iugum recusantibus: ità & in terris, etsi multæ sunt gentes, quæ subijci noluerint, vnum tamen Romanorum Imperium potestatem tenet, quia supernæ potestatis ope adiuuatur.

Regiũ nomen quàm multi temerè sibi olim vsurpârint.

Cap.5.

Huius igitur ordinationis causa cælestis ille Rex, cùm adhuc in sanctissimæ Virginis vtero conceptus gestaretur, primam descriptionem orbis terrarum sub Augusto Cæsare fieri iussit, atque sub illa Imperij Romani descriptione, seipsum quoquè contineri voluït, vt legem illam diuina prouidentia latam confirmaret. Tunc enim Regis lex firmatur, cùm Rex, qui eam tulit, primus exequitur. Nam qui legem fert, & non obseruat, euersor potiùs est, quàm legislator. Eius igitur, quam suprà diximus, ordinationis gratia, sub Augusto Cæsare prima descriptio facta est, vt Iudaicæ gentis deprauata consuetudo reprimeretur, neque liceret deindè inordinatè viuentibus Iudæis sua deprauata lege innocentes homines interficere, sed necessitatis iugo compressi, alienis legibus seruirent. Necessaria igitur fuit sub Augusto descriptio. Illa Iudæorum gentem depressit, & Christianorum fidem amplificauit, cùm Iudaica natio, Romanorum imperantium timore, non ampliùs audeat superiorem insaniam atque immanitatem exercere.

Verus legislator quis sit.

Iudęorũ repressa temeritas.

Cap.6.

Quamobrèm post descriptionem illam, cùm Dominum Iesum compræhendissent, & morti tradere festinarent, non ausi sunt pro sua libidine ac temeritate, quem-

quemadmodùm in alios Prophetas se gesserant, quibus iniustam cædem attulerāt, Dominum Iesum aggredi: sed ad Pilatum, Romanorum loco præsidentem, adduxerunt, pœnas ab illo exigētes. Quamobrèm Pilatus præses, vt vidit Iudæos cædem Domini cōmuniter flagitantes, dicebat illis, vt manifestè vos etiam ipsi cognouistis: Nihil dignum morte inuenio in hoc homine. O nefarios & iniquos Iudæos, Luc.23. cur tantoperè studetis Romanorum magistratum labefactare, iniusto iudicio iustum illum aggredientes, & dantes omnem operam, vt innocētissimus, & ab omni labe purissimus, tanquàm nocens condemnatus, de medio tollatur? Nihil, inquit, dignum morte inuenio in homine isto. Iure igitur Barabbas condemnetur, & Iesus absoluatur, cùm ille seditiosus sit & homicida, hic beneficus, & vitæ dator. An Ibidem. illi beneficia, tanquàm crimina, exprobrabitis? In hanc sententiam Pilatus respondit. Sed quidnam Iudæorum natio? Illa quidem nihilominùs sæuiens, Pilatum ipsum, vt Augusti Cæsaris inimicum, quippè quòd Christo patrocinaretur, his verbis præsentem insequebatur: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: siquidem illi vitam condonas, qui se Regem esse dicit. Hæc Iudæi. Ioan.19.

At Pilatus neq; sic permisit Iudæos suo arbitratu, quicquid vellent, in Christum Cap.7. facere. Nam si per imperium Præsidis licuisset Iudaicæ genti facere, quæ volebat, lapidibus Dominū Iesum obruissent, vel serra lignea dissecuissent. Quod si factum fuisset, nos Crucis beneficio defraudati, damnum passi fuissemus. Crucis enim lignum, Romani iudicij proprium est supplicium. Quamobrèm Pilatus iterùm eos interrogans, aiebat: Quid vultis faciam ei, qui dicitur Christus? Illi verò clamabant: Tolle, tolle: crucifige eum. Quibus statìm Pilatus assensus est. Datum enim ei fuerat desupèr diuino nutu. Huius igitur rectæ ordinationis causa, instituta est prima sub Augusto Cæsare descriptio. Nisi enim lex hæc anteà lata fuisset, Domini Iesu Christi corpus sepulturæ integrum mandatum non esset. Nam Iudæorum natio nimio furore accensa, Dominicū corpus in ignem, aut in mare deiecisset. Nam si Ieremiam, non sic inuisum, in lacum cœni plenum coniecerunt: quid in Christi summoperè sibi exosi corpus facturi fuissent, nisi Romanæ legis pœnam timuissent? Quamobrèm cùm nulli Iudæorum Pilatus concessisset, vt Christi corpus de Cruce deponeret, Ioseph ab Arimathia Pilati amicus accessit, & petijt corpus Iesu, quod & accepit, rem planè singularem atque imcomparabilem. Necessaria igitur, vt sæpè diximus, descriptio fuit sub Augusto Cæsare, qua & sponsus Virginis, vt paulò antè audiuistis, census fuit: nam totus mundus descriptione illa rectę ordinationis primordia tunc accepit. Sed prosequamur Euangelicæ historiæ narrationem.

Crux, olim iudicii Romani proprium supplicium. — Matth.27. — Iere.37.& 38. — Matth.27.

Ibat Ioseph cum Virgine, partim adiutor, partim spectator eorum, quæ futura Cap.8. erant: non quia Virgini adiutore opùs esset, vel ei, qui conceptus in vtero Virginis portabatur: ille enim est omnium adiutor, ad quem clamantis Prophetæ spectat oratio illa: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram: sed quia Psal.120. eius dispensationis mysterio necessarius erat Ioseph, vt Virgo quasi sub viro esse crederetur, & res ipsa lateret diabolum, nè scilicet scire posset, quod futurum erat, id est, quemadmodùm Deus ipse cum hominibus versari contentus esset. Sed quidnam Euangelista Lucas ait? Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt Luc.2. páreret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. O res admirabiles, & omnium cogitationem superantes. Papæ, quàm paucis verbis quàm magna continentur mysteria. Factum est, inquit, cùm essent ibi, impleti sunt dies, vt páreret. O res omninò admirabiles. Effector temporum, certum expectat tempus: qui certos temporibus præfigit terminos, præfinitam expectat diem, nè quis eius ortum specie quadam, non re vera fuisse suspicari posset.

Operæprecium autem est, huiusce rei mysteria considerare: ac primùm illud Cap.9. contemplemur, quemadmodùm parua illa domus, in qua Virgo peperit, Ecclesiæ figuram cōtinebat: Præsepe verò altaris, Ioseph sacerdotis, per vices munus suum exercentis, Pastores diaconorum, Angeli sacerdotum, & Dominus Iesus Pontificis formam in se gerebat. Thronus autem Dei, per virginem Mariam figurabatur. Quamobrèm supradicta omnia in Virginis partu præmonstrata esse cernens, admirare, cùm audis Euangelistam Lucam sic dicentem: Factum est in illis diebus, impleti sunt dies, vt páreret filium suum primogenitum, & inuoluit eum pannis,

Singulare Virginis matris priuilegium. & reclinauit in præsepio. Vide admirabilem Virginis partum. Illa ipsa, quæ peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio. Aliarum mulierum, quæ in mundo, sunt, vna parit, & alia infantem pannis inuoluit. At non ità Virgo fecit, sed quæ peperit, illa eadem infantem pannis inuoluit. Quæ sine labore aliquo mater fuit, eadem & obstetricis munere functa est, cùm à nulla muliere didicisset. Non enim permisit quenquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Illa per se eum, qui ab ipsa, & pro ipsa genitus est, suscepit, pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit, quoniam non erat ei locus in diuersorio.

Cap. 10. Iam vidisti, amice, quemadmodùm Ecclesiæ figuram præmonstrabat humile illud habitaculum, in quo Virgo peperit. Quæ cùm semèl concepisset ac peperisset, nunquàm ampliùs genuit, neque virum cognouit: quanuìs aliqui delirantes, eò quòd audiant Euangelistam Lucam dicentem: Et peperit filium suum primogenitum: audeant dicere, Virginem ipsam alteram conceptionem suscepisse, incorruptam atque ab omni labe puram Virginem, corruptioni subiectam fuisse temerè iactantes. Nunquàm, inquiunt, diceretur primogenitus, nisi & alter partus secutus fuisset. Non solùm autem aduersarij suæ temeritatis testem Lucam Euangelistam proferre audent, sed Matthæum etiam eadem scribentem proferunt; quin etiam manifestiùs hoc apud Matthæum Euangelistam esse contendunt, cùm his verbis in ipsius Euangelio scriptum legatur: Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natuum est, de Spiritu sancto est. Et post pauca: Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam: & non cognoscebat eam, donèc peperit filium suum primogenitum. Ex his verbis similiter aduersarij conantur probare, Mariam alios filios concepisse.

Luc. 2. Hæreticorum deliramenta. Matth. 1.

Cap. 11. Sed caue hoc suspiceris: absurda enim omninò res est. Nam Virginale illud claustrum, in quo diuinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum atque impollutum permansit. Non coinquinatum fuit secundum illud cælum, neque commaculatum, & tanquàm inutile factum est vas Mariæ, Dei capax effectum. Dominus autem, primogenitus Mariæ verè dictus est, non quia & alter ab eâdem natus sit, sed quoniam primogenitus, hoc est, singularis atque incomparabilis genitus fuerit. Beatus item Paulus, licèt de Domini ex Patre, qui est sine principio, scribens origine, dicat illum primogenitum omnis creaturæ, non propterea & naturalem aliquem fratrem ei fuisse innuit: neque enim, cùm eundem appellat primogenitum mortuorum, iam similem aliquem introduxit infernum conculcantem. Quamobrèm hæc scripturæ verba prudenter intelligas, & piè credas. Dominus propterea vocatur primogenitus à mortuis, à Patre, & à Virgine, vt ex omnibus his notior fieret singularis eius dignitas, qua filius Dei est. Incōparabilis enim fuit Domini origo. Cuius enim mater ipsa Virgo est, eius origo qua ratione poterit explicari?

Christus vt primogenitus Virginis pperuæ. Colos. 1. Ibidem.

Cap. 12. Matth. 1. Quòd autem dicit beatus Matthæus: Non cognoscebat eam, donèc peperit filium suum primogenitum: non in eam sententiam accipiendum est, in quam isti prauè accipiunt. Verè non cognoscebat illam Ioseph, donèc peperit filium suum primogenitum, quandiù scilicet Virgo ipsa, quem conceperat, ferebat in ventre. Nanque Ioseph, quid in ea lateret, ignorabat, & quale, quantum've illud esset, & quem ad finem res spectaret, non anteà perspectum habuit, quàm Virgo peperit. Tunc enim, quanta esset eius virtus, ac dignitas diuinitùs ei collata, manifestè cognouit. Tunc vidit mammam infanti à Virgine datam, cuius virginalis flos intactus permanserat. Tunc vidit Virginem peperisse quidem, sed nihil eorum sensisse, quæ parturientes pati solent. Tunc cognouit petram illam è montis vertice abscissam, mammam sugendam dedisse petræ illi spiritali, quæ mentis lumine compræhenditur. Tunc cognouit Ioseph clarissimi præconij prophetam Esaiam de Virgine illa hoc scripsisse: Ecce Virgo concipiet. Propterea igitur primogenitus dicitur Iesus, quòd singulari & incomparabili modo genitus sit. Nam si verum dicere volumus, Dominus ipse vnigenitus verè est ex Patre. Solus enim ex solo sine principio genitus est. Idem Dominus, & vnigenitus, & primogenitus: vnigenitus ex Patre, vnigenitus ex Matre, propter dispensationis terminum. Habet

Maria absque dolore puerpera. Esa. 7. Cur Christus primogenitus vocetur.

bet ille quidem multos fratres non natura, sed gratia, & in Virgine, & in Patre. Et in resurrectione habet fratres Dominus Iesus. Sed quinam sunt isti? Ante omnes fuerunt sancti Apostoli, quibus dixit Dominus: Vado ad patrem meum, & patrem vestrum. Ipsi Patri simul cum Filio, & sancto ac viuificante Spiritu, sit gloria in æterna secula, Amen. Ioan.20.

MARTYRIVM SANCTÆ MARTYRIS ANASTASIAE, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE, *vt habetur quinto Tomo Aloysij. Nos capita margini adiecimus.*



NASTASIA mulierũ pulcherrima, inclytæ quidem Romæ erat nata: generis autem splendore & corporis pulchritudine, & animæ nobilitate, & morum honestate & moderatione omnes vincebat, & labris omnium canebatur. Et erat quidem cuiusdam viri Prætextati filia: à quodam autem, nomine Chrysogono, fuit in rebus diuinis instituta, cui etiam fuit posteà caput ornatum corona martyrij, sicut etiam procedens declarabit oratio, cùm impius Diocletianus Romana sceptra tunc teneret. 25.Decẽb. Cap.1. S.Anastasiæ patria.

Cùm ergò apud Chrysogonũ Anastasia falsam gentilium opinionem verbis luculentis eluisset, eum qui verè est Deus, pro ijs qui videntur, cognoscit. Et nunc quidem non liberè profitetur pietatem: à patre verò vel inuita in matrimonium data viro gentili, nomine Publio, conante, vt dicitur, miscere ea quæ misceri nequeunt, illa partìm quidem omninò sibi vendicans virginitatem, partim autem abhorrens eius religionem, ne cum eo quidem omninò cohabitare in animum induxit: sed vt pura ad Christum accederet, & nullum ex eius præceptis despiceret, diù noctuque meditans, ad eum omnem direxit cogitationem. Vestem quidem certè sæpè mutans, & vili pro splendida se induens, & se habitu quodammodò celans, vna eam sequente ancilla, omnes obibat carceres, & à custodibus emens ingressum pecunijs, eos qui in eis pro Christo erant inclusi, & corpore propter tormenta malè erant affecti, cum quanta potuit reuerentia & honore curabat, pedes lauans, manus abluens, comam sordidam, quoàd eius fieri poterat, expurgans, & quod pilorum erat superfluum, prolixum autem erat propter longam in carcere inclusionem, officiosè tondens, sanguinem diligenter abstergebat, vulnera mundabat: deindè etiam alligans linteis, & sanctis amplexibus suum in eos amorem indicans, & alimenta vnicuique præbens necessaria, sic exibat. Cap.2. S.Anastasia cognoscit Christum. In vili habitu adit carceres, & ministrat sanctis.

Hæc cùm fierent assiduè, quoniam virum latére non potuit, rescicit etiam Publius: & protinùs multi sunt adhibiti custodes Anastasiæ, qui nõ sinebant eam domo egredi, neque vllum ad eam ingredi ex ijs, qui, vt illi dicebant, mores videbantur corrumpere, & poterant ei persuadere, vt à Publij abstineret consuetudine. Illam autem & hoc quidem malè habebat, quòd alios omnes, qui anteà ab ipsa curabantur, neque posset videre, nec ab ipsis videri: Quod verò plùs, quàm alia, eam cruciabat, & medium eius cor tangebat, erat præceptor Chrysogonus: qui cùm duobus annis integris multa & varia pro Christo tormenta sustinuisset, habitabat in carcere, ità iubente Diocletiano. Ad eum crebrò, quandò in sua erat potestate, ventitabat. Tunc autem prohibita, per quandam anum ei significat ea, quæ euenerant: & per eam rogat, vt pro ipsa precetur. Precationis verò hæc sit summa, vt ab impio quidem euadat Publio, assequatur autem opportunitatem, vt, quod habet in animo, deducat ad effectũm, & perseuéret curare eos, qui martyricis decorantur vulneribus, quoàd eius fieri poterit: quinetiam vt ipsa vitam finiat in pietatis scopo immutabili. Hæc cùm significasset Chrysogono, postremò etiam de mariti profectione eum reddit certiorem. Fuerat enim illo tempore Publius missus legatus ab Imperatore ad Persas. Quæ cùm didicisset Chrysogonus, iubet eam gaudere & Cap.3. Multi ei custodes adhibentur. S. Chrysogonus in carcere detinetur.

bona facere, & præsentia forti animo ferre, & in futurum voluntati quoquè consentaneum expectare exitum.

Cap.4. His confirmatur Anastasia, & hæc ipsa duxit esse gaudij occasionem, & bonę spei principium existimauit esse calamitatem, nempe & mariti crudelitatē, & nimiam custodum sæuitiam. Qui erant similiter quidem omnes acerbi & immitigabiles: Codissius autem erat excellenti improbitate, qui & notus erat Publio, & cui proficiscens hoc maximè mandauerat, vt nec extra thalamum videre aërem, nec liberè, si fieri posset, respirare fineret Anastasiam. Graue enim ducebat, si reuertens à legatione, viuam videret mulierem, quæ fœdus cum eo initum iam violauerat. Præterea verò sperabat sic quoquè fore, vt multarum pecuniarum & possessionum efficeretur dominus. Atque ille quidem inuenit in via, quem par erat, exitum. Moritur enim periculo perditus, quę se sperabat facturum, ipse priùs iustè passus: & effectus Anastasiæ conciliator viduitatis, quæ non luctum afferebat, sed exultationem. Anastasia autem liberata à vinculo, & à canibus qui eam custodiebant, (sic enim eos conuenit appellare) ad solitum gregem ferebatur, & ad consueta pietatis pascua: & modestum rursùs induēs habitum, obibat carceres, & magna cura ac diligentia non solùm vulnera ac saniem sanctis curabat: sed ad propositum quoquè certamen eos præclarè incitabat & præparabat. Qualem verò fructū hinc percipiat, declarabit eius finis: finem autem, oratio.

S. Anastasia lætatur re,' duris.

Maritus ei' malè perit.

Cap.5. Hoc tempore impius quidem Diocletianus degebat Aquileiæ. Ei verò aliorum quidem cura erat posterior: hoc verò præcipuè erat curæ, vt nullus Christianus qui latebat, eum effugeret. Ad eum ergò defertur ab omnibus, qui Romæ erant, quòd maxima multitudo Christianorum, coniecta in carceres, & plurimis affecta supplicijs, nondùm potuit dediscere pietatem. Quorum esse præceptorem & institutorem Chrysogonum, qui habebat omnes sibi parentes & pendentes ab eius lingua. Ille autem alios quidem omnes iussit dedi tormentis, & deindè etiam morti, si non persuaderentur: Chrysogonum autem solum ad ipsum mitti: hoc apud se considerans, quòd si illum vicisset, omnes protinùs erat superaturus. Atque ei quidem, cùm duceretur ad Imperatorem, comes fuit Anastasia, vndiquè conferens & comparans ea, quæ pertinebant ad augendam animi magnitudinem: & ostendens sexûs imbecillitatem vinci à magnitudine animi & spiritûs.

S. Chrysogonus defertur ad Diocletianum.

Cap.6. Postquàm verò ante Imperatorem adstitit Chrysogonus, ille quidem statìm verbis vsus est mitioribus: Persuadeare, ô Chrysogone, nostris coniungi partibus: & dijs quidem gratificari: tibi autem ea, quæ sunt iucundissima, præferre tristissimis, & quæ sunt conducibilia, minimè vtilibus. Scias enim fore, vt tibi non solùm tormēta remittamus, & hanc pulcherrimam omnibus iucundissimam lucem largiamur: sed te etiam statìm efficiam magnæ vrbis Romæ Præfectum. Ille autē nec Imperatorię potestatis obstupefactus magnitudine, neque donorum flexus ingenti oblatione, liberè dixit: Ego vnum solum nóui Deū, & eum quidem iudico quauis luce suauiorem: quauis verò vita desiderabiliorem: omnibus autem pecunijs quæstuosiorē. Eum & anima colo, & labris confiteor: & omnibus videntibus adoro genibus. Deorum autem multitudinem & fabulas & dæmones, tantum abest vt colam, vt sim eiusdem cum Socrate sententiæ, oportere eos fugere pro viribus, vt qui sint hominum deceptio, & animarū aperta pernicies. Quæ verò à te mihi proponuntur munera & honores, nihil meliùs habere arbitror, quàm somnia & vmbras: & ea nihili facio.

Blanditur ei diabolus per Diocletianum.

Præclara martyris vox.

Socratis de dijs sentētia

Cap.7. Non tulit dicendi libertatem Imperator: sed perindè àc in prima prostratum congressione, eum abripuit impetus, vt soli iræ gratificaretur: iubetque vt cùm in desertum locum duxissent Chrysogonum, ei caput amputarēt, inuitus eum maiori afficiens beneficio, quàm quādò lubens dona offerebat: existimans fore, vt eum in suam traduceret sententiam. Atq; hoc quidem factum est, prout ipse decreuit: & sacrum illud corpus proijcitur in litore maris, vbì etiam tres sorores & animis, & corporibus, & pietate in Deum, suam habebant habitationem cum quodam Zoilo viro pio & presbytero. Sororibus autē erant nomina, Agape, & Chionia, & Irene. Hic verò Zoilus, cùm sibi reuelatas martyris Chrysogoni reliquias sustulisset vnà cum capite, & in quadam capsa cum quanto oportuit honore deposuisset, abscondit in sua domuncula. Atque tricesimus quidem erat dies, ex quo sitæ fuerant reliquiæ:

S. Chrysogonus capite cæditur.

Harum sororum martyriū quære 1. Aprilis Tom.2.

reliquiæ: In somnis autem presbytero Zoilo martyr appárens Chrysógonus, hæc ei visus est dicere: Scias impium Imperatorem Diocletianum, cùm de Christi ancillis & sororibus, Irene, Agape & Chionia fuerit factus certior, intra nouem dies illas quoque velle compræhendere. Tu autem effice, vt Anastasia Dei ancilla eas curet pro viribus, & ad certamen suscipiendum eis addat animum, donèc fuerint redimitæ corona martyrij: Ipse verò bonam spem concipias fore, vt suauissimos fructus laborum accipias. Nam non multo pòst tempore, & à laboribus, qui hîc sunt, liberaberis, & ad Christum adducéris cum ijs, qui pro Christo decertârunt.

Fuerunt hæc quoquè cognita venerandæ inprimìs Anastasiæ, & diuino spiritu mota, venit statim ad domunculam, quam nondùm adspexerat: & accedens ad presbyterum Zoilum, quærebat sorores: & rogabat de ijs, quæ in somnis sibi visa fuerant. Cùm autem vidisset virgines, & locum in quo sitæ erant Chrysogoni reliquiæ, cùm illas quidem magna affectione & pietate adorâsset, cum eis autem vnam noctem transegisset, eisque congratulata, ad martyrij fortiter subeunda certamina animum satìs addidisset, profecta est Aquileiam. Eas enim cum multis alijs sciebat cursum peracturas martyrij, prouidentia quoquè simul ipsam, cum bona & facili occasione, transmittente ad certamen. Atque ipsa quidem proficiscebatur, & qui prædictus Zoilo fuerat, vitæ finis contigit. Nam cùm hoc Deo ità visum esset, excessit à vita præsenti. Quoniam autem neque de Agape & Irene & Chionia oportebat temerè dictum esse à Chrysogono: cùm de ijs resciuisset, qui omnes impietate superauit, Diocletianus, eas statìm accersit, & sistit ante tribunal: & admirans earum habitum & spiritum, & prætereà speciem, & quæ in earum vultu vigebat, gratiam, & alioquì cùm hoc sciret, quòd morum grauitas, & dignitate præditus ac generosus animus nunquàm vincitur ab asperitate: sed cedit potiùs verbis mollibus & placidis, & attrahitur officijs, ea via ipse quoquè ingreditur. Cap. 8. S. Anastasia magnâ pręstat reuerétiâ reliquijs S. Chrysogoni.

Et primùm quidem trium simul facit periculum, simul laudans & admonens: Cùm in vobis videam, dicens, & florem ætatis, & speciem corporis, & generosos prætereà spiritus, qui non minùs resplendent, quàm externa gratia: quinetiam audiuerim vos esse bonas, & bonis prognatas, & prætereà doctrina quoque non mediocriter excultas, per deos, moueor non parua vestrî misericordia, si de his omnibus & de vestra quoquè vita venietis in periculum, & non priùs aliquod bonum de vobisipsis capietis consilium. Hac enim de causa vos quoquè volui ante meum conspectum & vos conuenire, vt, cùm ex me, & ex vobisipsis ea, quæ oportet, potueritis intelligere, abstineatis quidem ab insipientibus cogitationibus, dijs autem offeratis sacrificium, & per hoc, quid non boni vobis ipsis comparetis, deorum amicitiam, meam beneuolentiam, gloriæ abundantiam, sponsos dignos vestra pulchritudine, diuitias & voluptates, & quicquid in vita felix bonumque est & videtur. Cap. 9. Diocletian' tribus vi-ginibus pridem blanditus. Hæc sunt inania mũdi huius pmissa.

Ad hæc autem ea, quę erat maior natu, vocabatur verò Agape, quæ studebat quoquè videri prima dilectione in Deum, cum verecundia miscens dicẽdi libertatem, & labra honestè aperiens: Nulla, inquit, ratio tibi persuadeat, ô Imperator, quòd nos vel metus perterruerit, aut persuasio inescauerit, aut intentatæ suppliciorum minæ, aut bona proposita, aut iuuentutis misericordia, aut commiseratio pulchritudinis, aut splendor generis, nobis omninò persuaserit, vt aliquid molle & delicatum omninò cogitemus, nedùm vt dicamus. Sed hæc quidem ipsa vel maximè persuadent mortem contemnere, quòd tot bonis à Deo ornatæ, & tam multis commodis præstantes, omnium absurdissima videremur cogitare, si Deum, qui ea dedit, nos inconsideratè admodùm & ingratè negauerimus: & non ea, quæ ab eo accepimus, in ijs quæ pro ipso passuræ sumus, occasionem beneuolentiæ, certæque & stabilis fidei duxerimus. Cap. 10. Vide cõstãtiã generosæ virginis Agapes.

Hanc loquendi libertatem supra modum admiratus Tyrannus, & ratus esse insaniam, & eam ità appellans, ex se planè faciens iudicium, Agapem quidem non tentauit ampliùs: secundò autem iussit sisti secundam, & verbis eam est adortus. Postquàm verò huius quoquè similiter, & deindè tertiæ desperauit mutationẽ, postremò dicens, Hæc audacia vestra responsa nulla re alia, quàm inflictis tormentis, curabuntur, illas quidem conijcit in carcerem: ipse autem in supplicio consideran- Cap. 11.

 doac

do ac exquirendo versabatur animo, nouam aliquam & longè grauissimam eis mortem inuenire contendens. Quæ verò vel ante certamina, animo & instituto erat eorum certationis socia, Anastasia, ea quæ consueuerat, non cessabat adhuc facere, verbis quidem accendens ad certamen, re ipsa autem earum curam gerens: & nō horum solùm, neque reliquorum omnium, qui similiter decertabant, similiter curam gerebat: sed eos etiam, qui alioquì erant inopes, Christianam autem amplectebantur religionem, minimè negligebat: illis quidem alimenta, his verò vestimenta, alijs autem vtraque præbens liberaliter: quorum & ab illis vnam petebat remunerationem, & ipsa quoquè precabatur, vt ei aureum imponeret signaculum, martyrij coronam. Et quòd ipsa quidem spe non sit falsa, statim declarabit oratio.

S. Anastasiæ studiū erga martyres & inopes.

Cap. 12. Diocletianus autem cùm de martyribus multa animo agitâsset, & in dubio eius adhuc esset animus, & simul vt proficisceretur in Macedoniam, à quibusdam publicis vrgeretur negocijs, cùm Dulcitio Præfecto earum mandâsset examinationem, quòd eas oporteret punire, multa præcepit. Ille verò cùm malæ naturæ adiecisset malum Imperatoris mandatum, & iram maximè exacuisset, paratus erat suum inexplebilem animum exatiare. Cùm autem iam parata essent tormenta, & pro tribunali starent virgines, qui mente erat planè cæcutiente, repentè cœpit etiam esse cæcus oculis: vel potiùs cùm videretur adspicere, & non clausos haberet oculos, neminem videbat ex ijs, qui aderant. Quo factum est, vt maxima ira incensus, tunc quidem vel inuitus eas abduceret à tribunali: timuit enim, nè aliquid ampliùs pateretur, si adessent. Posteà verò cùm rursùs essent coniectæ in carcerem, & iam ad Deum hymnos dicere & cantica psallere aggressæ essent, in animo quidem habuit irrumpere, & ex improuiso accedens, illarum venari, vt putabat, præstigias & incantationes. Diuina autem voluntate ille quoquè ab hoc arcetur consilio. Cùm enim à recta declinâsset, & ad quandam propinquam delatus esset domunculam, quæ quidem custodibus erat loco culinæ, hìc cùm in vasa culinaria & ollas incidisset, & esset omninò emotæ mentis, & putaret se ipsas virgines habere in manibus, vultus quidem ei fuit repletus fuligine: vestis autem plena fauillis, fumo & tetro odore.

Præfectus cæcitate punitur.

Additur etiam amētia.

Cap. 13. Cùm autem quæ in animo habebat, fecisset, vt existimauit, illinc est egressus, omnibus ei subiectis extra fores eum expectantibus. Postquàm verò illi eum viderunt, esse aliquod spectrum aut monstrum opinati, in fugam sunt conuersi. Ille autem se contemptum putans, vt qui nondùm sensisset ea, quę sibi acciderant, nondùm quidem domum, sed in regiam magna ira & studio contendit, magnum risum mouens ijs, qui videbant. Cùm autem venisset in medium aulæ regiæ & satellitum, & totus conturbatus quæreret Imperatorem, vt qui de ijs, qui sibi subiecti erāt, esset aliquid dicturus, tanquàm ab eis extrema affectus iniuria, illi morionem aliquem & scurram & mente captum, & quemuis potiùs ipsum, quàm Præfectū existimantes Dulcitium, pugnis & calcibus eum extrudebant, & arcebant ab ingressu. Postquàm verò quidem ex eis, qui erant ei valdè familiares, cùm serò tandem & vix virum agnouissent, & id quod acciderat coniecissent, & insaniæ miserti essent, eum domum abduxerunt, visum quidem est illic quoquè vxori & liberis, & omnibus qui domi erant, dedecus. Sed lucem adspicere, & veritatem agnoscere ne sic quidem ei venit in mentem: sed id quod factum fuerat attribuens incantationi, vehementiùs adhuc & insaniùs spirabat in virgines. Ei itaque parato tribunali, iubet adduci virgines.

Præfectus Dei vindictā sanctarum virginū adscribit incantationi.

Cap. 14. Postquàm autem adductæ sunt, iussit eas adstare nudas. Postquàm verò virgineis illis corporibus manus admouêre lictores, (ô Domine opifex rerum admirabilium) tunicæ, tanquàm secundæ carnes & pelles, circuncircà extensæ virginibus, inhærebant coalescentes & coniunctæ primis carnibus & ossibus. Cepit eos, qui videbant, admiratio propter rem admirabilem, & quæ erat præter opinionem: & stupor inuasit eos, qui audiebant. Tyrannus autem aliam rursùs accipit plagam. Nam cùm iam ij etiam, qui erant eiusdem sententiæ, repræhenderent eius crudelitatem, & damnarent vno ore eius voluntariam cæcitatem & insaniam, eis quoquè est suffragata superna sententia. Protinùs enim quadam diuina & cælesti potestate priuatur videndi facultate: & perindè ac somno oppressus profundissimo, & nihil intelligens eorum, quæ fiebant, ità sedebat

Præclarum Dei miraculum.

Alia in præfectū vitio cælestis.

bat dormiens, tanquàm in lecto & stertens. Eum itaque rursùs domũ ducunt propinqui, tanquàm inanimum aliquod onus portantes. Deindè hæc etiam rescìscit Imperator: & eius quidem condemnat leuitatem: Sisinio autem cuidam Comiti permittit aduersùs virgines examinationem.

Ille verò ingressus est eádem via, qua Imperator, aliquandò quidem tyrannicè, aliquandò verò blandè cum eis agens. Postquàm autem omnia dicens & faciens, vidit quidem virginum inter se differre corpora, vnā autem esse mentē, & omnes vnum & idem dicere, nempe: Neque minans nos terrebis, neque blandiens persuadebis: Nobis enim pro Christo mori, est vita: viuere autem non in Christo, mors. Postquàm hæc cognouit, de iuniori quidem Irene, ne sic quidem spem omnem abiecit: sed cùm eam separâsset à reliquis, ab Agape, inquam, & Chionia, eas postremò tentauit. Sed cùm multis consumptis sermonibus, se planè nouit ea venari, quę capi non poterant, & planè verberare aërem, eas condemnat vt igne mortem subirent. Et parata quidem erat fornax luculenta: virgines verò munitę pulcherrimis armis orationis, vna quidem voce ad canticum, vno autem prompto & alacri animo procedebant ad ignem: & sic simul canentes, in ignem insiluerunt. Ignis verò non erat ampliùs ignis, sed ros tener & mollis. Deus autem diuidit miraculũ: partìm quidem illarum implens petitionem, partìm verò suam ostendēs potentiam. Nam illę quidem sine dolore suas animas in manus Dei deposuerunt, ignis autem fuit extinctus: & corpora virginea adeò illæsa & intacta apertè sunt cognita, vt neque vlla pars vestis, neque vllus deniquè pilus, vllo modo ferret aliquod signum exustionis. Rursùs verò harum generosarum virginum reliquias cùm vnguentis & aromatibus martyrum amans condijsset Anastasia, in quadam capsa deposuit cum pietate magna & reuerentia, vt earum esset in martyrio socia, semper precans. Cap. 15. Agape & Chionia sorores in fornace illesæ, reddunt spiritum.

Sic duabus virginibus in Christo consummatis, Comes productā virginem iussit sacrificare simulacris, nè mors, dicens, quæ tuas præoccupauit sorores, te compræhendat. Illa aũt ei dicit: Deum meum, inquit, rogo vt eas sequar in omnibus. Tyrannus verò cùm esset valdè callidus, & sciret quàm esset graue & detestandum, & vel ipsa morte acerbius Christi seruis, intemperantia: Te, inquit, in publico statuam prostibulo, cuiuis volenti prostituens: vt anima & corpore polluta, vt eloquia docent tuæ scripturę, malè pereas. Martyr autē cùm statìm in cęlum sustulisset oculos, & è profundo lamentabiliter suspirâsset: Confido, inquit, in Deo Seruatore meo, quòd pedes meos euellet è laqueo, & animam meam liberabit ab omni immunditia. Fidelis est enim, qui promisit, quòd non sinet nos tētari suprà, quàm possumus. Ego verò deos tuos nō colam: neque eis offeram vnquàm sacrificiũ. Quod autem fit per vim, & repugnante voluntate, quandò turpe fuerit, ijs quidē qui sunt coacti, videtur potiùs esse supplicium, quàm peccatum: reos autem constituit eos, qui vim attulerunt. Meum itaque non fuerit hoc peccatum, quomodò nec ijs, qui me præcesserunt, martyribus, pollutæ carnes & vinum libaminum, per vim in os eorum iniectum, omninò obfuit. Si enim non persuadens, sed vim afferens, vis trahere ad cultum tuorum deorum, cur non citò vtens potestate, vel inuitos Christianos cogis genu flectere dæmonibus? Cap. 16. Ecce oratio cũ eleuatione oculorũ ad cælum & suspirio.

Hæc postquàm audijt Præfectus, tradens eam militibus, iussit abducere in prostibulum. Deus autem non sinit, suorum omninò curam gerens: sed protinùs ad milites accedentes Angeli, qui ipsi erant induti habitu & veste militari, & tanquàm secundi à Præfecto missi, & eam aliò transferre iussi, auferunt quidem ab ijs, qui eam detinebant. Cùm verò eam abduxissent in cacumen montis, mirum in modum alti, illic statuunt, metu quidem & perturbatione plenam, quòd ad priora attinet: deindè etiam Deo eloquentem verba gratiarum actionis. Postquàm autem, quod factum fuerat, accepit Comes, statìm ascendens equum, equitauit ad montem. Hîc verò vide mihi res Dei admirabiles, quæ mentem quidem vocant ad admirationem, linguam autem ad laudem. Vbi enim accessit ad locum, mente immutatus, videbatur quidem videre procùl virginem, & eam appropinquare: visam autem appræhendere, etsi maximè vellet, non poterat. adeò vt illud Esaiæ in eo quoquè impleretur, dicentis: Palpabūt tanquàm cęcus parietem, & tanquàm oculos non habeant, palpabunt. Talis ei murus firmus & validus obiectus fuerat ante virginem. Quamobrèm tumulum in orbem circumiens, Cap. 17. S. Irenē mirè liberat Deus à prostibulo. Esa. 59.

iens, mansit à matutino vsque ad occasum solis, frustrà laborans & circumerrans.

Cap. 18. Interim autem dum hæc fiebant, quidam ex ijs, qui erāt cum eo, militibus arcum dirigens in martyrem, & iaculum emittens, ipsam quidem ferit, Deo concedente: Illa autem passis manibus cùm se ad preces composuisset: Gloria tibi, Christe Deus, effatur, quòd non solùm ab impio cultu, sed etiam à quibusuis alijs sordibus & inquinamentis me puram conseruaueris, & pro tuo nomine decertare voluëris. Cùm sic dixisset, in Angelorum manus emisit animam. Eius autem corpus, cùm illinc remotus esset Comes, tollens Anastasia, vnguentis conditum & linteis honorificè compositum, simul deponit cum sororibus, quæ fuerant sociæ certaminis.

S. Irene sagitta percussa migrat ad Christū.

Cap. 19. Deindè ad Imperatorem Diocletianum defertur etiam martyr Theodote: quæ orta quidem erat ex Bithyniæ ciuitate Nicea: Christiana autem erat religione, & in eius zelo feruens: inquilina verò erat ipsa quoquè cum Anastasia & tribus liberis in Macedonia. Cùm ergò ipsa quoquè se stitisset ante Imperatorem, quidam nomine Leucadius, valdè captus eius pulchritudine, (erat enim Theodote quoquè facie venustissima) vehementer instabat apud Imperatorem, vt misereretur eius pulchritudinis, & non sic immaturam perderet puellam pulcherrimam. Quoniam autem ea petebatur ad nuptias, Imperator lubens dedit lubenti: existimabat enim fore, vt ex eius coniugio ei fieret disiunctio à Christi religione. Cùm ergò Theodotem accepisset Leucadius, quid non dicebat, quid non faciebat, studens ei persuadere, vt castitatem quidem & pietatem in Christum abiuraret: impietati autem assentiretur, & sic matrimonio cum eo coniungeretur?

Patria S. Theodotæ martyris.

Cap. 20. Postquàm verò hæc agens visus est in aquā scribere, & canere inania, cùm essent huiusmodi, quæ ei dicebat Theodote: Si meas quidem opes cupis & pecunias, & me ideò studes vxorem ducere, eccè tibi cedo omnibus, pro omnibus diuitijs solū Christum sortita. Sin autem etiam corpoream amas pulchritudinem, scias te ea amare, quæ omninò fieri nequeunt. Priùs enim meam formam, quàm mentē, mutaueris, etiamsi me igne & ferro, & omnibus simul cōsumpseris supplicijs. Vbi hęc ergò audiuit Leucadius, quoniam paratus erat vnà cum egrediente exire Imperatore, domi quidem relinquit Theodotem: ipse verò iter est ingressus, Theodotæ negocium non leuiter & in transitu tractandum esse ducens, sed id reseruans ad ocium & tempus conueniens. Cùm ergò relaxata fuisset Theodote, & similem in virtute & fide assumpsisset Anastasiā, vna animi alacritate & consensione, & quasi conspiratione, parique zelo peragebant solitum cursum pietatis Christianis, qui in carceribus publicis inclusi erant, effectæ omnia, medici vulnerum, suppeditatores pecuniarum, præteritorum malorum solatium, & ad futurum validissima consolatio. Et sic quidem virgines.

Immutabilis eius constantia.

Cap. 21. Cùm autem rursùs intellexisset Diocletianus, quàm essent quidem angusti carceres propter multitudinem piorum, qui in ijs detinebantur: essent verò inania quæuis excogitata tormenta, à confessione nemine eorum recedente: eos quidem iubet diuersis mortis illatis generibus de medio tolli ex hominibus, & ità locum dare carceribus: alios autem compræhendere, qui eadem sentiebant: & primùm quidem in vincula conijcere: deindè si sibi non persuaderent, vt suam abiurarent religionem, eos tormentis afficerent. Tanta erat impij contentio aduersùs Christianos, occulto tyranno, communi, inquam, hoste Christianorum, illum ad hoc incitante. Atque sanctis quidem multa & varia mortis genera sunt dispertita: & alios quidem ignis, alios verò aqua, alios autem ensis, alios verò aliquid aliud ex nouis illis præter hæc inuentis repentè & in vna nocte omnes compræhendit.

Angusti sunt carceres propter multitudinem Christianorum captiuorū.

Cap. 22. Martyrum autem amans, quæ ipsa quoquè mox martyr erat futura, Anastasia, cùm de his resciuisset, (manè enim aduenerat, eos more solito curatura) vbi intellexit vacuum esse carcerem, & aërem impleuit vociferatione, & vberes lachrymæ fluxêre ex oculis: eamque opprimebat gemitus, & lacerabant eiulatus. Rogata verò cur fleret, illa nihil verita, neque volens esse nocturna Christi discipula: sed timens potiùs, nè pro eo non pateretur nec moreretur, vociferans dixit: Quæro Dei mei seruos, qui modò erant in custodia. Postquàm autem intellexerunt eam esse Christianam, eam protinùs compræhensam duxerunt ad Florum Præfectum Illyrici, dicentes: Inuénimus hanc flentem in carcere:

Vide admirabilem S. Anastasiæ feruorem.

& cùm

& cùm intellexissemus esse Christianam, & flere propter Christianos, eam ad tuum iudiciale tribunal adduximus. Cùm verò Præfectus eam interrogâsset cum admiratione, Tu ergò es Christiana? illa clara voce: Certè, inquit, sum Christiana. Nam quod tibi videtur esse vnum ex nefarijs, hoc est mihi ornamentum, & nomen præcipuum.

Item liberrimam confessionem.

Cap. 23.

Postquàm autem ille & vitæ eius conditionem, & patriã, & genus accepit, quòd scilicet in veteri vrbe Roma illustri loco esset nata: Quid verò, inquit, te persuasit, vt Romam quidem relinqueres, huc autem venires? Martyr verò, Quidnam aliud, inquit, nisì solùm vox mei Domini? Hanc enim solam sequens, parentibus simul & cognatis & opibus despectis, & amico patriæ solo relicto, mei Christi crucem sustuli, promptisque & alacribus eum sum secuta pedibus. Dicit autem Præfectus: Vbì est is, quem tu dicis, Christus? Vbiquè, inquit martyr, neque est vllus locus, qui eo careat. Est in cælo, est in mari, est in terra. Nihilosecìus autem est etiam in omnibus, qui eum inuocant & timent, intelligenter eos illuminans, & cum eis versans. Ille verò, Vbinàm sunt, inquit, isti, vt eos cognoscamus? Illa verò, Hucusquè quidem, inquit, hic sunt versati, & nobiscum egérunt in corpore. Nunc autem terra relicta, nos procùl vident, versantes in cælestibus. Mors enim suscepta propter Christum, hæc eis conciliauit. In quorum numerum cupio ego quoquè referri, & idem quod illi iter ingredi.

Sancti versantes in celis nos vidẽt, & quid circa nos agatur.

Cap. 24.

Postquàm autem intellexit Præfectus hæc dixisse martyrem de Christianis, qui interempti fuerant in carcere: Mihi vidéris, ait illi, multis opùs habere supplicijs. Eccè enim iniecisti nobis suspicionem, te illis fuisse causam mortis, vt quæ eos contra nos moueres, & eis persuaderes repugnare edictis Imperatorum. Sed non poteras latére deos, quos nihil latet: qui cùm tuæ menti magnam offudissent caliginem, te tua non præuidentem ad hæc impulerunt, &, vt te nobis aperires, persuaserunt. Quoniam verò cùm illustri genere nata esset Anastasia, non fas erat Præfecto eam punire, antequàm de ea cognosceret Imperator, omnia refert ad Imperatorem. Ille autem (intellexerat enim quòd cùm à patre magnam accepisset hęreditatem, eam omnem distribuerat pauperibus) iussit eam tutò custodiri, donèc veniret in ciuitatem. Cùm verò accessisset, in eius conspectum deducitur illa beata. Ille autem ante alia eam rogauit de facultatibus: eas enim magis amabat, quàm deos. Vbì est, inquit, aurum, quod tibi obuénit à patre? Illa verò respondit magno & excelso animo: Si adhuc mihi reliquum esset aurum, per quod Christi quidẽ seruis, meis aũt conseruis, possem subuenire, non me ijs, qui quærebant, tradidissem. Quoniam autem in eos, qui rectè agebant, omnia, vt oportet, sunt a me cõsumpta: quod mihi solùm est reliquũ, ipsum quoquè corpus studeo Christo meo offerre. Imperator verò cùm verba audijsset sapientia, specie quidẽ ipsam despiciens vt fœminam & iuuenem: reuerà autem timens, nè maiori afficeretur dedecore, quomodò verbis, ità etiam rebus ipsis magìs victus, quandò eius per tormẽta faceret periculum, ipse quidem dicens non par esse, vt cum muliere insana loqueretur, destitit ab examinatione: Præfecto autem eam mandat examinandam.

S. Anastasia [illegible] pauperibus.

Constantissimè respondet Diocletiano.

Cap. 25.

Ille verò cùm statìm pellem induisset vulpinam, blandis verbis eam conabatur inducere, dicens: Cur, ô mulier, non vis dijs offerre sacrificium, quomodò pater tuus obtulit? sed ijs relictis, colis Christum, quem nescis & ex Iudæis natum, & ab ijs ipsis, tanquàm maleficum, de medio sublatum? Anastasia autem respondit: Ego deos & deas, quas tu dicis, colebam aliquandò: Nunc verò rectiori suscepta sententia, eos quidem ab ipsis impositis araneis & auibus, quæ eos afficiebant iniuria, & à muscis quæ in eis habitabant, liberans, igni tradidi: & cùm sic eos conuertissem in pecunias, satiaui multorum ventres esurientes, & alijs egentibus præbui vitæ adminicula. Sicque ea, quæ nulli erant vsui, effeci vt non essent ociosa, sed valdè vtilia. Præfectus autem statìm cum magna acerbitate, At ego, inquit, non patiar, vt hoc sacrilegum facinus ne auribus quidem accipiatur. Subridens verò martyr: Ingenij tui acumen admiror, ô Iudex, quòd hanc rem voces sacrilegium. Si enim vllus sensus, aut vlla vis esset in his inanimis, quid obstaret, quò minùs sibi, dum franguntur & conuelluntur, & alia patiuntur, opem ferrent, & eos, qui insultant, vlciscerentur, aut alienum saltem & vestrum tunc implorarent auxilium? Nunc autem ne hoc ipsum quidem sciunt apertè se pati. Orationem verò interrumpens Præfectus, Diuinissimus, inquit, noster Imperator iussit, vt alia quidem iuberem valere:

S. Anastasię in dicendo libertas.

lere: hoc autem solùm facerem, nempe vt vel persuaderem, vt sacrificares, aut tu alioquì malè perires.

Cap.26. Intrepida respondet Præfecto. Postquàm verò dixit martyr, non esse perire, mori propter Christum, sed vitam potiùs æternam firmiter apprehendere: cùm Præfectus rursùs mouisset multa verborum examina, multos autem metus atque adeò ipsam mortem ei redegisset in memoriam, vbi vidit eam omnia ex æquo ridentem, omnia rursùs refert ad Imperatorem. Propter quæ cùm ille fuisset magìs ad iram incitatus, & quidnam de ea oporteret fieri deliberaret, accedit aliquis ex ijs, qui cum eo versabantur, & ei studebant gratificari, &, Iube, inquit, ô Imperator eam tradi Vlpiano pontifici Capitolij. Ei enim vel maximè curæ erit, vt qui sit deorum pontifex: & vel omninò persuadebit, vel acerbissimè puniens tollet de medio: omnes autem eius facultates, si modò sint vllæ reliquiæ, dedicabit Capitolio. Placuerunt hæc Imperatori: & prout fuerat monitus, accersito Vlpiano, eã ei tradit. Ille verò faciens diuersum ab asperitate Imperatoris: astu autem potiùs se eam esse superaturum, & ei persuasurum confidens, eam honorificè abducit in domum suam.

Cap.27. Vlpianus Capitolij pótifex nititur eam euertere. Et primùm quidem multis ijsque probabilibus verbis, per auditum quodammodò infundere venenum contendebat. Deindè etiam per adspectum adhibuit deceptionem, valdè improbè & malitiosè opponens cõtraria contrarijs: hinc quidem mundos muliebres luculentos & sumptuosos, illinc autem omne genus tormenta: hinc lapides preciosos & grato nitore resplendentes, illinc enses micantes horribiliter. Hinc quidem lectos argento incrustatos, & stragulis elegantibus ornatos: illinc autem collaria & vincula maleficorum, & grauia flagella. Cur verò hoc faciebat vir ille callidus & astutus, & cur cum benignis coiungebat acerba & molesta? Vt vel rebus lætis illiceret, vel terrorem afferret rebus terribilibus. Sed seipsam fefellit iniustitia, vt dicit diuinus Dauid, & hæc sunt pro nihilo reputata à martyre. Dicit enim, liberalem præ se ferens spiritum, grauemque & honestum habitum: In te hæc omnia, diabole, & tibi sint soli: quoniam cum eis tradéris ad interitum. Sin autem efficies, vt flagellorum quoquè faciam periculum, & his vinculis & collaribus grauabis collum meum, tunc tanquàm aliquod colli ornamentum, quod mihi impones, collare gestans, Christo apparebo gratior & venustior: quoniam ipse est Seruator meus & defensor meus, & in eo sperauit cor meum.

Psal.26. Mẽtita est iniquitas sibi.

Psal.27.

Cap.28. Martyris itaque animi magnitudinem admiratus Vlpianus, & ratus fore, vt eam molliret tempore, quæ cedere nolebat, in animo habebat eius causam differre in tertium diem. Illa verò ei propter moram indignans, Iam, inquit, existima hos tres dies mihi preterijsse, & meis verbis animum adhibe. Eccè enim eadem tibi nunc dicam, quę dictura sum post deliberationem. Deos tuos non colo, & tuę & Imperatoris repugno voluntati. Sacrifico autem sacrificium laudis seculorũ Regi Christo, qui est meus & solus immortalis Deus, pro quo etiam profundo animã, & tua tormenta despicio, vt solum Christum lucrifaciam, qui est vita æterna. Ille verò, Sciebam, inquit, fore, vt similem Christo mortem tu quoquè stulta eligeres. Illa autem cùm audijsset, & ex eo quod dictum erat, lætitiam accepisset, Amen Amen fiat mihi, inquit, Christe mî sponse & Rex. Pontifex autem interrogauit protinùs, Quid sibi vult illud Amen? Martyr verò, Sed tu non es, inquit, dignus qui hoc discas. Nemo enim, inquit, qui sapit, commiserit vnguentum vasi putri. Vlpianus autem fecit vt statuerat: & cùm ei dedisset terminum trium dierũ, tradit eam mulieribus gentilibus, & quæ genere ad eam attinebant, mulierum sermone & dierum longitudine fore, vt nonnihil sententiam mutaret, existimans. Illa verò cùm sibi persuasisset augere potiùs, quàm minuere suum in Christum desiderium, mulieres quidem illas, & illos sermones, existimabat esse inanes strepitus, qui temerè effundebantur in aures: manus autem & mentem simul in altum attollens, ad opem ei ferendam in certamine vocabat Christum, quem diligebat, nec cibũ nec potũ sumere omninò tribus diebus sustinens.

Nõ patitur differri martyriũ suum.

Ecce fœminam, Christi amore ebriam.

Triduana eius inedia.

Cap.29. Tertio autem die pòst venit rursùs Vlpianus, ex eo quod valdè vellet, minimè desperans: sed conijciens se prædam tenere propemodùm. Vbi verò eam interrogâsset, & resciuisset incrementum sumpsisse eius sententiam longitudine temporis, & non solùm bonorum promissione, sed etiam suppliciorum formidine mulierem esse superiorem: quinetiam naturali quoquè necessitati minimè concedentem, quæ tanto tempore nec cibum nec potum sumpsit: Postquàm hæc audiuit sacerdos

cerdos falsorum deorum, in aulam quidem prosilit, eam per se contendens trahere: cumque vellet aliquid facere inhonestum, & prophanis suis dijs dignum, feritur statim plaga immissa diuinitùs, & oculorum luce orbatus, obibat totã domum, non potens videre ampliùs. Quinetiam præter cæcitatem, vehementissimus dolor eius inuadit oculos. Eo ergò dolore affectus, clamabat sceleratus, & suorũ deorum miserè inuocabat auxilium. Hæc autem non temerè administrauit prouidẽtia: sed vt cùm ij qui erant extrà, sensissent, &, vt par erat, congregarentur ad opem ei ferendam, res euaderet manifesta, quanam ratione & quomodò accidisset, & nõ liceret sacerdoti causam in aliud conferre, aut mentiri aduersùs miraculum. Quod etiam factum est, & cùm multi adessent testes, deductus domum cæcus, & graui dolore affectus, & deindè grauioribus dolorum stimulis vexatus, iubet vt in execrandũ deorum suorũ templum deferretur, & illic deponeretur, putans fore, vt qui eos coleret, ab eis curaretur. Egregiam verò, & quam par erat, sui cultús retulit mercedem. Doloribus enim adhuc vehementiùs eum inuadentibus, emittit etiam animam. Põtifex idolorũ, lumine orbatur &c. Vitã amittit sceleratus.

Ex eo Anastasia libertatem consecuta, illinc quidem egreditur: venit autem ad Theodotem, quam priùs declarauimus habitare apud Comitem Leucadium: & sigillatìm ei narrat omnia, tam quæ passa sit, quàm quæ per ipsam & cum ipsa Deus fecerit. Paucis pòst diebus Comes quoquè Leucadius ex Bithynia reuersus, cũ Theodote prioribus similes rursùs habuit sermones, tentans eam inducere. Postquàm autem multa loquens, cognouit se loqui litori, & cum ventis conferre sermonem, Anastasiam quoquè resciscit apud eum degere: & furore percitus, propterea quòd Theodote illius admonitionibus inducitur, vt eum magis contemnat, Anastasiam quidem statìm vinctam tradit tribunali iudiciario. Quinetiam Theodotem vinctam transmittit ad Proconsulem Bithyniæ, de ea eum per literas, quamcitissimè fieri potuit, reddens certiorem. Cap. 30. S. Theodote mittitur captiua in Bithyniam.

Cùm autem in Bithyniam peruenisset Theodote, producta est ad tribunal Proconsulis: Agè, inquit ille, ô Theodote, iussis párens Imperatorijs, velis dijs offerre sacrificium. Sic enim simul & filijs viues, & particeps eris multorum bonorũ. Nam etsi non tua, at filiorum quidem certè tuorum causa, æquũ fuerit, vt id eligas quod est futurum tibi vtile. Dum hæc autem martyri diceret Proconsul, respondens illius filiorum primogenitus, cui nomen erat Euodius: At nos, inquit, ô Præses, hominum supplicia nequaquàm pertimescimus: quę corpori quidem incorruptionem, animæ autem potiùs immortalitatem solent conciliare: sed ijs, parùm abest quin dicam, æquè àc conuiuio delectamur. Deum verò potiùs timemus, qui potest animam & corpus punire in gehenna. Proconsul autem oculis in puerum coniectis, Cùm videam te, inquit, ætate admodùm imperfectum, miror quomodò & à quo hæc sic didicisti, quæ vix multi & lõgo tempore & labore sunt cõsecuti. Quibus puer opportunè respondit: Seruator noster & Dominus Iesus Christus, ipse est qui dixit: Quandò duceminì ad Reges & præsides, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nunc ergò sunt hæc non mea, neque humanæ sapientiæ verba: sed omninò quidem mea est lingua, apertè autem Dei sunt verba. Iudex verò velutì de matre spem abijciẽs, & de primo eius filio, se transfert ad alios tentandos, eos videns ætate esse imperfectiores, putans fore, vt eos ad suam traduceret sententiam. Postquàm autem visi sunt rami nihil differre à generosa radice: sed ostenderunt pueri se illius quidem filios, huius verò esse fratres, se rursùs transfert ad matrem, & filium eius primogenitum: Conuertimini, dicens, ad vestra viscera. Parcite teneris infantibus immaturis. Nolite videre eos ante vestros oculos malè pereuntes. Cap. 31. S. Euodij pueri & martyris constantia. Matth. 10. Ibidem. Mira puerorũ virtus.

Cùm multa eiusmodi dixisset, & vidisset verba temerè fundi in aërem, iubet filium ante oculos matris crudeliter cædi virgis. Quod videns generosa mater, non modò nihil indecorum aut gessit, aut est locuta: sed etiam velutì gaudens plagis charissimi filij, adstitit alacris, annuens oculis, gestu incitans, verbis adhortans: Nè succumbas, dicens, ô fili: sta fortiter nate. has propter Christum plagas, honores & coronæ excipient. His Proconsul vel animo maximè incensus, maligni dæmonis suggestione improbum capit consilium. Viro enim petulanti, & ad amores incontinenti tradit hanc mulierem inprimìs venerandam. Sed non erat insolentis hominis futurum diuturnum gaudium. Nam postquàm eam vel solùm attigit Hyrtacus, (ità enim vocabatur) totus vultus protinùs est mutatus, & nec concessum Cap. 32. S. Theodote lætatur plagis filij sui. Vltio diuina in virum libidinosũ.

quidem est intueri martyrem sine timore. Itaque magna voce clamauit ad Proconsulem, dicens se, cùm primùm manum iniecit in Theodotem, vidisse quendam iuuenem, vultu formosum & habitu decorum, simul adesse cum Theodote, qui ei incusso colapho, & nares contriuit, & vt per eas sanguis manaret, effecit. Sed non videbat cæcus, & stultus Proconsul minimè intelligebat: & neque, si nihil aliud, miraculi reueritus fuit euidentiam, neque destitit aduersùs eam contendere. Sed cùm eam rursùs sisti curâsset, minatus est se ei esse illaturum, quæ videbantur omnium grauissima: Nisi deos, dicens, immortales colueris, interfecti cadent ante tuos oculos filij. Illa autem, Vel hoc, inquit, olìm maximè sitio. Sic enim cùm meos filios, viuens ad Christum præmisero, & tanquàm in tuto portu constituero, deindè
Esa. 8. ego sequar eue stigiò, adeò vt aptè possim canere: Ecce ego & filij, quos mihi dedisti Deus.

Cap. 33. His magis conturbatus Proconsul, iussit eam igni tradi simul cū filijs. Postquàm
S. Theodote cū tribus filijs in fornace reddit spiritum. autem fornax fuit accensa citiùs, quàm iussum fuerat, illi tanquàm fontem aquæ cum gaudio fornacem subière: & Deum quidem benedicebat mater: collætabantur autem filij. & sic ambo læti & alacres animas suas in manibus Dei deposuerunt. Et illos quidem sic accepit beatus finis: Beata autem Christi martyr Anastasia custodiebatur apud Præfectum Illyrici: qui cùm de ea diligenter quæsisset, & eam illustri loco esse natam intellexisset, magnasque esse eius facultates, & ex ijs esse ortam, quorum magnæ erant opes, à lucro superatus, & captus amore pecuniæ, cùm eam seorsùm ad se adduci curâsset, Scio, ó mulier, inquit, te esse valdè diuitē: Christianam autem esse & tu dicis, & ego iam sum expertus. Agè ergò parens tuo sponso, qui lege cauet, vt omnes despicias diuitias, cede mihi pecunijs & possessionibus, & omnibus tuis facultatibus. Tu autem hæc faciens, vtrinquè lucraberis: vt quæ legem quidem sis impletura, & libera futura à nostrì metu. Deincèps enim tibi licebit & securè sacrificare, & liberè colere Deum, qui à te adoratur.

Cap. 36. Ad hæc velutì quæ animum erexisset, supernæ sapientiæ plena Anastasia: Sed, ô
Sapiens responsum S. Anastasiæ. Iudex, inquit, alicubì dictum est in Euangelijs à meo Christo, Vende omnia quę habes, & da pauperibus: & habebis sic thesaurum in cælis: Tibi autem, qui es diues,
Matth. 19. quis est adeò miser & adeò demens, qui cùm velit succurrere indigentibus, diuiti præbeat res pauperum, & res esurientium ei, qui degit in delicijs? Quòd si te videro
Matth. 25. esurientem, & sitientem, & nudum, & ægrotantem, & coniectum in carcerē, tunc conuenienter ei, quod dicit meus Christus, te & nutriā, & potabo, & visitabo, & colligam, & suppeditabo quæ erunt necessaria. Sed enim secundùm carnem & mundum tu quidem es valdè diues: ea verò, quorum es pauper & valdè inops, & quæ oportet petere, cur non petis? Rogante autem Præfecto, Quænam ea sunt, & quanam ego laboro inopia? Maxima, inquit illa, in rebus maximis, nempe in fide, & cognitione, & veritate.

Cap. 25. Præfectus verò captans, vt videtur, gloriam acutioris ingenij, arripiens id quod
Matth. 17. dixerat: At tu quoniam, inquit, es fide diues: dic, inquit, verbo monti, Transmouere: &, si transmouebitur, conuenienter ijs, quæ tuus tibi promisit Magister, credemus. Illa autem, (erat enim satis erudita) Et hæc quidem, inquit, audet nostra fides &
Exod. 14. ea quæ sunt his longè maiora. Fert verò mihi testimonium, Moses quidem, non in
Iosue 10. terra solùm faciens miracula, sed etiam mare diuidens, & rursùs coniungēs: Iosue
3. Reg. 17. autem sistens solem, qui est supra nos: & Elias ipsum totum cælum claudens; nè di-
Act. 5. & 19. cam Christi mei discipulos, quorum vel vestes & vmbræ solę mortuos suscitabant, &, qui sunt apud vos dij, dæmones expellebant: & quæ quotidiè vobis videntibus fiunt per eos, qui decertant pro nomine Christi, etiamsi nihil eorum, quę fiūt, conferat vobis ad intelligentiam, sed spontè propter vestram cæcutitis malitiam. Sed non cùm vobis visum fuerit, est diuina virtus inuocanda à Christianis, assentiendo
1. Cor. 1. tentatoribus. Scriptum est enim, vos infideles partìm quidem signa, partìm autem quærere sapientiam: nos verò prædicare Dominum Iesum Christum, eumque crucifixum. Hoc, inquit, me conturbat, quòd fuerit crucifixus. Quomodò Christus tuus, qui est, vt dicis, Deus, crucem subijt, & prætereà fuit punctus in latere? quod quidem Iouem, qui est deorū nostrorum maximus & summus, passum esse non potes
Crux Christi omnibus Christianis gloriatio. dicere. Quomodò ergò non eum potiùs adoras, repulso crucifixo? Martyr autem: Quoniam, inquit, crux & mors est Christo gloriatio, & omnibus Christianis: cùm ille quidem immortalitatem & gloriā per hæc dederit, hi verò acceperint. Tui verò

rò Iouis opera. Sed ego nihil de his. Tu ergò summum quidem illum tuum Iouem, si vis, sicut reuerà vis, imitare: me autem sine meum Deum imitari.

His dictis, ira valdè fuit accensus Præses, & iubet eam in carcere quidem includi obscurissimo: omnia verò instrumenta tormentorum deduci in eius cōspectum, vt vel cùm vidisset, ei metu persuaderet, vt aliquid de sua remitteret constantia: aut si retineret suam animi magnitudinem, varium & multiplicem ei afferret dolorem, recordatione eorum, quæ molestia afficiunt. Porrò autem iubet etiam exiguum ei dari nutrimentum, idque post occasum solis. Martyr verò cùm & sic habitaret, & hæc videret, & nollet omninò esse cibi particeps, pro omnibus apud se versabat suum in Christum desiderium. Id autem erat illi & cibus sufficiens, & solatium obscuritatis. Ei verò videbatur etiam singulis noctibus socia certaminis Theodote, & cor eius replens lætitia, viresque & animum addens ad certamina. Quam etiam sæpè ventitantem, quæ nullum siuit bonum non examinatum Anastasia, hoc quoquè interrogauit, quonam modo ad eam veniret post mortem. Illa autem dixit, hoc quoquè datum esse à Deo animabus martyrum, vt, postquàm hinc excesserint, veniant ad quos velint, & cum eis sermones conferant, & eos consolentur. Cap. 36. S. Theodote crebrò apparet S. Anastasiæ. Singulare priuilegiū martyrum.

Cùm venisset verò dies tricesimus, existimans Præfectus fame & alia afflictione confectam esse martyrem, & aliquid de sua remisisse constantia, vbi eam accersisset, & alacriorem liberiusque quàm priùs loquentem vidisset, iratus fuit custodibus, vt qui ei dedissent aliquid, quo se reficeret. Illorum itaque benignitatem accusans tanquàm crimen, eos remouet à custodia: eam verò committit alijs, quos sciebat lubenter omnia facturos ex eius animi sententia. Cùm eos ergò ei præfecisset, & alijs triginta diebus eam custodire iussisset, & signaculis custodiam obsignâsset, abijt. Illa autem, etsi secum ità ageretur, non cessauit tamen facere ea quæ consueuerat: sed in vehementi oratione, & nocturna statione, & assidua extensione manuum perseuerabat. Deindè cùm Præfectus illinc eam eduxisset, condemnat cum multis alijs reis, vt in profundum maris proijceretur. Erat autem vnà cum ijs etiam quidam vir pius, nomine Eutychianus: qui ipse quoquè propter fidē in Christum, nudatus facultatibus, condemnatus fuit, vt iaceretur in mare. Cap. 37. Vide sanctæ martyris in carcere exercitia.

Posteaquàm verò in medio mari fuerunt, qui eos ducebant milites, ipsi quidem cymbam quandam ascendentes, in terram nauigârunt: nauem autem, quæ ducebat Christi martyrem cum Eutychiano & cæteris condemnatis, cùm vndiquè perforâssent, eam, cùm in tanto versaretur periculo, relinquunt fluctibus. Sic nauem mare tegebat, & eis parata à Deo adiutrix missa beata Theodote, & velo insidens cernebatur: & clauum dirigens securissimè, eis nauigantibus cursum præbebat secundissimum. Ad terram autem nauem duxit sine periculo. Quinetiam ostendit Eutychianum fuisse cōnumeratum inter Christi martyres. Tunc itaque, qui erant in naue condemnati, obstupefacti miraculo, ad Eutychiani pedes procidebant & martyris, & rogabant, vt docerentur rationem fidei. Ea ergò quæ petebant, consecuti, & in pietate vt oportet initiati, in Christi gregem sunt cooptati, qui erant omnes simul centum & viginti viri. Cap. 38. En qd possint Sancti post hāc vitam. 120 viri credūt in Christum.

Hæc tertio pòst die significantur Præfecto. Qui cùm statìm magno studio totum hunc chorum, nupèr initiatum, compræhendisset, & ad tribunal sistendos curâsset, eos arbitratus adhuc primam seruare sententiam, eis aurum obtulit & diuitias, & honores partìm quidem iam præbebat, partìm verò pollicebatur, si solùm vidisset mutatos, & rursùs gentilem seruantes religionem. Postquàm autem spe valdè fuit falsus, fortes & validos videns eorum animos, eis contrà ostendebat enses nudos, & ignem, & catapultas, & sartagines: Si nolitis, dicens, at hæc vos inuitos persuadebunt sacrificare. Postquàm autem illi ex æquo neque vincebantur à malis, nec ab ijs quæ bona videbantur, conuertebantur, cùm eos priùs multis affecisset tormentis, deindè etiam iniqua morte eos condemnat. Generosam verò Christi martyrem iubet tribus palis alligatam, & igne vndiquè circūdatam, sic finem subire martyrij. Quod quidem cùm celeriter factum esset, ipsa quoquè in manibus Dei sui deponit spiritum xxij. mensis Decembris. Cap. 39. S. Anastasia victrix migrat ad Dominum.

Apollonia autem quædam mulier genere insignis, precata Præfecti vxorem, accipit sacrum corpus Anastasiæ: & cùm ipsum præclarè & vt oportebat honorâsset, deponit in horto domùs suæ. Posteà verò templum quoquè excitat martyri præ- Cap. 40. Templū S. Anastasiæ conditur.

clarum & magnificum,& posteà anniuersarium ei festum celebrat. Post annos autem multos, ciuitatum felicissima, Cōstātinopolis, inquam, eius ad se exportatas suscipit reliquias, & eas deponit in magnifico templo & ea digno, thesaurum bonorum, fontem miraculorum, corroborationem animæ & corporis: Ad gloriam patris, filij & spiritûs sancti, vnius diuinitatis & regni: Cui conuenit omnis honor, maiestas,& magnificentia, nunc & semper,& in secula seculorum, Amen.

EPISTOLÆ DVÆ S. ANASTASIÆ AD S. CHRYSOGONVM, ET TOTIDEM S. CHRYSOGONI AD *S. Anastasiam, vti habentur in S. Anastasiæ vita, ab Anastasio Bibliothecario edita. Leguntur eædem etiam apud Suidam.*



SAncto Cōfessori Christi Chrysogono, Anastasia. Licèt pater mihi cultor idolorum fuerit, mater tamen Fausta, Christianissima semper vixisse probatur & casta. Hęc me inter ipsa cunabula fecit fieri Christianam. Post cuius excessum sacrilegi iugū mariti suscepi: cuius, Deo miserante, torum mētita infirmitate declinans, die noctuq; Domini nostri Iesu Christi amplector vestigia. Cùm iste patrimonium meum, ex quo illustratur, cum indignis & turpibus idolatris exhauriat, me quoquè velutì magā atque sacrilegam custodiæ tam grauissimæ mancipauit, vt me vitam corporalem amittere suspicer. Nihil enim superest, nisì vt amisso spiritu, morti succumbam: in qua morte licèt glorier de confessione Domini mei Iesu Christi, tamen in eo mens valdè conteritur, quòd omnes meas opes, quas Deo deuoueram, alienis à Deo & turpibus erogari cōspicio. Et idcircò deprecor te, ô homo Dei, vt instanter Dominum depreceris, vt aut ad fidem suam si venturum præuidet, maritum Publium sinat viuere: aut si eum in hac incredulitatis peruersitate scit mansurum, iubeat eum locum dare suis cultoribus. Melius est enim spiritum exhalare, quàm Dei filium denegare, & eum confitentes impedire. Ipse enim testis est Christus, quoniam si liberata fuero, sanctorum vestigijs adhærebo,& curam eorum solicitè exercebo, vt cœperam. Vale vir Dei,& memento meî.

Mater S. Anastasiæ, Christianissima fuit.

S Anastasia in arctissima habetur custodia.

S. Chrysogoni responsum.

CHrysogonus Anastasiæ: Fluctuanti tibi inter procellas & turbines mundi, citò super vndas deambulans adueniet Christus, & diaboli aduersùm te flantem spiritum vno iussionis suę sermone compescet. Patienter ergò quasì in medio mari posita, crede Christum ad te venturum,& ad temetipsam cōuersa, exclama cum Propheta, dicens: Quarè tristis es anima mea,& quarè cōturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultûs mei,& Deus meus. Geminum diuini muneris probatur indicium, cùm tibi & terrena reddentur,& donabuntur cælestia. Dominus enim beneficium suum ob hoc protrahit per aduersa, vt non sit nobis vile, quod præstat. Vide nè turberis in hoc, quòd piè viuentibus inferantur aduersa. Non enim deciperis, sed probaris. Non est tuta defensio, quam tu putas posse per hominem constare, scriptura dicente, Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine: & benedictus homo, qui spem suam ponit in Deo. Caue fortiter & vigilanter vniuersa peccata,& à Deo solo quære solatium, cuius iussa cōseruas. Citò enim ad te placidum conuertetur tempus, & quasi post noctis tenebras floridum diei lumen accipies: atque post glaciale frigus hyemis transeuntis, aurea tibi & serena tempora succedent,& vt omnibus, qui pro Christi nomine affliguntur, temporalem præbeas lætitiam, per quam sine dubio consequaris æternam. Vale in Domino,& ora pro me.

Matth. 14.

Psal. 44.

Piè viuentibus semper inferūtur aduersa.

Iere. 17.

Alia S. Anastasiæ Epistola, cùm se putaret in custodia morituram.

COnfessori Christi Chrysogono, Anastasia. Finis venit corporis mei: memento meî, vt egredientem animam meam ille suscipiat, pro cuius amore ista sustineo, quæ ex ore huius vetulæ recognosces.

S. Chrysogoni responsum.

CHrysogonus Anastasiæ. Semper fit, vt lumen tenebræ precedāt: Sic etiam post infirmitatem salus reuertitur,& post mortem vita promittitur. Vno fine clauduntur

duntur & aduersa mundi, & prospera: nè vel tristibus desperatio, vel lætis elatio dominetur. Vnum mare est, in quo nauiculæ corporis nostri velificant, & sub vno gubernatore animæ nostræ nautico funguntur officio. Quarundam igitur naues fortissimis carinarum nexibus solidatæ, tenebrosi æquoris concito cursu fluctus illæsæ prætereunt: quarundam verò fragilis iunctura etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt cursum. Propè est enim vt pereant, qui non cogitant, vt ad salutis portum attingant. Tu autem, ô Christi irrepræhensibilis famula, Crucis Christi trophæum tota mente constringe, & teipsam ad opus Domini præpara: in quo tuis desiderijs dum paruëris, cum martyrij palma ad Christum attinges.

Vno sine clauduntur aduersa mũdi & prospera.

Crucis Christi trophæũ complectẽdum.

DE templo in honorem S. Anastasiæ à sancto Martiano extructo, ac de miraculis quæ in eo fiunt, legat eiusdem Martiani vitam Lector, quæ habetur 10. die Ianuarij Tom. 1. folio 221. &c. nouæ editionis.

MARTYRIVM SANCTÆ MARTYRIS EVGENIAE, AVTHORE SIMEONE METAPHRASTE, VT *habetur quinto Tomo Aloysij. Nos numerum capitum margini adiecimus.*



COMMODO post Marcum suum patrem, Romanum tenente imperium, cùm iam septem annos in eo transegisset, quidam Philippus vir illustris Aegypto præficitur: qui simul cum vxore Claudia & filijs mittitur in Aegyptum. Ei erant duo quidam filij masculi, Auitas & Sergius: filia autem, nomine quidem Eugenia, animo verò generosa, sicut etiam corpore & forma insignis. De cuius vita propositum est dicere viris bonis & virtutis amatoribus. Atque Philippus quidem postquàm venit in magnam Alexandri ciuitatem, illic omnia administrabat, Romanos & patrios sequēs mores. Et infestus quidem erat ijs, qui artem tractabant magicam: infestus autem & Iudæis: illorum quidem multos de medio tollens, Iudæos verò ne sinens quidem nominari. mitiùs autem agebat cum Christianis, ipsos quidem etiam expellens è ciuitate: sed ante muros, cùm ità iussisset Imperator, eos sinens degere & habitare. Apertè autem ostendebat, se Christianos quidem reuereri propter perfectam vitę philosophiam: & ideò eos etiam præferens cultoribus simulacrorum. Ipse verò cùm rursus teneretur à superstitione & falsa religione, quæ à patre ei fuerat tradita: amaret autem eruditionem & eloquentiam, Eugeniam quoquè suam filiam in disciplinis educauit liberaliter, vtrunque docens, nempe Romanam & Græcam orationem, & studens videre eam valdè prouectam in philosophia. Illa autem cùm docili ingenio addidisset etiam exercitationem, celeriter aduolauit ad doctrinam, animum quidem adhibens omnibus, quæ erant vtilia: omnia autem, quibus animum adhibebat, mente facilè appræhēdens: quæ verò didicisset, ità tenens memoria, vt viderentur scripta esse in eius corde tanquàm in tabulis æneis.

Decemb. 25. Cap. 1.

S. Eugeniæ Parentes.

Nota qualis fuerit olim vita christianorum.

Magni sanctæ Eugenię in literis progressus.

Cùm sic doctrinę esset dedita, nihilosecciùs erat etiam suapte natura studiosa virtutis: & erat quidem digna, cuius cerneretur species: & digna, cuius audiretur oratio: ad imitandum autem erat omnibus vtilis & salutaris: &, quod est omnibus admirabilius, cùm nondùm excessisset ætatis annum decimumsextum, in morum honestate & studio virtutis superabat eos, qui erant ætatis longè prouectioris. Cùm autem latére non posset, omnia peruadente fama, hanc quæ erat virtute clarissima, in administratione reipublicæ clarissimus despondit Aquilinus, qui tunc erat Consul, & alioquì tenebat primum locum apud Romanos nobiles. Postquàm verò rogauerunt parentes, nunquid ei cordi esset coniugium & gratus sponsus, hîc maximè Eugenia ostendit signum generosi animi. Quiduis enim potiùs pati sustinens, quàm sibi charam expellere virginitatem, & amittere castitatem, parentes arte decipit: & viri quidem genus laudauit, mores autem repræhendit: & oportet, inquit, vt plurimùm illos sponsos eligere, qui generi ornamentum afferunt, non qui volunt ornari à genere. Cùm autem multi etiam alij eam pete-

Cap. 2.

Respuit Cõsulis Aquilini & aliorũ coniugium.

rent à parentibus, clari opibus & genere, ne illi quidem omninò in omnibus defuit honesta excusatio. Sed specie quidem repellebat eum, qui nunc volebat ducere vxorem: re vera verò omninò recusabat matrimonium, & hoc erat, cuius solùm studio tenebatur, nempe vt esset casta. Sic vas, quod erat speciosum & mundum, paratum erat scilicet ad diuinum vnguentum suscipiendum. Propterea bona opera, bona quoquè fides mox est secuta, & pura accedit ad purum fontem pietatis. Rei autem hæc fuit occasio.

Studiū castitatis in Eugenia, adhuc pagana.

Cap. 3. Venit ei in manus Pauli diuini præconis diuinus liber epistolarum, & cùm ad ea quæ dicebantur, intelligenda mentem suam defixisset, & cognouisset verè vnum esse Deū, qui fecit hoc vniuersum, mente quidē statìm illuminatur, vt quæ eam diù antè haberet purgatam, & parata esset ad diuinum spiritum suscipiendum. Cùm autem in præsentia mente Christo credidisset, in aperto parentum suorum celat furorem. Postquàm verò venit decretum Imperatoris, extra muros expellēs Christianos, & Præfectus hoc iam aggrediebatur, ipsa desiderans securè frui Christianis & eorum doctrina, fingit quidem, se vt rure recreet, & bona fruatur aëris tēperie, excedere è ciuitate, & vt parùm relaxet animū à studijs doctrinæ. Postquàm autem nihil suspicati parentes, eam facilè dimiserunt, egreditur in vicos. Cùm venisset autem in quoddam prædium, & in eo incidisset in multos monachos valdè honestos, & numerosè canentes, audit sacrosanctam illam vocem, Omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit. Hoc cùm illa audiisset, & tanquàm ob patrium errorem pudore perfusa esset, miserabilem quidem & profundum è corde emittit gemitum.

Credit in Christum.

Psal. 95.

Cap. 4. Conuersa verò ad Eunuchos, qui eam sequebantur, quorum vnus quidem vocabatur Protas, alter autem Hyacinthus: audiuerant verò ij quoquè philosophiam. Vos quidem scio, inquit, in disciplinis satìs esse versatos, & philosophorum percepisse dogmata, quæ Socrates & Aristoteles & Plato, & clara tradit Stoicorum secta, & opinio Epicureorum: Similiter autem aliorum quoquè Sophistarum & Poëtarum, & quicunque gloriantur se non esse ignaros eorum, quæ sunt cognitionis. Sciatis ergò hæc omnia apertas esse fabulas, & nihil aliud, quàm probabilitatem, quæ potest multos decipere. Atque Græcorum quidem, qui se de sua valdè iactant doctrina, alij nec omninò esse Deum, alij verò multos esse & maiores & minores putauerunt. Hi verò omnes vno verbo excludunt, cùm dicunt, Omnes dij gentium dæmonia. Est enim impietatis hæc perfecta & absoluta deletio. Illud autem, Dominus autem cælos fecit, hoc vnum apertè Deum inducit, & communem nostrum Dominum reddit nobis cognitum. His conuenientia tradit etiam Apostolus Paulus. Inducunt enim me quoquè eius verba, quæ ipsa herì legi & nudiustertiùs, quæ declarant vnum esse Deum vniuersorum. Quibus nos quoquè credimus, vt quæ sint valdè clara, & fide digna, & quæ fidem faciant ex ipsis operibus.

Philosophorū dogmata cōtemnit & confutat.

Psal. 95.

Cap. 5. Vobis ergò, si velitis, promptus est & expeditus modus salutis. Ego autem non me ampliùs in vos geram, tanquàm dominam: sed conserua ero & soror. Communem enim Dominum & patrem habebimus Deum. Vt qui ergò simus vnius Pastoris, & tanquàm fratres vnum spirantes, communi sententia veniemus ad Christianos. Audio enim à quodam Heleno hìc factum esse monasteriū: & illum quidem propter virtutis magnitudinem ascendisse gradum Episcopatûs: quendam autem Theodorum fuisse eius loco institutum, & præfectum administrationi monasterij: cumque tam præclarè suo gregi præfuisse, & ad eam diuinam gratiā peruenisse, vt & dæmoniacis & ęgrotis, illis quidem vexantem spiritum, his verò morbum facilè expellat: quin etiam cæcis oculis desideratum Solem præbeat videndum: & ijs, qui ei subiecti sunt, monachis ità augeat exercitationem, vt nullam prætereant partem diei ac noctis, quæ non consumatur in perpetuis precibus & canticis. Horum monasterium nullis licet fœminis ingredi: neque fas est eum ab vlla adspici muliere. Sed vos mei capitis comam tondete, & hos crines auferte, & virili me veste induite, & noctù ad eos ducite: vobis quidem me prope currum sequentibus, reliquis autem famulis simul præcedentibus & sequentibus: vt quandò fuerimus in ipso loco, eius quod factum est, nullum sensum omninò præbeamus. Decæterò vobis curæ sit, vt cùm portas ingressi fuerimus, salutem, vt par est, adipiscamur.

In monasterio Heleni monachi perpetuis vacabant precibus & canticis.

Pla-

Placuerunt Eunuchis, quæ dicta sunt, & ea studuerunt ad effectũ deducere. Porrò autem felix quoquè signum consequuntur. Nondùm enim peruenerant, vt ingrederentur monasterium, & magnus inter Episcopos Helenus, venit ex Heliopoli, & cum multitudine virorum, hæc veluti signo dato canentium: Via iustorum directa est: via sanctorum parata est. Hoc & ijs, qui erant circa Eugeniam, auxit fidem, & effecit, vt illa mirandum in modum lætaretur. Tanquàm certè nacta occasionem, eos qui circa se erant, magìs accendit ad pietatem: & multa alia dicens, quæ ad tempus pertinebant, locoque conueniebant: & quòd nõn fortè fortuna, sed diuina quadam prouidentia hæc audiuisset, & ea, quæ priùs canebantur diuini Dauidis: sed illa quidem esse, quæ eam inducant ad pietatem: quæ autem nunc canuntur, quæ adhortentur ad viam virtutis. Hęc cùm dixisset, & ijs qui psallebant, se & suos admiscuisset, cum illis viam perfecit: quo quidem tempore & multa alia admirabilia audiuit turbas de Heleno narrantes, vt ostenderent quantus esset in miraculis, & quàm cùm is sæpè opùs habuisset igne, visus sit ardentes carbones ferre in vestibus, illis nihil ex igne læsis: prætereà autem & quæcunque alia assiduè faciebat miracula: cuiusmodi est hoc quoquè, dignum quod narretur, & mandetur memoriæ. Cap. 6. Eccè quomodo Spiritu sancto ducta sit. S. Helenus in miraculis magnus.

Aiunt quendam magum, qui vocabatur Zareas, cùm maleficæ artis summum attigisset fastigium, in illis locis esse versatum ad multorum exitium, magna & varia fraude vtentem: quem inter cætera dicunt ausum esse aliquid eiusmodi Deo maximè inuisum, nempe, famam sparsisse inter eos, qui illic habitabant, quòd ipse quidem esset à Christo missus benefactor hominũ & doctor bonus, mendax autem Helenus, authoritatẽ docendi sibi falsò tribuens. Existimabat enim, quòd si pastorem aduersùs gregem ad bellum concitaret, eos deinceps, tanquàm oues quæ non sunt custoditæ, aggrediens, non contemnendam prædam præberet patri suo diabolo. Hæc ille dicens, fidem faciebat sua improbitate. Scitis enim, quàm sit malitiá efficax, & quàm facilè multos attrahat: adeò, vt ad Helenum turba accedens, ei dixerit, vt vel ipsum doctrinæ assumeret socium, aut certè inter se disputarent: vt ipsi ei qui vinceret, accederent. Lubens itaque Helenus adit periculum cum eo disputandi. Confidebat enim in Christo. Zaream autem assumere socium, hominem qui gloriabatur dæmonum præstigijs, hoc existimabat vel solo esse auditu abominandum. Postquàm ergò dies affuit præfinitus, accessit ad disputationem. Et primùm quidem eum acriter est adortus, & crebris magum inuasit argumentis. Postquàm autem vidit eum vti arrogantia & insolentia, tanquàm armis, & cõtendere sibi parare victoriam, non ex veritate, sed ex impudentia, permisit facto iudicium: & iubet magnum ignem accendi in media ciuitate: ambos autem flammam ingredi: & qui eorum maneret illæsus & igne fortior, eum esse apertè, qui à Christo est missus, & dignum esse, qui doceat illius clerum. Cap. 7. Zareæ magni in S. Helenum calumniæ. S. Heleni cum Zarea disputatio.

Postquàm verò verba ad rem sunt deducta, & flamma iam fuit in altum sublata, metus quidem statim inuasit Zaream: & iubebat primum ingredi Helenum, hoc apud se, vt videtur, cogitans, quòd vel nõ audens, dedecore Helenus afficietur: aut si ausus fuerit, emittet animam: & sic facile fuerit ei vincere, cùm fortem amiserit aduersarium: & sic omnes poterit ad se trahere. Postquàm autem vir ille diuinus professus est se primum subiturum periculum: & cùm precatus esset, rogum est ingressus: illum verò non latuit, quisnam esset, & nec illius quidem pilum ausus est tangere: tunc aiunt magum illum metu & terrore repletum, recessisse quidem, & apertè ostendisse se vitare periculum, aut Plutonis paleam subeuntem latuisse: à multitudine autem protrusum, fornacem vel inuitum intrâsse: quæ eum æquè facilè iam comprehendebat & depascebat, atquè quamuis aliam aptam ad vrendum materiam: & nisi magnus Helenus miseri calamitatis misertus, eum, cùm iam esset semiustus, seruâsset, ipsa magia & callidis suis inuentis omninò perijsset: sic pulchrè igne fraudem puniente cum veritate. Hæc illis dicẽtibus, beata illa præ gaudio variè afficiebatur, lætabatur, admirabatur, eos, qui narrabant, rogabat, vt per ipsos adduceretur, & Episcopo commendaretur ipsa, & fratres quos adducit: & sic in hoc monasterio communiter viuerent. Ità obnixè rogans, persuadet cuidam ex ijs, qui aderant, qui vocabatur Eutropius, vt hæc omnia ei fierẽt, & preces deferret ad Episcopum. Quandò, inquit, diuertit & paululùm requieuit, ille opportunè & in ocio præbet ei, qui dicit, audientiam. Cap. 8. S. Helenus in igne manet illæsus.

Cap.9. Interim autem dum hæc inter se loquebantur, appropinquârunt monasterio, & ipsi intrârunt cum Episcopo. Vnà verò cū eis ingressa est Eugenia, adolescenti planè similis & coma & vestitu. Cùm iam autem incitatus fuisset Eutropius ad significandum de ea Episcopo, quoddam somnium se obtulit Heleno, qui post diuinam mysterij celebrationē ad somnum declinauerat. Erat verò huiusmodi somnium: Sculptum quoddam mulieris simulacrum videbatur à viris ferri honorificè, & id ab eis tanquàm Deum reputari: illum autem ægrè ferentem, quòd homines deciperentur, dixisse ei deæ, quæ erat apud ipsos: Ita'ne, cùm sis à Deo creata & nobis conserua, sustines ab ipsis adorari, & Deo parem reputari? Illa verò cùm hoc audijsset, protinùs cùm adhuc portaretur, à viris quidem recessit: eum autem est secuta, tales voces emittens: At ego à te minimè recedam, donèc me adduxeris ad creatorem. Hæc Helenus quidem vidit in somnis. Excitatus autē, apud se dubitabat, quonàm rediturum esset, quod à se visum fuerat. Statim verò aduenit Eutropius, qui tanquàm de viro loquēs de Eugenia: Viri, ait Episcopo, tres, fratres animis, fratres corporibus, abiuratis modò rebus gentilium, in tuo grege versantur, ad Christum accedentes, & diuinum baptismum rogantes assequi: & deindè tonderi, & referri in numerum horum monachorum. Cùm sint autem iuuenes, & à se inuicèm pendeant admirabiliter, hoc petunt præter cętera, vt se inuicèm nulla in re disiungantur, non in opere, non in habitatione, neque in aliqua alia conuersatione: sed diuidi non possint, qui sic sunt coniuncti in Christi nomine. Hæc mihi dixerunt, lachrymis vultum eorum rigantibus: &, vt omnia tibi declararem, vehementer rogârunt.

Visio S. Heleni.

S. Eugenia cum duobus eunuchis rogat baptizari & tonderi.

Cap.10. Cùm ex his coniecisset somnium beatus Helenus, & vt oportebat, pro omnibus Deo egisset gratias, iubet eos tres simul ei sisti in conspectum. Postquàm autem accessissent, statim dextra appræhendens Eugeniam, & eam alloquens hilariùs, placido & læto vultu rogauit eorum nomina, genus, & patriam. Illa verò verecundè, & cum eo, qui virginem maximè decet, rubore, Nobis quidem, inquit, ó diuinum caput, patria & genus est gloriosa Roma: Fratres autem sumus inuicèm. Nomen verò primo quidem est Protas: secundo autem, Hyacinthus: mihi verò, Eugenius. Iucundè autem eam intuens beatus Helenus: Meritò te Eugenium, inquit, vocas, ó Eugenia: vt nomen tuo respondeat spiritui, cùm virilem habeas animam, & valdè te masculam ostendas in omnibus: sed proposito adhuc vincas naturam, & in Christo confirmeris & inualescas: propter quem nunc, cùm sis mulier, te virum esse simulas, propter eius amorem mutato & habitu, & nomine. Hæc autem dico, non tibi sexum exprobrans fœmininum, nec te volens traducere: sed vt scias, quantæ sis Deo curæ: & quemadmodùm mihi hæc omnia, de te nihil celans, ostenderit, quisnam sis, & quemadmodùm véneris: & quinam sint ij, qui sunt tecum, & quænam tibi in hac vita gloria obtigerit & genus. Stude ergò ó Eugenia, non minùs te animo generosam ostendere, quàm corpore. Nam hoc quoquè non minùs, quàm alia, mihi Deus significauit, quòd te ei purum præparâris receptaculum, virginitatem quidem conseruans immaculatam: cor verò, in quod non cadit repræhensio: & huius mundi quidē gloriam reputans ignominiam, diuitias autem paupertatem: voluptates verò molestias, & nihil magni ac præclari habere eam, quæ est apud homines, nobilitatem: illam verò solam amans, à qua excidimus propter primum, & hæredes facti sumus per secundum Adam. Et hæc quidem Eugeniæ Helenus.

S. Eugenia sumpto virili habitu & mutato nomine, nō potest eum latére.

Eugenia, i. generosa.

Cap.11. Protæ autem & Hyacintho: Vos verò, inquit, (neque enim placuit Christo, vt vos lateretis) qui fortuna quidem serui, mente autem estis liberi, & nulli domino subiectam conseruatis animæ dignitatem, virtutem extollentes, & magni faciētes, quibus Christus quoq; dicit: Non vos voco ampliùs seruos, sed amicos: Beati propter libertatem, vel potiùs propter amicitiam & cum Christo coniunctionem: quòd cùm illius iugum subire elegeritis in vno inter vos consensu & conspiratione, huius beatæ cœpto nullum attulistis impedimentum: sed nunc quoquè cum ea estis prompto & alacri animo: & cum illa è vita excedente etiam illic simul eritis, & easdem quas illa coronas & præmia consequemini. Hæc cùm nullo alio præsente dixisset Episcopus, Eugeniam quidem permittit manere in habitu virili, cùm hoc nulli esset cognitum, neque primùm, neque postquàm eam allocutus est Episcopus. Quæ quidem simul cum Eunuchis, non priùs eum dimisit, quàm illius mani-

Iohan.15.

manibus diuinum consecuti baptismum, & mutârunt habitum, & cooptati sunt in numerum monachorum. Quæ autem deincèps sunt cōsecuta, & quemadmodùm deincèps parentes propter eam sunt affecti, & quænam de ipsa quidem cogitârūt, & quantum dolorē acceperunt, cùm spe frustrati essent, (nam hæc quoquè, sat scio, scire sititis) nequaquàm par est prætermittere.

S. Eugenia cum Prota & Hyacintho baptizatur, & monasticū induit habitū.

Cap. 11.

Postquàm enim intempesta nocte, nemine quod factum fuerat sentiente, Eugenia quidem sine strepitu descendit de curru, Hyacinthus autem & Protas ab alijs similiter sunt separati: inane verò vehiculum secutum est eos, qui præcedebant, qui præibant famuli partìm quidem propter tempus, partìm autem quòd celatum sit id, quod gerebatur, nihil eorum, quæ ponè fiebant, sentientes, quoniam eos sequebatur animal, & maximè Deo huic rei prouidentia sua opem ferente, ità rectà iuerunt Alexandriam. Postquàm autem iam fuerunt prope ciuitatem, qui resciuerunt quidem, è domo exiêrunt, cum maximo gaudio suscepturi Eugeniam, anteambulonum videntes multitudinem, & alium deincèps conuentum puerorum. Cùm verò iam propè essent, & alacri animo ad vehiculum accurrissent, & cathedram quidem vidissent vacuam, nusquàm autem Eugeniam, re inopinata & quam nunquàm sperâssent, obstupefacti, ad lachrymas & luctum decæterò sunt conuersi, & communiter commune bonum deflebant. Quid factum est? Quid actum est? Quodnam malum inexpugnabile nobis accidit, dicentes. Deindè nomine vocabant Eugeniam, vultum ferientes manibus, plangentes, & planè temulenti dolore. Sed hæc quidem foris faciebant amici & noti, & quibus nulla cum ea intercedebat coniunctio sanguinis. Eorum autem, qui intùs erant, quis satìs tragicè descripserit calamitatem? Parentes enim propemodùm venerunt ad laqueum, & propemodùm se ense confixerunt, quid non loquentes miserabile? quid non facientes dignum lachrymis? Genas lacerabant, puluerem capiti infundebant, se humì turpiter prosternebant, acerbè exclamabant, parētes filiam, fratres germanam, serui dominam: nullus inuulneratus, nullus liber ab animi perturbatione: tam vehemens inuaserat domum absque igne incendium.

S. Eugenia latenter se subducit à domo parētum.

Incredibili dolore afficiuntur parētes recessu S. Eugeniæ.

Cap. 13.

Sed postquàm inutiles viderunt esse lachrymas, conuersi sunt ad quærendam charissimam. Interrogabant mercatores, percontabantur agricolas, prædiorum habitatores, & viarum custodes: sciscitabantur vates ventriloquos, & omnia dæmonum oracula, & ea placabant & colebant sacrificijs. Cùm autem non inueniretur ea, quæ quærebatur, parentibus vnum excogitant, qui eius, quod est graue, videbantur quærere solatium. Fingunt quandam fabulam, nihil dissimilem ijs, quæ canuntur apud Græcos: quòd, cùm dij capti essent amore Eugeniæ, eam in cælum rapuerunt. Quod quidem patri, vt cuius aures talibus assueuissent, gratum erat & acceptum, & filiam insignibus afficiebat honoribus. Quamobrèm auream ei erexit statuam, & tanquàm nouæ deæ cœpit sacrificare. Mater autem & fratres Abitas & Sergius non ità se habebant: sed ijs, quæ dicebantur, dubitantes credere, valdè lugebant. Atque Eugeniæ quidem fuga, & quemadmodùm non solùm parentes, sed eos etiam, qui ei benè volebant, affecerit, ità habet.

Vide ineptū figmentum, & indè consecutam impietatem.

Cap. 14.

Eugenia autem in diuinis scripturis versabatur & meditabatur assiduè, & parandæ virtutis magnam curam gerebat. Quo factum est, vt cùm non plusquàm duos annos transegisset in monasterio, omnes vinceret: mulier, inquam, viros. Quarè res communis est virtus, & sexus nullum affert impedimentum ei, qui se rectè velit gerere. Eugenia ergò primas partes gerebat in virtute: eius autem maximè erat propria modestia & moderatio: & quòd cùm prima esset in rebus honestis, nihiloseciùs esset etiam prima in eo, quòd essent eius moderati spiritus. Eugeniæ hęc quoquè erant signa, quibus cognoscebatur, quòd cùm prima omnium veniret ad synaxes, rursùs vltima omnium recederet: prętereà verò misereretur etiam cuiuslibet, qui aliqua afficiebatur molestia: verè autem & syncerè gauderet cum ijs, quibus erant res secundæ, quod quidem est factu difficilius propter malignitatem, quæ oritur ex inuidia: quòd haberet sermonem, ad cuiusuis irascentis cor sedandum, longè efficacissimum: adeò, vt qui non secùs àc feræ efferabatur, eius oui similem redderet mansuetudinem. Postremum hoc erat, & primum, & omnium reuerà capacissimum, non ficta in omnes charitas, & quæ non amorem ad labra vsque sistebat, sed etiam à media anima emanabat.

S. Eugeniæ perfectio.

Catalogus virtutum eius.

Non

Cap.15. Multos curat morbidos.

Non multum intercessit temporis,& ad eam accessit gratia curationũ cum maxima copia. Et ideò ad quoscunque accedebat morbi visendi gratia, nõ solùm eos verbis consolabatur, sed etiam liberabat à morbo, qui eos cruciabat. Eam autẽ imitantur pro viribus Protas & Hyacinthus, de quibus anteà diximus. Cùm sic viueret Eugenia, Præfectus monasterij tertio pòst anno excedit è viuis: ipsam verò vocabat ad Præfecturam fratrum commune suffragium. Eam enim pro viro habebant, & virtutem quidem videbant, quæ inerat: ignorabant autem id, quod apud eam latebat. Illam itaque metus inuadit & dubitatio. Neque enim æquum censebat, vt quæ esset fœmina, viris præesset: & communiter vocantem despicere fraternitatem, indicabat esse peruicacis & obstinati animi. Visum est ergò ex Euangelio discere, quid agendum, Deo permittente id, quod erat incertum & obscurum. Postquàm autem fuit explicatum, admirabiliter hæc vox Domini resonabat: Si quis vult inter vos esse primus, sit omnium vltimus, & omnium minister. Hoc dicto, Præfecturam quidem subit vel inuita: se autem sic etiam dat totam ad ministrandum, quid non faciens indignum, & quæ etiam, qui sunt viles & abiecti, facere dedignantur? aquam è puteo effodiens, domum verrens, manibus ligna frangens, & alia omnia, quæ sunt minima, diligenter faciens: adeò vt etiam esse ianitorem lubenter sustineret, propterea quòd præcepto parêret lubentissimè.

Matth.20. Luc.23. Cogitur p. esse fratribus, sed extrema quæque ministeria obit.

Cap.16. Philip.3. Claret miraculis.

Cùm sic ergò insigniter exercuisset moderationẽ, & in Præfectura rursùs resplẽduisset, insistebat etiam in via, quæ ducit ad Deum: ad anteriora quidem, vt diuinus dicit Paulus, se extendens: eorum autem, quæ retrò erant, obliuiscens propter promptam & alacrem operationem. Atque quàm multa quidem fecerit miracula, narrare est alterius temporis & operis, quod proprium postulat ocium: maximè cùm propter satietatem oratio vitet prolixitatem. Quod verò & dictu est facile, & cui consequens est finis martyrij, & habet seriem consequentem ijs, quæ deincèps sequuntur, hoc iam dicetur. Erat Alexandriæ quædam mulier, nomine Melanthia, quæ facultates quidem habebat multorum talentorum, Dei autem timoris & virtutis erat inops. Ea cùm aliquandò à diuturno & graui morbo arrepta esset, (erat enim horror, quarto quoque die accedens) vbi fama ad eam peruasit, esse virum quendam nomine quidem Eugenium, vita autem omnibus admirãdum, qui facilè soluit morbos difficiles: statim omnibus alijs omissis, maxima celeritate venit ad monasterium, & vehementer rogat, vt liberetur à plaga, quæ eam premit. Misericordia itaque mouetur Eugenia: & cùm eam sancto oleo sanctis vnxisset manibus, protinùs efficit, vt euomat materiam morbi efficientem. Sicque Melanthia purè consecuta sanitatem, valẽs quidem reuertitur: venit autem ad quendam ex suis agris, qui etiam erat prope monasterium, & non multo pòst tempore, cùm ex pulchro & puro argento tria vasa confecisset, ea mittit ad Eugeniam, monasterij ædi oratoriæ ea dona dedicans pro gratiarum actione. Cùm autem munus oblatum non admitteret, (Dicebat enim non esse monachis vtilem, neque conuenientem argenti possessionem: sed eam esse vendendam, & pauperibus distribuendam, aut ijs, qui alioquì opprimuntur pondere debitorum) ipsa cùm venisset ad Eugeniam, & quid non dixisset, aut fecisset ad persuadẽdum? persuadet vt accipiat argentum, & reponat in templo dedicatum.

Oleo sacro curat febrẽ quartanam.

Cap.17. Virtuti maximè propinquum vitium.

Fuit autem pietas occasio impietatis, & verum est id, quod olìm dictum est, non esse vllam rem alteri tam propinquam, quàm virtutem vitio: & sæpè aliquis iuxta eam vadens, imprudens ingreditur in contrarium. Quod etiam accidit Melanthiæ. Virtutis enim fortasè mediocrem curam gerens, imprudens, quoniam mentem non adhibuit, ad summam deducta fuit improbitatem. Iam enim effecta familiaris, cùm ad eam iret assiduè, & virum videret specie iuuenem, & facie formosum, eam subit amor nequaquàm quidem illiberalis: & paulatìm demulcebatur eius & deliniebatur animus: deindè etiam valdè accendebatur, vt quæ existimaret Eugeniam ne posse quidem semper esse castam: sed neque morbi propulsationem diuinæ fuisse gratiæ, sed artis potiùs magicæ, & inimici potentiæ. Hæc quæ cor eius occupauerant, & vehemens flamma amoris, & grauis incredulitas, persuadent, vt audax facinus aggrediatur, & res tenebrarum liberè eloquatur. Res enim grauis est amor, & impudentissima. Neque res est vlla adeò aditu difficilis, ad quam se non posse peruenire & eam consequi existimet.

Carnalis amor res impudentissima.

Cùm

Cap. 18.

Cùm itaque degeret in agris, vt dictum est, vicinis monasterio, & perturbatione animi valdè laboraret, simulat se corpore esse ægrotam, & incredibili celeritate accersit Eugeniam, non fictum hunc morbum curaturam, sed veri & occulti miserabiliter futuram participem. Postquàm autem ea, quam desiderabat, facies fuit intra fores, Melanthia non ferens animi motum intùs æstuantem, statìm tanquàm ex malo thesauro malos promit sermones. Et primùm quidem ad nefarium incitabat coitum: Quòd si nolis, inquit, at ego te lege matrimonij palàm accipiam in maritum, erisque dominus multi auri, argenti, preciosæ vestis, agrorum, iumentorum, mancipiorum: pro quibus me quoquè habebis ancillam pro libera, & tibi in honore æquali: & his omnibus ipse fruéris. Non est enim mihi maritus, nec filij, nec cognati. Quorsùm enim tam pulcher flos corporis, & venustissima species, se exercitatione perpetua tabefacit & laboribus? Hæc cùm acri & continenti spiritu persequeretur Melanthia, beata suspirabat quidem ad vnumquodque eorum, quę dicebātur, & animi perturbatione plenam valdè abhorrebat orationem. Tandem autem ad multas eius nugas caligans, cera, vt dicitur, aures obstruens, & nec ampliùs quidem audire sustinens, Cohibe linguam, ô mulier, exclamauit, cohibe, & sint hæc procùl à nobis. Expuis enim in nos ipsum virus draconis veteris. Non prodemus castitatem, non corrumpemus virginitatem: Non, ô Dei mater & virgo, in quam ego confido, non fallam mea pacta conuenta. Vnum est nobis matrimonium, Christi desideriū: Vnicæ sunt diuitiæ, bona quæ sunt in cælis: vnica possessio, cognitio veritatis.

Melanthia fœmina opulenta, prouocat eā, seu virum ad concubitum.

Eam illa detestatur.

Cap. 19.

Hæc cùm inhonesta audijsset Melanthia, ira, quæ dici non potest, incensa, (est enim grauis amor, & qui non potest omninò cohiberi) profecta est Alexandriam, valdè grauia parturiens aduersùs Eugeniam. Deindè cùm etiam difficilem in eam struxisset calumniam, venit ad Præfectū Philippum, nihil sciens ex ijs, quæ ei euenerant: neque quòd is esset pater Eugeniæ, neque quòd illa mutâsset habitum muliebrē in virilem. Ad eum ergò accedens, ab intemperantia transit ad calumniam: & eam incipit accusare admodùm malignè & improbè, dicēs: Quidam adolescēs, facie quidem formosus, sed moribus valdè sceleratus, Christianorum simulans pietatem, ad me est ingressus: & cùm me aliquam putâsset esse impudicam & inhonestam, primùm quidem verbis fallacibus, deindè etiam manibus ad vim vsus est vir audacissimus: & nisi altiùs exclamâssem, &, vt accurreret ancilla, effecissem, ego tanquàm captiua aliqua polluta essem. Ità impudens mulier illi puræ audebat suum adscribere flagitium. Hæc sic dicta, ad furorē valdè concitârunt Præfectum, & vinctos ad se iussit adduci, nō solam Eugeniam, sed etiam omnes simul, qui cum ea erant. Atque eos quidem, vt iussum fuerat, adductos, alium alibi diuersæ tenebant custodiæ. Existimabat enim Præfectus nunquàm talia conficturam fuisse Melanthiam, mulierem adeò nobilem, opibusque & gloria insignem: Nesciens diuitiarum & claritatis esse vehementiorem animi perturbationem, & quæ potest persuadere, illa quidem parua reputare: propter id autem, quod ei videtur in præsentia, gratum eligere mendacium. Omnes itaque iudices, absentes sanctos propemodùm condemnabant: Et ex ijs, alij quidem æquum censebant eos subijci dentibus ferarum: Alij verò in ligno suspendi: Alij autem acerbioribus generibus suppliciorum, vnà cum calumnia punientes pietatem.

Melanthia accusat S. Eugeniam apud Præfectum.

Cap. 20.

Postquàm autem adfuit domina, congregata quidem erat magna multitudo ex omnibus, quæ circuncircà erant, vrbibus: aderat verò etiā Præfectus, & in medium producebatur Eugenia, quæ grauibus tenebatur catenis: theatri autem clamores vndiquè erumpebant, & morte esse afficiendam Eugeniam communiter pronunciabant. Paratæ erant bestiæ, parata tormenta, rotæ, ignes, & alia genera suppliciorū, & per omnia acerbi tortores, & ex æquo ad supplicia inferēda sæuissimi & acerrimi. In suum itaq; conspectum duci Eugeniam iussit Iudex. Quæ cùm adstitisset, Hoc, inquit, vobis, ó omnium hominū maximè impie, iubet vester Christus, vt nec clàm quidem faciatis ea, quæ sunt turpissima: sed tam impudenter & violenter aggrediamini ea, quæ sunt nefaria? Quis enim tuus erat animus, quādò tanquàm medicus ingrediens, & vt qui nō solùm esses medicus, sed qui etiam per te posses facere miracula, ea faciebas, quæ corruptores & adulteri: & mulierem tam nobili loco natam, tam diuitem, & tam honestis & moderatis moribus, tanquàm scenicam quampiam, aut ex hostium regione captam, probro & dedecore afficere voluïsti?

S. Eugenia catenis vincta, sistitur coram Præfecto.

Auda-

Audacis itaque tu cœpti meritas lues pœnas, & malus malè peribis.

Cap. 21. Præclarè se purgat.

Cùm tam iracundè minatus esset ei Præfectus, Eugenia vultu in terram inclinato, nè in præsentia eius vultus patri euaderet manifestus: Meus, inquit, Deus non ea solùm, de quibus nunc à vobis accusor, prohibet: sed ea etiam lege sancit, quæ sunt his multo excelsiora: qui me etiam nunc volens perpetuò esse castam, prouidit vt viuerem cum his, qui in pietate se exercent, monachis, quomodò in hodiernum vsque diem me conseruauit, vt & ipsi est perspicuum, & vobis erit paulopòst. Quòd autem mihi & tormenta & mortem minitaris, imprudens incussisti mihi timorem, qui non opùs habet oratione. Erubescerem enim, si horum metu quærerem me defendere, & non quòd timeam, nè res Christianorum apud vos malè audiant & irrideantur. Verumenimuerò oportebat vos non tam faciles aures præbere accusatoribus, neque cùm primùm audijssetis, tam citò condemnare: sed ambobus priùs auditis, deindè ferre sententiam: & si manifestum quidem extiterit me talia fecisse, iustum luam supplicium: Sin autem hæc sunt falsa & aperta calumnia, vnam pro omnibus peto gratiam, vt hæc mulier nihil graue patiatur, nec si de nobis quidem his peiora dixerit. Sic enim nostra lex iubet, & nos obtemperamus, vt nūquàm mala pro malis, sed contrà bona potiùs reddamus. Huius rei solùm mihi dato fides fiat iusiurando, neque opùs habebimus vllis orationibus, neque contradictionibus: sed res ipsa apertè ostendet, & facilimè tui iudicabunt oculi.

Arguit præfecti temeritatem. Rom. 12.

Cap. 22.

Cùm sic dixisset, seorsùm dixit Melanthiæ, (nam illa quoquè præsens aderat) Etiamsì fieri possit, vt omnes lateat: at tuam non latebit omninò conscientiam. Nè ergò teipsam videaris ignorare, & diuinos despicias oculos, qui omnia vident, & iustè puniunt calumniam. Cùm verò nihil cederet Melanthia, neque de impudentia aliquid remitteret, iubet statìm produci ancillam, quam dicebat Melanthia fuisse testem violentiæ. Iussit autem vocari, non vt quæ vera esset testificatura, (Quomodò enim ancilla restitisset dominæ?) sed vt abundantiùs falsum conuinceretur: & cerneretur Melanthia non sola, sed cum alijs instituisse calumniari. Cùm producta esset ergò ancilla, & volens dominæ gratificari, non imperitè mendacium mendacio contexeret: Me, dicens, sceleratus iste sæpè tentauit. Deindè consueta intemperantia ei persuasit, vt in ipsam quoquè fureret dominam: cui nolenti vim afferebat, donèc illa quidem exclamauit: ego autē cùm accessissem, & alias euocâssem conseruas, à turpi conatu vix eum prohibuimus. Quas si velitis accersere, scietis quàm pulchrè ijs, quæ à me dicuntur, concinant. Tunc Præfectus quidem acerbissimè conturbatus, probris appetebat Eugeniam: & iam apertè ostendebat se esse proruptururn ad tormenta, vtpotè quòd nihil restaret ad eam conuincendam. Illa verò, (sed est attendendum, est enim auditu iucunda narratio,) Tempus est, dicens, liberè dicendi veritatem: nè de ipsa dictum mendacium nimiùm iactaretur, & Christiani malè audirent apud Gentiles, quid facit? Cogitur propter nimiam accusatricis impudentiam, etiam aliquid facere preter honestum & decorum: & supernè acceptam disrumpit tunicam, & cùm quasdam partes verè sacri nudâsset corporis, ostendit omnibus se esse sexu & re vera fœminam: & dicit Præfecto: Domine mî, tu quidem es meus secundùm carnem pater Philippus, Claudia autem mihi mater: & fratres hi, qui tecum sedent, Abitas & Sergius. Ego verò sum tua filia Eugenia: quæ cùm vniuersum mundum, & quæ sunt in mundo, facilè exuissem, pro omnibus solum indui Christum. Eccè etiam quos vides Eunuchos, ij sunt Protas & Hyacinthus, qui mihi & doctrinæ & vitæ, quæ est ex Christo, fuère socij.

Famula mētitur turpiter in gratiam heræ suæ. S. Eugenia apertissimè coarguit calumniam.

Cap. 23. Agnoscitur à parētibus & fratribus.

Nondùm orationi finem imposuërat, & pater & similiter etiam fratres, cùm partìm quidem ex ijs, quæ dicebat: partìm autem, atque adeò multo magis ex signis, quæ erant in vultu, depræhendissent veritatē, (agnouerant enim in eam coniectis curiosiùs oculis, hancipsam esse Eugeniam) eis cor quidem voluptate ineffabili, præ voluptate autem manantibus lachrymis replentur oculi. Deindè cùm eam sustulissent in solium Præsidis, propemodùm in ipsam ipsas effundebant animas, & ei suum amorem dispertiebant, hinc pater, illinc fratres: & alia ex parte mater: (aderat enim ipsa quoquè, cùm id didicisset) & partìm amplexibus, partìm verbis amantibus inter se contendebant, quænam membra quidem non amplectentes? Quid autem non patientes, aut non agentes ex lætitia ineffabili? aut quid eorum,

Ineffabili afficiuntur lætitia ob filiæ inuentionem parentes.

eorum, quæ voluptatem animi significant, cauentes facere propter multitudinem? Magistratûs enim maiestatem, & totam illam, quæ ex dignitatis splendore oritur, grauitatem superabat natura, & apertè repellebat. Clamabant itaque tanquàm diuino furore afflati, Ipsa est filia, ipsa est soror: oculorum voluptas, imago animæ: quam existimauimus fuisse à dijs raptam: quam nos non videntes, ne videre quidem lucem omninò sustinuimus. Hæc populus quoquè scilicet audiens & videns, Vnus Deus est verus Christus, clamabant. Quicunque autem ex Christianis paulò diligentioribus expectabant, vt post mortem, martyrum corpora tollerent, & conuenientem eis pararent sepulturam, ij cùm audijssent tam repentinam Præfecti & populi mutationem, cum turbis prosiliunt, Quis est magnus, sicut Deus noster, alta voce clamantes. Qui reuelat profunda & occulta, & in astutia ipsorum appræhendit sapientes. Pater autem cùm inuitam Eugeniam aurea veste induisset, (volebat enim omnes esse suæ participes lætitiæ) in alta eam sede collocauit, & fecit, vt videretur ab omnibus.

Psal. 76. Iob 5.

Dum hæc autem gerebantur, ipse quoquè, qui est in cælo Deus, aut vt potiùs dicam cum diuino Iob, Qui erat in cælis testis Eugeniæ, Qui erat in cælis eius conscius: repentinum ignem desupèr iaculatus, Melanthiæ domum consumpsit omninò. Illam enim æterno reseruauit. Hoc autem factum effecit, vt multi conuerterentur ad veritatem. Protinùs ergò à Christianis celebrabatur festum commune, & longa mutata est tristitia, cùm Præfectus quidem simul cum filia inuenisset pietatem, & ad Christum accessisset, & sancto fuisset obsignatus baptismate: Christianis verò protinùs sacræ redditæ essent ecclesiæ, & ij, quos priùs habebant, honores & priuilegia. Non solum autem hæc fuerant consecuti, sed etiam eis licebat tutò habitare ciuitates. hoc enim eis procurauit Philippus, cùm retulisset ad Imperatores Seuerum & Pium Antoninum, esse inutile imperio Romanorum expelli Christianos, vt qui non in paucis sint communi vtiles. Eisque conuenientibus, rursùs videre licebat Alexandriam veluti denuò conditam. Similis quies, & similis successus erat etiam in ijs, quæ sunt in Aegypto, vrbibus: & florebant iterùm res Christianorum, claræque & excelsæ fiebant.

Cap. 24. Iob 16. Pater S. Eugeniæ cum multis alijs credit. Pax datur Christianis.

Sed quoniam cùm virtus adeò rectè se haberet, accidit vt contrà irreperet vitium, & qui est eius auctor, grauiter sauciaretur, res præsentes non patitur, qui est bonis aduersarius: sed tacitè se insinuans quibusdam Alexandrinis, qui erant diuitijs quidem & generis splendore insignes, simulacrorũ autem cultûs furori erant impensè dediti, persuadet eis, vt eant in regiam: & accedentes ad Imperatores, dicunt, toto quidem præcedẽti tempore se in magistratu pulchrè gessisse Philippum, & valdè pie affectum fuisse in deos. Nunc autem, inquiunt, nescimus quo motu, iam decem annis abhinc, & se & totam nostram ciuitatem in animo habuit euertere, honore maximorum deorum traducto ad cultum vnius hominis, quem dicunt in Palęstina fuisse crucifixum à Iudæis. Ità mores quidẽ soluit patrios: honorauit verò nouas leges: impios autem nobis prætulit: & vt semèl dicamus, nihil omninò omisit eorum, quæ pertinent ad nos & deos euertendos. Hæc cùm audijssent Imperatores, hæc scribunt ad Philippũ: Qui nos quidem præcessit diuinissimus Augustus, cùm te sciret esse cultorem deorum, & honoris eorum esse studiosissimum, ipse quoquè tibi maximũ præbuit imperium: & tanquàm Regem potiùs, quàm Præfectum, elegit Præsidem Aegypti: nec te, quandiù vixit, ab hoc iussit remoueri magistratu, sed cum vitæ tempore tibi esse demensum. Nos autem tibi & hunc honorem conseruauimus, & non paucos alios adiecimus. Sed hæc, quandiù fuisti dijs amicus. Quoniam verò nunc de te iactatum est in vulgus, quòd & in religione deorum sis mutatus, nec nobis benè velis, iubemus, vt aut insistendo prioribus in honore permaneas: aut si deorum cultum repudiaueris, cesses etiam gerere magistratum: quinetiam facultatum subeas ablationem.

Cap. 25. Præfectus accusatur apud Imperatores. Imperatorũ literæ ad Philippũ S. Eugeniæ patrẽ.

Hæc cùm accepisset & legisset Philippus, morbum simulauit, donèc venditis facultatibus, eas dupliciter diuiserit: & partem quidem ecclesijs, partem autẽ pauperibus distribuerit, qui erant per totam Alexandriam & ipsam Aegyptum. Erat verò Philippus non solùm lingua in dicẽdo facundus, adeò vt multi gentiles eius persuasione pietatem didicerint: sed etiam vita maximè pius & philosophus, adeò vt vniuersa Alexandria communi suffragio eum vocârit ad Episcopatum. Quòd autem in fide quoquè fuerit acerrimus & constantissimus, ex fine ostendetur. E vita enim excedit, capite redimito corona martyrij. Magistratûs itaque successor ei mittitur Terentius.

Cap. 26. Præfectus Philippus creatur Episcopus Alexandrinus.

Qui cùm primùm venisset Alexandriam, omnem mouebat rudentem, moliens Philippum tollere de medio. Sed quoniam non poterat eum apertè interficere, (erat enim ciuitatis magnus amor in Philippum) clanculùm admittit parricidium: & cùm quibusdam fictis Christianis rem mandâsset exequendam, ad cædem est impulsus, cùm hoc ei iussissent Imperatores. Ij autem cùm clàm ingressi essent ad Philippum, intentum precibus & orationi ad Deum, eum tollunt de medio. Timore verò affectus Terentius, nè populus factum ægrè ferens, aduersùs ipsum moueretur, maximè cùm esset tantus eius amor in Philippum, iubet comprehendi eos, qui ipsum occiderant, & conijci in carcerem, re ficta studens rei celare veritatem: & seminans suspicionem, quòd non processisset cædes ex eius sententia. Deindè cùm non multum præterijsset temporis, Imperatoribus scilicet ità decernentibus, eos soluit à vinculis. Sic decessit Philippus, cùm tres dies vixisset post plagam acceptam. Intra ciuitatem verò sepelitur in loco, qui dicitur Isium: Vbi ipse, cùm adhuc viueret, ædem sacram ædificauit.

Interficitur ab impijs.

Cap. 27.

Eugenia autem post agnitionem, cum alijs virginibus elegit castitatem, & vitam secundùm Christum. Beata verò Claudia, quam Philippi quidem vxorem, Eugeniæ autem matrem anteà ostendimus, aliam quoquè domum ædificauit ad excipiendos hospites, prꝫter eam, quꝫ iam facta fuerat à marito, magnam vim pecuniæ in ea consecrans ad ea suppeditanda, quæ erant necessaria ijs, qui accipiebantur hospitio. Sed hæc quidem sic, & hucusquè Eugenia vitam suam sic administrauit. Vult autem oratio eius quoquè præclariorem vitæ exitum ostendere, vt qui insignis fuerit corona martyrij. Aliquanto enim tempore post mortem Philippi, coniux eius Claudia cùm assumpsisset filios, Abitam, inquam, & Sergium, & prætereà Eugeniam, in magnam Romam reuertitur. Patria autem eam benignè excipit, & Senatus Romanorum eius filios eligit ad insignes magistratus: Abitam quidem proconsulem Carthaginis, Sergium autem Aphricæ vicarium: Eugeniæ verò sufficiebat hæc sola dignitas omnium maxima, nempe virtus, & Deo parentem viuere, & habere alias ex filiabus Senatorum, quarum erat idem zelus & idem institutum. Inter quas erat vna reliquis longè præstantior, re vera admirabilis Basilla, quæ ducebat originem ex genere Imperatoris: quæ etiam resplenduit similiter atquè Eugenia, sicut statim dicetur. Ipsa enim cùm Christum, & quæ sunt eius admirabilia, auditione accepisset, quinetiam audijsset de Eugenia, maximi quidem faciebat ad eam ventitare, & esse diuinorum eius verborum particeps.

S. Claudia post cædem mariti, Romam cum filijs reuertitur.

Fratres S. Eugeniæ summis afficiùtur honoribus.

Cap. 28.

Cùm ab eo autem arceretur, & propter sponsum (Despōsa enim fuerat Pompeio) & propter persecutionem, (iam enim magna persecutio accendebatur Christianis) inuenit quendam virum fidelem latorem suorum verborum, & per eum non cessat mittere, multùm rogans Eugeniam, vt de diuina fide omnia ei literis significet. Illa autem cùm pulchrè sciret, quantùm intersit inter scripturam & vocem, & quòd non similiter quis persuaserit aut docuerit scribens, atquè de tantis rebus disserens, quoniam multùm interest inter verba animata, & inanimam mortuamque institutionem, prudens simul consilium capit & iuuenile. Nam cùm Protæ & Hyacintho persuasisset, vt seruilem habitum induerent, per eos munus mittit Basillæ: studens, vt ij ei essent omnia pro epistola, vel illi ipsi potiùs epistola animata. Cùm hos ergò admodùm lubenter excepisset Basilla, adorabat tanquàm aliquos Christi Apostolos. Cùm de ea autem resciuisset Cornelius, magna stella inter Episcopos, noctù venit ad eam propter persecutionem, & eam diuino dignatur baptismate. Sic ergò Basilla & Eugenia, ineffabili quodam vinculo colligatæ propter Christum amicitiæ, fuerunt biga quædam coniuncta Domino, ipsis animis à se inuicèm pendentes, & intelligenter conuersantes: quinetiam multas alias ad idem iugum trahentes. O quàm multas quidem illæ virgines: quot autem viros Protas & Hyacinthus communi Domino obtulerunt?

Basilla credit & baptizatur.

Cap. 29.

Sed cùm sic mirandum in modum cresceret fides Christianorum, maligni inuidia magis excitabatur aduersùs pios. Nam cùm Valerianus & Galienus Romanorum tenerent imperium, ipse multos Romanos tacitè subiens, mala semina iniecit eorum mentibus: grauisque accensa est seditio aduersùs Christianos. Seditionis autem materia fuit Cornelius, & qui cum eo erant, quòd cùm tota manu & mente res Christianorum dilatare instituissent, non solùm Romã ipsam ferè totam, sed etiam vrbes & regiones, quæ erant circuncirca, à cultu deorum abduxerant, & qui ab ipsis nominabatur

Persecutio Christianorum.

batur Christus, vt ab eis communis Dominus & Deus asscriberetur, effecerant. Protinùs ergò imperatoriũ promulgatur edictum, & quoquouersùs peruasit per totam Romanorum regionem: vt quicunque erant eximij ex Christianis, & eorum dogmatis doctores, compræhensi, morte afficerentur. Interimebantur ergò alij quidem alio modo: Cornelius autem latebat: maximè quidem, quòd in honore haberetur à Senatu: & ab ijs, qui erant in eo primi, tanquàm à propugnaculis quibusdam defenderetur. Porrò verò ipse quoquè seipsum conseruabat ad multorum salutem. Se inuicèm autem exhortabantur ad certamen Basilla & Eugenia: quæ à loco disiungi non ferentes, quoniam animis erant inter se vnitæ, loco quoquè coniunguntur, & se sermonibus vicissìm impertiunt. Atque Eugenia quidem Basillæ & multa alia disserit de proposito certamine, & quòd apertè ei reuelauit Dominus, ipsam martyrij cursum mox peracturam. Similiter autem Basilla quoquè ei respondit, quòd etiam de Eugenia Christus ei significauit, fore vt duplici corona ei caput exornetur: vna quidem pro periculis & laboribus, quos subijt Alexandriæ, & in reliqua Aegypto: Altera verò, pro martyrio & cæde, quæ propter illum facta est. Hæc cùm inter se contulissent, & pro se inuicèm precatæ essent: quinetiam virginibus, quæ erant apud Eugeniam, masculos animos addidissent, & persuasissent, vt mortem propter Christum negligerent, corpore quidem in præsentia disiunguntur, altera desiderio alterius, crebras ex oculis lachrymas emittentes: vtpotè quòd ferre non possent oculi eas separari à suî inuicèm spectaculò. SS. Eugenia & Basilla simul degunt.

Cùm autem finem accipere oporteret ea, quæ de ipsis prędicta fuerant à Domino, de Basilla quidem dixit Pompeio vna ex ijs, quę ipsam sequebantur, ancillis, quòd nisì omni studio & manu regia sibi desponsam Basillam, quæ iam erat nubilis, domum duxerit, non ampliùs in posterum eam habebit vxorem. Scias enim, inquit, eam factam esse Christianam sermonibus Eugeniæ: eamque non solùm matrimonio, sed etiam toti mundo renunciare. Ea de causa eius quoquè tutorem Helenum differre nuptias, qui est ipse quoquè Christianus, & eiusdem instituti. Quinetiam quos, inquit, Eunuchos Eugenia tanquàm seruos ad eam misit, ij vel omnium maximè artem sectantur magicam, & sic eam incantàrunt, vt fateatur se nunc eos habere dominos, & eos colere tanquàm deos immortales. Cùm mala sic ancilla Pompeio renunciâsset, & linguam diabolo apertè tradidisset, & hæc locuta esset aduersùs Christianos, ira valdè fuit accensus Pompeius, & aduersùs Helenum grauia spirans est profectus. Et primùm quidem ei vim afferebat, vt sibi puellam ostenderet: Deindè etiam celebraret nuptias: nisì ipse apertè vellet esse hostis Imperatorum. Hæc cùm diceret Pompeius, non latuit quidem Helenum, vndenàm profecta esset proditio: ingenuum autem & iustum ei dedit responsum: Ego sum, cui obtigit, dicens, puellę tutela: quæ donèc quidem erat impubes, ea & à me alebatur, & viuebat vt volebam. Cùm verò iam ad plenam peruenerit ætatem, & iam tempus acceperit legitimum, ipsa non ampliùs meam sequetur voluntatem: sed suam sequens sententiam, faciet id quod volet. Cap. 30. Nequã ancilla prodit S. Basillam. Pompeius ab Heleno petit suam sponsam Basillam.

Postquàm hoc respõsum accepit Pompeius, ad Basillę ædes protinùs est profectus: & pulsato ostio, ianitori imperauit, vt ei annunciaret. Illa autem sensìm eum repulit per puerum, dicens nihil esse commune Basillæ cum Pompeio: sed neque eius aduentum omninò culpa carere. Quomodò enim, qui ad virginem accesserit, & cum ea seorsùm loqui quærit, quam propemodùm ne oculis quidem suis licet masculis intueri? His verbis furore concitatur Pompeius: & primùm quidem veniens in senatum, eum rogat. Deindè cùm eos etiam assumpsisset, pedes Imperatoris præhendit non sine lachrymis, & suum tanquàm commune deflebat infortunium. Pro vobisipsis, dicens, ô diuinissimi Augusti, pro vobisipsis exurgite & vestris dijs, & quem ex Aegypto nouum Deum nunc introduxit Eugenia, ex vrbe vestra expellite. Nam in multis quidem etiam alijs damnum afferunt Christiani, irridentes Imperatores, leges despicientes, benignos & seruatores deos, tanquàm inania quędam manufacta conspuentes. Nunc autem hoc quoquè scelus impium est ab eis excogitatum. Soluunt etiam leges matrimonij, & prohibent coniugia. Eas enim, quæ sunt desponsæ, aut etiam despondendæ, à viris auellunt: vel potiùs eos quidem illis priuant: sibi verò vendicant, & eas turpiter corrumpunt. Quidnam ergò, quid reliquum est, quod fiat: aut quò se verterit quispiam, si nusquàm est matrimonium? Nam id quidem, quod fit præter legem, leges: quod est autem legitimum, Christiani prohibent: noui quidam, Cap. 31. Basilla nec ad colloquium ad mittit sponsum Pompeium. Vide calumniã Pompeij in Christianos.

vt videtur, irrumpentes cacodæmones, & hominum generationem tollentes de medio. Quod quidem cùm processerit, erit omninò terra vacua hominibus. Quomodò autem decæterò vobis se habebit exercitus, & quomodò non peribit? Quibusnam quidem imperabunt Imperatores, & cum quibus superabunt inimicos? Quomodò verò omninò constabit respublica & vita hominum?

Cap. 52. Cùm sic valdè miserabiliter dixisset Pompeius, simul etiam ei assensus est & suffragatus Senatus: adeò vt misertus Imperator, celerem tulerit sententiam, vt Basilla vel suo sponso matrimonij lege coniungeretur, aut gladio subiecta, vitam finiret. Postquàm autem audiuit etiam de Eugenia, de ea quoquè protinùs pronunciat, vt vel persuasa sacrificet, vel tormentis tradita, morte violenta moriatur: communiter verò omnes quoquè alios puniri iubet, non solùm Christianos, sed eos etiam, qui Christianos suscipiunt, &, vt lateant, procurant. Hanc sententiam postquàm audiuit Basilla, quæ verè regia erat lingua & animo, acriore quoquè ipsa, quàm ille, voce sic est locuta, & suam tulit sententiam: Regi regum & creatori desponsa, viri in quem cadit interitus, non admitto coniunctionem, etiamsì hoc videatur Imperatori. Terribile enim est reuerà, terribile, incidere in manus veri Regis & Dei viuentis. (Heb. 10.) Simul autem & hoc vocabulum Dei lingua emisit, & caput statim fuit ei amputatum. (S. Basillæ amputatur caput.) Atque hunc quidem finem habuit Basilla. Comprænhenduntur verò Protas quoquè & Hyacinthus, & ad templum Iouis adducuntur, vt cogerentur sacrificare illi abominationi. Cùm autem stetissent in conspectu eius, qui videbatur deus, precati sunt, & statim ante pedes eorũ cóncidit simulacrum, & admirabiliter & præter opinionem comminuitur, & in puluerem cineremque redigitur. Postquàm autem hoc cognouit Præfectus Nicetius, iubet eorum quoquè capita amputari: (Itèm Protę & Hyacinthi.) Eugeniam verò sisti iussu Imperatoris.

Cap. 53. Postquàm autem adfuit, Vndenàm, inquit, artem magicam tam accuratè perfecteque didicistis, vt possitis dijs quoquè ipsis imperare maximis? Hoc cùm diceret, imprudens Protæ & Hyacintho euidens contexebat encomium: quoniam sola oratione maximum eorum, qui sunt apud eos, deorum repentè confregissent, & in cinerem ac puluerem comminuissent. Diuinitùs verò inspirata Eugenia, cum multa respondit prudentia: (Veris rationibus ostedit simulacra falsos esse deos S. Eugenia.) Hoc quidem, dicens, longè verissimum à te dictum est, ô Præfecte, nos vestris dijs imperare. Illud autem est planè absurdum, & ad arguendum facilimum, quod asscribas omnia arti magicæ: non autem alicui diuinæ & inexpugnabili potentiæ eius, qui verè est solus apud nos Deus. Si enim magi quidem, vt vos dicitis, immundos quosdam & materiales inuocant dæmones: isti verò eos, qui sunt apud vos, deos superant, vel potiùs primum ex cælestibus, non omnia rursùs inuertetis, & quæ sunt superna, inferna facietis, maioribus dijs inferiorem sortem attribuentes: & nec deos quidem, sed eos seruos facietis, & seruos dæmonum, dæmones autem deos, & primos deorum? Quod quidem etiam alio quoquè modo verum est, cùm vos eos tanquàm veros deos constitueritis, & bonos esse putetis: dubiteris autem, quanam de causa à malis vincantur dæmonibus, nescientes ipsos esse quidem malos & maleficos dæmones, vnum verò esse Deum in omnibus: cuius nomen solum isti non ferentes, sicut cera, vt ait diuinus Dauid, à facie ignis, liquefiunt & pereunt. (Psal. 67.)

Cap. 54. Hæc audiens Nicetius, eius quidem magnum & excelsum admirabatur animum. Sed cùm esset totus deditus insaniæ simulacrorum, & nihil aliud spectaret, quàm vt eis placeret, iubet eam duci in templum Dianæ: (Ducitur ad templum Dianæ vt sacrificet.) sequi autem spiculatorem, ei ensem intentantem: & partim quidem admonemtem, partim autem minitantem, quòd nisi sacrificet, eo quem habet in manu, transadiget, ostendendo ensem. Illa verò postquàm venit in templum, stáns ex aduerso imaginis specie orantis, precata est interitum simulacrorum: Deus æterne, dicens, qui me tua voluntate & nasci & educari & virginem in hodiernum vsque diem conseruari dignatus es: & vt efficerer sponsa vnigeniti, & vt in me adesset sanctissimus spiritus, & in me regnaret, effecisti, ipse nunc quoquè mihi adsis in hac tuì confessione, efficiens admirabilia & quæ sint contra opinionem: vt qui te colunt quidem, sint in gloria: ignominia autẽ & dedecore afficiantur, qui hanc mutam & surdam adorant abominationem, & gloriantur in suis sculptilibus. (S. Eugenia precibus euertit tẽplũ Dianæ.) Ea hæc orante, Deus quidem valdè mouet terram: templũ verò euertitur: conteritur autem simulacrum: reliqua verò simul conturbantur. Stupent, qui vident: peruadit etiam ad eos, qui procùl erant, miraculum. Alius autem aliun-

aliundè confluentes, quicunque erant quidem sanæ mentis, id quod factum erat, ducebant miraculum, & putabant opus diuinæ potentiæ: quibuscunque verò præter id, quòd erant recta priuati opinione, deerat etiam sapientia, ij multis contumelijs afficientes Eugeniam, eam etiam vocabant magam.

Hæc audit etiam Imperator, & suorum deorum quodammodò vltor fieri properans, iubet lapidem quidem grauissimum suspendi à collo eius: ipsam autem iaci in fluuium Tyberim. Sed sic quidem, qui concipiunt laborem, & pariunt iniquitatem: Deo autem curæ erat, vt eorum iussus esset irritus & inefficax. Vndè etiam lapis quidem ab eius collo est exolutus: ipsa verò non secùs àc magnus Petrus, citra vllam offensionem ingrediebatur supra vndas fluminis. Deindè cùm ea aqua visa esset potentior, eam igne punire constituit, & magnam illam Eugeniam accepit fornax. Sed qui eam custodiebat Dominus, hic quoquè nunc aderat: statimque ostensum fuit, ignem protinùs amisisse naturam, & corpus eius conseruatū est illæsum. Quid posteà? Tenebris punitur profundissimis: præter tenebras autem etiam fame, & eam domus accepit obscura, nec cibi quicquam omninò sumentem. Nesciebant autem omninò esse cum ea Dominum lucis, à quo etiam matutinum, vt ait Propheta, lumen erupit, & diuino lumine tota domus illustrabatur. Non solum verò lumen dabatur: sed etiā quoddam diuinum supernè suppeditabatur alimentum, panis qui quotidiè parabatur admirabiliter, niue quidem cādidior, voluptate autem planè diuinus: & quod est omnium maximum, ille ipse accedit Seruator: Ego sum, dicens, Eugenia, qui propter te crucem & mortem sustinui, propter quem tu quoquè hæc pati constituisti. Ergò & te maxima amiciam gloria, & multis implebo gratijs. Sit autē hoc quoquè signum tui honoris. Ipse enim dies te transmittit ad vitam supernam, qui me vidit infrà aduentásse ad homines.

Cap.35. Psal.7. Ioan.21. Calcat vndas pedibus suis. In fornace manet illæsa Esa.8. Christus ei appáret.

Cùm sic dixisset, ille quidem ab ea recessit: haud diù pòst autem effectum sortita sunt ea, quæ dicta fuerant. Mittitur enim quidam impius, monomachi habitum præ se ferens: qui cùm fuisset intra carcerem, ense facta cæde consummat martyrem eo ipso die, quo celebrabatur festum natalis Seruatoris nostri. Cùm iusta autem fecissent tali filiæ & sorori, eius mater & fratres, sacras eius reliquias deponunt quidem in loco, qui non abest procùl à Roma: vocatur autem via Romana. Sic quidem vixit honorificè Eugenia, & sic è vita generosè excessit, conuenienter suo nomini: adeò vt nesciamus, vtrum magìs admiremur, in Christo'ne vitam, an mortem pro Christo. Vndè etiam, quantam sit pro vtrisque gloriam consecuta, euasit paulò pòst manifestum.

Cap.36. Capite cæditur. Εὐγένεια, nobilitas.

Nam cùm duobus animi motibus distraheretur mater, & partìm quidem lætaretur, quòd propter Christum esset sacrificata: fleret autem, quòd à filia tali disiungeretur, & non moderatè ferret separationem, martyr ei appáret in somnis, adeò quidem splendidè vestita, vt nec in eam satis posset conijcere oculos: talibus verò comitata virginibus, & tam præclaris, vt nulla Regina posset cum eis comparari. Cùm sic ergò accessisset, visa est dicere matri: Quorsùm, ó mater, ità te afflictas, multis pro nobis liquefacta lachrymis? Non sunt res nostræ prosequendæ fletibus, sed lætitia. Scias enim, quòd ego & pater Philippus, viuimus in quadam ineffabili martyrum lætitia, vnà cum Christo versantes & conregnantes: qui te etiam non ità multis pòst diebus ad hanc vitam euocabit. Meis autem fratribus conserua firmum ac stabile, quod est in Christo, signaculum, & assiduè exhortare, vt sint etiam mihi fratres animis: vt sic totum genus offeramur pulchrum donum Domino. Hæc mater audiuit ab Eugenia. Dicebatur autem etiam vidisse assistētes Angelos, quorum habitus, erat signum gaudij simul & pudoris, ipsis veluti indicantibus, quòd illi essent honore digni, & perpetui etiam gaudij participes. Quod detur nobis omnibus quoquè cōsequi gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi: Quem decet omnis gloria, honor & potentia nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Cap.37. Appáret matri suę habitu splendidissimo. Sancti apud Christum viuunt.

DE SANCTO STEPHANO PROTOMARTYRE, D. GREGORII NYSSAE PONTIFICIS ORATIO,

Petro Francisco Zino Veronensi interprete. Nos eam in capita margini adiecta distinximus.

Decēbr.26. Celebritas natalis Domini & S. Stephani. Cap.1.



QVAM præclara bonorum series, quàm dulcis lætitiæ successio. Eccè enim celebritatem ex celebritate, & gratiam pro gratia suscipimus. Heri nos excepit conuiuio rerum omniũ Dominus: hodiè excipit Domini imitator. Quomodò autem hic, & quomodò ille? Ille pro nobis hominem induens, hic pro illo hominem exuens. Ille propter nos vitę speluncã ingrediens, hic è spelunca propter illum egrediens. Ille dum se pro nobis cruciatibus affici, hic autem pro illo lapidibus obrui sinit. Ille mortẽ è medio tollens, hic super iacentẽ mortem incedens. Ad hoc spectaculum, fratres, nos itèm animis concurramus, quo pugil egregius in stadio confessionis exutus, aduersùs improbũ humanæ vitæ aduersarium certat. Stephanus enim verè, quemadmodùm Paulus ait, spectaculum factus est mundo, & Angelis, & hominibus. (1 Cor.4.) Primus martyrij corona redimitus est. Primus in martyrum choro iter arripuit. Primus aduersùs peccatum vsque ad sanguinem restitit.

Cap.2. Tunc autem omnem supracælestes incolentium sedes exercitum, & incredibilem omnium Angelorum tam ministrantium, quàm assistentium numerum, & quicquid honesti præclarique per supremam illam quietissimam regionem in Principatibus, & Virtutibus, & Thronis, & Potestatibus, & Dominationibus audimus, vniuersam deniquè cælitum multitudinem spectâsse pugilem hunc manus cum aduersario conferentem existimo. (Vita humana instàr stadij.) Vita autem humana velutì stadium pugnantibus exposita est. Congressi sunt igitur, improbus quidem humanæ vitæ hostis, ex quo primi parentes ceciderunt, ad ea vsque tempora superandis hominibus exercitatus: magnus autem fidei propugnator, impetus illius contemnens, & pro nihilo ducens. (Arma satanæ & S. Stephani.) Arma verò fuerunt, mortis quidem inuentori, mortem intentantes minæ: vitæ autem discipulo, confessio fidei. Ecquis non esset nouum hoc certaminis genus admiratus, cùm vita & morte veritas dijudicaretur, mors autẽ foret veritatis indicium? Vitæ enim ad eam vsque diem absconditæ & incognitæ prædicator, re ipsa præconium hominibus denunciauit. Quid enim aliud tam promptè mortem oppetens significabat, nisi vitam hanc, quæ relinquitur, cum vita preciosiori commutari?

Cap.3. Sed operępretium erit, vt certamen ipsum, oratione tanquàm in tabula diligẽter depicta, proponamus, vt recta ratione & via ex ipsa gestorum serie, rerum admirabilium ordo nobis appareat. (Act.2.) Nupèr igitur vehemẽs spiritus desupèr veniens, omni aërea & impostrice dæmonũ potestate disiecta ac dissipata, Apostolorum domum impleuerat, & instàr ignis in linguas pro numero eorum, qui gratiam accipiebant, dispertitus, in singulis ipsorum inhæserat. (Stupendum vocis & linguæ miraculũ in Apostolis.) Iamque propter incredibile vocis & linguæ miraculum eos, & qui ex omni natione Hierosolymis degebant, stupor inuaserat & conturbatio. Nam licèt varijs diuersisque linguarum generibus distinguerentur, singuli tamen eadem planè lingua, vno atque eodem tempore discipulos loquentes audiebant, quum ea loquendi facultas nullo esset pręcedenti studio aut diligentia comparata. (Gen.11.) Oportebat enim, vt qui in terrena turri exædificanda similitudinem vocis amiserant, eam in cælesti Ecclesię constructione recuperarent. Hinc igitur gratiæ spiritûs sancti dispensatio duxit initium, vt quod in omnes homines beneficiũ conferebatur, hac ratione ad omnium cognitionẽ perueniret, nè, si religionis promulgatio, vnicæ tantùm linguæ terminis concluderetur, hominibus eam linguam ignorantibus nihil prodesset. (Act.2.) Quarè cùm Pharisæi nec proprijs auribus iam fidẽ haberent, & eos, qui rei tam admirandæ stupore tenebantur, irriderent, quòd musto eiusmodi furorem Apostolis iniectum dicerent: Petrus autẽ vno orationis iactu tria animarũ millia Christo piscatus esset, assiduaq; deincèps eorum, qui seruabantur, accessione cresceret Ecclesiæ multitudo, (Act.3.) cùm & ille, qui iam indè ab ipso ortu claudus erat, Speciosam templi portã ipsis aperiret. Tanquàm enim ei præsideret, suæ curationis spectaculo homines animo claudicantes ad fidẽ ducebat. Quamobrẽm cùm ad fidei prædicationẽ confluerẽt, & *risus (For. * vsus) Ecclesię pluriũ opera, qui gratię ministrarẽt, indigeret, spiritus sanctus

ad

ad adiuuãdos Apostolos Stephanũ, multa sapientia gratiaq; præditum, aduocauit.

Nullus autem eum propter hoc ministrandi nomen Apostolica dignitate inferio- Cap.4.
rem existimet. Siquidem & Paulus mysteriorum Christi se ministrũ nouit, & omnium 1.Cor.4.
Dominus, dum per carnem salutem humanam disponeret, ministri nomen non eru-
buit, dicens, se in medio nostrûm esse, tanquàm qui ministrat, qui diuisiones ministra- Luc. 22.
tionum facit, vt inquit Apostolus. Nam sicut ignis idoneam nactus materiam, subli- 1.Cor.12.
mem flammam tollit, & splendidiorem lucem efficit: ità spiritus sanctus ex magno
Stephani animo clariores gratiæ radios emittebat. Quapropter omnes, qui alicuius Disputat S.
erant cognitionis & disciplinæ participes, in eum spectabant, & cum illis, qui multi- Stephanus
tudine superiores videbantur, coniuratione facta, & tanquàm in phalanges instructi cum diuersę
& densi, vim & impetum Stephani sustinere conabantur: Ille verò & cum pluribus, nationis Iudæis.
& cum paucioribus eodem tempore congrediens, à nullis poterat expugnari. In hoc
autẽ certamine quanuis specie ipsa Alexandrini, & Libertini, & Cyrenæi, & ex omni Act.6.
parte homines inter se coniuncti, aduersùs fidei propugnatorem viderentur irruere,
occultè tamen ipse pater mendacij, veritatẽ, quę in Stephano loquebatur, per homi-
nes oppugnabat. Sed omnibus fraudis defensoribus à viro strenuo profligatis, de
mendacio victoriam & triumphum veritas reportauit. Hostis igitur veritatis crimina-
batur veritatis ministrum, quòd veritatẽ non quæ esset, indicaret: sed quæ non esset,
assereret. Quid istas insidias aduersùs præconem hunc struis, ô diabole? dixissem ego.
Si quid vales si aliquid roboris est tibi, veritatem lædito, quæ in Stephano est. Sin do-
lis & machinis tuis illa sublimior est, cur in ipsius vas exerces odium & maleuolenti-
am tuam? cur eo relicto, quod continetur, id, quod continet, è medio tollis? Sic faci-
unt & canes. lapides, quibus petuntur, arripiunt & mordent: Eos, qui iecerunt, ne at-
tingunt quidem.

Cùm igitur rebus verissimis ac necessarijs mendacium coargueretur, & omnibus Cap.5.
veritatis lucem intuentibus, nullum ampliùs fraudis propugnatorem improbus in-
ueniret, confugit ad artes suas, & malitiæ suæ vim accusatoribus iudicibusque distri-
buens, atque in vtrosque ingressus, eos falsis criminibus Stephanum oppugnare, hos Iudæi veri-
cum indignatione calumniam suscipere compellit: Iudæisque sese varijs modis insi- tate victi,
nuans, omnia ipse fit contra Stephanum, accusator, iudex, carnifex, & reliqua cædis ad menda-
instrumenta, nesciens, quo ipse casu post eam Stephani condemnationem præceps cium & ca-
abiturus esset. Vt enim periti luctatores, subeuntes corpora colluctantium, grauio- lumniã con
rem ipsis casum machinantur: sic magnus Stephanus humì prostratus, grauem ad- fugiunt.
uersario ruinam molitus est. Ex eo enim tempore totum orbem terrarum Apostoli
peragrârunt. Id Euangelij vbiquè gentium disseminandi principium fuit. Nisì enim
Stephani cæde populus Iudæorum in Apostolos sæuijsset, solis fortasse Hierosolymis
Euangelium inclusum permansisset. Nunc autem à Iudæis oppugnati, in alias orbis
partes diuisi sunt, & mysteriorum doctrina diabolum vndiquè detruserunt. Sic exce- Act.8.
pit Samaria verbum Dei. Sic obiter per Philippum Eunuchus salutem adeptus est. Ibidem.
Sic vas illud magnum Ecclesiæ Paulus, furore & minis armatus, à diabolo in ipsum Act.9.
armigerum tela conuertit. Nam dum ipsos ex omnibus regionibus expellere & ex-
terminare conatur, fecit, vt nullus relinqueretur locus, ad quem Christi fides non
perueniret. Hinc enim Aegyptios, Syros, Parthos, Mesopotamitas, Italos, Galatas, Il-
lyrios, Macedonas, & omnes vndiquè gentes ad fidem confluere persuasit verbum
Dei. Cernis, quantùm pugnandi scientia valeat Stephanus? & quàm multis casibus
prostratum afflixerit aduersarium, qui calumniæ fraude superior videbatur? Sed ad
ipsum stadium reuertamur.

Quibus verbis cõmouent populũ isti calumniatores? Homo iste non cessat, inqui- Cap.6.
unt, loqui verba impiè contumeliosa aduersùs locũ hunc sanctum & legem. Audiui-
mus enim eũ dicentem: Iesus Nazarenus ille destruet locũ istum, & mutabit institu-
ta quę tradidit nobis Moses. Hęc est oratorũ diaboli criminatio. Quæ porrò audien- Oratorum
tium amentia? Quid indignãtur, aut succensent huic reo? Quid in ea accusatione cri- diaboli, in
minis depręhenderunt? Quę enim illi data sunt crimini, prędnunciant ea, quę in poste- S. Stephanũ
rum sunt euentura. Aiunt enim, eũ dixisse, locum destructũ iri, & mutatum iri Mosis criminatio.
instituta. Quodnam in his, seu verũ dicat, seu mentiatur, crimen existit? Si mentitur,
quod triste denunciat, non eueniet. Sin vera loquitur, quã affert iniuriã oratio, quę fu-
turos rerum exitus prædicit? Quæ futura sunt enim, siue taceantur, siue significentur,
omninò contingent. Prędicentis autẽ cędes quam molestiarũ alleuationem afferat?

Quid? quòd Iesus Nazarenus accusatur, in Stephanum autem fertur sententia? Atqui si iniuriam faciens, mouet indignationem: iniuria autem est, loci & institutorum euersio & immutatio: hæc verò non per Stephanum, sed per Iesum, vt asserit accusator, efficienda sunt, eum, qui accusatur, condemnari oportebat.

Cap.7. Iniqua Iudæorũ in S. Stephanum sententia. Matt.5. Ibidem. Matt.19.

O iniqua audientium sententia. Quoniam, inquiunt, Iesus mutabit leges, Stephanus lapidibus obruatur. Quo autem pacto legem abrogabit Iesus, qui legis adeò studiosus fuit? Qui instituta vetera tantoperè confirmauit? Qui véni, inquit, non legem vt soluerem, sed adimplerem? Qui legem eam, qua homicidium interdicitur, sic approbauit, vt discipulis initio ne irasci quidem permiserit? Qui pariter cum ipsa cupiditate adulterium conuulsit? Qui iubens, vt ne illos quidem vlciscerentur, à quibus essent iniuria lacessiti, inferendæ iniuriæ principium abstulit? Qui præcipiens, vt quæ possiderent, omnia pauperibus distribuerent, auaritiæ vitium exterminauit? Cur hęc illi in eo iudicio non commemorârunt, non perpenderunt? Illorum mihi nunc iudicum parricidarum consessum adesse velim, & de locis, pro quibus indignantur, discere, vbinàm celebre templum illud, vbì incredibiles illę lapidum magnitudines, vbì aurum illud, quod reliquam materiam propemodùm exæquabat, vbì legitima sacrificia, hircus, vitulus, agnus, caprea, columba, turtur, hœdus repudiatus. Si propterea morte Stephanum affecerunt, vt earum calamitatum nulla contingeret, ostendant, quæso, quàm multa sibi propter homicidiũ illud integra conseruârunt. Quòd si nihil horum est, quamobrèm Stephanum condemnârint: cur ea cædes patrata sit, dicant. Sed in ipso certaminum ordine videamus, quomodò parricidas, à quibus densa lapidum instàr niuiũ multitudine obruitur, vlciscatur, quę dicta reijciat in eos, qui lapides in ipsum coniecerunt. Cognoscant Iudæorum filij, Christianorum arma, quibus magnus Stephanus iniurias suas persecutus, legẽ vitæ rem ipsam statuit. Nam illi quidem immani & ferina quadam rabie virum sanctum circunuenientes, ad eum vnum scopum respiciebant, vt quicquid in manus veniret, pro telo corripientes, in ipsum contorquerent: At ille tanquàm sacerdos quidã ex spiritali lege puram hostiam immolans, non alienum, sed proprium corpus adducebat, & loco libaminis sanguinem effundebat, & pro ijs, qui se tam nefario scelere obstringebant, Deum, quem adspiciebat in cælestibus adytis, præcabatur, & pro cæde sua beneficium rependebat, audientibus homicidis clamans & dicens: Domine, nè statuas illis hoc peccatum. Ac ille quidem scelus, quod parricidæ proprijs impuris manibus exarabant, precatione deleuit: Ipsi verò ea precatione magis etiam concitati, non priùs iaculari destiterunt, quàm magnus Stephanus tanquàm mollibus floribus & leui quodam rore circunfusus, dulcissimo ac beatissimo somno consopitus est.

S. Stephan⁹ pro lapidatoribus Deum precatur. Act.7. Immanitas Iudæorum.

Cap.8. Act.7. S. Stephani præclara victoria.

Sed nos victoria pugnam anteuertimus, & ante certaminis finem, virum adspicimus coronatũ. Priusquàm enim pugnandi labores videremus, ad certaminis exitum oratione prouecti sumus. Neque enim illa, mea quidem sentẽtia, prætereunda erant, ex quibus maximè martyris virtus eluxit: Qualis videlicet interficientium consessus fuerit, & quomodò pariter vniuersos ad patrandam cædem furor incitârit: quanta ad facinus congregatis conspiratio, qui singulorum intuitus, quæ figura, quæ dentium affectio. Nam, vt scriptura testatur, dissecabantur cordibus, & stridebant dentibus in eum, qui tot taliumque corona circunseptus, & contra omnes aduersarias copias parricidis opitulantes sese objiciens, animi prudentięque magnitudine in omnibus excelluit. Opposuit enim furori patientiam, minis contemptionem, mortis terrori despicientiam vitæ, beneuolentiam odio, maleuolentiæ charitatem, calumniæ veritatis declarationem. Veritatis enim defensor non vno tantummodò victor apparuit: sed omnibus malitiæ generibus, quæ exercebant Iudæi, varijs ipse virtutibus occurrit: cum omnibus congressus est, omnesque superauit. Sic in certaminũ ludis victores accipio factitare, vt per totum sæpè stadium nudi, cunctis aduersarijs victis, præmia victoriæ ferant. Itidèm in martyrum stadio se Stephanus gessit, qui omnem hostis vim atque impetum excipiens, illustrem in omnibus victoriam reportauit. Falsam enim Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum sapientiam, vera sapientia deuicit, metum dicendi libertate, comminationem despicientia, beneficentia crudelitatẽ, veritate mendacium. Illi quidẽ ad cædem spectabant, iamque manus armabant lapidibus, & anhelitu, adspectu, dentiũ collisione sæuitiam præ se ferebant:

Act.7. Hic autem eos intuebatur vt fratres, vt patres demulcebat: Viri fratres, inquit, audite me. Illi calumniam adornabant: huic consessus interficientiũ erat veritatis schola.

Sermo-

Sermonem timore non intermisit, neque periculo territus despondit animum: sed morte rebusque præsentibus neglectis, & pro nihilo habitis, mentem in sublime tollens, eos tanquàm puerulos temerè desipientes erudiebat, ex rebus, quas ipsi certas & exploratas habebant, demonstrans, quibus in erroribus versarentur.

Adducit igitur Abrahæ testimonium, omnemque illius historiam breuiter eis ante oculos ponit. Tum sanctos viros, qui deincèps successerunt. Deindè genitũ Mosem, educatum, institutum, in monte percipientem mysteria, vexantem Aegyptum, Israëlem conseruantem, id quod Domini mysterium declarabat. Quarè consessus etiam maximè cōmotus est, & morbus eius inflãmatus, cùm Mosem, cuius se studiosissimos fingebant, pro Stephano stare perspicerent. Itaque consurgentes, rei finem & crudelitati suę, & Stephani desiderio dignum imponunt. Ipse enim naturã humanam egressus, etiam antequàm migret è corpore, puris oculis cæli fores sibi patefactas adspicit, & quæ in cælestibus adytis continentur, diuinamque gloriam, & gloriæ diuinæ splendorem contuetur. Ac paternæ quidẽ gloriæ nulla figura describitur, sed splendor in ea specie, quam homines viderant, ab athleta, quatenùs humana capiebat natura, perspicuus cernitur. Ex natura igitur hominis in angelicam transmutatus, adeò vt ipsis etiam homicidis esset admirationi, quòd facies eius Angelorum dignitate insignis fulgeret, vidit ea, quæ humanis oculis cerni non possunt, & gratiam à se perspectam declarauit. At illi occlusis auribus, quod narrabatur, non acceperunt. Qua quidem vna in re ex tam multis se rectè gesserunt. Profanorum enim aures non erant dignæ, quæ diuinæ rei perspectæ narrationem audirent. Ille quidem ea, quæ sibi soli concessa fuerant, explicatione in commune proponens, gratiam pręsentibus impertiuit, Eccè video, inquiens, cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Ipsi verò clamantes voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Benè historia, quę de ipsis loquitur, factis clamorem adiunxit, vt eorum propositum Sodomitarum proposito simile significaret. Siquidem & flagitium ipsorum, clamor irritantis appellatus est. Clamor enim, inquit, Sodomorum & Gomorrhæorum venit ad me. Clamauerunt igitur & isti, vt eorum in Stephanum clamor audiretur. Sed athleta sibi parricidarum crudelitatem prodesse non ignorabat. Etenim cùm ab ipsis vndiquè lapidibus peteretur, id factum tanquàm coronam, victorię pręmium, in aduersariorum manibus contextam suscepit. Proindè benedictis eos remunerauit, indignum existimans, rem, quæ gerebatur, contrarios exitus ità partiri, vt sibi vitam, aduersarijs autem exitium páreret, & ex illis bonis, quibus ipse dignus efficeretur, hostes, qui eorum bonorum sibi authores essent, exciderent. Sic Christum respiciens, eis, à quibus oppugnabatur, prodesse didicit. Nam simulatquè tolerantię legislatorem adspexit, meminit earum legum, quibus iubemur inimicos diligere, & benefacere ijs, qui oderunt nos, & precari pro ijs, qui nos persequũtur. Verùm hic athleta non capitur humanis laudibus. Neque enim eum certaminis finem propositum habuit, vt ab hominibus gloriam assequeretur: sed animi virtutisque magnitudine totum mundum supergressus, posthabita & neglecta omni laudandi ratione, mensuram humanæ facultatis superauit.

Cap. 9. Act. 7. Sublimis visio S. Stephani. Ibidem. Act. 6. Act. 7. Ibidem. Gen. 18. Peccatum clamans in cælum pro vindicta. Matth. 5.

Quamobrèm omnium hominum celebratione habeat victoriæ pręmia, nobisque historia, quam de ipso conscriptam legimus, ad animorũ salutem opituletur. Quemadmodum enim pugiles, qui donati rude, artem desiẽrunt, in palæstra erudiunt iuuenes, quo agilitatis artificio colluctantium præhensiones euadant: ità nos etiã censeo ad pietatem instituì per magnum Stephanum oportere, vt hostium aduersùs spiritum pugnantium fallacias euitemus. Nam qui rabie inflammati, spiritûs gloriam oppugnant, aiunt, suæ ipsorum absurditatis Stephanum esse fautorem atque patronum. intentis enim in cælũ oculis, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. Quapropter ad euertenda religionis decreta sic argumentantur: Si cum patre & filio spiritus omninò connumerandus est, cur in eo spectaculo Stephanus simul cum filio non conspexit & spiritum? Quomodò igitur ijs, qui eiusmodi rationibus supplantantur, Stephanus manum præbebit, aut certandi artificio fractos eriget & confirmabit? An eodem ex loco feret auxilium, vt infidelitas oppugnantis infringatur? Quæris ergò tu, qui spiritum insectaris, cùm patris gloria filijque ad dexteram eius stantis conspecta sit, vbinàm spiritus? Si in te spiritus esset, non, quemadmodùm qui oculis capti sunt, aurum, quod ante pedes suos iacet, non cognoscentes prætereunt, de ipso spiritu sermonem propositum prætercurrisses. Sed nunc saltem audi, nisi fortè,

Cap. 10. Aduersùs eos, qui sancti spiritus diuinitatẽ negant.

tè, vt Iudæi, aures obturâsti. Quo pacto vidit supercælestem gloriam Stephanus? Quis ei fores cælorum patefecit? Nunquid ea virtus humanarum virium fuit, aut cuiuspiam Angelorum, inferiorem naturam ad sublimitatem illam extollentis? Minimè verò. neque enim sic habet historia, quòd Stephanus multo robore præditus, aut Angelorum fultus auxilio, viderit ea, quæ vidit. Quid igitur dicit? Stephanus autem plenus spiritusancto, vidit gloriam Dei, & vnigenitum filium Dei. Non enim, vt ait propheta, licet lumen intueri, nisì in lumine conspiciatur. Ideò, in lumine, inquit, tuo videbimus lumen. Non nisi in lumine lumen spectari potest. Quomodò enim solem adspiciat, qui extra radios ipsius positus sit? Cùm igitur in lumine patris, id est, in spiritu sancto ab eo procedente, vnigenitum videatur lumen, iccircò priùs gloria spiritûs illustratus, patris & filij gloriæ cognitionem assequitur. Alioquin quomodò sententiam illam Euangelij, Deum nemo vidit vnquàm, esse veram: aut Apostolum clamantem, Quem nullus hominum vidit, neque videre potest: non ijs, quæ in historia scripta sunt, dicemus aduersari? Etenim si natura & vi humana patris & filij gloria percipi potest ille mentitur omninò, qui Deum negat posse comprehendi. sed neque illum mentiri, & historiam esse veram, necessarium est. Manifestè igitur malitia spiritum impugnantium, est depræhensa. Quandoquidem simile simili conspicuum esse, scriptura testatur. Stephanus enim non in natura vtiquè humana persistens Deum vidit, sed spiritûs sancti gratia confirmatus, per eum ad intelligentiam Dei sublatus est. Quamobrèm si, vt inquit Apostolus, sine spiritu Dominum Iesum intueri non licet, nec paternam gloriam percipere, planissimè constat, vbì spiritus est, illic & filium conspici & patris gloriam compræhendi.

Act. 7. Psal. 35. Ioan. 1. 1. Tim. 6. 1. Cor. 12.

Cap. 11. Cæterùm ex ijs, quæ tacitè prætermissa sunt, alterum impietatis telum ab ijs, qui Christum oppugnant, contorquetur. Aiunt enim, vnigenitum inferiorem esse. Etenim cùm à dextris patris dicatur stare, ex his verbis asserunt demonstrari, eum obnoxium esse patris potestati. Quid igitur istis Paulus respondebit, aut ante Paulum Propheta Dauid? Vterque enim doctrina spiritûs, gloriam vnigeniti declarat. Nam Dauid ait, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Apostolus autem, ad dexteram throni Dei sedere Dominum dicit. Quarè si status inferiorem arguit, sessio prorsùs æqualem esse significat, aut contradicant ipsi. In vnoquoque enim horum eadem magistra spiritûs gratia. Siquidem & Stephanus plenus spiritu sancto vidit ea, quæ vidit: & quæ vidit, locutus est. Dauid autem in spiritu vocat ipsum Dominum, vt Euangelium testatur. Paulus verò, quemadmodùm ipsemet dicit, in spiritu loquitur mysteria. Quarè si magister vnus est, nulla re à seipso discrepans, & magister hic est spiritus veritatis in omnibus, qui diuinitùs afflati sunt, quomodò quispiam in eius decretis discrepantiam suspicabitur? At aliud est, inquies, sedere: aliud, stare. Si trita verborum significatio consideretur, ego quoquè ad sententiam tuam accedo. Sed non est fas, hæc verba sic accipere, vt eandem in natura corporis experte, quam in corporibus, vim habeant. Nam in homine quidem, sessio figuram corporis quiescentis describit, nè genua corpus ipsum sustinentia omninò defatigentur: è contrario autem, statio rectum hominem super genibus consistentem, non autem sedendo quiescentem, indicat. At in illa suprema natura, & sessio & status, ab eiusmodi significatione remouentur, & appositè ad rem ipsam explicandam adhibentur. Neque enim illam omni corporea figura vacantem, aut super genibus stare, aut vlla corporis parte sedere opinabimur. Sed per vtranque vocem, perpetuam & immutabilem in omni bono stabilitatem & quietem piè cogitabimus. Etenim qui Deum stare, & qui eundem sedere dicit, verborum varietate discordes sunt illi quidem, sed tamen re ipsa consentiunt: cùm & ille firmè progressum, & hic immobilem in omni bono insedisse Deum significet.

Psal. 109. Hebr. 1. Matth. 22. 1. Cor. 2. Deū stare & sedere vt accipiendū sit

Quemadmodùm autem Propheta Dauid & Apostolus Paulus vnigeniti sessionem exponentes, non effecerunt, vt patre stante, sedere filiū cogitaremus quanuìs ipsius tantummodò filij sedentis mentionē fecerint: sic cùm ex Stephano filiū stantem exaudis, haud rectè solius patris sessionē esse suspicaberis: sed vt ex Pauli & Dauidis oratione sedere patrem, quoniā filius ad dexteram eius sedeat, confitemur, licèt nulla de patre fiat mētio. Sic enim imaginis ratio seruatur, si quicquid in hoc intelligitur & videtur, idē & in exemplari credatur. Et quemadmodùm in bono bonum, & in lumine lumen, & in omnibus ipsum pulchritudinis exemplar, per naturam propriā in imagine exprimitur: eodē pacto ex sede filij, quomodocunq; ea intelligatur, & patris sedes

compræ-

comprӕhenditur, itidemque status ex statu, nè tollatur imaginis ratio, si in varietate proprietatum aliena sit ab exemplari.

Hæc nobis obitèr, fratres, ad quæstionem propositam dicta sint, quæ ex visione Stephani orta est. Faxit autem Deus, vt Stephani non certaminis solùm spectatores, sed etiam gratiæ participes simus, & sancto spiritu ad profligandos & delendos aduersarios impleamur, ad gloriam Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen.

SERMO BEATI PETRI DAMIANI DE EODEM S. PROTOMARTYRE STEPHANO, VT *habetur octauo Tomo Aloysij.*



DHVC filium Virginis habemus in manibus, & obsecutoria delinitione vagiêtis Dei honoramus infantiam. Ducit nos Virgo ad veneranda cunabula, & speciosa prę filiabus hominum, ad speciosum forma præ filijs hominum: benedicta inter mulieres, ad benedictum inter homines nos conducit. Submurmurat nobis in aurem (nè fortè domus exasperans audiat & concitetur) reuelata esse velamina Prophetarum, & completum consilium Dei. Videte miraculum matris Domini, quia creatura creat, & creator creatur. Scintillat sidus, magus adorat, exultat polus, tellus resultat, gloriantur Angeli, pastores adgaudent, virgo parit, nascitur Deus, & cælorum luminaria clariori lumine lumen exortum in tenebris prosequuntur. In istis bonis versamur. Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis. Scio quia dulce vobis est, In principio erat verbum: dulciùs, Verbum caro factum: dulcissimum, Verbum in Cruce suspensum. A tanto puerperio quis insanus oculos suos amouere, nedùm auellere præsumat, nisi ipse iubeat qui dicit: Auerte oculos tuos, à me, quia ipsi me auolare fecerunt?

Marginalia: 26. Decẽbr. — Psal. 44. — Vides Deũ & hominem ex beata virgine nasci! — Psal. 126. — Ioan. 1. — Cant. 6.

Eccè dum osculatur nos osculo oris sui, dum tantis miraculis & stupidos nos facit & attentos, Stephanus plenus gratia & fortitudine, facit prodigia & signa magna in populo. Nunquid æquum est derelinquere Regem, & ad militem oculos retorquere? Nequaquàm, nisi imperauerit Imperator. Surgit ipse Rex filius Regis, & lapidantium acies interrumpens, triumphatorio certamini non sine dolore cordis assistit. Videt opprimi primum & primicerium purpuratæ cohortis, & grandinaria lapidum densitate, fontes sanguinis de corpore protomartyris ebullire. Videt quia vniuersa debacchatio redundat in ipsum, & ipsi soli improperia exprobrantium cumulantur. Vbi pietas & misericordia tua Domine, si non compateris patienti? Vbi & æquitas, & iustitia, si non iudicas, & vindicas de populo lapidante? Curramus ad spectaculum, ad quod currit, qui exultat vt gigas ad currendam viam, & videamus quibus armis armatus vexillifer martyrum in campum pugnaturus descendit: & vt diligentiùs elucescat singularis martyrij prima prærogatiua, reuocemus ad memoriam Apostolicorum actuum descriptionem, in quibus historicis & figuralibus dictis conuersatio & passio belligeri militis continetur.

Marginalia: Cant. 1. — Act. 6. — Psal. 18. — Act. 6. & 7.

Stephanus, inquiunt, plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Non paruum latet hîc mysterium, nec vilipendenda simplicioris scripturæ manifesta positio. Ad Virginem quippè loquens Archangelus verba de cælestibus scrinijs sumpta, nec alterius, nisi ipsius Dei spiritu fabricata, noua salutatione perorat. Nulli dubium, quin omnium verborum excedant altitudinem, vtpotè de melioribus disciplinis sancti Spiritûs euoluta, quorum enunciatione confœderandum erat illud vnicum sacramentum Verbi & hominis, diuinitatis & carnis. Aue, inquit fortitudo Domini, gratia plena. Quid autem de Stephano? Stephanus plenus gratia & fortitudine. Nónne Lucas eisdem penè literis de vtrisque loquitur? Sed licèt longè excellentior modus in Virgine prędicetur, secundariò tamen laudatur in Martyre. Habet igitur gratiam Stephanus sublimiori genere quàm reliqua martyrum multitudo, plenus gratia, refertus videlicet, & cumulatus, quod rarò in scripturis canonicis subtilis inquisitor inueniet. Iungitur gratiæ fortitudo, quia infusio spiritu libertatis

Marginalia: Luc. 1. — Deipara virgo & Stephanus pręcęteris plenigratia.

bertatis

bertatis ignitus animus in lucem veritatis erumpit, nec patitur vllo pacto rigorem iustitiæ vel submitti aliquandò, vel dimitti. Sic loricatus gratia, & hasta fortitudinis sapienter intendens, faciebat prodigia & signa magna in populo. Ille potest signa & prodigia facere, in quo gratia & fortitudo sedem fortissimam statuerunt. Sic exit Stephanus ad homicidas, ad legis adulteros, ad crucifixores filij Dei patris: loquitur genti peccatrici in Aegypto, populo graui iniquitate in deserto, semini nequam in terra promissionis, filijs sceleratis in morte Saluatoris. Dura ceruice, inquit, & incircuncisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, &c.

Esa.1.

Surrexerunt autem quidam de synagoga, vtiquè satanæ, & vndiquè conglobantur, vel ad conuincendum, vel ad occidendum: faciunt parietem vnũ, impietatis squamã squamæ coniungitur: sibilant sibi serpentes adinuicèm, & conueniunt in vnum aduersùs Dominum, & aduersùs seruum eius. Velit nolit, cedit impietas pietati, veritati error, stultitia sapiẽtiæ, Spiritui sancto præsumptio & vanitas spiritûs humani. Et non poterant, inquit, resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur. Non dixit, Non volebant, quod rationabiliũ est & perfectorum: sed, non poterant, vbì menti malæ facultas tollitur, non voluntas mutatur. Redarguebantur, ait, ab eo cum omni fidutia. Fidutialiter agit, nec mutat, nec mutatur mens imperterrita, quę magìs amat iustitiam, quàm vitam, fidem, quàm sanguinẽ, mortem, quàm iustitiæ taciturnitatem. Concurrentes rapiunt eum, adducunt in concilium, & gaudent eum infra sua retiacula conclusisse. Sed frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum. Tunc vox liberior, & illorum cotibus sermo exacuitur veritatis, totumque martyrẽ rapit sibi Spiritus Dei, & ex eius ore sonantiori organo modulatur. Apparet ei vna facies scripturarum, & veteris instrumenti dispendia in compendiosam redigit breuitatem. Replicat promissiones & beneficia Dei, murmurationes & maleficia populi, bona præstita, reddita mala, & ad extremũ diuini sanguinis exprobrat effusionem: Vocat refractarios Spiritui, dura ceruice, incircuncisos corde & auribus: & sublimi voce homicidas & proditores appellat. Non veretur cõuenticula congregata de sanguinibus, & inter manus quærentium animã eius, deliberatione iustitiæ cacumen veritatis ascendit. Dissecantur cordibus, & strident dentibus in eum, concipiunt dolorem, & propè est vt pariãt iniquitatem. Mirum quia non reuocantur insueti nouitate miraculi, quòd luminosa protomartyris facies non refrenat insanos. Videbant, inquit, faciem eius tanquàm vultum Angeli stantis inter illos. Quid est, Iudæi? Lumine vultûs Dei insignitur gloriosus Leuita, & vibranti splendore Stephanus serenatur, reuerberantur oculi vestri, & tamen inuidiæ magnitudo, visionis maiestatem occludit. Respondeant mihi diuinorum voluminum euolutores, vbì reuoluerint, hominem in terris positum, vultum Angelicum induisse, & cùm in vtrisque legibus vel rarò, vel nunquàm inuenerint, adstupeant gloriæ triumphantis.

S. Stephani constantia & immutabilitas.

Prou.1.

Zelus eius.

Psal.15.

Inuidia Iudæorũ, oculos mentis occlusit.

Sequitur: Cùm autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, &c. Mirum dictu, & totius supergressio creaturæ. Intendit in cælũ, videt iam non cælum, sed cælos apertos, videt gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Mouet me hæc intentio, quæ de cordis puritate refusa, vim facit cælis, & ad ipsius diuinitatis consistorium penetrat & attingit. Cæli aperiuntur, gloria Dei videtur, Iesus conspicitur, stans non solùm à dextris Dei, sed à dextris virtutis. Hanc intentionem fecerat abiectio mundi, contemptus sui, cordis munditia, dilectio Dei, amor proximi, veritatis defensio, desiderium Christi. Retorquenda essent hæc omnia ad communes flosculos moralitatis, nisì esset excellentia martyris commendanda. Felices oculi, subtilis visus, visio gloriosa. Simulque signanter recollige positionem verborum. Plenus est Spiritu, & sic intendit in cælum: quia qui Spiritu diuinitatis afflatur, conculcatis terrestribus, cælestibus inhiat & æternis. Post hæc aperiuntur cæli, nullaque præualet obfirmatio vel clausura, quam non transuolet aut irrumpat mens illa summæ menti affectanter inhærens. Aperiũtur ergò cæli, & puto quòd omnes cæli, eorumque apertionem sequitur visio gloriæ Dei, & videtur Dominus Iesus stans à dextris virtutis Dei. Nè Patre minor esse putetur, stat cum stante, cum bellante bellatur, quia lapidatur in lapidato.

Eccè quib⁹ donis fruãtur, qui spiritu Dei agũtur.

Cur Dei filius à dextris patris sui stet.

Non mediocris stupor inuoluit me, vtrùm primitiuus flos martyrum corporeis, an incorporeis oculis ista prospexerit. Grande quidẽ miraculum, si mẽtali intuitu stellantibus se immersit arcanis, si mũdi corde oculi tam solennẽ inspexerint visionẽ. Quòd si corporalibus, certũ est hunc omne hominũ genus disparilitate glorię præuolâsse, &

pennis

pennis fidei & virtutum, incorporea corporeis, & si non comprehendisse, apprehendisse tamen. Nihil audeo temerè diffinire, vel ex abrupto præcipitare sententiã, cùm finitiuam super huiusmodi regulam me non legerim inuenisse. Securiùs tamẽ sequor Apostolum, immò spiritum Dei in Apostolo, qui cum summa verborum deliberatione magìs securæ ambiguitati, quàm periculosæ diffinitioni, ista committit. Siue, inquit, in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. 2.Cor.12.

Exclamant statìm clamore horribili, continent aures suas, & eas obstruunt veritati. Impetũ fecerunt vnanimiter in eum, facti amici in morte illius, & eijcientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Eijcitur martyr extra ciuitatem sanguinum, in qua priùs iustitia habitauerat, nunc autem homicidæ, de qua dicit sanctus: Quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Hæc est ciuitas, quam die ac nocte circundat iniquitas, ciuitas castellum despectiuè vocata, quod contra Apostolos & Apostolorum Dominum durissimis infidelitatis vectibus est munitum. Extra portam ciuitatis huius passus est Dominus, extra eam lapidatur seruus, exiens ad eum extra castra, & portans similitudinem improperij eius. Deponuntur vestimenta martyris ad pedes persecutoris, qui ad tactum sacrarum vestium, & orationibus lapidandi fuerat conuertendus. Et lapidabant, inquit, Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Iesu accipe spiritum meum. Currunt illi ad lapides, & ille ad preces: lapides lapidem percutiunt, sed lapidem molliorem, de quo fluit oleum charitatis, & tinnitus redditur pietatis. Domine Iesu, inquit, nè statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Rogat suscipi spiritum suum, spiritum vtiquè, & spiritum illum, quem signanter quasì quoddam tertium Apostolus in homine præcipit conseruari. Vt integer, inquit, anima, & spiritus, & corpus in diem Domini sine querela seruetur. Esa.1. Psal.54. Matth.21. Luc.19. Conuersio S.Pauli orationib' Stephani asscribenda. 1.Thes.5.

O quanta pietas, quantus affectus, & ardentissimæ charitatis integritas. Rectè martyrij florem iste sibi præuendicat, in quo similitudo Domini pendentis in Cruce, mirabilibus formulis est impressa. In ligno enim spinis, clauis, lancea affixus, & crucifixus, dissimulat illum vnicum dolorem, & obliuiscitur mortis vicinæ, nouum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat, non iam solùm amicus amicis, sed velint, nolint, amicus pariter inimicis. Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non potuit esse inefficax oratio morientis, vndè & inimicorum numerositas ad numerum amicorum transiuit. Vide quàm recto cursu Stephanus, etsi non æquat, sequitur tamen Redemptorem. Volat saxorum imber, & fortissimis inuidorum manibus loca vulnerum duplicantur, sed patienter patitur coronatus noster, de corona nominis ad coronam regiminis transferendus. Nescit affectum carnis, & mortis horam ignorat: & vide quid deliberet faciendum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: Domine, nè statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, quid faciunt. Clamat voce magna, quia magna vtiquè charitate: positis genibus, quia vera & humili simplicitate. Pro se orans stat, & erigitur: pro lapidantibus flectit genua. Quis audiuit vnquàm talem, & quis vidit huic similem? Plùs dolet persequentium peccata, quàm sua vulnera: illorum iniquitatem, quàm suam mortem. Et cùm hoc dixisset, obdormiuit in Domino. Felix somnus cùm requie, requies cum voluptate, voluptas cum satietate, satietas cum securitate, securitas cum æternitate. Obdormiuit, inquit, in Domino, absorptus in claritatis abyssum, & inter Dei sui brachia requiescens. Sedebat à dextris Dei Dominus Iesus, sed primo martyri martyrum caput. Recolitis quid illa Ecclesiæ lingua, Augustinum loquor, de hoc martyre senserit, quem post mortem septem mortuos asserit suscitâsse? Luc.23. Charitas proximi in Stephano quãta. S.Stephan' post mortẽ septem mortuos resuscitat.

Eià vos, qui Leuitico ordine præfulgetis, cantate huic canticum nouum, & tantæ festiuitati festiuis vocibus incumbite. Fortasśis aderit canentibus, & suggeret de nobis Domino suo, iudici nostro: Nè statuas illis aliquid ad peccatum: qui est Deus benedictus in secula, Amen.

DE huius protomartyris Stephani miraculis multa sunt apud S.Augustinum & Euodium Episcopum, quę nimìs longum esset huc adscriberę: Itaque Lectorem ad eos remittimus.

De inuentione verò reliquiarum eius, ac sociorum, scribunt Auitus & Lucianus: quærat Lector Tom. 4. die 3. Augusti, fol.501. &c. nouæ editionis.

MARTYRIVM SANCTORVM MARTYRVM ET CONFESSORVM, THEODORI ET THEOPHANIS

inscriptorum, Authore Simeone Metaphraste, vt habetur 5. Tomo Aloysij. Nos numerum capitum ad marginem apposuimus.

Decebr. 26.

Cap. 1. Certamē cū ethnicis & hæreticis.



EX ijs, qui pro Christo certare constituerunt, alij quidem pro pietate solummodò decertârunt aduersùs gentiles, qui vendicabant & tuebantur errorem simulacrorum: Alij autem pro fide Orthodoxa, aduersùs Christianos quidem, sed non sanè in rectam fidē affectos, non minores, quàm illi, sudores subeuntes. Quamobrèm illis quoquè sunt pares coronas consecuti. Quorum vnus est, qui nunc est nobis propositus dicendi argumentum, mirabilis ille & magnus Theodorus, de quo sigillatìm tractabit oratio. (Patria S. Theodori.) Eum tulit Palęstina, quam Deus dans Abrahę hęreditatem, pulchrè vocauit terram promissionis: ciuitas autem Hierusalem, cui quidē omninò sufficiet ad laudem, etiamsì nihil aliud haberet laudabile, quòd illinc est Christus secundùm carnem: quinetiam ex ea quoquè processit magnus prophetarū & patriarcharum chorus: ipse quoquè Apostolorum gratissimus à Deo electus numerus est illic ortus. Huius autem viri generosi parentes nos reddebat pietas: eisq; opes erant & facultates, ex Christo vocari & nominari. (Pietas parētum eius.) Ex quibus cùm vir ille sacrosanctus germinâsset, quid opùs est dicere, quantas statìm ab ineunte ætate diuitias habuerit intelligentiæ? Nam cùm adhuc quidē esset puer, non erat eius ingenium, quale est puerorum, vt ad parua adspiceret, vt ludis delectaretur & rebus ludicris: (Sancta eius pueritia.) sed nusquàm quidē libentiùs versabatur Theodorus, quàm in templis venerandis. Nullum erat ei iucundius spectaculum, quàm ad pulcherrimos & honestissimos mores intuentem, seipsum componere. Nulla re magìs gloriabatur, & se magnificè circunspiciebat, quàm quòd videretur obedire parentibus. Et vt semèl dicam, statìm ab initio ostendit, sicut plantæ generosæ ex primo germine, qualisnam esset virtute euasurus.

Cap. 2. Cùm autē iam à puerili ætate excederet, iubetur à parentibus ventitare ad Grammaticum. (Traditur S. Sabæ monasterio.) Vt verò non solùm occuparetur in disciplinis, sed etiam formaretur ad virtutem, traditur diuini Sabæ monasterio, quendā assecutus magistrum Presbyterum, qui erat, inquam, vnus ex ecclesia, & simul quidem in doctrina & in virtute primas tunc partes obtinebat. (S. Theophanes frater eius, vitæ sanctitate ei persimilis.) Habebat autem fratrem quoquè Theophanem: qui, quòd ad ętatem quidem attinet, erat minor tempore, in virtute verò secundas habere non sustinebat: & frater esse volebat non tam ex carnis similitudine, quàm ex eo, quòd nihil differret in virtute: sed optimos imitans pictores, ad illum tanquàm ad archetypum exemplar intuebatur, & accuratè imitabatur. Atque illic quidem versabantur vtrique: sed diuinus Theodorus, cùm esset acerrimi ingenij, & breui tempore vniuersam peruasisset eruditionem, captus sublimiorum amore disciplinarum, egreditur quidem ex monasterio: accedit autem ad virum quendam, ætate quidem prouectum, sed qui conuenienter tempori virtutem exercuerat, & eruditionem comparauerat. Cùm illo ergò versans, & virtutis fit imitator, & ad capiendam disciplinam non multo opùs habet tempore: sed celeri & ardenti ingenio, acrique & constanti studio, breui tempore omnia in sua collocauit anima. Huius autem rei testimonium ferunt libri, quos ipse posteà edidit pro pietate, etiamsì esset excelsior, quàm vt ex eis vllam laudem ambiret.

Cap. 3. Sed aliquandiù quidem est versatus in literis. Vincebat enim amor virtutis, volens eum totum ad se trahere, & eum in ea totum esse occupatum, & non propter illorum studium, eius perpetuam interrumpi cum eo consuetudinem. Se certè rursùs tradit diuini Sabæ monasterio, sicque sub Deo viuebat, & opera faciebat, quæ erant digna puris illius oculis. (Catalogus virtutū eius.) Hinc quis Theodoro quidem moderatior? Quis autem ad continendam iram generosior? Quis minùs propensus ad explendas cupiditates? Quis dicendi & tacendi tempus magìs obseruabat, & meliùs conijciebat tempus cuiusuis rei faciendæ? adeò vt nec silentium contemneret, neque dicendi libertatem omitteret, propter animi mollitiem, abiectumq; & demissum spiritum. Quis sic carnem castigauit, & oculum frenauit, & cogitationum repressit impetus? Ex quo

quid

quid accidit? Nutu quidem Dei, suffragio autem omnium, qui erant in monasterio, ab eo qui tunc erat Antistes Sion, ordinatur presbyter. Et sic habebat eum magni Sabæ monasterium, sedulò operantem mel virtutis. Ordinatur presbyter.

Quod autem ex rebus illius præclaris me propemodùm effugit, & quod nec si velim quidem, facile est despicere, iam dicam. In eum enim fit tale quid, quale priùs in Ieremiam, cui dictũ est: Antequàm natus esses, te sanctificaui: & vnxi te priùs, quàm formatus esses in Israël. Nam cùm magnus ille senex & magister in diuini Sabæ monasterio, vt priùs indicauit oratio, hunc rerum diuinarum studiosum doceret Theodorum, & ad disciplinæ exercitationem & virtutem incitaret, hic autem lac virtutis quotidiè, vt ità dicam, exugeret & spiritaliter aleretur, magnus ille senex & homo Dei, ùm scilicet diuinitùs id resciuisset, prædicit apertissimè. Nè autem videretur discipulo gratificans fingere reuelationem, (est enim re vera suspecta laus amantium) ipsam quidem tunc occultat silentio: Posteà verò, vbì pueri quoquè fide dignam virtutem habuit, ijs, quæ dicebantur, suffragantem, enunciat omnibus cum præclara & insigni prædicatione, alta voce clamans, quòd hic egregius adolescens, præter alia quæ propter Christum sustinebit, è vita etiam excedet martyrio. Quod huius esse potuerit à pueritia virtutis argumentum illo euidentius? adeò vt sufficiat, etiamsi nihil aliud ab eo rectè gestum esset, ad ostendendum eum qui laudatur, nulli esse secundum eorum, qui beati dicuntur. Cap. 4. Iere. 1. Senex quidam prædicit eum futurum martyrem, pro imaginum defensione.

Postquàm autem cum alijs bonis accepit etiam donum Sacerdotij, quid opùs est recensere, quæcunque ad illius honorem rectè ab eo gesta sunt, etiamsi æquè studeret latére, àc nullus alius ex ijs, qui res gerunt improbas? Nam cui quidem ad fidem, cui verò ad spem, cui autem ad charitatem fuit ille secundus? Sed lenitate, sed moderatione, sed benignitate, sed zelo qualis fuit? qui etiam vsque ad vincula, & plagas, & mortem, pro Christi imagine adijt pericula? Verumenimuerò satius est de imagine ex alto explicare, quomodò se habuerit. Generis nostri hostis & inimicus ab omni æuo, cùm multa iam aduersùs nos bella & sæpè suscitâsset, alia rursus via ingreditur, & fortiter armatur aduersùs pietatem. Quoniam enim vidit Deum factum hominem, vt hominem Deum faceret, fit rursùs serpens, & rursùs diabolus, & diuinas leges & diuina iura conuellit sceleratus, & perperàm rursùs interpretatur voluntatem legislatoris: & cùm sciret se non posse homines à Deo abducere, esca temperat insidias: & cùm persuadere non posset, vt Christum negarent, diuinam eius imaginem omninò adorare prohibet: vt sic latéret, ab illo susceptæ carnis abolens confessionem, & paulatim extinguens, quod est propter illam, nostrum in Seruatorem desiderium. Vbì autem ei insidiæ ex animi sententia processêre, (inuenit enim animos aptos ad excipienda semina) ô magnam tuam, ô Christe, patientiam, peruenit etiam vsque ad ipsos Imperatores: & fit valentior, inueniens vires ex potestate: & tanta adiuuatur potentia, vt propemodùm nos quoquè essemus, sicut ab initio, vt sacra docent eloquia, quandò Dominus nobis non imperabat. Cap. 5. Virtutes ei. Aduertant Iconomachi, quẽ doctorem sequantur. Esa. 63.

Nam cùm eo tempore Leo, qui genus ducebat ex Armenia, tyrannica manu sceptra inuasisset, & pio Imperatori Michaëli imperium quidem ademisset: vt habitum autem & vitam susciperet monasticam, effecisset, ille quod erat inuoluntarium admisit, perindè acsi & cecidisset ex animi sententia. Ipse verò paululùm adhuc intùs inhabitantẽ habens impietatem, eam edit in lucem, tanquàm adulterinũ aliquem & malum fœtum: & paulopòst apertè ostendit truces suos spiritus aduersùs diuinas imagines, & earum tollit adorationem. Et primùm quidẽ simul cum Orthodoxo Pontifice pietatem exterminat: Deindè etiã deijcit pulchritudinẽ sacrarum imaginum, veluti quosdam oculos hebetans Ecclesiæ. Et Orthodoxus quidẽ, vt dixi, Pontifex mittitur in exilium: mercenarius autẽ eius loco inducitur, & non pastor, qui erat eiusdem, cuius Tyrannus, sententię, & concors in impietate, ara cum sacro, vt est in prouerbio: & olìm mortuã in venerandas imagines hæresim contendebat excitare. Sedenim qualia sunt Dei iudicia? Virga peccatorum statìm in nos emittitur, vt vel sic intelligamus, qualem per magnam amentiam Dominum prouocamus ad iram. Arabes enim, qui habitant solitudinem ad Orientem, exercitu in expeditionem ducto contra Romanos, multas quidẽ eorum regiones populabantur, & ex vicis & agris prędas agebant. Faciebant autem etiam excursiones in monasteria, quæ erant in Palæstina: quorum primum & maximum, erat diuini Sabæ monasterium, in quo hic magnus, sicut priùs diximus, se exercebat Theodorus. Cap 6. Leo Armenus Iconomachus. Nota imagines, oculos esse Ecclesiæ.

Cap. 7. Hæc videns diuinus ille Antistes & Pastor Hierosolymitanæ Ecclesiæ, & sciens hæc esse pœnam peccati, & iræ poculum, propterea quòd despicatui habetur & aboletur diuinarum adoratio imagnum, excitatur protinùs ad zelum, & quærit modum, quo poterit tantum extinguere incendium, & ostendere eos malè facere, qui sunt parati noua introducere, & prompti ad patrum transmouendos limites. Sic enim reuocabuntur captiui, & consequentur misericordiam sauciatæ animæ. Ad hoc ergò admodùm aptum sanctum inuenit Theodorum, vt qui & virtute esset celebratus, & in dicendo exercitatus, & zelum spiraret acrem & iuuenilem. Ille autem, Eccè me, dicit Pontifici: mitte me, & proficiscar, & tuis adiutus precibus, pudore afficiam impietatem. Ipsum ergò mittit Patriarcha, cùm precibus eum vndiquè munijsset, & spe in Christum totum corroboràsset. Vt autem prætermittamus ea, quæ intercesserunt, cùm venisset in regiam, fratrem habens Theophanem, qui eum sequebatur, & quæ erant fraterna sentiebat, & in zelo pro pietate cum eo conspirabat, primùm quidem se intrepidè sistit in conspectum eius, qui in Ecclesiam more prædonis inuaserat (vbinam enim ille se gessit more sacerdotali?) & liberè arguit, quòd eos peruertat, quos pascit: & hæresim ei acerbè exprobrat. Deindè ipsi quoquè Imperatori ex aduerso occurrit tanquàm acutus quidam gladius: & non solum eum criminatur, quòd suam perdat animam: sed etiam, quòd Dei populum impiè per fraudem euertat. Deindè etiam adhortatur, vt relicta hac profana & impia opinione, eius loco edíscat pietatem. Fortassè enim, inquit, tibi Deus placabitur, & non omnem iram Domini tanquàm fæcem aliquam ipse ebibes. Quamobrèm Imperator cùm & viri esset libertatem admiratus, & præterea verborum opportunitatem, & morum moderationem, & quæ ex animo ad vultum emanabat, illius, vt poterat, animaduertisset alacritatem, eum est reueritus, & moderatè tulit eius repræhensiones. Deindè etiã eum accersijt, & familiariter eum est allocutus, rogãs quisnam esset, & vndè veniret, & quid sibi vellet illa mera & incauta dicendi libertas. Ille autem & significat patriam, & suum ex Palæstina aduentum renunciat, & quòd statuebat non oportere vel apud Imperatorem se à dicendo reprimere, quandò videret Regem, qui est in cælis, affectum iniuria. Deindè aperit dogmata, docet honorem diuinarum imaginum. Et cùm alia dixisset, & adiecisset hoc esse indicium nostri in Christum desiderij, & cõfessionem ab eo susceptæ carnis: Deindè destruit propositas ab illo quæstiones, fide Christi, & virtute sermonis & spiritûs. Postquàm autem post multa, quæ inter eos dicta sunt, Theodori oratio victoriam est adepta, primùm miratur Imperator. Deindè etiam ei incipit blandiri, toto animo contendens talem virum in suã redigere potestatem, per quem multos esset superaturus. Postquàm verò vidit eum à se capi non posse: nam tale quid etiam apud eum adiecerat, dicens: Oblitus es eorum, quæ Deo promisisti, ó Imperator, quorum intercessor fuit magnus Pontifex, quandò tuo capiti imperatoriam imposuit coronam. Parce tuæ animæ, & prius ornamentum restitue Ecclesiæ, & noli pugnare cum Deo iusto iudice & forti, etiamsi non quotidiè iram inferat propter summam benignitatem. Hæc ille quidem sic apud eum liberè est locutus.

Vtinàm hæc attenderẽt nouatores.

S. Theodori egregia animi fortitudo, zelus & constantia.

Vide quãta sit verè virtutis vis.

Liberè Imperatorẽ arguit S. Theodorus.

Cap. 8. Imperator autem soluto prætextu lenitatis, in iram & furorem erupit, & rogauit an esset aliquis eiusdem animi & sententiæ in pietate, cuius erat Theodorus. Postquàm verò intellexit de fratre eius Theophane, & quòd non minùs quàm naturam, conseruat in dogmatibus cognationẽ & fraternitatem, ambos diù flagris cæsos, condemnat vt relegentur ad ostium Ponti: iubens neminem eis impertire nec cibum, nec potum, nec vestimentum: vt mali, inquit, sic malè atterantur. Sed Tyrannum quidẽ improbitas sic docebat facere. Nihil est enim mali, quod non sit iniustus arrepturus. Cùm autem non diu distulisset iram Deus, qui iustè iudicat, non multum temporis intercessit, & iste, qui & nomen & rem habebat cum feris communem, vnà cum tyrannide finit vitam. De medio enim tollitur à Michaële, cui cognomen erat Traulos id est, Balbus, malè, vt aiunt, malo remedium adferens. Erat autem dies natalis Christi, eiusque sanguis effunditur, non vt alicuius ex infantibus, qui pro nobis Deo nato offerebatur: sed potiùs vt Herodis, vt lueret pœnas multarum sanctarum animarum, in quas ille exercuerat tyrannidem. Suscipit verò sanctus locus piaculum, & ó diuina Dei iudicia, ipsa, inquam, ara quam ipse fefellerat, promittens se nihil sacrorum dogmatum mutaturum, & cuius ille pulchrum sustulerat ornamentum imaginum.

S. Theodorus & Theophanes flagris cæsi, in exilium relegantur.

Impius Imperator interficitur.

Cap. 9. Quod cùm factum esset, paululùm ab exilio & ab alijs malis relaxati viri generosissimi,

ſiſſimi, veniunt in regiam noui Imperatoris, qui præ ſe ferebat, ſe ex humanitate permiſiſſe reditum. Nam reuerà cùm impietate præcedenti nihil cederet, ei cedebat in perſecutione. Atque illi quidem cùm veniſſent in ciuitatem, & pietatem liberè prędicâſſent, multos ex reliqua multitudine, & ex ipſis etiam magiſtratibus, in ſuam adducunt ſententiam: partim quidẽ per expoſitionem canonum, quos germanus frater Theophanes cecinit verſibus: partim autem per orationum quoquè oppoſitionem, quas magnus hic conſcripſit Theodorus. Verumenimuerò cùm tantam virorum virtutẽ non ferret Iannes Magus Aegyptius & Iambre ſodalis, tam apertè reſplendere, eos includit in carcere: & poſtremò cum eis in ſermone congreſſus, cùm non poſſet aduersùs illos decertare: ſed, vt dicitur, caprea pugnam iniret cum leonibus: eos vi rursùs expellit è ciuitate, vt qui multùm poſſet apud Imperatorem, tum quòd eſſet eiuſdem ſententiæ, tum quòd eſſet indutus habitu monaſtico, & quandam præ ſe ferret pietatis ſpeciem: per quam & Imperatorem & multos ex ijs qui gerebant magiſtratus, decepit ſceleratus: & indignè paulopòſt aſſcendit ſedem patriarchalem. Et illi quidem ſic expulſi ex ciuitate, externam regionem tanquàm patriam videbant, propter Chriſtum verſantes in loco, qui vocatur Soſthenium. Multos cõuertunt ab hæreſi ſancti fratres. Expellũtur è ciuitate.

Poſtquàm autẽ deceſſit impius Imperator Michaël, magìs impio filio Theophilo relinquit imperium: qui malum dogma ità eſt amplexus, & ijs qui pietatem accuratè tenebant, extitit tam grauis, vt omnes, qui fuerunt anteà malæ opinionis, frigidos & molles redderet in impietate. Hinc rursùs in pios perſecutiões, & ſacrarũ rursùs imaginum euerſiones: & rursùs tormenta, & iudicia, & carceres, & omne genus iniuſtitiæ commotum in pietatem. Hinc Theodorus cum fratre delatus, & quòd pius eſſet, accuſatus. Qui pro pietate quidem, quod non ſuſtinuit genus ſupplicij, vel potiùs quam non ſuſcepit coronã martyrij? Non toleranti ę? Non dicendi libertatis? Non zeli, quo pro Domino concitatus, quotidiè decertabat, martyr inter martyres, & confeſſor effectus per ipſa pro Chriſto certamina? Res autem illius magis oſtendit multorum dierum carcer, quem ſuſtinuit, & multiplicia ſupplicia: quę filius à patre in hodiernum vſque diem accipientes, effecerunt, vt & ea ſuperârint obliuionem, & ſcriptis mandata ſint. Cap. 10. Theophilus Imperator impijſſimus. Multa patitur S. Theodorus.

Ab his ſupplicijs, multi quidem ex ijs, qui fuerant compræhenſi, victi ſunt, etiamsì pœnitentia aduersùs victoriam rebellauit: complures autem propter ſpem & Chriſti deſiderium, generoſo & forti animo contempſerunt. Cum quibus hic quoquè vir diuinus, cùm hoc, quòd nihil ceſſit ijs, quę promittebantur, beneficijs, loris prætereà cæſus, dici non poteſt quantã oſtendit fortitudinem, ſocijs certaminis effectus exemplar non facile ad imitandum. Ipſe certè cùm iam fuiſſet ei corpus laceratũ flagellis, & ſolum ſanguine adſperſiſſet, vt qui rerum grauium & aſperarũ nullum ſenſum ſuſtinuiſſet, nudus ſtetit in medio tribunali, de plagis tanquàm de aliquo ornamento glorians, & ſic, vt ait diuus Paulus, effectus theatrum Angelis & hominibus. Cùm autem Præfectus ægrè tuliſſet hanc diuturnã nuditatem: Ego, inquit athleta, ideò ſto nudus, vt, ſi aliquem viderim athletam defeſſum doloribus, illius defectum meo corpore alacri animo ſuppleam. O viri fortitudinem, ó dicendi libertatem, ô ardorem in Dominum. Rursùs ergò relegantur in inſulã, quam ſolent appellare Aphuſiam. Sed quid mihi opùs eſt enumerare ea, quæ deincèps ſunt conſecuta, carceres, naufragia, famem, ſolis ardorem, frigus nocturnũ, inſidias, inſurrectiones, quotidianas mortes, plagas rursùs, verbera & colaphos? Satis ſit dicere, quòd cùm in ijs ferendis voluptate affecti eſſent ſimul cum diuturno exilio, duobus pòſt annis, ſoli ex alijs iuſſu Imperatoris veniunt Conſtantinopolim. Maiori enim, etsì planè inani, deſiderio tenebatur Imperator habendi Theodorum & Theophanem eadem, quæ ille, ſentientes, quàm imperandi omnibus, qui nulla in re ab eo diſſentiebant. Cap. 11. Multi cedũt ſupplicijs. Cæſus loris atrociter S. Theodorus, gloriatur. 1. Cor. 4. En quanta patitur cum fratre.

Verumenimuerò operæpreciũ eſt ea, quę deincèps ſequuntur, declarare per illa ipſa verba epiſtolę, quę hic D. Theodorus, cõmunem ſimul cum fratre componens epiſtolã, mittit ad Iohannem, qui tũc erat Antiſtes Cyzicenæ Eccleſiæ, & ad reliquam orthodoxorum multitudinem: enumerans quæcunque eos pati accidit ab illo Dei inimico Theophilo, dum decertarent pro diuinis imaginibus, & queadmodùm poſt multa tormenta eis crudeliter compuncti fuerunt oculi. Si autẽ in epiſtola ſunt quædam ſimplicia & rudia, non ideò apud eos, qui rectè iudicant & ſunt eruditi, dabunt ea teſtimonium, quòd qui ſcripſit, eſſet ineruditus: ſed primùm quidem, quòd ipſe vteretur indifferenter dictione & nominibus, & non hoc magnum putaret, neque Cap. 12.

dignum, in quo elaboraret. Deindè autem quòd etiam vellet ipsa planè verba, sicut dicta sunt, in interrogationibus & responsionibus, simpliciter & inornatè adduci. Sic autem habet ad verbum epistola: Maximam facerem iniuriam, si silentio traderem ea, quæ in nos facta sunt, cùm multi desiderẽt audire & discere, & maximè possunt esse ad Dei gloriam, & multorum vtilitatem, si dicantur & audiantur: neque parùm conferunt ad confutandos impios, & ad refellendam eorum dogmatum imbecillitatem, & telę aranearum similem. Deindè hęc quoq; dicit paulò pòst. Cùm ergò tunc venisset, qui iussis seruiebat imperatorijs, & ascendisset in insulam Aphusiam, nos magna celeritate abreptos duxit in ciuitatem, causam, cur traheremur, affirmans se ignorare, nisi quòd cum magna festinatione & celeritate dicebat se esse missum. Venimus itaque in ciuitatem, cùm esset octauus dies Iulij. Cùm autem Imperatori apparuisset solus is, qui nos duxerat, iussus est nos statim includere in Prætorio. Post sex verò dies, nempe quartodecimo eiusdem mensis, accersimur ad Imperatorem, nostro aduentu iam in omnium animis præcognito & expectato, quòd scilicet ad Imperatorem deducendi essemus, vt pœnas lueremus: neque licebat aliud videre aut audire, nisi terrores & minas, alijs quidem crudeliter dicentibus: Cedite vos quamprimùm & absque omni contradictione iussis Imperatorijs: alijs verò nos acerbissima passuros, si non pareremus, protestantibus: alijs verò dicentibus, Tenetur * dæmonum, & alia huiusmodi & his deteriora, quæ nostris auribus accipiebamus. Et hæc quidem audiebamus, priusquàm ad aureum, quod dicitur, adduceremur triclinium. Adductis autem & ostium ingressis, nos Præfecto præcedente, visus est à nobis Imperator valdè terribilis & iram spirans, multis hinc & illinc nos circunsistentibus. Erat hõra circiter decima, & Præfectus, qui eousquè venerat, discessit, solos nos relinquens in conspectu Imperatoris. Is autem nos cùm adorâssemus, asperiore & acerbiore voce iussit accedere propiùs. Cùm ad eum ergò vsque venissemus, interrogauit, dicens: In quanam regione nati estis? Cùm nos autem respondissemus, In Moabitide: ille rursùs ijsdem verbis, Et cur huc venistis? inquit, & priusquàm responderemus, iussit nobis verberari oculos. Multas verò plagas & graues inflixerunt, qui percutiebant, adeò vt nos impleremur vertigine, & humì caderemus. etenim nisi eius, qui percutiebat, tunicam in pectore appræhendissem, ad scabellum Imperatoris statim essem deiectus. Tenens autem vestem, plagas accepi immotus, donèc Imperator iussit eum cessare percutere. Cùm cessâssent autem qui percutiebant, rursùs rogauit Imperator: Quanam de causa huc venistis? Hoc verò sibi volebat id, quod dicebat, Quanam de causa, nolentes eandem, quam nos, amplecti fidem, vestra sponte ingressi estis eandem, quam nos, habitationem? Cùm nos autem tacuissemus, & oculos humì deiecissemus, ad Præfectum qui propè stabat, impudenti oratione & toruo adspectu conuersus, cum magna ira & voce aspera hæc locutus est: Tolle eos, & in eorum facie inscribe & insculpe hos iambos, & trade eos duobus Saracenis, & abducant eos in terram suam. Propè verò adfuit, qui eos habebat iambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Christodulus: cui etiam iussit eos legere, hoc etiam adijciens: Etsi non sint pulchri, nè sit tibi curæ. Is autem dixit: In componendis versibus tam accuratè sumus exercitati, vt satis sit ad eos irridendos. Et ideò quidam qui aderat, ad gratiam loquens, ei dixit: Ne digni quidem sunt isti, ô Domine, vt sint Iambi pulchriores. Satius est autem, illosipsos ità, vt se habebant, inserere narrationi.

Epistola eorū ad Episcopum Cyzici &c.

for. dęmonium*

τρίκλινον dictū à tribus lectis.

Sanctis fratribus verberantur oculi.

Cunctis ad vrbem adire eam volentibus,
Sterêre vbì verbi Dei casti pedes,
Terrarum vt orbis per id queat consistere,
Apparuerunt isti honorando in loco,
Erroris impij mala vasa & reproba.
Cùm multa fecissent ibì perturpia,
Grauiaque, quòd deesset eis recta fides,
Illinc abacti sunt sicut apostatæ:
Confugientes autem ad vrbem imperij,
Stultitiam haud reliquerunt nefariam.
Quarè notati & inscripti vt malefici,
Damnantur exiguntùrque improbi iterùm.

His

His lectis, iussit nos abduci in prætorium: & postquàm egressi essemus, & ad eam quę dicitur, Thermastram iam venissemus, accedēs quidam, iussit nos reuerti, & cum maxima celeritate sistit nos ante Imperatorem. Qui cùm nos vidisset, sic inquit: Verisimile est, vos, cùm recesseritis, esse dicturos, Imperatorem illusimus. Sed ego cùm vos priùs illusero, dimittam. Cùm sic dixisset, iussit nos exui. Cùm ambo autem exuti essemus, verberabar ego, sic assiduè clamante Imperatore, & eos, qui flagellabant, adiuuante: Sic te in me geris? da pulchrè. Verberabatur itaque & tergum, & pectus absque vlla clemētia & misericordia. Ego verò cùm diù flagris cæderer, vociferabar: Nihil peccauimus in tuum imperium. Et rursùs, Domine miserere: &, Sancta Deipara, veni ad nostrum auxilium. Deindè etiam verberârunt fratrē similiter clamantem, & dicentem: Sancta Deipara, ipsa quoquè fugisti in Aegyptum, portans tuum filium. Respice ad me, qui propter similem tibi fugam punior. Domine Domine, qui liberas pauperem à manu eius, qui sunt eo fortiores, nè diù differas tuum nobis dare auxilium. Et cùm sic ambos concidisset, quantùm volebat, iussit nos exire. Alius autem rursùs egressus, ad nos accurrit, iubens reuerti.

[Margin: θερμαίστρα forte hypocaustū aut thermæ. — Vide nequissimum Tyrannum. — Matt. 2. — Psal. 34.]

Quidam verò missus ab Imperatore, rogauit quanam de causa morte Leonis lætati estis, & cur, cùm ad eum accessissetis, non amplexi estis eandem, quam ille, fidem? Ad hæc nos: Neque morte Leonis lætati sumus, sed neq; ad ipsum accessimus, neque fidem propter vos, qui cum tempore mutamini, omninò abolere, aut etiā innouare sustinemus. Cùm is autē subiunxisset: Non venistis imperante Leone? Nequaquàm, diximus: sed eo imperante, qui te præcessit. Ille verò: Rectè, rectè, inquit. erat verò is exactor vectigalium. Rursùs tunc venimus in prætorium, cùm iam essent tenebræ. Cùm autem quatuor dies præterijssent, coram Præfecto præsidente sistimur. Is verò cùm nos multis minis tormentorū terruisset, & dixisset se priùs nos esse castigaturum: & deindè etiam oculos inscripturum, & Saracenis traditurum, iussit vt id faceremus, quod esset gratum Imperatori. Erat autem cum eo etiam Christodulus, & eius pater. Nobis verò fortiter recusantibus, & dicentibus nos esse paratos subire vel mille mortes: & nunquàm nos esse polluendos vel solo assensu, communione eorum, qui contempserunt & despicatui habuerunt Christianorum fidem & confessionem: etiamsi oculos effoderint, etiamsi corpus igni tradiderint. Cùm hęc diceremus, pater Christoduli loquens aduersarijs, quasi nobis gratificans: Nunquàm, dixit Pręfecto, isti adorârunt imaginem, neque scio quid fecerint, quòd huc venerunt. Cui ego asperè: Recede hinc, inquam: nescis quid dicas, neque de quibus affirmes.

[Margin: Præclara vox. — Ecce cōstantiā sanctorū virorum in tuēdis sacris Imaginibus]

Præfectus autem rursùs vtens blanditijs: Semèl, inquit, semèl solùm cōmunicate, nec aliud exigimus, & ego ibo vobiscum in ecclesiam, & deindè ite, quò vobis placuerit. Ego verò ei dixi subridens: Simile quid dicis, ô domine Præfecte, vt si quis alium rogans, dicat: Nihil aliud peto, nisi semèl tuum caput amputare: & tunc postcà vade, quò velis. Scias ergò hoc quoquè nobis esse pudori, quòd audeat nos aliquis adhortari ad communionem: ad quam nescio quomodò suades vt accedamus, & non potiùs vt qui procùl est remotus, persuadeatur. Est enim ei facilius facere, vt terra & cælum sint sursùm & deorsùm, quàm nos traducere à pietate. Tunc iussit inscribi nostros vultus: & cùm adhuc in nobis inflammatæ essent plagæ, quas ex flagellis acceperamus, & graues afferrent dolores, extendentes super scamna, vultus nostros insculpebant. Cùm autem longo tempore vultus pungerent, occidente sole tenebræ factæ sunt. Quod quidem effecit, vt vel inuiti cessarent inscribere. Egressuri verò, diximus Præfecto & ijs qui aderant: Sciatis Cherubim, quæ has viderunt literas, esse cessura, & flammeam rhompheam, versis tergis, concessuram nobis ingressum in paradisum, vt quæ sit reueritura nostros vultus, pro communi Domino tam ignominiosè insculptos. Hoc enim à vobis solis factum est à seculo: & est hoc nouum inuentum, & reddidistis omnes benignos & clementes, qui aduersùs diuinū nostrum dogma insaniērunt. In facie autem Christi omninò agnoscemini, & vobis exhibebuntur legendæ hæ literæ. Ipse enim dixit: Quæcunque fecistis vni horum minimorum, mihi fecistis.

[Margin: O linguam venenatam satanæ. — Vide crudelitatē Iconomachorū — Gen. 3. — Matt. 25.]

Hæc verba postquàm audijt Imperator per Præfectum, visus est dicere, attonitus, vt arbitror, à verborum operatione: Si scirem hoc esse verum, eas toti meo populo inscriberem. Atque nos quidem hæc, cùm multa sint alia, breuiùs declarauimus, eorum quæ gesta sunt, habentes multos testes, quos scio plura his & apertiùs narraturos ea, quæ tunc facta & dicta sunt, vt qui ea meliùs, quàm nos, obseruauerint. Neque

MARTYRIVM SANCTORVM MARTYRVM INDAE ET DOMNAE, ET MVLTITVDINIS VIGINTI *millium martyrum, qui paßi sunt martyrium Nicomediæ, per Simeonem Metaphrasten, vt habetur 5. Tomo Aloysij.*



MAXIMIANO iam secundũ annum agente in imperio Romanorum, & minitante grauem tempestatem impietatis, & mox in pios erupturo, sic quoquè florebant quidem res Christianorum, & lætæ erant tanquàm in iucundissimo vêre pietatis. Hoc autem vêr faciebant alij quoquè ex Orthodoxis, qui & temporibus erant superiores, & pietatis dogma apertè canebant sicut cicadæ: præ cæteris verò omnibus, Ecclesiæ nostræ musica hirundo, qui propter rectam in fide sententiam, & in ea dicendi libertatem, fuit celebratus Cyrillus. Is Nicomediam moribus magis ornans, quàm sede Episcopali, & vitam orationi habens consentientem, monasteria constituebat, & eorum curam gerebat, & ea quæ iam facta fuerant continens, & noua præter vetera ædificans. Accensus ergò, accensus fuerat ignis ille pietatis, de quo etiam dicit vox regia: Ignem véni mittere ĩn terram: & quid volo, nisì vt ardeat? Qui etiam tantùm est nutritus, & tantùm inualuit, vt etiam ad ipsam veniret regiam, & multis ex ijs qui erant in ipsa, persuaderet, vt, relicto auro & diuitijs, quæ hunc ignem extinguunt, eas in manus pauperum immitterent, Christumque & eius partes omninò sequerentur.

Horũ festũ ait Metaphrastes seruari vno dië post natalẽ Christi.

Cap. 1.

Cyrill⁹ Episcopus Nicomediæ egregius.

Luc. 12.

Cùm hæc autem audiuisset Maximianus, non erant ea omninò tolerabilia: sed cùm etiam duplex ei bellum erupisset, quorum ipse quidem vnum mouebat contra pietatem: alterum verò contra ipsum quædam gentes, ab eo bello deuictæ, eius diù distrahebatur animus. Cùm verò considerâsset oportere priùs bellum conficere Barbarorum, vt quod esset terribilius: religionis, inquit, bellum reuersus tutò mouebo, & pulchrè docebo cum maiorum meorum dijs, eos qui ipsos afficiunt contumelijs, nunquàm eis tam vehementer & tam temerè insultare. Cùm is sic quidem & labra in corde dolosa, & linguam mouisset magna & superba loquentem, egressus est contra Barbaros. Piorum autem fax adhuc magìs accendebatur, & Christi milites parabantur ad aciem. Inter eos floruit læta quædam & pulchra planta pietatis, virgo admodùm pulchra, Domna nomine, gloria insignis, in thalamo educata imperatorio, ab impio Imperatore ijs, qui falsò nominantur, eius dijs cõsecrata, qui collocati erant intra regiam: & cõstituta prima sacerdotum, & præfecta sacrificijs & mysterijs omnibus deorum inanium. Verumenimuerò bona arbor quærebat bonam terram, & ferax olea stare in domo Dei, & fructum reddere vtilem. Ipsa ergò, cùm fidei sermo dilataretur, & ad diuinarum scripturarum venisset auditionem, & mẽtis aptitudine rapuisset scintillam pietatis, breuì impletur amore spiritali: & cùm illum librum accepisset, Pauli, inquam, qui sermone complexus est orbem terrę, & Actiones reliqui chori Apostolorum, diligenter & continenter ea percurrit: & cùm cognouisset ea, quę dicebantur, esse & vera, & delectabilia, & quod est omnium maximũ, animæ vtilia, variè afficiebatur: lætabatur, admirabatur, dolore animi implebatur. Lætabatur quidem, quòd in talem thesaurum incidisset: admirabatur autem, considerans fidem Christianorum, eiusque veri studium & coniunctionem cum virtute suscipiens: angebatur verò damnum quod cousquè acceperat, reputans, & noctem profundam ea, quæ præcesserant, existimans.

Cap. 2.

Domna virgo illustrissima, & sacerdos maxima.

Hanc certè piam fidem desiderans, nihil omninò cunctata, accersit quandam filiam vnius ex Senatoribus, (quæ opinione quidem erat Christiana, erat autem ipsa quoquè virgo perfecta) verum cultum scire desiderans, & vti ea duce ad religionem. A qua in mysterijs pulcherrimè instituta, properat ad baptismum: & media nocte, inscientibus omnibus, venit ad Cyrillum Pontificem. Ille autem cùm modulatè diuinas ei cecinisset scripturas, & veneranda Christi Cruce eam obsignâsset, tunc quidem eam facit catechumenam: & iubet ea, quæ de more priùs fiunt, fieri à pio quodam Diacono: erat autem ei nomen Agapius. Illa verò cùm & his, & ieiunio & orationi simul vacaret, non minùs hæc agens studuit latére, quàm hæc facere. Non erat itaque aliquis, qui horum esset conscius, nisi solus quidam Eunuchus, qui erat ei virtute similis,

Cap. 3.

Discit à virgine quadã, quæ nostræ sint religionis.

Fit catechumena, vacatque ante baptismum ieiunio & precibus.

ſimilis, Indes quidem nomine, genere autem barbarus, etiamſi eius mores non eſſent barbaris ſimiles, ſed mites & manſueti, & qui ſignificabant magnam internam quietem & tranquillitatem. Is non ſolùm æquè, atquè ipſa, ad fidem acceſſit: ſed etiam, vocante occaſione, ſe primùm tradidit martyrio. Ambo ergò, quandò venit

Baptizatur cum Inde Eunucho.

tempus præſtitutum, aſſequuntur baptiſmum: & ſic poſt primam generationem, citò puella ſecundò quoquè regeneratur, cùm non nata eſſet plures, quàm quatuordecim, annos.

Cap. 4.

Poſtquàm autem validè iactum fuit fundamentum, & in firma petra, nempe Chriſto, iam radices egerat, tunc alia quoquè ſuperædificauit: alimentum quidem ſenſile & potum negligens: pani autem, qui intelligentia percipitur, & diuinis verbis adhærens: & præterea quærens non ſolùm, quomodò, quod dictum fuerat, in animo imprimeretur, ſed etiam, quomodò exiret in opus: atque adeò ad ea non opùs fuit ei tempore. Simulatquè enim diuinam audiebat ſcripturam, ſtatìm, quod audiebat, producebat ad effectum. Cùm itaque aliquandò legeret librum Actionum Apoſto-

Act. 4.

licarum, vbì peruénit ad illum locum, in quo, qui vendebant poſſeſſiones, adferebant precia ad pedes Apoſtolorum, illa hoc quoquè facere conſtituit: & cùm colle-

Omnia ſua diſtribuit pauperibus

giſſet, quicquid auri habebat & argenti & veſtis precioſæ, & ea ſuis impoſuiſſet famulis, noctù abit, & ſanctum rogat Cyrillum, vt ea accipiat, quoniam in illum Apoſtolicam ſeruat reuerentiam: & vt ſuis manibus ea diſtribuat pauperibus. Quæ quidem cùm, vt volebat, nemine ſciente effeciſſet reuerſa eſt: & ſolitus eam rursùs habebat thalamus.

Cap. 5.

Atque Cyrillus quidem eius pater ſecũdùm ſpiritum, paulò pòſt excedit ad omnium patrem & Deum: Beata autem puella eius monita non leuiter audijt: ſed etiam in animi profundo ea celauit. Toto itaque die illa, & qui virtuti erat ſimilis Indes,

Vide ieiunia, preces, cibũ & potũ

animam ieiunio expurgantes, orationique & ſacris eloquijs vacantes, noctù cibum ſumebant. Alimentum autem erat panis ſiccus, & aqua potus. Quæ verò conſtitutum fuerat vt ab Imperatore acciperent, ijs ventres pauperum fruebantur: vt benignitatem ſimul rectè exercerent, & abſtinentiam. Sic facientes, conabantur quidem multos latére: ſed fieri non poterat, vt mons abſconderetur, & lucerna poneretur ſub modio, & theſaurus lateret in terra abditus. Sed cùm eo, quem dicam, modo apparuiſſent, Orthodoxis quidem fiunt exemplum ſalutare: impijs autem & improbis, validum ad eos conuincendos argumentum. Qui tantùm aberant, vt ex illorum virtute fructum perciperent, vt etiam pœnas ab eis expeterent, & eis crimen intenderent abſtinentiam: eorum enim adhuc latebat pietas, nec ab ipſis adhuc depræhenſi fuerant.

Cap. 6.

Indes & Domna cęduntur flagris.

Poſtquàm autem manifeſtum euaſit eorum ieiunium ei, qui gerebat curam ſumptûs aulæ Imperatoris, cùm oporteret admirari benignitatem, & ſtupere abſtinentiam, ille potiùs proceſſit ad flagra, & eos diù cædens, vim afferebat vt dicerent, quonàm proficiſcantur ea, quæ eis dantur. Cùm illi autem, qui didicerant celare rectè facta, ea forti & generoſo animo ſuſtinerent, mori malentes, quàm dicere, nè quod in egentes manabat, reſcinderetur fluentum benignitatis, quidam Eunuchus accedens ad Præfectum, Perſa genere & impietate, ac initio eorum virtutem defert & accuſat tanquàm vitium: quòd ſcilicet ſe caſtè gerant, & à cibis abſtineant: & quæ accipiunt ad alimentum, ea pauperibus Chriſtianis præbeant: & quòd, quæ ab Imperatore porficiſcuntur, dantur ad alimentum ijs, qui ſunt contrarij Imperatori. Quòd ſi velis id ſcire apertiùs, licet tibi aperto penario ex ijs, quæ apparebunt, intelligere ea, quæ ſunt obſcura. Audijt Præfectus, & cùm lubenter euidentem admiſiſſet

Sancta eorum ſupellex.

probationem, ab eis aufert claues: & cùm aperuiſſet, inuenit protinùs: ſed nõ vt ipſe ſperabat: ſed ea, quæ verè erant veneranda, nempe & diuinæ Crucis figurã, & librum ſacroſanctum, nempe Apoſtolorum Deo gratas Actiones: & prętereà poſſeſſionum

for. * generoſorum

vacuitatem eorum, qui in cælis magnum theſaurum recondebant: cuius præclaræ

Illuſtre exẽplum cõmunionis ſub vna ſpecie. Olim autẽ perſecutionis tempore fideles Euchariſtiã do

opes erant duæ ſtoreæ, in nudo ſolo ſtratæ, verè * generoſum, & beatorũ Domnæ & Indæ magnifica ſupellex: fictile prætereà thuribulum & lucerna, & lignea arcula, in qua repoſuerant ſacram oblationem, cuius fiebant participes. Hunc ergò librum & arculam cùm impius accepiſſet Eunuchus, rogabat vbì eſſet eis aurum, veſtiſque precioſa, & alia ſupellex elegans & magnifica. Cùm autem illi rursùs interrogationum nullam ducentes rationem, ſtarent tacentes, eos tradidit torquẽdos. Sed ſic quoquè reipſa eſt expertus ſe fruſtrà pulſare adamantes. ab eis enim nihil omninò audiuit.

Sacer

Sacer verò ille liber, & prætereà arcula, vt quæ nihil ei essent vtilia, illic ab eo relicta sunt in penario. Eos autem iubet alibì includi, donèc retulisset ad Imperatorem. Atque virgo quidem, cùm iam educeretur è penario, cùm inscientibus omnibus scitè librum sustulisset, (erat enim paruus, & qui poterat facilè abscondi) in sua cum veste reposuit. Eodem modo Indes quoquè admirabilis vas sustulit ligneum: & ità abducti sunt & inclusi. His sic inclusis longo tempore, solus panis viuus erat nutrimentum: & diuinæ gratiæ potio, erat potus. Quæ autem corpus necesse est sumere, ijs adeò priuati fuêre, vt ne aquam quidem possent assequi. Erat enim hic immitis Præfecti iussus, vt proptereà, quòd ipsi egentium ventres satiauerant, tali fame confecti interirent, & pro benignitate pœnas luerent sæuitia. mū secū absportabant, & diu asseruabant, & clàm sumebant: quod de vini specie fieri non poterat.

Tanta ergò fuit indigentia, & afflictio tam intolerabilis, vt virgo in morbum incideret, cùm iuuenile corpus non ferret tantam vexationem. Sed fieri non poterat, vt eos haberet despicatui ille, cui sunt curæ volucres & bestiæ: & qui aperit manum, & implet omne animal benedictione. Sed nox quidem erat: accedunt autem virtutes cælestium Angelorum: qui cùm multa luce eos circunfulsissent, & mensam cibis impléssent, rursùs reuersi sunt in cælum. Illi autem ea, quæ erant proposita, statim sumpserunt, malorum quæ præcesserant, non ampliùs recordantes: & partìm quidem eorum quæ apparuerant, splendore: partìm verò eorum, quæ ipsis oblata sunt, voluptate exhilarati, illud Dauidicum admodùm opportunè cecinerunt: Tanquàm ex adipe & pinguedine repleta est anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum. Atque dies quidem iam aderat: aderat autē Præfectus quoquè, vt sciret an fame victi essent: vt sic eos haberet obtemperantes. Postquàm verò contrà eos vidit lætos & vultu alacres, anima autem multo alacriores, mittens vim afferre, vt quod in eis nihil prodesset, aggressus est persuadere: & simulans mansuetudinem, iussit eos deincèps degere nullis malis affectos, & abundè eis dari, quæ erant ad vsum necessaria, cibum, inquam, pecuniam & vestes, non minùs quàm anteà. Sed virgo nihil egebat pecunijs & vestibus: immò verò egebat quidem, sed non sua causa, sed pauperum: quibus etiam vestimenta discindens, distribuebat: & quomodò existimabat esse necessarium corpori alimentum, ità etiam suæ animæ necessarium, alijs præbere nutrimentum. Quocircà multis diebus permanebat ieiuna, vt possent abundè alijs præberi nutrimenta. Et tunc quoquè cùm vidisset multitudinem pauperum ad se cōfluentium, & tanquàm charam nutricem, vt famem ab eis propulsaret, rogantium, dubia animi, vt quæ nihil posset impéndere, quod sufficeret tantę multitudini, ad suum mundum adspexit: & cùm zonam illam, quæ plena erat gemmis & margaritis, & alia quæ erant auro ornata & argento, omnia vinculo vno compræhēdisset, demittit per fenestram, & transmittit ad pium quendam Diaconum, cui nomen erat Alypius: rogatque vt vendat, & aurum, quod ex eo redibit, diuidat pauperibus. Dici non potest, quantæ pauperum multitudini hæc suffecerint ad alimētum: sed neque quàm multos diuites suî imitatione prouocauerit ad opem ferendam egentibus. Cùm autem non oporteret eam, quæ erat adeò casta, & quæ sic alias exercebat virtutes, & quæ magno ferebatur fluento ad beneficentiam, habitare in tabernaculis peccatorum, & in aula regia, huic etiam rei prouidetur à superis. Videte autem quàm sapienter. Cap. 7. Psal. 144. Angelico ministerio in carcere pascuntur. Psal. 62. S. Domna seipsam inedia affligit vt pauperes alat. Itemq; sua distrahit.

Dei parentem Dauidem in animo versans, & id quod ille simulauit eo tempore, quo fugerat à facie Saul, & quemadmodùm vultu suo mutato, se finxit esse emotæ mentis, & sic effugit manus eorum, qui erant verè insipientes, & de eis erexit trophæum: tale quid ipsa quoquè excogitat & fingit, inuertens oculos, & saliuam expuens, & manus percutiens, & voces emittens inordinatas: & aliquandò quidem lachrymans: aliquandò autem ridens intempestiuè & indecorè. Hæc cùm viderent ij, qui erant in regia, alij quidem miserebantur, alij verò etiam mirabātur: Nonnulli autem simul & misericordia mouebantur, & stupebant. Quod quidem cùm audijsset crudelissimus Prefectus ab aliquo ex ijs, qui ei assidebant, & vidisset etiam id quod fiebat, visus est dolere & animo ægrè ferre. Nam tunc virgo maximè morbū simulabat, quandò Præfectus in eam conieciſſet oculos. Vndè etiā timore afficitur, & ei plures adhibet custodes, nè absente Imperatore, aliquid ei graue accederet, & se deorsùm pręcipitans, veniret in periculum. Postquàm autē multum temporis contritum est à custodibus: illa verò, quam susceperat, personam non dimittebat, sed prudēti admodùm cogitatione simulabat se esse insipientem: & molesta erat ijs, qui eam custodiebant, eorum quidem vexans aures inconditis vocibus, stultis autem figuris eorum oculis Cap. 8. 1. Reg. 21. Simulat amentiam, cū Dauide.

adfe-

adferens molestiam: & nonnunquàm eis somnum adimēs clamoribus, & eis omninò molestiam adferens: non solùm vel inuiti eam mittunt ad Christianos, quod quidem ea iamdiù cupiebat: sed etiam fatentur, licèt nolentes, Christianorum potentiam. Accedentes enim ad Eunuchum, vehementer rogabant, vt ea mitteretur ad Christianos. Fore enim dicebant, vt & ipsi liberarentur à malo non tolerabili, & illa ab ipsis quamprimùm curaretur. Sunt enim, dicebant, apud nos alij quoquè ei insania similes, quos, nescimus quomodò, dicuntur sanare, & facere vt sint sanæ mentis. Hoc illi quidem pro se petiêrunt, cupientes liberari ab omni molestia: Deus autem id, quod virgo impensè cupiebat, facit vt ei succedat ex sui animi sententia. Nesciebant enim se, vt dicitur, equum in campum immittere, & delphinum in aquam. Audit hæc Præfectus, & cupiens ipse quoquè liberari hac eius cura, statìm sanctum Anthimum (erat autem hic tunc Nicomediæ Episcopus post Cyrillum) accersit. Qui cùm statim accessisset, &, vt qui à Deo accepisset notitiam eorum, quæ erant in profundo cordis, spiritu cognoscit de virgine: & cùm, quàm profunda sapientia sub simulatione stultitiæ latéret, intellexisset, ipse quidem tacens constitit: virgo verò cùm similiter vidisset Pontificem, nullum ampliùs præ se ferebat furorem aut amentiam: sed perindè àc ipsum illius adspectum reuerita, se moderatè gerebat & placidè, adeò vt ipsi qui aderant stuperent, considerantes quantam vim habeat vel solùm conspectus pius oculus. Præfectus ergò rogauit Episcopum, vt assumeret virginem, cum ea autem etiam Indem: & vt eos in sacra aliqua æde traderet in custodiam honestam. Simul etiam dedit pecunias, quæ ad alimentum sufficerēt & vsus corporis necessarios. Ille autem hos quidem valdè lubenter suscepit, sed non etiam pecunias. Eos verò misit ad quoddam monasterium, dici non potest, quantùm lætantes, quòd successisset eis cœptum ex sententia.

Custodes carceris rogant eam dimitti.

Anthimus Cyrilli successor.

SS. Indes & Dona mittuntur ab eo ad quoddã monasteriũ

Cap. 9.

Iam autem Maximiano tunc erecta erant trophæa aduersùs inimicos, Deo ei sapienter viam aperiente ad salutem, vt cùm quæsijsset, cuiusnam manu hæc rectè gererentur, agnosceret veritatem. Sed ille in his planè cæcutiens, deorum qui falsò dicuntur, auxilio adscribebat victoriam: & tantùm aberat, vt vero Deo ageret gratias, vt etiam properaret aduersùs Deum bellum gerere: & alijs postpositis, acri animo armabatur aduersùs Christianos, dæmonibus festa peragens & sacrifica, etiamsi primò vulpinam pellem induens, donis & honoribus clàm se insinuabat in populi beneuolentiam, & suam esse tectam volebat improbitatem. Theatrum itaque frequentissimum ab eo fuit congregatum. Non apertè autem ostendebatur hoc certamen comparari aduersùs Christianos: sed obscurè, dolosè & malitiosè instruebatur. Simulacra enim, quæ auro quidem honorabantur ab impijs, fossam verò interitùs eis vicissìm largiebantur: hæc, inquam, aurea, & quæ rursùs facta fuerant ex argento, producens impius, posuit in sede regali, & coronis redimijt: & tandèm eis tauros sacrificans, iussit execrandis sacerdotibus adspergere populum, temporis quoquè ea in re vtens auxilio. Tunc enim ore hianti attendebant iucunda theatri acroamata. Quicunque ergò in pietate quidem erant firmi & stabiles, & quorum animos religio Christiana non solùm vsque ad nomina, sed etiam ad cor vsque penetrauerat: ij cùm id, quod fiebat, depræhendissent, & nec eius quidem conspectum ferre potuissent, à theatro recesserunt, suum potiùs sanguinem profundere, quàm tali sanguine pollui, præclarè eligentes. Quibus autem pluris fiebat voluptas & recreatio, ijs polluebantur animæ & corpora, ex modica, pròh dolor, delectatione sibi grauissima recondentes supplicia.

Vide malignas Maximiani machinationes

Cap. 10.

Sed enim Maximianus, qui toto animi impetu ferebatur ad impietatem, non ampliùs latenter, sed apertè volens se impiè gerere, hos habuit sermones apud eos, qui erant congregati, qui quidem grauissimam redolebant impietatem: Quò abitis, dicens, ó homines, luci tenebras præferentes, & non deos esse putãtes, à quibus dependet hoc vniuersum? Non videtis victorias & trophæa? Non videtis bona plurima, quę bonis adijciuntur: & quemadmodùm quæ sunt, rectè quidem se habent, & sunt in tuto: alia verò accedunt quotidiè: & quorum non eramus priùs domini, in ea nunc dominatum obtinemus? Non gloriam, quæ augetur? non imperium, quod dilatatur? Non ciuitates, quæ partìm quidem sunt tributariæ, partìm autem sunt futuræ: & partìm quidem iam captę sunt, partìm verò sunt iamiàm capiendæ? Non gentium Reges, qui sunt reputati pro mancipijs? Non omnia, quæ eueniunt nobis ex sententia? Cuiusnam ergò hæc contingunt prouidentia? Vobis persuadeant temporum tempe-

Eius pestilẽs oratio.

temperationes, moderatæ pluuiæ, fructuum fertilitates: immò verò vniuersum tempus fructus producens, & spectantia omnia ad abundantiam.

Cap. 12.

Psal. 18.

Cùm ille copiosa lingua sic loqueretur, & ijs, qui non sunt, ea quæ sunt, falsò adscriberet, & alia adhuc vellet contexere, non permisit ex alto is, cuius sunt iudicia vera iustificata, mendacium ampliùs gloriari aduersùs veritatem: nè alijs quoquè, qui erant ad peruertendum faciles, causa esset interitûs: sed interim dum loqueretur, cùm esset dies serenus, & sol regionem vreret meridianam, repentè erupit sonus multorum tonitruum, & elisus fuit ignis ex nubibus, & profundæ simul tenebræ, & densa grando cum ventis vehementibus: & malum hoc horrendum, vocem propemodùm emittebat, esse grauem Dei commoti iram. Nam alij quidem solo tonitru auribus & animo perculsi, ibì in terram cadebant semimortui: alij verò in fugam quidem se coniecerunt, se autem multo grauiùs affecerunt, vt qui fuerint à se inuicèm conculcati, & sic vitæ violentum inuenerint exitum. Ipse quoquè impius Imperator propemodùm perijt, periturus fortassè, nisi Deus iudicâsset id minus esse supplicium, quàm quod ille dignus erat pati. Non vsque autem ad ea, quæ dicta sunt, stitit Deus terrores: sed fluuij quoquè aquarum impetu inundantes, & segetes funditùs euellentes, agricolarum labores in mare deportârunt: idque cùm esset æstas, & speraretur fore, vt longo tempore non plueret. Fuit tamen, quod factum est, admodùm leue & paruum ad penetrandum Maximiani animum, & persuadendum vt resipisceret ab impietate. Nam cùm posteà quæsijsset schedulam, in qua erant nomina eorum, qui primis duodecim, qui falsò dicuntur dij, ministrabant, quoniam Domna & Indes non inueniebãtur cum alijs, dolore simul & ira implebatur: & diligenter percõtabatur, quomodò res eorum se haberent.

Diuinitùs cõfunditur eius falsa persuasio.

Multi malè pereunt ex tonitru.

Cap. 13.

Postquàm autem audiuit ab Archieunucho, Domnæ quidẽ emotam esse mentem: eam verò nunc esse apud eos, qui ea sciunt curare: cum ea autem esse Indem, vt eam custodiat, & ei inseruiat: ille iam ira æstuans, & valdè vociferans, O pessime hominum, inquit: Domnam quidem, quæ vexabatur à dæmone, fortassè non immeritò amouisti à deorum ministerio: Quidnam autem te mouit, vt Indem quoquè, magnorum deorum cultorem, cum ea amandares, & quantùm in te fuit, eos à ministerio desertos dimitteres? Sed ipsos iuro deos, te iustas sceleris pœnas non esse euasurum. Dixit, neque quod dixerat neglexit: sed ministerium camelorum, qui erant in regione Claudiopolitana, ei tradi imperauit, ei authoritatem detrahens Præfecturæ, & eum ad extremã deducens ignominiam. Deindè Indem quoquè iussit adduci, & ea rursùs facere, quæ dijs consueuerat. Ille verò cùm accessisset, faciebat re vera, quæ consueuerat: deosque & deas & eorum sacerdotes valere, vel potiùs flere iubens, ipse soli Deo vacabat, in orationibus versans & ieiunijs: & non solùm ad eorum impietatem minimè se demittẽs, sed multos etiam ex ijs, qui decepti fuerant, ad veritatis agnitionem reuocans. Res est enim, quæ ad veritatem inducit oratio, quandò habet etiam vitam ei cõsentientem. Hac itaque ratione Indes multos ad Deum adduxit: & erat reuerà sal diuinus, qui & seipsum continebat, & alios poterat continere. Sed tales quidem erant res illius: Maximiano autem erat intolerabile, videri quidem omnes superâsse barbaros, & solo adspectu terrere populi multa millia: vinci vero à suis, idque cùm essent adeò iuuenes, & ætate imperfecta.

S. Indes multos ad Christum traducit.

Cap. 14.

Cùm itaque paulatim soluisset, quamcunq; habebat speciem humanitatis, apertè quidem pugnabat cum Christo, sacra templa diruens, & ædes dæmonibus ædificans: Præfectos autem, & in dicendo formidabiles, & in puniendo crudeles, mittens per vniuersum orbem terræ: quibus non sufficiebat sua aduersùs Christianos crudelitas, sed accedebat etiam immanitas Imperatoris. Iubebat enim, vt Christianis non obedientibus nihil cederent: sed sic punirent, tanquàm oculi illius vnà examinarent & spectarent tribunalis austeritatẽ, & in examinando curiositatem, & in puniendo nouam inuentionem atque vehementiam: dicens eum illi plurimùm gratificaturũ, qui pluribus supplicijs afficeret Christianos. Sic incitatos emittebat Præfectos. verumenimuerò seipsum quoquè eis ostendebat exemplar archetypum ad inhumanitatem. Nam ipse quoquè erat primus occidens, puniens, de medio tollens, expellens, quid non violentum agens & tyrannicum? immò verò sæpè quoquè non vim meram afferens, sed eam etiã miscens persuasione, & ipsam

Maximian⁹ Christianorum templa diruit.

Christianos crudelissimè iubet puniri.

porrigens tanquàm escam: vt sic quoquè fieret sæuior, & haberet probabiliores puniẽdi occasiones, quòd nollent pij parére verbis solis. Is cùm sanctissimum Anthimum diù quæsitum non inuenisset, ipse ingressus ecclesiam, tãquàm fera aliqua varia & dolosa, cùm exercituum & satellitum multitudine eam circundedisset, & deindè etiam lenitatis personam subijsset, vt alij quidem formidarent vim & multitudinem, alij autem ad sibi vtilem intuentes benignitatem, abducerentur à persuasione: & cùm sic tanquàm duobus fortibus vinculis, timore & persuasione pios colligâsset, captiuos ducebat ad impietatem. Cùm hæc apud se cogitâsset, ad populum talem habuit orationem:

Ecclesiam Christianorum multo milite obsidet.

Cap. 14. Oratio eius ad populum Christianũ.

Ego etiam aduersùs gentes barbaras, quæ meum iugum ferre recusant, & non parent Romanorum legibus, non statìm moueo hastam, neque vtor iaculis, neque gladio eis cædem affero: sed bonos imitor medicos, mollibus primùm verbis & benignis, perindè àc oleo, tumorem emolliens. Deindè postquàm videro eos esse valdè immedicabiles, vlcusque eorum valdè malignum & profundum, tunc vtor cauterio, & tam aspera & acerba sectione, vt neque ab initio me videatur aliquis humanior, neque post misericordiam & mansuetudinem violẽtior. Absit autem, vt vos me vnquàm sentiatis conturbatum & iratum: sed accedentes, libate magnis dijs, & rogate, vt vos benignis intueantur oculis: vt sic à nobis quoquè consequamini honores, magistratus & pecunias: & sitis inter meos primos amicos & familiares. Quemadmodùm enim non est absurdum, Barbaros quidem, qui sunt alterius linguæ, nostra tam æquo animo ferre: vos verò in Romanorum legibus educatos, & in rebus Grẹcorum eruditos, & mihi subiectos, non in omnibus seruare obedientiam: sed in rebus præcipuis videri inobedientes, & bellum apertè suscipere contra vestrum Imperatorem, vt ideò excidatis ab Imperatoris beneuolentia, & larga munificentia? Recedite ergò, recedite ab hac falsa religione. Sin minùs, pœna non procùl aberit. Videte hanc ædem, in qua confidistis. Eam igni mandans, vos quoquè simul perdam: & scietis omninò, quantum sit malum, à ratione aliena audacia, & mentis peruicacia.

Blanditijs subiungit minas.

Cap. 15.

Cùm dirus Maximianus sic immanitati coniunxisset humanitatem, & malorum minis, & bonorum promissis variâsset orationem, qui instàr mellis dulcem habebat linguam sapiens Glycerius, qui erat reuerà diuinus sacrificus & sacerdos, & sua verba studebat sacrificare Christo, cui sacrificabat, breuem & opportunam dans responsionem, & linguam vinxit Maximiano, & cor eius conturbauit & labefecit, & simul cum ira eius animũ repleuit admiratione. Dixit enim: Neque tua promissa & dona desideramus, ô Imperator, neque tuas minas omninò curamus. Illa enim quomodò appeteremus, aut quomodò ea nostrum delinirent animum, qui, quæcunque sunt mundi, habemus pro somnijs? Malum autẽ quid ijs miniteris, qui pœnam potiùs existimant, non vel grauissima sustinere propter Christum? Quæ verò dicis, & de quibus gloriaris, de trophæis, inquam, aduersùs gentes erectis, ea magìs stabũt à nobis, & meis verbis suffragabũtur. Quandò enim tu, qui vicisti plurimos, mox conspectus es victus à fœminis & pueris, ab ijs, inquam, qui colunt religionem Christianam, queadmodùm non erit mei Christi virtus multo manifestior? Et prẹtereà quis est adeò attonitus & stultus, vt sit oblitus tonitruum & fulminum, quæ paulò antè fuerunt, & illius horrendæ Dei significationis, mortisque violentæ, & eius, quæ propè fuit, submersionis & fructuum interitûs: & quòd hæc tuis dijs, non autẽ vero potiùs Deo adscripseris, qui opportunè, ô Imperator, infert iram aduersùs eos, qui illos honorant & colunt? Nè sic ergò bellũ contra nos susceperis. Sunt nobis arma quoq; desupèr, quibus sicut hodiè tui à te satellites, ità nos à Rege munimur vniuersorum, per quæ & contra te in aciem prodibimus, & adipiscemur victoriam valdè admirabilem. Percussi enim, interimemus: & cadentes, contra te trophæum erigemus.

Glycerius presbyter et præclarè respondet.

Cap. 16.

Hæc audijt Imperator, & secantibus verbis in medio corde quodammodò sauciatus, animi motum in præsentia celare habens in animo, & nihil ampliùs dicẽs aut faciens, è templo egreditur. Pius autem ille populus, Deo quidem gloriam, sapienti verò Glycerio, pro se quisque tales voces edidit: Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua, supra mel ori meo? Non futurum autem erat, vt Maximianus iram diù cohiberet: sed apud se furore pércitus, iubet Glyceriũ euntem ad ecclesiam, compræhendi manu militari, & correptũ, ad se adduci. Quj cùm ad illius tribunal esset addu-

Psal. 118.

adductus, nihil interrogatum iussit verberari boum neruis tam vehementer, donec verberantes quidem, vires: illum autem, qui cædebatur, vox deficeret. Preconi quoque ei, dum verberabatur, iussit dicere: Lingua parciùs vtere, ô Glyceri. Ne sis arrogans, nec seditiosus, nec insolens. In honore habe mores Romanorum: reuerére Imperatores. Sic quidem imperauit Maximianus: sed neque torquens persuasit, neque hæc cantans, eum affecit pudore: sed cùm esset martyr superior & manibus lictorum, & vocibus quæ ei incantabātur, quærebat suum Regem, & tota voce & viribus illius inuocabat auxilium: Domine Iesu Christe, dicens, quomodò me, vt pro te dicerem, corroborâsti: ità etiam, ô bone, da mihi vires, vt pro te patiar: vt accessione eorum quæ sunt tristia, sit mihi præmiorum maior remuneratio. Hoc tanquàm ignis igni additum, Maximiano maiorem iram accendit: ipse autem eos, qui percutiebant, eousquè vt verberarent incitauit, donèc corpus martyris humi iacéret, nihil differens ab inanimis: sanguine quidem iam exinanito, pelle verò vento tumefacta, & ipsa carne priùs consumpta, & nudis solis ossibus apparētibus. Quod quidem mouit misericordia non solùm pios & humanos animos, sed etiam animos infidelium. At non Maximianum, cuius animus erat lapide durior.

S. Glycerius immanissimè flagellatur.

Vides sæuissimum tyrannum.

Cap. 17. Sed postquàm sic affectum Glyceriū, & à mortuo quidem nihil propè differentem, solam autem linguam mouentem vehementi spiritu, & dicentem, Sum Christianus, seruus Christi, qui solū est verus Deus: Vnus est mihi Dominus, vnus Rex. non ferens ille loquendi libertatem, iubet eum quidem solui à vinculis, abductum verò extra ciuitatem, igne crematum mortem subire. Ductus ergò generosus ille ad locum constitutum, & stans ad orientem, partìm quidem Christo egit gratias, qui eum à multis liberârat periculis: partìm autem pro se vehementer orauit, & pro pijs, qui erant vbiquè. Deindè cùm Christi signum suo adhibuisset corpori, fuit affixus ligno, sacra victima, aries carens omni vitio, ei qui ligno propter nos fuit affixus. Igne autem subtùs accenso, Iesu fuit oblatum holocaustum & sacrificium acceptabile, & diuina hostia aræ supernæ conueniens. Quid verò, hinc'ne intellexit Maximianus pios esse immutabiles? Multùm abest: sed cùm execrandæ eius hostiæ ducerentur ad templum duodecim deorum, quod erat intra regiam, aderant quidē impij, candidis & magnificis vestibus celebrantes festum sui interitûs: Solus autem Indes atris indutus vestibus, & cùm hæc celebrarentur, maximo dolore affectus, cùm se in valdè tenebrosa inclusisset domuncula, impiorum deflebat interitum.

Stupenda martyris fortitudo.

Signo Crucis se muniens, in igne efflat animā Glycerius.

Cap. 18. Renunciātur hæc quoquè Imperatori, & is statìm ab ipso arripitur, & sistitur ab illo Iudice iudicandus. Cùm autem etiam antequàm loqueretur, ei renunciaret vestis, quòd quæ fiebant, ab eo censebantur digna luctu & tristitia, iussit eius manibus & pedibus iniectis catenis, & collo collari, eum seruari inclusum in carcere. Atque Indem quidem habebat custodia: Maximianus verò Domnam quoq; quærebat: & furore perindè àc ebrietate lęsa ratione, & oblitus eorū, quæ de ipsa audiuerat, dicebat assiduè: Vbì est Domna? Vbì est sacerdos Dianæ & Mineruæ? Rursùs ergò ei dicunt deintegrò, quæ videbantur accidisse virgini, & quę fecerat Eunuchus, ità vt res se habebat, significant. Ille autem cùm multa dixisset de Archieunucho, & valdè ægrè tulisset, quòd ei vita fuisset cōseruata, iubet ei quidem caput amputari: virginem verò quæri in monasterijs, & dijs illius seruari. Hæc cùm resciuisset ea, quæ monasterio præerat, in quo erat sancta, inprimìs virili suscepta cogitatione, virili tonsu & veste ornata virgine, & preces cum lachrymis ei præbens viç custodes & duces, eam clàm emittit ex sacro thalamo.

S. Indes degit in custodia.

Domna sub virili habitu latet.

Cap. 19. Sed sceleratus non cessabat quærere: & cùm eam non inueniret, furebat communiter in omnia monasteria. Atque sacra quidem omnia monasteria crudeliter diruebantur: virgines verò turpiter probris afficiebantur: Virgines, proh dolor, quas ne masculorum quidem oculis videri erat vnquàm tolerandum: atque ità per omnia peruadebat calamitas, quasì capta esset ciuitas ab hostibus. Quibuscunque ergò earum erant corpora valentia, & neque senectus, neque morbus aliquis tardabat earum pedes, ipsæ statìm fugam spectabant, & ad montes & speluncas & ignotas solitudines celeriter abibant, malentes vitam degere cum feris, quàm habitare cum hominibus, feris longè immanioribus, & qui corpora virginitatem exercentia probro afficere inhonestum non esse existimant. Sed eo, quod cogitâras, frustratus es ô inimice omnium: & per quæ sperâsti tyrannidem exercere, per ea ipsa

Maximianus sæuit in monasteria, eaque diruit: præclarus dux hæreticorum nostrorum.

ipsa fracta fuit tibi tyrannis. Non enim neglexit Deus, qui natus est ex Virgine, ipsas virgines vel in medio lictorum conseruare, & quomodò fidē, ità etiã continentiam ipsas prodere non permittere. Inter eas autem tanquàm inter claras & lucidas stellas, vna mirandum in modum resplendebat instàr lunæ, & pulchritudine & genere & virtute alijs præstans. Ea verò vocabatur Theophila. Hoc autem longè meliùs res ipsa ostendit.

Cap. 20. Theophila virgo sanctissima ducitur in lupanar.

Cùm enim illa esset vultu adeò formosa, traheretur autem à lictoribus, & iam ad probri ac contumeliæ officinam violēter introduceretur, manus simul & oculos in cælum tollens, & miserabiliter adspiciens, Mi Iesu, dixit, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis & vitæ, vide eam, quæ est tibi desponsa. Vide, ô sponse, in quem nulla cadit reprehensio, & festina: quoniam nec est quidem tempus precandi: nè pactum conuētum fallam, nè prodas me bestijs, nè lupi tuam pecudem dilanient. Serua sponse sponsam: meam conserua castitatem fons castitatis: vt tuum quoquè nomen nūc maximè glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis. Hæc illa quidē orauit cum lachrymis: effecta autem Deus reddidit. Sed est adhibendus animus narrationi. Introducitur virgo in prostibulum: Illa verò etiam in tali loco & tempore non est oblita eorū, quæ oportuit: sed protinùs eijciens id, quod habebat in sinu: id autem erat sacrosanctum Euangelium: aperuit, & dabat operam lectioni. Vnus verò ex intemperantibus, œstro insano percitus, ad eam ingreditur: qui aliquantispèr quidem eam audijt legentem. Cùm autem iam propè esset, à maximo metu inuaditur, & tremore valdè agitatur, & humì procumbit mortuus, & sic iacebat ad pedes Theophilæ, non spirans. Multę horæ præteriērant, & cùm alijs visum esset, quoniam non exibat, eum non posse satiari virgine, vbì alius quoquè ingreditur, ipse quoq; iam propè stans, lucis quidem, quæ verbis exprimi non potest, fulgore illustratur: deindè cum à luce tenebræ excipiunt, & obtutu orbatus, quærebat obiens, non ampliùs virginem: sed quemadmodùm citra offensionem exiret extra fores.

Malè perit homo petulans.

Alius occæcatur.

Cap. 21. Idem alij multi.

Cùm multi quidem talia passi essent, & nonnulli etiam magìs horribilia, nulli fuit ampliùs cordi ingredi: sed & si quis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore: sed solùm volens scire ea, quæ facta fuerant. Postquàm autem ingressi sunt complures, vident ea, quæ & ad videndum erant terribilia, & ad dicēdum alijs maximè admirabilia: puellam quidem honestè sedentem, & libro incumbentē: adolescentem autem quendam propè eam stantem, luce quidem ineffabili, pulchritudine verò incredibili, velutì quædam tela fulguris emittētem ex oculis. Hæc postquàm viderunt, & metu diriguerunt, & vix tandèm, Quis est sicut Christianorum Deus? exclamauerunt: & simul non ferentes spectaculum, rectè secum agi putabant, si fugerent: & celeritate maxima domo exibant: omnes quidem obliti libidinis: nonnulli autem etiam ipsa impietate abiurata. Sed neque hæc ignorauit Maximianus: sed cùm resciuisset virginem quidem non posse capi ab ijs, qui ipsam cōseruabant, militibus, quinetiam multos ex suis esse victos, & didicisse Deum piè colere, Dei gratiam adscribebat incantationi: dicens Christianos vti artificijs ad vulgus decipiendum. Sed ille quidem hæc dicens, seipsum potiùs decipiebat, & qui cunque his nugis animum adhibebant.

Pleriq; credūt in Christum.

Cap. 22. S. Angelus S. Theophilā liberat.

Ille autē plenus lumine, qui videbatur virgini assistere, cùm eam domo eduxisset, suo lumine præcedens deducebat. Deindè cùm etiam adduxisset vsq; ad sacram ecclesiam, eam statuit in vestibulo: & cùm, Pax tibi, dixisset, recessit. Eam autē inuasit & metus, & gaudium. Metus quidem, quòd ille eam reliquisset: Gaudium verò, quòd libidinosorum manus sic effugisset, nihil passa indecorum. Accedens ergò, pulsat ostium populi iam congregati, & nocturna de more Deo canentis. Cùm autem ianuæ strepitum sensisset quidam Diaconus, & quænam esset resciuisset, renunciauit ijs, qui erant intra ecclesiam. Omnes itaq; ad eam confluunt. Nam alioquì erat etiam illustri genere, sicut audiuimus: virtute autem multo illustrior. Cùm eam ergò vidissent, & quos & quidnam volentes effugisset, intellexissent, & quænam illa in eos fecisset miracula, quosnam quidem fontes lachrymarum non mouerunt? quasnam autem voces ad Deum non emiserunt? in principio quidem raptum virginis miserantes: in fine verò impios quidem miseros ducentes: illam verò quibusnam non persequuntur beatitudinibus? Illa autem seipsam quidem iacit humi, & aræ sacros tangit cancellos: flet verò tam vehementer, vt eos etiam qui

Obserua, vt antiquitùs nocturnæ preces & laudes Deo decātatæ sint.

qui videbant, ad similem moueret affectionem, & fluenta lachrymarum: fitque communis ad Deum gratiarum actio toto pectore. Sed ità quidem se habebant res virginis.

Improbo autem Maximiano oportebat improbos etiam esse ministros, & ex eâdem, vt aiunt, fidelia. Quicunque ergò piè Deum colentes latebant Maximianum, ij illos non secùs àc venatici canes inuestigantes, significabant. Qui quidem etiam aduersùs Dorotheum, qui gloria quidem & ciuili dignitate erat insignis, vt qui Præpositus vocaretur ab Italis, pietate autē erat insignior: aduersùs eum ergò, & Mardonium, & Mygdonium, &, qui priùs dictus est, Indem, & quosdam alios, fide quidem in Christum acerrimos, Imperatoris autem honore claros, immittūt tela calumniæ: Hi scilicet, quorum dentes arma & sagittæ, & lingua, vt dicam cum sacra scriptura, gladius acutus, dicentes: Si seruos, ô Imperator, & eos qui in tua regia habitant, & sunt tibi subiecti, non potes subiugare: cur alijs conaris persuadere, inutiliter laborans, & frustrà te crucians? Ij enim ægrè potuerint abduci à dogmate, illos videntes nos suauiter irridentes, & tui tribunalis austeritatem nihili facientes. Vide enim, quousquè procedit eorum contemptus. Non solùm ipsi contemnunt contraria sentientes: sed alijs quoquè, qui latent, qui eadem quæ ipsi sentiūt, & alimenta suppeditant, & ad certamina parant & instruunt. Quinetiam mittunt literas ad eos, qui procùl distant, simul & eos confirmantes in sententia, & exhortātes ad constantiam. Et alioquì quicquid aduersùs ipsos, & quam habent religionem, tua excogitauerit potentia, id statim per illos ab ipsis depræhenditur.

Cap. 23.

S. Dorotheus cū socijs apud Imperatorem accusatur.

Psal. 56.

His fuit ad iram accensus Maximianus, & dicto citiùs iussit sanctos ad se adduci. Et aderant quidem illi nihil timentes, neq; vllum formidinis vestigium vultu præ se ferentes: Ille autem toruis ipsos oculis intuens, O pessimè perdendi, inquit, ô omnium hominū ingratissimi. Cur tantam à nobis adepti claritatem, & soli propemodùm sceptris præfecti imperatorijs, tam mali depræhensi estis in benefactorem: qui pro multis nostris in vos beneficijs qualem refertis gratiam, Iesum quendam vobis & alijs Regem adscribere dictitantes, & nouæ huius religionis duces sedulò celantes, & eis omni studio prouidentes, eosque fouentes, quos funditùs interire, & ne nomen quidem eorum remanere, reputaui esse pulcherrimum & primum meorum trophæorum? An non hæc sunt vera, & quæ factis magìs arguūtur, quàm verbis? Illi autem tanquàm latrantem canem ne tantillùm quidem curantes, neque existimantes esse tempus responsionis, steterunt silentes. Maximianus verò, cùm silentio magìs esset eius irritatus animus: Non per deos immortales, inquit, non vobis parcam: sed cùm omne genus supplicij vobis intulero, & carnes consumpsero, & ossa contriuero, & igne combussero, relinquam insepultos, à canibus & auibus comedendos: & vos ipsos puniens pro meritis, & alijs metum incutiens, nè talia aggrediantur.

Cap. 24.

Sistūtur corā Maximiano Indes, Dorotheus &c.

Nec hæc quidem sanctis timorem attulerūt: sed statìm & solutis zonis, & chlamydibus exutis, stabant parati ad cursum martyrij, vno ore & animo se esse Christianos & Christi seruos audacter nominantes. Deindè etiam Maximiano: Nobis, ô Tyranne, dixerunt, honores tui, & vanæ hæ dignitates ne tantillùm quidē vnquàm curæ fuerunt. Quid enim opùs fuerit tali honore, qui à Deo disiungens, est redacturus in seruitutem dæmonum? Sunt enim talia vestra impiorum dona, quæ fugientes, tantū abest vt persequentes, non solùm ijs tibi cedimus, sed etiam ipso corpore & vita. Cùm ij ità essent parati, & tales essent eorum spiritus, iussit Maximianus, vt extensis simul manibus & pedibus, crudelibus boum neruis fortiter verberarētur. Et statim sex vnumquenq; circunsistentes lictores, magna parte diei eos perpetuò verberabant, nulla scelerati moti cōmunis naturæ misericordia, idq; cùm viderēt terram eorum sanguine effectam purpuream. Martyres autē hæc quidem ferebant fortiter, ne vocem quidē emittētes: internis verò animi motibus glorificabāt eum, propter quem hæc sustinebant. Flagella excipiebat carcer, cùm essent eorum colla vincta collaribus, manus autem catenis, & pedes compedibus. Maximianus verò tanquàm torrens, qui fertur per segetes, per omnes deincèps pios peruadebat. Et ad hæc quidem iubebantur inseruire Præsides ac Præfecti, qui erant impietate eximij. Quicunque autem eius parebant imperio, qui Christum esse Deum confitebantur, tortoribus simul tradebantur & varijs tormentis laniabantur miserabiliter. Et sic quidem quotidiè ei, qui seipsum pro nobis sacrificauit, rationalia offe-

Cap. 25.

Illorum insignis magnanimitas

Cæduntur neruis boū.

Vincti truduntur in carcerem.

rebantur sacrificia, piè martyrio effecta holocaustum.

Cap.26. Oportebat autem festorum maximum Christi natalem, ei qui nascebatur, copiosiora offerre sacrificia. Nam ortùs quidem Christi dies festus agebatur: quicquid autem est pium, congregabatur ad glorificationē. Prophani verò Maximiani profani ministri accendentes, Quoniam, inquiunt, ô Imperator, hodiè festorum quæ nórunt, maximum celebrant Christiani, vt qui hodiè Deum suum natum esse fabulentur, & celeberrimo totius populi concursu ad festum côueniunt, agè nè ex media sagena nos præda effugiat. Sed militibus quidem præoccupētur templi aditus: stet autem àra ante portas: accedentes verò præcones, iubeant quidem omnes è templo egredi, & nihil cunctantes aræ sacrificare. Sin autem non pareant, quid sit deincèps agendū, statuere, tui est imperij & iudicij. Quòd si hoc quoquè nobis permittis dicere, igne templum circuncircà comprehendentes milites, protinùs perdant eos, qui non obtemperant. Et sic illos quidē de medio tolles, qui in rebus præcipuis perniciem afferunt tuis populis: te autem liberabis à cura, quæ tuū animum premit non mediocriter, sicut nos non ignoramus. Nondùm finem acceperat oratio: excipiens autem Maximianus, Iuro, inquit, maximos deos, me hæc iamdiù versâsse in animo. Nescio verò, quî factum sit, vt ea quæ cogitâram, nōdùm sim executus. Sed vobis magnas, ô dij, ago gratias, quòd effeceritis, vt his quoq; opportunè veniret in mentem, quod esset conducibile. & simul iubet, vt primi ex Protectoribus, cùm magna manu militum ecclesiam circundedissent, sarmentis & quacunq; alia materia, quæ facilè accenditur, in orbem cōgesta & apposita, ad templi portā aram statuerent: Deindè, vt præcones clara voce proclamarent, vt omnes exirent, & ad aram accederent sacrificaturi. Quòd si non parérent, portis statìm optimè clausis, & omni alio eis obstructo exitu, ignem accenderent: vt sic omnes vnà cum ipso templo perirent, & vt digni sunt, ab igne consumerentur. Et hæc quidē Imperator.

Impij regis, impij satellites.

Christiani omnes, ipso natiuitatis Dominicæ die, in tēplo suo circunuallantur.

Cap.27. Nuncius autem statìm mittitur ad ecclesiam, vt diceret, quæ iussus fuerat ab Imperatore. In medium itaque accedens, & magna voce clamans, O homines, Maximianus, inquit, orbis terræ dominus, me ad vos misso, alterius ex duobus dat vobis optionem: Vt aut dijs sacrificetis: adest enim ara parata: aut, si nō pareatis, omnes simul pereatis. præstò est enim ignis. Quod ergò vultis, quamprimùm eligite. Cessauit ille, cùm hæc dixisset: Ecclesiæ autem Archidiaconus, cùm ei esset cor accensum igne diuinæ gratiæ, stans ad cornu altaris, O vos, inquit, mei fratres, & inter vos inuicèm vnanimes, nescitis quemadmodùm quæ à tribus pueris facta sunt, paulò antè persequentes, dici non potest, quātùm eorum admirabamur virtutem, & eorum in pietate stupebamus fortitudinem. & quemadmodùm non tanquàm stantes in medio ignis, sed in molli aliqua herba choros ducentes, ipsi & hymnum canebant, & omnem creatam naturam ad vniuersorum Deum laudandum vocabant? Hos nos non solùm iudicabamus beatos, sed eorum quoquè coronarum cupiebamus esse socij. Quoniam ergò & nunc nos vocat tempus, & sunt mores Imperatorum similes: Nam etsi nominibus differunt, at crudelitate & impietate maximè conueniunt: efficiamur nos quoquè pietate similes ijs, qui tunc decertârunt. Quomodò enim non esset absurdum, illos quidem, cùm essent pueri, & nec plures tribus, & alioquì cùm nullum adhuc accepissent exemplum animi magnitudinis in tuenda pietate, tam præclarè decertâsse: Nos verò, qui & multitudine sumus propè innumerabiles, & multi, quibus nihil deest ad perfectam ætatem, & quibus est etiam tanta exemplorū copia, videri vitæ cupidos, & ignauo abiectoq; esse animo: & non oblatam occasionem tāquàm lucrum arripere, & hanc, quæ est ad tempus, vitam despicere pro Deo, qui nos fecit, & suam animā dedit pro nobis ad mortem: testimonium autem firmę & infractæ nostrę fidei, nostram præbere mortem? Hæc autem dico, etiamsi nulla esset pro his remuneratio. Cùm verò sint valdè paruæ huius temporis passiones, si conferantur cum ijs, quæ sunt illic, remunerationibus: & vita quidē expers molestiæ & æterna, pro hac breui & laboriosa: gloria autem nunquàm cessans, pro infida, & quę facilè excidit: & diuitiæ, quæ surripi nequeunt, & voluptas, quę nūquàm transit ad molestiā, nos adhuc in præsentibus manere concupiscemus, & non potiùs, cùm ad eam quæ est illic, gloriam, pro Christo subeundo mortem, inuenerimus perueniēdi occasionē, quamprimùm transibimus? Et quidnā aliud faciētes, ab ijs qui sapiunt, iudicabimur, nisì digni, qui lugeamur? Mementote, immò verò adspicite ad arā. Verus enim noster Dominus fuit pro nobis sacri-

Dan.3. Archidiaconus egregiè accēdit animos Christianorum.

crificatus. Non nos quoquè pro eo in loco sancto animas profundemus, & veluti quoddam sacrificium eas illi igni offeremus in holocaustum?

Cùm sic dixisset, omnes incitauit, & effecit vt moriendi vehementi tenerentur desiderio. Simul itaque cum illo beatam illam vocem exclamauerunt, Christiani sumus, Christiani, & deos tuos, ô Imperator, non colemus. Hæc Maximiano quidem annunciabantur: ille autem cùm ne finem quidem expectâsset orationis, iussit in eos ignem accendi, & eos vnà cum templo exuri: vt nullus eorum nec misericordiam consecutus, neque latens posset effugere. Pij verò cùm omnes congregâssent simul catechumenos, viros & mulieres, & pueros, eosque in quatuor diuisissent, vtpotè quòd tempus postularet celeritatem, eos diuino baptismo perficiunt, & Chrismate vngunt, & eos intemeratis impertiunt sacramentis. Protinùs autem aderant ministri quoquè Imperatoris, & ignem accendebant: illeque omni ex parte tollebatur in altum: & cùm totam comprehendisset ecclesiam, in vnum asscendebat verticem, omnia tam quæ erant extra eam, quàm quæ intra, depascens. Fremens itaque malum ingruebat grauissimum: illi autem intùs magna voce ad Deum clamabant, & canebant canticum puerorum, omnem creatam naturam vocantes ad choream: neque priùs cessârunt glorificare, quàm oblata essent accepta sacrificia, castæ hostiæ agno, qui fuit pro mundo mactatus.

Cap. 28. Multa Christianorũ millia cũ templo comburuntur.

Vide vsum Chrismatis in baptismo antiquissimum.

Quinque dies transierant, & ignis depascebat materiam. Cùm verò flamma iam cessâsset, nullus quidem teter odor sentiebatur, nec ex corporibus, nec ex fumo: spirabat autem potiùs quidam suauis & mirè fragrans odor. Apparebat verò quidam radius, auri rutilantis speciem præ se ferens, varium quendam edens & valdè gratum splendorem: quomodò Sol lucet, qui modò appáret in Oriente. Maximianus autem existimans se iam omnes vicisse, & relaxatum esse à curis certaminis, theatris pascebat oculos, & equorum scilicet & hominũ curriculis. Illud verò non erat vincere, sed potiùs victum esse: idque magìs induxit pios, vt liberè loquerentur. Ostendent autem, quæ consequuntur. Ante theatrum quidem erat ædificatum maximum fanum Cereris, quæ erat apud eos dea maxima. Accedens autẽ ille cum vniuerso populo & exercitu, execranda peragebat sacrificia. Quidam verò ex numero militari, Zeno nomine, zelo plenus aduersùs impios, non ferẽs sic pietatem affici contumelia, stans in alto: Erras, inquit, ô Imperator, insensibilibus sacrificans lapidibus, & mutis lignis. hoc enim est, quod appáret: id autem, quod est reuerà & intelligitur, est fraus dæmonum, quæ suos cultores abducit ad interitum. Intellige, ô Maximiane, & hos oculos & internos in cælum tollens, quære ex ijs, quæ videntur, creatorem: qualis sit opifex, disce ex operibus, & disce Deũ piè colere, qui non sanguine & nidore rationis expertium animantium, sed mundis hominum delectatur animis, & mundo corde.

Cap. 29.

Zenõis militis eximius pro pietate zelus.

Hæc cùm audijsset Maximianus, iubet pondere lapidum eius maxillas confringi: & simul clamabat, lictoribus quidem, vt fortiter percuterent: sancto autem, nè deos maledictis appeteret. Sic ergò patienti sancto omnes quidem dentes sunt immaniter excussi, maxillæ verò sunt contritæ: & iam parùm spirantem, & mox moriturum iubet abduci extra ciuitatẽ, & amputari caput, quod liberè erat locutum. Et sic Zeno generosissimus, cùm magna celeritate peregisset beatum stadium martyrij, truncatur capite, & sursùm fertur ad Christum caput omnium. Sacer quoquè chorus, qui erat circa Dorotheum, qui à tam bono instituebatur magistro, diuino, inquam, Anthimo, non sic erat habiturus capita incoronata: sed hæc quoquè supernè dispensabantur ac prouidebantur à diuina gratia. Et à sacrosancto quidem Anthimo ad eos mittebantur literæ, ipso quidem in quodam vico delitescente, illos autem apertè decertantes, ad suscipienda strenuè certamina precibus adiuuante. Hoc postquàm euasit manifestum scelerati Imperatoris satellitibus, & ipsas literas, & eum, cui erant datæ, adducunt ad Imperatorem. Ille autem cùm eum vidisset, & legisset quæ scripta erant: scripta verò erant, vt est verisimile, quæ ille quidem nolebat, pulchra autem erant & salutaria, ira æstuans, iussit eos quamprimùm abduci. Illi ergò statim sunt abducti.

Cap. 30. Crudelissimè ei dentes omnes excutiũtur.

Capite cæditur.

Reuocãtur è carcere ad tribunal Imperatoris cæteri martyres.

Imperator autem: Vana'ne, inquit, fuit mea coniectura, cùm prædicerem, vos à me defecisse? Immò verò execrandi, iam etiam aduersùs me insurrexistis: ad alium autem, cum quo nos acre bellum gerimus, transfugistis. Et simul dat eis legendam Epistolam. Iussit verò eum quoquè, qui adductus erat, introduci. Quem cùm vidisset

Cap. 31.

sent martyres, valdè lætati sunt animo, eumque, & si procùl starent, vultu & nutu salutârunt. Maximianus autem fastum quendam & spiritum suscipiens principis, & immaniter eum intuens, Dic mihi, inquit, infelix, quis est, qui hæc tibi tradidit, & vbinàm latet terrarum? Diaconus verò, cùm magna voce tacitè ad Deum priùs clamâsset, & petijsset, vt conuenienter verissimæ promissioni, daretur sibi oris apertio: Qui literas, inquit, dedit, cùm sit Pastor, & procùl absit, gregem cohortatur & incitat ad pietatem: & maximè cùm senserit incursionem luporum & ferarũ. Tunc enim alta & clara voce suo gregi imperat, & quæ sint facienda, significat. Quæ autem dicit, non sunt sua, sed ea accepit à primo pastore, qui dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occídere. Atque dixi quidem, quisnam dederit literas: Vbinàm autem sit, non dicam. Aperta enim fuerit insania, Pastoris esse proditorem, cum qui ex illo maximam accepit vtilitatem: qui etiam absque nobis mox fiet manifestus. Non posse enim abscondi ciuitatem supra montem positam, vox diuina dixit, & veri amatrix.

Psal. 80. *Matth. 10.* *Matth. 5.*

Cap. 32. *Diaconus, lingua præcisa, lapidibus opprimitur.*

Hæc cùm fortissimè dixisset lingua sancta, non ferens Maximianus dicendi libertatem, vt ipsa amputetur, eum condemnat. Deindè sic iubet eum obrui lapidibus. Et ille quidem post sacræ linguæ oblationem sic obrutus lapidibus, tela quidem nihil curabat: sed corpore quidem iam partìm attrito iaculationibus, partìm autem obruto lapidibus, adhuc magìs erigebatur, & in cælos extollebatur anima, Christo angulari lapidi coniungenda. Adhuc vehementer irascebatur Maximianus. Quocircà Dorotheum cum suis multiplicia excepêre supplicia. Illis verò minimè perpetua defuit constantia, Christum inuocantibus, & tormenta & leuia & imbecilla minimè curantibus, vel potiùs reputantibus illa pro delicijs, & Tyranno impietatem acerbiùs exprobrantibus. Quamobrèm ille iam defessus, communiter quidem omnes morte condemnat: diuersas autem pronunciat sententias. Dorotheo quidem ense caput amputari, Mardonium autem viuum cremari, & Mygdonium in fossam proiectum obrui: Gorgonium verò & Indem & Petrum, molaribus lapidibus eorum collis alligatis, in mare iaci. Et ità sunt, consummatis victorijs insignes Christi martyres vario genere mortis, vna via ingressi ad Dominum. Hæc cùm casta resciuisset Domna, partìm quidem lætabatur animo, & maximè propter Indem, qui erat vnius cum ipsa animi & spiritûs. Partìm autem ad imitationem quoquè incitabatur, & eadem, quæ ipsi euenerant, cupiebat certamina & præmia. Vndè nec despexit Dominus suam sponsam: quæ vestem quidem habebat mundam à nuptijs, sic autem eam etiam lachrymis quotidiè dealbabat, quòd non eam sanguine martyrij redderet purpuream, & totam sponsam efficeret dignam eius pulchritudine, etsi præsens eius vita nihil abesset à dignitate martyrij, vt quæ tam & diuturnitate exercitationis & aspera viuendi ratione eam pręmeret, cùm ipsa & in antro lateret subterraneo, eoque eiusmodi, vt terrestre dici posset sepulcrum: & potus eius esset fons, qui in eo erat: & cibus similiter herbæ, quæ erant in margine speluncæ.

VI. illustres martyres perimũtur.

S. Dõnæ cibus & potus vilissimus.

Cap. 33.

Cùm ea sic se gereret in exercitatione, tunc descendit de monte: & veniens in ciuitatem adhuc in veste virili, (ea enim ipsam indutam Agape eius mater secundùm spiritum, suffurata est ab illis impudicis & intemperantibus manibus) beatam hanc quærebat Agapem. Postquàm autem intellexit eam quoquè cursum confecisse martyrij, effectam holocaustum Domino cum multis alijs virginibus in templo, quod fuerat exustum, magnum animo dolorem accipit, non ægrè ferens quòd mortua esset Agape, sed potiùs quòd non cum ipsa Agape esset mortua, & paris fuisset mortis socia: stansque ad templum exustum, fletu miscebat cinerem. * Die verò iam diuina gratia eam vocante ad viam martyrij, illuminata & ad id omni ex parte ducta, descendit ad mare. Eccè autem piscatores in litore stantes, iam parantes retia, & habentes remos paratos. Quam cùm illi tunc vidissent veste virili sic indutam, non ex eo quod erat, sed ex eo potiùs, quod videbatur, eam vocârunt: Veni, dicentes, adolescens nobis opem laturus, vt te etiam prædæ faciamus participem. Illa autem alacri animo eis obtemperauit. Ingressa verò, piscatorum statìm conturbauit oculos & animos, cùm viderent eam videri quidẽ virum: mores autem, & virginalẽ pulchritudinẽ & pudorem in eius oculis insidere. Verumenimuerò cùm ad piscandũ retia demisissent, cum magno labore ea à terra auellerunt, perindè acsi magnũ aliquod põdus in eis sentirẽt. Iam verò cùm prope litus venissent,

*for. * Diù*

Diuino nutu descẽdit ad mare ad sepeliendũ sanctorum corpora.

ſent, noctù vident, luna depellente caliginem, & compræhenſam piſcium multitudinem, & corpora mortua in ventre retis.

Atque illi quidem viſione conturbati, cùm præ dolore & metu corpora excuſſiſſent, & in terra depoſuiſſent, retibus collectis, contendebant tranſmittere in regionem, quæ erat ex aduerſo, volẽtes in naui ſecum vehere virginem. Cùm autem non perſuaderent, dato ei pro mercede pane & piſcibus, abiêrunt. Illa verò cùm Indæ & illius ſociorum & mortem & genus mortis, vt priùs diximus, iam accepiſſet, acceſſit quidem ad corpora: diligenter autem ea conſiderauit & verſauit: & deindè etiam ſingula accuratè didicit. Poſtquàm verò figuræ & totius corporis ſigna illos eſſe ſanctos apertè ſignificabant, ea manibus accipiens, & eis labra magno admouens deſiderio, ardenter amplectebatur, tota eius anima ſimul quoquè amplectente. Cùm hæc faceret, videt nauem iam ferri ad ipſum litus, velo iam demiſſo, & ſolis remis ſenſim ad terram appellere. Accedens itaque virgo, cùm nautas, vt decebat, appellâſſet, oſtendit etiam piſces. Nauclerus autem eam illos vendere exiſtimans, ſtatìm rogauit quanti venderet. Illa verò dixit ſe eos dare gratis. Cùm autem ille quidem non credens, rursùs meminiſſet precij, illa verò ſtaret tacens, & manum porrigeret, quæ videbatur velle gratificari, Per ipſum Chriſtum, inquit nauclerus, quanti vendis? Tunc ex iureiurando intelligens generoſa virgo eum eſſe pium, nihil voluit eum celare: ſed cùm eum foràs euocâſſet ad litus, oſtendit ei corpora ſanctorum, & adhibuit eum in ſocietatem pulcherrimi miniſterij, aperiens quorumnam eſſent, & narrans quemadmodùm pro Chriſto mortui eſſent martyres.

Cap. 34.

Sanctorum Indæ, Gorgonij & Petri corpora miro modo à piſcatoribus capiuntur.

Nauclerus autem cùm hæc audijſſet, nouas ſindonas, & veſtes candidas, vnguentaque & ſuffitus è naui ſtatìm attulit, & in eis deponendis laborauit. Domna verò cùm ijs, quas habebat, aquis mundis, & lachrymis priùs lauâſſet corpora, & cum nauclero honorificè & cum omni reuerentia ea compoſuiſſet, & ea deindè communiter portâſſent ad murum ciuitatis, qui eſt proximus torrenti, ad portam ciuitatis, vbì etiam Dorotheus cum ſuis finem vitæ acceperat, illic ea in foſſa poſuerũt. Atque nauclerus quidem virginem, vt qui iudicâſſet eam eſſe fratrem eiuſdẽ, cuius ipſe in Chriſto ſententiæ, (eam enim adhuc virum eſſe putabat) rogauit vt ſecum eſſet, & toto vitæ tempore nunquàm ab eo diſcederet. Illa verò non admiſit: ſed eum quidem rogauit, vt cœptum iter perſequeretur: ſe autem dixit manſuram: quoniam, inquit, propè eſt vitæ finis. Quarè nec meum corpus ab his corporibus, nec animam omninò decet ab his animis ſeiungi. Cùm illic ergò remanſiſſet, indiuulſa adhærebat reliquijs, aromatibus & ſuffitibus eis honorem exhibens, nauclero ſatìs pecuniæ ſuppeditante ad ea comparanda.

Cap. 35.

Honorificè adhibitis cęremonijs ſepeliuntur.

S. Dõna indiuulſa adhæret ſanctorum reliquijs eas colens.

Fieri autem non poterat, vt eos, qui erant in tenebris, lateret opus lucis: neque martyrij, quo Domna tenebatur, deſiderium videretur imperfectum. Quamobrèm deferuntur hæc ad Maximianum. qui cùm intellexiſſet, quòd illa ſanctorum tanto amore capta eſſet, magnum edens cachinnum, qui multo riſu, vel plurimis potiùs lachrymis erat dignus, Par eſt, inquit, vt ea quoquè parem illis mortem ſubeat, & ſic reipſa diſcat, quòd hominibus nihil poſt mortem ampliùs habentibus, illa fruſtrà tantos honores exhibet. Dixit, & ſtatìm miſit, qui eam interficerent. Quàm cùm etiam compræhendiſſent in illo loco orantem, caput enſe amputant, idque igni tradunt. Ei paulopòſt adiungitur ſapiens quoquè Euthymius, qui doctrinis & monitis multos priùs Chriſto martyres obtulerat. Nam propter illius magnum zelum ad pietatem, valdè vexatus Maximianus, iraque & furore animo plenus, multis quidem tormentis eum priùs conatur omninò abducere à confeſſione. Cùm autem ille puniens eſſet defeſſus, enſe mortem affert athletæ. Licet verò in manus ſumendo eius hiſtoriam, omnia ad verbum percurrere.

Cap. 36.

S. Domna amputato capite comburitur.

S. Euthymij martyrium.

His veluti quibuſdam aſtris Nicomedia magnum iucundumq; & gratum emittit ſplendorem, & maius ex eis ornamentum accipit, quàm ex auro, & gemmis, & ex margaritarum nitoribus ac ſplendoribus: qui ſunt quidem numero viginti millia: ſunt autem in choro martyrum multitudine & pulchritudine inſignes. Quorum peragitur memoria vno die poſt Chriſti natalem, ante feſtũ Infantium, vt qui, quomodo illi enſe, ità etiam ipſi igne Deo, qui carnem induit, ſunt oblati. Quibus etiam acceſſit admirabilis Glycerius, & ſacroſanctus Zeno, & Theophilus præ-

Cap. 37.

20000. Martyrum Nicomediæ.

præterea autem cum Mardonio Dorotheus, & beati Indes & Petrus simul cum Mygdonio, & tres virgines, Agape, inquam, & Theophila, & Domna, quæ erat longè pulcherrima, & maximè veneranda: Ad gloriam Christi veri Dei nostri: Quem decet omnis gloria, honor & adoratio, nunc & in secula seculorum, Amen.

VITA BEATI IOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE, PER SIMEONEM METAPHRASTEN

scripta. Habetur in Oecumenio post Apocalypsis expositionem, vt ait Aloysius primo Tomo operum eius fol. 17. Nos capita margini pro more adiecimus.

Decẽbr. 27. Cap. 1.



VAM parùm absit homo ab Angelis, quodque ipsi possibile sit vnà cum illis versari, viciniusque assistere, immò etiam Deum imitari possit, quodque multo maius est, filius illius iuxta gratiam effici, ostendit pręomnibus magnus hic Euangelista & Apostolus, matre quidem Virgine ditatus: dignus autem habitus, qui Christi frater vocaretur, ipsique factus socius & particeps arcanorum. Verùm ipsamet diuina oracula voce maxima prædicant Dei in seipso magnalia. Attamen id manifestiùs sermo nobis explicabit. Hic enim verbi vox, filius tonitrui, vniuersum prædicatione comprꝇhendens orbem: & quod omnium maius est, solumque in se sufficiens, dilectus ab ipso Christo meo, patriam quidem non habuit ciuitatem aliquam, sed ex vili quodam pago, & abiecta regione natus est. Confirmant hunc sermonem scribæ, dicentes: Prophetam ex Galilæa non surrexisse: Confirmat & ille verè Israëlita, contendens nullum bonum esse posse à Nazareth. Ex hac igitur hic, & ex tali tantus sacerdos, veluti ramus quidam productus: patre quoquè, conformiter ad patriam abiectus & obscurus, nempe piscatore, ac paupere. Et hic quidem puerilem iam ætatem egressus erat: porrò pater filium ad idem opificium assumit, piscatoriæ artis hæredem ipsum efficiens. Artis itaque socius erat filius patri, & familiaris ac domestica erat vtrique paupertas. Quid enim pauperius & abiectius dicere quispiam poterit, quàm sint piscatores? quorum hic vnus erat præco veritatis, ac præceptor. Quodque maius est ad abiectionis demonstrationem, non in mari piscabatur, sed in breui quodam lacu, vnà cum patre, & fratre Iacobo versabatur, rupta sarciens retia, (quod & ipsum extremæ paupertatis erat) ac manuum artificio consolans necessariorum indigentiam. Itaque Græcanicæ disciplinæ ne in modico quidem particeps erat. Cuius rei testis est diuus Lucas, qui ipsum idiotam vocat, & alienum à literis. Vnum hoc solùm habebat insigne, quo agnosceretur, & bonum hoc vinculum à patribus trahebat, nempe pietatem.

(Ioan. 19. Marc. 3. Ioan. 13. 19. 20. & 21. Ioan. 7. Ioan. 1. S. Iohannes primò fuit piscator. Matth. 4. Actor. 4.)

Cap. 2. Psal. 32. Vbi autem vmbraticæ nebulæ eleuatæ sunt, & ea, quæ figurarum erant, transire in veritatem cœperunt: & tu Domine, qui singulatim finxisti corda nostra, non dispersisti testamentum tuum, quod nobiscum pactum erat, sed videns vidisti afflictionem Israel: & non exutus diuinitate, propter nos factus es id, quod nos, sine peccato: & throno patris non relicto, Virginem inhabitâsti propter me, vt ego cælos inhabitarem, & ex veteri casu reuocatus, & liber à peccato, ac primam adoptionem suscipiens: oportuit sanè esse & discipulos, qui mysterio dispensationis ministrarent. Tunc quidem vocatur Andreas & Petrus: aduocatur autem & hic, qui circa pisces & retia ac lacus versabatur: & iussus verbi voce, vt hominum piscator constitueretur, protinùs patre scaphaque relictis, ei qui se vocabat, adiungitur: & terreno homine exuitur propter cæleste, ac piscationem animarum transmutatus addiscit, & præceptoris vestigia secutus, inimicos diligit, persequentibus benedicit.

(Matth. 4. Quid à Christo filio Dei didicerit.)

Cap. 3. Vtque vno verbo absoluam, in huius lege exactè instruitur, talemque nactus præceptorem, similem demonstrat disciplinã: & ascensiones in corde disponens, disci-

discipulus familiarissimus, ac præco maximè theologus efficitur: omnes sensus moderatur, familiaris omninò virginitati efficitur, tali vtendo alimenti ratione, vt summa parsimonia viuere duntaxàt posset, sacrumque corpus, vt subsisteret, conseruare. Hinc etiam virginitatis appellatione ditatur, & amicus eius, qui imperium tenet, efficitur: magis autem & ipsum habet in seipso loquentem: & rursùm ab eo audit, quæ ille à patre audierat: cumque in montem ascenderet, ipse vnà conscendit, ac dignus habetur visione admiranda, & maiori, quàm dici possit, ipsam verbi diuinitatem denudatam intuitus, & cælestem audiuit vocem, qua dilectum filium declarat pater, ac veteri testamento præponit Euangelium. Vide magnā victûs parsimoniā in S. Iohanne. Matt.17.

Decens ac honorifica cœna subsequitur, & ne tunc quidem Iohannes relinquitur. Deindè cùm Petro opùs esset discere, quisnam is esset, qui horrendam illā proditionem parturiret, nec ipse auderet interrogare, quanquàm primas teneret in choro discipulorum, Iohāni hoc committit. Nouerat enim id, quod Christus erat apud ipsum, hoc Iohannem esse apud Christum: & quòd ipse quidem diligeret, ille autem dilectus esset. Et vide quanta accedat ipsi libertas loquendi. Neque enim vulgari modo interrogat, neque primùm excusans, quòd metu accederet: sed sciens quanto ipsum amore prosequeretur, sedenti adhæret præceptori, & in huius pectus recumbens, ait: Domine, quis est qui tradit te? Ille autem libenti etiam animo accipit, quod ille fecerat, & quasi opportunè fuerit liberè locutus, gratum habet. Ex eo enim, quòd protinùs quæstionem soluat, ac pane designet proditorem, significat se non ægrè ferre eam libertatem. Itaque hinc etiam manifestum est, quòd cathedram, quam proximè Christū cum fratre petiuit, non gloriæ, sed Christi amore petiuerit, & quòd nollet hic alium esse sibi dilecto viciniorem. Cap.4. Ioan.13. S. Iohannes vt fuerit à Christo dilectus. Matt.20.

Condemnatur Iesus, & adest Iohannes, ac ad atrium Pontificis, cùm notus esset Pontifici, vnà congreditur, loquiturque ostiariæ, & Petrum pro foribus stantem introducit. Imminet tempus salutaris passionis, & verbum permanet, vt procedat ad patrem, ac Iohannes cum matre adstat cruci, materque audit à filio ac suo conditore: Eccè filius tuus dilectus: & rursùm hic, Eccè mater tua. Ab hoc igitur tempore virgo hic mente & corpore, matrem ac Virginem sibi vendicat: nec multò pòst Christum, qui resurrexerat, videt, vidensque agnoscit, & cum Petro ad sepulcrum venit, ac prior procurrit, & postquàm sepulcralia vidit, spiritûs inflationem suscipit, eiusque donis ditatur, ac diuinis manibus consecratur vniuersi orbis Apostolus. Cap.5. Ioan.18. Ioan.19. Ioānes virgo mente & corpore. Ioan.21. & 20.

Quoniam autem præceptorem audiuerat alias quoquè oues habere, quæ licèt ex hoc non essent ouili, oportet tamen & illas congregare, & ab eodem regi pastore, fierique vnum ouile, & eas rectè ac liberè ipsum sequi, neque aliena fistula rapi & dispergi, ac corrumpi: hæc, quantùm æquū est, anxiè curat, & in iter ad hoc mittitur, vt dispersas oues in vnum congregaret, & eam quæ errâsset, fistula veritatis reuocaret, ac sub vno vero pastore ouile repararet: si quis duram ac repugnantem haberet animam, hoc eodem igne succulentam redditurus ac teneram. Vndè, relicta Palæstina, in Asiam proficiscitur: Cumque ea, quæ ipsam concernebant, rectè disposuisset, Iöniam occupat, ac Ephesum aggreditur, vbi plures ac crudeliores feræ erant, & talia, quæ periculo quouis longè periculosiora essent. Et primùm quidem templum Amazonum, ipsis idolis cōsecratum, vna prece subuertit, ac veluti plateæ lutum diruit. Deindè sacrificorū, qui à sacrificiorum appellatione cognomen sortiti sunt, hos quidem sermonibus, illos autem signis, rationibus ac necessitatibus transfert ab errore: & huiusmodi exuberātibus modis efficit, vt transmutentur ad discendam pietatem, & ipsi etiam alijs constituantur deincèps veritatis duces ac præceptores. Ac ità partim quidem alios obiurgando, partim verò, quæ coueniunt, etiam admonendo, omnibusque omnia factus, in sortem eorum, qui salui fiunt, omnes pellicit: vt hinc factum cognosceretur, quod à Paulo dictum est: Vbì abundauit iniquitas, ibì superabundauit & gratia. Cap.6. Ioan.10. S. Iohannes Ephesi Christum prædicat. Rom.5.

Verùm maligno illi non dabatur inter hæc requies. Certè oculis inuidis intuitus pietatem adeò succrescere, cognita huius rei causa, omnem aduersùs illud mouet lapidem. Quid ergò sumit consilij? Domitianum Vespasiani filium ingressus, qui post Titum obtinuit imperium, cum illo aduersùs pietatem decernit. Ante omnia autem Iohannem, qui robur vniuersorum erat, tollere conatur: statimque ipsum Cap.7.

Relegatur in exilium. ipſum ab Aſia ducit in Europam,& in exilium relégat,quemadmodùm inſequens ſermo manifeſtare poterit. Vbi enim in conſpectum Imperatoris veniſſet,& quis, & vndè ortus eſſet, quamque profiteretur religionem, & quemnam diceret eſſe venturum,interrogatus eſſet: Iohannem quidem ſe vocatum eſſe,& à Iudæorum genere prodijſſe,ac ſodalitij Chriſtianorum eſſe reſpondet: ſe autem annunciare hunc eſſe venturum,cuius thronus veluti luna præparatus,ac perfectus eſſet in ſeculum. Vbi autem dixiſſet Imperator: Et quibus modis hæc confirmare poteris? Neque enim hæc ſufficientia ſunt ad faciendam fidem eorum,de quibus non eſt in promptu demonſtratio: Morbi protinùs (ó ineffabilem Domine tuam potentiam) & dæmoniorum legiones pelluntur: reuiuiſcunt autē mortui,iuſſum ſequendo velociùs,quàm viuentes.Quibus ó Rex(aiunt Iohannem dixiſſe) nè dubites, ab his,quæ apparent,coniecturam faciens eorum,quæ manifeſta non ſunt. Porrò quę de Saturno,& Ioue,cæteriſque dijs veſtris feruntur,niſi ſufficientes eſſent,qui ante nos demonſtrâſſent,vtiquè & ego facilè oſtenderem nihil eſſe,ſed plena potiùs ingenti vituperio,riſuque ac dementia. Verumenimuerò deceptionis ſalſuginie abiecta,ſatiare potiùs fonte potabili ac dulciſſimo.

Miraculis confirmat doctrinam ſuam apud Domitianū.

Cap.8. Hunc autem ſtupore ſimul & ira correptum aiunt,hinc quidem ob portenta ab ipſo peracta: illinc verò ob id,quòd deos ſuos calumniaretur.Itaque ad ſermonis ſplendorem non acceſſit ob tenebrarum,quæ in eius corde erant,craſſitiē. Quòd autem hunc non occiderit,dictus ad Petrum ſermo prohibuit,putà: Si eum velim manere donèc veniam, quid ad te? Sed virum perpetuo exilio condemnauit, in vnam Sporadum inſularum relegans,(Patmos huic nomen erat) cùm olim apud Romanos æquaretur morti exilium. Ductus eſt igitur ad exilij terminum magnus Apoſtolus, & inſulam appræhendit. Non longo poſtmodùm tempore inſulares ſeruatorem ac patronum ducunt tonitrui filium,& ad æquitatem tranſeunt, ſeſeque ad pietatem componunt. Itaque cùm hîc eſſet Apoſtolus,& admirandus Dionyſius fermè iam nonaginta eſſet annorum,ex Athenis ſcribit ei in hunc modum: Tuam ſaluto ſacram animam,dilecte,& erit mihi id peculiarius præ multis. Salue igitur verè Chriſto dilecte. Conſequenter autem etiam hęc addit: Quid admirandum, ſi Chriſtus verum loquatur, & iniqui diſcipulos è ciuitatibus expellant, ipſi ſibijpſis condigna diſtribuentes,& execrandi à ſanctis ſe ſegregãtes ac ſeparantes? Deindè etiam ad ipſum finem Epiſtolæ hæc de futuris ſubſcribit: Omninò enim fide dignus ſum,inquit,vt qui à Deo didicerim, quæ decreta ſunt,vt tibi contingant, & dico etiã,quòd liberandus ſis è cuſtodia, qua in Patmo ſeruaris, & in Aſiaticam terrã reuerſurus, ibique facturus boni Dei imitationes,& his,qui te ſequentur,traditiones. Sed hæc quidem poſtmodùm ſuo tempore contigerunt, ac terminum accepit vaticinium, (quemadmodùm in ſequentibus ſermo manifeſtare poterit) cùm iam Dionyſius ſub Domitiano pro Chriſto vitam martyrio finîſſet.

Ioan.21. Exilij grauis pœna. Patmos credit in Chriſtum. S.Dionyſij Areopagitæ pphetia de reditu eius ex Patmo. Traditioes Ioanis Apoſtoli.

Cap.9. Quæ ſunt autem facta poſt hæc? Domitiano ex hominibus ſublato,Nerua in Imperio ſuccedit, & condemnatis in exilium, tanquàm benignus & humanus donat reuocationem.Nec multo pòſt tempore Traianus ſceptra Romana ſuſcipit,& conſecutiuè humanum confirmat edictum,reuocans eos,qui in exilio erant. Venerunt ergò & in Patmon Imperatoris edicta,vénit & ad Iohannem reuocatio. Et ille quidem decreuit nauigare in Epheſum: porrò qui in inſula erant,dicebant,nè ſe deſereret, ſed apud ipſos permaneret,non aliter quàm qui ferre non poſſunt, vt à pio patre derelinquantur.Hinc autem lamenta,luctus,ac lachrymæ. Quis,inquiunt,nobis tuum explebit ordinem? Cui verò tali patri ac paſtori ſubiecti eſſe poterimus? Quid deſiderij, quid flammæ ex ipſo procedentis,ſolatium efficiemus? Quum autem perſuadere non poſſent,dum ſupplicarent vt virum apud ſe retinerent,ſecundæ fuit ſupplicationis initium, & ſecundas rursùm faciunt petitiones, nè totum ſeipſum auferret,neque vniuerſa triſtitiæ mole eos * oſtenderet, ſed vel pro re vmbram,ſuos,inquam,ſermones pro ſe apud ipſos relinqueret, ac myſterium; quod apud nos factum eſt, vniuerſæ diſpenſationis Chriſti deſcriberet. Cedit igitur illorum petitioni, immò cedit potiùs paternis viſceribus, quibus hic erga ipſos vtebatur,præſertìm cùm ſuperna prouidentia ità diſpoſuiſſet multorum ſalutem ac Euangelij prædicationem. Et primùm quidem ipſe ieiuniũ ſibi imperat, ieiunus ipſe ac propemodùm corpore exhauſtus,alijsque hoc ipſum conſtituit,ac abſtinentiam à malis,& hos quidem in tali quiete relinquit.

Reuocatur cum cęteris ab exilio. for.* offenderet. Scripturus Euangeliũ, & ſibi & alijs ieiunium indicit.

Cæte-

Cæterùm vnum quendam è septem se sequi iubet, (Prochorus hic erat) vt ipse quidem ea, quæ à Deo essent: iste autem, quæ ab ipso, notaret. Porrò ipse montis verticem capessit, & more Samuelis quidem rectus erigitur: sicut Moyses autem manibus eleuatis effiguratur, & mentem à sensibus abstractam, totam refert in id, quod exoptat. Quid ergò hinc secutum est? Horrenda tonitrua, & terrores, ac fulgura continuè vehementi fragore elisa, & repentè effulgentia: quorum si quis imagines ac figuras dixerit ea, quæ multo antea sub Moyse contigerant, quandò Deo aderat, & ab eo tabulas accipiebat, nequaquàm à veritate aberrauerit. At Prochorus interim pronus quidem, & velut exanimis non ferebat inter huiuscemodi versari spectacula: ipse verò stat imperterritus, cùm charitas procùl abiecisset timorem. Ad extremum tonitru in vocem exprimitur, ac dilucidè resonat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Prochorus, qui diuina institutione proximus erat, lumen quidem videbat, quanquàm subtremulus, porrò neminem audiebat: quia neque hi, qui cum Paulo & Moyse quondàm erant, eos audierunt, qui illos in sacris instituebant. Lingua tonitrui, theologus est. Et sacrarum rerum discipulus, represso paululùm timore, subtremula manu, quæ indè sumpta sunt, exarat, donèc perfectum est Euangeliũ. Deniquè cedunt pauperes, ac terrenis reuelantur cælestia.

Cap.10. Exod.17. Exod.19. Ioan.1. Actor.22. Exod.24.

Tandèm etiam à monte descendit Iohannes, nouam legem sibi creditam habens, quemadmodùm olim tabulas Moyses Dei inspector, illamque ferens dat his, qui petiuerant. Ità ergò vbi nouam legem, quam acceperat, illis tradidisset, ipse vi sanè, & inuitis quidẽ Insularibus, nauigabat tamẽ Ephesum versùs. Porrò illi, velutì qui oculorum cæcitate longo tempore detinentur, si quandò possint morbum repellere, longè iucundiùs solem intuentur: ità & Ephesij recipientes Christi dilectum, quodam etiam modo desiderabiliùs, quàm priùs, afficiuntur. Quid autem ille? Quanquàm vehementer fuisset frequenter fatigatus, nõ dat oculis somnum, nec palpebris dormitationem, nec requiem temporibus: sed populum quidẽ exhortatur, aduersùs autem incredulos zelum ostendit: errore supplantatos reducit ad veritatem, feras arcet, quæ post suum discessum impudẽter in ouile se ingessérant, ac gregem reuocat. Ità dispositis his, quæ circa Ephesum erant, ad propinquas gentes discedit, hîc quidem Episcopos constituturus, illic verò integras quoquè docturus Ecclesias spiritu obsignari.

Cap.11. Exod.32. Redit Ephesum, & illemè curat salutẽ animarum.

Verùm me huc sermonis progressum, factum illud animæ generosæ ac humanæ occupat, quod etiam altiùs repetens (velutì narrat Clemens ille Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, vir & in alijs admirandus, & eloquentia sanè laudabilis, in sermone: Quis diues saluus fiat?) retexam. Quum enim peruenisset Iohannes post reditum ex Patmo ad quandam vicinarum ciuitatum, cuius etiam appellationem nonnulli dicunt, & fratres, qui in hac erant, opportunè recreâsset, quendã ibi adolescentem reperit magnitudine mediocrem, adspectu ciuilem: cumque perspicaci spiritûs efficacia generositatem animæ illius, ac morum liberalitatem obseruâsset, benedictiones dat adolescenti, & sufficienter ipsum inungit ac excitat. Quoniam autem iam discessurus erat, & aliò accessurus, vt & terram prædicatione, & mare, ac insulas accederet, ciuitatis Episcopo adolescentem in ecclesia coram Christo teste commendat, vbì multa de illius disciplina, & educatione præcepisset. Ille verò prompto suscepit animo, pollicitus multa quoquè se adiecturum in cura circa adolescentem. Deindè ille quidem Ephesum discedit: hic autem assumptum in domum adolescentem alebat, instruebat, curam eius habebat, tandèm etiam baptizauit. Porrò vbì Domini signaculum, nempe firmum munimentum ipsi addidisset, deincèps custodia liberum esse dimisit. Ad hunc autem, qui ante tempus remissionem acceperat, subeunt nonnulli coætanei, effrenes ac indisciplinati in cupiditatibus. Et primùm quidem adolescentem ad vitia persuasibilem, preciosis conuiuijs ac mensis sibi conciliant. Quæ autem hinc sequuta sunt? Facilis enim ac procliuis est via, quæ ducit ad vitia, & eum, qui primum eius attigit gradum, facile admodùm est per omnem æqualitatem detrahi protinùs vsque ad extremum. Hac via dum etiam nocte ad furta accederent, adolescentem vnà protrahunt. Ille verò iam amore latrocinij succensus, & spe diuitiarum cupiditatem exacuẽs, nihil iam meditabatur, quod esset exiguum, propter naturæ ac indolis generositatem. Deniquè etiam latronum sodalitatem his, qui secum erant, demonstrauit, atque hic latronum

Cap.12. Hanc historiam præter alios, etiam Chrysostomus ad Theodorũ lapsũ recitat. Adolescens benè institutus, à malis socijs euertitur. Fit princeps latronum.

tronum princeps, primusque raptor erat vehementissimus. Post hæc verò vbi Iohannes rursùm ad eam ciuitatem remeâsset, cæteris, propter quæ eò venerat, dispositis, vt æquum erat: age sanè, inquit, ad Episcopum, depositum nobis redde, quod ego & Christus loco testis in ecclesia apud te deposuimus. At ille cùm existimaret pecunias esse, quæ repeterentur, primùm quidem obstupuit, cùm sibi nõ esset conscius se id, quod repetebatur, accepisse, & neque credere posset fieri repetitionem ob ea, quæ non haberet, neque Iohanni non credere. Vbi autem dixisset: Adolescentem repeto, & fratris animam, intimiùs suspirans senex, ardentiori spiritu, ac sublachrymatione miseriam indicans: Ille, inquit, mortuus est. Porrò interrogatus, quandò, & quomodò, quáve morte: Deo, inquit, mortuus est, cùm latrocinium exercere elegerit, & montem loco ecclesiæ inhabitare, perditorum conuersationem amplexus potiùs, quàm nostram erga ipsum solicitudinem ac curam. At ille ob hoc dolore vehementi oppressus, Re vera, inquit, egregium te custodem animæ fratris reliqui: verùm equus iam adsit, ac viæ ductor mihi detur. Statimque conscenso equo, totas laxabat habenas, minorem esse existimans equi velocitatem pro sua festinatione. Iamque monte appræhenso, à latronum custodia, nihil deprecans, neque fugiens, capitur. Et in hoc, inquit, véni: itaque ad principẽ vestrum me ducite. Porrò vbi ille hunc esse ipsum Iohannem cognouit, certè pudore suffusus fugit. At hic obliuioni tradita senectute, ac motione, quæ mundum consequi solet, persequitur. Deindè magna quadam grauique voce clamans: Quid, inquit, fili fugis me patrem tuum? meam reuerere canitiem, ac floris ętatis tuæ miserere: adhuc tibi spes vitæ relinquitur: ego pro te rationem reddam: Consiste in loco fili: Christus me misit ad te. Hæc cùm audîsset adolescens, primùm quidem constitit, terræ pauimentum intentis oculis intuens, præ pudore oculos non potens sursùm erigere. Deindè proiectis in terram armis, miserabili quodam modo cum magno dolore eiulatur, ac venientem amplexatur senem, propter gemitus quidem efficiens, nè fletibus dignus esset: propter lachrymas verò, nè vel lamentis: solam occultat dexteram: verebatur enim & hanc ipsi porrigere, quam tot sceleribus ac latrocinijs fœdauerat. Porrò ille velutì pater vehementi amore visceribus sauciatus, spondet veniam, misericordem pollicetur iudicem, & appræhensa dextera, deosculatur, & ad ecclesiam reducit adolescentem. Deindè abundanti vtens oratione, perseuérat ieiunijs annitens, & adolescentis animam varijs sermonum cantilenis velut vnguentis quibusdam deliniens, non priùs abscessit, quàm hunc priori sanitate donaret, magnum quoddam vitæ relinquens exemplum ad pœnitentiam. Et hoc quidem tale est, & adeò dignum, quod non occultetur.

S. Iohannes eum ab Episcopo repetit, cui commẽdauerat.

Ecce dignã tanto Apostolo erga perditũ adolescentẽ charitatem.

Resipiscit latronum princeps, & integrè curatur à S. Iohanne.

Cap. 12.

Porro illud longè maius est, longeque magìs admirandum, & ex eádem benigna illa anima compassionem simul & potentiam ostendens. Dicitur enim quidam fidelis eo tempore, qui priùs vitæ necessaria sufficienter habuerat, nec aliqua pressus fuerat indigentia, ad extremam inopiam postmodùm recidisse, vt & debitorum multitudine circunuallaretur, & innumeris fœneratoribus suspectus esset, ac velut fera quædam à tergo sagaciter inuestigaretur ab illis & inquireretur, ac in ipsarũ rerum necessariarum inopiã vagaretur. At enim cum pudore, quem ob fœneratorum exactiones miserè sustinebat, iam etiam necessitatem ex indigentia non ferens homo, ad mortem decreuit confugere, idque conabatur, vt hæc quantocyùs ad se veniret, si fortè hinc & egestatem, & debitorum multitudinem dissolueret. Verùm quoniam hæc vltrò non veniebat, compendiosam viam ad hanc inuénit, & quem tunc peritissimum esse sciebat conficiendis venenis ac præstigiatorem, cultu Hebræum, hunc accessit, eique reuelat, quid in animo haberet, ac orat eum, vt qui possit sibi auxilio esse in eo, quod mente conceperat, & suæ mortis fieri particeps. Atque hic confestim promptus inuenitur minister, ac venenum illi tradit, vitæque subuersionem consulit. Porrò miser ille, accepto veneno, domum redit. Cum varijs autem luctans cogitationibus, curisque duplicibus anxius, & nunc quidem præsentibus delectationibus huiusque vitæ concupiscentia allectus, nunc verò fœneratorum multitudinem, aliasque ex indigentia procedentes molestias considerans, medius stabat inter extremam consilij inopiam. Siquidem cùm ad dulcem hanc lucem respiciebat, venenum respuebat: quandò verò ad circunstantem vndiquè egestatem, animoque insidentem anxietatem, ausum sumebat ad-

Quidã Christianus ex desperatione veneno seipsum nititur extinguere.

uersùs mortem: victus tamen est à necessitate, & vt hinc liberaretur à molestijs, elegit ab ipsa vita liberari. Denique infuso veneno, sumptoq; extremis digitis cratere, quandoquidem animus ad id non accedebat, sed timidè admodùm se habebat, intusque sibi cor continuè palpitabat: tandèm Crucis signaculo Christianis consueto venenum consignat, statimque vbì clausis oculis bibisset, (ô magnam ac admirandam, Christe, tuam potentiam) illæsus permansit, Cruce veneno suam tollente vim.

Crucis signaculum, Christianis consuetum, veneno vim abstulit.

Cùm autem simili rursùm necessitate opprimeretur, & ab ipsis creditoribus obsideretur, animamque haberet priori oppressam inopia, & quæ omni modo quæreret è præsentibus liberationem, labefactabatur tamen ad sumendum alterum venenum, & ad mortem accedere recusabat. Verùm cùm è præsentibus non liberaretur difficultatibus, grauius esse malum iudicans iterata etiam morte, accedit ad veneficum, rursumque ab illo poscit aliud pharmacum, vt malum malo mederetur, cùm id, quod priùs acceperat, nihil ad id, quod necesse erat, tulisset auxilij, vtpotè sua natura illud vincente. Nam id impedimento fuisse veneni efficaciæ demens dicebat, non intelligens Crucem fuisse, quæ hîc mortem abstulisset, quæ etiam anteà serpentem, longè hoc veneno potentiorem, sustulerat. Itaque præstigiator ille ac veneficus, & ipse pharmaci debilitatem damnans, aliud ipsi porrigit, quod priore multo efficacius erat. Cumque rursùm domum venisset, ac illud bibiturus esset, cum priori timore & agonia, duplicibusque illis anxietatibus luctabatur, & sudore vndique circunfluebat, ac tremebat. Deindè vbì rursùm consueto Crucis signaculo calicem consignâsset, ac bibisset, iterùm illæsus permãsit, ipseque obstupuit, sanè cùm causam coniectare non posset, ac mirum in modum desperationis stimulis iactabatur. nondùm enim intelligere poterat, quòd Crucis efficacia esset, quæ veneni vires extingueret. Cumque homo animi angustiæ ac calamitatum pelago immersus, nec vel paululùm ad saniorem mentem redire, nec ea quæ (vt aiunt) ante pedes erant, cognoscere posset, hinc iteratò abit ad Hebræum, & eadem, quæ priùs, exponit. Cùm autem & ille consternatus esset, longoque tempore super ea re consilio destitueretur, deindè etiam causam aliquam depræhendere cuperet, propter quam in veneno falsus esset, (ipse enim veneficus erat, & huiusmodi rerum artifex) quo pacto & in quem modum, vbì domum redijsset, venenum acciperet, minutatim per singula interrogabat. Hic autem, Nihil, inquit, aliud ago domum veniens, quàm quòd infuso crateri veneno, deindè paululùm etiam labefactatus, & anxietate in corde concussus, Crucis signo, vt quod à Christianis ex consuetudine fieri solet, propter timorem calice obsignato, oculis clausis illud bibo. Vbì primùm Crucis nomen hic audîsset Hebręus, intellexit statìm quod erat, nempe Crucem esse, quæ vim tolleret veneni. Porrò nè res nudæ solùm hæreret suspicioni, quandam etiam requirit fidem: cuidam illius cani tradito veneno, hunc protinùs interimit.

Rursùs Crucis signaculum in calicè factũ, eũ, qui venenũ biberat, preseruauit.

Mira signi Crucis virtus, quo antiquitùs sæpissimè vtebãtur Christiani.

Hebræus autem nullas ampliùs requirens demonstrationes, abiurata patria secta, ad veritatem accedit. Idque primum tollit errorem, & venenum ei, qui alio modo vsuş fuerat, verè mortiferum ostensum est prioris veneficij, ipsius signum mutationis idoneum. Accedit ad Christi discipulum, ducem errantium: tubæ variarum spiritus linguarum mentis conceptum indicat, arguit insipientiam, publicat prauum illud mysterium, manifestat prioris erroris insensibilitatem. Porrò ille & accedentem suscipit, & laudat resipiscentiam, ipsumque adhortationibus munit ac consilijs. Deindè & baptismate regenerat, & vniuersorum Domino conciliat. Verùm neque communis salutis dispensator eum, qui Hebræo fuerat occasio mutationis, ità malè habentem neglexit: sed causa cognita, quæ ipsum ad id periculi duxerat, & propter quam, vltrò propria quoquè vita miserè priuandus erat, & paternis ipsum refouet colloquijs, & illius animam, quæ iam conciderat, erigit, ac tristitiam & desperationem abijcit. Deindè opere etiam affert consolationem, quandoquidem & hoc poterat efficere. Quoniam enim & debitorum repetitione, & rerum necessariarum inopia oppressum illum vidit, & ob id ipsam vitam miserè abijcientem, quid facit? Atque hinc mihi considerate, quibus donis ille dotatus fuerat. Quod enim anteà Petrus, cum ipso templum ingressurus ad horam precationis nonam, qua (vt inquit Lucas) vsus est in claudo, qui ad speciosam templi portam sedebat, ac eleemosynam petebat, dicens, Argentum & aurum

Cap. 14.

Iudæus veneficus credit & baptizatur.

Act. 3.

non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do, simul & pedes ipsi sanos reddens: hoc sanè & iste hîc facit. Sciens enim nihil sibi argenti esse vel auri, vt hinc illius indigentiæ necessitatem consolari posset, herbæ, quæ in proximo erat, quantum ambabus manibus compræhendere posset, iussit homini accipere. Ille verò cùm ignoraret, quænam esset causa, & quidnam hac re sibi vellet Apostolus, ac herbam, quantum totis manibus assequebatur, comprændisset, ipse, facta duntaxàt oratione ac signo Crucis, ipsam restituit, & protinùs correptam herbam aurum esse ostendit, aurumque purissimum: atque hunc confestim tollere iussit, simulque & consilij inopiam ac desperationem ex præsenti egestate contractam dissoluere, & debita reddere, ac residuæ vitæ occasionibus prouidere, Deoque gratiarum actiones reddere. Quid igitur fieri posset, quod huic æquaretur miraculo? Siquidem in templi introitu forsan & hic quodammodò fuerat Petro auxilio, & abundantiorem ambo spiritûs gratiam postulauerant: Hîc autem solam Iohannis vim ac fortitudinem est intueri, quantaque erga Deum spiritûs familiaritate ditatus sit.

Oratione & Crucis signo herbã Apostolus in aurum vertit, & creditorib⁹ solui iubet.

Cap. 15.

Sed hæc quidem exhibebat, dum adhuc in terra conuersaretur, errores abigens, & pietatis prædicationem disseminans, ac reuocans veritatem. Postquàm autem omnes, quod suarum erat partium, Deo adduxerat, cælum quidem efficiens proscenium, terræ autem orbem theatrum, ac Angelos spectatores, qui stupefacti erant ad decorem virtutis illius ac prudentiam, (Desiderabilia nanque super aurum & lapidem preciosum multum, ac dulciora super mel & fauum, erant doctrinæ ipsius diuina eloquia) ciuitatem egressus est, discipulis præcipiens, vt ligonem ac sarculum secum conferrent: ac protinùs in montem quendam ascendens, vbi nunc huius templum extructum est eximiæ cùm pulchritudinis, tum magnitudinis, stansque in ipso: Hîc, inquit, filij mihi fodite. Deindè vbi se totum consignâsset, ac dixisset, Et tu mecum esto Domine Iesu Christe: adstantibusque subiunxisset, Pax vobis, fratres: in foueam demisit pallium, & ipse quoquè in eam descendit, ac corpore mediam obtinuit Asiam, vbi olìm, qui è Græcanico cœtu erant, philosophabantur. Porrò discipuli comas euellebant, genasque percutiebant, ac orbationem miserabiliter deplorabant, pastorem, gubernatorem, seruatorem, denique eum, qui omnibus omnia erat, inclamabant. Deindè etiam ciuitatem accedentes, his, qui in ciuitate erant, manifestant id quod factum erat. Interìm autem die illucescente, concurrunt ad monumentum, discere cupientes, num præceptor adhuc superuiueret, & ouile accesserunt. Porrò pastor nusquàm comparebat, solæ iacebant crepidę: is autem, qui has abiecerat, disparuerat. Discurrunt huc & illuc, quemadmodùm hi, qui cum Eliseo erant, scrutantur, inuestigant, verùm incassùs efficitur ipsis labor. Deindè vix tandèm illius vocis recordati: Si eum volo manere, donèc veniam, quid ad te? ad mentem alacriorem redeunt. Et ille quidem Enoch & Eliæ Thesbitæ coniungitur: hi autem à lamentis discedentes, Deum vniuersorum laudabant, qui suum dilectum adeò magnificauerat.

Psal. 18.

Templum eximium in honorem S. Iohannis.

S. Iohannes viuus in fossam descendit.

In eius sepulcro corpus eius nõ inuenitur.

4. Reg. 2.

Ioan. 21.

Cap. 16.

Hoc itaque die, quo hæc contigerunt, splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conuentus ex omni genere ac vniuersa ætate, qui astrorum splendorem imitetur. Prætereà in hoc sacro loco, ad quem hic cum pallio declinauit, minutus quidam puluis manat ac exoritur, cuiuis accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Cùm igitur in nocturnis laudibus festi ipsius, ab his qui in eo ministrant, tradatur cœtibus ad hoc congregatis, non facilè exhauritur: sed quo ampliùs hauriunt, tanto magìs manat, velutì perpetuus quidam thesaurus, qui simul & participantes reddit ditiores, ac seipso abundantior semper efficitur, gratia ac benignitate Domini nostri Iesu Christi: cum quo patri simul ac spiritui sancto gloria, imperium, honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Nota de puluere sepulcri eius.

SERMO

SERMO BEATI PETRI DAMIANI PRIMVS DE EXCELLENTIA SANCTI IOHANNIS EVANGE-gelistæ, *vt habetur 8. Tomo Aloysij.*

Hodiè dilectissimi nobis lætitiæ gaudia geminantur, quia recenti adhuc natiuitate Dominica, beati Iohannis occurrit solennitas gloriosa. Hodiè discipulus quem diligebat Iesus, dilectoris sui amplexibus stringitur, societate perfruitur, & quod viderat, quod audierat, quod manibus attrectauerat de verbo vitæ, tanto iam liquidiùs, quanto sublimiùs contemplatur. Hodiè scilicet illa mirabilis aquila, quam & olìm Ezechiel eminere cæteris quatuor animalibus vidit, & ipse Iohannes suimet (vt ità loquar) propheta factus, volantem in mystica visione conspexit, ad vnicam Angelorum & hominum escam, librata pennis sublimium meritorum, feliciter euolauit. Licèt enim vbicùnquè fuerit corpus, illic necessariò congregentur & aquilæ: iste tamen tanto familiariùs ad vitæ pabulum, corruptionis vinculis iam solutus, accedit, quanto & in carne adhuc positus, in ipsum æterni Solis orbem, hoc est in diuinæ substantiæ claritatem, radios purificatæ mentis infixit. S. Iohannis Euangelistæ solennitas. 1. Iohan. 1. Ezech. 1. Cur Ioãnes aquilæ vocanti sit cõparatus. Luc. 17.

O qùàm miranda super nos cælestis consilij dispensatio. O quàm profunda diuinæ sapientiæ est altitudo. Descendit Deus ad hominem, vt occultam hominibus patefaceret Deitatem. Ad humanæ mortalitatis exire dignatus est publicum, vt nobis æternitatis suæ reuelaret arcanum. Sed si mox vt in Euangelicæ doctrinæ cœpit verba prorumpere, ac nouæ gratiæ mysteria rudibus adhuc imperitorum cordibus aperire, statìm diuinitatis suæ panderet sacramentum, cuius, quæso, ferret auditus, cuius vnquàm caperet intellectus? Nam vt de diuinitate nunc taceam, cùm Dominus diceret: Quia nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis, & qui manducat me, ipse viuet propter me: protinùs aspernati sunt verbum, & exhoruêre dicentes: Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Deindè scriptura subiungit: Ex hoc multi discipulorum abiêrunt retrò, & iam cum illo non ambulabant: videlicet non de turba, non quilibet imperiti, sed ipsi etiam discipuli nequiuerunt capere verbum mysterij. Quid ergò isti facerent ante solem, qui cæcati sunt ad lucernam? Quomodò tonitrui sustineant sonitum, qui clangentis tubæ pondus ferre nequeunt, immò qui suppressæ ac temperatæ humanæ vocis exilitate surdescunt. Iohan. 6.

Propterea igitur Redemptor noster dilectum sibi speciali prærogatiua discipulum, ad declarandam suæ diuinitatis essentiam quoddam quasi organum fecit, atque vt hic suppleret, quod ad tempus ipse Dominus dispensatiuè suppresserat, sibimet vicarium dereliquit, quatenùs expleto passionis, ac resurrectionis, ascensionisque mysterio, post tredecim ferè annorum lustra, cùm iam videlicet homines liberiorem ad capessendam veritatem haberent mentis obtutum, hic coessentiali & coæterni Deo Verbi panderet sacramentum, dicens: In princiqio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Iohãnes organum diuinorum mysteriorum. Iohan. 1.

Humanæ quippè imbecillitatis ordo poscebat, vt priùs Christi humanitatis primordia, cursum, consummationemque pernosceret, miracula etiam, quæ in hominem gessit, addisceret, sicque paulatìm ad compræhendendum diuinitatis occultæ mysterium, suis vegetata prouectibus adspiraret. Quapropter diuini fuit causa consilij, vt cæteri Euangelistæ, qui in describenda Saluatoris humanitate versati sunt, longè præcederent: Iohannes verò, cùm homines tanquàm primò lactantes firmiora iam in via veritatis vestigia figerent, eos ad conscendendam diuinæ scientiæ gratiam promoueret. Hanc deniquè supereminentem diuinæ scientiæ celsitudinem tunc diuinitùs illustrata mente concepit, cùm in sacrosanctæ mysticæ cœnæ conuiuio supra pectus recubuit Redemptoris. Et quia in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, ex illo cælesti gazophylacio summam traxit, vndè nostræ paupertatis inopiam copiosa liberalitate ditauit. Ex illo (inquam) nobis ærario diuitiarum copias attulit, & in communem totius mundi salutem benè prodigus erogauit: immò super fon- Iohan. 13. Iohannes in cœna ex pectore Dominico omnis scientiæ & sapientiæ summam traxit.

tem perennis vitæ recubuit, vt & ipse tunc semper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis postmodùm præfixo certi temporis articulo propinaret.

Iohannes magnus paradisi fluius. Magnus videlicet paradisi fluuius, qui ex principali sui fontis origine profluens, ac vberiori cælestium charismatum inundatione procedens, squalentia deserta humanarum mentium irrigat, & ad proferenda bonorum operum tanquàm nouarum frugum germina, vberrima fertilitate fœcundat. Et non immeritò tam profunda, tam supereminens reuelatio Deitatis virgini debebatur, vt qui carnis sibimet amputauit illecebras, felici commercio, pro carnali dulcedine, cælestium epularum diuitijs frueretur. Ad tantum scilicet gratiæ prouectus est priuilegium, vt omnem transgrediens creaturam, illuc acie mentis attingeret, quò non Propheta, non Patriarcha, non deniquè quisquam ab ipso primordio cognoscatur in carne positus adspirâsse. Nec mirum si Redemptor noster beato Iohanni vicem suam ad declarandum diuinitatis suæ mysterium delegauit, quem ad custodiendam venerabilem matrem suam, perpetuam scilicet Virginem, quasi alterum filium suî loco supposuit: Mulier, inquiens, eccè filius tuus: ad Discipulum autem: Eccè mater tua. Dignum quippè fuerat, vt cui potissimùm commisit cælestia, committeret & terrena.

Iohan. 19. Christus venerabilem matrē suam perpetuam virginē, virgini discipulo in Cruce commendauit.

Et quia mediator Dei & hominum ex duabus naturis, diuina scilicet & humana, consistit, vnus Emmanuel, æquum admodùm visum fuit, vt beatus Iohannes vtriusque naturæ fidelis minister existeret, qui & diuinitatis sacramenta conscriberet, & beatæ genitrici, perpetuæ custodiæ ac sedulitatis suæ ministerium exhiberet. Cuius vtriusque, excellentissimi videlicet sacramenti, quodammodò ministrum se esse testatur, cùm per omnem Euangelici textûs sui seriem, sic styli modum temperat, & quadam vicissitudine mysticæ varietatis alternat, vt modò humana pronunciet, modò diuina: modò quæ humanitatis sunt, historialiter inserat: modò quæ sunt diuinitatis, quadam sublimium ac subtilium verborum maiestate depromat. Tantaque locutionis arte verborum vim temperat, ac libratæ moderationis sobrietate dispensat, vt nec diuinitatis arcana vulgari, nec ea, quæ fidei nostræ necessaria sunt, patiatur abscondi. Proindè cùm historiæ verba contexit, velut per tenuissimas rimas diuinitatis fulgorem ad oculos hominum coruscare permittit: sicque dum tenuissimo lucis æternę radio oculus mentis nostræ perstringitur, ad indagandum mox illud inaccessibile summæ veritatis lumen perspicaciùs aperitur. Quia verò beatus Iohannes alternato suæ narrationis ordine, modò diuinitatem Christi sublimiter intonat, modò quæ humanitatis sunt, planè quodammodò atque humiliter asseuerat, sicut ipse in Euangelij sui principio cœpit, ità seriatim vsque ad finem, hunc eundem modum per omnem suæ descriptionis articulum tenuit. Nam, sicut nôstis, in capite sui libri deificum illud ac singulare ponit exordium: In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Eccè aquila Dei ad cæli verticem sublimiter euolat, sed ad escam carnis necessè est, vt pressis alis aliquandò in imum submissa descendat. Vndè & paulò pòst quid subdat, audite: Et verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis.

Iohan. 1.

Hanc itaque diuersitatem humanitatis, atque diuinitatis vnitæ sibimet, atque inconfusæ, sponsa de sponso dicit in Canticis: Venter, inquit, eius eburneus, distinctus sapphiris. In membris quippè humani corporis vix aliquid vêtre fragilius, siue tenerius inuenitur, ideoque per ventrem rectè fragilitas in Christo assumptæ humanitatis accipitur. Ebur autem os est Elephantis, quod videlicet animal fertur esse castissimum, frigidissimæque naturæ. Venter ergò eburneus est sponsi, quia suscepta Redemptoris humanitas, ab omni peccatorum contagio casta prorsùs & inuiolata permansit. Siquidem peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Sapphirus autem lapis est, sereni cæli habens colorem, vndè & in visione Domini dicitur: Erat sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum, cùm serenum est. Per sapphiros ergò opera diuinitatis intelliguntur, quæ in carne Dominus ostendebat. Venter ergò sponsi distinctus erat sapphiris, quia Christi humanitas diuinis virtutibus refulgebat. Nec plenus sapphiris esse dicitur, sed distinctus, ità videlicet, vt inter sapphiros candor eboris appareret, quia sic Dominus ex parte hominis assumpti operabatur humana, vt aliquan-

Cant. 5. Christi humanitas ab omni peccatorū contagio aliena. 1. Pet. 2. Exod. 24.

quandò nihilominùs ex parte deitatis ostenderet & diuina. Nam esurire, sitire, flere, postremò crucifigi, & mori, humanitatis erant opera: miracula verò facere, & non solùm alios, sed etiam semetipsum à mortuis suscitare, euidentissima erant diuinitatis indicia. Hoc itaque modo beatus Iohannes quasi eburneum ventrem sponsi sapphiris distinguit, dum aliquãdò diuinitatis alta, aliquandò humanitatis infirma describit.

Quia igitur hic beatus Iohannes de Deo mirabiliter atque incomparabiliter cęteris mortalibus loquitur, iurè factum est, vt non solùm à Græcis, sed etiam à Latinis vndiquè Theologus appelletur. Theotocos Maria, quia Deum veraciter genuit: Theologus Iohãnes, quia Dei Verbum ante secula apud Patrem esse, & Deum esse, non solùm inenarrabiliter vidit, sed & profunda sublimitate descripsit. Vndè non immeritò potest dicere cum Propheta: Eructauit cor meũ verbum bonum. Rectè ergò Virgo virgini ad obsequium traditur, & pro Domino seruus vice filij subrogatur: vt virginalis pudicitiæ splendor, ex vtraque persona sibimet inuicèm congruat, & floridus intimi candoris adspectus, quod in vno virere considerat, hoc vernare & in altero depræhendat.

Theologus Iohannes, Maria verò eut Theotocos nominetur.

Psal. 44.

Libet hîc, fratres mei, pulchram varietatem diuinæ dispositionis coram charitate vestra perpendere, & egregios duos Redemptoris nostri discipulos, qualiter inter se quadam dignitatis similitudine congruant, comparare, Petrum videlicet, & Iohannem. Commisit nanque Dominus Petro claues Ecclesiæ, voluit & beato Iohanni custodiam Mariæ delegare. Vtraque nimirùm mater, mater Maria, mater Ecclesia. Sed Maria mater Christi, Ecclesia mater populi Christiani. De Maria Christus carnem suscepit, Ecclesiam verò de lateris sui carne produxit. Ex ista prodijt secundùm carnem natus, illam protulit carne iam mortuus. Ex ista voluit nasci, pro illa dignatus est mori. Ex vna semèl natus est in persona sua, ex altera quotidiè nascuntur membra sua. Traxit ex altera quod pro altera moreretur, & quo vtraque communiter saluaretur. Magna igitur & felix mater est beata virgo Maria, ex cuius visceribus caro Christi assumpta est, ex qua rursus per aquam & sanguinem profluxit Ecclesia. Hoc itaque modo & ex Maria prodijsse videtur Ecclesia. Vtraque tamen casta, vtraque munda, vtraque perpetuæ virginitatis signaculo præmunita.

Matth. 16.

Iohan. 19.

Ecclesia mater populi Christiani.

Harum itaque duarum matrum, duarum perpetuò virginum, alteram Petro, alteram Iohanni voluit commendare, vt propenso diligenter vtriusque pondere ministerij, excellentium meritorum dignitas in duobus cæli senatoribus videatur æquari. Dicit Dominus Petrò: Tibi dabo claues Regni cælorum. Nunquid & beata Maria cælum non fuit, in cuius vtero virginali nouem mensibus tota diuinitatis plenitudo permansit? Ex ipsius quippè castis mundisque visceribus, Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, immaculata se carne vestiuit. In angusto scilicet aluo conclusus, totius orbis iura regebat immensus. In breuissimo, inquam, virginalis vteri domicilio constitutus, & cæli gubernabat imperium, & terrenorum omnium non amiserat principatum. Non ergò præsumptiuè cælum dicitur venerabilis virgo Maria? Atque ideò beatum Iohannem Dominus quodammodò cæli clauicularium esse constituit, cùm beatæ genitricis suæ eum decreuit esse custodem?

Matth. 16.

S. Maria præsumptiuè cælum dicitur.

Proindè vt beato Petro Iohannes multipliciter comparetur, cùm discipulos suos Redemptor noster inquireret, qua circa se homines opinione ducerentur, illique protinùs respondissent, alij Iohannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex Prophetis, donèc ad Petrum ventum est, nutabat assertio, nec ambiguitatis vinculum soluebatur. At vbi quid habeat discipulorum sensus exigitur, præcedit in veritatis confessionem, qui primus erat in Apostolica dignitate, Petrus videlicet: Tu es, inquiens, Christus filius Dei viui. Inter nutantis adhuc fidei sinuosa volumina, inter procellosas ambiguitatum fluctuantium tempestates, piscator ille veritatis anchoram fixit, & nauiculam fidei in tutissimo trãquilli portùs gremio collocauit.

Matth. 16.

Sed videamus vtrùm Iohannes & huic operi aliquam cum Petro similitudinem habeat. Constantissimæ itaque prædicationis arguitur, sicque à Domitiano tunc Cæsare in exilium destinatur. Protinùs hæretici Marcion, Cerinthus, & Ebion, cæterique quamplurimi, quos ipse conuenienter Antichristos appellat, causas Ecclesia-

Hæretici Apostolorum tẽpore qui fuerunt.

clesiastici gregis irrumpunt, & velut lupi graues super ouilia pastoris adminiculo destituta grassantur, Christum scilicet ante Mariam non fuisse dogmatizantes, & ità simplicem Euangelicæ fidei puritatem, perfidiæ suæ squaloribus corrumpentes. Confunditur mundus, turbatur Ecclesia, vacillat fides, & velut inhorrescente tempestate perfidiæ, plurimi naufragantur. Quid plura? Tandèm perempto Domitiano, diuina duce gratia, rediit Iohannes Ephesum, turbatamque gemit Ecclesiam. Sed quicquid inuenit erroris turbine atque tempestate turbatum, solidiùs atque robustiùs ad pristinæ fidei reuocat sacramentum. Nam rogatus (vt ab historiographis traditur) à charitate ferè totiùs vniuersalis Ecclesiæ, in illius tandèm erupit diuinæ inspirationis elogium: In principio, inquiens, erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc itaque signaculo veritatis, & hæreticorum tergiuersationibus metam fixit, & catholicorũ fidem perpetua ex tunc & deincèps certitudine roborauit.

Iohãnes rogatus ab ecclesia suum conscripsit Euangeliũ.

Matth. 16. Petrus igitur petra. Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra quoquè factus est & Iohannes, supra cuius fidei fundamentum totius Ecclesiæ structura consurgit, quam videlicet, siue hæreticorum furor impingat, siue tentationum irruat impetus, non euertit. Hæc petra veri Dauid fundam implet, qua Philistæum Goliad signanter in fronte percutiat, vbi videlicet profanus & impius Crucis vexillum non habebat. Hæc siquidem petra omnes Ecclesiasticæ doctrinæ aduersarios destruxit, hæc Iudaicam perfidiam cum omni prorsùs hæreticorum prauitate prostrauit. Nec mirum si instàr Petri & Iohannes petra dicatur, cùm hæc ad Ezechielem Dominus dicat: Eccè dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, & vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam. Planè quod vterque discipulus protulit de sacramento Dominicæ fidei, quanquàm profundissimum sit, atque omninò diuinum, & vtrunque pari modo vires humanæ mentis excedat, nec videatur diuersum in excellentię diuinitate, quod eodem prolatum est Spiritu dictante: illud tamen beati Iohannis singularitatis locum sibi vendicare cõspicitur, quia neque ante illum, neque post illum hoc idem scripsisse aliquis inuenitur. Nam illam beati Petri Apostoli sententiam & Martham sororẽ Lazari, eisdem ferè verbis legimus protulisse. Cui nimirùm cùm Saluator diceret: Omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum: atque subiungeret: Credis hoc? ilicò eodem Spiritu, quo & Petrus, inspirante respondit: Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.

S. Iohannes per suũ Euãgelium Petra dicitur. 1. Reg. 17. Ezech. 3. Iohan. 11.

Quid autem mirum, si Iohannem de diuinitate loquentem, beato Petro præferimus, cùm illud Euangelij sui singulare principium ipsa etiam Dominica verba (si dici liceat) excedere videamus? Nec iniuria fit Redemptori nostro, si dicatur aliquid ipse sublimius depromere per discipulum, quàm per semetipsum, & per illius linguam manifestè proferre, quod per semetipsum liquidò noluit aperire. Nam & hoc beato Iohanni Dominus concessit in verbis, quod & Petro contulit in miraculis, videlicet vt & iste altiora proferret, & ille maioribus virtutum prodigijs coruscaret. In Apostolorum enim Actibus inuenimus, quia in plateis eijciebant infirmos, & ponebant in lectulis, & in grabatis, vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Quod vtiquè Dominum fecisse nusquàm legimus, vt per vmbram videlicet sui corporis, remedium sanitatis alicui attulerit. Sed quod prædixit, exhibuit: quod promisit, impleuit. Nam in eiusdem Iohannis Euangelio dicit: Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora eorum faciet, quia ego ad Patrem vado. Enimuerò ipse operabatur in Petro, ipse loquebatur in Iohãne. Non enim, inquit, vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Meritò nempe beatus Iohannes & præcedentes omnes, & subsequentes diuinorum scriptores voluminum, gloria singularis eloquij præcedit, quem non luxuria polluit, non libido corrupit, sed virginalis integritas perpetuæ incorruptionis titulo decorauit. Qui nimirùm nuptialis copulæ thalamum deserens, omnem illecebræ carnalis ardorem in cælestium deliciarum voluptatem transtulit, arctissimeque se in sui Redemptoris ac dilectoris amore coniunxit, propter quem scilicet coniugalis tori fœdera abdicauit.

S. Iohannes de diuinitate loquutus profundiùs quàm Petrus aut alij Apostoli. Act. 5. Iohan. 14. Matth. 10. S. Iohannes virgo perpetuò permansit.

Vndè diuinitùs illi concessum est, vt tanta cor eius circa fratres charitatis gratia reple-

repleretur, vt sacrosanctum pectoris eius templum, velut caminus quidam diuini videretur incendij. Quod profectò in quibusdam scripturis eius patenter agnoscitur, in quibus vtiquè per omnem ferè paginam, quasì per quasdam rimas, charitatis vapores effundere, charitatis videtur ardoribus æstuare. Modò enim patres nominatim ad charitatē prouocat, modò nō filios, sed filiolos, quasi tenerè diligens, appellat. Modò proprijs ætatū vocabulis infantes, modò iuuenes, modò singillatim admonet adolescentes. Modò etiam mulieribus epistolas destinat, easque ad cautelam fidei, & studium synceræ dilectionis inuitat. Hic itaque inenarrabilis charitatis ardore succensus, huc illucque se vertens, vndiquè circumiens, vbiquè discurrens, omnia hominum genera ad salutem concitat, omnia ætatum incremēta perlustrat, omnes humanæ conditionis ordines oculo curiosæ solicitudinis inuestigat, & tanquàm arcus vniuersalis Ecclesiæ factus, totius humani generis summam, vlnis paternæ dilectionis amplectitur, atque ad Redemptoris sui consortium trahere, vnumquenq; singillatim admonendo, conatur. Amor quippè Domini, quo eum præ cunctis mortalibus dilexit, & ei pondus fraternæ dilectionis exhibuit, vt nimirùm plùs amaret, qui plùs amabatur, & qui primus erat in Redemptoris amore, præcipuus fieret in fraterna charitate. Charitas eius in proximū quanta.

Qualem autem apud Dominum impetrandi locum, præcipuæ familiaritatis Iohannis obtinuerit priuilegium, hinc manifestiùs colligere possumus, quòd idem beatus Iohannes Euangelista testatur, quia in ipso vitalis cœnę conuiuio Iesus conturbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Deindè sequitur: Adspiciebāt ergò adinuicèm discipuli hæsitantes, de quo diceret. Moxque subiungit: Erat ergò recumbens vnus ex discipulis Iesu in sinu Iesu, quē diligebat Iesus. Innuit ergò huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis est, de quo dicit? Atque vt historiæ stylo non tenear, Iohanni interroganti Dominus mox respondit: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. O admirabilem, ô incomparabilem virum, & omni Christianæ deuotionis præconio præferēdum. Eccè verbum profertur in medium, & totus tacet ac sub silentij censura reprimitur senatus Apostolorum. Tanta siquidem Magistri præsidentis videbatur authoritas, vt sub districta se compesceret beata discipulorum concio disciplina. Hæsitant, ambigunt, atque inter se inuicèm oculorum nutibus quodammodò interrogantes adspiciunt: veruntamen lingua referre quod gestiunt, vel Dominum consulentes inquirere non præsumūt. Tacet Petrus, tacet cæli clauicularius. Tacet deniquè lingua, quæ clauis facta cælorum, cęlum simul & terram ligat, & soluit. Tacet is, inquam, cui portæ inferi non præualent, qui ligandi animas atque soluendi obtinet principatum. Silet Andreas, qui ipsi fratri ad fontem vitæ præuius fuit. Non loquitur Thomas, qui viam se nescire professus, eundem esse viam, veritatem, & vitam, ipso referēte, cognouit. Non præsumit os aperire Philippus, qui dum Patrem sibi poposcit ostendi, profunda mysteria indiuiduæ Trinitatis audiuit. Omnes tacent, omnes dubitant, & latenter inquirunt, non quidem prolatione verborum, sed tantùm nutibus oculorum. Sed cùm res diù sub hac ambiguitate penderet, nec nodum dubietatis quispiam absolueret, tandèm Iohannis patrocinium quæritur, & sic ad rei dubiæ notitiam peruenitur. Ille nimirùm, condiscipulorum persona in se suscepta, consultor accedit, qui de ampliori familiaritatis atque dilectionis prærogatiua confidit.

Iohan. 13. Soli Iohāni Iudas proditor indicatur. Matth. 16. Iohan. 1. Iohan. 14.

Vndè considerandum est, fratres mei, quantæ deuotionis instantia beati Iohannis ididæ Dei flagitare debemus auxilium, quem sibimet interuentorē & ipsi Apostoli quæsierunt. Quantùm apud iustum iudicem pro peccatoribus poterit, qui & pro ipsis cælestis curiæ senatoribus interuenit? Et qui aduocatus factus est summis, quàm humiliter implorādus est à minimis? Hanc nimirùm hominis eminentiam, hanc meritorum sublimium celsitudinem Angelus ille cognouit, qui se ab illo adorari prohibuit. Vide, inquit, nè feceris, conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu. Deum adora. Refugit obsequium ab illo suscipere, quem nouerat apud communem iudicem locum gratiæ familiariter obtinere. Noluit adoratorem, quem decernebat æqualem. Fratrē recognouit, socium iudicauit, subiectionis obedientiam non accepit. Quanuis enim in omnibus sanctis semper sit Angelicæ munditiæ contubernalis, & cognata virginitas, beatus tamen Iohannes tanto reliquos virgines superat, quanto virginitati beatæ

Vides hic, sanctos esse inuocādos. Apoc. 22.

Mariæ

Ecce quāta virginitatis commendatio.

Deum parere: & virginem, stupēdum planè & admirandum.

Mariæ per sedulitatis ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquat. A qua sola videlicet præceditur, quia fœcunditas virginalis, quæ est in Maria, nullis est omninò meritis comparanda, & non solùm quia fœcunda est, sed quia Deifica. Virginem enim parere, nouum ac singulare est: Deum verò parere, ità nouitatē singularitatis exuperat, ità omnia, quæ miranda sunt, antecedit, atq; incomparabiliter supereminet, vt nec mente concipi, nec lingua valeat aliquatenùs explicari. Sed sicut venerandæ matris Domini virginitas, beati Iohānis virginitatem excedit, sic ipse pro glorioso eius contubernio cæteros à mundi primordio virgines antecellit.

Huc accedit, quòd ille recubitus in pectore Saluatoris, ille diuinus ardor, quem ex arcana eius inspiratione concepit, ità in eius visceribus omnium libidinum fomenta decoxit, vt corpus eius, tanquàm re vera Spiritûs sancti templum, à cunctis vernaret æstuantis luxuriæ squaloribus defæcatum. Nec vllum locum in eo vendicabat flamma libidinis, cuius templum gratia sancti Spiritûs iugiter obumbrabat. Quocircà dignum fuit, vt beatus Iohannes Apostolus Archangelo Gabrieli ad custodiam matris Domini socius haberetur, quatenùs ille cælestis olim paranymphus intactam Virginem inuisibiliter custodiret, & iste forinsecùs fragilitati fœmineæ, obedientiæ suæ ministerium exhiberet. Et congruum erat, vt quæ talem genuit, qui cæli simul & terræ Dominus esset, vtriusque patriæ ciues in suo consortio

Matth. 18. 2. Cor. 13.

haberet, vt in ore duorum vel trium testium staret omne verbū. Quapropter beatus Iohannes quanto familiarior cum matre Verbi versatur, tanto & ipsi vicinior Verbo inuenitur. Et quoniam non ab alio, sed ab ipsa Veritate Mariæ dictus est filius (Mulier enim, inquit, ecce filius tuus: atque idipsum iterando confirmat, ad discipulum dicens: Ecce mater tua) nemo iurè videtur maior meritis eo, qui speciali quadam gloria frater est Saluatoris.

Iohan 19.

Nota neminē esse maiorem meritis Iohanne Euāgelista.

Huius igitur tam sublimis, tam pij, tam casti, tamq́ue præcellentissimi Deo dilecti, fratres charissimi, laboremus præcepta seruare: per huius vestigia, inquantùm possumus, duce diuina gratia studeamus incedere. Sed si omnes cum Iohanne virginitatem habere iam in carne non possumus, quia post naufragium secunda restat tabula, studeamus florere virtutibus, & sic virginitatis amissæ dispendium optimè compensabimus. Non igitur nobis auaritiæ ardor incandeat, non iracundiæ nos furor impellat. Non in nobis flāma libidinis æstuet, nō turpis cogitatio pulchram animæ nostræ coram Deo speciem fœdet. Non nos terrenæ facultatis abundantia in superbiam erigat, nō tenacitas misericordiæ viscera pauperibus claudat. Vigeat in nobis perpetua castitas, humilitas, patientia, sobrietas, iustitia cum pietate, seueritas cum mansuetudine. Inter hæc, fratres charissimi, cæterarumq́ue dona virtutum, charitas, quæ mater est omniū, in sacrario pectoris nostri semper teneat principatum: quia, sicut Iohannes dicit, Deus charitas est, vt qui per charitatem Dei filius descendit in Virginem, per eam nos exaltet ad paternæ glorię claritatem, qui viuit & regnat in Trinitate perfecta, vnus & verus Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Charitas mater virtutum.

1. Iohan. 4.

EIVSDEM BEATI PETRI DAMIANI SERMO SECVNDVS DE EODEM SANCTO *Iohanne Euangelista.*

Ecce solennem cōuentū ad festiuitatē sanct. Iohānis Euāgelistæ.



Gaudeamus, fratres charissimi, copiosum nostrę fraternitatis adesse conuentum, quia dum nos ad hodiernam festiuitatem, beati Iohannis gloria prouocat, etiam Spiritus sanctus, vt tam reuerenter, tàm pacificè, tam deuotè conueniatis, indubitanter inspirat. Dignum quippè est, vt qui à Christo præ cunctis mortalibus specialiter est dilectus, à Christi dilectoribus permaximè diligatur, præsertìm cùm & ipse circa nos tantæ charitatis extiterit, vt diuinitùs sibi traditis sapientiæ & scientiæ clauibus, omnes sacramentorum cælestium thesauros expenderet, & æternæ vitæ diuitias, quas solus acceperat, nobiscum participando largiretur, & fideliter erogaret. Quid enim diuinæ sapiētiæ quæris, quod apud Iohannem reperire non possis? Quæ enim hæretica prauitas, quæ Arriana perfidia, quæ Iudæorum vesana calumnia, quæ gentilium Philosophorum versutia, quæ deniquè schismaticorum abominanda scissura, beati Iohannis non est eloquio

quio superata, eiusque doctrinis euidenter attrita? Si quandò enim ab inimicis veritatis obijciuntur nobis volumina quæstionum, ilicò Iohannes accedit in medium, Iohannes occurrit, Iohannes silentium verbosis imponit. Quotiès siquidem de vera humanitate ac diuinitate Christi certamē quæstionis oboritur, quę videlicet omnibus pacis inimicis communis est materia dimicandi, protinùs ad Iohannis Euangelium curritur, Iohannis in pugna patrocinium quæritur, & sic, mox cuncta litigiosi certaminis iurgia conquiescunt. Quid igitur necessarium in doctrinis, quod Iohannis volumina sacrosancta nō teneant? Quid in virtutibus, quid in meritis, quo beatissimus incomparabiliter non excellat? Apostolus siquidem in Epistolis, Euangelista in Euangelio, Propheta in Apocalypsi. Propheta, inquam, & nō qualiscunque, sed mirabilis, atque ad similitudinem alterius, & plusquàm Propheta. Nam quia Prophetæ officium est, futura prædicere, nō etiam præsentia demonstrare, beatus Iohannes Baptista idcircò cæteris Prophetis enituit, quia Dominum digito, quem prophetabat, ostendit. Nunquid & iste Iohannes plusquàm Propheta non est, qui præter consuetudinem omnium Prophetarum, semetipsum præuidit in spiritu, & inter plurima reuelationum cælestium sacramenta, dum aquilæ volantis similitudinem vidit, semetipsum veraciter agnouit? Ezechiel autem eandem aquilam spiritu reuelante conspexit, non quidem volantem, sed cæteris animalibus desupèr eminentem. Cum quo videlicet Propheta beatus Iohannes, considerato vtriusque volumine, in multis non ambigitur concordare. Cum eo nimirùm & librū, qui quasi mel dulcis erat, in ore comedit, & sanctuarij loca describit, atque in pluribus alijs Propheta cum Apostolo consonanter incedit.

S. Iohannis doctrina, hereticis omnibus silentiū imponit. S. Iohānes, Apostolus, Euāgelista, & Propheta. Iohan. 1. Ezech. 1. Apoc. 10.

O quàm admirabilis est mutatio dexteræ excelsi, ó quam terribilis Dominus in consilijs super filios hominum? Quis enim dignè consideret, de tanta humilitate iste piscator ad quantæ celsitudinis culmen meruerit sublimari? Enimuerò qui olìm vili nauicula contentus, & retibus, maris profunda simpliciter scrutabatur, nunc illustratæ mētis radio secreta cælestia penetrat, mysteria intonat, diuini consilij occulta hominibus reuelat, prophetica depromit oracula, Apostolica tradit hominibus documenta, immò in speculanda summæ diuinitatis essentia pręcedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, Apostolos superat. Postremò totius humanitatis transcendit ingenia, & illucusq; mentis aciem tendit, quò vix & Angelica valet attingere creatura. O Dei plene gratia (Pax enim Dei, sicut dicit Apostolus, exuperat omnem sensum) vt illud sponsæ dicere non immeritò videatur: Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te.

Psal. 76. & 65. Excellentia eius. Philip. 4. Cant. 1.

Pensemus itaque, fratres, quantùm ab eo, qui nunc est, homo iste tunc differebat, quandò matre interueniente rogabat, vt ipsum cum fratre Dominus, alterum à dextris, alterum sedere concederet à sinistris. Nam quantùm ad verba, hoc petere visus est, vt vnum ex eis Dominus cum dextris eligeret, alterū à sinistris cum peccatoribus reprobaret. Sed quia insipienter petijt, repulsam patiens, ilicò cum filijs quod merebatur audiuit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Respondentibus autem, Possumus, statim subiungit: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexterā & ad sinistrā, non est meum dare vobis. Eccè hìc in verbis Dominicis patenter ostēditur, quia & Iohannes martyr fuit, dum constat, quia calicem Domini biberit. Et reuerà martyr fuit, quia multa pro Domino persecutionum supplicia pertulit. Martyr vtiquè fuit, quia Crucem Domini per sui corporis afflictionem, & proximorum errantium compassionem diū viuendo portauit, & quo cæteris Apostolis in carne prolixiùs mansit, eo durioris martyrij tormenta sustinuit. Vnde piè credendum est, quòd inter centum illa quadragintaquatuor millia virginum, qui habent nomen Agni, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis, qui empti sunt de terra, & cantant canticum nouum ante sedem Dei & Agni, hic beatus Iohannes egregius sit & insignis: atque cum his omnibus tanto propinquior Agnum quocunquè ierit, sequitur, quanto & eidem Agno dilectior ac familiarior extitit, & insupèr matri eius, quæ Virgo est virginū, perpetua filij sub dilectione permansit. Nam ex vtriusque, matris videlicet, filijque consortio, Iohannis virginitas excellenter enituit, & quousquè possunt merita humana prouehi, quasi meta virtutum factus indesinenter excreuit.

Matth. 20. S. Iohannes verus martyr fuit. Apoc. 14. Itèm virgo.

Neque enim illa verba, quæ Saluator noster in Cruce positus protulit: Mulier, inquiens, eccè filius tuus: ad Discipulū autem, Eccè mater tua: sic simpliciter sunt accipien-

Iohan. 19.

accipienda, vt humano tantùm videantur more prolata, sed prorsùs efficacia sunt, & diuinis virtutibus fulta, atque ineuitabili veritatis authoritate subnixa. Illud enim, quod in Cruce Patris vnicum pendebat, substantiuum, & cõsubstantiale Patri, ac sempiternum est: atq; idcircò verba, quę locutus est, quia spiritus & vita sunt, inaniter transire non potuerunt. Cælum, inquit ipse pius Iesus, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Sicut enim dixit matri: Hic est filius tuus: ità dixit discipulis: Hoc est corpus meum. Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt ilicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus. Dixit enim, & omnia facta sunt: mandauit, & creata sunt. Ex quadam itaque similitudine, si dicere audemus, & beatus Iohannes non solùm filij potitus est nomine, sed propter verba illa Dominica, quoddam maius necessitudinis sacramentum apud beatam Virginem meruit obtinere.

Matth 24. Mar.13. Matth.26. Luc.22.

Eccè quomodò per verba Dominica ex pane verum Domini corpus effectũ est.

Consideremus itaque, dilectissimi, quantæ gloriæ vir iste credendus est, qui per quoddam adoptionis arcanæ mysterium, & filius Virginis, & frater est Saluatoris. Hinc est, quòd mentem eius omnipotens Deus ad tantum puritatis ac mysticæ reuelationis culmen euexit, vt ei non modò statum præsentis Ecclesiæ ostẽderet, sed etiam quid deincèps futurum esset vsque in perpetuum reuelaret. Vndè & illam suam nobilem Apocalypsim scripsit, quæ nimirùm tantis creditur redundare mysterijs, vt tot videatur habere sacramẽta, quot verba: immò in verbis singulis multiplices latent intellectus. Quæ profectò cùm septem Asiæ ecclesijs mittitur, omni vniuersali Ecclesiæ, quæ sub septiformi Spiritûs sancti magisterio regitur, destinatur. Vndè consequens est, vt omnes Ecclesiæ per orbem terrarum circunfusæ non dubitent beatum Iohannem communem se habere doctorem. Quibus videlicet tanquàm egregius quidam regalis imperij nuncius, à Iesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus viuorum & mortuorum, & princeps Regum terræ, cælitùs destinatus, gratiam simul & pacem ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, attulit, ac multa secreti cælestis mysteria patefecit.

Vides Apocalypsim beati Iohãnis Apostoli ab illo esse cõscriptam.

Apoc.1.

Iam verò illa beatæ migrationis eius nouitas mirabilis quem non moueat? Quis felicissimæ consummationis gloriam non obstupescat? Quia enim mirabiliter vixit, mirabiliter obijt: & quia non communem cum hominibus vitam duxit, non communi hominum morte transiuit. Nam vt historiæ continent, quadratam in ecclesia foueam fieri iussit, moxque in eam descendens, extensis manibus, post prolixa fusæ orationis verba migrauit. Mox autem tanta super eum lux cælitùs est immissa, vt nullus eam ferret adspectus. Postmodùm verò inuenta est fouea nihil aliud in se continens, nisi manna, quod videlicet, sicut dicitur, vsque hodiè scaturire non desinit. Sic nimirùm, sic, sic dilectum authori vitæ Discipulum transire de seculo dignum fuit, vt tam fieret à dolore mortis extraneus, quàm à corruptione carnis fuerat alienus. In sepultura in Crucis modum iacere voluït, quia Crucem in suo corpore piè viuendo semper portauit: & sicut Petrus magistrum secutus est à persecutoribus crucifixus, ità quodammodò & Iohannes in Ecclesiastica pace sepultus.

Eius migrationis inaudita nouitas.

Sed Dominus inter eos fortè diuersitatem docuit, cùm Petro dixit: Sic eum volo manere, donèc veniam. Quid ad te? Tu me sequere. Qui enim Petrum voluït secum in crucis patibulo triumphare, ipse decreuit Iohannem in Ecclesiastica pace quiescere: quatenus & ille subeundi martyrij præberet exemplum, & iste erecta supra fundamentum fidei Ecclesiæ fabrica, quietus migraret ad cælum. Ille secuturis martyribus fuit cõstantiæ forma, iste nouiter in fide plantatis extitit morum atque virtutum spiritualium disciplina. Sic eum volo manere, donèc veniam. Veniam, inquit, vt eum vinculo carnis absoluam. Veniam, vt eum ad gloriæ meæ consortium transferam. Veniam, vt laboribus eius dignæ remunerationis præmium reddam. Ad huius deniquè promissionis effectum clarum dedit indicium, cùm in eius obitu radiantem fecit enitescere lucem, per quam liquidò patuit, ipsum videlicet aduenisse lucis authorem. Affuit itaque Dominus promissionis suæ non immemor, qui & animam eius in illa supernæ Hierusalem quiete susciperet, & sacratissimum corpus in ea, quæ ipse nouit, secreta transferret. Nam & de beato Enoch legitur, quia ambulauerit cum Deo, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus.

Iohan.21.

Habes hic sancti Iohãnis animam receptã fuisse in cælo.

Gen.5.

Iam verò illud quis dignè miretur, quòd in sepulcro eius manna reperitur, & in terræ

terræ specu panis cæli non semèl, sed quotidiè nascitur? De manna quippè, saluo altiori mysterio, scriptum est: Panem de cælo dedisti eis, Domine, habentem omne delectamentum. Veniant igitur omnes nationes gentium, & obstupescant miraculum omnibus inauditum. Veniant, inquam, & admirantes adspiciant, quia in sepulcro, quod proculdubiò domus est vermium, panis oritur Angelorum, adeò vt cùm Propheta in magni muneris admiratione pronunciet, quòd Israëlitico populo manna Deus concessit in cibum, dicens: Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo: quod illis tunc mittebatur è cælo, nunc scaturire conspiciatur è sepulcro. Si enim magnum miraculum manna non esset, nequaquàm Moysi Dominus seruari per secula illud præcepisset. Imple, inquit, Gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes, vt nouerint panem, quo alui eos in solitudine, quandò eduxi eos de terra Aegypti. Eccè quid meretur pudicitia virginalis. Eccè quantæ magnitudinis est integritas inuiolatæ carnis. Videte, fratres mei, considerate, perpendite, quid deliciarum incorruptio carnis habet in cælo, si cibum cæli germinat in sepulcro? Quantis illic honoribus sublimatur beata virginitas, vbì nimirùm sola est gloria, si & in loco fœtoris atque putredinis tam mirabiliter est gloriosa.

Sap.16. — Manna scaturire è sepulcro eius conspicitur. — Psal.77. — Exod.16. — Vide quâta hic fiat virginitatis cómendatio.

Vndè & si non audeamus pleniter diffinire, pium tamen est arbitrari, vt sicut de beata Dei genitrice creditur, ità etiam beatus Iohannes iam resurrexisse probabiliter asseratur, quatenùs sicut in virginea fuerunt integritate participes, ità nihilominùs in anticipata resurrectione meritò videantur æquales, nec sit in resurrectione diuersitas, quibus tanta fuerat vnanimitas conuersationis in vita. Si enim beatissimi virgines isti, videlicet Iohannes & Maria, nullatenùs surrexissent, cur in eorum tumulis sepulta cadauera non iacerent, cùm scilicet beatorum Petri & Pauli, cæterorumque Apostolorum ac martyrum corpora suis quæque noscantur mausoleis tumulata? Nam quòd verè beatus Iohannes obierit, ac proculdubiò mortis iura persoluerit, nullo modo meliùs, quàm per eius verba valet probari. Cùm enim exisset sermo inter fratres, quòd discipulus ille non moritur, cur ipse vera dicentibus obuiâsset, dicens: Et non dixit Iesus, non moritur? Frustrà nimirùm hìc moram texere, ac verba multiplicare videretur, si dum illi vera dicerent, vt non moreretur, iste protinùs obstitisset dicens: Non dixit Iesus, non moritur: ac per hoc veritati quodammodò contradiceret, si vera referentibus contrairet. Sed dum se non moriturum, Saluatorem dixisse negauit, moriturum se indubitanter asseruit. Porrò autem quòd in sepulcro sanctum corpus eius vlteriùs non apparuit, diuinæ sine dubio virtutis operatio fuit. Scriptum est in Deuteronomio: Mortuus est Moyses famulus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulcrum eius vsque in præsentem diem. Renouatum est itaque illud de corpore Moysi nunc etiam in Iohanne miraculum. Et qui legislatorem tunc dignatus est, nullis scientibus, sepelire, ipse etiam corpus Euangelistæ sui secreto quodam mysterio voluit sepulturæ subducere. Vterque scilicet lux mundi, vterque cælestium mandatorum baiulus, vterque diuini consilij reuelator. Nec immeritò in dignitate suis delata cadaueribus congruunt, qui & in sublimibus vitæ suæ meritis, licet diuersis temporibus, concorditer claruerunt.

De resurrectione eius, authoris opinio. — Iohan.21. — Deut.34. — Moysi & Iohannis corpora Dominus abscondit.

Verùm si res diligenti consideratione perpenditur (cum beati Moysi pace loquar) Iohannes potior inuenitur. Ille siquidem minister extitit legis, hic prædicator est gratiæ. Ille præcepta tradidit, quibus peccata punirentur: iste pœnitentiæ baptismum contulit, quo omnia crimina delerentur. Ille annunciator est vmbræ, hic minister est veritatis. Ille dixit Domino: Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te: sed protinùs audiuit: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet: iste verò Deum incarnatum, non solùm vidit, & audiuit, sed etiam manibus contrectauit, sicut ipse testatur, dicens: Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audiuimus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de Verbo vitæ, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Et non solùm Deum hominem factum oculis carnalibus vidit, sed & ipsum Verbum, quod erat apud Patrem, per quod facta sunt omnia, illustrata diuinitùs mente conspexit. Atque vt adhuc comparatio producatur, Moyses tabernaculo præerat, quod nubes operiebat, ità vt aliquandò nec ipse Moyses posset intrare, sicut in Exodo legitur: Quia operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud, nec poterat ingredi Moyses

Exod.33. — 1.Iohan.1. — Iohan.1. — Exod.40.

Egregia Iohannis cum Moyse cōparatio. ses tectum fœderis, nube operiente omnia: Iohannes verò melioris tabernaculi custos factus, beatæ Mariæ minister extitit, quam non videlicet corporea huius aëris nubes obtexit, sed Spiritus sanctus inuisibiliter obumbrauit. Et gloria Domini, hoc est filius Dei, qui hoc tabernaculum, non mox discessurus, sed veram carnem suscepturus impleuit, non mansit sub aëris caligine, sed potiùs in Solis lumine, sicut per Psal.18. Prophetam dicitur: In sole posuit tabernaculum suum. Per illum manna datum est tunc Israëlitico populo: eccè quanto gloriosius habet iste manna in sepulcro. Et Exod.34. quid plura? Ille faciem suam obnubit, nè videatur à populo: iste eiam diuinitatis reuelat essentiam, vt Deus ab hominibus agnoscatur. Atque vt idem repetam, ille Iohan.1. splendorem sui vultûs obtexit, nè ab illa plebe conspiceretur: iste Dei Verbum, quod est imago Patris, splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, perspicuè reuelauit, vt à nobis agnosceretur. Postremò Dei filium, quem iste præ manibus habuit, cum quo diutissimè conuersatus est, à quo vnicè atque specialiter dilectus est, ille quidem ob- Exod.4. nixè ac desiderabiliter petijt, dicens: Obsecro, Domine, mitte quem missurus es: sed impetrare non valuit. Veruntamen dum magnis, summisque apud Deum meritis ambo claruissent, vno vterque spiritu plenus fuit, vno vterque desiderio concorditer æstuabat. Nec nos alterum alteri præferre præsumimus, si diuersitatem pro suî cuiusque dignitate pensamus. Duorum quippè viatorum viuacitate parium, qui orto sole graditur, clariùs quælibet opposita conspicit, quàm is, qui antelucanus exurgit. Et ditior est, qui autumnalem fructuum maturitatem carpit eo, qui vernæ propaginis arbusta plantauit. Conuenienter igitur factum est, vt sicut Moysi, ità & Iohannis glebam omnipotens Deus absconderet, & in duobus mirabilibus viris vnum miraculum exhiberet.

Et notandum, quàm affectuosè, quàm piè, quàm paternè, quàm amabilimè, Sal- Dominus Iesus obitui S. Iohannis interfuit. uator, Sic, inquit, eum volo manere, donèc veniam. Veniam, inquit, non mittam. Non mittam videlicet aliquam supernam virtutem, non Angelicam potestatem, quę huius ministerij mihi fungatur officio, quæ obedientiæ huius exequatur effectum. Ipse per memetipsum veniam, ipse egredientem eius animam in gloriæ meæ claritate suscipiam, quam & in carne manentem diuinitùs illustrabam. Quantæ igitur reuerentiæ habendus est hominibus beatus iste Iohannes, quem ipse author vitæ ho- Psal.138. norauit in carne viuentem, honorauit & de seculo recedentem? Nimìs enim honorati sunt amici tui Deus. Honorauit siquidem eum in vita, dum de sacrosancto pectore suo sibi reclinatorium fecit. Honorauit rursùs in morte, cùm ad suscipien- Nota felicē meritis animam. dam felicem meritis animam dignatus est aduenire. Nec mirum si diuersis eum honoribus cumulauit, quem & in consortium sibimet adoptiuæ fraternitatis adsciuit.

Dictus est etiam frater Domini beatus Iacobus: sed ille frater ex natura, iste frater ex gratia: ille ex cognatione, iste ex præcipua dilectione: ille per lineam maternæ Iohan.14. consanguinitatis, iste per vinculum paternæ charitatis. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansio- Iacob' frater Domini secundùm carnem, Iohānes verò secundùm spiritum. nem apud eum faciemus. Et quid ampliùs dicam? Frater Domini fuit ille carnalis, iste spiritualis. Sed quantùm cognatio spiritualis carnalem necessitudinem probatur excedere, in ipsius Domini verbis possumus luce clariùs inuenire. Ait enim: *Spiritus est, qui viuificat, nam caro non prodest quicquam.* Iacobum itaque, vt frater esset Domini, natura carnalis instituit: Iohannes autem tanto nobiliùs frater est, Ioan.6. quanto & ipsius naturæ Dominus eum in affinitatē sibi spiritualis adoptionis assumpsit. Quanquàm & ipse Iacobus idcircò beatus sit, quia eiusdem spiritualis affinitatis cum Domino participium tenet. Alioquin nisi Domino per spiritum iungeretur, per illud terrenæ vinculum consanguinitatis à Domino nullatenùs saluaretur. Quod Iohan.19. tanto excellentiùs Iohannes, quanto & ante Crucem constitutus audiuit: Eccè mater tua. Meritò ergò quò eum cæteris plùs dilexit, sublimiùs eum cæteris honorauit. Et nos, fratres, pro modulo nostro dignis eum studeamus efferre præconijs, dignis veneremur semper obsequijs.

Eccē quomodò cum recta fide oportet nos etiam vitæ sanctitatem Notandum tamen, quia nunquàm tam dignè, tam reuerenter beatos Apostolos colimus, quàm cùm Apostolica præcepta seruamus, cùm eos in via Dei præcedentes semper attendimus, cùm eorum vestigia sequimur, cùm eorum angustam & arctam semitam sine offensione tenemus. Enimuerò in baptismo Apostolorum ducatum secuti sumus, quia per eosdem fidem sanctæ Trinitatis inter ipsa regenerationis rudimenta

menta didicimus. Sub cuius videlicet figuræ mysterio, sacerdotes Israëliticæ plebis olìm transeundo Iordanem præcedebant, & populus sequebatur. Sed non sufficere illis visum est, si sacerdotum tantummodò vestigia in transitu sequerentur, nisi & duodecim lapides de Iordanis alueo tollerent, atque in Galgalis pro testimonio ponerent. Elige, inquit Dominus ad Iosue, duodecim viros, singulos per singulas tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio aluei Iordanis, vbì fixerunt sacerdotes pedes, duodecim lapides durissimos, quos ponetis in loco castrorum, vbì fixeritis tentoria hac nocte. Vt autem non omnia, licèt plena mysterijs, verba discutiam, quid per hoc factum nobis innuitur, nisi vt postquàm mystici Iordanis fluenta transimus, postquàm de lauacri salutaris fonte consurgimus, durissimos duodecim lapides, idest firmissima Apostolorum exempla ad imitationem nobis proponere studeamus? Lapides quippè, vbì sacerdotes pedes fixerant, in loco castrorum ponimus, si in procinctu spiritualis nequitiæ positi, Apostolorum vestigia constanter & firmiter teneamus. Nam iuxta Salomonis sententiam, qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Nimirùm qui in moribus suis præcipites ac fluidi sunt, more aquæ præcipites ad ima defluunt. Qui verò constantes ac firmi, in arcem quotidiè virtutis exerescunt. Quod nimirùm & illud eiusdem historiæ significare perpenditur. nam transeunte eodem populo, aquæ superiores instàr montis intumescunt, inferiores verò in mare mortuum delabuntur: quia profectò ex eis, qui baptizantur, alij in accepta cælestis gratiæ dulcedine perseuerant, alij in peccatorum amaritudinem defluere, reprobè viuendo, non cessant, & velut in maris mortui salsuginem corruunt, dum sapiendo terrena, per prauæ vitæ decliuia ad mortem tendunt.

& innocentiā habere.

Iosu. 4.

SS. Apostolorū doctrina 12. lapidibus comparatur.

Prou 18.

Iosu. 3.

Nos autem non sic, dilectissimi, non sic, sed ad veram sapientiam tendentes, ità per Dei misericordiam in virtutum studeamus alta proficere, vt in vitiorum pudeat voraginem declinare. Sic perseueremus semper ad superna properare, quò tendimus, vt diuini amoris dulcedinem in nostris iugiter mentibus conseruemus. Illius itaque sapientiæ laboremus participes fieri, qua beatus Iohannes per amplioris gratiæ cumulum meruit incomparabiliter illustrari. Cuius nimirùm splendore concepto, cælum velut aquila penetrat, ità vt creata cuncta transgrediens, ad ipsum rerum omnium verticem, mentis contemplatione pertingat. Nôstis fratres mei, quia in mundi nascentis origine, tertio die germinauerit terra, quarto cæli facta sunt luminaria, quinto volatilia sunt creata. Quarè autem in creandis rebus hic ordo decucurrit, nisi vt nos instrueremur, quia priùs necessè est, vt mens nostra virentium virtutum opera germinet, quatenùs sic mereatur cælestis gratiam luminis, ac postremò euolare valeat ad contemplandam speciem veritatis? Germinemus itaque, fratres, vt illuminemur, quatenùs illuminati, virtutum pennis ad cælestia subleuemur. Non nos mundi huius dulcedo falsa demulceat, non carnalis illecebræ voluptas luxuriosa resoluat. Nusquàm certè præceptum in veteris testamenti ceremonijs inuenitur, vt mel sacrificijs misceatur. Per quod intelligitur, quia his, qui Deo vitæ suæ sacrificium offerunt, nullam Deus carnalem vult inesse dulcedinem, nihil in eis viuere, quod ad carnalem pertineat voluptatem. Oleum autem frequenter immittitur, vt omnis nostræ operationis oblatio hilariter offeratur. Hilarem enim datorem diligit Deus. In omnibus etiam sal iubetur admisceri, vt omne boni operis sacrificium, rationis, discretionis, ac cælestis sapientiæ sale sit conditum.

Exhortatio Authoris ad vitam spiritualem amplectēdam.

Gen. 1.

Cur in sacrificijs veteris testamēti oleū & sal nunq̃ vero mel fit oblatum.

Hoc autem diuinæ sapientiæ sale ità omnis beati Iohannis doctrina videtur respersa, vt meritò dicatur os Dei, lingua Spiritûs sancti, cedrus paradisi, lux Ecclesiæ, decus orbis, præco cæli, lumen mundi, sidus hominum, specimen Angelorum, lapis viuus, speculum lucis, logotheta diuinitatis, forma fidei, columna cæli, architectus veri tabernaculi, quod fixit Deus, & non homo. Nam & Cherubin iurè perhibetur, qui scientiæ plenitudinem ex ipso Redemptoris pectore percepisse cognoscitur. Veruntamen cum nos quantumlibèt efferre contendamus, celsitudinis eius merita non æquamus: quia qui diuinæ laudis præconia meruit, ad eius dignè laudāda merita humanæ linguę fragilitas non assurgit. Ipse quippè eius laus est, qui illi & olim precium, & nunc factus est præmium. Per huius ergò vestigia, dilectissimi, ad Redemptorem nostrum pleno cordis amore tendamus, huius doctrinam velut coruscam in tenebris lampadem nostris semper gressibus præferamus. Pudeat iam terrenis incumbere, qui per spei desiderium ad cælestem cœpimus gloriam festinare. Qui ad cęlestium nuptiarum desiderium properat, terrenæ voluptatis cœno volutari erubescat. Qui

S. Iohannis præconia.

Iohan. 13.

Huius Apostoli vita necessariò imitanda.

titulis Angelicæ dignitatis emicat, locum in exilio non requirat. Incassum porrò terrena lucra congerimus, qui diuitias immortales in regni cælestis palatio possidemus. Quem ergò pondus terrenæ corruptionis aggrauat, rerum extrinsecùs affluentium copia non extollat. Qui ad hoc constitutus est, vt totis viribus iugiter cum aduersario dimicet, torporis hunc & negligentiæ dissolutio non eneruet. Sic, sic per diuinæ pietatis auxilium, & florentes virtutibus, & vitijs repudium dantes, si hîc eum sequimur, qui nobis iter Crucis ostendit, illuc perueniemus ad eum, qui calcato mortis imperio, cælum cum triumphali gloria penetrauit, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

EIVSDEM HYMNVS DE IPSO SANCTO IOHANNE EVANGELISTA *ad Vesperas.*

S. Iohannes virgo.



Virginis virgo venerande custos,
Magnus æterni logotheta Verbi,
Dele seruorum facinus tuorum,
Sancte Iohannes.
Tu patrem carnis subitò relinquis,
Sicque cælestem sequeris Parentem,
Piscibus spretis, hominum iuberis
Claudere turbam.

Itèm fluui° paradisi, & iubar cæli.

Fonte prorumpens fluuius perenni
Curris, arentis satiator orbis.
Hausit ex pleno modò quod propinat
Pectore pectus.
Tu decus mundi, iubar atque cæli,
Impetra nostris veniam ruinis.
Da sacramentum penetrare summum
Quod docuisti.

Hæresum interẽptor.

Patris arcanum speculando Verbum,
Tollis errorem fidei per orbem.
Nos ad æternam speciem fruendam,
Dux bone transfer.
Laus honor Patri, parilique proli,
Vna maiestas, eadem potestas:
Cùm quibus sanctus simul implet omnem
Spiritus orbem.
Amen.

BASI-

BASILII SELEVCIÆ, DE SANCTIS INFANTIBVS, QVI FVERVNT INTERFECTI AB HERODE,

Oratio, quam ex Simeone Metaphraste, 5. suo Tomo inseruit Aloysius Lipomanus.



RVRSVS senex ego deducor ad stadium orationũ. Rursùs perindè àc mater, quæ laborauit in multis nutriendis filijs, imbecillum & egenum vber meæ humilitatis cogor exprimere ad tantum populum. Et quis est, qui me cogit? Hic magnus fluuius Euphrates:& ideò páreo. Potest enim ex sua inundatione, dicẽdi in me aliquã deriuare copiam: & tantam, quantam potest capere animæ meæ capacitas. Sunt enim, ô fratres, pleni quidem melle faui scripturarum, & dulci rore abundè scatent aluei: adeò vt liceat studiosis, eos absque vllo labore exprimentibus, virtutum ebrietatem in suis locare animis, quę est mater temperantiæ: ebrietatem, quæ vigilantem seruat obtutum animæ: ebrietatem, quæ lucem veritatis reponit in animis, qui semper complentur: ebrietatem, quæ non facit amentes, nec eos, qui bibunt, imbecillos reddit ex satietate: sed membra potiùs corroborat, & armis iustitiæ armat aduersùs peccatum: ebrietatem, qua fuit repletus chorus Apostolorum, quandò rore spiritûs, qui è cælis fluxerat, in sua lingua accepto, congregatarum gentium auribus distribuit oris operationem, vniuscuiusque vocem ad omnium gentium sensûs accommodante & adaptante gratia: adeò, vt fluentum sermonis, quod profundebatur ex labris, fieret familiare omnium auribus, à spiritu suo transformato in id, quod erat cognatum vocis vniuscuiusque eorum, qui audiebant.

Decẽbr. 28.

Virtutum ebrietas.

Act. 2.

Me autem infantium adhuc voces circunsonant, & me eos adhuc videre arbitror, voce quidem clamantes nihil significante cum stupore, & ad ensium splendorem conniuentes, & cum timore se ad matris vlnas, tanquàm tutas, inclinantes: deindè in ipsos sinus subeuntes. Videor verò ipsas quoquè videre matres, aliam aliò, per vrbem currentes cum illis miserabilibus & dulcibus oneribus, & locum fugæ quærentes: & illam quidem, quę nec honestum sumpserat tegumentum in vigore malorum: hanc autem, quæ quod habebat in cursu alieno proiecerat: aliam verò temerè & confusè comas filio inijcientem, & tali tegumento sperantem se posse infantem suffurari: aliam, quæ comprætendebatur ab ijs, qui vehementer persequebantur, & deindè à cursu desistebat, & timore diriguerat, & flentibus oculis ad gladij fulgorem adspiciebat, & adspectum diuidebat, nunc ad stricti ensis impetum, nunc ad filium qui erat feriendus, & se festinanter opponebat ferri violento motui: & rursùs aliam, quæ ne moueri quidem poterat, & nec parùm quidem respirare, cùm stupor vinxisset eius pedes: sed ante suum filium timore perierat, & cum exili eiulatu expectabat percussurum: & iam remissis trementibus manibus, infantẽ vehementer portabat: quæ quidem ignorabat ex vlnis lapsum infantem, casu morte ei allata, præuenisse mortem gladij.

Hypotyposis elegans cæsorũ infantium.

O Herodis insaniam. Quibusnam ex consilij egestate actibus repleuit orbem terræ? Quis erat ille longè infelicissimus, quandò tam acerbam tulit sententiam in eos, qui eum nulla affecerant iniuria? Omninò certè speciem induerat regiam, & fastûs ac pompæ scenam sibi fixerat: & sedebat in aureo throno, gemmarum collucẽte splendoribus: & pectora ira dilatans, inuidia cogebatur in arctum: & capulo ensis innitebatur dextera: & viros sapientia insignes adhibebat in consilium, quorum linguas mouebat diabolus, illius vrgens interitum: & alia quidem furiosè accipiens: alia autem statuens audire & iudicare, & improbis grauiter annuens consilijs, meditatus est messem immaturarum segetum. Postquàm autẽ sæuo decreto illud inhumanum confirmauit consilium, & totum iam in armis iussit esse exercitum, eumque ferro munijt, eique centuriones & tribunos diuisit, & duces elegit, qui præclarè poterant intelligere, quid oporteret facere in tempore, & optimè sciebant vti armis, huiusmodi verbis eos est allocutus, nullo pudore affectus eorum, quæ dicebat:

Herodis immanis crudelitas in pueros innocentes.

In multos quidem, ô milites, belligerantes, vos fortissimè gessistis, & mœnia tropæorum meis circundedistis finibus. Nunc autem, si vnquàm, maximè oportet vos magno

Oratio eius ad milites,

qua eos ad cædem inflammat. magno studio incumbere ad victoriam. Nè sitis pigri & ignaui. Magnum est enim certamen, & ingens periculum. Domi mihi nascitur malum. Latenter aguntur cuniculi ad subruendam mei regni potentiam. Nullus me apertus inuadit inimicus. Puer qui adhuc ignoratur, mihi sceptra eripit. Scitis Bethleem. In ea intellexi natum esse filium, qui à Deo regni accepit suffragium. Nondùm circumagitur tempus duorum annorum, ex quo natus est: & nullus quidem, qui appáreat, me terret apparatus: sed timeo Prophetarum voces, quæ de eo extiterunt. Etenim Magi (meministis autem, quandò nupèr ad nos venerunt) ex quadam stella, quæ eis appatuerat, renunciârunt se intellexisse ortum pueri, & requisijsse Bethleem, vt viderent puerum, & Regem natum, eo, quo par erat, honore afficerent. Ego verò volebam ex eis scire, quisnam is esset, vt mihi esset facile & expeditum dissoluere tyrannidem. Sed cùm illi, nescio quanam de causa, fefellerunt, quæ mihi promiserant, & in suam redièrunt regionem, timeo, conturbor, existimo adesse periculum. Decæterò vos intueor: liberate me ab hoc metu. Properate cum armis, omnes hos fines retibus cædis circunsidete: à senibus abstineat ensis: ijs qui iam pubescunt, nullum afferte periculum: aduersùs paruos tãtùm infantes armemini. Omnem primam ætatem demetite miserabiliter. Nullius lachrymæ matris misereamini: meum inimicum scrutemini in sinu vniuscuiusque. In eos, qui ad matrum vbera confugerunt, ferrum trudite, & cędis sanguis misceatur cum lacte. Etiam matres ipsas cum infantibus adactas transfigite, vi ictûs ferri, à mollibus corporibus ad illas delapsi. Nullus huius cædis erit vobis accusator. Solùm festinate, instàr leonum in ciuitatem irruite. Nulla vos cædis capiat satietas, donèc à vobis existimatur aliquis puer restare. Si nulli vitam concesseritis, ille quoquè inter omnes videbitur cecidisse. Et ille quidem non benè, nec tutò fruetur honore Magorum: mihi autem lætam dabitis vitam, & à cura liberam.

Matt. 2.

Iubet occidi infantes.

Credit insensatus Herodes Christum cũ cæteris infantibus casurum.

Hæc cùm illi audijssent, & à suis animis omnem amputâssent misericordiam, & scelere statuissent alter alterum vincere, cursu ferebantur in ciuitatem, manus armatas extendentes: & in greges vrbis Bethleem irruentes, teneros agnos dilacerabant: & sanguinis fontes omni ex parte emanantes, abundè inquinabant terræ superficiem, & nihil videbatur pereuntibus sufficere ad salutem: Non domus, quæ celare posset eam, quæ subierat: non templum, afferens parricidis aliquam Dei reuerentiam, non speluncæ clandestinus ingressus: sed infantes tanquàm hostes omni ex parte inuestigabantur, neque latuit vllus eorum gladium, cùm vnusquisque, tanquàm qui esset ipse Christus, in vniuscuiusque quæreretur sanguine. Quæ autem erant audaces matres, opponentes manus aciei gladiorum, à seipsis quidem feriebantur pro pueris: sed nihil eis proderat: neque aliud efficiebant, quàm vt esset eis temporis lõgius periculum. Aliæ verò violenter appræhendentes pueros, qui contrà trahebantur, quæ membra manibus constrinxerant, ea solùm habentes posteà conspectæ sunt, ferro matri diuidente infantem, & ijs qui trahebant: & ille quidem, verbi causa, manum, hæc verò crus, illa autem aliquam aliam partem, tanquàm totum tenens filium, excurrebat. Multæ autem dum cursu fugerẽt, in ea quæ iam iacebant, corpora incidentes, & solo teneros suos fœtus allidentes, ense nihil opùs habebant ad eorum interitum. Iam verò aliqua stans ante eum, qui erat percussurus, & pro suo filio multùm obsecrans, flens sic vociferabatur:

Quid hac crudelitate inhumanius?

Matrũ pugna pro cõseruatione suorum infantium.

Concede mihi, ô miles, eorum quæ à te fiunt, ignorationem, & me occíde ante filium, & nè matris offendas oculos tam acerbo spectaculo. Est tibi omninò vtiquè mater, est etiam vxor, quę habet filium. Scis quemadmodùm propter mala filiorum, parentum dilacerantur viscera. Illi autem flectebatur quidem animus, & per genas fluebant lachrymæ: Herodis verò seruiens rabiei, verbis adhuc fluentibus, in vlnis matris infantem occidebat, & supplicationem interrumpebat cædis lamẽtatio. Hisque hæc agentibus, magìs fuit irritata insania. In ipsas domos irruebãt, & omnia scrutabantur furẽtibus & cædem spirantibus oculis, & in excelsos thalamos excurrebãt. Deindè cùm sub lecto, aut sub aliquo alio eiusmodi infantem inuenissent latentem, quem solus fletus indicauerat, ex ædibus tanquàm lapidem in vicos deuoluebant, iræ Regis mortem largientes tam impiam. Confusa verò existebat vociferatio, & inualescebat varius sonus luctûs: maioribus quidem pueris fratres suos deflentibus: parentibus deplorantibus eos, quos genuerant: matribus autẽ propter calamitates sonoros eiulatus edentibus: senibus verò se nihil vnquàm tale vidisse clamantibus, ne in hostium quidẽ incursionibus: conquerentibus omnibus de acerba luce illius diei.

Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus.

Cùm

Cùm finem accepiſſet præclara hęc expeditio,& dimiſſus eſſet exercitus tanquàm parta inſigni victoria,rursùs excitata eſt matrum lamentatio : & cùm flendi deincèps eis facta eſſet poteſtas.vnaquæque ſui filij membra, alia alibì colligebat cum lachrymis,& violenter diſciſſa in vnum coniungens,& quod reſtabat inquirens,& quod inuentum erat ſæpè amplectens,& totũ corpus in ſinu imponens,valdè clamabat : Hei mihi,fili mî,hei mihi,qui nõ ad talẽ ſpem nobis ſatus & productus fueras : Quomodò cùm tãquàm ramus germinâſſes, & magna ornatus eſſes pulchritudine, & bonæ ſpei nobis pulchra prębuiſſes ſemina,repẽtè à meis abſceſſiſti manibus?Exurge parumpèr, excute ſomnum,quem tibi Regis attulit inuidia : me voce imperti iucundiſſima : appręhende miſeras mammillas eius, quæ te peperit : trahe vbera, quæ olìm diligebas : fac vt tu pendeas à collo matris. taces? quieſcis? Heu me miſeram, quomodò rursùs contexam membra,quæ enſis diſſecuit immaniter? Quiſnam autem vterus mihi fiet adminiſter, vt ſis rursùs corporatus? Quibuſnam verò manibus neceſſariam tibi terram congeram? Quomodò autem à tua me forma ſeparabo? Talibus fletibus completa fuerat ciuitas,ſingulis ſingulas ad fletum incitantibus, & ſuã propter mortuos filios lamentationem, adſpectus viuentium in dies incitabat. Coronatus autem erat Rex tãquàm propter erecta trophæa, & ſe exiſtimabat adeptũ eſſe victoriam, qualem nunquam anteà : & cùm ſe tãto cædis contaminâſſet crimine, & ſui imperij tot plantas excidiſſet,magnos ſpiritus conceperat,& de ſecuritate maximam acceperat fiduciam:neſciens homo planè ſtolidus,quò reciderat illa callida eius machinatio.Quem enim quæſijt,non potuit laqueis includere : quos verò, ſi fuiſſet adhuc ſanæ mentis, noluiſſet ſic afficere,malè perdidit,ipſe ſibi afferens exitium.

Nouus matrum planctus.

Chriſtus autem Dominus vniuerſorum, tam ſæuo nefariorum ſcelerum artifici, morbum immiſit acutiſſimum,cùm innocentium infantium animas repoſuiſſet in ſinum patris Abrahæ,ipſe liberè proficiſcitur in Aegyptum, expurgare volens arcem impietatis,& qui erat abditus in adytis idolorum errorem ſuis radijs aperire, & reddere manifeſtum ijs,qui iam olìm decipiebantur, & diabolo luctum afferre grauiſſimum. Nam cùm paucos Iudæorum infantes ſe exiſtimâſſet perdidiſſe propter Chriſtum,ſe illos quidẽ non aduertit collocâſſe in pratis,vt pulcherrimis, ità longè tutiſſimis,& nihil eos læſiſſe : ſe autem iam vidit ſua nudatum tyrannide,& priuatum antiquiſſima poteſtatis ſuæ hæreditate : Eſaiæ impleta prædictione, quam ipſe Chriſtus in labris eius poſuerat, longo antè tempore talem ſuum aduentum apertè ſignificans,& per illius linguam clamans : Eccè Dominus ſedet ſuper nubem leuem,& veniet in Aegyptum,& ſoluentur manufacta Aegypti à facie eius : Eum decet gloria in ſecula ſeculorum,Amen. Eſa.19.

Diuinitùs punitur ſæuiſſimus infanticida.

Puer Ieſus fugit in Aegyptum.

SERMO D. CÆCILII CYPRIANI CARTHAGINENSIS EPISCOPI, DE STELLA, MAGIS, AC *Innocentum morte. Habetur 3. Tomo operum eius, nunc recèns opera D. Iacobi Pamelij recognitorum.*

ARGVMENTVM.

Primùm latiſſimè proſequitur ſolennitatis Epiphaniæ hiſtoriam & myſteria,dein pro Chriſto Innocentium martyrium, atque adeò & baptiſmum ſanguinis celebrat : hinc eorum beatitudinem cumulatam comprobans, quòd protomartyres primum in ordine ſanctorum locum habeant, & ſecretorum conſcij diuinorum propinquitate familiariſſima,clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus, & nonnullis veniam obtineant immeritis.



NATO in Bethleem Saluatore, audita eſt in Ephrata eius in terris præſentia, & vſque ad ſyluas, camposque gentium nouæ huius natiuitatis eſt fama porrecta : in Iudęa à paſtoribus & Angelis primò ſunt hæc gaudia celebrata, nec multò pòſt Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari ſtella luminis cęleſte numen nouis ſplendoribus indicauit.Erant in illis regionibus viri ſyderũ inſpectionibus aſſueti, qui arte mathematica vim diſcurſumque nouerant planetarum: qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, aſtrorum miniſteria certis experimentis proprijs didicerant effectibus

Stella quæ apparuit, gẽtibus natiuitatem Chriſti indicauit.

Num. 23. & 24.

bus aſſignata. Hi ex vaticinijs Balaam olim audierant ſtellam oriri in Iacob, & hominem in Iſrael, cuius fortitudo quaſi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui ſuperarent Aſſyrios, & vaſtarent Hebræos, quo temporum nec in Iacob idolum, nec in Iſrael ſimulacrum eſſet. Diù homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerant, & vbi venit plenitudo temporis, orto repentè nouo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam teſtimonio muniti quàm ſigno, dromadis inuecti in Iudæam ſtella duce perueniunt. Nec potuêre Palęſtinæ incolas latere tanti nominis perſonæ: ſed vbi auditum eſt quòd ſtellam indicem nati in Bethleem paruuli ſequerentur, Herodi noui Regis inquiſitio nunciatur. Euocatis itaque Magis, rei huius ordinem cum omni diligentia ſciſcitatur. Audit natum in Bethleem eſſe paruulum, quem profitentes Regem & Deum qui de Sabba venerant, adorare & venerari feſtinant: intimatum eſt ei quod ab antiquis temporibus Moabites propheta, licèt gentilis, prædixerat: & contulit cum literis gentium, ſanctorum vaticinia prophetarum, quorum ſcripta per omne ſabbatum legebantur: de quibus nulla in populo Iudæorum ambiguitas erat quin rata eſſent, quæ illi vel aſſeruiſſent præterita, vel prædixiſſent futura: à fortitudine eius qui quaſi vnicornis obuios penetraret, in cuius obſequium victrices de Italia trieres in Iudęæ terminos aduentarent, & vſque ad finem mundi dilatarent imperium, anxius expauit & timuit. Conturbabat quoquè aliud quod in Michæa ſcriptum eſt teſtimonium: Quoniam de Bethleem quæ eſt Effrata, egrederetur paruulus, qui dominator eſſet in Iſrael, cuius egreſſus eſſet ab initio à diebus æternitatis. Cumque ea quæ domeſtici codices continebant, cum his quæ ab alienigenis dicebantur intelligeret conuenire: diuinis tentans reluctari conſilijs, ſimulat perfidus religionis aſſenſum, promittens Magis ſeſe ad adorandum paruulum cum omni deuotione ilicò affuturum, cùm per reuertentes certitudinem de puero accepiſſet. Turbatur cum Rege maligno Hieroſolyma, non lætatur: expaueſcit & tabeſcit & negare erubeſcit quod ſcriptura teſtatur. Nec minùs horrendum ſcribarum ſacrilegium quàm Herodis impietas: quia proprio Iudæi abutentes priuilegio, cùm viſitationi diuinæ inuenirentur ingrati, cauſam ſibi cum Herode fecêre communem: cùm hinc & indè impietas & infidelitas aduersùs Dominum & Chriſtum eius fremerent, & pariter in eius odio conſentirent. Eccè alienigenæ à fluminibus Aethiopiæ ad paruulum Chriſtum ſupplices veniunt, & filij diſperſorum deferunt munera, accedunt qui longè erant, & qui propè recedunt: in loco humili & ſupellectile vili Rex regum & Dominus dominantium inuenitur, cognoſcitur, & ab alijs adoratur. Quia verò neminem in conſpectu Dei apparére vacuum antiqua lex edocet: præuaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiæ gentium ſacramentalia munera proferunt de theſauris, & Domino aurum & odoramenta præſentant, profitentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid ſentirent. In auro Regem, in thure ſacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quanuis paſſibilem profitentur. Oblatio iſta incarnati Verbi & exponit myſteria, & breui ſubtilique indicio vtriuſque naturæ humanæ diuinæque exprimit vnitatem, quod & proprium eſt vnicuique, ſingulatim diſtinguens. Nam Deo patri cuius regnum & imperium ſuis mundum replet ſplendoribus, in odorem ſuauitatis ſummus ſacerdos & pontifex Chriſtus ſe obtulit: cuius caro paſſionis cremata carbonibus, incenſionis ſuæ fragrantiam tranſmiſit ad cælos, & vſque hodiè odor ille ſuauiſſimus in terreſtri cæleſtique Eccleſia indeficiens perſeuerat. Quòd autem paſſibilitas quam obediens Deo voluntariè ſuſcepit, incorruptione firmata ſit: virtus myrrhæ obuians corruptelæ ſuo probat effectu, & viſibilium ratione munerum immortalitatis ſolidæ conſtat euidens argumentum.

Matth. 2. — Act. 13. — Fruſtrà timet Herodes natum Regē Chriſtum, qui non venerat tollere regnū terreſtre. — Mich. 5. — Herodis callida ſimulatio. — Mich. 5. — Scrybarum horrendum ſacrilegium — Pſal. 2. — Exod. 23. — Munere, qd de Chriſto ſentirent, Magi profitentur. — Nota.

Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur: quia neceſſe eſt vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſunt ad ſalutem, deindè vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas, deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per arctas verò & difficiles reditur ad ſuperos. Propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & iugulator voluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus aggreditur. Arcta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere, ſcopuloſæ ſunt ſemitæ, ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Non eſt tutus ad Herodem regreſſus: nec expedit cum his qui oderunt Deum fœdera iungere: nec de religione cum malignantibus inire conſilia,

Rom. 10. — Matt. 5. — Pſal. 16. — Religioſus quiſque debet cū Magis per arctam viam incedere, nec ad Herodem mūdanum reuerti.

quorum

quorum familiaritas infantiam Christi studiosè persequitur: & antequàm formetur Christus in nobis, in ipso piæ conuersationis initio, vt extinguatur spiritus, & suffocetur vita iustitiæ, penitùs elaborat.

Delusum se Herodes conqueritur, cùm Magos alias comperit diuertisse: quia molestissimum est principi tenebrarum cùm excogitatis laqueis tentatos quoslibet nouerit euasisse: & acriori inflammatus rabie, in neces innocentium debacchatur. Sic sanctorum persecutionibus tyrannus crudelis illuditur, qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat: & quod ille in perditionem molitur, hi vtuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Eccè paruuli isti, quos hostis naturæ, pietatis inimicus, bestialis sæuitiæ, inauditæ crudelitatis monstrum Herodes occidit, subitò fiunt martyres, & dum vice Christi, & pro Christo auulsi à matrum vberibus detruncantur, testimonium quod necdùm poterant sermone, perhibent passione: & sufficit causa testimonio, licèt nondùm eloquio distinguatur. Ilicò spiritus infantilis vasculi receptaculum deserens, iam non tenelli corporis ætatisque nouitiæ tempore tenetur: sed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectûs plenitudinem in occursum Christi festinat: à quo militiæ suæ quærens stipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia: & Epiphaniæ solennia in cælestibus celebrat, nec in stellæ alicuius lumine, sed in ipsa claritate diuinæ præsentiæ gloriatur. Acta est natiuitatis solennitas sursùm iubilantibus Angelis, deorsùm ex ore infantium & lactentium laus est perfecta, resonantibus vsque ad cælos victoriæ tubis: & versus est paruulorum vagitus in gaudium, & luctus in iubilum, sequente non stellam, sed Agnum exercitu innocentium, & baiulante gloriosissimi triumphi solenne vexillum. Nec potuit mundus inficere nupèr agonem ingressum infantilem exercitum: & pedes qui nondùm lutum calcauerant, vrgens citatusque transitus non est passus vllis sordibus inquinari: sed in ipso vitæ initio tota illa innocua phalanx, sine vllo integritatis detrimento, ad solidioris vitæ translata est gloriam. Et quæ expectari poterat annorum elapsu rationis discretio, repentè nullis iam ætate illa temporibus subiecta, omnis consummationis reperit finem, & casuum accidentium mutabilitates euasit. Euigilauerunt sensus quos sopor infantiæ opprimebat: displosisque palpebris intuiti lucem, in momento assecuti sunt, quæ pacificis & mundo corde debetur, beatitudinem: & ascendendes per omnium virtutũ gradus sine doctrinæ humanæ exercitio cumulatam inuenêre mensuram: ità vt in ordine sanctorum protomartyres primum habeant locum, & secretorum conscij diuinorum, propinquitate familiarissima clementiam Dei pro nostris exorent laboribus, quos vsque hodiè funestus Herodes persequitur, quorum sanguine & morte diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cælum translati facti sunt superni Capitolij senatores & iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis: assistuntq; miserationibus & vltionibus diuinis, sed sæpiùs Agni, quem quocunquè ierit prosequuntur, mansuetudine, quàm ira vel furore vtuntur. Hi nupèr cruore lacteo loti, primitias baptismi martyrio consecrârunt, tradentes posteris formam, vbi necessitatis articulus excluserit moram, non minùs ad lauacrum animæ sanguinem efficacem, quàm sanctificatas verbis solennibus aquas, maximè cùm nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alueum fluat. Spiritus verò sanctus & aquis & sanguini superfertur, qui subiectos sibi fouet & abluit: quo baptizante idem occisio quod mersio operatur, qua extinctam peccati vitam virtutemque emortuam vtriusque rei continet sacramentum. Ipse enim est qui vel hoc, vel alio modo, quicunque est ille modus, baptizat, & ad idem refertur quod pura fide agitur per Christum Dominum nostrum.

Sæuit in infantium neces Herodes sicarius.

Infantes nõ sermone sed passione Christũ professi sunt.

Apoc.14.

Matt.5.

Sãcti innocẽtes in ordine sanctorum, protomartyrum habẽt locũ.

Apoc.14.

Sãcti innocentes primitię baptismo sanguinis baptizatorum martyrum.

En habes hic cõsecrationẽ aquæ baptismi.

Gen.1.

Baptismus sancti spiritus.

VITA

VITA SANCTORVM EVTHYCHII ET FLORENTII, SERVORVM DEI, PER DIVVM GREGORIUM Papam scripta, tertio libro Dialogorum eiusdem, cap. 15.

21. Decẽbr.



NON hoc sileam quod ex regione Tusciæ venerabilis viri Sãctuli presbyteri narratiõe cognoui, de cuius verbis ipse non dubitas Petre, quia eius vitam fidemq; minimè ignoras. Eodem quoquè tempore in Nursinę partibus prouincię duo viri in vita atque habitu sanctę conuersationis habitabant: quorum vnus Euthychius, alter verò Florentius dicebatur. Sed idem Euthychius in spiritali zelo, atque in feruore virtutis se exercuerat: multorumque animas ad Deum perducere exhortãdo satagebat. Florentius verò simplicitati atque orationi deditam ducebat vitam. Non longè autem erat monasterium, quod rectoris sui morte erat destitutum: ex quo sibi monachi eundem Euthychium præesse voluerunt. Qui eorum precibus acquiescens, multis annis monasterium rexit, discipulorumque animas in studio sanctæ conuersationis exercuit. Ac nè oratorium in quo priùs habitauerat, solum remanere potuisset, illic venerabilem virum Florentium reliquit. In quo dum solus habitaret, die quadam sese in orationem dedit, atque ab omnipotẽti Domino petijt, vt ei illic ad habitandum aliquod solatium donare dignaretur. Qui mox vt impleuit orationem, oratorium egressus, ante fores vrsum reperit stantem. Qui dum ad terram caput deprimeret, nihilque feritatis in suis moribus demonstraret, apertè dabat intelligi, quòd ad viri Dei obsequium venisset. quod vir Domini quoquè protinùs agnouit. Et quia in eadem cella quatuor vel quinque pecudes remanserant, quibus omninò deerat qui pasceret & custodiret, eidem vrso præcepit, dicens: Vade, atque oues has ad pastum ejce, ad horam verò sextam reuertere. Cœpit itaque hoc indesinenter agere. Iniungebatur vrso cura pastoris, & quas manducare consueuerat, pascebat oues bestia ieiuna. Cùm vir Domini ieiunare volebat ad nonam, præcipiebat vrso eadem hora cum ouibus reuerti: cùm vero noluisset, ad sextam. In omnibus itaque mandatis viri Dei obtemperabat vrsus, vt neq; ad sextam iussus redire, veniret ad nonam, neq; ad nonam iussus redire, veniret ad sextam. Cumque diù hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis fama longè lateque crebrescere. Sed quia antiquus hostis vndè bonos cernit enitescere ad gloriam, indè peruersos per inuidiam rapit ad pœnam: quatuor viri ex discipulis venerabilis Euthychij vehementer inuidentes quòd eorum magister signa non faceret, & is qui solus ab eo relictus fuerat, tanto hoc miraculo clarus appareret, eundem vrsum insidiantes occiderunt. Cumque hora qua iussus fuerat non rediret, vir Dei Florentius suspectus est redditus, & vsque ad horam vesperam expectans, affligi cœpit quòd is quem ex simplicitate multa fratrem vocare cõsueuerat, vrsus minimè reuerteretur. Die verò altera perrexit ad agrum, vrsum pariter ouesque quæsiturus, quem occisum reperit. Sed solicitè inquirens, citiùs à quibus fuerat occisus, inuenit. Tunc sese in lamentum dedit, fratrum malitiam magìs quàm vrsi mortem deplorans. Quem venerandus vir Euthychius ad se deductum consolari studuit, sed idem vir Domini coram eo doloris magni stimulis accensus, imprecatus est, dicens: Spero in omnipotenti Deo, quia in hac vita ante oculos omnium ex sua malitia vindictam recipiant, qui nihil se lædentem vrsum meum occiderunt. Cuius vocem protinùs vltio diuina secuta est. Nam quatuor monachi qui eundem vrsum occiderant, statìm elephantino morbo percussi sunt, vt membris putrescentibus interirent. Quod factum vir Dei Florentius vehementer expauit, seque ità fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerat, se crudelem, se in eorum morte clamauit homicidam. Quod idcircò omnipotentem Dominum fecisse credimus: nè vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus, intorquere vltrà præsumeret iaculum maledictionis.

S Euthychi' multis monachis præficitur.

S. Florẽtius eius oratoriũ inhabitat.

Vrsus pastor ouium efficitur.

Vrsus ab inuidis occiditur.

Diuinitùs elephantico morbo percutiuntur occisores.

Petrus.

Petrus. Nunquidnam valdè graue esse credimus, si fortasè cuilibet exagitante iracundia maledicamus?

Gregorius. De hoc peccato cur me percunctaris an graue sit, cùm Paulus dicat: Neque maledici regnum Dei possidebunt? Pensa itaque quàm grauis culpa est, quæ separat à regno cælestis vitæ. 1.Cor.6.

Petrus. Quid si homo non fortasè ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum iaculatur in proximum?

Gregorius. Si apud districtum iudicem Petre ociosus sermo reprænhenditur, quanto magis & noxius? Pensa ergò quantùm sit damnabilis qui à malitia non vacat, si & ille sermo pœnalis est, qui à bonitate vtilitatis vacat? Matth.12.

Petrus. Assentio.

Gregorius. Idem vir Dei egit aliud, quod silere non debeo. Cùm enim magna eius opinio longè lateque crebresceret, quidam diaconus longè positus ad eum pergere studuit, vt eius se orationibus commendaret. Qui ad eius cellulam veniens, omnem locum per circuitum inuenit innumeris serpentibus plenum. Cumque vehementer expauesceret, clamauit dicens: Serue Dei ora. Erat autem tunc mira serenitas. Egressus verò Florentius, ad cælum oculos & palmas tetendit, vt illam pestem sicut sciret Dominus auferret. Ad cuius vocem subitò cælum intonuit, atque idem tonitru omnes illos qui eundem locum occupauerant, serpentes interemit. Quos cùm vir Dei Florentius interemptos adspiceret, dixit: Eccè illos occidisti Domine, quis eos hinc leuabit? Moxque ad eius vocem tantæ aues venerunt, quanti serpentes occisi fuerant: quæ absportantes singulos, & longiùs proijcientes, locum habitationis illius mundum à serpentibus omnimodò reddiderunt. S. Florentius oratione serpentes occisos, per aues exportari curat.

Petrus. Quid virtutis, quid fuisse meriti dicimus, quòd eius ori tantùm factus est Deus proximus?

Gregorius. Apud omnipotentis Dei singularem munditiam atque eius simplicem naturam multùm Petre humani cordis munditia atque simplicitas valet. Hoc ipsum nanque quòd eius famuli à terrenis actionibus segregati, ociosa loqui nesciunt, & mentem per verba spargere atque inquinare deuitant, authoris sui præ cæteris exauditionem impetrant. Cui inquantùm est possibile, ipsa puritate ac simplicitate cogitationis, quasi ex quadam iam similitudine concordant. Nos autem turbis popularibus admixti, dum frequenter ociosa, nonnunquàm verò etiam (quod est grauius) noxia loquimur, os nostrum omnipotenti Deo tanto longinquum fit, quanto huic mundo proximum. Multùm quippè deorsùm ducimur, dum locutione continua secularibus admiscemur. Quod benè Esaias postquàm Regem Dominum exercituum vidit, in semetipso reprænhendit, & pœnitui, dicens: Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labijs ego sum. Qui cur polluta labia haberet, ostendit, cùm subiunxit: In medio populi polluta labia habentis ego habito. Pollutionem nanque labiorum habere se doluit: sed vndè hanc contraxerit indicauit, cùm in medio populi polluta labia habentis se habitare perhibuit. Valdè enim difficile est, vt lingua secularium mentem non inquinet quam tangit: quia dum plerunquè eis ad quædam loquenda condescendimus, paulispèr assueti, hanc ipsam locutionem quæ nobis indigna est, etiam delectabiliter tenemus, vt ex ea iam redire non libeat, ad quam velut ex condescensione deducti venimus inuiti. Sicque fit vt ab ociosis ad noxia, à leuioribus ad grauiora verba veniamus: & os nostrum ab omnipotenti Domino tanto iam minùs exauditur in prece, quanto ampliùs inquinatur stulta locutione: quia sicut scriptum est: Qui auertit aurem suam nè audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Quid ergò mirum, si postulantes tardè à Domino audimur, qui præcipientem Dominum aut tardè, aut nullo modo audimus? Et quid mirum, si Florentius in prece sua citiùs est auditus, qui in præceptis suis Dominum citiùs audiuit? Deus ori eorum proximus, qui ociosa verba deuitant. Esa.6. Ibidem. Secularium colloquia deuitanda. Prou.28.

Petrus. Nihil est quod responderi valeat apertæ rationi.

Gregorius. Euthychius verò qui prædicti Florentij in via Domini socius fuerat, magìs post mortem claruit in virtute signorum. Nam cùm multa ciues vrbis illius de eo soleant narrare miracula, illud tamen est præcipuum, quod vsque ad hæc Longobardorum tempora omnipotens Deus per vestimentum illius assiduè dignabatur operari. Nam quotiès pluuia deerat, & æstu nimio terram longa siccitas exurebat, collecti in vnum ciues vrbis illius, eius tunicam leuare, atque in conspe- Euthychius post mortē claruit virtute signorum. Euthychij tunica elata aut pluuiam aut solé adducebat.

conspectu Domini cum precibus offerre consueuerant. Cum qua dum per agros pergerent exorantes, repentè pluuia tribuebatur, quæ plenè terram satiare potuisset. Ex qua re patuit, eius anima quid virtutis intùs, quid meriti haberet: cuius foris ostensa vestis iram conditoris auerteret.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ET ARCHIMANDRITAE MARCELLI, MONASTERII ACOEmetorum, *id est, non dormientium: Authore Simeone Metaphraste, vt habetur 5. Tomo Aloysij Lipomani. Nos capita margini adiecimus.*

Decẽbr.29. Cap.1.



MIHI sæpè venit in mẽtem cogitare, quanam de causa Poëtæ innumerabiles, alij quidem bella & inimicitias, & quæ ex eis oriuntur calamitates, composuerunt: alij autem omninò fabulosa & aliena, quæ neque ipsis prodesse possunt, quòd attinet ad animæ salutem: neque ijs, qui ea legunt, quibus ipsi composuerunt, vllam præbent vtilitatem. Quid enim iuuat scire, quàm multæ quidem naues è Græcia nauigârunt in Aegyptum: quot autem duces & milites duxerit vnaquæque earum: & quòd alijs quidem maior erat Aiax, Achilles verò erat eo fortior: & quòd Nireus erat omnium forma pulcherrimus. Ad equos autem vsque, hoc superuacaneũ & inane deducere, & Eumeli quidem equos dicere cæteris esse meliores, Achillis autem equos ipsis præstantiores, & eos immortales dicere & vocales, quàm superuacaneã efficit narrationem, & quàm parùm fide dignum simul & ridiculum efficit scriptorem? Sed illi quidem hæc scribere, & his etiam deteriora, nempe deorum amores, & quas inter se agitârunt seditiones, pugnasque & lites, minimè dubitârunt. Hæc autem quidnam conferunt ad morum honestatem ac moderationem, & animæ vtilitatem: & non potiùs detrimentum afferunt, & vitiorum malas impressiones insculpunt in animis eorum, qui versantur in ijs legendis? Mihi enim nihil persuadet inanis labor eorum, qui hæc volunt absurda mitigare, & ea reducunt ad alimenta & partes animæ. Aut enim cùm non fuerint, frustrà & falsò dicuntur: aut, etiamsi fuerint, par est ea potiùs ridere, & odio habere, quàm laudare. Existimo autem boni viri vitam, qui legi Dei vixit conuenienter, dignam esse quæ elaboretur, & literis mandetur: ex qua ipse qui componit, tam sibi quàm alijs potest magnam conciliare vtilitatem: qualis est vita Marcelli admirabilis, qui ortus quidem est ex ciuitate Apamea: ea est autem ciuitas Orientalis, quæ bonis abundat plurimis. Nobili verò loco natus, per se reddidit nobiliorem seriem sui generis. Nam cùm iam in ipso flore iuuentutis amisisset parentes, & ætatem ageret iucundissimam, non sicut iuuenis declinauit ad voluptates: neque delectabatur iuuenum consuetudine, æqualis æquali volens placere, vt dicitur: sed in iuuenili corpore, imitabatur canitiei prudentiam & vitæ institutionem. Quanquàm ei aderant diuitiæ, quæ sunt materia ad explendas voluptates igni adolescentiæ. Sed nihil horum illum coëgit negligere temperantiam, quæ erat ei chara à pueritia. Sed & orbitas, & ætas, & diuitiæ, hæc omnia simul, à profunda vincebãtur prudentia. Propter externam verò eruditionem, in magnam venit Antiochiam. Ventitat autem ad quendam, in dicendi facultate pulchrè exercitatum. Ingenij verò celeritas, à vehementi eius studio adiuta, ei breui largitur magna dona sapientiæ.

[Margin: Scripta poëtarum pleraque fabulosa & vana. — Sanctorum historię vtiles & fructuosæ. — S. Marcelli patria. — Adhuc iuuenis viuit piè & religiose. — Antiochiæ dat operam literis.]

Cap. 2. Postquàm autem externæ sapientię visus est sibi habere, quod sufficeret: Neque enim ea erat eius principale studiũ, nisi ad hoc, vt externis illis imbutus, deindè initiaretur in ijs, quę sola sunt sacra mysteria: nempe vera, & quę ad Deum deducit, sapientia: vitę, inquam, institutione, quę versatur in exercitatione & vera philosophia. Opùs autem ei quoquè erat aliquo ad eam duce. Cùm verò eum non præberet, vt ei placebat, Antiochia, cogitauit ire Ephesum, cùm audijsset in ea esse magnam virorũ copiam, qui ad summam virtutem peruenerant. Statim ergò contemptui quidem est habita pulchra Antiochia: despectum autem fuit iucundum solum patriæ, neglectæ verò verborum contentiones, & inane ocium, & tota externa illa scena. Diuisæ autem

[Margin: Cõtemptui habet solum patrium.]

autem sunt pauperibus opes illæ ingentes & magnificæ, & eum excepit Ephesus nudum alijs omnibus. Cùm sic aduentâsset, inuênit sibi conueniens hospitium. Nam vir quidam cum vxore eum accepit hospitio, qui non magìs communis mensæ & salis ei erant socij, quàm morum & virtutis, & in omni re moderationis. Omnibus suis in pauperes collatis, venit Ephesum.

Huic autem pulchræ bigæ erat etiam seruus, qui virtutis ratione erat dominis multo venerabilior: cui tanta inerat animi ingenuitas & nobilitas, vt huius dominorum virtutis ille, vt aiunt, esse auctor, & visus sit seruus tam multa dominis bona conciliâsse. Cuius & alia quidem multa laudantur, & hoc inter cætera, quòd in monasterijs, quę erant in ciuitate, portis clauibus rectè clausis, is intempesta nocte, nemine ei aperiente, adstabat in medio monachorum canentium. Idque cùm non semèl, sed sæpè fieret, euasit manifestum, & de hac re sermo totam impleuit ciuitatem. Huic autem ingenuo, vel vero potiùs Dei seruo, nomen erat Promotus. Hic ergò Promotus, Marcello quoquè non pauca ad virtutem dedit incitamenta. In hoc enim ab eo ponebatur opera, vt, quæ honesta sunt, vndiquè colligeret, & tanquàm ex multis floribus sibi virtutis coronam contexeret. Cum alijs autem bonis, quæ habebat Marcellus, hoc quoquè ei inerat, quòd scribebat pulcherrimè. Scribebat ergò, & laborabat manibus: & mercedis, quæ illinc ei suppeditabatur, partem aliquam consumebat ad vsus corporis: reliquam verò præbebat egentibus. Vnà autem cum misericordia, se rectè quoquè gerebat in iustitia. Nam si maior ei soluta esset merces, quàm pro scripturæ opera, ille non sustinebat: sed si quid erat ampliùs reddebat ei qui dederat. Et sic interdiù quidem perseuerabat laborare in scribendo & sicut aiunt diuina eloquia, opus manuum suarum dirigens: totam autem ferè noctem consumebat in oratione, & per eam cum Deo iucundè loquebatur, & ei vniebatur. Si verò parùm quid somno quoquè tribueret propter necessitatem corporis, ne hoc quidē erat remissum, sed laboriosum & castigatum. Sic ei vniuersum tempus erat laboribus plenū & certaminibus. Cap. 3. Promot' seruus S. Marcellū ad virtutes quasque excitat. S. Marcell' scribendo sibi parat victum. Psal. 89. Tota ferè nocte orat.

Cùm autem audijsset Alexandrum, virum quendam virtute incomparabilem, plenum quidem sapientia, plenum & pastorali solicitudine & diligentia curaque animarum, ad multorum tunc salutem degere Byzantij, non duxit esse sibi manendum in præsentibus: sed desiderans meliorem vitæ institutionem, ad eum venit quamcelerrimè. Et tunc quidem diuinus Alexander in templo magni martyris. Menæ exercebatur: posteà autem in ipso quoquè ostio Ponti venerandum statuit monasterium. In quo nouam quidem, sed longè omnium pulcherrimam, legem imposuit, vt hymnorum ad Deum nunquàm interrumperetur perpetuitas: sed per vices mutatis ministris, hæc nunquàm silens & nunquàm conquiescens tribueretur Deo glorificatio. Diuino ergò Alexandro Marcellum, cùm illuc accessisset, bonus commendat Iacobus: qui priùs quidem Marcello fuerat familiaris: cùm ventitâsset autem ad Alexandrum, erat ei primus inter discipulos. Is verò gaudebat quidem se esse Alexandri discipulum: malè autem eum habebat, quòd non ad ipsum quoquè ventitaret Marcellus. Cap. 4. Perpetui cantuntur hymni in monasterio Alexādri.

Postquàm ergò eum vidit venientē, eum lubēter adducit ad magistrum, &, Hic est, inquit, ô pater, qui nos non persequentes fugiebat, sed potiùs latebat persequens. Sic diuinus Marcellus fuit Alexandro cōmendatus, & illius manibus sacrū induitur habitum, tempore quidē Iacobo secundus, moribus autem longè prior. Quamobrèm tale quid fertur etiā dixisse pręceptor, nempe quòd etiamsì Andreas prior secutus sit Magistrum, Iohannes tamen eum quoquè est assecutus: per hęc alterum quidem vocans Iacobum, per alterum autem Marcellum admirabilem, cùm ambos quidē sciret esse fratres propter virtutem, & eodē tenore simul currere: Marcellum autem assimilaret Iohanni, vt qui esset ipse quoquè virgo, & cum doctrina magnā haberet coniunctionem. Atq; inter alios quidem, primas partes obtinuit Iacobus, ipsum verò rursùs superauit Marcellus. Erant autem ambo par æquè bonum, & quodammodò in vno & eodem corpore fraternitatis locum tenentes oculorum. Quoniam verò eos sic mente purgatos, non oportebat non etiam futurum intueri sicut præsens, non latuit Marcellum mors præceptoris: sed cùm hoc quidem cognouisset, non minùs autem illud quoquè præsciuisset, quòd futurum erat, vt in eum caderet suffragium, & cùm ipse pasceretur, accerseretur ad pascendos alios: hoc vtiquè veritus, nè seni iuuenis imperaret: & simul cùm esset amicus modestiæ, & lætaretur subiectione, nullo conscio recedit è monasterio, apis, vt aiunt, ad flores. In orbem itaq; obibat sanctos, & in colligendis ex vnoquoque bonis, augebat sibi ceram virtutum. Cap. 5. S. Marcell' induit habitum monachi. Spiritu prophetico peruidet futura. Fugit, nè eligatur Abbas.

Cap.6. Interim verò dum is viros obibat virtutis studiosos, è vita migrat sacrosanctus Alexander. Cùm is autē excessisset, Marcellus protinùs erat in ore omnium, & quoniam non aderat, duplicem afferebat molestiam: & quòd illo tempore abesset, & quòd moriente Alexandro non erat Marcellus, cui post illum credebatur Præfectura. Electus ergò fuit Iohannes vt præesset, vir & canis capillis, & prudentia: cui etiam celebratus ille Iacobus propter ętatem lubēs cessit. Cùm hæc autē sic processissent, Marcellum nequaquàm latére potuêre. Sed postquàm finē acceperunt, & ipse est reuersus, & Iohanni fuit coniunctus, effectus ei manus dextera, & optimè simul ferens onus administrationis: cùm ille quidem propter Pręfecturam nihil esset factus insolentior: hic verò esset purus ab omni inuidia, & ei vero amore colligatus. Sic ergò ambos habebat Alexandri monasterium.

Reuertitur post noui Abbatis creationem.

Cap.7. Post aliquod autem tempus à Philotheo persuasus Iohannes, recedit quidem ab hoc loco. Venit autem ad quendam locum, ex æquo liberum à turba ciuium, & à difficultate solitudinis. Locus verò est Bythinorum quidem regionis: situs est autem in faucibus maris, cui ex aduerso situm cernitur, quod vocatur Sosthenium. Hoc siue propterea, quòd sit remotum à strepitu, siue propter aliquid aliud, tunc quidē nominabatur Irenæum. cùm Iohannes autē rem ipsam nomen loco dedisset, propter perpetua quæ ad Deum fiunt cantica, in hodiernū vsque diem nominatur monasterium ἀκοιμήτων, hoc est, Non dormientium. Nam cùm eandem formam, quam Alexander, imitatus esset Iohannes, eorum qui per vices canebant, nullo somno interruptam faciebat glorificationem. Cùm huc autem ille sacrū transtulisset monasterium, (locum enim iā dono acceperat ab illo, qui priùs dictus est Philotheus) dici non potest, quantis officijs & honoribus sibi promerebatur & in suam redigebat potestatem Marcellum, sciens se quidem esse ætate prouectum: illum verò & exercitatione, & doctrina, & ingenij acumine, & alijs omnibus bonis lōgè excellere. Quamobrèm cōmunium omnium cura Marcelli fidei erat credita. Nam hunc quoquè Iohannis futurum successorem diuina nouerat prouidentia, & volebat eum pulchrè erudire in ijs, quæ pertinent ad regendum. Hoc verò & alijs quidem indicijs significabatur: hac re autem vel maximè euasit manifestum, quòd ambo eodem die, Iohannes quidem ascendit ad gradum presbyterij, Marcellus autem ad gradum Diaconatûs.

In monasterio Iohānis perpetuus modèm agitur cultus diuinus.

Cap.8. Non hæc verò solùm futurū significabant: sed etiam vir quidam, qui ipse quoquè præerat gregi participi rationis, qui non longè aberat à monasterio Iohannis, cui nomen erat Macedonius, vita autem purissima, & diuina quædam & prophetica anima. Is quoniam non latebat Marcellum, sed & ille videbat videntem, & cùm esset propheta, non ignorabat eum, qui erat similis, & assiduè ad eum veniebat. Is pręd ixit futurum, vt non solùm gregi præesset, sed simul omnia: quòd scilicet futurus esset clarus propter virtutem, & quòd vniuersam ferè terrā & mare impletura esset eius gloria: quòd multi Græci & barbari ab illius lingua pendentes patriam quidem abiuraturi essent impietatem, Deo autem essent consecrandi: quòd Deus valdè in ipso & per ipsum esset glorificandus, & multi filij Dei per illum essent futuri, & digni essent censendi paterna hæreditate. Hæc ille quidem dicebat: an autem effectum sint consecuta, ostendet id, quod est posteà consecutum.

Multa Marcello futura pręd icit Macedonius.

Cap.9. Marcellus verò hæc audiens, quinetiam ea quæ audijt faciens, nihil vnquàm de se magnum aut mente concepit, aut est locutus: sed hoc potiùs, quòd cùm alios excelleret, & esset primus, seipsum existimaret & nominaret omnium vltimum. Id autem ex illo quoquè significatur. Is cùm aliquandò delectaretur sermone senis huius admirabilis, diū quasi quibusdā fruebatur delicijs, & ab illius lingua pendens, non aderat monasterio. Apud monachos, cùm abesset, inciderat iucundissima de eo narratio, & de eo habebantur sermones quidam apud Iohannem. Atque ex monachis quidem ij, qui erant probiores, & alia huius viri admirabantur: quinetiam hoc quoquè addebant, quòd à Præfectura se remouisset, & sedem tam facilè reliquisset, rem, quæ solet fieri à valdè paucis. Improbi autē, & qui ignorabant Marcelli animi magnitudinem, hocipsum, quòd fugisset gloriam, dicebant in se habere quandam materiam & occasionem gloriæ cupiditatis. Neque enim cùm liceret Marcello imperare, maluit ipse parére alijs: sed quòd non ignoraret futurum, vt Iohannes ei in honore præferretur, & eum esse, qui erat in hac Præfectura successurus, màluit se fuga subducere, quàm videri illi secundum: nec facilè sustinere potuit eum esse prælatum.

Insignis S. Marcelli humilitas.

Habet suos obtrectatores.

Cap.10. Hæc etsi essent confutatu facilia, accuratiùs tamen docebit experientia. Iohannes enim

enim volens declarare, ad quàm profundam venisset Marcellus humilitatem, & persuadere monachis, nè facilè condemnarent: Rebus, inquit, ipsis, ô filij, committendum est iudicium. cumque nihil aliud dixisset, in animo versabat redeunti Marcello vilissimum ordinem ministerij, nempe asinorum curam, ei credere. Postquàm ergò ille rediјt, & hoc quod videbatur maximè ignominiosum, in conspectu omnium iussit Præfectus, Marcellus hîc manifestum dedit argumentum suæ modestiæ & demissi spiritûs. Non solùm enim iussum lubens accepit, sed fecit etiam aliquid elegantius. Adeò enim lubenter dixit se subire hoc onus ministerij, vt id etiam poneret in loco beneficij, & rogaret vt datis scriptis sibi caueretur, vt nec, si vellet quidem, posset ab eo recedere. Et non sic dixit quidem, non autẽ fecit. Neque fecit quidem, sed paruo tempore: sed in factis ipsis visus est longè acrior. Tandiù autem perseuerat in hoc ministerio, donèc omnes multis precibus supplices ab eo contenderunt, vt eis quidem ignosceret: ab hoc verò seruitio discederet. Absurdum enim esse, talem virum tam vilia subire ministeria, qui gregi rationis compoti dignus erat præesse.

Vilissimum ministeriũ ei demandatur.

Reipsa ostẽdit syncerã animi sui modestiam & humilitatem.

Non multum temporis intercessit, & Iohannes ipse, qui monasterio præerat, migrauit ad Dominum: statimque D. Marcellus fratrum suscipit Præfecturam, & charismatum radij quales & quanti in eo essent, omnibus euasêre manifesti. Sed quidnam eius quispiã primùm fuerit admiratus, insignem'ne eius in pauperes misericordiam, an, quæ propter eam facta sunt, miracula? qui sic quidem communia (nihil enim habebat proprium) consumebat, vt videretur paulopòst & ipse, & monachi, redigendi ad egestatem. Tam abundè autem assiduè suppeditaba[t], [v]t non minùs, quàm quod fecit Dominus, conspiceretur etiam in seruo fieri. Quomodò enim tunc non plures quàm quinque panes, & duo pisces, aluërunt multitudinẽ hominum ad satietatem: ità nunc quoquè paucis quotidiè alebatur multitudo egentium: & ea rursùs eis minimè deficiebant. Sed hæc quidem ità se habebant. Quemadmodùm autem ex rebus difficilimis, & quarum nullus sperabatur exitus, à superis ei data sit solutio, & quæ ei dicta sunt, finem acceperint, par est paucis dicere.

Cap. 11. Fit Abbas.

Mira eius in pauperes benignitas.

Matt. 14. Ioan. 6.

Auctus quidem erat ei grex quotidianis accessionibus: & multitudine quotidiè dilatatus, efficiebat pecoribus arctã habitationem. Opùs ergò erat Pastori, maiori quidem atrio: maiori autẽ domo orationis, maiori & alimento, & reliquo sumptu ijs, qui collecti fuerant. Ille autem tunc quidẽ vel maximè omnia exhauserat in egentes. Erat verò ei opùs pluribus sumptibus, & maximè ad tantam virorum multitudinem. Fuerunt autem hæc Deo curæ: & rem, vt solet, traducit ad abundantiam. Erat enim quidam Pharetrius, optimus ex optimis, & longè ditissimus. Is cùm acrem quendã concepisset amorẽ eius, quæ est ex Deo, philosophiæ, secum acceptis illis suis ingentibus diuitijs, & filijs adhuc teneris, venit ad Marcellum: & omnia simul, nempe & pecunias, & filios, & seipsum, Deo consecrat: seipsum quidẽ & filios sacra veste induens monastica, opes autem conuertens ad vsum monasterij. Et primùm quidem sacram domum orationis eis & latiorem, & excelsiorem, & ità, vt nunc se habet, cõstruxit: vt & multitudo colligeretur, & in nullas redacta angustias, opus Dei perageret. Deindè reliqua omnia, fratrum domos, andrones, tam qui peregrinos, quàm qui ægrotos excipiebant: & ad summam, domos, alias quidem quæ laborabant & ruinam minabantur, renouauit: alias autem magnificè excitauit: & aliorum omnium, quæ huiusmodi vitæ communi opùs erant, præbuit abundantiam.

Cap. 12.

Pharetrius vir ditissimus & se, & filios, & res suas Deo consecrat.

Hæc quidem ità se habebãt: magno autẽ Marcello grex in dies crescebat, & augumentum accipiebat. Omnes enim attrahebat illius Siren, nempe suauis oratio, coniuncta cum vita purissima. Porrò autem cùm etiam credidisset salem diuinum esse factum eum, qui ei parebat, gregem, eos mittebat, vt alios quoquè diuino sale implerent & voluptate. Et quomodò ex magna Edem quatuor dicunt manare fluuios: ità etiam ex Marcelli tabernaculo cœpit per vniuersum ferè orbem terræ profundi purum & iucundissimum & salutare fluentum, illa, inquam, accuratissima vitæ, quæ ab eo agebatur, imitatio. Prætereà autem supernarum potestatum ministerij, quod nullo somno interrumpitur, zelus, cùm hinc cœpisset initium, venit ad primam & vrbium reginam. Deindè ad alia quoq; loca transijt imitatio. Et siue quis templa extruebat, aut monasteria, siue aliquid aliud sacrum faciebat, à Marcello etiam accipiebat curatores & duces. Sic monasteriorum & templorum, quæ erant vbiquè, per suos discipulos communis extructor fuit & communis curator. Persuasum enim habebant, qui hæc ab illo quærebant, non solùm se fore illius doctrinæ participes, sed etiã quan-

Cap. 13.

Gen. 2.

Multa monasteria imitantur perpetuo diuinas promẽdi laudes studium.

quandam gratiam & sanctificationem ab illo etiam ad eos esse venturam, quomodò qui sunt sacrarum aquarum participes. Ei verò, cùm hæc ageret, dolore & voluptate distrahebatur animus. Nam vt pater amans filiorum, cùm ei auferrentur filij, dolore afficiebatur. Vt qui autem seruator multorum, & per illos multis esset vtilis, lætus eos emittebat: tum etiam, quòd illius quidem secundùm Deum filij, aliorum patres: eorum autem oues, fuerunt pastores aliorum.

Eius filij monasterijs præficiūtur.

Cap. 14. Neque tamen temerè ac leuiter emittebat discipulos: sed cùm eos priùs multis confirmâsset sermonibus, & Deum testem in eos inuocâsset, quòd neque mores dissoluerent, neque habitum mutarent, nec de accurata ac perfecta viuendi ratione aliquid remitterent: sed & illi mores, qui erant ab initio, tanquàm legem perpetuò conseruarent, & maximè concinnę & per omnia optimè compositę viuendi formæ, alijs causæ essent. Illi autem, quę ab illo acceperāt munera & mandata, tam pulchrè conseruârunt, vt, quod ipse illis, hoc ipsi essent alijs, & per omnem ferè terram & mare hæc bona sementis ab eis distribueretur. Sed de illius quidem viuendi ratione, & prætereà de eius insigni gloria propter virtutem, & quòd omnium maximè eam fugiens, longè magis suæ famæ celebritate impleuit omnem terrā, & prætereà de eius solertia, de humanitate, de eorum, qui vbiquè erant, cura & solicitudine. De his, inquam, omnibus, veluti quædam solùm indicia & vestigia significauit oratio. Vult autem pauca quoquè ex eius miraculis in medium adducere, & non iniucundam cum vtilitate narrationem largiri pijs auribus.

Quo plùs fugit gloriā S. Marcellus, eo sit celebrior.

Cap. 15. Quidam tres Episcopi, qui fuerant apud hostes captiui, & modò liberati erant calamitate, accedunt ad Marcellum, & rogant, vt daret, quod eis ad reficiendum erat necessarium. Ille autem cùm & eorum curam gessisset, & eam, quam sperabant, dedisset eis consolationem, ipsique, quoniam multum temporis præterierat, vnusquisque domûs suæ & Ecclesiæ meminerant, eis abundè suppeditat viaticum. Viaticum verò erat aurum: & iubet eum, qui impensis præerat, (erat autem ei nomen Iulianus) auro donatos Episcopos emittere. Is verò ex decem, quos tunc habebat, stateribus, solùm tot affert, quot erant viri numero. Magnus autem ille (nihil enim eum ex ijs, quæ erant, latebat) iubet, vt citra vllam parcitatem det omnia. Sed ille ne sic quidem se purè gessit. Sed cùm dedisset nouem, vnum detinebat, volens vtiquè fungi officio boni œconomi, vt ijs, qui, vt solebant, veniebant, pauperibus aliquid haberet quod daret. Quid ergò accidit, & quomodò vtrunque docetur Iulianus, neque de futuro esse solicitum, nec existimare, magnum Marcellum aliquid latére eorum, quæ fiunt? Venit ad Marcellum homo quidam motus à superis, & donat eum nonaginta talentis. Ille autem eum qui susceperat dispensationem, arguens, vt par erat, vt qui non rectè esset vsus dispensatione: Eccè, inquit, ô parce, quis sit exitus tuæ parsimoniæ. effecisti enim, vt totis decem talentis nobis minor esset, quàm erat futura donatio. Cùm enim essemus accepturi decuplum eorum quæ dedimus, proptereà quòd vnum dare noluisti, ijs quæ prætereà accepturi eramus, decem priuati sumus. Sed hoc quidem fortasè fuerit euidens argumentum, non solùm quòd præuideret, sed etiam quòd non oporteat esse solicitum de futuro, & quòd magna esset eius in egenos benignitas.

Liberalitas eius in tres Episcopos.

Obiurgat œconomi sui tenacitatem.

Cap. 16. Quoniam autem de prophetico eius dono parùm quid significauimus, tempus est, vt bibamus etiam de fonte curationum. Quidam ex monachis nomine quidem Elpidius: morbo autem erat implicatus, qui omnem spem superabat. nam totum quidem os eius graue vlcus depascebat: tota verò ea pars, quæ linguæ subest, habebat ingentem, qui excreuerat, carnis tumorem: quod quidem ei reddebat mutum & inane instrumentum. & hoc accedebat intolerabilibus illius doloribus, quòd nec ipsos quidem dolores posset enunciare. Ambo autem hæc, vlcus, inquam, & tumor, cùm probrum etiam & dedecus accepissent, efficiebant vt mors esset ei optanda. Hic ergò cùm accedente aliquandò sancto, toto pectore ingemuisset, & vix esset locutus, tantùm dixit: Hei mihi, me nunc despicit magister. Ille autem tantum aberat, vt despiceret, vt statìm commotus sit ad preces, & clementiæ lachrymas ex oculis emiserit. Deindè cùm tumorem & vlcus tetigisset, hoc quidem sanat, illum verò facit euanescere: & os ei purum reddit & mundum, & aptum vt alioquì loqueretur absque vllo impedimento, & esset ei vtile instrumentum ad agendas gratias.

Tactu & precibus sanat morbū horridum.

Cap. 17. Quidam alius monachus, nomine Stephanus, qui secundùm naturam quidem admit-

admittebat alimentum: vt id autem per naturalem exitum procederet, hoc minimè habebat: extremis cruciabatur doloribus. Cùm ars autem medendi ea in re diù esset versata, dolores quidem augebat vulnerum acerbitate: quæ verò sunt apud eos elateria & purgationes, probabat esse inania, studiumque & operam frustrà in eis consumi. Cùm ergò videretur malum inexpugnabile, & non multùm abesset, quin is dirumperetur, id renunciant Marcello. Ille autem precatus quidem est, sicut consueuerat: cùm verò venisset ad laborantem, partim quidem ventrem manu tangens, partim autem dorsum, tanquàm propellens, & ad inferiores partes agens materiam, illi quidem concessit progressum, qui est secundùm naturam: viro autem, vt ea liberaretur, & vitam ageret sine molestia. Aliū periculose laborātem curat.

Porrò autem is quoquè, qui paulò antè dictus est Iulianus, qui conuictus fuit non rectè dispensare, sicut priùs donum perspicacitatis, ità etiam Marcelli curationum donum fuit expertus. Nam is quoquè morbo laborabat, qui & medicina, & omni precatione erat, vt ille putabat, superior, & citra vllam dubitationem mortem minitabatur. Accersitum autem rogat adesse Marcellum, non vt acciperet curationem, (nam hoc ne sperabat quidem) sed vt ei decedenti preces concederet viatici. Ille verò cùm accessisset, primùm quidem eius medetur animæ: Nè, inquit, ô fili, tam humiliter & abiectè & tam humano more de Deo sentias, neque rebus nostris metiaris res illius. Nam nostrûm quidem aliquis, hoc quidem fortasè potest, illud verò minimè: Deus autem omnibus & magnis & paruis ex æquo est potentior. Quomodò ergò nos quidem paulò antè pusillum & sordidum animum, Deus vero suam ostendit munificentiam: ità etiam in morbo existima, illum præclarè, vt Deum decet, omnia & magna virtute facere: qui etiam nobis data venia incredulitatis, largietur salutem. Cùm sic dixisset, animæ curationem corporis quoquè sanitas est consecuta. adeò vt posteà cùm non tam temerè vixisset, sed vt eum decet, qui est Dei amicus, fuerit sacerdos, dignus Marcelli doctrina & sacerdotio. Sed quale est hoc, quod sequitur? quàm est incredulis quidem valdè terribile, apud fideles autem in magna habetur admiratione? Cap.18. Itèm alium restituit, nihil minùs sperantem.

Vir quidam, qui laborabat morbo sectæ Samaritanorum, laborabat corporis morbo immedicabili. In eius enim corpore erat enatum vulnus. Vnguenta autem, & medicamenta, & quæcunque ab arte adhibebantur, conuincebantur nihil posse. Ad extremam itaque spem adspexit Marcellum: & cùm ad eum venisset, statim cum eo egit precibus. Ille autem, & quisnam esset, rogauit, & vndè, & quænam ei esset religio. Omninò verò hæc non fecisset, nisi ad eius adspexisset animam. Cùm ille autem dixisset, se quidem esse Samaritanum: polliceretur verò, quòd si morbo liberaretur, & protinùs suam mutaret opinionem, & ad Christianorum lubens accederet sententiam: precatur senex, & preces consequitur sanitas. Cùm ergò statim edidisset confessionem, & viam rectam esset ingressus, nondùm quatuor diebus præteritis, statim ad priorem reuertitur falsam religionem, Canis, aiunt, ad vomitum. Quomodò autem fidei rectitudine curatio corporis, ità vitiosa fide morbus est accensus. Hæc verò nequaquàm latebant Marcellum: sed cùm rursùs ad ipsum rediisset Samaritanus, ei quidem exprobrat mutationem: rursùs autem ignoscens, morbo medetur. Cùm verò iam bis & tèr & sæpiùs, corporis quidem morbus cessâsset, reuersus autem esset morbus animæ, & illum rursùs reuocâsset, Christus est, inquit, qui te curat, non ego. Tua verò de opinione pacta conuenta, non mecum, sed cum illo fieri existima, quem nemo latère potest, neque decipere. Omni ergò deposita fraude & impostura, puram illi confitere religionem, & certò scias fore, vt purè carnis sequatur curatio. Cùm autem ille infelix & amens dixisset, se, quicquid accidisset, nunquàm posse patriam relinquere religionem, ipse quidem abiit nihil locutus: Ille verò infelix cùm parùm processisset à monasterio, & violentiùs morbus eum esset aggressus, duplici, proh dolor, morte moritur, nempe carnis & animæ. Hæc cùm magnus ille audiuisset, & lachrymas emisit, rem esse luctu dignam arbitratus: & hoc solùm dixit, Non tentabis Dominum Deum tuum: tanquàm propter illum dans præceptum omnibus. Cap.19. Iudæum sanat, isque credit in Christum. Redit mox ad vomitū, & morbus redit: idque crebrò fit. Perfidus Iudæus miserè perit. Deut.6.

Nobis autem conuertenda est hæc oratio ad aliam fidelis hominis curationem, quæ vt fuit celerrima, ità etiam iucundissima. Quidam nomine Cyrus, priùs quidem corpore robustus, & ad pugilatum valdè bonus. posteà autem inter monachos quoquè admirabilis: hic ergò cùm paulò antè subiisset monachatum, tanquàm alius Iob, Cap.20.

 malo

Iob 2. malo vlcere percutitur à maligno. Totum enim eius dorsum graui ferit vulnere. Id autem desupèr à collo incipiens, & carnem totam depascens deperdidit, & quæ sub ea erant, ossà purè nudauit. Acres verò, & qui verbis exprimi nequeunt, dolores hominem penetrantes, neque rectum stare, nec accumbere, sed neque sedere sinebant sine cruciatu. Hic ergò, omnibus & medicis & artibus præteritis, ad Marcellum solum, & per illum ad Deum confugit, & ab eo petit curationem. Ille autem cùm manus & mentem statìm in altum sustulisset, & vt solitus erat, orâsset, deindè manu vlcus tractans: O vir optime, inquit, te quidem ab his non oportet superari. Neque enim eum, qui pugnat cum ijs, qui non sunt adspectabiles, oportet gerere curam carnis. Sed confide. Nam si tibi altissimum posueris refugium, fugiet hæc plaga à tuo tabernaculo. Dictum fuerat, & omnia simul protinùs videbantur, ossa, carnes, pellis, illa quidem tecta, hæ verò repletæ: pellis autem extensa: doloresque cessauerant: adeò vt in eo propemodùm impletum fuerit sacrum prædictum Ezechielis: Adspexi, & ecce super ea nerui & carnes nascebantur: & pellis super ea ascendebat.

Repentina curatio morbi immedicabilis.

Ezech. 37.

Cap. 21. Quòd autem non solùm præsens hic vir diuinus, sed etiam absens similiter faciebat miracula, declarabit id quod sequitur. Cuidam viro, Eugenio quidem nomine, Diacono autem sacra authoritate, vxor parturiebat. Cùm verò adesset tempus partùs, vehemens eam inuasit febris. Atque erant quidem acres dolores, febris autem violēta. ociosis itaque esse obstetricibus licebat & medicis, & vna spes deincèps erat Marcellus. Et sanctus quidem orabat: Eugenius autem eius pedes prænsabat, qui ei omnia simul dicit, partum, inflammationem, super nouaculæ, vt aiunt, aciem stare mulierem. Quid deindè? Cùm panem benedixisset magnus ille Marcellus, ei donat, & iubet eum poni supra pectus mulieris. Ille verò fecit, quod ei imperatum fuerat: & protinùs infans egreditur ex vtero, & febris è corpore. Illa autem tanquàm ex fossà aliqua aut ex inferis esset reuersa, Vbì est, inquit, qui mihi adfuit monachus, & me curauit? Vbì est, inquit, qui meam animam extraxit ab inferis? Cùm autem interrogaretur, quisnam & quali forma is esset, statìm omnia retulit, figuram, capillos, vestem, formam, & omnia descripsit oratione: adeò, vt vel ij, qui non erant admodùm sapientes, intelligerent illum ipsum esse Marcellum admirabilem. Atque illa quidem ex Marcello vel absente tantum fructum est consecuta, vt per ipsum & vixerit & pepererit.

Obserua vim panis benedicti.

Cap. 22. Quid verò Eudoxius, qui ipse quoquè non paruus, & non parua est consecutus, nec eiusmodi, vt sint leuiter consideranda? Sed fuit ille quidem vir, qui se exercebat: sed erat ei totum corpus relaxatum, & solutę erant omnęs eius compages: precibus autem & lachrymis magni Marcelli, & adstricta fuit membrorum solutio: & quod est longè maius, qui paulò antè iacebat in lecto, missus est vt seruiret alijs. Quòd verò Angeli quoquè simul erant cum Marcello, & maximè cùm ad preces accederet, declarabunt quæ mox sequuntur. Quidam Sergius, qui ipse quoquè præerat gregi capaci rationis, & ad flumē habitabat Euphratem, illuc quoquè fama veniente de Marcello, efficitur ardens amator illius virtutis. Cùm autem fama illius magis cresceret, ad eius quoquè conspectum venire desiderat. Itaque postquàm venit, & rem ipsam experiētia inuenit esse fama maiorem, precatus est ipse quoquè cum Marcello, stante ad orationem. Cùm ergò ille inclinaret caput, & genu flecteret, ille quidem iacebat: hic verò videt illud admirabile, duos quosdam veste candidos, forma verò coruscantes, Angelos scilicet vtrinquè stantes, & eum humo tollere & subleuare. Atque statìm quidem vultus eius luce tanquàm fulgure est illustratus: admiratione autem perculsus fuit eius animus, voxque est ei ablata, & manabat sudorę, & propemodùm deductus est ad mortem: adeò vt qui aderant, nihil ex ijs quæ ille videbat, videntes, mirarentur & dubitarent, & virum interrogarent cum stupore. Cùm autem audiuissent, non minùs quidē admirati sunt Marcellum propter suam in Deum fiduciam: Deum verò, propter ineffabilem charitatem in homines.

Eudoxij curatio.

Visio Sergij Abbatis circa S. Marcellum.

Cap. 23. Ex his & similibus tantus fuit omnium amor in Marcellum cum admiratione, vt instàr rei alicuius diuinæ, per eius nomen iusiurandum conciperent, non solùm alij, sed etiam primi ex ijs, qui se exercebant: & vel illum solùm videre, magnum esse ducerent, & de quo esset acriter contendendum. Cùm ab Eliseo aliquandò, qui monasterio, quod erat in Dessa, præerat, & virtutis magnam ducebat rationem, ex Marcelli discipulis fuisset quidam hospitio acceptus, (erat autem ei nomen Petrus) hic ergò postquàm deductus fuit ad sermonem, & multùm versatus est in laudando

magi-

magiſtro ſuo apud Eliſeum: Superuacaneum eſt, inquit Eliſeus, ô frater, de Marcello apud nos producere orationem. Nam ego horum tibi ero teſtis idoneus etiam apud alios: qui de eo multùm Deum precatus, & eius virtutis nóui altitudinem, & animi motiones: quinetiam ipſam formam eius corporis. Cùm hæc audiiſſet Petrus & miratus fuiſſet, reuerſus eſt: & ſancto omnia narrauit, rem quidem faciens importunam & moleſtam ei, qui à gloria captanda adeò erat alienus: narrauit tamen. Narrationi autem intererat etiam quidam Pontifex, ſed inops & egenus rerum neceſſariarum. Atque magnus quidem Marcellus, qui laudes non minùs ægrè ferebat, quàm probra, ſiſtit quidem curſum eius orationis: petit autem, cùm ſciret eum habere, vt det ei mutuò duos aureos, vt pauca elargiatur pauperi. Ille verò cùm eſſet valdè parcus, eos dare recuſauit. At non longo ab hinc tempore, inquit magnus, nec ipſum tibi corpus remanebit: ſed id quidem ſepulcrum, aurum autem accipiet commune monaſterij. Nondùm duo dies præterierant, & ille quidem vitam finijt, pecunias verò accepit commune. Atque multa quidem fortaſsè coniecerint homines, in multis autem etiam aberrauerint, ſi hoc tentent quærere, cuinam quidem æqualis, quonam autem inferior, & quonam ſuperior fuerit ſanctus. Deus verò ne hoc quidem reliquit obſcurum. Quomodò autem, ijs qui volunt, iam ſignificabit oratio.

Eliſeus Abbas diuinitùs diſcit & virtutes S. Marcelli, & formã corporis.

Prædicit cuidam pótifici ſuam mortem.

Cap. 24.

Eſt quædam ciuitas, quæ nomen accepit à Pompeio: incolitur autem ad Pontum Euxinum. In ea vir quidam præfuit monaſterio, nomine quidem Gaudiolus, plenus autem diuino ſpiritu & repletus gratijs. Cum eo propter aliquod negocium congreſſus Thalaſſius, (erat verò hic quoquè vnus ex magni Marcelli diſcipulis) hic ergò cùm aliquandò vidiſſet Gaudiolum, iuſtè quidem, iraſcentem tamen in aliquos ſui gregis, & cùm priùs reſilijſſent, reuertentes ipſos non admittentem, petijt vt admitterentur: & exemplum dedit, quod erat propinquum, Marcelli manſuetudinem. Is autem ei ſtatim dixit: O vir præclare, non eſt idem Gaudiolus, quod Marcellus: ſed quantum interſit, hinc ſcies. Nam cùm Moſem poſueris, ei etiam oppone Marcellum. Deus enim mihi oſtendit euidentiſſimè, quòd quæcunque legiſlatori, ea etiam inſpirauit Marcello.

Gaudiolo Abbati à Deo reuelatur S. Marcelli excellens virtus.

Cap. 25.

Nos verò alia quoquè adijciamus: non vt virum ex his rectè videamus, ſed nè pulcherrimis priuemur narrationibus. Quidam diſcipuli ab eo aliquandò miſſi ad Euxinum, retrò nauigare ſtatuerunt. Cùm autem, vbi à terra ſoluiſſent, nocte tota fretum ſecâſſent, defeſſi priuſquàm mare tranſmiſiſſent, appellunt in quendam locum valdè aſperum, & in quo nauibus nullus erat portus, nec fida ſtatio: cumq; ventus ſpirâſſet vehementiùs, fieri non poterat, vt ſalui eſſent. Atque illos quidem ſomnus opprimit: ille autem appáret vni eorum dormienti. Páret is viſioni, párent etiam reliqui: ſoluunt nauem, à loco illo recedũt, in oſtium ponti nauigant: & cùm in tuto eſſent, caligo occupat aërem, & procella pontum furore agitat, & itá inſurgunt fluctus, & mare conturbatur, & naues obruuntur, vt aër quidem fletibus, mare autem eſſet impletum naufragijs. Alij aliâs mittebantur ad Orientem, & Marcelli adiuti precibus, tunc quidem nauigárunt: cùm verò viſum eis eſſet reuerti, in terram appulerũt: & alios quidem ſanos accepit ciuitas Ancyra: Paulum autem vnum ex his, grauis morbus inuaſit. Comitibus autem illum quidem ægrotantem relinquere erat impium: vt eum verò ſecum ducerent, fieri non poterat: vt illi autem rursùs cum eo manerent, erat valdè difficile. Ille valdè ſuſpirans & eiulans, Vbi ſunt, inquit, ô pater Marcelle, tuæ preces? Nam tu quidem me Deo commendâſti, ego autem iam pereo. Neque hoc quidem mihi graue, etsi ſit graue, ſed quòd extra tuum gregem, & procùl à meis fratribus. Hæc ille quidem dixit Ancyræ cum lachrymis: ille verò cùm eſſet in monaſterio, audiuit: & ſtatim Paulus quidem conualuit: magnus autem Marcellus accerſito Cæſario, iuſſit horam ſignari: Vnus, dicens, ex fratribus, qui eſt procùl à nobis, & eſt graui morbo oppreſſus, aſſerit ſe nihil accepiſſe vtilitatis ex mea ad Dominum commendatione. Sed propè eſt Dominus omnibus, qui eum inuocant in veritate, & eorum, qui ipſum timent, faciet voluntatem, & eorum preces exaudiet, & eis dabit ſalutem. Hæc is quidem deſcripſit: ille verò conualuit, & reuerſus eſt. Oſtenſa eſt autem ſcriptura, & eádem hora inuentum eſt, Paulum conualuiſſe Ancyræ, & Cæſarium ſcripſiſſe in monaſterio.

S. Marcellus appáret cuidam in ſomnis.

Sanat Paulũ monachũ infirmitate laborãtem, abſens.

Pſal. 144.

Cap. 26.

Deus aliquandò terram vexabat fame, eaque fame, qua neſcio an vlla vnquàm fuerit deterior. Monaſterij autem horrei Præfectus Malchus, qui frumentum ſuppe-

Ingens fames.

 ditabat

ditabat pistoribus, postquàm vniuersum ferè consumptum fuerat, (sufficiebat enim ne ad totos quidem decem dies, & necessè erat fame perire monachos) accedit ad præclarum Marcellum, & ei renunciat frumentum esse consumptum. A quo audiuit, vt faceret quæ consueuerat, & hoc ei nulli esset curæ. Ille arbitratus eum sperare alicundè soluendam esse inopiam, absque vlla solicitudine suppeditauit sicut consueuerat. Quinque deinceps dies præteriêrunt: & cùm nihil euenisset eorum quæ sperabat, rursùs dicit, & ei causam reuocat in memoriam. Audit verò eadem. Postquàm autē ad alios quoquè duos consumpsit, & non multùm abesse videretur, quin esset vniuersum consumptum, ille quidem rursùs accedit conturbatus: Marcellus verò statìm accedens ad horreum, parturiens id statìm implet, & incipit párere: & quod est admirabile, & omnem superat rationem, quandiù dictus quidem Malchus metiebatur, frumētum videbatur diminui, & minari futuram mox egestatem. Cùm autem postridiè ingrederetur, eadem magnitudo erat & idem cumulus: & apparebat perindè, àc si ne parùm quid ablatum esset pridiè. Quòd verò hæc non essent deceptio oculorum, fidem facit tempus. Tandiù enim frumenti fuit hoc admirabile augmentum & acceptio, quandiù mansit grauis illa & infinita fames. Sed his quidem ostenditur, sanctum & nutrijsse viuos, & conseruâsse eos, qui erant in periculo. Quemadmodùm autem se gesserit sanctus in excitandis mortuis, & fugandis dæmonibus, statìm dicetur.

Miro modo vir sanctus auget frumentum.

Cap. 27. Aegrotabat quidam, & in lecto decumbebat, nomine Paulus, habitu monachus. Is cùm extremum iam duceret spiritum, mittit ad sanctum, & rogat vt veniat. Postquàm autem, via confecta, qui missus fuerat, venit ad monasterium, & fuit coram magno Marcello, quoniam ille tunc de rebus disserebat grauibus, & de sacris tractabat dogmatibus, contendens cum Antistite Chalcedonis, & qui missus fuerat, est reuersus, & qui ægrotabat, erat mortuus. Cùm ergò iam peracta essent, quæ fiunt mortuo, & paratus esset ad efferendum, (hoc autem non alia de causa prouisum fuerat à superis, quàm vt maiorem casum, & maius miraculum, & Marcelli virtutē maiorem ostenderet) vbì factus fuit disserendi finis, venit ad ægrotum: & cùm illum vidisset mortuum, & iam paratum ad efferendum, motus quidem est animo, & ex eius genis fluebant lachrymæ: neque remisit tamen suam ad Deum fiduciam: sed cùm manus simul & oculos & animam ad eum sustulisset, est aliquandiù precatus. Deindè non septiès quidem inspirat, sicut olìm zelator Elias: sed solùm manū imponit mortuo. Qui autem aderant, aliâs eum velle putantes, & non vt mortuum tentare, dicunt: Est mortuus. Simulatquè verò illi hoc dixerunt, surrexit mortuus: vidensque ostensus est & loquens, & eorum, quæ illic erant, meminit spectaculorum. Sic ille, qui, si audendum sit dicere, vel Sole clarior apparuerat, nolebat, quòd ad se attinebat, multis apertum fieri miraculum: sed & ei qui surrexerat, & ijs qui adspexerant, sicut meus Iesus, præcipit silentium: tantum adferens studium fugiendæ gloriæ, quæ est ab hominibus, quantam ipse erat à Deo consecuturus. Quocircà nec permisit vt lateret id, quod factum fuerat, is qui gloria semper circundat eos, qui ipsum glorificare voluerunt. Nam qui ea suis oculis adspexerant, eius iussa parùm curantes, cùm nec vellent celare, nec alijs tantum bonum inuidere, ea quæ viderant, ad multorum aures transmittunt: nec hocipsum quidem celantes, quòd cùm rem tam magnam fecisset, eos iusserat silere.

Tractat vir sanct° de sacris dogmatibus cū Episcopo Chalcedonensi.

3. Reg. 18.

Mortuum excitat, iubetq; habere rē tacitā.

Mar. 1.

1. Reg. 2.

Cap. 28. Oportet autē eius quoquè virtutem ostendere aduersùs dæmones. Attulerunt ad eum aliquandò quatuor simul dæmoniacos, quos sæuissimi & pessimi inuaserant dæmones. Et ille quidem precari: illi autem statìm cœperunt insanire. Atque primùm quidem in eum loquebantur blasphema, & homines vehementer cōturbabant. Deindè cùm preces magìs vigerent & inualescerent, illi etsì non viderentur plagas accipientes, dolores in publicū proferunt, & clamare incipiunt: Iube nos exire, quoniam in nos accepisti potestatem: insidiosè quidem illi hoc & malignè. etenim ostendent hæc, quæ deincèps sequuntur. Cùm itaque intellexisset insidias magnus Marcellus, neque conuersus est ad id, quod dictum fuerat, neque eos increpauit: sed ad cælum solùm intuens, perseuerabat in oratione: & nihil aliud quàm, Serua tuum figmētum, ô Christe, diù rogans dicebat. Et illi quidem rursùs rogabant, vt iuberet: ille autem non obtemperabat, sed in eos diuinam virtutē inuocabat: sicque expulsi sunt, & viri simul liberati sunt à plaga. Cùm autem causam rogarent, qui tunc aderant, cur dæmonibus se cessuros confitentibus ab initio nihil præcepit, ille respondit: Quoniam dicen-

Quatuor dæmoniacos sanat.

dicentes me in eos accepisse potestatem, non aliud agebant, quàm quòd vanæ gloriæ laqueis me conabantur implicare. Et illorum quidem quatuor virorum res ità se habuerunt. Paulò pòst autem Lazarus quoquè quidam, qui corripiebatur furore dæmoniaco,& linguam diù ore exertam & pēdentem habebat,sicut canes,& spumā deindè expuebat, eandem quoquè consecutus fuit curationem. Nam cùm primùm eum sanctus benignis vidit oculis, & precatus est ei suæ plagæ curationem, statìm conspectus est sanus, & liberatus est à dæmone,qui eum occupabat. Et quid opùs est illius cuncta dicere? Facilius enim est stellas numerare, aut maris fluctus metiri, aut aliquid aliud aggredi,quod fieri non potest, quàm illius res omnes inuenire. Verumenimuerò pauca quędam de illius etiam moribus adducenda sunt in medium, vt sciamus,quòd à quo hæc gerebantur,illa quoquè ei omninò debebantur: & simul quæ in longum producitur oratio, varietate vitabit satietatem. Preclarè eludit fraudem malignorū dæmonum. Aliū curat dæmoniacum.

Hic magnus Marcellus cum alijs bonis quæ habebat, sanctorum quoquè reliquiarum tenebatur magno & vehementi amore, eas existimans esse dona cælestia, & reuerà plurimi facienda: & qui aliquid tale ad eum deferebat,appellabatur seruator & benefactor,& videbatur esse missus ex ipsis cælis. Deus itaque,qui in hoc prompto & alacri animi studio ei opem ferebat,multos ex multis locis adducebat,qui hunc eius amorem consolarentur,& dona quæ erant maximè optanda,offerebant ei tanquàm amico: partìm quidem ex Persis, partìm autem ex Illyrico, partìm ex ijs, quæ erant vbiquè, regionibus. Ille verò quemadmodùm, & cum quanta sua delectatione, & cum quanto honore & reuerentia ea excipiebat: simul quidem hinc ostendēs suum amorem in communem Dominum, eorumque mortem laudans & beatam prædicans,& similem,si fieri potuisset, cupiens consummationem. Quale autem esset eius desiderium sciens Deus, & volens ei gratificari, ei sæpè priùs ostendit, & priùs significauit, hoc aut illo die venturum aliquem, qui ei sit allaturus ea, quæ desiderat. Ille verò & ipse se præparabat,& curabat vt esset totus eius grex paratus,& ità vehementi ardentique motu cordis,& supinis, vt aiunt, manibus preciosas suscipiebat reliquias. Verumenimuerò ne hoc quidem æquum est prætermittere. Ad eum venit aliquandò quispiam, & quasdam ei sacras tradidit reliquias, dicens eas esse martyris Vrsicini. Ille autem magnificè quidem eas excepit, & consuetum eis festum celebrauit. Cùm verò staret ad preces nocturnas, talis eum subijt cogitatio, nè qui hoc donum ei attulerat, de eo esset mentitus, & non essent reliquiæ martyris Vrsicini. Simulatquè hæc cogitauit, quidam ex ijs, qui vnà cum eo fungebantur officio, tanquàm à Deo afflatus accurrens: Nè temerè, inquit, ô pater,dubites. Magni enim Vrsicini hæ sunt veræ reliquiæ. Ità diuina prouidit gratia, vt curaretur quod is animo dubitabat, nè dubitatione eius ardor frigesceret. Atque hæc erat quidem eius diligentia in parandis reliquijs. Cap.29. Plurimi facit Sanctorum reliquias. Eas aliundè allatas accipit summo studio.

Diuitias autem & pecunias ità despiciebat, vt & quæ præcessit, & quæ nunc sequitur, apertiùs declaratura est oratio. Nam cùm Marcellus ab initio omnes reliquisset facultates, atque adeò ab ipsa etiam domo discessisset, & qui erat ei frater secundùm carnem, accepisset illius hæreditatem, & paternorum omnium bonorum effectus esset dominus, & tota sua vita eis esset vsus, is cùm esset moriturus, relinquit Marcellum hæredem omniū suarum diuitiarum. Ille autem ea, quæ sibi relicta fuerant, non solùm sua non esse duxit: sed nec ijs vtendum sibi censuit ad commune monasterij. Hinc cùm monachi peterent, vt agrum emeret, ille eis dixit se nullum nôsse agrum vberiorem & fertiliorem, quàm spem in Christum. De bonis ergò paternis quid statuit, & de ijs,quæ ad illum pertinebant, quonam modo prouidet? Ea consumit,offerens alijs monasterijs, quæ laborabant inopia, tam virorum quàm mulierum. Et hæc quidem illis adimunt egestatem. Cap.30. Pecunias planè contemnit & opes. Patrimoniū suū dat alijs monasterijs

Quæ verò fecit in magna Dei ira, in qua totam ciuitatem, Constantinopolim, inquam, conseruauit, quis sustinuerit quidem silentio prætermittere? Quis est autem adeò tardus & hebes, qui non cupiat audire? Magno illo Leone imperij sceptra administrante,in hac ciuitate oritur incendium,& incendium eorum,de quibus vlla fit mentio, maximum & sæuissimum. Cùm autem iam incepisset calamitas, de ea auditione accipit magnus Marcellus: & cùm statìm cęlum suspexisset,& multùm lachrymâsset,diuidit supplicium: immò verò maximam eius partem alleuat. Nam partem quidem ignis eius extinguunt lachrymæ: altera verò pars relicta est Byzantinis ad disciplinam. existimatum enim fuerat fore, vt totam depasceret ciuitatem. Ille verò cùm Cap.31. Cōstātinopolis ardet. Ignem suis lachrymis extinguit S. Marcellus.

cùm partem quidem repreſſiſſet, partem autem præſciuiſſet, Hei mihi, dicit triſti voce. Dolebat enim, quòd non totum ceſſare feciſſet, ſicut magnam noſtrorum peccatorum multitudinem: & quòd viſum eſſet Deo, ſerpere ignem à mari vſque ad mare: & tanquàm telum, medium quidem diſſecare: ab ijs autem, quæ ſunt ex tranſuerſo, abſtinere: quod etiam factum eſt. & ignis cùm accepiſſet initium ab eo, quod dicitur Neocorium, inſtàr cinguli totam cinxit ciuitatem: ceſſauit verò ad mare, quod eſt ex aduerſo, velutì oſtendens, quòd is quidem totam peruaſiſſet ciuitatem, ad hoc autem redactus eſſet per Marcellum.

Cap. 32. Cùm duorum adhuc aut trium meminerimus, reliqua linguis aliorum, prout potuerint, dicenda relinquemus. Et primùm, quàm ingentes eſſent ei ſpiritus, qui in potentes quidem deprimi non poterant: in eos verò, qui erant modeſti ac moderati, facilè inclinabantur. Ijs autem, quibus fiebat iniuria, erat adiutor inuictus. De Ardaburij & Aſparis, quæ erat illo tempore, potentia nihil eſt dicendum: neque de crudelitate æquali potentiæ, atque adeò maiori. Hic ergò, qui erat adeò potens & crudelis, Ardaburius iraſcebatur cuidam ex ijs, qui erāt in eius poteſtate, nomine Iohanni. Ille verò omnibus alijs, atque adeò ipſo Imperatore prætermiſſis, vt qui non eſſent ſatis potentes, vnum nouit refugium Marcelli tabernaculum: & id ſubit, & ſub eo latet, tanquàm ſub aliquo tuto propugnaculo. Ille autē cùm reſciuiſſet, petebat, ad ipſum mittens, hominem ſibi tradi. Cùm verò non obtemperaret, cœpit minari. Cùm Marcellus autē minas non curaret, ei vim attulit: miſſiſque militibus, qui & viribus valebant, & erant multi numero, iuſſit quærere eum, qui confugerat: &, ſi non paréret, vti armis. Atque ille quidem cùm ſic iuſſiſſet, eos dimiſit. Illi autem profecti, & verbis, vt iuſſi fuerant, vſi, quoniam non parebat, monaſterium circunſidebant. Hæc facta ſunt veſpere: Magnus verò Marcellus rogauit eos, an vellent manere, & ſe eis dixit alimenta daturum. Cùm autem manſiſſent, ſuppeditauit alimenta. Et res quidem ità tranſijt vſque ad veſperam. Cùm nox autem aduentâſſet, qui foris quidem erant, enſes iam quatiebant terribiliter. Monachi autem hæc videntes & audientes, ſanctum circunſiſtentes, pro enſibus eum verbis feriebant: Quid ergò, dicentes, tibi omnes propter vnum peribimus? idque morte violenta & acerba? & tuis filijs erit tibi præferendus externus? & tibi à fundamentis cum templo peribit monaſterium? Non dimittes, non citò præbebis eum, qui quæritur, qui malis huc peruénit pedibus? Cùm ſic per totam noctem eum & hoſtes & amici etiam acriter inuaderent, tempuſque fruſtrà contereretur, & ſupplex non traderetur, manè autem ſtatuiſſent milites vti gladijs, & iam eſſent aggreſſuri, tunc Chriſti athleta ſuam contrà obiecit potentiam. Eis verò præter opinionem appáret aduerſaria, non phalanx quidem, ſed diuina quędam & cæleſtis potentia, in orbem ab igne circunſcripta, & arma inexpugnabilia, nempe Crucis Chriſti imaginem in medio referens, longè magis refulgentem, quàm ignis, qui erat circuncircà. Hæc ergò terribilis potentia, quæ apparuerat ex ipſo faſtigio monaſterij, emittebat grauia tela aduersùs milites: quæ quidem erant ignis fulgura intolerabilia. Quibus cùm non ſolùm reſiſtere, ſed ne ea quidem contrà intueri poſſent, gladios in terram proiecerunt, & ipſi ceciderunt, & voces ad Deum placandum accommodatas, prout vnuſquiſque poterat, emittebat. Quas cùm ij, qui erant intùs, ſenſiſſent, canere cœperunt, & fuerunt ipſi quoquè teſtes miraculi, quod euenerat præter opinionem. Hoc effecit, vt crudeliſſimus Ardaburius ſuorum morum obliuiſceretur: & cauſa fuit, vt præter ſententiam benignus videretur, ira ſua in Iohannem remiſſa.

Ardaburius & Aſpar Ariani, iubēte Leone trucidati ſunt. Vide Nicephorū &c.

Eius monaſterium ab hoſtib⁹ circunſeſſum.

Milites Ardaburij diuinitùs terrētur & cōprimuntur, dum S. Marcelli monaſteriū vexā.

Cap. 33. Cùm in Ardaburij inciderim mentionem, illius quoquè meminero, quemadmodùm vir ille diuinus futurum quoquè eius vitæ exitum prædixerit. Cùm ſe poſt orationem ſomno aliquandò dediſſet, ei appáret viſio. Illa autem erat huiuſmodi: Pugnabant inter ſe leo & draco. Sed draco quidem cùm eſſet ingenti magnitudine, cauda leonem verberabat & torquebat: leo verò dolebat quidem, & ad ſe cauda defendendum excitabatur, & draconem obiens, inaniter depugnabat, & eum nihil lædebat, quouſquè ipſe quidem defeſſus plagis, humì totus iacebat afflictus & imbecillus. Deindè cùm ſe rursùs paululùm recreâſſet, & velutì à quodā ſomno ſurrexiſſet, magno & vehementi impetu in draconem inſilijt, eumque pronum in ventrem proſtrauit. Hoc cùm diuinus vidiſſet Marcellus, & accuratiſſimè cōieciſſet, prædixit haud ità diù pòſt Aſparem & Ardaburium eſſe cum toto genere interituros ab Imperatore. Sed hæc quidem poſteà. Quæ autem interìm facta ſunt, ſunt huiuſmodi:

Viſio S. Marcelli.

Prędicit caſum Aſparis & Ardaburij.

Cùm

Cùm multa accidissent inter eum & Imperatorem, quæ inter se inuicèm inimicitias alebant & suspiciones, ex vtrisque quidem natum est odium: cùm autē vtrinquè magnum à se inuicèm immineret periculum, neutri verò eorum facilis esset victoria, conuertuntur ad communia incunda fœdera: nempe, vt Asparis quidem filius, frater autem Ardaburij, cùm duxisset vxorem filiam Imperatoris, Cæsar crearetur. Hoc autem qui accepit, est alius, vt dixerit quispiam, Subimperator. est enim ei & aurata purpura, & alia insignia imperij, nisi solùm, quòd aurea corona non habet omnia signa imperij. Is itaque accepta hac dignitate, cum viuēte quidem Imperatore erat omnia facturus communiter: eo autem mortuo, ipse primus & solus accepturus imperium, & tanquàm debita sibi sceptra sumpturus. Ea res verò non parùm cōturbabat Ecclesiam, si rursùs sit imperiū Arrianus inuasurus. Aspar enim, & eius filij, & tota domus, Atrij insaniam mirādum in modum amplectebatur. Cùm itaque essent pleni tumultu, communiter conuenerunt, & ducibus Geladio & Marcello venerunt in Hippodromum, vt ab inhonesto & indigno hoc cœpto arcerēt Imperatorem: qui ipse quidem ad hoc quoquè erat prompto & alacri animo, sed cedebat tempori Asparis & Ardaburij. Cùm ergò sic paratus esset Christi exercitus, eis quoquè Deus ostendit Ducem: & tantum interesse inter Marcellum & alios sacerdotes & Pontifices, quantum inter exercitùs Ducem & Imperatorem: atque adeò, si velis, inter militem & Ducem, hoc fuit euidens signum. Nam inter ambulandum, videbant ij qui digni erant ea videre, iuuenem quidem statura maximum, forma verò pulcherrimum, & zona cinctum aurea, adspectu quidem tam candidum, vt niuem videretur superare: tam lucidum autem, vt luce coruscaret. Læna verò ei erat & tunica, eaque niue candidiora. Eum ergò videbant à sinistris simul cum magno Marcello ambulantem, velutì quendā satellitem, simul terribilem, & manum velutì supponentē, sustinuisse senem, & cum maxima reuerentia non destitisse ei inseruire. Cùm autem ingressi essent in eum locum, in quo solebat sedere Imperator, erat quidē sic quoquè Marcellus omnia ijs, qui erant Ecclesiæ: quinetiam ipse quoquè liberè loquebatur ad Imperatorem, & illis addebat animum, & quodammodò eos adhortabatur ad certamen pro Christo suscipiendum. Atque illi quidem cùm omnia effecissent propter quæ venerant, quæ quidem erant, vt Asparis filius aut rectam disceret opinionem, aut nec dignitatē Cæsaris acciperet, (hæc enim eis pollicitus est Imperator) lætantes exiērunt. Ille autem rursùs adolescens, & altissimus, & splēdidissimus, visus quidem est ahuc adesse & versari cum Marcello: Cùm verò eum deduxisset vsque ad portas, decætero euanuit ex oculis. De quo nullus dubitauit ex ijs qui aderant, sed euidens fuit omnibus, cum fuisse Dei ministrum, virili habitu indutum, qui missus fuerat, vt esset custos & satelles Marcelli. Sed ab eo quidem fuit habitus in tanto honore. Haud ità multò pòst acceperunt finem ea, quæ is prædixit. Ardaburius enim simul cum patre & fratre, & alijs non paucis ex ijs, qui erant eiusdem sententiæ, cùm ebibisset vltimam fæcem iræ Domini, raptus est ab hominibus, leoni draco, Imperatori iustè traditus impius.

Cap. 34. Inimicitiæ inter Leonē Imperatorē & Ardaburium.

Asparis familia Atrij dogmate corrupta.

Visio quædam.

Custos & satelles S. Marcelli Angel⁹ Domini.

Ardaburius perit cū suis

Vnum adhuc restat conuenienter meæ promissioni: quod vbi adiecero, finem imponam orationi. Lucianus quidam Constantis filius, viri qui multùm poterat consilio, despectis humanis omnibus, monasterium ingressus, breui tempore per Marcellum multos eorum; qui cōsenuerant in exercitatione, longè à tergo reliquit: quem dicunt à nullo vnquàm esse visum nec irascentem, neque multa loquentem, sed neque vlli præbentem iræ occasionem. Is, quandò bonus pater Marcellus excedebat, adstans, & plusquàm alij lachrymans, rogabat hanc sibi dari gratiam: ea autem erat, nè eum despiceret hîc solum, neque sineret eum esse ipsi longo tempore superstitem. neque enim se posse ampliùs rectè viuere: sicut neque nauem tutò nauigare, quæ amisit gubernatorem. Et ille quidem hæc: Marcellus verò cùm vidit eum magna affectum tristitia: Esto, inquit, bono animo. Nam cùm ego excessero, tu quoquè consequēris, & insistes vestigijs eius, quem desideras. Cùm sic dixisset, paulò pòst finem accepit, quod dictum fuerat. Nam cùm ille decessum ægrè ferret, & totos deincèps quinque dies & noctes ad fossam magni Marcelli mansisset, post illum mori, vitam, sine eo autem esse superstitem, mortem acerbam existimās, ad eum in somnis venit magnus Marcellus, conuersumq; ad sepulcrum: &, Cur, inquit, te afflictas & quēreris de tarditate, & non credis? Ego Deum pro te precatus, effeci id quod tibi expedit, & statìm ad me venies. Fuit ità: & tertio pòst die è vita excedit Lucianus, cùm solos octo dies fuisset magno Marcello superstes.

Cap. 35. Magna perfectio Luciani.

Eius obitū prædicit S. Marcellus.

Ei S. Marcellus apparet.

Quàm

Cap.36. Quàm multa Marcelli, quæ sunt huiusmodi, alia quidem maiora, alia autem non omninò inferiora, quot linguæ suffecerint ad narrãdum, & quot libri ad ea quæ scriberentur, suscipienda? Qui cùm exercitationem vltra sexaginta annos produxerit, miracula assiduè faciebat. Quo non fuit quidẽ ille in certaminibus fortior? Quo non autem ad certamina vtilior? & quo non fuit in eos qui labebantur, mitior, & in præstando officio diligentior? Quis sic defendit eos, qui afficiebantur iniuria? ijs autem, qui iniuriam faciebant, omninò non permittens, sed resistens, & eorum voluntati minimè assentiens? Sic in tota vita, totam quidem noctem, diei verò plurimum, dabat canticis & precibus, & alijs Dei ministerijs. reliquum autem his tribus dispertiebat. Et primi quidem ad eum accedebant, qui vexabantur cogitationibus: quibus dabat vnicuique medicamentum conueniens, ei partìm quidem diuina scriptura ea suppeditante: partìm autem prudentia ex experientia. Post illos accedebant, qui erant affecti iniuria. Cùm verò pro eis literas scripsisset ad præsides, Iudices, ad illos ipsos, qui faciebant iniuriam, & si opùs erat, etiam ad ipsum Imperatorem, (nam illi quoquè erat reuerendus, & obtemperabat ad id, quod magnus volebat Marcellus) conuertebat deindè ad ægrotantes, & omnes obiens, eis exhibebat quæ eis erant necessaria ad alimentum, & ad curandum corpus. Sic nihil omninò aberat Marcello, quod aderat ijs, qui olìm laudabantur. Sed erat ei Prophetarum quidem gratia omnia præuidendi: Patriarcharum autem fides, quæ efficiebat, vt fidenti esset animo in omnibus: Mosis quidem mansuetudo, Iosue autem zelus, & iusta ira aduersùs eos, qui faciunt iniuriam: Discipulorum verò, Petri quidem ardor: Iohannis autẽ lingua theologica, & quod cum virginitate est verborum tonitru, & Pauli vehemens in dogmate studium, & per terram & mare prædicationis disseminatio. Omnium verò simul, fons miraculorum, & quòd ea semper fluerent, non secùs àc perennes fluuij.

Vide exercitia S. Marcelli.

Catalogus virtutũ ei⁹.

Cap.37. Huius vel solum dicere decessum, quàm fuerit optandum? Quàm multorum reconciliauit inimicitias? Quàm multorum composuit controuersias? Quàm multa bona vno die fecit in extremo spiritu? Quandò certè ei carnis dissoluebantur vincula, & ei quem desiderabat, erat appropinquaturus, & primæ pulchritudinis primas suscepturus illuminationes: aderant autem multi ex ijs, qui se in pietate exercebant, & multi monachi, & multi ex ijs, qui erant consecrati: non pauci verò ex ijs, qui mundanis opibus & gloria erãt insignes. Cum quibus postquàm multùm est philosophatus & locutus de anima & corpore, & de ea quæ est illic vita, & vnumquenque est adhortatus, prout cõueniebat vniuscuiusque ætati & dignitati, & deindè est etiam precatus, & postremò dixit se velle parùm dormitare, & eos iussit secedere, sacram illam sic emisit animam: cuius mundum corpus & venerãdum, sanctis manibus compositum, sacrum illud templũ suscipit, quod ipse excitauit à fundamentis, & verè sacrum constituit monasterium: Ad gloriam patris, filij, & spiritùs sancti, nunc & in secula seculorum, Amen.

Feliciter migrat ad Dominum.

VITA S. THOMÆ ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, ET CLARISSIMI MARTYRIS, EDITA A

M. Eduardo eius contemporaneo: quam totam, vt ab illo conscripta est, hoc loco adscribere, nimia temporis angustia non patiebatur. (valdè enim prolixa est) Itaque coactus sum meo stylo eam redigere in compendium: quod tamen spero absque Lectoris magno detrimento me fecisse.

PROLOGVS Authoris, sed per me contractus.



QVI mundi huius artes & disciplinas profitentur, habent singuli conatus suos, quibus ad altiora contendant: laboresque suos duros & molestos contemplatione fructûs & vtilitatis indè nascituræ solantur. Et quid non illi molestiarum deuorãt, quos non labores suscipiunt, quas recusant iniurias, modò possint consequi quod venantur? Quid verò est isthuc? Corona corruptibilis, sic enim Apostolus vocat. Perit igitur omnis talis & labor, & præmium, quia temporaria sunt. Nobis verò, quibus Christus via est: & merces laborum, vita sempiterna, inter varios mundi casus vt multa opùs est vigilantia, ità magna sunt

1.Cor.9.

Ioan.14.

ad viriliter perseuerandũ incitamenta, quæ nos accendant ad contemnenda mollioris vitæ lenocinia, negligendam malorum hominum æmulationẽ, dura omnia perferenda, vt felici commercio pro caducis æterna, pro terrenis cælestia nobis comparemus. Inflammat nos ad hæc vita & conuersatio sanctorum. E quibus tamen si fortè minùs mouent prisci illi heroës ob vetustatem temporis: pudeat sanè vel hunc nolle imitari, quem licuit intueri. En procedit in medium nouus Christi miles, & martyr egregius beatus Thomas, sanctitatis speculum, iustitiæ norma, incentiuum patientiæ, virtutis exemplar, inuictissimus assertor veritatis. In quo tamen, nè hoc infirmos animos absterreat, non martyrium, non miracula imitanda proponimus, sed vitam martyrio plenam. Is enim inter ea omnia, quæ mundus hic admiratur & in precio habet, tanta fuit animi constantia, vt nec prosperis mollesceret, nec vllis rebus aduersis à Christo abstraheretur. Passus exilium, dignitate & bonis suis omnibus priuatus, charorum iniurijs, lachrymis & desolatione valdè afflictus, excelso animo ea omnia negligens, in dies Deo deuotior & addictior efficiebatur, haud quaquàm similis stulto illi, de quo Propheta dicit: Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. Cuius nos vitam, vt partìm ab ijs accepimus, qui viuenti familiariùs adhæserunt: partìm ipsi nostris oculis vidimus, piorum adducti precibus, scribendam suscipimus, Lectorem admonentes, vt si qua ab alijs scripta sunt, aut fortasśis scribentur, quæ cum nostris pugnent, ea nouerit esse à vero aliena.

Præclara laus sancti Thomæ.

Psal. 48.

HISTORIA.



RTVS est beatus Thomas Londini in Britannia, quam nunc Angliam vocant, eamque vrbem, quæ Britanniæ caput est, suo ortu illustrauit. Patrem habuit Gillebertum, matrem Mathildem, vtrunque genere & opibus nulli ciuium suorum cedentem, morum verò integritate & innocentia illis superiorem. Cùm mater eum gestaret vtero, non semèl ei oblatæ sunt visiones quædam de eius futura sanctitate & dignitate. Quo die in lucem editus est, vt eius propinqui aiunt, è domo eius paterna ignis egressus, magnã Londini partem inflammauit. Vbi primùm per ætatem licuit, prima literarum elementa discere iussus est. Indè liberalibus admotus disciplinis, multùm in illis breuì profecisse fertur. Nec tamẽ rerum mutatio passa est diù eum hærere in scholis. Parentes enim crebris incendijs & multis casibus aduersis afflicti, illi instituendo minorem adhibuêre curam. Accessit eò vtriusque obitus, qui magnam filio attulit cum orbitate calamitatem. Solebat autem patris hospitio sæpè vti Richerius, vir nobilis & opulentus. Illi ergò Thomas se commisit iam adolescens. Erat sanè optimis moribus, præclaro ingenio, iucundo vultu, sed mixta grauitate, sermone gratus, forma eleganti. Delectabatur quidem canibus & auibus, vt solet illa ætas, atque id genus alijs vitæ huius oblectamentis: sed mansit corpore integer, & veri intantùm amans, vt aut vix, aut nunquàm quicquam ioco vel seriò dixerit, quod esset cum mendacio coniunctum. Ità ergò per id tempus venatione & aucupijs sese oblectans, pro suo arbitratu modò domì erat cum patre, modò rure apud Richerium, quem diximus: iamque constituerat literarum studijs nuncium remittere. Accidit interìm, vt cum Richerio equitans, videret accipitrem, dum vult anatem rapere, penè mergi in vndis. Eius misertus, ab equo desiliẽs, in flumen insilit auem extracturus: sed raptus ipse aquarum vi, parùm à summo abfuit periculo. Tandèm appulso illo ad molendinum, rota stetit immobilis, donèc extraheretur ex aquis, Domino illum iam desperatum conseruante, nè extingueretur lucerna in Israël, cuius preciosa morte tanta cernimus beneficia prouenisse. Habuit posteà illum apud se ferè trienniò Osbernus quidam, vir insignis & valdè diues, ei sanguine iunctus, cui ille operam nauabat in eius acceptis & expensis referendis.

Decemb. 29. Cap. 1.

Patria & parentes sancti Thomæ.

Dat operã literis.

Post mortẽ parẽtum vt vixerit.

Corpore castus, & veri est amantissimus.

Cõseruatur diuinitus à submersione.

Iam verò etiam videbatur adspirare ad honores & mundi huius dignitates: ad quæ obtinenda plurimùm illi suffragabatur & animi prudentia, & vitæ honestas. Singularis enim in eo cernebatur sapientia, & consiliorum maturitas, morumque iucunda grauitas, vt non immeritò omnibus & admirationi esset, & charus. Sed didicit tum, quod ipse posteà fatebatur, non esse in homine viam eius. Aliud enim

Cap. 2.

Ierem. 10.

ipse proponebat, aliud diuinitùs disponebatur. Venit interim ad Cantuariensem Archiepiscopum Theobaldum, & honorificè ab eo acceptus, ludis & leuitate reiecta, inter homines maturos & sapientes versabatur, eorumque sermonibus ad meliora informabatur. Animaduersa autem breui eius prudentia & perspicacitate, Archiepiscopi consilijs, itemque negocijs tum publicis, tum priuatis interesse cogitur. Sensu enim peruigil, consilio prouidus, in responsis prudens, sermone cautus & moderatus, Archiepiscopo charus & omnibus gratus fuit, vt maleuolum se probaret, si quis tot gratiæ dona in illo nō diligeret. Certè de illo Archiepiscopus testabatur palàm, se nullum vnquàm anteà tam fidum rebus suis & integrum comperisse. Sed id vidit hostis, serpens antiquus, & planè inuidit, excitauitque ei æmulum, Rogerium scilicet Archidiaconum Cantuariensem, qui quoàd Thomas superuixit, tunc quidem conceptum virus in eum quibus potuit modis effudit. Interìm autē vt ab aula Archiepiscopi eum excluderet, tum per se, tum per alios illum insectari, modò conuicijs, modò scommatibus appetere tentauit, crebrò illum per cōtumeliam vocitans clericum cum ascia, quod erat cognomen illius, qui eum ad Archiepiscopi ædes inuitârat. Sed vir prudens eiusmodi iniurijs non retardabatur à sedulis Archiepiscopo præstandis officijs & obsequijs. Excessit tum è rebus humanis Vuilhelmus venerandæ memoriæ Eboracensis Episcopus, eique opera Theobaldi Cantuariensis Archiepiscopi substitutus est Rogerius iste. Thomas verò factus est Cantuariæ Archidiaconus, quòd illo se neminem fideliorem habiturum sentiret Archiepiscopus Theobaldus, qui etiam obtinuit ei Beuerlacensem Præposituram. Sed vir ingenio liberali, sciens esse melius nomē bonum, quàm thesauros plurimos, diuitijs suis sic vti studuit, vt illis sibi bonam pararet existimationē. Sed quid moras nectimus, cùm ille nullas passus sit ad superiora proficiscens? Neque enim humili loco hærere potuit flamma tam excelsi animi, & quod magìs mirandum est, in tanta sublimitate tanta integritas vitæ.

Degit in aula Cantuariensis Archiepiscopi. *Aemulus eius.* *Fit Archidiaconus Cātuariensis.* *Eccli. 41.*

Itaque Archiepiscopus Theobaldus, volens eum ad altiora euehere, commendat eum Regi, commemorat eius prudentiam, fidem & veritatem. Confestìm Rex facit eum suum cancellarium, qui in illo regno est secundus à Rege. Augentur interìm honores, prædia, possessiones: pro more sequuntur eum innumeri mancipiorum greges, stipant electi milites, nec minor cancellario quàm Regi adest comitatus, ità vt interdùm Rex ei obiecerit, suum hospitium illum euacuâsse. At tamen Regi fidus permansit animo & actione, ad eius gloriam omnia illa referens. Rex autem tantum ei honoris, amoris & libertatis impendit, quantum nulli alteri vnquàm impenderit. Quicquid statuisset, sanxisset, mutâsset, quod ad Regis dominium pertineret, pro lege habebatur. Sed in his omnibus, licèt quidam diuersum senserint, sed falsò, corpore castus fuit, animo humilis, sed inter humiles: nam inter potētes potētior ipse & sublimior apparebat. Nullus eo disertior, nullus munificentior, nemo prudentior habebatur. Pauperibus incredibili benignitate præbebat res necessarias: sed dona gratiæ exteriori pompa ità tegebantur, vt etiam tum, cùm esset Archiepiscopus, nemo id eum, nisi pro mundi fastu & ostentatione facere existimaret. Tantam sibi & Regis & totius regni cōciliârat gratiam, vt ij soli beati putarētur, qui illi placere potuissent: vt tanto magìs prædicāda sit misericordia redemptoris, quòd mundo illum eripuit, qui tot mūdi nexibus videbatur implicatus.

Cap. 3. *Rex eū facit suum cancellarium.* *Benignitas eius in pauperes.*

Desijt interim esse in humanis Theobaldus Archiepiscopus, Rexque sibi persuadens, ad omnia sibi in Episcopatu obsecuturū Thomam, illum curauit Theobaldo subrogandum. Coactum est Londini cōcilium, electus est in Archiepiscopū Thomas cancellarius, confirmata electio est, nec erat qui non haberet gratā & ratam, præter Londinēsem Episcopum, qui tamen citò repressus est. Indè Thomas introducitur Cantuariam, solenni deuotione à Clero populoque excipitur, moreque ecclesiastico consecratur, & in sede collocatur. Postquàm autem consecratus est, & omnes ad sua redirent, mox in seipsum reuersus, & ad Deū toto corde conuersus est: &, quod dictu mirabile est, non citiùs sacra illa delibutus est vnctione, quàm animus eius multiplici spiritussancti gratia est perfusus & inebriatus. Etsi autē non statìm habitum, at animum ex toto mutauit: immò non illius hæc, sed mutatio dexteræ excelsi fuit. Porrò nè ex honore inflaretur, posteà carnem suam fertur diuersis pœnitentiæ laboribus afflixisse. Amplexus quoquè est & habitum & institutum eorum, quos vocant Canonicos regulares, & tum muneri Archiepiscopi, tum

Cap. 4. *Fit Archiepiscopus Cantuariensis.* *Amplectitur institutum Canonicorum regularium.*

illi instituto perfectè satisfecit, cùm ægrè quisquam possit alterutrum ità, vt par est, exequi. Alia quoquè his difficiliora adiunxit. Vt autem sanctitatem suam occultaret, noluit statìm mutare habitum, donèc esset in virtute cõfirmatior. Cùm autem mussitarent monachi, quòd contra morem in seculari habitu visitaret chorũ, quidam ex domesticis eius ait illi, adstetisse ipsi quendam vultu terribili, & minacibus verbis ità dixisse: Vade, dic cancellario, (Archiepiscopum enim præ indignatione dicere noluit) vt sine cunctatione mutet habitum: alioquì me perpetuò aduersarium habiturus. Id audiens vir venerabilis, amarissimè lachrymatus est: cœpitque tum quotidiè proponere sibi ob oculos onus suscepti honoris & muneris, acriter vrgere & extimulare seipsum ad satisfaciendum officio suo, ad prælucendum subditis suis virtutum & bonorum operum exemplis. Dicebat sibi: Fuerit ignorantiæ & iuuenilis animi, quòd hactenùs viximus remissè: deincèps nullum manet nobis excusationis velamen. Præuenerat eum Dominus in benedictionibus suis, ità vt terrena omnia contemnens, ad cælestia contenderet, & sæuus in seipsum exactor, hostiam viuam, sanctam, Deo placentem sese mactaret & immolaret. Gulam domabat victu tenui, illicitos animi motus, sacræ lectionis & orationis assiduitate comprimebat, naturalis incẽdij flammas somno breuiori & cilicio asperiori coërcebat. Et vt multa prætercam, carnẽ suam crucifigens cum vitijs & concupiscentijs, totum se intra necessitatis metas continuit, totus mutatus in virum alterum. Quicquid sanctum, quicquid honestum & iustum esset, & fecit & docuit: ijs contraria prorsùs reiecit & propudiauit. Ab ipsa mox ordinatione sua tantus in eo extitit amor & deuotio erga Deum, tantus iustitiæ zelus, vt nulli, quantacunq; dignitate is esset, parceret, si quid contra iustitiam attentâsset. Sed neq; Regi ipsi contra summi Regis voluntatem vlla in re obsequi voluit, neque vt id vellet, vllis vel minis, vel blanditijs adduci potuit. Ecquis verò pro dignitate prædicare, immò vel admirari possit diuinæ misericordiæ viscera, in tam subita, tam perfecta mutatione humanæ mentis? Quicquid anteà mundanum & fluxum senserat venerabilis Christi martyr Thomas, largo lachrymarum imbre diluit, & pij amoris incendio in ara cordis concremauit, graueque sibi bellum indicens, exegit à seipso per pœnitentiam, quicquid in se culpæ meminerat admisisse: quæq; priùs desiderio complexus videbatur, iam opportunè importunè prædicauit contemnenda. Regis quoquè terreni posthabita voluntate & obsequijs, summum sibi Regem conciliare studebat sacris vigilijs, ieiunijs, precibus, lectionibus, meditationibus, largissimis eleemosynis. Tot enim pauperibus quotidiè victum vestitumque suppeditabat, vt licèt innumeri ad eum mendici confluerent, citiùs tamen deesse viderẽtur quibus præberet, quàm quibus præbere ipse vellet. Vt autem suppeteret, vndè largiri posset, possessiones Ecclesiæ conseruabat, abalienatas recuperabat, pristinumque Ecclesiæ suæ ius reformare connitebatur.

Rom. 12. Sibijpsi acre bellum indicit. Phil. 5. Zelus iustitiæ. Innumeros fouet pauperes.

Indè factum est, vt sacrilegi quidam rerum ecclesiasticarum vsurpatores, adiunctis sibi quibusdam Episcopis, Regem & omnem eius familiã in eum concitarent, dicentes eum regias consuetudines & donationes velle abolere, & ad præscriptum Canonum clerum populumque moderari. Interim Rex suspicatus ab illo se contemni, quem tanti ipse fecisset, animi sensìm crescente acerbitate, eum à secretis consilijs suis amouit. Satan quoquè Episcopos & proceres regni incitabat in eum, virile pectus eius frangere modis omnibus pertentans. Sed ille sciens beatos eos, qui propter iustitiam persecutionem paterẽtur, exiguum putabat, quicquid mundus & diabolus ob iustitiæ & veritatis assertionem posset inferre. Itaque Regi quędam in procerum conuentu contra ius fasque exigenti palàm restitit. Etsì autem eius dicendi libertate compressus Rex, tum sileret, at tamen animi indignatione concepta, in quendam è Clero, quòd id putaret in Archiepiscopi contumeliam cedere, quædam præter fas moliri cœpit: sed eum tuendum Archiepiscopus suscepit. Rex iratus, cõuocat Episcopos omnes, ijsque, præsente Archiepiscopo & proceribus regni, imperat, vt consuetudines regni, quas sanxisset auus eius, quasq; ipse propositurus esset, confirment. Respondent vna voce Episcopi: Legibus tuis obtemperabimus, sed salua professione ordinis nostri. Vrgebat Rex iratus, vt leges regni seruarent & confirmarent, quippè quæ essent, vt ipse aiebat, pacis tuẽdæ causa promulgatæ. Tum venerabilis Archiepiscopus suspectum habens pacis nomen, constanter respondit Regi, nullius se velle parére legibus, quę cum diuinis pugna-

Cap. 5. Patitur persecutiones. Matth. 5.

 rent.

Cõtradicit Regi quædã præter fas exigenti.

rent. Idem cæteris dicentibus, conuentus ille inimica quadam contentione solutus est. Erat tum Episcopus quidam, cui aliquandiù infensus fuerat Rex. Is, vt Regem sibi conciliaret, loquebatur placẽtia: docebat, qua via posset Archiepiscopus in eius pertrahi sententiam: nempe, vt quidam Episcopi ab eo abstraherentur, qui Regis partes fouerent. Fecit ità Rex, & tres persuasi Episcopi, Regi adhæserũt, vndè Regis error putatur non parùm auctus & cõfirmatus. Illis posteà summus Pontifex obiecit, quòd quasi arietes non habentes cornua, abijssent absque fortitudine ante faciem subsequentis. Illi ergò promiserunt se regias consuetudines seruaturos. Promisit quoquè Rex, se nihil contra illorum ordinem moliturum. Horum ergò opera adiutus Rex, acriùs in Archiepiscopum inuectus est. Nam & illi acuerunt linguas suas aduersùs Christum Domini, & nunc minis, nunc blanditijs pulsabant illud robustum pectus. Respondebat vni ex illis vir sanctus: Certus esto frustrà te conari, vt me in vestram trahas sententiam. Vos videritis, num expediat prçstare, quod polliciti estis: ego nulla ratione consentio.

Quidã Episcopi male persuasi adhęrẽt Regi.

Cap. 6.

Abbatis cuiusdã nefarij dolus.

Intereà Abbas quidam magnæ existimationis è regionibus transmarinis superueniens, attulit literas, vt ipse dicebat, Pontificis & Cardinalium, hortantium Archiepiscopum, vt Regi consentiret, quandoquidem certos ipsos Rex fecisset, nihil eum contra ordinem ab illo exacturum. Addebat Abbas, vt erat potens in persuadendo, se culpam omnem in se recipere, si quid hac in parte erratum sit ab Archiepiscopo: multaque alia commemorans, nõ cessauit, donèc persuasibilibus humanæ sapiẽtiæ verbis eò adduxit Archiepiscopum, vt verbo promitteret Regi, se auitas consuetudines seruaturum: nullum suspicans dolum, quòd ei fides data esset, nihil ampliùs ea de re se auditurum. Sed Rex voluit, vt palàm idem coram omnibus polliceretur. Tum Archiepiscopus animaduertẽs isthuc cedere in Ecclesiasticæ libertatis iniuriam, grauiter ingemuit, multumq; doluit se Regi assensisse, quippè cuius studium & conatum eò spectare videret, vt Ecclesiæ libertas in ius regium redigeretur. Id quod testatum efficient vel sola sex eius tum oblatæ constitutionis capita, quæ iam subiungimus, quæ sanctus Episcopus in suis literis damnauit. Sunt autem hæc ad verbum descripta, vt in authore ipso habentur: Quòd non appelletur ad sedem Apostolicam sine licentia Regis. Quòd non liceat Archiepiscopo & Episcopo exire de regno, & venire ad vocationem domini Papæ sine licentia Regis. Quòd non liceat Episcopo excommunicare aliquem, qui teneat de Rege in capite, sine licentia Regis: vel terram illius, vel officialium suorum sub interdicto ponere. Quòd non liceat Episcopo coërcere aliquem de periurio, vel læsa fide. Quòd clerici trahantur ad secularia iudicia. Quòd laici, seu Rex, seu alij tractẽt causas de decimis vel ecclesijs.

Auitas dicit, ab auo Regis institutas.

Sex iniquæ constitutionis articuli, siue capita.

Cap. 7.

Videant iam, qui hodieque calumniantur, sanctum Archiepiscopum nimis pertinaciter restitisse Regi, an iustum fuerit ad hęc & pleraque id genus alia conniuere. Rex verò cernens, illum pœnitẽtia ductum, resilire ab eo, quod dixerat, non ferens seipsum præ ira, minas Clero intentabat, quibus tamen nihil potuit efficere apud Archiepiscopum. At tamen duo Episcopi, qui eum adhuc vtcunquè sequi videbantur, itemque duo Regis consiliarij præsentissimum illum adire discrimen dictitabant, nisi prospiceret illo die sibijpsi: misereretur Ecclesiæ, & suorũ curam gereret. Verùm ille nec precibus, nec minis flectebatur, inter medios hostium cuneos festinans ad palmam martyrij. Eccè autem duo Templarij milites magni nominis hortantur eum valdè, vt assentiat Regi: aiunt se pro comperto habere, interponuntque fidenter fidem suam, nihil petere Regem, quod Archiepiscopum deceat, aut sit contra ordinem. Aiunt se libenter pati, vt planè disperеant ipsi, si vllus malus dolus sit in animo Regis aduersùs eum: multaque his alia adijciũt cum lachrymis, quibus ille non parùm motus fuit, quòd sciret illos esse fidei & veritatis amantes. Credens ergò tantis viris, publicè spopondit, se bona fide seruaturum leges & consuetudines regni. Rex confestim: Audistis, inquit, quid promiserit Archiepiscopus. Volo ergò, vt idem præcipiat etiam alijs Episcopis. Ait ille, Permitto, inquit. moxque assensère omnes. Porrò autem Rex etiam adiecit, vt aui ipsius Henrici Regis leges recitarentur, & sigillo Archiepiscopi munirentur. Tum demùm sentiẽs Archiepiscopus dolum, quem suspicatus erat, interposita fide, quam debebat Deo, Isthuc, inquit, haudquaquàm fiet, quãdiù in hoc vasculo spirabit hæc anima. Aduertit planè, quàm vanum & commentitium esset, quod dixerant do-

Eius constantia.

Malè persuasus à bonis viris, assentit Regi.

Sentiens sibi imponi, mox resilit.

mestici

mestici Regis, qui eum ad consentiendum hortati erant, nunquàm illas leges in scripta redactum iri, nunquàm illarum deincèps mentionem fore, sed Regem, si verbo tantùm coram proceribus honoratus esset ab eo, omninò cessurum Archiepiscopi voluntati. Itaque depræhensa fraude, medullitùs contristabatur: nec id quòd deceptus fecerat, impunè abire volēs, ab officio Missæ se suspendit, supra modum iratus sibijpsi. Aiebat verò ad suos: Scio damnationi obnoxiū, quod fecimus, si sana intentio id non excusaret. Noluit autem Missæ facere sacrificium, nisi priùs esset à domino Papa absolutus. Sibijpsi interdicit Missę sacrificiū.

Quantas autem habuerit lites, quantas à Rege & ministris eius pertulerit iniurias ob Ecclesiasticæ libertatis defensionem, silentio præterimus. Multa tum in Clerum fiebant contra Canonum præscripta. Erāt sanè per id tempus mores quorundam è Clero, valdè dissoluti: sed vt illi ad secularia iudicia raperentur, & à laicis condemnarentur, id Archiepiscopus ferre non sustinuit. Volebat Rex, vt sacris initiati priùs degradarentur, atque ità pœnas luerent pro meritis. Contrà Archiepiscopus: Ego, inquit, Dei ministros laicæ potestati nō exponam: sed si peccent, ego eos sic puniam, vt leges diuinæ & patrum decreta sanxerunt. Obijciebat ei Rex coram alijs, quòd homicidas, fures & sacrilegos ipse tueretur, cùm tamē sub auo ipsius sancti Archiepiscopi & Episcopi permisissent tales puniri secūdùm regni communes leges. At Archiepiscopus: Poterat istud, inquit, castigatiùs à te dici, domine mî Rex. Ego enim homicidas & fures tueri nō soleo, sed persequi: verùm id nefas dixi, diuino cultui mancipatos, laicis legibus, in sanctę matris Ecclesiæ contēptum, condemnari. Quòd autem dicis auum tuum, vel alium quemlibet in clericorum sæuijsse necem, nos quidem subita quadam temeritate semèl id factū cognouimus. Sed valdè absurdum est, ab illis petere exempla iustitiæ, qui quicquid suapte voluntate elegissent, pro legibus ducebant. Ego verò, qui diuina dispensatione ad id assumptus sum, vt Dei Ecclesiam & Clerum tuear, in ea voluntate, dum spiritus hos reget artus, permanebo. Tum Rex valdè excandescens, Comprimā, inquit, Archiepiscopi superbiam, & ob pertinaciam eò illum redigam, vndè ad tantum culmen euexi. Iam penè solus relictus videbatur sanctus vir, Episcopis ferè omnibus Regē sequentibus: sed non erat solus, à quo iustitia stabat. Alij gladiū verbi Dei distringere formidantes, illic trepidauerunt timore, vbì nō erat timor. Improperatū illis fuit à Romano Pontifice, quod maiorē homini, quàm Deo, reuerentiā præstitissent. Cap. 8. Ecclesiæ & Cleri libertatem se ait dum vixerit conseruaturum. Psal. 13. & 52

Sentiens autem vir sanctus Regis indignationem nulla posse ratione leniri, nec vllum pacis apparere vestigium, statuit ad tempus subducere sese, tum vt Rex vel desolatæ Ecclesiæ misereretur, tum vt ope & authoritate summi Pōtificis oppresso gregi subueniret. Itaq; paucis assumptis intrat nauem, itur secundis ventis, sed nautæ Regis iram veriti, si illum abducerent, aiunt illi, se non posse hoc vento eò pertingere, quò ipse velit. At ille comiter: Si etiam venti, inquit, nobis aduersantur, Domini voluntas fiat. Ità mox in Angliam reducitur. Rex vt audiuit eum profectum, indoluit, donèc didicit reuersum. Timuit enim non mediocriter, nè illo ad Pontificem eunte, regnum sub interdicto maneret. Conuentus tum ab eo publicus indictus est Norhantumæ: sed ante eum cōuentum quidam miles è Regis domesticis, & qui multùm valeret apud Regem, accusauit Archiepiscopum per calumniam. Mandat Rex, vt Norhantumam veniat Archiepiscopus, & se purget. Excusat se vir sanctus, quòd id grauis morbus non sinat. Rex nullam admittit excusationem, putat eum subterfugere iudicium. Citatur ergò Archiepiscopus ad tribunal Regis. Aduenit vir sanctus, adit Regem, orat submissè, vt pro vtriusque salute patiatur ipsum ire ad Pontificē. Iratus Rex, iubet ocyùs decerni, qua sit pœna mulctandus, quòd contempserit venire citatus à Rege. Condemnatur quingentarum librarum. Ingemiscit vir sanctus, videns in loco iudicij iniquitatem. Agitur indè de eo, quod miles ei intentârat. At Archiepiscopus magna libertate respondet, eam rem pertinere ad Ecclesiæ iudicium, nec probare potuisse militem, quod obijciebat. Is miles eodem anno mortuus est cum duobus filijs, quòd non esset veritus mittere manum in Christum Domini. Cap. 9. Nautæ eum nolunt traducere. Falsò accusatur apud Regem. Citatur ad tribunal Regis. Vide vltionem in accusatorem impium.

Cùm hac re nihil proficerent eius aduersarij, aliud tentatum est, vt redderet rationem eorum, quæ tum, cùm esset cancellarius, custodienda accepisset, & vt ea expendisset: licèt iam antè publicè pronunciatū esset, ab eiusmodi liberum eum fore. Decubuit vir sanctus ex graui dolore splenis, & tamen vrgebatur quamprimùm Cap. 10.

reddere rationem. Ferebatur tum pro certo, quosdam ex regijs in eius conspirâsse necem, latamque fuisse sententiam, si in curiam venisset, vt aut capite plecteretur, aut in carcerem duceretur. Altero de iturus ad curiam, priùs obtulit Missæ sacrificium cum multa animi pietate & lachrymis. Deindè stolam accepit in humeros, manu dextra tenebat crucem: quam quidē Episcopi duo, vt deponeret à manibus, hortabantur, sed non assensit. Obijciebāt illi, quòd gladiū ferret aduersùs Regem. At ille: Crux, inquit, pacem adfert, non gladium, pacificans quæ in cælis & quæ in terra sunt. & ego pacem volo, nec crucem depono. Interim audit à quibusdam, qui Regis consilio interfuerant, nî consulat sibi, eodē die aut caput ipsum amissurum, aut iturum in carcerē. Ille verò pro se intrepidus, anxius pro Ecclesia, ad summum Pontificem prouocat. Ea res multos perturbauit & commouit. Episcopus autem Vuintoniensis, timens nè in præsens ille vitæ discrimen conijceretur, hortabatur eum, vt Episcopatu se abdicans, Regi illum permitteret. Ille verò: Non ea, inquit, cōditione Episcopatū suscepi, vt eum Regi tradam, sed vt pro illo etiam meipsum impendam. Tum verò quidam ex Episcopis veriti, nè occideretur, & ea res ad ipsorum omnium & totius regni dedecus & non mediocrem perturbationē pertineret, à Rege impetrârunt, vt liceret ipsis contra Archiepiscopum appellare Rom. Pontificem: aiebant hac via se illum compressurū. Id autē fiebat, vt è præsenti periculo eū extraherent. Permisit Rex, lętabatur Archiepiscopus, quippè qui nihil magìs cuperet, q̃ audiri. Sed rursùs excogitatū est, vndè ille vexaretur. Deniq; maligni quidam id tandē effecerunt, vt lata in eum sententia sit, vt constrictus vinculis, truderetur in carcerem, tanquàm proditor cōmunis pacis. Vbì id illi denunciatū est, non stans, nè derogaret dignitati sacerdotij, sed sedens, respōdit mirificè, maiorem à minoribus non debere iudicari: se illorū non teneri sententia. Ordo, inquit, confunditur, si pastorem ouis, magistrū discipulus, patrem filius verberet. Non tantùm aurum ferro antecellit, quantùm sacerdotium regiam potestatem. Addidit etiam, post interpositam appellationem nolle se audire iudiciū. Quibusdam dicentibus, Amplas hæreditates à Rege obtines, & in Regis curia non vis iudicari? ille respondit: Non est, ait, hæreditas, quam teneo: nec à Rege, sed à Deo sunt, cui in eleemosynam data sunt, quæ obtineo. Grauissimè deindè præcipiens, nè ea die in ipsum ferrent sententiam, sedemq; Apostolicā appellans, nihilominùs cōdemnatus est. Abeuntem illū è concilio, vndiq; conuicijs insectantur, clamitant: Eccè proditor Regis abit: eccè proditor Regis abit: iactantq; in illum contorta stramina, & id genus alia. Cūq; immanis existeret tumultus, suggestū est Regi, sempiternæ illi ignominię fore, si intra aulā suā sineret Archiepis. discerpi. Itaq; Rex iussit eū illæsum dimitti.

Colos. 1.

Prouocat ad Pontificem.

Idem faciunt alij.

Sacerdotiū præstantius regia dignitate.

Cap. 11. Tum vir Domini ad monasterium abiens, ex tam numerosa familia sua non nisi sex ministros reperit, cæteris metu Regis dispersis. Iussit autem multos introduci pauperes, & cum illis cibum sumpsit. Postcà iubet sibi lectū parari in oratorio retrò altare, tanquàm illic tutò quieturus. Profundis autem imminentibus tenebris cum duobus fratribus & famulo fideli ex vrbe egressus est, nemine quicquam suspicante de abitu illius propter largissimos imbres, & hyemales tempestates. Pro certo enim didicerat, si in crastinum diem maneret, in carcerem se coniectum iri. Tota verò nocte iter agens, aurora prodeunte Lincolniam venit, vbi mutato & habitu & nomine, (Nam frater Hermannus dictus est) aliò se contulit, aliquandiù latitans in quodam loco, quem Dominus posteà multis miraculis illustrauit. Deindè noctibus ambulans, diebus delitescens cum suis, tandèm ad portum Sanuuicū peruenit: vbì in nauicula mari transmisso, portum publicum deuitans, in arenam se exponi voluit. Festinus autem per arenam ingrediens, humì collapsus est, insolita vestium & calceorum crassitudine præpeditus: & qui paulò antè abundârat multis equis, iam vix habuit iumentum vilissimum, idque conductitium, & absque freno & ephippio, vt in Christi paupertate, & ipse iam pauper factus pro Christo, inciperet gloriari. Vbì ad S. Audomarum ventum est, nobilem quendam Anglū offendit: qui eum agnoscens, hortabatur vt in Angliam rediret: sed recusauit. Illo minas intentante, sanctus Episcopus à comite Flandriæ petijt fidem publicam. Sed illo quoquè minante, Taruanensis Episcopi auxilio euasit.

Excedit clā è regno.

In Flandria non est sine periculo.

Cap. 12. Postquàm autē Rex Angliæ comperit eum è regno excessisse, à Rege Franciæ petijt, nè eum sineret in ditione sua recipi. Rex Franciæ primùm simulauit se nescire quid legati vellēt. Illis verò dicētibus, Archiepiscopū Thomā furtìm ex Anglia se subduxisse

ſubduxiſſe malè ſibi conſcium, Rex ait: Nóui Thomã Archiepiſcopum, ſcio qua fide, cùm eſſet Cãncellarius, Regi Angliæ ſeruiérit: & eccè hęc ei merces refunditur, vt nec cum ipſo pacẽ, nec hîc perfugiũ eum obtinere ſinat. Digna planè merces, vt regno ſuo pulſum, etiã in alieno perſequatur. Legatis aũt cum in Archiepiſcopum commouere nitentibus, ille ait etiam cum iureiurando: Si ille mihi ità inſeruijſſet, haudquaquàm ingratus eſſem: & nunc, ſi ſcirẽ vbinàm ſit, feſtinus occurrerem venienti. Orant igitur legati, vt Romano Pontifici ſcribat, nè etiã illum circunueniat. Sed illis abeuntibus, Rex ſcripſit Pontifici, vt eum paterna dilectione complectatur, nec quenquam audiat contra iuſtitiæ ſectatorẽ. Rex Angliæ vbì cognouit, quid Franciæ Rex nuncijs ſuis reſpondiſſet, ilicò miſit Epiſcopos aliquot & viros nobiles ac celebres ad ſummũ Pontificem, vt ij S. Thomã anteuerterent. Veniunt illi, & argutè ſatis agunt negocium Regis, perſuaſum habentes, ſe pectus illud ſapientia plenum ſermone compoſito poſſe circunuenire. At Pontifex ſanctiſſimus vnum ex Epiſcopis, duriùs calumniantẽ S. Thomam, ſic cõpellat: Frater, nè maledixeris proximo tuo: neq; enim ego maledicentẽ Archiepiſcopo auſcultare ſuſtineo. Orant tum legati illi, vt mittat duos in Angliã Cardinales, qui pacẽ inter Regem & Archiepiſcopũ componant. At Pontifex in verbis illorum fraudẽ ſubodoratus, negat ſe id factur̃u. Maiorem enim illis Cardinalibus volebant poteſtatẽ adiungi, quàm æquũ videretur. Hoc illi reſponſo accepto, in Angliã redeunt, non expectato Archiepiſcopo Thoma, qui quarto indè die venit Senones, Põtifici obtulit Regis Angliæ chirographum, aitq; eam eſſe cauſam expulſionis & exilij ſui. In illo enim chirographo habebãtur leges, quibus ipſe ſubſcribere noluit. Vt autem mihi pro certo relatũ eſt, Archiepiſcopatum Pontifici reſignans, orauit vt fortiorẽ atq; eruditiorem Anglis daret Archiepiſcopum. Eum verò Pontifex cõplexatur, oſculatur, lachrymas iungit lachrymis, gratias agit Deo, quòd tam bonum paſtorẽ haberet Anglia, inuitumq; cogit ſuam retinere dignitatẽ & ſedem. Satis tum luculenter à ſancto viro oſtenſum eſt coram Pontifice & Cardinalibus, quàm non eſſent tolerandæ leges illæ Regis Angliæ. Nec tamen deerant quidam ex Cardinalibus, qui cauſam Regis tuerentur. Ad medium ferè diem certatum eſt, ſed tandèm ità illi confutati ſunt à ſancto viro, vt non haberẽt, quod porrò obijci poſſet. Tum Pontifex iuſſit Archiepiſcopum ſibi aſſiſtere, cunctis mirantibus prudentiam & conſtantiam reſponſionum illius. Addidit Pontifex, vt ſit bono animo: ſe curaturum, vt tanti labores pro dignitate compenſentur. Scriptum aũt illud & omnes ei aſſentientes percuſſit anathemate. Exacto indè menſe, miſit ſanctũ virum ad Pontiniacenſe monaſterium, Abbati eum cõmendans, vt res neceſſarias ei ſuppeditaret.

Rex Fráciæ eum tuetur.

Legati Regis Angliæ ad Roman. Pontificem mittuntur.

Eorũ accuſationẽ inaudita parte non recipit Põtifex.

S. Thomas chirographũ Regis Papæ offert.

Humaniſſimè eum accipit ſummus Pontifex.

Vt aũt percepit Angliæ Rex, illum iam in tuto eſſe, omnes cognatos eius, nulla neque ordinis, neque ætatis, neque ſexûs habita ratione, nudatos facultatibus ſuis, è toto regno proſcripſit, vt illi maiorem afferret animi dolorem: miniſtros autem eius in vinculis haberi iuſſit. Archiepiſcopatum in ſuas manus reuocatum, cõmiſit alteri, quem ſciret iam olìm hoſtili in eum eſſe animo. Fuit ea cognatorũ ſuorum calamitas ſancto martyri perquàm acerba, cùm videret ex opulentis repẽtè factos planè inopes, nec haberet, vndè illorum inopiam ſubleuaret. Sed tamen non deſeruit Deus afflictum propter ſe & propter iuſtitiam martyrem ſuum. permouit enim Franciæ Regem regniquе proceres, vt liberaliter ei ſuppeditarent, quod & ipſi & omnibus cognatis eius ſufficeret. Verùm ille ſciens beatos, qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſtitiam, totum ſe ad cæleſtes capiendas conſolationes cõuertebat: contemplanſque ſanctorum exempla, damna rerum labẽtium magno animo ferebat. Multa interìm inſolenter in Angliæ regno fiebant, & inter alia, licèt id Alexander Pontifex vetuiſſet, Regis filius coronatus eſt ab Epiſcopo quodã, cùm tamen ea Regum vnctio iure antiquo Archiepiſcopo Cantuarienſi ſeruanda eſſet. Suſpenſi ſunt autem ab officio Epiſcopi omnes, qui illi coronationi irregulariter interfuiſſent. Erant in Epiſcopis nonnulli, qui Eccleſię libertatem euertere conantes, Regem concitarent in ſanctum martyrem, nihil magis, quàm pacem formidantes. Scripſerunt quoquè mordaces literas ſancto viro, quibus ille egregiè reſpondit, inter alia ſcribens, terrenis poteſtatibus non eſſe commiſſas claues regni cælorum, ſed ſacerdotio. & poſt pauca: Non obliuiſcamur diſtrictum iudicem, ante cuius tribunal conſtitutos ſola nos veritas iudicabit.

Cap. 13.

Cognati eius malè mulctantur.

Franciæ Rex & proceres ei multa largiuntur.

Et ille quidem dum eſſet Põtiniaci, corpus ſuum multis afflixit modis, ſed cela-

Cap. 14.

 bat,

In Pontiniacẽsi monasterio vt vixerit sanct' Thomas. bat, quãtùm potuit, alios. Contentus enim oleribus & vilioribus magisq; parabilibus cibis, delicatiores sibi subtrahebat, & indigẽtibus ministrãdos curabat. In amnẽ quoquè, qui per monasterij officinas decurrebat, descẽdens, incredibili se dolore afficiebat, diù in frigidis aquis immoratus. Declarauit id morbus indè secutus. Nam nõ multò pòst altera ex genis intumuit, & vsq; ad interiores fauces cõputruit, vndè fistulæ morbus enatus, diù cũ cruciauit. Tandẽ duobus ossibus nõ sine multo dolore euulsis, sanatus est. Oblata quoq; ei fuit visio quædã terribilis, cùm fatigatus multis precibus & genuũ curuationibus obdormijsset, quę futurã eius cędem significaret. Quamobrèm magìs magisq; ille se diuinis mancipauit obsequijs, & ad tolerãdas iniurias omnes animũ confirmauit. Porrò Angliæ Rex molestè ferens Pontiniaci eum degere, scribit ad Abbatẽ Cistertiensem, cui Pontiniacẽses æquè, vt alij eiusdem instituti monachi, parebant) si illum patiatur manere vel Pontiniaci, vel alibì in suo Ordine, se monachos omnes eius ordinis vel instituti, qui sint in Angliæ regno, ad ipsum transmissurum. Id vbi ex Abbate Cistertiensi resciuit vir sanctus, Absit, inquit, hæc à me transgressio, vt mea causa patiar tot viros virtutis in hanc calamitatem incidere, & tot monasteria in sempiternas redigi solitudines. Reddat vobis pater misericordiarum pro officijs charitatis, quæ mihi pręstitistis. Deindè scripsit ad Ludouicum Franciæ Regem, qua arte Angliæ Rex è Pontiniaco ipsum eiecisset, indicauitq; se iam paratum vti ipsius Regis beneuolentia. Ille enim Rex iam antè summoperè rogauerat eum, vt apud ipsum maneret, vbicunquè sibi visum esset. Sed id tum recusauit, nè Regi Angliæ molestiam exhiberet, aut illum iniuria affecisse videretur. Vt autem ad Ludouicum Regem hęc perlata sunt, ocyùs properauit Pontiniacum, conuocatis fratribus gratias egit, quòd tanto colligendo hospite Franciam honorâssent. Cùm autem Rex illum secum abduceret, lachrymis eum prosecuti sunt monachi, memores qua mansuetudine & humilitate inter ipsos, & quasì vnus ex ipsis, vixisset annis duobus.

Eccè Regis Angliæ inuidiã, qui non patiebatur eum manere Pontiniaci.

E Pontiniaco recedit.

Cap. 15.

Perductus est aũt ad aliud monasteriũ S. Columbæ, propinquũ Senonibus, atque illic officiosissimè exceptus à ministris Regis, qui eò præmissi fuerãt, quatuor illic annis regijs impensis sustẽtatus est. Licuisset illi hoc spatio apud Episcopos & Archiepiscopos demorari, vtì etiã oblatum ei fuit, sed ignẽ diuini amoris, quo totus iam ardebat, in silentio fouere cupiens, vitabat publicum, omne tẽpus, noctis præsertìm, sacris impendens meditationibus, orationibus, compunctioni & lachrymis, quibus multùm abundauit. Sed hanc eius pacem & vidit & inuidit virulentus satan, rursusq; commouit Regem aduersùs eum consilijs impiorũ, quibus hãc discordiam potiùs adscribendã esse, quàm Regi, & ipse vir sanctus scripsit, & nos credimus. Conatus est Rex Ludouicũ Francię Regem abalienare ab eo. Videbat enim nihil se ei nocere posse, nisì ille consentiret. Instituitur duorum Regum colloquium, tractatur de pace & concordia deincèps seruanda: iuratur vtrinquè, neutrum alterius hostem in suo regno toleraturum. Posteà aliud voluit Rex Angliæ cũ Ludouico Rege habere colloquiũ: sed cùm non sinerent Ludouici Regis consiliarij eum illi colloquio adesse, videns Anglię Rex frustrà se niti, scribit Ludouico Regi, ipsum cõtra pacta conuenta suũ & regni sui hostem publicum fouere. Ludouicus Rex respondet, nullã Archiepiscopi in ijs pactis conuentis habitã mentionem.

Machinę adhibentur, vt eũ Rex Franciæ è regno expellat.

Cap. 16.

Vita eius in exilio digna certè martyrio.

Sed iam viri sancti conuersatio describenda est, qualis ea fuerit in hoc exilio, vt videat lector, dignam eam fuisse, quæ martyrio consummaretur. Nullus eum dies dormientem reperit: rarò in lecto cubauit, nisì grauis immineret morbus. Primum ei studium, diuinis interesse laudibus, cum summa deuotione & reuerentia diuina mysteria celebrare. Post absolutas preces communes, intra cubiculum suum corde contrito & humiliato vacabat gemitibus, orationi & lachrymis, seipsum quotidiè hostiam viuam immolans Deo. Sub prandij horam egressus, cum pauperibus & familia sumebat cibum. A nullo quidem abstinuit cibo, qui esset propositus, vt vitaret hominum laudes: sed ex omnibus sumpsit parcissimè. Surgens à mẽsa, non ocio aut fabulis, sed sacra lectione pascebat animam, vel loquebatur de rebus necessarijs, & familiares suos instituebat. Nocte cùm lectus, vt decebat Archiepiscopum, mundis & preciosis instratus esset pannis & operimentis, putarentque alij eum cubare in illo, in oratorio suo pernoctabat in precibus. Deindè excitato capellano, quem solum habebat secum in cubiculo, vbi ipse quiescebat, amouebat cilicium à dorso, cogebatq; inuitum illum flagello cæde-

Duriter accipit corpus suum.

tædere vsq; ad sanguinē, ità vt capellanus corpore nonnunquàm delassaretur. Ad lectum autē reuerso capellano, vnguibus lacerauit corpus suū: deindè tertiā noctis partem, vt sensit ille, qui his interfuit, flectendis genibus & precibus trāsegit: cumq; iam nimia corporis fatigatio cogeret captare quietē, humì cubans, capiti lapidem supposuit, tantumq; molestiæ ex veste aspera & copia vermiū persensit, vt somnus tenuissimus affligeret potiùs, quàm recrearet. Testis horum & relator fuit venerabilis Robertus Meritonensis, eius capellanus, qui omnia vel ab eo didicit, vel suis oculis vidit, quæ neminem præter illum scire voluit. Is enim promiserat ei, se nihil horum dicturum vlli homini, donèc ipse superesset. Idem testatus est, sanctum virum ab eo die, quo Episcopus ordinatus est, nullum prætermisisse diem, quo non quinquiès, vel quatèr, aut certè tèr, die quolibet grauiter flagellaretur. Nota Lector.

Inter hęc aūt cùm aliquandò post sacrificiū Missæ, prostratus corā altari, præ nimio feruore spiritûs supra se raptus, solito vigilantiùs in preces incumberet, Saluator ei apparēs visione manifestus: Thoma, Thoma, inquit, tuo sanguine illustrabis Ecclesiam meam. At ille: Quisnam es, Domine? Et Christus, Ego, ait, sum frater & Saluator tuus, qui Ecclesiā meam illustrabo sanguine tuo. Et ille: Vtinàm, inquit, ità fiat, vt locutus est Dominus meus. Multùm verò conabatur Franciæ Rex inter illum & Angliæ Regem pacem conciliare, & hac causa crebra inter Reges habita sunt colloquia. Recitabantur etiā illic mandata summi Pontificis: sed Rex Anglię aliquādiù dissimulāter egit: Itaq; sanctus Archiepiscopus scripsit ei hunc in modū: Cap. 17. Christus ei apparet.

Desiderio desideraui videre faciē vestram, & loqui vobiscum: multùm quidem propter me, sed maximè propter vos. Propter me, vt visa facie vestra, reduceretis ad memoriam seruitia, quæ, dum essem in obsequio vestro, exhibui vobis deuotè, iuxta animi mei conscientiam: sic me Deus adiuuet in examine supremo, quandò omnes stabunt ante tribunal ipsius, recepturi prout gesserint in corpore, siue bonum, siue malū: & commoueremini pietate super me, quem oportet mendicādo viuere inter alienos: licèt tamen Dei gratia cum abundantia victualia ad sufficientiā habeamus: estq; nobis solatio, quod dicit Apostolus: Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionē patientur. & Propheta: Non vidi iustū derelictū, nec semen eius quęrēs panē. Propter vos, tribus ex causis, quia dominus meus estis, tum quia Rex, tum quia filius meus spiritualis. Eô quòd dominus, debeo & offero vobis consiliū meum, quodcunq; debet Episcopus, ad honorē Dei & sanctæ Ecclesiæ, domino. Eô quòd Rex, teneor vobis ad reuerentiā & cōmonitionem. Eô quòd filius, officij ratione ad castigationem & coërcitionem. Corripit enim pater filium, nunc blandis, nunc asperis, vt vel sic, vel sic prouocet eum ad benefaciendum. Nôsse debetis, vos Dei gratia esse Regē, primò, quia vosipsum regere debetis, vitamq; vestrā optimis informare moribus, vt vestro exēplo cæteri prouocentur ad melius, iuxta illud sapientis, Cōponitur orbis Regis ad exemplū.* Secundò, alios demulcendo, alios puniendo potestatis authoritate, quā ab Ecclesia accepistis, tum sacramento vnctionis, tum gladij officio, quē gestatis ad malefactores Ecclesiæ conterēdos. Inunguntur enim Reges tribus in locis: in capite, in pectore, in brachijs: quod significat gloriam, scientiā, & fortitudinē. Qui antiquis temporibus iustificationes Dei non obseruabant, sed præuaricati sunt mandata eius, ijs sublata est gloria, scientia, & fortitudo, & eorū generationi, exemplo reprobationis Saulis, Nabuchodonosor, & aliorum quamplurium. Qui post delictum suum humiliauerunt se Domino suo, ijs gratia Dei accessit abundantiùs & perfectiùs cum omnibus supradictis, sicut Dauid, Ezechiæ & alijs quampluribus. Christus fundauit Ecclesiam, eique comparauit libertatem proprio sanguine suo, sustinendo flagella, sputa, clauos, mortis angustias: nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius. vndè dicit Apostolus: Si compatimur, & conregnabimus: si commorimur, & consurgemus.

Cap. 18. Epistola sancti martyris ad regē, in qua nihil mutauimus stylum. 2. Cor. 5. 2. Tim. 3. Psal. 36. Regis officium. *Secūdariò Reges tribus locis inunguntur. 1. Reg. 15. 2 Reg. 12. 4. Reg. 20. 2. Tim. 2.

Ecclesia Dei in duobus consistit ordinibus, in Clero & populo. In Clero sunt Apostoli & Apostolici viri, Episcopi & cæteri rectores Ecclesiæ, quibus commissa est cura & regimen ipsius Ecclesiæ, qui tractare habent negocia ecclesiastica, vt totum reducant ad salutē animarum. Vndè & Petro dictū est, & in Petro alijs Ecclesiæ rectoribus, non Regibus & principibus: Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: & tibi dabo claues regni cælorum. In populo sunt Reges, duces & comites, & aliæ potestates, quæ secularia habent tractare negocia, vt totum reducant ad pacē & vnitatem Matth. 16.

Ecclesiæ. Et quia certum est, Reges potestatem suam ab Ecclesia accipere, nō ipsam ab illis, sed à Christo: vt salua pace vestra loquar, non habetis Episcopis præcipere, absoluere aliquē, vel excōmunicare, trahere clericos ad secularia iudicia, iudicare de decimis, de ecclesijs, interdicere Episcopis, nè tractent de transgressione fidei, vel iuramenti, & multa, quæ in hunc modum scripta sunt inter consuetudines vestras, quas dicitis auitas. Dominus enim dicit, Leges meas custodite. & iterum per Prophetam: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes scripserunt iniustitias, vt opprimerent pauperem in iudicio, & vim facerent causæ humilium populi mei.

Leuit.19.
Esa.10.

Audiat itaque dominus meus consilium fidelis sui, si placet, commonitionem Episcopi sui, castigationem patris sui, vt non cum schismaticis aliquam decæterò habeat familiaritatem vel communionem. Notum est ferè toti mundo, quàm deuotè, quàm honorificè Dominum Papam receperitis, quantùm Romanam Ecclesiam foueritis & honoraueritis: quantùm etiam Dominus Papa & Ecclesia Romana personam vestram dilexerint, & honorauerint, & in quibuscunque potuerint secundùm Deum, vos exaudierint. Nolite ergò domine, si salutem animæ vestræ desideratis, eidē Ecclesiæ, quod suū est, aliqua ratione subtrahere, seu in aliquo iustitiæ contraire: immò eandem ei in regno vestro permittatis libertatem, quam in alijs habere dignoscitur. Memorq; sitis professionis, quam fecistis, & posuistis scriptam super altare apud Vuestmonasteriū, de seruanda Ecclesiæ Dei libertate sua, quandò cōsecratus fuistis & inunctus in Regē à prædecessore nostro. Ecclesiā quoquè Cantuariæ, à qua promotionē & consecrationem accepistis, in eum statum restituatis & dignitatem, in quibus fuit temporibus prædecessorum vestrorum. Possessiones etiā ad ipsam pertinentes, ecclesias, villas, & prædia, quæ pro volūtate vestra distribuistis, res omnes ablatas, tā nostras, quàm clericorū nostrorū & laicorū, in integrū restituatis. Permittatis etiā nos liberè & in pace redire ad sedē nostram, & nos vobis tanquā charissimo domino & Regi fideliter & deuotè seruire parati sumus in quibuscunq; poterimus, saluo honore Dei & Ecclesię Romanę, & ordine nostro. Alioquin pro certo sciatis, quia diuinā seueritatem & vltionem sentietis.

Iustū est, vt sua libertate in omnibus regnis Ecclesia fruatur.

Cap.19.

Hac perlecta Epistola Archiepiscopi, Rex tum quidē nec abnuere, nec annuere voluit, sed in diē tertium distulit responsum. Tandèm in vnū conuenientibus Rege & Archiepiscopo, per summū Pontificem & Franciæ Regē pax, vt quidem videbatur, cōciliata est: promisitq; Rex se restituturum ablata omnia, & quæ Archiepiscopatûs esse probarētur: ipsi quoq; Archiepiscopo & suis omnibus potestatem fecit in regnū reuertendi. Cur aūt non statìm redierit vir sanctus in Angliam, ipse Pontifici maximo scripsit post reditum suum: quę quidē literæ extant, sed propter temporis angustiā eas quoq; coacti sumus omittere. Queritur in ijs inter alia, Regē Angliæ à pactis conuentis resilijsse, quod tamen non tā illi imputandū sentit, q̄ quibusdā Episcopis, quos totius discordię incētores vocat: quorū machinis effectū dicit, vt Rex omnes ipsius & suorū redditus post pacem in ferijs S. Mariæ Magdalenæ factam, vsq; ad S. Martini festū detinuerit, & tum demùm domos vacuas & horrea demolita ipsi reddiderit: plures etiam Ecclesiæ Cantuariēsis possessiones, vt promiserat, minimè restituerit. Multa quoquè alia commemorat insolenter admissa, cùm esset Angliā ingressurus, à quibusdam Episcopis: & nisi decanus Sarisbiriensis impediuisset, quosdā vim ipsi & socijs adferre voluisse. Populū aūt dicit ipsius reditu lętatū fuisse, seq; in sua Ecclesia à clero & populo cū magna deuotione exceptū.

Inter S. Thomā & Regē pax conciliatur.

Ecce quales habuerit suffraganeos Archiepiscopus iste iustiss.

Cap.20.
Redit in Angliam.

Et hęc quidem, multaque alia ijs literis continentur, è quibus satìs constat, non sine periculo eum in Angliam reuertisse septimo anno exilij sui. Et ille sanè tanto feruentiùs ad futuram properabat vitā, quanto certiùs cognouit, nihil in hac præsenti præter tentationes & pericula sibi superesse. Atq; etiamsi fortassis pax arrisisset, adeò tamen graue iampridèm sibijpsi bellum indixerat, vt inter mundi delicias posito, asperioris eremi molestia, vel potiùs martyrium non deesset. Valdè autem ei in quadam ad Regis filium suscepta legatione molestus fuit suus Archidiaconus, cui præ cæteris fidere debuisset. Quidam etiam inimici iustitiæ calumniabantur eum leonina feritate reuersum in regnum, vt Regis propositū & instituta dissolueret, cùm ex fine satis patuerit, agnina lenitate præditum, ceruicem obiecisse percussori. At vir magnanimus ad futurum certamen se præparans, instabat orationi, sacræ lectioni & prædicationi, largissimisque præstandis eleemosynis. Porrò ob quædam Ecclesiæ negocia Regis filium paulò ante Christi natalem adire

adire volens, Londinum profectus est. Needùm autem vrbem ingresso denunciatur Regis nomine, nè vltrà procedat, nec vllas Regis vel vrbes vel villas ingredi ausus sit. Obstupescenti viro Dei ad tam insperatum Regis mandatum, dictum est, illum rupisse pacis fœdera, quæ cum Rege pepigisset: iubere Regem, vt ad sedem suam redeat, & iniuncto officio diligenter incumbat. Animaduertit vir sanctus, quorsùm hæc spectarent, tantoque ad omnem Dei exequendam voluntatem factus est alacrior, quanto se sensit propiùs ad palmam accedere. Quanto autem tum fidei feruore, tum cælestium amore inflammatus redierit, testem tenemus gratiam curationum, quæ per illud iter cælitùs exhibitæ sunt, postquàm martyr ad superos migrauit.

Recrudescūt persecutiones sancti viri.

Cap. 21.

Reuersus domum, cum summa animi deuotione ac puritate celebrauit Christi natalē, atque eoipso die post concionem terribili sentētia perculit vnum ex regijs ministris propter facinus quoddā, & cæsos ministros suos: itemq; Randulphū hominem scelestū, totius malitiæ incentorē. Tandem adiecit: A Iesu Christo maledicti sint, & à cœtu sanctorū deleatur eorum memoria, quicunque inter me & dominum meū Regem, odium & discordias seminabunt. Abiérunt tum quidam magni viri ad Regē, & sanctum martyrē apud eum detulerunt, ità vt Rex grauissimè commotus, iteratis vocibus ità dixisse feratur: Inertes ac miseros homines enutriui & erexi in regno meo, qui nec fidē seruant domino suo, quē à pleboio quodā clerico tam probrosè patiūtur illudi. Aderant ibi nobiles quatuor, genere conspicui, & è familia Regis. Ij hæc verba ex ore Regis rapientes, secùs ea, quàm Rex vellet, interpretati sunt: moxq; in necē sancti viri conspirârunt: nescienteq; Rege, mare celerrimè traiecerūt, Rege, vbì id cōperit, suspicante mali quippiā illos moliri, mittenteq; nuncios, qui eos reuocarēt: sed illi iam longiùs antecesserāt, quàm vt possent reuocari. Inuito quidē Rege cæsum ab illis fuisse Archiepiscopum, vel indè satis liquet, quòd vbì cōmperit crudelissimū facinus, incredibili dolore & horrore correptus fuit. Voluérat ille vel in carcerē eum cōijcere, aut alio modo coërcere, vt à sententia illū deduceret. Sed illi homines nefarij postquàm in Angliā venerūt, adiunctis sibi quibusdā ministris Regis, quos Archiepiscopus excōmunicârat, & militum satellitumq; coacta manu, mentiebantur se iussos à Rege, tollere è medio Archiepiscopū. Itaque die illo, qui sanctorū Innocentum festum sequitur, absoluto iam prandio, sese colligunt aduersùs virū pium & innocentē, qui iam in interiorē domum secesserat cum domesticis, de negocijs tractaturus. Soli aūt quatuor cum vno satellite ingressi sunt, itumque illis obuiàm est honorificè, tanquàm domesticis Regis. Illi iubent dici Archiepiscopo, velle se cum ipso Regis nomine colloqui. Annuit vir sanctus, vt introducātur. Introducti diù sedent taciti, & neq; salutant, neque appellant Archiepiscopū. Tacet etiam ipse aliquandiù: posteà salutat pacificè. Illi pro salutatione reddunt maledicta, adeoque in necē eius ferebantur præcipites, vt nisi ostiarius clericos, quos vir sanctus exire iusserat, reuocâsset, hasta quadam, quæ illic stabat, illum confodere voluerint, vti posteà ipsi confessi sunt.

Rex cōmotus ea dicit, quæ necem sancto viro attulerunt.

Quatuor Regis aulici Cantuariam veniunt ad occidēdum Archiepiscopum.

Cap. 22.

Intrò autem reuersis clericis, qui primarius erat in his quatuor viris, ita ait: Rex controuersijs omnibus consopitis, te ad tuam sedem remisit: tu maleficijs beneficia compensans, eos, quorū opera filius Regis coronatus est, à suo ministerio suspendisti, ministros Regis anathemate percussisti: vt satis appareat, te filio Regis, modò posses, coronā auferre constituisse. De his vtrùm coram Rege purgare te velis, edicito. Ea enim causa nos huc missi sumus. Respondit vir sanctus: Testis est Deus, nunquàm me filio Regis coronam eripere voluisse, cui ego màllem tres alias adiungere cum regnis amplissimis, modò id rectè atque ordine fieri possit. Neq; verò ego suspendi à ministerio Episcopos, sed dominus Papa id fecit: nec me decet absoluere, vt vos vultis, quos ille ligauit. Tum illi: Iubet, inquiūt, Rex, vt cum omnibus tuis è regno excedas. Contrà Archiepiscopus: Sed me deincèps, ait, Deo propitio, nemo inter Ecclesiā meam & marē conspiciet. Non véni vt fugerem: hîc me reperiet, si quis quæsiérit. Illis obijcientibus, quòd animi furore pércitus, ministros Regis ex ecclesia turpiter eiecisset, vir sanctus cum multo spiritùs feruore illis respōdit: Quisquis ausus fuerit sanctæ Romanæ sedis instituta, vel Ecclesię Christi iura violare, nec vltrò satisfecerit, non parcam, nec differam ecclesiastica censura coërcere peccantem. Hac illi viri Dei constantia perculsi, propiùs accedunt, dicuntque ei: In capitis tui periculum hæc prolocutus es. At vir sanctus: Non me, inquit,

Mentiūtur turpiter, id præsentia eius.

Præliaturū se dicit, non armis, sed patiētia aduersùs percussores suos.

quit, terrent minæ vestræ: nec gladij vestri promptiores sunt ad feriendum, quàm ego ad martyrium obeūdum. Alium quærite, qui vos fugiat: me collato pede pro Domino meo pręliaturum comperietis. Illis cum clamore & contumelijs exeuntibus, vir Dei suos consolabatur, & vt nobis visum est, qui præsentes adfuimus, ità sedebat imperterritus, acsi ad nuptias inuitatus esset ab illis.

Cap. 23.

Mox reuertūtur illi loricati, accinctiq; gladijs, & securibus armati. Fores autem clausæ erant, nec pulsantibus aperiebatur. Tum illi occultiore via per pomariū ad sepem ligneā diuertunt, ferroq; & magna vi sibi aditū parant. Eo horribili strepitu ministri & clerici penè omnes territi fugerunt. Hortantibus illis, qui remanserant, vt vir sanctus in ecclesiā se conferret, planè recusauit. Non enim tali casu fugiendū erat, sed dandum potiùs subditis exemplū, vt mâllet quisque feriri gladio, quàm videre legis diuinæ contemptū, & sacrorum canonū euersionem. Instabāt verò monachi, aiebant indecorū esse, à vespertinis laudibus, quæ tum celebrabantur, ipsum abesse. Ille verò non cessit, veritus se priuatum iri optata martyrij corona, si in templum esset ingressus, cuius reuerentia arceri possent à tanto scelere parricidæ illi. Sanè postquàm ab exilio reuersus fuit, sic dixisse fertur, tanquàm certus iam se per martyriū hinc emigraturū: Habetis hìc dilectū Deo ac verè martyrē Elphegum: alium quoquè vobis sine mora diuina miseratio prouidebit. Monachi autem cùm eum permouere non possent, valdè inuitū absportârunt in ecclesiam: quam cùm ingressi essent, quatuor illi nobiles cursu rapidissimo secuti sunt cum Hugone subdiacono deploratæ nequitiæ, quem malum clericū appellabant. Volentes autem monachi obserare fores ecclesiæ, prohibiti sunt à sancto viro, qui tum præclarè dicebat: Nos patiendo potiùs, quàm pugnando, ex hoste triumphabimus: neque cô huc venimus, vt repugnemus, sed vt patiamur. Adsunt mox sacrilegi carnifices, exclamantq; furibundi: Vbì est Thomas Beketh, Regis & regni proditor? Eo respondente, maiori contentione vociferantur: Vbì est Archiepiscopus? Tum ille planè intrepidus & imperterritus, Eccè adsum, inquit, non proditor regni, sed sacerdos. Paratus sum pro illo mori, qui me redemit sanguine suo. Absit, vt propter enses vestros aut fugiam, aut à iustitia recedam. At illi, Absolue, inquiunt, quos excōmunicâsti & suspēdisti à suo officio. Nulla, ait vir sanctus, ab illis exhibita est satisfactio, itaque non absoluam. Rursus illi: Nūc igitur morieris, & recipies pro meritis. Ego verò, ait sanctus martyr, pro Domino meo mori paratus sum, vt Ecclesia meo sanguine pacem & libertatem assequatur. Præcipio autem ex parte omnipotētis Dei, nè quenquam ex meis lædatis. Mox illi, facto impetu, in eum irruunt, cōnanturque extra fores extrahere, illic eum aut iugulaturi, aut vinctum absportaturi, vtì posteà confessi sunt. Sed cùm difficilè posset loco moueri, & vnū ex eis acriùs insistentem à se remouisset, is terribili incensus furore, ensem contra eius verticem vibrauit. Tum verò pius & sanctus vir cernens adesse horā, qua promissam perciperet martyrij coronam, ceruicem instàr orantis inclinauit, iunctisq; & sursùm erectis manibus, Deo & S. Mariæ, beatoq; martyri Dionysio suam & Ecclesiæ causam cōmendauit. Vix ea prolocutum, nefandus vir, metuens nè populus eum eriperet ex manibus ipsorum, coronam capitis eius, vulnere capiti inflicto, tanta vi amputauit, vt pariter secaret & pręcideret brachium isthæc referentis, qui solus, cunctis & monachis & clericis præ metu fugientibus, sancto martyri constanter adhæsit, & inter vlnas eum continuit, donèc altera earum amputata est. Additus indè est alter ictus in sacrum corpus eius, & ille mansit immotus, nihil se commouens. Tertiò percussus, genua flexit, dicens submissa voce, Pro nomine Iesu & Ecclesię defensione mori paratus sum. Tum verò tertius ex illis sacrilegis percussoribus, ità procumbenti graue inflixit vulnus, vt cùm sanguine pariter è capite cerebrum in eius faciem deflueret. Quartus interìm abigebat superuenientes, vt cæteri possent in ea horrenda cæde liberiùs versari. Quinto loco accessit is, quem antè diximus, Hugo subdiaconus execrabilis, & posito pede in collum sanctissimi martyris, quod sine horrore dici non potest, cerebrum cum sanguine per pauimentum sparsit, aitque ad illos quatuor: Abeamus hinc: iste posthàc non resurget.

Prędicit martyriū suum.

Intrāt scelerati ecclesiam vt illū occidant.

Offert ceruicē percussoribus.

Hic videtur Author seipsum significare.

Tertio ictu fūditur martyris cerebrum.

Cap. 24.

In his omnibus incredibilem licebat sancti martyris videre constantiam, vt qui neque manum, neq; vestem opponeret percussoribus illis, nec vllum vel verbū, vel clamorem ederet, immò ne gemitum quidē, aut aliquā doloris significationē exprimeret: sed caput gladijs oblatū teneret immotum, donèc cerebro cum sanguine

ne erumpente, tanquàm oraturus, corpus in terram, spiritum in sinum Abrahę deposuit. Cæsus est vir pius à cruentissimis illis carnificibus tempore sacro & loco sacro, in ipsa domo Dei, quarto Calendas Ianuarij anno Christi millesimo cẽtesimo septuagesimo. Cæde perpetrata, infelices illi, & cęteris homicidis immaniores, gloriabundi per ædes & officinas Archiepiscopi discurrunt, aurum, argentum, vestes, vasa preciosa, libros & Ecclesiæ chartas atque priuilegia, permultaque alia diripiunt. Indè in eius clericos, clientes & parentes suam exercet tyrannidem publica potestas, diuersisq; affectos contumelijs, priuat facultatibus, ità vt miseri & mendici per ignotas prouincias dispersi sint. Nemo verò satis explicare queat, quantus mœror ciuitatẽ occupârit, postquàm audita est beati viri cædes. Magno sanè omnibus horrori fuit tam crudele facinus in ecclesia designatum. Celauerat vir sanctus magno studio, quoàd vixit, sanctitatem suam: sed eam non passus est diutiùs latére omnipotens Deus: sed post fusum sanguinem multis eam miraculis declarauit: verùm ea initio occultabantur, tanquàm non habitura fidem: donèc ijs multiplicatis cessit aduersariorum impietas, & obstructum est os loquentium iniqua.

Res eius diripiuntur.

Similiter parentum & Cleri.

Postero die martyris corpus mundissimum quidã loturi, ad nudam carnem inueniunt ciliciũ adeò pediculis refertũ, vt martyrium, quod pridiè vir sanctus perpessus erat, isto tolerabilius videretur. Porrigebatur autem illud ciliciũ vsque ad genua, eoque admodùm strictè femur cinctum erat. Ea res cõspecta, largos ex præsentium oculis lachrymarum imbres expressit. Apparebat enim tunc rigor pœnitentiæ, & vitæ asperitas atque sanctitas, quæ anteà vix paucissimis familiaribus cognita fuerat. Conditum indè est venerãdum corpus in crypta admodùm honorificè & reuerenter. Tanta verò secuta sunt miracula, vt si singulatim scriberentur, infirmi vix sint credituri. Toto verò anno, demptis diebus decẽ, in eius ecclesia conticuêre laudes diuinæ & Missarum solennia. Subitò autem & præter omnium expectationem, Deo vlciscente fusum sanguinem martyris sui, pax regni perturbata est, excitatæ sunt seditiones, & bellum extitit intestinum. Filius incurrit in patrem, & pater in filium, regnumque in seipsum diuisum, celerem desolationem minabatur. Nortmannia hostili gladio ferienda tradita est. Anglia contremuit & commota est à facie cladis imminentis. Obsidebant eam hostes vndiquè, & intùs vastabant exitiales seditiones, alijs patrem, alijs filium causam iustiorem fouere asserentibus. Sed tandèm sancti martyris meritis pax reddita est, & eius aduersarij propensiori studio illum venerati sunt defunctum, quàm viuentem fuerant persecuti.

Cap. 25.

Vide de cilicio eius &c.

Extant aliquot libri de miraculis sancti viri, sed manuscripti.

Deus castigat Anglos ob cædem Archiepiscopi.

Deniquè Rex ipse, cùm per visionem significatum esset, nulla alia via sperãdam esse pacem, nisi conciliato martyre, corde contrito & humiliato ad monumẽtum beati martyris, veniam petiturus, properauit: cumque Cantuariam venisset, ab ęde B. Dunstanni vsque ad summum templum, in quo S. Thomas cõditus est, nudis pedibus & communi veste lachrymabundus ingrediebatur, non viarum asperitate, non pedum teneritudine retardatus. Vbi ad ecclesiæ fores venit, prócidit & adorauit: porrò ingressus, locum illum, in quo vir beatus occisus est, lachrymis infudit: deindè dicta confessione corã Episcopis, cũ multo tremore ac reuerentia accessit ad loculum martyris: atque illic toto prostratus corpore, quos gemitus, quæ suspiria ediderit, quos lachrymarum profuderit imbres, dici satis nõ potest. Posteà cùm palàm reum se proclamâsset, veniamque precatus esset, quòd sanctum virum tam pertinaciter esset persecutus, non tamen occidi voluisset: restituit in integrum Ecclesiæ Cantuariensis iura & dignitates, quæ anteą habuisset, addiditque è suo triginta librarum redditus, vt sanctum martyrem posset habere propitium. Deindè exteriori veste se nudans, scapulas & caput in tumuli fenestram magna humilitate submisit, ità vt omnes eo spectaculo ad lachrymas permouerentur: primoque ab Episcopis quinquiès cæsus est: deindè à monachis ampliùs octoginta, ternos accepit ictus, atque ità solenniter absolutus est. Post hæc nuda humo residens, nudis pedibus, vt venerat, atque ieiunus totam noctem in precibus exegit. Deniquè ità se tunc gessit, vt non facilè in historijs reperire liceat, quenquam è Christianis principibus humiliùs atque deuotiùs hoc Rege egisse pœnitentiam. Vt verò satis constet, sancti Thomæ martyris meritis ab illo regno diuinæ seueritatis animaduersionem amotam, eodem die, quo Rex venit Cantuariam, pro suis in martyrem peccatis satisfacturus, Comes Flandriæ, qui cum immenso exercitu in Angliam traijcere statuerat, mutata ilicò sententia, recessit. Altero die Rex Scotiæ Angliam va-

Cap. 26.

Obserua singularẽ regis pœnitentiã.

Rex omnia iura & dignitates ecclesiæ restituit Cantuariens.

statutus, in acie compræhensus est: & breuì omnes conticuêre hostes, & pacem regni perturbantes, humiliati sunt, redijtque tranquillitas: Præstante Domino nostro Iesu Christo: Qui cum patre & spiritusancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

EPISTOLA LVDOVICI REGIS FRANCORVM AD ALEXANDRVM PONTIFICEM.

Notent hæc hostes Romanæ Ecclesiæ.

DOmino suo & patri sanctissimo Alexandro, Dei gratia summo Pontifici, Ludouicus Francorum Rex salutem & debitam reuerentiam. Ab humanæ pietatis lege recedit filius, qui matrem deturpat: neque creatoris beneficij reminiscitur, qui de sanctæ Sedi Apostolicæ illata turpitudine non contristatur. Verùm specialiùs est condolendum, & nouitatem doloris excitat inauditæ nouitas crudelitatis: quoniam in sanctum Dei insurgens malignitas, in pupillum Christi gladiū infixit, & lucernā Cantuariensis Ecclesiæ non tam crudeliter, quàm turpiter iugulauit. Excitetur ergò exquisitę genus iustitię: denudetur gladius Petri in vltionem Cantuariensis martyris: quia sanguis eius clamat pro vniuersali Ecclesia, non tam sibi, quàm vniuersæ Ecclesiæ conquerens de vindicta. Eccè ad tumulum agonistæ, vt relatum est nobis, reuelatur diuina in miraculis gloria: & diuinitas demonstratur, vbì humatus requiescit, pro cuius nomine certauit. Latores verò præsentium patre orbati, pietati vestræ seriem indicabunt: & testimonio veritatis aurem mitissimam adhibete, & tam de isto negocio, quàm de alijs, tanquàm nobis credite. Valete.

VITA S. EBRVLPHI CONFESSORIS, A QVODAM EIVS DISCIPVLO, AVT AMICO FAMILIARI *conscripta, sed per F. Laur. Surium mutato stylo, absque historiæ detrimento, redacta in compendium.*

Deceb. 29. Cap. 1. S. Ebrulphi humilitas.



EBRVLPHVS vir nobilis, parentes habuit illustres. Nutritus est autē in aula Regis Franciæ, tantamque pręse tulit modestiam & humilitatem, vt in palatio magnum obtineret locū, quęadmodùm ipse nobis exhortationis causa dicere consueuit. Cùm autem esset opulentus, & literis benè eruditus, atque sapientiæ studiosus, diuino in ipso crescente feruore, libros scripturæ diuinæ cœpit euoluere, vt sciret sanctorum patrum res gestas, atque indè disceret, qua ratione posset ipse quoquè placere Deo. Vbì autem in sancto Euangelio legit ea verba Saluatoris, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. itemque illa, Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit: ille animo compunctus, relictis omnibus, pauperibus ea clargitus est. Vxorem autem suam Christi ancillis commendauit, vt eam cælestibus imbuerent disciplinis. Nec verò contentus reliquisse patriam charosque parentes, & facultates omnes, etiam barba & capite raso, cum tribus religiosis viris celerrimè ad eremum properauit, & inter opaca nemorum, loco, quem * Oximensem vocant, latitauit. Et quidem Angelo duce, repererunt fontes egregios, quæ eis causa fuit Deo vberes gratias agendi, qui nunquàm spernit sperantes in se.

Luc. 9. Matth. 19. Omnia sua dat egenis. * Ozoniensem

Cap. 2. In eremo degit cum paucis.

Cœperunt autem ex virgultis construere sepem, & intra illam tuguriolum, in quo commorarentur. Erat verò locus procùl ab hominum habitatione separatus: cumque ad eos venisset vir quidam, miratus est conatum eorum, quòd sciret Sueuos crebras illic facere irruptiones, & prædas agere: tum quoquè locum esse incultum, sed nec opportunum culturæ. Quod cùm eis obijceret, illi responderunt: Nos huc, mî frater, accessimus, vt ploremus peccata nostra, fretique auxilio Domini nostri Iesu Christi, non timemus incursus hominum. Tu verò, si sapis, resipisce iam, & ad meliorem frugem te recipe. Tum ille compunctus corde, domū abijt, & manè reuertens, tres eis panes subcinericeos attulit, & fauum mellis: iunctusque illis, monachus effectus est. Sed cùm latére non posset gratia Dei, per illos operans,

qui-

quidam ad eos crebrò veniebant, resque necessarias apportabant, atque illorum sermonibus piè instituti, domum redibant. Permulti autem facti sunt perfectissimi monachi. Multi apud eum sunt sanctissimi monachi.

Accidit interìm, vt pane deficiente, pauper quidam eleemosynam peteret. Iubenti beato Ebrulpho, vt ei daretur eleemosyna, minister respondit: Non habeo, pater, nisi dimidium panem. At ille: Nihil hæsites, fili: sed memineris propheticæ illius sententiæ, Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Datus est igitur panis pauperi, nec diù pòst adest quidam præ foribus cum iumento, pane, vino & caseo onusto. Atque ab illo die nihil defuit eis, quod esset necessarium. Porrò duo sæui latrones alterius prouinciæ eò aduentantes, porcos furari nitebantur: sed interìm dum per eremum cursitant, eos inquirentes, iam defessi, audiunt signo dato euocari monachos ad laudes Domino promendas. Itaque tremefacti, relictis porcis, ocyùs se conferunt ad virum Dei, confitenturque crimen suum: factique sunt egregij monachi. Postquàm autem longè lateque peruagari cœpit fama sanctitatis Ebrulphi & monachorum eius, & quanto studio coleret Deum, homines locupletes & religiosi aliarum regionum, illorum exemplis compuncti petiêrunt à venerabili patre Ebrulpho, vt ipsorum impensis monasteria exædificaret. Ille non impiger, sed cupiens augere talenta à Domino ipsi tradita, quindecim monasteria virorum & fœminarum condidit. Deindè ad monasterium suum reuersus, cum permultis monachis in Dei seruitio permansit immobilis. Domicilium autem eius nihil à pastorum tugurio differre videbatur. Per eius circuitum degebant monachi à dextris & sinistris, ità vt vtrinquè essent cellulæ mille quingentæ: quas ille crebrò inuisere solebat, mulo vel asino subuectus. Cap. 3. Psal. 40. XV. monasteria extruit.

Cumque annos viginti & vnum illic habitâssent, sæua pestis locum inuasit. Tum verò sanctus vir nequaquàm, vt solent mercenarij, fugit, sed fratrum animos confirmabat, hortabaturque eos, vt pararent se venienti iudici, qui redditurus est vnicuique iuxta opera sua. Videte, inquit, nè sponsus reuertens à nuptijs, inueniat vos dormientes, sed vigilantes in operibus bonis. Cumque grassaretur pestis, vnus ex fratribus sublatus est sine communione. dicebatur autem Ausbertus. Vbi autem eum obijsse didicit B. Ebrulphus, sciscitabatur num Eucharistiam percepisset. Ministro eius id negante, infremuit spiritu, oransque & lachrymans venit ad lectum eius, aitque ad defunctum: Eheu frater, cur abijsti sine communione? Ille tãquàm à somno expergefactus, paululùm apertis oculis, Tu es, inquit, domine? Vir Dei respondit: Ego sum: sed dic mihi, vbì interìm fueris, & quid videris. Et ille: Reuocâsti me, inquit, à labore itineris, quo me cruciabat aduersarius. Et vir sanctus, Vis, ait, Eucharistiam accipere? Respondit: Volo. Cumque corpus & sanguinem Domini accepisset, rursùs pacis somno obdormiuit. Alius quidam ex famulis, sacro natiuitatis Domini nostri Iesu Christi die, vita functus, à sanctissimo patre iussus est ad cœmeterium sepeliendus deferri: qui cùm expletis Missarum solennijs feretro exportaretur, rediuiuus apparuit: apertisque oculis petiuit reduci ad suum monasterium. Credo, inquiens, virtute natiuitatis Iesu Christi ac interuenientibus patris nostri Ebrulphi meritis, vitæ spatium mihi prolongatum esse. Qui à patre perhumaniter exceptus, & pristinæ vocationi restitutus, permultos ibidèm superuixit annos. Migrârunt tunc ad Dominum septuaginta & octo fratres: ex familia verò innumeri: sed Domino miserante, pestis sopita est. Non cessauit autem beatus Ebrulphus pro animabus illis Dominum nocte ac die deprecari. Cap. 4. Rom. 2. Videre est admirandam, defunctus reuiuiscit. Itèm alius.

Solebat vir sanctus, post collectas fratrum in lecto quieturus, clàm accire ministrum suum, qui ei legeret quippiã. Summo enim studio tenebatur intelligẽdi scripturas vtriusque Testamenti, vt in eum quoquè quadraret illud propheticum, In lege Domini meditabitur die ac nocte. Prolixas quotidiè Domino preces offerebat, spem suam in illo defigens. Cum sacerdotibus quoquè oblationes suas quotidiè Domino offerre studebat: porrò Dominicis diebus sacerdotes coram illo tria faciebant sacrificia. Erat ei vultus præclarus, canitie fuit venerabilis, charitate plenus, fortis in vigilijs, in abstinentia iucundus & hilaris, in rebus duris patiens, erga peccantes humanus & misericors, corpore castus, sobrius & humilis. Annis singulis ter caput tondebat: nunquàm reddidit malum pro malo: prospera & aduersa æquo ferebat animo. Si quod ei illatũ esset damnũ, semper illud erat in ore, Domi- Cap. 5. Psal. 1. Virtutes eius. Iob 1.

nus dedit, Dominus abstulit. sit nomen Domini benedictum in secula. Cùm accederent eum, qui inter se discordes essent, optimis sermonibus ità eos demulcebat, vt concordes recederent. Omnes ad ipsum venientes, nobiles, ignobiles, pauperes & peregrinos iucundo vultu & cum gratiarum actione excipiebat, nec facilè sine aliquo quanuis exiguo munusculo à se dimittebat. Multi homines seculares febre correpti, petebãt à ministro eius funiculos, quibus vir beatus se cingeret, aut quippiam ex vestimentis eius: & quotquot cum fide accipiebant, sanabãtur. Quædam religiosa fœmina morbo affecta, per nuncios petijt fimbrias vestimenti eius. Iisacceptis, cum multis venit ad eum incolumis.

Nota vim etiam viliũ rerum, quibus ipse esset vsus.

Cap. 6.

Bis in anno pendebat ex voto tributum Domino Deo, putà in Christi natiuitate, & tertio die ante Pascha: quibus diebus centum argenti solidos dabat pauperibus: quod tamen etiam aliàs pro viribus faciebat. Pauperculus quidam ex alia regione, morbo valdè confectus, venit ad eum eleemosynam petiturus. Illum vir Dei conspicatus, Et quomodò, inquit, frater, tantum potuisti explicare iter exhausto corpore? Illo dicente, se inopia compulsum id fecisse, ait vir Dei: Præstat te hìc manere, quàm alicubì canibus lacerandum offerri. Mansit igitur, & breuì proficiens, cœpit hortum colere: deindè verus factus est monachus. Alius quidam rebus pauper, sed corpore incolumis, contractum se simulauit, vt plus cæteris acciperet à viro Dei. Vbì autem accepit aliquid ab eo, mox febre percussus, intra paucós dies expirauit.

Punitur diuinitus homo simulator.

Cap. 7.

Cùm iam vir sanctus octogesimum ætatis annum excessisset, sicut ab ipso didicimus, cupiebat dissolui, & esse cum Christo. dicebat enim infidelem esse seruum, qui nolit venire in conspectum Domini sui. Incidit autem in morbum grauem, sed corroborante eum spiritusancto, non sensit dolorem, sed iacebat afflictus. Nec verò quicquam esculentum aut poculentum sumere potuit, præter aquam solã. Paulò pòst venerunt ad eum quidam viri spectabiles, vinum secum afferentes, vndè parùm hausit, atque ità sine cibo vixit dies quadragintaseptem, nisì quòd Christi corpus & sanguinem percipiebat. Et nihilominùs tanquàm benè satur non cessabat prædicare fratribus verbum Dei. Rogantibus eum fratribus, vt parùm cibi caperet, ille respondit: Quæso, fratres, nè huius rei mentio sit: mihi enim fastidium parit. Vt autem liceat mihi paululum quiescere, foràs egredimini. Deindè vertens se ad parietem, Dominum deprecabatur, mente ad cælestia sublevata. Quas autem preces solebat sanus fundere, eas volebat ab alijs coram se persolui. Dicentibus verò fratribus, Cur nos, pater, in alienas tradis manus? aut quid nos, te decedente, facturi sumus? ille respondit sententia memorabili: Maneat inter vos animorum coniunctio & charitas, nec quisquam vos diripere poterit. Sit in vobis spiritalis dilectio, & quod promisistis Deo, id implere studeatis. Precum vestrarum pensum lubentes persoluite, castitatem sectemini, iracundiam fugite, inuicèm vos ad bonum cohortemini, hospites & peregrinos benigno animo excipite propter eum, qui dicturus est, Hospes fui, & collegistis me.

Sola Eucharistia sustẽtatur vir sanctus.

Hortatur fratres, vt maneant in charitate

Matth. 25.

Cap. 8.

Cumque appropinquaret migrationis eius tempus, die quintodecimo ante Christi natalem, hora diei tertia, anima eius excessit è corpore. Orantibus autem fratribus pro anima eius cum lachrymis, paulò pòst reuixit. quod quidem illo die ter ità accidit. Deindè diebus octodecim superuiuens, in pauperes multa contulit, itemque in monasteria, pro cuiusque ratione & conditione. Porrò quarto Calendas Ianuarij temporibus Rodoberti Episcopi * Sagiensis, anno duodecimo Childeberti Regis, fratribus valedicens, alacri & angelico vultu, Abrahæ sinu receptus, migrauit ad Dominum, conditusque honorificè est in ecclesia beati Petri Apostolorum principis, quam ipse extruxerat. Contigit tum miraculum minimè reticendum. Diaconus quidam, qui viro sancto charus fuerat ob vitæ sanctimoniam & virtutes, cum multis lachrymis dixit: Cur me, pater, deseruisti? Cur mihi non licuit priùs sepeliri, quàm tu exires à corpore? Eâdem verò nocte, cùm esset postridiè sepeliẽdus beatus Ebrulphus, meritis illius Domino spiritum ille tradidit, & sunt ambo pariter ad sepulcrũ deportati. Magna deindè per seruum suum Ebrulphum Dominus miracula effecit in laudem & gloriam nominis sui: qui viuit & regnat per infinita secula, Amen.

Moritur, & iterùm reuiuiscit.

Migrat ad Christum & sepelitur.

Miracula.

MAR-

MARTYRIVM SANCTAE MARTYRIS ANYSIAE, QVAE EST THESSALONICAE, AVTHORE SImeone Metaphraste: vt habetur 5. Tomo Aloysij.



TEMPORE Tyranni Maximiani, puella quædam nomine Anysia, nobili loco nata Thessalonicæ, alebatur apud diuites & fideles parentes, erudita in timore Domini, magis virtutibus quàm ætate proficiens. Et primùm quidē parentes eā magis dogmatibus pietatis nutriuêre, quàm lacte. Postquàm autem ętatē transijt puellarē, videreturque puellę grauitas & decus maius quàm sperâssent, eam solidioribus disciplinis erudiebant. Illi verò cùm, vt quæ bono esset ingenio prædita, facilè appræhenderet, fructus dignos disciplinis actione proferebat: cumque verè cælestes & Angelicos planè haberet spiritus, insignis pulchritudo micabat ex oculis. Magna autem ex parte domi latebat. De iuuentute verò sæpissimè conquerebatur, dicens: O insidiosam ætatem, quæ aut lædit, aut læditur. Pulchra res est senectus. Hei mihi: longitudo temporis me mœstitia afficit, quæ tandiù separat à cælestibus. Et vt semel dicam, nunquàm intermittebat Christum vocare ad suum auxilium, & genua flectens, solum adspergebat lachrymis. Decēb. 30. Cap. 1. Patria S. Anysiæ. Dolet se disiuncta à cælestibus.

Intereà autem cùm parētes decessissent, accepta hæreditate, cogitabat, quomodò vteretur ijs, quas habebat, diuitijs. Erant verò congesti maximi auri & argenti thesauri, amplæ possessiones, multi pecorum greges, seruorum & ancillarum multitudo innumerabilis, vestis sumptuosa & magnifica, & ex auro contexta, & serica, mundus aureus, exornatus omni genere gemmarum, magnitudine resplendens & pulchritudine. Hæc videns sanctissima Anysia, dicebat: Quomodò saluæ esse poterimus in tantis terrenis copijs? Quomodò caput draconis exuemus? Agè aduersùs ipsum vtar eius inuentione. Ille quotannis se exuens, renouatur: exuamus ergò nos quoquè varias diuitias. Eæ enim diuitiæ magis puniunt eos, qui illis malè vtuntur: eos, qui ipsas accumulauerunt, mulctant rabie immedicabili: parcos autem & illiberales suis laqueis & retibus implicant. Agrorum possessio suggerit indignationem, & infidam vectigalium exactionem, proferens trutinas falsas & falsa pondera. Vestes docent se perperàm & nequiter gerere, resoluique & diffundi delicijs. Torques & monilia efficiunt, vt ceruix superbè erigatur, & vt quæ laudibus trahitur, videri desideret. Agè ergò ijs piè vtamur, beato Matthæo parentes. Dominatum in eas obtineamus secundùm naturam, priusquàm eæ dominentur nobis præter naturam: efficiar verè domina, eas sanctè administrans: simul & declinans ea, quæ ex eis oriuntur, vitia, & custodiam excogitans tutissimam, in viduarum, orphanorum & mendicorum ventrem tanquàm thesaurum eas recondens. Idoneus fideiussor, Dominus vniuersorum, nō ad duplum vsque solummodò augebit sortem, sed ad cētuplum vsque cum vita æterna mihi fœnus adijciet. Piè consumamus: tutò enim recipiemus. Venundatis omnibus, crucem acquiramus: Christum expediti sequamur: ipsam terram statìm cum terra relinquamus, cælos cum Angelis habitemus. Fugiamus periculosam vitam, & probris plenam: & desideremus certamen, quod superat rationem. Cum ijs, quæ non patiuntur interitum, permūtemus ea, in quæ cadit interitus. Maximè venerandæ sunt nuptiæ, quæ corruptionem nequaquàm conciliant: permaneamus integræ: ei qui formauit, purum figmentum conseruemus: à repræhensione alienum Christi custodiamus signaculum. Agnoscat Dominus sigilla virginitatis: clausum inueniat hortum, cùm accesserit. Præbeamus fontis fluenta minimè perturbata. Nunc cùm sunt nundinæ, negociemur. Persecutio & afflictio mihi gloriam concilient. Præsides & supplicia, in paradisi delicias: custodia & flagella, in Christi nuptialem thalamum introducant. Non solùm sunt virorum coronæ, sed etiam mulierum. Cap. 2. Ingentes ei a parētibus relinquūtur opes. Seipsam hortatur an excēdas diuitias. περιθρύλημα. Hortatur seipsam ad seruandam virginitatē.

Et hæc dicens, orabat cum lachrymis: Domine Iesu Christe, lux vera, fons immortalitatis, radix incorruptionis: qui mysterium virginitatis in vtero concepisti: qui matris nomen nulla labe inquinatum custodijsti: bone Domine, præsta nè Cap. 3. Precatio eius ad Christum.

virginum chorum deseram, nè excludar thalamo: sed me refer in numerum virginum prudentum, & dignare me Domine, vt lampadem ferens, victis, quę inquinari nequeunt, certaminibus glorificer. Hæc cùm dixisset sanctissima Anysia, statim omnia venundedit, non tanti quanti erat vnumquodque, nec vt solet fieri in contractibus, exquisitè examinans: sed hoc solùm dicebat emptori: Est mendicorum & egenorum: da iustum precium, vt simul quoquè aliquam tibi afferas mercedem emens, & effectus iustus dominus. Hæc autem dicebat, non quòd vellet multiplicatum accipere precium: sed in hoc quoquè habens zelum pietatis, & ei qui emebat, mercedem concilians. Non enim tantam curám gerebat venditionis, quãtùm curabat, vt rectè & ex virtute nil possideret. Cumque omnia in aurum redegisset, illa ea per se dabat, non solùm præbens, sed alia etiam officia adhibens: in omnem custodiam ingrediens, & quemlibet qui in vinculis erat damnatus, consolans: eius qui tortus fuerat, vibices infusionibus curans & vnctionibus: quemlibet ægrotantem & in lecto decumbentem inuisens, & eius curam gerens: compita & vicos obiens, & ijs qui in eis iacebant, manum prębens, dicebat: Nè delicię sint mihi diuitiæ, quæ ne aquæ quidem gutta dignæ habentur in tempore iudicij. Non sationis laborem, sed messis diuitias, visione appræhendebat. Et cùm ad obolum vsque omnia distribuisset, & nihil sibi reliquisset, se in quadam continebat domuncula, quæ superiùs habebat tabulatum, operans manibus, & quo opùs habebat, sibi alimentum suppeditans, conuenienter sententiæ beati Pauli Apostoli, qui dicebat: Ociosus autem non manducet. Christiano verò germanum, & quod impediri non potest, nutrimentum, sit labor suarum manuum.

Vendit oĩa sua. — *Vide in quos vsus suas expendit facultates.* — *2. Thess. 3.*

Cap. 4. — *Obseruationes eius exercitia.*

Hæc cùm dixisset, precibus deinceps vacabat & orationi, ieiunium quasi carnis quodammodò expers producẽs. Deindè validissimæ se assuefaciens exercitationi, diem quidem consumebat in lectionibus, noctem autem in psalmis & precibus: pro lecto, solo: pro veste stragula, storea & sacco vtens: breuissimo somno cõtenta, à phantasia libero & insomnijs. Dicebat enim: Malum est mihi, dormire, cùm meus inimicus vigilat. Plures verò fundebat lachrymas, quàm erat potus quem bibebat: & gemitus ac suspiria erant plura, quàm verba. Vincta autem erat tanto Domini desiderio, vt existimaret ipsa dum genu flecteret, & in nudam terram figeret oculos, se pedes tenere Seruatoris: & genibus labra admouens, illius genua osculari: & capillos pandens, se puluerem qui inerat, excutere. Horum vero cogitatio ei fontes mouebat lachrymarum. Tanto autem studio contendebat ad Christum, vt vellet resolui, & esse cum Domino. Quoniam autem nolebat seipsam occidere, & rursùs properabat ad cælestia, quid facit? Ieiunio corpus paulatim consumebat, multum de vita suffurans abstinentia.

Magno ardet Christi desiderio.

Cap. 5. — *Oratio eius.* — *Dan. 7.* — *Ezech. 34.* — *Luc. 12.*

Manu aũt pectus pulsans, orabat, dicens: Domine Deus omnipotens, pater vnigeniti tui filij Iesu Christi, Domini & Dei & Seruatoris nostri, qui sedes in throno glorię, cui assistũt mille millia Archangelorũ ministrantiũ, & deciès mille millia seruientiũ tuo nutui, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates: quẽ laudant Cherubim, & glorificant Seraphim, ter sanctum hymnum sine fine dicentes: qui spiritus, qui non obediêrunt, in tartari profundum condemnâsti: qui draconẽ qui defecit, alligâsti catenis, qui proprio suo reti eum implicâsti, qui eius sedem in terram deiecisti, qui à cælestibus mysterijs eum exterminâsti, qui à beata vita eum alienâsti, qui insolentem eius exultationem depressisti & abiecisti, qui de eius pompa per ignominiam Crucis triumphâsti, qui ex impolluto tuo sinu Deum verbũ, qui est ante secula, & seruator animarum nostrarum, ex spiritu sancto & Maria virgine natum, ad nos misisti: qui id quod errabat, per ipsum conuertisti: & quod erat imbecillum, confirmâsti: & quod contritũ, curâsti: te inuoco ego humilis & peccatrix ancilla tua ex toto corde meo, qui nouisti quæ erãt in corde vniuscuiusque: qui ignem, qui iactus erat in mundum ab vnigenito tuo filio, & in corde meo accendisti: qui fidei, quæ in me est, scintillam in lampadem eius, quæ est erga te, dilectionis mutâsti: adsis mihi indignæ, & serua me, quoniam te desidero, & te quæro, & te sequor totis meis viribus. Domine, suscipe precationem meam, quam offero tibi corde contrito & spiritu humili: propter quàm, ô Domine Iesu Christe, fuisti in crucem actus, propter quam colaphis cæsus, propter quam acetum & fel bibisti, & tertio die surrexisti, & in cælos ascendisti, & sedisti à dextris patris: nè me dedecore affeceris, nè me à tuarum ancillarum numero reieceris: sed dignare me

fieri

fieri perfectam Christianã,& consummari in signaculo sanctæ Crucis tuæ: imperti me tua passione, voluntatem tuam in me operans, vt digna reddar, quæ appaream ante tuũ tribunal. Tu me tuam conse tua: confige à timore tuo carnes meas. à iudicijs enim tuis timui. Auerte oculos meos, nè videant vanitatẽ: sed potiùs eos aperi, rogo te, & considerabo mirabilia de lege tua. In te proiecta sum ab vtero matris meæ. Tu es Deus meus: pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Tu suscepisti me Domine. Dirige gressus meos, nè dedecore afficiar ancilla tua: sed fac mecum signum in bonum, & imple desiderium meum. Quoniam ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Adiuua me, & non inueniatur macula in ancilla tua. Tibi enim meipsam offero per aram confessionis & humilitatis meæ, tanquàm in holocaustis arietum & taurorum, nempe eorum, qui priùs decertârunt propter nomen tuum: & in denis millibus agnorum pinguium, qui secuti sunt agnum tuum immaculatum: Per quem tibi, & cum quo tibi, cum spiritu sancto, gloria & honor & potentia in secula seculorum, Amen.

Psal. 118. Psal. 26. Psal. 37. Dan. 3.

Postquàm autem precata esset, surrexit, & totum corpus suum cruce signauit. Hæc videns maculosus draco, non tulit puellæ angelicam & cælestem vitam, videns eam iam spiritu in cælis habitantem, & ad passionem martyrij toto animo accensam: sed in eam stridebat dentibus, & eius cellam mouere assiduè cogitabat, & vt eam euerteret, furebat: sed videns eam signo crucis vndiquè munitam, plagis quæ sub obtutum non cadebant, pulsatus, refugiebat, eique torporis & desidiæ morbum immittebat. Illa autem intensa & perpetua oratione, perindè ac septa palæstræ, eius statìm infringebat insidias. Rursùs verò dicebat veritatis inimicus: Heu quid mihi accidit infelici? Qui Angelos è superis detraxi, & gigantes subieci, nunc illudor à pueris & puellis. Morte enim tanquàm vita lætantes, & per ipsam coronati currentes ad cælos, decæterò mihi fecerunt mundum inhabitabilem. Me consolabatur sanguis martyrum, qui interimebantur: sed fides eorum decertationis, & eorum quæ geruntur prædicatio, transmutauit integras ciuitates & gentes. Templa diruuntur, conticescunt oracula, abolita sunt mysteria, torpescũt mystæ, qui priùs exultabant: ad meum, vt videtur, exitiũ Crucem fixerunt. Iam mihi præsagit animus futurum, vt regia mea planè dissoluatur. Nam qui sunt in tormentis hilares, & in sepulcris terribiles, vrunt, flagellant, & me vndiquè persequuntur: & quod à me fuerat excogitatum, euasit accessio maioris supplicij. Inuéni tamẽ quid agam. Protinùs ergò tale quid in eam excogitat, existimans se sua inuidia ac malignitate, eius, quæ extollebatur, gloriam obscuraturum: Vt cùm essent viles & abiectæ personæ, quæ eam interimerent, vilem quoquè & abiectam videretur efficere eius decertationem: & quòd nec scriptis mandata essent, & carerent forma iudiciorum, obliterarentur etiam trophæa encomiorum. Non intelligens malignus, apud Deum magis opùs esse bono proposito, quàm verbis: atque adeò in eam incitat eos, qui tunc rerum potiebantur.

Cap. 6. Totum corpus suũ cõsignat Cruce. Vide vim S. Crucis. Ecce diaboli aduersùs sanctã Anysiam machinationes.

Maximianus itaque, cùm magnam occidisset multitudinem, per se quidẽ interficiendo satiatus, & non secùs atquè immanes feræ, quæ homines deuorant, præ carnium multitudine nauseans & caligans, speciem parcentis præ se tulit, dicens indignos esse Christianos, qui occidantur ante oculos Imperatoris. Cur enim præbeam occasionem, vt scriptis mandẽtur eorum supplicia, & eorum instruam scriptores, qui ea ad perpetuam transmittunt memoriam, & eos, qui eodem morbo laborant, ad eandem fidem deducam? Cur non instàr pecudum eos trado ijs, qui debent occidere, simul & sceleratos dijsque inimicos exterminans, & efficiens, vt mortis eorum memoria mandetur silentio? Hæc cùm dixisset, proponit edicta, quæ iubebãt, vt liceret volenti sine periculo occidere quemlibet Christianum. Occidebantur itaque innumerabiles, & propheticum implebatur elogium, quod dicit: Propter te morte afficimur toto die: reputati sumus tanquàm oues occisionis. Tũc autem cogitatio venit in mentem Anysiæ, vt iret ad Dominicum. Id autem erat Angelus, qui eam vocabat ad passionem martyrij.

Cap. 7. Maximiani immanis crudelitas. Vide mandatum planè barbarũ. Psal. 43.

Cumque ingrederetur portam Casandrioticam, excitatus est tumultus in populo. Deindè cum eam vidisset quidã ex satellitibus Imperatoris, & esset ab eius sauciatus pulchritudine, vel ab ipso potiùs diabolo incitatus, ei factus obuiàm, Sta, inquit, & dic, quò vadis. Illa autem videns eius insolentiam & immoderationem,

Cap. 8.

Ecce Christianorum laudabilem vsum, signandi se sanctæ Crucis signo.

& mente agitans tentationem, digito fecit in fronte signum Crucis. Ille verò planè fera, & quauis fera sæuior, non reueritus est generosum & decorum silentium: sed se cōtumelia affectum & despectum arbitratus, cùm eam apprǽhendisset, cum voce aspera eam agrestiùs interrogabat, quænā esset, & quò proficisceretur. Agna autem Christi, volens non solitum deuitare cōspectum, voluit eum breui responso superare: Sum Christi ancilla, & vado ad Dominicum. Ille autem insolens impulsus ab eo, qui in ipso habitabat, dæmone, dixit: Sed nō sinam te illuc proficisci: sed te adducam ad dijs libandum. Solem enim hodiè colimus: & simul hoc dicēs, velum traxit, volens eius vultum detegere. Illa autem generosè & fortiter resistēs, & in eius faciem inspirans, dixit, Increpabit te Christus Iesus, diabole. Ille verò illa sufflatione & nomine Christi motus ad irā, quę cohiberi non poterat, stricto quem ferebat gladio, eius latus eo transadegit. Quæ statìm cum tremore & palpitatione membrorum in terram cadens, eam sancto sanguine reddidit purpuream. Quotquot autem adstabant, eam circundantes, primùm quidem eam deplorabant, miserti eius ætatis, &, tale quid posse sibi accidere, cogitantes. Deindè apud se murmurabant, Imperatorem & impium eius decretum vituperantes. Venerandas autem & sanctas sanctæ reliquias, qui harum rerum studio tenebātur, viri pij Christiani, & qui in sanctos zelo erant incitati, cùm sustulissent, & iusta eis, vt par erat, fecissent, deposuerunt circiter duobus stadijs à porta Casandriotica, à sinistra viæ publicæ domum oratoriam ei ædificantes.

S. Anysia à petulanti nebulone interficitur.

Basilica ei extruitur.

Hæc autem sustinuit sancta, imperante Maximiano: in nos verò regnante in infinita secula Christo Iesu Domino nostro: Cum quo patri cum sancto spiritu honor & potentia, nunc & semper, & in secula seculorum Amen.

MARTYRIVM SS. SABINI EPISCOPI, EXVPERANTII ET MARCELLI DIACONORVM, &c.

vt in Martyrologio Bedæ habetur, itemq́ Adonis.

Decemb. 30



APVD Spoletum passio S. Sabini Episcopi, Exuperantij & Marcelli diaconorum, & Venustiani cum vxore & filijs sub Maximiano Augusto. Qui B. Sabinus cùm esset in omnibus diuinis instructionibus clarus, & sermone eloquētissimus, tentus est à Præside Tusciæ Venustiano, cum duobus diaconibus Exuperantio & Marcello, & multis clericis. Cui Venustianus deum suum Iouem, quem habebat in cubiculo ex lapide mirè formatum, in vestimentis aureis ad adorandum obtulit. Quem B. Sabinus in manibus acceptum, facta oratione continuò illisit in pauimētum, & confregit. Quod factum videns Venustianus, cum furore iussit, vt præciderētur ei manus, & in conspectu eius Marcellum & Exuperantium eculeo suspendi, ac fustibus macerari, vnguibusque radi latera eorum, & ignem supponi. Hoc facto, in confessione Domini spiritū emiserunt. Quorum corpora iussit iactari in fluuium, Sabinum verò Episcopum in carcerem retrudi.

S. Sabinus confringit Iouis simulacrum.

SS. Marcellus & Exuperantius reddunt spiritum.

Audientes hoc quidam piscator & presbyter, collegerunt corpora sanctorum, & sepelierunt iuxta viam * pridiè Calendas Ianuarij. Serena verò Christianissima vidua, curam habens S. Sabini Episcopi, adduxit ad eum in carcerem nepotē suum Priscianum, qui erat cæcus. Tum S. Sabinus truncas manus super oculos eius posuit, & in fide Christi, oratione facta, illuminauit. Videntes autem, qui in custodia erant, miserunt se ad pedes eius, numero * vndecim, & baptizati sunt. Quod cùm nunciatum esset Venustiano præsidi, (indoluerant enim ei oculi, & præ dolore neque cibum, neque potum, neque somnum capere poterat) misit vxorem suam, & duos filios, vt adducerent beatum Sabinum ad domum eius de carcere. Adductus itaque, prostrauit se ad pedes eius Venustianus cum fletu, vxorque eius & filij agentes pœnitentiam, & rogantes se baptizari. Mox baptizatus vt de pelui leuatus est, nullum dolorem oculorum sensit.

* tertio

S. Sabinus cæcū sanat.

* decem

Venustian' credit.

Nunciatum est autem hoc Maximiano: qui iratus, præcepit Sabinū damnari, & ipsum Venustianum capite truncari. Veniens autē Lucius tribunus, sine auditione

Occiditur cum suis.

beatum

beatum Venustianum cum vxore & filijs necauit in ciuitate * Assisinate: sanctum verò Sabinum adduxit in ciuitatem Spoletum, & tandiù præcepit cædi, donèc deficeret. Cuius corpus collegit venerabilis Serena, quæ iam manus eius in dolio vitreo cum aromatibus condiderat, & infra domum suam posuerat, & sepeliuit eum à ciuitate Spoletana milliario plùs minùs vno, septimo Idus Decembris. Festiuitas tamen eius, & suprà nominatorum martyrum, tertio Calendas Ianuarij agitur.

* Assisina. Item S. Sabinus.

ITEM DE EODEM SANCTO SABINO INSIGNE MIRACVLVM, VT HABETVR IN PAVLI *Diaconi, de gestis Longobardorum libro quarto, cap. quinto.*

SEquenti anno quàm Theodebertus Francorum Rex, cum Clothario patruele suo bellum gerens, eius exercitum vehementer afflixit: Ariulphus Dux, qui Faroaldo apud Spoletũ successerat, moritur. Hic Ariulphus cùm bellum cõtra Romanos in Camerino gessisset, victoriamque patrâsset, requirere à suis hominibus cœpit, quisnam vir ille fuisset quem in prælio quod gesserat, tam strenuè pugnantem vidisset. Cui cùm sui responderent, se illic nullum fortiùs bellantem, quàm Ducem ipsum vidisse, ille ait: Certè multò per omnia me meliorem ibi alium vidi: qui quotiès me aduersæ partis aliquis percutere voluit, me semper suo clypeo protexit. Cumque Dux ipse prope Spoletum, vbì basilica beati martyris Sabini Episcopi sita est, in qua eiusdem venerabile corpus quiescit, aduenisset, interrogauit, cuius illa tam ampla domus esset. Responsumque est ei à viris fidelibus, Sabinum ibi martyrem quiescere: quem Christiani quotiès in bello contra hostes irent, præsidiũ haberent, ac eum propterea in suum auxilium vocarent. Ariulphus verò cùm adhuc esset gentilis, ità respondit: Et potest fieri vt homo mortuus aliquod viuentibus auxilium præstet? Qui cùm hoc dixisset, equo desiliens, eandem basilicam conspecturus intrauit. Tunc alijs orantibus, ipse picturas eiusdem basilicæ mirari cœpit. Qui cùm figuram beati martyris Sabini depictam conspexisset, mox cum iuramẽto affirmauit, talem omninò eum virum qui se in bello protexerat, formam, habitumque habuisse. Tuncque intellectum est, beatum martyrem Sabinum eidem in prælio adiutorium contulisse.

Hæc contigerunt tempore S. Gregorij Papæ.

S. Sabinus Ariulpho Duci præelianti opem fert.

S. Sabinus Christianis in bello præsidium.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI SYLVESTRI, PAPAE ROMANI, AVTHORE SIMEONE *Metaphraste: vt habetur 5. Tomo Aloysij. Nos capita margini adiecimus.*

VENERANDI quidem, & qui Deum viderunt Apostoli, omnem orbem terræ obeuntes, in hominum animis salutarem seminârunt prædicationem, & multos traduxerunt ab errore ad Dei cognitionem: sed nondùm liberè & fidenter se gerebat pietas, donèc insignis Imperator, & vel ipsis æquiparandus Apostolis, Cõstantinus ille Magnus, Dei prouidentia ex agresti olea insereretur in satiuam. Qui autem ab infidelitate eum traduxit ad fidem, is iure iudicetur esse causa, vt se liberè gerat pietas, & omnes ferè se submiserint diuinæ prædicationi. Is est autem diuinus Syluester, cui vel hoc solum suffecerit ad eius laudes celebrandas. Ei autem est vniuersa vita & laudabilis & Deo grata, & quæ ijs, qui virum volunt laudare, præbet amplam encomij materiã. Et ijs quidem, qui sunt amantes virtutis, laus illius lætitiam adferet & vtilitatem. Nam iuuabuntur quidem, qui ab illius vita incitati fuerint ad imitationem bonorum illius operum. Conuenienter autem ei, quod dicit sapientissimus Solomon, etiam lætabuntur. Cùm laudatur iustus, inquit ille, lætabũtur multi populi. Sunt ergò diuini huius patris res narrandæ & laudandæ pro viribus.

Decemb. 31. Cap. 1.

Constantinus Magnus à S. Syluestro conuersus.

Atque

Cap. 2. Atque quinam quidem fuerint magni illius viri parẽtes, & à quibus sit in lucem editus, veteri libro de eo tractante, in quem incidimus, non fuit declaratum, qui priscè admodùm & simpliciter est compositus. Quocircà ea quoquè sunt à nobis prætermissa. Cùm autem esset adhuc iuuenis, secutus est quendam Curionem presbyterum, virum & fide rectum, & in rebus diuinis eruditum, & vita pium: à quo etiam fuit confirmatus & stabilitus in diuinissimis nostræ fidei decretis, compositique sunt eius mores, & formatus animus ad institutum virtutis. Cùm iam autẽ superâsset adolescentiam, erat præ cæteris deditus virtuti hospitalitatis: & quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio lubẽter excipiebat: eis mensam hilariter apponens, & aqua illorum pedes abluens, & ad quiescendum eos in stragulis collocans. Quo factum est, vt Timotheus quidam vir diuinus, qui ex Antiochia Romæ peregrinabatur, & sanctum prædicabat Euangelium, fortè ab hoc diuino patre hospitio acciperetur, & cum hospes perfectiùs imbueret, & institueret in verbo rectæ fidei. Non enim timuit, vt reliqui fideles, præconem salutaris dogmatis excipere: sed lætus hospitio excepit eum, qui erat æqualis Apostolis: &, si cognitum fuisset eum hoc facere, pro ea re pati, lucrum existimans.

S. Syluester à quo institutus.

Eius hospitalitas.

Cap. 3. Cùm autem Timotheus anno vno & paulò ampliùs Romę diuinam prędicâsset prædicationem, & multos ab errore conuertisset ad pietatem, deindè propterea fuisset compræhensus, & valdè punitus, & longo tempore traditus in custodiam, & in illa maceratus, & tandèm truncatus capite: beatus Syluester ne post decessum quidem destitit à sua in martyrẽ affectione: sed multum posuit studij, vt eius corpus tolleret. Tyrannorum itaque crudelitatem non extimescens, nec eorum, qui obseruabant, nè martyrum corpora mandarentur sepulturæ, vllam ducens rationem, profunda nocte vadens, vbì situm erat corpus martyris, insciẽtibus omnibus id rapuit, & domum tulit. Et tunc quidem tota nocte cum alijs sanctis cecinit hymnos, qui canuntur in sepultura. Post hæc autem, fideli quadam muliere impensas suppeditante, sanctissimus Romæ Episcopus Milciades, Timotheo ædificauit martyrium, in quo deposuit illud corpus martyris.

S. Timotheus interficitur.

Eius corpus à beato Syluestro sepelitur.

Cap. 4. Vrbis autem Præfectus cùm sanctissimum appræhendisset Syluestrum, ab eo exigebat Timothei facultates, vt qui eum apud se hospitio exciperet: & nisi eas, ei dicebat, dederis, & accedens dijs sacrificaueris, tuum corpus consumam omni genere suppliciorum, & postremò te subijciam morti miserabili. Sanctus autem mentis oculis Præfecti mortem præuidens, Euangelicum ei dedit responsum: Hac nocte, dicens, animam à te repetunt: quæ autem minatus es, non licebit ad effectum deducere. His vrbis Præfectus conturbatus, iubet sanctum ferreis vinciri vinculis, & tutò in interiori seruari custodia. Et ille quidem fuerat inclusus: Præfectus autem vrbis prandens, cùm ei piscis fuisset appositus, comedebat: os autem gutturi illius infixum, cùm nec arte medicinæ posset euelli, nec præstigijs incantatorum, cum magno dolore velocem ei mortem attulit. Media enim nocte, cùm non posset ampliùs ferre dolorem, expirauit. Hoc ijs quidem, qui simulacra adorabant, timorem attulit: vt Christiani autem bono & confidenti animo essent, effecit: sanctum autem soluit à vinculis. & sic liberatus fuit à custodia. Qui autem Præfecto ministrabant, cùm ex eo, quod illi acciderat, sibi timuissent, sancto procidebãt supplices, & prouoluti ad illius pedes, rogabant vt diuina ira ab eis auerteretur. Eius autem virtute sic omnes aducẽte in admirationem, ille non solùm erat venerandus fidelibus, sed etiam ipsis infidelibus.

Præfecto suam mortem prædicit Syluester.

Luc. 12.

S. Syluester ducitur in custodiam.

Cap. 5. Iam autem tricesimum annum agens ætatis, à sacrosancto Milciade, quem priùs diximus tũc fuisse Episcopum Romanæ Ecclesiæ, ordinatur Diaconus, & refertur in cleri catalogum: & erat tanquàm quædam fax lucens in tenebris, & multos deducens ad viam pietatis. Oportet autẽ lumen imponi candelabro, vt sic eius splendore plures illuminarentur: atq; adeò fuit positum, sic diuina prouidẽte à superis administratione. Nam cùm Milciades è vita excessisset, omnium suffragijs sanctissimus Syluester fuit electus Romanorũ Episcopus. Is autẽ dicebat illud munus esse maius, quàm vt id posset sustinere, & se excusabat propter iuuenilem ætatem. Qui autem ferebãt suffragia, quoniã ille non currebat ad magistratum, immò verò eũ modis omnibus repellebat, eũ magìs ei suis mandabant suffragijs: & tandèm vicit instans populi cõstantia: & in Episcopatûs sede fuit collocatus, qui eo erat dignus: & verè

Fit Romanus Pontifex.

Matth.5.

& verè erat ciuitas ſupra montem poſita, & lucerna in alto collocata, & lucens omnibus, quibus non fuerat extincta mentis videndi facultas, nec tenebris impietatis erant animæ oculi omninò occæcati.

Cap.6. Rom. Pontifex ſucceſſor eſt Petri.

Cùm autem ſic fuiſſet dignatus Archiepiſcopatu, & præfectus eſſet paſcēdis ouibus Domini, ſicut Petrus ſummus Apoſtolus, cuius etiam ſedis, vel potiùs zeli & ardoris fuit ſucceſſor, eas ad ſalutaria adducebat paſcua, Dei, inquam, & Seruatoris noſtri mandata: & ad aquas poculentas, nempe dogmatum rectitudinem, & quæ non participant falſam eorum, qui malè ſentiunt, qualitatē. Deindè etiam curam geſſit boni in Eccleſia ordinis: & cùm inueniſſet clericos mundanis ac ſecularibus vacantes adminiſtrationibus, intentosque mercaturis, emptionibusque & venditionibus, ille primus legem tulit, vt qui ſacrati erant, ab ijs abſtinerent: vacarent autem precibus, eis dictitans id, quod dictum fuerat à vaſe electionis: Nemo militans implicatur negocijs, quæ ad victū pertinent, vt Duci placeat exercitûs. & quod dixit Dauid, Vacate & cognoſcite. Huius etiam diuini patris fuit inuentum, vt primus dies hebdomadis, nominaretur Dominicus. Cùm enim Iudæi eum primum vocarent, & ſecundum & tertiū eos, qui ſequebantur, & deincèps reliquos: ſextum autem & ſeptimum, ſi ſpectes eam, quæ à primo fit, enumerationem, illum quidem nominarent paraſceuen, eò quòd in eo ab eis parabantur, quæ erant ad ſeptimum neceſſaria: quoniam in illo vetitum erat Iudæis operari, ſeptimo autem propter quietem ab operibus, ſabbati nomen impoſuiſſent: quoniam in eo ceſſauit Deus à creatione eorum, quæ videntur: Romani autem vocarent, primum quidem, diem Solis: eos autem qui deincèps conſequuntur, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris & Saturni: ipſe beatus Syluester, dierum nomina, quæ à gentilibus erant impoſita, abrogauit propter illorum impietatem: quæ apud Hebræos autem erant eorum nomina, vt quæ à Moſe ſcripta erāt, qui Deum vidit, admiſit, ſolius primi mutato nomine, & eo vocato Dominico, propterea quòd in eo à mortuis ſurrexiſſet Dominus. Ab eo quoquè eſt conſtitutum, nè ieiunaretur ſabbatis. Nam cùm Occidentales ieiunarent ſabbatis, hoc minimè placuit Orientalibus, dicentibus eos, qui ſic faciunt, ſequi morem Iudaicum. Hic autem magnus pater, cùm decreuiſſet vt in vno ſabbato ieiunarent fideles, in quo Dominus adhuc ſitus erat in ſepulcro, ieiunium abrogauit in reliquis. Hinc in eum ſunt exortæ apud Romanos calumniæ, vt qui patrios eorum ritus tolleret.

2. Tim. 2. Pſal. 45. Hoc inuētū B. Syluester ab Apoſtolis accepit. nā D. Iohānes in Apocal. cap. 1. aſſerit ſe fuiſſe in ſpiritu Dominica die.

Cap.7. Romani colunt draconem.

Cùm autem congrederetur cum gentilibus, & argueret eos non rectè ſentire de Deo, cùm fabulis crederent, & eos qui non eſſent, deos putarent, illi ſignum ab eo petiērunt in nomine eius, qui ab eo prædicabatur. Signum autem tale fuit: Draco maximus habitabat in profunda ſpelunca iuxta montem, qui ab eis nominatus fuerat Tarpeius, in quo etiam collocatum Capitolium. Ei autem draconi quotoquoque menſe alimenta ab eis largè ſuppeditabātur: quæ quidam præſtigiatores cum virginibus incantatricibus aſſumentes, in illam ſpeluncam per multos gradus deſcendebant, & in ea execranda peragentes myſteria, in quibus nulla inſignis deerat abominatio, illic cibis relictis, reuertebantur. Certis autem temporibus draco repentè aſſcendens, foràs quidem non egrediebatur: ſed iacens in ingreſſu cauernæ, venenato anhelitu corrumpebat aërem, ex quo mors afferebatur vicinis, magìs autem imminebat interitus infantibus. Huic ergò beluæ, aiebāt, ſi Dei tui inuocatione aſcēſum prohibueris, & ſi non omninò, at eo certè tempore, te eſſe veri Dei prædicatorem reputabimus, & ad eum accedemus, & ipſum eſſe Deum nos quoq; confitebimur. Apoſtolicus autem vir ille eis reſpondit: A Deo quidem, qui à me prædicatur, nihil eſt omninò, quod non poſſit fieri. Quocircà facilimè hanc noſtram implebit precationem. Ex vobis autem plurimi ne ſic quidem abſtinebunt ab impietate, ſed rurſùs retinebunt & amplectentur impietatem.

Draco ſuo anhelitu multos occidit.

Cap.8. S. Sylueſter triduanum indicit ieiuniū & preces contra draconem. S. Petrus ei apparet.

Cùm itaq; conuocâſſet quotquot erant Romæ fideles, & omnibus triduarū præcepiſſet ieiunium, & vt rogarent Dominum, vt admirabilem faceret ſuam miſericordiam cum ſeruis ſuis, & eis daret materiam & occaſionem ſalutis: Ipſe autē ante alios precationi vacabat & ieiunio. Iam autem peracto, quod præſtitutum fuerat, ieiunio, Petrus ſummus Apoſtolorū huic ſanctiſſimo patri appáret in ſomnis, iubens vt ex Sacerdotibus & Diaconis ab eo aſſumerentur ij, quos vocabat nominatìm, & cum illis veniret ad ingreſſum ſpeluncæ, & illic Deo incruentū offerret cultū: Deindè ſic ſubiret per eos, qui ſunt in ipſa, gradus: dicensq; vt alloqueretur draco-

draconem, qui dicebatur, & portas habebat in ore, præcepit vt clauem ferret manibus, & nomine Domini Iesu Christi inuocato, ad se portas traheret, & in adaptatos annulos clauem inijceret: & cùm clausisset, diceret: Hæc dicit Apostolus Petrus: Hæ portæ non aperientur vsque ad vespere carentem & horribilem diem iudicij. Atque hæc quidem sic noctù mandata fuerant sancto Syluestro ab Apostolo. Is autem, vt iussus fuerat, & cultum peregit, & descendit, & portis clauem intulit. Videntes autem Gentiles eum descendentem in speluncam, expectabant fore, vt ipse & qui cum eo erant, statim vorarentur à dracone, aut mortifero interirent anhelitu. Postquàm autem Syluester & qui cum eo erant ascenderunt illæsi, eos qui spectabant cepit admiratio, & fatebantur vim quandam diuinam sequi Episcopum. Cùm itaque ab eo tempore satis transijsset temporis, & cessâsset qui à dracone afferebatur interitus, & illæsa mansisset ciuitas, multi ex infidelibus, & ipsi qui nupèr seruiebant draconi, accurrerunt ad sanctum, & fatebãtur esse magnum Deum, quem ipse prædicabat, & rogabant vt diuinum baptismum assequerentur. Quem quidẽ sunt assecuti, & ab impietate traducti ad pietatem. Sic quidem fuit vir ille sanctus multis causa salutis.

S. Syluester recludit draconẽ in suo antro nè hominib' noceat.

Multi Romani amplectuntur fidem.

Cap. 9.

Cùm autem adhuc vigeret error gentilium, & qui imperabant, errori seruiebãt: & hominibus quidem dominabantur, subiecti verò erant dæmonibus: decretum vbiquè proponerent, vt colerentur simulacra, & eis ab omnibus offerrentur sacrificia: & magnus inter Imperatores & inclytus Constantinus, modò imperio potitus, & errori adhuc seruiens, ipse quoquè æquè atquè ij, qui eum præcesserant, planè in errore versaretur gentilium, & decreta proposuisset, vt punirentur Christiani, nisi persuaderentur libamina offerre simulacris: Tunc ergò hic quoq; magnus pater, cùm iudicâsset nõ oportere seipsum obijcere persecutoribus, non quòd non posset ipse ferre supplicia pro pietate, sed parcens persecutoribus, Roma quidẽ excedit: in montem autem abiens, ibi se abscondit, illic solus cum Deo versans. Qui autem vnicuique salutem procurat Dominus, volens sedare tempestatem & calamitatem ijs, qui in ipsum credunt, & efficere vt liberè & confidenter se gereret pietas, malo vlcere ferit Imperatorem à pedibus ad caput vsque, & malè ei affectum erat vniuersum corpus. Ei enim sacer morbus incubuit, & floruit lepra per vniuersam carnem. Aduersùs quam neque valuit ars medicorum, nec præstigiæ & magicæ artes incantatorum. Eius enim curationis & sanitatis spem omnem abiecerant, & medici indigenæ, & qui ducti fuerant à Perside. Cùm autem ab eis deplorata esset eius curatio, sacerdotes Iouis ad eum accedunt ex Capitolio, dicentes fore, vt nõ aliter curaretur, nisi facta esset piscina plena sanguine infantium, eoque adhuc bulliente & exhalante in ipso lauaretur. hoc autem si factum esset, fore vt citò curaretur, & è piscina mundus & sanus exiret.

S. Syluester latitat, dum sæuit persecutio, non timore, sed parcẽs persecutoribus

Vide barbariem.

Cap. 10.

Hæc cùm execrandi illi & scelerati sacerdotes suggessissent Imperatori, per vniuersam missi sunt regionem, qui infantes colligerent, & ferrẽt in Capitolium. His ablatis, iam dies quoquè cædis erat præstitutus, & in Capitolium ascensus Imperatori. Et illo quidem die abijt Imperator ad locum definitum: & qui erant mactaturi infantes, parati erant ad occisionem. Eorum autẽ matres cùm Imperatori occurrissent, lugentes & eiulantes, comas vellebant, & facies pulsabant, & genas lacerabant vnguibus, vestesque discerpebant, & vbera ostendebant quibus lactabãt infantes, molestisque & miserabilibus vocibus implebant aërem. erantque ijs, qui videbant, argumentum mœroris & tristitiæ. Quidni enim essent, cùm essent matres, quibus nihil est magìs misericors? Imperator autem cùm fletum audijsset & eiulatum, rogauit eos qui aderant, quænam esset eorum causa. Postquàm autem audiuit lugentes esse matres infantium, qui erant interimendi, quorum sanguine erat lauandus, & visurus purgatione morborum, quibus detinebatur, tanquàm ab ebrietate ad se reuersus, & mente quieta & trãquilla effectus, Actionis quidem, inquit, impietas est euidens & manifesta: incertum est autem, an sit euenturum, vt polliciti sunt, qui hoc impium facinus suggesserunt. Quòd si etiam esset manifestum, satius esse duco, vt ipse patiar morbis vexatus, quàm tot infantiũ, qui nihil mali fecerunt, volens cædem faciam, & matrum eorum animis doloris flammam accendam, quæ nunquàm poterit marcescere. Hæc cùm dixisset, reuersus est in regiam, & infantes reddi iussit matribus: statuit autem, vt vnicuique eorum præberentur pecuniæ: vt eorum dolori ex æquo respondentem afferret letitiam, gaudentibus quòd non solùm

Lamẽtatio matrũ haud dissimilis ei quæ cõtigit tẽpore Herodis.

Constantinus detestatur cruentũ consilium.

lùm filios recepiſſent, ſed præter eos etiam accepiſſent pecuniam.

Atque Imperator quidem ſic euaſit ſcelus: Deus autem ei duplicem procurauit ſalutem, & ſummos ad eum mittit diſcipulos, qui ei ſuggererent quæ ſunt ſalutaria. Noctù enim dormienti Imperatori viſi ſunt ei adſtare duo viri. Rogati autem, quinam eſſent, reſponderunt ſe eſſe Petrum & Paulum Apoſtolos Ieſu Chriſti: miſſos autem eſſe ab illo, vt ei viam ſalutis oſtenderent, corporiſq; & animæ ſalutis conſequendæ rationẽ docerent, & vitam darent, quæ non poteſt diſſolui, propterea quòd ipſe vitam quæ eſt ad tempus, dederit infantibus. Si hæc ergò vis conſequi, accerſe Epiſcopum Syluestrum, qui in monte propter tuî metum deliteſcit: & ſi illius monitis paruëris, ille tibi oſtendet piſcinam, quæ & carnis purgabit vitia, & animæ ſordes ëluet. Hæc cùm ei dixiſſent, receſſerũt ab oculis Imperatoris, & ſimul etiam eum dimiſit ſomnus. Eo autem de ſomnio cum animo cogitante, & viſum admirante, acceſſit medicus, qui de more ei medicabatur vlcera. Ille autem eum dimiſit, dicens ſe non ampliùs egére auxilio artificioſo. Diuinitùs enim ad me venit auxilium in ſomnis, & me diuinum ſomnium adiuit. Hæc cùm dixiſſet, mittit quamprimùm, qui beatum Syluestrum in monte quærerent, & cum ad ipſum adducerent cum omni reuerentia.

Cap. 11. Viſio Conſtantini Magni.

Vocat S. Syluestrũ Conſtantinus.

Poſtquàm autem inuëtus eſſet ab ijs, qui miſſi fuerant, & iam eſſet adductus, eum & lubẽter vidit, & ei iuit obuiàm, & eum eſt complexus. Deindè, Adiuro te, inquit, per Crucifixum, quem tu colis, vt dicas mihi, an aliqui apud vos dij colantur, nomine Petrus & Paulus. Ille autem contrà reſpondit: Vnus à nobis Deus cognoſcitur, ô Imperator, qui creauit cælũ & terram, & omnia quæ ſunt in eis. Quos autem ipſe nominâſti, non dij, ſed Dei ſunt miniſtri, qui vbiquè Chriſti nomen annunciárũt, & poſtremò pro illo ſunt mortui, vt qui ambos interemerit Nero propter ſalutarem prædicationẽ. Propter hæc lætitia affectus Imperator, Rogo te, inquit, Epiſcope Sylueſter, horum Chriſti diſcipulorum oſtende mihi effigies, ſi habeas, vt ſciam an ij reuerà ſint illi, qui noctù mihi apparuerunt. Ille autem ſtatìm iuſſit Diacono, vt ſummorum Apoſtolorum afferret imagines, & eas oſtenderet Imperatori. Cùm in eas autem allatas oculos inieciſſet Imperator, hos eſſe exclamauit, & non alios, qui ad eum in ſomnis acceſſerunt: & viſum narrauit Pontifici, rogauit vt ei oſtenderet piſcinam, quam, qui ei viſi ſunt, ſunt polliciti eſſe purgaturã & animam & corpus. Magnus autem ille pater, Non aliter tibi, inquit, ô Imperator, licebit illa frui piſcina, niſi eum, qui tibi ab ijs, qui viſi ſunt, eſt prædicatus, verum eſſe Deum ex animo credideris. Ille autem, Niſi, inquit, verum Deum crediḋiſſem eſſe Chriſtum, nequaquàm tuam accerſiuiſſem ſanctitatem. Ei autem dicit ſanctus: Oportet ergò te priùs ieiunare, ô Imperator, & Deum placare lachrymis, quęcunq; peccâſti confitentem. Depone ergò purpuram & diadema ſeptem diebus, & tuæ regiæ penetrale ingreſſus, clauſis ianuis, in ſacco & cinere humì iacens, in luctu age pœ[illegible]itẽtiam: & iube claudi templa idolorum, & ceſſare eorum ſacrificia: qui ſunt in exilio, & ad metalla damnati, & in carceres coniecti, libera Chriſtianos. Largire relaxationem ijs, qui ſunt in vinculis, & omnibus alijs afflictionibus. Sis benignus in eos, qui te rogant, & iuſtas imple petitiones: ijs, quas habes, facultatibus impertire pauperes. Hæc ille quidem dixit: Ipſe autem affirmauit ſe omnia impleturum.

Cap. 12. S. Sylueſter vocatus venit ad Cõſtantinum.

Vſus Imaginũ in Eccleſia antiquiſſimus.

S. Sylueſter indicit Imperatori ieiunium &c.

Cùm autem impoſuiſſet ſanctus manum capiti Imperatoris, & preces deindè dixiſſet, & eum feciſſet catechumenum, receſſit: & cùm accerſijſſet quicquid erat ſacri ordinis, & ex populo eos, qui Chriſtum confitebantur, præcepit omnibus ieiunium & preces. Cùm ij autem vnanimes eius iuſſui paruïſſent, fuſæ ſunt communes & intenſæ preces ad Dominum, vt Eccleſijs ceſſet perſecutio, & pax eis concilietur, & tandèm finis imponatur dæmonum libaminibus, & ijs, qui per ipſos errãt, illuceſcat lux ſalutaris. Cùm iam autem aduenìſſet dies ſeptimus, diuinus Sylueſter venit ad magnum Conſtãtinum: & cùm eum catecheſi inſtituiſſet, & in ſanctę Trinitatis myſterio eum initiâſſet, & diuinæ œconomiæ vniuerſum docuiſſet myſterium: Tempus eſt, inquit, ô Imperator, vt tibi paretur piſcina. Cùm ea autem iam eſſet parata: Hæc eſt, inquit, piſcina, quam dixerunt ij qui à te viſi ſunt: & aqua, quæ eſt in ipſa, ſanctificata inuocatione Trinitatis, purgat animas, tibi autem ea erit & carnis curatio ac purgatio, & morbum tuum fugabit, vt tibi ſacroſancti prædixerũt Apoſtoli. Ingredere ergò diuinum lauacrum, primùm quidem purgandus à peccatis & delictis tuis: deindè etiam à morbo, qui in tuo corpore pullulauit,

Cap. 13. Conſtantinus fit catechumenus.

uit, teque vexat, & probro & dedecore afficit.

Cap.14. S.Syluester eum vngit chrismate, & baptizat Romæ. Illustre miraculum.

Hæc cùm audiuisset Imperator,& lætus vltimam exuisset tunicam, & probrum carnis subiecisset oculis, & vnctus fuisset sancto chrismate, ingressus est piscinam. Cùm autē Syluester eius caput tetigisset, & eum in aquam immersisset, & sanctam simulq; venerādam inuocâsset Trinitatem, lux repentè totam domū circunfulsit, & lucis splēdor plusquàm Sol enituit. Exijt itaq; Imperator ex diuino lauacro, habens carnem puram & sanam,neq; plaga,nec vlla apparēte cicatrice. Aqua autem piscinæ erat plena ijs,quæ ex vlceribus exciderant,membranis ac pelliculis,non secùs àc squammis piscium. Ille autē cùm se vidisset tam repentè sanatum, nesciebat quemadmodùm satis ostenderet gaudij sui magnitudinem. Cùm autem vestē candidam induisset luminosam,dixit ijs qui aderant, se sensisse manum desupèr extensam,quæ eum tetigit immersum in piscina. Et statim edidit decretū, nè quis auderēt blasphemare Christum, aut molestiam exhibere Christiano: eius aūt, qui conuictus fuisset tale quid fecisse, publicari dimidium bonorū. Iussit autem templum quoq; in regia ædificari Christo Seruatori, cùm ipse suis manibus eius figuram descripsisset. Decreuit autem, vt qui vellent, securè possent religionem eligere Christianam,& ad Christi fidem accedere & baptizari, impensis quæ fiebant ad illuminationem, & veste suppeditata ex thesauris Imperatoris. Exhinc magna quædam multitudo accedit ad fidem & diuinum baptismum: & non ex diametro erat quidem gregi Christi quotidiè accessio,idolorū autem cultoribus diminutio: sed pietatem longè magìs superabat prædicatio, ipso diuino Cōstantino quotidianis sermonibus incitante plurimos ad persuasionem prædicationis, & quod in ipsum factum fuerat miraculum,deducente ad fidem Seruatoris nostri Iesu Christi.

Permulti credunt in Christum.

Cap.15.

Cùm multi autem verè Deum esse Christū alta voce clamâssent,& eos qui non sic sentirent,exclamarent oportere exterminari ex ciuitate, Imperator silentium populo præcipiens, dixit, Dominum velle sua voluntate ipsum confiteri eos,qui ad eum accedunt,& sua sponte sacrificare: non autē vi eis & metu intentato.Quocircà ipse quoquè dixit: Neminem volo inuitum cogi ad suscipiendam prædicationem: illos autem admitti,qui pura ac syncera mente credunt Domino,& admittunt prædicationem. Hoc dictum ab Imperatore, mouit omnibus lætitiā, vt quod conseruaret libertatem & liberum arbitrium. Et sic quidem se habebat populus: Imperator autem proposuit decretum,vt omnes, qui erāt in carceribus,in metalli fodinis,in vinculis propter cultum Christi,soluerentur quidem à vinculis,reducerentur ab exilio,educerentur ex carceribus,liberarentur à metalli operibus, & puram reciperēt libertatem & relaxationem. Licebat ergò videre Christi Ecclesiam exultantem,& Domino confitentem, qui eius tempestatem sedauerat, & Tyrānorum mare,quod in ipsum rugiebat,sopiērat. Per hæc malignus, & ab initio hominum inimicus,accepit certum vulnus.Non erat autem illius malitiæ vulnus ferre tacitè: sed rursùs machinatur aduersùs Orthodoxum: & quomodò serpentē priùs misit in expeditionem aduersùs primam matrem, & per illam primum parentem est suffuratus: ità nunc quoquè mittit in expeditionem serpentes & fœtus viperarum,Iudæos,inquam,aduersùs inclytam matrem Imperatoris.Nam cùm in Bithynia tunc versaretur,vndè orta erat, quidam Iudæi ad eam accesserunt, dicentes ab Imperatore quidem effectam esse rem bonā, quòd sint abolita simulacra: sed non sinere,vt esset bonum syncerum & impermistū,sed ei etiam ex errore aliquid mali & auersandi admiscere,nempe credere Iesum esse Dei filium & verum Deum, qui fuit homo Iudæus,& tanquàm maleficus ac veneficus fuit de medio sublatus. Non enim oportere Imperatorem illi asscribere sanitatē, sed æterno & soli Deo omnipotenti,qui eius pietatem remuneratur,quòd primus diruisset simulacra. Oportet ergò,ô Imperatrix,aiebant, te Imperatorem tuum filiū ab errore auertere,nē quid ei mali contingat propter errorem superstitionis,cælesti Rege ei irato.

Decretum Constātini.

Dæmon rursùs machinatur aduersùs Ecclesiā. Iudæi incitare moliūtur matrem eius in illū. Gen.3.

Cap.16.

Hæc illi quidē dixerunt: Ea verò hæc significauit literis Imperatori suo filio.qui cùm has matris accepisset literas,ad eam scripsit,oportere eos, qui hæc dicunt, Iudæos,congredi cū Episcopis Christianorū,& eis resistere in disputatione ipsis audientibus: & eum qui visus fuerit dicere meliora & veriora, victoriam esse consecuturū,& se esse secuturos illius opinionē. Hæc inclyta Helena significauit Iudæis, & hortata est,vt quidā ex eis cum ipsa Romam proficiscerentur.Illi autem,cùm viros elegissent,qui totius veteris legis scripturas summè didicerant, & voces nouerant Prophe-

Prophetarum,& versati erant etiam in doctrina gentiliũ,eos mittunt cum Helena Imperatrice,vt in differẽdo Christianis resisterent. Qui aũt missi erant, ad satis magnam redibãt multitudinẽ: cum quibus erat etiã quidam ex Iudæis presbyteris,qui vocabatur Zambres, qui erat in arte magica summè exercitatus, & per eam multa ostẽdebat prodigiosa: cui plusquàm alijs fidebat Iudæorũ sodalitas. Etsi enim victi essent in disputando,existimabant se Zambræ præstigijs certã habituros victoriam. Cùm ij autem Romam venissent,eorum aduentum sancto significat Syluestro Imperator,& rogat,vt de fide cum eis contendat. Ille autem lubens certamẽ suscipit. Dies itaq; præfinitus fuit disputationi,& diuinus Syluester alios quoq; accersit Episcopos,vt disputationem secum aggrediantur.Cùm adesset autem dies præstitutus, venit & ipse Syluester in regiam,& quidam Episcopi,& multitudo Iudæorum: certaminis autem auditores & dijudicatores,& ipse pius præsidebat Constantinus, & præclarus senatus. Eius autem mater Imperatrix sedebat intra velum. Zambres Iudæus venefitus.

Diuisi autem quidam ex Iudæis, dicebãt oportere aliquos ex Episcopis, secretos ab alijs,cum eis decertare. Quibus Syluester: Non sunt, inquit,nobis vires in multitudine,sed in Deo,qui omnia corroborat: quem inuocãtes ad hoc certamen, dicimus: Exurge Deus,& iudica causam tuam. Iudæi autẽ,Nostra, dixerunt, sunt hæc verba,& nostræ scripturæ.Te autẽ oportet tuis vti,& non nostris,ò Episcope.Syluester autem: Vobis quidem,inquit,ab initio locuta est scriptura veteris testamẽti & præconia Prophetarum.Nihilominùs autem ea quoq; ad nos pertinent: quoniam horum plurima de Christo sunt prædicta: & alioqui necessè est ex his vobiscũ disserere. Nam vestri quidem libri nobis euasêre proprij, sed non nostri quoq; vobis, & sicubi ex illis à nobis aliquid adductũ fuerit,id à vobis circunscribitur.Quocircà vestris libris vtemur ad demonstrationem: quorum hoc nobis vendicamus, quod est magìs admirabile,& clariorem efficit victoriã, quòd sumptis armis aduersariorum,ijs eos,qui resistunt,percutiẽtes,bello euademus superiores,& purè potiemur victoria. Ad hæc dixit Imperator,aduersùs id,quod dixit Episcopus,non posse contradici.Si enim,ò Iudæi,vestras adducunt scripturas ij,qui Christum colũt,ad suam probandam opinionẽ,eis citra cõtrouersiam tribuetur omninò victoria.Hæc cùm dixisset Imperator,& senatus ei esset suffragatus,Iudæi cœperũt loqui, dicentes: Cap.17. S. Syluester disputat cũ Iudæis corã Cõstãtino. Psal.73. Imperator & senatus disputationis iudices.

Cùm omnipotẽs Deus dixerit in Deuteronomio, Videte quòd ego sum, & non est Deus præter me: quomodò ipsi Iesum,qui est homo,Deum existimatis & nominatis,& tres Deos inducitis,nempe & eum,qui à nobis colitur,& Iesum,eum decernentes esse Dei filium,& præter hos spiritum? Num enim sic opinantes,non apertè aduersamini ei,qui docuit non esse alios deos,qui est Deus productor vniuersorum? Ad hæc à Deo inspiratus contradixit Syluester: Si citra vllam animi perturbationem mentem vestris adhiberetis scripturis, nihil nos noui diceretis opinari, si Dei filium & sanctum spiritum statuamus. Hæc enim non nobis à nobis ipsis dicta sunt,sed inuenta sunt à diuinis Prophetis. Et ante alios quidem dicit Dauid Propheta & Rex,patrum vestrorum in Seruatorem nostrum prænuncians insaniam: Quarè fremuerũt gentes,& populi meditati sunt inania aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius? Ecce ergò Dominũ & Christum eius dicens,non vnam personam inducit,sed duas. Quòd autẽ Dei filius sit Christus, significat idem Propheta,dicendo: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodiè genui te. Alius est ergò,qui genuit,& alius,qui est genitus. Cap.18. Deut.32. Psal.2. Ibidem.

His Iudæi opposuerunt: Quoniã ergò, vt dicis, genuit Deus, eum qui est impatibilis,statuis patibilem,& ei tribuis affectionẽ.Quomodò autẽ filius est Deus,qui in tempore est genitus,& vt esset,habuit in tempore? Illud enim Hodiè,est temporis, & non finit Deum existimari æternum. Non patibilem generationem,ò Iudæi, in Deo dicimus,dixit à Deo afflatus Syluester: sed diuinã & impatibilem & Deo conuenientẽ: & quomodò dixerit quispiam verbũ nasci ex mente.Neq; introducimus temporalem ex Deo filij eius generationẽ, sed temporis expertẽ & æternam.Nam temporum quoq; effectorem cum alijs nouimus esse filium. Effector autẽ temporum,non est sub tempore.Illud autem,Hodiè genui te,dictum à Dauide, nõ supernam & quæ est ante secula,& ei cõuenit, diuinitatis significat generationem: sed eam,quæ est inferiùs,quæ est in tempore & in carne, quã suscepit propter nostram salutem.Nam nouit quidẽ hic Propheta Christũ & Deũ ante secula. Quamobrèm dicit etiam:Sedes tua Deus in secula.Prædicit autẽ eius quoq; in extremis tempori- Cap.19. Duæ Christi natiuitates: vna in tempore, altera in æternitate. Psal.44.

busgenerationem, propter mysterium susceptæ carnis dispēsationis. Quamobrem
Psal.2. subiungit, Filius meus es tu; ego hodiè genui te. Per hoc quidem, Filius meus es tu, temporis expertē & quę est ante secula, significans generationem. Per hoc autem, Ego hodiè genui te, inferiorē & eam quæ est sub tempore. Hoc autē, Ego hodiè genui te, introductū est à Propheta, ostendente patrē, eam quoq; quę inferiùs facta est generationem, tanquàm propriam sibi attribuere, vt quæ illius volūtate facta sit.

Cap.20. Quòd autē vestra scriptura spiritûs quoq; meminit, idem Propheta Dauid testa-
Psal.32. tur, dicens: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus corū. Hîc ergò trium facit mentionē, Patris, inquam, & filij, quem vocat verbū, propter supernam generationē, eam ostendens esse impatibilem, & sancti spiritûs. Porrò aūt
Psal.50. alibì quoq; meminit spiritûs, Spiritū tuum sanctum, dicens, nè auferas à me. Et rur-
Psal.138. sùs: Quò ibo à spiritu tuo? qui est scilicet, & implet vniuersa. Et rursùs: Emittes spi-
Psal.103. ritum tuū, & creabuntur. An non hæc dicta sunt à diuino Dauide? Non Moses etiā,
Gen.1. qui Deum vidit, in libro Genesis Deum introducit dicentem, Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostrā? Cum quo ergò disserens est Deus introductus, si nō dixerimus esse aliam, cum qua loquebatur, personam? Non hoc autem omninò dixerit quispiam dictū esse ad virtutes cælestes. Illud enim, Ad imaginē nostram, non concedit tale quid cogitari. Nō est enim eadem imago & similitudo Dei & Angelorū: quoniā non est eadem natura. Necessariò ergò sequitur, alium esse eum, cum quo disserebat, vt qui sit eiusdem cum illo naturę & similitudinis, vel, vt magis pro-
Filius imago Dei patris immutabilis. priè dicā, identitatis. Quisnam aūt is existimari possit, nisi filius, qui est eiusdē essentiæ, gloriæ & potētiæ, & vt semèl dicam, imago patris immutabilis? Quidnam ergò noui sumus opinati, qui decernimus esse patrem, filium & spiritum? Etsi gentilibus hæc esse incredibilia videantur & inania, non est nouum: quoniā illi nostris libris non sunt imbuti. Vobis autē quomodò hæc putentur inania, qui diuinorum Prophetarū voces meditamini: quorū nullus est, qui de Seruatore nō prænunciauerit?

Cap.21. Cùm autem diuinus pater pergeret adhuc dicere, orationem interrumpens Imperator, dicit Iudæis: Dicta quæ nobis proposuit scriptura & Episcopus, ò Iudæi, itane, vt dixit, se habent in vestra quoq; scriptura? Illi autem, Ità se habent, dixerunt, ô Imperator. Ergò, quod, inquit, attinet ad Trinitatem, mihi videmini vinci, & dare Syluestro calculum victoriæ. Non, si nos quoq; ad hæc obiecerimus, ô optime Imperator, quæ contradicere potuerimus, esse iudicabitur Syluester superior. Plurima autem habemus quæ contradicamus, & ea statim dixissemus, nisi nobis videretur superflua oratio, & inanis conatus. Non enim nunc agitur, sit'ne vnus Deus, an tres, sed quòd Nazarenus non sit Deus. Nam etsi concessum fuerit oportere tres opinari Deos, non tamen propterea sequitur, vt Iesus, qui natus est homo, & ortus
Matth.9. est ex hominibus, & conuersatus cum hominibus peccatoribus & publicanis, & cum illis conuiuia inijt, & tandē fuit cōdemnatus propter maleficia, & ligno Crucis affixus, & sic mortuus, Deus existimetur & nominetur. De hoc ergò nunc aduersùs illos decertatur, qui nouū hūc Deū introducūt: &, si de eo aliqua possint dicere, aut aliqua habeāt testimonia, ea dicāt. His sic dictis, præclarus Syluester, Nō tres, in-
Docet Syluester Trinitatē vnū esse Deum. quit, deos nos esse dicimus, ô Iudęi, vt vos putâstis: sed vnū Deū, q in tribus personis aut hypostasibus colitur & adoratur. Ceterū de hac re differatur oratio, quoniā nominata est à vobis superuacanea, & inanis laboris. Consequēs aūt erat, ea quę aduersùs vestrā ab initio ꝓpositā quęstionē à nobis sunt adducta ex libris vestris, ostendere nō fuisse rectè dicta, & sic ꝓcedere nobis disputationē. Sed quoniā de his modò dicere recusâstis, de Domino nostro Iesu Christo, vt vobis videtur, verba faciamus.

Cap.22. Hinc autē est incipiendum: Deus qui produxit omnia, cùm ad bona opera produxisset & formâsset hominem, vbi eum vidit declinare ad omne vitium, non neglexit suarum manuū figmētum, quod peribat: sed ei placuit, vt suus filius, qui ma-
Galat.4. net ab illo inseparabilis, (est enim vbiquè Deus) ad nostros quoquè veniret fines, factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui erant sub lege, redimeret. Quòd autem ex muliere pariendū esse Dominū, responsum fuerat, prædixit diuinus Propheta Esa-
Esa.7. ias, dicens: Eccè virgo concipiet in vtero, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Hoc aūt nomen, vt vos quoq; scitis, significat Dei aduentum ad homi-
Matth.1. nes. In Græcam enim vocem traductum ex Hebræa, significat, Nobiscum Deus. Deum ergò ex virgine nasciturū, hic Propheta longo antè tempore prænūciauit. Sed dicunt Iudæi, librum Esaiæ non habere virginem, sed adolescentulam: corruptam

au-

autem esse à nobis scripturam, vt qui in nostris libris scripserimus virginem pro adolescentula. Quòd nomen quidem adolescentulæ, inquit diuinus Syluester, vestra scriptura soleat accipere pro virgine, multis in locis possumus ostendere, ô aduersarij: interim autem hoc quoque aliundè ostendetur. Stultam enim Prophetæ orationem, vel potiùs ipsius Dei dixerit quispiam, nisi intelligamus adolescentulam dictam esse virginem. Nam cùm Esaias tanquàm ex persona Dei dicat Achaz, Petis'ne tibi signum in profundo, aut in alto? Cùm is autem dixisset, se non petiturum, nec Dominum Deum tentaturum, Propheta Deum inducit loquentem: Ipse dabo vobis signum. Iam verò ipsum signum quale erit? inquit, Eccè virgo in vtero concipiet. Si non ergò dicendum sit, adolescentulam à Propheta dictam esse virginem, quomodò signum esse reputabitur? Eam enim, quæ est viro coniuncta, vt à vobis acceptum est nomen adolescentulæ, in vtero concepisse, non est signum, sed naturalis consequentiæ, & eorum quæ fiunt assiduè. Signum autem est eorũ quæ fieri non solent. Quòd si etiam dederimus, in libro Prophetico scriptum esse adolescentulam, sic quoquè adolescentula virgo esse intelligetur: vt signum sit id, quod est promissum, & non ex ijs, quæ fiunt naturaliter, neque habent aliquid alienum & insuetum. Conuenienter ergò huic promissioni, virgo concepit in vtero. Nullus autē homo inuentus est, qui natus non sit ex virili semine post primum parentē, & eam quę est ex illius látere constituta: neq; absque cum viro congressione auditum est vnquàm peperisse mulierē. Cùm autē sancta Virgo conceperit ex sancto spiritu, & pepererit absque corruptione, fuit nobiscũ Deus ex promissione. Esa.7. Ostēdit Deum ex virgine natum. Gen.2.

Atquì non Emmanuel, sed Iesus est nominatus, qui natus est ex María, Iudęi contrà dixerunt. Restat ergò, vt non qui est promissus à Propheta, sit is, qui à vobis colitur Iesus, sed alius. Hinc fit, vt neque fuerit cum hominibus Deus. A Deo aũt motus Syluester, intulit aduersùs hanc obiectionem, dictũ esse, quòd populi scilicet eum vocabunt. Videntes enim ea, quæ ab ipso fiunt mirabilia, Deũ vocabunt, & credent secum esse Deũ. Mos est autem scripturæ, pro nominibus nonnunquàm vti rerum euentibus: quomodò etiam est illud, Vocabunt puerum, Citò spolia, Velociter prædare. Atquì nusquàm inuentus est aliquis, qui sic fuerit vocatus. Quòd autē deprædatio inimicorum, & distributio spoliorum facta sit per Christum, propterea dictum est à Propheta tanquàm nomen, id quod per ipsum est euenturum. Quinetiam dicit de Hierusalem: Vocabitur ciuitas iustitiæ. Atquì nusquàm inuēta est in tota nostra scriptura ciuitas nominata iustitiæ: sed vocata est perpetuò Hierusalem. Quoniam autem mutanda erat in melius, propterea dicta est ciuitas iustitiæ à Prophetæ responso. Alia quoquè inuenerit quispiam dicta hoc modo in scriptura. Tale quid etiam prædixit Esaias de eo, qui erat nasciturus de Virgine. Rerũ enim euentũ, dixit futuram ei vocationem, non à matre, neque ab eo qui putabatur pater, sed à multis. Quinetiam ipsum quoquè nomen, quo vocatus est, scilicet Dominus, rem ostendit euenturam. Iesus enim, sicut vos non ignoratis, populi salutem significat. Seruator autem fuit ijs, qui eum crediderunt esse Christum. Cap.23. Esa.8. Esa.1.

Non solùm aũt Esaias dixit, Deũ nobiscum futurum: sed Ieremias quoq; eius ad nos aduentũ prenũciauit. Hic est Deus noster: non reputabitur alius pręter ipsum. Et post nõnulla: Post hęc in terra visus est, & cũ hominibus conuersatus est. Atquì dixerũt Iudęi: Nõ quomodò dixit de futuro Esaias, ità etiã prędixit Ieremias: sed de eo, quod iam factũ fuerat, & in tempus præteritum, non in futurũ, refertur. Quo fit, vt nõ sit iudicandũ eũ loqui de Nazareno. Mihi videmini, ô Iudęi, ait Syluester par Apostolis, vestra spõte conniuere ad veritatē, & nolle lucē intueri. Nõ enim dixerim vos ignorare proprietates responsorũ Propheticorũ, & quòd sępè mos sit Prophetis futura predicere, perindè acsi iã facta essent, propterea quòd omninò futura sit Prophetia, & nõ possit excidere. Quomodò enim, quę iam facta sunt, quin facta sint, fieri nõ potest: ità etiam diuina respõsa nõ possunt excidere. & propterea, quæ futura sunt, nonnunq̃ tanquàm facta, sunt à sacris introducta Prophetis. Et his plena est vestra scriptura. Atq; si Deũ quidem in terris visum ante Ieremiã, & conuersarũ cum hominibus nobis possetis ostẽdere, aliquã rationem haberet cõtradictio. Sed quoniam hoc fieri non potest, oportet deincèps in futuro accipi dicta Prophetæ. quomodò sunt etiam alia eiusmodi in vestris libris, & præ cæteris in libro Psalmorum, in quo de Christo prædixit Dei parens Dauid, & tanquàm iam facta prædicauit: Nunc quidem discipuli ingratum animi crimen perpetua notans ignomi- Cap.14. Baruch 3. Ibidem. Prophetæ futura dicũt tanquam iã facta.

Psal.40. nia, dicendo: Qui comedit panes meos, magnificauit super me supplantationem.
Nunc autem populorum deplorans amentiam, & gentium audaciam. Fuerint au-
Psal.2. tem populi quidem, vestra synagoga: gentes autem, exercitus Romanorum. Qua-
rè fremuerunt gentes, dicens, & populi meditati sunt inania? & alia quæ sequun-
Psal.21. tur. Modò autem Crucis passionem, cùm dixit, Foderunt manus meas & pedes me-
Ibidem. os. Et quæ facturi erant milites, dicendo: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super
Psal.68. vestem meam miserunt sortem. &, Dederunt in escam meam fel, & in siti mea po-
tauerunt me aceto. Rursùs autem prædicens sepulturam, dum diceret propheti-
Psal.87. cè: Posuerunt me in lacu inferiori. modò autem ascensum in cælos priùs con-
Psal.46. templans, & priùs annuncians, & clamans: Ascendit Deus in iubilo. Quinetiam
antiquus vester parens Iacob, dum deficeret benedicens suis filijs, quoniam Deo
afflatus præsciuerat Dominum venturum ex Iuda, & multa quidem alia ei dixit,
Domino conuenientia, & præter cætera eius quoquè ostendens sepulturam & re-
Gen.49. surrectionem, Prócidens dormijt, inquit, vt leo, & tanquàm catulus. Quis excitabit
eum? Porrò autem Esdras quoquè prædicens passionem, sic inuentus est figurâsse
orationem, & conscripsisse ea quæ erant futura, tanquàm quæ iam euenissent: Al-
ligauistis me, clamantes super tribunal iudicis, me humiliauistis: vt supra lignum
pendérem, me tradidistis. An non, inquit, hæc omnia, ô Iudæi, sunt voces Prophe-
tarum? An à vobis dicentur esse falsa dicta Prophetarum?

Cap.25. Hæc quidem sic scripta esse in libris Hebraicis, dixerunt Iudæi, nos quoquè assen-
timur. Tu autem nobiscum agis sophisticè, & nos conaris decipere: & dubia vis
probare per dubia: & per ignota ignota ostendere: & eam adducis demonstratio-
nem, quam Dialecticus nominauerit διάλληλον, id est, mutuam, & se inuicèm proban-
tem. Nam cùm pollicitus esses te ostensurum illud de Iesu dictum esse à Propheta
Baruch 3. Ieremia, In terra visus est, & cum hominibus conuersatus est: etiamsi oratio rela-
tionem fecerit in futurum, dubia adduxisti testimonia, & quæ certum sit non dicta
esse de Iesu. Sed nos non decipies, ô Episcope. Nam neque nos sumus Græcæ ignari
sapientiæ, neque sophisticorum imperiti argumentorum. Non sum ego sophista,
ait à Deo inspiratus Syluester, nec accuratè Græcam teneo eruditionem: sed ser-
mone imperitus, Dei autem confisus sapientia, verbo quod est Deus & homo, & vi-
uifico spiritu, non autem sophisticorum verborum persuasione, subij vobiscum
differendi certamen, & dixi vobis vera, firmaque ac stabilia. Quoniam autem quæ
dicta sunt, non reprimunt vestram curiositatem, aliundè quoquè ostendam in ve-
stra scriptura hanc esse consuetudinem, vt præteritum tempus accipiatur pro futu-
ro. Sufficiunt autem ad demonstrationem psalmi graduum. In his enim eam, quæ
ex Babylone tempore Cyri facta est, liberationem captiuorum Hebræorum, & se-
cundum in Hierusalem ascensum, & templi reædificationem priùs significat diui-
nus pater Dauid. Nam vt Propheta, & homo à Deo inspiratus, multis antè seculis
vidit mentis oculis ea, quæ futura erant, & tanquàm iam facta, priùs scripsit ea, quæ
euentura erant plurimo pòst tempore. In primo autem psalmo graduum statìm
Psal.119. dicit ex persona populi captiui: Ad Dominum, cùm tribularer, clamaui, & exau-
diuit me. Et post aliquantum: Hei mihi quòd incolatus meus. & deincèps psalmi
graduum euocant auditorem ad tempus præteritum. Et sic non in his solùm, sed
etiam in pluribus alijs inuenta est oratio figurata à Dauide. Videntúrne hæc vobis
sufficere ad probandum, an adhuc mihi opùs erit alijs?

Cap.26. Si ità haberent, dixerunt Iudæi, vt tu dicis, Episcope, sufficerent. Nunc autem &
de psalmis falsum dicis, & de eorum scriptore Dauide. Non enim loquuntur de
reditu, qui fuit ex Babylone post captiuitatem: sed de liberatione ex Aegypto,
quæ fuit tempore Mosis: & meritò in præteritum tempus sunt compositi. Facile
quidem est, ait vir diuinus, ex ijs, qui dicti sunt, psalmis ostendere, vos vestra sponte
esse malos. Non enim vos ignorare dixerim, quòd de reditu ex Babylone hos psal-
mos Dauid propheticè composuerit: sed in hoc non immorabor, sed ex alio eui-
dentiùs ostendam id, quod quæritur. Mihi autem roganti respondete: Quandò
dominata est gens vestra Hierosolymis, nónne postquàm egressa est Aegypto?
Hoc verum dixisti, dixerunt Iudæi. Non Iebus primùm nominata est, & Salem?
Ne hoc quidem est falsum. Non, qui vestri habuit administrationem, Propheta &
2.Reg.5. rex Dauid, cùm multis prælijs fudisset eos, qui ipsam habitabant, illam propri-
am ciuitatem esse duxit & nominauit? Assentimur. Non capta fuit ciuitas tem-
pore

pore Nabuchodonosor: & diruta quidem sunt mœnia, illud autem ditissimum & celeberrimum templū Solomonis fuit euersum, & abductus fuit populus Babylonem captiuus? Hæc sic acciderunt. Propterea ergò factus est Dauidi cētesimus tricesimussextus psalmus, qui dicit: Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tuî Sion. Et paulò pòst: Si oblitus fuero tuî Hierusalem, obliuioni detur dextera mea: & quæ deincèps consequuntur in psalmo. Eccè ergò hîc quoquè Propheta ea, quæ multis pòst seculis euentura fuerant, non tanquàm futura prædixit, sed ea tanquàm quę iam facta fuerant, narrauit. Nec poteritis dicere eum hæc prædixisse de reditu ex Aegypto. Nondùm enim vestra facta fuerat ciuitas Hierusalem: nec hoc nomine appellata fuerat, vt vos confessi estis. De hoc reditu loquuntur etiā psalmi graduum, etiamsì vos eos circunscripsistis: & hoc est manifestum ex hoc tertio psalmo, qui factus est ex persona bello capti populi Hebræorum, qui erat in Babylone, qui dicit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, In domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Quinetiā in septuagesimooctauo psalmo, eam quæ tempore Antiochi accidit Hierusalem depopulationem prædicens Propheta Dauid, Deus, inquit, venerūt gentes in hæreditatē tuam: & in templo cernens mactatas hostias, quas tunc sacrificabant, & introducta in ipsum simulacra, & eam, quæ alioquì facta est, sanctorum inquinationem, Polluerunt templum sanctum tuum, prędixit, & reliqua quæ sunt in psalmo, priùs enunciauit, & tanquàm iam facta defleuit, quæ erant ventura: & ijs qui erant facturi, perindè àc ijs, qui iam fecerant, malè est precatus. Cùm ergò sic in multis figuretur oratio in diuina scriptura, non fuerit nouum, si quædam de Christo sic dicta sunt à Prophetis, & hoc modo figurata fuit ab eis oratio.

4.Reg 25. Psal.136. Psal.121. Psal.78.

Hæc cùm in rebus diuinis sapiens disseruisset Syluester, Iudæi, Nihil, aiebant, est horum falsum: sed tu, quę dicta sunt de alijs, Iesu improbè tribuis: & sic mentē simpliciorum surripis. Ergò, inquit sanctus, aliquem alium à virgine conceptum & natum datis, aut ante Seruatorem Christum, Deum in terra visum, & cum hominibus conuersatum demonstrare potestis, aut alias gentes fremuisse, & populos esse inania meditatos aduersùs Dominum & aduersùs Christum eius? Cuinam autem alij accommodabitis illud, Foderunt manus meas & pedes meos: & illud, Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: & in escam datum ei esse fel, & potatum eum esse aceto: & positum esse in lacu, & surrexisse in iubilo, vt Deum, qui vicit inimicum. Canticum enim est pro victoria, iubilatio. Dicite ergò, an hæc possitis alicui alij tribuere.

Cap.27. Psal.21. Ibidem. Psal.68.

Hæc cùm audijsset Imperator, Mihi, inquit, videmini, ô Iudæi, esse victi. Illi autē, Nè sic, aiebāt, feras cōtra nos sententiam, ô optime Auguste. possumus enim adhuc multa alia opponere Episcopo. Et iam dicat, quanā de causa Iesus, cùm esset Deus, vt ipse dicit, natus est ex Virgine, & carnē suscepit. An enim non poterat omnipotens aliter reuocare genus hominū, & efficere vt ex casu surgeret? Quomodò autem Deo quoq; à diabolo fuit adhibita tentatio, dum modò quidē exigeret, vt esuriēs faceret panes ex lapidibus: modò aūt iuberet, vt se ex alto deorsùm deijceret, vt id quod cerneretur, probaret esse Dei filiū: & rursùs eum impelleret ad adorationē, & polliceretur se ei daturū regna terræ? Ad hæc dicit beatissimus Syluester: Nihil est quidem, ô Iudæi, quod nō possit à Deo fieri, & vt res est, ità creditur. Oportebat autē diabolum vinci ab eo, qui ab ipso victus fuerat. Homo autem ab illo victus fuit: & homo, qui non factus est ex naturæ consequentia, neq; ex coïtu & congressu viri, sed ex terra formatus incorrupta: incorrupta enim tunc erat terra, vt quæ nondùm fuisset maledicta, neq; polluta sanguine fratris, aut cædibus aliorum animaliū, neq; mortuorum corporū, vt posteà vocata esset sepulcrū, aut profanis actionibus inquinata & sceleribus. Atq; ex terra quidem talis caro formata fuerat Adamo primo parenti: ipsa autem diuina insufflatio facta est in animam. Eum ergò hominē, qui sic natus fuerat, cùm vicisset malignus, se insolēter iactabat, vt qui diuino insultâsset figmēto. Oportet ergò, vt dictum est, à tali rursùs homine vinci, & cadere eum, qui est princeps & author mali. Talis autē est Dominus Iesus, nō natus naturæ legibus, sed vt ille ex terra incorrupta, ità Dominus ex vtero incorrupto, & ventre virgineo & sancto. Et quomodò ille fuit viuificatus diuina insufflatione: ità hic etiam sanctissimo & viuifico spiritu constitit perfectus homo in omnibus sine peccato. Qui ergò quomodò Adam non naturaliter, sed supra naturam fa-

Cap.28. Matth.4. Cur Deus factus sit homo. Cur à diabolo tentatus.

ctus

ctus fuerat homo,& alius vocatus Adam,vicit eum,qui primum Adam deceperat & vicerat: & per quę maleuolus & hostis hominibus primum nostrum deuicit parentem,per ea nouum quoquè Adam inescare aggressus,non potuit.Per intemperantiam enim & gloriæ cupiditatem illum decepit.Si ex ligno prohibito comederis,eris tanquàm Deus,cognoscens bonum & malum : & aduersùs Christum quoquè per eadem conatus & gloriari, cùm videret eum tanquàm Adamum propter id,quod apparebat,& esurienti apposuit lapides,petens vt eos mutaret in panes:& pollicitus est se illi daturũ regna terræ,si procidens eum adoraret. Illud enim erat gulæ: hoc autem primi loci cupiditatis,& dominandi desiderij. Vndiquè autẽ depulsus fuit malignus : & cùm primum vicisset Adam, secundum aggressus, apertè victus est hostis. Propter hæc Deus est inter homines,& mater Virgo, & hostis tentator. Non diuina autem natura,sed humana fuit tentata : & in passione similiter passa est humanitas,impatibili remanente diuinitate.

Gen.3.

Cap.29. Aliena dicis,ò Episcope,respondêre Iudæi,& ab ijs,qui intelligunt,omninò non admittenda.Quomodò enim vnquàm admiserit intelligentia,duarũ rerum vnitarum vnã quidem pati,alteram verò effugere perpessionẽ? & vnam quidem dolere, alterã verò non sentire dolorẽ? & hanc quidem mori,illam verò manere immortalem? Etenim nos quoq; constamus ex duabus naturis,nempe ex anima & corpore,ex quibus anima quidẽ est immortalis,corpus verò subiectum mortalitati: sed corpore patiente, animam quoquè simul pati cum eo cognoscimus: & eo dolente,illam quoquè simul dolere : & quandiù carni vnita est anima,fieri non potest,vt si ea crucietur, non anima quoquè sit particeps cruciatûs. Est autem hoc euidens. Nam cùm ex carne euolauit anima,illa nihil sentit omninò molestiæ.

Cap.30. Non duarum naturarum in Christo commixtionem, neque confusionem opinamur, ò Iudæi, diuinus dixit Syluester : sed vnionem quidem, vtraque autem natura suas inconfusas seruante proprietates. Nam comedebat quidem & dormiebat,vt homo, & fleuit propter Lazarũ mortuum. Vt Deus autem,viuificauit mortuos,curauit paralyticos,per mare ingressus est pedibus, violentis ventorum flatibus assurgens mare depressit, strauit & sedauit: mari agitato fluctibus, Sile,dixit, compescere : & statìm euasit placidum & tranquillum,& non transilijt increpationem.Ità etiam perpessiones & tentationes applicandę sunt carni,cui innatũ erat, vt pateretur & tentaretur : non autem diuinitati.Nam cùm perfectum hominem suscepisset Dominus noster Iesus Christus, & anima quoquè & mẽs in ea est assumpta: & carne patiente, vnà quoquè dolere animam, humanæ naturæ legibus nos quoquè dicimus : cum carne autem Domini pati id, cui non est innatum vt patiatur,dico autem diuinitatem,nunquàm dixerimus. Sed quomodò, rursùs dixerunt Iudæi,potuerit hoc vnquàm fieri? Quomodò,quod à te affertur,potuerit concipere cogitatio ? Si autem in rebus materialibus & ijs, quæ apud nos fiunt, hoc fieri ostenderimus, dixit à Deo inspiratus Syluester,non fuerit hoc à nobis admittendum etiam in diuinitate,in quam non cadit interitus?

In Christo duæ naturæ, vna persona.
Iohan.11.
Mat.4.

Cap.31. Post hæc dixit Imperator & Senatus: A ratione alienum fuerit, ò sancte Syluester,si ei quod dicis,non assentiantur Iudæi: Si duo quædam vnita,à te adducta fuerint,quorum vno patiente, alterum non fuerit simul particeps perpessionis. Tibi quidem, ò optime Imperator, & illustri Senatui, respondit admirabilis Syluester, hæc sic videntur, & in alteram partem non propendet calculus. Dicant autem Iudæi quoquè,an illis placeat id,quod dicitur,& an huic quoquè sententiæ illi assentiantur. Dicite,ait Imperator Iudęis,quid vobis videtur,si id quod dixit, confirmauerit Episcopus? Illi autem,Fieri quidem non potest,dicebant, ò Imperator, vt tale exemplum nãciscatur Syluester.Sin autem mactus fuerit,& impleuerit id,quod est pollicitus,si contra illius dicta nos nihil dicere potuerimus,nos quoquè lubenter tuam sequemur sententiam. Sit mihi ergò exemplum,ò Imperator,ait sanctus, purpura tuæ potentiæ. Non est ea fila serica,quæ natura quidem vilia, & ante purpuram non in magno precio habita, purpuræ autem sanguine colorata,& magni sunt precij,& fiunt ornamentum Imperatoris? Quandò ergò ea nebantur à textoribus, & vel extendebantur ad stamen, vel ab eis parabantur ad subtegmen,& aliquandò quidem secabantur, aliquandò autem inter se colligabantur, vtrùm erat id, quod nebatur, aut secabatur,aut ligabatur, fila serica, an id quod ea colorauit, color,inquam,purpuræ? Augustus & Senatus,Serica fila,dixerunt,ò Episcope,neban-

Exẽplo purpuræ docet S. Syluester, patiẽte carne in Christo,non passam diuinitatem.

bantur & secabantur. Sint ergò, dixit sanctus, imago, fila quidem serica, carnis Domini: Purpura autem, diuinæ & impatibilis naturæ: & quomodò fila, quæ priùs parui erant precij, colorans purpura flore suo, longè facit preciosiora: ità etiam diuinitas carni vnita, quam suscepit Dominus, eam fecit longè preciosiorem: sed illa patiente, non passa est diuinitas: quomodò neque purpura, dum fila secabantur serica, aut quę ex eis contexta fuerant, fuit concisa. His applauserunt Imperator & Senatus. Et optimum est, dixerunt, exemplum, & ratio quæ seruat promissum, & apertè ostendit solam passam esse Iesu carnem, non autem diuinitatem.

Imperator autem orationem conuertens ad Iudæos, Quid vos ad hæc dicitis, inquit? Magnæ quidem est audaciæ, dixerunt, ô Imperator, tuæ rępugnare sententię. Vbì autem de Deo agitur & contenditur, ne tua quidem potentia erit nobis impedimento, quo minùs contradicamus. Nobis enim non solùm videntur hæc fila serica neri & scindi, sed etiam simul neri & scindi purpura: & ità Syluestro non succedere quod dixerat, & non præstitisse, quod erat pollicitus. Cùm autem contradiceret Imperator & Senatus, à Deo inspiratus Syluester: Peruicax, ô Imperator, inquit, est hoc genus, & semper duræ ceruicis. Nè ergò tua laboret potentia. sed his quoquè adhuc alia adijciantur exempla: adiuuante fortè sancto & intelligente spiritu, qui hominem docet scientiam, eorum obstruentur ora & persuadebuntur. & ad Iudæos conuersus, Solis, inquit, radius, qui arbori applicatur & eam illustrat, non est, inquit, ei vnitus, quandiù eam illustrat? Omninò, affirmârunt Iudæi. Si ergò securis aliqua arborem exciderit, dum illuminatur, num etiam simul excisum solarem radium putabitis? Si autem splendor quoquè solis cum luto congreditur, erit'ne eius fœtoris, aut etiam sordium vllo modo particeps, & non potiùs diù cum eo versans, & lutum exiccabit, & exhauriet humiditatem, & salubre reddet id, quod est putrefactum? Quomodò ergò is, qui ligna secat, non vnà secat solarem radium secans arborem: ità nec passa est diuinitas patiente Seruatore in humanitate: neque fuit particeps carnis proprietatũ ei vnita: sicut nec sol appropinquans rebus sordidis & putrefactis, impletur immunditia, quæ ex illis contrahitur.

Cap. 32.

Iudæi peruicaces & dura ceruice.

Psal. 93.

Alio exemplo idē probat.

Cùm hæc sic dicta essent ab illo egregio rerum diuinarũ interprete, Imperator quidem, & vniuersum applausit auditorium, & eum laudauit, illius verba admirãs, & eorum parentem: Iudæi autem steterunt silentes, & se inuicèm fixis oculis intuentes. Sanctus autem dixit Imperatori: Hæc exempla dixi, ô Imperator, non vt quæ rei naturam attingant: Quæ enim oratio rebus potuerit exæquari? sed quæ conuenienter nostræ imbecillitati, exilem quandam & obscuram præbent imaginem eius, quæ comprahendi non potest, susceptæ carnis œconomiæ. Reliquis autem Iudæis tacentibus, Zambres solis suis fretus præstigijs, & prodigiosum aliquid per eas auens ostendere, & per id venari spectatores: Si verbis, inquit, ô Imperator, & copiosus Syluester, & aptus ad persuadendum in disputationibus, proptereáne nos, relicta patria religione, eum sequemur, & homini credemus, quem patres nostri communi consensu condemnârunt? Quòd autem Deus est solus, qui à nobis colitur, & non alius, ego non verbis, vt Syluester, sed rebus ostenderim. Iube ergò huc magnum & agrestem taurum adduci, & manifestum erit tuæ potentiæ, & omnibus qui adsunt, non esse Deum, præter Deum nostrum. Cùm itaque quæreretur agrestis taurus, dixit quidam ex ijs, qui assistebant Imperatori, apud se esse talem ferum & immansuetum taurum, quem neque posset aliquis efficere, vt iugum subiret, neque eum manu demulcere. Iussit itaque Imperator taurum adduci.

Cap. 33.

Cōuicti Iudæi, præstigijs nitũtur fidem Christianam offuscare.

Cùm abirent autem, qui iussi fuerant taurum adducere, venerandus Syluester rogauit Zambrem, Cur à te quæsitus fuit taurus? Cùm is autem aduenerit, quidnam à te fiet? Ille autem, Nomen, inquit Dei, qui à nobis colitur, audiri non sustinet natura: neque si quis id audiuerit, potest ampliùs viuere. Nostri enim maiores, ad sacrificia tauros maximos offerẽtes, in taurorum aures hoc nomen dicebant: & statìm tauri magnum & flebilem edentes mugitum, cadebant, & erant parati, vt sacrificarentur. Syluester autem, Si hoc, inquit, nomen, vt dicis, cùm auditur, eum qui audit, interimit, quomodò tu hoc didicisti? Zambres verò, Non licet, inquit, tibi nôsse modum, neque huius rei arcano imbui mysterio, cùm sis in nos malè affectus, & hostili animo in Iudæos. Hæc cùm dixisset Zambres præstigiator, dicit ei Imperator: Si non vis Episcopo aperire mysterium, at nobis interìm oportet dis-

Cap. 34.

Vide commentũ præstigiatoris Iudæi.

soluere dubium. Est enim re vera dubium quod dicitur, nisi quis dixerit hoc disci, dum legitur. Zambres autem, Non pellis, inquit, non alia charta, non lignum, non lapis, non vllum aliud corpus potest hoc nomen scriptum continere. Nam protinùs & qui scribit, & corpus, in quo scribitur, interit. Imperator verò, Dic ergò, inquit, quomodò ipse hoc didicisti? Etenim fieri non potest, vt hoc discatur, si neque dicatur, neque scribatur. Zambres autem: Ego, inquit, ô Imperator, septem dies vacaui ieiunijs. Deindè noua peluis argentea, qua nemo adhuc vsus fuerat, impleta fuit aqua fontana: & cùm aqua fuisset benedicta, literæ fuerunt in ea insculptæ quodam digito, quæ vacantem mentem mysticè nomen Dei docebāt. Dixit autem ingeniosus Syluester: Sic quidem, vt dicis, ô Zambre, mysticè didicisti nomē, quod non auditur? Quid autem, quandò in aurem submurmuras hoc alicui, non ipse quoquè hoc nomen audis, sicut is, cui hoc dicis? Quomodò ergò non tu quoquè moreris? Non apud te de hac re verba feci Syluester, respondit præstigiator. Iam enim priùs tibi dixi, me tibi nolle modum & causam aperire. Sed quid verbis opùs est, cùm liceat rebus ipsis confirmare, quod dicitur? Ex duobus vnum elige: Aut enim ipse Nazareni inuocato nomine, taurum statìm mortuum ostende, & eum esse Deum nos quoquè admittemus: aut cùm ego in aurem eius dixero nomen Dei nostri, si cadet statìm taurus mortuus, oportet vt tu quoquè assentiaris non esse alium Deum, nisi eum quem colimus. Laudârunt, quæ dicta fuerant, ij qui audiebant, & anxij fuêre Christiani. Diuus autem Syluester iubebat eos esse bono animo, & minimè perturbari: & promittebat fore, vt viderentur ab omnibus Dei mirabilia. Tunc ergò Zambræ dixit Imperator: Oportet te priùs implere tuam promissionem. Pollicitus enim es, te taurum posse verbo occidere. Ille verò dicit, Quoniam iubes me hoc facere, ô Auguste, vide vires Dei, qui à nobis colitur, quàm sint inexpugnabiles. Hæc cùm dixisset, appropinquauit tauro, qui trahebatur à multis fortibus adolescentibus, validis funibus eius cornibus & collo alligatis. Quorum alij quidem hinc, alij verò illinc eum trahebant, in vtranuis partem inclinaret. Si enim ad dexteram partem irruebat taurus, eum trahebant ad sinistram. Si eum autem impetus ferebat ad sinistram, eum retrahebant ij, qui stabant ad dexteram. Cùm ergò accessisset, & in aurem eius valdè insusurrâsset, taurus magnum & horrendum edens mugitum, & cum tremore membris in orbem circumactus, cecidit protinùs, & videbatur mortuus. Propterea Iudæi quidem exiliêrunt, & plauserunt manibus, &, Vicimus, exclamauerunt. Vniuersum autem theatrum obstupuerat, & erat plenum tumultu. Sanctus autem cùm indixisset omnibus silentium, & sedâsset tumultum, dicit Iudæis: Non sunt verba vestræ scripturæ, Ego occidam, & viuere faciam, vt in qua sit Deus omnipotēs introductus hoc dicere? Illi autem, hæc ità se habere, assensi sunt. Si ergò, dixit Syluester, ex Deo à Zambre perfectum fuit vt moreretur, per eiusdem rursùs inuocationē fiet, vt ipse quoquè reuiuiscat. Est enim beneficus Deus, non maleficus. Illud est enim ei natura, hoc verò præter naturam. Et benefacere quidem est ei voluntarium: malefacere autem, violentum & inuoluntarium. Fit autem nonnunquàm propter aliquorum vtilitatem. Si ergò, quod est præter naturam, & quod à Deo non sua sponte suscipitur, tam facilè perfectum est à Zambre, faciliùs efficietur id, quod est ei secundùm naturam, & decæterò quem nomine Dei, vt ipse dicit, occidit taurum, si rursùs viuificauerit inuocatione omnipotentis, me quoquè habebit eius verbis assentientem.

Itèm aliud planè ridiculum.

Taurum interficit opera dæmonis præstigiator

Deut. 32.

Cap. 35.

His sic dictis à Dei interprete, Zambres, Strophis verborum, inquit, fretus Syluester, ô Imperator, per ea vult adumbrare id, quod modò factum est miraculum, Dei nominis inuocatione. Sed non opùs est nunc verbis, nec eorum ornatu ac probabilitate: factis autem opùs est. Et si qua est tibi virtus, ô Episcope, & Iesu, qui à te colitur, eam factis ostende. Et vis, inquit ille beatissimus, ostendam Christi virtutem, inuocatione eius bouem viuificans, quem tu interfecisti? Verba sunt hæc, ô Syluester, inquit Zambres, & inanis iactatio. Non potest enim fieri, vt taurus viuificetur. Ei autem dicit magnus Constantinus: Si ergò, quod tu dicis fieri non posse, possit Episcopus ad opus deducere, eius´ne verbis assentieris, & Deum esse confiteberis eum, qui ab ipso prædicatur? Certè, inquit, ô Imperator, iuro per salutem, si videro hunc taurum resurgere, ipse quoquè Christum fatebor Deum, & me submittam Syluestri dogmati. Hoc omnes quoquè affirmârunt Iudæi. Tunc ergò sanctus, cùm genu flexisset, & solo caput demisisset, & oculos irrigâsset fluxione calidarū lachrymarum,

Eum vitæ reddere non potest.

marum, Deum per se orauit. Deindè surgens, & manus in altum tollens, dixit cunctis audientibus: Domine Iesu Christe, qui es Dei filius & Deus, cui facile est viuificare & morte afficere, percutere & sanare, tibi placeat, vt hic bos, qui dæmonis inuocatione morte fuit affectus, à sancto & viuifico & venerando tuo nomine viuificetur. Iam enim tempus est, vt tua ostendãtur miracula ad salutem multorũ, propter quam ipse in terram descendisti. exaudi me seruum tuum in hac hora, vt sanctissimum tuum nomen sit in maiori adhuc admiratione.

Et cùm hæc dixisset, prope taurum accedens, voce sublata exclamauit: Si est verus Deus, quem ego prædico, Iesus Christus, qui natus est ex Maria Virgine, surge & sta supra pedes tuos, tua abiecta feritate. Protinùs itaque motus taurus, exilijt, & stetit à nullo detentus. & ad eum accedens mirificus ille pater, cùm ab impositis eum soluisset vinculis, Abi, inquit, vndè venisti, ostendens deincèps omnem mansuetudinem, neminem lædens, neque contra vllum insurgens. hæc tibi iubet Iesus Christus, omnium Deus. Ille autem statìm sensìm abijt & quieto pede, qui priùs erat immitis & immansuetus. Hæc eos qui videbant, obstupefecerunt, &, Verè magnus est, qui à Syluestro prædicatur, Deus, clamabant. Iudæi autem ad sanctum accurrentes, illius pedes præhensârunt, & rogârunt vt oraret pro ipsis, & eis Deum placaret. Et inclyta Imperatrix Helena, velis ablatis, intra quæ sedebat, audiens ea quæ dicebantur, & spectans ea quæ fiebant, egressa est & prócidit ad sancti pedes, Credo Christo, dicens, & rogans, vt diuinum baptismũ consequeretur. Vir autem ille Apostolicus, omnibus in Dominum nostrum Iesum Christum credentibus cum propitium futurum pollicitus, cùm ijs, qui diuinum volebant assequi baptismum, ieiunium pręcepisset & sanctificationem, dissoluit conuẽtum. Deindè cùm eos catechesi imbuisset, qui erant illuminandi, & in ijs, quæ de more fiunt, priùs eos initiâsset, baptizat primùm quidem Imperatricem: post eam autem Romanorum quoquè multitudinem, quæ non facilè numerari poterat, & eos qui illic aderant Iudæos, qui omnes crediderunt.

Cap. 36. Eũ, Christo inuocato, restituit S. Syluester.

Ecce quomodo ieiunio & catechismo de more S. Ecclesiæ baptizandos pręparat.

Hęc autem cùm piè administrâsset, & fidem dilatâsset, fidutiamque & libertatem dedisset prædicationi, & deindè vnà cum Imperatrice profectus esset Hierusalẽ, & ad quærendam salutarẽ Christi Crucem ei collaborâsset, & propter inuentionem eius esset collætatus, & multos illic quoquè Iudæos ad Christi fidem adduxisset, & eos diuino baptismo initiâsset in nomine sanctæ Trinitatis, & euasisset plenus diebus spiritus, terram quidem terræ reddidit, spiritum autem deposuit in manibus Angelorum, abducendum ad Christum, qui fuerat ab eo prædicatus, & multorum laborum, quos propter illum susceperat, accepturum remunerationes, quandò veniet vnicuique redditurus secundùm sua opera: quem decet omnis honor & adoratio, cum patre principij experte, & increato & honore ei ęquali spiritu, nũc & semper, & in secula seculorum, Amen.

Cap. 37. S. Syluestri felix obitus.

BEATI PETRI DAMIANI SERMO IN FESTIVITATE SANCTI BARBATIANI *presbyteri & confessoris.*

NVPER celebrauimus, fratres charissimi, ineffabilem Redemptoris nostri natiuitatem, nunc geminato solennitatis gaudio venerabilem colimus beatissimi sacerdotis eius assumptionem. In illa festiuitate Saluator noster, obumbrata maiestatis suæ specie, descendit in mundum: in ista gloriosissimus eius famulus, deposito corruptibili carnis pondere, liber ascendit. In illa vnigenitus Dei filius humanitatis nostræ formam pro nostra salute suscepit: in ista beatus confessor eius ad Angelicæ beatitudinis speciem felici morte peruénit. In illa solennitate Redemptor noster trophæo carnis indutus, ad debellandas aëreas potestates in mundum præliaturus accessit: in ista verò egregius miles eius, triumphato mundi principe, cæleste palatium victor intrauit. Idcircò quippè Deus descendit, vt homo ascenderet: idcircò humiliari dignatus est, vt hominem exaltaret. In natiuitate Dominica vox Angelica so-

Deceb. 31. Cap. 1.

Cur Deus p natiuitatẽ de cælo descenderit.

Luc.2 ca sonuit: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Matth.25. hodiè dilecto suo suauissima vox diuinæ maiestatis intonuit, dicens: Eugè serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. In illa festiuitate Dominus exiuit de vtero Virginis: in ista venerabilis eius famulus egressus est de ergastulo carnis. In illa Christus pro nobis est pannis inuolutus: in ista sacerdos eius stola est ab eo immortalitatis indutus. Ille angustias intrare non dedignatus est vteri, vt istius animam latitudo susciperet cæli. Ille descendit carne velatus, vt iste ascenderet stola gloriæ decoratus.

Cap 2. Considerate, fratres charissimi, quantus vir iste fuerit, quàm pleniter illum, vt reuerà sacratissimum templum, Spiritus sanctus inhabitauerit, qui & in pace sanctæ Ecclesiæ tot miraculis coruscauit. In initio quippè nascentis Ecclesiæ illi etiam miracula faciebant, qui facere signa digni non fuerant, & sine virtutibus morum, plerique excellebant virtute signorum. Vndè & ipsa Veritas di-
Matth.7. cit: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo
Hæc Gregorius similiter sentit Hom.29. super Euang. Marci. prophetauimus? nónne in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia non nóui vos: discedite à me operarij iniquitatis. Vt enim ad fidem cresceret sancta Ecclesia, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbusta plantamus, tandiù eis aquam fundimus, quousquè ea in terra conualuisse videmus: at si semèl radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim, quod Pau-
1.Cor 14. lus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus. Sed cùm ista dicamus, quæstionem nobis oriri non sine aliqua difficultate videmus. Si enim signa propter infideles data esse dicuntur, quid est hoc, quòd Redemptor noster in pa-
Matth.13. tria sua propter incredulitatem hominum vix paucas virtutes facere potuisse per-
Mar.6. hibetur? Sicut enim Marcus Euangelista testatur, multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vndè huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic est fabri filius & Mariæ, frater Iacobi & Ioseph, & Iudæ & Simonis? Nónne & sorores eius nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. Vndè & paulo post subditur: Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisì quòd paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum. Quid est hoc, fratres, quia Paulus affirmat signa pro infidelibus data, Marcus asserit propter infideles fuisse subtracta? Nunquid contrarias inter se inuicèm proferre sententias possunt, qui vno Spiritu pleni sunt?

Cap.3. Sed notandum est, quia in ipsis infidelibus erat quidam diuersitatis modus. Par quidem error fuerat omnium non credentium, sed magna diuersitas causarum. Aliud est enim, si sola quis fallatur ignorantia: aliud, si adiuncta quo-
1.Tim.1. què erret malitia. Ignorantia Paulus peccauerat, qui dicebat: Qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus: sed ideò misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Per malitiam Iudas peccauit, & ideò nequaquàm ve-
Signa quibus sint data, quibus negata infidelibus. for.* districtæ nire ad indulgentiam meruit. Pro illis ergò infidelibus signa data sunt, quos diuina prouidentia misericorditer saluare decreuerat. Propter illos verò subtracta sunt, quos ab electorum sorte, exigentibus eorum peccatis, * descriptæ seueritatis iustitia repellebat. Christianis autem temporibus, cùm iam penè totus vbiquè terrarum orbis in catholica fide persisteret, & pacem sanctæ Ecclesiæ vix vlla persecutorum sæuitia perturbaret, cur beatissimus confessor Christi Barbatianus tot miraculorum virtutibus claruit, nisì quia ante diuinæ maiestatis oculos
Ioan.5. excellentium meritorum virtutibus fulsit? Erat, sicut de Iohanne dicitur, lucerna ardens & lucens: ardens videlicet per amorem cordis, lucens splendore eximiæ conuersationis. Sed tunc lucerna sub modio occultari voluerat, cùm, sicut in sanctissimæ vitæ eius narratur historia, latens in cellula, manifestari principibus deuitabat. Nolebat mundi regibus innotescere, vt Regi regum potuisset familiariùs adhærere: recusabat ab hominibus temporalem suscipere gloriam, vt cum Ange-
S.Barbatianus celat sanctitatẽ suã. lis acquirere mereretur æternam. Ad hoc quippè pertinet, quòd his, quibus sanitatem restituere cupiebat, sępè superponendũ quid, velut emplastrum, sępè comedendum aliquid, quasì medicinale antidotum, conferebat: eo nimirùm, vt opinor, studio, vt, dum herbarum virtus, vel medicinalium specierum potentia creditur, nequaquàm sanctitatis suæ viribus restituta sanitas ascribatur: & dum ab eo medicina suscipitur, magis medicus, quàm sanctus, esse videatur. Sed dic mihi, ô

bone

bone medice, dic venerabilis medice, vndè confectionem tam efficacis, tam subitæ virtutis nostris finibus attulisti, vt non triduo, non biduo, non vel vnius momenti spatio expectetur, sed mox vt adhibita fuerit, statim omnis languor, omne vulnus pristinæ saluti restituatur? Epithema siquidem curare nō potest, nisi tandiù tumori adiaceat superpositum, donèc vel vigorem suum per occultos meatus in corporis interiora transfundat, vel humorem pestiferum virtutis suæ potentia ad exteriora traijciat. Antidotum verò, quod ore percipitur, necesse est vt catenùs moras faciat, quousquè per venas & poros occulta viscerum funditùs penetret, & vel corrupta solidet, vel tumefacta noxijs humoribus purget. Tua verò venerabilis medicina non moras innectit, nō quæ à medicis custoditur, diætæ discretionem quærit: sed mox vt summotenùs tangitur, salus integerrima reparatur. Solue ergò, pater, solue, obsecro, ligaturam, & tam incomparabilis medicinæ nobis trade notitiam. Videamus & nos inæstimabiles pigmentorum tuorum species, odoremus iucundissimas fragrantium aromatum suauitates. Eià fratres, audite, libellus sacratissimæ eius vitæ coram cunctis aperiat, quas aromatum species eius in se medicina contineat, saluberrima illa confectio, quibus aromatibus constet. Dicit enim inter cætera, quia cuiusdam Iuliani filium guttur grauabat miserabiliter tumidum: qui cùm beato viro delatus fuisset, & cùm pater pro filio lachrymabiliter postularet, venerabilis vir quandam confectionem, de pane videlicet, & cera, & oleo faciens, super eius vulnera posuit, & facto Crucis signaculo, statim in ipsius horæ puncto omnem pestem de eius gutture mirabiliter effugauit. Audistis, fratres charissimi, quæ pigmentorū genera egregius noster medicus habuit, qui mortale vulnus tanta velocitate sanauit: Panem, ceram, & oleum, quę sustentandæ vitæ habebant vsum, in medicinalis curæ transtulit instrumētum. Et vndè vitam alebat suam, indè mortem repulit alienam. Speciebus videlicet vtens domesticis, æstimationem precij minuit peregrinis. Aliquandò ægrotanti citri peciam, aliquādò caricam porrigebat: & huiusmodi curationis genere illos ad perfectæ valetudinis robur, expulsa omni languoris molestia, reuocabat: ea, nisi fallor, intentione, vt quia vterque hic fructus in Romanis finibus apud quosdam rarior cernitur, medicinale aliquid fuisse crederetur: sicque dum reparata salus medicinæ tribuitur, in æstimatione hominum sanctitatis eius opinio minueretur.

Medicina supercælestis moras nō innectit.

Vide genus curationis.

Quid ergò nos miseri dicturi, quid facturi in districto examine tremendi iudicis sumus, qui & virtutes non habemus, & tamen de meritorū excellentia ante humanos oculos superbimus? qui sanctitatem habere ante interni arbitri oculos nullo desiderio quærimus, & sanctitatis nomen apud humana iudicia nobis fallaciter vsurpare gaudemus? Quot enim hodiè cernimus, qui, si de virtutibus admirabilis huius viri vel vltimam particulam attingere potuissent, ad cælum se in superbiæ cornibus exaltarent: qui quādoquè aliquid virtuosum operantur, verùm per hoc non cælum, sed terram petunt. Affectantes nimirùm laudes hominum, in semetipsis dissipant fructus laborum. Cumque se ostendere alienis oculis appetunt, ante diuinæ maiestatis intuitum damnant omne quod agunt. Sæpè etiam sacræ legis eruditione & alios instruunt, omne quod sentiunt, testimonijs attingunt: nec tamen per hoc vitam audientium, sed proprios fauores quærunt: quia nec proferre alia cupiunt, nisi quæ auditorum corda ad repetendas laudes excutiunt, non autē ad lachrymas tendunt. Mens quippè exterioribus occupata, igne diuini amoris non calet: & idcircò ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res, quæ & in semetipsa non arserit, aliud accendit. Vndè fit plerūquè, vt hypocritarum dicta & audientes non erudiant, & eosdem ipsos, qui proferunt, elatos laudibus, deteriores reddant. Attestante etenim Paulo, scientia inflat, charitas ædificat. Cùm ergò charitas auditores ædificando non erigit, scientia proferentes inflando peruertit.

En quantū omnes velit laudari ab hominibus.

Hypocritarū dicta rarò audiētes erudiunt.

1. Cor. 8.

Plerunquè hypocritæ, fratres mei, se abstinentia affligunt, omne robur corporis atterunt, & quasi carnis vitam funditùs in carne viuentes extinguunt, sicq; per abstinentiam morti appropiant, vt penè quotidiè morientes viuant: sed per hoc humanos oculos quærūt, admirationis gloriam expetūt, Veritate attestante, quæ ait: Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspirijs vrgetur: sed inter hæc ab ore proximorū sermo admirationis quæritur, nihilq; pro tanto labore

Matth. 6.

 aliud,

aliud, nisi æstimatio humana cogitatur. Perpendite, dilectissimi fratres mei, quàm miserabilis vecordiæ est, laboriosè agere, & ab ore hominũ laudibus inhiare: forti opere præceptis cælestibus inseruire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. Sicut enim beatus ait Gregorius, qui pro virtute, quam agit, humanũ fauorem desiderat, rem magni meriti vili precio venalem portat. Vndè cęli regnum mereri potuit, indè famam transitorij fauoris quærit. Intùs ergò, fratres mei, intùs seruanda sunt bona, quæ agimus, si ab interno iudice vicem recipere nostri operis expectamus. Hinc est enim, quod in Euangelio Veritas dicit: Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Hinc est, quod de electorum Ecclesia per Psalmistam dicitur: Omnis gloria eius filia Regum abintùs. Filia quippè Regum, est sancta Ecclesia: quæ in bono est opere spiritualium principum prædicatione generata: quæ dum se in virtutibus sanctæ conuersationis exercet, quia per hoc soli Deo placere studet, non foris gloriam, sed intùs habet. Hinc Paulus ait: Gloria nostra hęc est, testimonium conscientiæ nostræ. Gloriam suam Apostolus testimonium conscientiæ memorat, quia fauores oris alieni nõ appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorabat. Occultanda sunt ergò, fratres charissimi, bona quæ agimus, nè hæc in huius vitæ itinere incautè portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Eccè enim hic beatissimus vir Barbatianus, cuius hodiè nobis festiuus natalis illuxit, non humanæ laudis gloriam petijt, non fauores hominum affectauit, non de ostensis tot miraculis apparere ipse mirabilis voluit, nõ de collatis tot in languidos beneficijs humanæ retributionis præmium expectauit: quin etiam medicinalis exercitij prætendebat speciem, vt clarissimum virtutis suæ posset obfuscare nitorem. Et velut magnum cæli astrum nubem virtutibus suis curabat opponere, vt dum minùs ad exteriora radios suæ lucis expanderet, quasì vndiquè in semetipso collectus, in conspectu æterni Solis pleniùs eluceret.

Humanæ laudes in virtutis operibus fugiendæ. — *Ibidem.* — *Psal. 44.* — *2. Cor. 1.* — *Festum S. Barbatiani.*

Libet autem, dilectissimi, pulchrum diuinæ dispensationis ordinem studiosè perpendere, videlicet qualiter omnipotens Deus ad illuminandam noctem vitæ præsentis, stellas suas in cæli faciem mittere, & per eas totius mundi decernat caliginem illustrare: vt dum fulgẽtia astra radiare per cęli climata cernimus, inoffenso pede operis iter nostræ noctis ambulemus. Sicut enim matutinus lucifer, solem præcedens, ab orientali priùs plaga consurgit, deindè meridiani climatis superiora conscendit, ad extremum quoquè pronus in occiduũ axem vergit: sic nimirùm, sic beatissimus Confessor Christi Barbatianus, de Antiochenis finibus, vndè oriundus fuerat, exijt, & Romam pertransiens, multa eam miraculorum luce perfudit. Postremò Rauennam vsque perueniẽs, Christum, qui est sol iustitiæ, plurimis hominum mentibus introduxit. Antiochiæ scilicet splendore sui ortùs emicuit, Romæ plurimos signorum igniculos sparsit, vrbem verò Rauennam velut occasu sacratissimi sui obitùs illustrauit.Ità meritis sacratissimi huius viri, velut noui splendore luciferi, in tribus suis præcipuis regionibus totus rutilat mundus, dum in alia mundi plaga eius cernitur ortus, in alia quodammodò videtur ascensus, in tertia celebratur occasus. Et, sicut de compatriota eius beatissimo Apollinare in alio sermone iam diximus, quàm rectè huic luciferi nomen congruit, qui Romam ingressus, primum virtutis suæ miraculum de lumine fecit? Regina enim Galla Placidia, vt audistis, suppliciter eius flagitabat auxilium pro quadam sua pedisequa, quæ intolerabilibus cruciabatur doloribus oculorum: qui mox pallio suo eius oculos tangi pręcepit, & sic ab ea protinùs omnẽ pestiferę ęgritudinis molestiã effugauit.

Patria S. Barbatiani. — *Vide Tomo 4. Iulij 23.* — *Vide miraculũ ex tactu pallij eius.*

Quapropter cùm dignitatem tuam, felicissima vrbs Rauenna, subtili meditatione considero, largissimis te misericordiæ diuinæ beneficijs ditatam esse perpendo. Video enim, quia ex ipso originali fonte Christianæ religionis, perpetuæ meruisti poculum haurire salutis. In Antiochia nanque, sicut in Actibus Apostolorũ legitur, primùm Christiani discipuli sunt vocati. Ex ipso igitur sanctæ Ecclesiæ fundamento quadratos lapides suscepisti, super quos velut firmissimas bases erecta, immobili es fide & sanctitatis soliditate fundata. Indè enim habes Apollinarẽ Apostolicum martyrem, indè etiam Barbatianum egregiũ Confessorem: qui velut duę excellentissimæ cedri paradisi, sic te ramis suæ protectionis obumbrant: vt si sub eis humiliter manere volueris, omnẽ à te turbinem aduersariæ tempestatis expellant. Et vt eis deesse nil valeat, quod ad cumulũ tuæ felicitatis attineat, mox vt de Antio-

Act. 11.

Antiochenis finibus exeunt, Romæ, quæ absq; dubio caput est & principalis sedes totius sanctæ Ecclesiæ, commorantur: nimirùm vt in schola Petri primitùs discāt, quod te postmodùm de doctrina veritatis erudiant: & de purissimo fonte abundanter bibant, quod in te salutaris doctrinæ magisterio velut eructando transfundant. Tanquàm enim iterùm Paulus, iterùm Apollo, quos ille in fide plātauit, iste largissimo miraculorum & prædicationis imbre rigauit. Sed quia neque qui plantat, ex ipso est aliquid, neque qui rigat, nos etiam Apostolica sequentes verba, dicamus: Deus autem incrementum dedit.

Roma caput totius Ecclesiæ.

1. Cor. 3.

Hos igitur tam præclaros cælestis curiæ senatores, fratres charissimi, perfectò cordis amore diligite, horum imitari exempla tota animi deuotione curate. Nam si vultis esse quod sunt, necessè est etiam vos facere, quod fecerūt. Per angustam ergò & asperam laboris viam, dilectissimi, in hoc seculo cum sanctis incedite, vt postmodùm valeatis ad eorum gaudij latitudinē peruenire. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Proculdubiò autem à vestigijs Christi exorbitat, qui angustam fugiens, latitudinis viam calcat. Iste nanque beatissimus vir, cuius hodierna solennia frequentare gaudemus, non terrenos honores voluit, non fallaces diuitias congregauit, non mundi gloriam petijt, non transitoriæ possessionis prædia dilatauit, propinquos spreuit, patriam dereliquit, semetipsum quoq; pro amore Christi funditùs abnegauit. Nemo ergò dicat, quòd illi solummodò cælestibus digni præmijs habeantur, qui persecutorum gladijs pro Christi nomine feriuntur. Conclusit Deus omnē nostræ tergiuersationis aditum, obstruxit omne excusationis humanæ confugium. Eccè iam non valemus cum beato Apollinare pro Deo mortem subire, possumus saltem cum beato Barbatiano vitam Deo placentem ducere. Magnum quippè est mori pro Christo, sed non est inferius viuere Christo. Vtrunque enim in statera Paulus æqua lance pendebat, cùm diceret: Nemo enim nostrûm sibi viuit, & nemo sibi moritur: siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur. Siue ergò viuimus, siue morimur, Domini sumus. Quisquis igitur amat martyrium, exhibeat se martyrio dignum, & martyrij consequetur proculdubiò præmium. Non potest sanguinem fundere: potest semetipsum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriendum iugulus, non deerit remunerator, etiamsi defuerit gladius. Deest carnifex, qui ceruicem exteriùs feriat: adest iudex, qui bonæ voluntatis præmium reddat.

1. Iohan. 2.

Duæ viæ, angusta scilicet & lata.

Roma. 14.

Studeamus igitur, dilectissimi, cum beatissimo confessore Christi Barbatiano seculi huius blandimenta despicere, rerum temporalium affluentiam deuitare, carnis incentiua reprimere, crucem post Christum etiam in pace Ecclesiastica baiulare: quatenùs qui nunc eius mirabilem sequimur vitam, cum ipso postmodùm desiderabilem perducamur ad gloriam: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & gloriatur, per infinita secula seculorum, Amen.

Habes hic, in quo debeas Sanctos imitari.

S. MELANAE Romanæ historia est Tomo 1. Ianuarij die 31.

FINIS.

DEO LAVDES ET GRATES.

